Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

In Mosis Genesim plenissimi Commentarii, : in quibus ueterum et recentiorum sententiae diligenter expenduntur

https://hdl.handle.net/1874/428832



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Kast 109
Pl. C N°.6



174.
c.

ait. Et tu esto sup quinq ciuita
tes. Et alter uenit dicens. Dñe. ecce
mna tua. quã habui repositam
in sudario. Timui enim te quia
homo hausterus es. tollis qd non
posuisti. & metis qd ñ seminasti.
Dicit ei. De ore tuo te iudico
serue[illegible]i. Sciebas qd ego hauste
rus h[illegible]m. tollens quod non
posu[illegible]ens qd non seminaui.
Et qu[illegible]n dedisti pecuniã meã
ad m[illegible] et ego ueniens cum
usur[illegible]exegissem illam. &
Et a[illegible]ibus dixit. Auferte
ab illo mnam. et date illi qui

Biblia et interpretes
Folio n°. 161

mnam habet dabit ei. Et dicunt
ei. Dñe habet x mnas. Dico uobis
quia omni habenti dabitur. Et
ei qui non habet. etiam quod
habet auferetur ab eo. Uerum
tamen inimicos meos illos qui
noluerunt me regnare super se
adducite huc. & interficite ante
me. Et cum hec dixisset. ibat
ante ascendens hierosolymam.
Et factum est cum appropin
quaret iam ad descensum mon
tis oliueti. coeperunt omis turbe
discipulorum gaudentes laudare
dñm uoce magna. super omib quas
uiderant uirtutibus dicentes. Bene
dictus qui uenit rex in nomine
dñi. pax in celo. et gla in excelsis.
Et quidam pharisseorum de turbis. dix
erunt ad illum. Magister. increpa
discipulos tuos. Quibus ipse ait. Di
co uobis. quia si hi tacuerint la
pides clamabunt. Et ut appro
pinquauit. uidens ciuitatem fle
uit super illam dicens. quia si

N°. 37. e.

~~N. 16. A~~

gec

109 C 6

IN MOSIS GENESIM

pleniſsimi Commentarii, in quibus ueterum & recentiorum ſententiæ diligenter expenduntur,

VVOLFGANGO MVSCVLO DVSANO AVTORE.

Acceſsit rerum & uerborum memorabilium Index locupletißimus.

Ex donatione Bucholti

BASILEAE, PER IOANNES HERVAGIOS.
Menſe Auguſto, Anno M. D. LIIII.

ACADEMIA RHENO TRAIECTINA

ILLVSTRI HESSORVM PRINCIPI, DOMINO PHILIPPO SENIORI, COMITI A CATZENELNbogen, Ziegenheyn, Dietz & Nidda, Domino suo colendißimo, Vuolfgangus Muſculus Duſanus gratiam ac pacem à Deo per Chriſtum Seruatorem apprecatur.

I digna ſententia uiſa eſt, Illuſtriſsime ac Generoſiſsime Princeps, quæ literis ad poſteros mãdaretur, qua ethnicus homo, philoſophicæ literaturæ ſtudioſus, ocium ſine literis mortem, ac uiui hominis ſepulturam eſſe dixit: exiſtimo multo maioris momẽti cenſeri debere, ſi ocium ſine literis ſacris, mortem ac uiui Chriſtiani hominis ſepulturam eſſe dixerimus. Etenim ſi ethnicas literas quãtum uis in ſpeciem eruditas & philoſophicas, ſacris ſcripturis contulerimus, perinde facturi uidebimur, ac ſi plumbũ auro puriſsimo comparemus. Deniq; ſi pĩ ac uerè Chriſtiani hominis animus rectè inſpiciatur, nõ minus ille ſtudio ueræ ſapientiæ deditus, literis ſacris delectatur, illisq; noctes ac dies immoratur, q; ethnicus aliquis philoſophus ad umbratilem mundi huius ſapientiam aſpirans, ſui generis literis incumbit, ſine quib. mortuum eſſe ſe putat. Et huiuſmodi ſacrarum ſcripturarum ſtudiũ noſtra ætate non modò in multorum aliorum animis diuino quodam afflatu excitari uidimus, ſed & in nobis ipſis experti ſumus. Verſabantur ſacri codices omnium ferè manibus, nec erat ulla ſcribendi, legendi, diſputandi ac pſallendi ſatietas, factaq; erat ſtupenda quædam metamorphoſis, qua uidebamus ex ore paruulorum ſcaturire ſapientiam eloquiorum Dei. Verùm q; nulla res tam ſit magna, quin aliquod habeat ruinæ ſuæ ſpaciũ, in hac potiſsimũ, proh dolor, cauſa experti ſumus. Ardor ille S. literarum non ſolùm paulatim remiſit, ſed & quaſi ſubitò extinctus uidetur in multis. Cuius rei cauſam non inuenio aliam, quàm quòd maxima pars eorum qui ueritati Dei nomen dediſſe uidebantur, lectioni S. ſcripturarum incubuerunt, non ut meliores facti iuxta normam illarum uiuerent, ſed ut ad diſputandum carpendumq; errores inolitos inſtructiores accederent. Hanc priſtini ardoris extinctionem uidemus hodie, ac dolemus quidem ex animo: uerùm nondum in eam ſumus deſperationem impulſi, ut ſtudium S. ſcripturarũ abĩciamus. Abſit. Quantumuis immutati ſint multorum animi, ac diuerſi facti ab iis qui fuerant olim, præſertim in calamitoſa hac noſtra Germania, decet tamen Chriſtiana hæc conſtãtia cordatos ac pios uiros, ut talentum à Domino acceptum fideliter ſimul & indeſinenter diſpenſent. Hoc animo affecti per gratiam Domini in curſu S. ſcripturarum pergent quo olim cœperunt, ac pro menſura donationis Chriſti in explicandis eloquiis Dei ſiue concionando, ſiue legendo laborabũt. Sine hoc S. literarũ cõmercio etiamnum ipſis quodcunq; ocium nihil aliud q; mors ac ſepultura quædam uidebitur. Scio delicias iſtas ſuauiter rideri à filiis huius ſeculi. At iuxtà ſcio eſſe illos omniũ ſtultiſsimos, & ignorare, q; ſint ridicula omnia, quibus ipſi tam ſunt impenſe addicti. Preciũ ſacri huius ſtudii non pendet ab opinione ſtulti huius ac deliri mũdi, ſed à uera ac ſempiterna felicitate diuinæ cognitionis, qua mens pia ſic afficit, ut in ipſa quoq;, dum hic

uiuit, incredibiliũ delectationũ preciũ inueniat, nedũ in futuro expectet. Quare non morabitur omnium eorum studia qui se seculo huic breui perituro accõmodãtes, alius opes, alius honores nescio quos & inter quos, alius eruditionem quæ sit, ut loquuntur, de pane lucrando sectantur, relictisq; sacrarum literarum studijs secularis literaturæ titulos uenantur, sic ut hodie in Euangelicis quoq; Academijs pauciſsimi inueniantur, qui sacræ scripturæ professores audire dignentur. Terrentur, scilicet, calamitate asini: & ut illã declinent, applicant se seculo magis, q; CHRISTO. Horum proposito relicto, malo cum pijs hominib. in hoc genere sacrorum studiorum stulteſcere, & delicias hasce eloquiorum Dei mũdo ridiculas sectari, quàm cum illis experiri olim quàm sint uana omnia quę nunc pro ſumma felicitate adorantur. In hoc itaq; studio sacrarum scripturarum pergens post Matthęum, Ioannem, & Psalterium Dauidis, cõtuli me bonorum uirorum consilio ad librum Geneseos explicandum, ac benignitate Domini conceſſum est ad illius pertingere finem. Præstiti quod potui, non quod scripturæ huius maiestas poscebat. Solor tamen in eo plurimum labores meos, quòd non solus in isto sacrarum literarum stadio luctor, sed adhuc multo me doctiores in eodẽ firmo pede decurrunt, quorum diligentia sarcitur, quod per meam inscitiam desideratur.

Quòd autem lucubrationũ istarum editionem attinet, uisum est eam nomini tuo, Princeps ILLVSTRISSIME, nuncupare, maximè propter singulare illud ac Christiano principe dignum S. lectionis studium, quo Amplitudinem tuam sacris scripturis multis iam annis admodũ delectatam esse constat. Et quod conscientiam meam attinet, aliud mihi persuadere non possum, quam quòd in hac causa non sis aspernaturus qualecunque hoc meum erga Celsitudinẽ tuam officium. Nec insolens uidebitur, si in causa hac religionis nostræ coniunctionem animorum seruemus, et alamus utriq;, in qua præsentis seculi maliciam sumus cum innumeris alijs experti utriq;. Obsecro itaq; reuerenter, ut par est, ne dedigneris præsens hoc opus nomini tuo dicatum, pij Principis animo ac fauore amplecti & prosequi, & animũ meũ erga causam CHRISTI, & propter illam erga Celsitudinem quoq; tuam propensum boni cõsulere. CHRISTVS Dominus cõmunis Seruator mentẽ tuam spiritu suo bono in uera sui cognitione custodiat, cunctasq; tuas ac tuorum fortunas pro bonitate sua feliciter in omnibus disponat ac dirigat. Bernæ in Nuithonibus anno salutis nostræ M. D. LIIII, mense Iulio.

Sic

SIc cõparatę sunt res humanę, Lector in Domino chariſſ. ut nulla sit cuiuscunq; rei cõmoditas, quæ non multis ueniat comitata moleſtijs. Incõparabilis sanè cõmoditas est, qua noſtro huic seculo diuinæ ueritatis lucem tam clarè ac latè splendentem Deus opt. maximus exhibere dignatus est. In tenebris pluſquã Cimmerijs splendeſcere fecit uerbi ſui lucẽ, qua conſcientiæ piorũ nouiſsimis iſtis tẽporib. ad cognitionẽ ueritatis illuminent, ſine qua nec uera cuipiã libertas nec ſalus cõstare poteſt. De mortaliũ quippe ſalute ſic cõſtituit, ut ad illã nõ niſi cœleſtis ueritatis cognitione perueniat. Hæc est uita æterna, in quit Seruator ipſe, ut cognoſcant te ſolũ Deum patrẽ, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtũ. Et Apoſtolus: Qui uult, inquit, omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionẽ ueritatis uenire. Cognitio aũt hęc diuinæ ueritatis nõ est petenda adiunde q̃ ex ipſius uerbo, qui est uia, ueritas & uita. Si manſeritis, inquit ille, in ſermone meo, cognoſcetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Sermo Chriſti, doctrina Chriſti est, lux illa, cæca mortalium pectora illuminans, ut uideant & cognoſcant unde conſtet uera ſalus ac uita, & quomodo participes illius fieri poſsint. Singularis est hæc & inæſtimabilis commoditas, non ſine ſingulari conſilio diuinæ prouidentiæ poſtremis hiſce temporibus deſtinata & exhibita. *Ioan.17.* *1.Tim 2.* *Ioan.8*

Verùm quantæ comitentur illam ac inſequantur moleſtiæ, quid attinet recenſere? Nuſquam nõ modò occurrunt in oculos ſpectantium & aures audientium, ſed & quaſi quidam acutiſsimi gladij in ipſa piorum hominum pectora penetrant quotidie. Cum ſit Chriſtianorũ audire uocem paſtoris ſui Chriſti, alienorum uerò uoces fugere, in uoce paſtoris ſui unanimi cõſenſu conquieſcere, eoq; conſenſu præcedentem paſtorem conſtanter ſequi: maxima pars contempta ueri & uinci paſtoris uoce, non ſolum communi olim maiorum noſtrorum in tenebris ambulantium errore auerſa est ad uoces τῶν ἀντιποιμένων, ſed & ſic illis in media luce adhæret, ut reuocari non ſuſtineat, atq; ita miſerandis modis à ſe inuicem diuiſus est grex ouiũ Chriſti. Nec diuiſus duntaxat est, ſed & qui uoces τῶν ἀντιποιμένων deſerere nolunt, in eos qui Chriſti paſtoris ſui uocem audire malunt, quàm alienorum, odia conceperunt pluſquàm Vatiniana, ac deteſtantur inſectanturq; eos acerbius quàm Turcos, & atrociſsimis mortis generibus trucidant, immo & ipſam doctrinam gratię horrendis probris & conuicijs proſcindunt, ac palàm hæreſeos condemnant, qua contumelia quid in ipſum Seruatorem Chriſtum horribilius admitti poſsit, non uideo. Et hæc faciunt tam pertinaciter, ut neſcias fierine poſsit, ut ad ſe reuerſi, ueritatem Chriſti quam impugnant, agnoſcant & amplectantur unquam. Habent enim ſuos magos, quorum incantationibus faſcinati in errore detinentur, & uſq; adeò occæcantur, ut ne ex fructibus quidem iudicare queant de arbore, euenìatq; illis, ut oculos habentes non uideant, auribus non audiant, corde nõ intelligant. uidetur ne moleſtia iſta homini uerè Chriſtiano ſuſq; deq; faciẽda cui nihil poteſt acerbius accidere, quàm ſi uerbum gratiæ cõtumelijs afficiatur, & grex Domini à ſe inuicem odijs, diſsidijs & hoſtili inſectatione ſcindatur, mutuiſq; morſibus magno Chriſtiani nominis probro conficiatur.

Rurſus, ſi inſpicias eos qui doctrinæ gratiæ nomen dare cœperunt, haud minus moleſta occurrunt. An nõ est admodũ moleſtũ, palàm cernere q̃ſint hic alij corruptis moríb. putidi ac deteſtabiles, alij erga uerbũ ueritatis uſq; adeò nauſeabundi ac faſtidioſi, ut illud nec legere amplius, nec audire ſine tædio poſsint, alij facti מוררים pars ad neſcio quod taxicum, metaxycũ inquã, cõmentum, pars ad ipſas priſtinorũ errorum fęces palàm relabantur, ac ad uomitum ſuum recurrant: alij relicta manifeſta ueritate, nouis ſectis ſtudeant: alij ſic neutrales eſſe conſtituant, ut in peſtilentiſsimam adiaphoriam incidant, paratiq; reddãtur ad recipiendũ qualia cũq; potiorum ac potentum huius ſeculi placita. Hi dum omnia credere, immo uerius ſimulare ac diſsimulare uolunt, tandem omni fide deſtituti, prorſus athei redduntur. Interea in ipſo ordine miniſtrorum uerbi exurgunt homines docti magis quàm pij, ad contentiones ſerendas & alendas magis quàm ad cõciliandas diſsidentium mentes nati. Horum improbitate etiam ij ſcinduntur qui concordi ſpiritu armaturaq; diuini uerbi aciem aduerſariorum quorumcũq; ſuſtinere, ac mutuo conſenſu alius alium

in professione ueritatis animare debebant. Siccine, ô fratres, causam Christi propugamus, & conatus aduersariorum infringimus?

Extra hasce molestias crescunt quotidie turbulenti illi & truculentissimi bellorũ motus, quibus monarchæ inter se pro regno non cœlorum, sed mundi concertantes, orbem Christianum miserandis modis conficiunt ac uastant, uiribus suis spoliant, & extero hosti horrendam in nos irruptionem molienti omnes ualuas latissimè aperiunt.

Dum ista considerabamus, puto satis liquere quantam restitutæ ueritatis commoditatem quantæ comitentur molestiæ, ut anxiè timendum sit, ne bonorum quoque uirorum mentes offensæ à doctrina ueritatis & studio Sacr. scripturarum resilire cogitent. Verùm absit hæc cogitatio à mente tua, lector charissime. Quicquid horum malorum est, haudquaquam diuinæ est ueritati acceptum ferendum. Incusandum non est tam insigne cœlestis gratiæ donum, nec auersandum propter comitantes molestias: sed hoc arctius amplexandũ, quo pluribus hæc tempora molestijs inuoluuntur. Solis splendore dignus non est quisquis illum propter umbras incusandum putat, quę tamen nõ ex illo, sed ex oppositis proueniunt corporibus. Sic reuera indignus est beneficio cœlestis lucis, quæ ex uerbo ueritatis refulget, quisquis illam propter ista incommoda fugiendam esse iudicat, quæ non illi, sed peccatorum nostrorum oppositioni sunt tribuenda. Vlciscitur Dominus postremi huius seculi impietatem, corruptionem, pertinaciam & ingratitudinem, & pœnas de illo sumit de quibus iam olim suos præmonuit, ac simul piorum hominum mentes huiusmodi molestijs exercet, exercendoq; probat. Collidítur interim orbis, & catholicæ suæ ruinæ præludia manifestissima patitur. Nec immeritò. Aequissimum nanq; est ut maximam ueneni sui partẽ ipsa præsentis seculi malicia bibat. Intereuntis illius spectator sit Christianus, ac de ruina illius ex uerbo Domini præmonitus præcurrentia signa agnoscat. Ipsa mala siue sint catholica & communia, siue priuata, patienter ferat, solamenq; illorum ex uerbo gratiæ petat. Offensacula Ecclesiæ, & blasphemias contra doctrinã ueritatis impiè effusas Christo seruatori ac summo iudici uindicandas permittat, lætus propter lucem salutis & uerbum gratiæ gratias Domino agat, & ex animo psallat: tristis propter ruinam Ecclesiæ suppliciter ad Dominum ingemiscat, ac gratiam illius pro animabus pereuntium assiduis precibus interpellet: errantes, si qua ratione fieri potest, ex uerbo Domini instruat: inimicos suos diligendo ac benefaciendo mitigare placareq; studeat: & inter ista orationi, lectioni S. scripturarum, & uitæ sanctimoniæ inuigilans, diem Domini cum desiderio expectet. Hisce, puto, rationibus præsentia mala leniri possunt, quę retrolabendo adhuc acerbiora redduntur.

Hæc tecum, lector charissime, de præsentium temporum malis conferre uolui, quo non tuam modò, sed & meam conscientiam aduersus cogitationes & insidias satanæ nonnihil horum meditatione communiam, & in studio diuini uerbi retineam, ne seducti exemplis declinantium ac deficientium, quos Dominus unà cum operantibus iniquitatem merito supplicio afficiet, in tenebras errorũ, relicta diuini uerbi luce, relabamur, fiatq; ut reddantur postrema nostra peiora prioribus, ac grauissimam supremi iudicis iram in nos ipsi concitemus.

Cæterũ quod præsentes hasce lucubrationes meas in Genesim attinet, scias me nihil abs te requirere aliud, quàm ut iuxta admonitionem Apostolicam omnia probes: quę bona sunt, retineas. Nimium arrogans est, quisquis sua omnia absq; ullo discrimine lectori uoranda esse iudicat, nec ferre potest ulla in re libera aliorum iudicia. Ne in secularibus quidem literis ullum unquam sine uenia placuit ingenium, sed habet quisq; quod illi ætas sua ignoscat, & quod in illo sciens dissimulet: quanto magis in scriptis religionem nostram concernentibus hęc nos decet modestia, ut nihil de nobis ipsi præsumamus arrogantius, sed homines nos hic quoq; esse scientes, simul cogitemus haud alienum à nobis esse ut subinde cæcutiamus & erremus, etiam ubi nobis potissimum placemus. Quare nemo me unquam offensurus est iudicandi de scriptis meis libertate, modò iudicet liberè, hoc est, nulli odio, nullius etiã gratiæ obstrictus. Qui odiosè uel in gratiam sui aut aliorum de scriptis bonorum

uirorum

uirorum pronũciat, ut liber nõ est, ita nec liberè iudicat. Liber est & liberè iudicat, qui nec in ullius uerba magistri, præterquàm Christi, iurauit: nec sibiipsi quoq; nimis est seruiliter obstrictus, sed ad unius ueritatis scopum collimãs, quod uerum esse nouit, uel putat saltem, absq; odio & liuore studio manifestandæ ueritatis ac iuuãdi errantes profert in medium. Horum iudicia nemo cordatus auersabitur, immo admodũ expetet, quo si quid erratum est, utiliter emendet: sin minus, reprehendentem se fratrem de ueritate quam ille nõ intellexit, placidè instruat. Hoc animo sum in omnibus meis scriptis, & hac conscientia ex seculo isto deprauatissimo migrare quotidie cupio.

De ordine autem Lucubrationum istarum nõ est quòd multis moneam. Inter legendum statim erit obuius. Versionem aliorũ nullam per omnia usurpaui, sed uertí ut Hebraicæ ueritati conuenire uidebatur. Nullum interpretem incuso erroris. Habuit quisq; quod sequeretur. Habui & ego quod sequendũ putaui. Sit unicuiq; sua uersio libera, libera sit & mea. Aequa libertas sit omnibus: iudicíũ sit penes cordatum ac uigilantem lectorem. Ostendo uarias lectiones. Rationes illarum si potuissem ubiq; assignassem. Assigno ubi occurrunt. Si quisquam est qui possit ubiq;, obtestor hunc per Dominum, ut quod potest præstet. Lectioni subiungo explanationem textus, quam iudico esse menti scribentis conformiorẽ. Post hanc subiício quæstiones obscuriorũ locorũ, nõ ut curiositatẽ leuium hominũ alam, sed ut ali quousq; pijs conscientijs pro mea mediocritate succurram. Postremum locum dedi obseruatiunculis pro meo more, ut aliquem lectori imperito ac minus exercitato in scripturis sacris uersandi usum ostenderem. Habent ista suam distinctionem, ad id facientem, ut si non uacat omnia legere, scias ubi lectionem abrumpas.

Existimo autem quadruplicem intelligentiam necessariam esse illis qui in scripturis sacris utiliter uersari cupiunt. Prima est, qua uoces singulas intelligant. Huc requiritur qualiscunq; scientia sacrarum linguarum, Hebręę potissimum, deinde & Græcæ. Sine hac cogeris, lector, ab aliorum pendêre iudicio.

Secunda est, qua sensum orationis, quem uerba in singulis periodis constituunt, intelligant. Hic necesse est, ut non solum singula uerba intelligant, sed & rectè coniungenda coniungant, ac diuidenda diuidant, ne sinistra uel coniunctione uel diuisione uocum in alienos malè dispositarum periodorum sensus incidant.

Tertia est, qua loquentis uel Dei, uel Prophetę, uel Apostoli aut Euangelistæ spiritum intelligant. Spiritum autem uoco rationem, mentem, consilium ac propositum loquentis. Hac intelligitur non solum quid, sed & quare & quo fine dicatur. Sine ista intelligentia parum in scripturis intelligit etiam qui uerba ac sensum orationis intelligit. Hac in parte deficiunt admodum multi, præsertim cæci Iudæi, qui sic cortici literæ inhærent, ut potissimorum scripturæ locorum spiritum haud quaquam cognoscant.

Quarta est, qua uniuscuiusq; scripturarum loci usus aliquis intelligatur. Est enim omnis scriptura diuinitus inspirata utilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiẽdum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus, 2. Tim. 3. Hęc intelligentia plurimum assidua & pia non lectione modò, sed & meditatione iuuatur. Et in illa potissimum sacræ lectionis emolumentum esse iudico.

Cum itaq; quadruplex ista intelligentia requiratur, studio iuuandi pios ac rudiores, lectores ad quadripartitã hanc dispositionẽ lucubrationes istas attẽperauimus, qua assignaremus uariam obscuriorũ uocum lectionem, singulorũ contextuũ explanationem, quæstionum item solutiones, & memorabilium locorum obseruationes. Quod si quid hac ratione prodesse datur rudibus, oro doctiores, ne hunc illis laborem nostrum inuideant. Si quid ipsis in scriptis meis superfluitatis posse damnari uidetur, per me licet hoc faciant. Oro Dominũ, ut ipse labores non meos tantum, sed & quorumcunq; ministrorum suorum utiles reddat Ecclesijs suis: & quicquid noxium fuerit immixtum, è medio tollat. Commendo te, lector pijssime, gratiæ Dei, cui & me uicissim commendes precor.

PRAEFATIO IN GENESIN.

VNIVERSAM ueteris Testamenti scripturam communiter diuidunt in libros historicos, legales, propheticos, & parabolicos, quos alij uocant Sapientiales: ut historici sint, Genesis, Exodus, Iehosuah, Iudicum, Ruth, duo Samuelis, duo Regum. duo Paralipomenon, Iob, Esther, & duo Esdræ, Iudith, Susanna, Bel, Machabæorumq; libri inter canonicos ne à ueteribus quidem recensentur. Legales uerò, ex parte Exodus, deinde Leuiticus, Numerorum ac Deuteronomium. Prophetici, Esaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, Danielis, & reliquorum duodecim prophetarum quos minores uocant. Parabolici, Prouerbia, Ecclesiastes, & Cantica Salomonis. Eiusdem quidem farinæ sunt, Ecclesiasticus, & liber Sapientiæ: uerùm eandem, id est canonicam autoritatem non merentur. Restat liber Psalmorum, quem quomodo in hanc quadripartitam diuisionem includamus, non uideo. Eximius est, singularis est, & quasi selectũ quoddam spiritus sancti organum, ut haud immeritò seorsim recensеatur. Deinde & illud cogitandum est, legales libros multas cõtinere historicas narrationes, id quod & in propheticis uidere licet, Esaiæ uidelicet, Hieremiæ & Danielis. Vocari tamẽ illos legales, propterea quòd maior eorum portio diuinæ legis præscripta: istos propheticos, quòd maiori ex parte rerum futurarum uaticinia continent. *Diuisio S. scripturæ ueteris Testamenti.*

Horum quidem scientia usum habet sacrarũ literarum candidatis admodum necessarium, uerùm præsentis instituti non est studiosius ea persequi, sed properandum est ad propositum Generationis librum, quem explicandum, non meopte, sed fratrum consilio suscepi. Primus is est inter eos qui Mosi adscribuntur. Primus non solum ordine, sed & rerum maiestate. Vocant hunc Hebræi בראשית, id est, in principio: propterea quòd hac uoce incipit: quemadmodũ & sequentes aliquot à primis uocibus appellant. Græci uocant Genesim, quos & Latini sequuntur. Id nominis huic libro eam ob causam indiderunt, quòd in illius exordio cunctorum principium & exortus exponuntur. Sunt quidem & aliæ multæ quæ in illo cõmemorantur, insignes admodũ historiæ: uerùm ab eo quod reliquis omnibus est præstantius, desumptum est hoc nomen: utpote quod opus Dei, opus creationis, omnium illustrissimũ complectit. Si à nobiliori sumenda sunt rerum uocabula, meritò uocatus est hic liber non ab eo quòd Adam, quòd Abel, quòd Seth, quòd Noe, quòd Abraham cum posteris suis: sed ab eo quòd Deus in principio & sic gesserit, ut sine illius opificio nec cœlum, nec terra, nec quicquam eorum quæ in illis sunt, extare queat. *Liber Geneſis.* *De nomine huius libri.*

Igitur ipsum huius libri nomen sic est positum, ut cum primis de rerum omnium creatione, natiuitate ac principijs admoneat. Est autem illarum genesis non ex Deo, qualis est Christus unigeniti Dei: sed talis, ut conuincat eas aliquando non extitisse. Aliud est enim gigni ex Deo, perinde atq; filius ex patre: & aliud creari ac condi à Deo, sicut opus ab opifice.

Habet hic liber satis luculentam diuisionẽ, qua prima sui parte prioris mundi cursum ad diluuiũ usq;: secunda, quæ à diluuio usq; ad tẽpora patriarchæ Abrahæ contigerunt: tertia, quæ postea ad id usq; temporis gesta sunt quo Iacob unà cum suis in Aegyptum descendit, illicq; uitam suam terminauit, historica narratione prosequitur. *Diuisio libri.*

Res quæ in illo tractantur præcipuæ, sunt creatio omnium, lapsus humani generis, eiusdemq; multiplicatio, propagatio, corruptio, & hanc subsequuta diuina ultio, reparatio generis nostri per asseruationem Noe, uocatio Abrahæ, fœdus cum illo ac posteris eius initum, peccata Sodomitarum igne cœlesti punita, posteritatis Abrahæ promissa ac præstita multiplicatio, & quæ inter hæc omnia meritò præstantissima iudicari debet, Christi seruatoris ac reparatoris omnium promissio. *Res quæ in hoc libro tractantur.*

Itaq; manifestatur hoc libro Deus, tanquam creator, propagator, gubernator, & conseruator omniũ: præcipuè generis humani, quod ad nominis sui gloriam inenarrabili ac prorsus stupendo consilio condidit. Manifestatur humani generis corruptio & peccatum, ac rursus prima cœlestis gratiæ promissio. Manifestatur discrimen electorum ac reproborum in filijs Adæ, Noe, Abrahæ, Isaac & Iacob, tanquam populi Dei capitum ac patrum. Manifestatur illorum impietas erga Deum, & crudelitas erga electos: istorum pietas erga creatorem, & humanitas erga quosuis. Manifestatur sors ac patientia piorum in hoc seculo sub cruce & afflictionibus uiuentium. Manifestatur iustitia Dei pios seruantis, & impios damnantis ac perdentis. In summa, manifestatur prouidentia illa Dei, quæ primũ omnia à se condita conseruat: deinde eos præcipuè, quos in peculium sibi ac populum delegit, in nullis necessitatibus nõ tuetur, ac tanquã suos amanter complectitur, ut non immeritò librũ hunc, librum manifestationũ Dei uocare possis. *Vsus huius libri.*

Quare citra omnem controuersiam usus huius libri summopere necessarius est. Complectit enim fidei nostræ fundamẽta, sine quibus ad reliqua nemo promouere poterit: uidelicet quòd Deus sit, quòd omnia uerbo suo condiderit, quòd nihil temerè feratur: sed omnia ab illo obseruentur, sciantur, gubernentur, & ad normam uoluntatis ipsius dirigantur: & quæ alia sunt eiusmodi, ut planè inepta sit Iudæorum superstitio, qui ante annos triginta nemini suorum accessum ad utilissimas libri huius historias permiserunt: deinde non concesserunt, ut mutua collatione duo uel tres ea considerarẽt, quæ Moses tam fideliter exposuit. Quamuis nec illud probarim, quòd nostrorum aliqui tam uel scrupulosis uel irreligiosis inquisi- *Summopere necessarius est libri huius usus.* *Superstitio Iudaica.*

tionibus rem per se simplicem per nescio quot expositionum formas plane deformarunt, & obscu- A
ram reddiderunt.

Quapropter ut medium iter teneamus, & nec in Iudæorum superstitionem, nec nostrorum spinosam scrupulositatem incidamus, utemur modulo nostro, ut quatenus per gratiam Domini licet, religiose ad hæc sacra tractanda accedamus, & cuncta ad sensum quem literæ uocant, nos uerò germanũ & unicum esse indicamus, qua poterimus fide ac breuitate exigamus.

CAPVT I.

IN principio creauit Deus cœlum & terram.
Terra autem erat inanis & uacua, & tenebræ erant super faciem abysi, & spiritus Dei ferebatur super aquas.

In lectione nihil desideratur.

EXPLANATIO.

Argumentũ primi capitis.

NArrat hoc primo capite Moses, quomodo in principio totius uniuersi machina sex dierũ curriculo fit ab opifice Deo condita, digesta, composita, ornata, & perfecta: distribuitq; singulis diebus sua peculiaria opera.

Vnde Moses hisce de rebus narrarit.

Hisce aũt de rebus non narrat humana aliqua præsumptione, per quam hodie pleriq;, quasi ueri sint & oculares historici, de rebus antiquissimis inexcusabili temeritate cõmentantur: de quibus tamen nullam ueri certitudinem tenent: nec profert ista ex sapientia illa Aegyptiaca, in toto orbe decantata, qua apprimè instructus fuisse Actuũ 7. legitur: sed ex eo spiritu, per quem acceperat, ut fidelis esset in domo Dei minister. Qui illum sibi in mediatorem ueteris Testamenti inter se & populũ suum delegerat, non solum eam illi spiritus gratiam contulit, qua & rebus præsentibus gerendis accõmodus esset ac fidelis minister, & futuris prædicendis uerissimus uates: sed & qua rerum inde ab origine mundi præteritarum scientiam omnium certissimam teneret: & quam teneret, scriptis cõmendaret: id quod quasi singulare quoddã præ

Consiliũ Mosis.

reliquis prophetis accepit. Huic itaq; consilio Dei fideliter inseruiens, nõ iudicauit fore sufficiens populo quem ducendum ac moderandum susceperat, si quos instituebat operũ Dei cõmentarios ab eo tempore ordiretur, quo ipse fuerat in tam grande liberandi Israelis ministerium uocatus: sed ut errorem catholicum, quo totus orbis uel creaturis uel confictorum deorum uanitati seruiebat, refutaret, ac Deum Israe- B
lis, uerum & unicum Deum, conditorem cœli ac terræ, & quæ in illis sunt, omnium esse doceret: ac simul gratiam illam exponeret, per quam maiores huius populi Abraham, Isaac, Iecob, & c. in fœdus ab illo unà cum posteris ipsorum fuerant assumpti, primum hunc librum reliquis sequentibus præmittere uoluit, in cuius statim initio populum Dei in cognitionem conditoris sui inducit, & ethnicorum uesaniam detestabilem reddit, ac simul philosophorũ quorundam dementiã redarguit, qui mundũ hunc æternũ ac fine principio semper extitisse delirarunt. Sed inspiciamus quid duobus istis primis uersibus dicat.

In principio, inquit, *creauit Deus cœlũ ac terram.*] Nihil dicit obscuri. Vno & altero uerbo tria de Deo prædicat. Primum, quòd creauit. Secundum, quid creauit: cœlum uidelicet & terram. Tertiũ, quando cœ-

Creauit Deus.

lum & terram creauit: In principio, inquit. Non dicit simpliciter, Fecit Deus: sed, Creauit Deus cœlum ac terram. Est quidem creare, aliquid facere: uerùm non mox idem est facere quod creare. Nam creare, est aliquid ex nihilo condere: quem sensum uerbum faciendi non sic habet, ut illum lectori confestim offerat, licet pro eo usurpetur, dum Deus cœli ac terræ factor esse dicitur. Quare Græcus uerbum hebræum ברא non expressit, dum uertit ἐποίησεν, id est, Fecit. Dicit igitur Moses, creasse Deum, hoc est, ex nihilo condidisse cœlum ac terram. Nulla siquidem erat materia, unde fieri posset aliquid, cum nondum esset quicquam à Deo creatum. Quare conuenientissimè dixit: In principio creauit Deus cœlum & terram.

Cœlũ & terrã.

Deinde & illud notanter dictum est, את השמים ואת הארץ, id est, hoc cœlũ, & hanc terram. Sic enim ueluti digito mõstrat, quod cœlũ, & quã terrã Deũ in principio creasse dicat. Cœlũ uidelicet hoc ipsum, quod oculis nostris etiamnum cernimus: & terram hanc eandem, quam pedibus conculcamus, & in cuius superficie habitamus. Sunt quidam qui exponant ista non de cœlo hoc uisibili, cuius infrà fit mentio: sed de cœlo empyreo & inuisibili, id quod & Clemens in epistola quadam facit, ubi dicit: Et post illud inuisibile cœlum, istud uisibile produxit: ut superiora quidem habitaculũ faceret angelis, inferiora uerò hominibus. Hæc ille. Verùm satius est, ut Mosen, tanquam rudi populo loquentem, non de inuisibili, sed uisibili isto cœlo scripsisse intelligamus: quod & reliqui patres maiori ex parte sentiunt.

In principio.

Tertiò, non simpliciter dicit, Creauit Deus cœlum ac terram: sed, In principio creauit Deus cœlum ac terram. Hoc est, cum primũ rerum omnium opificium inchoaret Deus, creauit ante omnia cœlũ & terram. Est enim principium hoc loco inceptionis uox, competens rebus quæ fieri incipiunt. Miris aũt modis humana sese scrupulositas in eo torquet, ut in uoce principij abstrusum aliquid cõminiscatur: id quod non solum in Iudæorum, sed & nostrorum quorundam scriptis patet. Quærũt anxiè quod sit illud principium, in quo, uel per quod condiderit Deus cœlum ac terram. Exponunt alij principiũ hoc esse, Christum uerbum Dei: alij intelligunt sapientiam Dei. Quidam sentiunt dictum esse de principio temporis quod rursus à nonnullis negatur. Basilius & Hieronymus citant interpretes quosdam, qui uertêrint

non

A non ἐν ἀρχῇ, id est, in principio: sed, ἐν κεφαλαίῳ, id est, in summa. Si dixisset Moses, In fine fecit Deus hominem ad imaginem suam, quis non intelligeret de fine creationis, & opere sexti diei? Iam cum de cœlo ac terra dicit, In principio creauit Deus cœlũ ac terram, eadem poterat facilitate intelligi, creasse Deũ initio operationum suarũ cœlum ac terram, nisi humanæ scrupulositatis argutiæ simplicitatem cõmuniũ uerborum retorquerent. Quærunt aliqui quot modis uox principij capiatur: atq; ita ad Dialecticã confugiunt, cum nihil potuerit à Mose simplicius dici, quàm quòd Deum cœlũ ac terram in principio condidisse memorat. Quibus sanè uerbis non id tantũ dicit, quòd cœli ac terræ factura creata ordine præcesserit: sed & quòd creata sint cœlum ac terra initiò, cum nulla materia extaret uspiam, quæ aliquid ad hoc posset conferre opificium, ut doceat mox initio creationis Deum duo hæc omnium uastissima corpora cum reliquis elementis condidisse ex nihilo.

Et dum hanc simplicitatem uerborum Mosis amplectimur, non negamus creasse Deum in sapientia sua cœlum ac terram: propterea quòd non legimus cum Targo Hierosolymitano, In sapientia creauit Deus cœlum ac terram. Nam nec Moses id ignorauit, creasse Deum omnia consilio sapientiæ suæ: licet mentionem huius in præsenti non faciat. Sunt satis dilucida testimonia alijs S. scripturæ locis cõprehensa, quibus edocemur condidisse Deum omnia in sapientia sua, ut necesse non sit à simplici sensu uerborum, quibus Moses hic utitur, discedere.

Consimili modo non negamus per Christum, uerbum Dei, condita esse omnia: propterea quòd expositionem eorum non sequimur, qui per uocem principij hoc loco Christũ intelligunt. Scimus & confitemur cum Ioanne, facta esse per illum omnia, & sine illo factũ esse nihil: sed simul & illud cũ Ioanne confitemur, quod dicit: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, &c. Non dicit, Principiũ erat uerbum, cum tamen sit alpha & o, principium & finis: sed, In principio erat uerbum: hoc est, in ipso rerum omnium principio, cum Deus cœlum & terram faceret: sicut & Tertull. in libro aduersus Hermogenem exponit: Erat uerbum illud, per quod condita sunt omnia, ut pulchrè Mosaicæ simplicitati Euangelistæ uerba respondeant. Quare prorsus impertinenter ab Origene factũ est, quòd per hæc uerba Ioannis, sententiam suam confirmare conatus est.

Terra autem erat inanis & uacua.] Legere potes: Et terra erat uasta & uacua. Sic enim Hebræa rectius exponuntur. Græci legunt, κὶ ἀόρατος καὶ ἀνεταστασίαστος, id est, inuisibilis & imparata, imperfecta. Consequenter Moses describit, qualis fuerit prima terræ factura, postquam dixit: In principio creauit Deus cœlum ac terrã. Terra, inquit, ut primũ erat à Deo condita, non habebat eam formã ac dispositionẽ, quam
B est postea consecuta, atq; etiamnũ retinet. Nec mare nec cœlum suum, dum quem nunc habẽt uel locum uel usum, acceperant. Erant adhuc omnia uasta, confusa, indigesta, uacua, & incomposita quædam diuersarum ac separandarũ rerum congeries. Abyssus aquarum, quam creauerat primo die, tenebris erat adoperta. Nam lux nondũ erat facta, per quam omnia illuminarentur. Et spiritus à Deo creatus & immissus superficiem aquarum motabat. Sic intelligo quod textus habet, מרחפת על פני המים רוח אלהים, quod etiã uerti potest, & uẽtus, flatus, aer Dei super faciẽ aquarũ incubabat, uel motabat, aut flabat. Meo iudicio non loquitur Moses his uerbis de aliqua spiritus sancti operatione secreta & occulta: sed dispositionem aquarum, quomodo habuerint, describit. Et ipsa uerba satis indicant, describi à Mose tale quid quod non simpliciter aquis, sed superficiei aquarum acciderit. Non enim simpliciter dicit, Et spiritus Dei incubabat aquis: sed, על פני המים, id est, super faciẽ aquarũ. sicuti & de tenebris dixit, Et tenebræ erant super faciem abyssi. Noui tam recentiores aliquot quàm ueteres, ista non de cõmotione uenti, sed de spiritu sancto exponere: quorum sententiam suo loco relinquo. Sequatur illam, si cui libet: mihi perpetuò magis arridet quæ simpliciora uidentur.

Nec solus sic sentio. Exposuit ad hunc modum & Tertullianus in lib. aduersus Hermogenem. Eum, inquit, spiritum conditum ostendit, qui in terras conditas deputabatur, qui super aquas ferebatur, libra-tor, & adflator, & animator uniuersitatis: non ut quidam putant, ipsum Deum significari spiritum, quia Deus spiritus est: sed eum spiritum dicit, de quo etiam uenti constiterunt, ut ait per Esaiam: Quia spiritus à me exiuit, & flatum omnem ego feci. Item: Cœlo uero spiritus & aquæ subiacebant. Nam si aquæ supernæ terram texerant, spiritus autem super aquas, pariter & spiritus & aquæ super terram. Quæ uerò super terram, ea utique infra cœlum: & sicut terra abyssо & tenebris, ita & cœlum spiritui & aquis incubabat. Hæc ille.

Et Picus Mirandulanus, spiritum hunc uocat non causam principalem, sed uim causæ efficientis, organum & instrumentum diuinæ artis, quomodo uitalis noster spiritus organum est animi.

Et Oecolampadius spiritum hunc Dei, uentum exponit.

Sic sensit & Clemens in epistola ad Iulium & Iulianum episcopos. Certũ est, inquit, quòd per ferrum facta sunt simulacra. ferrum uerò per ignem confectum est, qui ignis aqua extinguitur, aqua autem per spiritum mouetur, spiritus autem à Deo initium habet. Sic enim dicit Moses propheta: In principio fecit Deus cœlum & terram. Terra autẽ erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Dei erat super eam. Spiritus iussu Dei, quasi ipsa conditoris manu, lucem separauit à tenebris, &c. Hæc ille: qui satis dilucidè spiritũ hunc in ordinem creaturarũ refert, & aquæ cõiungit, & igni.

Et Chrysostomus quoq; haud aliter sentire uidetur. Sic enim dicit: Mihi uidetur hoc significare, quòd affuerit efficax quædam & uitalis operatio aquis, & non fuerit simpliciter aqua stans & immobilis, sed

mobilis,& uitalem quandam uim habens. Nam quod immobile est, omnino inutile est: quod uerò mo- A
uetur,ad multa conducit. Vt igitur doceret nos, aquam illam multam habere uim,& uitalẽ quandam, dicit: Et spiritus Dei ferebatur super aquas. Hæc ille: quibus satis patet,consentire eum cum Clemente, & Tertulliano.

Basilius utramq; sententiam recenset,& lectoris arbitrio permittit,utram amplectatur. Et licet uerioꝛem esse dicat,qua uerba ista de spiritu sancto intelligantur,nullas tamen firmas rationes adducit.

Et Augustinus de Genesi ad literam lib. imperfect. sic dicit: Potest aũt & aliter intelligi,ut spiritũ Dei uitalem creaturam,qua uniuersus uisibilis mundus, atque omnia corpora continentur & mouẽtur, intelligamus,&c. Item addit: Tertia opinio de hoc spiritu oriri potest: ut credatur spiritus nomine aeris elementum enunciatum,ut ita quatuor elementa insinuata sint, &c. Et sic concludit. Sed quælibet sententiarum istarũ uera sit, Deum esse omnium rerum authorem credendum est. Hæc ille. Vide etiam in libro Quæstionum ueteris ac noui Testamenti, quæst. 41.

Nec est ut insolens uideatur,aerem ac flatum uocari spiritum Dei,cum psal. 147. legamus: Proijcit glaciem suam sicut buccellas,ante faciem frigoris eius quis permanebit? Mittit uerbum suum, & liquefacit ea,flat spiritus eius,stillant aquæ. Interea non negamus spiritum sanctum in opificio cœli ac terræ haud quaquã fuisse excluſum: secũdũ illud, Verbo Dñi cœli firmati sunt,& spiritu oris eius omnis uirtus eorũ.

Sic Moses hoc uersu non scribit qualem rerum confusionem Deus discernendam & digerendam inuenerit,sed qualiter primo die cœlum ac terram condiderit. Quare studiose cauendi sunt,qui sic legũt: Antequam crearet Deus cœlum & terram,erat terra uasta & uacua,&c. hoc est, Priusquam manum disponendæ ac componendæ cœli terræq; machinæ,qualis nunc est, admoueret, erat chaos quoddam, id est, rudis quædam & indigesta moles,rerumq; indigestarum confusio. Quam sententiam & Naso sequutus est: qui,quamuis aliàs hanc causam haud infeliciter ad præscriptum Mosaicum expresserit,in eo tamẽ errauit,quòd Deo non creationem,sed præexistentis materiæ & inconditæ dispositionẽ tribuit. Licet enim Deum hunc mundi fabricatorem,& rerum opificem uocet: de eo tamen intelligit, quod ex confusa illa rerum congerie,& materia informi mundum condidit: perinde ac si artifex domum quandam è materia præexistente fabricet. Qui sic sentiunt,cogentur fateri,materiam illam primam cœli, terræ, aquarũ,aeris, aut ab alio quopiam Deo esse conditã,& postea neglectã: aut ex seipsa natam, uel Deo fuisse coæuam & æternam: quæ omnia non solum sunt falsa,sed & uehementer insana & impia.

QVAESTIONES ALIQVOT.

Vt fœcundum est aliàs humanum ingenium ad mouẽdas quæstiones,ita & in hac causa de qua Mo- B
ses scribit,plurima multorum passim quæsita leguntur. Sunt autem illa duplicis generis. Nam quædam ipsum opificium Dei,quædam uerba Mosis concernunt. Manichæi,quoniam Mosaica scripta non recipiebant,ut cauillum hoc loco struerent, interrogabant in quonam principio Deus ille cœlum ac terram condidisset. An in eo quo ipse cœperit,uel quo illum solum esse tæduerit. Inde argutabantur: Si in eo quo ipse cœpit,ergo principium habet. Si principiũ habet,habebit & finem,ideoq; sempiternus non est. Deus igitur nõ est. Si in eo quo piguit ipsum solitudinis,quid ante conditum mundum tempore tam prolixo fecit? Si nihil: ergo ociosus fuit. Ocium autem in Deo non est. Si aliquid: ergo non est uerum quod Moses dicit, In principio creauit Deus cœlum ac terram. Sic impia carnis sapiẽtia ad hoc est instructa,ut aduersus Deum cauilletur,cui propter rudiores paucis respondendum esse duxi.

Primũ illud cõmuni quoq; sensu notissimum est,nullum esse Deo principium, qui principium omniũ est eorum quæ sunt: nec finem illi esse,in quem desinunt omnia.

Deinde nihil potest absurdius cogitari, quàm idem & opifici & opificio constituere principiũ: quod faciunt,qui Deum cœlum ac terram in eo principio,quo ipse cœperit,creasse cauillantur.

Tertiò & illud friuolum est quod dicunt: An in eo principio, quo tæduit eum esse solum? Nec solus erat Deus,antequam mundum faceret,cui omnia futura præsentia sunt, & quæ nondum exiſtunt, non minus in conspectu sunt,quàm si reipsa existerent: nec solatium illi ex ijs quæ cõdidit quæsitum est, cum sibijpsi fons sit omnis & uitæ & felicitatis, unde in omnia creata, quicquid est solatij,promanat. Citat Hieronymus dictum Scipionis, Nunquam minus solus sum,quàm cum sum maximè solus. Et Deo nõ dat humana temeritas, quòd ante conditũ mundi huius strepitum solus nõ fuerit? Sapiens quidã capta patria,amissis liberis & uxore, rogatus num quid perdidisset: respondit, Omnia mea bona mecum sunt. Potest hæc esse uox hominis,quomodo nõ potest esse Dei? Christus Ioannis octauo dicit: Non sum solus,sed ego,& qui misit me pater. Vide,non dicit,Sed ego & discipuli mei,& turba quæ me cõsequitur. Non est filius Dei solus,propterea quòd patri coniunctus est: & solus fuit Deus,antequã conditus esset mundus,cum sit in diuinitate incomprehensibilis illa patris,uerbi ac spiritus coniunctio?

Quartò ad id quod quærebant, quid ante conditum mundum tempore tam prolixo fecerit, respondere possem: cuius & Augustinus meminit,quòd quidam,meo iudicio,si malitiam & impietatem cauillationis huius respicias,haud impertinenter respondit, condidisse illum gehennam impijs Maiestatis suæ irrisoribus. Verùm,si quod Apostolus dicit, inscrutabiles sunt uiæ Dei, etiam in illis quæ tum in principio condidit,& etiamnum quotidie operatur,quæ insania est de operibus Dei sempiternis illis, spiritualibus, inuisibilibus, diuinæq; naturæ proprijs inquirere, quæ nulli sunt, ne angelico quidem,nedum humano sensui comprehensibilia, nec ullius temporis decursui, nec loci alicuius angustijs obnoxia: sed in

æternitatem

A æternitatem infinitam & illocalem extenduntur. Vaniſsimum ergo eſt quod inferunt: Si ocioſus fuit, Deus non eſt. Quaſi ocioſa ſit diuina natura, niſi temporaria, uiſibilia & caduca faciat. Tale & illud eſt quod ſubijciunt: Si aliquid ante conditum mundum fecit, ergo uanum eſt quòd Moſes illum cœlum ac terram in principio creaſſe dicit: quaſi non loquatur Moſes de operibus huius mundi uiſibilibus ac temporarijs, in quorum utiq; principio Deus cœlum ac terram condidit.

Deinde interrogatur, quomodo conuenienter potuerit ſempiternus Deus opera temporaria & caduca ſine ulla ſui cõmutatione facere.

Belli homines non conſiderant, inconueniens quidem eſſe Deo, ſi ſit temporarius & caducus: ſecus uerò, ſi temporaria & caduca faciat. Quis uel à figulo requirat, ut non niſi ea uaſcula faciat, quæ ætatem ipſius adæquare poſsint? Vel quis adeò deſipit, ut ad uaſculi infirmitatẽ, firmitatem figuli mutari credat? Non eſt opifex ſuo operi ſic adſtrictus, ut ad illius conditionem firmam uel infirmam mutetur. Quæ eſt ergo inſania, tale quicquam de diuina ac ſempiterna cogitare natura? Si gigneret ex ſe Deus temporarium & caducum filium, poſſet id meritò uideri diuinæ non conuenire naturæ. Quòd uerò temporaria facit ipſe ſempiternus, nihil habet inconuenientiæ. Non enim hoc per impotentiam, ſed prouidẽtiæ ſuæ diſpenſationem facit, cuius in eo manifeſtum apparet argumentum, quod nonnullis ſuis operibus, pro libera ſua beneuolentia ueræ uitæ ſempiternitatem largitur.

Tertiò, quærunt ubi nam fuerit Deus antequam cœlum ac terram conderet. Sic quærunt illi, qui niſi in Deo eſſent & mouerentur, nuſquam eſſent.

Hæc eſt illorum inſania, ut de Deo quærant ubinam fuerit: qui omnibus non ſolum ut ſint, ſed & ut alicubi conſiſtant, inenarrabili bonitate ac prouidentia ſua dedit. De illo ſic quærunt, quaſi conſiſtere nõ poſsit in ſeipſo: ſed opus habeat, ut loci alicuius ſpacio capiatur ac ſuſtentetur, cum in illo conſeruentur omnia, & in eundem cuncta definant. Orbem uniuerſum portat ille, non portatur ab orbe. Cœlũ ac terram ueluti pugillo ſuo continet, à cœlo & terra prorſus incomprehẽſibilis. Cœlum ac terram condidit, non neceſsitati ſuæ, ut eſſet ubi maneret: ſed nominis ſui gloriæ, ut eſſent bonitatis ſapientiæ, ac potentiæ ipſius uiſibilia & manifeſtiſsima ſpecimina. Quid autem uæſanius excogitari poteſt, quàm quòd opifex ille rerum omniũ in ius uocatur, Vbinam, priuſquam mundum fabricaret, manſerit: quaſi continens omnia ſine ijs quæ continet, & qui ſempiternus eſt ſine loco temporario, & opifex ſine opificio ſuo conſiſtere nequeat? Quàm ſtultè interrogares ſpiritum tuum, ubinam eſſe potuerit, antequã corpus tuum inhabitaret: & ubi manſurus ſit, poſtquam inde exierit? Et argutum uidetur, ſi de Deo quæratur, ubi fuerit
B antequam cœlum & terram faceret? Interroget potius ſeipſum quiſq;, ubinam & quid fuerit, antequam in utero matris conciperetur. Interrogemus de cœlo ac terra, ubinam fuerint, priuſquam ab opifice Deo ex nihilo crearentur. Eiuſmodi interrogatio pijs animis aliquid ad pietatem conducere poterit. Quare ſummopere cauenda eſt impietas illa, quæ in Deum cauillandi gratia tanta temeritate inquirit.

Quartò & de eo quærunt, unde extiterint tenebræ, quas Moſes ſuper faciẽ abyſsi fuiſſe ſcribit, & quis eas cõdiderit: quaſi & tenebræ inter creata referri debeant, cum nihil ſint in ſe, niſi abſentia lucis. Quemadmodum enim ubi nihil ſonat, ſilentium: ita ubi nihil lucet, caligo eſt. Quis autem ita deſipit, ut ſilentiũ creatum quid eſſe putet? Sic planè & tenebræ nihil ſunt in ſe. Da lucem, nõ erunt tenebræ. Da ſonitum, nõ erit ſilentium. Quare friuolum eſt, quod quæritur, quiſnam crearit tenebras, haud ſecus quàm ſi quis quærat, quis fecerit ſilentium. Sed obijci poterit hic locus Eſa. 45. ubi ſic loquentem Deum legimus: Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras: ut uideri poſsint tenebræ inter creata debere referri. Verùm non eſt alienum à cõmunibus etiam loquendi modis: ut ſicut umbram facere dicitur, qui obſtaculi cuiuſdam obiectione & ſplendorem & calorem ſolis excludit: ita etiam tenebræ à Deo factæ dicantur, cum cœlum & terram ſine lucis adiectione creaſſet. Et unde ſunt nocturnæ tenebræ, unde illæ quæ per ſolis fiunt deliquia, niſi à Deo, qui omnia ſapienter & facit & moderatur. Inde tamẽ nemo ritè colliget, eſſe tenebras materiam quandã, ſicuti de ſole ac luce conſtat: quæ ſic ſunt cõdita, ut per illorũ abſentiam tenebræ, & non uiciſsim per tenebrarum abſentiam ſol & lux cõſtiterint. Cauenda eſt autem hoc loco Manichæorum impietas de gente tenebrarum, quæ aliunde facta Deo ſtatim initio repugnarit, quã Auguſtinus aliquot locis refutat. Et illud hoc loco quærũt: Si tenebræ erant ſuper faciem abyſsi: ergo in tenebris cœlum ac terram fecerat. Reſpondemus cum Ioanne: Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. Non dicit Moſes, Et tenebræ erant in facie Dei: ſed, Et tenebræ erant ſuper faciẽ abyſsi. Craſsis illis tenebris lux illa ſempiterna & inacceſsibilis non eſt obnoxia. Etiam tenebræ, inquit propheta pſal. 139. non ſunt tenebræ apud te: & nox ſicut dies lucet, ac ſimiles ſunt tenebræ luci. Craſſæ illæ noctis tenebræ felinis oculis aciẽ uidendi non impediunt, & Deo uidendi aciem non adimerent, à quo eſt, quicquid uſpiam lucis extat? Erat tum quoq; lux illa uera, quæ cũcta illuminat: uerùm lucem eam unde opificiũ quod faciebat illuſtraretur, nondum fecerat.

Quintò, de uerbis Moſis quærũt aliqui, quare non & de aquis, aere, & igne ſcripſerit, quòd & illa ſint à Deo in principio creata. Meminit quidem aquarum & ſpiritus: uerùm unde illa condita ſint, non memorat. Certum eſt, omnia quæ ſunt, à Deo eſſe condita. Ab illo utiq; ſunt aquæ, ab illo aer ac uenti, ab illo ignis. Moſes igitur non ſic eſt intelligendus, cum dicit: In principio creauit Deus cœlum & terram, quòd de cœlo ac terra ſeparatim ac duntaxat loquatur: ſed quòd per cœlum & terram generaliter loquendo uniuerſam illam elementorum, ignis, aeris, terræ, aquarum materiam exprimere uoluerit: unde

postea sequentibus diebus reliqua omnia sunt producta. Qui uerba Mosis hoc sensu dicta intelligit, cau A
sam non habet, ut de aquis, aere & igne à quo sint creata interroget.

Sextò, quæritur & illud: Quare cœlum ac terram Deus in principio sic condiderit, ut essent omnia inter se confusa, indigesta, informia, & imperfecta, cum posset statim cuncta creare perfecta. Putatur ista informis cœli ac terræ materia, & confusa indigestaq; rerum moles, parum ad gloriam omnipotentiæ Dei facere, eo quòd argumentum habere uideatur infirmitatis, qua factum sit, ut nõ potuerit statim initio operis cuncta creare perfecta & absoluta. Verùm si res ista penitius introspiciat, cognoscemus Deum non sine magna sapientia hoc modo in creatione cœli ac terræ usum, ut primùm materiam futuri operis ex nihilo crearet: deinde particulatim singula disponeret, ornaret & absolueret. Nam utrobiq; incomprehensibilis illius potentia & sapientia relucet. In materia primùm, quòd talem ex nihilo cõdidit, quæ in se rerum omnium ueluti seminaria quædam haberet. Deinde in separatione, digestione, ordinatione, & ornatu singulorum, quod congeriem rerum tam confusam & informem sola uerbi sui potentia tam commodè distinxit, & singula suis locis & usibus disposuit. Quis dabitur gentilium deorum, qui ex nihilo uel unius muscæ materiam creare possit? Quis dabitur, qui materiam informem & confusam discernat, digerat, & cuncta illius in formas suas producat & absoluat? Vtrumq; opus planè diuinam uirtutem requirit. Non minus ueri Dei argumentum in eo est, quòd chaos illud informis materiæ tanta sapientia discreuit, digesit, ornauit ac perfecit, quàm quòd illud ex nihilo creauit. Vnde & spiritus sanctus in psalmis frequenter inculcat, quòd cœlum extenderit, terram fundarit, aquis terminum posuerit, &c. non minus, quàm quòd ista ex nihilo creauit.

Et hoc modo non est in principio duntaxat usus, sed utitur illo indesinenter ad finem usque mundi. Semen illud unde nascitur arbor, quid aliud est, quàm materia informis, in qua cõfusæ sunt illius partes, radix, stipes, rami, folia, flores, fructus, quæ suo tempore progerminant. Vocant hominem microcosmũ, id est minorem mundum. Quomodo ille in utero matris formatur? An non in principio concipitur materia informis, unde paulatim corpus humanum cum membris suis formatur, augescit, & tandem in lucem profertur? Qui de mundo interrogat, quare hunc Deus non statim in principio perfectum & absolutum crearit, eadem ratione interroget de seipso, quare non mox primo conceptionis momento perfectam sit corporis sui formam ac dispositionem consequutus, ac conditori suo dicat, Quare me feciſti ad hunc modum? Quin potius adoramus incomprehensibilem sapientiam Dei, tam in creando materiam, quàm digerendo, formando & absoluendo creatam? Hæc uolui obiter de quæstionibus quibusdam perstringere, quæ solent hoc loco parum religiosè moueri. Restat nunc, ut obseruatiunculas nonnullas B
inspiciamus.

OBSERVATIO.

Quare Moses nõ primũ docuerit, esse Deum.

In principio fecit Deus cœlum & terram.] Primum illud obseruandũ est, quòd Moses de eo nihil scribit, quod primarium fidei nostræ caput in se continet: nempe, quòd Deus sit, cum tamen author epistolæ ad Hebræos manifestè dicat, illud cum primis esse credendum, quòd Deus sit: sed simpliciter meminit, creasse Deum cœlum & terram. Scribebat populo Dei, in quo necesse non erat, multis astruere, quòd Deus sit propterea quòd iam antea in cognitione Dei multis esset ac magnis argumentis instructus, ut rectè dixerit Dauid: Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. Verùm ubi tanta regnat cæcitas, ut locum habeat illud impiorum, Non est Deus, ibi sanè summopere necessarium est, ante omnia mortalium de eo conuincere mentes, quòd sit Deus: sicuti necesse est inter eos qui plures deos statuunt, unius Dei ueritatem & cognitionem primario studio inculcare. Admonemur igitur hac Mosaici exempli prudentia, ut doctrinam ueritatis iuxta qualitatem eorum quos docendos suscepimus, competenter dispensemus.

Quid Moses primo loco de Deo, in illius populo doceat.

In hoc articulo conuenit & nobis, et Iudæis, & Turcis.

Deinde notandum est, quid de Deo in populo illius primo loco prædicet. In principio, inquit, fecit Deus cœlum & terram. Igitur hoc ante omnia de Deo in populo eius prædicat, quòd cœlum & terram id est mundum, totum hoc uniuersum cõdiderit. Et hic est primus fidei ac confessionis nostræ articulus, quo dicimus, Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli ac terræ. Et de mundo prædicat Moses, & confitemur nos Christiani. Primùm, quod principiũ habeat. In principio, inquit, fecit Deus cœlum & terram. Ergo contradicimus uanissimæ illorum opinioni, qui mundum affirmarunt esse sempiternum, & ἀνάρχον, id est, sine principio. Deinde quòd non sit ex seipso ortus, sed aliunde factus: ut hæc omnia quæ cœli ac terræ nomine appellantur, opificis alicuius factura existant. Tertiò, quòd à Deo sit factus, ut per opificium illius de bonitate, sapientia ac potentia Dei admoneamur. Quartò, quòd non sit ita à Deo sic factus, sicut umbra fit à corpore, & splendor à lucido. Extiterũt homines uani, qui licet Deum causam esse mundi faterentur, addebant tamen, sicut corpus causa est umbræ. Sentiebant enim mundum hunc non esse studio & uoluntate Dei conditum, sed ultrò ex potentiæ illius abundantia exortum. Cõtra huiusmodi uanitatem notandum est uerbum בָּרָא, id est creauit. Deinde & totus narrationis contextus, quo Deus omnia ista studio & uoluntate feciſſe cõmemoratur. Quintò, quòd sit factus ex nihilo: sicuti patet ex uerbo בָּרָא. Ratio quidẽ humana putat esse impossibile, ut aliquid fiat ex nihilo: unde tritũ illud, Ex nihilo nihil fit, in ore mortalium uersatur. Hinc est quòd nonnulli tria principia etiam in hac causa posuerunt, opificem uidelicet, materiam, & ideam, id est exemplar. De opere Dei

perinde

A perinde atq; de operibus humanis iudicarunt, atq; ita materiam mundi opifici Deo coæternum constituerunt. Ab hac impietate breui compendio per Mosen auocamur, ut credamus cœlum ac terram nõ ex aliqua præiacente materia, sed initiò ex nihilo esse à Deo creata.

Tertiò, obseruandum est, quomodo loquatur Moses: ברא אלהים, inquit. Elohim pluralis est numeri, bara singularis, ut legi possit, Creauit dij. Sic pulchrè S. Triadis in uerbo Elohim, & unitatis mysterium in uerbo Creauit notatur. Non dixit בראו אלהים, id est, Creauerunt dij, ne pluralitatem deorum introducere uideretur. Nec dixit ברא אלהם, id est, Creauit Deus, ne mysterium hoc S. Triadis in opificio mundi prorsus negligeret, & cooperationem uerbi ac spiritus Dei excluderet. Hoc genus locutionis de Deo in sacris est scripturis diligenter obseruandum. Tribuitur aliquando uox אלהים etiam iudicibus ac potentibus, uerùm perpetuò additur uel uerbum uel adiectiuum pluralis numeri (quod & Burgẽsis annotauit) secus uerò ubi de Deo est sermo. Nam ibi semper singulare quid adiungitur, plurale nunquam. ut reuera mirabilis sit Iudæorum cæcitas, per quam impediuntur, ne loquutionem hanc spiritus sancti intelligant, & intelligentes ad S. Triadis & unitatis fidem adspirent. *De mysterio S. Triadis, & unitatis in Deo.*

Quartò & illud notandum est, quòd cum specificatione loquitur, dicens, In principio creauit Deus hoc cœlum, & hanc terram. Admonemur hoc, spiritum sanctum singulari egisse studio, ut non de inuisibilibus à Deo creatis, cœlo uidelicet empyreo, quod pigrum ac decimum uocant, cœlestibus spiritibus, angelis, angelorum ordinibus, principatibus ac potẽtatibus: sed de uisibilibus, cœlo illo, quod ob oculos quotidie cernimus: & terra hac, quam donec in carne sumus, incolimus, per Mosen populum simplicem ac rudem instrueret. Hinc est, quòd in toto illo sex dierum contextu ne unius quidem inuisibilis creaturæ mentionem facit: sed nota illa & uisibilia, quæ passim in oculos mortalium incurrunt, quomodo à Deo sint facta, cõmemorat: ut sunt, lux, dies, nox, uespera, manè, cœlum hoc, firmamentum, aquæ, terra, mare, herbæ, arbores, sol, luna, stellæ, pisces, uolucres, & omnis generis bestiæ terræ, ac postremò homo, ad imaginem Dei cõditus. Et utinam singuli, quotquot Christiano nomine censent, hac creationis fide imbuti essent, ut cœlũ hoc suspiciẽtes, in quo sol & luna relucent, opificiũ se Dei patris cœlestis, & conditoris omnium, cernere, & terram hanc incolentes, à Deo patre illam & factam, & usibus humanis traditam incolere non dubitarent, quo facilius à fide creationis ad fidem diuinæ prouidentiæ ac philanthropiæ in reliquis omnibus perducerentur. Et hac se creationis fide propheta Dauid plurimum exercuisse in Psalmis uidere licet. Psalmo octauo dicit: Si uidero cœlos, opus digitorũ tuorum, lunam & stellas quæ tu parasti (mox cogito) quid est homo, quòd memor es eius: & filius hominis, quòd uisitas eum? Sic uidelicet ex B consideratione diuinæ Maiestatis per opera creationis in cœlo relucentis, ad philanthropiæ Dei admirationem ac deprædicationem peruenit. Plurimus est huius fidei usus, uerùm præsentem prophetæ locum exempli gratia adducere uisum est, ut habeat lector unde se exerceat, & ad reliquorum indagationẽ progrediatur. Nequit enim fieri, nec nostri est propositi, ut singula quæ hic considerari possunt, data opera persequamur. Optarim illis qui subtiliter de inuisibilibus disputant, ut ad exemplũ Dauidis per ea quæ conspiciuntur, ad fidem creationis ac prouidentiæ Dei ritè sese accommodarent. *Quòd nõ de inuisibilibus, sed uisibilibus operib. Dei loquitur.*

OBSERVATIO.

Terra autem erat inanis & uacua.] Obseruandum est hoc loco, quomodo opera sua Deus ordine ad consummationem ac perfectionem sic ducat, ut inculta primũ sint, deinde ueluti gradibus quibusdã surgant & absoluantur. Sic mundum initiò rudibus elementis quodammodo depalauit, ac postea exornatum quasi dedicauit. Sic, ut infrà uidebimus, nec lucem statim solari splendore impleuit, nec noctem confestim lunæ solatio temperauit, neq; cœlum mox sideribus stellisq; signauit, neq; terram statim uaria fœcunditate dotauit, ac bestijs frequentauit. Admonemur hoc exemplo, qualia plerunq; sint principia operum Dei. Talia uidelicet, ut in illis quoque principij accidens sit rudimentum, & nihil eorum quæ futura sunt, & in ipso ueluti rudis materiæ secreto abdita latent, in superficie tenebris obducta appareat. Neque enim accidit hoc in principio duntaxat cœli ac terræ, sed idem operandi modus & in alijs operibus Dei frequenter cerni potest, in quibus & ipsis apparet, quàm plerunq; rudia sint, informia, humilia & obscura operum Dei primordia. Opus Dei erat, quòd Dauid per Samuelem prophetam in regẽ ungebatur, & ungendo inaugurabatur. Verùm si rem ipsam consideres, quæso quid apparebat in Dauide, quod regium esset? Puer erat paruulus, natu inter fratres minimus, pascẽs ac minans oues paternas, et suis quoq; contemptior habitus. Et hic erat iam rex Israelis. Fingamus ergo sermonẽ de illo ad hunc modum: Constituit Deus Dauidem filium Isai regem super Israel. Erat autẽ Dauid puer paruulus, pascens oues patris, & inter fratres suos postremus ac despectus. Et persequutus est eum Saul, à cuius facie è medio Israelis fugit in solitudinem, deinde ad Philistæos sese contulit profugus & exul. Quid erat, obsecro, Dauid hic rex Israel initio inaugurationis suæ aliud, quàm terra recens condita, uasta & uacua, abysso ac tenebris adoperta, rudis, informis & obscura, donec liberatiõis luce inducta, pulsis exilij tenebris, segregatis perse quutionum undis, hoc est, Saule mortuo in regium honorem, potentatum ac splendorem eueheretur. Tale quid accidit & Abrahæ, Isaac & Iacob, ac posteris illorum, quod attinet promissam seminis multitudinem, ac terræ Cenaan possessionem. Et Christi quoque dispensatio in carne nostra susceptа, & piorum in hoc seculo cõditio, ad eundem modum sunt comparatæ. Itaq; quoties cœlũ ac terram cum præsenti illorum ornatu & gloria cernimus, regrediamur ad illorum primordia, agnoscamusq; modum ac *De principijs operum Dei. Principij accidens rudimentũ. 1. Ioã. 3. Nũc filij Dei sumus, sed nõdum apparet.*

qualitatem operum Dei, ne rudi illorum, informi & obscura humilitate statim in exordio à fide prouidentiæ Dei absterreamur. A

Potest terra in primogenitâ conditione conijci.

Deinde & illud cogitandum est: Qui terram initiò uastam & uacuam condidit, in eandem rursus illam confusionem, ubi uoluerit, conijcere potest. Tale quid in diluuio monstratum est, ubi abyssus aquarum totum orbem inuoluit. Vide Hieremiæ quarto, quomodo terra Israelis hostili populatione uastata uocetur תהו ובהו, id est, uasta & uacua. Est illi omnium facillimum uniuersum hunc cœli ac terræ ornatum, quem post primam illis creationem induxit, subitò tollere: id quod & in extremo iudicio planè futurum est, in quo cœlum ac terra igne comburentur. Initiò tu Domine, inquit propheta, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut uestimentum ueterascent, & sicut opertorium mutabis eos, &c. psal. 101. Igitur quicquid sublime est in terra, splendidum & illustre, respiciat ad primordiorum suorum humilitatem ac ruditatem, & exemplum hoc cœli ac terræ consideret, manumq; fictoris ac sublimatoris sui formidans, in illius sese conspectu humiliet.

OBSERVATIO II.

In operibus Dei sunt abyssus & tenebræ.

Tenebræ erant super faciem abyssi.] Ergo in operibus Dei sunt abyssus ac tenebræ. Admonet nos ista facies, esse opera Dei prorsus inuestigabilia in se, nisi luce inducta reuelẽtur. Sine hac frustra de illis cogitabimus. Nequit enim intellectus humanus suopte iudicio diuinorum operum abyssum ac tenebras penetrare. Quare perendũ est, ut qui miranda operatur, idem nobis opera sua luce adhibita illustret ac reuelet.

Tenebræ lucem præcedunt.

Deinde & illud notandum est. Præcedunt lucem tenebræ, non dignitate, sed singulari dispensatione. Sic in rebus humanis, rationis usum præcedit ignorantia. Et in dispensatione illa, qua salus electorũ diuina prouidentia disponitur, priores obtinent passiones obscuræ ac tenebricosæ, posteriores uerò gloriæ illustres ac lucidæ. Hic est ordo operum Dei. Diuersa uia ingreditur satan. Ille statim in principio pollicetur ac simulat lucem, læta ac prospera, quæ tandem in tenebras omnium tristissimas, catastrophen uidelicet, tali authore dignam, desinunt. Quare cauendum est, ne splendidis initijs illecti ac decepti, in finẽ tenebricosum ac perditioni obnoxium incurramus. Multo satius est, à tenebris transferri in lucem, à tristibus ad læta & felicia, quàm à luce fallaci & caduca in tenebras æternas, & à fluxa lætitia in tristitiam desinere sempiternam.

OBSERVATIO III.

Non simpliciter dicit, Et spiritus: sed, Et spiritus Dei ferebatur.

Et spiritus Dei ferebatur super aquas.] Primùm obserua prudentiam Mosaicæ loquutionis. Non dicit simpliciter, Et spiritus ferebatur super aquas: sed, Et spiritus Dei ferebatur super aquas. Ne uidelicet flatum illum putemus non esse studio & consilio Dei cum reliquis elementis creatum, sed ex immensa illa B aquarum abysso naturaliter & ultrò exortum. Hac itaq; loquutione opus & gloriam Dei in cõmemoratione flatus ac spiritus uindicat.

Non erat chaos illud prorsus emortuum, sed spiritus Dei efficacia præditum.

Deinde & illud expendendum est. Erat quidem chaos illud cœli ac terræ informe, imperfectum, ac tenebricosum, uerùm non prorsus emortuum, sed spiritus Dei uirtute & efficacia præditum. Sic iam tum agebatur illud, quod etiamnum & ad finem usq; in toto hoc uniuerso agitur, in quo cuncta per spiritum ac flatum uitalem uelut animantur, uiuida & efficacia redduntur.

Anagoge ad opus spiritus sancti in cordib. electorũ.

Consideranda est hac in re imago operationis illius, qua per spiritum suum Deus corda electorum in medijs tribulationum ac mortis tenebris, quicquid foris appareat, animat, uiuificat, & ad sequuturæ lucis felicitatem conseruat. Magnam habet hic locus consolationem. Qualiacunque uideantur opera Dei, quibus mortalium commoda molitur, non deest illis spiritualis ac uitalis operatio, qua non solum in ipsa ruditate conseruentur, sed & ad finalem perfectionem usq; prouehantur.

Dixitq; Deus, Fiat lux: & facta est lux. Et uidit Deus lucem quòd esset bona, & diuisit lucem à tenebris: appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem. Factumq; est uespere & mane dies unus.

EXPLANATIO.

Duobus primis uersibus Moses exposuit, quomodo initiò Deus cœlum ac terram sic condiderit, ut essent omnia uasta & uacua, aquis ac tenebris operta, & ulteriorem conditoris operam requirentia. Iam consequenter ad ea describenda progreditur, quæ totius uniuersi digestionem, compositionem ac perfectionem concernunt. Et primùm de luce memorat, quòd & quomodo illa sit à Deo facta. Dixit, inquit, Deus, Fiat lux. Humano more de Deo loquitur. Quoniam tenebris cuncta obscurabantur, statim lucem quæ cum primis desiderabatur, fieri mandat, perinde ac si paterfamilias nocturna caligine inuale scente & omnia obscurante lucem accendi iubeat, qua domus à tenebrarũ incõmoditate uindicet. Non est autem humano more loquutus Deus. Verbum illius expressa est uoluntatis illius uirtus & efficacia. Quoniam quod uolumus ut intelligatur, & uel credatur uel fiat, prolatione uerbi exprimimus, ideo expressa uoluntas Dei uerbũ dicitur. Sic tribuit illi Moses quòd dixerit, Fiat lux. Et ut uoluntatis huius efficaciam exprimat, subijcit, Et facta est lux. Non dixit, Adferatur lux, accendatur lux: sed, Fiat lux, & facta est lux. Vt intelligamus tum primùm factam esse lucem ex nihilo. Etenim nulla aderat materia unde lux accenderetur, sed tenebris caligabant omnia. Hactenus tribus quatuor uerbis de luce quòd & quomodo & à quo facta sit exposuit, iam etiã de eo subijcit, ad quem sit usum dispositа. Et uidit Deus,

inquit,

A inquit, lucem quòd esset bona, & diuisit lucem à tenebris: appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem. De Deo tanquam artifice quodam loquitur, qui opus à se factum probat primũ, deinde ad quod destinauit accõmodat. Aliàs non est necesse Deo, ut quæ facit, ubi facta sunt demum probet, cui omnia cognita sunt antequam fiant. Loquitur tamen ad hunc modum Moses, quoniam hominibus de operationibus Dei loquitur, quibus illæ nõ possunt nisi humano more exponi. Et uidit Deus, inquit, lucẽ quòd esset bona. id est, approbauit quòd esset cõmoda & utilis futura: non quidem sibi creatori, sed rebus à se creatis, ac iam disponendis. Non dicit, Et uidit terram esse uastam, & omnia esse confusa & incompositа: ne putetur Deus sine hac luce qualitatẽ opificij sui ignorasse: sed, Et uidit lucem quòd esset bona. Et subijcit, Et diuisit lucem à tenebris. Hoc est, disposuit illam in usus destinatos ac necessarios: ut uidelicet diem constitueret. Ideo inter illam ac tenebras diuisit. Non sustulit tenebras inducta luce, sed & illas utiliter disposuit, ut nocturnæ commoditati seruirent. Vtrumq; pulchrè per hanc diuisionem lucis ac tenebrarum perfecit. Vt illud exprimeret Moses, subiecit: Appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem. Per uocem appellandi, determinationem futuri usus intellige: ut quod dicit, Appellauit lucem diem, tenebras noctem, idem sit, quod, utrique & luci & caligini determinauit, ad quem essent usum futuræ. Luci uidelicet, ut diem: caligini, ut noctem constitueret. Subijcit:

Factumq; est uespere & mane dies unus.] Quoniã exponere instituerat, quomodo condita sint sex diebus omnia, & quæ in singulis sint ab opifice Deo perfecta, necesse erat ut non solum diei & noctis constitutionem, sed & primum diem unà cum suo opificio exprimeret, cui sequentes ex ordine subijcerentur: sicut in ipso contextu patet. Ponit autem dies non quos uocant artificiales, qui luce tantum diurna constant: qualis est, cuius meminit, dicens: Et lucem uocauit diem: sed quos uocant naturales, qui uiginti quatuor horarum uolumine, & duobus ueluti terminis, uespera ac matutino lucis exortu perficiuntur: quorum septenario numero hebdomada, & trigenario mensis constituitur. Hæc obiter de explanatione loci præsentis. Videamus nunc quæstiones aliquot.

QVAESTIONES.

Primùm quæritur, quomodo loquutus sit Deus, qua lingua, qua uoce, quo idiomate, ad quem, & quæ alia sunt huiusmodi. Et qui ista quærunt, admodum uidentur arguti, subtiles & ingeniosi. Ab hac quæstione prorsus alienus est pius lector, ubi expenderit, quid sit Deus, & quid illi competat, quid non competat. Spiritus est Deus: Ergo nulla illi corporea loquutio, nulla uox transiens, nullum idioma, *Dixit Deus.*

B nec Hebræum, nec Græcum, nec aliud quodcunque competit, nisi temporaria dispensatione per organum aliquod prolatum: quod hoc loco cogitari non potest. Vbi autem uox corporea sonitu transitorio prolata excluditur, facilè cogitare licet, loqui Deum, nihil esse aliud, quàm aliquid certa & efficaci uoluntate statuere & facere.

Deinde quærunt, qualis fuerit lux ista, quæ diem toto illo triduo constituit, antequam sol conderetur. Ad hanc quæstionem uariè respondetur. Augustinus pro sua scrupulositate lucem hanc exponit angelos, spiritus cœlestes bonos, quos Deus primo die condiderit, & à malis diuiserit, uim faciens simplicitati Mosaicæ dictionis. Contrà Chrysostomus diserte negat, quicquam de uirtutibus inuisibilibus hic dici à Mose, & lucem hanc de uisibili ac diurna exponit. Burgensis quorundam opinionem recitat, qui lucem hanc nubem quandam lucidam fuisse dixerint, quæ condito sole uel in materiam præiacentem reuersa, uel adhuc soli coniuncta sit imperceptibiliter: uel ex qua sol iste sit conditus. quæ tamen idẽ ipse Burgensis refutat, eo quòd aliud sit lux, & aliud nubes lucida: sicut aliud est albedo, & aliud album aliquod corpus: & quod accidentium sit non esse, sed inesse. Lyranus dicit fuisse lucem solis adhuc informem & imperfectam, usque ad diem quartum: & sententiæ suæ authorem citat Dionysium capite quarto, De diuinis nominibus. *Fiat lux.* *De Ciuit. Dei li. 11. cap. 19. & 20*

Et hanc ego quæstionem prorsus curiosam esse iudico. Fecit Deus lucem, ante lucidum illud solis corpus: ac talem lucem, quæ ad hoc sufficeret, ut tribus primis diebus diem constitueret, & mane inchoaret, uesperi terminaret. Sic habent uerba Mosis, quibus simpliciter absque ulla scrupulositate credendum est. Nec est adeò magna difficultas in hac causa, ut scrupulosè sit inuestiganda. Nisi enim omnipotentiam Dei in quæstionem uocare placet, facilè intelligimus quid factum sit: Et facta est lux, inquit. Lux quid est aliud, quàm claritas quædam, quæ obscura sunt illuminans, ac tenebras dispellens? Deinde, lux ista dies est dicta. Assentior. Sic enim specificatum est à Mose, de qua luce loquatur. Neque enim quælibet lux dies est. Est & lunæ sua lux, est astris quoque. Neutra tamen dies est: sicuti non quælibet caligo nox est. Si quæras, quid ergo sit, quod in opere diei quarti de sole legitur, ad hoc illum esse conditum, ut præsit diei. Respondeo, Non dicit, ut constituat diem: uel, ut sit dies: sicuti nec de luna dicit, ut sit nox, sed ut præsit diei: & de luna, ut præsit nocti (in Hebræo utrobique לממשלת, id est, ad dominium.) Ergo sicuti luna non efficit noctem, quæ ante illam extitit: ita sol non efficit diem, quæ iam antea erat condita. Et sicuti luna noctis tenebras pro qualitate lucis suæ nonnihil temperat, ita sol diem cursu ac iubare suo clariorem ac illustriorem reddit: ut de utilitate caloris taceam. Verùm de ratione duorum istorum luminarium, suo loco dicendum est. Lux illa primogenita hactenus claritate & usu suo opificio Dei seruiuit, ut diem constitueret, quam sol non sustulit: sed potius illustrauit, & inter illam & noctem magis perspicuum discrimen adduxit.

Sic

Sic dictum est in opere diei quarti, Et diuidant diem ac noctem. Item, Vt diuideret lucem ac tenebras. A
Hæc puto sufficere ad præsentem quæstionem, si desit curiositas, cui nemo planè satisfecerit.

Factũ est uespere & mane dies unus.

Tertiò quærunt, unde statuendum sit diei naturalis initium: à uespera ne uel mane. Sunt rationes quædam, quibus ostendi uidetur, uesperam esse non finem, sed principiũ diei naturalis. Prima est, quòd tenebræ, quas ipse opifex noctem uocauit, lucem præcesserunt. Secunda, quòd Moses in præsenti creationis historia constanter ad hunc modum loquitur: Et factũ est uespere & mane dies unus, dies secundus, dies tertius, dies quartus, &c. ubique uesperam præponens, ut ordinem hunc partium diei, quo uespera præcedat, & mane sequatur, tantum non inculcare uideatur. Tertia est, quod Leuitici 23. expresse legitur: A uespera usq; ad uesperam celebrabitis sabbata uestra, ubi manifestè hic ordo exprimitur, quo sabbatum, id est dies quietis, dies septimus, à uespera initium sumit, & in sequentis diei uesperam, id est principium desinit. Hisce rationibus Iudæi mori, principium diei naturalis statuunt esse uesperam, tanquam terminũ à quo sic ut nox præcedat ordine, & dies artificialis à mane usque ad uesperam sequatur. Sic Basilienses horas numerant non cõmuni modo à termino ad quẽ, sed à termino à quo, hoc est, à principio horæ, non à fine, ut principium horæ primæ sit ipsis prima, principium secundæ secunda, & sic consequenter in reliquis. Scio Chrysostomum super Genesim homilia quarta hanc Iudæorum sententiam prorsus reprobare, & uerba Mosis sic exponere, ut uespera sit finis lucis, & principium noctis: mane autem finis noctis, & impletio diei. Damnat quidem Iudæos, & hanc illis sententiam non solum errori, sed & malitiæ & perditioni deputat: uerùm, sicuti conueniebat, nullas firmas rationes adducit. Meum non est, quicquam hic definire. quare malim nostros quod sentiunt, non simpliciter asserere pro authoritate, sed & S. scripturæ testimonijs confirmare. Magister Sententiarum uerbis Bedæ, meo iudicio, non satis circumspectè nixus, manifestè libro secundo, distinct. decimatertia dicit: Mane ergo primus dies non habuit, quum Moses diserte non solum uesperam, sed & mane primo diei tribuat, dicens: Et factum est uespere & mane dies unus.

Quòd si Iudæorũ sententia teneretur, pulchrè solueretur illa quæstio, quæ ex uerbis Christi Matt. 12. nascitur, ubi dicit: Sicuti Ionas fuit in uentre ceti tribus diebus ac tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Nam hic non immeritò quæritur, quomodo Christus in sepulchro tribus diebus ac tribus noctibus fuerit, cum secundum sepulturæ ac resurrectionis illius historiam duabus tantum noctibus in sepulchro extiterit. Quæ quæstio cõmodè solui posset, meo iudicio, si uespera principium diei statueretur. Nam hac ratione dies parasceues, in quo sepultus est Christus, antequam sabbatum inciperet, præcedentem noctem in qua captus fuerat, ea lege includeret, qua B
quicquid aliqua diei parte geritur, eo die gestum dicitur, ad quem rei gestæ particula pertinet: atq; ita ad sepulturam Christi totus ille dies cum nocte præcedẽte ac mane subsequenti pertineret. Sic primus dies à uespera in qua cœnauit inciperet, & ad uesperam sequentis sabbati desineret. Secundus à uespera sabbati exordium habẽs, terminaretur in uesperam illam quæ diei tertio adiudicatur, in qua mulieres aromata emerũt, quibus Dominum sepultum ungerent. Tertius à dicta iam uespera initium sumens, tertiam noctem includeret, postquam Dominus matutino tempore resurrexit, ac simul reliquum tempus à mane usq; ad uesperam secum traheret. Nam dies naturalis partes suas quibus constat, uesperam & mane, uel si mauis, noctem & diem artificialem secum trahit, ut rectè triduũ, trium dierum ac noctium spacio censeatur, idemq; fit, quod Christus tribus se diebus, ac tribus noctibus in corde terræ futurum dixit, ac si se triduum in sepulchro fore dixisset. Sic, puto, consultum esset isti quæstioni, si secundum Iudæorum sententiam, principium naturalis diei duceretur à uespera, & nõ à diluculi exortu. Verùm ista non sic cõmemoro, ut cupiam data opera à cõmuni ecclesiæ sententia in hac causa discedere: sed simpliciter recensui, quibus rationibus Iudæi moueantur, ut à nobis dissentiant, & quomodo mihi difficultas dictæ iam quæstionis de sepultura Christi expediri posse uideat. Quam ante me & Augustinus libro primo quæstionum Euangelicarum capite septimo sic explicandam duxit. Dicit enim: Sextæ diei partem qua sepultus est, cum præterita nocte pro nocte ac die accipias: hoc est, pro toto die: deinde & sabbati noctem ac diem: tertiò, & noctem dominicam cum eodem die illucescente, ac per hoc accipiendo partẽ pro toto, habes triduum, & tres noctes. Et post paululum addit: In Genesi enim à lumine incipit dies (oportebat definire, de artificiali ne uel naturali die loqueretur) & finit ad tenebras, ad significandum lapsum hominis (uide infirmam rationem.) Nunc autem à tenebris ad lucem, sicut dictum est, de tenebris lucem clarescere, &c. quibus uerbis innuit, in nouo Testamento propter mysterium redemptionis Christi diem à tenebris & nocte esse inchoandũ: cui illud Apostoli eadem possem adiungere ratione, quo dicit: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Verùm si quis firmiora habet, spiritu ueritatis motus, in medium adferat. Et Magister Sententiarum loco suprà citato dicit: Postea uerò in mysterio factũ est ut dies computentur à uespera in uesperam, & adiungatur dies præcedenti nocti in computatione.

Dies unus.

Quartò & hoc quærunt, quare Moses nõ dixerit, Et factũ est uespere & mane dies primus: sed, Dies unus: cum tamen, ut ex sequentibus patet, septem dierum & opera & numerum ab isto tanquam primo recensere inceperit.

Basilius philosophatur ad hunc modum: Vt diei noctisq; spaciũ, inquit, definiret, ac diluculi tempus uespertino coniungeret, & ex uigintiquatuor horis unius diei spacium compleretur: atq; ita & nox sub uocabulo diei comprehenderetur. Deinde & hanc adijcit: Vt ex appellatione etiam dies affinitatem ad

ipsum

A ipsum seculum haberet. Is enim dies, qui unici principij ac incõmunicabilis ad aliud præ se fert formam, accõmodatè sanè & appositè unus est nuncupatus: tanquam uniuersi seculi imago, dierum origo, ac luci coæternus. Hæc sunt Basilij cogitata. Eadem habet & Ambrosius, Basilij imitator.

Verùm ad hunc modum philosophari coguntur, qui sacræ linguæ consuetudinem non consulunt, cuius tamen expositionem sibi sumunt, sed loquutiones illius uel ad Græcæ, uel latinæ linguæ normas exigunt. Græci quidem, ubi ab initio quodam ex ordine numerant, dicunt ὁ πρῶτος, ὁ δεύτερος, ὁ τρίτος. Et latini quoque, primus, secundus, tertius. Hebræa uerò lingua ad hunc modum: יום אחד, dies unus: יום שני, dies secundus: יום שלישי, dies tertius, & sic consequenter. Et ne putemus id hoc tantum loco fieri, ut uox אחד, id est unus, pro primo sumatur: atque ideo de mysterio aliquo inquiramus, mox capite secundo, ubi quatuor flumina è paradiso promanantia recensentur, sic legimus: שם האחד פישון, id est, Nomen unius Pishon. Deinde רשם הנהר השני גיחון, id est, Et nomen secundi fluuij Gihon. רשם הנהר השלישי חדקל, id est, Et nomen fluuij tertij Hidekel. רהנהר הרביעי הוא פרת, id est, Et fluuius quartus ipse est Phrath. Et capite octauo, in historia diluuij sic legimus: Igitur sexcentesimo primo anno uitæ Noe, primo mense, באחד לחדש, id est, In una die mẽsis. Hieronymus uertit, In prima die mensis. Et Exodi 40. Primo mense, באחד לחדש, id est, una die mensis, pro, prima die mensis. Huiusmodi testimonijs satis puto liquet, Hebrææ linguæ id esse uulgare, ut diem unum, pro die primo ponat. Et ea loquutione & Euangelistæ, utpote Hebræi, loquuti sunt. Matthæus cap. 28. sic habet: Vespera autem sabbatorum, quæ lucescit: εἰς μίαν σαββάτων, id est, In unam sabbatorum. Vetus reddidit, In primam sabbati. Nam de die resurrectionis loquitur: quæ quoniam sabbatum proximè sequebatur, prima est sequẽtis septimanæ dicta. Cõsimiliter & Marcus: Et summo diluculo, inquit, die primo sabbatorum: τῆς μιᾶς σαββάτων, id est, una sabbatorum. Et paulo pòst mutata loquutione Hebræa in Græcam, sic dicit: ἀναστὰς δὲ πρωΐ πρώτῃ σαββάτου, id est, Cum autem mane prima sabbati die resurrexisset. Et Ioannes cap. 20, τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων: id est, Vna autem sabbatorũ. quod Erasmus uertit: Primo uerò die sabbatorum. Et hic loquendi modus nobis quoq; Germanis uulgaris est. Sic enim & ipsi numeramus, *eyns, zwey, drei*. Item, *der eyn, der ander, der dritt*. Quam Latini uocant horam primam, nos uocamus, *eyn vr*. Ista uolui paucis ad præsentem quæstionem adferre, propter eos qui sacris scripturis legendis incumbunt, ut hoc exemplo admoniti, Hebrææ linguæ simplicitatem obseruent: qua neglecta, patres sæpenumero præter rationem quæstiones mouerunt, & abstrusos sensus excogitarunt. Hæc de quæstionibus præsentis loci. Videamus iam de considerationibus.

B

OBSERVATIO I.

Dixitq; Deus.] Obseruandum est, quòd in toto hoc contextu in omnibus quæ Deus sex dierum decursu fecit, non solum fecisse, sed primùm dixisse: deinde etiam quæ dixerat, perfecisse scribitur. Qua in re manifestissimum argumentum proponitur, esse ab illo omnia uerbo uirtutis ipsius condita. Atq; hoc est quod Ioannis primo de hoc uerbo Dei legimus: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Seruit huic locus fidei nostræ, qua Christum, incarnatum Dei uerbum, eiusdem credimus esse diuinitatis ac potentiæ cum patre. Nisi hoc mysterium innuere uoluisset spiritus sanctus, poterat Moses uerbo faciendi contentus simpliciter exponere quid singulis sit diebus à Deo conditum ac factum. Verùm hac de re uide in Commentarijs nostris super Ioannem.

OBSERVATIO II.

Fiat lux.] Deus lux est, inquit Ioannes. Vide igitur quàm cõmodè statim initio operum suorũ, quum omnia tenebris essent inuoluta, lucem produxerit. Sic lucem amat, & operibus suis lucem consecrat, qui ipse uera lux est. Princeps tenebrarum tenebras amat, lucem odit: adeoq; & opera sua non luce, sed tenebris inuoluit. Vnde & opera tenebrarum uocantur Rom. 13. Cogitet hic quisq;, lucis ne uel tenebrarum sit amator. Qui malè agit, inquit Christus, odit lucem. Vide Ioan. 3.

Qui lux est, operibus suis lucem consecrat.

Cogitemus etiam, quàm cõmodè præmissa sit hic imago eius lucis, quæ per Euangeliũ Christi mundo tenebricoso illuxit. Erant omnia tenebris operta. Mox ad mandatum Dei facta est lux. Sic cum mundas tenebris ignorãtiæ prorsus esset immersus, iussit Deus è medijs tenebris splendescere lucẽ, qua corda mortaliũ per scientiã claritatis Dei in facie Iesu Christi illuminarentˉ, qua de re gloriatˉ Apost. 2. Cor. 4.

Imago lucis Euangelicæ.

OBSERVATIO III.

Et facta est lux.] Cogitemus hic de omnipotentia uerbi Dei. Magna est operũ Dei uirtus, miraculosa est, stupẽda prorsus est, ut meritò in illis diuinæ Maiestatis gloriã pij considerẽt & suspiciãt. Verũ immẽsa gloriæ huius auxesis in eo est, quòd omnia uerbi sui uirtute facit. Dixit, inquit propheta, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Præclarũ est, si quis operando insigne aliquod & eximũ opus fecerit. Laudantur hoc nomine artifices. Quis aũt ex omnibus illis dabitur, qui uerbi sui uirtute uel muscam producere possit? Quis regum toto orbe imperantium adeò potens dabitur, ut uerè dicere possit, Omnis uoluntas mea fiet: quæ gloria soli Deo tribuitur, cuius uoluntas omnis uirtute uerbi perficitur? Et hæc ipsa uerbi potentia, singulare ueræ diuinitatis argumentum habens, in dispensatione carnis à uerbo Dei suscepta, sic est monstrata, cũ uerbo ægrotos curauit, cæcos illuminauit, leprosos mundauit, uentos ac mare compescuit, mortuos uitæ restituit, ut nullum nec è cœlo nec è terra firmius ac certius testimonium dari possit, quo conscientiæ nostræ in fide unigeniti Dei ac uerbi incarnati confirmentur.

Omnipotentia uerbi Dei.

Obser-

OBSERVATIO IIII. A

Probat ſua opera Deus.

Et uidit Deus lucem quòd eſſet bona.] Primùm illud conſideremus, Fecit Deus lucem. Erat hanc opificio futuro accommodaturus, cuius eam gratia fecerat, factam prius probat. Ergo ſic comparatus eſt hic opifex rerum, ut ne ſuum quidem ipſius opus laturus ſit, niſi inſtituto uniuerſi competens. Obſecro, quo apud hunc opificem loco ſunt humana conſilia & opera: non ſolum impertinentia, ſed & aduerſa ac dedecoroſa, qui ne ſua quidem, niſi bona ſint, ferre poteſt? Quare diuerſi ſunt ab hoc ingenio Dei, antiſtites eccleſiæ: quibus, ut Hieronymus alicubi dicit, nulla eſt miniſtrorum Chriſti electio: qui ne in ſomnio quidem cogitant, profit'ne quod faciunt in eccleſia Chriſti, uel ſecus?

Non dicit quòd eſſet aſpectu iucunda, ſed bona.

Deinde obſerua quòd non dicit, Et uidit Deus lucem quòd eſſet aſpectu iucunda, quòd eſſet mirabilis: ſed, quòd eſſet bona. Ergo non tam quærit in operibus ſuis Deus nominis ſui ſplendorem ac gloriã, quàm eorum utilitatem & cõmoditatem, quorũ gratia uniuerſa cõdidit. Sunt quidem opera illius ſplendida, iucunda, & illuſtria, adeoq; & nomini illius illuſtrando accõmoda: uerùm non tam eo illa fine condidit, quàm ut bona eſſent, & utilia. Quid hac conſideratione cogitabimus aliud, quàm ſic eſſe comparatum ueri Dei ingenium, ut tanquam bonus bonis delectetur operibus? Ad imitationem huius bonitatis prouocamur à Chriſto, Matt. 5. cum dicit: Sic luceat lux neſtra coram hominibus, ut uideant opera neſtra bona, & glorificent patrem neſtrum qui in cœlis eſt, &c. Admonemur etiam hoc loco, quàm ſunt deteſtandi, ac reuera non Dei, ſed principis tenebrarum filij, Manichæi, qui Deum hunc lucis creatorem non bonum, ſed malum eſſe dicebant: & illius opera, quibus tamẽ ingrati fruebantur, cauillis explodebant. Nos interea, qui de pietate Chriſtiana cenſemur lucis huius, quamuis diurnæ ac temporariæ utilitatem intelligentes agnoſcamus, agnitam grati prædicemus, & bene collocemus, tanquam ueræ lucis filij, & illius imagine ad amorem ſempiternæ lucis quotidie magis ac magis accendamur.

Ingenium ueri Dei.

OBSERVATIO V.

Alienum à Deo eſt, ut confuſionẽ ferat in operibus ſuis.

Et diuiſit lucem à tenebris.] Obſeruandum hoc loco eſt, quàm alienum ſit à Deo, ut confuſionem in operibus ſuis ferat. Tenebras non ſuſtulit, ſed à luce ſegregauit, cum poſſet qualiſcunq; fieri illarum commixtio, qua nec tenebræ caliginem ſuam, nec lux ſplendorem natiuum ac clarum retineret: ſed omnia confuſione caliginis ac lucis operta lumen haberent: quale ſolent habere feræ, ſyluæ, & qualis eſſe ſolet color nigro & albo mixtus. Verùm confuſionem hanc reſpuens, diuiſit lucem à tenebris, & cuique ſuum tempus & uſum peculiariter determinauit. Admonemur hac in re, quàm non conueniat cõmiſcere lucẽ tenebris illis, quæ culpabiles ſunt, ac Deo uehementer diſplicent: qualis eſt infidelium ac reproborum impietas, doctrina mendaciorum, ſuperſtitio & idololatria. de qua cõfuſione Apoſtolus 2. Cor. 6. dicit: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Etenim ſi lucem hanc uiſibilem tenebris illis commiſceri noluit, in quibus nihil eſt mali: quanto minus probabit, ſi lux ueritatis, lux filiorum Dei, tenebris malis ac noxijs errorũ, impietatis, iniuſtitiæ & iniquitatis commiſceatur ac labefactetur? B

OBSERVATIO VI.

Quomodo uerbum uocãdi Deo detur.

Et lucem uocauit diem, ac tenebras noctem.] Primùm obſerua uerbũ uocandi, quomodo Deo tribuatur. Et de Adamo infrà capite ſequẽti legimus, quòd animantibus terræ ad ſe adductis nomina indiderit, & cuncta ſuis quæq; nominib. appellarit. Verùm id genus uocandi nihil illis conferebat, niſi nuda nomina. Hic uerò lucem Deus ſic uocat diem, ut hac illam appellatione conſtituat diem: & tenebras ſic noctem uocat, ut faciat eas eſſe noctem. Ergo uocare Dei eſt non ſolũ nomen aliquod imponere, ſed & rem ipſam conferre, quæ nominis ſignificatione exprimitur. Sic cum Oſeæ ſecundo legimus, Vocabo non populum populum, meum: intelligimus nos à Deo non ſolum appellari, ſed & conſtitui populum ipſius.

Vices diei ac noctis.

Deinde & illud expendendum eſt, quòd tenebras non ſuſtulit, ſed uſurpauit: & diem noluit eſſe continuum, ſed nocturnis tenebris interruptum. Vices conſtituit, quibus dies & nox, lux & tenebræ ſibi inuicem alternis ſuccedentes, & telluri & animantibus & hominibus cõmodè inſeruirent. Dies labori, nox quieti deputata eſt. Vide in Cõmentarijs noſtris ſuper pſal. 104. Magnum eſt diei beneficium, quo tellus & omnia non ſolum illuminantur, ſed & ſolari calore fouentur. Rurſus magnum eſt & noctis emolumentum, quæ ut refrigeraret, humectaret, & mortalium quieti conſuleret, talis eſt à Deo cõſtituta, ut natura ſua ſit frigida, humida & obſcura. Sic rebus humanis admirabili ſua prouidentia conſuluit Deus, ut uicißitudine diei ac noctis omnia ſint neceſſitatibus noſtris attemperata.

Vicißitudo rerũ triſtiũ ac lætarũ

Tertiò conſideremus etiam in hac diei ac noctis alternatione, uelut in imagine quadam, qualis ſit uicißitudo eorũ quæ in hac nobis uita contingunt. Quaſi dies eſt, dum lætis: nox, dum triſtibus afficimur. Non ſemper dies eſt, non ſemper læta affulgent. Diem excipit nox certò ſubſequens, & præcedentem lucis faciem planè obſcurans. Res proſperas ac ſplendidas caligo triſtium eueſtigiò ſubſequens interuertit. Rurſus: Non ſemper nox eſt, ſed noctem inſequitur & abigit ſuccedentis diei claritas. Sic non ſemper triſtia premunt, ſed deſinunt illa in felicium rerum humilitatem. De eo cogitabat Iob, cum diceret: Poſt tenebras ſpero lucem. Admoneamur itaq; hac noctis ac diei alternantium inter ſe imagine, ut neq; ſi triſtia incumbant, frangamur: neque ſi læta affulgeant, inepta lætitia diſſoluamur: ſcientes utrobique præſentibus rebus futuram imminere mutationem.

Imago reſurrectionis.

Quartò proponitur etiam hac ipſa in re pulcherrima reſurrectionis imago, dum lucis exortu noctis obſcuritas, quæ omnia ueluti ſepeliſſe uidebatur, tollitur: & cuncta quaſi ad uitam quæq; ſuam reſtituuntur.

A stituuntur. Vt enim lucem rectè uitam, ita tenebras rectè mortem dixeris. Verùm malo hanc considerationem uerbis Tertulliani quàm meis exprimere, quæ in libro de Resurrectione carnis ad hunc modum leguntur: Aspice nunc, inquit, ad ipsa quoq; exempla diuinæ potestatis. Dies moritur in noctem, & tenebris usquequaq; sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, fient, stupent cuncta, ubiq; iusticium est, ac quies rerum. Ita lux amissa lugetur. Et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum Sole, eadem & integra & tota uniuerso orbi reuiuiscit, interficiẽs mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras hæres sibimet existens, donec & nox reuiuiscat cum suo & illa sug gestu. Redaccenduntur enim & stellarum radij, quos matutina suggestio extinxerat. Reducuntur & siderum absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat. Redonantur & specula Lunæ, quæ menstruus nũmerus attriuerat. Reuoluuntur hyemes & æstates, & uerna & autumna cum suis uiribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terræ de cœlo disciplina est, arbores uestire post spolia, flores denuò colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem quæ absumpta sunt semina, nec prius exhibere quàm absumpta. Mira ratio, de fraudatrice seruatrix: ut reddat, intercipit: ut custodiat, perdit: ut integret, utiat: ut etiam ampliet, prius decoquit. Siquidẽ uberiora & cultiora restituit, quàm exterminauit. Reuera fœnore interitu, & iniuria usura, & lucro damno, semel dixerim, uniuersa conditio recidiuiua est. Quodcunq; cõueneris, fuit: quodcunq; amiseris, nihil non iterum est. Omnia in statum redeunt, cum abscesserint. Ideo finiuntur, ut fiant. Nihil deperit, nisi in salutẽ. Totus igitur hic reuolutus rerũ ordo, testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit Deus antequã literis. Viribus prædicauit antequã uocibus. Præmisit tibi naturam magistram, submissurus & prophetiam, quo facilius credas prophetiæ, discipulus naturæ: quo statim admittas cum audieris, quod ubiq; iam uideris. Hæc ille.

Tertull. in lib. de Resurrectione carnis.

OBSERVATIO VII.

Factumq; est uespere & mane dies unus.] Primùm obserua, quòd hic mundus, cœlum scilicet & terra, cum omnibus quæ sunt in illis, sex diebus à Deo conditus est. Vbi dies numerantur, tempus est. Quæ in tempore facta sunt, tempori sunt obnoxia, & temporaria: eodemq; tẽporis decursu quo facta sunt, consumptibilia. Sic mundus iste ijsdem sex dierum reuolutionibus, quibus constat, tandem consumetur.

Tẽporaria sunt, quæ in tempore sunt condita.

Deinde considerandum est, quàm competenter duo isti termini, uespera & mane, in unum diem includantur, quorum uterq; id in se habet, ut & principium sit, & finis. Vespera diurnam lucem finit, noctem inchoat. Mane nóctem terminat, diem reducit. Cogitemus hic quoq; de eo, cuius paulo suprà mentionem feci, quomodo hæ temporum uices de rerum quoque temporariarum alteratione admoneant. Sicut enim uespera diem terminat, & noctis principium adducit, & mane noctem finiens, diem inchoat: sic accidit subinde per diuinam prouidentiam, ut uno die luculenta fiat rerum nostrarũ mutatio. Ad uesperam, inquit Propheta, demoratur fletus, & ad matutina lætitia. Et quoniam ista rerũ alteratio non in nostra, sed Dei manu est, consueuerunt sancti in afflictionibus cõstituti, matutinis, meridianis, ac uespertinis uicibus, quibus temporum momenta mutantur, ad Dominũ, pro impetranda tristium mutatione, preces suas effundere: non quòd terminis istis alligata sit diuina prouidentia, sed quòd illorum uariatione de ipsa quoq; rerum mutatione admonebantur. Sic psal. 55. Propheta dicit: Ego autem ad Dominũ clamabo, & Dñs seruabit me. Vespere, & mane, & meridie orabo & instabo, & exaudiet uocẽ meam.

Commodum dies in uesperam & mane cõcluditur

B

Tertiò & illud expendamus. Dies iste, in quo sunt uespera & mane, exigui temporis spacium habet. At omnis nostra uita huiusmodi dierum spacijs constat. Habet & ipsa mane suum, id est adolescentiæ florem: habet uesperam, id est senectutis aridtatem, ut reuera instar unius diei sit uita nostra. Sic Dauid psalmo 90. de uitæ humanitate loquitur, dicens: Quoniam mille anni in oculis tuis sicut dies hesterna quum pertranserit, & sicuti uigilia in nocte. Rapis eos uelut impetus aquarũ: somnus sunt, mane sicut fœnum pertransit. Mane floret, uespere decidit & exarescit, inciditur & exarescit. Significat eandem esse uitæ nostræ conditionem, quæ est graminis, quod mane quidem floridum est, uesperi uerò aridum. Illud tamen iuxtà plurimum habet consolationis, quod in hac diei, id est uitæ nostræ breuitate, nox est quæ diuiduũ illius iure suo sibi uendicat. Ergo quantumuis molestus sit miseris & adflictis hic uitæ nostræ dies, media tamen illius portio somni beneficio sic attemperatur, ut in illa miseri nihilo sint infeliciores sanis, diuitibus, honoratis, & in rerum prosperitate uiuentibus. Nox scilicet, dum dormiunt omnes, diuersitatem illam diurnæ scenæ è medio tollit, & cunctos æquat.

Breuis dies, exiguæ uitæ nostræ imaginẽ habet.

Solatium noctis.

Quartò, nec illud transeamus, quod tempus illud, in quo non solum lux est, sed & nox, non una nox, sed dies unus nominatur. Solenne est, ut quæ uarijs partibus constant, à meliori denominentur. Sic naturalis dies, non nox, sed dies uocatur. Ergo præstantior est dies nocte. Admonemur qualis debeat esse uita nostra, quæ & ipsa non diebus tantum, sed & noctibus constat. Talis uidelicet, ut nõ nox, sed dies uocari possit. Qui omnia sua cogitata, dicta & facta, uel ocio, uel uentri, uel tenebrarum ac noctis operibus destinat, quid aliud facit, quàm quòd ex omni sua uita diurnam lucem cum actibus suis illuminat, & totum sese tenebris ac nocti consecrat? Huius uitam, non uitam, sed mortem: & uniuersum illius tempus non diem, sed noctem uocare conuenit. Non possumus efficere, ut continuus sit in uita nostra diurnæ lucis cursus, nec ullis nocturnis tenebris interrumpatur: illud saltem curemus, ut si non potior pars saltem aliqua diei cedat. Si dies nostri nõ sunt longi, quales sunt in æstate, sint saltẽ aliqui utcunq; breues, quales habet hyems. Et hyemis tempore uerum est quod hic Moses dicit, Et factum est uespere & mane dies unus: quantumuis in illo noctis spacium diurna luce sit prolixius.

Dies nominatur, in quo tamen & nox est.

OPVS SECVNDI DIEI. A

Dixit quoq; Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis.

Et fecit Deus firmamentũ, diuiſitq; aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita.

Vocauitq; Deus firmamentũ, cœlum: Et factum eſt ueſpere & mane dies ſecundus.

LECTIO.

Latina uerſio cum Hebræo textu concordat, niſi quòd & ipſa uocẽ רָקִיעַ, quæ expanſum ſignificat, uertit firmamentũ: quemadmodũ Græcus interpres, qui reddidit στερέωμα. Græca uerſio in uerſu ſexto habet, καὶ ἐγένετο ὕτως: id eſt, Et factum eſt ita. quæ particula in Hebræo uerſu ſeptimo demum legitur: quamuis, meo iudicio, incõmodè, & præter rationẽ, quæ in ſequentibus uerſ. 9. 15. & 24. ſeruatur: in quibus hæc uerba, Et factum eſt ita, non operi, ſed uerbo Dei ſubijciuntur. Deinde, quod in Græco legiũ, καὶ εἶδεν ὁ θεὸς ὅτι καλόν: id eſt, Et uidit Deus quòd eſſet bonum, in Hebræo non habetur hoc loco.

EXPLANATIO.

Sicut in ſequẽtibus patet, ad quartum uſq; diem excluſiuè, proſequutus eſt ea Deus, quæ neceſſariam diſtinctionem requirebant. Prima diſtinctio fuit, qua tenebrarũ tolleretur incõmoditas, & inter lucem ac tenebras, noctem ac diem diſtingueretur. De illa in deſcriptione primi diei meminit Moſes. Iam conſequenter eam cõmemorat, quæ facta eſt in opere diei ſecundi: qua ſublata eſt incõmoda aquarum confuſio, quod cœlum attinet. Dicit itaq; : Dicit quoq; Deus, Fiat firmamentũ in medio aquarum. Hoc eſt: uolũtate ſua ſic ſtatuit Deus, ut in medio aquarũ fieret expanſum, quod eſſet inter illas firmũ quoddam interſtitium ac ſeparamentum. Et hunc illius uſum exprimit, cum dicit: Et diuidat aquas ab aquis.

Et fecit Deus firmamentũ, & diuiſit aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Intellige ipſam firmamenti expanſionem, mox atq; perfecta eſſet, aquas ſic diuiſiſſe, ut aliæ ſuperiores eſſent, aliæ inferiores. Factum eſt enim hoc firmamentũ in medio aquarũ, & ad hoc expanſum à Deo, ut aquas diuideret. Sic enim dixit: Fiat firmamentũ in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Quare quòd dicit, Et fecit Deus firmamentũ, diuiſitq; aquas quæ erant ſub firmamẽto, ab his quæ erant B ſuper firmamentũ: non ſic eſt intelligendũ, quòd poſtquã firmamentũ feciſſet, alio quodam opere aquas inferiores à ſuperioribus diuiſerit: ſed hanc ab illo diuiſionem per ipſum eſſe firmamenti interſtitiũ factã. *Simile.* Perinde ac ſi dicas, Dixit herus, fiat ſepes, & diuidat hortum ab horto. Et fecit ſepem, & diuiſit hortum, qui eſt à dextris, ab eo qui eſt à ſiniſtris. Hic ipſa ſtructura ſepis hortum ſic diſtinguit, ut qui antea fuerat continuus & unus, diuiſus ſit in duos: quorum alter ingredienti ſit à dextris, alter à ſiniſtris. Sic factũ eſt in hac quoq; aquarũ diuiſione. Erat una & indiuiſa aquarũ moles. Neceſſe erat ut diuideretur. Diuiſa eſt per firmamenti expanſionẽ. Qua diuiſione facta, erant iam duæ aquarũ partes: una ſuprà, altera ſub firmamento. Deinde ne lectio iſta, Quæ erant ſub firmamento, ab illis quæ erant ſuper firmamentũ, eum cuipiam ſenſum generent, quo putet ante hanc diuiſionem fuiſſe aquas alias ſub firmamento, alias ſupra firmamentum, poſtea uerò non ita: arbitror, cõmodius eſſe ut legatur, Quæ ſunt ſub firmamento, ab illis quæ ſunt ſupra firmamentũ. Etenim poſt diuiſionem fuerũt & ſunt etiamnũ aquæ aliæ ſub firmamẽto, aliæ ſupra firmamentũ, antea uerò nequaquam. Nec Hebræa lectionem hanc impediunt. Sic enim habent: Et diuiſit inter aquas quæ ſub firmamento, & inter aquas quæ ſupra firmamentum. Subiungit: Et factum eſt ita, Quomodo? Sicuti ſtatuerat Deus, ſic fecit. Sunt qui ſic exponant. Et factum eſt ita: uidelicet ſicuti nũc eſt. Innuitur etiam diuiſionem hanc, inducto firmamento, mox eſſe iuſſum Dei conſequutam, ut illud וַיְהִי כֵן, legendum uideatur, Et erat ita.

Vocauitq; Deus firmamentum cœlum. Hoc eſt, conſtituit ut firmamentum hoc eſſet cœlum: ſic determinauit, ut hic eſſet in poſterum illius uſus.

Et factum eſt ueſpere & mane dies ſecundus. Sic uoluit Moſes ſignificare, non quibus partibus conſtiterit dies ſecundus, ſed quòd ſecunda iſta diuiſio qua cumulus aquarum, medio firmamento inducto, diuiſus eſt, facta ſit in die ſecundo.

QVAESTIONES.

Quod ſit hoc cœlum, quod ſecundo die factũ eſt. Primùm quæritur hoc loco, quodnam ſit hoc cœlum, quod ſecundo die factum eſt: deinde, quid ſit, uel unde factum ſit. Qui quærunt, quodnam ſit hoc cœlum, de eo non quærerent, niſi plures eſſe cœlos ſtatuerent: utpote, cœlum empyreum, cœlum cryſtallinum, cœlum ſidereum, quod octauam eſſe ſphæram dicũt, habentem ſub ſe ſeptem illas, quas Planetarum uocant: & cœlum aereũ, in quo uolitent aues, quæ hoc nomine aues cœli uocentur. Hi quoniam plures cœlos ſtatuunt, quærunt de quo ſit intelligendum, quod Moſes hic de firmamento ſcribit.

Ad hanc quæſtionem paucis reſpondere poſſumus. Aliud eſſe, de eo quærere, plures ne ſint cœli, uel unum duntaxat: et aliud, percõtari quodnam ſit hoc cœlũ, de quo Moſes hic ſcribit. Plures eſſe cœlos, conſtanter negat Chryſoſtomus, ſic dicens: Et quomodo dicunt aliqui, factos eſſe plures cœlos? Non ex diuina ſcriptura hoc didicerunt, ſed ex ſuis opinionibus, ut ita dicant, impelluntur. Vide quæ ſubiungat, de

nomine

A nomine cœli, quomodo illud apud Hebræos plurale sit, & ,p singulari usurpet. Sic nos tenebras plurali quidem numero, quod uocem: singulari uerò, quod rem signatam attinet, proferimus. Rursus Basilius, & imitator illius Ambrosius, ut eos refellant, qui potentiam Dei tantam esse negabant, ut plures cœlos facere possit, contendunt non esse unum tantum cœlum. Meo iudicio rectè tenebimus istam moderationem, ut de cœlo nihil contendamus, unum ne sit, uel plures, sed in simplicitate S. scripturarum consistamus, quæ id in consueto habent, ut Deum uocent cœli ac terræ conditorem. Quòd si quis uarias unius cœli regiones, uel plures orbes ac sphæras, plures cœlos uocari posse iudicat, per nos id faciat licet.

Ad id uerò quod interrogatur, de quonam cœlo scribat huc Moses: an de eodem, cuius statim initio meminit, dicens, In principio fecit Deus cœlum & terram: uel de alio, ab illo diuerso, quod & Iudæorũ & nostrorum aliqui sensisse uidentur, quid sentiendum ac respondendum sit, ei facilimũ est cognoscere, qui Mosen diligenter audit, & quæ ab illo dicuntur, omni scrupulositate reiecta, simpliciter & candidè perci pit. Moses non loquitur nisi de cœlo illo uisibili, sicut & suprà memini. Illud quoniam initio inconditum & informe in mole illa aquarum latitabat, secũdo die opera conditoris fingi, produci & extendi cœpit. Quare quòd Deus dixisse scribitur, Fiat firmamentum. Item, Et fecit Deus firmamentum, nõ sic est intelligendum, quòd cœli substantiam secundo demum, & nõ primo die crearit, sed quòd illam iam antea creatam, secundo die formarit, & ad diuidendum aquas per medium illarum extenderit. Nec dixit, Fiat cœlum: sed, Fiat firmamentum. Et fecit Deus firmamentum, uel expansum. Quòd autem subiungit, Et uocauit Deus firmamentum cœlum, non ad id rapiendum est, quòd cœlum hoc secundo die primũ substantialiter ex nihilo crearit, nisi idem dicturi sumus & de terra, quæ & ipsa tertio demum die hoc nomi nis, ut terra uocaretur, accepit: sed ad hoc dictum est à Mose, ut intelligamus idem esse firmamentũ quod cœlũ, ne quis duo diuisa corpora putet esse מים & רקיע. Quare quòd Moses initio statim dicit, In principio creauit Deus hoc cœlum, & hanc terram, nõ sic est intelligendum, quòd statim primo die rudis illa & informis cœli ac terræ substantia istis fuerit nominibus signata: sed quòd Moses illis statim usus sit, tan quam notis, ut admoneret qua de re loqueretur. In summa, quicquid illud sit, quod de pluralitate cœlorum disputatur, & quibuscunq; argumentis illa astruatur opinio, mihi omnium persuasissimum est, Mosen in ista opificij Dei descriptione, quam ad captum rudis populi omnium simplicissimè proposuit, non nisi de uno & eodem cœlo utrobiq; tam in secundo quàm primo die loqui: uidelicet isto uisibili, quod uocatum est Hebraicè שמים & רקיע, id est, cœlum & firmamentum: sicut & de eadem duntaxat terra, tam in principio quàm tertio die loquitur. Qui hanc simplicitatem respuunt, in dubio fluctitant, & nesciunt,

B de cœlo ne crystallino uel septem illis planetarum orbibus, uel de aere Mosen intelligant.

Illud, quod quærũt, unde factum sit cœlum, adeoq; & quid sit, arbitror planè curiosum esse, & à pio homine alienum. Quin quæritur eadem curiositate, quid, & unde sit terra, quid & unde fit aqua? Ex Iudæis aliqui putarunt firmamentum hoc ex aere constare, eo quòd luce super terras oborta, uentus ex illa densitatem & ariditatem nactus, conuersus sit in firmamentum. Addiderunt aliqui, ignem de cœlo empyreo egressum, superficiem firmamenti construxisse. Illi שמים, idem esse dicunt, quod רשמים אש, id est, ignis & aqua. Verùm utrobiq; disceditur à simplicitate uocis, quam non satis retinent. Si firmamentum hoc uocatũ esset שאש, id est, ibi ignis: uel שריח, id est, ibi uentus, uiderentur forsan nonnihil dixisse. Sed quoniam uocatum est שמים, hoc est, ibi aqua: uel, est aqua, & præterea in medio aquarum cõditum est: poterat uerius dici, constare illud ex aqua, quàm ex uento, uel igne. Quare illi magis placent, qui dicunt, quòd cœlum hoc cum initio fluidum & inconstans esset conditum, die secundo sit coagmentatum, extensum, & in hanc, qua etiamnum est præditum, inuictam ac perpetuam soliditatem confirmatum. Verùm, ut dixi, planè ocioſi hominis est, de talibus inquirere, quæ nullam rationem habent, ad studium pietatis necessariam. *Quid sit hoc cœlum, & unde sit factum.*

Secundo loco quæritur de aquis supercœlestibus, quales existant, & quomodo in superficie firmamenti conglobatæ hæreant, ne pondere suo ad ima decidant, deniq; quis sit illarum usus. Planè mirum est, quare hisce de rebus Moses nihil scripserit, si aliqua est de illis quærẽdi necessitas: uel si nulla est, quare de illis homines curiosi quærant, cum aquarum, quas hic in terra uidemus, & quarum utilitatem experimur, haudquaquam, si interrogẽtur, queant edicere naturã, & copiam, & usum, & necessitatem. Quæ est ista tandem curiositas? Moses uno tantum uerbo aquarum supercœlestium meminit, dicẽs, Diuisitq; aquas quæ erant sub firmamẽto, ab illis quæ erant super firmamentum. In ipso autem narrationis progressu de supercœlestibus aquis tacens, quid constitutum & factum sit de supercœlestibus istis ac terrenis partim in tertio, partim quinto die exponit. Congregentur, inquit, aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum. Item, Et congregationes aquarũ uocauit maria. Deinde, Producant, inquit, aquæ reptile animæ uiuentis & uolatile super terram sub firmamento cœli. De aquis supercœlestibus nihil horum legis, nec de congregatione illarum, nec de loco, nisi quòd supra cœlos sint: nec de nomine alio, quàm quòd aquæ uocentur: nec de usu, quid ex illis proueniat. Est ne obscurum, quur hisce de rebus spiritus sanctus nullam mentionem fecerit? Quis non uidet significari nobis, non probari Deo, ut quæ uel inuisibiles sunt creaturæ, uel à sensibus nostris remotæ, nostræ curæ & inquisitioni fiant obnoxiæ, cum abundè sufficiant etiam quæ minuta sunt ex uisibilibus, in quibus fidem creationis ac prouidentiæ Dei exerceamus? Quare nemo miretur, quòd qui ista non necessaria quærunt, tantopere à se inuicẽ dissideni. Sectatur enim suam quisque opinionem, & quod opinatur, perinde ac si planè certum sit, affirmat. Alius dicit aquas supercœlestes esse tales, quales sunt hæ nostræ, alius negat. Alius dicit eas esse instar glaciei concretas, & pro- *Quales existant aquæ supra cœlos, & quomodo nõ ad ima ruant.*

pter similitudinem crystallinæ perspicuitatis uocari cœlum crystallinum. Alius sentit eas esse spirituales creaturas. Sūt qui tantum aquarum supra cœlos esse dicant, quantum sub cœlo subsedit, eo quòd firmamentum positum sit in medio aquarum. Sunt rursus qui superiores triginta partibus plures esse asserāt, quàm sint inferiores. Præterea non defuerunt, qui quasi corām uiderint, tantum esse uacui spacij à firmamento usq; ad aquas superiores dicerent, quantum est à nostris aquis usq; ad firmamentum. Alius dicit superiores aquas uerbo Dei suspensas teneri, alius illas ceu conuexo alueo contineri, indeq; distillare. De ipso firmamento senserunt alij, quòd non sit duobus aut tribus digitis crassius: alij, quòd non sit spissius obuerso pilo. Hæc scilicet est sapientia illa uanissimæ curiositatis, qua corda mortalium ad id fatigantur, ut interea dum ipsis occupantur, ea quæ certa & ob oculos expositа sunt negligāt. Rectè ergo Magister Sententiarum Bedæ uerba citat, qui dicit: Quales autem, & ad quid conditæ sint (aquæ istæ supercœlestes) ipse nouit, qui condidit. Nobis itaq; nihil hic aliud competit, quàm ut uerbis sacræ scripturæ cōtenti simus, nec dubitemus reuera esse aquas supercœlestes, quarum & propheta Dauid in psalmis meminit: nec ignoremus eadem illas facilitate in sublimi uirtute uerbi Dei teneri, qua firmamentum ipsum sine ullis fulcris perstat, & nubes sub illo hærent, & terra super aquas fundata in hunc usq; diem firma permanet, ut rectè Magister Sententiarum dicat: Sed quomodocunq; ibi sint, ibi esse non dubitamus. A

Quare non sit in secundo die dictū, Et uidit Deus quòd esset bonū.

Tertiò quæritur, quare in opere secundi huius diei non dicat Moses, Et uidit Deus firmamentū: uel, Et uidit Deus diuisionem aquarum, quòd esset bona, cum ad eundem modum de operibus primi, tertij, quarti, quinti, ac sexti diei loquatur. Facilis est hoc loco simplex ac uera responsio. Opus secundi huius diei nondum erat absolutum, neq; quod firmamentum, neq; quod diuisionem aquarum concernebat. Nam firmamentum plenitudinem suam quarto demum die consequūtum est, quo solis est, lunæ ac stellarum splendore ornatum ac perfectum. Aquarum uerò diuisio sequenti tertio die perfecta est, quo in locum unum congregatæ aridam liberam conspicuam, & rebus futuris aptam reliquerūt. Quare nulla ratio erat, ut de Deo diceret hic Moses, quòd ista bona esse uiderit, id est, iam absoluta & perfecta esse probarit: id quod de aquis tertio, de firmamento cœli quarto die factum esse legitur. Sanè magno nostro incommodo confirmatum fuisset secundi diei opus, si cœlum absque ornatu ac pleromate suo, & aqua, adhuc tellurem uniuersam occupans, hac fuissent sententia & approbatione Dei in ea qua erant imperfectione relicta & absoluta.

Ad hunc modum & alij nonnulli ad istam quæstionem ante me responderunt. Verùm quibus non erat animus, cui simplicitas ista probaretur, uide obsecro, quàm inepta & uana in medium attulerint. Primùm Iudæorum aliqui hanc causam assignarunt, ob quam illud מי טרם locum in secundo die non habuerit: quòd uidelicet gehenna sit eo die condita. id quod ex Esa. 30. colligunt, ubi dicit, Præparata est ab heri Tophet. Nam per Tophet, gehennam: & per diem hesternum, secundum exponunt. Et quoniā Deus non delectatur interitu hominum, ne impiorum quidem: ideo putant non esse secundo die dictū, Et uidit Deus quòd esset bonum. Mirabilis insania. Moses loquitur de fabricatione cœli, isti somniarunt de gehenna. Deinde alij sic responderunt: propterea quòd in secundo die facta est diuisio, & discordia rei antea unitæ, ideo non esse dictum illud מי טרם. Esse enim discordiam, licet utilem ex circumstantijs, in se tamen malam. Inepti homines non discreuerunt inter diuisionem rei incōmodè cohærentis, & discordiam. Est quidem omnis discordia diuisio, sed non ecōtrà omnis diuisio discordia. Diuisio āquarum, non discordia facta est secundo die. Neque autem mirum est, quòd Iudæi ad hunc modum ineptierunt, cum & Magister Sententiarum causam hanc reddiderit, quòd numerus binarius principium alteritatis est, & signum diuisionis, lib. 2. distinct. 14. Tertiò & hanc causam adduxerunt, quòd aquæ illæ totum essent orbem aliquando diluuio perdituræ: & quòd ideo nō sit secundo die dictum, Et uidit Deus quòd bonum esset. Neq; enim delectare Deum perditione filiorum hominum. Sic ineptierunt Iudæorū Rabbini. Videamus etiam nostrorum commenta. B

Sic Hieron. libro 1. aduersus Iouinianum.

Rabanus sic dicit: Fortè, sicut quidā patrū exponunt, intelligere nos in hac scriptura noluit, non esse bonum duplicē numerum, qui ab unitate diuidat, & præfiguret fœdera nuptiarum: & ideo nō est dictū, Et uidit Deus quòd esset bonum. Ecce uirus diabolicum, uerbo Dei aduersarium. Vox Dei est, Non est bonum hominem esse solum. Isti dicunt, Est bonum hominem esse solum, & malus est numerus secundarius, & mala sunt fœdera nuptiarum. Sic & uerbum & opus Dei instinctu Satanæ transfigurantis se in angelum lucis per commenta patrum damnantur. Verùm hanc responsionem & Lyranus reprobat, & truphaticam uocat. Alij sic responderunt: Secundo die ceciderunt angeli. Ideo non est secundo die dictum, Et uidit Deus quòd esset bonum. Et hanc causam Lyranus refutat, & qua facilitate profertur, illa & contemnendam esse iudicat, quòd sit præter scripturas excogitata. Hasce cùm Iudæorū tum nostrorum quorundam ineptias eam ob causam in medium adduxi, ut admoneantur qui in sacris scripturis uersantur, ne uel tantillum suis ipsorum cogitationibus, nisi S. scripturarum testimonio munitis indulgeant, ne idem & ipsis usu ueniat, quod istis accidisse uidemus.

OBSERVATIO I.

Fiat firmamentum in medio aquarum.] In opificio firmamenti huius quatuor considerāda ueniunt, ad hoc plurimum facientia, ut stupendam potentiam Dei in illo uel aliquousq; obseruemus. Primū est, quòd mundum hunc fabricaturus non inferne, ut nobis in consueto est, & ipsa necessitas exigit, sed superne orditur, à tecto uidelicet, cum uideatur primū locanda fuisse totius ædificij fundamenta, quibus tota illius moles inniteretur, ac tum demum quasi gradibus quibusdam ad superiora tanquā ipsa culmina subni-

Quòd fabricam mūdi huius Deus à tecto superne orsus est.

A si bnitendum,ut operis huius nõ principium, sed extremam manũ loco tecti sortiretur firmamentũ hoc, de quo Moses scribit. Iam cum planè diuersam sequatur ædificandi mundi rationẽ,quis non uidet,quanta sit architecti huius potẽtia? quamq; nõ conueniat, ut iuxta humanæ intelligentiæ calculos de operib. illius iudicemus, eo quòd nõ sint uiæ illius similes uijs nostris? Quid si admirabilis hæc structura, qua tectũ mũdi,cœlũ hoc uisibile,nõ solũ primo loco cõdit,sed & firmamẽti rationẽ & usum accipit,nos admoneat,domus nostræ,quæ electis parat,fundamentũ ac firmamentũ nõ esse infra in terra,sed supra nos in cœlo? Est enim nõ terrena,sed cœlestis. Vox firmamẽti nõ tecto, sed fundamẽtis cõuenit:fundamẽta aũt suã firmitudinẽ nõ ad inferiora,sed ad supernũ ædificiũ accõmodant. Igit quoties firmamentum hoc suspicimus,cogitemus nos cœlestis domus uidere fundamenta. Quibus enim cœlum hoc tecti loco est habitaculum,illi suum constituunt in hoc mundo,cuius fundamenta aquis sunt imposita. Potest & illud cogitari. Quod tectum hoc mundi firmamentum uocatur, argumento esse,quòd etiam ista terrena inhabitatio,& cunctis huius mundi status firmitudinem suam non habeat, nisi è supernis, unde omnia nostra uel subsistunt, Deo propicio: uel destruuntur,irato.

Secundum est,quòd tectum hoc mundi,& separamentum,quo inferna separantur à supernis,perinde ac pellis sic extenditur,ut totum orbem contegat:qua de causa etiam Hebræa uoce רקיע, id est, expansum est dictum. Quocunq; terrarum loco degas,quocunq; sursum aspicias, idem hoc expansum in oculos incurrit,ubiq; imminens,ubiq; de admirabili opificis sui uirtute corda mortalium admonẽs. Hæc admirabilis cœli expansio,curua ne sit,secundum oculorum nostrorum iudicium,uel plana,quid attinet cũ curiosis inquirere? Quin potius confestim illius aspectu,ubicunq; locorum sumus,de creatoris nostri maiestate & gloria cogitemus,quam secundum Prophetæ canticum firmamentum hoc narrat,deprædicat, & tantum non uoce clarissima proclamat.

Tertium est,quòd tam immensæ latitudinis expansum, sic est solidatum ac firmatum, ut inde ab initio quo conditum est, tot seculorum decursu, tamq; perpetuo & irremisso usu, ne tantillum quidem detrimenti acceperit,sed etiamnũ et ad finem usq; sic illæso robore perstet,ut tandem ubi mũdi huius dissoluenda figura erit,igne fit demoliendum ac mutandum,ut non immeritò ob inuictum hoc firmitudinis robur firmamẽtũ sit uocatũ. Qua cõsideratione cõuenit, ut de ipsius opificis inuicta potẽtia ac sempiterno robore admoneamur,cuius uerbo hæc omnia nõ solũ sunt perfecta,sed et ne intereãt conseruant.

Quartum est,quòd expansum hoc non est in medio terræ solidatum,sed in medio aquarum: & si uocis significatio spectanda hic est, ex aquis in tantam soliditatem ac firmitudinem congelatum &
B obduratum,ut omnium sit firmissimũ. Liquida,inquit ille,quid mollius undis? Et tamen in medijs undis uirtute uerbi factum est stupendum hoc firmamentum,& ne de naturali quadam illius duricie somniemus, שמים, id est ibi aqua,uel,est aqua uocatum. Nihil igitur tam est molle, tam fluidum & imbecille, quod hac uerbi Dei potentia solidari ac confirmari non possit. Quæso quid sunt aliud corda Christianorum, quæ nullis quantũuis acerbis & extremis passionib. emolliri,frangi,& à ueritate uerbi Dei abduci posse uidemus, quàm quoddã firmamentũ in molli carne,& in medijs carnalium hominũ undis? De hac uirtute Dei cogitemus, quoties expansum hoc suspicimus, imò quoties è molli terra durissima saxa, & in medio carnis ac sanguinis ossium robora conspicimus. Nemo piorum est,qui nõ mollem ac fluxam carnis suæ infirmitatem experiatur,deq; illa non congemiscat,& ne per hanc corruat anxiè timeat. Suspicia mus igitur ad uirtutem istam uerbi Dei quæ infirma sunt ad miraculũ usq; consolidantis, ac de illius gratia & adiutorio tantum spei concipiamus,quantum nostris ipsorum uiribus diffidimus.

OBSERVATIO II.

Et diuidat aquas ab aquis.] Erant aquæ istæ à Deo non solum conditæ, sed & initio operis unitæ & coniunctæ. Coniunctionem hanc per interstitium firmamenti diremit Deus, cum aquas ab aquis diuisit. Erat enim futuro operi incõmoda. Est igitur obseruandum hoc loco, nec bonam esse quamuis coniunctionem, nec malam quamuis unitæ rei diuisionem, & Deum non solum coadunatorem esse, sed & diuisorem:idq; non eorum duntaxat quæ diuersæ sunt conditionis & operationis, quales sunt lux ac tenebræ, sed & eorum quæ omnino & substantia & natura & conditione inter se cõmunicant,quales sunt aquæ,de quarum hic diuisione legimus. Quare prorsus inualidum est eorum argumentum qui in causa religionis, ubi sacris erant scripturis mentes fidelium de ueritate instruendæ, multis de bono unitatis, & malo diuisionum ac schismatis perinde disputant,ac si nulla sit unitas mala, nulla diuisio possit esse bona,cum Christus ipse dixerit, uenisse se in hunc mundum, ut diuisionem faciat, utique eorum qui antea fuerant uniti.uide Matt.10. & Luc.12.de qua diuisione nullo modo dici potest,quod non sit in causa religionis,idq; in populo Dei facta,qui ad id usque temporis in fide,religione, & cultu Dei siue quæstionibus ac dissidijs unitate concordi cohæserat. Nec quenquam arbitror è numero fidelium sic contra Christum insanire,ut hanc diuisionem ab illo introductam culpabilem esse dicat,imò salutarem fuisse, & gloriæ Dei cõmodum,neget,ut planè conuincatur hoc Christi exemplo,fieri posse,ut unitas populi Dei,etiam in religione,sit mala, & diuisio bona. Statuendum itaque est, quod hanc causam attinet,in unitate considerandũ esse,non quales uel qui cohæreant,sed qualis,& qua in re sit eorum coniunctio. Clamãt, Ecclesia est una,non est diuidenda. Vnitas populi Christiani non est scindenda. Diuisiones sunt hæretici. Schismatici sunt execrandi. Audimus has uoces. Sed obsecro, quare non diligenter expenditur, qualis sit ista Ecclesiæ unitas,ut tum demum de diuisione rectius ac certius iudicari possit? Quæ inutiliter iungun tur,& utiliter diuidi possunt,qualis post messem est coniunctio palearum & tritici:si quis illa diuidat, arbitror

Deus ipse diuisor est rerum unitarum.

De argumento unitatis ecclesiasticæ.

bitror eam diuisionẽ esse sine crimine. Quæ cum melioris boni impedimẽto cohærent, sicuti aquæ initio creationis cohærebant, utiq; rectè diuiduntur. Quæ cũ damno quoq; & noxia unitate iunguntur, qualis est seditiosorũ hominum, latronũ, ac piratarũ unitas, illorũ planè laudabilis est diuisio. Qui turpiter & cum dedecore cõiuncti sunt, utiq; sine ullo dedecore separantur: qualis est scortatorũ & adulterorum separatio. Qui cõtra leges illicita societate cohærẽt, autoritate legũ rectè diuiduntur: utpote, si matrimonio iungant, quib. ea cõiunctio nõ permittit. Ad hunc modũ in religione quoq; cum primis uidendũ est, qualis sit unitas ista, quam Ecclesiasticam uocant, licita ne uel illicita, bona uel mala, utilis uel noxia, honesta uel dedecorosa, legitima uel illegitima, uerbo Dei cõsona uel dissona. Cõsideret doctrina, exigant publici cultus ad præscriptũ uerbi Dei, inspiciat fides illa quã Catholicã uocant, uere ne Christiana sit uel secus, examinetur uinculũ obediẽtiæ, quo populũ Christianũ uniuersum Rom. sedis Põtifici quasi quædã mancipia subijciunt. Hæc inquã, & alia istis annexa reuocent ad uerbi Dei calculos, ac tum iudicetur, qualis sit ista unitas Ecclesiæ, quã diuidi tantopere illi potissimũm querunt, qui populi Dei sunt nõ pastores, sed exactores: nõ patres, sed domini. A

OBSERVATIO III.

Et fecit Deus firmamentũ.] Obseruemus hic quòd nõ dicit, Et factum est firmamẽtum, sicut suprà dixit: Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux: sed cum dixisset, Dixit quoq; Deus, Fiat firmamentum, & diuidat aquas ab aquis: subiunxit, Et fecit Deus firmamentum, & diuisit aquas. Sic non solũ uerbũ Deo tribuit, sed et ipsum opus, ut eiusdẽ intelligamus esse opus cuius est uerbũ, ne quisquã suspicet, iussisse quidẽ Deũ, sed aliũ quempiã fecisse, & iussum illius adimplesse: quæ suspicio ex eo facilimè oriri potuisset, si cõstanter & de reliquis operib. Dei, sicuti de luce locutus est, narrationẽ formasset. Quare non contentus eo quòd Deũ iubentẽ inducit, simul illũ fecisse quoq; cõmemorat: id quod nõ hic tantũ, sed & infrà 4. 5. & 6. die facit. Ergo Dei est & uerbum & opus. Imò si rectè cõsideres hasce locutiones, Dixit Deus, & factum est. Dixit Deus, & fecit, quid aliud admonemur, quàm uerbũ Dei esse operationẽ Dei, qua cuncta fiunt & conseruant? Inter homines longè diuersa ratio est. Hic alius est qui iubet, & alius qui facit. Est enim iubẽtis hominis uerbũ per se prorsus inefficax, nisi accedat opus alienũ, per quod adimpleat, imò frequẽter ne sic quidẽ perficiat. Hæc est infirmitas & impotẽtia carnis, imò & spiritus ac uerbi nostri, quã cũ primis agnoscere debebant ij qui imperando se cuncta perficere posse putant, ut gloriã efficaciæ nõ suo, sed Dei uerbo tribuerẽt. Quare cũ humana subinde opera utiq; ad hoc Deus, ut quod uult perficiat, nõ fit hoc per impotentiam uoluntatis ac uerbi ipsius, quasi sine nobis quod per nos facit, efficere nõ possit, sed sic nos cooperarios suos facit, ut in fide & experientia operum illius exerceamur & crescamus.

Eiusdẽ est opus, cuius est uerbum

Diuersa ratio est inter homines.

OBSERVATIO IIII. B

Diuisitq; aquas quæ erãt sub firmamẽto, ab his quæ erãt supra firmamentũ.] Suprà de diuisiõe quædã annotauimus, in præsenti cõsiderandũ est, quæ sit, puidẽtia Dei in eo declarata, quòd aquas istas sic separauit, ut quæ cõiunctæ operi futuro impedimẽto fuissent, separatæ plurimũ profint. De ea parte quæ infra firmamentũ subsedit, uidebimus in opere sequẽtis dici tertij. De superiori, quæ supra firmamentũ retẽta est, cogitandũ hic est, primũ quomodo per illius separationẽ consultũ sit terræ cum omnib. illius incolis, ne nimia aquarum copia & abundantia opprimeret, si uniuersa illarũ moles in illius fuisset superficie relicta. Deinde, quomodo etiã aduersus solis & igniũ cœlestium ardorẽ in supernis paratũ sit hac diuisione refrigeriũ. qua de re uide quæ psal. 104. uers. 3. annotauerimus. Tertio, quomodo sicut aliqui sentiũt, aduersus impietatem filiorũ huius seculi reseruata sit ista aquarum copia, de quo illius usu in historia diluuij infrà capite septimo mẽtio fieri uidetur, ubi de fenestris cœli legitur, quòd ad demittendum cœlestes aquas fuerint apertæ. Meminit huius & Augustinus libro primo de Mirabilibus sacræ scripturæ, capite sexto sic dicens: Cæteri uerò istas cataractas in summo illo firmamento quod ut diuideret inter aquas, & aquas Deus in principio fecerat, factas prius fuisse dicunt, qui Deum dum illas aquas factas supra firmamentum posuerat, ad tale ministerium eas præparasse dicunt. Hæc ibi. Itaque separationis huius beneficio & commoditate usa sunt omnia hæc inferiora inde ab initio seculi, non solum in eo quòd aquarum abundantia nõ adobruunt, sed & in eo quod solis & ætheris flãmantis ardor necessario refrigerio temperat. Quod aũt superior illa ac supercœlestis aqua apertis cœli fenestris ad operiendũ hanc terrã in diluuio delapsa putat (quã tñ sententiã nõ ausim cõstanter sequi) documẽto nobis esse debet, omniũ esse iustissimũ, ut quod ad usus humani generis in cœlis paratum est propter incorrigibilem malitiam tandem ad exitium illius conuertatur: id quod non solum aquis istis in priori seculo contigit, sed & igni in fine mundi usu ueniet, per quem omnis illius figura & status exterminabitur. 2. Pet. ultimo.

De aquis supercœlestibus.

OBSERVATIO V.

Et factũ est ita. Et uocauit Deus firmamentũ cœlũ.] In eo quod dicit, Et factũ est ita: uel, Et fuit sic: aut, Et erat sic: obseruandũ est quomodo nõ solũ effectus uerbũ Dei sequat, sed & ista cõcomitent. Primũ, quòd opus Dei uerbo illius cõforme est. Nõ modò fit, quòd uerbo Dei iubet, sed & omnia sic fiunt, ut uerbo illius ad amussim correspondeant, nec ulla sit inter uerbum & opus Dei discrepantia. Deinde quòd non sunt tarda operãtis Dei molimina, quasi difficultas quædã magnitudinẽ operis remoret, sed cõfestim cũ summa facilitate ac celeritate præstò sunt ad iussũ Dei, quæ uerbo illius exprimunt. Nisi ista Moses innuere uoluisset, planè sufficere uideri poterat, quod Deũ & dixisse & fecisse scripsit, ut nulla ratio particulã hãc ויהי כן, et fuit sic, subiungẽdi fuisset. Ergo de efficacia uerbi Dei admonemur hoc loco, quàm uidelicet sit illa perfecta, & uerbo per omnia cõformis, deinde nullis remoris nulliq; tarditati ac difficultati obnoxia.

Effectus uerbi Dei.

Et uocauit Deus firmamentum cœlum.] Quamuis exactã nominũ eorum rationem assignare nequeã, quæ à Deo sunt ipsius operibus impositа, interim tamen quod hunc locum concernit, meo iudicio, non

Quàm cõpetenter firmamentũ

A incommodum fuerit, si de nomine שמים, quod cœlum cõstanter uertitur, cogitauerimus, quàm sit pertinenter firmamento huic impositum, cuius superiora aquis teguntur. Etenim si Kimhi Hebræo credimus, uox hæc שמים idem sonat quod, ibi sunt aquæ, quasi composita sit à שם, id est ibi, & מים, aquæ. Apparet igitur firmamentum hoc sic esse שמים à Deo uocatum, ut admoneremur, unde nobis petendæ sint & expectandæ pluuiæ, & eas quibus arida terra aquarum mole liberata ad usus nostros irrigari fructificaríq; possit. De cœlo uidelicet, ueluti thesauro aquarum ac benedictionum Dei. Sic Deuter. 28. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut det pluuiam terræ tuæ in tempore suo, benedicetq; cunctis operibus manuum tuarum, &c. si audieris uocem Domini Dei tui. Sin minus, erit cœlũ supra te æneũ, & dabit Dñs imbrem terræ tuæ puluerem de cœlo. Item 1. Reg. 8. Si clausum fuerit cœlũ, & nõ pluerit, ꝓpter peccata eorũ, &c. Hisce locutionib. pulchrè admonemur, quæ sit nominis huius שמים, id est cœli ratio, & quàm sit cõpetẽter firmamẽto isti inditũ, unde nobis pluuiæ est expectãda benedictio.

hoc sit à Deo שמים uocatum.

OPVS DIEI TERTII.

Dixit uerò Deus, Cõgregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida. Et factũ est ita. Et uocauit Deus aridam terrã, congregationesq; aquarum uocauit maria. Et uidit Deus quòd esset bonum. Et ait, Germinet terra herbam uirentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.

Et protulit terra herbam uirentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumq; faciens fructum, & unumquodq; sementem secundum speciem suam. Et uidit Deus quòd esset bonum.

Et factum est uespere & mane dies tertius.

LECTIO.

Quod Hebræus habet in uersu nono, Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locũ unum, Græcus uertit, εἰς συναγωγὴν μίαν, id est, in congregationẽ unam. Videtur pro מקום, id est locum, legisse מקוה,
B id est congregationem.

Illa, καὶ συνήχθη τὸ ὕδωρ τὸ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν, καὶ ὤφθη ἡ ξηρά, in Hebræo nõ sunt. Et Basilius testatur, esse illa à nullo alio interpretũ tradita: & præterea superuacanea censenda post testimonium hoc, Et factum est ita.

Quod in Græco est, καὶ τὰ συναγώγματα, & in latino, Et congregationes, in Hebræo habetur in singulari, ולמקוה, Et congregationem.

Germinet terra herbam uirentem.] In Hebræo sunt duæ uoces, דשא עשב: quæ quoniam sine coniunctione intermedia positæ sunt, non redditæ sunt pariformiter. Græcus uertit βοτάνην χόρτου, id est, herbã graminis. Hieronymus uerò, herbam uirentem: alij quidam, gramen & herbam. Volunt enim Hebræi, דשא significare gramen adhuc tenerum, עשב uerò, herbam maturiorem.

Illud, quod in Græco post mentionẽ herbæ ac graminis positum est, κατὰ γένος καὶ κατ' ὁμοιότητα, id est, secundum genus & similitudinem, in Hebræo non est.

Et quod in Hebræo post Lignum fructiferum faciens fructum, habetur, למינהו, id est, iuxta genus suum, in Græco desideratur, & paulo post loco non suo inseritur.

Et illud in Græco, καὶ κατ' ὁμοιότητα, sicut & illud, ἐπὶ τῆς γῆς: & quod Latinus habet, Et unumquodque sementem, in Hebræo non leguntur.

EXPLANATIO.

Post secundã diuisionẽ quæ secũdo die per firmamẽti interstitiũ in medio aquarũ sic est facta, ut aquæ superiores ab inferioribus diuiderentur, progreditur Moses ad expositionem tertiæ diuisionis, per quam terra ab undis quibus adhuc operiebatur, uel, ut quidam uolunt, limi instar immixta erat, liberaretur, ac in propatulum produceretur. Erat enim adhuc uasta & uacua, quæ incõmoditas hoc tertio die beneficio separationis sublata est. Hac de re sic scribit:

Dixit uerò Deus, Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt.] Duo sunt in hoc iussu Dei. Vnũ, quid fieri debeat: alterũ, ad quẽ finẽ. Aquas subcœlestes iubet cõgregari in locũ unũ. Erant enim sic cõfusæ, ac in sublime erectæ, ut terrã quaquauersum inundatione sua opprimerẽt. Iubet igit ut cõgregent, id est, ut cõtrahantur. Nec id satis est. Addit, In locũ unũ: ne uidelicet superficiẽ terræ ultrà occupent. Ideo subiũgit, Et appareat arida: quib. uerbis aperit, quare luxuriẽ hanc & confusionẽ aquarũ in unũ locũ contraxerit. Ob id uidelicet, ut terra à nimio aquarũ humore liberaret & exiccaret, quo posset ad futurã ac necessariã fœcunditatẽ parari. Poterat dicere, Et appareat terra. Verũ quoniã non hoc solũ agebat, ut terra appareret, sed ut ab aquis liberata exiccaret, quo fertilitati accõmodaret, dixit, Et appareat יבשה, id est arida. Impediebatur enim aquarũ mole superficietenus ad ipsum usq; firmamentũ, ut quidam sentiunt, insurgẽre & futuram fœcunditatem impediente. Quare necessarium erat, ut nõ solum à superficie terræ cederet aqua, sed & è gremio illius cui immixta erat, hactenus efflueret, ut ad fructificandum apta redderetur.

Et factũ est ita.] Est hæc particula suprà in opere præcedentis secundi diei expositа. Non præmittitur hic, ut illic, Et congregauit Deus aquas, &c. ut subiungatur, Et factum est ita. Ex præcedenti tamen satis indicatur, congregationem hanc aquarum non esse factam, nisi ab eo ipso, qui dixit, Congregentur aquæ, &c. Nam idem illi est dicere quod facere. A

Et uocauit Deus aridam terram.] Ad discriminandum inter eam terram, quæ aquis in unum locum congregatis obiecta est, arida iam continens, & ab aquis libera facta, uocata est ארץ, id est terra. Latini uocẽ Terrã, à terendo ductam putant. Vnde Hebræa ארץ deducta sit, non satis liquet. Chaldæi uocant terrã ארעא, & ab ea uoce deducunt ארע יתא, id est, solum, pauimẽtum: quare suspicor & Hebræam uocẽ ארץ eiusmodi significationis esse, ut soli ac pauimenti soliditatem significet. Sunt tamen qui ducant à רצון, id est beneplacito, eo quòd per illius usum diuina bonitas ac beneuolentia cuncta pascendo declaret. Quicquid sit, omnino crediderim hoc nominis non esse præter rationem impositum telluri, ab undarum iam inundatione liberæ & aridæ.

Congregationesq; aquarum uocauit maria.] Loquitur in plurali, eo quòd aquarum contractio multos sinus constituit: qui licet Oceanum non adæquent, Hebræis tamen maria uocantur: sicut in Euangelicis etiam historijs patet, in quibus stagna & lacus maria appellantur.

Et uidit Deus quòd esset bonum.] Exponat ut suprà, in opere diei primi. Significat Moses probasse Deũ diuisionẽ istam aquarum, & terræ: aquarumq; congregationem, & terræ manifestationem.

Et ait, Germinet terra herbam uirentem.] Ab hoc loco post trinam diuisionẽ incipit ornatus ac supplementum terræ, cœli, ac maris. De terra, in hoc præsenti tertio & sexto die. De cœlo, in sequẽti quarto. De mari, in quinto cõmemorat. Terræ ornatus est, progerminatio crescentiũ, graminis, herbarũ, & arborũ. Sic dicit, Germinet terra herbã uirentẽ. Addit, Et lignum pomiferũ, uel fructiferũ, id est, arbores fructiferas. Et quoniã non hoc agebat, ut tantũ in præsenti germinaret terra, gramine, herbis, & arboribus uestiret, et usibus animantiũ ac hominũ primo dũtaxat anno seruires, sed ut perpetua quadã fructificationis ac progerminationis fœcunditas singulis annis praeraretur, adiecit de semine tam herbarum quàm arborũ, in quo esset annua fœcunditatis huius renouatio. Sic dicit, Germinet terra uirentẽ, & facientẽ semen: & lignũ pomiferũ, faciens fructũ iuxta genus suũ, cuius semen in ipso sit. Notanter aũt dicit, למינהו, id est, secundũ speciẽ suam, uel iuxta genus suũ ad prohibendam confusionem ac degenerationem tam terræ nascentium, quàm fructũ illorum. Sic uirtute uerbi huius constituit, ut quælibet herba, quælibet arbor suum genus tam renascendo quàm fructificando ad finem usq; mundi retineat.

Et factum est ita. Et protulit terra herbam uirentem, &c.] Nihil aliud hac periodo dicit, quàm quòd mox ad iussum Dei ornata sit terra uirẽtibus ac frugiferis herbis & arboribus, per omnia, ad præscriptũ uerbi Dei. Omnia producebant plena & perfecta, matura & iam utilia, sicuti præsens requirebat necessitas. B

Et uidit Deus quòd esset bonum.] Non est ut quæramus, quare particula ista secundo ponatur in hoc tertio die. Continet illius descriptio geminum opus Dei: unum, quo terra est aquis liberata, & mare constitutum: alterum, in quo terra fertiliratis ornatum accepit. Igitur, quoniam utrumq; Deo ad propositũ beneplaciti ipsius probabatur, utriq; separatim apposita est hæc particula, ut de beneplacito Dei testaretur.

Illud, Et factũ est uespere & mane dies tertius, nihil habet quod singularẽ expositionẽ post præcedẽtia requirat.

QVAESTIONES.

Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum.] Quoniam ea est aquarum natura, ut ima petant, & ad loca decliuia ultrò ferant, quærunt nõnulli, quomodo id Moses uerbo imperantis Dei tribuat. Ad eam quæstionem Basilius sic respondet: Post præceptum quidẽ Dei manifestum est, quales sint aquarum motiones, quàm sint natura instabiles, fluidæ, & loca decliuia petẽtes. Verũ quales extiterint natura, antequã præcepto Dei in unũ locum cõgregari iuberent, nec uidit quisquã, nec à quopiã auditũ est. Quare non est de illis sentiendũ, quòd natura sua sic fuerint ante mandatum Dei cõparatæ, ut nunc sunt: sed uerbo Dei tribuendum hoc totum quod iam ad illarum pertinere naturã & qualitatem uidemus, quòd uidelicet perpetuo quodã motu ferunt, currunt ac recurrunt, instabiles sunt, & locis decliuioribus gaudẽt. Etenim quod semel illis est uerbo Dei imperatum, eiusdem uerbi uirtute constanter implent.

In locum unum.] Secundo quæritur: Si aquæ illæ quæ sub cœlo adhuc erant, totam terram occupabãt, quisnam potuerit esse locus in terra, in quem unum omnis illa aquarum multitudo confluueret. Ad hanc quæstionem alius aliud respondit. Quidam senserunt aquas illas antequã iussu Dei in unum locum congregarent, fuisse admodum raras ac nebulosas: post iussum uerò Dei sic esse densatas, ut minore loco capi potuerint. Nonnulli dixerunt, aquas in eo loco in quo nunc sunt, in maiorem altitudinem esse sublimatas, quàm sit terra, imò quàm sint montes terræ. id quod Basilius de mari rubro certo dicit esse experimẽto compertũ. Sunt qui in terra cõcauitates quasdam fuisse dicant, quibus ista aquarum congregatio caperetur. Burgensis hæc omnia respuit, & suam sententiam, hanc uidelicet, subijcit: Initio quum primum essent creatæ, idem fuisse aquis iftis centrum, quod etiamnum est terræ. Verùm cum essent unum in locum sic congregandæ, ut terra nudaretur, paratum esse illis proprium centrum, à centro terræ separatum, ad quod uniuersæ inclinarent & colligerent. Et in hac sentẽtia demõstranda multum occupatur. Verùm quorsum attinet hac de re curiosius inquirere. in qua nobis non est exercendæ nostræ intelligentiæ materia, sed adoranda uerbi Dei potentia proposita? Qui omnia condidit ex nihilo, uerbo suo iussit aquas abscedere terris, & in unum congregari locum, quid mirum, si eadẽ uerbi sui uirtute locum huic congregationi accommodum parauit?

Congre-

A *Congregationesq; aquarũ uocauit maria.*] Tertiò quæritur, cum Deus aquarum congregationem uocauit nõ unum mare, sed in plurali, ימים, id est maria, quomodo cõfluxerint in unum locum. Burgensis sic respondet: Dicit aquas omnes quocunq; loco sub cœlo sint, ad centrũ elementi sui naturaliter inclinari: & si nullum sit impedimentũ, ferri etiã, atq; ita rectè dictum, quòd aquæ omnes in unum locum congregentur. Basilius dicit non esse quasuis congregationes aquarũ hoc loco intelligendas, sed excellentẽ illã & maximã, in qua totũ aquæ elementum quasi in fonte suo ostenditur. Quoniã uerò sinus illi aquarum, quos etiam scriptura maria uocat, per subterraneos meatus cum oceano uelut omnium aquarum fonte miscent: ideo & illos ad hunc unum locũ pertinere, licet uarijs sint terrarum locis diuisi. Itaq; sic est unus locus aquis diuinitus deputatus, in quo est quasi corpus mare illud magnum & spacioſum, de quo propheta psal. 104. canit, & multa sunt maria, ueluti unius illius membra quædam. Sic ille ad hanc quæstionem respondet. Verùm poterit forsan nõnullis uideri, haud esse necessarium ut illud, Congregentur aquæ in locum unum, præcise de aliquo terræ loco intelligatur, cum sensus illius tam ex sequentibus, ubi Moses dicit, Et cõgregationem uocauit maria, quàm ex re ipsa percipi possit. Manifestum est, multa esse maria. Deinde esse unicuique mari certum & constantẽ locum. Tertiò, esse illa maria per dictam aquarum congregationẽ locis in quibus extant tum initio collecta, cum terra iussu Dei nudaretur, & à Deo ipso maria uocata. Ergo quòd dixit, Congregent aquæ in locum unum, uident nõ esse præcise de Oceano intelligendum, sed sic esse dictum, ut aquarum discursus certis locis, ac fixis limitibus circumscripti prohiberentur, ne terra illorum diluuio uago & libero perderetur. Quare apparet sic intelligendum: Congregentur aquæ in locum unum, id est, aquarum collectiones, reliquis copiosiores, in unum singulæ locum sibi certum ac deputatum congregentur, & sint maria. Etenim non hoc agebat Deus, ut totum elementum aquarum in uno aliquo loco includeret, sed ut terra aquis ad usus humanos liberaret, & aquæ seorsim suis certis locis ac finib. circumscriptæ cohiberent, ne posthac ad operiendũ terrã, nisi diuinitus iussæ, reuerterent: sicut & Dauid psal. 104. cecinit. Basilij tñ sententia nõ uideo quomodo necessariò sit reijcienda.

Germinet terra herbam uirentem, & facientem semen, & lignum fructiferum.] Quartò quærunt quomodo impletum sit hoc uerbum Dei, cum constet nec semen nec fructum cunctis in uniuersum esse herbis & arboribus. Etenim tam in herbis quàm arboribus multæ sunt, quibus nullum est semen, multæ etiã infrugiferæ. Ad ista Basilius sic respondet. Primùm quod semen concernit, id constare singulis spiritibus aut semen aut uim quandam propagandi seminis instar inesse. Igitur uox זרע, id est semen, non debet sic accipi, ut nullum seminis genus significet, nisi quale est triticum, auena, & alia consimilia, sed cõmuniter in
B telligenda est de omni eo quod uim habet conseruandi ac propagandi sui generis. Deinde ad id quod de fructibus quæritur, respondet, non fecisse hic scripturam mentionem nisi earum arborum, quæ reliquis propter fructificandi benedictionẽ meritò præstantiores censentur, & ad hoc potissimum sunt conditæ, ut usibus humanis præ cæteris magis inseruiant. Inde tamen nemo sanæ mentis colliget, non esse eas arbores à Deo factas, quæ nullos fructus adferunt, aut nullum prorsus esse illarum usum, cum multis nominibus commodæ sint & utiles.

Et uidit Deus quòd esset bonum.] Quintò, cauillantur Manichæi, non posse bonum dici, quòd tot sunt noxia terræ nascẽtia producta, quæ cõstet esse uenenosa, & si usurpent, letifera. Augustinus illis sic respondet, ut dicat initio esse omnia bona & utilia condita, uerùm post peccatum quædam esse noxia facta, utpote spinas, tribulos, & herbas uenenatas, & arbores infrugiferas, ut per ista de peccato admoneamur & confundamur. Et Basilius dicit initio rosas caruisse spinis, antequã peccasset Adam. Verùm ista responsio parum uidetur esse firma. Quare satius esse iudico, ut cum Basilio respondeamus, non esse omnia uentris nostri gratia condita: deinde quæ nobis ad alimoniam sunt destinata, sic esse distincta, ut omnib. sint cognita: adhæc, non mox mala esse in se, quæ nobis, si utamur, sunt noxia, cum ad alia multa possint esse utilia: uidelicet, uel ad alimẽtum quarundam bestiarum, quibus uenenum cibus est, uel nobis etiam, si rectè utamur, ad medelam, ut innumeræ rationes taceantur, quibus ea quæ huiusmodi sunt, suam habent in hoc uniuerso commoditatem & utilitatem. Est autem admodum detestabilis ista impietas, qua cum pro tanta copia herbarum & arborum frugiferarum, & nobis utilium, agendæ essent conditori gratiæ, propter elleborum, cicutam & aconitum in ius uocatur: quæ tamen & ipsa usibus humanis, si rectè usurpentur, plurimum commodare possunt.

OBSERVATIO I.

Prouidentia Dei paulatim è medio tollit omnia incommoda.

Primùm illud obseruandum est, quomodo diuina prouidentia paulatim è medio tollat, quæ in operibus ipsius uidentur incõmoda. Primum incõmodum erat in eo quòd cuncta tenebris operiebant. Illud statim luce inducta sustulit, & inter tenebras & lucem diuisit. Deinde inconueniens erat, quòd tanta aquarum uis & multitudo una mole coniuncta, uniuersam illam cœli ac terræ cõdituram opplebat. Illud impedimenti secundo die expanso per medium aquarum firmamento remouit, & aquas ab aquis diuisit. Tertiò reliquũ erat & id incõmodi, quòd terra adhuc aquis immersa latebat. Illud abstulit per cõgregationẽ aquarũ die tertio in locum unũ factam. Admonemur horum cõsideratione de ingenio Dei, quo fit cõparatus, ut cœptum opus nõ deserat nec desinat, donec quæ desiderantur perficiat, & quæ uidentur incõmoda temporis successu corrigat. Poterat statim primo die cuncta in plenum ac perfectum statum componere, uerùm placuit, ut paulatim singula corrigerentur & perficerentur. Quare cogitandum nobis est, non conuenire ut mox uniuersa quæ uidentur incõmoda, unico uelimus esse sublata momẽto: sed patienter esse ferendum, ut paulatim tollantur tollenda, & perficienda perficiantur.

OBSER-

OBSERVATIO II. A

Diuidit Deus unita, ut dispersa melius cõgreget.

Congregentur aquæ.] Suprà præcedenti die fuisse aquas à Deo diuisas legimus: Fiat firmamentum, inquit, in medio aquarũ, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentũ, & diuisit aquas ab aquis. Iam statim subsequenti die, Congregentur, inquit, aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unũ. Qua in re considerandũ est, diuisionẽ quæ à Deo fit, non fieri simpliciter studio diuidendi unita, sed magis coniungendi eo modo quo conuenit & rerũ postulat necessitas. Plurimũ refert, quo studio fiat diuisio, & rursus quo fine quæ dispersa sunt cõiungant. Sed ea de re & suprà admonuimus, ibi, Et diuidat aquas ab aquis.

OBSERVATIO III.

Studiũ Mosis est, ut opera Dei sub cœlestia, & cunctis uisibilia, populo Dei cõsideranda proponat.

Quæ sub cœlo sunt.] Erant aquæ in duas partes diuisæ, sic ut aliæ iam essent supra, aliæ infra cœlum. Quæ supra cœlũ sunt, utiq; digniorem locum sortitæ, præstantiores sunt inferioribus. Quare conueniens fuisse uidetur, ut de illis cum primis à Mose instrueremur, quarũ tamen nullam amplius mentionẽ facit. Verùm conuenientius erat, ut quoniam ista scribebat non angelis supercœlestibus, sed hominibus in hac terra, & sub hoc cœlo uiuentibus: sub quo sunt aquæ inferiores in unum locum congregatæ, ut relictis aquis supercœlestibus opus Dei in illis quæ sub cœlo sunt considerandum & agnoscendum proponeret, eaq; in re seruiret non curiositati, sed fidei mortalium ex operum Dei consideratione alendæ ac confirmandæ. Quare, meo iudicio, omnino peruersum est eorum ingenium: qui, ubi opera Dei subcœlestia declaranda suscipiunt, toti ad disputandũ de supercœlestibus & inuisibilibus rapiunt, quasi nulla sit ratio in uisibilibus istis, sapientiam, bonitatem ac potentiam conditoris omniũ celebrandi ac deprædicandi.

OBSERVATIO IIII.

Virtus uerbi Dei in perpetuo aquarum cursu ac recursu consideranda.

In locum unum.] Congregentur, inquit, aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum. Occurrit hic gemina cõsideratio: una historicũ, alia mysticũ sensum requirit. Quod historicũ attinet, cõsideranda est in eo uerbi Dei uirtus, quod ab eo tẽpore, quo dictum est à Deo, Cõgregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locũ unũ: quicquid aquarũ uspiam sub cœlo est, in locum destinatũ naturali propensione perpetuò inclinat: & nisi obiectis remoris impediat, haud quiescit, donec in illũ congregetur. Fontes sese exonerant in fluuios, fluuij minores in maiores, maiores in mare. Sic Salomon Eccl. 1. dicit, Omnia flumina intrant mare, & mare nõ redundat. Ad locum unde exeunt flumina reuertuntur, ut iterũ fluant. Ergo duo fiunt: unum, omnes aquæ quæ sub cœlo sunt, in unum locum cõgregantur. Hinc est perpetuitas illa fluendi, cui ueteres olim sub ignorantia Dei detenti diuinitatem tribuerunt. Alterum, terra tamen aquis hactenus nõ destituitur, quatenus illas usus necessarius requirit. Ea cõmoditas est ex stagnis, fontibus, ac fluuijs. Itaq; nõ sic sunt aquæ semel in unum locum collectæ, ut illic uniuersæ detineantur, sed per meatus subterraneos ad nos B redeunt, & à nobis rursus ad locum deputatum congregantur, ut ex illo iterum fluant. Hæc uidelicet est prouidentia Dei, qua quæ necessaria nobis sunt, inde ab initio ad finem usque indefinenter curantur.

Imago ecclesiarum Christi.

Quod mysticum sensum attinet, consideremus in ista aquarũ congregatione propositam ecclesiæ Christi imaginem. Separantur aquæ toto orbe uagantes, à terra. Et ea separatio ornatur uerbo cõgregandi. Neque enim dicit, Separentur aquæ: sed, Congregentur aquæ. Deinde, congregantur in locum unũ: eumq; non quemlibet, sed à Deo deputatum. Tertiò, ad eum locum cunctæ aquæ ubicunq; & qualescunque sint, naturali quadam inclinatione propendent: nec quiescunt, quantum in ipsis est, donec ad illum perueniant. Quartò, ne terra ministerio ipsorum prorsus destituatur, ad illius quidem superficiem refluunt: uerùm in illa non sic uersantur, ut fontis sui unde profluxerunt, obliuiscantur, & propensionem ad illũ refluẽdi ponant & abijciant. Ad eũ modũ habet & cõgregatio fideliũ populorũ in ecclesia Christi.

Cõgregantur fideles ex omni terra.

Primùm congregantur ex uniuersa terra quæ sub cœlo est, ex cunctis nationibus, qualescunque sint conditionis ac status fideles populi, qua quidem congregatione à filijs huius seculi separantur: uerùm ea separatio magis congregatio, quàm separatio censenda est. Quare, meo iudicio, admodum ineptum est, quòd Christianam congregationem ueteres Ecclesiam, Iudæorum uerò Synagogam sic uocare uoluerunt: quasi uox Synagoga minus habeat eius dignitatis, quæ Christianos deceat, quàm uox Ecclesia, cum utraq; aptissimè fidelibus in Christo conueniat. Ecclesia namq; euocatio, Synagoga uerò congregatio uocatur. Sic autem euocamur ex hoc seculo per doctrinam Euangelij, ut quotquot euocati sumus, in unum quasi corpus congregemur. Tolle congregationem, quæso quorsum attinebit, esse uocatos è seculo?

Ecclesia & Synagoga.

Cõgregantur fideles in locum unum.

Deinde, congregantur euocati fideles in locum unum. Quis ille? Pontificij locum hunc dicunt esse Romanæ ecclesiæ sedem, quæ quasi centrum quoddam sit uniuersi Christianismi, ad quod undiq; ab omnibus sit confluendum fidelibus: uerùm ea lege, ne quisquam uacuis aduolet manibus. Nam, ut uetus dictum est, Curia Romana non petit ouem sine lana. Iudæi constituunt hunc locũ montem Sion, ciuitatem Hierusalem. Sic enim intelligunt ad literam uerba Esaiæ, quæ cap. 2. ad hunc modũ leguntur: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in uertice montiũ, & eleuabit super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montẽ Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalẽ. Ex hoc uaticinio eam cõceperunt opinionẽ, quod tẽpore Christi cunctæ sint gentes ad terrenam Hierusalem ac Sion confluxuræ. Quòd si terrenus aliquis locus constitutus esset, ad quem cõgregandi essent cuncti fideles, sanè plus roboris haberet Iudæorum quàm Romanorũ opinio. uerũ errant utriq;. Locus ille unicus, quo cõgreganti fideles omnes, nõ est alius quàm regnũ Christi, quod Hierosolymis cœpit. In illo rex est Christus, caput fideliũ omniũ, fons ille, qui ad se cũctos uocat, dicens,

Venite

A Venite ad me omnes. Itẽ, Qui sitit, ueniat ad me & bibat. In hoc est uera quies, uera uita, uera salus, uera ac sempiterna felicitas. De hoc regno Christi intelligendũ est uaticinium Esaiæ, quod propterea ad montem Sion cũctas gẽtes uẽturas prædixit, quòd Euãgeliũ regni inde in mundũ erat uniuersum egressurũ.

Tertiò, sicuti quicquid aquarũ sub cœlo est, ad locum illum unum propensissimè fertur, ita comparati sunt etiam, quotquot ad Christum pertinent. Quocunq; loco sunt in hoc mundo, toto pectore propendent ad Christum. Hunc uiuunt, hunc spirant, ad illum ex animo per uitam & mortem & omnis generis afflictiones contendunt. Talis aqua erat Paulus cũ diceret, Mihi uiuere Christus est, & mori lucrum. Et, Cupio dissolui, & esse cum Christo. *Propẽsio animorum fidelium ad Christum.*

Quartò, quemadmodũ sic ad locũ suum confluunt aquæ, ut tamen interea mundo huic necessariũ sui usum nõ denegent, ita & fideles sic properant ad Christũ, & cœlestia appetunt, ut interea si qua in re mundis licitis mundo poterũt esse utiles, usum sui uelut in transcursu haud grauatim offerãt. Lucis suæ splendorem bonis operibus iuxta adhortationem Christi, erga quosuis declarant. Diligunt, bene loquuntur, benefaciũt omnibus, uisitant ægrotos & captiuos, cibant esurientes, potant sitientes, uestiunt nudos, consolantur tristes, recreant abiectos. Et tales se præbent etiam infidelibus, nedum fidelibus, & unà ad Christum confluentibus. Hanc puto imaginem nobis in hac esse aquarum congregatione obseruandam, ut in illa quisq; contempletur quò sit, cum quibus, & quomodo, quaq; animi propensione confluendum. Nam omnino necesse est ut aliquò congregemur. Secundum carnem ad unũ locum properant omnia: sicut & Salomon Ecclesiast. 6. dicit. Quod reliquũ est, qui non congregantur, imò non aquarum instar propensissimè fluunt ad Christum, utique nolint uelint congregantur ad satanam: cuius regnum ueluti centrum est, quo impiorum & corda propendent, & cursus fertur. *Mũdo fideles utilitatẽ suæ præsentiæ nõ denegant.*

OBSERVATIO V.

Et apparent arida. Et uocauit Deus aridam terram.] Primũ, obserua uerbũ apparendi. Non id agebatur tantũ, ut arida redderetur uisibilis, sed ut ab undarũ mole liberata, futuræ fertilitati accõmoda, & ad recipiendum ornatũ suum apta fieret. Igitur quod dicit, Et appareat arida, idem est ac si diceret, Et liberetur arida, manifesteturq;, ad quid, & in quem usum sit condita. Sic & Coloss. 3. positũ est hoc uerbũ: Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum aũt Christus apparuerit, uita uestra, tunc & uos apparebitis cum ipso in gloria: quæ uriq; apparitio nõ hoc tantũ habebit, ut externo aspectu appareamus: sed magis, ut in gloria filiorũ Dei appareamus, manifestumq; fiat, esse uos à Deo in gloriã suam electos & assumptos. Ergo magis refertur hoc apparitionis genus ad manifestationem operis ac B propositi Dei, quàm externi tantũ aspectus. Perinde ac si dicas, Cõgregentur omnia offendicula & scandala, omnis fæx & immundities in locum unum, & appareat Ecclesia: hoc est, & liberetur Ecclesia, manifestumq; fiat, quis sit illius ornatus, quæ fides, quæ puritas, & claritas. Et reuera, cum Christus à regno suo abstulerit omnia scandala, sublatusq; fuerit ab ecclesia Iupiter ille Romanus, Mars, Mercurius, Venus, Epicurus, hypocrisis & superstitio, apparebit ecclesiæ puritas, claritas, & gloria. *Obserua uerbũ apparendi.*

Deinde considerandum hic est, quod dicit, Et uocauit aridam terram. Hoc est, constituit, ut esset arida, firma ac solida terra. Admonemur, unde sit, quòd terra ista tot iam seculis cõmoditatem nobis dubitandi præstat, uidelicet, è uerbo Dei. Qui illam uerbo suo condidit, & aquis liberauit, idem illam uerbi sui uirtute iussit esse terram, id est, firmum solum ac pauimentũ, ut coli possit, & inhabitari. Sic Dauid psal. 104. dicit: Qui fundauit terram super stabilitatem suam, non mouetur in seculum & usq;. *Arida ex uerbo Dei habet, quod terra est.*

OBSERVATIO VI.

Cõgregationesq; aquarũ uocauit maria. Et uidit Deus quòd esset bonum.] Quid obseruandũ sit ex eo quòd congregationẽ aquarũ sic disposuit Deus, ut essent certa quædam maria, nõ solum Oceanus ille terram ambitu suo cingens, sed & alia multa, cum stagnis innumeris. In genere quidem illud proponitur, quod subiecta particula dicit, Et uidit Deus quòd esset bonum: uerũ quæ sit illa bonitas & utilitas, non exprimitur, nisi ea, quòd per hanc congregationẽ aquarũ terra est liberata. Basilius uerò quædam huc facientia recenset. Primũ, quòd aquæ marinæ omnem illum humorẽ suppeditant, quo terra fœcundatur. Est enim uniuersa terra cauernis, cuniculis & meatib. referta, per quos permeans aqua marina, deposita per distillationem salsedine in superficiẽ terræ potulenta & utilis erumpit. Hac quidem cõmoditate quotidie utimur, uerùm pauci sunt qui cogitent, unde illa, & quibus modis proueniat. Deinde, quòd maria ista fluuiorũ sunt receptacula, atq; in sese cunctam inundationem fluminũ sic recipiunt, ut tamen haudquaquam fines suos egrediantur: atq; ita cauetur, ne uel fluuiorum uel marium inundatione lædamur. *Vtilitas mariũ.* *Fœcũditas terræ.* *Receptacula fluuiorum.*

Tertiò, quòd è marinis aquis per solis radios uapores excitantur, in sublime attrahunt, & rursum ad irrigandũ terrã guttatim per pluuiam demittunt. Quartò, quòd insulæ mariũ ambitu cinguntur, ornantur, cõmuniuntur, & quæ procul à se inuicẽ distant coniunguntur, ac cõmoditatem ea quæ necessaria sunt inter sese cõmunicandi usu nauigationis accipiunt: cuius & Dauid psalm. 104. meminit dicens, Illic naues pertranseũt. Hæc adducit Basilius. Illud adijciendũ uidet. Ipse mariũ aspectus, quasi clara uoce monet, quid olim acciderit terræ uniuersæ, & quid hodie quoq; accidere possit, nisi, prohibeat ille, qui mari posuit terminum suũ, & aquas uniuersas alueis suis inclusit. Poterat omnes aquas quæ sub cœlo sunt, in unũ cõclude re Oceanũ: uerũ congregationẽ hanc aquarũ sic dispositũ, ut uix sit ulla regio, in qua nõ sit aliqua uis aquarũ, cuius inũdatio, si diuinitus permitteret, incolis illius plurimũ possit adferre incõmodi: id quod & frequẽter accidere uidemus. Quare maria ista, stagna, & flumina perspicuè admonẽt, ut obseruemus conditorẽ omniũ: caueamusq;, ne quod illius est, puidẽtia optimè dispositũ, ingratis, incredulis, & immorigeris uergat in exitium. *Pluuiæ.* *Vtilitas nauigationum.*

OBSER-

OBSERVATIO VII.

Facta est tellus prius arida, quã fertilis.

Et ait, Germinet terra.] Duo sunt hic obseruanda. Primum, quòd antequam exigeret à terra Deus, ut progerminaret herbam uirentem, ac arbores fructiferas, noluit ut esset תרשא, id est arida, cum ariditas planè sit ad fœcunditatem inepta, & magis ad reddendum puluerem quàm herbas & arbores uirentes accõmoda. Admonemur hac consideratione tantam esse uerbi Dei uirtutem, ut quod maximè fluidum est, uertatur in aridum: ac rursus, quod aridum est, uberem acquirat fœcunditatẽ. Quòd igitur è terra natura sua arida & fiticulosa pascimur, non est naturæ illius, sed uirtuti uerbi Dei tribuendum: quo dixit, Germinet terra. Sic uertit stagna aquarum in salsuginem, & rursus salsuginem in fertiles campos. Vide psal. 107. Eadem uirtute reddidit Saram primũ aridam, deinde ariditatẽ illius conuertit in fœcunditatem.

Quòd terra ante mare fœcundatur, & prius herbas profert quàm bestias.

Alterum est, quòd terram prius quàm mare iusserit esse fertilem, & è tellure prius herbas & arbores, quàm bestias & hominem produxit. E mari nihil erat præter uiua animantia productura, quibus unà cum illis quæ conditurus erat è terra, necessarius erat cibus præparandus. Commodum igitur pro sua prouidentia terram tanquam omnium altricem & almam, fœcundam, & ad alendũ futura animantia reddidit instructam, priusquam ullum esset animans nec ex aquis, nec è terra productum. Sic comparata est diuina prouidentia, ut quæ necessaria sunt rebus creatis, & præuideat & præparet antequã uel creatæ sint illæ, uel necessitas aliqua urgeat. Lucem, diem ac noctem parauit, antequã essent qui illis uterentur: quemadmodum & thesaurum aquarum præparauit.

OBSERVATIO VIII.

Herbam uirentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum: cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam, &c.] Primum illud obseruandũ uidetur. Rem per se notissimam omnibus, & toto terrarum orbe cunctorum oculis expositam, multis uerbis exponit Moses. Poterat breuiter dicere, Et dixit Deus, Germinet ac uirescat terra: uerùm data opera germinationis huius partes recensct, uiriditatem herbarum & arborum, fructificationem, generis propagationem & conseruationem: quas non eam ob causam cõmemorat, ut nos de fertilitate ac progerminatione terræ, quasi re aliqua incognita, instruat: sed ut admoneat, ut quoties ista ob oculos uidemus, agnoscamus non naturæ uires, sed uerbi Dei uirtutem. Deinde, ut germinationis huius utilitatem, & in illa bonitatẽ ac prouidentiã Dei cõsideremus, & animo grato exosculemur. Verũ inspiciẽda sunt singula.

Quòd rem omnibus notam tam multis uerbis exprimit.

Ornatus telluris ex germinatiõe.

Germinet, inquit, terra. Hebraicè est תרשא ארץ, id est, graminificet terra, ut ita dicam: uel, si mauis, progerminet terra. Proponitur primo loco prima illa germinatio telluris, qua superficies illius sub initium ueris ueluti ornatur ac uestitur: cuius aspectus ac uiriditas præterquàm quòd intuenti summam adfert iucunditatem, & cuncta exhilarat, imaginem etiam resurrectionis ob oculos exponit, & simul spem futuræ facit alimoniæ: significans, imò demonstrans ad oculum, esse terram hanc cum incolis suis omnib. haudquaquam diuina destitutam cura & prouidentia. Et hinc est, quod Christus Matt. 6. argumentatur dicens: Si gramen agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, quanto magis uos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes, Quid manducabimus? &c.

Vtilitas ex progerminatiõe telluris.

Deinde addit, herbam uirentem, uel, gramen & herbam, item lignũ fructiferũ, id est, arbores fructiferas. Sic complexus est uniuersa terræ nascentia, quibus & animantium & hominum necessitatibus consulitur: qua de re uide psal. 104. ubi Propheta hæc dicit: Qui facit germinare fœnum iumentis & herbam, ad seruiendum homini, ut educat panem de terra, et uinũ lætificet cor hominis, & illustret faciem oleo, & panis cor hominis confirmet. Quis autem satis perpenderit, non solum infinitam progerminationis huius copiam toto terrarum orbe expositam, sed & iucunditatem, & generum, & formarum, & colorum, & odorum uarietatem? Quis utilitatem illam pro dignitate deprædicauerit, quæ non ad homines tantum, sed & ad bestias ex terræ nascentibus prouenit? Est autem ea fic comparata, ut abundè sufficiat, cùm ad alimoniam, tum ad medicinam, ut uestitum & reliquas cõmoditates taceam.

Omnia terræ nascẽtia corruptiõi obnoxia.

Propagatio indagata seminib.

Tertiò, adijcit: Et facientem semen: Item, Cuius semen sit in ipso. Admonemur duorum. Primũ est, esse omnia terræ nascentia sic initio à Deo condita, ut sint corruptioni obnoxia. Alioqui quorsum esset usus seminis? si quæ tum progerminarunt, corrumpi nequiuissent? Alterum est, propagationem illorũ uerbo Dei esse inditam seminibus, ut quod liberi sunt parentibus, id semen sit herbis, plantis & arboribus. Vt hac propagatione necessitati mortalium & bestiarũ ad finem usq; mundi consuleretur, mox initio dictum est à Deo, ut quodlibet herbarum uel arborum genus semen, uel uim seminis in se contineret. Et hæc prouidentia Dei, fidei nostræ seruit, qua nõ solũ condidisse Deũ omnia, sed & à se cõdita propagare & conseruare, imò iam tum statim creationis initio operũ suorum necessitatibus consuluisse credimus. Cogitemus hic quantam habeat maledictionem, si cui posteritas, quæ per semen est, diuinitus intercidatur. Id enim demum est prorsus è rerum natura tolli & abscindi. Quare cunctis hoc inditum est,

Cura seminis naturaliter indita.

tam animantibus quàm hominibus, ut seminis rationem habeant omnium studiosissimam, ut in quo etiam post mortem uiuere, & in natura ac propagatione generis sui perdurare possunt. Et hic affectus naturæ quorũuis insitus, quid aliud facit, quàm quòd de mortalitate nostra testatur? Cogita hanc esse uocem herbarum, arborum, bestiarum, & hominum, ubi semen adferunt: Non durabimus diutius, ideo semen proferimus, in quo genus nostrum propagetur & conseruetur.

Et illud notandum est. Non fecit initio semen aliquod, unde nascerentur paulatim herbæ & arbores: sed cõfestim è tellure herbas & arbores produxit, quibus postea & animantia & homines alerentur. Sic consuluit præsenti necessitati. Rursus: non protulit nudas herbas, & arbores, quarum fructibus præsentibus

A tibus tantum rebus commodaret, sed tales quæ indito semine propagari possent in futuros usus, & multiplicari. Hac ratione declarauit sic se consulere præsentibus, ut futura non negligat: & sic prouidere futuris, uti simul & præsentium rationem habeat. Hæc est illa uerè diuina prouidentia, illis potissimũ imitanda, quorum est subditorum gerere curam. Et in communi quoq; conuenit omnibus, ut quemadmodum cura hac Dei singulis annis utimur, ita illam etiam agnoscamus, & grati deprædicemus.

Deinde obseruandum etiam est, quomodo multiplicationem hanc & propagationem terræ nascentium, quæ fit per uim seminis, instituerit optimus ac prudentissimus creator. Primùm hanc naturam telluri dedit, ut initiò quidẽ herbas, & arbores, & fœnum, &c. absq; præmissa satione proferret, postea uerò accepta semina foueat, fingat, & in lucem quasi mater quædam pariat. Deinde seminibus hoc naturaliter & communiter omnibus indidit, ut à tellure accepta uitam concipiant, nascantur & crescant. Ista sic instituit, ut alterum sine altero planè sit inefficax. Etenim nisi tellus quasi quidam uterus naturalẽ hanc parturiendi uim accepisset, frustra illi quodcunq; & qualecunq; semen cõmitteretur. Rursus, nisi semina apta essent ad uiuificandum & crescendum, planè inefficax esset telluris uis & operatio. Itaq; neutri adscribendum est, quòd singulis annis uaria terræ nascentia in lucem excludi uidemus, sed omnis hæc uirtus uni est tribuenda creatori. Is aũt sic ista temperauit, ut nec terra sine semine, nec semen sine terra propagationi ac multiplicationi conducat. Quare uoluit ut utraq; coniungant̃, & quod neutri soli datũ est, uirtute coniunctionis per incrementum ab ipso exhibitum perficiatur. Nec cogitandũ est, esse ista sine singulari ratione ad hunc modum diuinitus dispositа. Nihil est ociosum, & sine magna sapientia, ac reb. humanis consulendi studio conditum à Deo. Quòd si id datum esset cuiuis semini, ut etiam extra telluris gremium quocunq; loco situm mox germinaret, non posset seruari in reliquos usus uitæ nostræ necessarios. Triticum mox corrumperetur, & usibus nostris inutile redderetur. Neq; enim in futurum recondi, & integrum seruari posset. Vbicunq; seruarentur semina, mox pro seminibus haberetur corruptio, & ex corruptione cuiusque generis parturitio. Rursus, si ea esset terræ natura, ut sicuti initio factum est, perpetuò quæuis sponte sua absque ulla satione progerminaret, nulla esset mortalibus laborandi & operandi ratio. Quare uoluit opifex ille & conditor omnium, ut labore humano colatur terra, paretur semen, iungantur commodè ac tempestiuè tellus & semina, quod nascitur cõtra bestias defendatur ac muniatur: & ubi maturuit, colligatur, condatur, & in usus necessarios conuertatur. Hoc negocium imposuit filijs hominum, non quòd sine nostra opera non possit amplius ac perpetuò, quod initio creationis potuit, sed quòd noluit nos esse ociosos: & præterea fidei nostræ conducit, ut in operibus ipsius exerceamur.

Ratio, quare Deo sic placuerit.

B Quartò, nec illud transeundum est, quod dicit, Iuxta genus suum. Sic constituit, ut nec herba, uel arbor, aliud quàm sui generis semen proferat: nec semen aliquod ubi telluris gremio cõmittitur, in aliud genus à suo diuersum crescendo ac progerminando degeneret, sed ut suo quælibet generi respondeant. Nõ probauit igitur, ut de quolibet nascatur quodlibet. Quare causam hanc sic attẽperauit, ut terra sit ueluti cõmunis omnium ex se nascentium mater: & quod accipit, fideliter reddat: nec mutet in illis uel genera, uel formas, uel naturæ uires, uel colorem, uel odorem. Sic itaque iussui Dei obediens, conseruat omnia, & reddit qualia accipit. Accipit triticum, reddit triticum cum fœnore. Accipit absynthium, reddit absynthium: accipit aconitum, reddit aconitum. Milium accipit, milium restituit. Eandem fidem seruat & arbo rib. tam myricæ uili ac minutæ, quàm cedris magnis ac sublimibus. Nihil tã est uel minutũ uel uile, quod non acceptum fideliter & seruato illius genere reddat. Nihil enim aliud facit, quàm quòd acceptum semen maternè cõplectitur, fouet, & in lucem paulatim parturit. Cæterũ qualitatem semini nõ confert, ut uel tale fit quale est, uel aliud ex alio fiat. Nec initio cum herbas & arbores frugiferas ac seminiferas iussu Dei produceret, generum diuersitatẽ operata est, sed illam conditor ipse primum pro sua prouidẽtia constituit, deinde unicuiq; semen ad conseruationẽ generis sui indidit. Et hanc seminibus naturam constantẽ & perpetuam dedit, ut unumquodq; ex illis origini suæ respõdeat, & è tellure nihil præter incrementum & alimoniam accipiat, seruatis omnib. generis sui qualitatibus. Hæc sunt quidẽ uulgaria, & omnib. nota: uerùm pauci sunt qui illa ritè obseruent, & sapientiam ac bonitatem conditoris considerent.

Non probauit Deus ut quodlibet è quolibet nasceretur.

Quæramus itaq; de ratione horũ, primùm quare Deus tam non solũ innumera, sed et incomprehensibiliter uaria cõdere, deinde unicuique suum genus secundum primam originẽ ad finem usq; conseruare uoluerit. Est quidẽ prima hæc ratio, quòd sic ipsi placuerit, uerùm nemo dubiter & hoc ipsum placitum eius, nec esse ociosum, nec alienum ab illius infinita bonitate & philanthropia. Dicam igitur, quid mihi hoc loco à pio homine considerari posse uideatur.

Qua ratione noluerit cõfundi genera terræ nascentium.

Primùm, quoniã indubitatum est, fecisse Deum omnia propter hominem, quem ad nominis sui gloriam & laudem condidit, consequens est, ut & hac in re cum gloriæ suæ rationem habuerit, tum cõmodis hominum consuluerit. Igitur, quod telluris fœcunditatem non sic instituit, ut unius tantum generis herbæ, & unius tantum generis duntaxat arbores producerentur, sed innumera esset diuersorum generum uarietas ad hoc factum est, ut diuitias gloriæ suæ mortalium oculis obijceret, quarum contemplatione potentiam, sapientiam ac bonitatẽ conditoris omnium agnoscerent. Deinde & humanis usibus non solum quatenus necessitas, quæ uaria est, requirit, sed & quatenus iucunditatis & solatij rationem concernit, consulere uoluit, non parcè ac tenuiter, sed pro gloria sua opulentè, copiosè, largiter: & modis non ijsdem, sed multifarijs: non abstrusis, sed expromptis & obuijs: non difficilibus, sed admodum facilibus: non quibusdam duntaxat, sed communiter omnibus: non uno tantum terrarum loco, sed passim per orbem uniuersum paratis & expositis. Hinc est tanta terræ nascentium copia, tanta uarietas, tantus

Quare tam multa genera plantarum & arborũ fieri uoluerit.

ſplendor colorum, tanta ſuauitas odorum, tanta utilitas fructuum, è quibus omnibus nihil prorſus eſt, A
quod nõ ſit commodis mortalium ſic deſtinatum, ut uel ad uictum, uel ad amictum, uel ad medicinam, uel ad iucunditatem & recreationem facere poſsit.

Quare unicuiq; ſuum genus ad finem uſque retineatur.

Deinde ſi quæramus, quare unicuiq; ex terræ naſcentibus genus ſuum ad finem uſq; mundi multiplicando ac propagando immotum ſeruari uoluerit, rurſus non debemus aliud cogitare, quàm factum id eſſe noſtro bono. Noluit fieri generum cõfuſionem, ſed unicuiq; herbæ, plantæ, arbori, ſuum genus, cum annexis qualitatibus conſtanter retineri. Alioqui, niſi eſſet hoc diuina & immota lege naturæ inditum, iam olim intolerabilem rerum omnium confuſionem habuiſſemus, non in terræ naſcentibus tantum, ſed & in beſtijs & hominibus: nec fieri poſſet, ut certum ac firmum rerum uſum obtineremus. Magnus eſt uſus tritici (ut gratia exempli dicam) magna cõmoditas, magna utilitas. Poſſumus proiecto in terram tritico, genus tritici ſingulis annis propagare, & neceſsitati noſtræ conſulere. Vnde eſt illa commoditas, & conſimiles aliæ, niſi ex eo, quòd ſingula terræ naſcentia perenni lege ſuum quodq; genus renaſcendo retinent? Alioqui, ſi ex tritico naſceretur non triticum, ſed aliud quiddam à genere tritici diuerſum, de quo neſciat agricola, & quod forſan uſibus humanis ſit incommodum, quis non uidet, quanta perturbatio, moleſtia & incõmoditas rebus ac neceſsitatibus noſtris ex ea naſceretur confuſione? Quoniam uerò certa & conſtanti lege ſingula generum ſuorum originẽ ſeruant, fit ut certis rationibus ſeminando & plantando quæ neceſſaria & cõmoda uidentur, ſingulis annis comparare liceat. Talis incommoditas etiam ex eo eſt, quòd reliquarum quoq; creaturarum naturam, certam, conſtantemq; ac perennem condidit: unde nobis cõſtat, quis ſit uſus ignis, quis aquarum, quis aeris, quis iumentorum, &c. quæ certitudo planè non eſſet, niſi hæc omnia ſuis quaſi legibus ſuam quæque naturam retinerent.

Quid ſibi prouidentia Dei retinuerit.

Illud tamen ſibi diuina prouidentia liberum retinuit, ut incrementum adijciat uel ſecus, & uel largiter adijciat, uel parcè: cõmuniter ubique, uel quibuſdam locis tantum, ſicut alibi dicit, Super unam ciuitatem pluam, ſuper aliam non pluam, ſinat ut quæ creſcunt matureſcant, uel immatura pereant. Genera quidẽ illorum non mutat, ſed talia retinet, qualia condidit initio (neque enim ex ſpinis producit uuas.) Verùm diſpenſationi ſuæ hoc reſeruauit, ut impertiat illa mortalibus pro ſua uoluntate: ne putemus omnẽ hunc rerum prouentum non debere nos ipſius prouidentiæ, ſed uel noſtro labori, uel uiribus naturæ.

Imago cõmunis bonitatis Dei.

Præterea habemus hic imaginẽ communis illius bonitatis Dei, qua ſine ulla diſcriminatione tam diuerſorum mortalium, ſolẽ ſuum producit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper gratos & ingratos. Sicut enim ſol iſte eſt omnib. idem, aura omnibus eadem, pluuia cũctis eadem, ſic & terra abſq; ullo diſcrimine omnibus ſe herbis, plantis & arboribus præſtat eandem. Non facit uaria plantarum genera, ſed accepta B
uaria ex æquo, & ſic nutrit, ut unicuiq; genus ſuum relinquat. Nec ea tantum fouet & parturit, quæ ex

Quid obſeruandũ ſit magiſtratibus.

ipſa ſponte naſcunt, ſed & aliunde inſerta. Planè mirum eſt, quod hic fieri uidemus. Verùm utinam hanc imaginẽ reſpublicæ illæ quæ de Chriſti cognitione gloriant, diligenter inſpiciant, & qualis tellus hæc omnibus eſt plantarum generibus, tales ſe præbeant ciuitatũ ſuarum incolis. Idem eſt omnibus ciuitatis locus, magiſtratus idem, forum idem, macellũ idem, eccleſia eadem, quamuis diuerſi ſint habitatores, quorum alij ſunt ciues, alij peregrini & aduenæ: alij uiri, alij mulieres: alij ſenes, alij paruuli: alij liberi, alij ſerui: alij diuites, alij pauperes: alij agrum colentes, alij artifices: alij nobiles & patricij, alij plebeij: alij ſani, alij ægroti. Hi omnes quantũuis diuerſi, quoniã in unam & eandẽ ciuitatẽ coierũt, par eſt, ut eadẽ quoq; magiſtratus, puidẽtia curent, quatenus ullo modo licito & honeſto fieri poteſt. Quare lõgè remoti ſunt ab hac D. bonitatis imagine magiſtratus illi qui perſonas accipiũt, & nõ æquã omnib. curã impendunt.

OPVS QVARTI DIEI.

Dixit aũt Deus, Fiant luminaria in firmamẽto cœli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos.

Vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factũ eſt ita.

Fecitq; Deus duo luminaria magna: luminare maius, ut præeſſet diei: & luminare minus, ut præeſſet nocti, & ſtellas.

Et poſuit ea in firmamento cœli, ut lucerent ſuper terram.

Et præeſſent diei ac nocti, & diuiderẽt lucẽ ac tenebras. Et uidit Deus quòd eſſet bonum.

Et factum eſt ueſpere & mane dies quartus.

LECTIO.

In uerſu 14. Græcus habet εἰς φαῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς: uerùm id in Hebræo non legitur.

EXPLANATIO.

Tranſitio.

Tria ſunt præcipua totius uniuerſi corpora à Deo condita: Cœlũ, mare, terra. Illa primũ ſic creauit, ut eſſent incõpoſita & cõfuſa: deinde per diuiſionẽ in ordinẽ redigere & expedire cœpit. Sic primũ extẽdit cœlum tanquã cortinam, deinde aquas diuiſit, & ſubcœleſtes in unũ locũ congregatas mare cõſtituit, tertiò terrã undis liberauit, liberatam omnis generis germinibus, herbis & arboribus ornauit. Et hæc ſunt tribus primis diebus in hunc modũ facta, & hactenus deducta. Iam conſequenter Moſes trium iſtorũ cor-

porum

A porum,cœli,maris & terræ ſupplementum inducit, quo tribus ſequentibus diebus deſtinatam ſunt perfectionem conſequuta. Ergo & dierum,quibus omnia ſunt perfecta, & ipſius ſimul operis dimidium hactenus expeditum eſt. Iam reſumitur opificium cœleſte,ac declaraſ,quomodo quarto ſit die perfectum.

Diuiſio contextus.

Dixit aũt Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli.] Totus huius quarti diei contextus tribus partibus comprehendiſ. Prima docetur,quid Deus fieri præceperit. Secũda, quod erat in genere in præcepto Dei poſitum,in narratione operis ſpecificatur. Tertia,ratio & uſus eorũ exprimiſ,quæ in hoc ſunt die à Deo condita. Ad primã pertinet quod dictũ eſt à Deo: Fiant luminaria in firmamẽto cœli. Erat firmamentum ſecundo die factũ,prorſus adhuc nudum,ornatu ac ſupplemento ſuo deſtitutũ. Neq; enim hic duntaxat uſus illius futurus erat,ut inter aquas & aquas diuideret (alioqui iam fuiſſet perfectum) ſed reſtabant adhuc alia. Erat illuſtrandũ & ornandum luminaribus. Id inſtituitur à Deo,cum dicit, Fiant luminaria in firmamẽto cœli.

Quid Deus fieri uoluerit.

Specificatio operis Dei.

Ad ſecundã referendũ eſt,quod dicit: *Fecitq; Deus duo luminaria magna,luminare maius & luminare minus,& ſtellas.* Erat generalius dictũ, Fiant luminaria in firmamẽto cœli: quare opus erat ſpecificatione. Huius gratia,non ſimpliciter dicit: Fecitq; Deus luminaria,& poſuit ea in firmamẽto cœli,ſed ut ipſa luminaria ſpecificet, Fecitq; Deus,inquit,duo luminaria magna,luminare maius,& luminare minus,et ſtellas. Duplici connotatione exprimit,de quibus luminaribus loquatur. Ad primã pertinet numerus binarius,ad alterã mentio quantitatis. Duo,inquit,luminaria,deinde magna. Ad quantitatis liquidiorẽ expreſsionẽ facit,quod dicit, Luminare maius,& luminare minus. In Hebræo quidẽ eſt, את המאור הגדל,id eſt,luminare maguum,& את המאור הקטן,id eſt,luminare paruum. Verùm ut ſignificet ſe de ſole & luna loqui,inducit iſtam utriuſq; collationẽ. Omnibus enim notum eſt,primum eſſe hæc duo luminaria magna: deinde lunam,ſi ſoli conferatur,eſſe paruam: paruam quantitate cùm corporis tum ſplendoris. Et huc illud pertinet quod in Hebræo notanter dicit, Luminare hoc maius, & luminare hoc minus: quaſi dicat,quæ perpetuò ob oculos noſtros uerſanſ, & omnibus ſunt notiſsima. Ad tertiam partẽ pertinet,quod cùm in uerbo tum in opere Dei rationẽ horum luminarium concernens ponitur,& ſingulari ſtudio inculcatur: uidelicet, *Et diuidant diem ac noctẽ,& ſint in ſigna,& tempora,& dies & annos. Vt luceant in firmamento cœli,& illuminent terrã. Item luminare maius,ut præeſſet diei: & luminare minus,ut præeſſet nocti. Et poſiut ea in firmamento cœli,ut lucerent ſuper terram. Et præeſſent diei ac nocti,& diuiderent lucem ac tenebras.* Cõmemoratur hiſce uerbis,ad quẽ uſum luminaria iſta,ſol,luna,& ſtellæ condita,& in firmamentum cœli relata ſint. Recenſentur autẽ talia quæ uſibus humanis deſeruiunt, & præterea nota ſunt omnibus totius orbis nationibus: utpote primùm, Et diuidant,inquit,diem ac noctem.

Ad quid ſint luminaria iſta condita.

B Item, Et diuiderent inter lucem ac tenebras. Quod in ſequentib. declaraſ: Et præeſſent,inquit,diei ac nocti. Et adhuc clarius: Luminare maius,ut præeſſet diei: & luminare minus,ut præeſſet nocti. Erant lux et tenebræ,dies & nox,iam antea ſtatim primo die diuiſæ. Quare non eſt intelligendum hoc loco, eſſe illas primùm per ſolem & lunam à ſe inuicem diuiſas: ſed hanc diuiſionẽ quæ luminaribus tribuiſ, nihil eſſe aliud,quàm ut ſol præſit diei,hoc eſt,curſum et opus ſuum interdiu: luna & ſtellæ præſint nocti,id eſt,curſum & opus ſuum noctu lucendo obeant: ſol diurnam lucẽ ſplendore ſuo augeat, luna & ſtellæ nocturnas tenebras luce ſua temperent. Hæc ſcilicet eſt מבדילה illa,quæ ſoli per diem,lunæ ac ſtellis per noctẽ deputata eſt. Et per hanc diuidunt inter diem ac noctem,lucem ac tenebras. Eſt enim ſolis curſus diei,lunæ ac ſtellarum noctis: ſic ut nec ſoli competat tempus nocturnum,nec lunæ ac ſtellis tempus diurnum. Neq; enim nocturna caligo ſolis ſplendorem,nec diurnã lucem luna ac ſtellæ ferre poſſunt,ſed per illam obſcurantur. Quare rectè ſoli dominium ac regnum quoddã diei, lunæ uerò ac ſtellis noctis principatus aſsignatur. Auguſt. legit, Et fecit Deus duo luminaria: luminare maius,initium diei: & luminare minus, initium noctis: inq; eo laborat,quomodo luna poſsit eſſe initium noctis,cum ſæpe media demum nocte & pòſt oriaſ. Ideo coactus hac ratione, Initium,inquit,principium eſt,& principium principatus. Si Hebræam uocem cõſuluiſſet,nec initium, nec principium legiſſet: ſed dominium,uel poteſtatem.

Diuiſio diei ac noctis.

Secundum eſt quod dicit, Et ſint in ſigna. Nemo cordatus ignorat, quantum utilitatis ſit ex ſignis cœli,ſi quis ea moderatè obſeruet. id quod & nautæ,& agricolæ,& uiatores faciunt,qui faciem cœli cognoſcunt,& inde uel de tempeſtatibus,uel ſerenitate,uel flatuum cõcitatione præmoneniſ. Sic legimus Mat. 6. Veſperi dicitis, Serenum erit: rubicundum eſt enim cœlum. Et mane dicitis, Hodie tempeſtas erit: rutilat enim triſte cœlum. Iſta colliguniſ ex qualitate ſolaris occaſus & ortus. Sic & luna obſeruaſ, qualis ſit decreſcendo,qualis accreſcendo,an nitida ac pura,uel rubicunda ac turbida, atq; inde de mutatiõe aeris diuinatur. Obſeruaniſ ſtellæ à nautis,et ſecundum illas curſus nauigationis noctu dirigiſ. Huiuſmodi ſigna in ſole,luna,& ſtellis,naturalem habent curſum & rationem, quamuis diuinitus reganiſ. Sunt autem & alia cœleſtium ſignorum genera,quibus uel in ſole,uel luna,uel ſtellis,uel in ipſo cœlo futuræ clades præmunciani. Et Chriſtus de illis præmonuit dicens, Erunt ſigna in ſole,& luna,& ſtellis. Horum obſeruatio fidei magis eſt quàm rationis & naturalis experiẽtiæ. Quare pauciſsimi ſunt,qui per illa ad uerã pœnitentiã permoueaniſ. Auguſtinus uerò ſuper Geneſ. ad literã lib. imperfect. ſigna hæc & tempora pro iiſdem accipit. Sic enim cap. 13. dicit: Videtur mihi hoc quod dixit, In ſignis, planum feciſſe illud quod ait, Et in temporibus,ne aliud acciperentur ſigna,& aliud tempora. Hæcille.

Luc. 12.

Tertium eſt,quod addit, Et in tẽpora. Nõ eſt hæc particula ſimpliciter intelligenda de tempore,quaſi ante creationem ſolis, lunæ, ac ſtellarum nõ fuerit tempus, cum triduum integrum unà cum ueſpera & mane,diebus ac noctibus præceſſerit,quod ſine tempore,& articulis temporis fieri nõ potuit: ſed intelligendæ ſunt hic certæ uiciſsitudines temporum: utpote,ueris,æſtatis,autumni,et hyemis,quorum perio-

dus cursu solari perficitur. Dauid psal. 104. uers. 19. particulam hanc lunæ tribuit, dicens, Fecit lunam לְמוֹעֲדִים, id est, propter tempora. Apparet ergo intellexisse illum de duodecim mensium tẽporibus, quæ lunari cursu censent. Sunt qui uocẽ מוֹעֲדִים exponant de festis legalibus: quo quidẽ sensu in lege accipit: uerùm ubi nõ ceremoniæ et ritus præscribunt, sed opera creationis, & usus rationesq; luminarium cœlestium toto terrarum orbe lucentium exponunt, impertinens uidet, ut de festis diebus, uni Iudæorum genti, post multa demum secula præscriptis, & haud adeò diu duraturis, ea exponamus, quæ & inde ab initio creationis usq; ad finẽ mundi suum habent effectum: & nõ uni tantum genti, sed uniuerso mortaliũ generi singulis annis omnũ manifestissimè seruiunt. Addit, Et dies & annos. Erat dies ante solẽ, sicut & nox ante lunã & stellas. Verùm sicuti nox nullis erat articulis, nullisq; astrorũ indicijs distincta, sed incõposita ac densa caligine pressa: ita & dies lucẽ habebat inarticulatã, ac nullis obseruabilibus indicijs graduum, horarum, ac meridiei, quæ per cursum solis ad usus nostros administrant, digestam ac signatã. Rectè ergo soli tribuitur, quòd diem non dico constituat, sed ordinet ac disponat. Non repugnarim autẽ, si quis hoc loco nõ artificiales, sed naturales dies: & non solis duntaxat, sed & lunæ ac stellarũ opus intelligat. Et annos, inquit. Anni spacium duodenario lunæ cursu, hoc est, 12. mensibus absoluitur. Et solaris annus est, quando sol ad terminum unde cœpit, circuitu suo reuertitur. A

Et dies et annos

Vt luceant super terram.

Quartum est, quod dicit, Vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram, quod Hebraicè est יִהְיוּ לִמְאוֹרֹת בִּרְקִיעַ הַשָּׁמַיִם לְהָאִיר עַל הָאָרֶץ, id est, & sint in luminaria in firmamento cœli, ad lucendum super terram. Et infrà, Et posuit ea in firmamento cœli, ut lucerent super terram. Hæc est quarta cõmoditas istorum luminarium, qua seruiunt usibus humanis lucẽ cœlitus administrando illis, qui terram hanc inhabitant. Sunt quidẽ in firmamento cœli, uerùm lucẽ suam non propter firmamentum, sed propter nos dispensant, cuius tanta est claritas, ut inde ab ipso cœlo ad sq; ullo tanti spacij impedimento, quæ in terra sunt illuminent. Sic sol interdiu operantib. lumen suum administrat, & luna cum stellis noctu. Quanta uerò sit lucis cùm utilitas tum iucunditas, nemo ignorat, nisi quibus negata est uidendi facultas. Itaq; hæc quatuor, diuisio uidelicet diei ac noctis, lucis ac tenebrarum, principatus solis in die, principatus lunæ in nocte. Deinde, officium signandi: tertiò tẽpora, dies & annos cõstituendi: quartò, terram hanc & quæ in ea sunt illuminandi, rationem & usum luminarium istorum solis, lunæ ac stellarum continent. Sunt dubio procul & alia multa, quæ hic cogitari possunt, uerùm studium Mosis est ea memorare, quæ & notiora sunt, & cum fructu pietatis ad cognoscendam prouidẽtiæ Dei bonitatem considerari queunt. Illa, Et uidit Deus quòd esset bonum. Et factum est uespere & mane dies quartus, suprà sunt in præcedentibus exposita. B

QVAESTIONES.

Quæstio prima.

Fiant luminaria in firmamento cœli.] Primùm quæritur hoc loco, quare solis lumen ordinatum ad hoc sit, ut super terrã luceat, cum ante illum creata lux esset: quæ utiq; ad hoc erat creata, ut luceret, & diem claritate sua constitueret, ut uideri possit hanc solis facturam nulla esse necessitate inductã. Respondent hic quidam, primogenitam lucem non fuisse ad hoc cõstitutam, ut super terram luceret, sed usum illius extitisse ad illuminandum superna, deinde per firmamentũ cœli fuisse eam rebus inferioribus ademptam. Atq; eam ob causam necessarium fuisse, ut luminaria ista conderent, & in firmamẽto ad illuminandum terram locarent. Et hinc etiam colligunt, hoc primùm die terrã hanc fuisse illustratam luce, qua præcedenti caruerit. Et Magister Sentent. lib. 2 distinct. 14. sic sensisse uidetur. Dicit etenim de luminaribus istis ad hunc modum: Quæ ideo facta sunt, ut per ea illustrẽt inferior pars, ne esset habitantibus tenebrosa. Hæc ille. Basilius sic respondet, Naturam lucis esse primo die conditã, corpus uerò solis hoc esse quarto die inductũ, ut illius esset uehiculum. Sentit uir ille, non esse lucem primogenitam à sole hoc diuisam, sed perinde illi unitam, sicuti ignis coniunctus est lychno. Lychnus nõ est ignis, sed ad hoc factus est, ut ignem in se recipiat, per quem non solũ ardeat ipse, sed & alios illuminet. Sic sentit & solis corpus non esse per se lucem, sed per lucem accensum & illustratum, ut illam circuitu suo toti orbi administret. Nec abludit hæc sententia à uoce מָאוֹר, quæ non lumen, sed luminare, id est, instrumentum luminis significat. Luminare est quod lumine aliunde accepto accensum, uim habet administrandæ lucis. Sunt autẽ duo luminarium genera. Vnum eorum quæ diuina sunt operatiõe constituta, ut sol, luna, stellæ, quibus cõsimilia sunt ea luminaria, quorũ Apostolus Philip. secundo mentionem facit, ubi fideles uocat luminaria in hoc mundo, in medio prauæ nationis lucentia: qui sanè & ipsi non sunt lux per se, sed quam lucem habent, aliunde, nimirum à Deo, acceperunt. Alterum genus eorum est, quæ humanitus fiunt, in quibus sanè euidentissimum est, aliud esse lumen, & aliud corpus illuminatum, & igne accensum, ut usum luminis administret. Ad hunc itaq; modum sentit Basilius de sole, luna & stellis, tanquã de rebus compositis, quæ in essentiam propriam, & qualitatem accidentem diuidi solent, sicuti constat de corpore dealbato, in quo aliud est essentia corporis, & aliud albedo, quæ accessit. Adijcit huius rei experimentum in decremento lunæ, ubi omnium oculis corpus lunæ luce sua nonnihil destitutũ obijcitur. In sole quoq; eandem esse rationem, ipsa illius deliquia testari uidentur. Alij sentiunt solem sic esse conditũ, ut primogenitam lucem, hoc est, diem, non reciperet in se, sicuti lychnus ignem quo accenditur, sed splendore suo de nouo & integro seorsum creato lucem primo die factam illustriorem redderet: qua de re & suprà in opere primi diei memini.

Quæstio secũda

Deinde quærũt aliqui, fuerit ne lux illa primogenita splendore solis clarior uel obscurior. Hic sentiunt alij, fuisse illam multo obscuriorem & inferiorem, quàm sit lux solis. Addunt rationem, quòd

hæc

A hæc ſit creationis ſeries, ut quod imperfectũ eſt, ducaĩ ad perfectionẽ, & abſolutũ reddaĩ. Sic accidiſſe dicunt & priori luci: fuiſſe illam minus perfectã, ideoq; perfectionẽ ſuam quarto die per acceſsionẽ ſolaris accepiſſe ſplendoris. Rurſus alij ex Rabb. Iudæorũ, exiſtimant primã lucẽ multis fuiſſe partib. ſole clariorẽ. Et addunt, exiguam illius portiunculã relatã eſſe in luminaria iſta ſolẽ, lunã, ac ſtellas, & reliquum illius corpus ad hoc à Deo reſeruatũ in ſupernis, ut illo natio iuſtorũ in futuro ſeculo fruaĩ. Ad iſta quid dicimus? Sic permittit ſibi ingenium humanũ, ut nõ ſolũ curioſe de rebus ad nos non pertinentib. quærat, ſed & temerè quiduis ſtatuat ac pronunciet. Quod me attinet, ſingularis gratiæ Dei loco duxerim, ſi cui datum ſit ab huiuſmodi quæſtionibus animum habere ſecurum, & interea ſerioribus ac certioribus attentum. Nam ita habet naturæ noſtræ corruptio, ut perpetuò magis delectemur non neceſſarijs, quàm neceſſarijs, & procliuiores ſimus ad quærendum de abſtruſis, quàm ad bene utẽdum manifeſtis ac certis.

In firmamento cœli.] Quærunt hic, quid ſibi uelit, quod dicit, In firmamento cœli: id quod non ſemel tantum, ſed tertiò facit, cum poſſet ſimpliciter dicere, uel in firmamẽto, uel, in cœlo: niſi ratio aliqua ſubeſſet, propter quam ad hunc modum loqui uoluerit. Reſpondent hic alij, uocem cœli per expoſitionem eſſe adiectam, ac legendum, In firmamento cœlo: non, In firmamento cœli: quaſi dixerit, in firmamẽto, quod cœlum eſt. Alij dicunt, ſic loquutũ eſſe & Deum & Moſen, ad ſignificandum, firmamentũ hoc, cui indita ſunt luminaria, non eſſe uerum cœlum, ſed id quod uero cœlo ſubeſt, ut quod dictum eſt, In firmamento cœli, idem ſit, atq; in firmamento, quod cœlo eſt proximè ſubiectum. Et ad ſententiæ huius confirmationem locum ex Ennio citant. Verùm ſi ſecundum Hebrææ uocis ſignificationẽ legeretur, non in firmamento cœli, ſed, In expanſo cœli, uel, In expanſo cœlo, nulla eſſet ratio quæſtionẽ hanc mouẽdi. Quis enim adeò ſtupidus eſt, qui nõ intelligat ex præcedentibus, quæ ſit duarum iſtarum uocum ſignificatio, & quàm non ad diuerſos cœlos, ſed unum illud quod ſecundo die expanſum eſt, referri debeant? Si dixerit aliquis, Fecit Deus grandes cetos, & poſuit eos in מקוה הים, id eſt, in congregationẽ maris, admodum ſanè ridiculus eſſet, qui per congregationem aliud, & per mare aliud pelagus intelligeret, & utramq; uocem non ad unum mare referre uellet. Planè conſimilis eſt & præſentis loci ſententia.

Et diuidant diem ac noctem. Item, Et diuiderent lucem ac tenebras.] Quæritur hoc loco quomodo luminaria iſta ob id ſint in firmamentũ relata, ut inter diem ac noctem, lucem ac tenebras diuidant, cum ea diuiſio ſtatim primo ſit die à Deo facta. Reſpondendũ hic eſt, geminum eſſe diuiſionis modũ. Vnum, quo res à ſe inuicem diuidũtur. Alterum, quo in poteſtatem diuerſorũ ſic tranſeunt, ut in illorum ius & uſum cedendo diuidantur, ac pars uni, pars alteri cedat. Ad priorem modũ pertinet ea diuiſio, quæ primo die
B à Deo eſt facta, per quam à ſe inuicem diuiſæ ſunt lux ac tenebræ, dies et nox. Ad poſteriorẽ referendum eſt, quod hic de luminarib. iſtis cõmemoratur. Nam illa non ſimpliciter diem ac noctem à ſe inuicẽ diſcernunt, ſed illas ſic diuidunt, ut magis eas inter ſe partiantur, quàm à ſe inuicem diuidant. Et hanc ſententiam Auguſtinus quoq; lib. 1. ſuper Geneſ. contra Manichæos cap. 14. ſic expreſsit: Sic igitur, inquit, dictũ eſt hic, Diuidant inter diem ac noctẽ: tanquã ſi diceret, Sic inter ſe diuidant diem ac noctẽ, ut ſoli dies detur, nox aũt lunæ & ſideribus exteris: quæ duo iam diuiſa erant, ſed nondum inter ſidera: ut iam certum eſſet de ſiderum numero, quid per diem, & quid per noctem appareret hominibus. Hæc ille.

Fecitq; Deus duo luminaria magna.] Quærunt hoc loco, quomodo luminaria iſta, ſol uidelicet & luna, magna dicantur. Dicitur enim magnum aliquid dupliciter. Primũ ſimpliciter & abſolutè, ut cum terra magna dicitur. Deinde per collationẽ, ut cum aliquid ex multis eiuſdem generis iudiuiduis propter ſingularẽ eminentiam collatione illorũ magnũ dicitur, ut cum ſtellã magnã, equũ magnum dicimus. Itaq; interrogant hic utro modo luminaria hæc magna uocẽtur. Baſilius cenſet illa magna dici non reſpectu reliquorũ aſtrorũ, ſed ſimpliciter & abſolutè, propter eximiã amplitudinẽ. Sunt qui ſolẽ centies ac ſeptuagies terram magnitudine excellere dicant. Hebræorũ aliqui ſolẽ ſex mille & octingentis uicib. luna maiorem eſſe tradiderunt. Meo iudicio dicuntur iſta non ſine grandi temeritate. Illud tamen per experientiã conſtat, eſſe tantam ſolis ac lunæ magnitudinẽ, ut ſplendor illorũ cœlũ, aerẽ, terrã uniuerſam, & mare illuſtret, cunctaq; cõplectatur, & corpora illorum perpetuò æquali magnitudine ab omnib. quocunq; terrarum loco conſtitutis uideantur. Quare haud præter rationem Baſilius illa non per collationẽ, ſed ſimpliciter propter immenſam orbium ipſorum amplitudinem magna dici iudicauit.

Et poſuit ea in firmamento cœli.] Quæritur hic à nonnullis, quomodo dicat Moſes, poſuiſſe Deum luminaria in firmamẽto cœli, poſtquam illa feciſſet, cum illum antea dicentem induxerit: Fiant luminaria in firmamento cœli, uideaturq; ex illis uerbis facta eſſe luminaria in ipſo firmamentò, & non extra alio quodam loco primùm facta, ac tum demum in firmamentum relata. Ad hanc quæſtionẽ bifariam reſpondetur. Primùm ſunt qui ſentiant Deum luminaria iſta & faciendo poſuiſſe, & ponendo feciſſe, eodem uidelicet opere, non diuiſo ac ſeparato. Sic Auguſtinus dicit, aliud eſſe apud homines facere quicquam, & in locum certum quod factum eſt ponere: apud Deum uerò nequaquam, cui idem ſit facere ac ponere, eo quòd faciendo ponat, & ponendo faciat. Qui ſic ſentiunt, reſpiciunt ad abſolutam potẽtiam Dei qua in puncto temporis uerbi illius impletur iuſsio, ſiquidem iſta ſtatuerit. Deinde nituntur uerbis illis Dei, Fiant luminaria in firmamento cœli, quæ ſic intelligunt dicta, ut iuſſa ſint luminaria iſta nõ ſolum eſſe, ſed & fieri in ipſo firmamento. Deinde, ſunt qui diuerſum ſentientes, contendant eſſe hæc luminaria primùm extra firmamentum alicubi fabricata, ac poſtea cum facta eſſent, in eum locum ubi nunc apparent illata. Baſilius in homilia de Paradiſo ſic dicit: Quemadmodum & luminaria ſeorſim fecit Deus, & poſtea in firmamento locauit: ſic & hominem puluerem quidem finxit è terra, poſuit autẽ

in paradisum. Addunt etiam quidã, facta esse illa in rebus istis inferioribus: eiusq; rei argumentũ ex spis- A
situdine illorũ sumi posse putant. Ad hanc sententiã permouentur ex eo quòd Moses operis huius descri
ptionẽ sic ordinauit, ut appareat Deũ non subitis momentis, sed morarũ interuallis ac paulatim statuisse
primũ, deinde fecisse, tertiò facta luminaria firmamento importasse. Sentiunt enim non congruere sim-
plicitati spiritus, ut res gestæ aliter describant, quàm sunt gestæ: sed hoc magis cẽpetere, ut omnia simpli
citer & distinctè ut gesta sunt, narrent. Si cui ista sententia placuerit, legat illud יהי מארת ברקיע, nõ sic,
Fiant luminaria: sed, Sint luminaria in firmamento cœli: quæ lectio nõ minus consona est Hebraæ uoci,
יהי, quàm qua legimus, Fiant luminaria. Augustinus tamen dissentiens manifestè dicit, Deũ nõ fecisse
sicuti solent homines, sed ista sic narrari, quemadmodum hominib. ista narrari possunt. Et reuera hic est
mos scripturæ, ut sese captui humano loquutionib. humanis attemperet. Inde tamẽ, meo iudicio, nõ po-
test certò detetminari modus aliquis, quo Deus opera sua perfecerit. Quare modestia opus est in talibus,
ne quicquã temerè statuamus, quod nec certa ratione, nec manifestis S. scripturæ locis confirmari potest.

OBSERVATIO I.

Quare luci primogenitæ adiecta sint luminaria.

Fiant luminaria.] Cogitandũ hic est de consilio Dei, quo nõ contentus luce illa, quam primo die para-
uerat, uoluit etiã fieri luminaria מארת, instrumenta uidelicet, quib. lux iam antea parata, in usus huma-
nos administraretur. Poterat eam in posterũ quoq; ad finem usq; mundi eo modo dispensare, quo triduo
præterito fecerat, ut esset dies & nox, uespera & mane. Verùm placuit ipsi facere instrumenta lucis hu-
ius, quæ illam partitis inter se uicibus orbi uniuerso noctes ac dies administrarent, cursumq; suũ in ocu-
lis nostris perficerẽt, & claritatẽ lucis huius in ipsis orbibus suis multo splendidius quàm in illius dispersione & effusione relucentẽ ipso aspectu cunctorũ oculis ingererent. Quare admonemur, quoties lumi-
naria ista cernimus, quæ sit conditoris omniũ prouidentia qua rebus humanis & noctu & interdiu lumi

Dẽ luminaribus æternæ lucis.

narium horum directione consulitur. Consimili planè modo placuit sapientiss. Deo non solum ocu-
lorum nostrorũ, sed & mentium illuminatori, ut lux illa ueritatis Christi ac uerbi sui, iam olim ad salutẽ
electorũ parata, per luminaria quædã toti orbi administraret. Erant illa Apostoli, quos Christus Matt. 5.
eam ob causam lucẽ mundi uocauit, quòd essent ab ipso in eũ usum electi, & cœlesti luce accensi, ut mun
dum doctrina Euangelij & cursus sui splendore illuminarent. Non erant ipsa lux, sed luminaria, hoc est,
ueræ lucis instrumenta. Quare iussit etiã, ut in totũ orbem, more solis, excurrerent, & lucẽ ueritatis de re-
gno Dei, & redemptione generis humani cunctis docendo ac prædicando administrarent. Deinde qui
per ista luminaria luce ueritatis sunt illuminati, quid aliud sunt, quàm stellæ quædã in medijs huius mun
di tenebris lucẽres, quos & Apostolus luminaria in medio nationis prauæ lucentia uocat, Philip. 2. secũdo. B

Idem qui lucẽ fecit, fecit & luminaria.

Simul & illud obseruandũ est. Idem qui lucẽ primò fecit, postea fecit & luminaria, lucis instrumenta.
Id operis igitur, etiam quod Euangelicæ lucis instrumenta concernit, non est humanæ uirtutis, sed pror
sus diuinæ. Nisi author ueritatis, ueritatis instrumenta & ministros ipse faciat, & Ecclesiæ suæ præponat
Apostolos, Doctores, Pastores, &c. quid aliud expectabimus quàm tenebraria pro luminaribus, & pro
luce ueritatis densissimam omnis generis errorum & seductionum caliginem?

Terra ante solẽ fœcunda.

Præterea & illud obseruauerũt ueteres, quòd antequã sol conderet, & in firmamẽto collocaretur, terra
iam uirtute uerbi Dei herbas protulerat, & arbores. Vnde argumentũ datur, non esse soli adscribendam
telluris fertilitatẽ, sed efficaciæ uerbi Dei. Negandũ quidem non est, magnã esse soli facultatẽ ad hoc, ut
quæ terra, pfert, in gremio illius cõfoueant, & in lucẽ, pducant, & crescẽdo maturescant: nec maturescant
modò, sed & uires acquirant aliquanto efficaciores, & reb. humanis accõmodatiores. Verũ ea uis & ope
ratio soli inest, tanquã omnia operãtis uerbi Dei instrumẽto. Vis hæc tribuẽda est opifici, nõ instrumẽto.

Sol non est origo lucis.

Huc pertinet illud, quòd non ante lucem sol, sed lux ante solẽ est condita. Quare magnus eorũ error
est, qui solem perinde uenerati sunt, ac si esset origo lucis. Quo sanè errore decepti multi, arbitrati sunt so-
lem & lunam esse deos, ac rectores orbis terrarum, quos splendor & operatio utriusque ad hunc errorẽ
incautos & scientia Dei destitutos induxit. Quapropter diligẽter obseruanda sunt ista. Primùm esse illa
facta à Deo. Deinde esse מארת luminaria & instrumenta lucis, non lux ipsa. Tertiò, esse non solũ post
lucem, sed & post terræ nascentia condita.

OBSERVATIO II.

Quare sol & luna in firmamentum sint relata.

In firmamento cœli.] Considerandum hic est, qua ratione Deus luminaria solis & lunæ in firmamen
tum cœli sursum & quomodo retulerit. Condidit quidẽ illa in usus nostros, & omniũ eorũ, quæ sub cœ-
lo uiuunt: uerùm noluit ut essent eo loco, ad quem humana uel industria uel facultas pertingere posset.
Noluit, inquã, illa nostræ esse potestati obnoxia. Alioqui usus illorũ iam olim in occasionẽ, uel quæstus,
uel tyrannidis cessisset: nec supereset de illo quicquam uulgi hominibus, nisi quatenus arbitrio poten-
tiorum permitteret. Sicut enim ubi uolunt, interdicunt aqua & igni, sic planè & usum luminariũ istorum
pro libidine sua quibus uellent adimerent. Quare optimè factũ est, quod in firmamentũ sunt locata, quo
nullus hominis potestas aspirare poterit, & per cõmunem illam bonitatem Dei dispensanti, qui personas
non accipit, sed usurã diurnæ lucis, & nocturnorũ luminariũ, quibusuis sine ullo discrimine permittit.

Qua cõmoditate luminaria sint in sublimitatem firmamenti sublata.

Deinde quod attinet firmamenti sublimitatem cogitandum est, quanta commoditate sic sint à nobis
ista luminaria in sublime sublata, ut nec calore suo sol, quem uehementissimum emittit, cuncta exurat,
nec frigiditate sua luna plus nocumenti quàm utilitatis adferat, sed hæc illorum incõmoda propter fir-
mamenti sublimitatem excludantur, et interea competenti admensuratione necessarius tam lucis quàm
aloris ac frigoris usus omnibus sub cœlo existentibus subministretur. Quo & illud facit, quòd totum

hoc

A hoc cœli expansum sic est luminaribus istis occupatum, ut orbi uniuerso lucem illorum demittere possit. Neq; enim ulla uspiam regio est, quæ illi non sit subiecta, & in quam sese splendor luminarium uniuersum illius circulum percurrentium non effundat.

OBSERVATIO III.

Et diuidant diem ac noctem.] Quod luminaribus istis post primam diei ac noctis diuisionem certis & articulatis diuisionis ordo tribuitur, argumento est, uoluisse Deum diei ac noctis discrimen clarissimis indicijs omnibus esse manifestissimũ, & obseruatu facilimũ, quo tam bestiæ quàm homines utriusq; cùm diei tum noctis usurã necessitatibus suis quàm cõmodissimè accõmodare ualeant. Est quidem utriusque magna differentia, qua nõ specie solũ, sed & natura & operationibus à se inuicem uariant. Verùm iuxtà magnum etiam earum rerum discrimen est, quas uitæ nostræ conditio necessariò requirit, è quibus aliæ luce, aliæ tenebris, aliæ caloris fomentis, aliæ refrigeratione opus habent. Harum diuersitati omniũ prudentissimè accõmodata est ista diei ac noctis diuisio. Quare prudentis hominis est, ac diuinæ sese prouidentiæ pariter ac suis ipsius necessitatib. attemperantis, uitam suam diuisioni huic accõmodare, cauereq; summo studio, ne noctem uertat in diem, & diem in noctem. *De diuisiõe diei ac noctis.*

Habemus & Christiani hic quod cogitemus. Sumus filij lucis, per lucẽ Euangelij, tam eximijs luminaribus orbi administratã ad hanc gratiam ac dignitatem perducti. Conuenit igitur nobis cum primis, ut diei ac noctis discrimina obseruemus, hoc est, ut inter ueritatẽ & mendaciũ, regnum Christi, & regnũ sataneæ diuidamus, nec unquã obliuiscamur, uersari nos, quod attinet cognitam ueritatem, in die, quo secundum decorũ diei honestè ambulemus: quod uerò infideliũ & filiorũ huius seculi conuictum cõcernit, in nocte ac denssissimis tenebris, quo in morem stellarum non tenebricosi cum tenebricosis, sed clara pietatis luce conspicui, & uocationis nostræ dignitatẽ ornemus, & mundi huius tenebras arguamus. *Quomodo Christiani inter lucẽ ac tenebras discernere debeamus.* Rom. 13. Vide Ephes. 5.

Quemadmodũ ante luminaria ista diuisæ erant à se inuicem dies & nox, lux & tenebræ, ita & ueritas & mendacium, fides & incredulitas, pietas & impietas, iustitia & iniustitia, regnũ Christi, & regnum sataneæ, antequã essent Euangelica luminaria à Christo producta, & nos è medijs tenebris ad lucem hanc uocati, à se inuicem essentiæ ac qualitatis suæ diuersitate diuisa sunt & discreta. Itaq; sicuti per hæc luminaria in firmamento cœli collocata dies & nox, lux & caligo, mox initio à se inuicem diuisæ, magis ac liquidius diuiduntur, ita conuenit & nobis, ut inter ueritatem & mendacium, fidem & incredulitatem, pietatem & impietatem, regnum Christi & regnum sataneæ, alioqui à se inuicẽ separata, luce fidei & pieratis ac conuersationis sobrietate & honestate diuidamus: hoc est, cunctis manifestum faciamus, quantũ
B sit discriminis inter Christianos & non Christianos, inter Christianã fidem ac religionẽ, & quorumcũq; infidelium uel etiam pseudochristianorum errores, superstitionem & falsos cultus, deniq; inter uitã piorum & impiorum.

OBSERVATIO IIII.

Et sint in signa.] Considerandum hic est, quis sit signorum usus. Signum אות Hebræis ex eo dictũ est, quòd aliud quippiam in mentem nostram uenire facit, ab eo quod oculis cernitur, uel alijs corporeis sensibus percipitur. Cohærẽt enim ista, signum, & id quod signatur. Signum esse non potest, nisi sit aliquid, quod signet, deq; eo nos admoneat. Iam cum luminaria ista posita sint in eum usum, ut sint signa: idq; nõ angelis, nec rebus uel inanimatis, uel ratione destitutis, sed hominibus sub hoc cœlo uiuentibus, quis non uidet, nolle Deum nos more bestiarum sic uiuere, ut ignari simus eorũ quæ nobis uel cõmodare uel incõmodare possunt? Mundum hunc ipse gubernat, & uel pro bonitate sua cuncta nostris cõmodis accommodat, uel secundum iustitiæ rationẽ in peccantes animaduertit. Harum rerum indicia, cùm naturalia, tum miraculosa & insolita oculis nostris eo consilio proponit, ut admoniti quæ utilia sunt, grato animo usurpemus in tempore: quæ uerò incõmodi quicquam minantur, per resipiscentiam præcaueamus. Neq; enim sic est saluti nostræ inimicus, ut nõ præmonitos plaga improuisa ac subita obruat & perdat. Quare etiam hac in re agnoscenda est φιλανθρωπια illa prouidentia Dei, qua omnia sunt non solum mirabiliter & magnificè, sed & utiliter, & nostro bono condita ac disposita. *Quis sit usus signorum.*

Huc & illud accedit, quòd non res aliquas obscuras, abstrusas, humiles et inobseruabiles, sed omnium illustrissimas, sublimissimas & manifestissimas in signa posuit. Atq; hoc ad naturam & usum signorum requiritur, ut sint manifesta & perspicua, quo rerum non apparentium indicia spectantium oculis obijcere possint. Quæ manifesta sunt, nullis signis opus habent, quorum indicio in cognitionem nostram ueniant. Ergo rerum obscurarum, & non apparentium hæc est conditio, ut significentur, & indicijs signorum manifestẽt. Quare opus est, ut signa lucẽ suam habeant, sintq; res perspicuæ ac manifestæ. Alioqui fieri non poterit, ut quod obscurum est, per obscurum manifestetur & illustretur. *Ratio signorum requirit, ut sint manifesta.*

Deinde notandum etiam hoc loco est, quanta sit uis & lux ueritatis, ad redarguendum eos, qui testimonio ipsius ad cõprobãda quæ falsa sunt abutunt. Astrologi & Genethliaci, qui omnem nostram uitam, quamcunq; sortẽ, quosuis rerũ humanarũ euentus, prosperos & aduersos à motionibus, impressionibus ac cõiunctionib. cœlestiũ corporũ, luminariũ & astrorũ pendere cõtendunt, hunc locũ, p stabiliẽdo errore suo citant, & ex eo quod dicit, Et sint in signa, cõuinci posse putant, inesse astris uim fati ac necessitatis, qua cũcta inferiora, nõ solũ corpora, sed & mẽtes disponant ac dirigant. Et hasce nugas, eousq; intendũt homines impij, ut nõ solũ corrupti humani generis salutẽ et fortunas, affectus, ingenia & mores, uitia & uirtutes, uitã & mortẽ, sed & Christũ ipsum cœli, terræ, maris, & omniũ astrorũ dñm, constellationib. suis, hoc est, astrorũ cõiunctionib. & impressionib. subijciant. Sic reperti sunt qui passionẽ Christi, qua redempti sumus, stellarũ coniunctioni, quarũ necessitati subiectus fuerit, tribuere ausi sint. Et hæc *Quãta sit lux et uis ueritatis, ad redarguendum falsarios.*

impia naſcuntur ſub Pontificibus aſtrologis & aſtrologiæ, damnatæ illius ſcientiæ, imò ſtultitiæ, patro- A
nis & ſectatoribus. Verum ipſa hæc uerba. Et ſunt in ſigna, manifeſtiſsimè errorem iſtum redarguunt, dum oſtendunt nõ eſſe luminariũ iſtorum uſum alium, quàm ſignificandi unà cum ijs quæ ſequuntur: quorum nihil eò rapi poteſt, ut uim fatandi ac neceſsitandi, ſicuti loquuntur, aſtris tribuat. Eſt aũt aliud, ſignificare quid futurũ ſit: & aliud, uim ac neceſsitatẽ aliquid gerendi cuipiam inferre: imò ipſa ratio ſignorum iſtorum opinioni huic planè aduerſatur. Vt quid enim ſigna proponuntur, ubi nõ eſt ratio, res noſtras ad iudicia illorum diſponendi, ſed neceſsitas infertur uim fatalem perferendi? Præterea, ſi uerum eſt quod iſti tradunt, planè uanum eſt, quod Deus per Hieremiam cap. 10. dicit: A ſignis cœli nolite uobis metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum uanæ ſunt. Etenim quomodo timẽda nõ eſſent ſigna iſta cœli, ſi omnia noſtra cõmoda & incõmoda, & omnes uitæ noſtræ euentus ab illorum ui ac neceſsitate penderent?

OBSERVATIO V.

De firmitudine, & certitudine tẽporum.

Et in tempora.] Siue de quatuor anni partibus uere, æſtate, autumno, & hyeme, ſiue de menſtruis temporibus præſentem particulam intelligamus, obſeruandũ hic eſt, quòd non dicit לעתות, id eſt, in tempora ſimpliciter, ſed למועדים, id eſt, in certa ac ſtata tempora. Qua in re admonemur non ſolum de firmitudine temporũ iſtorũ, qua in hodiernũ uſq; diem ſingulis annis uices ſuas ordine immoto obeunt, ſed & de cõſilio Dei, quo certitudine hac ac firmitate temporũ cõmodis noſtris conſulere uoluit. Nihil enim reb. noſtris cõmodius eſſe poterit, ordine certo ac firmo, earũ maximè rerũ, quæ uſibus noſtris neceſſariò ſunt accõmodatæ, quales ſunt curſus lunares, & quatuor illæ anni partes, & aliæ conſimiles. Quare cum conſtitueret Deus, nolle ſe poſthac amplius omnem animam uiuentem percutere, ſicuti per diluuiũ fecerat, & hoc adiecit, dicens: Cunctis diebus terræ, ſementis & meſsis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent. Infrà cap. 8. Igitur quoniam tempora illa curſum ſuum & perpetuũ & certum retinent, & conſtanter מועדים exiſtunt, fit ut quæ pro rerum uarietate in ſingulis gerenda ſunt, ordine ac competenti diſtributione diſponi ac inſtitui queant. Sunt quæ uerno tempori conueniunt: in illius aduentũ certò deſtinari poſſunt. quod fieri non iceret, niſi fixum ac certum ſciremus eſſe illius curſum. Sic & aliorum comparata eſt conditio. De illo cogitarunt & admonuerunt alij quoq;, quàm ſit uitæ noſtræ conducibile, ut actorũ quiſq; ſuorũ מועדים, id eſt, certa tempora conſtituat, quibus ordine competenti uices rerũ ſuarum ipſe diſponat. Non eſt tamen probanda eorum ſuperſtitio, qui temporũ diſcrimini neſcio quas uirtutes aſsignant: idq; non in prophanis ſolum, ſed & fidei ac religionis noſtræ negotijs. Diſtribuunt certis temporibus neſcio quam ſanctimoniam, quæ in conſpectu Dei locum habeat. Temporis diſcernendi ratio, non eſt à Deo niſi noſtræ cõmoditatis gratia inſtituta. Extra tempus B
omne conſtituta eſt diuina natura. Quicquid temporarium eſt, ſiue illud cõmunem ſiue ſpecialẽ, ſiue certam ſiue incertam rationem habeat, non ad cœleſtes eſt, ſed terrenos calculos referendum: nõ diuinæ, ſed humanæ naturæ accõmodandum. Hactenus ſanctum eſt tempus omne, quatenus ſanctis actibus accommodatur. Conſimiliter & de locorum eſt diuerſitatibus iudicandum.

Conducibile eſt, ut actorũ quiſq; ſuorũ מועדים conſtituat.

OBSERVATIO VI.

Omnem noſtram uitam certis temporum gradibus diſtinxit Deus.
Curſus uitæ noſtræ tranſitorius eſt.
Coniunctio diei, & anni.

Et dies & annos.] Ergo non ſolum quatuor anni partes, & menſtrua uolumina, ſed & diurni tẽporis ſpacium per luminarium iſtorum curſum certo ordini ſubiecit, & obſeruabile reddidit. Vſqueadeò uidelicet omnem noſtram uitam certis temporũ gradibus diſtinxit, nec paſſus eſt, ut confuſioni ſit obnoxia. Itaq; præter reliquam cõmoditatẽ, quæ ex hac temporũ, dierũ & annorũ connotatione in uſus noſtros cedit, etiam illud accedit, quòd uicibus iſtis ac mutationibus dierũ, menſium & annorum admonemur, eſſe curſum uitæ noſtræ tranſitorium & caducum. Tantũ enim temporis de numero illius quotidie deteritur, quantum diei curſu abſumitur. Et pulchrè dies & annos coniunxit. Sunt enim dies quaſi quidã orbiculi, quibus annus abſoluitur, & ad principium unde cœpit reuoluitur, inq; nouum ac ſuccedentem mutatur. unde & Hebræus שנה dictus eſt: quæ uox mutationis & alterationis ſignificationem habet. Quare ſinguli dies de labili ac tranſitorio anni tempore admonent, quo uitæ noſtræ rationẽ habeamus, & temporis noſtri curſum rectè diſponamus ac dirigamus, nedum dies ducimus inertes, totius anni periodũ uani & ignaui abſoluamus.

OBSERVATIO VII.

Luminaria ſũt in cœlo, & lucẽt ſuper terram.
Nobis miniſtrant luminaria in cœlo exiſtentia.

Vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.] Obſerua locutionẽ. Vt Hebræus habet, Et ſint in luminaria in firmamẽto cœli, inquit, ad lucendũ ſuper terrã. Nõ dicit, Ad lucendũ in firmamẽto: ſed, Ad lucendũ ſuper terrã. In cœlo ſunt luminaria, & lux illorũ ſuper terrã. Ergo ſic ſunt in firmamẽto poſita, ut nobis qui in terra degimus, luce ſua ſeruiant. Quare quòd luminaria ſunt, & quòd in firmamẽto exiſtunt: nec ſua ipſorũ, nec cœleſtiũ, uel ſpirituũ, uel elemẽtorũ, ſed noſtra gratia et facta ſunt talia, & in hãc firmamẽti ſublimitatẽ euecta. Planè magnũ eſt philanthropiæ Dei argumentũ, quòd tam eximia lumi naria in uſus noſtros, cũ nondũ eſſemus cõditi, & in eũ locũ unde nobis ſplẽdore ſuo ſeruire queant poſuit. Etenim iſta firmamenti ſublimitas plurimũ ad hoc facit, quòd luminaria hæc nõ uni tantum genti, ſed uniuerſis totius orbis incolis lucem ſuam adminiſtrare poſſunt. Itaq; quoties ſolis ſplendorem cernimus, cogitemus nos clariſsimam uidere diuinæ illius prouidentiæ imaginem, quæ omnium mortaliũ curam gerit. Et huius recordatur Moſes cum Deut. 4. dicit, ne forte oculis ad cœlum leuatis uideas ſolẽ & lunã, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, QVAE CREAVIT DOMINVS DEVS TVVS IN MINISTERIVM CVNCTIS GENTIB. QVAE SVB COELO SVNT. Sic uidelicet in cœlo ſunt cõmunes omnium mortalium miniſtri, ſol, luna, ſtellæ, tanquam inſtrumenta lucis illius, quam in uſus noſtros cõmunis omnium creator mox primo operum ſuorum die condidit.

Cogitemus

Cogitemus hoc loco & de angelis, qui eadem planè ratione quod angeli sunt, & in cœlo ante conspectum Dei degunt, utrumq; nostra gratia à Deo acceperunt. Sic Hebr. 1. de illis legitur, quòd omnes sunt administratorij spiritus in ministerium eorum missi, qui hæredes sunt uerę salutis. Et Christus Matt. 18. dicit, Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis. Dico enim uobis, quòd angeli eorum in cœlis, semper uident faciem patris mei qui in cœlis est. Igitur sic sunt & angeli in cœlis, ut nobis hic in terra cõstitutis secundum uoluntatem Dei, cui per omnia obediunt, tanquã ministri nostri seruiant. *De angelis.*

Ascendimus à luminaribus ad angelicos spiritus, ascendamus ab istis ad Deum ipsum. Et de illo S. scriptura docet, quòd in cœlis habitet: deinde quòd filios hominũ uisitet, humilia in terra respiciat, manum suam aperiat, & bonitate sua cuncta repleat. Igitur tam abest, ut cœli sublimitas prouidentiã Dei à nobis hic in terra repentibus auertat, ut etiam ob id ipsum cœlos inhabitare uideatur, ut omnia hæc inferiora impleat: sicuti de Christo quoq; tradunt Apostolicæ literæ, quòd supra cœlos ascenderit, ut adimpleret omnia. Horum admoneamur quoties luminaria ista in firmamento cœli constituta rebus nostris in hac terra luce sua seruire uidemus. *De Deo in cœlis existente, & terrena gubernante.*

OBSERVATIO VIII.

Fecitq; Deus duo luminaria magna: luminare maius, ut præesset diei: & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas.] Est huius loci duplex consideratio. Vna, quæ attinet uisibilia hæc luminaria, solem, lunam, & stellas. Altera, imagines quasdam rerum spiritualium & cœlestium concernens. Ad priorem considerationem attinent ista. Primùm, quòd tam magna: deinde, quòd duo: tertiò, quòd inæqualia: quartò, quòd à se inuicem diuisa luminaria sunt condita: quintò, quòd lunari luci stellæ sunt adiectæ. Quòd tam magna luminaria sunt facta, facilem habet rationem. Domus est ampla, & familia multa & innumerabilis, quare & luminaria tantæ sunt magnitudinis & claritatis, ueluti ad superiora laquearia suspensa, quantam ipsa requirebat ædificij immensa amplitudo. Deinde quòd duo magna luminaria condita sunt, propter duas diei partes, diem uidelicet & noctem est factum: sicut & textus ipse declarat. Tertiò, quòd inæqualia sunt hæc duo luminaria, ita ut alterum alterius respectu paruum uocetur, propter impares & inæquales usus est factum, quibus sunt destinata. Vsus enim diei lõgè plus lucis & claritatis exposcit, quàm usus noctis. Est enim dies ad operandum, nox uerò ad quiescendum deputata. Quare minus lumen nocti accõmodatũ est, maius uerò diei. Quartò, quòd à se inuicem diuisa sunt solis ac lunæ luminaria: factum est propter diei ac noctis diuisionem, primo die factã. Quintò, quòd lunæ adiunctæ sunt stellæ, non soli: nõ solum ad ornandum in medijs tenebris firmamentũ, sed & eam ob causam factum esse apparet, ut luminare minus, imperfectius ac decrescens astrorum innumerabilium accessionibus ad noctis tenebras aliquousq; temperandas adiuuaret: quod adminiculum eximius solis splendor nõ solũ nõ requirit, sed nec ferre posset. Verũ quæ priorẽ hanc cõsiderationẽ tanquã physicam concernunt, astronomis relinquamus, & ad alterã huius loci considerationem progrediamur. *Duplex huius loci cõsideratio. Prima consideratio. Quòd tam magna luminaria. Quòd duo. Quòd inæqualia. Quòd diuisa. Quòd stellæ ad iunctæ sunt lunæ, non soli.*

Primùm illud expendamus, quòd magnitudinem duorum istorum luminariũ attinet. Si præsenti huic uitæ in qua tam sunt multa tristia, & caduca omnia, tam est ingens, & nõ solũ magnitudine, sed & splendore eximiũ luminare deputatũ, quod tamen ipso suo occasu futurũ innuit, ut olim planè occidat & diei seruit, qui in noctẽ definit: quã debemus expectare multis modis illustriorẽ eius uitæ lucem, in qua omnia erũt lætissima, omnia sempiterna: in qua nulla nox diem terminabit, sed dies erit cõtinuus & sempiternus? Tum uidelicet reuera implebit illud Esaiæ cap. 30. Lux solis erit septẽpliciter, sicuti lux septẽ dierũ. Imò magis illud cap. 60. Nõ erit tibi amplius sol ad lucendũ per diẽ, nec splẽdor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dñs in lucẽ sempiternã, & Deus tuus in gloriã tuã. Nõ occidet ultrà sol tuus, & luna tua nõ minuet, quia erit tibi Dñs in lucẽ sempiternã. Quis aũt uel modicè cogitare poterit, quantus sit futurus splendor eius lucis, quam Deus ipse, lux uera, electis in futuro seculo subministrabit? *Altera consideratio. Ex magnitudine terrenæ lucis cogitandum est de cœlesti.*

Deinde considerandũ de eo est, quod secundũ diuersam conditionẽ diei ac noctis data sunt & luminaria cùm magnitudine tum claritate diuersa, licet utraq; magna, seorsim cõsiderata. Relucẽt ea in re pulcherrimæ rerũ spiritualiũ imagines. Prima est utriusq; uet. ac noui Testamenti. Vtriq; sua lux est. Magna lux cognitionis ac gratiæ Dei ueteris Test populo illuxit. Verùm maior exorta est noui Test. fidelibus. In ueteri Abraham cum suis, & Moses, & Prophetæ quasi luna & stellæ umbras rerum futurarũ temperarunt. In nouo Christus ipse gratiæ ac ueritatis Dei illustrissimã lucẽ solis instar non uni Hebræorũ genti, sed toti orbi inuexit. Sic reuera uesperã obscurã clarissimũ mane excepit. Vna est lux primogenita: uerùm diuersa illius instrumẽta diuersis sunt tẽporib. noctis ac diei attẽperata. Vna est ueritas Dei sempiterna & immutabilis, uerùm diuersa illius luminaria, hoc est, impar administratio, diuerso ueteris ac noui Test. tẽpori sunt accõmodata. Vtrobiq; Christus. Illic in umbris patriarcharũ, & legis, et Prophetarũ: hic in ipso uerbo incarnato. Illic in luna & stellis, hic in sole. Huc respexit Dñs cum diceret, Ego lux ueni in mundũ. Itẽ, Ego sum lux mũdi. Et, Ambulate dum lucẽ habetis, ne uos tenebræ cõprehendant. Deinde & illud in hac imagine depictũ uidet. Sicuti electi ac fideles lux uocant ab Apostolo, ita rectè filij huius seculi, homines reprobi & increduli, tenebræ ac nox uocabunt. Luci ac diei præest solis splẽdor immẽsus & incõparabilis. Nocti præest luna cũ stellis, luce lõgè minore & inferiore. Ad eum modũ electis ac fidelib. potior est gratiæ Dei lux deputata, per quã ad æternã uitã & felicitatẽ illuminant. Hæc est, inquit Christus, uita æterna, ut cognoscant te Deũ patrẽ, & quẽ misisti Iesum Christũ filium tuũ. Cognitio ista dispensat à Deo filijs lucis, electis & fidelibus. Reprobis uerò & huius seculi filijs, tanquã nocti, p admirabili sapiẽtia ac ꝓuidẽtia Dei, datur lux lunæ ac stellarũ, dum aliqua illis cognitio *Ex cõsideratiõe luminarium inæqualium, imagines quædã rerũ spiritualium. Luminare maius electorũ: minus, filiorũ huius seculi.*

lis cognitio Dei ex operib. illius relucet, ſicut & Apoſtolus Rom. 1. meminit: Eſt quidē & illa magna, ſecundum magnitudinē operū Dei: uerūm ſi conferatur ſoli Chriſto, electorū diem illuminanti, longē deprehenditur inferior, & imbecillior quoq;, quàm ut poſsit cordium ipſorū tenebras prorſus diſcutere, & clariſsimā ueritatis Dei lucem inſerere. Reperias hodie multos, qui ſe abundē magnā lucem ueritatis tenere putant, dum primū rationis ſuæ acumine reliquos nōnihil antecellunt: deinde & operum Dei uiſibilium aliquam ſe putant eſſe conſequutos ſcientiam, & interea ſplendorē ſolis, hoc eſt, lumē reuelationis & cognitionis Chriſti, quam Paulus nunquam ſatis magnificare potuit, quaſi leuioris momēti, nec norunt nec quærunt. Illi perinde faciunt, ac ſi quis præter lunā ac ſtellas nullū aliud maius luminare expertus ridiculos eos eſſe putet, qui ſolis lumen multis deprædicent, & nocturnis luminaribus præferant. A

Diſsimilis conditio ſolis & lunæ cōditioni Chriſti & Eccleſiæ.

Tertiò, obſeruandū eſt etiā hoc loco, quàm ſit diſsimilis cōditio ſolis, lunæ, ac ſtellarū, à cōditione Chriſti Eccleſiæ & fideliū. Præſente ſole obſcurant luna & ſtellæ, ppter illius immenſum ſplendorē. Hic uerò donec nō apparet ſplēdor et gloria Chriſti, unici noſtri ſolis, obſcura eſt Eccleſia fideliū, nec apparet ſplendor gloriæ electorū. Vbi uerò Chriſtus apparuerit cū gloria, ſimul apparebunt cū illo & fideles eius. Sic Apoſtolus dicit: Vita ueſtra abſcondita eſt cū Chriſto in Deo. Cum aūt Chriſtus apparuerit, uita ueſtra, tunc & uos apparebitis cum illo in gloria. Igitur ſplendor gloriæ Chriſti haudquaquā erit gloriæ filiorū Dei obſcuratio, ſed magis illuſtratio. Per hunc enim futurū eſt, ut iuſti in regno Dei ſolis inſtar fulgeant.

Imago futuræ corporū noſtrorum reſurrectionis.

Quartò proponit etiā imago eius gloriæ, quam per reſurrectionē corpora noſtra conſequent, in diuerſitate claritatis, qua ſol, luna, & ſtellæ inter ſe differunt. Sicut enim alius eſt ſplendor ſolis, alius lunæ, alius ſtellarū, ita & in reſurrectione corporū noſtrorū claritas nō erit in omnib. eadē & æqualis, ſed alius aliū ſplendore claritatis excellet. Sic Apoſtolus 1. Cor. 15. dicit: Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarū. Stella enim à ſtella differt in claritate. Sic & reſurrectio mortuorū. Sunt & ſtellæ quamuis ſoli & lunæ impares, luminaria dicta, & de eadē cum illis luce participant, & in eodē cœli firmamēto hærent, in hoc tantū differentes, quòd ſolis & lunæ claritatē non adæquant. Conſimili planè modo & electorū comparata erit conditio, ubi per reſurrectionē corporū ſuorū clarificationē conſequent. Erit quidem differens & inæqualis illorū gloria, quod magnitudinē claritatis concernit. Verū iuxtà eiuſdē erunt uniuerſi uitæ ac felicitatis participes, & cuncti in cœleſtes manſiones cum Chriſto transferent. Admonemur hac cōſideratione, nō debere mirū uideri, ſi dum in hac uita ſumus, alius aliū uel fide, uel ſpe, uel charitate, uel cognitione Chriſti ſuperat, & tanta reperit fideliū inæqualitas, cum in futura quoq; uita non ſimus parem omnes habituri claritatem. Quare nemo inuideat ſublimiori, nemo cōtemnat inferiorem, ſed pro ſuo quiſque dono diuinitus accepto, gloriam Chriſti illuſtret, & fraternæ ſaluti conſulat.

Coloſſ. 3.

Matt. 13.

Neminē offendat inæqualitas pietatis, & donorum Dei in fidelibus.

Quintò, nec illud tranſgrediendū eſt, quod in Hebræo legit לממשלת היום, id eſt, ad dominium, uel poteſtatē diei: & לממשלת הלילה, id eſt, ad poteſtatem uel dominiū noctis. Nō dicit, Ad dominium uel poteſtatē hominū, & reliquarū creaturarū: ſed, ad poteſtatē diei, & ad poteſtatē noctis. Nō habent luminaria iſta poteſtatē & dominiū in homines, ſicuti ineptiunt aſtrologi, ſed in tēpora diurna & nocturna, quib. à Deo ſunt præfecta. Noctu regnat luna cū ſtellis, interdiu principatū habet ſol. Principatus eorū eſt, quòd illa noctis, iſte diei tēpus ſplendore ſuo illuminat, quare nō uim inferūt, ſed ſeruiūt hominibus. B

Sextò & hoc cōſideremus. Luminaribus iſtis ad ſeruiendū conditis tribuit dominiū & poteſtas. Ergo ſimul ſunt משלים, id eſt, præſides & gubernatores, & עברים, id eſt ſerui. Videmus hac imagine, quale ſit hoc genus poteſtatis: quæ ſi rectè inſpiciatur, miniſterij magis ſubiectionem, quàm dominij habet excellentiam. Poteſtas hæc ab ea diſtinguit, quæ libero fertur arbitrio, nec ullius eſt maioris uolūtati ſubiecta, qualis ſolius Dei eſt. Reliquæ poteſtates, quocunq; nomine cenſeant, ad miniſtrandū ſunt, non ad dominandū inſtitutæ. Abuſa eſt ſedes Rom. ſimilitudine hac duorū magnorū luminariū ſolis & lunæ, ad hoc, ut caput ſupra Imperialis dignitatis faſtigiū extolleret. Sic enim uerba Innocentij 3. de Maioritate & obedientia, cap. Solitæ ad Imp. Conſtantinopolitanum ſcripta leguntur. Præterea noſſe debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli: luminare maius, ut præeſſet diei: & luminare minus, ut præeſſet nocti. Vtrunq; magnū, ſed alterū maius. Ad firmamentū igitur cœli, hoc eſt, uniuerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id eſt, duas inſtituit dignitates, quæ ſunt, Pontificalis authoritas, & regalis poteſtas. Sed illa quæ præeſt diebus, id eſt ſpiritualibus, maior eſt: quæ uerò carnalibus, minor: ut quanta eſt inter ſolem & lunam, tanta inter Pōtifices & reges differētia cognoſcat. Hæc ille. Sic ſedes Romana conſtituit ſeipſa ſolem, ad id dignitatis non uocata à Deo. Fatendū eſt. Excellentiora ſunt ſpiritualia quàm terrena, ſi inter ſe conferant. Interea tamen quod eminentiā poteſtatis concernit in hoc ſeculo, ſacra ſcriptura, pponit nobis poteſtatē illā quæ gladiū accepit à Deo, iubetq; ut illi obediat omnis anima, ac uocat eam ſupereminentē. Et Chryſoſt. illi ſubijcit non ſolū homines ſeculares, ut uocant, ſed & Prophetas & Apoſtolos, nedū Epiſcopos, Presbyteros, Abbates, Pontifices, carnales Nonnas, & Monachos. Quod apoſtolorū uocationē concernit: Sic nos, inquit Apoſtolus, exiſtimet homo, tanquam miniſtros Chriſti, ac diſpenſatores myſteriorum Dei. 1. Corinthiorum 14. Verùm Romani pontifices nihil crepant aliud, quàm autoritates, dignitates & maioritates: nuſquam miniſterij mentio, niſi in mendaciſsimo illo titulo, quo ſe ſeruos ſeruorū Dei ad hoc uocant, ut poſsint omnium eſſe domini. Vſurpant ſibi excellentiam ſolis, cum ſint omniū tenebricoſiſsimi. Vt illud taceam, quòd nō ſolū diei, id eſt ſpiritualiū, ſed & noctis, hoc eſt, carnalium ac ſeculariū ſibi rerū poteſtatē adſcribunt, atq; ita alienā prouinciā inuadunt: non iam ſpiritualiū tantū, ſed & terrenarum rerum, imò regnorum & principatuum domini. unde & illud uſurpant, Ecce duo gladij hic: & trino diademate, cœleſtis, terreni, & inferni ſibi regni poteſtatē uindi-

Vide Rom. 13.

A uindicant. Si Imperator dignitatẽ habet lunæ, & præeſt ſecularibus, quare faciunt quod ſol nunquam fecit? Quare partes lunæ inuadunt, & poteſtatem alienam ad ſe rapiunt? Reſtituant igiſ imperatoribus, regibus, ac principibus terrenæ poteſtatis dignitatem liberã, ſinantq; illos poteſtate à Deo accepta fungi. Deinde, ſi ipſi collocati ſunt in locum Apoſtolorũ, uolunt q; eſſe fidelibus Chriſti, quòd ſol eſt in poteſtatem diei conſtitutus, ſequant eorum ueſtigia, quos Chriſtus lucem mundi conſtituit, & ad prædicandum euangelium regni in orbem emiſit. Verũ uſqueadeò non affectant partes ſolis, ut priuſquã lunæ regnum Cæſaribus ſint & regib. conceſſuri, malint regno diei, id eſt, poteſtate Eccleſiaſtica in uniuerſum deſtitui. Sunt enim non dies, ſed tenebræ. Sed relictis tenebriconibus iſtis nõ luminaribus, reuertamur ad Moſen.

OBSERVATIO IX.

Et uidit Deus quòd eſſet bonum.] Ergo aſtra nec inclinant, nec cogunt homines ad malitiã, malos mores, flagitia, mendacia, furta, fæuitiam, &c. ſicuti Genethliaci falſiſimè tradunt. Dum ſtellis quibuſdã naturam mali, ad mala adigentẽ homines tribuunt, quid aliud faciunt, quàm quòd conditorem ſtellarum malorum conſtituunt authorem, & Moſen mendacij arguunt, de Deo teſtificantem, quòd uiderit condita à ſe luminaria eſſe bona? Si uerò Moſes nõ eſt mẽtitus, ſed uerè bona ſunt luminaria & aſtra à Deo facta, & cum facta eſſent approbata, quid reſtat aliud, quàm ſcientiam hanc aſtrologiæ eſſe omnium uaniſſimam, & omnibus pijs deteſtabilem?

OPVS QVINTI DIEI.

Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ uiuẽtis & uolatile ſuper terram ſub firmamento cœli.

Creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam uiuentem atq; motabilem, quam produxerant aquę in ſpecies ſuas, & omne uolatile ſecundũ genus ſuum. Et uidit Deus quòd eſſet bonum.

Benedixitq; eis, dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris, aueſq; multiplicentur ſuper terram.

Et factum eſt ueſpere & mane dies quintus.

Satis omnia concordant, niſi quòd Græcus in uerſ. 20. habet, *καὶ ἐγένετο ἕσπερ*, quod nec Hebræus habet, nec Latinus.

B EXPLANATIO.

Poſtquã cœlũ ex tribus totius uniuerſi corporib. & ordine & dignitate præcellẽs ornatu ſuo accepto, quarto die expeditũ eſt, iam cõſequẽter Moſes ad ſecũdi corporis, maris uidelicet, ſupplementũ deſcribendũ progreditur. Cõprehenditq; aũt iſta quinti diei deſcriptio hiſce partibus. Primũ, quid ſit in illo conditum à Deo: deinde, quomodo: tertiò, unde: quarto, quomodo inſtituta ſit illius propagatio ac multiplicatio.

Quid factũ ſit, exprimit hiſce uerbis, Et creauit Deus cete grandia, & omnẽ animã uiuentẽ atq; mota bilẽ in ſpecies ſuas. Itẽ, Et omne uolatile ſecundũ genus ſuũ. Cete grandia Hebr. dicunt תנינים הגדולים, id eſt, dracones magni. Sunt aũt nõ ſolũ terreſtres dracones, ſed & marini, quos cetos & balenas uocant. De illis loquit hic Moſes. Addit, Et omnem animã uiuentẽ atq; motabilẽ. Loquitur de omnis generis piſcibus, & animantibus aquatilibus. Vocat ea רמש & שרץ, id eſt reptilia. Sunt omnino tria animantium genera, ſi motus illorũ ſpectes. Primũ eorum eſt, quæ nando, rependo ac trahẽdo mouent: ut ſunt piſces, ſerpentes, uermes, & id genus alia. Vocant illa Hebræis רמשים & שרצים. Secundũ eorũ, quæ uolando mouent, ut ſunt uolucres, apes, muſcæ, ueſpæ, & ſi qua alia ſunt conſimilia. Vocant illa עופים. Tertium uerò, pedibus ingredientium eſt, ut beſtiarum, iumentorum, & hominum: quorum curſus pedibus, ſicuti uolucrum alis, & piſcium pennis natatilibus conficitur. Licet enim & uolucres pedibus ingrediant, curſum tamen non pedibus, ſed alis perficiunt. Alij ſic diuidunt omnia animalia, ut primũ genus ſit aquatilium, ſecundum uolatilium, tertium terreſtrium. Moſes igitur de primo & ſecundo animantium generibus loquit, quorum alia in aquis uiuunt, aliaper aera feruntur, de quibus ſubiungit, dicens: Et omne uolatile ſecundum genus ſuum. Quod dicit, In ſpecies ſuas: &, Secundum genus ſuum, ad hoc facit, ut intelligamus quæuis cùm aquatilium tum uolatilium animantium genera, quæ in hunc uſque diem durant, mox eſſe in ipſo initio ſecundum ſpecies ſuas à Deo condita. Deinde quomodo ſint hæc animantia facta, docet cum Deũ inducit & mandantem pariter & creantẽ. Dixit etiã Deus, inquit: Producant, &c. Itẽ, Creauitq; Deus cete grandia. Ergo ſicuti uerbo ſuo cœlũ, mare, terrã cõdidit ex nihilo, & cœlum luminaribus, terram herbis & arboribus ornauit, ita & animantia iſta uiua, aquatilia & uolatilia, uerbo ſuo cum non eſſent, creauit. Tertiò, unde illa creauerit & produxerit exponit, cum dicit: Producant aquæ reptile. Item, Quam produxerant aquæ. Ex aquis igiſ producta ſunt aquatilia & uolatilia, cum generibus ac ſpeciebus ſuis: id quod mirum uidet, quantum uolucres concernit. Verùm ea de re in ſequẽtibus.

Primum.

Tria ſunt animãtium genera.

Secundum.

Tertium.

Quartò, quomodo inſtituta ſit animantium iſtorum propagatio & multiplicatio, ſingulariter exprimitur, cum ſubiungitur: Benedixitq; eis, dicẽs, Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris, aueſq; multiplicentur ſuper terram. &c. Itaq; uis multiplicationis & propagationis animantium horum eſt in benedictione Domini. Quid autẽ ſit iſta benedictio Domini, declarat per ea quæ ſubijcit, dicẽs, Creſcite & multiplicamini. Hoc genus benedictionis non cõpletur nuda apprecatione, qualis eſt qua homo homini benedicit: ſed uim habet fœcunditatis ac multiplicationis, quæ per diuinum incrementũ in hunc uſque diem impletur.

Quartum

QVAESTIO.

QVAESTIONES.

Quid necesse fuerit tantã multitudinem aquatilium creare.

Quærunt hic Manichæi, quid necesse fuerit tantam creare aquatilium bestiarum multitudinem, cum hominib. usui esse nequeant. Illis respondet Augustinus lib. 1. supra Genesim cap. 16. Qui hoc quærũt, debebant potius creatoris opulẽtiam & diuitias ex ista innumerabili aquatilium bestiarum multitudine nõ solum quod creationem illorum, sed & conseruationem attinet, cum propheta Dauide colligere, considerare, ac deprædicare, dicendo: Sit gloria Domini in seculum, lætetur Dominus in omnibus operib. suis. psal. 104. Quòd si ignoramus horum omnium causas & usum, cogitandum est, infinitam esse sapiẽtiam creatoris, qua omnia sic condidit, ut uel gloriæ suæ seruiant, uel ad uniuersitatis rationem aut conseruandam, aut ornandam faciant, etiamsi id intelligentiam nostram fugiat. Admiramur multitudinem ac uarietatem instrumentorum in officinis opificum, quorum tamen nec rationem nec usum tenemus: putamusq; non ad nos, sed ad illarum pertinere scientiam & artem, ut sciant omnium & nomina, & rationẽ, & usum: & inde magis artis industriam colligimus, quàm opificis reprehensionem. Cum hac utamur modestia in spectãdis opificum officinis, quanto erat æquius ad eum modum sentire de officina & instrumentis Dei conditoris omnium, cuius sapientia nec modum habet, nec finem?

Quomodo aues quoq; ex aquis productæ dicantur.

Deinde quærunt, quomodo uerum esse possit, quòd Moses nõ solum pisces, sed & uolucres ex aquis esse productas scribit, cum reipsa uideamus inter pisces & uolucres tantum esse discriminis, ut illi uitam degant in aquis, istæ super terram in aere uiuant. Respondet Augustinus ad hanc quæstionem libro suprà citato, cap. decimoquinto: Arbitratur, id quod res est, & multi expenderũt hoc loco, inter aquam & aerem hunc crassum & humidum, magnam esse naturæ affinitatem. Ideo sentiunt aliqui, nõ esse aquas duntaxat hic, sed & aerem intelligendum. Verùm meo iudicio non est necesse ut in ista piscium & auium creatione uocem רקיע, quæ aquas significat à significationis suæ simplicitate dimoueamus. Diffiteri nõ possumus, esse magnam affinitatem inter aquas & aerem hunc quem spiramus, & in quo uolitãt aues. Deinde & perspicuam esse similitudinem piscium in aquis natantium, & uolucrum in aere uolantium, ut non immeritò poeta ille auibus remigium alarum adscripserit. Inde tamẽ nulla necessitate cogimur, ut uocem aquæ cõmunem faciamus aeri. Neq; enim consequitur, ut quicquid ex aquis prognatum est, necessariò in aquis uiuat: quemadmodum non sequitur, ut quicquid ex terra ortum suum habet, uiuat in terra. Et bestiæ terrestres & homines ex terra sunt, sicuti in sequentibus audiemus, & tamen nõ in terra, sed supra terram in aere hoc uiuimus, in quo uiuunt & mouentur etiam uolucres. Nec mirum uideri debet, quòd ex eodem aquarum elemento diuersæ naturæ animantia producta sunt, cum ex eodem terræ elemento & bestiæ productæ sint, & homines.

Quare non dicatur hic, Et factũ est ita.

Tertiò quærunt, quare non sit appositum hoc loco illud, Et factum est ita, sicuti locis præcedentib. & sequenti. Respondent quidam Iudæorũ, factum id esse propterea, quòd cum creasset Deus duos cetos, marem & fœminam, ne totum orbem uastarent, si multiplicarentur, exectis mari uirilibus uxorem trucidarit, ac sale conditam ad conuiuium in ultima resurrectione iustis proponendũ reseruarit. Et hanc ob causam non potuisse dici, Et factũ est ita, eo quòd fœmella ut erat condita, non supersit. Sic ineptiunt Iudæi, dum rem quærunt scitu non necessariam. Neq; enim anxiè quærendum est, quare non dixerit, Et factum est ita, cum de uirtute & efficacia uerbi Dei satis argumenti non solum ex eo constet, quod dicat, Et creauit Deus cete grandia, & omnem animam uiuentem, &c. sed ex ipsa quoq; tot seculorum experientia, qua manifestè declaratur, sic esse factum, sicuti dixerat Deus.

OBSERVATIO I.

Ordo seruatus in creatione animalium.

Producant aquæ reptile animæ uiuentis.] Hæc erat prima uiuentium creaturarum productio. Videamus igitur ordinem, quem in creatione illarum seruauit opifex. Primùm orditur ab aquatilibus, quorum natura remotior est à natura & conditione humana, adeoq; & infima inter reliqua animantia. Aliena sunt ab hoc nostro aere, sic ut si uel modicè in illo detineantur, uiuere nequeant. Neq; enim spirant, pulmone carentia, sed aeris loco ex aqua uiuunt. Et aliàs illis propria natura est, & separata. Quare nec mitescunt, nec attrectari se patiuntur. Non solum ratione, sed & uoce destituuntur. Deinde ad uolucres procreandas transit, quæ & ipsæ licet ex aquis productæ sint, eodem tamen cum terrestribus aere uiuunt: & non solum nobiscum spirant, sed & uocis sunt beneficiũ sortitæ, ac multæ ex illis à conuictu humano & manuefactione non adeò abhorrent, atque hactenus uiciniores sunt hominib. quàm pisces. Tertiò progreditur ad animantia terrestria, bestias & iumenta, quæ homini sunt & uiciniora, ex eodem telluris elemento condita, & utiliora, deniq; & procliuia magis ad mitescendum. Quare, ut infrà capite sequenti uidebimus, cum quæreretur Adæ animal simile ac socium, adducta sunt ad eum uolatilia & animantia terræ, ex aquatilibus uerò nihil. Deniq; bestijs terræ & uolatilibus ad se adductis nomina imposuit Adam: id quod de marinis & aquatilibus non legimus, tanquam longius à conuictu humano secretis, quàm ut usus nominum illorum necessariò requiratur. Tandem ad condendum hominẽ, sanctius illud animal, ut ille ait, mentisq; capacius altæ, ultimo operationum die accingitur, in cuius gratiã omnia reliqua condidit. Itaq; hunc ordinem seruauit in productione uiuentium animalium, ut manifestum sit, ab inferioribus factum esse principium, & progressum ad potiora. Minoris momenti sunt quæ uita carent, quàm uiuentia: deinde inter uiuentia infimũ locum hæbent, quæ remotiora sunt à natura, similitudine & conuictu hominum, quàm quæ propius accedunt. Supremum gradum sortitum est genus humanum, colophon operũ Dei. Quare nunquã satis deplorari potest corruptio illa, per quã factũ est, ut inter omnia animantia tam infima quàm media nullũ genus reperiat, quod malitiam hominum adæquare possit.

Produ-

A *Producant aquæ.*] Obserua loquutionem. Mandat aquis ut producant animalia uiuentia. Et infrà dicit, Quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas: quibus uerbis teſtatur, producta eſſe ab aquis animantia uiua. Quid igitur? Dabimus ne aquis hanc uirtutem, ut poſsint corpora uiua procreare? Abſit. Virtus illa Dei eſt, non alicuius creaturæ. Igitur ſubijcitur hoc loco, Creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam uiuentem. Aquæ ſunt officina opificis Dei, è qua primùm animantia uiua ſunt producta. Opus non officinæ, ſed opifici tribuitur. Longè aliud eſt creare, quàm quod creatum eſt proferre. Profert & mulier uteri ſui partum: cuius tamen non ipſa, ſed Deus eſt factor & creator. Quare huiuſmodi loquutiones, ſicubi in ſcripturis occurrunt, prudenter ſunt diſtinguendæ.

Quomodo aquis tribuatur, quòd animantia uiua produxerint.

Reptile animæ uiuentis.] Audis animã uiuentẽ. Hactenus cõmunicant nobiſcũ, quod uiuunt. Sed obſerua genus motionis, quo pro neceſsitate ſua de lõco ad locũ mouent. Reptilia ſunt, tractu corporis, uel motu pennarum aquatilium mouentur. Huius aſpectus ad hoc moueat, ut conditori noſtro gratias agamus, quòd dedit ingrediendi facultatem, & uultus noſtros ad cœlum erexit.

Quid cogitandũ eſt ex aſpectu reptilium.

OBSERVATIO II.

Et uolatile ſuper terram.] Obſeruandum eſt hoc loco, quòd ex eodem aquarum elemento producta ſunt tam diuerſæ naturæ animantia, reptilia & uolatilia, ut illa non niſi in aquis, iſta non niſi in aere uiuant: illa ne ingrediantur quidem cum beſtijs terreſtribus, iſta non ſolum ingrediantur in terra, ſed & uolitent in aere, ſub ipſo cœli firmamento. Diuerſa hæc animantia, eodem die, & ex eodem elemento producta, admonent nos, non eſſe qualitatem eorum quæ uiuunt, originali tribuendam materiæ unde ſunt creata, ſed diuinæ uoluntati: quæ omnia pro ſua ſapientia, nullius materiæ qualitati obſtricta condidit. Simul & illud cogitemus. Si quæ ex aquis producta ſunt, non ſolum ad telluris ſuperficiem, & aerem hominibus ſpirabilem, ſed & ad ipſa uſq; cœli cõuexa prouehi, hoc eſt, ex aquis uolucres cœli effici potuerunt, quanto magis ſperandum nobis eſt, ut qui non ſolum è terra corpora, ſed & è cœlo mentem diuinæ naturæ uicinam accepimus, aliquando ſurſum ad cœleſtia euehamur, & non uolucres, ſed cœleſtes homines efficiamur. Si cui præterea uidere lubet, quomodo cœli uolucres imaginem gerant piarum & cœleſtium mentium, uideat in pſal. 104. uerſ. 12. obſeruationes noſtras.

Quòd ex eodẽ elemento tam diuerſa ſunt animãtia producta.

Imago reſurrectionis.

OBSERVATIO III.

Creauitq; Deus cete grandia.] Primùm illud obſerua, quàm commodè uſus ſit Moſes hoc loco uerbo creandi, ubi de cetis loquitur. Significat Deum immanes illas beluas non operoſo aliquo conatu & labore feciſſe, ſed tanquã ex nihilo ſola uerbi ſui uirtute creaſſe. Sic uidelicet potentiam nobis cõditoris
B omnium conſiderandam proponit. Et huc etiam facit, quòd ex omnibus aquatilium generibus nominatim nullum recenſet, niſi cetorum.

Quòd cete Deus creauit abſq; ullo laborãdi molimine.

Deinde conſiderandum eſt, quòd uocat ea grandia. Haud uulgarem magnitudinem eſſe oportet, quam S. ſcriptura ad hoc commendat, ut in conditione illius gloriam creatoris celebret. Quare omnino maximas eſſe beluas iſtas credendum eſt: de quibus etiam ſcribitur, quòd ingentes montes mole corporis adæquent, & ſicubi in ſummo mari aliquouſq; apparent, inſularum inſtar uideantur. Cogitandum hic eſt, quàm ſit terribilis illarum aſpectus, ut diſcamus potentiam reuereri creatoris, qui non ſolum condit eas, ſed & in locũ illis peculiariter deputatũ incluſit (quod ferunt Atlanticum eſſe mare) ne temerè uagando mare reddant infeſtum nautis.

De magnitudine cetorum.

OBSERVATIO IIII.

Et omnem animam uiuentem atq; motabilem quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne uolat.] Obſeruemus hic, quòd non ſolum cete grandia Deum, ſed & quicquid reliquum in aquis uiuit ac mouetur, & ſuper terram uolitat, creaſſe dicit. Huc facit uniuerſalis uocula כל repetita. Et omnem, inquit, animam uiuentem: itẽ, Et omne uolatile. Poſſunt ea quæ minuta ſunt, & planè nullius tam inter aquatilia quàm uolatilia uidentur eſſe momenti, non ab ipſo Deo condita, ſed ex ubertate naturæ producta uideri. Nam uix creditur, eum qui cete grandia cõdit, ad uilium animalculorum ſeſe facturam demittere. Quare non ſine prudenti conſilio Moſes hanc particulam tam diligenter expreſsit. Eſt igitur manus Dei in quouis utut uilium beſtiolarum genere adoranda. Si mirum uidetur, quòd tam minuta ac deſpicata animalcula fecit: cogitemus quantum philanthropiæ illius debeamus, quòd nos in iſtam dignitatem creando conſtituit, cum longè diuerſum poſſet, modò uoluiſſet.

Etiam minutiſſima animalcula à Deo facta.

OBSERVATIO V.

Benedixitq; eis, dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris.] Conſiderandum hic eſt, quòd creatis à ſe animantibus Deus benedicit. Benedictio argumentum habet beneuolentiæ & gratiæ. Admonemur, amanter affici Deum erga opera ſua, etiam ratione deſtituta, nedum ratione prædita. Deinde, obſerua, qualis ſit hæc benedictio. Creſcite, inquit, & multiplicamini. Ergo ad benedictionẽ Dei pertinet multiplicatio creaturarum. Huius efficacia ad hunc uſq; diem curſum ſuum obtinet, tanta eſt uerbi Dei uirtus. Tertiò & illud expende, quòd aquatilibus loquitur Deus. Mirabile genus loquẽdi. Non eſt auribus illorum loquutus, ſed naturæ uiribus, quibus uim propagandorum generum uerbo uirtutis ſuæ naturaliter indidit.

Amanter affici Deum erga creaturas ſuas.

Qualis ſit hæc benedictio Dei.

Quòd Deus loquutus ſit aquatilibus.

OBSERVATIO VI.

Aues q; multiplicentur ſuper terram.] Expende quòd non dicit, Aues q; repleant terram, ſicuti de piſcibus dixit, Et replete aquas maris: ſed, Aues q; multiplicentur ſuper terram. Neque enim ea eſt conditio auibus ſuper terrã, quæ eſt piſcibus in aquis maris. Aues non ſolæ terram erant occupaturæ, ſed cõmunem cum beſtijs & hominib. habituræ: quare nõ conueniebat ut terrã replerent, ſicuti piſcibus cõpetit, ut aquas repleant, quas ſoli incolunt.

Auib. non eſt datum ut terrã repleant.

OPVS SEXTI DIEI.

A

Dixit quoq; Deus: Producat terra animam uiuentem in genere suo iumenta & reptilia & bestias terræ secundũ species suas: factumq; est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, iumenta & omne reptile terræ in genere suo, Et uidit Deus quod esset bonum.

LECTIO.

In uersu 25 latinus interpres omisit illud לְמִינָהּ, id est secundum species ipsorũ, quod in Hebræo uoci חַבְחֵמָה id est, iumenta subijcitur.

EXPLANATIO.

Hæc pertinent ad sexti diei descriptionem, in quo terra, tertium ex præcipuis tribus corporibus ultimo loco pleroma suum accepit. Sunt autem duæ illius partes. prima cõplectitur procreationẽ animantiũ terrestrium, ratione destitutorum. Altera docet, quomodo factus sit homo. Ad primam pertinent, quæ hactenus cõmemorantur, quorũ hic fit ordo. Primum quid, secundũ quomodo, tertium unde sit factũ. Quid factum sit primum ponitur in genere cum dicitur, Producat terra animam uiuentem: hoc est, animal uiuum. Ponitur enim singulare pro plurali, & denominatio fit ab anima, tanquam potiori parti animalis. Deinde subijcitur specificatio, in tria animantium genera diuisa, cum ait, Iumenta, & reptilia, & bestias terræ. Iumenta sunt pecora, boues, oues, equi, asini, sues, capræ, & quæ alia sunt huiusmodi, usibus ac necessitatibus humanis accõmodata. Reptilia sunt, quæ uel toto corporis tractu super terrã, uel pedibus adeò breuibus mouẽtur, ut repere uideant: utpote serpentes, lacerti, stelliones, dracones, uermes, &c. Bestiæ sunt feræ agrestes ac syluestres, ut leones, ursi, lupi, uulpes, cerui, capreæ, lepores, &c. Hisce tribus generibus Moses omnia terrestria animantia comprehendere uoluit.

Secundo loco exprimitur, quomodo sint animantia hæc condita. Ad eum modum, quo aquatilium, & reliqua omnia. Verbo uidelicet mandantis & uirtute creantis ac facientis Dei. Sic ait: Dixit quoq; Deus, Producat, &c. Item: Et fecit Deus bestias terræ, &c.

Tertio, unde sint facta & producta, significatur in uerbo mandantis Dei ac dicentis: Producat terra animam uiuentem, &c. Ergo sicuti aquatilia ex aquis, ita terrestria animantia ex terra sunt producta.

B

QVAESTIONES.

Quomodo bestijs tribuatur anima.

Producat terra animam uiuentem.] Quæritur hoc loco, quomodo bestijs ratione destitutis adscribatur anima, cum de animabus sentiatur cõmuniter quod sint immortales: bestiæ uerò sic morianẽ, ut nihil ex illis post mortem uiuat amplius. Est hæc quæstio eorum, qui nesciunt quid sit anima, & quàm sint animæ differentes. Animam Ebraicè uocat scriptura uim illam potentiam & spiritum, unde corpus physicum, ideſt naturale, uiuificatur. Tribuit autem bestijs נֶפֶשׁ חַיָּה, id est, animam uitæ, uel uiuentẽ, qua uoce significat nullam esse aliam potentiam animæ in bestijs, quàm ad uiuificandum illorum corpora. Ea autem una cum corporibus moritur & interit. Homini uerò tribuitur nõ solum anima uiuens, sed & rationalis, ideſt lumine ac dictamine rationis, mẽteq; cœlesti prædita, quæ mori ac interire nõ potest. Quare quod de anima prædicatur immortalitas, non est de quauis, sed hominis duntaxat anima intelligẽdum. Alioqui & plantis, uirgultis, & arboribus tribuitur anima, propter uitalem illam uegetationis, propagationis ac multiplicationis potentiam, quam illis ineſſe, truncis uerò & saxis deesse, uidemus.

Quomodo bonũ sit, esse tam multas noxias bestias.

Et uidit Deus quod esset bonum.] Quærũt hic, quomodo bonũ uideri possit, quòd tam sint multæ bestiæ conditæ, quarũ aliæ sunt rebus humanis inutiles, aliæ etiam noxiæ & formidabiles. Cauillatio ista perinde esti mpia, atq; ea cuius suprà in quæstionib. tertij diei memini, quã Manichæi orthodoxis obiecerũt. Respondent quidam, esse omnia animantia sic initio cõdita, ut si non peccasset Adam, nullum ex illis homini quicquam intulisset nocumenti: uerùm posteaquam humanũ genus per inobedientiam Deo cõditori suo immorigerum esse cœpit, factum esse ut nonnulla bestiarum genera in ferociam cõuersa, noxia cœperint esse & formidabilia mortalibus. Ideoq; nõ esse in hac causa creatorem, sed nostram culpandam inobedientiam. De hac sentẽtia uide quid in commentarijs nostris super psal. 104. uer. 21. sit annotatum. Mea sententia sic est: Etiamsi initio tales sint feroces illæ ac sanguinolentæ bestiæ à Deo conditæ, quales adhuc existunt, nulla tamen ratione in ius poterit uocari illarum opifex, qui de suo primùm id optimo iure fecit, quod sibi uidebatur. Deinde nec culpanda sunt ipsius opera, quasi inutilia fiant, uel noxia. Etenim etiamsi nobis uideantur esse inutilia, non poterimus tamen sententiæ nostræ ueritatem demonstrare, nisi totius uniuersi rationem exactè teneamus, ac docere possimus, quod ad illius pleroma nullo modo pertineant. Præterea, quod tam multæ sunt truculentæ bestiæ, multæ etiam uenenatæ, tum primũ quàm sit hoc sapienter factum cognoscemus, quando non solum quid ab illis, sed & quo partim bono, partim merito nostro fiat, considerauerimus. Quare qui hac de re quæruntur, multo iustius hoc genus querimoniæ ad dijudicandam ac detestandam suam ipsorum plus quàm bestialem maliciam conuerterent, & mutata sententia creatori pro tam innumerorũ animantium usu & cõmoditate gratias agerent, quàm quod de quorundã feritate, quã tamen multis modis beneficio Dei cauere possunt, creatori litem mouẽt. Si fides nõ desit, uerũ erit illud, Super aspidẽ & basiliscũ ambulabis, & cõculcabis leonẽ & draconẽ. Exẽplo sit Dauid, leonis & ursi uictor: & Paulus, quem uipera nõ læsit. Si uerò fides deest, queramur magis de malo incredulitatis in corde nostro latẽtis, quàm de bestijs ferocib. & uenenatis. Nam hinc ma-

gis

A gis lædimur quàm ab illis. Si quis plura hic desiderat, uideat Lactantium in libro de ira Dei, Cap. 13.

Tertiò & illud quæritur: Quare nõ benedixerit terrestrib. animalibus, perinde atq; piscibus et reliquis aquatilibus. Respõdent quidã, esse id propterea factũ, quod iam initio creationis uiuorum animantiũ facta benedictionẽ etiã huc pertinere cogitandũ sit. Deinde & ob id, quod nondũ esset sexti huius diei opus perfectũ. De benedictione hac quicquid sit, dubiũ nõ est, quin & terrenis animantibus sit impensa illius uirtus & efficacia, id quod ipsa docet experientia. Alioqui unde esset illis generum conseruatio & multiplicatio? Illud uerò uidetur haudquaquam inconsultè omissum, quod dictum est piscibus, Replete aquas maris: & postea hominibus, Replete terram. Non cõueniebat ut animantib. istis diceretur, Replete terram. Erat enim id hominibus destinatum. Itaq; sic est illis data uis multiplicationis, ut ad conseruationem quidem, propagationem & multiplicationem generum ipsorum sufficeret: ad implendum uerò & prorsus occupandum terram, habitationi generis humani destinatam, nequaquam exuberaret.

OBSERVATIO I.

Producat terra.] Erat terra iam antea tertio die herbis, plantis & arboribus fœcũdata. Igitur secundus est hic illius partus. Primus tulerat creata quidem uiua, sed in gradu inferiore. Est enim & plantis sua uita, quam animã uegetatiuã uocant, sed ad crescendũ tantũ & fructificandũ. Iam secundus partus adfert animalia, animã habentia nõ solũ uegetatiuã, sed & sensib. ac ui mouẽdi prædità. Successit posta tertius, quo homo productus est in lucem, cuius gradus superior existit inter animãtia. Inferior uegetatiuã: medius & uegetatiuam & sensitiuam, ut loquuntur: tertius ac superior, & uegetatiuã & sensitiuã & intellectiuã animã habet. Sic rursus ordinẽ quendã & progressum operũ Dei, & dispensationẽ uitæ gradibus distinctã, & ab inferioribus ad superiora exurgentẽ, expressam uidemus. Et hic ordo progressionis etiã num in hominis anima seruatur. Etenim cum in utero matris ad tempus usq; pariendi fouetur, animam quidem habet, uerùm nullam dum aliã uirtutem exerẽtem quàm crescendi ac uegetandi. Atq; id habet cum plantis commune: in uno hoc differens, quod subinde ubi dimidiũ parturitionis tempus exactũ est, in utero materno mouetur. Deinde, ubi in lucem natus est, accedit uis & usus per organa sensuũ sentiendi, qui illi secundus gradus est, & cum bestijs communis. Tertio gradu tandem & rationis usus, idq; paulatim, succedit, quo reliqua animantia excelit. Ita ab inferioribus etiam num ad sublimiora per gradus exurgimus. Et hæc sunt mortalibus omnibus communia. At filij Dei nõ consistunt hoc gradu, sed per regenerationem ad cœlestem usq; & spiritualem naturam, diuinæ uiciniorem, euehuntur.

B *Producat terra animã uiuentem.*] Obserua cautionem loquutionis. Non dicit, Faciat uel creet terra animam uiuentem, ne uis illi tribuatur naturaliter animantia uiua generãdi, sed producat terra, & ut in Ebræo est תוציא id est faciat egredi, proferat in lucem. Non est autem sic intelligendum, quod animantia ista fuerint antea ueluti in utero quodam telluri inclusa: sed quod tanta sit uerbi Dei uirtus, ut è terra producat, quod in illa non est. Non erant oues & boues in terra, sicuti nec herbæ nec arbores. Verùm ubi Deus mandat ut exeant boues & oues, herbæ & arbores, omnino necesse est, ut terra proferat quod mandato Dei proferre iubetur. Non erat aqua in petra deserti, & tamen cum iuberet Deus ut promanarent ex illa aquarum fluenta, potuit illa Moses arido baculo ex arido producere saxo. Hac eadem uerbi Dei uirtute, terra in se arida & mortua, animantia uiua, idq; multiuarijs generibus distincta in lucem protulit. Si ista narranti Mosi credimus, quomodo non eadem credendi rectitudine futurum crederemus, ut iuxta fidei nostræ mysteria, terra hæc eadem corpora nostra, quæ mortua gremio suo complectitur, in futuram lucem olim ui uerbi Dei fœcundata, uiua proferat? Potuit animantia uiua, quorum nihil planè nec ipsa habebat nec in rerum natura fuerat, sola uerbi Dei uirtute adiuta producere, poterit utiq; in die resurrectionis ad uocem filij Dei proferre uiua corpora, quæ mortua accepit. Cum primùm iuberetur germinare herbas & arbores, germinabat ac proferebat herbas & arbores, quarum antea nihil in se acceperat. Postea quotannis semina quæ accipit mortua & arida, niua & uiridia producit. Seruiant ista ad confirmandam in nobis fidem uerbi Dei, & futuræ resurrectionis certitudinem.

OBSERVATIO II.

In genere suo.] Expendendũ est, quod uoculam illam למינה, id est, secundum genus suum, uel, ad speciem suam, quinquies repetit, bis in mandato Dei, & ter in narratione operis. Qua in re apparet illum singulari studio hoc nobis inculcare, quod genera ista animaliũ, iumentorũ seorsim, reptiliũ seorsim, & bestiarum seorsim à Deo sint summa sapientia condita. Diuersæ sunt illorũ non solum formæ, sed & natura, & mores, & uictus: quæ diuersitas non nisi summa est ac singulari ratione diuinitus instituta. Nostræ fuerit industriæ & prudentiæ, omnium horũ generũ tam diuersorũ & naturas & usum obseruare, non solum ad hoc, ut illa nostris necessitatibus accommodemus: sed ad id quoq;, ut opulentiam illam infinitam sapientiæ ac potentiæ Dei consideremus ac celebremus.

OBSERVATIO III.

Et omne reptile terræ in genere suo.] Obserua, quod nõ simpliciter dicit, Et reptile terræ: sed, Et omne reptile terræ. Creauit non solum omnia reptilia, sed & omnia iumenta, & omnes bestias, cum suis quæq; generibus: & tamen ubi de iumentis loquitur ac bestijs perticulam uniuersalem, כל id est, omne non adiecit, adiecit autem ubi de reptilium creatione loquitur. Quid aliud agit, quàm ut suadeat nobis nullum esse genus reptilium uermiculorum, ac serpentum, tam despicabile, quod non sit à creatore omnium factum. Sed ea de re & suprà in obseruatione quarta diei quinti admonui.

DE OPIFICIO HOMINIS.

A

Et ait Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscib. maris & uolatilibus cœli & bestijs, uniuersæq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra.

Et creauit Deus hominem ad imaginẽ & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos.

Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & uolatilib. cœli, & uniuersis animantibus quæ mouentur super terram.

LECTIO.

Quod in uers. 28. græcus habet, καὶ πάσης τῆς γῆς, καὶ πασῶν τῶν ἑρπετῶν, in Hebr. nõ legit. Nec illud in Hebræo habet, quod latinus interpres in uer. 26. dicit, Omniq; reptili: sed simpliciter, Omniq; quod mouetur super terram: sicuti nec illud quod in uers. 27. uertit, Et similitudinem. Et in uer. 28. ubi reddidit, Benedixitq; illis Deus, & ait, Hebræus habet: Et benedixit illis Deus, & dixit ad eos Deus.

EXPLANATIO.

Postquam operis diuini quod sexto die factum est, primam partem de creatione bestiarũ terrestriũ expediuit, iam ex ordine progreditur ad alteram ac postremam, docturus nos, quomodo sit homo conditus à Deo. Tradit autem hac de re in isto contextu tria. Primum de creatione, secundum de dignitate, tertium de multiplicatione ac propagatione generis humani.

Primò, de creatione hominis sic dicit: Et ait Deus, Faciamus hominẽ. Item, Et creauit Deus hominem. Sic inducit Deum & de faciendo homine constituentẽ, & post constitutionẽ creantem. De uerbis aũt istis, Faciamus hominẽ, in sequentibus uidebimus. Quod dicit, Masculũ & fœminã creauit eos: nõ sic est intelligendũ, quòd unà cum Adamo simul crearit & Euã, sed sic est per anticipationẽ de fœmina loquutus, cuius factura capite sequenti specialiter exponetur. Voluit aũt illius mentionẽ hoc loco facere, ut utrũq; sextũ maris & fœminæ propter benedictionẽ multiplicationis præmitteret. Nam de illa erat immediatè cõmemoraturus. Quomodo aũt, & unde factus sit primus homo, in præsenti quidem nõ meminit, exponet aũt in sequenti cap. diligentius. Constituit enim in descriptione sex dierum hunc ordinem seruare, ut & creationem singulorum, & multiplicationem summatim complecteretur. Quare et de creatione hominis memorans, etiam ea quæ Euam, deinde & multiplicationis benedictionem concernunt, obiter attingere uoluit. B

Deinde, quòd dignitatem hominis concernit, sic dicit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & uolatilibus cœli, & bestijs, uniuersæq; terræ, & omni quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum. Et in benedictione, Crescite, inquit, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, uolatilibus cœli, & uniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Ista tot uerbis inculcata declarant nobis conditum esse hominem nec eo modo, nec eo fine quo reliqua sunt animantia facta. sed sic, ut diuinitatis in se gereret imaginem, Deoq; similis existeret. Quomodo autem ad imaginem Dei factus sit, in quæstionibns exponetur.

Tertiò, de multiplicatione ac progatione generis humani sic meminit: Benedixitq; illis Deus, & ait, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Quod dicit Crescite, non est si Adamum & Euam respexerimus intelligendum de corporum augmento, sed de fœcunditate ac fructificatione, quod uox Hebræa פרו satis indicat, quæ nõ augmentari magnitudine, sed ferendis fructibus fertilem esse significat. Sic Gen. 24. Crescas in multa millia. Et 35. Crescе, & multiplicare. Et Exod. 1. Tanto magis multiplicabaĩ & crescebat. Quod corpora Adæ & Euæ attinet, sunt in ipsa staturæ perfectione condita, ut non fuerit necesse aliquid postea augmẽti accrescere. Vox multiplicandi & ipsa quidem fœcũditatem concernit: uerùm amplius quiddam adfert, nempe fœcunditatẽ nõ modicam & parcam, sed multam, qua duo indiuidua in multã sobolem multiplicẽtur. Huc facit & tertium, Et replete terram, qua particula & multiplicationis uis & copia exprimitur, ac tanta destinatur, ut uniuersam terram occupet. Et hic sensus uerborum istorum, Crescite, multiplicamini, & replete terram, etiam illis conuenit, quæ suprà in benedictione aquatilium ijsdem ac totidem sunt uerbis posita. Scio Basilium ista aliter exponere, uerùm quæ mihi uidentur simpliciora, & uerbis Ebr. uiciniora, sine cuiusquam præiudicio in medium adferre statui.

QVAESTIONES.

Et ait Deus: Faciamus hominem.] Quæritur hoc loco ad quem sit Deus ista locutus, Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram: & an plures sint hominis opifices, ad quorum sit imaginem factus. Ad hanc quæstionẽ respondent Iudæi uariè, ne ueritatem agnoscere cogantur. Alij dicunt sic esse Deum loquutũ angelis, quasi illorum opera ad creandũ hominem uti uoluerit. Verùm insensati non uident, quàm sit absurdũ eos constituere nostros creatores, quos habemus sub uno Deo nostro conseruos. Si angeli sunt naturæ nostræ opifices, quomodo illis honorem cultus & adorationis opifici ac creatori debitum denegabimus? Si uerò non sunt opifices nostri, sed conserui, neque οὐδὲ γὰρ

Dei

A Dei in opere creationis, ſed factura illius perinde atq; nos, quomodo intelligendum eſt ad illos dixiſſe Deum, Faciamus hominem? Quò & illud accedit. Non dicit, Ad imaginem & ſimilitudinem meam: ſed, Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Si loquutus eſt ad angelos, iam non ſolum habemus angelos creatores noſtros, ſed & archetypos, ut non ad Dei tantum, ſed & ad illorum ſimus imaginem conditi. Si hæc aũt tanquã abſurda & ſacris ſcripturis repugnantia meritò repudiantur, conſequens eſt, non eſſe Deum ad angelos loquutũ, cum diceret: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Planè deteſtãda eſt hæc opinio, quæ ſuſpicionem mouet, quaſi nequiuerit Deus poſt facturam cœli, maris, terræ & quæ in illis ſunt omnium iam impletam, hominem cõdere ſolus, ſed neceſſe habuerit creaturarũ ſuarum accerſere auxiliũ. Alij dicunt, eſſe Dominũ loquutũ ad quatuor elementa, quibus primò creatis poſtea fit ad opera ſex dierum perficienda uſus. Nec dixiſſe, Producite hominẽ: ſed, Faciamus hominẽ, eo quòd licet corpus quidẽ, anima tamen ab illis produci nõ poſſet, ſed diuinã uirtutem requireret. Sic miſeri nõ ſolũ angelos, ſed & ſurda & inſenſata elementa creatores noſtros conſtituũt. Qua itaq; ratione culpabimus eos, qui creaturis iſtis diuinitatis honorẽ aſsignarũt? Quo iure infrà dicitur, Et dominamini uniuerſæ terræ, ſi terrã habemus unà cum Deo naturæ noſtræ factricem? Etenim quid magis impium cogitari poterit, quàm creaturæ dominium in creatricem tribuere potẽtiam? Alij rurſus, quoniam intelligunt iſta abſurditati eſſe obnoxia, dicunt Deum nec ad angelos, nec ad elementa, ſed de ſe ipſo ad hũc eſſe modum honoris gratia in plurali loquutum, ſicuti reges ac principes facere ſolent. uerũm iſti non obſeruant, nec intelligunt, quàm non euadant hac eluſione. Etenim quod reges ac principes ad hunc modum de ſe pluraliter loqui cõſueuerunt, nõ honoris ſed modeſtiæ gratia primũ fieri cœpit ab illis, qui agnoſcebant ſe non libera & priuata, ſed obſtricta & communi, procerũ uidelicet & populi poteſtate uti. Nolebant illi de ſe ſingulariter loqui, ne quid ſibi ſingularis poteſtatis adſcribi uiderentur. Quare cum pluraliter loquuntur, ipſa loquutio poteſtatem eam ſignificat, quæ ſit ipſis communis cum alijs multis, licet hodie longe aliter huiuſmodi loquutio uſurpetur.

Itaq; relictis cæcorũ hominũ ineptijs ac tergiuerſationibus ſentiamus, fideliter ac ueraciter eſſe hac loquutione, Faciamus hominẽ ad imaginẽ & ſimilitudinẽ noſtrã myſteriũ S. Triadis paulo luculẽtius quàm antea expreſſum, atq; ita Deum patrem uerbi ac ſpiritus ſui cõmunicationem ad hunc modum expreſsiſſe: Deinde Moſen in enarratione facti diligenti cautione nõ dixiſſe, Et creauerunt hominẽ, ne pluralitatẽ Deorũ ad confirmandã Gentiũ impietatẽ introducere uideretur, ſed in ſingulari, Et creauit B Deus, ſicuti etiã nõ dixit, Et dixerũt, Faciamus hominẽ: ſed, Et ait Deus, Faciamus hominẽ, ut ſic innueret communicationem operis S. Triadis, ut ſimul unitatem diuinitatis non obſcuraret. Quare magna ſit oportet Iudæorum cæcitas, qua fit, ut citius ſint in cõmunicationem diuinitatis admiſſuri uel angelos uel elementa quàm uerbum & ſpiritum Dei. *De S. Triade.*

Ad imaginẽ & ſimilitudinẽ noſtrã.] Quærũt hoc loco Manichæi, quomodo uerũ eſſe poſsit, quod Moſes hominẽ ad imaginẽ Dei factũ eſſe ſcribit. Et quoniã de figura corporis noſtri intelligũt, interrogãt, habeat ne Deus corpus & mẽbra noſtris mẽbris configurata, cum ſit ſpiritus. Deinde Anthropomorphitæ, quoniã in S. ſcripturis mẽbra quædã Deo tribui uident, ut pote cum legũt, Os Domini loquutũ eſt. Item oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorũ. Et, dextera Domini fecit uirtutem. Et, Brachiũ Domini cui reuelatum eſt. Et, Terra ſcabellũ pedũ eius, & quæ alia ſunt ſimilia, intelligũt hominẽ ſic eſſe ad imaginẽ & ſimilitudinẽ Dei cõditum, quod Deus uerè corpus habeat humano corpori cõforme. Iſti ſcripturas uet. Teſt. nõ reijciũt, uerũ ex nõ intellectis errorem hauriũt, ut indignè de Deo ſentiant. Manichæi uerò uetus teſtamentũ nõ recipiunt, & quoniã ſciũt Deũ eſſe ſpiritũ, nec habere corpus, & mẽbra, cauillũ hoc loco aduerſus Moſen ſtruunt, quaſi nullo ſenſu uerum eſſe poſsit, quod hominem ad imaginẽ Dei factum eſſe ſcripſit. Quærendũ igitur eſt, quomodo intelligẽdum ſit uerum eſſe quod Moſes dicit, & ſimul errare Anthropomorphitas, & Manichæos impiè cauilium aduerſus uerita tem ſtruere. Dicam quid mihi uideatur. Principio ſtatuendum eſt certo, nõ mentiri Moſen, ſed omnino uerum eſſe quod hominẽ ad imaginẽ Dei conditũ eſſe dicit, cuius rei non ſolum è ueteri, ſed & nouo teſtamento certa extant teſtimonia, utpote 1. Cor. 11. & Iacobi 3. quibus Manichæi credere debebant, quandoquidem ſe nouum teſt. amplecti ſimulabãt. Deinde firmiter ſentiendũ eſt, eſſe Deum ſpiritũ, non corpus aliquod animatũ ac membratũ, ut ita dicam. Eſſe autem ſpiritũ præter alia teſtimonia S. ſcripturarũ, & Chriſtus ipſe teſtatur Ioan. 4. Quare Iſraeli tantopere interdicebat ne quã ſimilitudinẽ Deo ponerent. Vide Deut. 4. Eſa. 40. & 46. dubio procul, quod ſit ineffigiabilis. Quare merito craſsiſsimus Anthropomorphitarũ error à ueteribus eſt condemnatus. Tertio cogitandũ eſt, multum referre qua tenus Deo quiſquam reddatur ſimilis, quandoquidẽ fieri non poterit, ut per omnia Deo aſsimilemur. Eſt Deo ſua eſſentia, in qua tres diuinitatis hypoſtaſes ſolæ cõmunicant. Eſt illi naturalis qualitas, qua eſt iuſtus, bonus, ſapiens &c. Eſt item diuina potentia, qua cuncta gubernat Dominus & Rex omnium quæ in cœlo ſunt & in terra. Videndũ eſt ergo, ad cuius ex hiſce tribus conditi ſimus imaginẽ. Ad imaginẽ eſſentiæ Dei conditũ eſſe genus humanũ nemo opinor ſenſerit, modo qualitercunq; cordatus. Reliquũ igitur eſt, ut ſimus uel ad qualitatis illius uel ad potentiæ dominatricis omnũ imaginẽ & ſimilitudinẽ conditi. Et hic noſtrorũ ſententiæ diuiduntur. Alij ſentiũt de anima rationali, in qua eſt memoria, intellectus & uoluntas, ut ſecundũ hanc ſit homo ad imaginẽ Dei conditus, atq; ita ponunt imaginem Dei in hominẽ interiorẽ, tanquã intelligentem, ſapientẽ, recogitantem rectèq; animatũ. Et quod ſequitur, Et præſit piſcibus maris, & uolatilibus cœli, & beſtijs uniuerſæq; terræ, & omni quod mouetur in ter-

Quomodo uerũ eſſe poſsit, quod Moſes hominem ad imaginẽ Dei creatum eſſe dicit.

Manichæi.

Anthropomorphitæ.

Eſſe hominẽ ad imaginem Dei conditum.

Eſſe Deum ſpiritum.

Multum refirre quũ quis Deo aſsimiletur.

Sentẽtiæ noſtrorum uariant de anima rationali.

in terra, iudicant non esse referendũ ad imaginẽ ac similitudinem Dei: sed positũ esse tanquã annexum quid, quod imaginẽ Dei consequatur. Esse enim consequens, ut homo ad imaginẽ Dei conditus, quoniam sapiens est, sciens bonũ & malũ & ratione præditus, superior sit bestijs omnibus ratione destitutis, illisq; præsit. Et hæc mihi sententia magis philosophiæ uidet spiritum præferre, quàm simplicitas theologica exposcat. Habet quidem sapientia & facultas rationis, bestijs non concessa, quandã in se diuinitatis imaginem, unde & serpẽs dicebat, Eritis sicut dij, scientes bonũ et malũ, si de arbore hac scientiæ boni ac mali comederitis: & Deus quoq;, Ecce Adã factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum & malum. uerùm hæc ipsa cùm serpentis tum Dei uerba, meo iudicio, satis innuũt, nõ esse de usu rationis ac scientia boni & mali intelligendũ, quod dictũ est, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostrã. A

De potentia dominatrice. Ch. ysost.

Alij exponunt de potentia ac dignitate omniũ dominatrice, secundũ quam sit homo ad imaginem Dei conditus, & super terram ac quæ in illa sunt omnia dominis constitutus. Ad hunc modũ sensit Chrysostomus, cuius hæc sunt uerba: Emergite, inquit, & respiscite paulisper, aspicite lumen iusticiæ, expendite uobiscũ uerborũ diligentiã. Neq; enim cum dixit, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostrã: hic sermonem finiuit, sed per ea quæ adiungit, manifestũ nobis facit quo sensu nomen imaginis posuerit. Quid autem dicit? Et dominentur piscibus maris, & uolatilibus cœli, & omnibus reptilib. super terrã. Imaginem ergo dixit de principatu & dominio, nõ de alio aliquo: quia Deus fecit hominem principem omniũ, quæ sunt super terrã: & nihil super terrã homine maius est, & omnia sub potestate eius sunt. Hæc Chrysostomus. Et 33. quæst. 5. cap. Hæc imago. sic legimus: Hæc imago Dei est in homine, ut unus factus sit dominus ex quo cæteri oriantur, habens imperiũ Dei quasi uicarius eius. Quia unius Dei habet uir imaginem. Ideoq; mulier ad imaginem Dei non est facta. Sic etenim dicit, Fecit Deus hominẽ, ad imaginẽ & similitudinem Dei fecit illũ. Hinc etiã Apostolus, uir quidem, ait, nõ debet uelare caput, quia imago & gloria Dei est: mulier ideo uelet, quia nõ est gloria aut imago Dei. Hæc ibi. Et hanc sententiã malo sequi, quàm eã quæ philosophicã argutiã spirat: & talis præterea est, ut pari ratione angeli quoq; ad imaginem Dei conditi uideri possint. Etenim si rationem, sapientiam, uoluntatem, intellectũ, & quæ alia sunt huiusmodi, spectare in hac causa, inq; illa imaginem hãc Dei collocare conuenit, nihil impedit, quo minus & angeli, idq; multo iustius quàm nos, ad imaginem Dei conditi dicãtur. Nam ad diuinã sapientiã & intelligentiã propius aliquanto accedunt quàm nos. Et tamen scriptura illis nõ tribuit, sicut homini tribuit, quòd sint ad imaginem & similitudinem Dei facti. Quare? Quia uidelicet nõ sunt dñi terræ & bestiarũ cõstituti: quã dignitatem homini Deus expresse cõtulit. Quapropter sicuti Anthropomorphitis dicere possumus, Si homo propterea est ad imaginem Dei constitutus, quod membrorũ figuras habeat Deus, membris nostris cõsimiles, ergo & bestiæ & iumenta ad imaginem illius sunt cõdita, quæ & ipsa habent capita, aures, oculos, pectora, dorsum, uentrẽ, manus, pedes, digitos, & nõ minus quàm homo: ita & istis respondere licet, qui imaginem Dei cõstituũt in ea quæ sunt hominis interioris & animæ ratione ac sapientia præditæ, si uera est ipsorũ sententia, magis cõpetere istã imaginis Dei dignitatem angelis quàm hominib. Et ipse satan plus habet intelligẽtiæ quàm homines. Quare cõuenientius est, ut uerba ista, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostrã, &c. Et creauit Deus hominem ad imaginem suã, ad imaginẽ Dei creauit illũ: simpliciter de dignitate & eminẽtia dominij intelligamus, quã secundũ uerba sequẽtia, Super omnẽ terrã & cunctas bestias tam maris quàm terræ à Deo accepit. Et hic sensus planè perspicuus est. perinde ac si dicas, Fecit Deus leonẽ ad imaginem ac similitudinem regis, unde nemo uel de forma corporis, uel de sapientia, sed magis de potentia regis dici intelligeret, qua sicuti rex inter homines, ita leo inter bestias dominatur. Finge Pharaonẽ de Iosepho dixisse, Cõstituamus Iosephũ ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã, & præsit mari & terræ, & cunctis regni nostri tam primoribus quàm populis. Item, Et constituit Pharao Iosephum ad imaginem suam, ad imaginem regis constituit eum. Quæso quisnam adeo stupidus est, qui non ex huiusmodi uerbis intelligeret, constitutum fuisse Pharaonem ad imaginem nec corporis nec sapientiæ, sed potentiæ ac dominij regis? Verùm sic de hac sententia quid sentiam, in medium adfero, ut interea nemini præiudicem. Sicuti mihi liberum esse uolo ut quod sentio cum modestia proferam: ita & alios hac ipsa libertate ad ædificationem Ecclesiæ uti cupio. B

Quomodo dominetur homo bestijs.

Et dominetur piscibus maris & uolatilibus cœli.] Et de hoc quærũt, quomodo uerũ sit, dominari hominẽ piscibus maris & uolatilib. cœli, cum ne bestijs terræ quidẽ dominet, nedum piscib à cõmercio humano segregatis, & uolatilib. in liberũ aerẽ auolantib. Ad hanc quæstionẽ Chrysostomus respõdet, dominiũ hoc post transgressionẽ diuini mãdati esse dissolutum, ut iam habeamus bestias & inobedientes & aduersantes, ante peccatũ uerò fuisse illas obedientes: & adducit argumẽti uice primũ illud, quod infrà cap. 2. omnes bestiæ terræ & uolucres cœli ad Adamũ adductæ, & nomina sua ab illo adeptæ legunt. deinde, quòd serpẽs à colloquio mulieris nõ abhorruit. Basilius cõtendit dominij huius luculẽta adhuc supere esse uestigia, quorũ magnã partẽ cùm terrori quo bestiæ uiso homine correptæ è medio sese abripiũt, tũ industriæ deputat, qua per hominẽ uel capiunt, uel ad seruiendũ cogunt. Itaq; sic statuendũ esse iudico, plenitudinẽ dominij huius esse per peccatũ humano generi ademptã, ut per inobedientiã bestiarũ ad cogitandum de malo uiolati præcepti diuini admoneamur: deinde superesse adhuc aliquas illius reliquias, ut per has inducamur in recordationẽ amissæ potestatis, & simul necessitatib. nostris pro bonitate Dei seruiat. Illud simul cogitandũ est, esse nobis potestatẽ hãc per Christũ sic reparatã, ut nõ solũ pisces maris, uolucres cœli, & bestiæ terræ, sed omnia in uniuersum, mũdus, uita, mors, præsentia, futura, Paulus, Apollos, Cephas, nostra sint. Nec est ut quisquã istis eã ob causam cõtradicat, quòd actu illa

Potestas p Christum reparata. 1. Cor. 3.

A nõ posſidemus, p nostro arbitratu. Nam nec hæredi, cuius omnia sunt paterna bona, usus liber datur eo rum quorum hæres existit, sed tantum de illis pro uolũtate patris dispensatur, quantũ ipsa requirit necessitas. Quare prorsus ingrati homines sunt, qui & illud hoc loco quærũt quidnã inde nobis esset emolumẽti, quòd domini constituti sumus terræ, piscíũ, uolucrũ, & bestiarũ terræ, etiãsi dominio isto adhuc integro potiremur. Vt nõ agnoscũt philanthropiã Dei in hac causa, ita digni nõ sunt, qui uel unius pedis spaciũ in hac terra, uel unius aselli usum possideãt, nedũ qui filij & hæredes Dei in Christo existant.

Et creauit Deus hominem ad imaginem suam.] Quærit hoc loco Basilius, quare non adiecerit Moses, Et ad similitudinem suam, cum in uerbo Dei ea fuerit adiuncta particula. Neq; enim simpliciter dixerat Deus, Faciamus hominẽ ad imaginem nostrã: sed adiecerat, Et secundũ similitudinem nostrã. Quærit igitur, an consiliũ Dei mutatũ sit in opere, & an pœnituerit Deum consilij sui ex parte, uel quod instituerat ad perfectionem perducere nequiuerit, aut insit ne nugacitas aliqua in uerbis, uel Moses opus Dei nõ perfectè exposuerit. Respondet aũt ad quæstionẽ hanc, habere quidẽ nos ex creatione, quòd ad imaginẽ Dei cõditi sumus, atq; ita impletũ esse quod dixerat Deus, Faciamus hominẽ ad imaginẽ nostrã: quod uerò similitudinẽ Dei concernit, nõ esse nobis in creatione cõcessum, sed unicuiq; p posĩtũ, ut, p posĩti nostri studio acquiratur. Sẽtit enim imaginẽ Dei in ratiõis usu cõsistere, similitudinẽ uerò in eo quòd pietatis studio Deo similes reddimur. Et sic Lyranus dicit, Imago Dei consistit in anima, quantũ ad, p prietates naturales, memoriã uidelicet, intelligentiã & uoluntatẽ attinet. Similitudo uerò in gratuitis: & ideo similitudo est quædã perfectio imaginis, quia gratia perficit naturã. Hæc ille. Sic Basilius disputat: Ad imaginẽ, inquit, Dei factũ esse, ex eo habeo, quòd ratione præditus sum: similẽ uerò Deo fieri, ex eo quòd Christianus sum. Et posterius hoc dicit nobis inesse potẽtialiter, effectualiter uerò ad illius cõsecutionẽ impelli nos à nobis ipsis. Et potentiã hanc nobis inditã esse à Deo per id, quòd sic initio cõsultauit ac dixit, Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã: nostrũ uerò impulsum ac studiũ ad effectũ requiri, p pterea, ut causa sit per quã ad mercedis, præmij ac retributionis gloriã permoueamur. Sic sensit ille cũ nõnullis alijs: uerũ, meo iudicio, uidẽt hæc sententia à simplicitate Mosaicæ dictionis remotior, quàm ut, p germana sit amplexanda, ut ea taceã quæ de potẽtia nobis ad acquirendam similitudinẽ Dei indita, p ponunt. Quare uident hæ duæ uoces צלם & דמות, id est, imago & similitudo, nõ esse à se inuicẽ dirimẽdæ, quasi nõ sint more scripturæ de re positæ eadẽ, sed in eodẽ hic signi ficatu retinendæ, ut eade sit imago quæ similitudo: & ad imaginẽ Dei factũ esse, idẽ quod factũ esse ad similitudinẽ Dei. Hoc pacto usus est hisce uocib. Moses planè simpliciter: sicut & infrà cap. 5. fecit, ubi
B de Adamo scribit ad hunc modũ: Et uixit Adam 100. & 30. annos, & genuit בדמותו כצלמו, id est, in similitudine sua secundũ imaginẽ suã, ubi similitudinis uox præponit, & imaginis subijcit, ut manifestè appareat, indifferenter esse Mosen istis dictionib. usum. Quod uerò nouũ hominem attinet, qui est ex Christo, manifestũ est, Apostolũ illi accõmodare uocẽ imaginis, nõ minus quàm similitudinis, sicuti uidere licet Ro. 8. cũ dicit: Nam quos præsciuit, eos & prædestinauit cõformes fieri imagini filij sui. Et 2. Cor. 3. Nos uerò omnes, inquit, reuelata facie gloriã Dñi speculantes in eandẽ imaginem transformamur à claritate in claritatẽ, tanquã à Domini spiritu. Et Coloss. 3. Expoliantes, inquit, ueterẽ hominẽ cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitione Dei secundum imaginẽ eius qui creauit eum. Hisce locis manifestum redditur, subtilem illam & philosophicam distinctionẽ inter imaginem & similitudinem nihil habere loci nec in Mose nec in literis Apostolicis. Quare meritò monendi sunt omnes S. literarum candidati, ut in lectione eorum qui plus afferunt de seculari philosophia in expositione S. scripturarum, quàm simplicitati Christianæ conducit, cautè & cum iudicio uersentur.

Masculũ & fœminã creauit eos.] A Iudæis hoc loco quæritur, quomodo masculũ & fœminã initio creauerit Et quoniã cũ dixisset Moses, ad imaginẽ Dei creauit illũ, subiungit ad hunc modũ, Masculũ & fœminã creauit eos. putant ex eo cõstare, quòd in prima creatione factus sit Adã androgynus, sic ut simul esset mas et fœmina corporib. quidẽ integris, ac sexu distinctis, sed laterib. cõiunctis: quæ cõiunctio postea sit per separationẽ soluta. Verũ Iudæorũ deliria sequens historia de formatione Euæ, quæ cap. seqũti legitur, satis euidẽter redarguit. Quare, sicut & suprà monui, per anticipationẽ legenda est præsens hæc particula, qua dicit, Masculũ & fœminã fecit eos.

OBSERVAT. I.

Et ait Deus, Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã.] Considerandũ est hoc loco, quanta sit hominis dignitas. Quãuis enim post peccatũ adeò facti sumus uani ac despicabiles, ut rectè dicat Prophera, Vanitas omnis homo uiuens, profuerit tñ generis nostri dignitatẽ in ipsa nobis creatione diuinitus concessam ad hoc intueri, ut bonitate ac philanthropia Dei in illa perspecta, cum eodem Prophera exclamemus ac dicamus: Domine quid est homo, quòd memor es eius: aut filius hominis, quòd uisitas eum? Minuisti eum paululũ à Deo, gloria & honore coronasti eũ, & constituisti eũ super opera manuum tuarum. Consideremus autẽ dignitatẽ hominis primùm in eo quòd non dicit, Fiat homo: sicuti dixerat, Fiat lux, Fiat firmamẽtum, Fiant luminaria, Congregent aquæ, Germinet terra: nec dicit, Producat terra hominem, sicut dixerat, Producat terra animam uiuentem in genere suo: sed ueluti post præcedentium omnium creationem singulari quodam ad condendum hominem usurus studio et consilio, Faciamus, inquit, hominẽ. qua loquutione satis innuitur, uoluisse Deum hominem facere, qui præcedẽtia omnia excelleret, & ab illis singulari cõditione segregaret. Deinde & in eo quoq; dignitas hominis relucet, quòd mysteriũ S. Triadis in creatiõe ipsius aliquãto clarius innuit, quàm antea, cũ nõ dicit, Faciã hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ meã: sed, Faciamus hominẽ ad imaginẽ et similitudinẽ nostrã. qua de re suprà monuimus. Sentiunt quidã esse hoc eã ob causam factũ, quòd in anima hominis

Quare non adiecerit Moses, Et ad similitudinẽ suam.

Quanta sit hominis dignitas.

Psal. 8.

Mysteriũ S. Triadis.

futura esset S. trinitatis imago, in memoria uidelicet, intelligentia & uoluntate: id quod in animantibus, siue aquatilibus, siue uolatilibus, siue terrestribus factum non sit. Quicquid ueri habeat ea ratio, id sanè patet admodũ cõuenienter esse factũ, quod in creatione hominis mysteriũ hoc S. Triadis manifestius indicatũ est quàm antea, quod postea in illius regeneratione palàm erat ac disertis uerbis nõ simpliciter, sed singulariter ad sanctificationẽ symboli regenerationis ab ipso Christo uerbo Dei incarnato exprimendũ, sicuti Matt. ult. dixisse legit, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomẽ patris, & filij, & spiritus sancti. Tertiò & illud ad dignitatem generis nostri facit, quod dicit, Ad imaginem et similitudinẽ nostrã. Quanta dignitas sit, conditũ esse ad imaginẽ ac similitudinẽ Dei, nemo satis expenderit, etiamsi quàm maximè de illà cogitet. Planè admiratione summa dignũ est, quòd Adam è terra secundũ nomen suũ sumptus, formaꝛ ad imaginẽ Dei. Quòd si mendicus eueheꝛet ad imaginem regis, fortunæ raritatẽ nemo nõ admiꝛaꝛet. Magnũ uideꝛ, quòd puer Hebræus è uinculis eductus ad imaginẽ ac similitudinẽ regis sublimatus est in Aegypto. Quanto maiore cũ admiratione celebrandũ est quòd puluis & terra in hoc à Deo formaꝛ, ut sit ad imaginẽ ac similitudinẽ Deiꝰ Admonemur igiꝛ hac consideratione, primũ ut originis nostræ memores, diuinæ erga nos dignationi sanctè ac piè uiuendo respondeamus, ne diuinã in nobis imaginẽ turpitudine uitæ prophanemus. Deinde ut dignitatẽ hanc in mortalib. omnibus, præsertim fratrib. ac fidelibus, ueneremur, ne quẽ temerè lædamus. Indignã rem cõmissam esse clamant, ficubi imagines hominũ mortuorũ, in tẽplis ad cultũ cõtra præceptũ Dei prostantes, è medio sublatæ fuerint, & interea zelo illarũ imaginũ sæuiunt in imagines Dei uiuas, homines infideles & mente corrupti. Si quis imaginẽ ab ipso rege positã uiolaret, læsæ maiest. regiæ reus ageꝛeꝛ. Quid quæso illis est expectandũ, qui imagines Dei, à Deo ipso conditas, probris proscindunt, & crudeliter trucidant & mactantꝰ quasi melior sit imago hominis mortui, quàm Dei uiuentis, & ab homine ficta, quàm à Deo ipso ad similitudinẽ Dei conditaꝰ Eò scilicet peruenimus insaniæ, ut dignitatẽ hanc imaginis Dei neq; cohonestemus in nobis ipsis, neq; ueneremur in proximis: nõ tam hac in re Deo similes, quàm satanæ, qui neq; angelicam dignitatem in seipso custodiebat, neq; diuinã imaginẽ in homine reuerebatur.

Magnum est, q; terra formatur ad dignitatẽ Dei

OBSERVATIO II.

Et præsit piscib. maris, & uolatilib. cœli, & bestijs, uniuersæq; terræ, omniq; quod mouetur in terra.] Obseruandũ est hoc loco uerbũ Hebræũ רדה, quod hic positũ est וירדו, id est, & dominent, in plurali. Latinus hic uertit, Et præsit, duplici incõmodo. Primũ quòd nõ idem est præesse & dominari. Nã dominari, rei alicuius dominiũ esse, ac ius illa pro arbitrio utendi habere: præesse uerò, gubernare ac dirigere significat. Illud dominiũ ac ius, hoc potestatẽ cũ sapiẽtia ac prudẽtia cõiunctã requirit: illud dominantis, hoc uerò subditæ rei cõmodũ spectat. Deinde quod per uerbũ singulare spiritũ huius particulæ nõ expressit. Sunt igiꝛ hic duo obseruanda. Vnũ, constitutũ esse hominẽ non moderatorẽ, gubernatorẽ, directorẽ, ac cõseruatorem pisciũ, uolucrũ, bestiarũ ac terræ, sed dominũ & herũ, qui illis omnib. pro suo cõmodo utatur. Cæterũ gubernationẽ, cõseruationem ac moderationem omniũ, sibij ipsi retinuit Deus: qui & solus omnib. quæ cõdidit, prouidentia sua præesse & nouit & potest. Qua in re uidemus, quanta dignatione ac beneuolentia genus humanũ Deus etiã antequã conderet prosequutus sit. Ipse condidit omnia, & à se condita cõseruat, alit, multiplicat, gubernat, & in ordine singula pro sua sapientia, prouidentia et potentia inscrutabili & infinita retinet, & interea omniũ ius & dominiũ collocat in hominẽ, cõstituens eum Deũ ac dominũ terræ, pisciũ, uolucrũ, bestiarũ, & omniũ quæ mouent in terra. Vbi ista cõsidero, arbitror admodũ inconsideratè fieri ab illis, qui dominiũ hoc homini concessum in omnia præsidentiã & gubernationẽ omniũ pisciũ, uolucrũ, bestiarũ, ac totius terræ interpretant, quasi tanta fuerit hominis sapientia ac prudentia, ut sufficerit istis omnibus gubernandis ac cõseruandis. Alterũ est, quòd nõ in singulari, sed in plurali loquit, dicens, וירדו, id est, & dominent, ubi admonemur, dominatũ hunc terræ, & quæ in illa sunt omniũ non esse uni tantũ Adæ primo homini, sed & omnib. illius posteris, uniuerso humano generi, antequã crearet destinatũ. Interea tamen nemo putet probari Deo confusionem illã quã Anabaptistæ quidam affectant, dum omnia quæ in terra sunt, cõmuniter omnib. pro libidine absq; ulla priuata possessione esse permittenda putant. Qui terrã dedit filijs hominũ, ipse et magistratus ordinat, & unicuiq; genti suam tribuit regionem, & singulis deputat, quo suæ suorũq; necessitati cõsulant. Non sunt boni ciues, qui rempub. & quæ ciuitatis sunt bona indiscriminatim & usu promiscuo hoc nomine inuadunt, quòd ciues sint, & ciuilis iuris participes. Quæ sunt omniũ cõmunia, nunquã possunt melius & æquius dispensari, quàm ut unicuiq; sua permittatur portio, qua ad necessitatis normam fine aliorũ inuasione utatur. Sed hoc genus hominũ potestate legitima melius quàm uerbis cohibet. Simul tamen nec illi probandi sunt, qui sic se gerunt in terra, agrũ agro, domũ domui iungentes, ut soli terrã & quæ in illa sunt, filijs hominũ à Deo tradita, occupare uelle uideant. Et horũ inexplebilem auaritiam à magistratibus coerceri cõueniebat. Verũ cum illi suum officiũ non faciant magis quàm olim Iudæorũ principes & iudices, quid aliud reliquũ est, quàm ut iniquitas illorũ sit in auribus Dei: sicut Esa. 5. uidere licet.

Obseruãda uox Hebræa רדה

OBSERVATIO III.

Ad imaginẽ Dei creauit illum] Est hæc particula contra hæreticos illos obseruanda, qui diuinitatem Christi filij Dei & spiritus sancti oppugnant. Dixerat Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quæ uox est S. Triadis. Iam Moses exponens hominis creationem, subiungit, Et creauit Deus hominem ad imaginem suã, ad imaginem Dei creauit illũ. Ergo imago non patris tantũ, sed & filij & spiritus S. Dei est imago. Alioqui uel nõ erat dicendũ, Faciamus hominem ad imaginem & simili-

Aduersus Arianos & Macedonianos.

A & similitudinem nostram: sed, Faciam hominem ad imaginem & similitudinem meam: uel non debebat Moses dicere, Ad imaginem Dei creauit illum. Iam cum sit imago filij quoq; & spiritus sancti, perinde imago Dei, atq; imago patris. uel magis, cum una sit & eadem patris, filij & spiritus sancti imago, relinquitur eiusdem diuinitatis gloriæ & potentiæ cõmunicationem competere & patri, & filio, & spiritui sancto. Eadem ergo diuinitas, eademq; diuinitatis imago S. Triadi detur, ad quã homo creatus à Mose prædicatur. Quare & hac consideratione tam Arianorum quàm Macedoniorũ hæresis damnatur, quorum posteriores spiritus sancti, priores filij Dei diuinitatem negarunt.

OBSERVATIO IIII.

Masculum & fœminam creauit eos.] Considerandum est hoc loco, quid sibi uelit Moses, quòd hanc particulam de utroq; humani generis sexu nominatim adiecit. Etenim quis ignorat totum genus humanũ esse in masculos & fœminas diuisum? Verùm Moses, ut apparet, rem omnib. notissimã ad hoc expressit, ut abusum eorũ damnet, qui constitutionẽ sexuum peruertunt: id quod non Sodomitæ tantũ, sed & gentes pleræq; fecerũt, & à Romanis factũ esse iam olim epistola Pauli ad illos scripta testat. Quare ut de ordine sexuum, à Deo mox initio generis humani constituto admoneat, & peruersionẽ illius damnet, inculcat omnibus, esse à Deo creatos masculũ & fœminam, ut illorũ coniunctione genus humanũ multiplicetur: unde & statim de benedictione multiplicationis subiungit, significans planè maledictos esse, quotquot ordinẽ creationis & multiplicationis peruertunt. Horum execrabilem impuritatem satan sub prætextu cœlibatus ac religionis monasticæ in ecclesiã Christi indelebili nominis Christiani probro induxit, dum in angelum lucis transformatus, obtinuit ut mares seorsim, & fœminæ quoq; separatim sub interdicto legitimi matrimonij ac uoto cœlibatus coniungerentur. Deus creauit & coniunxit masculũ & fœminam, satan illius aduersarius separato utroq; sexu masculos masculis, & fœminas fœminis connexit. Astus illius, cum hæc primùm moliretur, ne à sanctis quidem uiris intelligebatur: iam uerò infelici experientia cognouimus, consilium hoc dissungendorum sexuum non fuisse à Deo, sed ab aduersario Dei, & hoste generis humani satana excogitatum.

OBSERVATIO V.

Benedixitq; illis Deus. & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam.] Primùm observa, esse statum hunc, in quo masculus & fœmina secundum ordinem Dei matrimonio iunguntur, nihil minus quàm impurum & prophanum, sed potius benedictũ, idq; ab eo qui est humani generis creator & autor, imò ipsos coniuges esse benedictos pariter & illorum liberos. Vnde & Apostolus Heb. 13.
B dicit: Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. scortatores autem & adulteros iudicabit Dominus. Quare uehementer detestandi sunt qui coniugium damnant immundiciæ, & ministros Christi ab illo arcent quasi à re illicita & impura, totum genus hominum usu illius spoliaturi, & in uagam libidinẽ inducturi, nisi publica honestas impediret. Simul autem admonemur hoc loco, ut quoniam benedictum & sanctum est coniugium, sancte illo utamur, ne honorem illius in spurcitiam scortationi conformem peruertamus. Sic monet Apostolus quoq;, ut unusquisq; uas suum possideat in sanctificatione & honore, non in passione desiderij sicuti gentes, quæ ignorant Deum. 1. Thess. 4. *Vide decretum Papæ Siritij.*

Deinde in eo quod dicit, Crescite & multiplicamini, notandum est, esse uoluntatem Dei, ut per statũ & usum matrimonij crescat & multiplicetur genus humanũ, & hanc uoluntatẽ illius esse hominib. uice legis primũ in ipsam naturam perinde atq; iumẽtis & bestijs inditam: deinde & uerbo ac mandato Dei præscriptam, qua de re in Locis etiam nostris admonuimus. Quare consequi primũ nõ licere mortalib. ut suapte temeritate à iugo matrimonij sese quisquã eximat, nisi diuinitus ab illo liberet. Deinde fieri nõ posse, ut qui illud abiurant, sicuti faciunt Sacrifici, Monachi, & Nonnæ, non incidant in omnis generis immundiciem, ferro & igne domandam: quorum multi, quo publicũ probrũ effugiant, etiam infanticidium sceleribus suis adiungũt: atq; ita cùm quod matrimonij legem, tum quod fructum illius, id est, humani generis multiplicationem, concernit, execrabiles Dei & humanæ naturæ hostes euadunt.

Huic malo Hieronymus scriptis suis plurimũ fomenti dedit. Aduersus Iouin. lib. 1. sic scribit: Quod aũt ait, Crescite & multiplicamini, & replete terram: necesse fuit prius plantare syluã & crescere, ut esset quod postea posset excidi: subindicans ualuisse hoc præceptũ Dei tantisperdũ humanũ genus esset multiplicatum, & terram repleret, postea uerò non esse tempus crescendi & multiplicandi, terramq; replendi, sed magis ex hominũ multitudine in cœlestia colligendi, quasi sic diuiserit Deus tẽpora humani generis, ut primũ ad summam quandam ueluti arbores in sylua, crescerent & multiplicarentur: deinde abolito matrimonio, cessaret ea multiplicatio, & ex multiplicatis hominibus cœlum repleretur. Quid autem ineptius cogitari potest? Mandati huius uis & efficacia durat in carne nostra ad hodiernum usque diem, durabitq; ad finem usq; mundi: nec prohiberi potest ullis legibus humanis, quin effectum suum, si non legitimum, certè illegitimum consequatur. Deinde inde ab initio mundi cœptum est ex hac syllua generis humani, colligi pios homines in ædificium ciuitatis Dei. Quare & multiplicatio generis humani, & translatio mortalium ex hac uita ad cœlestia perinde iunguntur, atq; in sylua fieri uidemus, in qua simul & crescunt arbores, & exciduntur, ut nemo sit adeò stolidus, ut nolit amplius arbores in sylua sua crescere, ubi ex illis aliquas excidere cœpit.

Tertiò, & eo quod dicit, Et replete terram, idem Hieronymus loco iam citato ad auocandũ à coniugio legitimo superstitiosos homines abutitur, cum dicit: Simulq; consideranda uis uerbi, Replete terrã. Nuptiæ terrã replẽt, uirginitas paradisum. Itẽ, Ante peccatũ uirgines, post peccatũ & extra paradisum protinus

protinus nuptiæ. Sentit non fuisse futuras nuptias in paradiso, si Adam non peccasset, & quòd uirgini- A
tas paradiso ante peccatum destinata fuerit, post peccatum uerò nuptiæ ad replendam terram introductæ: & quoniam uidetur felicius, replere paradisum quàm terram, ideo melius esse, sequi statum uirginitatis, unde paradisus, quàm matrimonium unde terra post peccatum repleatur. Sed oro per Christum, si ista conferantur ad benedictionem Dei, & legem multiplicationis, qua dictum est hominibus, Crescite & multiplicamini, & replete terram, interrogentur & sectatores Hieronymi, quando ista sunt primis nostris parentibus dicta, ante ne uel post peccatum, & an uoluerit Deus per multiplicationem humani generis paradisum repleri uel terram: & si in paradiso mansissent maiores nostri, locum ne in ipsis habuerit benedictio ista, uel minus, & quis futurus fuisset multiplicandi generis nostri modus, an per uirginitatem, uel coniunctionem masculi & fœminæ, quid tandem haberent, quod ad opinionem suam statuendum solidè responderent? Nobis id certò constat, uoluisse Deum multiplicari genus humanum, terramq; non solum paradisum repleri, et hanc benedictionẽ illius esse datam hominibus ante peccatũ, & modum multiplicationis constitutum per coniunctionem masculi & fœminæ: idq; non demũ post peccatum, sed antequam peccassent, & paradisum quoq; si in illo mansissent, fuisse habiturum non solum uirgines, sed & coniuges. Miror uehementer, quid dicturi fuissent, si parentes nostri non in uirginitate, sed demum post nuptias peccassent. Dubio procul contendissent peccatum illorum deberi nuptijs, quando matrimonium ex eo infra uirginitatem deprimunt: quòd post peccatum demum opus multiplicationis huius cœperit? Quare admoneo pios homines, ut magis considerent, quid, quomodo, & quando institutum sit à Deo, quàm quid, quomodo & quando gestum sit à primis hominibus. Virgines peccarunt, idq; in ipso paradiso. Quemadmodũ nolim ex eo contra uirginitatem argutari, ita probare non possum, quod Hieronymus aduersus coniugium ex eo disputat, quòd post peccatum demum cœpit illius effectus.

Quartò nec illud transeundũ est, quod dicit, Et subijcite eam. Videmus hic fontem eius quod Dauid dicit, Et terram dedit filijs hominum, psal. 114. Quòd terram hanc inhabitamus, illamq; potestari nostræ subijcimus, diuino iure facimus, propterea quòd illa nobis est statim initio creationis ab ipso conditore nostro subiecta. Non debemus nobis usum illius uel propria ui, uel ex eo uindicare, quòd homines sumus, ratione & sapientia nescio qua præditi, sed ex eo, quòd potestas illius nobis est statim initio generis nostri concessa. Quare piorum hominũ est, nihil sibi ex omni terra uindicare, quod non sit concessioni huic diuinæ conueniens. Impij sibi in quamuis terram potestatem uindicant, ex eo quod dictum est à Deo, Subijcite terram: item à Propheta, Et terram dedit filijs hominum: quasi potestas illa B
planè libera & sic sit homini tradita, ut nihil in illam iuris retinuerit sibi Deus, sed tantum cœli potestate potiatur. Aduersus hanc impiam cogitationem, diligenti memoria retinendum est quod Apostolus Act. 17. Athenienſib. hac de re proposuit dicens: Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus uitam & inspirationem & omnia, fecerit; ex uno omne genus hominum habitare super uniuersam faciem terræ, definiens stata tempora, & terminos habitationis eorum, &c. Ergo sic est uobis terra subiecta, ut & termini & tempora habitationis illius sint à Deo præfixa. Tamdiu terram possidemus, quamdiu ipsi uidetur, & quibus ipsi placet terminis illam inhabitamus. Detestanda est igitur eorum libido, qui quasuis regiones tyrannidi suæ subijcere, & ultra terminos legitimos dominia sua extendere conantur. Quicquid tamen illi moliantur, nec subijciẽt sibi tantũ telluris quantũ cupiũt: nec diutius regnabunt in terra, quàm diuina Maiestas permittit. Magnus ille Alexander quantumuis felici cursu plurimam sibi terram subijceret, ultra tamen cùm spacium tum tempus à Deo concessum dominij sui potestatem extendere non potuit.

OBSERVATIO VI.

Et dominamini piscibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuersis animantibus, &c.] Cogitandũ hic est, quale sit nobis dominium in bestias aquatiles, uolucres, & terrestres concessum: an tale, quo liceat nobis in illas quicquid pro libidine ac temeritate nostra uolumus, quale etiam absq; ulla regione usurpari uidemus. Verùm sacra scriptura pios homines longè aliter instruit, cum præcipientẽ Deum inducit, ut die sabbati requies detur iumentis, nec permittentem quosuis pisces, aut omnis generis uolucres & bestias in cibum: item mandantem, ne os bouis triturantis obligetur, aut hœdus in lacte matris comedatur, uel mater auicula in nido reperta, unà cum pullis auferatur: quibus locis satis indicatur, sic esse nobis concessum dominium in bestias, ut illis utamur non ad libidinem, sed ad usuum nostrorum necessitatem. Si nocuerunt necessitatibus nostris, usurpanda est potestas diuinitus in illas collata. Quare tyrannidem spirant, qui uenationibus ferarum usqueadeò delectantur, ut nolint eas à subditis ne tum quidem arceri, cum segetes ipsorum depascuntur, & quod magno labore uxoribus ac liberis, imò & reliquorũ mortalium usibus paratum est, gregatim absumunt. Illud tamen haud probarim, si citra ordinem cuiuis liberum sit, in quasuis bestias exercere uenatum. Nam ne prodest quidem plebi, huiusmodi uaga & indiscriminata libertas. Sit modus, sint leges, sint termini, quibus libido mortalium in bestias coerceatur: idq; non solum propter bestias, sed & propter cõmunem mortalium utilitatem.

Dixitq; Deus, Ecce dedi uobis omnem herbam afferentem semen super terrã, & uniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementẽ generis sui, ut sint

A ut sint uobis in escam. Et cunctis animantibus terræ, omnique uolucri cœli, & uniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima uiuens, ut habeant ad uescendum.

Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Et factum est uespere & mane dies sextus.

LECTIO.

Quod latinus interpres uertit, Afferentem semen super terram, in Hebræo est, Afferentem semen, quæ est super faciem uniuersæ terræ. Et illud, Et uniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, in Hebræo sic legitur: Et omne lignum, in quo est fructus, lignum adferens semen. Græcus sic, καὶ πᾶν ξύλον ὃ ἔχει ἐν ἑαυτῷ καρπὸν σπέρματος σπορίμου: id est, Et omne lignum quod habet in semet ipso fructum seminis seminabilis, uel ad seminandum apti. Tertiò quod dicit, Vt habeant ad uescendum, in Hebræo est, Omnia olera uirentia ad cibum. Quartò illud, Et erant ualde bona, Hebraicè sic legitur, Et ecce bona ualde.

EXPLANATIO.

Hactenus opera creationis expediuit Moses, iam & de conseruatione uiuentium animalium & hominum subijcit, quæ uictu & alimonia competenti cõstat. Hanc quomodo Deus instituerit, paucis ad hunc modum exponit. Dixitque Deus, inquit, Ecce dedi uobis omnẽ herbam: quasi dicat, Videris quæ parata sunt uobis in cibum. Omnia hæc, herbas, & arbores, & quæcunque alia terræ nascentia, in uestrũ usum feci: uobisque alia tradidi ac deputaui, ut sint uobis in alimoniam. Et cunctis animantibus terræ, inquit, omnique uolucri cœli, & uniuersis quæ mouentur in terra, &c. Sic præscribit homini, cui bestias omnes subiecerat, ne cibum illis deneget. Ideo dicit, se non solum ipsi, sed & cunctis in terra sese mouentibus & uiuentibus suam deputasse alimoniam. Cõmuniter cibum deputat ex herbis & aromatibus, tam bestijs quàm hominibus. Est tamen uerosimile quod Lyranus annotat, fuisse ea in re constitutum discrimen, iuxta quorumuis animantium, & hominum quoque diuersam naturam, ut ex arboribus comederint homines & aliquot bestiæ: ex herbis serpentes, & iumenta, & feræ. Quod addit, Et factum est ita, referendum est non solum ad legem de uictu, sed & ad ea quæ de dominio homini tradito præ-
B cedunt. Significat enim Moses, rata & firma fuisse, quæ Deus homini à se condito loquutus memoratur. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Hactenus non est ad eum modum loquutus Moses, quòd uiderit Deus cuncta quæ fecerat: sed simpliciter, Et uidit Deus quòd esset bonum. Significat igitur hisce uerbis, absoluisse iam Deum omnia opera sua, postquã hominem condidit, ac benedictione pariter & alimonia necessaria unà cũ reliquis bestijs ad conseruationem instruxit.

QVAESTIONES.

Primùm de eo quæritur, Si immortalis est conditus homo, sicuti cõmuniter sentitur, quid illi opus fuerit cibo aliquo. Etenim cibi usus quisnam alius est, quàm ut corpus alatur, & ne deficiat ac moriatur, in uita conseruetur? Planè alienum ab immortalitate uidetur, quod homini immortali, & ad imaginẽ Dei condito, cibus perinde destinatur atque bestijs, morti inde ab initio obnoxijs. Ad hanc quæstionẽ non potest, meo iudicio, melius respõderi, quàm ut distinguamus inter eam immortalitatem, qua qui præditus est, possit non mori, sed uiuere in sempiternum, nisi peccato suo mortis pœnam incurrat, & eam, quæ sic reddit immortalem, ut mori nunquam possis. Omnino enim aliud est, posse non mori: & aliud, non posse mori: sicut è contrario aliud est posse mori, & aliud, non posse non mori. Itaque sicut utroque modo mortalis dicitur, qui & potest mori, & non potest non mori: ita & rectè immortalis dicitur, qui uel potest non mori, uel non potest mori unquam. Primum immortalitatis genus solis primis parentibus nostris antequam peccassent competebat, qua sic erant conditi, ut possent non mori, si non peccarent. Vbi uerò peccarunt, sic facti sunt mortales, ut non possent non mori. Alterum immortalitatis genus angelorum est, & hominibus ad futuram uitam reseruatum: per quam futurũ est, ut mors nullum amplius locum in nobis sit habitura. Iam quod præsentem quæstionẽ attinet, quoniam Adam non posteriore, sed priore modo immortalis erat cõditus, ut mors locum in illo habere potuit, ita & usus cibi necessariò requirebatur. Neque enim sic erat caro illius comparata, ut quemadmodũ in cœlesti uita futurũ est, sine cibo perdurare posset. Iudicant aliqui tandẽ fuisse primos parẽtes, ubi ad iustã senectam peruenissent, de ligno uitæ comesturos, atque ita sine ullo cibo in sempiternũ permãsuros: cuius rei argumentum ex eo sumi potest, quod infrà cap. 3. Deum dixisse legitur, Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum & malum. Nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & comedat etiam de ligno uitæ, & uiuat in æternũ, &c. Quicquid huius sit, non admodum arbitror esse necessariũ cognitu.

An homini ad immortalitatem condito opus fuerit cibo.

Deinde & de eo quæri potest, quid necesse fuerit homini præscribere de fructibus & herbis uniuersæ terræ, quibus cõmuniter cum bestijs uesci deberet, cum esset eum locaturus in paradisum, sicuti & factum legitur. Ad hanc quæstionem facilis est responsio. Lex ista ciborum non primis tantum parentibus, sed simul uniuersæ illorum posteritati proponebatur. Licet autem Adamũ collocaturus esset in paradisum, dederat tamẽ posteris illius uniuersam terram possidendam, replendam & subijciendam. Quare illis etiam cibum necessarium ex omni terra subministrari uoluit. Neque legem hanc cõmunem irritare potuit, quod Adam & Euah ex fructibus paradisi comederunt.

Quare homini de fructib. terræ præscripserit, cũ esset eum locaturus in paradisum.

Tertiò

Quare de homine non sit peculiariter dictũ illud, Et uidit Deus q, esset bonũ.

Tertiò quærunt nonnulli, quare de homine nõ peculiariter dixerit Moses, Et uidit Deus quòd bonus esset, sicuti de alijs operibus particulariter factum cõmemorat, sed facturæ illius probationem in uniuersali hac particula, Et uidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona, summatim incluserit. Arbitrantur autem id eam esse ob causam factum, quòd non esset homo in bono conditionis ac status sui permansurus, sed ab illo per peccatum paulo pòst defecturus. Vt hoc innueretur, iudicant noluisse spiritum sanctum peculiariter hominis cõmendare creationem, quæ tandem per peccatum corrupta, per regenerationem cœlestem erat restauranda. Interea tamen negari non debet, esse hominem rectũ conditum, nec mali quicquam fuisse in illius factura, ut non minus de illo dici potuerit, Et uidit Deus quòd esset bonum, quàm de alijs. A

OBSERVATIO I.

Opus creationis conunctam habet prouidentiã creatoris.

Ecce dedi uobis omnem herbam.] Cum primis obseruandum uenit hoc loco, quomodo creationis opus coniunctam habeat curam ac prouidentiam creatoris, qua conseruentur quæ ab illo sunt creata. Alioqui frustra fuerit creari, nisi hæc simul prouidentia conseruatrix omnium accesserit. Sic postquam creata essent omnis generis animantia, & homo post illa, statim eodem quo condita sunt die, legem de uictu ad conseruationem necessariò accipiunt. Nobis competit non hærere in facto illo, sed ex eo intelligere, sic esse comparatum creatorem omnium, ut idem ipse qui fecit, à se facta nutriat & cõseruet. Atq; ita fides creationis perinde fidem prouidentiæ Dei parit, atq; ipsa uirtus creationis uirtutem & curam prouidentiæ in Deo secum indiuulse trahit. Quare nemini piorum dubium esse potest, uerissimum esse quod Propheta dicit, Iacta curam tuam in Dominum, & ipse te enutriet. Et quod Christus Matth. 6. dicit: Ipse enim pater nouit quibus opus habeatis. Et Apostolus 1. Pet. 5. Ipsi, inquit, est cura de uobis. Huc pulchrè facit quod dicit, Ecce dedi uobis omnẽ herbam, &c. Nõ simpliciter dicit, Dabo uobis: sed, Ecce dedi uobis: quasi dicat, Ecce paraui uobis ad cibum & alimoniam omnis generis herbas, & arborum fructus, unde uiuatis. Cum hæc omnia conderem, in uestros usus condebam. Quare ut me habetis creatorem, ita agnoscite etiam me uestrum conseruatorem.

Quare Deus uerbo suo potestatẽ nobis fecerit uescendi terræ nascentibus.

Simul & illud cogitemus, noluisse Deum ut à se creatis proprio arbitratu uteremur, licet illa nostra gratia condiderit, sed ut sciremus potestatem nos in terræ nascentia à se accepisse, tradidit illam uerbo suo, ut huic innixi fide, ac bona cum conscientia cibo diuinitus dato uesceremur, & altorem nostrum animo grato agnosceremus. Comedissent forsan etiam sine uerbo Dei, pro suasu famis, uerùm hoc genus edendi non decebat hominem ad imaginem Dei cõditum, & ratione præditum, sed bestijs competebat, ratione destitutis. Quare per uerbum Dei tradita est homini alimonia, ut non more bestiarum ederet tantum corpore, sed et animo fideli & grato creatorem ac nutritorem suum edendo agnosceret ac coleret. Sit itaq; uerbum hoc Dei, Ecce dedi uobis, perpetuum quoddam monumentum non in literis tantum, sed & pectoribus nostris, ut quoties bonis à Deo acceptis utimur, gratias illi agamus, qui dedit, & ad obseruantiam illius prouocemur: ne si ingrati fuerimus, audiamus exprobrationem illam. Quid habes, quod non acceperis? qua nihil turpius homini sensato poterit accidere. B

OBSERVATIO II.

Qualitas alimoniæ primis parentib. cõcessæ.

Omnem herbam, & uniuersa ligna.] Obserua alimoniæ qualitatem, quam Deus homini initio præscripsit. Herbas & arborum fructus dedit illi in cibum, non carnem, nisi post diluuium. Hoc cibi genus & parabile & innoxium, dubio procul erat & naturæ cõmodum & salubre. Ergo quoties carne uescimur, cogitemus de mutato innocentiæ statu, & unà cum illo mutato cibi & alimoniæ genere.

Natura modico dimittitur.

Deinde & illud cogitemus, sic esse naturam humanam comparatam, ut quòd cibum attinet, modico ac facili dimitti posset, nisi ingluuies obtinuisset, cui nullo edulij genere satisfieri potest: cuiq; nunc omnia, quæcunq; homini uel naturæ uel artis beneficio contingunt, inseruire coguntur.

OBSERVATIO III.

Quare de semine mentionem fecerit, præcipiens de alimonia.

Afferentem semen. Item, *Quæ habent in semetipsis sementem generis sui.*] Obseruandum hic est, quare de semine mentionem faciat, ubi legem de uictu præscribit. Semen conseruatio est generis, ad propagationem ac multiplicationem diuinitus inditum. Meminit illius ob id, ne putarent interitura terræ nascentium genera, si edendo ab hominibus & à bestijs absumerentur, sed scirent paratam esse in semine singulorum generum conseruationem ac regenerationẽ. Hanc prouidentiam Dei obseruemus & nos, quoties herbarum & arborum semina cernimus, cogitemusq; hac esse nobis ratione prospectum, ne quæ in usus nostros semel creata sunt, prorsus interire queant, siue usurpentur, siue minus.

OBSERVATIO IIII.

Quòd eandem alimoniam hominibus & bestijs tradidit.

Quoniam conditus erat homo animalis, dabatur illi cibus animalis, antequã perficeretur cœlestis, et ad cibũ angelorum permitteretur.

Et uobis & bestijs.] Obserua. Subiecerat homini bestias, uolucres, serpentes, & iumenta, constituerat q; illum Deum quendam terrestrem. Iam uerò ubi de cibo præscribit, non distinguit inter bestias & hominem, sed alimoniam illis assignat eandem. Qua in re duo sunt notanda. Vnum, uoluisse Deum id homini esse cognitum, quòd & bestijs traditæ sint herbæ & fructus arborum ad cibum, perinde ac sibi, ne potestate sua in illas accepta abutatur, & à cõmunione cibi animantia subiecta arceat. Sic prouidentia Dei non solum hominis, quem terræ dominum constituit, sed & bestiarum curam gerit. Alterum, datam esse homini insignem hanc occasionem, ut ex eo quòd non solum eadem alendi corporis necessitate cum bestijs adstringitur, sed & eandem cum illis alimoniam à Deo accepit, sese in conspectu Dei humiliet, propriam q; infirmitatẽ & conditionis humilitatem agnoscat, ne quo pacto dominij respectu infletur & insolescat. Est hæc consideratio principibus summè necessaria.

OBSER-

OBSERVATIO V.

Quod mouetur ſuper terram, & in quo eſt anima uiuens.] Cõſiderandũ hic eſt, quàm aptè cõiunxerit motum & uitã. Nõ poteſt eſſe motus naturalis ſine uita: rurſus tolle motum, nõ conſtabit de uita. Non ſolum autem mobilia ſunt quæ uiuunt ſuper terram, ſed & frequenter mouẽtur. Et ipſa corporis animati ratio, ut de neceſsitate uictus quærendi, & ualetudinis retinendæ taceam, ſic eſt comparata, ut frequenter moueatur. Huic paſsim tota terræ ſuperficies uiuentium eſt corporum tam hominum quàm beſtiarum motibus ſubiecta: nec terra tantum, ſed & aer, & mare mobilibus beſtijs ubiq; repletur, ut commodè uſurpata ſit uox רמש. *Quã aptè iũgantur motus & uita.*

Et illud expende quod dicit, In quo eſt anima uiuens. Vitalis calor uelut ignis conſumens eſt in corpore tam hominis quàm beſtiæ. Quare ubicunq; eſt anima uiuens, alimonia corporis neceſſariò requiritur. Admonemur igitur, ut ubi uita eſt, cibi neceſsitatem agnoſcamus nõ in hominibus tantum, ſed & in beſtijs. Experitur hanc omnis uiuens in ſemetipſo, agnoſcat ergo illam & in alijs: nec agnoſcat tantum, ſed & naturæ miſertus cõſeruandæ uitæ ex animo ſtudeat. Prorſus inhumani ſunt, qui nulla eſurientium & egenorum commiſeratione tenentur, ſed omnia in ſuos uſus, immo abuſus conuertunt, ut non immeritò auari, tenaces, & immiſericordes tanquã ingrati erga Deum, & hoſtes naturæ, tam ab hominibus quàm à Deo damnentur. *Anima uiuens, ignis eſt conſumens in carne.*

OBSERVATIO VI.

Et uidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona.] Obſeruandum hic eſt, quod opera ſua Deus nõ ſolum particulariter ſed & uniuerſaliter, nec uniuerſaliter tãtum ſed & particulariter inſpexiſſe & bona eſſe probauit. Admonemur à Moſe, ut ſic de operibus Dei ſentiamus, ut etiamſi non intelligamus rationem illorum & uſum, ſi quando ſingulariter à nobis inſpiciuntur, nihil tamen dubitemus, eſſe uniuerſitatem illorum ſumma ſapientia conſtitutam. Quod ſi quis ea de re ambigat cogitet ſaltem de tot ſeculorum curſu, tenore & ordine quo inde ab initio uniuerſum hoc ſine ulla defectione ad hunc uſq; diem durauit, & tam certo experimento perſuaſus uerum eſſe credat, quod Moſes dicit: Et uidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Etenim niſi eſſet uniuerſalis iſta cœli, terræ, marisq; machina optimè ac ſapientiſsimè conſtituta, haudquaquam tam immotam ordinis ac curſus ſtabilitatem retinuiſſet. Deinde ubi de uniuerſo conſtat, eſſe illud optimè ac ſapientiſsimè conſtitutũ, cogitemus quàm fieri non poſsit, ut ex malis particularibus uniuerſale optimum ac ſapientiſsimum conſtituatur, atque ita ſubducta ratione concludamus, non ſolum uniuerſum hoc, ſed & partes illius optimè eſſe à Deo conditas. *Opera ſua Deus non ſolum particulariter, ſed & uniuerſaliter probauit.*

B

Præterea quod actus noſtros cõcernit, conformemus illos ad exemplum operum Dei, ut & ipſi tam particulariter quàm uniuerſaliter tales exiſtant, de quibus quod boni ſint prædicari poſsit. Noui abunde fieri non poſſe, ut ad perfectionẽ illam bonorum operum perueniamus (quid eſt enim homo Deo comparatus? & quid eſt opus eius operi Dei collatum?) uerùm huius ob id admoneo, ut ſaltem connitamur, ſtudiumq; bonorum operum pro ſuo quiſq; dono uſurpemus. Etenim in bonis uoluiſſe laudem non apud cordatos tantum, ſed & Deum ipſum meretur, etiamſi effectus conatui non reſpondeat per omnia, ſed in multis deficiat. *Opera noſtra ad exemplum operum Dei conformanda.*

OPERA SEX DIERVM.

Prima creans lucem, noctemq; diemq; diremit:
Conſtituit cœlum deinde ſecunda dies.
Tertia ſemotis tellurem liberat undis:
Fit mare, & ornatur germine terra ſuo.
Quarta adfert ſolem, lunamq;, & ſidera cœli:
Diuidit & uicibus tempora quæq; ſuis.
Quinta tulit piſces, tulit & mirabile dictu,
Aligeras quas tum protulit æquor aues.
Sexta dat è terra uarijs animantia formis
Vnde etiam poſt hæc omnia factus homo eſt.
Pòſt opifex rerum ſeptena luce quieuit,
Illa conſtituens ocia ſacra die.

TETRASTICHVM DE IISDEM.

Prima dies lucem, cœlum altera, tertia terram,
Sidera quarta, ſequens piſcem habet & uolucrem,
Sexta animal quoduis, hominemq; ex puluere terræ
Protulit, aſt ſabatum ſeptima lux tenuit.

CAPVT II.

IGitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorũ. Compleuitq; Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab uniuerso opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus ut faceret.

LECTIO.

Quod in Hebræo est uersu secundo בַּיּוֹם הַשְּׁבִיעִי, id est, in die septimo, Septuaginta habent, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ, id est, in die sexto.

EXPLANATIO.

Hoc secundo cap. primùm de diei septimi sanctificatione Moses cõmemorat: deinde, paralipomena quædã ex præcedentibus sex dierũ operibus per repetitionem latius declarat, præsertim quæ statũ primorum nostrorum parentum concernunt, quæ suis singula locis uidebimus.

Igitur perfecti sunt.] Videntur ista rectius præcedenti primo capiti potuisse coniungi, cum S. scriptura in capita diuideretur. Continent enim ueluti conclusionem eorum quæ de sex dierum operibus sunt dicta. Quare conuenit ut per continuationem præcedentibus iungantur. Significat autem Moses ubi conditus esset homo, tanquam certus quidam operum Dei finis, non esse Deum ad ulteriora quædam opera facienda progressum, sed ijs quæ fecerat finem imposuisse. Nominat cœlum & terram, tanquã potiora duo corpora: & addit, Et omnis ornatus eorum. In Hebræo est, וְכָל צְבָאָם, id est, & omnis uirtus eorum, uel & omnis exercitus eorum. Intelligunt quidã de sole, luna, & stellis: addunt aliqui & angelos, eo quod nox צבא frequenter in scripturis de cœlestibus uirtutibus accipitur. Nihil tamen impedit, quo minus de omnibus creatis hoc loco accipiatur, quæ partim cœlo, partim terra & mari continẽtur, de quibus Moses cap. præcedenti narrauit.

Compleuitq; Deus die septimo.] Cõmodior est lectio Septuaginta interpretum, qui uerterunt: Et compleuit Deus die sexto opus suum quod fecerat, quemadmodum legunt & Chrysostomus & Augustinus. Nam si sex diebus omnia perfecit, utiq; sexto die opera sua consummauit & absolnit. Verùm quoniam Hebræus habet, Compleuitq; Deus die septimo opus suũ quod fecerat, intelligendũ est posuisse Mosen cõsummationẽ operum Dei quæ fecerat, & cessationem ab operibus, pro eodem, ut nihil aliud sit quod dicit, Compleuitq; Deus die septimo opus suum quod fecerat, quàm quod sequitur, Et requieuit die septimo ab uniuerso opere quod patrarat. Quare uerbo complendi nõ actus aliquis, sed quies à rebus iam actis intelligitur. Neq; enim septimo die operis aliquid fecit, quod ad præcedentium completionem pertineret, cum in illo ab omni opere quod fecerat quieuisse scribatur.

Et benedixit diei septimo.] Lyranus sic exponit: Ideſt, ad diuina obsequia applicauit quam expositionem Burgensis non probat. Mihi uidetur simpliciter intelligendum esse, quod diem septimum tanquã faustum & felicem singulariter complexus sit, & à reliquis segregarit ac consecrarit: hoc est, memoriæ quietis huius qua ab operibus suis cessabat, deputarit. Rationem adiungit dicens, Quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus ut faceret. Illud, Vt faceret, Heb. לַעֲשׂוֹת, potest etiam sic legi, quod creauit Deus faciendo.

QVAESTIONES.

Quomodo ab operibus suis quieuerit Deus, cũ & Christo operetur perpetuò.

Compleuitq; Deus die septimo opus suum. Item requieuit Deus die septimo ab uniuerso opere.] Quæritur hoc loco, quomodo Moses Deum opera sua die septimo complesse, & ab illis quieuisse scribat, cum constet eum ab opere nunquam cessare. sicut & Christus Ioan. 5. dicit: Pater meus ùsq; nunc operatur, & ego operor. Quotidie creat nouas animas, quotidie fingit noua indiuidua, indefinẽter operatur, gubernando & conseruando totum hoc uniuersum, cum suis partibus, cœlo, terra, mari, & omnibus creaturarum generibus, quæ in illo continentur, quorum nihil sine diuina operatione ne uno quidem momento, nedum integro septimo die consistere posset. Neq; enim opera Dei sic sunt comparata, ut postquam facta sunt, opificis operam nullam requirant amplius: sicuti uidemus opera artificũ, ubi perfecta sunt, per se posse, sine ulteriore opera artificum, subsistere. Cum igitur nunquam cesset ab opere suo Deus, quæritur quomodo hic à Mose septimo die opera sua compleſſe, & ab illis quieuisse dicatur. Et Manichæi ex hoc loco calumniam aduersus Mosen struxerunt, quod Euangelio Dei aduersetur.

Respõdendũ est: quieuisse Deum non in uniuersum ab omnibus operibus suis, sed ab illis duntaxat quæ sex diebus condiderat, & iam compleuerat. Sic Moses nõ dicit simpliciter, Compleuitq; Deus die septimo opus suum: sed addit, Quod fecerat. Et cum dixisset, Requieuit die septimo ab uniuerso opere: rursus subijcit, Quod patrarat: ut iudicet, non quieuisse Deum ab operandi sedulitate, sed ab illis operibus quæ creauerat: non ut ea non gubernaret ac moderaretur, sed ut nihil illis creando, quod antea non fuisset, adderet. Nemo igitur ex hisce uerbis colligat, esse Deum post opera sex dierum planè otiosum, & quæ geruntur in cœlo & terra & mari, naturæ uiribus fieri: sed Mosen sic intelligamus de quiete Dei loqui, ut reliquis scripturæ locis & uerbis Christi non contradicamus.

Quomodo Deus quieuisse dicatur

Deinde quæritur, quomodo Deus quieuisse dicatur: an operãdo per sex dies defatigatus fuerit. Etenim si post operum suorum perfectionẽ quieuit, consequens uidetur, quod operando ad defatigationẽ usq;

A uſq; laborauerit. Ergo ne Deus ut homo fatigaꝛ, & fatigatus quietẽ appetit? Reſpõdeꝛ, nec fatigationẽ nec quietis refocillationẽ cadere in Deũ. Neq; enim laborat ut homo, perficiens omnia uerbo uirtutis ſuæ: nec quieſcit ut homo ſemper operans, & cuncta gubernãs. Dicitur autẽ per anthropopathiã aliquando defatigari, ut Eſa. 1. cum dicit, Laborauí ſuſtinẽs: & quieſcere, ut hoc loco, cum Moſes dicit, Requieuit die ſeptimo. Huiuſmodi loquutiones frequenter in ſcripturis occurrunt, quibus humano more de Deo loquuntur prophetæ, cum tamen natura & conditio diuina remotiſsima ſit à paſsionibus humanis. Deinde & illud à nõnullis reſpondetur, poſitum eſſe hoc loco uerbum quieſcendi pro uerbo ceſſandi, ut quod Moſes dicit, Requieuit Deus die ſeptimo ab uniuerſo opere ſuo quod patrarat, nihil aliud ſit, quàm, quod ceſſarit ab operibus ſex dierum, iam perfectis & abſolutis. Sunt autem hæc duo ceſſare & quieſcere ſic inter ſe cohærentia, ut alterum ponatur pro altero: & communiter qui ab opere ceſſat, quieſcere dicatur, etiamſi non ſit corpore feſſus, ſed uiribus adhuc uegetis & integris. Quare admodum deteſtanda eſt Manichæorum malicia, qua Moſi cauillum ſtruebant, quaſi Deum laboribus defatigatum, & ocij ac refocillationis indignum introduxerit. Sed ſic ſolent hæretica ingenia, propria malicia excæcata, omnia ad calumniam rapere: & quæ communi quoq; ſenſu commodè exponi poſſent, peruerſitate ſua quaſi prorſus abſurda dinexare.

Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit eum.] Quærunt hoc loco, an reliqui ſex dies maledicti, uel certè benedictionis expertes fuerint, & an tanti ſit ocium, ut benedictionem promereatur: cõtrà uerò operationis tempus ſic deſpicabile & inacceptum, ut benedictione deſtituatur. Reſpondet Chryſoſtomus reliquos ſex dies creaturarum productione fuiſſe benedictos: ſeptimum uerò, quoniam in eo nihil creabatur, eam ob cauſam benedictum eſſe à Deo, ne uideretur minus aliquid habere. Meo iudicio & illud dici poteſt: Quod ſeptimus dies benedictus eſt, nõ ſic debere intelligi, quod benedictio illius ad præcedentes operum dies nullo modo pertineat. Neq; enim ſimpliciter ocij gratia, ſed propterea benedictus eſt, quod iam eſſet opus creationis abſolutum & perfectum. Ab ea autem perfectione quomodo poterunt præcedentes operum dies excludi, cum quiſq; ex illis aliquid ad illam contulerit? Etenim niſi præceſsiſſet operis continuatio, locum non inueniſſet illius perfectio. Quare ſi perfectio operum Dei ſeptimo die benedictionis cauſam præſtitit, ab illa nequaquam excludi poſſunt, immo ſi nõ uniuerſam, ſaltem maximam illius partem optimo ſibi iure dies illi uindicabunt, qui perficiendis operibus Dei ſubſeruierunt.

An reliqui ſex dies benedictionis fuerint expertes.

Dedicatio noua rum ædium & templorum.

B Deinde contendũt ex hoc loco Sabatharij, legẽ Sabathi omnibus eſſe, non Iudæis tantũ, ſed & Chriſtianis: nõ in ueteri duntaxat, ſed & nouo Teſtamento ſeruandã. Verũ quid ad eam ſit quæſtionẽ reſpõdendum, uidebimus in Locis noſtris, ubi exponemus in Decalogo quæ de religione Sabathi ſunt à Deo præcepta.

De ſabbato.

OBSERVATIO I.

Igitur perfecti ſunt cœli & terra.] Obſeruandum hic eſt, quod poſt hominis creationem cœlum et terra & quæ in illis ſunt omnia perfectionem ſuam ſunt conſequuta. Facit & iſta conſideratio ad dignitatẽ hominis, & conſiliũ Dei intelligendũ, quo propter hominem omnia cõdidit, ut hominis creatio ueluti finis eſſet & concluſio operum Dei. Et quod hic in creatione præceſsit, etiam in fine ſeculorũ adhuc luculentius declarabitur, ubi cœlũ & terra, perfectiorẽ ſtatũ, eũ uidelicet, qui ſempiternus erit, conſequentur, mox atq; homo per reſurrectionis gloriam & claritatem in æternam uitam regenerabitur. Nam interea omnis creatura corruptioni & ſeruituti eſt obnoxia, reuelationem & liberationem filiorũ Dei expectans, poſtquam & ipſa à ſeruitute iſta liberabitur. Erit enim cœlum nouum & terra noua. Itaq; inde ab initio ad finem uſq; ſtatus cœli ac terræ ab humani generis cõditione ac reſtauratione pendet. Admonemur hac conſideratione, ut ab eo, qui nos tanta dignatione proſequitur, toti pendeamus, & ſecundum illius uoluntatem nos ad omnia & in omnibus cõformemus. Alioqui planè indigna res eſt, quòd à nobis pendent cœli & terra, ſi nos à uoluntate conditoris noſtri pendere detrectauerimus.

Quòd cõdito homine perfecta erant omnia.

Rom. 8.
2. Pet. ult.

OBSERVATIO II.

Et omnis ornatus eorum.] Notãda eſt hic uox Hebræa צבאם, id eſt, uirtus uel exercitus eorũ. Et illud in ſcripturis omnium frequentiſsimũ, quod Deus, exercituũ Dominus uocatur Heb. אלהים צבאות. Hic uidemus cœlo ac terræ adſcribi uirtutem & exercitus. Admonemur igitur, quoties Deũ Dominũ exercituum uocari audimus, ut cogitemus quàm ſit inſtructus cœleſti pariter & terreſtri exercitu & uirtute, ad diſturbandum aduerſarios, & defendendum ſuos, ut poſsit creaturas armare ad ultionem impiorum. Exempla huius rei omnium luculentiſsima declarata ſunt in diluuio, in excidio Sodomitarum, in plagis Aegyptiacis, & alijs innumeris.

Quòd cœlo ac terræ adſcribitur צבא, id eſt, exercitus.

Simul & illud obſeruandum eſt, quod Græcus & latinus hanc uirtutem cœli ac terræ uocauerunt ornatum. Vbi non ſolum illud expendendum eſt, quod habitationem hanc noſtram Deus & ſuperne & infernè tanto ſplendore Solis, lunæ, ſtellarum, herbarum q; & arborum uiredine ac uarietate ornauit, ſed & eundem ornatum ita comparauit, ut ſimul ſit & uirtus & ornatus. Quare curandum eſt, ut ſic agnoſcamus creatoris noſtri dignationem ac beneuolentiam, ut quod in armaturam aduerſus impios uerti poteſt, nobis ſit & ornatus ad animorum recreationem, & uirtus ad ſaluandum.

Ornatus.

OBSERVATIO III.

Compleuitq; Deus die ſeptimo opus ſuum.] Admonemur hic, eſſe Deum operum ſuorum non ſolum inchoatorem, ſed & perfectorem. Quare neceſſe eſt ut hæc duo in illo coniungantur. Vnum, quod ſententiam non mutat in medio opere, ut quaſi tædio confectus quod cœpit imperfectum relinquat. Alterum,

Non ſolum inchoator ſed & perfectorum operũ ſuorum Deus eſt

rum, quod nulla potentia uel difficultate impeditur aut frangitur, ne ad finem operis perueniat. Hoc A
est, nec in se quicquam habet, nec aliunde illi accidere aliquid potest, unde à cœpto impediatur. Longè diuersa ratio est tam hominum quàm aliarum creaturarũ. Homo potest etiamsi aliquid ordiatur uel imbecillitate uirium, uel ignorantia & insciti a rerum, uel difficultate operis, uel alijs remoris aliunde obiectis impediri, ne quod cœpit ad destinatum finem perducat. De Deo nihil horum cogitari potest, qui quæcunq; uult facit & perficit. Quare conatus operum humanorum tales non sunt, qui uel timendi sint pijs, uel spem alicuius salutis adferre possint.

Duplex operum Dei perfectio. Deinde & genus hoc completionis obseruandum uenit. Duplex est operum Dei perfectio. Temporaria una, sempiterna altera. Temporaria præsenti, sempiterna futuro seculo congruit. Temporaria est, quæ secundum mensuram, numerum, & ordinem rebus temporarijs conuenientem absoluitur. Sempiterna, quæ statui & gloriæ sempiternæ uitæ sic conformatur, ut illi in sempiternum conuenire ac congruere possit. Cœlum ac terra sexto die primum perfectionis genus acceperunt. Durat illud ad finem usq; præsentis mundi, in quo mutabuntur, & ad alterum genus perfectionis transibunt, quod in sempiternũ retinebunt. Ergo prima perfectio, ut temporaria est, ita & imperfecta censeri debet. Sic & de nobis sentiendũ est. Quod corpora nostra concernit, sunt illa suam sortita perfectionem, quæ est in membrorũ numero, ordine, mensura, dispositione & usu sita. Quod animam attinet, ad illius perfectionem, quæ pietatis est & ueræ cognitionis Dei à Christo uocamur. Estote inquit perfecti, sicut pater uester perfectus est. Verùm sicut Paulus dicit, Ex parte cognoscimus, &c. & uenit perfectũ, ubi finis aderit mundi, tum & corpore & spiritu iustam, plenam ac sempiternam perfectionem consequemur.

OBSERVATIO IIII.

Tribuitur Deo q; faciat opera. *Opus suum quod fecerat.*] Obseruemus loquutionem. Tribuitur Deo quòd fecerit opera, quasi laborãdo & operando cœlum, terram & omnia reliqua fecerit, cum uerbo uirtutis suæ condiderit omnia. sic loquitur autem spiritus sanctus de creationis operibus, ut quoties cœlum ac terram, solem, lunam, stellas, &c. uidemus, cogitemus nos opera ueluti manuum ac digitorum Dei uidere, quæ sic sunt propriè Dei ac nullius alterius opera, ac si digitis Dei essent fabricata. Sic Dauid: Si uidero inquit cœlos tuos, opera digitorum tuorum, &c. psal. 8. Deinde & illud obseruandum est, quòd cœlum, terram, mare & quæ in illis sunt omnia singulariter uocat מלאכת יהוה, id est, opus Dei, cũ innumera sunt in illis quæ seperatim considerata singula uidentur opera esse omnium clarissima. Habet opus in se perfectum & complectum corporis rationem, quod multa quidem membra complectitur, quorum unumquodq; B
suam habet mensuram & plenitudinem: uerùm illa sic continet, ut omnia inter se connexa, & uno spiritu animata, corpus unum efficiant. Ad eum modum & uniuersum hoc, quod Moses opus Dei uocat, multis quidem splendidissimis operibus tanquam partibus, constat: uerùm illa sic sunt comparata, ut arctissimè inter se & indiuulse cohæreãt, nec ulla sit illorum seperatio talis, qua cœlum alienum possit esse à terra, terra à cœlo, utrumq; à mari, mare ab utroq;, sed omnia incredibili quadã harmonia inter se uniantur, quamuis aliud ab alio uideatur diuersum, si seorsim consideret. Operis huius pars est ignis, pars est aqua. At horum natura quàm sit diuersa, quis est qui ignoret? Sic aduersantur sibi inniceẽ hæc duo elementa, ut alterum extinguatur ab altero, si inordinatè cõmisceantur. Operis hius partes sunt, dies & nox. Hæ sic sunt diuersæ, ut simul esse nequeant. Verùm etiam hæ diuersæ partes, partes sunt unius operis huius, omnium in se unitissimi & constantissimi. Multa uidentur nobis in hoc opere superflua, multa noxia & inconuenientia, ubi singulatim considerantur. Verùm cogitandum est, quæ seperata uel inter se diuersa sunt, immo etiam aduersa, uel superflua & noxia uidentur, in corpore uniuersi, magni & in cõprehensibilis operis Dei summã habere conuenientiã cum alijs pariter & utilitatem.

OBSERVATIO V.

Discrimen inter opera creatiõis, & opera conseruationis. *Et requieuit die septimo ab uniuerso opere quod patrarat.*] Cogitemus hic primum de discrimine operum Dei, quo opera creationis & conseruationis à se inuicem distinguuntur. Creationis opera capacia sunt quietis, non qua ipsa, sed qua creator à creando cesset. Sic dicit hic Moses, requieuisse Deum ab uniuerso opere quod patrarat. Conseruationis uerò opera sic sunt comparata, ut si illa cessent, nihil ex illis quæ creata sunt durare possit. Sunt igitur infinita ac sempiterna. Creationis uerò opera numero, pondere, ac mensura comprehensa.

Magnã meretur admirationem quod sex dierũ spacio omnia sunt condita. Deinde & illud cogitemus, quantum mereamur admirationis quòd omnia illa opera creationis tantillo sunt sex dierum tempore ac spacio perfecta, ut septimo die Deus ab illis omnibus requieuerit. Et ut hanc creatori gloriam Moses scripto suo illustraret, nobisq; commendaret, tanta diligentia parti culam hanc inculcare uoluit, ut sciremus non esse Deum in creatione cœli ac terræ prolixo aliquo tempore usum, quod secundum rationis nostræ sensum ad tantam rerum molem & incomprehensibilem machinam perficiendam requisitum ac necessarium fuisse uideri potest, sed cuncta sex dierum curriculo optimè ac sapientissimè perfecisse. Vbi hac de re admonemur, simul & de eo cogitemus, quanta facilitate & quàm breui temporis spacio machinam hanc operosam demoliturus sit Deus in fine mundi, cum eam sex diebus ex nihilo condiderit. Erenim multo facilius est opus aliquod destruere, quàm ab integro ædificare. unius horulæ spacio adificiũ uix anni tempore constructum uis ignis absumit.

OBSERVATIO VI.

Et benedixit diei septimo, et sanctificauit eum, quia in ipso cessauerat, &c.] Quæ de sabbato sunt obseruãda, seruã-

A seruabimus ad locum communem, ubi præceptum ſabbati declarabimus. Illud hic obſeruemus, quod non ſimpliciter ſeptimo diei benedixiſſe ſcribitur Deus, ſed ratio adijcitur, propterea uidelicet, quod in ipſo ceſſabat ab omni opere quod patrauerat. Ceſſabat autẽ non ab imperfecto, ſed à perfecto opere. Ergo is dies meritò benedictus ac ſanctus habetur, in quo perfectis operibus, quæ faciẽda erant, quie ſcere datur, non ille, in quo rebus imperfectis per defectionem ceſſatur. Infelix ocium eſt, quod opera facienda interrumpit, & ne perficiantur impedit. Quare nihil minus quàm ſancta ſunt ea ſabbata, quæ ad exemplum primi huius ſabbati non conformantur. Erit aliquando eorum ſabbatum, in quo pij omnibus ſuis operibus perfectis in ſempiternum quieſcent. Huius imago in ſepultura quoq; Chriſti præceſſit, in qua ille ab opere ſuo quod patrarat in cruce conquieuit.

Illud alij expenderunt, quàm pertinenter ſex primis diebus congruant ſex huius mundi ætates, & quomodo homo ſexto die cõditus in ſexta ſit mundi ætate per ſanguinẽ Chriſti redẽptus, & ſicuti poſt ſextum diem ſabbatum, ita poſt ſextam ætatem, in qua ſumus, futuræ uitæ quies ſequatur. Nihil poteſt hic de ſextæ ætatis tempore pronunciari. Certum tamẽ eſt, eſſe poſtremam. An firmum ſit illud quod Eliæ dat. ששת אלפים יהיה חעולם שבי אלפים תחר שבי אלפים תרח שבי אלפים בושיח, id eſt, ſex ſunt millia annorum mundi. Duo millia inane, duo millia lex, duo millia Chriſtus, uiderint alij. Noſtrum non eſt iudicare de fine mundi, cuius ſcientiam ſibi cœleſtis pater reſeruauit. *Sex diebus congruunt ſex mundi ætates.*

Iſtę ſunt generationes cœli ac terræ, quãdo creatæ ſunt in die quo creauit Deus cœlum & terram.

Et omne uirgultum agri antequam oriretur in terra, omnemq; herbã regionis priuſquam germinaret. Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat qui operaretur terram.

Sed fons aſcendebat è terra irrigans uniuerſam ſuperficiem terræ.

Formauit igitur Dominus Deus hominẽ de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum uitæ, & factus eſt homo in animam uiuentem.

LECTIO.

B Quod Græcus uertit αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως, Hebraice eſt, Iſtæ ſunt generationes. Quod Hebræus habet בהבראם ביום עשות יהוה: Græcus ſic reddidit ὅτε ἐγένετο ἡ ἡμέρα ἣ ἐποίησε κύριος, id eſt, quando facta eſt dies, qua fecit Dominus. Et quod in Hebræo eſt uerſu 5. טרם יהיה בארץ, id eſt, antequam eſſet in terra, Græcus uertit πρὸ τοῦ αὐξηθῆναι ἐπὶ τῆς γῆς, id eſt, antequam oriretur ſuper terram. Sic & Latinus reddidit. Et quod Hebræus habet וכל עשב השדה טרם יצמח, Græcus reddidit, πρὸ τοῦ γενέσθαι: atq; ita uerba textus inuertit. Et quod Latinus uertit: Et omne uirgultum agri, omnemq; herbam regionis, utrobiq; in Hebræo eſt השדה, id eſt agri, ne quis uarietate dictionum turbetur. Quod in Hebræo eſt ויצר יהוה אלהים את האדם עפר, Græcus ſic uertit, Et finxit Deus hominem accepto puluere de terra. Et Latinus, Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. Et Græcus in uerſu 5. & 7. uocem יהוה non reddidit.

EXPLANATIO.

Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ.] Poſt ſummariam eorũ narrationẽ quæ ſex primis diebus in opere ſunt creationis omnium geſta, ſubijcit Moſes paralipomena quædam, de germinatione terræ, formatione hominis, plantatione paradiſi. 4. fluuijs ex illo profluentib. deq; homine in paradiſum collocato, de interdicto arboris ſcientiæ boni & mali, de formatione Euæ, & quomodo Adæ ſit in uxorẽ coniuncta. De his uoluit Moſes paucis quæ neceſſaria uidebant attingere, antequã ad cõſequentes humani generis hiſtorias exponendas progrederetur. Dicit itaq; Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ. Q.d. Quæ hactenus expoſui ad hiſtoriam generationis cœli ac terræ pertinent. Non enim loquitur de ſequentibus, ſed præcedentibus. Vſus eſt autem uoce generationis pro exordio & exortu: & per cœlum & terram complectitur etiam reliqua omnia quæ cœlo eſt terra continentur. Illa, quando creatæ ſunt in die id eſt, tempore, quo fecit Dominus Deus cœlum & terram, expoſitionem habent uocis תולדות, id eſt, generationum: ſignificat enim loqui ſe de principio cœli & terræ, quo primùm à Deo ſunt creata, ne quis in uerbo תולדות philoſophetur.

Et omne uirgultum agri inquit.] Pertinent iſta ad opus tertij diei, in quo terra uirtute uerbi Dei herbas & arbores produxit. De illis hic prædicat, quod nec uirtute naturæ, nec pluuijs, nec opera humana primùm progerminarint, ſed à Deo factæ ſint. Huc pertinet, quod dicit, antequam oriretur, intellige, ſicuti poſtea fieri cœpit, & quotannis ſolet, & illud, priuſquã germinaret, & quod addit: Nõ enim pluerat Dominus ſuper terram, & homo non erat qui operaretur terram, ad idem propoſitum faciunt, ut uidelicet, ſicuti dixi, humectationem quæ eſt ex pluuia, & commoditatem quæ eſt ex agricultura & operа humana à prima illa herbarum, uirgultorum & arborum productione excludat. Per hoc quod dicit, Et homo non arat, ſatis indicat, loqui ſe de eo tempore quod creationem hominis anteceſſit.

Sed fons aſcendebat è terra.] Heb. non eſt, ſed fons: ſed, יאר, id eſt, & uapor, aſcendebat, è terra, ſicuti etiam nonnulli uertunt. Videtur hiſce uerbis Moſes docere, quomodo terra initio ſit ad fructificandum humectata, antequam pluuia & opera humana adiuuaretur. Vapor, inquit, ideſt humida quædam exhalatio

halatio ascendebat in superficem terræ, quæ eam erat remotis in unũ locum aquis arida facta, & uniuersam irrigabat atq; humectabat. A

Formauit igitur Dominus Deus hominem.] Pertinent ista ad opus creationis hominis, quæ facta est sexto die. Et formauit, inquit, Hebræus, Dominus Deus hominem. Suprà duntaxat de eo meminit, quòd crearit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Hic uerò quod paralipomenon erat adijcit, unde scilicet factus sit homo: De limo terræ, inquit: uel ut in Hebræo est עפר מן האדמה, id est puluerem de terra. His uerbis docet de cõstitutione & formatione corporis, quod materiam attinet, unde formatum est. Subiungit de anima, uel si mauis corporis iam è puluere terræ formati uiuificatione. Et inspirauit, inquit, in faciem eius spiraculum uitæ. Intelligit spiritum uitalem. Hunc dicit à Deo in faciem hominis inspiratum. In Hebræo est באפיו, id est in nares eius, ne quis, ut fieri solet, de facie philosophetur. Et factus est homo in animam uiuentem, id est, cum accepisset per inspirationẽ Dei halitum uitalem, cœpit esse homo uiuus, qui antea erat puluis in corpus ac membra formatus. Ponitur enim hic נפש pro corpore animali.

QVAESTIONES.

Istæ sunt generationes cœli ac terræ.] Quærunt hoc loco Græci scriptores, & qui ex latinis quoq; græcam uersionem, non Hebræam sequuntur, quomodo Moses librum hunc Geneseos, librum generationis cœli ac terræ uocet, cum uix pauca quædam de generatione cœli ac terræ cõtineat, reliquis uerò omnibus de alijs multis rebus exponat. Legunt enim secundum Græcam uersionem, Hic est liber generationis cœli ac terræ, & intelligũt de titulo totius huius libri. Ad hanc quæstionem nobis facillimũ est respondere, qui scimus non esse in Hebræo, Hic est liber generationis: sed, אלה תולדות השמים והארץ, id est, Hæ sunt generationes cœli ac terræ: nec loqui Mosen de toto hoc libro, nec ponere hic illius titulum, sed respicere ad ea quæ capite præcedenti de creatione cœli ac terræ breuiter expositerat, & quorum paralipomena quædam in præsenti tractare constituebat. Quare si retineatur Hæbraica ueritas, locum non habet ista quæstio.

Verùm etiamsi ad eum modum loquutus esset Moses, Hic est liber generationis cœli ac terræ, attamen ne sic quidem difficilis esset hæc quæstio, illis præsertim, qui consimili modo apud Matthæum legunt, Liber generationis Iesu Christi, cum tamen Euangelista ille perinde non de generatione tantum Iesu Christi eo libro atq; Moses suo non de generatione tantum cœli ac terræ scribat. Nam sicuti Matthæus libro suo titulum ab eo quod in illius tractabat principio, ita & Moses huic libro ab eo quod ita tim in illius exordio exposuit, titulum præponere potuisset. B

Formauit igitur Dominus Deus hominẽ.] Quæritur hic an homini aliquid præcipui ex eo accesserit, quòd à Deo formatus, & non sicuti bestiæ è terra productus legitur. Arbitrantur quidam esse hominem alio modo cõditum, quàm bestias, quæ uirtute sunt uerbi Dei productæ, eo quòd suprà dixisse Deum legimus, Faciamus hominem, & hic Moses dicit, Formauit igitur Dominus Deus hominem. Verùm hoc nobis certò tenendum est nec hominem solum, sed & bestias esse à Deo formatas, sicuti in hoc ipso capite infrà uidebimus: nec bestias duntaxat, sed hominem quoq; uerbo Dei esse creatum, ut nihil, quod creationis modum attinet, homini præ bestijs sit collatum, nisi quod spiritus S. ad hunc modum loqui uoluit, ut significet uoluisse Deum condere hominem, qui bestijs esset præstantior, nõ in modo creandi, sed in dignitate imaginis Dei.

Deinde quærunt, quare non dixerit hic Moses, Formauit igitur Deus hominem è limo terræ ad imaginem suam ac similitudinem suam, sed de dignitate ista hominis hoc loco tacuerit. Respondent, esse id eam ob causam factum, quod hic non loquatur de interiore homine, qui ad imaginem Dei factus sit, sed de externo & animali, suprà uerò de toto homine facta sit mentio. Verùm quid necesse erat Mosi toties commemorare esse hominem ad imaginem Dei conditum, quoties illius erat facienda mentio? præsertim cum hoc loco non esset eius rei propositum, cuius suprà abundè expressérat dignitatẽ. Neq; enim hic de eo agit, ad quid, sed quomodo sit factus homo.

Et inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ, & factus est homo in animam uiuentem.] Quærunt hic nonnulli, quid sit quod non simpliciter dicit, Et inspirauit in faciem eius spiritum, uel spiraculum: sed addit, Uitæ. nec simpliciter dicit, Et factus est homo in animam: sed, In animam uiuentem. Et interrogant, possit ne spiritus esse sine uita, & anima non uiuens. Itaq; cum uideatur non esse præter singularem rationem ad hunc modum loquutum Mosen, in eam sententiam ducuntur, ut arbitrentur eum nõ de anima hominis, qua corpus uiuificatur, sed de spiritu sancto loqui, quem Adam cum iam esset formatus homo, corpus habẽs & animam, sicuti bestiæ fuerant è terra productæ, per inspirationem Dei acceperit. Mouentur etiam ad hanc opinionem per id quod Deus non simpliciter indidisse illi, sed inspirasse spiraculum uitæ scribitur. Quid enim spirat Deus, inquiunt, aliud quàm spiritum sanctum? Deinde & illud addunt, si non intelligatur hæc particula de spiritu sancto, sed de anima hominis, consequi rem absurdam, uidelicet, quòd anima hominis sit pars essentiæ ac substantiæ Dei: quod si statueretur, reliquum esse, ut nulli sit errori, nulli peccato, nullis corrupris affectionibus obnoxia, quod tamen uideatur omnium esse falsissimum. Ad hanc quæstionem paucis respondemus. Primùm non sequi quod Deus eo spirandi modo, quo nos utimur, animam uitæ inspirauerit homini. Puerilis est admodum ista opinio. Scriptura loquitur more humano de Deo & operibus illius, Deus autem non operatur more humano. Nihil aliud dicit Moses, quàm indidisse Deum corpori formato spiraculum uitæ. Deinde & ipsa uerba, si textum Hebræum inspicias, satis sunt manifesta.

Primũ uerbũ רוח non ſic ſpirare ſignificat, ut perpetuò de inſpiratione uel expiratio ne ſit intelligendũ. Nam ſæpenumero flare, nonnunquam & loqui, aliquando & proferre ſignificat. Deinde, non ſimpliciter dicit, Et inſpirauit, uel, inflauit in eum: ſed, Et inſpirauit, aut inflauit, ſicut & aliqui legunt, In faciẽ eius, hoc eſt, in nares eius. Si de ſpiritu ſancto loqueretur Moſes, nequaquam illum in nares hominis in flatum eſſe diceret. Etenim quæ ratio, quæ conuenientia aſſignari poterit, ut ſpirituſſanctus in nares hominis infletur. Tertiò, non dicit רוחו, id eſt, ſpiritum ſuum, ſed נשמת חיים, id eſt, flatum, uel anhelitum uitarum. Notum eſt autem uocem נשמת ſumi frequenter de flatu & anhelitu hominis. Et Græci hoc loco, non uerterunt πνεῦμα, id eſt ſpiritum, ſed ψυχὴν, id eſt, flatum & anhelitum. Quarto quod dicit ויהי ארם לנפש חיה, id eſt, Et factus eſt homo in animam uiuentem, uſqueadeò ad ipſorum opinionem non facit, ut ſuprà tam de piſcibus quàm beſtijs terræ legatur. Quare ſi rectè argutantur, non ſolũ homini, ſed & piſcibus maris & beſtijs terræ fuit ſpirituſſanctus infuſus, quod omnium eſt abſurdiſſimum, etiam in ipſorum oculis, qui iſta comminiſcuntur. Itaq; ſi iſta conſiderentur ſecundum uerba Moſis, manifeſtũ relinquitur hinc eſſe hominibus iſtis, ſicut & alijs multis, erroris cauſam, quòd magis ſua ſomnia inferunt ſcripturis, quàm uerba: præſertim ut in Hebræo habentur, cum iudicio conſiderant.

OBSERVATIO I.

Iſtæ ſunt generationes cœli ac terræ.] Obſeruandũ eſt hoc loco, quòd non contentus eſt Moſes eo quod dixit, In principio fecit Deus cœlum & terram, niſi repetat hic, & cœlum unà cum terra generata eſſe dicat. Sic aduerſatur ſpiritus ſanctus illis qui mundum ſemper fuiſſe, & principium non habere contendunt. Quomodo ſemper fuit, quod aliquando generatum eſt? Quid poteſt ex omnib. aſſignari creatis, quod fuerit antequam generaretur? *Contra eos qui mundum ſemper fuiſſe dicunt.*

In die quo creauit Deus cœlum & terram.] Obſeruandum hic eſt in Hebræo, quòd ab iſto loco primùm Moſes nomine Dei Tetragrammaton יהוה uti incipit. Nam hactenus tantum uocem אלהים, id eſt dij, uel potentes, uſurpauit: iam uerò uocat Deum יהוה אלהים, quod uertunt, Dominum Deum. Reddunt huius rationem, quòd poſtquam eſſet completa hac totius uniuerſi machina, creatiſq; tam beſtijs, quàm homine, luculenter declaratum, eſſe Deum uerum illum & unicum EXISTENTEM, commodè ſit tum demum uox illa יהוה, id eſt, Exiſtens uſurpata: quæ ſic propriè Dei eſt, ut nulli creaturæ communicetur.

Deinde & cogitabimus de myſterio S. Triadis, quoties has duas uoces יהוה אלהים coniunctas uidemus. Nam יהוה ſingularis eſt numeri, אלהים uerò pluralis: quaſi dicas, Exiſtens dij. In יהוה eſt myſterium unius diuinitatis eſſentiæ. Nam ea uox ab חוה ducitur, quæ eſſe ſignificat. In אלהים uerò myſterium eſt trium perſonarum in diuinitate. Igitur duabus iſtis uocibus diuinitas una in eſſentia, & trina in perſonis notatur.

OBSERVATIO II.

Et omne uirgultum agri, antequam oriretur in terra: omnemq; herbam regionis, priuſquam germinaret.] Expende hic, quòd ex omnib. creatis Dei tantum de terræ naſcentibus inculcat, quòd à Domino ſint creata, antequã uel pluuijs rigaret terra, uel homo eſſet, qui terram operaretur. Sunt & beſtiæ tam aquatiles quàm uolatiles ac terreſtres à Deo ſine ullis uel naturæ, uel humanis uiribus conditæ, ut & de illis hoc ipſum repetere poſſet. Verùm quoniam manifeſtius eſt, eſſe illas ſine opera humana productas, quàm terræ naſcentia: quorum progerminatio partim naturæ uiribus, partim cultui humano tribui ſolet, uiſum eſt neceſſarium ſpecialiter inculcare, non ſolum ea quæ animam uiuentem habent, ſed & herbas, & uirgulta, & arbores non niſi uerbi Dei uirtute produci, quantumuis opera humana accedat. Sic cauere uoluit ſpiritus ſanctus, ne gloria uerbi Dei interueretur, & admonere nihil eſſe plantantẽ, nihil rigantem, ſed omnia pendere ab eo qui ſolus dat incrementũ, & initio ſine ullis pluuijs & laboribus humanis terram fœcundauit. *Qua ratione de terræ naſcentib. tantũ dicat quòd ſine pluuia et opera humana creata ſint à Deo.*

OBSERVATIO III.

Non autem pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat qui operaretur terram.] Obſerua hic quòd non dicit, Non autem pluet Dominus Deus ſuper terram, nec homo operabitur terram: ſed, Non pluerat Dãs Deus ſuper terram, & homo non erat qui operaretur terram. Exprimitur diſcrimen inter originalem terræ progerminationem, & eam quæ poſtea eſt introducta, quam hiſce uerbis Moſes non reprobat. Initio quidem terræ naſcentia ſine pluuijs & præter laborem humanum à Deo ſunt procreata. Poſtea uerò iniunctum eſt homini, ut operetur terram: ſicuti infrà cap. ſequẽti uidebimus, Et cœpit Dominus pluuijs illam irrigare. Quare & operandum eſt homini, plantandum & rigandum, ne ſine labore fructus terræ expectet, ac Dominum: & rurſus cauendũ, ne laboribus ſuis efficaciam tribuat fertilitatis, & opus manuum ſuarum adoret, quæ eſt iniquitas contra Deum maxima. *Diſcrimen inter originalẽ terræ puogerminationem, & eã quæ poſtea data eſt.*

Et uide quàm commodè ſint iſta cõiuncta: Dominus pluit ſuper terram, & homo operatur terram. Nec pluuia ſine cultu terræ, nec cultura terræ ſine pluuijs à Deo cœlitus demiſsis ad hoc faciet, ut ex fructibus terræ paſcamur. Poſſet Deus ad finem uſq; mundi præſtare, quod præſtitit initiò creationis: uerùm hunc conſtituit ordinem, ut homo ſit cooperator Dei, & in uirtute operum Dei alatur, experiaturq; nec ſufficere ipſi proprium laborem ad uictum, nec deeſſe laboranti uirtutem cooperantis Dei creatoris ſui ad effectum. *Pluuia Dei, & cultura humana iunguntur.*

OBSERVATIO IIII.

Sed fons aſcendebat è terra, irrigans uniuerſam terram.] Siue legatur fons, ſiue uapor, uidemus hoc loco, Deum malle mediis quibuſdam uti, & per illa ſuam exercere uirtutem, quàm inuiſibiliter et immediatè *Quare ſoleat Deus uti mediis.*

quæ ſecum ipſe ſtatuit perficere. Etenim dum mediis utitur, potentiam ſuam uiſibiliter declarat, & men A
tes obſeruantium in admirationem uirtutis ſuæ trahit. Potuiſſet abſq; ulla telluris irrigatione fœcundi-
tatem fructuum copioſiſsimè producere: uerùm placuit ipſi irrigationis medium. Potuiſſet in deſerto
abſq; ullo uiſibilicibo populum abundè ſaturare, maluit tamen id facere manna in oculis ipſorum cœ-
litus depluto.

Diſpenſatio mediorum.

Et obſerua hic mediorum diſpenſationem. Non eſt uſus eodem irrigandi modo tum initio quo nunc utitur. Mutauit modum medij, ne putemus potentiam ipſius alligatam eſſe certo cuipiam medio uel medij modo. Initio, euaporatione telluris tellurem irrigauit uniuerſam. Facit id nunc pluuijs uel rore cœlitus demiſsis.

Quare modũ irrigandi retinuerit eum, qui uel per pluuias eſt, uel per rorem.

Cogita etiam de eo quare eum irrigandi modum cõſuetum eſſe uoluerit, qui de cœlo uiſibiliter perficitur, & de cœlo non ex terra expectatur. Sic uidelicet uoluit nos à ſede Maieſtatis ſuæ cœlo, & cœleſti prouidentia pendere, ut ipſo loco, unde pluuia datur, admoneamur, unde ſit operum noſtrorum incrementum, & quòd magis cœlitus quàm uel è terra uel manuum noſtrarum labore paſcamur.

OBSERVAT. V.

Quare Moſes humilitatem originis humanæ tacere noluerit.

Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.] Conſiderandum hic eſt, quare Moſes particulam hanc ſilentio tranſire noluerit, ſed tanquã ſcitu neceſſariam poſt ea quæ de creatione hominis præmiſit, ſeparatim commemorare. Oſtendit in præcedentibus, ad quam fuerit homo dignitatem conditus, dum eum ad imaginem ac ſimilitudinem Dei factum eſſe dixit. Hinc autem, pro ingenij humani corruptione procliue erat, ut occaſio ſumeretur ſuperbiendi & inſoleſcendi. Itaque ut ei incõmodo mederetur, uiſum eſt de originis noſtræ humilitate ac uilitate ſubijcere: quo ſi quem inflet dignitas imaginis Dei, rurſus humiliet conſiderata humilitas originis, ad quam uocantur arrogantes ac ſuperbi, dicente ſcriptura, Quid ſuperbis puluis ac cinis?

Huc ſeruiunt & uerba quibus ſtudio uſus eſt Moſes. Non dicit, Formauit Dominus Deus hominẽ de terra: ſed, Formauit, uel finxit Dominus Deus Adam puluerem de terra. Vilius eſt aliquanto, eſſe ex puluere. imò puluerem quoq;, quàm ſimpliciter eſſe ex terra.

OBSERVATIO VI.

Etiam in anima noſtra reperitur humilitatis noſtræ argumentũ.

Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum uitæ, & factus eſt homo in animam uiuentem.] Obſerua quomodo & hæc uerba Moſes ſic poſuerit, ut in ea quoq; parte, quæ potior eſt in nobis, adminiſtretur agnoſcendæ noſtræ humilitatis occaſio. Loquitur de infuſione animæ, & uocat hanc flatum uitæ, & animam uitarum: quæ uoces uſqueadeò non exprimunt rationis humanæ excellentiam, ut etiam de beſtijs in ſcripturis legantur. Deinde, cum poſſet ſimpliciter dicere, Et inſpirauit in eum ſpiraculum uitæ, maluit dicere, Et inſpirauit in nares eius ſpiraculum uitæ. Quanti autem faciendus ſit homo, cuius ſpiritus eſt in naribus ipſius, perinde atq; in reliquis animantibus communiter omnibus ſpiraculum in naribus eſſe uidemus, ſacra ſcriptura non tacet. Eſa. ſecundo. Non negat Moſes eſſe homini animam rationis & intelligentiæ compotem infuſam: uerùm quoniam ad propoſitum non faciebat, ut eius hoc loco recordaretur, maluit ad hunc modum de anima hominis loqui, ut illius quoq; conſideratione ad animi modeſtiam reuocemur. Quæ eſt itaq; inſania illa, qua corda noſtra intumeſcunt, cum tam ſint euidentia nõ modò in carne, ſed & anima noſtra humilitatis argumenta? ſiue illa coniunctim, ſiue ſeparatim conſiderentur? Cui non horrori eſt corpus hominis, ſi exanime inſpiciatur? uel is aſpectus ſemel in omni uita oblatus perpetuam poſſet modeſtiæ occaſionem ſubminiſtrare, niſi facti eſſemus prorſus inſenſati. Et halitus hic animalis, quàm eſt multis moleſtijs obnoxius? Deniq; quàm non differimus in illo à beſtijs? imò quàm ſæpenumero ab illis etiam uincimur?

Locus Pauli, 1. Corint. 15.

Deinde obſeruandum etiam eſt, quomodo præſenti particula uſus ſit Apoſtolus 1. Corinth. 15. ubi ut materiam reſurrectionis dilucidet, primum hominem Adamum & Chriſtum inter ſe confert, dicens ad hunc modum: Eſt corpus animale, eſt & corpus ſpirituale: quemadmodum & ſcriptum eſt, Factus eſt primus homo Adam in animam uiuentem, extremus Adam in ſpiritum uiuificantem. At non primùm quod ſpirituale, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo ipſe Dominus de cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni ſunt. Et qualis cœleſtis ille, tales & ij qui cœleſtes ſunt. Et quemadmodum geſtamus imaginem terreni, geſtabimus & imaginẽ cœleſtis. Hæc Apoſtolus, quib. præmiſit dicens, Seminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpirituale. Conſtituit duo genera corporum. Vnum animalium, alterum ſpiritualium. Animale uocat, quod per hanc animam, perinde atq; beſtiarum corpora, ſuſtentatur in uita. Græcè eſt ψυχικὸν, quod & animatũ uocare potes. Spirituale intelligit, non quod ſpiritum habet, ſicut habent & beſtiæ, ſed quod naturam & conditionem ſpiritualem ſortitum, & à corruptione, infirmitate, & mortalitate animalium corporum liberatum eſt: quale factum eſt corpus Chriſti poſt reſurrectionem, nullis amplius infirmitatibus priſtinæ conditionis obnoxium. Horum corporum utrorumque imagines ſtatuit in Adamo primo homine, & Chriſto ſecundo. Vocat Chriſtum ſecundum hominem, non quòd ſecundus ſit poſt Adam, ordine generationis, ſed quòd ſecundũ caput ſit hominibus datum: Adam primũ humanæ generationis, Chriſtus ſecundum regenerationis, Adamum conſtituit caput terrenorum & animalium. Hunc dicit factum eſſe in animam uiuentem, hoc eſt, corpus animale, & de terra terrenum, ut ſe magis exponat. Chriſtum ponit caput cœleſtium & ſpiritualium, hoc eſt regeneratorum. Vtriſque dat imagines, ſignificans conformitatem poſterorum utrorumq;. Sic ſubiungit, Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœle-

A lis cœlestis, tales & cœlestes. Et quemadmodum gestamus imaginem terreni, ipsi uidelicet terreni & animales, ita gestabimus & imaginem cœlestis: Christi uidelicet, quando resurgemus, & animalem corporum nostrorum infirmitatem, ignominiam, mortalitatem, corruptionem: in spiritualem glorificationis Christi firmitatem, gloriam, immortalitatem & incorruptionem permutabimus. Videmus igitur hic, quomodo animali Adæ opponendus sit Christus, ut simul & præsentis uitæ humilitatem et miseriam cum futuræ mutationis nostræ gloria cõferendo consolationẽ omnium miseriarũ inueniamus.

DE PARADISO.

Plantauerat autẽ Dominus Deus paradisum uoluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat. Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum uisu, & ad uescendum suaue: lignum etiam uitæ in medio paradisi, lignumq; scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco uoluptatis, ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen uni Phison: Ipse est qui circuit omnem terram Euilath, ubi nascitur aurum. & aurum terræ illius optimum est. Ibiq; inuenitur bdellium, & lapis onychinus. Et nomen fluuij secũdi Gyon: Ipse est qui circuit omnem terram Æthyopiæ. Nomen uerò fluminis tertij Tigris: ipse uadit cõtra Assyrios. Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.

EXPLANATIO.

Quæ Moses hic de paradiso scribit, sunt quidem inter paralipomena tertij diei referenda: uerũ propter historiam hominis continuandam interserunt. Cœperat enim de illis loqui, quæ hominem à Deo formatum concernunt: ac primùm unde formatus, & quomodo animatus fuerit commemorauit: deinde ut & mansionem exponeret, in quam singulari fuerat honore locatus, introducit paradisi mentionem ac descriptionem. Et primùm in genere dicit, Plantauerat autem Dominus Deus paradisum uoluptatis à principio, in quo posuit hominem qnem formauerat. Et Hebraica uox גן, & græca παράδεισος, hortum significat. Plantandi uerbo Moses significat fuisse hortum hunc singulari consilio ac studio Dei reliqua terra præstantiorem & elegantiorem productum. Loquitur enim de Deo more humano. Illud, Paradisum uoluptatis, in Hebræo est גן בעדן, id est, hortum in Eden. Significat autem uox Eden uoluptatem ac delicias: ac simul nomen est loci alicuius ac regionis, quæ Ezech. 27. cum Haran & Came, aliisq; regionibus numeratur, quibus cõmercium fuerat cum Tirijs. Vide etiam Esa 37. Quare uariant interpretes. Græcus habet παράδεισον ἐν ἐδέμ: id est, hortum in Eden, secundum Hebræum. Intellexit ille uocem Eden positam esse de regione quadam. Latinus uertit, hortum uoluptatis, neglecta præpositione ב, id est, in. Quòd si hæc uersio probanda est, intelligendum est, Hebræum dixisse, גן בעדן, id est, hortum in uoluptate, uel cum uoluptate. Et illud quoq; מקדם, bifariam uertitur. Græc. ἀπ' ἀνατολῆς, id est, uersus Orientis partes: Latinus, à principio uertit. Græcus ad situm, Latinus ad tempus plantati paradisi respexit. Mihi simplicius uidetur, ut de tempore intelligamus, tertij uidelicet diei: propterea quòd Hebræus non habet בקדם, id est, in Oriente: sed, מקדם, id est, à tempore anteriori, uel antea. Etenim incommoda lectio uidetur, si legamus, ab Oriente. Interea cum nemine contenderim, si quis paradisum in Orientis plaga conditum fuisse credat. Plantauerat autẽ Dominus Deus, inquit, hortum in Eden à principio, & in hunc posuit hominem quem formauerat. Extra paradisum è puluere terræ formatum hominem transtulit in locum mansionis, quem illi, antequã conderetur, plantauerat ac destinauerat.

Produxeratq; Dominus Deus de humo.] Factum hoc erat die tertio, & hic per recapitulationem repetitur, ad exponendum quod dixerat, Plantauerat Dominus Deus paradisum, &c. Describit hortum illum, quod attinet illius elegantiam & amœnitatem. Ponit autem eam duplicem: iucundissimarum arborum unam, fluuij hortũ irrigantis alteram. De arboribus prædicat, quòd omnis generis fuerint: ubi notat copiam & abundantiam: deinde pulchræ uisu, quod ad elegantiam: tertiò ad uescendum suaues, quod ad delectationem gustus, & utilitatem uictus pertinet. Addit de duabus præcipuis arboribus: uitæ una, scientiæ boni & mali altera. Has plantauerat Deus in medio paradisi. Quòd arbor uitæ fuerit in medio paradisi, testasur præsens contextus. De arbore scientiæ boni & mali, quòd & illa in medio paradisi extiterit, testantur uerba Euæ ad serpentem capite sequenti.

De fluuio sic dicit, Et fluuius egrediebatur de loco uoluptatis, ad irrigandum paradisum. In Hebr. est מעדן, id est, ex Eden. Vides et hic geminam cõmoditatem fuisse: unam delectationis & amœnitatis, alteram utilitatis, ex irrigatione & fœcundatione, quæ ad eum modum facta uidetur, qui de terra Sodomorum & Aegypto legitur, infrà cap. 13.

Quod de quatuor capitibus, hoc est, initijs fluuiorũ, in quæ flumen paradisi diuiditur, hoc loco scribitur, ad rei euidentiam est positum. Et ad hoc facit, ut quoniam mentionem fluuij fecerat, paradisum irrigantis, simul etiam de cursu illius commemoraret. Nam ista duo præcipuè de insignibus fluuijs

quæri

quæri ſolent: unum, unde oriantur: alterum, quo labantur. De ortu huius fluuij dixerat, quòd uidelicet ex Eden egrederet: reliquũ erat, ut & de curſu illius doceret. Hoc facit dicens, Qui inde, id eſt ab Eden, diuiditur in quatuor capita. Nomen uni Phiſon, &c. Ad euidẽtiam rei & nomina fluuiorum, & cuiuſq; curſum, ad quam regionem labatur, expreſsit. Arbitror autem non conſtare nobis certò, qui ſint iſti fluuij, niſi de Euphrate. Nam is Hebraicè פרת manifeſtè exprimitur. Primùm, qui Hebraicè Phiſon uocatur, interpretantur quidam eſſe Gangen. Secundum גיחון, uolunt eſſe Nilum. Tertium חדקל, dicunt quòd ſit Tigris. Quàm ſint hæc certa, alijs dijudicandum relinquo. Primo fluuio datur, quòd circueat omnem terram Euilah. Hanc dicũt eſſe regionem quandam in India, dictam ſic ab Euilah filio Iectan, filio Eber. De hac prædicat, quòd optimo auro abundet, habeatq; bdellium & lapidem שׁהם, quem interpretantur Onychinum, ab unguium colore ſic dictum. Bdellium alij dicunt eſſe arborem aromaticam, alij lapidem carbunculum, uel cryſtallinum. De ſecundo fluuio dicit, quòd terram כוש circueat. Vertunt Aethiopiam, & ex hac illum in Aegyptum deſcendere dicunt. Tertium fluuium uerſus Aſſyriam fluere ſcribit. Curſum quarti qui eſt Euphrates, tanquam omnibus regionis illius incolis notum nõ expreſsit. Sic enim notus eſt hic fluuius, ut terra Iſraelis curſu illius ſecundum promiſsionem Dei terminetur. Infrà 15. Deut. 11. Ioſuæ 1.

QVAESTIONES.

Sint ne hæc de hiſtorica, uel myſtica paradiſo accipienda.

Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum uoluptatis.] Quæritur hoc loco, Sint ne iſta quæ Moſes de paradiſo ſcribit, hiſtorico uel myſtico ſenſu accipienda. Extiterunt autem non ſolum inter hæreticos, qui paradiſum uiſibilem negarint, quod Seleuciani fecerunt: ſed & inter catholicos, qui omnia illius ad myſticos ſenſus traxerint. De paradiſo ſcripſit Ambroſius ad eum modum, ut ſi de ſenſu hiſtorico quæras aliquid, prorſus nihil inuenias. Nam cuncta ad rerũ non corporalium, ſed intelligibilium myſteria flectit. Rurſus uidenti nonnullis ea quæ Moſes hic ſcribit, ſic eſſe hiſtoricè intelligẽda, ut nihil ex illis ſit, quod ſpiritualium rerũ figuram habeat. Tertiò, ſunt qui & hiſtoricum ſenſum amplectanti, & ſimul in rebus corporalibus ac uiſibilibus ſpiritualium umbras obſeruent. Sunt itaq; tria expoſitionum genera, quod præſentem locum concernit. Primum, quo ſpiritualiter tantum. Secundum, quo duntaxat corporaliter. Tertium, quo & corporaliter et ſpiritualiter & locus paradiſi & arbores & flumina exponunt. Quod meam attinet ſententiam, haud diſplicet quod Auguſtinus libro 8. ſuper Geneſim cap. 1. ſcripſit. Nam omnino cauendũ eſt, ne quæ Moſes nõ figuratis loquutionib. ſed planè hiſtorica narratione conſcripſit, ſic accipiantur, ut hiſtoriæ ueritas amittatur, ſed ſenſus hiſtoricus cum primis eſt indubitato tenendus: ac tum demum, ſi qua datur commoditas, in rebus corporalibus uidendum, an aliqua ſpiritualium rerum imago reluceat. Nemo pius negauerit, uocem paradiſi, cum ad latronem dicebat Chriſtus, Hodie mecum eris in paradiſo, ſic accipi poſſe, ut non de terreſtri paradiſo, in quo Adam peccauit, ſed de cœleſti ac uera futuræ uitæ felicitate intelligatur. Propterea tamen nulla cogit neceſsitas, ut terreſtrem

1. Cor. 10. fuiſſe à Deo paradiſum conditum negemus. Apoſtolus dicit, Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus. quibus ſanè uerbis typum Chriſti exprimit, quem in petra deſerti fidelis animus ſpectare debet. Verùm interea negandum nõ eſt, fuiſſe petram comparabilem ac uiGal. 4. ſibilem in deſerto, unde terrena & uiſibilis aqua profluxerit. Vidit idem Apoſtolus cœleſtem Hieruſalẽ ueram eſſe credentium matrem: propterea tamen non negauit, in terris eſſe terrenam Hieruſalem, cum filijs ſuis ſeruientem. Vidit etiam duo teſtamenta in duobus filijs Abrahæ, Iſmael & Iſaac eſſe præfigurata: at Iſmaelem & Iſaacum, ſicut & Hagar & Saram, non negaut corporaliter ſecundum hiſtoriam ſuo tempore uixiſſe. Ad eum modum & de paradiſo, illiusq; arboribus & fluuijs ſentiendum eſſe iudico, ut hiſtoriæ ueritatem cum primis amplectamur, nec quicquam de illa deteramus. Deinde ſi cui tantum eſt intelligentiæ rerum ſpiritualium, ut imagines & figuras illarum in rebus corporalibus uidere poſsit, oſtendat illas ſine hiſtoricæ ueritatis detrimento, per quam non impediuntur ſenſus ſpirituales, ſed magis adiuuantur.

Deinde quæritur de loco paradiſi, quanam orbis regione fuerit à Deo plantatus. Variæ ſunt etiam hac de re ſententiæ. Principiò, ſunt, qui dicant illum fuiſſe plantatum in Oriente, propter uerſionem Sept. qui reddiderunt illud אקדם, κατ' ἀνατολάς, id eſt, uerſus Orientem, uel in Oriente. Deinde alij cogitant de circulo æquinoctiali, ſub quo fuerit plantatus paradiſus loco omniũ temperatiſsimo. Tertiò, ſunt qui dicant eſſe paradiſum in monte quodã excelſiſſ. in Orientali parte, à cunctis regionibus, quas nunc incolimus, remota & ſecreta, ita ut ad illum aquæ diluuij pertingere nequiuerint. Quartò, collocant quidã paradiſum in Syriam, Damaſcũ, Arabiam & Aegyptũ, nonnulli in regionẽ quæ ſupra Aſſyriam ſita ſit, dicuntq; omnem eam terram ante diluuiũ fuiſſe amœniſsimã & fertiliſsimam: ſumuntq; argumenta ex fluuijs illis, cuius exordia paradiſo dantur à Moſe. Ad hanc uarietatẽ quid dicturi ſumus? Mihi quidem uerofimile eſt, quoniam regionis Eden, cuius hic meminit Moſes, etiam alijs ſcripturæ locis fit mentio, ſicuti ſuprà indicaui, fuiſſe in illa plantatum paradiſum: uerùm ut eam ſententiam pro certa & indubitata teneam, non uidetur eſſe hominis ſatis cauti. Quare haud illibenter cum Auguſtino ſenſero, qui locum paradiſi à cognitione hominum remotiſsimum eſſe dicit. Sunt etiam noſtra ætate uiri docti, qui arbitrentur totam terram fuiſſe paradiſum illũ, cuius hic meminit Moſes. Verùm argumẽta quæ inducũt, infirmiora ſunt, quàm ut manifeſtũ contextũ refellant: cuius uerba omnino hoc indicant, fuiſſe ſeparatũ quendã, & ſingularẽ paradiſi locũ, in quẽ fuerit Adã, alio terræ loco cõditus, unà cũ Eua tranſlatus, et poſt peccatũ ex illo in terrã unde ſumptus fuerat, eiectus. Deniq; acceſſus ad lignũ uitæ

A uitæ per Cherubim & gladium uersatilem occlusus, satis indicat, non constare illorum sententiam.

Tertiò & illud quærunt, quando sit plantatus hic paradisus. Hieronymus propter uocem מקדם, cui non loci, sed temporis significationem tribuit, sensit paradisum fuisse conditum ante cœlum & terram. Sic enim in quæstionibus Hebraicis super Genesim scribit: Nec non quod sequitur, contra Orientem in Hebræo מקדם scribitur, quod Aquila posuit ἀπὸ ἀρχῆς, & nos, Ab exordio, possumus dicere, Symmachus uerò ἐν πρώτοις, & Theodotio ἐν πρώτοις, quod & ipsum non Orientem, sed principium significat. Ex quo manifestissimè comprobatur, quòd priusquam cœlum & terram Deus faceret, paradisum antè condiderat, sicut & legitur in Hebræo, Plantauerat autem Deus paradisum in Eden à principio. Hæc ille. Verùm ista sententia, si de terrestri paradiso accipiatur, planè absurda est: nec ui uocis מקדם confirmari potest. Si uerò de paradiso spirituali loquitur, nemo dubitat eam felicitatem cœlestem & æternam ante mundum conditum electis esse paratam: sicut & Christus Matth. 25. testat. Probari tamen non potest, quòd hunc sensum Hieronymus ex ui literæ Mosaicæ hoc loco colligit.

Alij sentiunt paradisum hunc plantatum, postquam esset Adam conditus. Sequuntur illi ordinem narrationis Mosaicæ: ut quoniam postquã dictum est de formatione hominis, tum demum subijcitur, Et plantauit Dominus Deus paradisum in Eden, putent hortũ hunc post hominis esse formationẽ plantatũ. Et Chrysost. arbitrat etiam arbores paradisi demũ esse plantatas, cũ in eum locũ esset Adam collocatus. Verũ illi rectius sentire uidentur, qui quæ Moses de paradiso scribit, per recapitulationẽ exponenda esse iudicant. atq; ita sentiũt, esse paradisum hunc cũ omnib. suis arboribus in die tertio plantatũ. Quare notanter non legunt, Plantauit: sed, Plantauerat aũt Dñs Deus paradisum. Sic arbitror & sequentia legenda, Produxerat q; Dominus Deus de humo, omne lignũ pulchrũ uisu, &c. ut eadem locutionis forma de re non diuisim, sed eodem momento facta seruetur, nec causa detur erroris.

Quartò, de eo quoq; quæstio mouet, duret ne paradisus iste ad hodiernũ usq; diem, uel minus. Et hic aliter atq; aliter sentit. Sunt qui arbitrentur illũ adhuc consistere. Ducunt uarijs rationibus. Adferunt dictũ Christi, Hodie mecũ eris in paradiso. Et quòd Apostolus raptus sit in paradisum. Itẽ quod Apoc. 2. legit, Vincẽti dabo edere de ligno uitæ, quod est in paradiso. Et Iudæi multa fabulosa de mansionib. paradisi, nõ minus quàm poetæ de campo Elysio, cõminiscuntur. Rursus sunt qui delicias loci illius per inundationẽ diluuij, perinde atq; reliqua prioris mundi ornamenta interisse dicant: quibus hactenus assentiri malo, quatenus uerosimile est post hominis lapsum, & humani generis, ad octo usq; animas, B intetnecionẽ, etiã illi loco, qui etsi hominis fuerat causa ad eum modũ ornatus, nõ immeritò tamẽ propter inobedientiã illius excidio potuit esse obnoxius, nõ peperciss̃e Dominũ. Nisi cũ millenarijs sentire uolumus, fore ut electi huc in terris nescio quot secula cũ Christo delicient, & usum suum paradisi locus inueniat. Sed absit ea sententia à uiris cordatis. Quòd uerò uerba Christi, locũ Apostoli, & quod ex Apoc. citatur, attinet, arbitror nulla nos necessitate cogi, ut ea de terrestri paradiso intelligamus, qui non animabus corporib. exutis, sed Adæ cum posteris ipsius, si nõ peccasset, destinatus fuit. Et locus in Apocalypsi manifestè mysticus est: nisi adeò stulti sumus, ut Christum nobis de fructu terrestris paradisi cibum in futura uita destinasse putemus.

Lignũ etiã uitæ.] Quæritur hoc loco, quomodo arboris fructui dari possit, quod uirtutẽ habuerit uitæ, cũ sit à Christo dictũ, Caro nõ prodest quicquã, spiritus est qui uiuificat. Si caro Christi nõ habet uiui- Ioan. 6.
ficandi uirtutẽ, sicuti nec manna de cœlo deplutũ, nõ immeritò quæritur, quo sensu, qua ue ratiõe uocata sit arbor illa, arbor uitæ. Quod hanc quæstionẽ attinet, paucis respondeti posse iudico. Lignũ uitæ duplici sensu dici potest. Primo, ut sit idẽ quod lignũ uiuens. Altero, ut sit lignum uiuificans. Quemadmodum autem de arbore scientiæ boni & mali inconuenienter diceretur, quòd fuerit arbor sciens bonum & malum: ita & de arbore uitæ non conuenit ut dicamus, quòd fuerit arbor uiuens. Reliquũ ergo est, ut lignũ uitæ dictum sit, tanquam lignũ uiuificans. Debet aũt illud non eo sensu intelligi, quo Christus panis uitæ dicitur, qui mortuos uiuificat. Eam uiuificandi uirtutẽ quæ solius est Christi, & planè spiritualis ac cœlestis, ligno illi dare non possumus. Illud aũt, meo iudicio, rectè dat huic ligno, quod Aug. lib. 13. de Ciu. Dei cap. 20. scribit: Alebant ergo alijs, inquit, quæ sumebant, ne molestiæ aliquid esuriẽdo ac sitiendo sentirẽt. De ligno aũt uitæ, propterea gustabat, ne mors eis undecũq; subreperet, uel senectute cõfecti decursis temporũ spacijs interirent, tanquam cætera essent alimẽto, illud sacramẽto, ut sic fuisse accipiat lignũ uitæ in paradiso corporali, sicut in spirituali, hoc est, intelligibili paradiso, sapiẽtia Dei, de qua scriptũ est, Lignũ uitæ est amplectentib. eam. Hæc ille. Et Chrysostomus: Misericors enim Dñs, inquit, cũ ut opifex præsciret ex multa copia procedẽte tẽpore nocumentũ subnasci, „duxit lignũ uitæ in medio horti. Magister Sent. lib. 2. distinct. 17. Bedam citat, & sic scribit: Lignum aũt uitæ dictũ est, quia diuinitus accepit hanc uim, ut qui ex eius fructu comederet, corpus eius stabili sanitate ac perpetua soliditate firmaret, nec ulla infirmitate, uel ætatis imbecillitate in deterius, uel in occasum laberet. Hæc iste. Quòd si perpendimus, creasse Deũ Adamũ immortalẽ quidẽ, sed ea cõditione, ut ederet ac biberet, deinde herbis ac fructib. arborũ uim indidisse pascẽdi et alendi, nõ debet nobis mirũ uideri, quòd arborem parauit: cuius fructib. ea uirtus inesset, ut corpus illius, si nõ peccaret, ab iniuria senectutis & morborũ uindicaret, atq; ita in uita conseruaret. Nihil quidẽ tale paratũ est homini in toto terrarũ orbe, quo nunc corporis sui uitam à ui morbi tueri possit: at in promptu causa est. Statutum est omnib. semel mori: ubi mors destinata est omnibus, locum non habet lignum hoc uitæ, quod locum habuisset in primis nostris parentibus, illorum q; posteris, nisi peccando morti sese reddidissent obnoxios.

Quare

Quare & uia ad lignum uitæ post eiectos peccatores, morti obnoxios, adhibitis cherubim et gladio uersatili est occlusa. Multa ac uaria ad medicandum uirtus, herbis, plantis & arborum est fructibus diuinitus indita, quæ & ipsa aliquo pacto uitæ nostræ subseruit: uerùm nusquam medica aliqua herba reperitur, cuius usus ad corporis nostri uitam perpetuò conseruandam, & uim mortis repellendam faciat, non quod tale donum potentiam Dei excellat, sed quod semel constitutum est, moriendum esse omnibus, ueramq; ac sempiternam uitam per solum Christum mortuorum uiuificatorem acquirendam. Hæc mihi uidetur simplex & expedita esse huius loci sententia. Quod si cui certiora dantur cõmunicet ea ecclesiæ.

Lignumq; scientiæ boni & mali.] Venit & hæc particula in quæstionem, quomodo arbor è terra producta scientiã boni & mali præstare potuerit, cum fructus illius esset terrenus: scientia uerò boni & mali, non corporea aliqua sit, sed spiritualis ac rationalis facultas. Iosephus libro 1. Antiquitatum cap. 3 sic dicit: Illa plantatio causa acuminis erat & intellectus. Videtur sensisse, fuisse arbori illi id nominis propterea inditum, quod fructus illius comesti hominem reddere possent mali ac boni scientem. Verum probabilior uidetur Augustini & quorundam aliorum sententia, qui arborem hanc scientiæ boni & mali, non à uirtute naturaliter indita, sed à futuro euentu id esse nominis sortitam dicunt, quo contigit primis parentibus ut contra præceptum Dei ex illa edentes intelligerẽt quantum esset obedientiæ bonum, quo priuabantur, & quanto malo facti essent per inobedientiam obnoxij, qua de re uidebimus infrà. Neque uidetur uoluisse Deum talem arborẽ condere, cuius esu homo redderetur boni & mali intelligens, cum intelligentiæ facultatem animæ illius indidisset, nisi dicturi sumus non fuisse Adæ rationis uim & usum antequam de hac arbore comedisset, quod admodum improbabiliter diceretur.

Et fluuius egrediebatur de loco uoluptatis, ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen uni Phison, &c.] Quæstio nascitur hoc loco, quam dissimulare non conuenit. Numerantur quatuor flumina, quorum ortus sint ex uno & eodem paradisi fluuio. Iam constanter asseritur, esse non solum fines, sed & exortus illorum sic diuersos, ut credi non possit, exoriri illos eodem principio. Phisonẽ dicunt ex monte Caucaso, Nilum non procul ab Atlante monte, Tigrim & Euphratem ex Armenia. Quæritur ergo, cum constet fluuiorum istorum fontes esse inter se diuersissimos ac remotissimos, quomodo ex eodem paradisi fluuio nasci possint. Ad hanc quæstionem uideo trifariam posse responderi. Aut ut dicamus nomina fluuiorum istorum uera & propria non reddi, sic ut Phison non sit Ganges, Gihon non sit Nilus, Hedekel nõ sit Tigris, atq; ita in fontibus quoq; errari. Aut, si in nominib. & fontibus istorum fluuiorum nõ erratur, primos illorum exortus obscuratos esse per meatus subterraneos, ut iam diuersis locis rursus in superficiem terræ erumpant, quod plerisq; fluuijs accidere dubium non est. Aut, ut respondeamus per diluuium etiam paradisum unà cum fluuio suo, adeoq; & quatuor istis fluuiorum capitibus, sic esse uastatum & subuersum, ut nulla illius facies supersit amplius. Postremam hanc causam sic arbitror uerosimilem, ut cum totius terræ fontes ad exortum diluuij rumperentur, etiam istos quatuor paradisi fluuiorum fontes ruptos & inuersos esse facilimè credam. Sunt qui & mare rubrum, quod paradisi locum ex parte occupare putant, & mare mediterraneum, & sinum Persicum, unà cum alijs consimilibus æquoribus per diluuium exorta & ista loca, quæ occupant, obtinuisse putent. Arbitrantur etiam per diluuium esse factũ, ut ubi olim fuerit planicies, nunc sint mõtes uel stagna. Et illud ex reliquijs diluuij superesse iudicant, quod in fodinis metallorũ ligna in saxa reperiunt obdurata, & piscium, aliarũq; bestiarum formæ saxis insculpta uisuntur. Nihil autem prohibet, quo minus tria ista cõcurrant, & obscuritatem, unde nascitur hæc quæstio, pariant: sic ut nec nomina fluuiorum istorum uera, sed falsa pro ueris teneantur, nec primi fluuiorum exortus recto & manifesto cursu continuè & sine interruptione prorogentur: nec paradisi facies manserit, sed per diluuium immersa sit & confusa.

OBSERVANDA.

Singularis benuolentia Dei erga hominẽ declarata.

Plantauerat autem Dominus Deus paradisum uoluptatis à principio, in quo posuerat hominem quem formauerat.] Primùm, ubi singula expenduntur, utpote, uerbum plantandi, hortus, Eden regio amœnissima: & quod dicit, מקדם, à principio, ab exordio, iam antea, arbores quoq; & aspectu iucundæ, & esu suaues: fluuius item hortum irrigans, arbitror à Mose nobis perspicuè satis benuolentiam Dei singularẽ illam erga hominem commendari, qua noluerit eum humiliter in quouis terrarum loco, sed in eo uersari, qui esset omnium celeberrimus, & instar terrestris cuiusdam cœli ac regiæ ad hoc adornatus, ut in eo maneret is qui potestatem in omnia quæ sub cœlo erant, ad imaginem Dei conditus acceperat. Hæc dignatio Dei diligenter ac fideliter considerata, peccatum Adæ postea commissum uehementer aggrauat, & iudicium Dei, quo mortis est cum omni posteritate damnatus, iustissimum esse declarat.

Imago quædam cœlestis paradisi statim initio parata.

Deinde consideremus hoc loco, quid sibi uoluerit consilium hoc Dei, quo separato quodam terræ loco hortum omnium amœnissimum, ac maximis delicijs refertum, condere uoluit, in quo homo in statu innocentiæ felici uiueret immortalitate. Non erat ignarus eorum quæ futura erant, cui futura omnia sunt præsentia: sed singulari consilio imaginem aliquam & figuram cœlestis paradisi, electis ab æterno destinati, statim initio primis hominibus hic in terra parare uoluit, ut hoc pacto posteris omnibus declararetur, esse in cœlis paratam requiem & mansionem omnis generis felicitate cumulatam cunctis illis qui bona fide à sua philanthropia pendent.

Alius fuit Adæ creationis, & alius mansionis locus paratus.

Tertiò, in eo quod dicit, In quo posuit hominem quem formauerat, obseruandum est, fuisse Adamo alium creationis, & alium mansionis locum deputatum. Nam iuxta historiæ contextum apparet illum extra paradisum creatum, ac tum demum in illum translatum. Sic beneficia sua dispensat Deus, ut ea

A ut ea gradatim ac diuisim impendat. Poterat eum uel in ipso paradiso formare, uel extra formato, extra quoq; mansionem præscribere, ut eodem loco & creatus esset, & uiueret: uerùm sic diuisit ista, ut alio loco creatus, alio maneret: haberetq; tam ex mansione paradisi, quàm creatiõis loco, unde creatoris sui beneficentiam utrobiq; singularem perpetuò agnosceret. Discamus ad hanc normam beneficia Dei singulatim expendere, quo admoneamur, non fieri nisi singulari dispensatione ac nostro commodo, quod non omnia simul exhibentur. Nam eodem planè modo nobiscum quoq; agitur. Procreamur & nos haudquaquam eo loco, in quo perpetuam habituri sumus mansionem: sed hic in terra nati, ac beneficio & spiritu Christi per fidem regenerati, transferemur in cœlestem paradisum, unde nunquam ejiciemur. Vtriusq; loci consideratio multa habet incomparabilis beneficentiæ Dei argumẽta, quæ pio homini non poterunt esse obscura, si fideliter expenderit, ubi natus, & in quam sit mansionem perpetuò felix futurus transferendus.

OBSERVATIO II.

Produxeratq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum uisu & ad uescendum suaue, lignum etiam uitæ in medio paradisi, lignumq; scientiæ boni & mali.] Hebraicè est ועץ נחמד למראה וטוב למאכל, id est, desiderabile aspectu, & bonum ad cibum, uel ad edendum. Videmus hic, non solum naturæ necessitati consultum fuisse homini à Deo, quem in paradisum locauerat, sed & delectationi, dum non solum ad edendum bonos fructus, sed & ad delectandum aspectu pulchras & elegantes arbores cum fructibus de humo produxit. Omne lignum pulchrum uisu, uel, desiderabile uisu. Vnde erat homini inditũ, ut quæ pulchra essent, placerent ipso aspectu, & placita desiderarentur? Vtiq; ab eo qui hominem talem, qualis tum erat, condiderat. Ergo contra uoluntatem Dei non est, quod etiamnum sic comparati sumus, ut rebus uenustis & aspectu iucundis delectamur: & quibus delectamur, frui cupimus. Sunt enim hæc duo omnium uerissima, sicuti præsenti exemplo conuincitur. Primum, esse hoc menti humanæ à Deo inditum. Alterum, esse item materiam delectationis huius primis nostris parentibus ab eodem subministratam. Duo sunt in homine præcipua, Corpus & spiritus. Corpori quæ facultatem alendi, spiritui quæ iucunditatem delectandi habebant, destinauerat. Ita haudquaquam inuidet nobis quicquam eorum, quæ materiam nõ solum pascendi corporis, sed & recreandi animi ac delectandi adferre possunt, modò absit abusus, ingratitudo, affectus inordinatus, & quicquid synceræ ac puræ menti competere nõ potest. Multa, immò innumera etiamnum nobis ab illo, elegantia, præclara, & amœna quotannis, quin & quotidie dispensantur, non ut illa susq; deq; faciamus, aut cupidius æquo & inordinatius affectemus: sed ut illorum usu & delectatione ad agnoscendam creatoris & benefactoris liberalitatem prouocemur, & ad amorem illius accendamur. Habent reges suas delicias, paradisos & regias splendidissimas. Non inuidet Deus istum splendorem regibus ac principibus, quos ad imaginem suam supra reliquos in hac uita euexit, & loco sublimi constituit, modò non gustent de ligno scientiæ boni & mali: hoc est, ne ad diuinitatis gloriam aspirent, sed creatori suo humiliter subijciantur, & ab illius prouidentia fideliter pendeant.

Non solum quæ necessitatis, sed & quæ delectationis sunt parauit homini Deus

B Deinde obseruandum est, quòd arbor uitæ separatim fuit à reliquis arboribus, cibo ac delectationi destinatis, plantata, sicut & separatim hoc loco recensetur, & nomen peculiare ac separatum, ut arbor uitæ uocetur, accepit. Admonemur hac consideratione, uirtutem uitæ cõseruandæ separatam esse ab ea qua corpora per cibum pascũtur. Quod si ea fuit uitæ ratio in paradiso, ut ne Adam quidem, quamuis immortalis esset factus, uitam seruaturus fuerit ex reliquis arboribus, quantumuis elegantibus aspectu, & ad edendum commodis: quanto magis post peccatum, ubi cuncti sumus mortis legi obnoxij, & extra paradisum constituti, uita nostra nullo nec delectationis nec cibi genere constat? Huius rei exemplum quotidie uidemus in diuitibus, & in diuite Euangelico propositum est à Christo, qui dicebat quidem ad animam suam, Anima mea habes iam multa bona, in multos annos comede & bibe: uerùm una nocte relictis omnibus moriebatur, dabatq; luculentum argumentum, non esse uitam hominis in cibo & potu, & multitudine diuitiarum.

Virtus uitæ separata à uirtute cibandi.

Tertiò, nec illud transgrediendum est, quod dicit: In medio paradisi. Primum, plantata erat hæc arbor non temere, loco quolibet, sed certo: deinde non multis locis ac passim, sed uno: tertiò non in extremo quodam paradisi angulo, sed in medio. Ita uoluit Deus, ut nec uilesceret, si passim extaret: nec obscura esset & inuentu difficilis, si loco esset incerto: sed, & in precio esset, & cunctis accessibilis, modò status innocentiæ seruaretur. Iam uerò quoniam illo excidimus, quod antea cunctis erat expositum, factum est cunctis inaccessibile.

Lignum uitæ nõ passim, sed uno ac certo, nõ obscuro & extremo, sed medio paradisi loco fuit.

Quartò, habet & lignum scientiæ boni & mali suas considerationes: uerùm opportunius est, ut ad eum locum seruentur, ubi peculiariter de lege illius commemorabitur.

OBSERVATIO III.

Et fluuius egrediebatur de loco uoluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.] Obserua quanta sit paradisi ubertas. Primũ egreditur è tellure Eden fluuius, fonte fluens perenni. Non influit aliunde, sed in ipsa paradisi regione exoritur. Deinde ad fertilitatem & iucunditatem arborũ retinendam irrigabat is fluuius paradisum uniuersum. Tertiò usq; adeò abundans erat paradisi irrigatio, ut fluuius illum irrigans in terram exeundo quatuor capitibus, in præcipua quatuor flumina diuideretur. Admonemur hac obseruatione, non defuisse Deo, quibus exuberantiam tam uictus quàm deliciarũ in usum eorũ suppeditet, quos in paradiso deliciarũ feliciter alere & sustentare constituit, sed

De ubertate paradisi.

adeò illis omnia copioſe & ubertim adminiſtrari, ut & exteris de ſuperfluo illorũ largiter cõmunicẽt. A

OBSERVATIO IIII.

Nulla loci excellentia ad pietatem quicquam confert.

Nomen uni Phiſon.] Obſerua hic, quod regiones illæ ad quas fluuij ex horto uoluptatis fluunt, ferè alienæ à uera cognitione Dei extiterunt, niſi quòd quartus Euphrates aliqua parte terram Iſraeli deſtinatam alluit. Non debet autem hoc mirum uideri, cum ex hominibus, primorum noſtrorum parentũ poſteris, non quarta pars pietati ceſſerit, quanuis humana uita orginẽ ducat è paradiſo. Sic uidelicet nulla loci quantumuis præcipui excellentia ad ſanctimoniam aliquid humanæ uitæ confert. Memorat quidem Moſes, quòd regio Euilah, quam primus paradiſi fluuius circuit ac perluſtrat, auro quidem optimo, ſelecto aromate ac lapide precioſo clareſcat, de pietate uerò nulla mentio.

MYSTICA.

Imagines rerum ſpiritualium in paradiſo.

Ne partem hanc obſeruationum hoc loco tranſeamus, uideamus obiter, quorum myſtica conſideratione admoneamur. Principiò non eſt aſpernandum, quòd patres in terreſtri paradiſo cœleſtis ac ueræ felicitatis imaginem conſiderarunt. Huic primùm illud pulchrè conuenit, quod hortus in Eden, id eſt, loco ac regione omnium amœniſsima propter hominem, plantatus eſt à Domino, idq; à principio. Sic cœleſtem paradiſum, manſionem omnium ſplendidiſsimam, in gratiam hominis, ante conſtitutum mundum paranit. Deinde in paradiſo arbores ſunt cùm ſpectabiles tum utiles. Sic in cœleſti paradiſo chariſmata ſunt & contemplatu iucunda, & uſu utilia. Tertiò, ſunt in terreſtri paradiſo duo ligna, uitæ ac ſcientiæ. Sic in cœleſti, regno uidelicet Chriſti, uera eſt uita, uerag; ſcientia. Quartò, fluuius exoritur in terreſtri, cuncta illius irrigans. Ad eum modum, & in cœleſti paradiſo fluuius ſcatet cunctorum corda non ſolum fructificans, ſed & exhilarans, ſecundum illud prophetæ, Fluminis impetus lætificat ciuitates Dei. Is fluuius eſt gratia ſpiritus Chriſti, cuius mentio fit Ioann. 7. Quintò, fluuius terreſtris paradiſi egreditur ad uicinas nationes capitibus quadripartitis. Sic gratia illa ſpiritus Chriſti ad quatuor totius orbis partes, Orientẽ, Occidentẽ, Meridiem ac Septentrionẽ, per Euangelicæ prædicationis curſum, Chriſto ipſo cooperante in gratiam electorum diffunditur. Ad hunc arbitror modum non incommodè poterit terreſtris paradiſi hiſtoria ſpiritualium rerum imaginibus accommodari. Nec aberrant qui in ligno uitæ Euangelij, in ligno ſcientiæ boni & mali, egis ſpectant figuram, quod ſicut ex illo, ita ex iſta quoq; per peccatum mors eſt, & genus humanum inuaſit.

Locus hic de quatuor paradiſi fluminibus in Eccleſiaſtico cap. 24. ad Chriſtũ filium Dauidis ſic accõmodatur, Poſuit Dauidi puero ſuo, inquit, excitare regem ex ipſo fortiſsimũ, & in throno honoris ſedentem in ſempiternum. Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & ſicut Tigris in diebus nouorum. Qui adimplet, quaſi Euphrates ſenſum. Qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſsis. Qui mittit diſciplinam ſicut lucem, & ſicuti Geon in die uindemiæ, &c. Ad hũc modũ legitur hic locus in latina uerſione. In Græco uerò, quæ de Chriſto filio Dauidis loquuntur, non habentur, ſed omnia hæc ad legem Moſaicam adaptantur, cuius ſapientia quatuor iſtis fluuijs confertur. Sic enim ibi legitur: *ταῦτα πάντα βίβλος διαθήκης θεοῦ ὑψίστου νόμου, ὃν ἐνετείλατο μωϋσῆς λληρονομίαν συναγωγῆς ἰακωβ, ὑπιμπλῶν ὡς φισὼν σοφίαν, καὶ ὡς τίγρις ἐν ἡμέραις νέων*, &c. Deprehenditur autem non hoc tantum loco, ſed & multis alijs, ſtupenda exemplariorum ac uerſionum, præſertim in Eccleſiaſtico, uarietas. B

Tulit ergo Dominus Deus hominẽ, & poſuit eum in paradiſum uoluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illũ. Præcepitq; ei dicens, Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quacunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.

LECTIO.

Quod Græcus habet eo *ὃν ἔπλασε*, in Hebræo non legitur. Deinde quod in Hebræo ſingulariter legitur, de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas ex eo, quoniã quo die comederis ex eo, morte morieris, Græcus uertit in plurali, *ὃ φάγεσθε ἀπ' αὐτῶν*, id eſt, ne edatis ex eo: &, *ἧ δ' ἂν ἡμέρᾳ φάγητε ἀπ' αὐτῶν θανάτῳ ἀποθανεῖσθε*, id eſt, quocunq; tandem die comederitis ex eo, morte moriemini.

EXPLANATIO.

Tulit ergo Deus hominem.] Redit ad id quod cœperat. Dixerat, Plantauerat autem Dñs Deus paradiſum uoluptatis à principio, in quo poſuit hominẽ quem formauerat. Mox paradiſi deſcriptionẽ ſubiecit. Poſt hanc ad hominem reuertitur: & quomodo, qua ue conditione in paradiſum locatus ſit exponit. Tulit ergo Dominus Deus hominem, inquit, & poſuit eum in paradiſum uoluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum. Ecce conditionem. De Deo Moſes loquitur, in ſimilitudinem heri alicuius qui fundum ſuum colono alicui certis conditionibus locat. Sic Adæ paradiſus locatur, ut illum colat & cuſtodiat. Deinde quoniã colono debetur etiam uictus, & de illo præſcribitur ad hunc modum: Ex omni ligno paradiſi, inquit, ideſt, ex omnibus paradiſi arboribus, comede. Cedant tibi in uſum ac cibum omnes totius paradiſi fructus. De ligno uerò ſcientiæ boni & mali ne comedas, uolo enim arboris illius fructus in meos uſus ſeruare, ac meæ poteſtati ſubiectos eſſe. Quare uide ne illos attingas. Quocunq; die ex illis ederis, morte morieris: ideſt, ut Symmachus, teſte Hieronymo, uertit, mortalis eris. Sic ſolent heri qui fundos ſuos, agros, hortos alijs locant, colonis aliquid permittere, & ſibi quoq; aliquid reſeruare, quod in uſum colonis cedere nolũt. Hoc modo Deus Adæ, cũ eum in paradiſum, tanquã colonũ illius

A illius futurum transferret, non modicam partem fructuum, sed propè omnia permisit, reseruata sibi arbore scientiæ boni & mali.

Illud, Vt operaretur & custodiret illum, bifariam exponitur. Alij ad Adamũ referunt, quòd is eam esset ob causam in paradisum translatus, ut illum operaretur & custodiret. Operaretur colendo, custodiret Deo obediendo, ne illum amitteret peccando. Alij referunt ad Deum, quasi illi Adamũ, ut eum operaretur, id est, institueret ad iustitiam, & custodiret, hoc est, communiret ac defenderet, in paradisum locarit. Verùm prior sententia & simplicior est, & textui Hebræo conuenit, ubi legitur per mappik in fine לעבדה ולשמרה, id est ad operandũ, uel ad colendum eam, & ad custodiendum eam: ut referatur ad גן id est hortũ, quæ uox in fœminino genere est posita.

QVAESTIONES.

Vt operaretur & custodiret illum.] Quærunt hic, fuerit ne paradiso ea conditio, ut opus habuerit cultu humano. Deinde, quomodo homini sit impositum laborandi negocium, cum nondum peccasset. Videtur enim operandi molestia demum illi esse post peccatum impositа dicente Deo: In laboribus comedes ex terra cunctis diebus uitæ tuæ. Respondendum est, ut omnia propter hominem sunt facta, ita esse & dispensationem omnium talem institutam, cuius ratio hominem potissimum concernat. Paradisus erat propter hominem plantatus. Talis igitur constituta est dispensandi illius conditio quæ homini conduceret. Poterat illum Deus in eo ipso primordiali statu, quo plantatus erat, ad finem usque absq; ullo humano cultu & labore conseruare: uerùm uoluit hominem operam suam & curam adhibere, ut haberet quod ageret, & in quo conditoris sui prouidentiam & bonitatem indesinenter experiretur. Noluit ne angelos quidem esse otiosos, sed fecit eos spiritus administratorios. quid ergo mirum si homini curam aliquam colendi ac custodiendi paradisi imposuit, ut esset quod in operibus Dei ageret: perinde ac si regis filio aliquid muneris imponatur, ne ex abundantia deliciarum, honoris, & opum ignauus euadat. Quod autem de labore post peccatum impositо obijcitur, luculento discrimine ab ista cura in paradiso impositа discernitur. Maledicta, inquit, terra in opere tuo. Deinde, בעצבה inquit, ideſt, in dolore, molestia, & afflictione comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore uultus tui uescеris pane tuo. Ista post peccatũ loco pœnæ impositа, admodum differunt ab ea cura & operatione, quæ erat Adæ in paradiso iniuncta, in qua nihil erat doloris, nihil afflictionis, nihil molestiæ, nihil sudoris, nec terra fuerat maledictio

B ni ulli obnoxia, nec spinas ac tribulos productura, sed operi ac cultui humano benignè ac largiter respōsura. In summa, talis erat Adæ paradisi cultura impositа, quæ summam illi attulisset uoluptatem, & amplissimam cognoscendæ prouidentiæ ac benеuolentiæ Dei materiam.

An paradisus opus habuerit cultura humana.

Quomodo homini sit onus operā di impositū ante quam peccasset.

Deinde, & de eo quærũt, quod dicit, Et custodiret eum. An paradiso fuerit opus ulla custodia: etsi aliqua, quid unius hominis diligentia in tanta horti amplitudine præstare potuerit. Quærunt, unde fuerit paradiso timenda aliqua læsio, cum non esset ullus hostis aut insidiator, talis præsertim, cui homo posset obsistere. Augustinus sentit hic, custodiam paradisi fuisse qua non in se, sed qua homini ipsi custodiretur, ne ille si peccasset, adimeretur. Alij, sicuti suprà monui, respondent, non de paradiso, sed Adamo custodiendo loqui Mosen, sic ut ad Deum sit hæc particula referenda: qui sibi Adamum colendũ & custodiendum sumpserit. Rursus sunt, qui arbitrentur paradiso necessariam fuisse custodiam contra irruptionem bestiarum. qui sensus ut simplicior, ita & probabilior esse apparet. Potest autem hæc particula sic accipi, ut non anxiè diuexetur, deq; cultura ac custodia hominis inquiratur, si intelligatur Adam coloni instar in paradisum quasi fundum quendam locatum, non ut illic pro suo arbitrio uiueret, sed ut hortum hunc ad uoluntatem Domini coleret & inhabitaret, atque ita Moses communi loquutione usus intelligatur.

An paradiso fuerit opus ulla custodia.

Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.] Nascitur hic celebris ac multum diuexata quæstio: Quanam ratione Deus noluerit Adamo arboris huius, scientiæ uidelicet boni & mali usum permittere. An in se fuerint arboris huius fructus mali ac noxij: uel, an inuiderit homini scientiam boni ac mali, uoluerit q; illum scientia hac destitutum similem permanere bestijs. Respondetur haud pariformiter. Omnino necesse est inhibitionem hanc aliqua fuisse ratione factã. Quærunt hanc aliqui in qualitate scientiæ huius, boni, ac mali, quidam uerò in bono obedientiæ. Priores dicunt scientiam boni ac mali, cuius hic fit mentio, licet in seipsa bonam, talem fuisse tamen, quæ non homini, sed Deo competat: uoluisseq; Deum hoc interdicto significare homini, nõ esse ipsi appetendam scientiam boni ac mali, quæ non ipsi, sed sibi competat, unde & infrà dicturus est: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis sciens bonum & malum. Et serpens, Eritis sicuti dij scientes bonum & malum. Nec uerosimile est serpentem fuisse hortaturum, ut ad humanæ rationis intelligentiam aspirarent, quam nec prohibuerat Deus, nec ipsi desiderabant. Nam erant ratione humana & intelligentia alioqui prædiți. Non est autem putandum, quod diuinam boni mali q; scientiam Deus arboris fructibus indiderit, sed quòd hanc arborem typum quendam illius esse uoluerit. Quare ut præmoneret hominem, cauendum ipsi esse, ne ad altiora se aspiraret, ac gloriam diuinæ sibi scientiæ uindicaret, nominatim prohibuit, ne ex arbore scientiæ boni ac mali, quæ in medio paradisi esset, comederet: alioqui fore, ut dum se gloriam scientiæ diuinæ acquirere posse putaret, immortalitatis felicitatem mortalis factus amitteret. Et hæc mea sententia est, quam tantisper sequar, dum certiora cognouero. Posset etiam sic sentiri, ut arborem hanc positam ad id credamus, ut in illa disceretur qualis permansurus esset Adam, bonus ne uel

Quare noluerit Deus usum arboris scientiæ homini permittere

malus, obediens uel inobediens, eamq; ob causam uocatam arborem scientiæ boni & mali, & mandatũ prohibitiuum adiectum, quod experimento huic seruiret. Verùm non ausim hanc sententiam tanquam firmam & germanam amplecti, aut cuipiam illius esse author. Alij sentiunt, uoluisse Deum lege hac præscribere homini, ut in bono obedientiæ exerceretur. Et arborem hanc appellatam fuisse lignum scientiæ boni ac mali ab eo quod futurum erat per transgressionem legis huius, per quam Adam cognouit, quid discriminis sit inter bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ, deinde inter bonum innocentiæ, ac immortalitatis: & malum peccatricis naturæ, & mortalitatis, item inter bonum felicitatis qua fuerat usus in paradiso, & malum infelicitatis, & omnis generis miseriarum, in quod paradiso eiectus incidit. Atq; ita isti nec de diuina scientia & intelligentia boni & mali, quæ soli Deo competit: nec de humana, quæ ratione & intelligentia constat, qua primùm parentes ante peccatum non destituebantur, sed de experientia boni ac mali intelligunt, quæ contingit præceptum Dei transgredientibus. Diuidũt enim inter scientiam quæ est ex sapientia, & scientiam quæ prouenit per experientiam. Finge regem terminum quo regnum ipsius à regione uicinorum diuidatur uocare lapidem scientiæ pacis & belli, uetareq; ne uicini illum loco moueant, alioqui fore, ut excidio reddãtur obnoxij. Intellige autem lapidem hunc non uirtutis alicuius gratia sic uocari, sed propter experientiam belli, & amissionem pacis, in quam utramq; inciderent qui terminum hunc loco mouerant. Ad eum modum sentiunt & de arbore hac scientiæ boni ac mali quotquot Augustinum sequuntur, quorum sententia quamuis plausibilis appareat, & ab ipso Augustino probabiliter tractetur, uidetur tamen prior, meo iudicio, propius ad ueritatis accedere simplicitatem.

Deinde quærunt hoc loco, an hoc præceptum fuerit etiam Euæ datum, uel Adæ tantum. Sunt autem hic quoq; uariæ sententiæ. Alij sentiunt cum hoc daretur præceptum, Euam nondum fuisse conditam, ideoq; non illi, sed Adæ tantum fuisse hac lege præscriptũ. Ad hanc opinionem permouentur primùm ex eo quod non legitur: Præcepitq; eis dicens, Ex omni ligno paradisi comedite &c. sed in singulari: Præcepitq; ei dicẽs: Ex omni ligno paradisi comede, &c. deinde & ex eo, quod de formatione Euæ demum post latam hanc legem scribitur. Alij, quod mihi rectius uidetur, sentiunt non soli Adæ, sed utriq; simul & Adæ & Euæ hanc esse legem impositam. Hi quod de formatione Euæ post hunc locum legitur per recapitulationem tanquã paralipomenon positum esse iudicant. Nam sentiunt Euam sexto die conditam. Quod autem Adæ tantum loquitur Deus, arbitrantur non sic intelligendum esse, quod præceptum hoc non etiam pertinuerit ad fœminam, sed id eam esse ob causam factum, quod Adam caput esset uxoris. ad quem modum & infrà capite sequenti ad Adam Deum nominatim loquutum esse, ac tandem illum paradiso eiecisse legimus, cum tamen eorum quæ ibi leguntur Euam expertẽ fuisse dicere nequeamus.

Quod autem non Adæ tantũ, sed & Euæ data fuerit lex ista, ipsa uerba Euæ testantur, quibus ad serpentem dicebat, De fructu lignorũ quæ sunt in paradiso uescimur, de fructu uerò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Ergo manifestũ est, legem hanc utriq; & Adæ datam fuisse & Euæ.

De quo genere mortis sit ista cõminatio intelligenda.

In quacunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.] Mouetur hic quæstio, de quo sint ista mortis intelligenda genere: eo ne quo anima, uel quo corpus, aut quo & corpus & anima moriantur. Sunt qui negent intelligenda de morte corporis, sed de morte animæ. Sentiunt enim Adamum sic fuisse conditũ, ut etiamsi non peccasset, necessitate tamen mortalis naturæ fuerit moritũrus corpore. Quare quæ hic à Deo dicuntur, morte morieris, exponunt de morte animæ, quæ prouenerit nõ ex necessitate naturæ, sed ex pœna culpæ. Atq; ita per trensgressionem legis huius factum esse Adamum sic mortuum, sicut illi sunt de quibus Dominus in Euangelio dicit: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Rursus sunt qui non de morte animæ, sed de morte corporis tantum intelligant. Et illi mouentur ex eo, quod Adam immortalis fuit conditus, & immortalitatis suæ adiumentum paratum habuit lignum uitæ: deinde ex eo quoq;, quod quæ Adæ pœnæ loco infrà cap. sequẽti infliguntur à Deo, utpote, Terræ es, & in terram reuerteris, omnino de corporis, non animæ sint morte intelligenda.

Sic & Capnio libro primo de Cabala, de morte animæ, & nõ de morte corporis exposuit, eo qd' Adam post peccatũ uixit ultra annos 900.

Verùm erratur utraq; opinione, ac illi demum rectè sentiunt, qui non solum de animæ, sed & corporis morte sententiam hanc Dei exponunt. Quare loci huius sententia noui Testamenti scripturis est illustranda, quibus manifestè instruimur, nasci nos natura filios iræ Eph. 2. & seruos peccati Ioan. 8. & regni Dei neminem posse fieri participem nisi regeneretur è supernis, & quæ alia sunt huiusmodi quibus conuincitur, per peccatum animas nostras stimulum incurrisse mortis. Rom. 5. arguit Apostolus per collationem Adæ & Christi, tribuitq; Adæ quod per illum cuncti sint mortui: Christo uerò, quod per hunc omnes uiuificentur. Et ne quis de corpore mortis duntaxat exponat, pro eo quod de morte quæ per peccatum Adæ est dixerat, repetẽdo subiungit dicens, Et sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iusticiam in omnes homines in iustificationem uitæ. Sicut enim per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituentur multi. Quid est autem per Adamum fieri peccatorem & obnoxium condemnationi, quàm mortem animæ incurrere? Quod autem corporis mortem cõcernit, manifestum est illud, Terra es, & in terram reuerteris. Ergo utramq; mortem tam corporis quàm animæ hæc sententia Dei complectitur, cuius rei, etiamsi nihil certi daretur ex scripturis, manifestissima tamen argumenta tam in corporibus quàm animabus nostris nolimus uelimus quotidie deprehenduntur, quibus efficacissi-

A efficaciſsima experientia conuincitur, mortem regnare non ſolum in corporibus, ſed & animabus noſtris, ut ex fructibus ſecundum dictum Chriſti facile iudicari poſsit de arbore, hoc eſt, ex qualitate poſteritatis de radice generis noſtri, primis parentibus certum ſumi argumentum.

Poſtremo de eo quoq; quærunt, quare præcepit Adæ Deus de arbore ſcientiæ boni & mali, cum ſciret illum non ſeruaturum quod præcipiebatur, ſed tranſgreſſurum præcepti limites, & mortem incurſurum. Verùm huiuſmodi quæſtiones pius homo ſtudioſiſsimè auerſabitur. Quod ſi tamen placet aliquid hac de re uidere, legatur poſtremus articulus in Locis noſtris de lapſu hominis quo conſilio Dei prolapſum ſit genus humanum in Adamo.

Quare præcepe rit Adæ, ne come deret de ligno hoc, cum ſciret eum nõ ſeruaturũ præceptũ.

OBSERVANDA.

Noluit Deus ho minem ocioſum eſſe in paradiſo.

Tulit ergo Dominus hominẽ & poſuit eum in paradiſum uoluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum.] Obſeruandum eſt hoc loco, quod non dicit, Tulit Deus hominem & poſuit eum in paradiſum uoluptatis, ut in illo ocioſe deliciaretur: ſed, Vt operaretur & cuſtodiret illum. uoluit igitur Deus hominem ſic eſſe ſe licem & in horto uoluptatis uerſare, ut interim ocium & ignauiam uitaret. Nihil enim non ſolum turpius, ſed & pernicioſius & ad quæuis ſcelera procliuius homini contingere poteſt quàm ſi ocio & ignauia torpeſcat & diſſoluatur, præſertim, ſi id in rerum abundantia uſu ueniat, ſicuti contigit Sedomitis, quorum regio inſtar paradiſi Domini fuiſſe ſcribitur. De ocio ac ſceleribus illorũ uide Ezech. 16. Verũ quid neceſſe eſt à Sedomitis huius rei petere exemplum, cum noſtra ætas luce clarius teſtetur, ex abundentia rerum & ocioſa ignauia omnis generis ſpurcitiem ac ſcelera irrepſiſſe in Epiſcoporum aulas, Cenonicorum collegia, Monachorumq; & Nonnarum conuenticula.

Quàm cõmodè uerba operandi & cuſtodiendi coniungantur.

Deinde obſerua duo illa uerba operandi & cuſtodiendi, quàm commodè coniungantur, & optimo compendio totam uitam eorum qui paradiſum erant inhabitaturi comprehendant. Hoc exemplo cogitemus, quid à nobis requiratur, qui ad cœleſtem Paradiſum tranſlati ſumus. Nempe ut & ipſi in illo operemur, & quod operamur cuſtodiamus. Operamur autem in paradiſo cœleſti, dum fidem Chriſti, iuſticiamq; regni eius, ac ueram cognitionem Dei pro noſtra mediocritate propagamus, & cum Chriſto colligimus: quodq; collectum eſt, fideliter cùm in nobis, tum in alijs cuſtodimus, ne ab inſidiatore ſatana interuertatur. Sic Apoſtolus Paulus in paradiſo Chriſti utrumq; fideliſsimè præſtitit, plantando, & quod plantatum erat confirmando & cuſtodiendo, qua cura ſolicitus erat pro omnibus Eccleſiis, quas Chriſto lucrifecerat.

Voluit Deus Adamũ aliquo ſibi præcepti & obedientiæ retinaculo eſſe obſtrictum.

B *Præcepitq; ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede.*] Conſideremus hic, quàm noluerit Adamum Deus prorſus libera & abſoluta poteſtate uerſari in paradiſi colonia, ſed aliquo illum præcepto, quaſi retinaculo quodam obedientiæ ſibi retinere obſtrictum. Non delectatur ſpiritus Dei poteſtate tyrannica, à qua omnium eſt remotiſsimus, ſed quicquid homini præcipit, illius non ſuo bono præcipit. Eiuſdem erat prouidentiæ quod præcepto aliquo conſtringit Adamum, ne liberius feratur, cuius erat, quod culturam illi & cuſtodiam paradiſi impoſuit. Quare nemo dubitet, eam libertatem arbitrij, ad quam caro noſtra noctes ac dies adſpirat, omnem prorſus ſubiectionem auerſans, non eſſe à Deo, ſed à ſatana: nec cõducere hominis ſaluti, ſed eſſe omnium perniciosiſsimam, & ſi à Deo permittatur, manifeſtiſsimum iræ illius argumentum, iuxta illud, Demiſi eos iuxta deſideria illorum.

Nõ inuidit Deus Adæ uſũ fructuũ in paradiſo.

Deinde & illud obſerua, quod non ſimpliciter dicit, Præcepitq; ei dicens, de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: ſed præmittit, Ex omni ligno paradiſi comede. Declarabat ita, ſe non inuidere homini uſum fructuũ paradiſi, prohibendo, ne de ligno ſcientiæ boni & maili comederet, ſed poteſtati illius quicquid erat arborũ in paradiſo ſubijcere, modò una illa, quã ſibi retinebat, abſtineret. Hæc philãthropa decet legiſlatores ſynceros, ut luculẽtiſsimis argumẽtis teſtatũ faciant, quæ præcipiũt præcipere ſe proprij commodi reſpectu, ſed ad utilitatem & emolumentum ſubditorum. Longè diſsimiles ab hac ſunt animi ſynceritate, qui conſtitutionibus ac legibus ſuis omnem ſubditorum ſuorum uitam & facultates ſic in arctum redigunt, ut ex omnibus uix unam aliquam portiunculã uſibus illorũ permittant.

Dignũ eſſe operariũ cibo ſuo ex eo innuitur, qd de cibo poſt mẽtionem operis et cuſtodiæ ſubiungitur.

Tertiò expendendum etiam eſt, quàm competenter uerbis operandi & cuſtodiendi permiſsio & copia cibi ex ipſo paradiſo, in quo erat Adæ operandum, ſubijciatur. Exprimitur hic æquitas illa, qua permittendum eſt operanti agricolæ, ut de fructibus laborum ſuorum comedat. Sic & Chriſtus dicit: Dignus eſt operarius cibo ſuo. Quare magna peruerſitas in Eccleſiam irrepſit, qua factum eſt, ut ocioſi uentres bonis Eccleſiaſticis ſplendidiſsimè ſaginentur, cum nec operentur nec cuſtodiant paradiſum regni Chriſti, ſed in illo turpiſsimè delicientur. Cõtrà, qui noctes ac dies laboribus Euangelij atteruntur, uix arido pane ſuis ſuorumq; neceſsitatibus ac ſtomacho latranti conſulere queant.

Qualis ſit ſcientia boni & maili.

De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.] Principio conſiderandum eſt, qualis ſit iſta boni & mali ſciẽtia. An talis, qua ſimpliciter ſcitur, quid ſit eſſe bonum & quid ſit eſſe malum, uel, qua de rebus ſingulis, tam diuinis quàm humanis, tam futuris quàm præſentibus certò iudicari poteſt, malæ ne ſint, uel bonæ, & quib. de cauſis uel bonæ ſint uel malæ, deniq; quomodo ſingulis rebus bonis utendum ſit, malis occurrendum. Ea ſcientia, qua quid ſit eſſe bonum, & quid eſſe malum intelligitur, haud eſt difficilis. Scimus enim omnes bonum eſſe, quod utile eſt & commodum: malum, quod bono eſt contrarium, pernicioſum uidelicet & noxium. Verùm de ſingulis rebus, tam diuinis quàm humanis certò ſcire pronunciareq; poſſe quod uel bonæ ſint uel malæ, ſcientia eſt, quæ nõ ſolum externam faciem, immo nec qualitatem tantum rerum, actuum & euentuum in ſe cognoſcit, ſed & omnium cauſas, eaq; non generales duntaxat, ſed & ſpeciales: nec uicinas ſolum, ſed & omniũ remotiſsimas & primas certò

tenet, nec causas tantum intelligit, sed & fines, eosq; postremos & ultimos præuidet: & simul quo- A
modo futuris malis occurrendum, præsentibus resistendum, bonis futuris sese accommodandum, præ-
sentibus utendum sit, liquidò cognoscit. Hæc ita requiruntur ad scientiam hanc boni & mali, ut si
quid desit, nequeat uerè scientia dici, sed magis inanis quædam sit opinio, & falsa scientiæ persuasio,
An homini cõpe ta. ista scientia. quàm uera scientia.

Deinde uidendum est, an eiusmodi boni & mali scientia, homini competere possit. Duo sunt rerum genera quæ hominis conscientiam præcipuè fugiunt, & sic latent, ut etiam ne sint qui dem ne dum qua lia sint, scire requeamus. Ea sunt inuisibilia & futura. Inuisibilia uoco præsentia omnia, quorum nullus sensus ad nos perceptibiliter pertingit, ita ut nec oculis, nec aurib. nec tactu, nec gustu, nec olfactu quic-
quam de illis percipiamus. futura uoco non solum ea quorum etiam exordia nondum extant, sed & ea
quæ uondum finem suum sunt sortita. Etiam ad illa sese non potest humanus intellectus extendere, nisi
aliunde instruatur & præmoneatur. Quare horum cognitio nonnisi per reuelationem contingere po-
Exemplũ Iacobi test, ut manifestum sit scientiam hanc boni & mali non esse humanam, sed prorsus diuinam. Iacob, cum
amisisset filium suum Ioseph, rem ipsam qualis esset, bona ne uel mala, suopte iudicio cognoscere non
poterat. lugebat impense, quia quid gereretur ignorãs & à filijs deceptus, perijsse, ac non superesse am
plius putabat eum, cuius tunicam fœdè cruentam conspiciebat. Rem corporalem ac palpabilem, dein-
de in actu præsentem, non intelligebat, quia nullo illius uero sensu instruebat. Deinde etiamsi quid gestũ
esset à filijs, & quomodo Iosephum in Aegyptum uendidissent, cognouisset, tamen ne sic quidem certò
potuisset hac de re scire, qualis esset bona ne uel mala, quod humanæ rationis attinet iudicium. Quia
uidelicet finem illius & propositum diuini consilij ignorabat, sic quoq; malè actum esse cum filio iudi
casset. Quis autem absentia & abscondita omnia scire potest, nisi is cui omnia sunt manifesta, qui spiritu
suo omnia tam quæ in cœlo quàm quæ in terra sunt penetrat? Quis etiam præsentia & uisibilia qualia
sint certò tenet, nisi qui fines illorum præuidet? Quis de futuris rebus et euentibus certò iudicare potest,
nisi is à cuius uoluntate & consilijs omnia pendent? Incertum est omniũ eorum iudicium, qui de rebus
non ab ipsorum, sed aliena uoluntate pendentibus pronunciant, nisi ab eo præmoneantur, qui solus
omnia omnium gubernat. Scientia Dei & certissima est & perfectissima. Extendit enim se primùm nõ
in ea quæ aliena uolũtate dirigantur, sed quæ ipse omnia proprio arbitratu irrefragabiliter moderatur:
deinde nõ in absentia, inuisibilia & abscondita, sed quæ ipsi sint manifestissima. Hominis scientia longè
diuersa est. Ne præsentia quidem & uisibilia rectè intelligit, nedum absentia inuisibilia et futura. factum
Primi parentes nõ habebãt istã scientiam. suum ipsorum primi parentes, quo præceptum Dei transgredientes de uetito fructu edebant, ne præ- B
moniti quidem, quale esset intelligebant. Eua de filijs suis malè iudicabat. Primogenitum Cain puta-
bat fore eum qui serpentis caput contereret: Acquisiui, aiebat, uirum, per Deum, ideoq; illum uocabat
קין. At is non serpentis, sed fratris erat caput conquassaturus. Secundum uocabat הבל, id est uanum ac
superfluum. At is erat Deo charus & iustus. Innumera huiusmodi experimur quotidie, unde conuinci
mur, nihil minus esse in facultate nostra, quàm boni & mali scientiam: esseq; illam non humanam, sed
prorsus diuinam.

An ista boni & mali scientia necessaria sit homini uel minus. Tertiò uidendum est, an ista boni ac mali scientia necessaria sit homini uel minus. Nemo, opinor, ita
stupidus est, qui non intelligat, quanta sit illius utilitas, imò quàm sit necessaria rebus humanis. Etenim
si illa desit, perinde habet uita nostra, ac si lux solis tollatur è mundo, ambulandumq; sit in tenebris om-
nium densissimis. Quare negari non potest, esse scientiæ huius usum summopere necessarium, primùm
ad uniuersorum quæ in cœlo & in terra sunt, præteritorumq;, præsentiũ & futurorũ gubernationem:
deinde ad hoc etiam, ut quæ uiuunt aliquo iudicio uitam suam moderẽtur. Dices: Debebant igitur ho
mines hac esse scientia præditi, qua uitam suam rectè possent dirigere ac moderari, quæ bona sunt perse-
qui, quæ mala uitare. Iam hoc quomodo poterunt, cum scientia hac destituantur? Respondeo: Non
destituũtur necessario scientiæ huius usu, quotquot ab omnisscio Deo creatore ac conseruatore suo pen
dent. Nam primùm diriguntur ab illo in omnibus. Aguntur enim illius spiritu. Deinde conseruantur
aduersus omnia mala, ne pereant. Tertiò aluntur ipsius prouidẽtia. Quartò illuminantur etiam ab illo
ut primũ sciant, unde ipsis sit uera salus & uita, à quo pẽdere in omnibus, cuius uoluntatem sectari, no
men sanctificare, numẽ colere & adorare debeant: deinde & seipsos cognoscant, quàm sint miseri &
corrupti: tertiò sciant etiam, quid debeant proximis, & quomodo rebus huius mundi sit utendum, & si
qua sunt huiusmodi alia. Adam si in obedientia Dei perstitisset, nulla in re usu scientiæ huius destitutus
fuisset. Nam scientia Dei omnia illi necessaria abundè suppeditasset. Filius in domo patris & sub cura
paterna constitutus particeps est paternæ scientiæ, quantum necessitas ipsius requirit. Non potest me-
liori compendio ad usum illius adspirare, quàm si iussis patris obediat, moderationiq; ac fidei illius in
omnibus sese subijciat. Manus ac pedes non destituuntur necessaria luce, etiamsi per se nihil uideãt.
Etenim donec sunt in corpore uiuo, fruuntur, non solum alimento communi, sed & per spiritum ho-
minis & lumen oculorum multo diriguntur ad operandum & eundum melius, quàm si ipsa essent o-
culorum acie prædita. Infans unius diei, nullo adhuc rationis usu præditus, nullo scientiæ necessariæ u-
su destituitur, modò parentibus possibili. Habet enim illorum sibi scientiam ac facultatem subseruien-
tem. Sic cogitemus & de nobis. Habemus patrem in cœlis omniscium & omnipotentem. Scit ille,
inquit Christus, quibus opus habeatis. Si nos curæ illius permiserimus, nunquam uera boni & mali
scientia destituemur.

Quartò

Quartò cogitandum etiam est, quare non dicat, Scientiam boni & mali ne affectes: sed, De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. Noluit ille de re inuisibili simpliciter ac nudè, sed sub signo illius uisibili ac palpabili præcipere. Accommodauit se captui humano, deinde uoluit historiam humani lapsus posteris esse cognobilem. Sic autem comparati sumus, ut non solum spiritu ad ea quæ sunt spiritualia, sed & externis nostris sensibus quoad eius fieri potest, aspiremus. Sic uitæ prorogationem in arbore externa proposuit, & cupidinem scientiæ boni & mali in alia uisibili arbore coercuit, quam uoluit esse scientiæ huius signum ac typum. Consimile est quod præsentiam suam Israeli primùm in columnis nubis & ignis, deinde in arca tanquam signis externis & uisibilibus inuisibilis rei sacramentum gerentibus proposuit. Sic solet Deus humano se accommodare captui, & rerum inuisibilium uisibilia signa proponere. *Quare nõ dicat Scientiã boni & mali ne affectes: sed, De ligno scientiæ boni & mali ne comedas*

In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.] Admonemur hoc loco, ut cogitemus quàm noxium sit ac perniciosum, transgredi præceptum Dei. Expendunt illud patres in præsenti causa, quòd non fructus arboris per se, sed uetitus à Deo fructus mortem attulerit: hoc est, quòd non fuerit Adæ mortiferum, quòd de arboris fructu comedit, sed quòd in eo facto præceptum Dei transgressus est. *Quàm sit noxiũ transgredi præceptum Dei.*

Deinde expendamus etiam æquitatem huius interminationis. Potest illa considerari ex circumstantijs. Sunt autem circumstantiæ duplicis generis. Primum genus ea continet, quæ seruandi præcepti facilitatem concernunt. Vt quod nihil præcipiebatur faciendum, sed tale quid, quod solam requirebat abstinentiã. Si dixisset, Volo ut omnes huius arboris fructus comedas, grauius utiq; fuisset, quàm quod præcipiebat, ne quid ex illo gustaret. Huc accedit, quod non poterat famis prætexi necessitas. Erat enim illa per id adempta, quod dixerat: Ex omni ligno paradisi comede. Quare omnino nulla erat præcepti huius seruandi difficultas. Alterum circumstantiarum genus ipsam præcepti materiam concernit. Nolebat Deus, ut Adam ad sublimitatem diuinæ scientiæ aspiraret. Si faceret, minabatur mortem. Expendendum igitur est, quale sit hoc genus peccati. Ex interminatione liquet, esse non leuiculum, & modici momenti, sed omnium grauissimum & summopere impium ac detestandum. Sunt tria hac in re pessima uitia, detestabilem impietatem spirantia, & morte planè dignissima. Primum est, affectatio diuinitatis, uitium planè satanicum. Si quis gloriam Cæsaris affectet, Cæsareæ maiestatis læsæ damnatur. Quid meretur homo, gloriam diuinitatis affectans? Huc pertinet illud serpentis, Eritis sicut dij. Et quod Deus dixit, Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum & malum. Secundum est perfidia illa, qua qui è puluere est ad aliquod honoris fastigium sublimatus, ad uniuersam excellentiam eius anhelat, à quo est sublimatus. Erat Adam ad imaginem Dei exaltatus, & dominus terræ constitutus. Magna igitur perfidia erat, huc contendere, ut Deus ipse fieret, sciens bonum & malum. Tale quid fuisset, si Ioseph à Pharaone in secũdariam regni potestatem è carcere sublimatus, ad ipsum regis solium, & primam regni gloriam aspirasset. Tertium est, execrabilis illa diffidentia etiamnum carni nostræ adhærens, qua fit, ut non fidentes prouidentiæ Dei, cupiamus nostra ipsorum scientia & facultate rebus nostris sic cõsulere, ut simus nobis ipsi dij quidam, nec opus habeamus diuina gubernatione & conseruatione. Ista satis declarant, si rectè expendantur, quàm sit detestabile peccatum ad quod Deus Adam adspirare noluit. *Aequitas huius interminationis.*

B

Tertiò & illud considerandum est, quàm sit hoc peccatum noxium et damnosum. Morte, inquit, morieris. Quid est autem morte mori, quàm conseruationis bono priuari? Qui illo priuatur, subsistere nõ potest. Ergo mors est præsentissima, destitui gratia & cõseruatione cœlesti. Destituitur autem illa quisquis Deo non fidens, ea quæ Dei sunt, à seipso præstari posse cupit. Quare cogitemus hic, non esse certiorem rationem cõseruandæ uitæ ac salutis nostræ, quàm si ex animo à prouidentia Dei pendeamus: & rursus non posse certius expectari exitium, quàm si nostra sapientia & prudentia rerum nostrarum dij quidam & gubernatores esse uoluerimus. *Gratia diuinæ conseruationis destitui, mors est*

Quartò, obseruandum est quòd non dicit, In quacunque die affectaueris istam boni & mali scientiam: sed, In quacunque die comederis ex eo, ligno uidelicet scientiæ, boni & mali, morte morieris. Non est ut hic quisquam arguterur, Arbor scientiæ non erat ipsa scientia, quæ prohibebatur: Poterat igitur Adam de arbore hac comedere, sine contactu ipsius scientiæ. Hæc argutia aliena est à mente Dei. Signum scientiæ uetitæ erat arbor. Quare & illius prohibebatur contactus, qui perinde culpabilis censebatur, ac si ipsam scientiam attentasset Adam. Arca Testamenti non erat ipsa præsentia Dei, sed præsentis Dei symbolum. Debebatur itaque illi reuerentia singularis. Quare non licebat, ut ad eam quiuis accederet, & manum contrectandi gratia porrigeret. Quòd si quis tentasset, non arcæ ligneæ, sed ipsius diuinæ Maiestatis læsæ reus erat. Huius rei exemplo in Oza proponitur, secundo Samuelis sexto. Qui indignè panem cœnæ Dominicæ usurpat, non in panem tantum, sed in ipsum corpus Dominicum peccare censetur: atque ita corporis Dominici reus habetur. Hisce exemplis perspicuè uidemus, quanta cum fide & reuerentia uel utendum sit rerum concessarum, uel abstinendum prohibitarum signis: in quibus non est considerandum, quid sint secundum externum aspectum, & materiæ qualitatem: sed quo usu sint secundũ instituentis Dei uerbum uel proposita uel prohibita. Seruitus est indigna Christiano, signum capere pro re signata, propter superstitionem & errorem. Igitur diuidendum est scitè ac ritè inter signum & signatum. Interea tamen cauendum, ne ista scientia sic utamur, ut irreligiosè erga sacramenta rerum spiritualium euadamus. *Signo rei sacræ quæ debeatur religio.*

Dixit quoq; Dominus Deus, Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & uniuersis uolatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut uideret quid uocaret ea. Omne enim quod uocabat Adã animæ uiuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & uniuersa uolatilia cœli, & omnes bestias terræ. Adæ uerò non inueniebatur adiutor similis eius. Immisitq; Dominus Deus soporẽ in Adam. Cumq; obdormiuisset, tulit unam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc uocabitur uirago, quoniam de uiro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Erat autem uterq; nudus, Adam scilicet & uxor eius, & non erubescebant. A

LECTIO.

Quod in græco est ποιήσωμεν, & in latino, Faciamus, in Hebræo singulariter legit אעשה, id est faciã. Deinde quod Latinus habet, Simile sibi, Hebraicè est כנגדו, id est, coram eo, penes ipsum. Græcus rectè uertit, κατ' αὐτὸν, id est, iuxta ipsum. Verùm infrà eandem uocem reddidit ὅμοιος αὐτῷ: & Latinus iterum, Similis ei.

Illud, Vt uideret quid uocaret ea. omne enim quod uocabat Adam animæ uiuentis, ipsum est nomen eius, Hebraicè sic legitur, לראות מה יקרא לו רבל אשר יקרא לו האדם נפש חיה חרא שמו, id est, Ad uidendum quid uocaret ipsi: omne quod uocabat ipsi Adam animam uiuentẽ, ipsum nomen eius. Alij legunt, Vt uideret quid uocaret illud. Omne enim quod Adam uocabat in anima uiuente, illud nomen eius erat. R. Shlomoh uerba ista ordinari & exponi ad hunc modum dicit, כל נפש חיה אשר יקרא לו האדם שם חרא שמו לעולם, id est, uniuscuiusq; animæ uiuentis, quod uocabat ei Adam nomen, hoc est nomen eius in seculum. Omnino dura est uerborum series in Hebræo: quare necesse est ut cõmodè ordinetur, sicuti Shlomoh indicat, uel ut illud נפש חיה, legatur לנפש חיה, id est, animæ uiuenti, ut respondeat præcedenti לו, id est ipsi, uel ei, legaturq; ad hunc modum. Vt uideret quid uocaret ipsi, quid uidelicet unicuiq; nominis imponeret, & quicquid uocabat Adam animæ uiuenti, id erat nomen eius. Sunt qui uerba ista hoc sensu posita esse arbitrantur: Ad uidendum quid uocaret sibi, & quicquid uocabat sibi Adam animam uiuentẽ, hoc nomen eius erat. Hoc est, Vt uideret Adam, quomodo sibi, id est, in suos usus, animantia uocaret, & quibus ea nominibus sibi nuncuparet. Et quocunq; nomine animam uiuentem sibi nuncupabat Adam, hoc erat illius nomen. Et hæc sententia propter uoculam לו uidetur admodum esse conueniens & expedita. Verùm lectori cordato sit iudicium. B

Illud, Hoc nunc os ex ossibus meis, quemadmodum & Græcus uertit, Hebraicè est, זאת חפעם עצם מעצמי, id est, Hæc semel os ex ossibus meis, & caro de carne mea: לזאת, id est, hæc uocabitur uirago, quoniam de uiro sumpta est: זאת, id est hæc.

Illud, Et erunt duo in carne una, ex græco est. Hebraicè sic habetur, והיו לבשר אחד, id est, Et erunt ad carnem unam.

EXPLANATIO.

Quæ sequuntur ad finem usq; capitis huius, & ipsa ad diem sextum pertinent. Cõmemorauit hactenus quædam, historiam creationis Adæ concernentia: iam quoniam de Eua nihil dum expositum erat, & illius creationem subiungit. Nam suprà in opere diei sexti simpliciter & obiter dixerat, Masculum & fœminam creauit eos. Igitur reliquum adhuc erat, ut de formatione fœminæ quoq; scriberet.

Dixerat quoque Dominus Deus, inquit, Non est bonum, esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.] Rursus non simpliciter factum Dei, quo formata est Euah, describit: sed, quemadmodum hactenus fecit, uerbum illius præmittit, quo simul consilium etiam Dei exprimat, quo fœminam formare uoluerit. Erat illud, ut Adæ pararetur adiutoriũ, ipsi correspondens. Sic dicit: Dixit quoq; Dominus Deus, Nõ est bonum, esse hominem solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. Aetiologia est in eo quod dicit, Non est bonum hominem esse solum. Intelligit autem non de præsenti tantum, sed de totius uitæ continuatione: ut Adam per omnẽ uitam suam sic ut tum erat conditus solus sine compari maneret, bonum non erat. Neq; enim ea solitudo multiplicando generi humano commodasset. Alioqui quòd tum solus erat conditus, malũ non erat. Nam sic erat à Deo factus. Legendum aũt est, Dixerat quoq; Deus, ut fit recapitulatio eorũ quæ sexto die sunt facta. Propositũ uerò Dei & consiliũ ex præmissa ratiõe cõclusum habẽt quæ sequunt, Faciamus ei adiutoriũ simile sibi. Ista satis declarant quare dixerit, Nõ est bonũ, esse Adamũ solũ. Quia desiderabat illi adiutoriũ. Et ne de quouis adiutorij gñe intelligat, addit כנגדו, id est, coram

A coram eo,quod uidelicet illi reſpondeat,conforme ſit,& ad manum paratum. Erant omnia animantia ſic condita,ut unicuiq; eſſet ſuum compar,unde genus multiplicaretur: Adam uerò ſolus erat abſq; compare creatus. Quare neceſſe erat, ut & illi daretur ſocia fœmina, quam generis multiplicandi haberet adiutricem.

Formatis igitur de humo Dominus Deus cunctis animantibus.] Interſeruntur iſta ad hoc, ut clareſcat nullum animal ex omnibus quæ iam erant à Deo creata, tale fuiſſe, ut Adæ adiutorij huius gratia poſſet aſſociari:atque ideo formatam eſſe Euam ſingulari hoc conſilio Dei,ut Adæ eſſet adiutorio. Eſt autẽ lectio contextus huius ſic formanda:Et formauerat Dominus Deus ex terra omnis generis beſtias agreſtes,& omnis generis uolucres cœli,& adduxerat eas ad Adamum, ne lector incautus putet beſtias aliquas eſſe ſecundo loco conditas à Deo, poſtquam Adamum in paradiſum locaſſet, ſi legerit ſecundum Hebræos,Et formauit Deus omnis generis beſtias. Quare græca lectio cauẽda eſt,quæ ſic habet, καὶ ἐπλασεν ὁ θεὸς ἔτι ἐν τῆς γῆς πασὰν θηρίον τῆ ἀγρῆ,id eſt, Et formauit Deus adhuc omnes beſtias agri. Non fecit Deus rurſus beſtiarum genera, poſt ea quæ ſexto die ſunt condita, ſed illa quæ iam condita erant,adduxit ſtatim ad Adamum,ubi & illum formanerat. Apparet autem iſtam beſtiarum adductionem factam eſſe ante prolatã illam ſententiam: Nõ eſt bonũ,&c. atq; ideo iſta ſic eſſe dicta, ſicuti præcedentia de paradiſo. Plantauerat Dominus Deus paradiſum uoluptatis à principio,in quo poſuit hominem. Produxitq; Dominus Deus de humo,&c.

Vt uideret quid uocaret ea. Omne enim quod uocabat Adam.] Pertinet hæc particula etiam ad dignitatem dominij Adæ in quaſuis beſtias conceſſi. Subiecerat illi omnia animantia. Huius rei ſpecimen ſtatim initio proponit,& Adamum in eam poteſtatem quaſi inaugurat, perinde ac ſi nouo principi plebs omnis ſubditorum fiſtatur,ut de illa ſtatuat & ordinet quæ uidentur.

Illud, Vt uideret quid uocaret ea,non eſt ad Deum referendum,ſed ad hominem. Neque enim Deo neceſſe erat uidere quibus nominibus Adam beſtias appellaret,ſed ea res intererat Adæ, eratq; uſibus illius accommoda. Quare quod dicit, Vt uideret, intellige,ut Adam uideret & circumſpiceret,quibus nominibus ſingula animantium genera appellanda cenſeret.

Illud, Omne enim quod uocabat Adam animæ uiuentis, ipſum eſt nomen eius, ſic intelligendũ eſſe iudico, ut non ſolum tum cum nomina beſtijs imponebantur, ſic appellatæ ſint, ſicuti ab Adamo fuerant nuncupatæ, ſed quòd ſenſerit Moſes,ea nomina beſtiarum,quæ cum iſta ſcribebat,iuxta Hebræam
B linguam erant in uſu, eſſe ea ipſa, quæ Adam ſtatim initio ſingulis illarum generibus impoſuerat. Et hic ſenſus exprimitur,ſi non legerimus, Ipſum erat nomen eius:ſed, Ipſum eſt nomen eius. Nec erat,nec eſt in Hebræo haberi:uerùm alterutrum legendum eſt. Si legeris, Ipſum erat nomen eius, ſenſus erit initio mundi fuiſſe beſtias ſecundum Adæ nomenclaturam nuncupatas. Si uerò legeris, Ipſum eſt nomen eius,ſignificari uidetur,etiam Moſis tempore duraſſe nomina illa apud Hebræos, quæ beſtijs initiò fuerant ab Adamo impoſita,ſic ut iumentum ſit ab illo uocatum בהמה,beſtia חית, reptile רמש, & שרץ,uolatile עוף, piſcis דגה,cetus תנין,ſerpens נחש: deinde & ſpecies generum ſingulæ ſua ſint ſortitæ nomina,quæ etiamnum apud Hebræos durant. Quòd ſi hæc firma eſſe poſſunt, non erit uanum quòd quidam Hebræam linguam primam illam & unicam eſſe iudicant,qua uſus ſit prior mundus uſque ad confuſionem linguarum, quæ illata eſt filijs Noe poſt diluuium, cum turrim Babel molirentur.

Adæ uerò non inueniebatur adiutor ſimilis eius.] Non ſimpliciter dicit, Adæ non inueniebatur adiutorium. Nam omnia iumenta erant illius auxiliandi gratia condita: ſed addit, Simile eius, כנגדו coram eo,quod illi par ac ſocium eſſe poſſet. Non inueniebatur ex omnibus animantibus,quod poſſet Adam uocare אישה,id eſt uiraginem:quia nullum ſic erat conditũ,ut eſſet humani generis particeps, & aptũ ad illius propagationem ac multiplicationem, cuius potiſsimùm gratia adiutorium illi nõ quidẽ ſexu, ſed genere ac ſpecie par & conforme quærebatur. Igitur ubi nõ inueniebatur Adæ adiutorium ſimile, dixit Deus, Non eſt bonũ hominẽ eſſe ſolũ,faciam ei adiutoriũ ſimile ipſi:atq; ita ſequitur in textu.

Immiſitq; Dominus Deus ſoporem in Adam:cunq; obdormiuiſſet,tulit unam.] Quoniam Adæ non inueniebatur adiutorium ipſi ſimile,bonum autem non erat ut ſolus in ſuo genere permaneret. proſequitur cõ filium ſuum Deus,& format illi ſociam generis & uitæ,unde genus humanum multiplicaretur. Formationis huius modum deſcribit hoc loco Moſes,quid uidelicet,unde & quomodo formarit. Dicit eũ formaſſe non quidlibet,ſed Adæ comparem,non ſexu,ſed ſpecie,id eſt non marem,ſed fœminam. Quia non hoc tantum agebatur,ut binus eſſet qui fuerat ſolus,ſed ut coniugem & ad multiplicandum genus humanum,adiutricem haberet, qui fuerat maſculus ſiue fœmina. Deinde aperit unde hanc formarit. Non ex terra ſicuti condiderat Adamum, ſed ex ipſo Adam. Tertiò,docet etiam quomodo id fecerit. Immiſit,inquit,ſoporem in Adam, & tulit unam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam, in mulierem. Primùm igitur obſoporauit Adamum,fecit irruere in illum (hoc enim תרדמה uerbum Hebræũ ſignificat) תרדמה, id eſt ſoporẽ,ſomnum grauem ac plenum,ut ἀναισθητους iaceret,nec ullum eorum quæ agebantur ſenſum experiretur. Deinde obſoporato aperuit latus,& exemit ex coſtis eius unam,carnemq; in locũ illius ſubſtituta aperturam clauſit. Hoc enim uerbum סגר ſignificat:unde & quidam uerterunt,Et clauſit carnem pro ea. Nõ eſt autem cogitandum quòd anatomiſtico more ſint hæc geſta. Qui uerbo ſuo condidit omnia, dixitq;,& facta ſunt omnia,etiã iſta uerbi ſui uirtute perfecit. Tertiò,partẽ illam lateris quam exemerat, coſtã uidelicet cum carne adiuncta,ædificauit,id eſt,diligenter cõſtruxit & compoſuit in mulierẽ. Hebr.eſt אישה:

Formatio Euæ.

Modus formationis Euæ.

quæ

quæ uox illi ab Adamo est indita, & ab interprete uirago uersa. Hæc itaq; est fornicatio secundi indiui- A
dui humani, comparis Adæ.

Desponsatio Euæ recens conditæ.

* *Et adduxit eam ad Adam, dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc uocabitur uirago, quoniam de uiro sumpta est.*] Habent ista desponsationem Euæ recens natæ. Qui iam illam creauerat, nunc desponsat, & simul illius nymphagogum præstat. Quare quod Moses dicit, Et adduxit eam ad Adam, nõ est tale quid, quale præmissum est de bestijs, quas & ipsas ad Adam adduxerat, sed alia ratione: nimirum non ut eas illi coniungeret, sed ut uideret quid uocaret eas. Hic non dicit, Et adduxit eam ad Adam, ut uideret quid uocaret eam: sed, ut esset illi adiutorium connubiale. quæ ratio quoniam in uerbis Dei præmissa erat, cum diceret, Nõ est bonum esse hominem solum, faciam ei adiutorium simile sibi, non est necessarium uisum ut hic repeteretur. Quare hæc adductio nihil erat aliud, quàm uera nymphagogia. Et Adam hoc probè intellexit, adductam q; ad se fœminã pro coniuge sua agnouit & acceptauit, dicens, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Neq; enim id solum dicebat, quòd esset fœmina ista ex ipsius carne & ossibus desumpta, sed agnouit eam hisce uerbis pro sua coniuge. Vnde & nomen illi indidit tale, quod fœminæ ad uirum unde sumpta erat pertinenti conueniebat. Sic dixit, Hæc uocabitur אישה, id est uira, si sic dicere liceat: quoniam מאיש, id est, de uiro sumpta est. Quasi dicat: Tandem præsto est germana mihi coniunx, qualis inter bestias inueniri non potuit. Agnosco & accipio illam, quam uideo esse carnẽ de carne mea, & os ex ossibus meis. Hanc demũ uerè possum uocare אישה quoniam מאיש est sumpta.

Lex de firmitate coniugij.

Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, &c.] Recto ordine desponsationi primorum coniugum subijcitur lex de indiuulsa coniugij firmitate retinenda. Ponitur autem ea talis, quæ non solum Adæ & Euæ primis coniugibus, sed & sequentibus omnibus sit attemperata. Quod enim dicit, Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, Adæ accommodari non potest, qui nec patrem habuit nec matrem, quos uxoris gratia relinqueret, ut manifestum sit, hanc legem posteris esse accommodatam: qua filius parentum potestati subiectus mox atq; uxorem ducit uelut emancipatur, potestatiq; parentum suorum eximitur, & ad coniunctionem uxoris liberæ retinendam liberatur, ut cum illa habitet, liberos ex illa auferat, patremfamilias agat, curam domus ac suorũ sustineat.

Vnitissima coniunctio maris & fœminæ.

Illud, Et erunt in carnem unam, non uulgarem, sed singularem & unitissimam coniunctionem maris & fœminæ exprimit, quæ ad exemplar primorum coniugum sit comparata, qui & ipsi una caro, in duo individua sexu tantum differentia, diuisa extiterũt. Lyranus exponit, ad carnem unam, id est, ad hoc ut unam prolis carnem procreent. Verùm carnis unitatem arbitror hic non ad prolem, sed ad marem & fœminam esse referendam. Nihil enim aliud est, quàm, Et erunt una caro. Sic & Christus Matthæi decimonono dicit, Itaque non sunt duo, sed una caro. Hoc est, sic erunt conglutinati inter se, ac si essent una caro, quam non sit fas diuidere ac separare. B

Erat autem uterque nudus, Adam scilicet & uxor eius, & non erubescebant.] Pertinent ista ad descriptionem status innocentiæ, quo coniunxerunt initio primi coniuges. Erat, inquit, uterq; nudus. Nullis erant induti uestibus, nullis etiam adoperti uillis, nullis pilis, nullis plumis, nullis squamis, in morem bestiarũ, quibus utriusq; adoperta essent pudenda. Vt erant nudi creati, sic nudi incedebant. Et nõ erubescebãt, inquit. Hoc est, neuter ex illis de nuditate sua coram altero pudefiebat, nuditas illorum nihil habebat turpitudinis, nihil inhonesti. Neq; enim impudentiam in illis accusat, sed innocentiam commendat, quæ nullo nuditatis pudore tangitur: quale est, quod uidemus in pueris adhuc infantibus.

QVAESTIONES.

Non est bonum hominem esse solum.] Quæri poterit hoc loco, quomodo noui Testamenti scripturis conueniat, quod Deus hic dixisse scribitur, bonum non esse, ut homo sit solus, quum Apostoli Matthæi 19. ad Christum dixerint, Si sic est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Et Apostolus 1. Corinth. septimo dicat, Bonum est, hominem mulierem nõ tangere. Item, Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Et Christus ipse, licet non uetet nubere, non tamen dicat, Malum est non nubere: sed, Qui potest capere capiat, Matth. decimonono. Hisce noui Testamenti scripturis contrarium uidetur, quod Moses Deum pronunciantem inducit, ac dicentem, Non est bonum hominem esse solum. Vtique solus est, qui non nubit. Si hoc bonum non est, malum est. Si malum est, quare Christus non dicit, Nemo capiat, quia malum est: sed, Qui potest capere, capiat? Et quid est quod Paulus dicit, Bonum est homini, mulierem non tangere. Et, Noli quærere uxorem: scilicet, si sic bonum est nubere, ut malum sit solum esse? Ergo ne uetus Testamentum discrepat à nouo? Manichæi etiam ex hoc loco cauillabantur, uetus Testamentum nouo aduersari: ob id quòd Deus fingatur dixisse, Non est bonum hominem esse solum, cum Dominus in Euangelio dicat, Omnis qui reliquerit domum aut uxorem, &c. centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit.

Respondeo. Expende circumstantias, mentem q; spiritus sancti utrobique tam in Mose quàm Apostolis & Christo loquentem penitius introspice, & intelliges unius & eiusdem rei concordantiam: nec damnabis ordinem multiplicandi generis humani à Deo institutũ, & coram omnibus honorabilẽ. Hebr. decimotertio. Nec cõmittes inter se quasi hostilia & dissidentia ueteris ac noui Testamenti oracula, spiritu eodem prolata. Quod Deus hic dixit, Non est bonum hominem esse solum, generalem habet sententiam, coniugium ad multiplicationem generis humani institutũ concernentem. Voluit genus humanum

A manum multiplicari, terramq; impleri. Ad eam rem utique non faciebat, quòd homo solus erat. Quòd uerò Apostoli dixerunt: Si sic est causa hominis cum uxore, non expedit nubere: uerbum est humanæ rationis, immo carnis, molestiam firmi & indissolubilis connubij detrectantis, non spiritus sancti. Videbatur durum, quod Christus dicebat, Dico autem uobis, quòd quicunq; dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Et qui dimissam duxerit, mœchatur. Caute tamen nõ dixerunt, Nõ est licitum: sed, ὐ συμφέρει, hoc est, non est cõmodum, non est conducibile. Sentiebant enim esse duram & molestam coniugũ conditionem, si non sit Mosaicæ legis relaxatione per libellũ repudij utendum. Quare non est, ut hoc Apostolorũ uerbum oraculo isti, Non est bonũ hominẽ esse solũ, opponant. Quod Paulus dicit, Bonum est homini mulierẽ non tangere: &, Solutus es ab uxore, ne quæras uxorẽ, non habet generalem sententiam, sed temporũ illorum iniuriæ accõmodatam. Deinde non sentit, sic bonum esse, non tangere mulierẽ, ut malum & illicitum sit tangere: sed bonum uocat hic cõmodum & conducibile: Propter præsentem, inquit, necessitatẽ, persequutionis uidelicet. Et quod dicit, Ne quæras uxorem, non est uetantis, sicuti res illicitæ uetantur, sed consulentis. Quare addit, Si duxeris uxorem, non peccasti. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Non dicit, Condemnationem habebũt nubentes. Itaq; nec Apostolus præsenti oraculo contradicit, si rectè intelligatur: multo minus quod Christus dixit, Qui potest capere, capiat. Loquitur enim de illis, qui singulari dono Dei à lege communi eximuntur. Addit namq;, Non omnes capiunt uerbum hoc, sed quibus datum est. Pancorum priuilegia legem cõmunem non soluunt, nedum illicitam faciunt. Deinde accedit & alia ratio, ob quam bonum non est hominẽ esse solum. Ea est, Ne incidat in abominationẽ scortationis, uel adhuc graniorum scelerũ. Si cui timendum est hoc periculũ, illi utiq; bonum non est, esse solum. Huc & Apostolus respexit, dicens: Propter scortationẽ uitandam, habeat unusquisq; uxorem suam, & unaquæq; mulierum maritũ suum. Uxori uir debitum reddat, & uxor uiro, &c. Item, Si se non continent, nubant. melius est enim nubere quàm uri. Itaq; nec hanc rationẽ impugnat Apostolus, sed confirmat. Quare nihil est hic quoq; contradictionis; sed eiusdem spiritus consensus. Manichæis respondet August. lib contra Adimant. Manichæi discipulum cap. 3. perstringitq; illorum cæcitatẽ ac malitiam, qua non uidebant, imò uidere nolebant, ueteris Test. sententiam à Domino non solũ non infirmari, sed & confirmari. idq; eo ipso Matthæi capite, unde sibi contradictionẽ collegisse uidebant. Nam statim initio illius dicit, An non legistis, quòd qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos. Quapropter relinquet homo patrẽ & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quod ergo Deus coniunxit, homo nõ separet. Quare, nisi

B dicturi sunt non solum uetus à nouo, sed & nouum Test. imò Christum à seipso dissidere, cogunt expendere circumstantias, & agnoscere, quod Dominus dixit, Omnis qui reliquerit patrẽ, matrẽ, uxorẽ, &c. non sic esse dictum, ut contradicat ueteris Test. oraculo, cuius ipse quoq; usus fuerat testimonio, sed ut soletur eos, qui malunt patrem, matrem, uxorem & liberos, &c. quàm Deum ac regnum eius, si ita necesse sit, relinquere, atq; ita eum præponere uxoribus, à quo acceperunt & uxores & omnia. Et uitam habemus à Deo. Attamen ipsam quoq; iubemur postponere Domino & regno eius. Et ubi id nobis iniungitur à Christo, non contradicitur creatori ac uitæ largitori: nec Christus ipse sibi aduersatur dum mortuos ad hanc uitam excitat, cum uult nos amore regni sui, si necesse sit, relinquere. Extra hanc necessitatem, donec fine regni Dei detrimento & patrem & matrem & uxores & liberos & uitam cum Deo retinere licet, iubentur mariti diligere uxores suas, uxores reuereri maritos suos, liberi obedire parentibus, & infideli deterior fideiq; abnegator pronunciatur, quisquis suorum ac domesticorum curam non habet. Itaq; istorum quoq; quæstio planè iniquam habet cauillationem, nõ ex ignorantia uel causæ obscuritate, quæ nulla est, sed malitiosa cæcitate profectam.

In Papatu dici potest à Sacrificulis & à Monachis, Melius est scortari, quàm comburi.

QVAESTIO II.

Formatis de humo cunctis animantibus terræ, & uniuersis uolatilibus cœli.] Quæri poterit hoc loco, quomodo uolatilia cœli de humo formata dicat, cum suprà in opere quinti diei ex aquis illa producta esse dixerit. Respondeo: Non dicit hic quod de humo sint formatæ uolucres. De animantibus terræ dicit, quòd sint de humo formata. Vnde autem sint uolucres, non dicit hoc loco, sed eas simpliciter animantib. terrestribus in eo coniungit, quòd ad Adamum sunt adducta. Quare non contradicit uerbis suis, quibus suprà originem uolucrum & piscium expressit. Est ergo sic legendum: Et formauerat Dominus Deus de humo cuncta bestias agri, & cuncta uolatilia cœli, intellige Formauerat. Nam hisce uerbis non tam unde sint factæ bestiæ meminit, quod nihil faciebat ad rationẽ repetitionis, quàm quòd essent iam antea formatæ, ut Adamo sisti possent.

QVAESTIO III.

Adduxit ea ad Adam.] Quæritur hic, quare animantia terræ, & uolatilia cœli duxerit ad Adamum Deus, cum sciret nihil in illis esse, quod coniugem illi præstare posset. Etenim quomodo id ignorasset, qui omnia pro suo arbitratu condiderat? Respondendum est, utiq; scisse Deum, nullam esse ex omnibus bestijs tam terrestribus quàm uolatilibus sic conditam, ut Adæthori consortio ad generis humani multiplicationem iungi posset: neque eo nomine bestias ad illum adduxisse. Non enim legimus, Adduxit ea ad Adam, ut sibi consortem ex illis sumeret: sed, Vt uideret quid uocaret ea. Quare alias fuisse causas necesse est, ob quas cũcta terræ animantia, & cœli uolatilia corã Adamo sistere uoluerit. Suprà in Explanat. memini, uoluisse Deũ hoc pacto Adamũ tanquã nouũ principẽ in regnũ illud terræ, & cunctorũ animantiũ inaugurare, & speçimen dominij cõcessi exprimere: quo pertinet autoritas nũcupandi,

qua

qua illum in bestias ad se adductas usum uidemus. Deinde & aliam causam nonnulli assignant. Dicunt uoluisse Deum ut Adamo liquidò constaret, nullum ex omnibus animantibus sic creatũ reperiri, ut sibi simile esset, speciei q; & thori consortem præstare posset: atq; ideo sua gratia seperatim esse formatam fœminam, quam adiutricem & coniugem, ac indiuiduam uitæ sociam haberet: quo illam omnium arctissimè complecteretur & amaret. A

QVAESTIO IIII.

Quomodo sit Eua ad Adamum adducta.

Et adduxit eam ad Adam.] Quærunt hic, quomodo sit hoc à Deo factum. Arbitrantur aliqui, factum esse actu & nutu Dei occulto & inuisibili, quo mulier recens creata, nescies quid ageretur, ad id loci accesserit, ubi agebat Adam. Et sic illud etiam exponunt, quod de animantibus ad Adamum à Deo adductis suprà legimus. Quòd si nihil uisibiliter cum Adamo à Deo esse factum, putandum est, locum habet necessariò ista sententia, ut credamus Euam occulto actu Dei ductam esse ad Adamum. Meo tamẽ iudicio, nemo aberrauerit, si credat Deum formis uisibilibus, qui tamen nullam uisibilem formam habet, egisse cum Adamo & Euah. Etenim hunc agendi modum, cur putabimus in historia Adæ & Euæ locũ nõ habuisse, cũ in scripturis frequẽter occurrat, & Deo fuerit cõsuetissimus? Quare credibile est, consimiliter actum esse cum Adamo quoq;, ut uel per se Deus, uel per angelorum ministerium, sub forma aliqua uisibili, loquutus sit Adæ, animantia illi præsentauerit, mulierem adduxerit, & reliqua, de quibus in sequentibus fiet mentio, uisibiliter ac sensibus externis perceptibiliter perfecerit. Vnde & illud erat, quòd uocem Domini audiebat in paradiso, & quòd se à facie illius abscondere nitebatur. Quòd si nullam antea uisibilem formam Dei uidisset, sed omnia sensu tantum spiritus occulto & inuisibili cognouisset: quæ fuisset ratio in locum aliquem obscurum occultandi se gratia à facie Domini abdere & abscondere?

QVAESTIO V.

Vnde Adam cognouerit, esse fœminam sumptam ex se.

Dixitq; Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &c.] Nascitur hic quæstio, unde Adam ista cognouerit, cum essent ipso admodum profundè obsoporato perfecta: uideatur q; planè impossibile, ut qui altum dormiuit, post somnum quæ secum sint inter dormiendum facta, clarè possit edicere. Capnio lib. 1. de Cabala inter cætera sic scribit: Non enim in somnio correptus, quasi diuinaret Adam, per afflatum propheticum de uxore post soporem loquutus est, Hoc nũc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: sed minus se costarum alterius lateris experrectus habere sentiens, postquam ad cuncta singulatim animãtia terræ, maris ac aeris facto circuitu peruenisset, desubito intuitus Euam, uir robustus & iuuenis, adolescentulam succi plenam, specie uenusta, uultu blando, & humana energia præditã, mutua prurigine cœpit exardescere, ac geniali cupidine oppleri, quæ tum se non erga ullum animal aliud tetigisset. Hæc ille: qui uidetur de Adamo sensisse, quòd ubi euigilasset, cognouerit esse sibi ex uno latere costam ademptam: deinde, ubi mulierem uenustam, ac per omnia sibi conformem conspexisset, & sensu libidinis erga illam inardescceret, cum id antea in animalium inspectione non sensisset, facilè intellexerit, esse illam è latere suo, de ossibus suis, ac carne sua formatam, ut nulla fuerit opus prophetica reuelatione ac diuinatione. Verùm, meo iudicio, certius est, quod alij dicunt, fuisse Adamum prophetico spiritu afflatum, per cuius instinctum ista cognouerit, & exclamando protulerit. Nam primũ illud, quòd Adamum lateris unius diminutionem experrectum è somno sensisse dicit, admodum incertum est. Et secundum, quòd ex conspectu puellæ uenustæ, succi plenæ, uultu blandæ, &c. argumentum huius intelligentiæ ducitur, tale non est, ut certò potuerit Adam ex eo colligere, esse eam è corpore suo desumptã. Nam & animantia eiusdem speciei non minus inter se sunt conformia, quàm erant Adam & Eua, cum tamen sint singula seperatim condita, & nullum ex alterius corpore desumptum. Deinde, non erat Deo difficile, ex terra talem creare fœminam, qualem formauerat Euam. Cõsimiliter & illud quod de sensu libidinis erga mulierem adfert, etiamsi uerum esset, infirmius tamen ducendum est, quàm ut Adæ pepuerit intelligentiæ huius certitudinem conciliare, præsertim cum motus eiusmodi sit bestijs quoq; erga suam cuiq; speciem communis, etiamsi, ut dixi, singula sint è terra ac seperatim creata. Quare conuenientius est, ut dicamus Adamum prophetico spiritu hæc uerba protulisse, præsertim propter præclara mysteria, quæ in illis cõprehenduntur. Neq; adeò debet insolens uideri, quòd Adam sit prophetiæ gratia præsente Domino afflatus, cum alloquio Dei creatoris sui dignus haberetur: neq; res ipsa de qua est propheticè loquutus, indigna cẽseri debet, quæ gratia prophetiæ cohonestaretur, cum digna esset, quæ per præsentiam Dei tractaretur, ac mysterijs maximis abundaret. B

QVAESTIO VI.

Quomodo hæc uerba à Mose Adamo, & à Christo Deo adscribantur.

Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem.] Quæritur hic, quomodo Christus Matt. 19. uerba ista Deo adscribat, cum Moses illa tribuat Adæ. Sic enim Christus dixit: Non legistis, quòd qui fecit hominẽ ab initio, masculum & fœminam fecerit eos, & dixit, Propter hoc dimittet homo patrẽ & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Ergo aliud dicit Moses, & aliud Christus. Respondendum est. Primùm, non posse conuinci ex contextu esse hæc uerba Adæ. Nam sic sunt posita, ut tam Mosis esse uideri possint, quàm Adæ. Deinde uerba Christi Matt. 19. sic legi & exponi posse, ut illud, Et dixit, uerbum sit non Christi, sed Euangelistæ, quo Christum, cum dixisset, Non legistis, quòd qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? ultrà progressum, & per illationem scripturæ locum subiecisse ac dixisse significet: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem. Præterea, etiamsi hæc particula, Et dixit, sentiatur non Euangelistæ tribuenda, sed Christo, neq; sic tamen cõuinci poterit, quòd loquatur de Deo, cum possit uel de Adamo, uel de Mose intelligi: præsertim cum illud, Masculum & fœminam fecit eos, non sit Dei, sed Mosis uerbum: idq; nõ hoc loco, sed capite præcedenti prolatum.

A prolatum. Quare, si ista rectè expendantur, manifestum faciunt, nullam esse contradictionem in uerbis Mosis & Christi. Adhæc, etiamsi Christus sententiam hanc Deo tribueret, haud tamen Mosi cõtradiceret. Nam quæ uel Adam hoc loco uel Moses protulit, omnino talia sunt ut ex spiritu sancto sint, nõ humano aliquo sensu prolata.

OBSERVATIO I.

Non est bonum hominem esse solum.] Principiò obseruandum est, quod non dicit, Nolo ut Adam sit sosus: sed, Non est bonum hominem esse solum. Vide, qui solus omnem omnium habet potestatem, & de quo scripturæ sacræ testantur, quod quæcunq; uult faciat in cœlo & in terra, in suis ipsius operibus nõ intonat illud, Sic uolo sic iubeo: sed rationem habet boni, ut quod bonum est faciat: quod non bonum, mutet ut bonũ fiat. Inspiciant hoc exemplum, qui propter nescio cuius potestatis eminentiã usq; adeò insolescunt, ut pro arbitrio sibi cuncta licere putent. Cogitent quantæ impudentiæ notam habent, si facere dedignentur, quod Deum omnium potentissimum facere intelligunt. Quare curent & ipsi, ut diligenter considerent in omnibus quæ faciunt, quid bonum sit, quid nõ sit: bonq; sic sint amantes, ut suaipsorum consilia, dicta, facta mutare & emendare non dubitent, si bona non esse deprehendãtur. Nec illos duntaxat, sed & in uniuersum mortales omnes sic animatos esse decet, ut de bono admoniti animum adiiciant, contrà uerò cognitum malum studiosissimè auersentur. *Boni ratione habet Deus.*

Deinde considerandum hic est, quomodo in cognoscendo bono inspiciẽdæ sint personarum, temporum, & cumprimis consilij Dei circunstantiæ. Dixit de Adamo Deus: Non est bonum hominem esse solum. Intellexit autem non de quauis illius solitudine, sed de ea qua solus erat absq; coniuge, ideoq; & propagando genere humano insufficiens. Ea solitudo bona non erat, respectu ipsius personæ, quæ generis nostri caput esse debebat: respectu temporum, quæ generi humano multiplicando fuerant destinata: respectu item consilij ac propositi Dei. Quòd autem solus erat inter omnia animantia ratione & intelligentia præditus, solus ad imaginem Dei conditus, ac solus corpore cœlum uersus erecto incedebat, nihil horum malum erat. Neq; in futuro seculo locum habebit ista sententia, Vbi neq; nubent homines, neq; prolem procreabunt. Neq; etiamnũ locũ habet in illis, qui ad maturã nubendi ætatẽ non dum peruenerunt: neq; in impotentibus, & omnibus illis quos diuina prouidentia à lege multiplicandi generis humani singulari quadam ratione liberauit. Quare ubi de bono disputatur, si id fiat de Deo, sentiamus illum omnibus numeris, perfectè, undequaq;, & in sempiternum sic esse bonum, ut nullæ sint B circũstantiæ quærendæ, à quibus bonitatis illius consideratio pendeat. Si uerò de aliorum, siue hominum, siue consiliorum, dictorum ac factorum bonitate inquiritur, cauendum est, ne id fiat citra certas conditiones, circunstantias, modos, & effectus. Clamant Pontificij, abiuratores coniugij honesti, bonum esse cœlibatum. Inspiciant personas, tempora, rationes ob quas coniugium abiurant, & effectus, tanquam arboris huius fructus: quæ si singula considerentur, manifestissimum erit, esse eos è numero illorum, quibus Propheta iram Dei comminatur dicens, Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum Esa. 5. Si dixerũt, bonum esse cœlibatum in cœlo, inter angelos & reliquos cœlestes spiritus, planè assentior. Si aliquando, iustis de causis, quibusdam personis, bonum esse dixerint, ut maneant soli, non inficior. Quod autem id instituti accõmodant temerè quibuslibet & causis impertinentibus, & effectibus tam peruersis ac dedecorosis, quis piorum adeò demens est, qui probare possit, & non magis ex animo detestetur? *Quomodo in cognoscendo bono inspiciendæ sint circunstantiæ.*

OBSERVAT. II.

Faciamus ei adiutorium simile ipsi.] Obserua hic Deum ipsum etiam inscijs nobis de eo cogitare quod ad perficiendum opus ipsius est necessarium. Condiderat Adamum ut esset humani generis caput. Ad id instituti erat insufficiens donec solus erat. Nesciebat hoc Adam primùm, cum de eo cõsultaret Deus. Admonemur hac consideratione, qua sit nobis fiducia pendendum ab eo, qui dum nos de necessarijs ne cogitamus quidẽ, ipse de illis consultat. Huc pertinet et illud, quod non dicit, Quærat adiutoriũ simile sibi: sed, Faciam ei adiutorium simile sibi. Qui hominem condidit, non solum nouit quid illi sit necessarium, sed & ipse hoc illi parat. Adamo possibile non erat, ut ipse sibi de adiutorio necessario prouideret, quare id sibi prouidentia Dei exequendũ sumpsit, quæ etiamnũ sibi ipsi per omnia similis est, & eadem erga nos bonitate ac fide utitur. *Deus ipse cogitat de perficiẽdo opere suo.*

Deinde & illud cõsiderandum est, quod mulieris formatio in gratiam uiri instituitur. Faciam ei, inquit, adiutorium. Colligit ex hoc loco Apostolus 1. Cor. 11. mulierem esse gloriam uiri, ideoq; non cõuenire illi, ut capite nudato oret in Ecclesia Dei. Vir, inquit, nõ debet uelare caput suũ, quoniã imago & gloria Dei est, mulier uerò gloria uiri est. Nõ enim uir ex muliere, sed mulier ex uiro. Etenim nõ est creatus uir propter mulierẽ, sed mulier propter uirũ. Ideo debet mulier uelamen habere super caput suum. Argumentum quidem subiectionis & humilitatis præscribitur hac in re mulieribus, quam non in Ecclesia tantũ uelamine capitis, sed & domi & foris debita obediẽtia erga maritos suos ostendere debent. Verũ & maritis considerandum proponitur, quàm debeant amanter complecti uxores suas, propterea quòd ipsis à Deo sunt paratæ ac destinatæ, cum in utero materno conciperentur ac fingerentur. Nam quod Adæ per despensationẽ Dei contigit, ut in ipsius gratiam formaretur Euah, id ad finem usq; mũdi cunctis uiris contingit, ut unicuiq; sua coniunx à Deo destinetur antequam nascatur. Illud enim, Nõ est bonum hominem esse solum, faciam ei adiutorium simile ipsi: non sic est à Deo dictum, ut fuerit uerbum semel prolatũ ac transiens: sed continet in se uoluntatem ac uirtutem uerbi Dei, qua ad finem usq; *Mulier in gratiã uiri condita.*

mundi opus propagationis generis humani perficitur, & uiris, cuiq; sua, ad id instituti necessariæ parantur coniuges. Quare de sua coniuge pius maritus perpetuò cogitabit, Hæc est, quam tibi Dominus in utero matris destinauit: & talem, qualis est formauit. Hæc cogitatio plurimum ad hoc faciet, ut coniuges in Domino amentur, piè & honestè tractentur, quæ infirma illarum sunt, boni consulantur, ac placidè ferantur, quæ necessaria fideliter administrentur, usus illarum secundum Apostolicam admonitionem in honore & sanctificatione custodiatur. A

Ad quem usum dentur à Domino coniuges.

Tertiò, uidemus etiam hic, ad quem usum dentur à Domino coniuges. Declaratur hoc in eo quod dicit se Adæ paraturum adiutorium. Poterat dicere: Faciam ei fœminam, ne solus sit: uerùm sic nõ expressisset usum coniugis. Hunc ut exprimeret dixit: Faciam ei adiutorium. Ergo ad hoc dantur à Deo cõiuges, immo ad hoc formantur, ut sint uiris adiutrices. Quæ nequit adiuuare uirum, nequit ritè præstare coniugem. Est autem triplex adiutorij fœminei genus Primum est, ad procreandam sobolem. Ad hoc potissimum conditus est muliebris sexus, ut genus humanum ad multiplicationis suæ plenitudinẽ ab æterno prædestinatam legitima uiri & mulieris cõiunctione perducatur. Neq; enim hac in re uir sine muliere, nec mulier sine uiro quicquam ualet. Sic nanq; constitutum est à Deo, eamq; ob causam nec solos masculos, nec solas fœminas, sed masculum & fœminam condidit eos, benedixitq; illis dicens, Crescite & multiplicamini, &c. Hanc communem legem, & coniugij necessitatem potentia Dei non infringit, licet Adamum è puluere terræ sine patre et matre, Euam ex Adamo sine matre, Christum ex Maria uirgine sine patre produxerit. Secundum muliebris adiutorij genus est ut sit uiro coniunx paratũ remedium aduersus scortationis & illicitæ libidinis tentationem. Meminit huius Apostolus 1. Cor. 7. dicens: Propter scortationem autem unusquisq; suam uxorem, & unaquæq; uirum suum habeat. Et, si se non continent, nubant. Melius enim est nubere quàm uri. Ergo coniugium non solum est ad procreandam sobolem, sed & ad uitandum omnis generis immundiciei peccatum, institutum à Deo. Debebat igitur etiam hoc nomine maior haberi legitimi cõiugij ratio, ab illis potissimum, quorum ex officio intererat studiosissimè quasuis peccatorum occasiones in ecclesia Dei sanæ doctrinæ bipenni amputare, præsertim postremis istis temporibus, mirum in modum corruptis, et quibusuis scelerum occasionibus mirabiliter expositis. Verùm illi ipsi sunt qui remedium mali à Domino paratum non solum ipsi, cum sint ad libidinem propensissimi, abiurarunt, sed & usq; adeò diffamarunt, ut cœperit de immundicie suspectum haberi, & uel in uniuersum declinari, uel præter fidem & Christianæ mentis sanctimoniam iuxta morem seculi prophanis modis usurpari. Hanc ipsissimam satanæ nequiciam in illius ministris nulla iræ Dei uindicta cõdignè est ad hunc usq; diem ultra. Quare necesse est, ut hoc genus hominũ grauissimo sit iudicio Dei obnoxium, quo pœnas luant omnis nefandæ libidinis, qua seculis iam aliquot Ecclesia Christi fœdissimè polluta est, & sacrosanctum Christianæ fidei nomen coram exteris diffamatum. Tertium genus adiutorij huius, quod in formatione sexus fœminei uirorum usibus est paratũ, œconomicum est: quo uidelicet uxor marito in administranda domo, procuranda re familiari, educatione liberorum, & quæ alia sunt huiusmodi, operam suam accommodare debet. Muliebris huius adiutorij in cura domestica plurimus est, & magnopere necessarius usus, quo qui patresfamilias sunt ægerrimè carere possunt. facilius omnino est mulieri rem domesticam suam procurare sine opera uiri, quàm uiro sine opera mulieris. Primas quidẽ obtinet maritus, ad cuius curam quæ potiora sunt œconomiæ capita pertinent: uerùm quæ secundaria sunt, & ad uxoris sollicitudinem referuntur, sic sunt plerunq; comparata, ut frustra laboret maritus, nisi uxor officium suum fideliter obeat. Multa illi sunt procurãda in absentia uiri, in qua ueluti luna in absentia solis, splendore diligentiæ suæ domum honesta matrona illuminat, multa item in præsentia quoq; uiri curam illius exposcunt. Vt hæc omnia præstet, fide & ope mariti est instruenda, non uerbis duntaxat, ut sciat, sed & facultate domestica ut possit, ut illud tritum adimpleatur, Mulier fulgetradijs mariti. Etenim si & consilio & ope mariti destituatur, uix poterit officium præstare nisi singulari dono Dei citra mariti operam ad omnia sit cùm sapientia tum facultatibus necessarijs instructa, quales aliquando uidemus, de quibus non potest dici, quod radijs maritorum fulgeant, sed è conuerso potius, quod eiusmodi ignaui mariti radijs uxorum suarum illustres reddantur. Hæc uidelicet sunt genera muliebris adiutorij, quæ eam ob causam recensere uolui ut donũ Dei in muliere honesta, eleganti, ac sapienti agnoscatur, quæ cuicunq; contingit, tam est preciosa, ut ficuti Salomon dicit, precium eius perinde æstimari debeat, ac si merces quædam de longinquo magnis & sumptibus & periculis sit acquisita. B

Triplex adiutorũ ex muliere.

Mulier condita ad indiuiduã societatem uiro præstandam.

Quartò. Nec illud transeundũ est, quod dicit, Simile sibi, quod in Heb. est, ficuti suprà memini, כנגדו, id est, coram eo, respondens ei, uel ut Græcus habet *ἐναντίον αὐτοῦ*, id est, iuxta ipsum. Significatur hac uoce, mulierem uiro sic esse paratam & coniunctam à Deo, ut primùm indiuidua sit inter eos uitæ societas & consuetudo, non qualis est bestiarũ, quæ semel in anno cõueniunt, ad procreandum, postea diuulsæ liberè uagantur. Vxor sic est marito coniuncta, ut sit coram eo indiuulse. Et ea interrupta mariti & uxoris cohæsio, quàm sit contra tentationes satanæ necessaria, & si Apostolus non commonefaceret, 1. Cor. 7. dicens, Nolite fraudare uos inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi: & iterum, Reuertimini in unum, ne tentet uos satanas, propter intemperantiã uestrã: item, Vxor à uiro suo non discedat, & uir uxorẽ non dimittat: tamen ipsa experientia abunde satis cõprobat. Deinde, ut uxor uiro præsens opera sua & ministerio pro uiribus respondeat. Neq; enim satis est esse præsentem, nisi simul debitũ officiũ uiro suo fideliter reddat, ad quod cõiuges 1. Cor. 7. Apostolus serio hortatur. Quare nequa-

A nequaquam instituto Dei seruiunt, quæ maritos suos uel domi aspernantur, uel ab illis sese auellunt, etiamsi adulterij peccatum non committant. Diabolica prorsus malicia est, qua iam olim in Ecclesia cœptum est docere coniuges, ut sine officio coniugali cohabitent. Possem hic quorundam conciliorũ sanctiones, immo prophanationes, adducere: uerùm dignæ non sunt, quarum memoria auribus fidelium ingeratur.

OBSERVATIO III.

Quid sibi uelit quod bestijs sunt imposita nomina.

Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ & uniuersis uolatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut uideret quid uocaret ea. Omne enim quod uocabat Adam &c.] Primũ obserua, quid sibi uelit, quod bestijs uoluit Deus sua constare nomina. Notum est, quis sit usus nominũ. Nisi esset indiuiduorũ multitudo, non esset ratio nominum. Igitur, ut discerni possit inter omnis generis species, deinde & cuiusli bet speciei indiuidua, necesse est, ut singula suis nominib. distinguantur. At ne huius quidem ulla ratio esset, nisi bestiæ usibus humanis alijs atq; alijs iuxta illarum diuersitatem diuinitus essent deputatæ. Igitur ea in re non bestijs, quibus tanquam ratione destitutis nõ potest esse appellandi usus, sed hominibus seruitur, ut opera bestiarum commodè uti possint.

Quare uoluerit Deus, ut nomina bestijs per Adamum imponerẽtur.

Deinde notabis, quare uoluerit fieri ab Adamo, quod ipse poterat multo præstare melius. Sic uidebatur, sicut & suprà memini, Adamum in potestatem super omnia traditam, mox initio inuestire & inaugurare, per id quod cunctis animantibus nomina sua imponebat. Impositio nominum argumentũ habet iuris, proprietatis, potestatis ac dominij. Quare cum bestiæ nomina sua accipiebant ab Adamo, in potestatem illius ueluti obsignabantur. Sic qui in lege unà cum circuncisione nominibus suis uocabantur, ea ceremonia in peculium Dei transibant. Tale est etiamnum quod in baptismate infantes nostri nomina accipiunt, atq; ita in nomen patris, filij, & spiritus sancti obsignantur. Expendunt autem quidam hoc loco, quanta fuerit primo homini sapientia, qua cunctorum animantium naturam sine ulla quotidiani usus experientia statim initio primo aspectu cognouit. Nisi enim singulorum naturas intellexisset, nequaquam illis competentia nomina imponere potuisset. Ea est sapientia illa qua dignatur Deus aliquãdo principes uiros, quos in potestatem ipse euexit, ut subditorum mores & ingenia exactè perspiciant, & illis sese commodè attemperent.

OBSERVATIO IIII.

B *Adæ uerò non inueniebatur adiutor similis eius.*] Duo sunt hic consideranda. Vnum est, quanta sit excellentia generis humani, cuius primo parenti nulla inter omnes bestias par reperiri potuit. Quare meritò execrabilis est peruersitas, qua se homo dignitatis suæ oblitus ad pecuinos mores, & bestiale uiuendi genus usq; adeò demittit, ut dignus nõ sit, qui uilissimæ bestiæ iungatur: ut eos taceam, qui bestijs etiam nefandissimo cõgressu commiscentur. Alterum est, quod uoluit Deus, constare Adæ, non reperiri inter cuncta animantia cõsortem aliquam, quæ generi ipsius respondeat, & adiutricem præstare possit, ideoq; opus esse, ut peculiaris aliqua singulariter formetur. Non est hoc consiliũ præter rationem. Admonui de illo & in quæstionibus. Non simpliciter dicit, Adæ non erat adiutor: sed, Non inueniebatur adiutor similis eius. Volebat Deus animum Adæ hoc pacto inducere, ut cõiugis necessitatem agnosceret, aliquam sibi dari parem & conuenientem expoſceret, atq; ita ubi daretur, cupidè assumeret. quod & factum esse, uerba illius testantur, quæ conspecta Euah protulisse legitur.

Proponitur hac in re considerandum, quantum referat quàm sit animus nupturi competenter affectus. Temeritas illa & incogitantia, qua plerunq; contrahuntur hodie matrimonia, multorum diuortiorum, uel certè miserrimorum & infelicium coniugiorum mater est. Nec seipsos iuuenes nupturi, nec humanæ uitæ conditionem, nec matrimonij iusticiam, neq; ducendæ sponsæ qualitatem, nisi quantũ uel formam uel opes attinet, præmeditando considerant. Quare nemini cordato mirum uideri debet, quod tam infeliciter cadunt multorum coniugia.

OBSERVATIO V.

Exemplum soporis in Adã expẽditur utilitas somni.

Immisitq; Dominus Deus soporem in Adam.] Hic primus somnus est, illapsus in hominem. Quare exemplum illius tale est, ut sit haud oscitanter transeundũ. Primum uox תרדמה non qualemcunq; sed profundum ac talem somnum significat, cuius uim nequeas excutere. Vocant illum soporem: & eiusmodi somno premi, obsoporari. Vtilitas illius magna est, ad recreandum tam animi quàm corporis uires. Quare plerunq; illabitur in eorum corpora, qui uel defatigati sunt uel mœsti.

Somnum esse donum Dei.

Deinde, nõ dicit, Irruit sopor in Adam, uel, Somnum cæpit Adam: sed, Immisit Dominus soporem in Adam. Admonemur hoc exemplo, somnum esse donum Dei, nihilq; minus quàm in nostra potestate situm. Nec putandum est, aliam esse nostri somni conditionem ab eo quo non suopte arbitrio, sed operatione Dei obsoporatus est Adam. Quod enim ibi contigit Adæ, principium habet huius doni, quo natura nostra carere non potest. Nec quisquam mortalium reperitur, qui quando, & quandiu, ac quo modo uoluerit, dormire possit, sed somnus omnibus nobis inscijs illabitur. Sic enim constituit Deus. Primùm, ut somno carere nequamus: deinde, ut in potestate nostra non sit illius usus, sed dispensetur diuinitus. Quare pij hominis est, ubi somno opus habet, petere illius beneficium à Deo: & ubi commodè ac suauiter dormiuit, beneficium Dei agnoscere & gratias agere.

Somnus argumẽtum habet naturæ infirmæ.

Tertiò & illud cogitemus. Obsoporatus est Adam, postquam cunctis bestijs nomina imposuit, atq; eo pacto dominij sui inaugurationem accepit. Somnus eorum non est, qui natura sunt semper firma ac plane cœlesti. Non dormit Deus, nõ dormiunt angeli. Adam dormit. Ergo statim initio specimen exhibitum

hibitum est naturæ terrenæ & non semper firmæ, ne concessa dominij dignitas ad diuinam naturam accedere posse uideatur. Destinauerat quidem opus suum Deus quod ex dormientis erat latere facturus, uerùm interea credibile est, fuisse Adamum ex inspectione ac nuncupatione bestiarũ nonnihil defatigatum, ut summus ille non solum operi Dei, sed & corpori illius recreando seruierit. Neq; enim rarum est, sic obsoporari, ut simul & singulare quoddam opus Dei inter dormiendum perficiatur, & corpus dormientis refocilletur. Sic obsoporatus est Abraham, infrà capite decimoquinto. Sic Iacob cap. uicesimooctauo. Sic Ioseph cap. tricesimoseptimo, & omnes illi, quos Deus inter dormiẽdum singularium rerum uisionibus est dignatus. Quartò, obserua imaginem innocentiæ, & securitatis. Inspexerat omnia animantia à Deo ad se adducta: ac nullum reperit ex omnibus, cuius consortio ad futuram multiplicationem frui posset. Quo facto conijcitur in profundum soporem, ac dormit. Dormit homo innocens. Fecerat quod iusserat Deus. Non erat anxius de acquirenda generis ac uitæ consorte. Eam necessitatem Deo commendat, & securus omnium dormit. O somnum felicem, cui non frustra tribuitur à Mose, quod sit à Deo immissus. Sic suos obsopire solet, iubẽs eos esse securos, & à sua pẽdere prouidentia. Sic dat dilectis suis somnum, inquit Dauid Psal. 127.

Imago innocentiæ & securitatis.

OBSERVATIO VI.

Locus præsens, admodũ fœcundus.

Cumq; obdormisset, tulit unam de costis eius, & repleuit carnem pro ea: & ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam, in mulierem.] Est hic locus cum ijs quæ sequuntur, siue historiam siue mysteria illius, inspiciamus, magnarum rerum fœcundissimus, quibus omnibus non solum tractandis, sed & cogitandis imparem me esse fateor. Verùm pro mediocritate mea quæ Dominus dederit annotabo.

Quare Moses formationem mulieris tanta cum diligentia describat.

Principiò notandum est, quid sibi uelit Moses quod mulieris formationem tanta cum diligentia describit, quæ cuiuis legenti statim sic occurrit, ut appareat singulare quoddã fuisse huius rei consiliũ. Primùm proponit consilium Dei, de necessitate formandæ mulieris. Deinde memorat omnibus animãtibus ad Adamum adductis, non esse illi adiutorium aliquod par ac simile inuentum. Tertiò planè mirabilem formationis modum subiũgit, quem uerbis paucis quidẽ, sed sic positis exprimit, ut stuporem incutiant attentè legentibus. Quartò, etiam quæ post formationem hanc contigerunt singulare consilium Dei declararunt, cùm quod Deus mulierem à se conditam duxit ad Adamum, tum quod Adam illam tam admiranda est exclamatione complexus, ut legem de non detrenda coniuge subiectam taceam. Meo iudicio seruiuit hac in re Moses muliebri imbecillitati, cõtra masculorum, præsertim Iudæorum duriciem, propter quam & repudij legem tulit, teste Christo Matthæi decimonono. Voluit persuasum esse uiris, esse muliebrem sexum non eam ob causam cõtemnendum, quod longè infra uirilem cùm dignitatem tum dexteritatem est constitutus. Esse enim illum singulari studio & dignatione Dei sic conditum, ut manifestum sit placere illi infirmum sexum nõ minus quàm robustiorem: nec uelle, ut sexũ, quem masculorũ gratia tanta diligentia formauit, formatũ uirili coniunxit, quisquã uirorũ contemnat ac deserat. Hoc cõsilio tam diligenter omnia expressit, quæ in formatione Euæ singulariter contigerunt, & indissolubilis unitatis argumenta præbuerunt. Fastidium uxorum quo perpetuò laborarunt Iudæi, non ignorauit Moses cum ista scriberet. Quare ut salutem piorum animis consuleret, muliebris sexus tam raram, mirabilẽ, & singularem formationem, & quæ illam præcesserunt, quæq; secuta sunt, ad commendationem illius studiosissimè conscripsit. De mysterijs dicam suo loco.

Quod mulier nõ ex terra, sed ex carne Adæ formata est.

Deinde obseruandum est, quod mulierem Deus non è puluere terræ, quemadmodum Adamum, sed ex ipso corpore Adæ: idq; nõ è crinib. aut exteriore cute, sed ex ossibus & carne eius formauit. Ex ipsis interioribus uiri sumpsit, unde fœminam illi iungendam formaret. Quis non uidet, quàm uoluerit arctè coniungi, & amanter sese mutuò complecti, masculũ & fœminam? Coniunxit etiam cuiusq; generis animãtia, uerùm de nullis legimus quod fœmellas ex ipsorum carne prognatas acceperint: sed satis erat corporum conformitas, eiusdem speciei unitas, & sexus diuersitas. Hic uerò accedit singularis ista eiusdem carnis propinquitas, immo ταυτότης, propter quam Apostolus dicit: Qui uxorem suam diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit ac fouet eam.

Quod mulier nec ex capite, nec ex pedibus, sed ex latere Adæ formata est.

Tertiò & illud cogitandũ est, quod cum mulierẽ ex ipso corpore Adæ formare uellet, nõ è quauis illius parte, sed è latere sumpsit, unde illam formaret. Non è capite, ne originis suæ gratia mulier insolesceret: neq; ex pedibus, ne mancipiorum uilitati & obscuritati deputata uideretur: sed è latere, ut sciret Adam factam esse sibi sociam & indiuiduam uitæ consortem, quæ lateri ipsius, unde sumpta erat, legitimè adhæreret. Seruit hæc consideratio contra inhumanitatem illorum, qui uxoribus non aliter utuntur, quàm si inter mancipia precio aliquo sint comparatæ, ut propè nullo eas discrimine ab ancillis differre uideas. Tale est præsertim eorum coniugium, qui polygamiam sectantur.

Quod ex costa Adæ facta est mulier.

Quartò, considera etiã quid sit quod costam è latere dormiẽtis accepit, & Euam ex illa finxit. Costa robur habet muniendo pectori accõmodatum. Cogitet mulier, robur suum esse è pectore uiri, illiq; se in omnibus accommodet. Sit uiri sapientia, sit amor coniugalis, robur ac munimentum imbecilli & imperitæ uxori. Illi se mulier attemperet, diligendo, morigerando, uenerando, & moderatè in omnibus agendo.

Quintò, expenderunt alij uerbum ædificandi. Et ædificauit inquit, in mulierem. Pulchrè usurpatum est hoc uerbum, & in loco. Parabatur enim mulier, unde potissimum, propter sobolis procreationem, & cohabitationem, domestica ædificatio cõstat. Voco autem domesticam ædificationem non eam quæ ligno constat & lapidibus, sed qua maritus & uxor in iustam aliquam familiã excrescunt. Primus huius

ædificij

A ædificij architectus Deus est, ut rectè hic mulierem ab illo ædificatam esse dicat Moses. Dum mulier autem ædificatur, unà cum muliere uir quoq; ædificatur: qui si solus sine coniuge maneret, ad ædificationem hanc domesticam nunquam perueniret. Sic Adam quoq; in muliere ædificabatur, ut exurgeret in familiam non modicam aliquam, sed quæ totum genus humanum comprehenderet, cuius caput ni si per mulierem fieri non potuisset. Qui gloriam ædificij huius aspernantur, quod abiuratores matrimonij faciunt, indigni sunt planè, quod structuræ huius aliqua sunt portio facti.

OBSERVATIO VII.

Et adduxit eam ad Adam.] Notandum hic est, quod fœminam Deus non solum creauit, sed ad Adamum quoq; desponsandi gratia adduxit, eamq; illi in coniugem tradidit & coniunxit. Erat non solum ex carne & ossibus Adæ cõdita, sed illi etiam quod speciem attinet, per omnia similis, non minus quàm est iumentum suæ speciei iumento conforme. Poterat illam Adam facili labore reperire, repertam propter conformitatem sexu quidem differentem, aliàs uerò per omnia correspondentem agnoscere, sibi coniungere, & ad multiplicandum genus humanum usurpare, perinde atque hoc à iumentis est factum, quorum nulli suam fœminam peculiariter adductam legimus. Verùm noluit Deus, ut aliquid horum suopte arbitrio uel Adam faceret uel fœmina. Quare ipse eos coniunxit, legitimæq; coniunctionis gratia formatam fœminam Adæ adduxit, tradidit ac desponsauit. Admonemur hac consideratione, quid requirat legitimum coniugium. Vt uidelicet masculus & fœmina non suapte temeritate & libidine sese coniungant, sed iungantur legitimè secundum ordinem Dei, consilio & uoluntate parentum ac maiorum, quorum uices in coniunctione Adæ & Euæ in sese transtulit Deus. Qui sic iunguntur, à Deo ipso iunguntur, cuius uicem parentes & maiores, in quorum potestate sunt, qui iunguntur, post primam coniugij institutionem legitimè obeunt. Et in huiusmodi coniugio locum habet illud Christi: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Qui inalis artibus, malo libidinis studio, respectu opum & cætera citra ordinem diuinitus institutum iunguntur, de legitima coniunctione gloriari non possunt. Requiritur autem à nobis ut non iungamur more bestiarum, quasi mox mea fit, quæ fœminæ speciem habens libidini meæ arridet: sed ut eam accipiam in coniugem, quæ mihi adducitur ac traditur à Domino, posimq; de illa dicere: Mulier quam mihi dedisti Deus, sicuti ab Adamo factum capite sequenti legimus. Quare ordini huic aduersantur scortatores, adulteri, & concubinarij, & quotquot a-
B lij non possunt bona conscientia gloriari, quod uxores legitimè acquisitas habeant.

Quod Deus ipse mulierẽ uiro adduxit, desponsauit, et coniunxit.

Vices maiorum ac parentum obiuit Deus, cum Euam Adæ iungeret.

OBSERVATIO VIII.

Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea. Hæc uocabitur uirago, quoniam de uiro sumpta est.] Primùm, obseruãdum est hoc loco quomodo Adam in desponsationem, qua ipsi mulier à Deo iungebatur, consenserit. Non erat satis ad confirmandas hasce nuptias, quod mulier uiro sistebatur, & per eum iungebatur, qui utriusque potestatem habebat, illisq; patentum loco erat, nisi accederet etiam uiri consensus. Etenim ad hoc ut firmum sit coniugium, non conuenit, ut aliqua sit reluctatio, uel in uiro uel in muliere. Quare præter rationem non est, quod ad confirmandum matrimoninm utriusque & sponsi & sponsæ requiritur consensus. Illud tamen probandum non est, quod pontificij solo utriusq; consensu coniugium statuunt, etiamsi parentes ac maiores reclament. Legitima coniugia fieri nõ possunt, nisi tria ista concurrant. Primum, ut qui iunguntur, tales sint, qui matrimonio iungi licitè possint, hoc est, qui lege diuina non prohibeantur, quo minus connubio inter se iungantur. Secundum est, ut non iungantur suapte temeritate, carnali amore & libidine perciti, sed dispositione ac prouidentia parentum: uel si illi non supersint, tutorum uel maiorum ac consanguineorum. Tertium, ut non cogantur inuiti, sed cum ipsorum consensu nuptijs tradantur. sic & consensus Rebeccæ, Genes. uigesimoquarto quærebatur, cum esset tradenda Isaaco filio Abrahæ in uxorem. Hæc tria requiruntur in iuuenibus, adhuc sub potestate maiorum constitutis. Si negligantur, non uideo, quomodo legitimæ ac firmæ sint nuptiæ.

Quomodo consenserit Adã ad conunctionẽ Euæ.

Tria requirũtur ad legitimũ connubium.

Deinde obserua, quod nõ simpliciter consentit Adam ad coniunctionem Euæ, sed consensum cordis sui uerbis haud leuibus, sed grauibus & emphaticis expressit dicens, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, & cætera: quasi dicat, Agnosco & accipio mulierem hanc, non tanquam alienam, sed tanquam meam, tanquam os meum & carnem meam. Poterat ista Deus ipse proferre ac dicere: Ecce mulier hæc, os est ex ossibus tuis, & caro de carne tua, accipe illam in tuam, uocetur q; uirago, quoniam de uiro sumpta est: uerũ cõuenientius erat, ut consensum suum Adam ista edicendo proferret. Quare docemur hoc exemplo, ad confirmandas nuptias non solum requiri consensum cordis, sed & assensum ac confessionem oris. Requirit autem coniunctus humani ratio, & honestas, ut coniugum consensus non inter ipsos tantum priuatim, sed & uel coram magistratu, uel cœtu aliquo honesto ac fide digno, qualis est Ecclesiasticus ad confirmandas nuptias congregatus, palàm, publicè, ac disertè exprimatur. Apud ethnicos olim quærebatur à sponso, idq; coram certis magistratibus, haberet ne uxorẽ secundum animi sui sententiam. Si affirmasset, non licebat postea repudiare coniugem. Sic enim confirmabantur nuptiæ. Si negasset, non poterat ratum esse connubium. Hodie inter Christianos geruntur ista in Ec-

Non solum corde consensit Adam, sed & consensum ore expressit.

clesiasticis conuentibus, quo liqueat Ecclesiæ, legitimũ esse coniugium, nec offendatur quisquam ex eorum cohabitatione, qui recens in unum conuenerunt. A

Agnoscendũ est uerito in uxore non solum quod ad se pertineat, sed & quàm sit sibi cognata & propinqua.

Tertiò considerandum & illud est, quod non dicit, Hoc nunc os ad ossa mea, & caro ad carnem meam: sed, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Nec dicit, Vocabitur uirago, quoniã propter uirum facta est: sed, Quoniam de uiro sumpta est. Non solum hoc in muliere ad se adducta agnouit, quàm esset sibi conueniens & ad se pertinens, sed & quàm esset sibi propinqua. Huius gratiæ originem illius exprimit, agnoscens esse illam os ex ossibus suis, & carnem è carne sua, sumptam; atq; de uiro, se nimirum, cui tum iungebatur. Admonenti hic mariti, ut non solum id in uxoribus suis agnoscant, quod ad se pertinent, sibique legitimè sunt coniunctæ: sed & quod os sint ex ossibus, & caro de carne ipsorum, hoc est, ut complectantur eos non solum tanquam suas, sed & tanquam carnem suam: quade re & suprà monui.

Coniunctio eorũ qui eadem sunt caro.

Singularis coniunctio eorum est, qui eadem sunt caro: quare conuenit ut & singulari dilectionis affectu sese mutuo complectantur, quod non solum inter coniuges, sed & consanguineos, cognatos, & eos qui eiusdem sunt gentis ac familiæ, locũ habet. Sic Laban ad Iacobum infrà uigesimonono dicebat, Os meum es, & caro mea. Et Iudas ad fratres suos, capite trigesimoseptimo dicebat: Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum? & celauerimus sanguinem ipsius? Melius est, ut uendatur Ismaelitis, & manus nostræ non polluantur. Frater enim & caro nostra est. Et Israelitæ ad Dauidem 2. Sam. 5. dicebant: Ecce nos os tuum & caro tua sumus. Et Esa. 58. Cum uideris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.

Quod Adã uxori suæ nomen imposuit.

Quartò nec illud transeundum est, quod dicit: Hæc uocabitur uirago, quoniam de uiro sumpta est. Vbi duo consideranda ueniunt. Vnum, quod Adam uxori in desponsatione nomen imponit. Alterum, quale illi nomen imponat.

Quale illi nomẽ imposuerit.

Quod illi nomen imponit, pertinet ad ius mariti. Poterat Deus mulieri nomen imponere, sicuti & Adæ imposuit, infrà capite quinto, ubi legitur quod nomen eorum, Adæ & fœminæ, uocauerit Adam. Verùm ius hoc permisit Adæ tanquam legitimo marito, ad quem pertinebat potestas denominandi ea quæ sibi erant tradita. Ea de re suprà monui Obseruatione tertia. Videndum consequenter quale nomen uxori suæ imposuerit.

Quatuor primæ mulieris nomina leguntur.

Quatuor mulieris huius nomina inuenio. Primum est, quod & ipsa Adam est dicta coniunctim cum uiro. Secundum est נקבה, id est, fœmina uel mulier. Sic uocauit eam Moses suprà capite præcedenti, cum dixit, Masculum & fœminam fecit eos. Tertium est אישה, id est, uira, ut ita dicam. Quartum est חוה Hauah, quod legunt communiter Euah. Duo prima nomina sunt illi imposita à Deo. Vnum est creationis primariæ, quæ est ex terra, unde Adam sumptus est, ex cuius postea ossibus & carne formata est Euah, ob quam causam, ut significaretur & ipsam esse cum Adamo terream, uocata est communi uocabulo Adam. Nam אדמה, id est, Adamah terra dicitur. Quare primum & commune utrique nomen Adam, quod mulierem concernit, uoco primæ creationis nomen. Alterum est sexus, exprimens fœminei sexus notam. Illud est נקבה, quæ uox à foramine & punctatione ducta, foratam significat, & muliebrem sexum exprimit sicuti זכר masculinum: quæ ambæ uoces præcedenti capite leguntur זכר ונקבה, id est, masculum & fœminam fecit eos. Duo posteriora nomina ab Adamo illi sunt iure maritali imposita, idq; non tanquam fœminæ ac terræ, sed tanquam carni ac coniugi suæ. Vnum est אישה, id est uira, cuius hic fit mentio, unà cum ratione adiecta, propterea uidelicet quod מאיש, id est, de uiro sumpta esset. Pertinebat hactenus ad ipsum mulier ista, quoniam de ipso erat sumpta: atq; ita nomen hoc non tam ad creationem quàm ad legem coniugij pertinet: quo significatur, mulierem non iam simpliciter fœminam esse, sed & maritatam. Alterum est חוה, id est, Euah. Hoc nominis imposuit illi Adam infrà capite tertio. Vbi & adiecta ratio est, eo quod mater esset cunctorum uiuentium. Attinebat igitur hoc nomen ad usum & fructum coniugij: de quo suo loco dicemus. B

Horum consideratione admoneantur piæ mulieres, quæ sit ipsarum conditio. Cogitent se primùm esse Adamas, id est terreas æquè ac maritos suos, ne sibi nonnihil ex eo arrogent prærogatiuæ, quod sunt ex ossib. & carne primi hominis condita. Nam & illa terra erant, licet in aliam formam essent traducta. Deinde, esse se נקבות, id est, fœminas, quod sexum attinet, ideoq; decere, ut quæ pudorem sexus huius attinẽt, haud aliena à se ducant. Tertiò esse se אישות, id est, uiras, uel maritatas, hoc est coniuges & uxores, si sint in matrimonio constitutæ, ut simul ad se pertinere sciant omnia illa, quæ maritata marito legitimo secundum coniugij משפט præstare tenetur. Quartò esse se חוות, id est, Euas matres uiuentium. Magna dignitas, sed simul magna est molestia præstare maternum officium. Quare fide opus est, quæ à prouidentia Dei omnia fidelissimè disponentis pendeat.

OBSERVATIO IX.

Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.] Considerandum hic est, quomodo referat cui detur hæc sententia, non solum ad hoc, ut competenter legatur, sed ad id quoque, ut commodius uideatur, quid ex illa sit obseruandum. Si tribuitur Adæ, legendũ est in futuro, Relinquet, & adhærebit. Si Mosi, in imperatiuo, Relinquat, & adhæreat. Nam Adam si ista loquutus est, prophetico est spiritu de firmitate connubialis coniunctionis loquutus. Si uerò

Mosi

A Mosis hæc sunt uerba, illationem habent adhortatoriam, ex præmissis sumptam, ad eos, qui uinculum connubiale non intelligentes, uxores suas temerè repudiabant. Sed ista magis ad explanationem pertinent.

Si Adæ detur, quid obseruandum sit.

Si damus hæc Adæ, obseruandum est quòd non de se & coniuge sua specialiter, sed in futurum de omnibus posteris loquitur. Non dicit, Quamobrem relinquam patrem & matrem. Neque enim patrem neque matrem habebat, quos relinqueret, sed Deum solum, de quo non poterat ducere, Quamobrem relinquam Deum creatorem meum, & adhærebo uxori meæ: sed, Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Igitur in eo quòd sententia ista cunctis Adæ posteris adaptatur, admonemur etiam præcedentia sic esse comparata, ut ad cunctos coniuges pertineant. Quare non simpliciter dicit, Relinquet homo patrem & matrem: sed, Quamobrem relinquet homo patrẽ & matrem, & adhærebit uxori suæ: qua particula illatiua satis declarat, respicere se ad præcedentia: nimirum, quòd mulier est os & caro uiri, & inde ad sententiam hanc deducere & pronunciare. Itaq; non est coniugium Adæ & Euæ simpliciter, sed exemplariter inspiciendum, unde admoneamur, quid ab uniuersis coniugibus requiratur, quidq; de uero & legitimo connubio sentiri debeat.

Si Mosi tribuitur, quid sit notandum.

Si senserimus ista pronunciata esse à Mose, documento erunt, eodem respexisse Mosen, quo Christum, quod attinet indissolubilem coniugij firmitatem, non solum agnouisse eum, quàm conueniat coniuges, relictis parentibus, sibi inuicem indiuulse cohærere: sed & ad eam firmitatem connubiorum cunctos esse hoc publico scripto adhortatum, ut manifestum sit, quod postea Israelitis legem de libello repudij præscripsit, non sic esse ab eo factum, quòd ignoraret peccare eos, qui quauis de causa uxores repudiant, & non mallet uinculum coniugij seruari infractum, sed quòd ad ferendam eam legem duritia Iudaica adigeretur. quemadmodum & Christum hanc rationem permisi diuortij Matthæi decimonono assignasse legimus. Sed hac de re, si cui lubet, uideat Commentarios nostros in Matthæum, capite quinto.

Quàm firmã & insolubilem esse oporteat uiri & uxoris coniunctionem.

Deinde obseruandum est, quàm oporteat esse firmam & insolubilem uiri & uxoris coniunctionem. Quamobrem, inquit, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Ergo duo hæc necessaria sunt coniugibus. Vnum, ut uinculum illud quo obstricti fuerant parentibus, soluant. Alterum, ut mutuò cohæreant. Primum requiritur propter secundum. Hoc est, ut possit maritus adhærere uxori suæ, relinquendi sunt illi pater & mater. Alioqui illicitum est filio, relinquere parentes,
B quibus omnem suam operam debet, & tam naturæ quàm diuina est lege obstrictus. Quare, quod dicit, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, tanti momenti esse coram Deo coniunctionem uiri & uxoris docet, ut illius gratia legem de non relinquendis parentibus, quam & naturæ & literis inserut, irritam esse uelit, quatenus coniugalis cohæsio postulat. Vnde facile colligitur, quàm non debeant minoribus de causis seperari coniuges, quum parentum authoritas, quæ post Deum est maxima, nihil ualeat ad illorum diremptionem. Peccant igitur plurimùm parentes illi qui filiorum suorũ coniugia nõ sinunt esse libera, sed perinde illos sibi obstrictos tenent, ac si elocati non essent: atque ita unitatem & coniunctionem connubialem impediunt: uel, si qua cœpit, dirimunt. Deinde & mariti illi grauiter delinquunt, qui parentes quidem & quoscunque cognatos facilè relinquunt, uerùm uxoribus suis non adhærent, sed illas quoque deserunt. Plurimum peccant, qui inter coniuges iurgia & diuidia serunt, quibus efficiunt, ut unitas coniugalis scindatur. Omnino satanæ opus est, insidiari coniugum unitati, & seiungere, quos Deus uoluit esse unitissimos. Quare ministri illius sunt, qui quouis modo, quouis prætextu, legitima connubia dirimunt. id quod faciunt, qui coniugia eorum dirimunt, qui post uotum nupserunt, cum dirimi nõ debeant etiam attestantibus nonnullis Pontificum Canonibus. Sic Distinct. uicesimaseptima, capite Diaconus legitur: Tanta uis est in sacramento coniugij, quòd nec ex uiolatione uoti potest dissolui ipsum coniugium. Et ex Augustino, de Bono uiduali, capite decimo, sequenti Canone Quidam, sic citatur: Quidam nubentes post uotum asserunt adulteros esse: ego autem dico, quòd grauiter peccant, qui tales diuidunt. Hæc ibi.

Consideret nunc homo timens Dei, in quantam temeritatem inciderint Pontificij, pluris humana statuta quàm legem Dei facientes, adeo'que quos Deus coniunxit etiam contra patrum & saniorum canonum sententiam dirimentes: id quod nunc per potentiam huius mundi in malo obsirmati passim impudenter faciunt.

De præcepto honorandorũ parentum.

Sed quæri poterit hoc loco, an præceptum Dei, Honora patrem & matrem, ut sis longæuus super terram, per uinculum coniugij in uniuersum reddatur irritum.

Respondendum est: Quatenus cohæsio coniugalis postulat, tantum de illo præcepto deteritur. Præceptum de honorandis parentibus tantum non ualet, ut quod prius illo est, soluat & irritum reddat. Adam & Eua prius erant coniuges, quàm parentes. Coniugij lex, legem parentum præcedit. Nemo pater, nemo mater, nisi prius coniunx. Nisi firmum sit coniugium, non erit progressus ad conditionem parentum.

Igitur ut locum habeat lex illa de honorandis parentibus, necesse est ut præcedat firmitudo coniugij: nec præcedat tantum, sed & ad finem usq; continuetur. Quare, ut nõ licet esse matri, sic esse matrem, ut

quod uxoris est, marito non præstet, hoc est, ut propter liberos unitatem coniugij sui scindat, liberisq; addictior sit, quàm marito: ita non licet marito, ut parentibus adhæreat magis quàm uxori.

Interea tamen necesse non est, ut filius maritus omnem dilectionis affectum, & quodcunque beneficentiæ studium, parentibus suis deneget. Etenim sicuti non impeditur per dilectionem coniugis, quo minus diligat suos etiam liberos: ita non impeditur adhæsione coniugis, quo minus diligat etiã & ueneretur parentes. Vt enim simul esse potest, & filius, & coniunx, & pater, ita potest etiam affectus retinere filij, coniugis & patris, modò non discedat ab ordine, in quo præcedit affectus coniugi debitus, subsequitur paternus, tertium locum retinet is qui est erga parentes. Non sunt ista contraria, sed subordinata. Christianus potest recto ordine præstare coniugem uxori, patrem liberis, filium parentibus, ciuem ac subditum magistratibus, dominum seruis, fratrem fidei consortibus, hominem hominibus, uicinum uicinis, & cum primis Deo filium in omnibus addictum.

Quare, quod lex ista coniugij dicit, Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, affectum dilectionis & honoris parentibus debitum nõ extinguit, sed ordinat, & inter hosce duos status parentum & coniugum distinguit. Non quod illi sint inter se contrarij, cum frequentissimè coniungantur, immo alter alteri subseruiat: sed quòd sint ordinandi, ne alter ab altero impediatur. Impediretur autem status coniugalis, si status parentum nihil illi de suo concederet, & in gratiam illius ius quod habet in liberos, resignaret. Necesse igitur est, ut parentes filios suos, quos in statum matrimonij transferunt, liberos & emancipatos constituant, nec poscant, ut pro debito & subiectione liberorum, ipsis cohabitando & subseruiendo adhæreant, sed eos uelut è nido extrudant, illisq; adiumento sint, ut peculiari ac separata mansione cum uxoribus cohabitent, illis cohæreant, coniuges præstent, uxores diligant ac nutriant, liberos procreando familiam constituant. Et id demum elocare, hoc est, è loco paternæ domus in locum separatæ mansionis, & è statu filiorum in statum coniugum transferre, uocatur. Quemadmodum autem ad statum parentum pertinet, ut hoc pacto statui connubiali subseruiat, & filios in gratiam illius liberos elocet, nec ius suum erga illos retineat: ita pertinet ad filium maritum, non ut ad pristinam subiectionem & filiorum conditionem respiciat, sed ut ad anteriora conuersus, patrem ac matrem relinquat, & uxori suæ adhæreat, hoc est, quod coniugis est, non quod filij, deinceps summa integritate præstet.

Itaque si causa ista ad hunc modum consideretur, manifestum fit, non abrogari præceptum Dei de honorandis parentibus, quod conuenit esse perpetuum: sed ordinari status parentum & coniugum, ne alter ab altero impediatur. Sunt enim utrique sic necessarij, ut nisi ritè seruentur ambo, neuter subsistere possit. Etenim si non sint coniuges, unde fient parentes? Rursus nisi sint parentes, unde nascentur coniuges? Quare diligenti consideratione opus est, ne præcepta Dei sic intueamur separatim, ut ordinem ac fines illorum impediamus, & ex subordinatis contraria constituamus.

Nõ dicit, Et adhærebit לאשתו *id est fœminæ: sed, Adhærebit uxori suæ.*

Illud obiter considerandum est, quòd non dicit, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit לאשתו, id est fœminæ: id quod multi faciunt, qui relictis parentibus, à quibus nondum sunt elocati, quorum iuri nondum sunt legitimè exempti, adhærent scortis, non quòd uxores sint, sed ob id quòd sunt נשים fœminæ. Nolunt adhærere uxoribus, sed fugiunt connubialis uinculi insolubilitatem, quasi seruitutem quandam intolerabilem, uiroq; parum decoram, & interea sectantur fœminas fœdas & uagas, quibus sic adhærent, ut nullo pudore, nullo diffamiæ dedecore, nullo discrimine, nullo meretriciæ perfidiæ experimento auelli queant. Nolunt obstricti esse honestati, & mancipantur turpitudini. Deo seruire nolunt coniuges, & satanæ seruiunt scortatores. Quare notandum est, quàm commodè non dicatur hoc loco, Relinquet homo patrem et matrem, & adhærebit fœminæ: sed, Adhærebit uxori: idq; non cuiuis, sed suæ, ut & scortatores & adulteri ab hac lege excludantur.

Quomodo & scortator una caro reddatur cũ scorto, 1. Cor. 6.

Occurrit autem hic locus Apostoli, priore ad Corinthios sexto, ubi sic legimus. Aut ignoratis, quòd qui adhæret scorto, unum corpus est? Erunt enim, inquit, duo in carnem unam. Ergo nec scortatores nec adulteri ab hac lege excluſi uidentur, quo minus & ipsi cohærendo scortis, una cum illis caro fiant. Etenim si & illi una caro redduntur cum scortis, ad illos quoq; pertinet hæc sententia, ut ipsis quoque competat, relinquere patrem & matrem, & adhærere scortis suis. Itaq; quæri poterit, cum tanta sit inter legitimos coniuges & scortatores diuersitas, quomodo utrisque eadem possit competere sententia, & quomodo Apostolus de scortatoribus prædicet, quòd spiritus sanctus primùm legitimo coniugio tribuit. Respondeo: Primùm quod ad utriusque partis sexus attinet, nihil est discriminis. Vtrinque uir est & mulier, tam in scortatione quàm coniugio. Deinde quod ipsam quoq; carnalẽ copulã concernit, ne hic quidem aliquid est differentiæ. Quomodo ergo discernuntur scortatores à coniugibus? uno discrimine discernuntur, liciti & illiciti. At in isto discrimine non est ista coadunatio ista carnalis, unde unum utrinque corpus ex uiro & muliere redditur, sed magis in utriusque sexus carnali copula & cohæsione.

Proinde hactenus æquè de scortatoribus ac de legitimis coniugibus dici potest, quòd sint in unam carnem, uel in unum corpus. Illud suprà capite primo, Benedixitq; eis, & ait, Crescite & multiplicamini, non est ad scortatores dictum, sed ad coniuges à Deo coniunctos. Et ipsa tamen generis humani multiplicatio, quæ est per liberorum procreationem, non minus uim suam exerit in scortis, quàm in coniugibus. Nam & ex scortatione, & concubinatu, immo & adulterio, liberi rolluntur.

Ergo

A Ergo quemadmodum uis multiplicandi ac procreandi nõ à licito uel illicito uiri ac mulieris congressu utut peccent, qui illicitè iunguntur, sed simpliciter à qualicunq; illorum commixtione pendet: ita & ista sententia, Erunt duo in carnem unam, non astringitur ad legitimum, sed quemuis utriusque sexus congressum. Vinum, inquit Propheta, lætificat cor hominis, & panis cor hominis confirmat. Ea sententia non constat discrimine liciti & illiciti, sed perinde furis cor pane furtiuo confirmatur, & uino furtim acquisito exhilaratur, atq; illius, qui ista iusto & honesto labore acquirit, cum tamen nemo sic desipiat, ut eam ob causam nihil referre putet, quomodo panis & uinum furto ne uel iusto labore ac precio acquirantur & usurpentur.

Consimiliter & hoc loco cogitandum est, uerum quidem esse, quòd Apostolus unam carnem eos quoq; fieri dicit, qui scortando cohærent, interea tamen multum discriminis esse inter cohæsionem coniugum & scortatorum. Illam esse licitam, istam illicitam. In illa uerum esse quod hic dicitur, Relinquet homo patrem et matrem, & adhærebit uxori suæ: in ista diuersum requiri, nempe, ut relinquantur scorta, & adhæreatur patri & matri in obedientia & honore illis debito, donec elocationis iure & legitimo connubio paterna potestas soluatur ac desinat.

OBSERVATIO X.

Erat autem uterq; nudus, Adam & uxor eius, & non erubescebant.] Tria sunt hoc loco consideranda. Primum est, quòd maiores generis nostri creati sunt à Deo nudi. Secundum, quòd sic, ut erant, nudi sunt in paradisum translati, nudiq; in illo conuersati. Tertium, quòd de nuditate sua non non erubescebant. Quòd nudi sunt conditi, non pilosi aut uillosi, sicuti pleraq; animantia, ad quem modũ & omnes illorũ posteri nudi, & planè inermes nascimur, admoneat nos, quàm naturæ nostræ repugnet illa malitia, qua tot armorum generibus ad cædem ac crudelitatem nudum hoc nostrum & inerme corpus, paci non cædi natum, armamus ac deformamus, ut si bestia quædam ad consimilem armaturæ nostræ formam nasceretur, non solum monstri loco haberetur, sed tanquam ad perniciem tam hominũ quàm animalium nata aut cum horrore fugeretur, aut prorsus è medio tolleretur. Quare cordatum hominem ipsa natiuitatis nostræ qualitas, & inermis corporum humanorum nuditas facilè admonet, quàm conueniat nos, uel naturæ nostro indicio admonitos innocuam ac pacis amantem ducere uitam, quamque bellica ista armatura, in cædem non bestiarum, sed cognati sanguinis parata, non humanum, sed prorsus diabolicum sit inuentum. Deinde, natiuitatis nostræ nuditas etiam huius admoneat, ut quoties illius in mentem uenit, cogitemus simul de exitu nostro ex hoc mundo. Per natiuitatem ingredimur in hunc mundum prorsus nudi, per mortem rursus egredimur ex hoc mundo consimiliter nudi. Nihil intulimus in mundum, utiq; nihil ex illo asportabimus. Admonet ista consideratio, ut sicut Apostolus 1. Timoth. sexto hortatur, necessario uictu & amictu contenti simus, ne incidamus in dementiam illam, quam Sapiens Ecclesiast. quinto perstringit dicens, Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Mirabilis prorsus infirmitas. Quomodo uenit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei, quod laborauit in uentum? Cunctis diebus uitæ suæ comedit in tenebris, &c. Præterea si contigerit aliquem spoliari suis facultatibus, quocunque id pacto fiat, recurrat ad natiuitatis suæ nuda primordia, & consimilem prospiciat mortis suæ nuditatem, dicatq; cum Iob, Nudus egressus sum ex utero matris, nudus illuc reuertar, Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum.

Quàm non conueniat nudis nostris corporibus, armatura illa bellica.

Nudus ingressus in mundũ admoneat de nudo exitu ex hoc mũdo.

Consolatio illis qui facultatibus suis spoliantur.

Quòd Adam & Eua nudi sunt in paradisum collocati, ut in illo nudi degerent, documẽto sit, quàm requirat à nobis Deus, ut coram se nudi ambulemus, non palliati. Nudus ambulat coram Deo, in cuius spiritu non est dolus, qui simpliciter & manifestè ambulat, liber ab omni hypocrisi, sic ut omnis ipsius uita nuda sit in oculis Dei. Quæ nuda sunt, manifesta sunt & aperta. Nuditatem hanc non corporum, sed animorum, consiliorum & factorum probat Dominus, cui alioqui, nolimus uelimus, omnia nuda sunt & aperta. Hebr. quarto. Rursus eos detestatur, qui omnia sua tegunt & abscondunt, quos Esaias cap. 29. perstringit dicens, Væ qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consiliũ, quorum sunt in tenebris opera, & dicant, Quis uidet nos? &, Quis nouit nos?

Vt nudi ambulemus coram Deo.

Illud, quòd de nuditate sua non erubuisse scribuntur, exemplum offert, non impudentiæ Adamitarum, qui nudis inter se non animis, sed corporibus ambulantes, paradisi uitam æmulari se simulabant, quos nostra ætate Anabaptistarũ quorundã furor imitari conatus est, nec bestialis illius uitæ, si tamẽ ui ta dicenda est, qua gymnosophistæ ultra Indoschytas, in syluis, ferarum in morem nudi incedere dicuntur, sed puræ & illibatæ innocentiæ, quam per peccatum amissam, beneficio Christi sic recuperamus, ut & ipsi olim in cœlesti paradiso nudis corporibus absq; ullo pudore conuersaturi simus, modò dum in hac uita sumus, nuda & aperta mente in conspectu Dei ambulemus.

Exemplũ ueræ innocentiæ, & futuræ uitæ.

MYSTICA PRAESENTIS LOCI consideratio.

Manifestum est uel ex admonitione Apostolica Rom. 5. & 1. Cor. 15. duos illos homines, primũ Adamum, & secundũ Christũ, esse nobis non simpliciter ut homines, sed tanquã duo capita intuendos, ac sic inter se cõferendos, ut quæ cũ Adamo ante peccatũ tanquã primo generis humani capite gesta sunt, nõ

historicè

historicè tantum, sed & mysticè consideremus, inq; illo spiritualium rerum imagines contemplemur: quarum ueritas in Christo est electorum ac saluandorum capite expressa. Quare, sicuti suprà polliciti sumus, res ipsa postulat, ut pro mediocritate nostra saltem aliqua attingamus, quæ pius apud se lector obiter admonitus per gratiam Domini pressius ac penitius consideret: quod ut commodius fieri possit, recurrendum est ad præsentis loci contextum.

Adæ uerò, inquit, non inueniebatur adiutor similis eius.] Quemadmodum Adam primus homo ad imaginem Dei conditus, quod humanam hanc naturam ac uitam attinet, sic solus erat, ut nemo reperiretur ex creatis omnibus, siue angelis, siue bestijs, cuius accessione genus humanum multiplicari posset. sic & Christus uera illa & expressa imago Dei, quod cœlestem uitam ac felicitatem concernit, solus erat: nec quisquam ex omni humano genere, imò ne ex angelorum quidem ordine dabatur, cuius consortio parì & conformi, electorum ac saluandorũ multitudo procrearetur. Quare sicuti Adamũ noluit Deus permanere solum, quem humani generis caput constituerat: ita & filium suum Christum nõ est passus esse solum, quem ab æterno electorum multitudini caput ac principem prædestinauerat, ut posset dicere, Ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus, & ad destinatam seruandorum pertingere multitudinem.

Immisit q; Dominus Deus soporem in Adam, & dormiuit: & tulit unam de costis eius, & replecuit carnẽ pro ea. & ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem.] Primùm illud obserua. Ei qui solus erat, non est ex terra seorsum compar aliqua creata, sed ex ipso desumpta unde multiplicaretur. Poterat Adæ Deus uxorem, quemadmodum fecerat antea in conditione bestiarum, aliunde formare, ut non ex ipso tantum esset multiplicationis principium: uerùm uoluit, ut ex uno prodiret uniuersum genus mortalium: sicut & Apostolus Act. 17. meminit dicens, Fecit ex uno omne genus hominum habitare super uniuersam faciem terræ, & ut una esset in uiro & muliere corporis natura, unusq; generis humani fons. sicut & Ambrosius annotauit. Præcesserit ea in re imago Christi capitis electorum. Nam nec illi aliunde est formata sponsa, unde semen electorum multiplicaretur, sed ex ipso, ne diuersum esset multiplicationis huius principiũ, nec ecclesia æquè ac Christus gloriam istam ad se rapere possit. Quare meritò sunt hostes Christi, ac deprædatores gloriæ illius censendi, qui quod solius est Christi, Ecclesiæ tribuunt: & apud Ecclesiam quærunt, quæ prorsus nihil habet, nisi quod accepit à sponso: nec petit, ut ab ipsa pendeamus, sed filios suos omnes ad Christum sponsum, unde sunt prognati, studiosissimè ducit.

Deinde considerandus est & modus, quo ex uno ac solo desumpta est mulier, per quam genus humanum multiplicaretur. Immisit, inquit, Dominus Deus soporem in Adam, &c. Coniectus est in grauem soporem, ut ex dormiente sumeretur ac formaretur Euah. Potuit Deus etiam uigilanti Adæ eximere costam: uerùm delineabatur figura rerum futurarum. Sopor Adæ immissus, mors est Christo in cruce pendenti immissa. Sopor quid aliud est, quàm sequutura mortis umbra? Inter soporem ac mortem nihil est quod differat, nisi quod anima adhuc est in corpore dormientis, in mortuo nerò nequaquam: & qui dormit, paulo pòst euigilat: mortuus uerò non ita, nisi uirtute Dei excitetur. Rectè ergo mortis Christi figura & umbra quædam in sopore Adæ præcesserit. Itaq; sicuti ex Adam primo homine obsoporato sumpta est Euah, ita ex Christo secundo in cruce mortuo formata est ac uiuificata Ecclesia, ut uita nobis constet ex morte Christi. Huc pertinet illud Esaiæ quinquagesimotertio: *Si posuerit pro peccato animam suam, uidebit semen longæuum.* Et quod Christus ipse Ioan. 12. dixit, Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. *Si autem mortuum fuerit,* multum fructum adfert.

Tertiò, Et tulit, inquit, unam de costis eius, & ædificauit eam in mulierem. Aperitur latus Adæ dormientis, & eximitur costa, ex qua formatur Adæ sponsa. Christo in cruce iam mortuo aperitur latus, sicuti Ioan. 19. scribitur, indeq; promanat sanguis, unde nascitur ac uiuificatur Ecclesia sponsa: & aqua, unde recens nata ueluti lauatur. Purgatio non est in aqua, sicuti nec natiuitas in sanguine: sed, quoniam sacramenta regenerationis & ablutionis sunt in sanguine & aqua, è mortui Christi latere promanantibus, dicimus Ecclesiam sponsam Christi ex illis esse prognatam & ablutam.

Quartò, quòd ex costa Adæ ædificatur mulier, & locus costæ exemptæ carne impletur et claudit, pulchrè figurat, quomodo robur diuinitatis Christi, cuius typum gessit costa Adæ, communicata sit Ecclesiæ fidelium & sponsæ Christi: ac rursus caro, id est, infirmitas humanæ naturæ translata in Christum. Locus autem costæ clausus, significat, Christo nihil accessisse detrimenti ex eo quòd costam, id est, robur diuinitatis suæ, per incarnationem ædificandæ Ecclesiæ ac sponsæ suæ impertijt. E somno surrexit integer Adam, & magno cum fœnore costam formandæ Euæ impenderat. E morte surrexit Christus, & magno lucro acceptæ sponsæ, integer ad cœlestem paradisum ascendit.

Quintò, Aedificauit, inquit, Dominus Deus costam in mulierem. Multo conuenientius uerbum ædificandi competit Ecclesiæ sponsæ Christi, ac domui Dei, quàm Euæ. Exurgit enim illa in domum & ædificium multo illustrius quàm ista. Dei ædificatio estis, inquit Apostolus 1. Cor. 3.

Et adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc uocabitur uirago, quoniam de uiro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erũt duo in carnẽ unã.] Euah recẽs nata desponsat Adæ unde fuerat formata. Ecclesia recẽs è carne & sanguine Christi, prognata despõsat ei à quo est desumpta. Adducit ad Christũ spõsum, illi cõiungit. Despõsationis huius ministri sunt Apostoli, & reliqui Euãgelij Dei ministri. Despõdi uos, inquit Apost. uni uiro, uirginem

A uirginem castam exhibere Christo. 2. Cor. 11. Deinde Adam agnoscit & accipit sponsam ad se adductam. Christus Ecclesiam ac sponsam suam agnoscit, & suam esse fatetur de cœlo clamans, Saule, Saule, quid me persequeris? Et Ioan. 6. Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet: & quod uenit ad me, nõ eiicio foràs. Et Ioan. 10. Agnosco oues meas, & agnoscunt me meæ. Et, Qui confitebitur me, confitebor & ego eum coram patre meo. Et pollicetur illis præsentiam suam dicens, Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Et quòd eos ad se uelit in cœlestia abducere. Iterum, inquit, ueniam & assumam uos ad meipsum, ut ubi ego sum, illic & uos sitis. Adam dicit, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Mysterium hoc Apostolus Ephes. 5. diserte notat cum dicit, Membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Mysterium hoc, inquit, magnum est, in Christo & Ecclesia. Reuera magnum est, quòd uerbum Dei per quod facta sunt omnia, per incarnationem factum est ossium & carnis nostræ particeps, ut simus nos membra de corpore eius, os & caro eius. Carnem suam quomodo nõ diligeret? quomodo non foueret? quomodo desereret? Patrẽ reliquit, dum seipsum exinaniuit, ac formam serui incarnando accepit. Matrem reliquit, dum propter electos suos circuiuit, docuit, sanauit, ac tandem crucem subiuit. Reliquit autem non in uniuersum, sed tantum quatenus incarnationis poscebat dispensatio. Aliàs: Ego, inquit, & pater unum sumus. Et non sum solus, sed ego & pater qui mecum est. Et de cœlo sic descendit, ut tamen simul esset in cœlo. A patre profectus est, ut nihilo minus esset in sinu patris. Matrem reliquit, quatenus oportebat ipsum esse in negotijs patris. In cruce tamen commendauit illam discipulo, & postea ad se in cœlestia accepit. Quis autem satis expenderit inenarrabilem illam electorum dignitatem, quam ex eo habẽt, quòd una sunt caro, cum uerbo Dei incarnato, Domino, Deo, ac Seruatore omnium? Christus sedet ad dexteram patris, Dominus ac Rex omnium tam quæ in cœlo sunt, quàm quæ in terra. Igitur caro nostra sedet à dextris Dei, & gubernat omnia. Rursus, nos degimus adhuc in miseria, infirmitate, ignobilitate, & omnifaria præsentis uitæ molestia, cruce ac tribulatione. Ergo Christus adhuc in carne nostra, imò sua, miser est, infirmus est, ignobilis est, cruci ac tribulationibus subiectus est. Nam quæ carni ipsius, quæ nos sumus, accidunt in hac uita, ipsi accidunt: perinde atq; nobis ea contigit dignitas & gloria, quam in persona sua, & carne nostra possidet in cœlestibus. Etenim carni eidem omnia sunt communia, ut iura desponsationis ac coniugij taceam.

B *Erat autem uterq; nudus, Adam & uxor eius, & non erubescebant.*] Et noster Adam nudus in cruce pependit, nudus obdormiuit, nudus surrexit, nudus ad cœlestem est paradisum translatus. Et nos ex illo nudi renascimur, nudi cum illo ambulamus, nudi ad cœlestia transferemur. Nudi renascimur, omni mundanæ & propriæ iustitiæ operculo reiecto, uetere homine expoliato, & quicquid esse potest carnalis fiduciæ, prorsus exuti. Et non erubescebant, inquit. Nec noster Adam de nuditate sua quam nostri gratia susceperit, erubescit: idq; non solum propter innocentiæ puritatem, sed & propter obedientiam, qua uoluntati patris in illa seruiuit, & indicibilem amorem, quo non modò nudari, sed & mori pro nobis sustinuit. Nec nos, quotquot cum illo & ex illo nudati sumus, propter hanc nuditatem nostram, quam tumuis in oculis carnis superbæ & arrogantis summo contemptui obnoxiam, ullo pudoris sensu tangimur: non quòd nobis tam perfecta sit inculpabilis uitæ innocentia, sed quòd nuditatis nostræ consortem habemus Christum filium Dei cum electis omnibus: cum quibus non in oculis mundi, sed in conspectu Dei uersamur: quippe qui nõ mũdo, cui mortui sumus, sed Christo seruatori uiuimus. O uere felices omnes eos qui cum secundo hoc Adamo nudi uersant, & de nuditate sua non erubescunt, sed probrum crucis Christi alacri animo extra portam egressi perferunt. Hebr. 13.

CAPVT III.

SEd & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierẽ, Cur præcepit uobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum quæ sunt in paradiso uescimur. De fructu uerò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit aũt serpẽs ad mulierẽ, Nequaq; morte moriemini. Scit enim Deus, q; in quocunq; die comederitis ex eo, aperient oculi uestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignũ ad uescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditq; uiro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborũ: cumq; cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.

Quod in

LECTIO.

Quod in Græco est, ὁ δὲ ὄφις ἦν φρονιμώτατος πάντων: id est, Serpens uerò erat sapientissimus uel prudentissimus omniũ, &c. in Hebræo est ערום, id est astutus, uersutus, callidus, uersipellis. Aquila & Theodotio reddiderunt πανοῦργον, id est, uersutum & nequam.

Cunctis animantibus terræ.] Hebr. habet מכל חית השדה, id est: Præ omnib. bestijs agrestibus. Et Græcus uertit, ἐπὶ τῆς γῆς, id est, super terram.

Aspectuq; delectabile.] Hebr. רנחמד חעץ להשכיל, id est, Et desiderabile lignum ad intelligendum. Græcus sic, καὶ ὡραῖον ἐστὶ τὸ διανοῆσαι, id est, Et maturum ad intelligendum.

Qui comedit.] Hebr. ויאכל. Græcus reddidit pluraliter, καὶ ἔφαγον, id est, Et comederunt.

EXPLANATIO.

Duobus præcedentibus capitibus Moses quod generis humani primordia concernit, quomodo, & quàm illustri conditione creati sint primi nostri parentes, quam potestatem super omnia animantia acceperint, quàm arctè in unam sint carnem coniuncti, & in paradisum uoluptatis collocati: deniq; quid præcepti de arbore scientiæ nõ tangenda acceperint, & quomodo nudi cum essent, haudquaquã erubuerint, ex ordine paucis quidem, uerùm satis luculenter exposuit. Iam cõsequenter incipit hoc capite commemorare, quomodo illi sese erga præceptum creatoris inobedienter gesserint, eamq; ob causam pœnas condignas incurrerint. Sunt autem tres huius capitis partes, satis luculenter distinctæ. Prima peccatum, secunda condemnationem, tertia ejectionem è paradiso, primorum nostrorum parentum cõtinet.

PARS PRIMA.

Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.] Prima hæc capitis huius pars est, complectens tentationem, seductionem, transgressionem, & cõfusionem. Hanc descripturus orditur ab organo, per quod satan mulierem primùm tentauit, & ab obseruantia uerbi Dei seduxit. Hoc organum tentationis dicit fuisse serpentem. Illi tribuit quòd callidior fuerit cunctis animantibus terræ. Est sanè animal hoc etiamnum callidum & astutum: unde & Christus discipulis dixit, Estote prudentes sicuti serpentes. Nõ est autem anxiè disputandum, quæ tum fuerit serpentis calliditas. Meminit illius Moses eam ob causam, ut lectorẽ de astutia & uersutia futuræ tentationis præmoneat, quam is serpenti indidit, qui illo est tanquam malitiæ suæ organo ex permissione diuina abusus. Licet enim naturalem quandam calliditatem habuerit serpens iste, credibile tamen non est, potuisse illam ad subornandum præsentem hanc tentationem sufficere, sed accessisse illi instinctum & operationem tentatoris satanæ, linguam & uocem animalis huius dirigentis.

Tentatio.

Qui dixit ad mulierem, Cur præcepit uobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?] Habent ista principium tentationis. Declarat Moses, utrum ex duobus generis nostri parentibus satan per serpentem tentauerit, & quomodo principia tentationis concinnauerit. Qui dixit, inquit, ad mulierem. Ergo infirmiorem partem generis nostri tentatione est adorsus. idq; non sine callido consilio. Arbitrabatur enim, quod & accidit, mulierem facilius, maximè in absentia uiri, posse seduci, quàm uirum. Cur præcepit uobis Deus, inquit, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Sic serpens insidiosa quæstione tentationem orditur. Leguntur autem ista bifariam, propter Hebræas uocalas אף בי. Quidam sic: Num dixit Deus ne comedatis de omni ligno paradisi? Q.d. Putasne Deum hoc præcepisse uobis, ne de omni ligno paradisi edatis? ut emphasis sit in Elohim, in uoce DEVS, hoc sensu: Nequaquam credendum uobis est, hoc præceptũ esse Dei. Nouit enim Deus quantum utilitatis consequuturi sitis ex arbore scientiæ boni & mali: quod uidelicet futuri sitis quasi dij quidam, scientes bonum & malum. Hoc tantum emolumentum non poterit uobis Deus inuidere. Quare longè erratis, si putatis à Deo uobis hoc esse mandatum, ne de omni ligno paradisi comedatis. Alij sic: Cur præcepit uobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Hac lectione statuenda est uis emphatica in uocula Cur. Prior lectio negat esse à Deo præceptum, ne comederent de arbore scientiæ boni & mali. Posterior concedit hoc esse à Deo præceptum, & quæstionẽ mouet, cur id ab eo sit factũ. Insidiæ prioris lectionis in eo sunt, quòd quasi laudem Dei uindicans, negat illum tale quid præcepisse, quod tam insignem hominis commoditatem impediat. Neq; enim esse illum sic comparatum, ut homini aliquid inuideat, quod utile esse possit. Effectus est, ut suadeat inhibitionem hanc non esse uerbo Dei suffultam, sed esse errorem ac uanam opinionem, in qua nihil sit ueri. Finis est, ut edatur securè de arbore uetita, atq; ita aduersus mandatum Dei peccetur, ac genus humanum per inobedientiam de sublimitate gloriæ ac felicitatis acceptæ in omnis generis miseriam deturbetur, perq; peccatum in seruitutem satanæ conijciatur. Posterioris uerò lectionis ac sensus nequitia in eo est, quòd à muliere causam quærit, quare dixerit Deus, ne de omni ligno paradisi comederent: atq; hac quæstione siniſtram illi suspicionem de uoluntate Dei sensim instillat, ne forte non satis syncerè erga ipsos affectus usum arboris scientiæ boni & mali prohibuerit. Effectus est, ut suadeat nullum esse periculũ, si de arbore uetita comedant, imò plurimũ fore emolumenti. Finis idem quẽ in priore lectione assignauimus: transgressio uidelicet diuini mandati, & humani generis corruptio & perditio. Priore lectione simulat se impostor esse amicũ Dei, ac gloriam illius uindicare aduersus falsam opinionem de præcepto quodam, quod putetur esse illius, conceptam. Posteriore simulat se bene uelle homini, & cupere ut ad diuinitatis gloriam ascendat, ac simul Deo coram muliere detrahit, illumque de inuidia accusat, immò uerbum eius mendacij arguit.

Bifariam ista leguntur, אף בי

Insidiæ, effectus ac finis prioris lectionis.

Insidiæ, effectus, ac finis posterioris lectionis.

Vterq;

Vterq; sensus talis est, ut teneri possit citra periculum. Verùm quamuis prior plus habet astutiæ & calliditatis, posterior tamen germanior esse uidetur, cum quod hæ duæ uoculæ אַף כִּי magis sonant. Quare, Ad quid, uel ut Græcus reddidit, τί ὅτι εἶπεν ὁ θεὸς, id est, Quid est quod dixit Deus, quàm An, uel num: tum quod recens odium satanæ aduersus Deum conceptum magis exprimitur hoc sensu, quo præceptum illius malignè diuexat, & uoluntatem eius erga hominem inuidentiæ accusat. Et alioqui nõ ignorabat Adæ & Euæ constare certò, quid ipsis & à quo esset præceptũ. Quare, meo iudicio, non hoc agit, ut id uocet in dubium, sed magis huc incumbit, ut rationem & causam præcepti inuertat, & uerbum Dei mendacij arguat. Nam etiamsi Eua præceptum hoc non ex ipso Deo, sed ex Adamo audisset, sicuti nonnullis uidetur, haud tamen sperandum erat serpenti, fieri posse, ut Adamo per mulierem persuaderetur, præceptum hoc non esse Dei, quod ille Dei esse certò sciebat.

Vtra sentẽtia tenenda uideatur.

Videtur אַף כִּי *Germanismo nostro melius exprimi quo dicimus, gwar warumb, quàm si uertamus, ad quid?*

Cui respondet mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, uescimur, de fructu uerò ligni, &c.] Dimidiũ propositi sui obtinuit satan, ubi mulierem ad colloquendum induxit. omnem operam perdidisset, si statim initiò non auditus, sed fortiter reiectus fuisset. Iam ubi mulier colloquium cum serpente, quasi ami eo animali commiscet, redditur incauta & seducitur. Quoniam serpens quasi uices hominum dolens de ratione præcepti Dei quæsierat, declarat illam mulier simpliciter dicẽs, Vescimur quidem de arboribus paradisi, uerùm de arbore quæ est in medio paradisi, præceptum nobis est, ne uescamur: neue hanc tangamus, ne mortem ex illius contactu incurramus. Sic & uerba præcepti Dei, & rationem illius serpenti cõmunicat, quasi ista non cognouerit antea. Ea erat mulieris incõfiderantia, satanæ ad seducendum exposita. Arbitrabatur serpentem simpliciter sine dolo hanc mouere quæstionem, ideoq; & simpliciter sine ulla cautione respondet.

Illud, Ne forte moriamur, in Ebræo est פֶּן תְּמוּתוּן, id est, ne moriamini. Nam mulier nõ sua, sed Dei uerba recensет. Ideo sic legendũ est: Et de fructu ligni quod est in medio paradisi, dixit Deus, ne comedatis ex eo, & ne tangatis illum, ne moriamini. Quare friuolũ est, quod nõnulli hic scribũt, protulisse Euã ista cum dubitatione, quasi iam de comminatione Dei hæsitare cœperit, ideoq; non dixisse per asseuerationem, Ne moriamur: sed per hæsitationẽ, ne forte moriamur. Nec ipsa uocula פֶּן hanc dubitationem in scripturis necessariò includit, ut ubiq; sit uertenda per, ne forte. Nam multis locis sic usurpat, ut hanc hæsitationem non admittat. Sic Psalmo secundo: Osculamini filium inquit, פֶּן יֶאֱנַף, id est, ne irascatur, ubi spiritus sanctus non loquitur per hæsitationem, sed admodũ asseueranter, cõminationem iræ Dei non dubiam, sed certam proponens. Et Exod. 19. ubi præcipitur, ne sacerdotes & populus ad Dominum ascendant, additur, פֶּן יִפְרֹץ בָּם, id est, ne inualescat contra eos, uel, ne interficiat eos, ubi sanè non conuenit, ut legamus, ne forte.

Ne forte moriamur.

Psal. 2.

Exod. 19.

Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunq; die, &c.] Hic uirus suum effundit satan, idq; confidenter ac palàm. Sensit enim mulieris infirmitatem, inconsiderantiam ac mobilitatem. Contradicit aũt uerbis Dei sine ulla dissimulatione. Deus dixerat: Quocunq; die comederitis ex eo, morte moriemini. Satan contrà: Nequaquam inquit sic habet. Non moriemini. Neq; sic cõtentus arguisse Deum mendacij, addit etiam accusationẽ inuidiæ ac maleuolentiæ. Scit enim Deus, inquit, quod quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri, & eritis sicuti dij, scientes bonum & malum. Quasi dicat, fallit uos Deus. Prætexit inanem periculi metũ, ubi nihil est periculi. Nec facit hoc imprudenter, sed malo studio. Nouit enim, nõ solum esse uos, si ex hac arbore comederitis, morituros, sed & oculos habituros apertos, hoc est, futuros uos uidentes ac intelligentes rerũ, cognoscẽtes quid bonum sit, quid malum, adeoq; similes fore dijs. Hanc uobis felicitatem & gloriam inuidet, ideoq; inani mortis metu ab usu arboris huius absterret. Quare abiecto metu isto securè hac arbore utimini.

Apparet autem etiam ex his uerbis, non negasse serpentem uerbum Dei, sed de ratione illius fraudulenter quæsiisse. Quare non dicit, Nequaquam præcepit hoc Deus: sed, ut uerbis Dei contradicat, Nequaquam, inquit, morte moriemini.

Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad uescendum, & pulchrum oculis, &c.] Peracta tentatione subijcitur opus trãsgressionis. Ademerat serpens metũ mortis, deinde spem fecerat gloriæ, diuinæ propè similis, & scientiæ quoq; non uulgaris, qua sciretur quid bonum esset & quid malum. Cum ista mulieri adlubesceret, cœpit oculos ad fructũ arboris huius dirigere, deq; illo experimentum siue gustando parumper siue adorando sumere. Et ubi cognouit esse illum bonũ ad uescendum, (suspicabatur enim ideo esse uetitũ, quod bonus non esset ad edendum, sed noxius) & præterea elegantẽ aspectu, adhæc, propter scientiæ promissionem desiderabilem, misit manum suam, tulit de illo & comedit. Et quoniam nihil incõmodi sentiebat, dedit de illo & uiro suo quod ederet, dubio procul eam ob causam, ut & ipse edendo uerum esse experiretur, quod ex serpente auditum reipsa compererat. Putabat se egregium aliquod reperisse bonũ, quod de arbore uetita sine periculo comedisset. Quare uolebat & uirũ illius reddere expertum. Qui & ipse comedit, inquit Moses. Sunt qui arbitrantur Adamũ ex eo motum esse ad comedendum, quod mulieri post fructus huius esum nihil incommodi accidisse cerneret: quasi inde & ipse de uerbo Dei hæsitare cœperit. Verùm hæc sententia non bene conuenit uerbis Apostoli, qui disertè dicit, mulierem esse deceptam ac seductam, uirum uerò nequaquã. Quare credibilius est, uoluisse eum mulieri instanti, & ad esum fructus huius improbius impellenti, edendo gratificari. Nam omnino uerbis Euæ ad ruinã est impulsus, teste Deo ipso, qui infrà dicit: Quia audisti uocẽ uxoris tuæ, & comedisti de ligno, &c.

Opus seductionis ac transgressionis.

Quid Adamum mouerit.

Et aperti sunt oculi amborum: cumq; cognouissent se esse nudos.] Vbi Adam quoq; comedit, ac præceptum

Confusio.

Dei transgressus est, absoluta fuit ista inobedientia, & efficax facta, ad inferendam humano generi ruinã. Dei illa igitur nunc consequenter meminit Moses. Et aperti sunt, inquit, oculi amborũ. Non loquitur de oculis corporis, sed mentis. Neq; enim antea corpore cæci fuerant. Nec sic de oculis mentis loquit, quod ante transgressionẽ mente fuerint obtenebrata, sed quod bonũ innocẽtiæ & obedientiæ nõ obseruassent, immò in ipsa tentatione ac transgressione oculos mentis fascinatos habuissent, ut nõ animaduerterent in quantã miseri ruinam & se & posteros suos conijcerent. Quare quoniã peracta transgressione fascinatio illa mentis ablata est, & sentiri cœpit cõscientia peccati, ac nuditas ipsorũ uideri turpis ac pudenda, quæ antea nihil habuerat inhonesti, unde fuisset erubescendum, dicit Moses, quod oculi ipsorũ post peractam transgressionẽ sint aperti, & quod se nudos esse cognouerint. Fuerant & antea nudi, quales uidelicet erant conditi: uerùm sicut & in calce præcedentis capitis dictũ est, nullo nuditatis suæ pudore afficiebantur, utpote in statu adhuc innocentiæ constituti, nec ullius peccati conscientia corrupti. Post peccatũ uerò, cum pudore se nudos esse, hoc est, gloriã innocentiæ amisisse cognouerunt. Hoc turpitudinis sensu impulsi, consuerunt sibijpsi perizomata, id est, præcinctoria, quibus pudendam suam nuditatem obuelarent. Ea cõcinnarunt ex folijs ficulneis, uel quod propter latitudinem ad id instituti uiderentur non incõmoda, uel quod tum forte fortuna ad manũ essent expositа. Sunt qui hinc colligant, arborẽ hanc uetustam, fuisse ficum, uerùm coniectura ista nihil habet certi. Neq; uero simile est Adamũ de hoc fructu coram arbore illius comedisse. Nam, quoniã interea dum mulier per serpentem seducta de uetito fructu comederet, ille absens erat, credibile est mulierem relicta arbore hac unde comederat, & ablato secũ illius fructu, ad illũ alibi existentem cõtendisse, ibiq; quæ hic à Mose de folijs ficulneis cõmemorantur accidisse.

QVAESTIO PRIMA.

An serpens iste uerus fuerit serpens uel fictus.

Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.] Poterit principio quæri, fuerit ne serpens iste uerus serpens, uel spectrũ aliquod assumpta serpentis figura, serpentẽ se falso simulãs. Mirũ uidẽt, quod serpens mulieri nõ uno aut altero uerbulo, sed iusto ac intelligibiliter distincto sermone locutus, immò non simpliciter loquutus, sed astutè percontatus, & uerbis Euæ callidè respondisse scribit. Vnde imperitis poterit oriri suspicio quòd serpens hic nõ uerus, sed fictitius fuerit. Verũ hanc suspicionẽ ipsa uerba quibus Moses historiã hanc orditur, manifestè reijciũt. Neq; enim simpliciter dicit, Serpens dixit ad mulierẽ: Cur præcepit uobis Deus, &c. sed quædã de serpẽte hoc præmittit, unde satis perspicuũ facit, loqui se nõ de fictitio aliquo, sed uero & à Deo unà cũ alijs terræ bestijs cõdito serpente. Dicit enim: Et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Deus. Ergo serpentẽ hunc cõnumerat animantibus terræ quæ Deus fecerat. Et ut se de naturali illo ac uero serpente loqui declaret, subiungit, Et dixit ad mulierẽ. Simplicitas huius cõtextus nõ patitur, ut eorũ quæ cõmemorant fiat diuisio, qua priora uero, sequentia, quæ uerba serpentis cõcernũt, falso ac simulato serpenti tribuant: sed necesse est, ut integritas huius descriptionis uero & à Deo condito serpenti adscribatur. Et ipsa pœna serpenti inflicta qua sic est condemnatus, ut super pectus suum ingrediatur, terram comedat, & muliebri præsertim sexui sit exosissimus, non potest ferre, ut uel fictitium uel fabulosum serpentem fuisse dicamus.

Dices adhuc: Et quomodo fieri potuit, ut uerus & naturalis serpens humana uoce & lingua loqueretur, cum facultas loquendi nõ sit bestiarum, sed usq; adeò hominum duntaxat, ut nonnulli illam tanquã proprium ac differens ad hominis statuendam definitionem usurpent? Respondeo: Loquitur quidem Moses de uero ac naturali serpente, uerùm ex eo non conuincitur, loquutum esse serpentem propria facultate: immò magis innuitur, actum illum esse instinctu & operatione alienæ cuiusdam uirtutis: quandoquidem ut bestialem, ita & serpentinam facultatem excedit, quod animal hoc humano more mulieri loquutum scribitur. Non inueniuntur autem, qui id præstare queant, nisi primũ homines, qui hoc doni à Deo acceperunt: deinde Deus ipse, qui quod alijs præstat, ipse multo melius perficere potest: tertiò spiritus illi, quos Deus ad hoc creauit ut essent administratorij spiritus, qui homini ad imaginem Dei condito seruirent. Illi quidem statim initiò diuisi sunt in bonos & malos, cum essent omnes à Deo bene cõditi. Nam pars in ueritate nõ sterit, sed defecit ab ea felicitate ac bonitate, ad quam erat creata, Ioan. 8. Nihilo tamen minus utraq; tam mali quàm boni spiritus hanc loquendi cum homine & uel formas uisibiles induendi, uel uera, naturalia, uiua, uisibilia & à Deo condita corpora ingrediendi & impellendi facultatem secundum naturæ suæ subtilitatem & energiam ad hoc retinuerunt ut sint diuinæ operationis ac uoluntatis, siue iræ siue gratiæ efficaces ministri. Iam quoniam serpens hic non est ex propria, sed aliena facultate mulieri loquutus, quid restat aliud, quàm esse eum impulsum & actum, uel humana, uel Dei, uel bonorum, uel malorum spirituum uirtute? Humana impelli non potuit. Nam duo illi homines Adam & Eua, qui tum adhuc soli erant, non erant eius rei quæ agebatur prudentes & intelligentes, nedum actores. Neq; consentaneum est, ut etiamsi demus hanc illis uirtutem, ut facultatem loquendi bestijs dare potuerint, ut hanc serpenti in causa ipsis exitiosa dederint. Neq; possumus ulla ratione quod hic factum est uirtuti & operationi Dei assignare, ac dicere, loquutum esse hunc serpentem impulsu & instinctu Dei. Neq; enim ipsa tentatio, neq; diuini præcepti transgressio, nec pœna subsequuta ferre possunt, ut Deus credatur per serpentem mulieri isti tanta esse fraude, malitia & impostura loquutum, ut planè impium sit quod Ophitæ de hoc serpente senserunt. Nec dici potest, bonum hoc fecisse angelum. Nam res ipsa non fidelem Dei ministrum, & angelum φιλαγάθωπον, sed magis hostem Dei, & propter Deum, humanæ salutis inimicũ prodit, eumq; non germanè & utiliter, sed peruersè & exitiosè callidum, immò mendacem & impostorem. Quare non potest aliter in hac causa statui, quàm

esse

A esse serpentem istum maligni dæmonis & diuinæ & humanæ naturæ aduersarij uirtute & instinctu sic actum, ut humano more cum muliere de ratione præcepti Dei fraudulenter conferre, & uerbis mendacibus miseram & incautã à sinceritate diuinæ obedientiæ seducere potuerit, ut nihil sit nisi calumnia quod Iulianus apostata dicit: Quonam idiomate serpentem, qui cum Eua loquutus est, usum esse dicemus? & quid differunt hæ fabulæ ab his quas Græci finxerunt? Nam & ea quæ in ipsorum historijs de Xantho equo Achillis, qui hero suo mortem prædixerit Iliad. 19. de Causo Fluuio qui Pythagoram salutauerit, de arbore Apollonio loquuta, de Dodonæa quercu, uoce humani eloquij usa, deq; tauro Iouis in insula Rhodo qui uerbis humanis uti potuerit, scripta leguntur, non fabulosa, sed uera uideri possunt, ut quæ & ipsa malorum sint spirituum instinctu facta. Et hic satanæ impulsus nihil de natura serpentis huius detriuit, quo minus uerus esset & naturalis serpens: quemadmodum neq; asini Bileam natura per hoc imminuta fuit, quod opera angeli Dei humana uoce hero suo loquebatur: neq; uates illi, qui afflatu dæmonum impulsi futura prædicunt, ueri homines, quod humanam naturam concernit, esse desinunt. Hæc uolui propter rudiores paulo fusius commemorare, quo simplicitas ac ueritas uerborum Mosi immota retineatur: quorum contextus sic est comparatus, ut diuersam opinionem ferre nequeat.

QVAESTIO II.

Secundò, quærunt hic nonnulli, quare Deus angelum hunc condiderit, quem sciebat fore malum. Deinde, quare illi permiserit tentare hominem, cum tentationis huius euentum non ignoraret? Verùm ab huiusmodi quæstionibus quibus opera, consilia, & iudicia Dei in ius uocantur, & homines in illa inquirunt, quare hoc fecerit, qua de causa illud & illud permiserit, pijs mentibus religiosè abstinendum esse iudico. Sunt enim opera & consilia Dei adoranda magis quàm temerè scrutanda. Culpari non potest, quod non solum uasa gratiæ, sed & uasa iræ, & sicut scriptura dicit, impium quoq; ad diem malum, pro libera uoluntate ac potestate, deniq; & inscrutabili sapientia facit. Angelum fecit creatione non malum, sed bonum: qui ubi relicto bono ad malum se conuertit, non creatoris, sed suapte culpa factus est malus, & tanquam malus iustissimo iudicio ad ima proiectus. Hac sobrietate sentiendi de creatore spirituum, contentus erit pius animus: & si qua sunt secretiora consilia Dei non inuestigabit, sed è longinquo adorabit. Sic sentiendum est & de reprobis hominibus, uasis iræ, paratis ad interitum, qui & ipsi non creationis, sed accessoriæ corruptionis uicio deprauati nihil habent unde creatoris bonitas & sapientia meritò culpari, habent uerò unde iusti iudicis seueritas & iusticia ritè considerari timeriq; possit.

B Ad id uerò, quod hominem tentari à satana permisit, cum sciret eum lapsurum, quid respondendum sit ab illis, qui ista sobriè inspiciunt, admonui in Locis nostris ubi de lapsu hominis quædam annotaui. Qui Christiani sunt consiliũ Dei in restauratione generis humani quæ per Christum est parta haud obscurè deprehendunt, quatenus ad pietatem & gloriam Dei illius facit cognitio: ideoq; de illa magis gratias agunt restauratori, quàm de causis tentationis huius permissæ inquirunt.

QVAESTIO III.

Quare Moses nullam faciat satanæ mentionem.

Tertiò. Quærunt aliqui, quum satan per serpentem tanquam organum à Deo permissum loquutus sit mulieri, quare scriptura de authore & operatore quoq; tentationis huius tacens, de serpente tantum commemoret. Poterat enim manifestè dicere Moses: Sed satan erat omnium à Deo conditorum callidissimus, & dixit ad mulierem, &c. Vel certè id commemorare, quod serpens iste non naturali facultate, sed instinctu & operatione prolapsi angeli loquutus sit mulieri. Iam ne uerbo quidem mali huius authorem indicat, sed sic de organo illius serpente hoc loquitur, quasi ille quicquid huius est suapte malicia & facultate perfecerit. Ad hanc quæstionem respondent nonnulli, uoluisse spiritum sanctum ista sic inuoluere & obtegere, ut ei luci reseranda seruarentur, quæ in toto orbe per Christum regni tenebrarum erat detectura & manifestatura maliciã, & omnia sacræ scripturæ apertura mysteria. Planè sic est. Simul tamen & illud cogitare conuenit, noluisse Mosen simplicitatẽ externæ historiæ excedere, sed id quod gestum est in paradiso, ea forma externa describere, qua externè est per uerum ac uisibilem serpentem gestum. Deniq; quoniam nullam fecerat inuisibilium spirituũ mentionem, & nec de creatione nec de lapsu illorum aliquid dixerat, non conueniebat ut hoc loco de satana quicquam adferret.

QVAESTIO IIII.

Quid satanam mouerit, ut primos homines seduceret.

Sap. 2.

Quartò, quoniam nihil fit sine causa, præcipuè in rebus tam grauibus tantoq; studio concinnatis, haud præter rationem quæritur, quid satanam, angelum illum prolapsum ad hoc mouerit, ut in tantam ruinam primos nostros parentes subdola hac tentatione ac seductione prosternere uoluerit. Assignant hic alij inuidiam, alij superbiam, alij inimicitiam aduersus Deum & omnia illius opera & consilia conceptam, Scriptura dicit, per inuidiam diaboli ingressam esse mortem in hunc mundum. Non est inuidia ulla sine causa. Causæ inuidiæ sunt, uel superbia, uel malicia agnata, uel obstinata inimicitia. Nihil impedit, quo minus hæ causæ in satana concurrerint, quibus ad inuidiam permotus, seductionem hanc concinnauerit. Superbia uidetur hic ueluti radix quædam & principium omnis mali angelum hunc peruertisse in malum, hostem, & osorem Dei & hominum. De hac superbia bifariam loquuntur. Alij sentiunt de ea qua se aduersus Deum erexerit, illiq; similis esse uoluerit. Huc applicant ea quæ Esaias de regis Babel interitu capite 14. scribit dicens: Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram, qui uulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cœlum ascendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Alij arbitrantur angelum hunc superbia correptum

aſpernatum eſſe conditionem miniſterij, quam ſpiritibus cœleſtibus ad hoc Deus impoſuit, ut hominibus ſeruiant, quaſi indigna res ſit, creaturam potiorem, firmiorem, ac cùm natura tum uirtute ſublimiorem miniſtrare inferiori, imbecilliori, & humiliori, eamq; eſſe ob cauſam ex ordine reliquorum angelorum cum ſuis cõplicibus ad ima de ſublimi deturbatum. Siue illa, ſiue iſta ſuperbia angelum hunc peruerterit, omnino ex illa poſt conditionis ſuæ ruinam factus eſt & hoſtis Dei, id quod uerba tentationis ſatis ſpirant: & oſor generis humani, quod facinus ſeditionis huius palàm declarat, quo hominem non ſolum gloria diuinæ imaginis, quã illi inuidebat, malicioſe priuauit, ſed & in omnimodum coniecit exitium. Ad horum radicem ſuperbiã & illud pertinet, quod abſq; ulla controuerſia ſpiritus iſte perpetuò diuinos appetit honores. Vult adorari & coli, uult eſſe princeps mundi, gaudet ſacrificijs, cultibus, templis, aris, &c. Vnde ſatis liquet, non eſſe uanum, quod propter ſuperbiam cœlo deturbatus creditur. Maliciam illius arguit, quod mendax eſt & homicida ab initio, Ioann. 8. quare ſeductionibus, mendacijs, impoſturis, perditione, & exitijs delectatur. Talis cum ſit, facilè intelligi poteſt, eſſe eum ſuperperbia, malicia, odio, & liuore motum, ut facinus hoc ſeductionis ad perdendum, ſibiq; ipſi ſubijciendum genus humanum præſumpſerit.

QVAESTIO V.

Quare ſatan ad ſeducendum Euam ſerpente ſit uſus magis quàm alia quapiam beſtia.

Quintò quæritur, quare Satan ad tentãdum mulierem uſus ſit ſerpente potius quàm alia quapiam beſtia. Auguſtinus quæſtionem hanc paucis explicat. Dicit non potuiſſe Saranam per aliam quampiam beſtiam tentare mulierem, quàm per eam, quæ ipſi diuinitus permittebatur, quandoquidem ne ad tentandum quidem niſi permiſſus accedere potuerit. Verum hoc eſt. At interea quæritur adhuc quare permiſſus illi ſit ſerpens. Meo iudicio, permiſſus illi ſerpens eam fuit ob cauſam, quod opera illius ipſe primùm uti cupiebat. Quemadmodum enim ſuapte malicia, non aliunde uel inductus uel actus, tentationis facinus molitus primùm, deinde permiſſus tentauit: ita & ſerpentis huius operam ipſe prius expetijt, ac tum demum permiſſus uſurpauit: perinde atq; in Euangelio de malis ſpiritibus legimus, qui porcos ingreſsi in mare præcipitarunt. Si rogatus quare hoc facere uoluerint, non ſatis plenè reſponderis, ſi dixeris ideo, quod id illis eſſet à Domino permiſſum. Permiſſum quidem hoc illis fuit (alioqui non potuiſſent) uerùm permiſsionem hanc uoluntas & petitio ipſorum præceſsit. Aliud eſt oſtendere rationem, quare potuerint: & aliud, quare uoluerint. Sic quoniam hoc loco non quæritur, quare mulierem Satan per ſerpentem tentare potuerit, ſed quare ſerpentis opera ad id facinus præ alijs beſtijs uti uoluerit, uidetur Auguſtini reſponſio non explicare quod quæritur. Quare rectius ad quæſitũ reſpondebitur, ſi ipſa uerba Moſis conſuluerimus. Is cum dicit, Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus: meo iudicio ſatis indicat, eſſe hanc beſtiam tanquam organiũ ſeductioni accõmodum eam ob cauſam præ reliquis omnibus animãtibus electam, expetitam, & ub permiſſa eſt, uſurpatam, quòd eſſet cæteris omnibus callidior ac uerſutior. Quid autem inſtructius eſſe poterit ad fallendum, quàm id quod ſingulari eſt calliditate ad mentiendum, fingendum, ſimulandum ac diſsimulandum quiduis præditum? Quare ſatan non potuit commodiorem beſtiam ad perficiendum quod moliebatur eligere, quàm ſerpentem, qui calliditate ſua reliqua animantia cuncta ſuperabat, ut mirum non ſit, quod operam illius elegit, magis quàm ouis, uel columbæ. Accedit & illud: Quoniam ſerpens ſic erat conditus, ut naturali eſſet calliditate & prudentia præditus, minus erat ſuſpectum in eo ſatanæ opus. Videbatur enim quod agebatur ſerpentina, hoc eſt, naturali huius animantis geri prudentia, quæ opinio locum in oue uel columba non habuiſſet. Itaq; ſic utebatur ſatan callidiſsimus hoſtis opera callidiſsimæ beſtiæ, ad ſeducendum mulierculam, ut & huius ipſe linguam dirigeret, & ſimul actum & inſtinctum ſuum natiua beſtiæ prudentia celaret, & à ſuſpicione diabolicæ fraudis & operationis uindicaret.

QVAESTIO VI.

Quare mulier non abhorruerit à colloquio ſerpentis.

Sextò, quæri poterit quomodo factum ſit, ut mulier à colloquio ſerpentis nõ abhorreret, ſed illi tam facilè abſq; ulla tergiuerſatione ad quæſita reſponderet. Primùm, credibile eſt eſſe uerum quod nonnulli annotant, non fuiſſe hanc ſerpenti corporis formam, quæ nunc eſt. Quod enim pectore ad tellurem depreſſo tractuq; difficili humi ſerpit, non eſſe id ex creatione, ſed ex ultione Dei, infrà hoc capite patet, ubi illi dicitur à Deo: Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia terræ. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus uitæ tuæ. Quare colligitur fuiſſe ſerpentem initiò corpore erecto, uultu blando, aſpectu iucundo, nec cauda uenenata terribilem, qualis nunc eſt. Deinde & illud certum eſt, non fuiſſe initiò inimicitiam hanc inter ſerpentem & mulierem, quæ nunc eſt. Nam & illa ultionis loco inflicta poſt peccatum eſt, dicente Deo, Inimicitias ponam inter te & mulierem. Quare non fuit ulla ratio, ob quam mulier ſerpentis huius colloquium exhorreſceret. Immò uidetur hic ſerpens ſingulari ſeſe familiaritate ante tentationem hanc mulieri inſinuaſſe, ſiue id naturali ſit primùm ſtudio factum, & ex eo ſatanæ oblata occaſio: ſiue ſatan ſic beſtiam aliquandiu antea inſtinctu & actu ſuo ad familiaritatem cum muliere ineundam permouerit ac direxerit, ut poſtea in ipſo tentationis opere facilius admitteretur, & admiſſus incautam falleret ac ſeduceret. Neq; enim firmum eſt, quod quidam tentationem hanc mox altero poſt creationem die, ſabbato uidelicet, factam eſſe ſcribunt. Non uideo quid prohibeat, quo minus primos noſtros parentes aliquandiu in paradiſo in ſtatu innocentiæ ante peccatum conuerſatos eſſe credamus. Verùm cum nemine hac de re contenderim. Simpliciter adfero, quæ ad præſentem quæſtionem partim certa, partim probabilia reſponderi poſſe uidentur.

A dentur. Cyrillus arbitratur mulierem ob id non horruisse alloquium serpentis, quod pro simplicitate sua existimaret forsan & alijs esse datum animantibus, ut humana uoce loqui possent.

OBSERVATIO I.

Quod capitis huius summam attinet, obseruandum est, quod parentes generis nostri ne paradisi quidem prærogatiua, quantumuis singulari & eximia, tuti fuere contra tentationes sataneæ. Nemo ergo, quouis terrarum loco constitutus, aliquid sibi securitatis respectu loci sancti polliceatur. Si quisquam locus in hac terra sanctitatis prærogatiuam meretur, cumprimis paradisus ille, innocentiæ statui deputatus, hanc sibi gloriam uindicare potuit. At in illo quoq; reperitur satan tentator, serpens sataneæ organũ, homo seducitur, contra præceptum Dei delinquitur, & humani generis salus ac felicitas pessundatur.

Nec paradisus liberos reddidit à tentatione.

Deinde considera, quàm non feliciter cesserit homini tentatio quæ illata est in horto deliciarum. Tentatus est & Christus, ab eodem uidelicet generis nostri hoste, uerùm non in paradiso, sed in loco uasto & deserto constitutus. Tentatus est inquam, sed non uictus. Malè cesit tentatori, quod in solitudine contra filium Dei moliebatur. Magna differentia primi hominis & secundi. Magnum discrimen intercedit inter paradisum & solitudinem, inter locum uoluptatis, & locum ieiunij. Vtrobiq; quidem tentator malitiæ suæ uires experitur, sed longè dispari euentu. Nihil damus locorum discrimini, sed eos ad cautionem hortamur, qui in sublimi, delicijs, & rerum prosperitate uelut in paradiso quodam terrestri degunt, ut sibi caueant, ne quod felicitatis esse uidetur, ad infelicitatis occasionem astu sataneæ peruertatur.

Tentatio in horto deliciarum nõ ceßit feliciter.

OBSERVATIO II.

Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.] Obseruandum hic est, quæ sit maligni spiritus uis & efficacia, in eo quod non solum quorumuis animalium, & hominum quoq;, figuras induere, simulare, & oculis mortalium decipiendi uel terrendi gratia obijcere, sed & ipsa corpora uera ac uiua, à Deo cõdita, permissus à Deo, ingredi, occupare, & uel ad exitiũ impellere, sicuti factum est cum porcis: uel in organa maliciæ suæ peruertere, quemadmodum hic serpenti accidisse uidemus. Est hæc illius uis & operatio studiosissimè cauenda, ne uel inanibus illius spectris & illusionibus, uel organis qualibuscunq; decipiamur ac lædamur. Timore Dei & fide infracta opus est, qua sub custodia Dei degentes seruemur, ne impostoris uaferrimi & callidissimi spiritus à gratia Dei abducamur. Singularis est exercitij non solum inania sataneæ spectra & ludibria, sed & uiua illius organa, siue animantia siue homines ritè cognoscere, & in illis nequitiam, illius fraudem, & diabolicam operationem olfacere. Quare summopere necessarium est, ut quemadmodum à seruatore nostro Christo instruimur, indesinenter ad patrem
B nostrum qui in cœlis est clamemus & dicamus, Ne inducas nos in tentationẽ, sed libera nos à malo: hoc est malicioso, uersuto, & nequam spiritu, qui electos Dei innumeris modis, formis, & generibus tentationum astutissimè adoritur.

Quanta sit uis diabolicæ operationis.

Deinde cõsiderandum est, quale sibi organum ad concinnandam hominis seductionem eligat satan. Elegit serpentem, animal præ omnibus alijs terræ bestijs subdolum, prudens, & astutum. Hoc artificio utitur perpetuò. Vbi persequutione & uiolentia opprimendi sunt electi, elegit leones, homines in seculo potentes, & iuxtà crudeles & immanes, utpote Pharaones, Nerones, Diocletianos, Maximinos, &c. Vbi non aperto, sed subdolo Marte impugnandi & obterendi sunt fideles, eligit uulpes, Herodes, & Iulianos. Vbi astu, prudentia & eruditione seducendi sunt simplices & incauti, eligit serpentes, homines colubrinos, iuxta seculum doctos & sapientes, quorum opera simplicem uerbi Dei ueritatem falsis expositionibus & glosis inuertat, Deumq; mendacij accuset. Si placet specie sanctimoniæ & iustitiæ imponere fidelibus, subornat hypocritas, pharisæos, monachos, &c. Hic est cursus sataneæ, in quo innumeris formis & modis & Deo aduersatur, & salutem mortalium subuertere conatur. Inter omnia autem sataniæ nequitiæ organa nocentissimi sunt, qui ad hoc sunt docti & sapientes, ut ueritatem uerbi Dei ex animis simplicium auferant, & mendacium loco illius substituant. Et utinam non seruant huc plurimum scholæ illæ, quæ Antichristo sunt iuratæ, & plus mystis suis de Aristotelica quàm Christi philosophia imbibendum propinant.

Qualia sibi organa ad perdendum genus humanum eligat satan.

OBSERVATIO III.

Qui dixit ad mulierem.] Nota quomodo uerbo Dei succedat uerbum diaboli. Hactenus audierat homo loquentem Deum. Iam subsequitur aduersarius Dei, serpens ille antiquus, & superseminat suũ uerbum, quo uerbum Dei in corde hominis corrumpat & supprimat. Præcedentibus primis capitibus frequenter occurrit illud, Et dixit Deus, iam initio tertij huius audimus, & dixit serpens, à quo subiungitur uerbum nouum & antea inauditum, uerbum non conforme priori, sed prorsus dissimile & diuersum, imò contrarium, uerbum aduersarij Dei. Ita solet ille ad finem usq;. Habet & ipse os loquendi, habet sapientiam in speciem simplices instruendi. Verbum uerbo opponit, ueraci ac salutari mendax & pernicio sum. Quare nemo securus sit ubi cœlesti gratia uerbum Dei audire datur, quasi nihil sit periculi, nec aliud uerbi genus unquam sit subsequuturum. Experti sunt hoc sataneæ ingenium Apostoli, quorum uestigia pseudapostoli pertinacissimè sunt insequuti, qui uerbo Euangelij Dei, uerbum serpentis antiqui callidissimè superseminarunt, unde Corinthijs Apostolus plurimum metuebat 2. Cor. 11. Est itaq; summopere necessarium etiam hodie, ut in fide & in cognitione uerbi Dei, quod à Christo & Apostolis accepimus, constanter perstamus: perq; illius lucem insidiosum antiqui serpentis uerbum cognoscamus, & cognitum fugiamus, quocunq; illud nomine uocetur, quacunq; specie, potestate & authoritate Apostolicæ doctrinæ opponatur. Habet & Antichristus uerbum, habet doctrinam, habet Apostolos

Verbo Dei succedit uerbum diaboli.

Tertullianus de præscriptione hæreticorũ: Ex ipso ordine manifestatur id esse dominicũ & uerũ, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.

suos habet doctores. Ne fallamur fratres, probate illius uerbum, ac diligenter cum doctrina Christi & Apostolorum conferte.

Infirma nostra tentat satanas.

Deinde & illud considerandum est, quod serpens iste, organum diaboli, non Adamum, sed mulierem uerbo seductionis tanquã infirmius uasculum, idq; in absentia mariti, seorsim absq; patrocinio constitutam aggreditur. Sic infirma nostra tentat, & quæ propter simplicitatem seductioni magis sunt obnoxia, uerbo mendaci adoritur. Huius astutiæ ministri sunt fratres subintroeuntes, captiuas ducentes mulierculas peccatis oneratas.

Ambrosius annotat hoc loco, maluisse serpentem tentare mulierem potius quàm Adamum, propterea quod sciret Adamum ex ipso ore Dei audiuisse, quæ de ligno scientiæ boni & mali erant præcepta: mulierem uerò, ut quæ tum nondum esset condita, cum hoc præceptum à Deo præscriberetur, non ex ore Dei, sed ex Adamo cognouisse quæ hac de re utcunq; tenebat. Sane difficile est persuadere diuersum ei, qui de uerbo Dei perinde factus est certus, ac si illud ex ore Dei prolatum acceperit. Quanquam uero simile est, & Euam præceptum hoc ex ipso Deo cognouisse. Et licet plurimum sit discriminis inter eos qui à Deo ipso, & eos qui per homines de uoluntate Dei instruuntur (Nam in animis eorum qui non spiritu Dei cõfirmantur, haud parum infirmitatis uerbo Dei accidit ex eo, quod per hominem administratum, magis humanum commentũ quàm ueritatem Dei spirare uidetur) interea tamen impossibile non est etiam eos qui ueritatem ex ore Dei audierunt, ab eo posse per impostoram satanæ abduci, quod non simpliciter, sed cum admiratione quoq; & stupore certò cognouerunt. cuius rei in Israelitis luculentissimum reperitur exemplum, qui in uerbo quod in monte Sina magnis portentis prolatum ex ore Dei audierant, non perstiterunt. Quare coniectura Ambrosij, quam etiam recentiores nonnulli sequuti sunt, non ita firma est, ut diuersum teneri non debeat, quasi Eua propterea tentata sit à Satana, & facilius decepta, quod præceptum hoc de ligno uetito non ex ipso Deo, sicut Adam, sed ex Adamo tantum audisset.

OBSERVATIO IIII.

Quomodo satan uerbum Dei in quæstionem uocet.

Cur præcepit uobis Deus.] Expende, quomodo satan uerbum ac præceptum Dei in quæstionem uocare, illiusq; rationem à muliercula requirere præsumat: quasi necessarium illi fuerit, non solum scire quid præceperit Deus, sed etiam cognoscere quare sic præceperit. Erat illud nec mulieri nec serpenti scitu necessariũ. Serpenti quippe nihil erat præceptum. Quare ad illum non pertinebat præcepti huius cognitio. Homini præceptũ erat, sed huic satis erat ad præcepti diuini obseruantiã, scire quid esset à Deo concessum, quidq; ueritum, & quid incommodi allatura esset præcepti transgressio. Ista satis erant luculenter à Deo expressa. Quare meritò principium censetur inobedientiæ curiositas ista qua plerisq; non contenti, quod manifestè sciunt, quæ sit erga nos uoluntas Dei in uerbo illius expressa, inquirere etiam in illam præsumunt, & ad morem serpentis huius rationem exposcunt, quare Deus sic dixerit, & sic præceperit. Quibus si respondeas, ideo illum sic præcepisse, sic egisse, quia sic illi placuerit, impudentissimè ad secreta consiliorum Dei adita irruere molientes, quærunt etiam quare sic uoluerit. Huiusmodi nõ uulgarem, sed impiam temeritatẽ studiosissimè uitabit animus pius, cui satis est, ut cum Christo piè ac religiosè dicat: Quia sic beneplacitũ est apud te Matth. 11. & cum Apostolo serpentinæ isti curiositati occurrat, ac dicat: Tu quis es ò homo, immò magis serpẽs, qui respondeas Deo, & in uerbum illius inquiras?

OBSERVATIO V.

Quod nam potissimum uerbum Dei in quæstionem uocet satan.

Vt non comederetis ex omni ligno paradisi?] Vide hic, quod nam potissimum uerbum Dei in quæstionem rapiat serpens. Audierant etiam nonnulla alia ex ore Dei, quæ dixisse legitur, è quibus nihil hic adfert in medium. Illud uerò diuexat quod prohibitionem habebat, & in cuius transgressione fita erat humani generis perditio. Erat enim huius uerbi custodia, in quod inquirere præsumit, sub interminatione mortis præcepta. Hæc est consueta satanæ malicia, ut ea potissimum per organa nequitiæ suæ diuellat, diuexet, discerpat, concutiat, & si non potest aliud, dubia saltem reddat ac in disceptationem humanæ uel curiositati, uel incredulitati abijciat, sine quorum certa fide & obedientia salus nostra constare nequit. Sic nihil eorum quæ ad fidem ac religionem nostram necessariò pertinent, intentatum reliquit. Nimis notæ sunt hæreses illæ, quibus Ecclesia Christi multis est seculis miserrimè concussa ac labefactata.

Satan uerbũ Dei non citat bona fide, sed insidiose.

Deinde uide serpentinam astutiam. Cur præcepit uobis Deus, inquit, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Sic uerbum Dei non bona fide, sed insidiosè ac perfidè citat. Haud enim sic dixerat Deus, Ex omni ligno paradisi ne comedatis: sed contrarium potius, De omni ligno paradisi, inquit, comedatis. Verùm satan, ut animum mulieris ad respondendum inducat, & occasionem seducendi uenetur, obijcit illi simulationem amicitiæ ac beneuolentiæ, quasi sorti illorum, non admodum æquæ, condoleat, ideoq; quæstionem sic formet, ut uideatur nonnihil succensere Deo, quod omnium fructuum paradisi usum homini permittere noluerit. Sic reddebat illam ista beneuolentiæ simulatione incautam, & simul uerbum Dei aliter quàm ueritas habebat citando, responsum de præcepto hoc eliciebat, quod pro calliditate sua maligna interpretatione diuexare posset. Quare diligenter obseruandũ est hoc fictæ beneuolentiæ exemplum.

Fictæ beneuolentiæ exemplum.

Quod si uerè ac sincerè rebus Adæ & Euæ fauisset, dixisset potius ad hunc modum: Gratulor uobis hanc beneuolentiã Dei, qua estis ad illius imaginem conditi, domini totius terræ constituti, in hunc amœnissimũ locum tanquam totius orbis regiam collocati, omnium fructuũ qui hic nascũtur copiã & usum adepti. Quare quod de arbore scientiæ boni ac mali præceptũ est, ne de illo edatis, uidete

A uidere ut religiosè seruetis, ne per transgressionem illius omnem hanc gloriam & felicitatem amittatis, immo ineluctabile exitium incurratis. Hæc gratulatio, hæc admonitio, spiritum ueræ amicitiæ ac beneuolentiæ respuisset. Admoneamur hoc exemplo, ut fictam hanc & falsam beneuolentiam cane peius & angue detestemur, qua gratia Dei, tam opulenter humano generi præstita depreciatur, ipse benefactor in inuidiam rapitur, & quasi per condolentiã si quid apparet incommodi, impie aduersus Deũ diuexãt.

OBSERVATIO VI.

Incircunspectio Euæ locum præbuit tentatori.

Cui respondet mulier.] Considerandum hic est, quàm imprudẽter cõmiserit mulier quædam ad hoc faciendum, ut non solum locus daret tentatori, sed & ianua seductioni aperiretur. Primũ erat, quod sola sine cõiunctione mariti uagabat, & quod uero simile est in paradiso circueundo & cuncta illius inspiciendo curiositati ociosa seruiebat. Ea solitudo, & animi curiositas & ansam & locum tentatori præbuerunt, utræq; noxiæ, præsertim infirmis mentibus, quibus nulla æquè necessaria est cautio, quàm ut consortium eorum quibus à Deo sunt custodiæ gratia coniuncti indiuulse colant, & ab omni curiositate abstineant. Secundũ erat, quod non statim uerba serpentis respuebat. Poterat optimo iure serpentẽ à se abijcere, ac regerere, Quid tua refert, quid nobis & qua ratione præceperit Deus? Apage bestia. Sunt ista aliena à tua cõditione. Huiusmodi dexteritas decet eos qui sublimius de uerbo Dei sentiunt, quàm ut aures illis præbeant, qui de rebus Dei ad se nõ pertinentibus temere inquirunt. Non potuisset se mulier meliori compendio à fraude serpentis illæsam custodire, quàm si considerata propria infirmitate, deinde & religione uerbo Dei debita, tertiò & serpentis conditione, mox à se bestiam hanc abiecisset ac repressisset. Tertium erat, quod malitiosè percontanti serpenti per seipsam sine cõscientia mariti respondit. Quod si dignum arbitrabatur ut ad quæstionem serpentis responderetur, debebat hoc referre ad Adamum, quem habebat nõ solum maritum, sed & doctorem. Hoc si fecisset, dubio procul serpenti non successisset. Hoc exemplo admoneantur maritatæ ne colloquium misceant cum extraneis uiris sine conscientia maritorum: quam ferre non possunt, qui pudicitiæ coniugali insidiantur. Idem faciendum est & puellis innuptis, quarum pudicitia optimè custoditur, si cuncta referant ad conscientiam parentum. Sic in causa religionis, qui auditores sunt, omnis generis de religione quæstiones referant ad publicos Ecclesiæ doctores, si tales illi fuerint ut de doctrina & fide eorum nihil habeant quod querantur. Hac cautione qui simplices sunt maximè contra subintroeuntes Anabaptistarum fratres opus habent: qua neglecta, sicuti usuuenire uidemus, innumeri seducuntur, qui in ueritatis doctrina retineri poterant, nisi suapte uel temeritate uel curiositate moti aures impostoribus tradidissent.

B

OBSERVATIO VII.

Fugienda mendacij patientia.

De fructu lignorum quæ sunt in paradiso uescimur.] Vide quàm frigidè tentatori respondeat. Nimium erat patiens sataníci mendacij, quo serpens præceptum Dei peruerterat, & non sine calũnia dixerat: Cur præcepit uobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Hanc calumniam debebat zelo gloriæ Dei commota fortiter reprimere, ac dicere: Falsum est quod statim initio tam impudenter de Deo garris. Non prohibuit nobis usum arborum quæ sunt in paradiso, quemadmodum nugaris. Verùm quoniam zelo hoc ueritatis Dei destituta frigidius respondit, spem impostori fecit, fieri posse ut etiam manifestam contradictionem aduersus uerbum Dei eadem sit patientia latura. id quod & contigit. Quare cogitandum nobis est hoc exemplo, quàm uicini sint isti seductioni & defectioni, qui uel nihil ad manifesta mendacia contra uerbi Dei ueritatem illata, uel sic frigidè respondent, ut aduersarios ad ulteriora & & grauiora tentandum frigiditate sua ac præpostera patientia prouocent.

Cõiectura, quod aliquãdiu de fructu paradisi comederint Adã et Eua.

Illud obiter annotandũ uidetur, quomodo ex hisce uerbis Euæ, cum dicit, De fructu lignorum quæ sunt in paradiso uescimur, probabiliter colligi possit, primos istos homines iam aliquãdiu de fructibus paradisi, cum ista agerentur, comedisse, & hunc de illis edendi usum ac consuetudinem contraxisse. Sic uidetur uerborum istorum, Vescimur de fructu lignorũ quæ sunt in paradiso, simplex sensus significare fuisse illos iam aliquandiu in paradiso conuersatos, atq; ideo non esse satis firmum, quod quidam arbitrantur, tentationem hanc statim altero esse die post creationem mulieri obiectam.

OBSERVATIO VIII.

Quod Eua uerba Dei negligenter retinuerit ac recensuerit.

De fructu uerò ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne moriamur.] Obserua quod non dicit, De fructu uerò ligni scientiæ boni & mali, cũ sic esset arbor illa à Deo nũcupata: sed simpliciter, De fructu uerò ligni quod est in medio paradisi. Sic negligenter uerba Dei retinuit ac recensuit. Vnde sataníæ adhuc plus est occasionis datũ, detrahendi Deo, quasi uirtutẽ arboris huius malo studio celasset, nec indicasset esse eam arborem scientiæ boni & mali operatricem.

Tentationem Euæ non esse factam sub arbore scientiæ boni & mali.

Deinde & illud obiter notandũ est. Arbitrantur nonnulli colloquium hoc Euæ & serpentis factũ sic in ipso loco arboris huius uetitæ. Et ipse sic hactenus cũ alijs sensi, sic etiam uulgo historia ista pingitur. Verùm si qua fides danda est sensui, quẽ uerborum simplicitas præferre uidetur, sunt ista non coram arbore ipsa, sed aliquo alio paradisi loco gesta. Non enim dicit, De fructu uerò ligni huius scientiæ boni & mali, quemadmodũ dicendũ erat, siquidẽ ad ipsam essent arborẽ gesta, quæ hic scribunt, sed ut aliqua specificatione significaret, quæ ipsis esset arbor à Deo negata, loci meminit, in quo sit sita, dicẽs, De fructu uerò ligni quod est in medio paradisi. Verũ cũ nemine de re nõ adeò magni momẽti contendero.

OBSERVATIO IX.

Progressus tentationis.

Dixit aũt serpens ad mulierem: Nequaquã morte moriemini.] Obserua tẽtationis progressũ. Primũ uerbũ Dei imprudẽter in quæstionẽ uocauit serpẽs. Deinde falso citauit, aliter quã erat homini propositũ.

Tertiò, ubi mulieris frigiditatem simul & incircumspectionem olfecit, confidenter ad manifestam contradictionem progreditur dicens: Nequaquam morte moriemini. Sic solet serpens, ubi uel modicè primùm sese potest insinuare, statim toto corpore illabitur. Dixerat Deus, Quocunq; die ex eo comederis, morte morieris. Serpens contrà, Nequaquam, inquit, morte moriemini. Habetur ergo hic exemplum manifestæ contradictiouis, qua uerbum satanæ uerbi Dei contradicit, mendax spiritus ueracem Deũ mendacij accusat, & affirmatiuam illius in negatiuam conuertit. Est hic spiritus fibijpsi etiamnum similis. Vbi ergo tale quid audis, agnosce impudentiam serpentis antiqui. Dixit Deus, Non est bonum hominem esse solum. Serpens dicit, Est bonum hominem esse solum. Christus filius Dei dixit, Dominũ Deũ tuũ adorabis, & illũ solũ coles. Organa serpẽtis antiqui dicũt. Nõ solũ Deũ, sed & sanctos adorabis & coles. Ad apostolos dixit: Reges gentiũ dominant illis, uos aũt nõ sic. Qui se Apostolorũ successores esse gloriant, dicũt, Et nos sic. Ad Pilatũ dixit, Regnũ meũ nõ est de hoc mũdo. Pontificij dicunt, Regnũ Christi habet duos gladios, cœlestis Imperij unũ, terreni alterũ. Vterq; cõpetit Christi uicario. Ergo regnũ Christi est etiã de hoc mũdo. Huiusmodi cõtradictiones ubicũq; occurrerint, agnosce serpentẽ antiquũ. Deinde obserua cõtradictionis huius consiliũ. Sentiebat mulierẽ aliquo adhuc mortis metu utcunq; teneri ac cohiberi, ne de fructu uetito ederet, ideoq; fieri nõ posse ut ad esum illius pellicerẽt, nisi ablato hoc metu. Igitur ut hũc illi eximat, palàm ac disertè dicit, Nequaquam moriemini. Sic etiamnũ solet animis mortaliũ metũ illum excutere, qui est ex fide uerbi Dei, quo cohibentur à peccãdo. Nouit enim illo ablato omnes esse ualuas ad peccandũ apertas. Si nõ potest illũ prorsus eximere, saltem iniecta dubitatione infirmũ reddit & languidũ, ut dicatur, Quis nouit, an futurũ sit iudiciũ? fortè miserebit Deus tot milliũ hominũ. Alioqui cui parasset cœlos? Huiusmodi cogitationes obijciunt à satana, quo nos metu mortis, cõdemnationis & gehẽnæ nudatos, ad peccandũ permoueat. Quare constãti fide nitendũ est uerbo Dei, cognoscẽdæ & serpẽtis insidiæ, quoties ad abijciendũ timorẽ sollicitamur.

OBSERVATIO X.

Qualem scientiam Deo tribuat serpens.

Scit enim Deus.] Vide qualem scientiam Deo tribuat. Primùm talem, quæ sit cum fraude & inuidia cõiuncta. Nõ ignorat inquit ea, quæ refero. Nouit ipse quid fitis emolumẽti relaturi ex hoc fructu, si illũ gustaueritis: uerũ fraudulẽter minatus est mortẽ, ne ad istã felicitatẽ aspiretis. Sic uoluntatẽ Dei erga hominẽ de inuidia & maleuolẽtia suspectã reddit, & rursus fidẽ hominis erga Deũ extinguit. Etenim quid fiduciæ geras erga eũ, quẽ scias per inuidiã fraudulẽter tecũ agere, & felicitatẽ qua potiti posses mẽdacibus minis interuertere? Hoc est uenenũ illud satanicũ, cuius operatio uires suas etiamnũ in carne nostra exercet, quoties ad dubitandũ de gratia & beneuolẽtia Dei sollicitamur. Hãc dubitationẽ alũt Pontificij in cordibus mortaliũ, docẽtes fieri non posse, ut certus sit Christianus de gratia & amore Dei. Vbi hæc dubitatio latens in carne nostra pestilenti hac doctrina corroborat, obsecro quæ potestre liqua esse fides, quæ fiducia, quæ spes, quæ dilectio, quæ patientia in aduersis, &c. Hic omnia redduntur tenebricosissima. Nihil geritur alacriter cũ Deo, quandoquidẽ id quod caput est ueræ pietatis, amissum est, fides scilicet gratiæ ac beneuolẽtiæ Dei. Si persuaseris uxori de marito suo ad hũc modũ: Nequaquã inebriaberis, si de uino illo bibas, cuius tibi usum maritus negauit. Scit enim ubi de illo biberis, fore ut euadas mulier uenusta, corpore elegãti, sano ac uiuaci, & præterea sapiens ac prudens, quare ne emolumẽtis istis potiaris, & sapientia ipsi par reddaris, inanẽ hũc ebrietatis metũ cõfinxit, quo te ab usu uini huius optimi ac suauissimi abstineat: quæso quis cãdor, quæ synceritas cõiugalis fidei permanebit in illius erga maritũ pectore? Sic Apost. 2. Cor. 11. Corinthijs metuit ne synceritas hæc fidei, & integritas animi erga Christũ, quã scriptura uocat תמימות per astutiã serpentis ex cordibus illorũ auferatur. Despondi uos, inquit, uni uiro uirginẽ castã exhibere Christo. Timeo aũt ne sicut serpens quã seduxit astutia sua, ita corrũpantur sensus uestri & excidãt à simplicitute quæ est in Christo Iesu. Sciebat pseudapostolos esse serpentis huius organa, & idẽ moliri aduersus Christũ & Ecclesiã illius, quod initio serpẽs aduersus Deũ ac primos nostros parẽtes nõ fruftra est machinatus. Quare diligẽter cauẽdi sunt, qui nobis beneuolentiã Dei suspectã reddere, & fidẽ nostrã in illũ extinguere conantur. Neq; in causa Dei tantũ opus est hac cautione, sed & in cõuictu humano. Nã & hic ministri satanæ, homines colubrini, dũ proximis nostris in aures nostras detrahũt, nihil aliud faciũt, quàm ut mutuã inter nos beneuolentiã & synceritatem labefactent, & omnia peruersis ac sinistris suspicionibus repleant.

Deinde & talẽ scientiã Deo tribuit, quæ uera esse nõ poterat. Neq; enim uerũ erat, quod dicit, Eritis sicut dij, scientes bonũ & malũ, si ex hoc fructu ederitis. Inciderũt enim post esum huius fructus nõ in gloriã diuinã, sed in miserã mortalitatẽ, bestijs ac iumentis similes facti: nõ in scientiã boni & mali, sed crassissimã ignorantiã & cæcitatem. Id aũt uerũ erat, quod dixerat Deus, Quocũq; die comederitis ex eo, morte moriemini. Iam quomodo futurũ sciri potest, quod futurũ nõ est, immo cuius oppositũ est futurũ? Quare Satan hic Deo falsam & mendacẽ scientiã uerbo ipsius repugnantẽ adscribit, quæ ne in homine quidẽ, nedũ in Deo locũ habere potest. Consimilẽ impudentiã aduersus Deũ cõmittũt, qui de illo testificãtur, quod ea faciat, quæ uerbo ipsius nõ conueniũt, nec unquã in uolũtatis ipsius proposito fuerũt. Oportet enim ut perinde cõsentiant in Deo opus & uolũtas in uerbo declarata, atq; scientiã & ueritatẽ in uerbo coniũgi necesse est. Quemadmodũ enim à Deo futurũ sciri nõ potest, quod à ueritate uerbi illius dissidet, ita ab illo nec proponi nec fieri potest, quod à uolũtate in uerbo eius expressa dissentit.

Satan aliquando uerum dicit.

OBSERVATIO XI.

Quod in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri.] Obseruemus hic quomodo Satan in spe

ci m

ciem aliquãdo quod uerũ sit dicat. Aperient, inquit, oculi uestri. Factũ est hoc. Aperti sunt post gustũ huius fructus utriusq; & Adæ & Euæ oculi. Verùm apertura illa nõ bene cõuenit pollicitationi subiectæ, qua dixit, Et eritis sicuti dij, sciẽtes bonũ & malũ. Haud enim sic sunt illorũ aperti oculi, ut melius ac felicius uiderent quàm antea, quod serpens polliceri uidebatur, sed ut se miseros & infelices esse factos uiderent. Et tamen aperti sunt illorum oculi. Sic solet serpens iste in oraculis suis fraudulenter ludere: & & quod aliquo pacto uerè dictum censeri potest, pro tali uero obtrudere, quod affectibus eorum arrideat, quos mendacijs suis circumuenit & perdit. Possunt huiusmodi doli innumera exempla ex historijs Gentium peti, si cui lubeat illa inspicere.

OBSERVATIO XII.

Et eritis si cut Dij, scientes bonum & malum.] Vide astutiam dæmonis. Erant Adã & Eua iam antea à Deo ipso in eũ honoris gradũ sublimati, ut essent ad imaginẽ Dei cõditi, & domini totius terræ cõstitu- *Singularis astutia dæmonis.*
ti. Deinde satis habebãt sciẽtiæ, cognoscẽtes Dominũ Deũ suũ, & rerũ necessariarũ cognitione prædi-
ti. Honorẽ istũ inuidebat illis Satã. Erepturus illũ fraudulẽter promittit illis, quod sint futuri sicuti dij, sci-
entes bonũ & malũ, si ex fructu arboris uetitæ ederẽt. Debebat dicere, Et eritis serui mei, miseri & igna-
ri eorum quæ nunc feliciter scitis. Sic solet Satan tentare electos, ut promissione honoris, honore eos à
Deo accepto spoliet. Ad hunc modum & Christo regna totius orbis, si se adoraret, ad hoc pollicebatur,
ut honore eum quẽ à Deo patre habebat priuaret. Hæc omnia, inquit, tibi dabo, si procidens adoraueris
me. Matth. 4. Erant illius omnia. Omnia sunt mihi, inquit, à patre meo tradita. Et, Data est mihi omnis
potestas in cœlo & in terra. Vide mirabilem nequitiam. Ea polliceri quæ habeas antea à Deo per gra-
tiam, idq; ea conditione polliceri, quam si accipias, amittas ea quæ habeas, & ex filio Dei seruus ac man-
cipium diaboli, ex homine felice homo infelicissimus euadas. Quare curandum nobis est, ut Satanicæ
huius astutiæ memores, retineamus piè & constanter, quæ à Deo nobis sunt tradita, nec acquiescamus
promissis serpentis, quicquid ille promittat. Omnia uestra sunt, inquit Apostolus 1. Corinth. 3. uos
Christi, Christus Dei. Primus gradus ad amissionem est eorum quæ à Deo accepimus, si nesciamus
ea quæ data nobis sunt diuinitus per Christum. Qui se nouit omnia melius accepisse iam in Christo,
quàm Satan polliceri poterit, haud facile fraudulentis illius promissis acquiescet.

OBSERVATIO XIII.

B *Vidit igitur mulier.*] Obserua hic exemplum animi ad peccandum inclinantis. Et antea arborem hanc *Exemplum animi ad peccandũ inclinantis.*
uidere potuit. Verùm non libebat uidere, quod tangere & usurpare nõ licebat. Nam ab hac cõsideratione arboris istius metu mortis ex præcepto Dei concepto cohibebatur. Iam uerò, postquàm uenenum serpentis incauta imbibit, solutumq; est præcepti Dei uinculũ, ac mortis metus impudenti serpẽtis suasu exemptus, & animum & oculos ad fructum prohibitum & illicitum conuertit. Vide quomodo serpentis affatus animum & organa corporis ad contemplandum illicita soluat, quæ antea timore Dei constringebantur. Est itaq; oculus liber & uagus, rebus illicitis securè intentus, indicium labefactati ti- *Oculus liber & uagus, indiciũ labefactati timoris*
moris Dei, & animi soluti, & ad peccandum inhiantis. Cœperat mulier credere uerbis serpentis, adeoq; *Dei.*
concupiscere, quod illicitum erat & prohibitum. Concupiscentia hac infecta incipit uidere & contemplari quod concupiscebat. De hoc uidendi genere loquitur Christus Matth. 5. Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo. Sic mulier iam in corde suo à synceritate fidei erga Deum defecerat, & in corde suo transgressionis maculam cõtraxerat. Obseruent hæc, qui nimiã uidendi licentiã excusant dicentes: Quid est quod libere quæuis uidemus? Non peccamus uidendo, modò quæ uidemus nõ usurpemus. Verum est, non lego à Deo prohibitũ, ne arbor illa scientiæ boni ac mali uideret. Neq; enim aspectus illius, sed gustus erat prohibitus. Attamen uidemus hoc exemplo, quàm sit solutus ac liber oculus, animi plus æquo soluti ac timoris Dei in corde labefactati indicium, deinde & sequuturi gustus illiciti quasi quidam proxenus. Non est culpa, uidere quæ usurpare non licet. At quod culpa non est, uel hoc nomine noxium est, quod occasio potest esse culpæ.

Simul & illud obserua. Non meminit Moses quod mulier uerbis serpentis crediderit, & à fide uerbi Dei defecerit: sed loco illius scribit, quomodo se post colloquium serpentis erga lignum uetitum gesserit. Signa seductionis & illicitæ concupiscentiæ ponit, & ex illis satis manifestum facit, quàm fuerit seducta, & quàm à fide Dei defecerit. Ad eum modum facile cognosci potest, sumus ne in fide uerbi Dei integri, uel suasu serpentis corrupti, si obseruentur ea quæ uel uidendo, uel loquendo uel operando geri mus. Nam ex signis illicitæ concupiscentiæ satis proditur animi nostri corruptio.

OBSERVATIO XIIII.

Quod bonum esset lignum ad uescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile.] Primum uide exemplũ animi, cuius iam clausi sunt oculi, ne quod cumprimis spectandũ est uideant. Erat in hoc ligno præceptum Dei, gustũ illius prohibens. Erat in illo occasio mortis si gustaretur. Nihil horum uidet mulier. Quare? Quia oculi illius suasu serpentis & cœno illicitæ concupiscentiæ iam clausi erant & obturati.

Deinde uide quibusnã etiã spectris oculi mulieris à cõsideratione præcepti Dei dimoueant, & ad trãsgressionẽ illius illiciant. Vidit, inquit, quod bonũ esset lignũ ad uescendũ: deinde quod pulchrũ esset oculis, id est, aspectu: tertiò, נחמד להשכיל, id est, desiderabile ad intelligẽdũ. Ergo hæc tria & pelliicebãt mulieris animũ, & uerbis serpentis astipulari uidebantur ac persuadere, non esse fructum huius arboris mortiferũ. Etenim cogitabat, quomodo noxius esset hic fructus, cum sit tam amœnus aspectu, tam bonus ad uescendum, & præterea scientiæ quoque nomine desiderabilis? Ad hunc modum simul iri-

tabatur

tabatur mulieris concupiſcentia, & fides uerbi Dei extinguebatur. Quæſo quid aliud in toto orbe accidit, quàm hoc ipſum, cuius primordia prima noſtra parens ſuaſu ſerpentis decepta tanta infelicitate & auſpicata eſt, & ad poſteros ſuos tranſmiſit? An non iſta regnant in genere humano? Concupiſcentia uidelicet gulæ, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia mentis. Non premebatur fame mulier, & tamen iritabatur eo quòd uidebat fructum arboris huius bonum eſſe ad ueſcendum. Non deſtituebatur amœniſſimo totius paradiſi & aſpectu & incolatu, & tamen ſollicitabatur pulchritudine ligni uetiti. erat intelligentia Dei & rerũ neceſſariarũ unà cum honore dominatus & imaginis Dei in uiro ſuo ſufficienter prædita, nihilominus tamen promiſsione intelligentiæ & honoris ad uetitum fructum anhelabat. Sic etiamnum mundus iſte irritamentis gulæ, oculorum, & ſuperbiæ, & ad peccandum ſollicitatur: & ne præcepta Dei, & futurum extium in rebus uetitis uideat, excæcatur. Huc arbitror Ioannem reſpicere, cum dicit: Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & cõcupiſcentia oculorum, & ſuperbia uitæ. Ad concupiſcentiam carnis rectè illud refertur, quod gulam, ad concupiſcentiam oculorũ, quod aſpectus pulchritudinẽ, ad ſuperbiã uitæ, quod deſiderium intelligentiæ & honoris cõcernit.

Concupiſcentia gulæ, cõcupiſcentia oculorum, ſuperbia mentis.

1. Ioan. 2.

OBSERVATIO XV.

Et tulit de fructu illius, & comedit.] Obſerua hic quæ ſit uis & efficacia diabolicæ ſeductionis. Defecerat iam mulier in corde ſuo à fide uerbi Dei, & quod uetitum erat illicita concupiſcentia per ſerpentis afflatum accenſa cordis affectibus guſtauerat, atq; ita coram Deo peccati rea erat. Verùm ne ſic quidem contentus eſt Satan, ſed miſeram eouſq; captiuam impellit, ut quod corde contigerat, manu quoq; inuaderet, & ore abſumeret, ne quid ad plenam & perfectam tranſgreſsionem deſideraretur. Nam quoniam diſertè erat à Deo dictum, De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas, iudicauit nõ fore plenum tranſgreſsionis peccatum, niſi poſt uetiti fructus concupiſcentiam de illo etiam comederetur, atq; ita perfectè fieret, quod Deus expreſſe uetuerat. Ad hunc modum perpetuò Satan eos quos tentatione ſuperat ad perfectionem peccati non ſolum ad concupiſcentiam, ſed & ad ipſum opus nominatim à Deo prohibitum impellit. Non eſt illi ſatis, ſi mulierem non tuam ad concupiſcentiam uideas, uel quæ proximi ſunt contra præceptum Dei concupiſcas, quamuis ſic concupiſcendo tranſgreſsionis reus coram Deo efficiare, niſi etiam concupiſcentiæ huiuſmodi opus ipſum adijcias, & manu in rem proximi iniecta uel furto, uel rapina, uel opere adulterij præcepta Dei ad plenum tranſgrediare, ne quid in illis relinquatur, quod non omnino uioletur. Quare admonendi ſumus, ut ſi concupiſcentiam illicitam in carne noſtra accenſam eſſe ſenſerimus, obſeruata Satanæ malitia clamemus ad Dominum, ne nos ad operis uſque perfectionem abduci ſinat: ſed quod concupiſcendo delictum eſt, clementer ignoſcat, & ne ad ultetiora progrediamur cuſtodiat.

Quæ ſit uis diabolicæ ſeductionis.

OBSERVATIO XVI.

Deditq; uiro ſuo, qui comedit.] Conſideremus hic exemplum peruerſæ amicitiæ, quàm ſit illa noxia. Dubio procul marito ſuo gratificari uolebat mulier, ideoq; illi de fructu hoc dedit, quem guſtare ſeducta cœperat. Rurſus Adam gratificari uolens uxori, oblatum ab ea fructum accepit & comedit. Sic ruina uxoris ruinam etiam mariti ſecũ traxit, dũ alter alteri non habita diuini præcepti ratione gratificari ſtuder. Quare tam abeſt, ut etiam ea amicitia ac beneuolentia, quam ſecundum diuinam inſtitutionem legitimam eſſe cognoſcimus, qualis eſt inter maritum & uxorem, inter parentes ac liberos, inter fratres ac ſorores, inter conſanguineos & amicos, bene cedat, ſi obſeruantia uerbi Dei deſtituatur, & ne neno ſerpentino infecta fuerit, ut quæ debebat ad commodum & emolumentum ueræ ſalutis facere, faciat potius ad peccandum, adeoq; & perecundum. Serpens ab Adamo non impetraſſet, quod amicitiæ prætextu impetrauit Eua. Itaq; diligenter curandũ eſt omnibus, ut nullã amicitiã, quæcũq; illa ſint, diuinæ uoluntatis obſeruantiæ præferant, niſi perniciem amicitiæ ueluti melle mixtã imbibere uelint.

Exemplum peruerſæ amicitiæ.

OBSERVATIO XVII.

Et aperti ſunt oculi amborum.] Quoniam ſcriptura aliquoties aperturæ oculorum meminit, arbitror operæ fore precium, ut hoc loco de illa quædam annotemus. Duplicem oculorum apertionem inuenio. Qua corporis oculi, unam: qua mentis aperiantur, alteram. Corporis oculi trifariam aperiuntur. primùm quando qui cæcus eſt, nihil uidens, illuminatur. Sic aperuit Chriſtus oculos cæci nati Ioan. 9. & aliquot aliorum. Deinde quando oculi eius qui licet cæcus non ſit, non tamen omnia quæ coràm ſunt & ab alijs cernuntur, uidere poteſt, ſic aperiuntur ut ea uideat. Sic Num. 22. oculi Bileam à Domino aperti leguntur, ut angelum cum euaginato gladio ex aduerſo ſtantem uideret, quem antea uiſum ab aſina ipſe uidere non poterat, quamuis aliàs apertos haberet oculos. Sic puero Elizæi. 2. Reg. 6. ad orationem Elizei aperiuntur oculi, ut montem plenum equorum & curruum igneorum uideret, per quos Elizeus contra hoſtes ſuos cuſtodiebatur. Sic Agar ancillæ Abrahæ, cum in ſolitudine eſſet aperiuntur oculi, ut puteum uideret, unde periclitanti puero daret ad bibendum. Gen. 21. Tertiò aperiuntur oculi eorum, qui licet cæci non ſint, id tamen quod coràm cernunt non cognoſcunt. Sic hoſtes Elizei 2. Reg. 6. cũ ab Elizeo in ipſam Samariã ducerent, nõ uidebãt ſe eſſe in Samaria donec in medio Samariæ cõſtitutis aperirent à Domino oculi, ut uiderẽt ſe eſſe in medio Samariæ. Sic duo illi ex diſcipulis qui in die Reſurrectionis Emeunta profecti fuerãt, quãuis cæci nõ eſſent, & Dominũ coràm cernerẽt, ci ſq; illo comederent etiam & biberent, haud tamen illum cognoſcebant, donec per fractionem panis aperirentur ipſorum oculi. Lucæ 24. Hiſce modis oculos corporis aperiri legimus in ſcripturis.

De apertura oculorum.

Corporis oculi.

Oculi mentis. Aperiuntur autem & oculi mentis trifariam. Primùm per lucem Euangelicæ doctrinæ, dũ mentes eorum

eorum cognitione ueritatis illuminantur, qui ad Christum conuertuntur. Sic ad Paulum dicebat Christus cœlitus Act. 26. Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum ac testem eorum quæ uidisti, &c. eripiens te de populis ac gentibus ad quas nunc ego mitto te aperire oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, &c. Deinde per tribulationes & afflictiones, quibus animi mortalium ad resipiscentiam permouentur, & intelligentes redduntur. Vexatio enim dat intellectum. Sic filius prodigus oculos mentis habebat clausos, donec delicijs ac luxui esset immersus: qui illi postea aperiuntur, dum fame coactus ad seipsum redit, & de domo paterna recordari incipit. Tertiò aperiuntur oculi mentis per conscientiam perpetrati peccati, quos tentatio Sataneæ clauserat, ut uideat peccator commisso iam peccato, quàm enormiter contra Deum deliquerit, in quam sese miseriam & calamitatem peccando cõiecerit, quãq; mentis cæcitatẽ & animi fœditatẽ incurrerit. Sic Adæ & Euæ aperti sunt oculi, postquàm præceptũ Dei perfecto inobedientiæ opere essent trãsgressi. Et hoc omniũ miserrimũ aperiendorũ oculorũ genus est. Quare orandus est Dominus, ut ab huiusmodi nos tentatione qua oculi cordis postea per pecati sensum aperiendi claudunt, custodiat, & in obedientia uolũtatis suæ cõseruet. Iudas nõ intelligebat quàm insigniter tradendo Dominum peccaret, donec oculis clausis suasionibus Sataneæ obsequundaret. uerùm postea, ubi ad se rediit, & apertis mentis oculis, peccati sui enormitatẽ inspicere cœpit, ponere illius depressus, in desperationẽ incidit: & quoniã hãc ferre nõ poterat, laqueo sibi ipsi mortẽ cõsciuit.

Quod oculi mulieris non aperiũtur nisi post peccatum Adæ.

Et illud hic notandum est, quod oculi mulieris non aperiuntur statim ubi ipsa de uetito fructu tulit & comedit, sed clausi tenentur, donec per illius instigationem & Adam comedisset, atq; ita tum demum simul amborum aperiuntur oculi. Agnosce hic, quod mulieris attinet oculos, Satanæ nequitiam, qui illos tandiu clausos tenebat, donec per illam & Adam ad transgrediendum præceptum Dei induceretur. Alioqui si mox peccati enormitatem sensisset, marito suo peccandi occasionem non obiecisset. Sciebat autem inueterator, non sequuturam humani generis perditionem, nisi & Adam de fructu prohibito comedisset, atq; ita præcepti Dei transgressionem ad plenitudinem suam perduxisset. Nolim hic anxiè disputari, quid factum fuisset cum muliere, si Adam non peccasset. Curiosa est hæc inquisitio. Illud rectè expenditur, quod generis nostri perditio ex eo est, quod Adam per inobedientiam seruus est peccati factus, & peccati uenenum in omnes suos posteros carnali propagatione transfudit. Sic Apostolus ad Romanos quinto, per unum hominem peccatum & mortem in mundum uenisse, & 1. Corinth. 15. per Adamum omnes mori scribit.

B OBSERVATIO XVIII.

De sensu propriæ turpitudinis.

Cumq; cognouerunt se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibijpsi perizomata] Primùm quod de nuditatis pudore scribitur, ad hoc faciat, ut per illum siue in pueris de nuditate sua erubescere incipientibus, siue in nobis ipsis admoneamur, quæ nobis insit ex traduce originali impuritas, cuius occultissimus sensus unà cum rationis usu sensim emergente sese exerit. Interrogetur puer, cur de nuditate sua erubescere incipiat: non poterit respondere aliud, quàm quod turpe sit ingredi nudum, etiamsi nullum dum facinus corpore suo perpetrauerit. Crescit quidem pudoris huius sensus & augescit in adultis per conscientiam libidinis. qua de re nonnunquam, meo iudicio, patres aliquanto immodestius scribunt, dum in hanc materiam incidunt: uerùm radix illius est originalis illa fœditas & corruptio, quemadmodum sese in pueris, illis etiam nondum intelligentibus subinde exerit, ita & pudorem hunc de nuditate corporis paulatim gignit, licet nondum intelligant, quid illi insit turpitudinis. Igitur hanc agnoscamus in carne nostra, deploremusq;, quoties nuditatis pudore uel in alijs uel nobis ipsis tangimur.

Turpitudo nostra ægre reuelari sustinet.

Deinde quod de nuditate sua erubescentes succinctoria parant, exemplum est, quomodo natura nostra turpitudinis suæ reuelationem ferre nequeat. Sic sumus animati, ut quod in nobis turpe existit, siue fit in corpore nostro, siue uitæ actibus, obtegere magis quàm tollere studeamus. Non enim tam nostram turpitudinem ac fœditatem, quàm reuelationem illius horremus. Hinc studium obtinet non repurgandi quæ turpia sunt, sed occultandi & obtegendi, ne conscientijs mortalium pateant. De conscientia Dei & nostra ipsorum rarissimi sunt qui cogitent.

Succinctoria ficulnea prætextus nostri sunt.

Tertiò & illud considerandum est, quod succinctoria consuunt ex folijs ficulneis. Folium inane quid est & leuiculum. Sic sunt prætextus nostri, quibus peccatorum nostrorum turpitudinem uelare conamur. Vani sunt ac nullius momenti, quantumuis diligenter consuti. Sed de his in sequentibus.

Et cũ audissent uocẽ Domini Dei deãbulantis in paradiso ad aurã post meridiẽ, abscondit se Adã & uxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocauitq; Dominus Deus Adã & dixit ei, ubi es? Qui ait: Vocem tuã Domine audiui in paradiso, & timui eo q; nudus essem, & abscõdi me. cui dixit Dominus: Quis enim indicauit tibi quòd nudus esses? nisi q; ex ligno de quo præceperã tibi ne comederes, comedisti. Dixitq; Adã, mulier, quã dedisti mihi sociã, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc feciſti? Quæ rñdit: Serpens decepit me, & comedi. Et ait Dominus ad serpentem: Quia feciſti hoc, maledictus

maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ. Super pectus tuũ gradieris, & terram comedes cunctis diebus uitę tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuũ, & tu insidiaberis calcaneo eius. Mulieri quoq; dixit: Multiplicabo ęrumnas tuas & conceptus tuos. In dolore paries filios, & sub uiri potestate eris, & ipse dominabitur tibi. Adæ uerò dixit: Quia audiuisti uocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore uultus tui uescęris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

LECTIO.

Ad auram post meridiem.]Hebraicè est לרוחהיום ad flatum, uel aurã diei. Sic Tigurina, Pagninus & Munsterus uerterunt. Et Aquila quoq;. Græcus habet τὸ δειλινὸν id est, ad tẽpus pomeridianũ, uel ut alii qui græcam hanc uocem interpretantur, ad crepusculum uespertinum. Germanicus interpres reddidit, *da der tag kül worden was.* Sic habet & Theodotio, ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας. Augustinus legit, ad uesperam. Chaldæus habet, לבנח יומא, id est, ad quietem diei, cũ uidelicet inclinaret dies ad quietem ac finem.

Vocem tuã Domine audiui.] Domine, nõ est in Hebræo: nec quod græcus hic habet περιπατοῦντος id est deambulantis, uel circueuntis.

Nisi quod ex ligno]In Ebræo sic legitur, חמן העץ id est nunquid de ligno, &c.

Maledictus es inter omnia animantia.]Ebraicè est מכל חבחמה id est præ omni animanti. Quod Græcus habet ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν, id est, ab omnibus animantibus, non exprimit sensum uerbi Dei.

Super pectus tuum.]Quod Græcus addit καὶ τῇ κοιλίᾳ, id est, & super uentrem, nõ est in Ebræo. Terrã comedes. In Hebræo est עפר, id est, puluerem.

Ipsa conteret.]In Hebræo non est הוא, id est, ipsa, sed הוא, id est, ipsum, ut referatur non ad mulierem, sed ad semen mulieris. Et Græcus habet non αὕτη sed αὐτός, id est, ipse. Malè autem pro ישופך, id est, cõteret tibi, uertit τηρήσει, id est obseruabit. Et latinus quoq; nõ reddidit Ebræã uocẽ constanter, sed quã uertit conteret, mox uertit, insidiaberis. Augustinus legit, seruabit tibi caput, & tu seruabis calcaneũ eius.

Et conceptus tuos.]Hebr. הרונך. Græcus malè uertit στεναγμόν σου, id est, & gemitus tuos.

Et sub uiri potestate eris.] In Ebræo est ואל אישך תשוקתך, id est, & ad uirũ tuũ desideriũ tuũ, affectus tuus, uolũtas tua. Sensum magis expressit interpres quàm uerba. Græcus reddidit ἀποστροφή σου, id est, conuersio tua. Sic legit & Augustinus. Forte pro תשוקתך legit תשובתך. Aquila legit, Et societas tua.

Ex quo præceperam tibi ne comederes.]Quod Græcus habet τότε μόνου, non est in Ebræo.

Maledicta terra in opere tuo.]Sic habet & Græcus. Verùm nõ est in Hebræo, in opere tuo, sed בעבורך id est, propter te. legerunt illi בעבודך, id est, in cultu tuo, pro בעבורך, ut posita fuerit daleth pro res. Et Aquila legit propter te. Theodotio, quoniã עבורה trãsgressionem quoq; significat, à uerbo עבר, id est, transgressus est, uertit בעבורך in transgressione tua, id est, propter transgressionem tuam.

Et comedes herbas terræ.]In Hebræo est חשדה, id est, agri. & Græcus uertit τῆς ἀγροῦ.

De qua sumptus es.]Ebraicè legitur, כי ממנה לקחה, id est, quoniam de illa sumptus es.

EXPLANATIO.

Post descriptionem peccati ac transgressionis primorum nostrorum parentum transit ad ea commemoranda Moses, quæ pœnam commeritam concernunt. Hanc ex ordine, idq; non confuse, sed secundũ distinctionem eorum qui peccarunt satis luculenter describit.

Senserunt propriæ conscientiæ redargutionẽ cũ se absconderant.

Et *cum audissent uocem.*]Ex ipso illorum facto satis perspicuum facit, sensisse eos conscientiæ propriæ redargutionem, dum ad diuinæ uocis auditũ in latebras sese abdidisse narrat. Nam ante hanc transgressionem ut nulla peccati conscientia mordebãtur, ita & pro simplicitate & innocentia sua nec colloquiũ nec conspectum Dei declinarunt. Nunc uerò audita uoce Domini in paradiso deambulantis, conspectum illius ferre non possunt, ideoq; latibula quærunt tanquam propriæ conscientiæ testimonio alieni iam ab eo cuius præceptum tanta fuerant temeritate transgressi, nec digni, qui pristina familiaritate & fiducia in conspectu illius appareant. Quomodo autem ambulauerit in paradiso Dominus, & quæ fuerit illius uox, quam miseri audierint, nolim anxiè quærere. Haud tamen alienum à ueritate uidetur, quod Lyranus dicit, apparuisse Deum non in forma Deitatis, secundum quam nec formam habet, nec uisibilis existit, sed in forma aliqua creata & per dispensationem assumpta, qua uisibilis esset, & quæ agenda erant uisibiliter ageret. August. de Trinit. lib. 2. cap. 10. dicit: Quomodo possit ad literam intelligi talis Dei ambulatio & collocutio, nisi in specie humana, non uideo. Quod uocem Dei in paradiso ambulantis attinet, sunt qui intelligant de uento, cuius Moses meminit, quasi ex illius strepitu & uehementia intellexerint Adam & Eua, adesse Dominum. Haud quidem absurda est hæc sententia, nec aliena à

Quomodo ambulauerit Dominus in paradiso.

modo

A modo quo plerunque præsentiam suam Deus in apparitionibus manifestasse legitur, uerùm nihil impedit, quo minus hanc uocem Dei, quæ fuerit, per sequentia declarari intelligamus, qua dixisse Deus scribitur, Adam ubi es? Nec multum periculi est in ea particula, qua dicit, Ad auram diei, siue de matutino uel uespertino crepusculo, siue de meridie intelligamus. Nō inuenio hanc loquutionē לרוח היום in sacris scripturis, nisi hoc præsenti loco. Ezechiel. quadragesimo secundo legitur אל רוח היום, id est, ad uentum maris, de plaga occidentis: uerùm non ausim dicere, positum esse hic לרוח היום, pro לרוח היום, ut intelligendum sit esse Deum à plaga Occidentali Paradisum ingressum. *Ad auram diei.*

Quod dicit, In medio ligni paradisi, non solum locum, in quem se latitandi gratia abdiderint, sed & studium notat, quo non simpliciter & utcunq; , sed in penitioribus arbusti recessibus conspectum Dei fugere conati sint. Quare non dicit, Abscondit se Adam & uxor eius in ligno paradisi: sed, Abscondit se in medio, inquit, ligni paradisi, hoc est, in ipso interiori ac densiori arbusti recessu. *In medio ligni paradisi.*

Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es? Qui ait, Vocem tuam Domine audiui in paradiso, & timui: eo quod nudus essem, & abscondi me.] Cum sentirent conscientiæ propriæ reprehensionem, proximum erat, non fugere à facie Dei, sed per resipiscentiam & confessionis humilitatem coram illo sese prosternere, ac meritam pœnam spe diuinæ clementiæ deprecari. Verùm quoniam absconduntur, rectè per diuinam inquisitionem ad reddendam commissi rationem & supplicij commeriti percipiendam sententiam in apertum protrahuntur. Igitur ad ipsa usq; latibula conuenit eos Deus, ac inclamando dixit, איכה, id est, Vbi tu? Quasi dicat, Prodi in lucem. Et ut sciamus quem sic inclamarit, dicit Moses: Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es? Erat Adam caput mulieris. Quare illum initio compellat. *Abscónditos peccatores ad ipsa usq; latibula illorum conuenit Deus.*

Qui ait, Vocem tuam Domine audiui: & cætera.] Non poterat ad inclamationem Domini tenere silentium. Compellabatur enim iam deprehensus, & in ipso Dei conspectu, quem fugerat, constitutus. Quare ad respondendum coactus, fugæ & latebrarū rationem reddit, tacens interim de peccato. Audiui, inquit, uocem tuam in paradiso: quare faciem tuam reueritus, abscondi me, ne sic nudus, ut sum coram oculis tuis, non sine dedecore comparerem. Dissimulat interim transgressionem præcepti, & solam corporis nuditatem prætexit. Quare ut ad peccati agnitionē urgeretur, pergit Dominus ac dicit: *Vocem tuā Domine audiui.*

Quis indicauit tibi quod nudus esses? Nunquid de ligno comedisti, de quo tibi, ne comederes, præceperā?] Non cogitauerat Adam id quod de nuditate sua prætexuerat, ipsissimum esse transgressionis argumentum. Quare conscientiam illius urget Deus, & instat dicens: Quis indicauit tibi quod nudus esses? Qua
B si dicat: Timuisti faciem meam propterea quod nudus esses? An non & antea nudus eras? Verùm unde nunc tibi insolitus iste nuditatis pudor? Quo indicio nuditatem hanc turpem esse cognouisti? Quid fecceris, res ipsa indicat. Appello conscientiam tuam, an non de uetito ligno comederis, de quo tibi, ne comederes, diserte præceperā. Non interrogat Deus quasi dubitans, sed confessionem peccati hac compellationis instantia extorquet. *Seipsum prodidit Adam.*

Dixitq; Adam: Mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno, & comedi.] Haud quidem quod factū erat negat: Comedi, inquit. Verùm, ut se excuser, transfert peccatum in mulierem, & hanc incusans dicit: Mulier dedit mihi de ligno hoc, & comedi. Imò non solū mulierem incusat, sed & Deum ipsum cum non simpliciter dicit, Mulier dedit mihi: sed, Mulier quam dedisti mihi sociam, illa dedit mihi. Quasi dicat: Putabas non esse bonum, si solus essem, ideoq; addidisti mihi mulierem hanc, ut esset mihi adiutorium. Si solus mansissem, de hoc ligno non comedissem. Iam ubi illam mihi sociam dedisti, factum est, ut commiserim, quod aliàs non commisissem. Itaq; his uerbis Adam peccatum suum magis aggrauat, quàm excusat, dum non solum nō confitetur commissum, & culpam humiliter agnoscit: sed & Deum ipsum incusat, & quod bene ab illo factum fuerat culpat. Alioqui nulla erat necessitas, particulam hanc adijciēdi ut diceret, Quam dedisti mihi sociam: siquidem mulierem duntaxat, & non simul & Deum ipsum accusare uoluisset. Etenim non erat præter unicam illam mulierem ulla alia, cuius gratia opus habuisset ista specificatione, sed ad incusandum illam satis erat dicere: Mulier dedit mihi de ligno hoc, & comedi. *Transfert peccatum in mulierem.* *Peccatum suum magis aggrauat quàm excusat.*

Præterea non potuit dicere, Mulier quam dedisti mihi dominam, coegit me ut comederem, & comedi, sed cum dicit, Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi & comedi, & suam ipsius leuitatem satis nolens uolens incusat, & præter animi propositum bonitatem Dei iustificat. Dederat enim illi mulierem Deus, quam non haberet dominam, ut necesse esset illius uerbis magis quàm diuino præcepto obsequundare, sed quā haberet sociam uitæ. Poterat igitur Adæ mulier esse cōmoda, si uoluisset. Quod autem nocens est facta, suaipsius, non Dei culpa est factum. *Non potuit dicere Mulier quam dedisti mihi dominam.*

Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc feci sti? Quæ respōdit: Serpēs decepit me, & comedi.] Neq; ista simpliciter peccatum suum confitetur. Dicit quidē Comedi: uerùm præmittit, Serpens decepit me, atque ita culpam commissi transfert à se in serpentem. Nō potuit dicere, Serpens quem dedisti mihi socium, decepit me, alioqui & ipsa causam peccati manifestè deriuasset in Deum. Deinde non potuit dicere, Serpens coegit me: sed, Decepit me. Sic autem, licet serpentem tanquam peccati huius authorem incuset, seipsam tamen haudquaquam excusat. Imò nolit uelit confitetur, credidisse se uerbis serpentis magis quàm uerbo Dei. Nam nisi credidisset dicenti, Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dij, scientes bonum & malum: magis quàm dicenti Deo, Quocunq; die comederis ex eo, morte morieris: nec seducta fuisset, nec de ligno hoc comedisset. Nemo enim decipitur, nisi credat mendacio. Non caret *Nec mulier peccatum suum confitetur, sed translatione excusat.*

aũt dissimulatiõe, quod nõ de eo respõderit, quod fuerat interrogata. Dixerat Adam: Mulier dedit mihi, & comedi. Interrogabat igitur Deus non quare comedisset, sed quare uiro de ligno uetito dedisset, dicens: Quare hoc feciſti? hoc est, quare marito tuo causam peccandi obtulisti? Ad hoc tacens, incusat serpentem, quod per hunc seducta comedisset. Igitur nec mulier satis agnouit peccatum suum, quandoquidem & translatione illius est ac dissimulatione coram Deo usa. A

Et ait Dominus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus uitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsum conteret caput tuum, & tu conteres calcaneum eius.] Hactenus cum Adamo & Eua expostulauit, & in transgressionem illorum sic inquisiuit, ut licet non exaggerarit illam, nec adhuc omnia scrutatus sit, ad authorem tamen illius inquirendo peruenerit, serpentem uidelicet, mulieris seductorem. Hunc non interrogat, quare mulierem deceperit, eo quod non posset commissum deriuare in alium, sed statim condemnat. Itaq; Moses hoc loco post inquisitionem ac deprehensionem peccati, qua sententia singuli, serpens, mulier & Adam puniti sint à Deo, ex ordine cõmemorare incipit. Et orditur à serpente tanquam authore peccati. Habet autem sententia in serpentem prolata quatuor suppliciorum genera. Primum generale est, quo præ omnibus alijs bestijs terræ maledictus pronunciatur. Quia feciſti hoc, inquit, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ. Non simpliciter dicit, Maledictus es: sed præmittit, Quia feciſti hoc: ac tum addit, Maledictus es, ne putetur serpens antea quoque fuisse maledictus, sed intelligatur fuisse illum antea singulari quadam prærogatiua præ omnibus alijs bestijs ornatum, priusquam mulierem seduceret: ideoq; post hoc peccatum sic esse maledictum à Deo, ut infelicior esset & abiectior omnibus reliquis animantibus. Sic commutata est singularis illius prærogatiua & felicitas in singularem maledictionem & infelicitatem, per quam factus est communi omnium odio & execrationi obnoxius.

Transitio.

Quatuor suppliciorũ generibus condemnatur serpens.

Secundum est, quo incessus illi quem antea habuerat facilem, & erectum, mutatus est in tractum omnium molestissimum, sic ut ad terram depressus super pectus suum non iam ingredi, sed serpere sit coactus. De hoc dicit: Super pectus tuum ingredieris. Verbum Hebræum הלך non solum illis datur qui pedibus ingrediuntur, sed & quæ quocunq; modo de loco ad locum uel trahendo, uel serpendo, uel fluendo promouent. Sic capite præcedenti de tertio paradisi fluuio חדקל legit, הוא ההלך קדמת אשור, id est, ille uadit uersus Assyriam. Et de arca Noe infrà capite septimo, ותלך התיבה על פני המים, id est, Et ibat arca in superficie aquarum. Quare non est, ut lectorem imperitum uerbum ingrediendi remoretur, quasi non ponatur etiam de tractu illo & motu repentium. B

Tertium est, quo uictus commoditas mutatur. Comederat antea ex fructibus arborum delicatius: per hanc uerò sententiam, qua dicitur, Et terram comedes cunctis diebus uitæ tuæ, uel ut in Hebræo est, Puluerem comedes, damnatur ad uictum omnium iniucundissimum, ut pœnas luat eius curiositatis, qua in præceptum Dei de fructu uetito inquisierat.

Quartum est, quo familiaritas illa, quæ inter ipsum & mulierem intercesserat, quam ad seductionem instinctu satanæ peruerterat, mutatur in extremas & perpetuas inimicitias. Inimicitias, inquit, ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius &c. Tria continentur hisce uerbis. Primum est, mutatio familiaritatis singularis, in odium singulare. Secũdum, odij huius perpetuitas, in eo quod dicit, Et semen tuum & semen illius. quasi dicat, per omnem utriusq; posteritatẽ durabunt istæ inimicitiæ. Non eget hæc res declaratione. Nam inimicitiæ istæ inter serpentem & mulieres etiamnum peculiares sunt, & perpetuæ. Tertium est, insectatio hostilis, qua pars altera alterius uitæ insidiatur. De hoc loquitur cum dicit: Ipsum conteret caput tuum, & tu conteres calcaneum illius. Significat in hostili hac insectatione inferiores iaturum serpentem, superiores uerò semen mulieris. Nam utiq; contritio capitis ad exitium, calcanei uerò non ad exitium facit, licet aliquid adferat molestiæ. Videtur autem uerbum cõterendi duriusculè usurpari, in eo quod dicit, Et tu cõteres calcaneum eius. unde & uetus interpres uertit, Et tu insidiaberis calcaneo eius, & Græcus uerbum obseruandi utrobiq; posuit. Quare, meo iudicio, quandoquidem idem utrobiq; uerbum in Ebræo est, cõmodius uerti poterat, Ipsum percutiet caput tuum, & tu percuties illi calcaneum. Nam Hebræa uox שוף non solum cõterere, sed & percutere significat.

Quomodo autem ista ad satanam quoq; serpentis instigatorem & actorem, adeoq; & uerum peccati authorem, pertineant, uel in quæstionibus uel in obseruationibus uidebimus.

Mulieri quoq; dixit Deus: Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos. In dolore paries filios, & desiderium tuum erit ad uirum tuum, & ipse dominabitur tibi.] Quemadmodum de peccato inquirendo ab Adam ad serpentem usq; descenderat: ita deprehenso peccato in pronunciatione pœnarum à serpente retrogradu ad uirum usque ascendit. Quare, quoniam inter uirum & serpentem intermedia erat mulier, in illam priusquam in uirum pronunciat: ut ficuti mulier uirum peccando præcesserat, ita illum & in condemnatione peccati antecederet. Habet autem sententia in mulierem lata duo molestiarum genera. Vnum est, concernens omnes eas ærumnas, quæ comitantur parturitionem sobolis. Erat sine dolore & uterum gestura & paritura, si non peccasset. Hæc illius commoditas mutata est propter peccatum in multas & uarias uterum gestandi, parturiẽdi, pariendi, & educãdi molestias. De his loquitur cum dicit, Multiplicabo, uel ut in Hebræo est הרבה ארבה, id est, multiplicando multiplicabo, ærumnas tuas, uel, dolores tuos (nam Hebræa uox hoc loco eadem est, quæ mox uersa est, In dolore) &

Duo molestiarũ genera mulieri imponuntur.

A & conceptus tuos, siue mauis, imprægnationem tuam, parturitionem tuam תרונך, cuius ob id admoneo, ne quis miretur, quid doloris tribuat conceptibus muliebribus. Si conceptus legerimus, intelligendum est de omnis generis doloribus, qui conceptum fœtum ad partum usq; sequuntur. Alterum molestiarum genus est, quo potestati uiri subijcitur. Nam antea non erat subiecta, sed socia, & liberius egerat. Iam uerò adempta liberi arbitrij potestate, qua fuerat abusa, uiro subijcitur. Sic dicit: Et desiderium tuum erit ad uirum tuũ, & ipse dominabit tibi. Illud aũt, Et desideriũ tuũ erit ad uirũ tuũ, nihil est aliud quàm quicquid uolueris ac desideraueris, non erit in tua, sed uiri potestate. Est ille modus loquendi, erit ad uirum tuum, erit ad te, erit ad illum, pro, erit in potestate uiri tui, erit in tua, erit in illius potestate, non solum Hebræis, sed & nobis Germanis cõmunis & uulgaris. Quando dicimus, *Das stadt zů mir*, *Das stadt nitt zů dir*: idem est ac si dicamus, Est hoc in mea potestate, nõ est hoc in tua potestate. Quare latinus interpres non incommodè uertit, Sub uiri potestate eris.

Primùm refricatur Adæ peccatum.

Adæ uerò dixit: Quia audiuisti uocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, &c.] In ipsum Adamum pronunciaturus, maiore serio utitur. Primùm, antequam de pœna pronunciet, reficrat illi peccatum tanquam causam pœnæ, quam erat illi illaturus. Sic dicit: Quia audiuisti uocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperã tibi ne comederes. Sic retundit illius excusationem, qua dixerat, Mulier dedit mihi, & comedi, admonens, habuisse ipsum manifestũ de hoc ligno præceptum, quod non debuerit propter uxoris suggestum transgredi. Quasi dicat: Habebas meam uocem uetantem ne de hoc ligno comederes: ubi uox uxoris contrarium suadebat, non erat audiẽda. Hoc si fecisses, retinuisses innocentiam, & omnem hanc felicitatem quam abs me accepisti. Nunc uerò, quoniam uocem uxoris meæ præposuisti, atq; de hoc ligno comedisti, &c.

Pœna cõmerita pronũciatur tria habens incommoda.

Deinde pœnam commeritam pronunciat dicens: Maledicta terra in opere tuo, uel ut in Hebræo est, propter te. & quæ sequuntur. Complectitur autem hæc sententia tria incommoda. Primum, est maledictio telluris. Erat terra beneficio creatoris ante hoc peccatum benedicta & fertilis, adeoq; absq; ulla sterilitate in usus hominũ & bestiarũ ad alimoniam faciẽtia ubertim germinatura. Ea benedictio, quoniam hominis erat usibus destinata propter eundem hominem, iam transgressorem, in maledictionem mutatur. Illud notatur, cum dicit: Maledicta terra propter te, hoc est, propter peccatum tuum erit post hac tellus maledicta, quæ antea propter te fuit benedicta. Ad maledictionis huius declarationem pertinet, quod dicit: Spinas & tribulos germinabit tibi. Nam sicuti benedictio terræ est, qua uberes fructus B ubertim autẽ inutilia profert, ut sunt spinæ ac tribuli, unde uita nostra constare non potest. Secundũ est, molestia ac difficultas operandi, ac cibum è tellure maledicta cum labore ac sudore quærendi. Erat quidem & in paradiso operaturus, sicuti capite præcedẽti uidimus, uerùm sine ulla molestia. Ista operandi facilitas & iucunditas uertitur in laborem ac molestam operationem. Huc pertinet quod dicit, In labore tibus, uel ut in Hebræo est, In dolore, comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Ad huius particulæ declarationem subijcitur: In sudore uultus tui uescris pane tuo, ut exponat, de quo doloris genere dicatur. Tertium est in eo quod dicit: Donec reuertaris in terram. Significat autem, illum moriturũ, sicuti præ- dixerat: id quod in eo quod dixerat, Cunctis diebus uitæ tuæ, non erat expressum. Et ut hanc particulã adhuc clarius exprimat, rationẽ subiungit, dicens, Nam de illa sumptus es. Quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Non est autem hæc ratio sic intelligenda, quasi ob hanc causam moriturus fuerit Adam, quòd esset sumptus de terra. Nam alioqui moriendum illi fuisset, etiamsi non peccasset, ut frustra fuerit transgressioni præcepti mortis adiecta comminatio. Verùm sic est hæc particula posita, ut non reddat rationem mortis, quæ debetur peccato, sed corruptionis quæ mortem consequitur, per quam corpora mortuorum in puluerem cõuertuntur, unde sunt sumpta: sicuti piscium cadauera in aquam, unde proueuerunt, nisi eijciantur ex aquis, soluuntur.

QVAESTIO I.

An sententia in serpentem lata, iusta fuerit.

Et ait Dominus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es &c.] Quæritur hoc loco, fuerit ne iusta hæc sententia in serpentem lata, cum constet illum non fuisse seductionis huius authorem, sed organũ tantũ sataneæ, à quo nihil horum intelligens impellebatur. Quare uideri potest maledictionis huius sententiã in ipsum potius sataneam quàm serpentem, animal licet astutum, sensu tamen & intellectu tam humano quàm angelico destitutum, fuisse stringendam. Verùm si quis iudicia Dei penitius introspiciat, quibus non solum autores scelerũ, sed & organa illorũ quibus usi sunt, licet bruta sint animantia, immo & res inanimes omniq; sensu destitutæ, supplicio & exitio subijciuntur, facile iudicabit, huiusmodi condemnationes, cedere non solum ad sceleris commissi, sed & ipsius authoris detestationẽ amplificandũ. Quod ipsum sataneam concernit, erat ille iam antea damnatus, & cœlesti sede deiectus. Rectè autem ad detestandum illius malitiã, fraudem, & nequitiam, omnia illius organa supplicio subijciuntur. Nam sicuti rectè amantur & honorãtur felicitatis alicuius organa, qualiacunq; sint illa, ita rectè exitij instrumenta, quæcunq; illa sint, unà cum authore puniuntur & condẽnantur. Quod si impulsu sataneæ homo mente motus homicidium perpetrauerit, non parcitur illi in uniuersum, sed alicui castigationi traditur, & carceribus saltem includitur. Si canis furijs agitatus læserit hominem, quis nõ censet eum occidendum? Gladium, quo perpetratum est homicidiũ, quis non ex animo detestatur, nisi forsan sit, cui nõ doleat cædes innocentis? Si quis cum iumento coeat, non solum qui facinus hoc perpetrauit, sed & ipsum iumentum igni traditur, uide Leuit. 20. Et Iosue 7. nõ solum Achas punitur, sed & liberi, & boues et oues,

ac simul omnis illius supellex igni traduntur. Tale supplicium contigit & illis, quæ ad Core pertinebant, quæ & ipsa, tellure aperta, sunt absorpta, Num. 16. Et Exod. 21. legimus: Si bos cornu percusserit uirum uel mulierem, & mortui fuerint, iumentum lapidibus obruetur. Et Deut. 7. iubentur simulacra Gentium igne conburi: præcipiturq́, ne quis aurum uel argẽtum ex illis concupiscat, &c. quæ tamen sunt bonæ Dei creaturæ, nec culpæ possunt esse capacia. Et Deut. 13. præcipit, ut ciuitas ad cultum falsorũ deorũ prolapsa sic destruatur, ut nõ solũ homines, sed & pecora & supellectilia perdantur. Et 1. Sam. 15. Amalechitæ sic dantur internecioni iussu Dei, ut & paruuli, & oues & boues, & cameli & asini deleãtur. Quare nõ debet insolens cuiquã uideri, quod hoc loco de serpente à Deo maledicto legimus, quasi iniquum sit hoc iudicium in bestiam ratione destitutam latum. sed consideranda est potius peccati & exitij enormitas, & mirandum, quod nõ prorsus extinctum est & è medio sublatum tantæ perditionis organum. Quod si quis adhuc contenderit, reddat rationem, quomodo æquum sit, quod furta, homicidia, & quæ alia sunt huiusmodi facinora, cum sint animi praui & malicioſi magis quàm corporis opera, pœnis corporum puniuntur. Quid est corpus aliud quàm organum animi? Et tamen si bonus sit animus, bona illius opera in ipso corpore honorant: si malus, mala illius facta in corpore puniũ tur. Blasphemo exciditur lingua, periuro amputãtur duo digiti. Quod est illorum delictum cum organa sint, ratione destituta? Corpora reproborum unà cum animabus pœnas sempiternas dabunt in inferno. Si iniquum est, quod organum unà cum actore spiritu damnatur, utiq́ pari ratione iniquum erit, quod corpora fidelium unà cum illorum spiritibus sempiterna uita ac felicitate fruentur. Sed absint à pijs animis huiusmodi cogitationes, quibus non solum omnis omnium legum uigor, sed & diuini iudicij iustitia, immo & bonitatis ipsius consolatio eneruatur.

QVAESTIO II.

Quomodo satanæ dẽtur inimicitiæ aduersus mulierẽ, cum sit & uirorũ & mulierum hostis.

Inimicitias ponam inter te & mulierem.] Quæritur hoc loco ab illis, qui sententiã hanc condẽnationis nõ ad serpentem, sed ad satanam referunt, quid sibi uelit quod inimicitias se inter mulierem & satanam positurus dicit Deus, cum satan non solum mulierum, sed & uirorum sit hostis. Quæstionem hanc mouet Augustinus libro secundo de Genesi contra Manichæos, cap. 18. & ad illam sic respondet: Quare ergo ita dicitur, nisi quia hinc manifestè ostenditur, non posse nos à diabolo tentari, nisi per illam animalem partem, quæ quasi mulieris imaginem uel exemplũ in uno ipso homine ostendit? Quod autem etiã inter semen diaboli & semen mulieris ponunt inimicitiæ, significatur semine diaboli peruersa suggestio, semine autem mulieris fructus boni operis, quo peruersæ suggestioni resistit. Et ideo obseruat ipse plantam mulieris, ut si quando illicita labitur delectatione, tunc illam capiat, & illa obseruat caput eius, ut eum in ipso initio malæ suasionis excludat. Hæc Augustinus. Ergo illi mulier hic non est mulier, sed animalis sensus, inferior pars hominis: & serpens non est serpens, sed satan: & semen mulieris non est humanum genus, sed fructus boni operis (de quo non immeritò mirabitur homo sensatus, quomodo fructus boni operis semen sensus animalis dici queat) & semen serpentis non est serpentis posteritas, sed mala suggestio. Sic ille sentit serpentis huius condemnationem non historicè, sed mysticè esse intelligendam. Et Lyranus iudicat illam non de serpente, sed de satana esse exponendam. Addit rationes. Primò, inquit, quia Deus dirigeret sermonem suum ad animal brutum non intelligens. Secundò, quia serpens in nullo peccauerat, sed solum dæmon, mouendo linguam eius. Tertiò, quia statura recta nõ cõpetit animali, sed tantũ homini. Et ideo Augustini expositio melior uidetur. Hæc ille, quibus tamen Burgensis non immeritò contradicit. Ex recentioribus alij historicè quidem exponunt, quæ serpentem concernũt, usq́ ad hæc uerba: Inimicitias ponam inter te & mulierẽ. quæ proprie satanæ cõpetere dicunt, nec ullo modo ad serpentem referenda esse putant. alij sic ea ad serpentem referunt, ut nihil eorum diabolo cõpetat. Meo iudicio, non est infringendus sensus historicus. Nihil enim habet, quod sit absurdum. Retinenda est uerborum simplicitas & proprietas, ut mulier sit Eua, semen mulieris sit illius posteritas, genus humanum: serpens sit uerus ille & naturalis serpens, qui mulierem seduxit: semen serpentis, sit illius quoq́ posteritas: inimicitiæ inter serpentem & mulierem & utriusq́ semen, sint notæ illæ inimicitiæ, quæ etiamnum inter mortales & hanc execrabilem bestiam durant. uerùm simul sicut & Chrysost. facit, obseruanda est in istis imago quædam satanæ, hostis humani generis, qui serpente hoc tanquam maliciæ suæ organo usus est. Inter illum quoq́ & mulieris semen genus humanum, irreconciliabiles intercedunt inimicitiæ. Et id quidem illi permittitur, ut calcaneis nostris insidietur, hoc est, ut aliquoũsq́ tentet, uerùm ut quod cupit perficiat, non permittitur. uicissim autem caput illius, hoc est ipsa potentiæ illius summa per semen mulieris conteritur, id quod per Christũ est factum, qui quoniam uerus homo est, rectè semen mulieris dicitur & ad Euam refertur. Etenim si Lucas generationem eius rectè ad Adamum refert, quid impedit, quo minus ad Euam quoq́ referri possit, cum illa mater fuerit uiuentium? Nec absurdi quicquam habet, quod toti posteritati mulieris id tribuitur, quod per membrum illius aliquod est factum. Qui legunt: Ipsa conteret caput tuum, referunt alij ad Ecclesiam, alij ad beatam uirginem, matrem Domini. Verùm quoniam lectio illa Hebraicæ ueritati manifestè repugnat, non potest illius expositio aliquid obtinere roboris apud eos qui uel mediocrem linguæ sanctæ peritiam tenent.

QVAESTIO III.

Cunctis diebus uitæ tuæ. Et donec reuertaris in terram.] Mouent hic quæstionem quomodo impletum sit illud,

illud, Quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini, cum post peccatum non sit statim sequuta mors, sed utrique Adæ & Euæ aliquot non modò dies, sed & anni, immo & secula uitæ permissa legantur. Chrysostomus ad hanc quæstionem sic respondet, ut dicat primos nostros parentes inox acceptæ mortalitatis sententia fuisse mortuos, eo quod morti iam essent destinati, licet postea diutius uixerint: perinde ac si sceleratus homo sententia mortis à iudice accepta, rursus in carcerem certo aliquo die plectendus ducatur, eamq; ob causam mortuus magis quàm uiuus censeatur, propter mortis acceptam sententiam. Verùm, meo iudicio, morte mori Adamum propter transgressionem, nihil erat aliud quàm mortalem ex immortali fieri: ut rectè uerterit Symmachus illud, Morte morieris, per morta lis eris. Cum igitur hæc fuerit diuinæ cõminationis sententia, non est ratio cur hic quæstio moueatur. Nam sic Adæ & posteris ipsius omnib. contigisse sicuti cõminatus fuerat Deus, res ipsa declarat. Quanquam etiam si illud, Quocunq; die comederis ex eo, morte morieris, non de mortalitate, sed ipsa morte mox peccatum, eo uidelicet ipso die, sequutura dictum esset: nemo tamen pius os Domini propterea in iudicium uocabit, quasi falsi quicquam prædixerit. Etenim diligenter est inter uaticinia rerum futurarum & comminationes pœnarum distinguendum. In uaticinijs rectè quæritur, an quod prædictum est, uerè ac sicuti prædictum est eueniat. In comminationibus non ita. In illis siquidem nemo iudicem mendacij arguet, si pœnas, quas transgressoribus comminatus est, non secundum seriem uerborum exequatur, sed pro sua clementia mitiget, præsertim si locus aliquis potest esse clementiæ. Iam uideatur, an quod dictum est à Deo, Quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris, non magis comminationis quàm uaticinij uerbum habeat. Certè conuenientius est, & rationi legis ac præcepti competentius, ut tanquam minas ad terrendum magis, quàm quasi uaticinium ad prædicendum mandato præmisso adiectum esse intelligamus. Itaque si minas habent hæc uerba, ualde inconueniens est, mouere aduersus Deum quæstionem, quare non mox occiderit peccatores, sed tantum illis uitæ spacium permiserit, cum sint illi magis ob hanc pœnæ mitigationem agendæ gratiæ, & agnoscenda inenarrabilis illius sapientiæ consilia, quibus factũ est, ut & punitũ sit peccatum transgressionis, & simul permissum ut humani generis conseruatio & propagatio sub ipsa etiam mortalitate futuræ redemptionis retineretur. Mortuus est Adam, mortua est Eua. Omnino experti sunt mentitum esse serpentem, qui dixit, Nequaquam moriemini: non esse autem uana minatum Deum, & tamen sic sunt mortui, & diuinæ cõminationis ueritatem experti, ut nihilominus efficax manserit illud, Crescite & multiplicamini, & replite terram, & consilium Dei de genere humano multiplicando per Adamum, & redimendo per Christum, per maliciam satanæ non sit impeditum ac subuersum.

Chrysostomus.

Morte mori est mortalem esse factum.

Inter uaticinia rerum futurarũ & cõminationes pœnarum distinguendum est.

Per huiusmodi comminationes Esa. 38. dicebatur Ezech. Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & nõ uiues. Et tamẽ anni 15. postea concessi sunt quibus uiueret. Et Ionæ 4. Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur, quod tamen postea nõ est factum.

OBSERVATIO I.

Et cum audissent uocem Domini Dei deambulantis in paradiso.] Principio considerandum hic est, quanta sit hac in re bonitas & philanthropia Dei declarata, quod primos homines iam peccatores, & proprio sensu miseros, non est pro ipsorum meritis auersatus, sed confestim atque deliquissent & in laqueos satanæ incidissent, magis seruandi quàm perdendi gratia inuisere dignatus. Nam dubio procul, nisi eos statim uisitasset, in maiora discrimina non iam blanda seductione, sed impulsu satanæ præcipites dati fuissent. Quare quod cum illis expostulat, paternam magis castigationem quàm iusti iudicis seueritatem declarat. Ista prouidentia & cura Dei, qua eos qui in peccata sunt tentatione satanæ inducti ac prolapsi, hoc nobis exemplo statim initio consideranda proponitur, sine qua nemo fieri posse speret ut qui prolapsus est in peccatum, diaboli laqueos euadat. Et hic est circuitus Dei deambulantis in paradiso, in quo uiuimus, uarijs satanæ tentationibus obnoxij. Valeant, qui talem nobis Deum fingunt, qui deambulet in cœlo tantũ inter delicias angelorum, nec Adæ & Euæ tentationib. satanæ obiectorũ curam gerat. Describitur hic à Mose quod in paradiso, non ubi angeli uiuant, sed ubi homines degunt, idq; non adhuc innocentes ac salui, sed transgressores iam ac prostrati, quasi paterfamilias circueat. Quare hanc imaginem Dei מתהלך, id est, circueuntis ad inuisendum peccatores singulari studio per spiritum sanctum, ad hoc nobis propositam esse sentiendum est, ut in illa discamus, cuius sit censendum beneficium, quando peccatores eriguntur, & laqueis satanæ eripiuntur.

Deinde obseruandum est, quod non tacens in paradiso, sed clamans ac uociferans circuit Deus. Et cum audissent, inquit, uocem Domini Dei deambulantis in paradiso. Vox Dei peccatores inclamantis, est uerbum pœnitentiæ, per quod uisitant & ad uiam reuocant, quos satan mundi huius illecebris seduxit. Talis uox erant prophetæ qui mane & indesinenter mittebant. Talis erat præcursor Christi, clamans in deserto, Resipiscite, & parate uiam Domino. Talis uox erat Christus, & post Christum Apostoli. Præcesserat hanc uocem uox præcepti: Ne comedas ex ligno scientiæ boni & mali, alioqui morte morieris. Sonitus huius uocis decebat illis non esse transitorius, sed perpetuus, quo contra satanæ tentationes custodirentur. Verùm mulieri eripuit illum tentatione sua serpens, uiro mulier. Quare inter peccandũ nulla uox Dei audiebatur à miseris. Obtinuerat enim uox seductoris serpentis, & uox mulieris seductæ. Rectè ergo uocem Dei post peccatum rursus audisse scribuntur, per quam ad resipiscentiam uocabantur. Cogitemus, an ista non etiam nobis usuueniant. Audiumus uocem Dei, & præcipientis, & minantis, & promittentis. Hanc nobis satan sic interuertit ac suam substituit, dum tentationibus suis cursum pietatis subuertit, ut in peccata conjecti aliquandiu nullã diuini uerbi uocem

Circuit Deus nõ tacens, sed clamans.

audiamus: Non quod non loquatur nobis Deus, sed quod aures nostræ ueluti luto concupiscentiarum ac terrenæ delectationis sunt obturatæ. Tandem inuisente nos gratia Dei, aperiuntur nobis aures, ut uocem Dei circueuntis & miseros uisitantis audiamus. Quare diligenter est hic Satanæ astus obseruandus & cauendus, quo nobis sonitum uocis Dei tantisper eximit dum incautos in foueam grauissimorum peccatorum præcipitet. Quod ubi acciderit, ne sic quidem desperandum est de clementia Dei, sed ad inclamantis & ad resipiscentiam uocatis uocem aures aperiendæ. Hodie, inquit, si uocem eius audieritis, nolite obturare corda uestra.

OBSERVATIO II.

Insignis prouidẽtia temporis.

Ad auram post meridiem.] Et in hac particula obseruanda est insignis prouidentia Dei. Imminebat nox natura sua timidis ac dejectis molesta, cuius etiam caligo subinde à satana ad perficiendum ipsius maliciam usurpatur. Erant Adam & Eua iam post commissum peccatũ tristes ac directi, propter sensum turpitudinis, quem exnuditate sua conceperant. Quare ne nox imminens occasionem satanæ maiora tentandi præberet, accelerat ad uesperam clementissimus Dominus: & facta examinatione, serpentis maliciam damnat & restringit.

Aura uespertini temporis.

Simul & illud nonnulli cogitant, quàm commodè uespertini temporis aura, quæ propter imminentis noctis frigiditatem & meridiani caloris remissionem, plurimum refrigerationis adfert illis quos calor diurnus afflixit, diuinæ huic uisitationi assignatur, qua fidelissimus creator peccatores inuisere et erigere uoluit. Etenim rectè æstus etiam ille meridiani caloris tentationi satanæ tribuitur, dum ad auram post meridiem Deus prolapsos ac superatos uisitasse scribitur. Sic dum in tentatione sumus, meridies est, æstus est, labor & afflictio est: ubi uerò tentationis æstus & concupiscentiarum feruor remisit, & ad nos ipsos paululum reuersi sumus quasi uespertina quædam aura exoritur, dum per uocem ac prædicationem resipiscentiæ recreamur, & ad Deum nostrum inuisentem nos erigimur.

Consideratio iudicij Dei.

Ista nobis hoc loco consideranda puto, quatenus hæc historia exemplum habet diuinæ bonitatis & philanthropiæ. Verùm si cui in illa etiam diuini iudicij seueritas spectanda uidetur, propter condemnationem eorum qui deliquerant, habet & ille quod obseruet in hac perticula. Vtpote quomodo dies iste, præsentis uitæ & iudicium quo aduersus peccatores pronunciatum est, finalis & extremi iudicij gerat imaginem. Interdiu peccarunt serpens mulier, Adam. Vesperi, hoc est in fine diei instituitur judicium, quo pœnæ peccatoribus decernuntur. Sicdum durat seculi huius dies, peccatur, in fine aderit iudex omnes ad iudicium uocans, & sententiam aduersus omnia omnium commissa pronuncians.

OBSERVATIO III.

Abscondit se Adam & uxor eius à facie Dei in medio ligni paradisi.] Est hic locus diligenter inspiciẽdus, propter naturam peccati considerandam. Qualis enim in primis est parentibus nostris deprehensa, talis inuenitur etiam in illorum posteris. Perspicuè autem depinguntur hic illius fructus, unde cognosci potest etiam uis illius & malicia.

Natura peccati considerãda.

Mala cõsciẽtia.

Principio generat malam conscientiam. Indita nobis est à Deo lux quædam, omnium eorum quæ cogitamus, dicimus et facimus inspectrix perpetua, quam nemo mortalium à se abijcere, nemo fallere, nemo testimonium illius effugere potest. Hanc Græci uocant συνείδησιν, latini cõscientiam. Bona dicitur, quando nullius sibi mali: mala uerò & impura, quando mali alicuius sibi conscius est homo. Ea erat per peccatum in Adamo à bona in malam mutata. Non poterat accusationem illius effugere. Hoc est, non poterat ignorare mandatũ quod acceperat, factumq; quod gesserat, nõ poterat probare quod deliquerat. Quare conscientia omniũ improbissima peccatorũ accusatrix, dubio procul animũ eius diuexabat, & condẽnabat. Sunt enim quatuor ista conscientiæ nostræ perpetuo innexa. Primũ est, scientia eorũ quæ à nobis cogitantur, dicuntur & fiunt. Secundũ, testimoniũ tam certũ & fidedignum, ut cõlebri prouerbio dicatur, Cõscientia mille testes. Quare etiamsi totus orbis testetur nos esse in causa qua piam insontes, conscientia uerò nostra diuersum testetur, plus roboris erit illius unius quàm totius orbis testimonio: rursus si testetur nos esse sontes, conscientia uerò testetur nos esse insontes, firmius erit huius quàm illius testimoniũ. Tertiũ est, accusatio uel defensio eorũ quæ facimus. Bnoa cõscientia defendit innocentiã, & si quid bene ac rectè gestã est. Mala accusat quicquid male geritur. Sic in extremo die, ubi occulta nostra iudicabuntur, conscientia nostra uel accusabit uel defendet quæ gessimus: quare Apostolus Romanis secundo loquitur dicens: Eiusmodi legem non habentes sibij psi sunt lex, qui ostendunt legis opus scriptum esse in ipsorum cordibus, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiã defendentibus in die cum iudicabit Deus occulta hominum. Quartum est, condemnatio malorum, & iustificatio bonorum nostrorum factorum Sic Paulus de homine hæretico scribit, quod sit proprio iudicio condemnatus. Tit. 3. Quemadmodum autem condemnat nostra peccata, ita & innocentiam nostram iustificat. Quare non uidetur esse præter rationẽ, quod Menander dicit βροτοῖς ἅπασι ἡ συνείδησις θεός. Sic tamen sentiendũ est de hac illius iustificatione, ut etiamsi insontes simus cum Apostolo dicamus, Nihil mihi conscius sum: in hoc tamen iustificatus non sum. Nam qui iudicat me, Dominus est.

Conscientiæ hæc quatuor insunt perpetuo.
1. *Scientia.*
2. *Testimonium.*
3. *Accusatio uel defensio:*
4. *Condemnatio uel iustificatio.*

Iam

Iam cogitet homo pius, quantum mali generetur in corde nostro per peccatum, dum conscientia bona, hilaris & quieta mutatur in malam, tristem ac inquietam, testificans pro nobis, in eam quæ aduersum nos testetur, defendens nos in eam quæ nos accuset, iustificans innocentiam nostram in malitiæ nostræ condemnatricem. Et hoc malum tanto est grauius, molestius, & intolerabilius, quanto est intimius, ineuitabilius, & coniunctius. Quid autem intimius corde nostro? quid coniunctius? quid minus uitari ac declinari potest? At hic sedem suam fixit conscientia ista, nec potest excuti, nec sopiri, nec cõpesci, nec declinari. Videt, audit, cõtrectat, olfacit, gustat, intelligit omnia cogitata, dicta & facta nostra, iudicat & pronunciat de omnibus. O quàm inæstimabile bonũ conscientia bona, & rursus quàm inedicibile malum est conscientia mala? Quàm miserabiles cogitationes putamus Adamũ in corde suo sensisse, cum post peccatum nuditatis suæ turpitudinem experiretur, illamq; cum aliter non posset, saltem ficulneis succinctorijs obtegere conaretur, deinde in eiusmodi deiectione uocem Domini creatoris sui, contra quem per inobedientiam sine ulla necessitate ad solam uxoris petitionem tam temere deliquerat, in ipso paradiso audiret, audiendo contremisceret, & latebras quæreret? Carnificina ista flagellatricis conscientiæ tantum habet acerbitatis, ut nonnumquam eos, qui gratia Dei destituuntur, ad laqueos adigat, sicuti Iudæ proditori accidit. Quare curandum omnibus pijs est, ut posteaquam per resurrectionem seruatoris nostri Iesu Christi fide in ipsum conscientiam bonam acquisiuimus, puritatem illam in conspectu Dei indefesso pietatis & innocentiæ studio, gratia illius adiuti, illibatam retineamus.

Quantũ sit malum conscientiæ malæ.

1. Pet. 3.

Deinde peccatum & in eo malitiæ suæ uirus ostendit, quòd fiduciam, quæ erat erga bonitatẽ Dei, prorsus extinguit, eoq; miseros adducit, ut nihil gratiæ, nihil fauoris, nihil beneuolentiæ à Deo sibi pol liceri queant. Impedit enim conscientia peccati, perpetuò occinens: Quid sperares ab eo, cuius gratiam contempsisti, cuius uerbum spreuisti, cuius uoluntati immorigerus fuisti, cuius beneuolentiam suggestionibus satanæ postposuisti, quem contra te iritasti, prouocasti, exacerbasti? Quomodo amicus esse poterit, qui contemptus est, qui læsus est, qui iritatus est? Ab inimico & irato quid sperabis? Hisce cogitationibus ejicitur ex corde omnis pristina fiducia, alienatur animus à Deo, ponuntur inimicitiæ cu iusdam occultæ adhuc primordia, & generatur horror quidam, cuius uis sentitur, quoties aliqua de Deo cogitatio incidit. Tantum enim adhuc fidei de Deo supereſt, quòd sit iustus, potens, terribilis aduersum inobedientes, & uindex malorum. Ea fides animum non quietum reddit, sed prorsus turbatum & contremiscentem. Sic satan credit & contremiscit. Et huiusmodi malum sensisse Adamum testantur ipsius & facta & uerba. Quid enim aliud erat, quòd cum uocẽ Domini in paradiso deambulantis audiret, & nullam dum increpationem ab eo expertus esset, tantopere trepidabat, & à facie illius fugiebat? Amiserat scilicet pristinæ beneuolentiæ Dei fiduciam, & hunc animo metum ac horrorem conceperat, ut conspectum Dei ferre non posset, immo ad uocem illius expauesceret, & pauefactus fugeret: id quod & postea confessus est, dicẽs: Vocem tuam audiui, & timui. Timor ille unde erat? Nec ex Deo nec ex uoce eius, sed ex conscientia peccati, & amissione fiduciæ.

Peccatũ extinguit fiduciã erga bonitatem Dei.

B

Tertiò accedit & illud, quòd hominem ad hoc impellit ut à Deo fugiat. A Deo autem fugere, quid aliud est, quàm à uita fugere ad mortem, à summa felicitate ad extremam miseriam & perditionem? Qui elongant se à te, peribunt, inquit Propheta. Qui à Deo fugit, ô quàm uellet non esse eum amplius in rerum natura, à quo fugit? Sic creatura Dei ad imaginem Dei sublimata, in tam profundum exitium per malitiam peccati abijcitur, ut creatorem suum extinctum & è medio sublatum esse uellet. Etenim, ut ille ait: Quem metuit quisque periisse cupit. Non possum eum diligere, à quo mihi timeo, cuius nec uocem nec faciem ferre possum, à quo cum tremore & horrore fugio. Quem diligere non possum, quo alio quàm odij affectu prosequi possim, non uideo. Quem odi, quomodo periisse nolim? Hæ sunt operationes illæ satanæ, quibus amicitiam ac fiduciam nostram, quæ inter Deum creatorem & nos intercesserat, statim in primis nostris parentibus non simpliciter labefecit, sed quod detestabilius est, in odium & inimicitiam mutauit, ut non frustra dixerit Apostolus, Sapientiam carnis inimicam esse Deo. Quare meritò excellentia diuinæ bonitatis in eo commendatur ab eodem Apostolo, quòd cum inimici essemus Deo, reconciliati sumus per mortem filij eius.

Peccatum adigit hominem ut à Deo fugiat.

Rom. 8.

Rom. 5.

Quartò, in huiusmodi horrore ac tremore, quo à facie Dei fugiebat Adam, animaduertendum etiam est, quam, non dico ignorantiam, sed planè dementiam gignat nobis peccatum, in eo quòd à facie Dei fugere, & nos abscondere molimur, qui nusquam non est præsens. Hanc dementiam propheta Dauid psalmo centesimo trigesimonono perstringit ad hunc modum: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es. Si descendero ad inferos, tu ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etiam illinc manus tua abducet me, tenebit me dextera tua. Et dixi, Forsitan tenebræ occultabunt me: at nox lux usq; ad me. Etiam tenebræ non obtenebrant à te, & nox sicut dies illuminat, & perinde sunt tenebræ atque lux. Significat se dubio procul, dementiæ huius tentationem esse expertum, quam tam graphicè ac tam multis perstringit. Hanc Adam cum uxore sua usqueadeò expertus est, ut non solum fugere à facie Dei, sed & in eo ipso paradiso, idq; in illius medio, abscondere se conatus sit, in quo sentiebat Deum circumeuntem, & cuius uocem ad tremorem usque audiebat.

Peccatum reddit hominẽ dementẽ

Hæc est illa sapientia & scientia, quam satan induxerat, dicens, Eritis sicuti dij, scientes bonũ & ma-

lum. Hoc est, Eritis sicuti miseri, stulti ac dementes. Quid futurum existimandum est in die Domini, quando audietur uox eius, cunctos ad iudicium uocantis? Tunc ista stultescent ac dementes erunt impij, qui nunc securè prædicationi gratiæ resistunt, ut montibus dicant, Cadite super nos: & collibus, Operite nos. Fuga ista omniũ est stultissima & molestissima. Stultissima, quòd ab eo fugitur, qui ubiq; præsens est: molestissima, quòd fugiendo non effugitur.

Fuga ista omniũ est stultißima et molestißima.

Quare curandum est omnibus sensatis, ut in huiusmodi tentatione recordentur uerborum Dauidis, & quàm primùm se ultrò ad pedes Domini summa cum humilitate, & diserta peccatorum confessione ac gratiæ imploratione proijciant, certi non esse compendium melius ad euadendum ex hisce angustijs, quàm si nos in conspectum Domini ad hunc modum proijciamus. Primum quidem est, seruare innocentiam, nec transgredi præceptum diuinæ Maiestatis, ne uim hanc & malitiam peccati, id est, diabolicæ operationis, experiamur. Verùm quoniam ista perfectio paucorum est, imò ut uerius dicam, nonnisi unius Christi: consectaneum est, ut nobis ab hac dementia post peccatum caueamus, ne conemur ab eo fugere, quem effugere non possumus: & si possemus etiam, nonnisi certissimo nostro & irreparabili exitio possemus.

OBSERVATIO IIII.

Cumprimis uirũ concernunt, quæ in domo ipsius delinquuntur.

Vocauitq; Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es?] Primùm obserua quòd utrosque, & Adamum & Euam qui deliquerant examinaturus: non utrosque, sed Adamum tantum ex nomine inclamat. Admonemur hoc exemplo, uirum cumprimis concernere, si quid non ab ipso tantum, sed ab uxore quoque & liberis fuerit peccatum. Cum præceptum de ligno scientiæ boni & mali non usurpando daretur, Adæ ex nomine loquutus Deus scribitur. Sic quum esset super illius transgressione expostulaturus, Adamum rursus nominatim ad se uocat. Vir caput est mulieris, & familiæ pater, ut illi nominatim quæ non ipse duntaxat, sed & uxori ac liberis seruanda sunt, mandantur: ita & delictorum cõmunium ratio ab ipso nominatim rectè exposcitur.

Rationem Deus habet animi consternati.

Deinde, uide quàm clementer Adamum euocet. Nihil audis quod animi commoti præferat indicium. Non obiurgat, non maledicit, nihildum opprobrat, sed simpliciter, Vbi es? inquit: id quod magis est absconditum euocare ad se, quàm peccatorem corripere. Erat Adam alioqui consternatus, & in angustijs constitutus. Quare singulari clementia usus est erga illum Deus, ne animum deiectum ac perturbatum prorsus opprimeret, si duriusculè cum eo ageret. Sit hoc exempli uice omnibus illis, quibus negocium est cum timidis, anguſtiatis & consternatis peccatoribus.

OBSERVATIO V.

Ingenium carnis non solum peccatricis, sed & dissimulatricis.

Simile.

Qui ait, Vocem tuam Domine audiui in paradiso, & timui quòd nudus essem, & abscondi me.] Principiò illud considerandum est, quòd non dicit, Et timui quòd culpabilis sum, & præcepti tui præuaricator: sed, Eo quòd nudus essem, inquit. Videmus hic ingenium carnis nostræ non solum peccatricis, sed & dissimulatricis: idq; non solum coram hominibus, sed & coram Deo, cordium nostrorum & omnium secretorum cognitore. Non sustinet turpitudinem suam & culpam prorsus nudare, sed quoad eius fieri potest, altissimè dissimulat. Ignorat autem misera fieri non posse, ut conscientiæ inquietudine ac perturbatione liberetur, tantisperdum in hac peccati dissimulatione & obtectione perdurat. Quemadmodum enim curari non potest acceptum uulnus, donec pus intrinsecus latens non fuerit expurgatum, ita non potest animus peccatoris quietus ac tranquillus reddi, nisi per plenam peccati confessionem reatus interne mordens ac diuexans tollatur. Hanc rem expertus Dauid, psalmo tricesimosecundo canit, dicens, Beatus cui remittitur transgressio, & cui tegitur peccatum. Beatus homo, cui non imputat Dominus delictum, nec est in spiritu eius dolus. Quoniam tacebam, inueterabant ossa mea, in rugitu meo tota die. Quum die ac nocte aggrauaretur super me manus tua, immutabatur humor meus in siccitates æstatis. Audis angustias animi de peccato sibi quidem conscij, uerùm peccati iustam ac plenam confessionem detrectantis, donec tandem uictus erumperet, & peccatum confiteretur: de quo subiungit, Peccatum meum notum tibi feci, & delictum meum non operui: dixi, Confitebor transgressiones meas Domino, & tu absstulisti iniquitatem peccati mei. Hic pudor planè peruersus est, nolle reuelare medico secretum uulnus: unde certum est, nisi curetur, expectandum exitium. Radix autem illius est mentis superbia, qua caro nostra cum sit culpabilis, insons uideri mauult, quàm esse.

Erroris propriũ est, ut quod nobis, Deo quoque displicere putemus.

Deinde obseruandum est, quòd nuditatem corporis prætexit, propter quam in facie Dei cõparere ueritus sit: quasi oculos Dei nuditas offendat corporis, & non magis impuritas mentis, superbia, diffidentia, hypocrisis ac dissimulatio. Sed hoc est erroris proprium, inquit Augustinus, ut quod nobis displicet, Deo quoq; displicere putemus. Hoc errore laborant etiam posteri Adæ, qui quemadmodũ externam corporum ac rerum mundiciem splendoremq; plurimi faciunt, ita & de Deo sentiũt, putantq; illum consimiliter esse affectum. Hinc est splendor ille in cultu Dei, auro constans & argento, & nescio quibus alijs externis mundicijs, pompis ac sumptibus spectabilis, quo se Deum optimè uenerari & colere nullam aliam ob causam iudicãt, quàm quòd huiusmodi spectacula perinde diuinæ Maiestatis atq; humanæ stultitiæ oculos remorari oblectareq; putant. Dicet aliquis errori huic patrocinaturus: Ergo

A Ergo nihil refert, reuerenter ne uel irreuerenter in conſpectu Dei appareamus? decenter ne Eccleſiam Dei ingrediamur, uel indecenter? Quid eſt igitur, quòd Apoſtolus Corinthiorum mulieres reprehendit, quòd nudis capitibus in Eccleſia comparebant? Reſpondeo: Vt non eſt externi ornatus appetens Deus, ita non eſt & ſordium: & quemadmodum externam, quæ corporis eſt, reuerentiam non moratur, ita nec irreuerentiã corporalem & externam probat. Cor intuetur, & huius ſynceritatem, humilitatem, fidem, obedientiam ac dilectionem probat: inſynceritatem, immundiciem, ſuperbiam, ſuperſtitionem, hypocriſim, & quæ alia ſunt huiuſmodi auerſatur. Quod admonitionem Apoſtolicam concernit, ſciendum eſt, quid Deo in conſcientia pura, & fide non ficta, & quid Eccleſiæ oculis debeatur. Multa ſunt, unde Deus ſi in abdito citra numinis contemptum ſimplici & integro animo fiant, haudquaquam offenditur: offenditur autem Eccleſia, ſi in ipſius oculis committantur. Nec poteſt eorum te meritas Deo probari, qui indecenti uel geſtu uel habitu in cœtu fidelium comparentes, Eccleſiam offendunt, quod genus offendiculi hodie ſanè admodum modici æſtimatur.

An nihil referat quàm reuerẽter in conſpectu Dei appareamus.

Tertiò & illud notandum eſt. Erat Adam ſuccinctorio ficulneo tectus, quod ſibi ipſe ad nuditatis ſuæ turpitudinem uelandam parauerat. Et tamen perinde ac ſi prorſus nudus ſit, dicit: Et timui, eo quòd nudus eſſem, & abſcondi me. Ergo ſuccinctorio ſuo non ita fidebat, ut cum illo in conſpectum Dei prodeundum ſibi iudicaret, ſed perinde afficiebatur, ac ſi prorſus eſſet omni uelamine deſtiturus, & planè cum dedecore nudus. Immo uidebat perizomate ſuo uſqueadeò non tegi factum, ut illo magis tanquam delicti argumento, proderetur. Videmus hoc exemplo, quàm ſint omnia illa ſuccinctoria propriæ noſtræ iuſtitiæ, & ſatisfactionum, quibus pudenda ueteris noſtri Adæ, corporis peccati, in hac uita obtegere nitimur, inania futura, ubi apparendum erit in conſpectu iudicis, & ratio reddenda de malè com miſsis. Et nobis illic omninò uſueniet, quod Adæ accidit. Sentiemus & ipſi nuditatis noſtræ turpitudinem, tenebimuſque faciem Dei, & optabimus aliquas nobis dari latebras, quibus abſcondamur.

Succinctorio ſuo non fidebat Adã in conſpectu Dei

OBSERVATIO VI.

Cui dixit Dominus, Quis indicauit tibi quòd nudus eſſes? niſi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes comediſti?] Obſeruandum hic eſt, quòd non dicit, Comediſti de ligno uetito, tranſgreſſus es præceptum meum, hinc te nudum eſſe cognouiſti. Sciebat hoc quidem Deus, ſciebat & Adam. Nihil deſiderabatur hic quod facti conſcientiam attineret. Erat illud utrique & Deo & Adæ manifeſtum. Con-

B feſsio peccati deſiderabatur. Illa exigitur hac percontatione. Admonemur igitur, non eſſe ſatis ad reſipiſcentiam coram Deo ineundam, ſi ſciamus nos deliquiſſe, niſi etiam diſertè delictum confiteamur. Hoc eſt, niſi carnem noſtram in conſpectu Dei humiliemus, & ſuperbiam illius cum deteſtatione quadam confundamus, quam Deus ferre non poteſt, & ipſa caro noſtra ægerrimè abijcit. Sic enim ueneno eſt ſatanæ infecta, ut humiliationem ſui ſummopere auerſetur.

Non eſt ſatis, ſi ſciamus nos deliquiſſe, niſi illud & confiteamur.

Deinde conſideremus hic, unde peccati confeſsionem extorqueat Deus. Ex ipſis uidelicet Adæ uerbis, quibus abſconſionem ſuam excuſans, peccatum diſsimulabat. Nuditatem corporis prætexebat dicens, Timui, eo quòd nudus eſſem. At ex eo ipſo deliquiſſe conuincebatur. Videmus hic, quàm malè corã Deo cedat omnis uel excuſatio uel diſsimulatio peccati. Sic habet enim natura ueri, ut nulla poſſit ratione ſic diſsimulari, ut non ex ea ipſa aliquid illius indicij prodatur. Quare perinde nobis hac in re accidit atque pueris, qui dum peccata ſua ſtudioſe celaturi aliquid prætexunt, unde quod factum eſt tegatur, ex eo ipſo quod prætexunt argumenta delicti parentibus offerunt. Sic contigit Adæ hoc loco. Peccatum ſuum prætextu nuditatis, quam cauſabatur, prodebat, cum diſsimulare conaretur. Sic deſipit ac ſtulta eſt caro noſtra. Finge mulierculam aliquam hoc à marito ſuo accepiſſe præcepti, ne ullo pacto ſpeculum intueatur. Illam uerò curioſitate ſuperatam contra mariti mandatum, faciem ſuam qualis ſit in ſpeculo contempları, et huius indicio fœditatis aliquid in illa deprehendere, eam'que ob cauſam ad mariti aduentum facie non aperta, ut antea, ſed obuelata prodire. Deinde interrogatam, cur faciem obtegere uoluiſſet, non confiteri factum, ſed fœditatem quæ ſit in facie prætexere: maritum reſpondere, Et quis indicauit tibi, eſſe fœdum quid in facie tua, niſi quòd ſpeculo, de quo præcepi tibi, ne illo utare, uti præſumpſiſti? Sic ſorex ſuo ipſius indicio proditur. Quare cauenda nobis eſt omnis peccati excuſatio ac diſsimulatio. Multo honeſtius confunditur, qui peccatum ſuum ipſe abſque ulla diſsimulatione confitetur, & cum pudore iram Dei deprecatur, ac ueniam humiliter petit, quàm qui uel excuſando uel diſsimulando peccaſſe deprehendit & conuincit. Qui unũ talentũ acceperat, & inutiliter defoſſum poſtea hero ſuo ſine fœnore reddebat, delictum ſuum quum excuſare uellet, magis exaggerabat. Sciebam, aiebat, quòd ſis homo durus, ideoq; cautè talentum aſſeruaui, ecce habes quod tuum eſt. Quare magno cum dedecore audiebat: Sciebas me eſſe hominem durum? Quare ergo nõ uel timore adactus poſuiſti pecuniam meam ad menſarios, unde lucri aliquid tuliſſem? atque ita ſine ulla gratia tenebris exterioribus tradebatur.

Malè cedit corã Deo omnis diſsimulatio peccati.

OBSERVATIO VII.

Dixitq; Adam, Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.] Vide ingenium depraua-

tæ carnis, quod hæreditario eſt omnib. Adæ poſteris agnatũ. Primũ diſsimulauit peccatũ, & nuditatem prætexuit. Deinde cum intelligeret factũ ſuũ nõ eſſe coram Domino abſconditũ, ut negare nõ auderet, confitetur

Diſsimulationẽ peccati ſequitur excuſatio.

confiterur quidem,ſed adiecta excuſatione et culpæ tranſlatione. Sic uidemus quomodo diſsimulationem ſequatur excuſatio. Caro noſtra ſic eſt comparata, id quod in pueris mox ab ineunte ætate comperimus. Si negandi locus eſſe poteſt, negamus contra noſtram ipſorum conſcientiam. Si probabiliter negare non poſſumus, ſaltem diſsimulamus. Vbi deprehenſi diſsimulare non poſſumus amplius, ſed omnino confitendum eſt aliquid, excuſamus factum: & ſi aliquo facto fieri poteſt, transferimus culpã commiſſorum in alios. Hæc omnia eò tendunt, ne prorſus confundamur, & turpitudo noſtra nuda & manifeſta conſtituatur. Exemplum huius ingenij, ſicuti uidemus hoc loco, imò non ſolum exemplum, ſed ipſa radix quoq; in Adamo & Eua præceſsit.

Excuſatio peccati cum ſingulari cõiuncta malitia

Deinde conſideremus excuſationis huius ſingularem quandam malitiam, unde recens imbibitũ ſatanæ uenenum agnoſcas. Non excuſat factum ſuum qualitercunq;, ſed utitur culpæ tranſlatione planè perfida. Transfert enim illam & in uxorem & in Deum ipſum. Neminẽ habebat, cui plus deberet fidei & beneuolentiæ, quàm Deũ cumprimis, deinde uxorẽ. Verùm nec illi nec iſti parcit. Poterat peccatum ſuum confiteri ſine mentione uxoris. Cogitare debebat, Etſi peccauit, tibiq; ut comederes de uetito fructu porrexit, peccauit tamen decepta, & tuum erat non conſentire, ſed corrigere factum. Verùm maluit uxorẽ culpa hac aggrauare, quàm illi parcendo plenam delicti culpam agnoſcere. Et hic morbus, fuga uidelicet propriæ confuſionis uſqueadeò iam tum initio inualuerat, ut citius Deo quàm ſibi ipſi culpam facti tribuerit, ſimulq; & donum & datorem culpauerit. Hæc impietas, utinam eſſet in Adamo extincta, & non etiam ad poſteros illius propagata. An non audimus hodie pleroſq; tales Adamos, qui dicant, Caro quam dedit mihi Deus, ſeducit ac perdit me? Item, Si alius eſſem à Deo factus, aliter agerem. Meipſe non feci. Hæc & conſimilia alia multa ſonant aduerſus Deum ora impiorũ. Vnde debebant creatori gratias agere, inde accuſant illum impij & ingrati. Latet hæc impietas in carne noſtra. Quare ſuggeſtus illius diligenter ſunt obſeruandi, ac ſeueriter retundendi.

Interea tamen & illud cogitandum eſt uiro prudenti. Quoniam Adæ hoc contigit, cum nondum eſſet peccati ueneno corruptus, ut ab uxore ad peccandum induceretur, quàm diligenter cuilibet ſit uiro poſt communem corruptionem cauendum, ne ab uxore ſua ſeducatur, & ad peccandum pelliciatur. Sic admonet propheta dicens, Ab ea quæ eſt in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui Mich. 7. Scio quid illic agat propheta, attamen nihil impedit admonitionem hanc in loco uſurpare, & ex ſpeciali facere generalem.

OBSERVAT. VIII.

Et dixit Dominus Deus ad mulierem, Quare hoc feciſti? Quæ reſpondit, Serpens decepit me, & comedi. Obſerua corrupti ingenij in utroq; Adamo & Euah conformitatem. Vterq; peccauerat, & ingenij quod rectum à Deo acceperat uterq;, corruptionem peccando imbiberat. Vterq; etiam corruptionis huius malitiam pariformiter declarat, ut rectè dixeris, ſimiles habuiſſe labra lactucas. Tranſtulit Adam culpam commiſsi in uxorem & Deum, uxor in ſerpentem, & ſic quoq; in Deum ſerpentis creatorẽ. Videsne operationem ſatanæ uires ſuas in utroq; pariformiter egiſſe, & utrũq; pariter corrupiſſe? Et hæc utriuſq; corruptio ſic propagatur in poſteros, ut nec in uiris ſolis, nec in mulieribus duntaxat, ſed æquè in utroq; ſexu deprehendatur. Quare non eſt, ut ſi quid à uiris delictum fuerit, culpam reijciant in uxores, nec uxores peccata ſua transferant in uiros: ſed agnoſcat uterq; ſexus in ſeipſo ingenij proprij corruptionem, & humiliter quod peccatum eſt emendet.

OBSERVATIO IX.

Et ait Dominus Deus ad ſerpentem, Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus uitæ tuæ.] Primùm notabis hic moderationẽ diuinæ clementiæ. Cum Adam utcunque, licet cum excuſatione, dixiſſet, Comedi, tranſiuit ad examinationem mulieris, cum poſſet penitius inquirere in illius peccatum, & excuſationis operculum prorſus detrahere. Cõſimili modo, cum mulier ſerpentis fraudem cauſata dixiſſet, Comedi, non exagitauit ultrà illius peccatum, ſed progreſſus eſt ad condemnationem ſerpentis, tanquam tragœdiæ huius authorem. Admonemur hoc exemplo, ut qualicunq; confeſsione peccatorum cõtenti ſimus, nec inquiramus delictorum circumſtantias accuratius. Tranſgreſsio peccati in eo conſtabat, quòd de fructu uetito comederant: ubi id confeſsi erant, excuſationes adiectis diuexare & ad uiuum exagitare noluit. Qui ſine omni peccato eſt, hac moderatione ſua immodeſtiam noſtram, qua peccatores ipſi peccatorum delicta cupidius æquo & atrocius exagitamus, inexcuſabiliter condemnat.

Moderatio diuinæ clementiæ.

Quòd autor peccati cum primis damnatur.

Deinde obſeruandum eſt, quòd condemnationis ſententiam orditur à ſerpente mali huius authore, uel ſi mauis, authoris organo. Admonemur eos qui alijs peccandi ſunt autores, peccare cæteris grauius, ac dignos eſſe, in quos cumprimis animaduertatur.

Quòd non exigitur à ſerpente peccati ratio.

Tertiò & illud notandum eſt, quòd nõ exigit rationem à ſerpente, quare mulierem ſeduxerit, ſicuti de Adamo & Euah exegerat: ſed ſimpliciter dicit, Quia feciſti hoc. Non erat beſtiæ locus excuſationis. Iurè damnatur brutum animal, organum exitij alicuius, nedum tanti: nec percontandum eſt de rationibus, cum uſum rationis non habeat: ſed ſatis eſſe ad condemnationẽ inferendam iudicatur, ſi de malefacto conſtet. Homini ſeruanda eſt hæc prærogatiua tanquam ratione prædito, ut etiamſi peccaſſe eum conſtet, de cauſis tamen & rationibus, quibus ad peccatum ſit inductus, quæratur.

De maledictione ſerpentis.

De Ophitis.

Quartò, conſiderandum eſt, quòd ſerpentem Deus, organum ſatanæ maledicit: Maledictus es, uel fis, inquit. Magna eſt Ophitarum cæcitas, qua ſerpentem à Deo maledictum, pro benedicto, loco Chriſti, coluerunt, cum tam manifeſtum ſacræ ſcripturæ locum ignorare nequiuerint. Imò, ſi Tertulliano

A liano credimus, Christo prætulerunt serpentem, satanæ organum, humani generis pestem. Nam de illis sic scribit, libro de Hæresibus: Hæretici, qui Ophitæ nuncupantur, serpentem magnificant, in tantum, ut illũ etiã ipsi Christo præferant. Ipse enim, inquiunt, scientiæ nobis boni & mali originem dedit. Huius animaduertens potentiam & maiestatem Moses, inquiunt, æreum posuit serpentem, & quicũq; ipsum inspexerunt, sanitatem consequuti sunt. Præterea Christus in Euangelio suo imitatur serpentis ipsius sacram potestatẽ, dicendo: Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita & exaltari oportet filium hominis. Ipsum introducunt ad benedicendum Eucharistiam suam. Hæc ille. Hoc quomodo faciant, cõmemorat Epiph. aduersus hæreses lib. 1. sic scribens: δοξάζουσιν οὖν αὐτὸν διὰ τὴν τοιαύτην, φησὶ, γνῶσιν, καὶ αὐτὸν αὐτῷ προσφέρουσιν. ἔχουσι γὰρ φύσει ὄφιν, τρέφοντες ἐν λίκνῳ τινὶ, ὃν πρὸ τῆς ὥρας τῶν αἰτῶν μυσπόλων τὸ φωλεὸν προσφέροντες καὶ σιβάζοντες ἐπὶ τραπέζης αὐτοὺς προσκαλοῦνται τὸν ὄφιν. ἀνοιχθέντος δὲ τοῦ φωλεοῦ πρόσεισι, καὶ οὕτως ἀνελθὼν κατὰ τὴν αὐτῶν μωρίαν ἄνεισιν ἐπὶ τὴν τράπεζαν, καὶ σύνεσθιεται τοῖς αὐτοῖς, καὶ τοῦτο φασὶν εἶναι τελείαν θυσίαν. ὅθεν καὶ ὡς ἀπό τινος ἀνήκοα, ὃ μόνον λέγουσι τὸς αὐτοὺς σὺν οἷς ὁ αὐτὸς ὄφις εἰλήφθη, καὶ ἐπιδιδόασι τοῖς λαμβάνουσιν, ἀλλὰ καὶ ἕκαστος ἀπαλάζεται τὸν ὄφιν ἐν γόματος, ἤτοι γονέως τινὸ ἑκάστου τῶν ὄφεως εἰς ἀμοιβότητα, ἢ ἐξ ἑτέρας συνουσίας διαβόλου πρὸς ἀπάτην τούτων ὑποποιουμένου τὸ ζῷον. προσπαίζει γὰρ τοιοῦτον, καὶ εὐχαριστίαν τοιαύτην ἐπιφημίζουσι τὴν δι' αὐτοῦ συνειληφότος γεγενημένην, καὶ αὖθις δι' αὐτοῦ, ὡς φασι, τῷ ἄνω πατρὶ ὕμνον ἀναπέμποντες, ὅτω τὰ μυστήρια αὐτῶν ἐπιτελοῦσι. Hæc Epiphanius. Quis non detestetur ludibria satanæ, qui usqueadeò inter Christianos quoq; locum reperit, ut serpentem, primum illud maliciæ suæ organum à Deo maledictum miseris & excæcatis loco Christi colendum obtrudat? Qua in re, sicuti initio fecerat, rursus uerbo se Dei opponit, & à se deceptis diuersum persuadet. Dixit Deus serpenti, Maledictus es inter omnia animantia terræ. Ille contrà, Benedictus est serpens inter omnia animantia terræ. Dedit enim homini scientiam boni & mali. Dixit Deus, Terram comedes cunctis diebus uitæ tuæ. Ille, Nequaquam, sed optimo pane uescatur. Inimicitias, inquit Deus, ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius. Satan contrà, Absit ini micitia. Sit uobis amicissimus. Item, Et ipsum conteret caput tuum, dixit Deus. Ille, Caput, inquit, serpentis huius nequaquam cõterite, sed blandiusculè demulcete, imò ad oscula uestra admittite. Hæc potuit hostis humani generis ad ludibrium uerbi Dei, & deceptionem mortalium persuadere hominibus miseris ac perditis, qui cultu serpentis Dominum & creatorem suum iniustitiæ damnarent, satanam iustificarent, gratiæ Christi in ipsa redemptionis nostræ memoria illuderent. Sed relictis illis, consideremus in hac serpentis condemnatione & maledictione, quid expectandum sit illis qui cum singulari sint
B à Deo prærogatiua uel scientiæ uel potentiæ, uel honoris donati, malunt satanæ contra creatorem suũ ad nocẽdum hominibus seruire, & acceptis donis aburi, quàm Deo aduersus satanam famulari. Digni sunt illi, ut ad exemplum serpentis huius ex benedictis fiant præ cæteris omnibus maledicti, ex erectis ac sublimibus ad terram depressi, ex honoratis & acceptis contemptissimi, & omnibus exosi, sic ut & semen eorum commune sustineat odium, donec de terra conteratur.

Satan per Ophitas sese uerbo Dei opposuit.

Quibus consideranda sit serpentis maledictio.

OBSERVATIO X.

Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsum conteret caput tuum, & tu conteres calcaneum eius.] Primùm obserua, quomodo nõ solum externa creatorum corpora, uita & actus, in manu Dei sunt, sed & penitissimi cordium illorum affectus, ut illos pro suo arbitrio mutet ac remutet. Vt enim amicitia, ita & inimicitia non externum quid, sed planè intimum est cordis pathos. Intercesserat inter mulierem ac serpentem præpostera quædam amicitia & familiaritas, & Deo inimica, & humano generi exitiosa. Hanc optimo iure conuertit in summas, æternas & irreconciliabiles inimicitias. Vbi duorum admonemur. Primum est, ut agnoscamus uirtutẽ Dei, in cuius manu sunt corda omnium non solum bestiarum, sed & hominum, sic ut intimos quoq; & uehementissimos illorum affectus dirigat pro suo arbitrio & mutet. Vnde Salomon dicit, Sicut diuisiones aquarum, sic est cor regis in manu Dei. Quocunq; uoluerit diriget illud. Prouer. 21. Alterum est, quàm sit iustum, ut qui malè inter se & sic conspirant, ut & Deo aduersentur, & mortalium cõmodis perniciem struant, irreconciliabili odio à se inuicem dirimantur, & in hostiles inimicitias coniciantur. Præcessit huius iusti & æquissimi iudicij Dei exemplum in muliere & serpente. Orandus est Deus, ut hodie quoq; omnes eos infensissimis odijs inter se cõmittat, nedũ à se inuicẽ diuellat, qui contra uerbũ & Ecclesiã Dei conspirans, atq; ita ubi satan perfidè organa sua cõiungit, & præposteras amicitias serit, ibi iustus iudex perpetuas ponat inimicitias.

Etiam penitißimi cordium affectus sunt in manu Dei.

Deinde considerandum hic est, quàm sapienti consilio Deus execrabilẽ hunc serpentẽ noluerit prorsus è medio auferre, ac de superficie terræ delere, cum id iustissima ultione fieri potuisse uideatur. Nemo dubitet, uoluisse hac in re Deum magis id facere, quod humano generi conduceret, quàm quòd serpentis facinus esset promeritum. Scilicet uoluit nobis ad finem usq; mundi primæ seductionis memoriam extare, & ob oculos uersari in serpente, ut quoties in illum inciderimus, ipso odio quo erga eum afficimur, de eo admoneamur, quid primis nostris parentibus ac nobis quoq; illorum posteris damni sit ab hac detestanda bestia illatum, adeoq; & de satanæ malitia cauenda cogitemus. Hac puto ratione serpentem non extinxit, sed seruauit in rerum natura, & hasce inimicitias quasi signum quoddam antiquæ seductionis inter nos & semen illius constituit.

Quare Deus serpentem maledictum non sustulerit prorsus à superficie terræ.

Tertiò obseruanda etiam est imago eorum quæ inter semen satanæ, & semen mulieris inde ab initio ad finem usq; mundi gerunt. Semen satanæ mali sunt tam homines quàm spiritus. Semen mulieris est Christus, cũ reliquo electorũ corpore. Quemadmodũ inimicitiæ sunt inter serpẽtes & genus humanũ, sic sunt

Imago eorũ quæ inter semen satanæ, & semẽ mulieris gerũtur.

sic sunt etiam inter semen satanæ & Christum cum electis. Et sicut semen mulieris serpẽtis caput quacunque poterit ratione conterit, ac serpens calcaneo illius uicissim insidiatur. sic Christus caput satanæ contriuit, dum potentiam regni illius morte sua & spiritu uirtutis destruxit. & uicissim satan per semẽ suum calcaneo eius insidiatur, uel contritionem, ut in Hebræo est, parat, dum membris illius exitium struit. Verùm dispari sorte calcaneo Christi insidiatur, dum nequit amplius quiddam, quàm ut instar serpentis eius extremitati insidietur, à quo ipse omnibus suis uiribus ueluti capite contritus spoliatur. Non potest regno Christi nocere, etiamsi per semen suum electos persequatur in mundo, & ex illis aliquot occidat etiam. Nolit enim uelit cogitur illis quos ad mortem usque persequitur, prodesse magis, quàm obesse. Sunt quidem insidiæ illius uehementer astutæ, dum instar uiperæ sub herba latitantis, & tectim quolibet per gramina & spineta serpentis, occultissimis insidijs exitium intendit electis, sic ut sese in angelum quoq; lucis transformet: uerùm uirtute Christi sic reprimitur, ut salutem fidelium interuertere non possit. Nobis igitur cumprimis hoc sit persuasum, omnino uerum esse, quod habet hæc sententia, Ipsum conteret caput tuum, quicquid adhuc draco antiquus moliatur. Deinde sic paranda sunt corda nostra aduersus istas satanici seminis inimicitias, ut illis resistamus, aut quæ inferuntur, patienter feramus, nec unquam aliquid mutuæ reconciliationis affectemus. Sunt enim hæ reproborũ & electorum, Christi & satanæ inimicitiæ perpetuæ & aspondæ. Defectionis reus est, quisquis cum semine serpentis pacisci tur. Tertiò, orandus nobis Deus est, ut sicut Apostolus Rom. 16. scribit, Satanam tandem sub pedes nostros conterat ac proculcet.

OBSERVATIO XI.

Secundũ gradus peccati infertur & pœna.

Mulieri quoque dixit Deus, *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: In dolore paries filios, & sub uiri potestate eris, & ipse dominabitur tibi.*] Primùm obserua, quomodo secundum peccati progressum inferatur & pœna peccati. Principium peccati fuit à serpente, deinde progressus est factus à serpente ad mulierem, & à muliere demum ad uirum. Rectè ergo in mulierem proximè post serpentem condemnationis sententia stringitur, ut quæ uirum peccando præcesserat, illum etiam in cõdemnatione propter peccatum illata præcederet.

Non solum ærumnæ, sed & corruptio ingenij, mulieribus cũ prima matre Eua cõmunes existũt

Deinde considerandum est, quomodo ex eo quòd ærumnæ istæ non solum Euæ fuerunt inflictæ, sed post illam omnibus etiam posteris illius mulierculis infliguntur, manifestum detur argumentum, corruptionem illam ingenij qua Eua ex suasu serpentis infecta fuit, propagari post illam in omnes mulieres. Alioqui parum æquitatis pœnæ isti inesse uideretur, si in illa mulieres cunctæ cum Eua cõmunicarent, cum qua nihil communicarent in peccato, tanquam pœnæ huius causa. Quare nisi singulari dono Dei immutetur mulier, sperandum non est, esse eam alio præditam ingenio, quàm fuerit Eua cum astutu serpentis esset seducta & infecta. Quale autem Euæ fuerit ingeniũ, ipsa transgressionis historia, de qua suprà, satis declarat. Et quàm ab eo non abludat muliebre ingenium, quotidiana docet experiẽtia. Ista annotare uolui non ad ignominiam muliebris sexus, sed ad iustificationem iusti iudicij Dei.

Certæ ac determinatæ ærumnæ mulieribus diuinitus inflictæ.

Tertiò & illud considerandum est, quòd Euæ ac posteris illius mulieribus non incertas aliquas, sed specificatione determinatas ærumnas infligit, dicens, Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios tuos. In genere omnis mortalium uita ærumnis, doloribus, calamitatibus & miserijs est non in muliebri duntaxat, sed & masculino sexu referta, ut Iob non frustra dixerit, uiuere hominem breui tempore, repleriq; multis miserijs: uerùm ærumnæ mulierum parturientium singulares sunt ac certæ, conceptibus ac parturitionibus illarum annexæ, unde admoneantur peccati primæ parentis, reddanturq; cautæ, ne illius uestigia sequantur. Succensere solent Euæ, dum huiusmodi dolores experiunt, quòd posteritatẽ suam esu uetiti pomi tantis doloribus reddiderit obnoxiam. Satius est ut ingenium suum ipsarum inspiciant, & diligenter à moribus Euæ repurgent, quicquid fiat de doloribus.

Ex ipsis uitæ nostræ primordijs patet ad qualẽ uitã gignamur.

Quartò simul & de eo cogitemus, quòd inter istos muliebrium parturitionum dolores & cruciatus communiter nascimur omnes, ut ex ipsis uitæ nostræ primordijs satis argumenti peti possit ad qualem uitam gignamur: id quod & ipse ploratus infantium, quem mox atq; nati sunt edunt, tantũ nõ clamat. Cum itaq; in utero matris concepti, inter innumeras molestias & ærumnas formemur, uiuificemur, alamur & nascamur, atque ita in uallem hanc lachrymarum & omnis miseriæ cum doloribus ac plora tu ingrediamur, nõ debet uiro cordato insolens uideri, si omnis generis molestijs in hac miserabili uita adflictet, ad quam uniuersi tantis doloribus in ipso materno utero, ortus nostri officina, inauguramur.

Admonendi mariti, ut muliebri uasculo cũ cõmiseratione utãtur

Quintò, quoniam muliebre uasculum multis modis infirmũ & imbecille tantis est ærumnis ac doloribus ineuitabiliter obnoxium, cogitandum erit maritis humano saltem sensu præditis, quàm conueniat, ut cum uxoribus suis moderatè ac cum scientia secundum admonitionem Apostolicam uiuant, 1. Petri tertio, ne molestias muliebres duritia sua cumulent, id quod non humanitatis, sed atrocitatis specimen præberet. Perstringit Christus hac in re Iudæorum erga mulieres duritiam, dum Matth. decimonono Mosen hac dicit esse motum, ut libellum repudij permitteret. Nec diffiteri debemus duritiam hanc plurimum incommoditatis ac perturbationis generare aduersus matrimonij statum, unde hodie tam crebra cernimus coniugum diuortia.

Prouidentia Dei sic punita transgressio, ut tamen humani generis propagatio non sit impedita.

Sextò, obseruanda est hoc loco prouidẽtia Dei, qua sic punit Adæ & Euæ transgressionẽ, ut interim humani generis propagationem non impediat, dum coniunctionem illorum non diuellit, nec benedictionẽ illam reddit irritã, quã dixerat, Crescite & multiplicamini, & replete terrã. Poterat Euæ dicere, Nolo ut amplius uiro tuo iũgare, cui peccãdi causam obiecisti. Indigna es, quæ mater efficiare uiuentiũ.

Ponam

A Ponam inter te & illum inimicitias, faciamq; ut conterat caput tuum. Nihil horum dicit, sed coniunctionem connubialem, quam ipse instituerat, retinet integram: nec adimit illis multiplicationis benedictionem, sed permittit, ut Eua sit fertilis, concipiat, parturiat, & gignat liberos, fiat mater uiuentium, & multiplicationi generis humani seruiat, tantum addit ærumnas & dolores. Sic efficit, ut nõ obtineat satan quod cupiebat, qui genus humanum prorsus extinctum optabat, nec irritum reddatur opus creationis ac multiplicationis humani generis. Quare admonentur hac consideratione coniuges, non esse uinculum coniugij rumpendum, etiamsi alter alteri causas subinde peccandi per imprudentiam submiuistret, & omnis generis molestijs coniugium ipsorum fiat obnoxium.

Septimò, & illud obseruandum est quod dicit: Sub uiri potestate eris, & ipse dominabitur tibi. In Ebræo est, desiderium uel appetitus tuus erit ad uirum tuum, & ipse dominabitur tibi. Primùm uidemus hic unde sit illud Apostoli, 1. Timoth. 2. quod dicit: Mulier in silentio discat, cum omni subiectione. Docere autem mulieri nõ permitto, neq; dominari in uirum, sed esse in silentio: ex hoc uidelicet, quod mulier lege hac Dei subiecta est uiro, & potestas gubernationis translata in uirum. Deinde & causam huius ex eo considerare licet, quod non simpliciter dicit, Sub uiri potestate eris: sed, Appetitus tuus, desiderium tuum, concupiscentia tua, erit ad uirum tuum. Significatur enim animum mulieris multis ac uanis desiderijs esse concupiscentijs, & uanis desiderijs, propter imbecillitatem & mentis impotentiam obnoxium, unde necesse sit, ut superiore potestate uiri cohibeatur, & in uia retineatur. Meritò quidem subiectione humiliata est Eua, propterea quod serpentis mendacijs credens seducta est, & seducta concupiscentijs suis habenas permisit: ac non solum ipsa peccauit, sed & uiro prænaricationis occasionem subministrauit. uerùm, quoniam non solum sic seducta peccauit, sed & animum nacta est impotentem & concupiscentijs singulariter obnoxium, ipsa hoc necessitas exegit, ut libertate quiduis secundum desideria sua agendi priuaretur, ut iam non proprio, sed uiri arbitrio subiecta uiueret.

De subiectione mulierum.

Habent hic uiri cuius admoneantur. Solent plerique admodum de eo gloriari, quod potestatem ac dominium consequuti sunt in uxores. Verùm si rectè reputent hanc causam, intelligent uiris à Deo non esse gloriandi & insolescendi aduersus mulieres datam occasionem, sed magis prudentem gubernationis commissam esse curam ac prouinciam, qua muliebres affectus cum scientia & prudentia dirigant & moderentur. Vnde & Paulus munus hoc uiris imponit, ut uxores suas domi de rebus fidei doceant & instruant. Quare sicuti parentibus gloriandum de eo non est, quod potestatem habent in liberos
B suos: sed curandum magis, ut insitiam illorum & affectus ineptos & noxios sua cura & institutione componant ac dirigant, simulq; illis de rebus necessarijs tanquam imbecillioribus prouideant: ita & maritis curandum est, ut nunquam obluiscantur, qua de causa potestas ipsis in mulieres sit à Deo concessa, ne quod curæ est ac prudentiæ, materiam putent esse tyrannidis & insolentiæ. Id autem quomodo facient illi uiri, qui & ipsi non minus sunt stultis ac uanis concupiscentijs obnoxij, quàm mulieres, quarum desideria dexteritate, grauitate & prudentia sua moderanda susceperunt. Reperias uiros, quibus rectius diceretur, Appetitus tuus ac concupiscentia tua sit ad uxorem tuam, quàm, Vxoris concupiscentia sit ad te. Peccant hac in re plerunque parentes illi, qui filiabus suis optimè consultum putant, dum eas maritis tradunt prorsus ignauis ac stultis, hoc solo nomine, quod multum habent terrenarum opum. Atq; ita peruertitur ordo Dei, fitq; ut Abigail iungatur stulto Nabalo.

OBSERVATIO XII.

Adæ uerò dixit: Quia audiuisti uocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes.] Obseruandum hic est, quod antequàm sententiam condemnationis in Adamum proferat Deus, præmittit de illius peccato, dicens: Quia audiuisti uocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi, ne comederes, ubi exemplum est recti iudicij, obseruandum iudicibus & magistratibus, ne quem condemnent, cui iustam condemnationis causam exponere nequeant. Quid culpæ potuit Herodes, cum Ioannem in carcere constitutum ad mortem damnaret, prætexere? Non potuit dicere: Quia fecisti hoc, &c.

Sententiæ condẽnationis præmittenda est causa, dicendũq;, Quia fecisti hoc.

Deinde notandum est, quod non fingit aliquam culpam, ob quam Adamum condemnet, sed eam adfert, quam Adam ipse fuerat ore suo confessus, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Ad hunc modum non debet animaduerti in aliquem propter culpam aliunde obiectam, quam reus non sit ore proprio confessus. Hic tamen plurimum à nonnullis magistratibus peccatur, qui delicti confessionem atrocibus & horrendis torturis sine certis indicijs & argumentis à captiuis extorquent, ubi sæpenumero accidit, ut innocens ui torturæ adactus ea se perpetrasse confiteatur, quæ nunquam non solum non fecit, sed ne cogitauit quidem, malens mortem innocenter subire, quàm tam atrocem perferre quæstionem: quæ non remittitur, nisi aliquid confessionis extorqueatur.

Ex ore & confessione peccatoris inferenda est condemnationis sententia.

Tertiò considerandum & illud est, quod non dicit, Quia audiuisti uocem serpentis, & uerbis illius credidisti: sed, Quia audiuisti uocem uxoris tuæ, ut intelligatur Adamum secundum Apostoli sentẽtiam non esse per serpentẽ seductum, sed uxori gratificando scienter & prudenter deliquisse. Hac occasione obseruandum est, quæ in serpente, Eua, & Adamo peccantium differentia reperiatur. Peccauit serpens, peccauit mulier, peccauit Adam, sed diuersimodè. Serpens peccauit ex instinctu & actu satanæ. Mulier peccauit ex suasu serpentis, Adam peccauit propter uerba mulieris. Rursus serpens peccauit decipiendo ac seducendo mulierem. Mulier peccauit mendacijs serpentis seducta. Adam peccauit non

Adam nõ est per serpentem seductus.

Differentia peccantium.

seductus, sed scienter in gratiam mulieris, ne hanc contristaret, præceptum Dei transgressus. Nec tamen excusatur serpens, ex eo quod actus à satana peccauit: nec mulier, ex eo quod per serpentẽ seducta deliquit: neque Adam, ex eo quod per serpentem non est seductus, sed in gratiam uxoris peccauit sed serpens rectè maledictus est propterea quod mulierem seduxit, & mulier condemnata ob id quod de fructu uetito comedit ac uiro dedit: uir quoq; pœnas peccati subiuit, eam ob causam quod uxori obsequentior quàm Deo præceptum Dei transgressus est. Videmus igitur non excusari peccatores ex eo quod aliunde sicut serpens ad peccandum mouentur, neq; ex eo quod aliquando seducti sicut Eua peccant, neq; per id quod nonnunquã illicita faciunt, licet ea non probent, sed sciant esse illicita, ne uel quos charos habent contristent, ad quem modum deliquit Adam, uel quos metuunt offendant.

Tria peccantiũ genera in Ecclesia.

Hæc tria peccantiũ genera reperiuntur etiam in eorum Ecclesia, in qua serpens antiquus inualuit, & doctrinã mendacij, seductionisq; ad reprimendam doctrinam uerbi Dei introduxit. Habet ibi satan organa sua, quibus utatur ad perficiendam seductionẽ. Neq; mirum uideri debet, quod organa satanæ reperiuntur in Ecclesia, cum repertus sit in paradiso serpens perniciosissimus satanicæ seductionis minister. Organa satanæ sunt pseudapostoli, falsi doctores, magistri errorum, uerbo Dei detrahentes & contradicentes, fictisq; uerbis & doctrinis dæmoniorũ auditores seducentes. Peccant illi actu satanæ, & peccant alios seducendo, maledictum hominum genus: cui optarim ex animo, ut quoniã serpentis antiqui uestigia sequuntur, eandem etiam cum illo pœnam sustinentes, ex erectis & sublimibus dominis ac magistris fiant humi serpentes: & pro delicijs quibus lautissimè ex sudore pauperum & patrimonio crucifixi saginantur, cũ uiperis & aspidibus puluere terræ uescantur, cunctisq; in uniuersum mortalibus exosi reddantur. Etenim arbitror illis hoc genus iudicij tolerabilius fore, quàm id ad quod in sempiternum post hanc sunt uitam omnium infelicissimi cum actore ipsorum satana destinati.

Organa seductionis.

Seducti.

Deinde sunt in tali Ecclesia pleriq; homines imperiti sacrarum literarum, rudes & incauti. Illi dum aures falsis doctoribus, satanæ ministris, in angelos lucis tranfiguratis per imprudentiam auidius accommodant, audiantq; uocem alienorum, seducuntur ut credant mendacijs, atq; ita doctrinam ueritatis deserant, & fidei sinceritatem amittant. Illi ad exemplum Euæ peccant seducti, dum uerum esse putant quod est falsum, falsum quod est uerum. Condolendum quidem est seductis, uerùm excusari non possunt, quod uerbum Dei deserentes, audiunt uerbum serpentis: negligentes uocem ueri pastoris, & audientes uocem alienorum.

Non seducti & tamen peccãtes.

Tertiò sunt ibi nonnulli scientia ueritatis sufficienter instructi. Illi perinde atq; Adam non credunt doctrinis mendacibus, ideoq; non seducuntur etiam corde. Verùm quoniã adhuc carnales sunt, ne perturbent eos quibus gratificari cupiunt, aut ne offendant potentes quos formidant, & unde rerum suarum forsan & uitæ discrimina timent, scienter ac prudenter cum Adamo de pomo uetito comedũt: hoc est, faciunt quod Christiano non licet, communicantes cum Ecclesia malignantium, & falsis cultibus, aris, eidolis, & sacris unà cum miserabili seductorum plebe ipsi non seducti externè adstantes, procumbentes, uenerantes & adorantes. Et dum hoc faciunt, abundè se excusatos putant, quod in corde sciant ueritatem sanæ doctrinæ, & non ideo ad illicita sacra accedant, quod illa cum seductis probent, sed ut discrimina intentata effugiant. Si hoc hominũ genus excusari potest, non uideo quare condemnari debuerit Adam, quũ & ipse non per seductionem ad comedendũ de fructu illicito sit motus, sed ad gratificandum uxori scienter quod illicitum erat fecerit: nec uideo, quomodo peccasse credatur Aaron, de quo dici non potest quod seductus uitulum fecerit: uel quomodo damnari meruerit Salomon, quod in gratiam uxoris eidolum adorauit, cum sciret utiq; esse hoc diuinæ legi cõtrarium. Quare, si inspiciatur præsens serpentis Euæ & Adæ historia, & cõsiderentur illorum cùm peccata tum pœnæ diuinitus inflictæ, arbitror ea satis fieri manifesta, quorum hic admoneo.

OBSERVATIO XIII.

Non maledixit Deus Adæ & Euæ.

Maledicta terra propter te: In laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore uultus tui uescêris pane tuo.] Primùm illud considera, quod nõ dicit, Maledictus es: sed, Maledicta terra propter te. Non maledixit, nec Adamum nec Euam, sicuti serpentem maledixerat: nec sic eos condemnauit, ut uel super pectora sua serperent, uel manibus ac pedibus more bestiarum graderentur, sed erectos ut conditi erant ingredi permisit. Nihil in corporibus illorũ de figura humana detraxit, nihil dedecoris gratia adiecit, sicut utrunq; serpenti factum esse credimus. Vnde admonemur, quantum sit discriminis inter eos qui alijs sunt uel authores peccandi, uel seductionis organa & ministri satanæ, & eos qui ab alijs uel seducti uel persuasi peccant. Serpentem maledixit. Imaginem ille gessit reproborum, quibus nulla salutis spes esse potest. Adam & Euam non maledixit, sed clementer castigauit. Ergo iam tum significabat, pœnas illas quas miseris infligebat, non ad hoc esse inflictas, quod eos à se prorsus cõstituisset alienos, sed ut partim memoria trãsgressionis in humano genere extaret, partim caro peccatrix omnis generis afflictionibus exercitata mortiq; tradita suo tẽpore liberaret.

Pœnæ Adamo et Euæ inflictæ duplicis sunt generis.

Deinde obseruandũ est quales utriq; Adæ & Euæ pœnas inflixerit. Sũt hæ pœnæ duplicis generis. Primum genus earũ est, quæ secundum sexuum rationẽ utriq; sunt distinctè inflictæ. Alterũ habet eas, quæ cõmuniter concernunt utrosq;.

Primum genus pœnarum.

Ad primũ genus pertinent quas mulieri imposuit, quibus parturitiones illius reddidit multis ac uarijs doloribus molestissimas, illamq; potestati & gubernationi uiri subiecit. Deinde quibus Adæ difficultatem operandi terrã & uictum quærendi iniunxit. Sic uidelicet utriusq; sexus rationem habuit, & cuiq; peculiares & cõpetentes molestias inflixit. Ne cogitet itaq; mulier, esse se

propter

propter labores ac dolores parturiendi singulariter in felicem: sed respiciat ad labores & molestias mariti, quibus ille in sudore vultus sui quærendo victui quotidie incumbit. Nec vir putet se propter hanc laborandi grauem ac duram prouinciam grauius à Domino afflictatum: sed animaduertat quàm sint uxori multi, graues, & uarij dolores perferendi, dum uterum gestat, parit, lactat, & tenellum infantem nutrit, fouet, ac prouehit, quibus laboribus Deus infirmum sexum peculiariter quidem exercet: uerùm ad illos perferendos sic constituit aptum & cõmodum, ut omnis uiri industria & dexteritas haud ullius ad hanc prouinciam sustinendam sit momenti.

Alterum genus pœnarum.

Ad alterum pœnarum genus pertinent, quæ non ad sexus discrimen, sed ad communem naturæ defectum & miseriam sunt accõmodatæ. Vt sunt, quod dicit, Comedes herbas terræ. Itẽ, Donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reuerteris. Ista sunt communia viris & mulieribus. Erat utriq; Adæ & Euæ herbis terræ vescendum. Erat utriq; communi lege moriendum, & ad pulverem reuertendum. Nam & Eua terra erat ac pulvis, licet è corpore esset viri sui desumpta. Est itaq; discrimen hoc diligenter omnibus Adæ posteris obseruandum, quo Deus propter transgressionem parentum nostrorum eiusmodi pœnas generi humano imposuit, quibus inter sexus viri & mulieris & naturam communem distinxit, ut sciat vir quid ex illis ad se peculiariter, & mulier quid sibi singulariter competat, & communiter uterq; quid ad communis naturæ defectus & ærumnas sit referendum. Aliud est & viris & mulieribus, senibus & adolescentibus, magnis ac paruulis ferendum, ut hominibus mortalitati subiectis: aliud viris, ut viris: aliud etiam mulieribus, ut mulieribus, propter sexus conditionem sustinendum.

Terra maledicta propter hominem.

Tertiò considerandũ est quod non simpliciter dicit, Maledicta terra: sed addit בעבורך, id est, propter te, propter peccatum videlicet tuum. Benedixerat initiò terræ, ut esset ferax graminum, herbarum, arborum, idq; omnis generis, quod factum est die tertio, utiq; propter hominem quem erat cõditurus. Eam benedictionem propter eundem hominem iam immorigerum & præuaricatorem conuertit in maledictionem, ideoq; dicit: Maledicta terra propter te. Cogitandum hic nobis est, quoties hanc telluris maledictionẽ experimur, deberi illam nec Deo creatori, nec ipsi terræ, sed nostræ malitiæ. Alibi dicit scriptura, Qui ponit terram fructiferam in salsuginem propter maliciam inhabitantium in ea, Psal. 107. Sit hæc vox in promptu, quoties natura officium suum studijs ac laboribus nostris denegat, ut agnoscamus nostram culpam & confiteatur quisq; ac dicat: Maledicta est terra, maledicta est creatura propter te.

B

Molestia laborandi coniuncta necessitati comedendi.

Quartò, In laboribus, inquit, comedes ex ea. Obserua hic quomodo molestia laborandi coniuncta sit necessitati comedendi, idq; ex terra illa propter nostram malitiã maledicta ac sterili. Hanc afflictionem communiter humano generi impositam, quam patienter ferre conueniebat, pervertunt illi, qui ex terra quærunt non quod comedant cum molestia, sed quo opulenti euadant, & deliciẽtur ociosi cum voluptate. Qua re nihil aliud faciunt, cum molestiam diuinitus impositam fugiunt, quàm quod cõciliant sibi pro temporaria sempiternam. Pœna hæc non inclementiam Dei, sed bonitatis illius prouidentiam respicit. Voluit enim carnem peccatricẽ laboribus ac doloribus exerceri, ne si ocio ac delicijs permitteretur, malũ Adæ ex peccato, nobis uerò ex traduce acceptũ in immensum augeat, totaq; maliciæ, & nequitiæ immergenda tradatur. Et huc facit quod addit, Cũctis diebus vitæ tuæ. Poterat hæc laborum ac dolorũ prolixitas, immò perpetuitas, grauior videri, quàm quæ ob unicum peccatũ debuerit à iusto & æquo iudice infligi. Verùm si cõsideremus non hoc tantum agi à Deo, ut peccatum semel cõmissum digna aliqua pœna puniatur, sed ut malum corrupti per peccatum ingenij istis ærumnis ac doloribus veluti repagulis coerceatur, & mentis humanæ superbia ex veneno serpentis cõcepta humilietur, adoranda potius erit diuinæ prouidentiæ beneficentia, quàm afflictionis perpetuitas culpanda. Nam ipsa necessitate cogente sic comparata est naturæ nostræ corruptio, ut quoniã perpetua est in carne nostra donec in hac vita sumus, perpetuam quoq; castigationem ac represionis disciplinam requirat. Quare nemo miretur, nec molestè ferat, si per omnem vitam suam viderit se molestijs ac doloribus subinde exerceri, sed potius malitiæ suæ pertinaciam & perpetuitatem accuset.

Germinabit tibi spinas.

Quintò, Spinas, inquit, & tribulos germinabit tibi. Rursus obserua quod nõ simpliciter dicit, Spinas & tribulos germinabit. sed, Spinas & tribulos germinabit tibi: ne terra, sed magis nostra malitia culpãda videatur, dum operantibus terrã non fructus necessarij, sed spinæ nascũtur ac tribuli.

Quando terra maledicta dici possit.

Deinde & illud cogitemus. Profert quidem terra etiã non cultra sponte sua tribulos & spinas, uerùm in eo nõ deprehenditur illius maledictio. Nõ poterit rectè maledicta censeri terra, quæ nõ cultra nõ est homini fertilis, sed neglecta spinas profert ac tribulos. Verùm tum demũ maledicta deprehenditur, quando opere humano cultra, ac cœlitus cõpluta, non fructus rebus humanis utiles, sed spinas ac tribulos progerminat, atq; ita culturã ac spem agricolæ fallit irritamq; reddit. Debetur quidem ista maledictio telluris maliciæ nostræ, uerùm simul in ea quasi imagine quadã expressum videmus, quando cordis nostri ager rectè uel minus maledictus censeri possit. Maledictione damnari non potest, quando cultu necessario & cœlesti pluuia, hoc est, doctrina veritatis, & cœlesti gratia destitutus infrugifer existit, & malæ vitæ spinas profert ac tribulos, non bonos iusticiæ fructus. Vbi uerò & cultus & complutus, sterilis permanet, & diabolo magis quàm Deo fructificat, agnoscenda utiq; ac deploranda est illius maledictio. Hoc sensu loquitur Apostolus Heb. 6. dicens: Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem & germinans herbam, cõmodam illis à quibus colitur, accipit benedictionẽ à Deo: proferens autem spinas ac tribulos reproba est, & maledicto proxima, cuius cõsummatio per combustionẽ. Cõfidimus aũt meliora de vobis dilectissimi, &c.

Ager cordis nostri, quando sit maledictus.

Duo genera sunt hominum, particulam hanc pertinentium.

Sextò. In sudore uultus tui uescéris pane tuo. Duo sunt hominũ genera, quæ particulã hãc pertinent. Vnũ eorum est, qui non operando, sed uorando & ingurgitando sudant, id quod pigri ac desides facere solent, qui sic operantur, ut propè frigore conficiantur: sic comedũt, ut sudorem uultus uix satis abstergere queant. Vbi operandũ est, ibi postremi & cunctabundi: ubi comedendũ, ibi primi & anheli comparent homines nullis usibus accõmodi, sed tantum fruges consumere nati. Alterũ eorũ est, qui prioribus peiores, uescuntur quidem & ipsi in sudore uultus, uerũ non sui sed aliorũ: & uescuntur pane nõ suo, sed alieno. Hoc genus hominũ geminũ est. Alij astutia sua sudorem aliorũ hominũ callidè, fraudulenter, ac perfidè siue furando, siue mentiendo uel usurando, uel falso iudicij ac iuris prætextu aut fictis uerbis negociando interuertunt. Notus est locus Petri de pseudapostolis, 2. Pet. 2. ubi perstringit eos inter cætera & hoc nomine, quod de fidelibus Christi fictis uerbis negocientur, minaturq; illis iudiciũ non cessans & perditionem non dormitantem. Fex horũ hominũ Ecclesiã Christi ad summũ usq; oppleuit & oppressit. Alij per uim ac uiolentiã aliorũ sudore partis uiuunt ac deliciant, raptores, prædones, tyranni, & tyrannorũ satellites. Quàm aũt graue sit hoc peccatũ, quo sudor pauperũ uel fraude uel ui interuertitur, Ecclesiasticus 34. uidere est, ubi secundum uulgatam uersionem sic legitur: Qui auertit panem sudoris, quasi qui occidit proximum suum.

Aliena uiuere quadra.

Quod si quis hac in re physicã considerationẽ adhibeat, expendatq; quantũ utilitatis corpori humano accedat ex eo, quod membra illius moderata laborãdi fatigatione ad sudandũ coguntur, arbitror satis argumenti fore, sententiã hanc diuinæ castigationis magis prouidentiã diuinæ bonitatis quàm indignationẽ irascentis Dei reſipere. Etenim quis poterit recensere quot morborũ generibus obnoxij sint homines ociosi, sicuti quotidiana docet experientia, à quibus pulchrè liberi sunt illi qui operando sudant, & pane suo in sudore uultus sui uescuntur? Currũt illi ad medicos, & magno sumptu cõparant nescio quæ pharmaca, quibus noxij humores nõ sine periculo etiã eijciãtur. Homo operarius breui & optimo laborãdi ac sudãdi compendio uigorem corporis sui retinet. Prædicãt physici sudoris utilitatem, & rationes eliciendi sudorem cõminiscuntur. Parantur potiones, parantur balnea, adhibentur pedibus lateres igniti, & nescio quæ alia usurpantur, ut corpore periclitãti uel modico sudore consulatur. Quanto satius esset istam sudandi rationem amplecti, quam Deus ipse homini imposuit, & cuius hoc est beneficium, ut sanitatem corporis tueatur, & uires illius firmas retineat?

OBSERVATIO XIIII.

Donec reuertaris in terrã de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris.] Vide quàm grauí sententia mendacium serpentis retundat Deus, qua dixerat: Nequaquam moriemini, sed eritis sicuti Dij scientes bonum & malum. Non solum labores & afflictiones inflixit, sed & mortis sententiã adiecit, uoluitq; illis constare cõminationis ueritatẽ quã præcepto suo adiecerat dicens: Quacũq; die comederis ex eo, morte morieris. Sunt aũt hoc loco ista notanda. Primũ ærũnas & molestias humanæ uitæ nõ desinere, donec reuertatur caro peccati in terrã. Sic enim dicit: In sudore uultus tui uescéris pane tuo, donec reuertaris in terram. Quare nemo quietem pacatæ & à molestijs liberæ uitæ speret in hac carne.

Humanæ uitæ molestiæ durant ad mortem usq;. De effectu mortis corporeæ.

Deinde, quod nõ dicit, Donec moriaris, cum tamen de morte loquatur: sed, Donec reuertaris in terrã. Non solũ significat loqui se de morte corporis (neq; enim anima reuertitur in terrã, nec de terra sumpta est.) sed & effectum illius exprimit. Sicut enim uita inspirata Adæ terrestri, ex terra fecit carnem ac sanguinem: sic mors inflicta carnem & sanguinem conuertit in terram, per uim corruptionis. Tertiò quod de corruptione ista quæ per mortem est Adæ loquitur, cum tamen non solus Adam, sed & Euah illi facta esset obnoxia. Admonemur transgressionem Adæ sic absoluisse peccatum hoc, ut nisi ille de pomo uetito comedisset, morti & corruptioni nec in ipso nec muliere locus fuisset. Deinde quoniã ipse principiũ erat humani generis, & per ipsius peccatũ mors in omnem illius posteritatem transitura erat, rectè in cõdemnatione ipsius mortis ponitur sententia, quæ tamen nõ ipsum tantum, sed & Euam erat occupatura. Quartò, quàm necessarium sit homini peccatori, & per peccatũ corrupto, ut sciat unde sit, & quid sit, deniq; quid futurus sit. Erat Adã iam ingenio corrupto, quare ut perpetuam quãdã modestiæ & humiliationis occasionẽ in pectore secum gestaret, audit ex ore Domini, esse se de terra sumptũ, id quod, ut probabile est, antea ignorauerat, esse puluerem, & in puluerem aliquando reuersurũ. Nõ erat tantũ puluis, nec ex puluere tantũ creatus, sed licet corporis cõditione & ex terra esset & puluis, spiritu tamẽ & è cœlo erat & cœlestis. Verũ cõuenientius erat, ut de originis suæ utilitate, quod corporis conditionẽ attinebat, & mortalitate corruptionemq;, quàm de sublimitate & immortalitate spiritus admoneretur. Quare nõ erat satis dixisse, Donec reuertaris in terram: sed adiecit, De qua sumptus es: nec illo contentus statim subijcit, Quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Non est aũt ut dicat hic quisquam: Si Adamũ propterea in terrã reuerti oportuit, quod de terra sumptus, & in puluerem mutari, quod puluis esset, ergo nõ est per peccatũ mortalis & corruptibilis factus, sed per originis suæ qualitatem, ut etiãsi nihil peccasset, nihilominus suo tẽpore mortuus & in puluerẽ reuersus fuisset. Huiusmodi cogitatio retundenda est per id quod præmissum est, primũ in nomotheſia, uidelicet: Quacũq; die comederis ex eo, morte morieris: deinde hoc loco, cũ dicit: Quia audiuisti uocẽ uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperã tibi ne comederes, &c. Vnde manifestũ est mortalitatem & corruptionem generis nostri nõ esse ad originis qualitatem, sed ad diuini præcepti transgressionem & primorũ nostrorũ parentũ inobedientiã referendã. Quare causalis illa, Quia puluis es, nõ eò pertinet, ut causam mortis & corruptionis nostræ exprimat, sed ut doceat: quare per peccatũ mortales & corruptibiles facti in terrã

Quod sententiã mortis in Adamum stringit, cũ tamẽ illi & Euæ esset obnoxia.

Homini peccatorum necessarium est scire unde sit, quid sit, & quid futurus sit.

Mortalitatẽ nostram nõ esse ad originis qualitatem, sed ad præcepti diuini trãsgreßionem referendam.

&

A & puluerẽ reuertamur. Ob id uidelicet, quòd de terra & puluere sumpti sumus. Non erat necesse, ut homo puluis reuerteret in puluerẽ, si nõ peccasset. Nã nec Christus uerus homo & Adæ filius, in puluerem cũ mortuus esset conuersus fuit, licet à Cyrillo alicubi puluis corruptibilis ad dexterã Dei sedens uocet. nec Enoch & Elias in puluerẽ cõuersi sunt, nec in puluerẽ conuertent omnes illi quos dies nouissimus in hac uita deprehendet, qui teste Paulo nõ morient, sed subitò immutabunt utiq; non in puluerem corrupti sed in cœlestis uitæ conditionem glorificati.

Vsus huius particulæ.

Diligenter itaq; retinenda est hæc particula, Puluis es & in puluerem reuerteris: ut quid ex Adamo sumus & quid mali nobis intulerit peccatũ, cõsiderantes, perpetuò humiliemur, terrena contẽnamus & erga neminẽ inflemur: deinde quasuis ærũnas boni consulamus, & simul fidei oculis in eam gloriã & felicitatem intueamur, quã per Christũ secundũ Adamũ consequuti sumus Nequit enim fieri, ut felicitatem redẽptionis quæ per Christũ est, ritè intelligamus, nisi exitiũ quod ex inobedientia Adæ in nos manauit, sentiamus: gloriamq; cœlestis uitæ, ad quã uocati sumus, plurimi faciamus, nisi originis nostræ humilitatẽ ac uilitatẽ agnoscamus. Hanc aũt quis agnosceret mortaliũ, nisi corporũ nostrorũ corruptio nẽ quotidie ob oculos reipsa uideremus, indeq; de origine carnis nostræ admoneremur? Quare magno consilio Dei factum est, ut puluis olim immortaliter glorificandus in ipsis nostris oculis reuertatur in puluerem, quo excellentior olim resurrectionis gloria reddatur.

Et uocauit Adã nomen uxoris suæ Eua, eo quòd mater esset cunctorũ uiuentiũ: fecit quoq; Dñs Deus Adæ & uxori eius tunicas pelliceas, & induit eos: & ait, Ecce Adã quasi unus ex nobis factus est, sciens bonũ & malũ. Nũc ergo, ne fortè mittat manũ suã, & sumat etiam de ligno uitæ, & comedat, & uiuat in æternũ. Emisit eum Dñs Deus de paradiso uoluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est. Dicitq; Adam, & collocauit ante paradisum uoluptatis cherubim, & flammeum gladium atq; uersatilem ad custodiendum uiam ligni uitæ.

LECTIO.

B *Et collocauit ante paradisum uoluptatis cherubim.*] Sic etiã in Ebræo legit. Græcus uerò sensit Adamũ ante paradisum collocatũ, cherubim uerò & flammantẽ gladiũ tantũ uiæ ligni uitæ custodiendæ deputatũ. Sic enim uertit: καὶ ἐξέβαλε τὸν Ἀδὰμ καὶ κατῴκισεν αὐτὸν (hoc αὐτὸν non est in Ebræo.) ἀπεναντι τῆς παραδείσου τῆς τρυφῆς, καὶ ἐξέταξε (hoc Ebræus non habet.) τὰ χερουβὶμ καὶ τὴν φλογίνην ῥομφαίαν φυλάσσειν τὴν ὁδὸν τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς. Verùm, quod & Hieronymus annotat, Ebræa non Adamum, sed Cherubim & gladium flammantem ante paradisum collocant.

EXPLANATIO.

Est hæc præsentis capitis pars tertia, in qua ex ordine quatuor ista commemorãtur. Primũ, quid nominis Adã post acceptam à Deo sententiam imposuerit. Secundum quomodo uestibus Deus Adamũ & Euã induerit. Tertium quòd eos paradiso eiecerit. Quartum quòd ligno uitæ custodiam adhibuerit.

Quid nominis Adam uxori suæ imposuerit.

Et uocauit Adam nomen uxoris suæ Eua.] Cœpit Adã accepta iam à Deo condẽnationis sententia rationem habere posteritatis, in quã mentis cogitationẽ intendens, uxori suæ nomẽ ei rei conueniens indidit. Vocauit eã חוה, id est, ut Græcus reddidit, Vitã, & ne sinistri quid de hoc nomine suspicaret quisquam, adiecta est illius ratio, eo quòd mater esset futura quorũcunq; uiuentiũ. Hoc est, quod esset à Deo destinata ad hoc, ut totius humani generis quasi fons quidã existeret, uirtute uidelicet successionis ac multiplicationis. Alioqui non erant omnes homines ex illius utero prodituri. Quoniã erat prima mulier & prima mater, (nam ante illã nõ præcessit alia.) Vnde generis humani multiplicatio sumeret originem, habita est ab Adamo, pro cunctorum uiuentium matre.

Potest aũt illud, Eo quòd mater esset cunctorũ uiuentiũ sic intelligi, ut uerbũ sit nõ Adæ, sed Mosis, qui nomen hoc חוה mulieri ab Adamo inditũ exponere, & rationem illius assignare, atq; ita Adæ de futura posteritate prouidentiã considerandam proponere uoluerit. Scio Augustinũ sentire diuersum, qui super Genesim ad literã lib. 11. cap. 38. sic scribit. Neq; enim frustra & ipse Adam maiori quodam instinctu tũc uocauit nomen mulieris suæ, uitam: subijciens etiã, Quoniã ista est mater omniũ uiuentiũ. Nã & hæc nõ scriptoris narrãtis uel affirmãtis, sed ipsius primi hominis uerba intelligenda sunt: ut diceret, Quoniã hæc est mater omniũ uiuentiũ, tanquã nominis à se impositi causam inferens cur eã uocauerit uitã. Hæc ille. Verũ nulla necessitate cogimur, ut hæc uerba ab Adamo prolata esse sentiamus. Rationẽ habent, quare uxori suæ Adã hoc nominis imposuerit, eã uidelicet, quòd futura esset omniũ uiuentium mater. Quid quæso uetat, quo minus intelligamus Mosen nec narrantẽ nec affirmantẽ simpliciter, sed exponentem hisce uerbis mentẽ & intentũ Adæ declarare uoluisse? Quod si Adæ essent hæc uerba, debebat narratio Mosaica sic habere: Et uocauit Adã nomen uxoris suæ, Eua: & dixit, Quoniã mater futura es omniũ uiuentium. Iam cum nullum sit iudicium esse ista per Adamũ dicta, nec uetet, imò exigat forma contextus, ut Mosen ea expositionis gratia posuisse sentiamus, planè infirma est Augustini ratio, nisi putandum est Mosen ista humano tantũ iudicio & non diuino instinctu scripsisse, ideoq; mentem & rationem Adæ uti nominis huius impositione non intellexisse.

Vestiuntur à Deo Adam & Eua.

Fecit quoq; Deus Adæ & uxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.] Erant iam post sensum turpitudinis

ſuæ cuncti pudenda foliis ficulneis, quæ ſibi ipſi compoſuerant in paradiſo. Iam uerò cũ eſſent poſt acceptam condemnationis ſententiam extra paradiſum eiiciendi, adeoq; iniurijs cœli obnoxij futuri, induit eos Deus tunicis, quibus non ſolum pudenda, ſed & reliquæ nudi corporis partes amicirentur, fecit autem tunicas iſtas ex pellibus animalium, utiq; mortuorum.

Et ait: Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum.] Cum Adam cum uxore ſua pellibus brutorum animaliũ indutus, longè alius à priore appareret, ipſoq; iam cõſpectu miſer & calamitoſus eſſet, refricat illi Deus ac perſtringit ſerpentis nequitiã, qua dixerat, Nequaquã moriemini, ſed eritis ſicuti Dij ſcientes bonũ & malũ: ut admonitus ex re præſenti, quanta fuerit ſerpentinæ ſuaſionis ac promiſſionis impoſtura in poſterũ ſibi caueret. Sic notãter dicit, Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis, ſciens bonũ & malũ. Vocula מן, id eſt, ecce, reſpicit ad miſerabilem Adæ tunicati iam ac pelliti ſortẽ, formã & aſpectũ. quaſi dicat. Ecce hic Adã ille eſt qui de ligno ſciẽtiæ boni & mali comedit. Vide qualis ſit Deus factus, quomodo iã ſit uelut unus ex nobis. Vide quã ſcientiã boni & mali acquiſierit. Hic uidei eſſe affectus præſentis loci. Sunt qui ſic uerterint, Ecce ille homo fuit quaſi unus ex nobis, ut ſciret bonũ & malũ. Quaſi dicat: Ecce hic homo ſic fuerat ſublimatus ut inſtar dei alicuius, nobis ſimilis eſſet, ratione præditus, ſciens bonũ & malũ. Quomodocunq; intelligat, nõ ridet Deus calamitatẽ miſeri, ut non ſit præter rationẽ, quod nõnulli hoc loco ſarcaſmũ nõ recipiũt, ideoq; quorundã expoſitionẽ reijciũt, ſed hac loquẽdi formula ſatanæ nequitiã, & mendaciũ ſerpentis perſtringit, atq; illius Adamũ admonet omniũ cõmodiſsimè in re præſenti. Interea tamẽ nõpoſſum eorũ expoſitionẽ probare qui cõtra hiſtoricã ſimplicitatẽ ſic exponũt, Ecce Adã factus eſt quaſi unus ex nobis: hoc eſt, Ecce Adã per crucẽ ac tribulationes, quib. factus eſt obnoxius, tã abeſt ut miſer ſit effectus, ut ſimilis etiã ſit uni ex nobis, filio ſcilicet meo Chriſto, qui & ipſe paſsionib. ſubijcieẽ, & per tribulationes ad regnũ graſſabiẽ. Sic nonnulli exponũt, ut ſarcaſmũ & ironiã reijciãt. Verùm ipſa ſeries hiſtoriæ ma nifeſtior eſt quã ut huiuſmodi expoſitionẽ admittat. Loquit aũt in plurali Deus perinde atq; ſuprà: Faciamus hominẽ ad imaginẽ & ſimilitudinẽ noſtrã. Agnoſco myſteriũ S. Triadis huiuſmodi loquutionibus innui. Verùm neceſſe interim nõ eſt, ut hiſtoriæ ſimplicitatẽ deſeramus. Cũ dicit, Ecce Adã factus eſt quaſi unus ex nobis, nihil dicit aliud, quã factus eſt quaſi Deus quidã. Nõ aũt dicit his uerbis quod Adã ſit inſtar deorũ aliquis factus, cũ etiã eã dignitatem quã antea habuerat amiſiſſet, ſed ſic loquitur, ut admoneat ex re præſenti quàm alea hæc longè ceciderit aliter quàm fuerat ſerpens frandulenter pollicitus. Non eſt aũt uox Adã hoc loco ſic accipiẽda, ut ad perſonã tantũ Adæ referat: ſed licet ſingulariter loquatur Deus, intelligit tamen de utroq; homine, uiro & muliere. Nam utrunq; uocauit Adam.

Verba figurã habent ironiæ, affectus uerò loquentis alienus eſt à ſarcaſmo.

Nunc ergo, ne fortè mittat manũ ſuã, & ſumat etiam de ligno uitæ, & comedat & uiuat in æternũ.] Hæc eſt eiectio Adæ, qua paradiſo eſt excluſus. Illi præmittitur ratio: Ne fortè mittat manũ ſuã, & ſumat etiam de ligno uitæ, & comedat, & uiuat לעלם, id eſt, in ſeculũ. Quaſi dicat: Miſit manũ ſuam Eua, & accepit & comedit de ligno ſcientiæ boni & mali. Nũc ne idẽ tentẽt in ligno uitæ, in illud quoq; mittentes manũ, atq; ita uiuant in ſeculũ. Hic deſideratur, uidete, uel eijciamus eũ. Sed huius loco ſubditur, Et emiſit eũ Dominus, &c. Capnio libro primo Cabalæ, hanc primam dicit eſſe Cabalam, ac primam ſalutis nũciam, quæ ſita ſit in hiſce uerbis, ſi ad hunc modũ intelligantur: Miſſus eſt, inquit, angelus Raziel ad Adã collapſum & mœrore plenũ, ut cõſolaretur eũ. Cui ſic dixit: Ne ſupra modũ cõficiaris gemitu & moleſtia, quod te duce genus humanũ in ſummam corruit perditionẽ. Quoniam originale peccatũ hoc expiabitur. Nam ex tua propagatione naſcetur homo iuſtus, in cuius nomine erũt hæ quatuor literæ i.h.u.h. & ille per rectam fidẽ & placidam oblationẽ mittet manũ ſuam, & ſumet de ligno uitæ, & eius ligni fructus erit omniũ ſperantiũ ſalus. Quo finito ſermone, damnatus ille Adam ſpẽ concepit mutandi delicti. Neq; enim fruſtra dixit Deus, Iã uel nũc, ne mittat manũ ſuã. Ergo ſignificabat olim futurũ quod rũ fieri nolebat. Poſſunt iſta ferri, ad Chriſtũ tralata. Verũ torta expoſitio uerborũ iſtorũ probari nõ poteſt, ut pote quod illud, Ecce Adam eſt quaſi unus ex nobis, ad Chriſtũ referũt Cabaliſtæ, & addũt loquentẽ Deũ ad hũc modũ: Et nũc in præſenti hoc tẽpore, ne iſte meus in æternitate unicus, qui ſubſiſtit ex mei pſo, manũ ſuã mittat, & ſumat etiã de ligno uitæ &c. cũ hæc nõ de Chriſto, ſed primo Adamo ſint dicta.

Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo uoluptatis ut operaretur terram de qua ſumptus eſt, eiecitq; Adã.] Sic præmiſſæ rationi ſubijcitur factum. Emiſit eum Dominus Deus (intellige nõ Adamũ ſolũ, ſed utrũq; Adamũ & Euam) de paradiſo uoluptatis ut operaretur terram &c. Pertinebat hæc eiectio nõ ſolum ad hoc, ut arceret à ligno uitæ, ſed ad id quoq;, ut impleret quod dixerat Deus, maledicta terra propter te, in dolore comedes ex ea omnibus diebus uitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi &c. Iſta non poterant in paradiſo impleri. Quare requirebatur ut copia & commoditate paradiſi priuarentur, eijcerenturq; ad operandũ terram. Ideo cũ dixiſſet hic, Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo uoluptatis: ſubiecit, Vt operaretur terram de qua ſumptus erat. Non erat aũt de terra paradiſi ſumptus, ſed aliunde formatus in paradiſum translatus. itaq; ſecundũ condemnationis ſententiam duo iſta neceſſario requirebantur. Vnum, ne acceſſus eſſet homini ad lignum uitæ: Alterum, ut extra paradiſum conſtitutus terram grandi cum moleſtia operaretur. Etenim condemnatio hominis hæc duo cõtinebat, ærumnas uidelicet & mortem. Ad ærumnas ſpectabat, quod delicijs paradiſi priuatus extrudebatur ad operandum terram iam propter ipſum maledictam. Ad mortis neceſsitatem attinebat, quod acceſſu ligni uitæ arcebatur, ne ſi ex illo ederet, uitam ſibi diutius prorogaret.

Et collocauit ante paradiſum uoluptatis Cherubim, & flammeũ gladium atq; uerſatilẽ, ad cuſtodiendũ uiam ligni

A *gni uitæ.*] Non erat Deo incognita humana temeritas. Quare nõ cõtentus eiectione Adæ, uiam etiã ad lignũ uitæ occlusit, ne qua esset ad illud accessus. Hoc quõ factũ sit, cõmemorat Moses dicens: Et collocauit ante paradisum uoluptatis Cherubim & flammeũ gladiũ atq; uersatilẽ ad custodiendũ uiã ligni uitæ. Tria dicit. Primũ, positã esse custodiã ligni uitæ. Secũdũ, ubi illa sit posita: Ante paradisum uoluptatis, inquit. Ergo non solũ ad uitæ arborem, sed nec ad ipsum paradisum permissus est electis aliquis accessus. Sunt qui illud מקדם uertant, à plaga orientali, horti uoluptatis. Tertiũ, qualis posita sit custodia. Nõ talis quæ aliquando illic uiseretur, sed quæ ibi habitaret, hoc est cõtinuò perduraret. Sic nõ dicit in Hebræo simpliciter וישכן, id est, posuit, sed וישכן, id est, Et collocauit, manere fecit. Quid aũt ibi custodiæ gratia collocauerit, declarat dicens, Cherubim, & flammeũ gladium atq; uersatilẽ. Exponitur hæc particula uarie. Per Cherubim intelligunt & exponunt ferè omnes angelicos spiritus. R. Shlomoh exponit מלאכי חבלה, id est, angelos uastationis uel uastatores. Gladium flammantẽ & uersatilem Lyranus exponit uel zonã illam torridã & ardentẽ, quæ æstate nobis est uicina, hyeme remotior: uel ignẽ aliquẽ materialem, quẽ Deus excitauerit ante paradisum è tellure, perinde atq; in monte Aetna uidere licet. Alij tribuũt angelis huiusmodi flammarũ iactationes, quæ sint instar gladiorum uersatiliũ, quibus omnis aditus ad paradisum intercludat. Quod attinet Cherubim, quoniã psal. 18. uersu 11. sic legimus, Et ascendit super Cherubim & uolauit, & uolauit super pennas uentorũ, arbitror manifestum relinqui, Cherubim esse uolucres, unde & figuræ illæ propiciatorij, quas scriptura Cherubim uocat, alatæ fuerunt. Quare simplicius esse arbitror, & grandes & terribiles uolucres à Deo ad custodiam paradisi deputatas esse credamus, & quod flammã gladij cõcernit, cum illis sentiamus qui flammas è sinu telluris ad paradisi ingressum excitatas: & hic numerũ singularem pro plurali positũ esse arbitrantur. Nec necesse est ut cogitemus uoluc res illas horribiles & flammas ignis uno fuisse & eodem loco cõstitutas, sed sic positas, ut locis diuersis omnẽ paradisi aditũ prohiberent. Sunt qui putent hanc custodiã post mortẽ Adæ & Euæ esse sublatã. Sed incertũ est hoc. Credibile tamen est per diluuium & paradisum ipsum ita & custodiã illius desijsse.

Cherubim Psal. 18.

Quidã Hebræi putãt ברוב *esse chaldaicum & ם seruile literã, quasi sit, sicuti puer elegãs ac formosus: ad quã formam pingun tur angeli.*

QVAESTIO I.

Eo quòd mater esset cunctorũ uiuentiũ.] Quærũt hic, qũo Adam uocarit uxorẽ suam matrẽ uiuentiũ, cũ illa nondum cognita, sed adhuc uirgo esset. Hoc quærunt illi qui uerba hæc, eo quod mater sit cunctorũ uiuentium, quasi ab ipso Adamo prolata sint legunt. Et respondent nonnulli, dictũ esse hoc ab Adamo ad testandam fidem promissionis, qua crediderit genus humanum nõ fore delendũ in ipsis duobus, se &
B coniugẽ suam matrẽ uiuentiũ, quãuis adhuc esset ab ipso intacta. Sic respõdent illi. Verũ si, ut suprà monui, legerent hæc uerba tanquã à Mose ad exponendã nominis Euæ rationẽ adiecta, nõ tanquã ab Adamo prolata, non nascerẽt hæc quæstio. Nam Moses nõ uocauit eam matrẽ uiuentium adhuc uirginẽ existentem, sed post humani generis ex ea factam multiplicationem, ut rationem impositi nominis exponeret, dicit eam uocatam ab Adamo Heuam, eo quòd cunctorum esset uiuentium futura mater.

Quomodo Eua adhuc incognita uocata sit mater uiuentium.

QVAESTIO II.

Deinde mouet hic quæstio, unde cognouerit Adã, futurũ ut uxor sua mater fieret cũctorũ uiuentiũ, ut iam demũ & nõ ante peccatũ, acceptamq; condẽnationis sententiã, hoc illi nominis imposuerit, cũ eam אשה, id est, maritatã uel, ut uertũt, uiraginẽ uocaret. Burgẽsis hac de re sic loquit: Cũ mulier Adæ statim postquã esset cõdita adduceret, nesciebat quid futurũ esset, prolem ne ex illis susceptura esset uel minus, atq; ideo simpliciter eam uiraginẽ tanquã uitæ cõsortẽ uocauit. Post peccatũ uerò, quoniã mulieri dictũ erat à Deo, Multiplicabo ærumnas tuas & cõceptus tuos, in dolore paries filios tuos, ex eo primùm cognouit futurum ut prolem susciperet ex ea, indeq; illa mater fieret omnium uiuentiũ. Verùm ista admodum esse infirma ex eo patet, quod ante peccatum ex ore Dei ista audiuit Adam, Crescite & multiplicamini & replete terram. Non possumus dicere, quod ea non intellexerit. Quare non est necesse, ut dicamus illum demum post acceptam condemnationis sententiam cognouisse uxorem suam fore matrẽ generis humani ex ipsa multiplicandi. Illud tamen uerosimile est, spem multiplicationis huius per conscientiam peccati ac metum mortis in corde Adæ fuisse propè extinctam: posteaquam uerò audisset illa ex ore Dei ad Euam prolata, Multiplicabo conceptus tuos, & in dolore paries filios tuos, deinde uitam sibi prorogari intellexisset, rursus fuisse erectũ, ideoq; uxori hoc nominis imponere uoluisse, ut spẽ hanc multiplicandi generis humani in se & uxore cõtra mortis conceptũ metũ aleret & cõfirmaret. Itaq;, si interrogantur de scientia Adæ, ac spe multiplicandi generis humani, tenendum est, sciuisse illum ante peccatum quoq;, quod prolem esset ex cõiuge sua susceptura. Si quæritur quare ergo demum post acceptam condemnationis sententiam uocarit eam Euam, iam diximus qua ratione id factum uideri possit.

Vnde cognouerit Adam uxorẽ suam fore matrẽ omnium uiuentium.

QVAESTIO III.

Fecit Deus Adæ & uxori eius tunicas pelliceas.] Mouent hic inanem admodum quæstionem homines curiosi, quærentes unde ad manũ Deo fuerint animaliũ pelles, ex quib. tunicas faceret, & quorũ animalium pellibus ad eam sit rem usus, & quomodo factum sit ut tam citò mox initio mortua sint animalia, uel an à Deo sint propterea occisa, & quomodo id fine detrimento generis eorum animalium fieri potuerit, cum nondum facta esset illorum multiplicatio. Sentiunt hic quidam non esse hunc locum sic intelligendum, ut putemus Deum ipsum extitisse pellificem, & per se tunicas hasce pelliceas fecisse: sed, ut sentiamus illum primis nostris parentibus initio hoc ingenij dedisse, ut ipsi sibi uestes ex pellibus animalium pararent. Alij sentiunt, tunicas istas ex pellibus ouium, alij ex pellibus leporinis esse factas.

Vnde sumpserit Deus tunicas pelliceas, quibus Adamum & Euam induit.

Mea sententia est, abstinendum esse ab huiusmodi inanibus & curiosis quæstionibus. Satis est, ut credamus secundũ uerba Mosis, prouidisse Deum Adæ & Euæ, cũ essent paradiso extrudendi: de amictu pellíceo, operoso ac precioso aliquo, sed simplici ac facili, quo & tegerentur, & aduersus frigora defenderentur. Modum uerò, quo hoc sit factum, diuinæ prouidentiæ relinquamus, cui etiam noluimus uelimus ipsorum corporum creationem, cùm eorum quæ pellibus suis spoliauit, tum eorum quæ tunicis pelliceis induit, committere cogimur.

QVAESTIO IIII.

An fuerit Adam recuperaturus amissam immortalitatem, si de ligno uitæ post peccatum comedisset.

Ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno uitæ, & comedat, & uiuat in æternum.] Nascitur hic quæstio, an Adam, etiamsi post peccatum & acceptam à Deo mortalitatis sententiam, de ligno uitæ comedisset, eam fuerit ob causam uicturus in æternum. Primùm si uerba diuexentur, uidetur hoc ex illis in speciem colligi posse, quòd à mortis condemnatione Adam, si de ligno uitæ post peccatũ comedisset sese liberasset, & immortalitatem, quam peccãdo amiserat, comedendo uelut ex rapto recuperasset. Verùm hæc sententia probari ab illis non potest, qui firmitatem oraculorum Dei nullo pacto ab illis creaturis infringi posse sentiunt: deinde intelligunt nullum cuiuscũq; arboris fructũ, etiam ad usum uitæ destinatum, id posse cõtra uoluntatẽ Dei præstare, ad quod non est à Deo ordinatus. Arbor uitæ nõ erat ad id condita, ut præuaricatoribus contra uoluntatem ac sententiam Dei uitam conferret æternam. Quare etiamsi de illo post amissam innocentiam & latam aduersum se condemnationis sententiam, comedisset Adam, nihil planè effecisset. Scio quosdã philosophari de uerbo huic arbori adiecto, propter quòd fuerit arbor uiuifica: atq; ex eo colligere, postquam uerbum adhuc hæreat, in ea arbore fuisse Adamum pristinæ uitæ restitutum, si ex ea comedisset. Adducunt, exempli gratia, Sacramenta baptismi ac cœnæ Dominicæ. Verùm non expendunt, fieri non posse, ut efficax sit uerbum contra uoluntatem Dei. Dicet aliquis: Atqui manet adhuc quæstio, quam ergo ob causam Deus ad hunc sit modum loquutus. Sunt qui sic respondeant, ut dicant Deum nõ hoc cauere uoluisse, ne Adam de ligno uitæ comedendo pristinam immortalitatẽ recuperaret, sed ne temeritate illa uitã quidem suã prorogaret: uerùm nõ modo pristinã felicitatem ea ratione nõ recuperaret, sed & omnes illas ærumnas & molestias, in quas peccando incideret, eiusmodi prorogatione uitæ diturniores efficeret: & hoc se pacto non feliciorem, sed magis infelicem redderet. Et isti, quod in Hebræo est לעלם idem hoc loco esse uolunt, quod in seculũ, tempus uidelicet prolixum quidem ac diuturnũ, uerùm non sempiternum. Et hunc sensum ad hoc facere iudicant, ut declaretur nõ inuidisse Deum uitam Adamo, si usus ligni uitæ ad illius recuperationem facere potuisset, sed uoluisse miseriam eius fieri diturniorem.

Lyranus dicit: Lignum uitæ iam non poterat uitam eius perpetuare, poterat tamẽ ipsam ex sua bonitate prorogare, et ista prolongatio nomine Aeterni, id est seculi, significatur.

Est quidem ista sententia in speciem plausibilis, uerũ simplicius esse iudico, ut neutrũ horũ dicamus: sed hæc uerba à Deo more humano dicta esse intelligamus, quibus nihil aliud sit expressum, quàm noluisse Deũ permittere, ut Adam in paradiso diutius consisteret, sed ut usu ligni uitæ priuatus, mortalitatem, cuius iam sententiã acceperat, experiretur. Possunt autem hæc uerba etiam sic legi, ut non Deo, sed Mosi adscribantur, ad hunc modum. Et nunc ne mitteret manum suam, & sumeret etiam de ligno uitæ, & uiueret in æternum, emisit eum Dominus Deus, &c.

QVAESTIO V.

Quare Deus lignũ scientiæ boni & mali ante peccatum nõ custodierit.

Et collocauit ante paradisum uoluptatis Cherubim & flammeum gladium, ad custodiendum uiam ligni uitæ.] Dicturus est hic audaculus quispiam, quare Deus non etiam lignũ scientiæ boni & mali adhibita huiusmodi custodia sic cõmunierit, ut nullus esset homini ante peccatũ ad illud accessus. uidetur enim prudentis esse, malum præcauere potius, & id quod illicitum est præuenire, quàm post cõmissum malum etiam quod licitum & utile fuerat, uiolenta custodia prohibere. Temeraria hæc quæstio nullam meretur responsionẽ. Satis cõmuniuerat arborem scientiæ boni & mali Deus, ubi tam luculento illa præcepto usibus hominum exemerat, & tam duram transgressioni pœnam præfixerat. Inconueniẽs erat uiolentam illi adhibere custodiam, cum nulla dum inobedientia aduersus præceptũ aliquod præcessisset. Quare ordine omniũ cõuenientissimo præmittenda erat custodia diuini præcepti, cũ essent primi homines adhuc innocentes, nec ullam inobedientiam ostendissent. deniq; adhuc libero prædíti arbitrio, præceptũ Dei, modò uellẽt, seruare possent. Verũ ubi prioris huius custodiæ repaguli temeraria essent præuaricatione dissecti, liberoq; arbitrio priuati, ac serui peccati facti, tum demũ locũ inueniebat uiolenta custodia, qua præuaricatores, & morte condemnati à ligno uitæ reprimerentur. Prima disciplina uerbo Dei constat. Post illam sequit̃ ea quæ uim habet, uel cogendi, uel prohibendi: id quod non in eo tantũ est factũ, quòd uiolenta custodia ligno uitæ & ostijs est paradisi adhibita, sed in eo quoq; quòd pœna transgressoribus talis est inflicta, quæ nõ uerbo duntaxat cõprehenderet: cuius obseruantiã ut antea respuere possent, sed ineuitabili uirtute & efficacia perficeret. Nõ est in uiribus nostris ærũnas illas quibus in hac uita propter maiorũ nostrorũ inobedientiam & originis nostræ corruptionẽ exercemur, pro arbitrio nostro uitare, & in illis facere, quod in negligentia & cõtemptu præceptorũ Dei facimus: sed nolimus uelimus pœnas trãsgressionis carni nostræ impositas ad corruptionem usq; nedũ mortis necessitatẽ ferre cogimur. Sic pater filium suum primùm uerbo moderatur: deinde, si uerbo fuerit inobediens, uerbo adijcit uim castigatoriã, qua & uerberibus inobedientiã illius punit: & quæ antea fuerãt paterna liberalitate permissa, prorsus illi reddit inaccessa.

OBSERVATIO I.

Et uocauit Adam nomen uxoris suæ Eua.] Obseruemus hic quòd Adam uxorem suam uocat uitam, cum iustius illam mortem uocasset quàm uitam. Etenim ante omnem sobolem mortis erat fructus minister, & cattus

& citius posteros suos morti subiecerat, quàm uitæ reddidisset participes. Qua in re considerandum est, quàm fuerit Adam affectus erga bonitatem illam Dei, qua fiebat, ut non statim morerentur ipse & uxor, sed licet mortalitati multisq; ærumnis subijcerentur, tantisper tamẽ uita donarentur, donec genus humanum accepta sobole multiplicationis primordia sortiretur. Quod donum hoc qualiscunq; uitæ tanti faciebat, ut illius gratia uxorem suam uocarit uitam, dubio procul ex eo erat, quod mortis metum per cõscientiã peccati gustasset, ac de multiplicatione generis humani spem omnẽ amisisset, memor post peccatum, sicuti fieri solet, diuinæ cõminationis illius: Quacunq; die comederis ex eo, morte morieris, cuius recordatione ne peccaret cohiberi debuerat. Admonemur hac consideratione primùm, qui nam sint illi, quibus gratia uitæ preciosa uideatur. Illi uidelicet quorum conscientia mortis sententiam ac metum aliquandiu est experta. Deinde quid nos Christũ uocare debeamus, per quẽ nõ ad caducã & ærumnosam, sed perpetuam & omnium felicissimam uitam restituimur, si mulier illa uita uocari meruit, quæ sic ad uitam, eamq; calamitosissimã, posteros suos peperit, ut æquè illos ad mortem atq; ad uitã pepererit. An nõ iustius illum uitam uocabimus, quàm mulier ista nominis huius sortita est elogium? Sic ipse omnium se iustissimè uitam uocat, cum dicit: Ego sum uia, ueritas, & uita. Et Ioannes, Et uita erat lux hominum. Ioan. 1. Et 1. Ioan. 1. Vita manifestata est, & uidimus & testamur & annunciamus uobis uitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Hanc gloriam illi Christo interuertunt, qui quod illi soli competit, beatæ uirgini matri illius secundum carnem palàm tribuunt, dum illam implorantes canunt, Salue regina misericordiæ, uita, dulcedo, & spes nostra, ad te clamamus exules filij Euæ, ad te suspiramus, &c. Quare non potius sic canunt, Salue Iesu rex misericordiæ, uita, dulcedo, & spes nostra, ad te clamamus, &c. nisi quod plus fidei ac spei in matrem Domini quàm Dominum ipsum collocarunt, arbitrantes forsan animum illius tanquam mulieris magis quàm Christi tanquam uiri ac domini ad misericordiam propendere, ideoq; citius ad succurrendum miseris permoueri. Et dum sic sunt animati, & gloriam uitæ authori uitæ adimentes, in creaturam trãsferũt, admodum esse se Catholicos gloriantur, quasi hæc sit & fuerit inde ab initio uera & catholica Christianorum fides.

Quod Adam uxorem suam uocauit uitam, cum illam iustius uocasset mortem.

Quibus gratia uitæ preciosa uideatur.

Quid nos Christum uocare debeamus.

OBSERVATIO II.

Eo quod mater esset cunctorum uiuentium.] Considerandus est hic affectus Adæ, quem Moses hisce uerbis exprimit. Non dicit, Eo quod adhuc uiuerent, & nõ statim morerentur. Nec dicit, Eo quod non esset moritura: sed, Eo quod mater esset cunctorũ uiuentium. Neq; propterea quod adhuc essent aliquandiu
B uicturi, tantopere afficiebatur ut ea tantum de causa uxorem suam uitam uocaret: neq; ob id ita deijciebatur, quod essent aliquando morituri, ut uxorem suam mortem appellaret: sed tanta posteritatis acquirendæ & generis humani multiplicandi cura tenebatur, ut quoniã spem illius per domini clementiam conceperat, respectu eius uxorem hoc nomine insigniret, ut & ipsa intelligeret, quo deberet in medijs ærumnis & doloribus prospicere, & dolores suos quasi quodam mitigare solatio. Sic uisum est infirmũ ac iam deiectum mulieris animum erigere, & affectum suum de futura posteritate declarare. Admonentur hic coniuges, quàm debeant in coniugio suo non tam ad suam ipsorũ quàm sobolis ac posteritatis uitam prospicere, illiusq; magis quàm propriæ habere rationem. Cogitent mariti, quo loco uxores suas habere debeant: uidelicet, non solum tanquam coniuges suas amanter complecti, sed tanquã matres futuras uiuentium liberorum ac nepotum, cum honore tractare, & ad exemplum Adæ uitæ illis eló gium tribuere. Seruiat exemplum Adæ maritis omnibus, qui utroq; cùm boni mariti tum boni parentis affectu erga consortem suam præditus, illam ut coniugem suam אשה ut futuram posteritatis matrem Hauah, id est, uitam uocauit, quo & ipsi discãt utroq; respectu competenter affici erga uxores.

Affectus Adæ erga posteritatem.

Admonentur coniuges.

Et illud obserua: Quotquot ex Eua nascuntur ad finem usq; mundi, sic uitæ redduntur participes, ut simul sint & morti obnoxij, idq; mox atq; nascuntur, immò in ipso matris utero, antequam nascantur. Et hanc mortem non minus debemus Euæ, quàm uitã. Quare perinde poterat eam Adam uocare mortem atq; uitã. Verùm maluit id cõmendare in hac muliere, quod erat ex gratia Dei futura, quàm quod erat facta per culpam. Sic debemus ubiq; pluris facere, quod aliquo pacto gratiam Dei commendat, quàm quod nostram culpam accusat. Accusare & perstringere in uxore, ac proximo, si quid delictũ est, omnium est facillimum, & carni quoq; nostræ agnatum: uerùm agnoscere & commendare, si qua in illis gratia Dei relucet, non ita est omnium, nec tam facilè carni nostræ adlubescit. Et præterea inhumanũ est, in communi calamitate si quid peccatum est opprobrare, & non magis si qua per Deum ratione fieri potest, animum abiectum erigere ac confirmare, sicut hic Adam fecisse scribitur.

Maluit Adam id commendare in uxore quod erat ex gratia Dei, quàm quod erat ex culpa propria.

Tertiò, obseruandum est, quod nõ simpliciter dicit, Eo quod mater esset uiuentium, sed eo quod mater esset cunctorum uiuentium. Ergo non solum ærumnarum earundem cõmunicatione, sed & eadem carnis nostræ origine coniungimur, ac fratres nascimur omnes, unius & eiusdem matris filij existentes. Quid est igitur quod tantopere pleriq; de stemmatum nescio quorũ claritate gloriantur? Relegant genesis sui uestigia, & recurrant ad ipsa primordia, ac tum demum pronuncient quàm sint claro genere nati, dicantq; quæ prærogatiuæ natales ipsorum præ reliquis habeant Euæ filijs.

Inanis stemmatũ gloriatio inter eos primæ qui sunt originis gratia fratres.

OBSERVATIO III.

Fecit quoq; Dñs Deus Adæ et uxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.] Principiò cõsidera hic prouidentiã Dei. Quamuis puniebat eos tanquã peccatores ac præuaricatores, & è paradiso in exilij ejiciebat, nihilo tamẽ minus puidẽtiæ suæ curã erga eos declarat, dũ ejiciẽdis parat tunicas quib. cõtra aeris ac cœli inclementiã extra paradisum cõuersantes munirent. Est hic locus illis præcipuè notãdus, qui de puidẽtia Dei erga

Obseruanda prouidentia Dei erga omnes eos, quos uiuere permittit.

erga se dubitant, propterea quod sciunt se esse peccatores. Cogitant, Si nunquam peccassemus, sperari posset, adfore Deũ iustis, obedientibus & insontibus. Nunc quoniã præuaricatores sumus, quid huius sperare possumus? Respiciant ad præsens hoc diuinæ prouidentiæ exemplũ. Quod si primos homines Deus antè peccatum uestibus ab ipso factis induisset, causam habere uideretur ista cogitatio. Iam cum legatur illis tum quoq; prouidisse, cum propter transgressionem & inobedientiam cõdemnarentur, & paradiso excluderentur, quis non uidet tantam esse diuinæ bonitatis prouidentiam, ut illius beneficentia peccatoribus quoq; speranda existat?

Non probatur Deo impudentia Cynicorum, Adamitarum & Anabaptistarum quorundam.

Deinde considerandum hic est, quàm non probetur Deo impudentia Cynicorum, gymnosophistarum, Adamitarum, Anabaptistarum, & reliquorum prostituti pudoris hominum, qui de nuditate sua non erubescunt. Quæ natura ipsa uelare iubet, post peccatum Deus in primis parentibus uelauit. Ante peccatũ, cum in corporibus innocentum nulla esset nuditatis turpitudo, non legimus quicquã de uestibus. Post peccatũ uerò, quod ipsi Adam & Eua dictante iam ratione obtegere nitebantur, Deus ipse paratis ad eam rem tunicis plenius obuelauit. Quare patet, eam nuditatẽ quæ cum innocẽtia cõiuncta nõ est, nõ solũ dictamine rationis & naturæ, sed & authoritate Dei esse uelandã. Aliud aũt est, esse innocentẽ: & aliud, simulare statũ innocentiæ, cũ intima cordiũ nostrorũ plena sint hypocrisi & iniquitate.

Imago gratiæ Christi qua uelut ueste quadam corpus peccati in nobis obtegitur.

Tertiò, cogitemus etiam hoc loco, quàm insigni imagine depicta sit hac in re gratia illa Dei, qua per Christũ peccata nostra teguntur, & turpitudo corporis peccati ueste innocentiæ Christi uelatur. Turpitudo nuditatis erat primis nostris parentibus ex peccato. Hanc tegens Deus adumbrabat gratiã suã, qua peccata nostra tegit, quam propheta Psal. 32. celebrat dicens: Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Inhonestam corporũ suorũ nuditatem conabantur ipsi ficulneis foliis obuelare: uerùm id tegumenti nihil efficiebat, quare opus erat tunicis à Deo datis, quibus nõ modò pars aliqua corporis peccati, sed omnia illius tegerentur. Sic nihil efficimus dum peccata nostra ipsi tegere molimur: sed ipsa requirit necessitas, ut ueste gratiæ Dei tegamur. Bene uestitur, quem Deus tunicis suis uestit. Malè tegitur, qui Deum fugiens, pudenda peccatorum suorum inani perizomate cingit.

Tunicæ pelliceæ mortis habebant monumenta.

Quartò, obserua quod non simpliciter dicit, quod fecerit illis Deus tunicas, sed addit, pelliceas. Pellis non fit uestis alieni corporis, sine morte eius cuius erat pellis. Ergo tunicæ istæ pelliceæ mortis habebãt monumenta. Poterat ex lana, ex lino, ex serico, uel quacunq; alia materia uestem parare, qua nudi tegerentur: uerùm sic uidebatur conducibile miseris, ut uestibus, quæ mortis interuentu constabant, de sua quoq; mortalitate quotidie admonerentur. Ipsa uestiendi necessitas perpetuam seruat primæ transgressionis memoriam. Vestis ex morte parata, de morte per peccatum introducta admonet. Quæ est ergo illa insania, qua tantus luxus, tantus sumptus, tanta superbia & insolentia, ac tãta uanitas ei rei impenditur, cuius usus ex peccato prouenit, & sequuturæ mortis præmonitionem habet? Nisi fontes essemus, non esset ulus uestium. Vsu uestium de turpitudine nuditatis nostræ, adeoq; & culpæ cõuincimur, dehonestamurq;, non ornamur: confundimur, non illustramur. Quare qui uestiũ sumptu gaudent & insolescunt, perinde mihi facere uidentur, ac si fur quispiam laqueo adiudicatus, & hac lege suspendio liberatus, ut laqueũ collo palàm & irremisse dependentem gestaret, usq; adeò redderetur in malicia sua obcæcatus & impudens, ut nõ solum nullo pudoris sensu ex gestamine tali afficeretur, sed illo oblectaretur etiam. & glorioſum sibi iudicaret, si sumptuosum, uptote sericeum, argenteum, uel aureum laqueũ collo gestaret. Quæso, unde admonebimur turpitudinis nostræ? Vnde ad modestiã prouocabimur, quando ipsa turpitudinis & miseriæ nostræ monumenta in occasionẽ fastus & insolentiæ peruertũtur? Expende etiã loci huius mysteriũ, quod ex spolijs mortalitatis teguntur corpora Adæ & Euæ. Vestis gratiæ qua corpus peccati in nobis tegitur & ipsa est ex morte, Christi uidelicet, qui suis nos exuuijs, hoc est carne ac sanguine in mortem datis, uestit.

Contra insolentiam amictus.

Simile.

OBSERVATIO IIII.

Diuini honores infeliciter suasu Satanæ appetuntur.

Et ait: Ecce Adã factus est quasi unus ex nobis sciens bonũ & malũ.] Exigit huius loci cõsideratio, ut obseruemus quàm infeliciter diuini honores consilio & suasu Satanæ appetantur. Cõfer hæc uerba serpentis, Eritis sicuti dij scientes bonũ ac malum, ad calamitatem illam & omnium miserrimã ruinam Adæ, in quã est per transgressionẽ diuini præcepti prolapsus. Pollicebatur ille diuinitatem, si ederẽt de fructu arboris uetitæ. Ederunt, & tam abfuit ut diuinitatis gloriã acquisierint, ut etiam infra humanã abiecti bestijs similiores quàm Deo facti sint. Pollicebat scientiã boni & mali, qua saperẽt in omnibus. Et ecce brutis animantibus sunt facti dementiores. Nacti quidẽ sunt scientiam boni, sed per peccatũ amissi. Nacti sunt scientiam mali, sed contracti, & magno ipsorũ malo per experientiam cogniti. Facti sunt planè scientes nõ unius, sed omnis generis malorũ. Vulgò dicitur iciens calamitates, qui multis est calamitatibus afflictatus. Sic Adam factus est sciens malum, uidelicet, in quod erat per inobedientiam præceptus datus. Dum illa expendimus, detestemur nequitiam impostoris Satanæ, qua tales deos efficit, dum miseros & incautos mendaci persuasione seducit. Haud aũt detestemur duntaxat, sed & omniũ cautissima uigilantia fugiamus. Reddamus nobis hoc uerbum Dei familiare, ut quoticunq; per impostura huiusmodi Satanæ seductũ aliquem deprehenderimus, dicamus, Ecce homo factus est quasi Deus quidam in terra, nihil non iciens, nihil non efficere ualens. Dicamus aũt non per sarcasmum, quo miseros rideamus: sed iusta indignatione, qua maliciam & fraudem Satanæ perstringamus & detestemur.

OBSERVATIO V.

Nũc ergo, ne forte mittat manũ suã, et sumat etiã de ligno uitæ, et comedat, et uiuat in æternũ.] Primũ obserua lo-

cutionem.

A tionẽ. Non dicit simpliciter, Nũc ergo ne comedat de ligno uitæ: sed, Ne fortè mittat manũ suã, & sumat etiam de ligno uitæ. Manum mittere ac sumere, non est ex improuiso, per imprudentiam, obiter & per occasionem, sed data opera, ex destinato ac studio aliquid usurpare. Sic expressum est ingeniũ humanũ, quàm propendeat magis ad uitæ conseruationem quàm repurgationẽ & iustificationem. Senserat quidem Adam peccati conscientiam, & animi sui corruptionem, & immutationem: uerùm tam de eo cogitabat quòmodo ei malo mederetur, quàm quomodo mortis metum euaderet. Neq; pœnæ calamitatũ & ærumnarũ id efficiebant in illius animo, ut nõ esset uitæ appetentior quàm mortis, id quod in eo satis declarabat, quod uxorẽ suam uitã appellat. Hoc eodem ingenio omneis illius quoq; posteri prædíti sumus, id quod quisq; in se ipso experitur, nisi sit fungus ac stipes. Quotusquisq; est, qui etiamsi hæc duo molestiarum genera, peccati uidelicet & ærumnarum, in carne sua experiatur, non magis si ulla daretur facultas manum suam mitteret ad sumendum de ligno uitæ quàm uel de ligno iusticiæ & innocentiæ, uel de ligno mortis, quo ab uniuersis huius uitæ miseriis semel liberaretur?

Ingenium humanum propensius est ad conseruationem quàm repurgationem uitæ.

Deinde notandum est, quod non simpliciter dicit, Et comedat de ligno uitæ: sed, Et comedat etiam de ligno uitæ. Ergo antea de illo, cum liceret, nõ comedit: comesturus autem erat, cum non liceret amplius: manumq; ad illud missurus, postquã de uetito scientiæ ligno comederat. Sic ubi semel cœpimus mittere manum ad illicita, sperandum non est, ut in posterũ, ne deprehensi quidem & condemnati, abstineamus.

Qui semel delinquere cœpit, ægrè abstinet.

Tertiò, & illud expende, quod dicit: Et uiuat in æternum. Nolebat Deus ut Adam uiueret in æternũ, postquam per præcepti præuaricationem & peccator & ærumnosus esset factus. Et quoniam nolebat ut in uita perpetuò duraret, nolebat etiam ut de ligno uitæ comederet. Admonemur hic, non probari Deo, ut sacramentis cœlestis gratiæ utantur illi, quibus ipsam gratiam cõmunicaturus non est. Arbor illa, quæ arbor uitæ dicebatur, sacramentum erat uitæ sempiternæ. Sacramentum hoc denegauit ei, cui ipsam uitam sempiternã propter peccatum denegabat, & illius loco omnis generis ærumnas ac tandem mortem & corruptionem inflixerat. Fit autem hoc non sine magna ratione. Est enim abusus non ferendus, quo sacramenta uitæ non ad uitam, sed potius ad maiorem calamitatem ab illis usurpantur, qui uitæ non sunt capaces: ut taceam quod gloria cœlestis gratiæ huiusmodi abusu obscuratur, dum sacramenta uitæ illicitè usurpata non uiuificant, sed magis occidunt. quod fit, quando ad iudicium & condemnationem usurpantur. Vide 1. Cor. 11.

Vsus sacramenti uitæ non permittendus illis, qui ipsius uitæ non sunt participes.

OBSERVATIO VI.

B *Emisit eum Dominus Deus de paradiso uoluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est, & eiecit Adam.*] Consideremus hic diuini iudicij æquitatẽ, qua paradiso est Adam exclusus, quoniã tantæ dignitatis ac felicitatis neglecta ratione, legem paradisi fuerat transgressus, immemor unde sumptus, & in quem esset locũ translatus. Vt hanc æquitatem exprimeret Moses, nõ simpliciter dixit, Emisit Dominus Adam de paradiso: sed addidit, Voluptatis, item, ut operaretur terram: eamq; nõ quamuis, sed de qua sumptus erat. Quasi dicat: Quoniã incolatũ paradisi non plurimi fecit, in quo poterat in delicijs absq; ulla uiuere molestia, omnium iustissimè ex illo pulsus, ad terram eam remissus est, unde fuerat formatus: nec simpliciter ad hanc remissus, sed ut laborando uictum ex ea quæreret. Admonemur hoc diuini iudicij exemplo, quid expectandum sit illis, qui ex humili loco ad sublimitatem ac dignitatem ueluti paradisi cuiusdam translati, eiusmodi dignitatis ac felicitatis legem præuaricando indignos sese constituunt qui illa diutius fruantur. Id uidelicet, ut illa priuati reijciantur ad pristinam miseriã & humilitatem. Qui de terra natus terrenus & humilis, ad cœlestem regni Christi felicitatem uocatus ac translatus, tanta se gratia per contemptũ & inobedientiam reddit indignum: huic sanè nihil restat aliud, quàm ut de paradiso regni Dei eiectus ad terram remittatur, unde sumptus erat, fiatq; omnis generis ærumnis, ac morti obnoxius. Quare quod Apostolus 2. Cor. 6. fideles monet dicens, Ne gratiã Dei frustra receperitis: hic quoq; locum habet. Non solum durum, sed & omnium est infelicissimum, operari terram maledictam, nõ ante, sed post paradisi incolatum. Durum & molestum est præsentis uitæ miserias experiri, etiam antequam cœlestibus mansionibus inferamur, & sempiternæ felicitatis gaudia gustemus. Quæso, si quod Adæ è paradiso eiecto contigit, etiam illis accidere posset, qui ad cœlestia sunt ex hac lachrymarum uale assumpti uidelicet, ut inde deiecti in terram hanc miseram & calamitosam remitterentur, quis non uideret, quanto illi molestiorem ac tristiorem terrenæ miseriæ sensum experturi essent quàm nos, qui cœlestia nondum gustauimus? Sic planè infelix hominum genus est, quod post experimentum cœlestis gratiæ ad maledictæ carnis labores & molestias suapte culpa relabitur.

Aequissimum est ut qui felicitatẽ diutius conceſſam neglexit, in summam coniiciatur infelicitatem.

OBSERVATIO VII.

Et collocauit ante paradisum uoluptatis Cherubim & flammeum gladium ad custodiendam uiam ligni uitæ.] Considerandum est hoc loco, quomodo uiam ligni uitæ communierit. Poterat id occulto quodam modo perficere, ut impossibilis esset aditus ad hanc arborem, etiamsi nulla uisibilis adhiberetur custodia. Verùm uoluit Adæ omnem spem accedendi uisibili custodia amputare, id quod non solum eo faciebat, ut à conatu appropinquandi abstineret: sed ad id quoq; proderat, ut desperata immortalitatis recuperatione sententiæ Dei absq; tergiuersatione sese subijceret. Multa impossibilia, uel factu uel acquisitu tentat humana præsumptio, de quibus nihil præsumeret, si ob oculos insuperabilia uersarentur impedimenta.

Quæ sit ratio quod accessus paradisi uisibili est impedimento præclusus.

Negatur accessus paradisi illis, quibus lignũ uitæ negatur.

Deinde & illud obseruãdũ est, quod custodiã uiæ ligni uitæ sic collocauit, ut nõ solũ ad ipsam arborẽ, sed & ad paradisum quoq; nullus pateret aditus. Nõ enim simpliciter dicit Moses, Et collocauit Cherubim &

bim & flammeum gladium ad custodiendam uiam ligni uitæ, sed & collocauit ante paradisum uoluptatis Cherubim & flammeum gladium, &c. Poterat hæc arbor sic custodiri, ut interea paradisi nõ intercluderetur accessus: uerùm hac ratione significabatur non esse illis reditum ad paradisi delicias, quibus usus ligni uitæ non permittitur: hoc est, fieri non posse, ut feliciter sine ulla molestia in hac uita, uelut in paradiso, uiuant, qui propter peccatum mortalitatis sunt condemnationi subiecti. Nam sic coniuncta sunt lignum uitæ & paradisus, ut alterum sine altero obtineri nequeat. Quare cui lignum uitæ negatur, illi & paradisi incolatus. Admodum desipiunt qui hortũ sibi deliciarum in hac terra sine ligno uitæ parare conantur: id quod & Salomon quãtumuis sapiens & potens frustra se molitũ esse testatur Eccl. 2.

Qui particeps non est Christi ligni uitæ, accessũ ad regnum Dei habere non potest.

Deniq; & hoc cogitandum est, Adæ non permittitur accessus paradisi, quoniam à ligno uitæ arcebatur. Sic reuera locus in regno Christi non solum non est, sed nec esse potest omnibus illis quibus nulla pars est in Christo, ueræ uitæ ligno. Est autem regnum Christi ecclesia Christi, electorum ac fidelium societas. De hac multi gloriantur hodie, quibus tum nihilo plus loci est in Ecclesia, quàm Adæ post eiectionem fuit in paradiso.

CAPVT IIII.

Post miserabilem primorum nostrorum parentum ruinam, quam capite præcedenti exposuit, præsenti hoc & sequenti transit ad propagationem ac multiplicationem generis humani describendam. Narrat autem hoc capite de primis Adæ filijs Cain & Abel, quid inter illos acciderit, deinde posteritatem Cain subiungit. Et in calce capitis redit ad Adamum.

ADam uerò cognouit uxorem suam Euam, quæ concepit & peperit Cain dicens: Possedi hominem per Deum. Rursumq; peperit fratrem eius Abel. fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola. Factũ est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Et respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera illius non respexit. Iratusq; est Cain uehementer, & concidit uultus eius.

LECTIO.

Possedi hominem.] Sic habet & Græcus. in Hebræo non est אֵרֶץ sed אִישׁ, id est uirum.

Per Deum.] Sic & Græcus, διὰ τοῦ θεοῦ. Verùm in Hebræo est אֶת יהוה, quod uertunt alij à Domino, alij in Domino, alij cũ Domino. Germanicus interpres reddidit, uirũ illum Domini. Varietatis huius causa est, quod articulus אֵת in scripturis uariè accipitur.

Et factum post est multos dies.] In Hebræo est מִקֵּץ יָמִים, id est, à fine dierum. sic uertit Munsterus. Et Chaldæus habet מסוף ירחין יומין רחיט Græcus legit, μετ' ἡμέρας, id est, post dies. Pagninus, in fine dierum. Alij, Exactis aliquot diebus.

EXPLANATIO.

Adam uerò cognouit uxorem suam.] Sic orditur Moses historiam multiplicationis generis humani. Et primùm meminit de Cain primogenito Adæ, & rationem assignat, quare uocatus sit Cain. Quæ concepit, inquit, & peperit Cain dicens, Possedi uirum à Deo, uel, uirum illum Dei. quibus uerbis haud obscurè significatur, sensisse Euam, primogenitum hunc suum fore uirum illum Dei, qui contriturus esset caput serpentis, secundum oraculum Dei. Quare uerbum hoc rationem habere uidetur, ob quam puerum hunc Cain uocarit. Scio quosdam hanc expositionem non admodum probare, uerùm meo iudicio nihil est quod impediat, quo minus germana censeri possit. Nam etiamsi non legamus, Acquisiui uirum illum Dei: sed, Acquisiui uirum à Deo, uel, per Deum: nihilo tamen minus uel ex eo quod infantem recens natum uocat uirum à Deo acquisitum, satis admonemur, concepisse eam de illo ipsum singularem, quam non immeritò ad id referimus, quod propter promissionẽ Dei impensissimè expectabat.

Cain.

Rursumq; peperit fratrem eius Habel.] In Hebræo est: Et adiecit ad pariendum fratrem eius Habel. Hinc nonnulli existimant, duos hosce filios Adæ Cainum & Habelem, fuisse gemellos. Arbitrantur enim illud ex eo innui, quod nõ dicit Moses, Rursus concepit Eua & peperit: sed, Et adiecit & peperit fratrem eius Habelem. Verùm ista cõiectura admodũ est infirma. Quare non est ut illi innitamur. Quod autem secundum hunc filium suum uocauit Habelem, perspicuum est ob id esse factum, quod existimaret nullum fore illius usum ad id quod primogenitum perfecturũ credebat, uidelicet ad cõterendum caput serpentis. Nam Habel uanum ac superfluum significat. Haud clàm me est quosdam Habel interpretari luctum. Verùm in eo errarunt, quod Hebræum contextum non inspexerunt, in quo non legitur אבר, quod luctum, sed per h fine aleph, הבל, quod inane ac uanum significat. Igitur etiam ex eo, quod secundum filium הבל, id est, uanum uocauit, satis constat, quare primogenitum uocarit Cainum.

Putat quidã Cainum & Habelẽ fuisse gemellos.

Fuit autem Habel pastor ouium, & Cain agricola.] Sic Crediderim illos ab Adamo ad utrunq; uitæ genus, tanquam usibus humanis accommodum fuisse institutos. Neq; enim firmum est, quod nonnulli putant, Cainum agriculturam auariciæ, Habelem aũt pasturam ouium simplicitatis & innocentiæ studio sibij pro-

sibij ipsos delegisse. Meminit autem Moses instituti utriusq; quoniam de sacrificijs illorũ necessariò dicturus erat, quomodo uidelicet Deum sacrificijs coluerint, & quid quisq; obtulerit. Nam ea in re causa erat odij & futuri fratricidij aperienda.

Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Habel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipe eorum.] Videtur interpres illud in Hebræo מקץ ימים, id est, à fine dierum, intellexisse de tarditate, qua Cain usus sit in cultu Dei, non tempestiuè, sed tardè & cunctanter ad hunc cultum Deo præstandum se cõferens, ideoq; uertisse, Factũ est post multos dies, ut offerret Cain Deo. Arbitrantur nonnulli ad hunc modum esse intelligendũ, quod dicat Cainũ post finem dierum, id est, post messem, obtulisse Deo de frugibus terræ iam maturis. Alij exponunt de tempore annuo, sicut & illud 2. Samuelis 14. de tonsura Absalomis, qui מקץ ימים לימים capillos capitis sui tondere solebat. Mihi uidetur hæc locutio מקץ ימים, à fine dierum simpliciter poni in scripturis pro eo quod est, post consummationem dierum, quorundam scilicet, certò destinatorum: ut de certo dierum termino intelligamus, sicuti Daniel cap. 12. in sorte sua usq; לקץ ימים, id est, ad finem dierum, intellige determinatorum, stare iubetur: uel quod simplicius est, ut idem sit, quod post aliquot dies, sicuti 1. Reg. 17. in historia Eliæ legitur, ויהי מקץ ימים, id est, Et factum est post dies aliquot (sic uulgata latina habet) siccatus est torrens. מקץ ימים

De oblationibus Cain & Habelis ideo memorat Moses, ut causam exponat odij, quo Cain aduersus fratrem suum infectus consilium occidendi illum in animo concepit. Scribit aũt utrunq; obtulisse, Cainum de frugibus terræ, Habelem de oubus suis. Haud uerò obscurè inter utriusq; oblationẽ discriminat, dum Caino tantũ tribuit, quod simpliciter de frugibus terræ: Habeli aũt, quod non solum de primogenitis, sed & de pinguioribus ouium suarũ obtulerit. Sic enim intelligendum uidetur, quod in Hebræo est רמחל בחן, id est, & de pinguedine earum, ut sit numerus singularis pro plurali positus, & per pinguedinem ouium pinguiores oues intelligantur. Sic enim Habelis fidem, pietatem, ac zelum erga Deum in eo declarare uidetur, quod eum non simpliciter & utcunq;, sed selectiora & pinguiora obtulisse scribit.

Arbitror autem Mosen non loqui hoc loco, de prima oblatione Cain & Habelis, sed de certa aliqua, qua contigerit discrimen illud, quo Deus illius uictimã nõ respexerit, respexerit aũt huius. Et uerosimile est accidisse hoc non semel tantum, sed aliquoties, quo conscientia Cain inexcusabiliter perstringeretur. Quod locum attinet, ubi sacrificauerunt Adam, Cain & Abel, scribit cap. 1. lib. 1. Cabalæ, quod factũ sit ab Adamo altare in monte Moriæ, super quo ipse, filij, & postea Noe & Abraham immolarint. B

Et respexit Dominus ad Habel & ad munera eius: ad Cain autem, & munera illius non respexit.] Ad munera & sacrificia offerentium, & ad ipsos quoq; sacrificantes respicere, est cultum illorum probare & acceptare. Ergo nec Cain nec sacrificium eius Deo placuit, placuit autem Habel & quæ ille offerebat.

Iratusq; est Cain uehementer: & concidit uultus eius.] Vt iræ huius causas declararet, præmisit de oblationibus utriusq;, quàm illæ diuersimodè à Deo fuerint acceptæ, Habelis uidelicet bene, Caini malè. Ea res, inquit, commouit Caini animum, ut uehementer succenseret, & repulsam ferret omnium molestissimè. Sic uiam ad sequentia parat, quibus irarũ istarũ fructus est expositurus. Vehementiã aũt iræ huius in eo exprimit, quod adijcit: Et cõcidit uultus eius. Nam sic comparati sumus, ut affectus iræ, si sint ualidi, uultum confestim deformet, ut palàm appareat, quãta sit in pectore animi perturbatio & commotio.

QVAESTIO PRIMA.

Adam uerò cognouit uxorem suam Euam.] Mouetur hic quæstio, quando sit hoc factum, ante ne peccatum in paradiso, uel post peccatum, cum essent è paradiso eiecti. R. Shlomoh arbitratur Adamum adhuc in paradiso constitutum, antequam peccasset, & propter peccatum expelleretur, uxorem suam Euam, sicut hic Moses scribit, cognouisse: illam uerò post expulsionem demum uterum gestasse ac peperisse. Quare & infrà cap. 5. ubi Moses dicit, Hic est liber generationum Adam, in die quo creauit Deus: exponit, In die quo creatus est genuit. Et Lyranus citat Hebræorum quorundam sententiam qui dixerint pueros istos Cainum & Habelem in paradiso fuisse cõceptos & genitos. Et Augustinus quorundam Christianorum opinionem refutat, qui idem senserint, nisi quod illi putarũt Adamum in eo deliquisse, quod ante benedictionem ac desponsationem uxorem suam cognouerit. Verùm horum opiniones non immeritò reiecerunt patres, qui contendunt primos nostros parentes adhuc uirgines esse paradisum egressos. Addunt rationes. Augustinus dicit quod post formationem mulieris mox peccarint, & propter peccatum eiecti sint. Hieron. sensit paradisum fuisse non nuptijs, sed uirginitati destinatum. Lyranus dicit, quod expectandum fuerit illis tempus à Deo determinatum. Et quod tum demum aspirarint ad delicias carnis, cum essent delicijs paradisi priuati. Omnes istæ rationes non satis firmæ sunt ad hoc ut probent id, quod in se tamen uerum esse iudico. Quare, meo iudicio, ex eo magis conuincitur Adamum uxorem suam cognouisse, illamq; cõcepisse ac peperisse non ante, sed post peccatum, siue id factum sit in paradiso, siue extra paradisum (nam id parum habet momenti) quod primogenitus illorum Cain malus, hypocrita & homicida, immò fratricida fuit: futurus non malus, sed bonus, si in statu fuisset innocentiæ ante peccatũ, & humanæ naturæ per uenenũ serpentis infectionem & corruptionẽ cõceptus. Quapropter nõ sunt ista, Adam uerò cognouit uxorem suã, quæ cõcepit ac peperit Cain, per recapitulationem sic legenda: Adam uerò cognouerat uxorem suã, quæ conceperat, &c. sicuti nonnulli putant, sed quemadmodũ Moses ea post peccatũ, condemnationẽ, & expulsionẽ demũ cõmemorat, ita & facta esse sentiendum ac simpliciter legendũ: Adam cognouit uxorem suã, quæ concepit & peperit. Quando cognouerit Adam uxorem suam.

QVAESTIO II.

Quare nec Cain nec Habel filius uocetur.

Quæ concepit & peperit Cain, &c. Rursus peperit fratrem eius Habel.] Quærunt hic nõnulli, quare Moses non dicat. Quæ concepit ac peperit filium suũ Cain: item, Rursum peperit filium suum Habel, sicut infrà legit, Peperit filiũ suũ Seth, cũ non solus Seth, sed utrique & Cain & Habel quoque filij fuerint Adæ.

Reddunt rationes ob quas sit hoc factum. Primùm assignant de Habele, quod sine posteritate ex hac uita discesserit à fratre occisus: deinde de Caino, quod is spiritualiter perierit, nec quicquam ad posteritatem Ecclesiæ Dei ac seminarium electorum contulerit, licet posteros post se reliquerit, qui tamen in diluuio cuncti perierint, ideoque nec benedictus Habel, nec maledictus Cain nomen filij meruerint: meruerit uerò Seth, unde posteritas sanctorum & Christus ipse descendit, quare primus sit uocatus filius.

Addunt de Caino & hanc rationem, quod à matre præ nimio gaudio & reuerentia non sit filius, sed uir Dei uocatus, qui conquassaturus esset caput serpentis.

Verùm hæc mihi quæstio planè uidetur esse ociosa & frigida, nec ulla necessitate mota. Nam ita solet scriptura loqui non solum de Caino & Habele, sed & de reliquis, sicuti cap. sequenti uidere est, ubi generatio posteritatis non solum Adæ, sed singulariter eorum recensetur, qui de Seth descenderunt, & populus sanctorum iudicantur, unde utique Christus originem carnis traxit. Ibi Moses sic loquitur: Vixit Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem & similitudinẽ suam, uocauitque nomen eius Seth. Vixit Seth centum quinque annis, & genuit Enos. Vixit Enos nonaginta annis, & genuit Cainam, & sic sic de reliquis. Quis autem adeò desipit, ut neget hos fuisse parentum suorum filios, eo quod à Mose nõ sunt nominati & appellati filij? Aut quis non uidet eos quoque, qui plurimum ad multiplicandum generationem iustorum contulerunt, perinde atque Cainum & Habelem non esse uocatos filios, ut manifestum sit, non esse Mosen de Caino & Habele singulari ratione, sed pro sua consuetudine simpliciter ad hunc modum loquutum sicut & de illis, quorum tamen posteritas recensetur?

QVAESTIO III.

Quare Cain agricola, Habel uerò pastor esse noluerit.

Fuit autem Habel pastor ouium, & Cain agricola.] Quæritur hoc loco, quid mouerit utrosque, ut ille uoluerit esse pastor ouium, iste agricola. Adferunt uarias rationes. Sunt qui causam tam diuersi instituti reijciant in parentes illorum Adamum & Euam. Dicunt Adamum impensius dilexisse Cainum, tanquam primogenitum, & qui speraretur aliquando ultionem de serpente sumpturus, ideoque illum patrijs artibus instruxisse, & agriculturæ tanquam honestiori, Habelem uerò pastui ouium tanquam uiliori exercitio deputasse, ut appareat hunc serui, Cainum uerò domini loco habitum. Rursus sunt qui causam non in parentes, sed ipsos Cainũ & Habelem transferant. Dicunt Cainum sectatum esse terreni lucri emolumenta, Habelem uerò amplexum esse simplicitatem & innocentiam, ideoque elegisse pasturam ouium, quod id uitæ genus sit & quietius & magis innocuum, atque ideo posteris quoque, patribus uidelicet Abraham, Isaac & Iacob cæteris acceptius. Burgensis hac de re sic sentit. Habel, inquit, sciebat terram esse maledictam à Deo propter peccatum patris, ideo separauit se à cultura terræ tanquam à re maledicta à Deo. Et quia pecora non fuerunt à Deo maledicta, ideo elegit sibi officium pastoris. Cain uerò elegit sibi agriculturam, quasi non curans de sententia diuina, quod ad contemptum reputatur. Hæc ille. Mea sententia est, primùm nec Cainum nec Habelem in eligendo uitæ genere proprio esse usum arbitrio, sed quenque obsequutum parentibus ea ratione uixisse, qua in domo paterna pro necessitate & commoditate domestica instituebatur: ut posteriores duæ opiniones uideantur infirmæ. Deinde haud esse improbabile, primogenitum Cainum singulari studio ad agriculturam, non solum quòd primogenitus, sed & quod corpore uegetior esset, Habelem uerò tanquam simpliciorem & imbecilliorem ad pasturam ouium fuisse deputatum, ac postea quenque in eo uitæ genere, quo inde à puero fuerat exercitatus, mansisse. Non possum assentiri Burgensi, in eo quod Habelem ab agricultura tanquam à Deo maledicta abstinuisse putat. Licet enim terra maledicta esset à Deo propter peccatũ Adæ, ipsa tamen agricultura maledicta non erat: quemadmodum nec studium operandi maledictũ est ex eo, quod terra maledicta laboribus non respondet. Huiusmodi maledictio terræ non est talis, ut culturam sui reddat culpabilem & famem: sed peccatum tale est, quod studiosum sui, condemnationi reddat obnoxium & culpabilem efficiat. Et Isaac agrum coluit, unde tamen nusquam in scripturis malè audit.

QVAESTIO IIII.

Vnde cognouerit Cain non respici à Deo oblationem suam.

Et respexit Dominus ad Habelem & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera illius non respexit.] Quærunt hoc loco, quomodo sic sit iste respectus Dei declaratus, ut obseruari potuerit à Caino. Nam omnino necesse est, accidisse aliquid externè, unde ueluti certo indicio cognouerit Cain, placere sacrificium Habelis Deo, suum uerò improbari, quandoquidem hinc ad iracundiam motus scribitur.

Communiter sentiunt hoc loco, decidisse cœlitus ignem, qui uictimam Habelis consumpserit, sicuti 1. Reg 18. in oblatione Eliæ, & 2. Paral. 7. hostijs Salomonis in dedicatione templi accidisse legimus: uel erupisse è petra flammas deuorantes uictimam, quemadmodum de uictima Gedeonis, Iudic. 6. scribitur. Siue hoc indicio Deus uel alio quopiam declararit, utrius probaret uel improbaret uictimam, tametsi nihil certi exprimatur, credibile tamen est, editum esse aliquod manifestum huius rei experimentum. Qua in re uti conuenit hac modestia, ut quoniam scriptura non exprimit aliquod indicium, nulla nos temeritate quicquam affirmemus, etiamsi coniecturæ uerosimiles occurrant.

QVAESTIO V.

Et illud quæritur hoc loco, quare Deus ad Cainum & munera illius non respexerit, respexerit uerò ad Cain-

ad Habelem & illius uictimam, cum nihil de illo mali, nihil de isto boni hactenus legatur, cuius gratia respui, iste probari debuerit. Variæ sunt hac de re sententiæ. Alij inspiciunt & conferunt utriusq; munera & sacrificia, indeq; rationẽ colligunt ob quã Cain Deo nõ placuerit, placuerit uerò Habel. Cainũ dicunt obtulisse uiliora, Habelem selectiora: ideoq; illum cum suis muneribus spretum, istum cum suis probatum & acceptum. Sunt qui putant Deum reprobasse in uictima Caini munera terræ maledictæ, in Habele uerò acceptasse uictimam ouium tanquam animalium simplicium & non maledictorum. Alij dicunt Cainum affectum homicidij gestasse iam tum in corde, atq; eam ob causam munera illius Deo non potuisse placere. Sic de pœnit. dist. 1 cap. Nunquid, uerba Cypriani citantur ad hunc modum: Nunquid Cain cum Domino munus offerret, peremerat fratrem? Et tamen fratricidium mente conceptum Deus prouidus antè damnauit. Et dist. 90. cap. Neq; , sic legitur : Neq; ad Cain, neq; ad munera eius respexit Deus. Neq; enim habere placatum Deum poterat, qui cum fratre non pacem, sed zeli discordiam habebat. Credibile quidem est, animum Caini non fuisse sincerum erga fratrem, etiam antequam sacrificiorum gratia consilium occidendi illum inijsset. Deniq; facilè crediderim, obtulisse illum de uilioribus, ac potiora in suos usus reseruasse: uerùm in hac quæstione rectius mihi sentire uidentur, qui ad ipsam mali huius radicem respiciunt, impietatem uidelicet cordis, qua neq; erga Deum, nedum erga fratrem sincerè erat affectus. Sic 3. Quæst. 7. legimus: Victimæ impiorum abominabiles Deo sunt, uota iustorum placabilia. Neq; enim in omnipotentis Dei iudicio quid, sed à quo datur inspicitur. Hinc est quod scriptum est: Respexit Deus ad Abel & ad munera eius, ad Cain uerò & ad munera eius non respexit. Hæc ibi. Ergo impietatem cordis detestabatur in Caino Deus, & pietatem in Habelo probabat. Erat Cain non solum malus, sed ex malo quoq;, unde & opera eius mala erant, 1. Ioan. 3. ut mirum non sit, quod munera eius Deo displicuerunt. Nec obstat, quod Hebr. 11. Apostolus sic scribit: Fide Abel uberiorem hostiam obtulit quàm Cain, per quam testimonium consequutus est quod esset iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Neq; enim munera eius Deus, sed fidem respexit, licet per uberiorẽ hostiam testatus sit, qua fide offerret, indeq; iustitiæ testimonium sit adeptus. Sic è contrario in Cain impietatem est auersatus, licet illa in qualitate uictimæ sit declarata.

Quare Deus ad Cainum & munera eius non respexerit, respexerit uerò ad Habelem & ad munera illius.

OBSERVATIO I.

Adam uerò cognouit uxorẽ suam Euam, quæ concepit & peperit Cain.] Obseruandum hic est, quomodo Moses de opere multiplicationis & fructu coniugij à Deo instituti loquatur. Poterat simpliciter dicere, Adæ natus est filius Cain: uel Eua peperit primogenitum suum Cain: uerùm ut generationis opus plenè describeret, quo proles nec de terra sicut Adam, nec ex costa uiri sicut Eua formatur, sed ex semine uirili & carne fœminea concipitur & nascitur, hæc tria expressit: Adam cognouit Euam suam, Euam concepit, & peperit. Itaq; nec mulier hic sine uiro, nec uir sine muliere ad opus generationis & multiplicationis sufficere potest: sed utriusq; talis coniunctio requiritur, qua uir ueluti plantet, & uxor quasi terra quod à uiro plantatore accipit in utero suo, foueat, suoq; tempore pariendo ad lucem proferat. Et hic modus generandi ad finem usq; mundi durans, primorum parentum corruptionem, quam peccando ex ueneno satanæ contraxerunt, in uniuersos posteros sic deriuat, ut ex carne peccati, malicia peccati per traducem transfundatur, etiamsi opus ipsum, siue conceptionis, siue generationis, in se culpabile non sit, sed naturale, & à Deo ad multiplicationem generis humani destinatũ. Quare cum Dauid psal. 51. dicit, Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea: non sic est intelligendum, quod opus generationis in legitimo coniugio iniquum sit & illicitum, sed quod cum semine uiri malicia illa peccati, quæ est in carne nostra transfunditur, ut quisquis ex eo concipitur, naturam non integram & sinceram, qualis erat primorum parentum antequam peccassent, sed peccato infectam & corruptam, qualis illorum post peccatum est facta, in ipso conceptu contrahat, in illa in utero matris adolescat, & hanc in lucem nascendo adferat, in ipsa quoq; uita sua declaret proles existens non solum carne, forma, & natura, sed & naturæ corruptione parentibus per omnia respondens. Sic ubi Adam hic iam peccator & corruptam habens naturam, uxorem suam Euam, & ipsam peccato infectam cognouisse, & illa concepisse ac Cainum peperisse scribitur, non debet cuiquam mirum uideri quod hic illorum primogenitus tam corrupto & prauo extitit ingenio, cum ex semine carnis peccatricis conceptus esset & natus. Nec cogitandum est Habelem quod iustus & pius fuit, id habuisse ex parentibus, quasi non esset perinde atq; Cain in peccato conceptus, sed quod singulari gratia Dei meliorem mentem acceperit quàm Cain, impletumq; sit in eo quod Iob dicit: Quis potest facere mundum de immundo semine conceptum, nisi tu qui solus es?

De opere multiplicationis.

OBSERVATIO II.

Possedi, uel adepta sum, uirum per Deum.] Sunt hic duo obseruanda. Vnum est, qua fuerit Eua fide erga seminis promissionem, quod serpentis esset caput conquassaturum. Credebat iam uerbo promissionis, quæ uerbo comminationis, quo dictum erat à Deo, Quocunq; die comederis ex eo, morte morieris, non crediderat, ideoq; seducta peccauerat. Admonemur hic, quid nobis sit faciendum, qui præceptis Dei per incredulitatem immorigeri peccamus. Hoc uidelicet, ut exemplo Euæ saltem promissis Dei de semine benedictionis fidem adhibeamus, & ab illo pendeamus. Alterum est, quomodo fidei isti coniunctus fuerit error, in eo quod primogenitum suum putabat semen illud esse quod expectabat, cum non solum non esset benedictum illud semen, sed potius maledictus & impius, id

De fide Euæ erga promissionem seminis.

quod sequentia declarant. Tale quid & Iudæis accidit, qui Christũ uenturũ, fide quidem promissionũ Dei expectabant, uerùm in eo errabant quod subinde pro Christo amplectebant homines nequã & impostores, de quibus Christus Ioan. 10. dicit: Quotquot uenerũt ante me, fures fuerunt & latrones. ipsum uerò Christũ, cum in mundũ uenisset, nec agnouerũt, nec acceperũt. Quare nõ satis est credere promissis Dei, sed etiam atq; etiã uidendũ, ne circa adimpletionem illorũ errãtes falsa amplectamur pro ueris, & uera respuamus pro falsis. Grauiter errabat Eua quod uirũ diaboli, semen maledictũ, satanæ organũ putabat esse uirũ Dei, semen benedictũ, & satanæ domitorẽ ac conquassatorẽ. in quo errore dubio procul hærebat tantisper donec cerneret ex fructibus peperisse se nõ serpentis, sed fratris percussorẽ. Qua in re nemo dubitet, nõ esse simplicẽ ac muliebrem commissum errorẽ, sed talem qui plurimũ roboris ex operatione & instinctu satanæ acceperit. Nam hoc ingenio callidissimus est ille impostor, ut quoniã mulieris fidem, qua iam à uerbo Dei pendebat, nõ tam facilè ut antea subuertere poterat, id saltẽ efficeret, ut in eo quem expectabat promissum erraret. Sic etiamnum transfigurans se in angelum lucis non suadet, ne Christum amplectamur, ne Deum colamus, ne pietati ac religioni studeamus: sed permittit, ut fidem Christi, cultũ ueri & unius Dei, pietatẽ ac religionem profiteamur: uerũ loco ueri Christi, fincere cultus Dei, germanæ pietatis & religionis substituit Christum ficticium, cultum Dei falsum, superstitionem & ἐθελοθρησκείαν, atq; interim persuadet deceptis, ut arbitrentẽ se cũprimis esse Christianos ac ueros Dei cultores, dicantq; cũ Eua, Benedictus Deus, adepti sumus uirũ illum Dei, cum inciderint in Cainũ uirum non Dei, sed diaboli. Sic accidit illis quoq;, qui Rom. Pontificem nacti, dicunt: Benedictus Deus, adepti sumus uicarium Christi: cum adepti sint uicarium non Christi, sed principis tenebrarum.

Non satis est credere promissis Dei.

Satan in angelũ lucis transformatus.

OBSERVATIO III.

Errant subinde parentes in æstimandis filijs. Quæ sit sors piorum in hoc seculo.

Rursumq; peperit fratrem eius Habel.] Quod nominis huius rationem attinet, qua Eua secundum filium Habel, id est, uanum & inutilem uocauit, obseruandum est non solum quomodo parentes subinde in æstimatione filiorum suorum errent, ut magnificiant eos, quos ſi ritè cognoscerent, contemnerent, & contemnant quos magnificere deberent, quemadmodum in Esau ac Iacob quoq; accidit, sed & quæ sit piorum sors in hoc mundo. Primùm nõ agnoscuntur pro pijs ac Deo charis, ne ab ipsis quidem parentibus: deinde quoniam non cognoscuntur, habentur pro uanis & inutilibus. Itaq; sunt pij in hoc mundo הבלים homines nihili, & uani, impij uerò habentur pro magnis ac preciosis. sunt יקרים id est, pretiosæ acquisitiones ac possessiones, sunt uiri Dei, singulari dono Dei acquisiti, ideoq; colendi & in precio habendi. Hanc piorum sortem uidere licet nõ solum in Habele isto, sed & in Iacob: in Dauide quoq;, qui & ipse tanquã minimus inter fratres ne apud suos quidem alicuius momenti habebatur, & in ipso Christo, in quem ne fratres quidem ipsius credebant, quem & Esaias uirum nouissimum ac despectum in spiritu uocauit capite 53. Et hæc piorum conditio durat in hoc mundo ad finem usq;, non in ueteri tantum, sed & in nouo Testamento. Videte uocationem uestram, inquit Apostolus, 1. Cor. 1. Quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destruat, ne glorietur ulla caro in conspectu eius. Hac consideratione muniendi sunt piorum animi, ne dum se pro Habelibus, uanis & inutilibus haberi uident, contristentur & coram Deo se eodem esse loco putent, quo sunt in hoc mundo.

OBSERVATIO IIII.

Diligentia Adæ in filijs instituendis.

Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola.] Primùm considera hic diligentiam Adæ in educatione & institutione filiorum. Erat Adam magnus, & dominus terræ: uerùm filios suos nõ ad ocium & delicias, sed ad labores instituit, eosq; non curiosos, sed utiles ac necessarios. Et quamuis de Caino primogenito suo præclarè sentirẽt uterq;, noluerint tamen eum esse ociosum, sed agriculturæ laboribus ac molestijs secum exerceri, secundum sententiam Dei, In laboribus comedes ex ea.

Duo necessaria uitæ genera.

Deinde cõsidera duo hæc uitæ genera. Omnis prouentus unde uita humana sustentat, ex uberrate telluris & fœcunditate pecudũ prouenit. Aut enim ex terra est, unde uiuimus, sustentamur & tegimur: aut ex pecudibus. Vtrunq; uitæ genus coniunxit Adam, & suos quoq; ad utrunq; deputauit, licet cum distinctione. Respiciant huc, qui uanis & curiosis artibus delectantur, & cõferant studia sua ad institutorum nostrorum, qui agricultura & pastu pecudum impense sunt delectati.

Quàm cõuenienter Cain agriculturæ, Habel uerò pascendis fuerit ouibus deputatus.

Tertiò. & de eo cogitemus, quàm conuenienter Cain agriculturæ, Habel uerò pastui ouiũ fuerit deputatus. Agricultura durum habet uitæ genus, pastura ouium facilius & quietius. Cain homo durus & impius, imago erat eorum qui uias difficiles ambulant Sap. 5. Habel pius & ingenio simplici, rectè pascendis ouibus, natura simplicibus & innoxijs, accommodatur.

OBSERVATIO V.

Imago piorũ & impiorum in cultu Dei.

Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipe eorum.] Obseruandum est hoc exemplum, in quo perspicuè depicta uidemus duo genera hominum, externo Deum cultu uenerantiũ. Erãt duo fratres Cain & Abel, quorum alter piorum, alter impiorũ gerit imaginem. Offert Cain impius, offert non dijs falsis, sed uero: nõ multis, sed uni. Offert Abel pius & ipse non alteri cuipiã Deo, sed eidem cui offerebat & Cain: nec offert in spiritu duntaxat, sed perinde uictimas externas offert, cultuq; Deũ uisibili & externo ueneratur atq; Cain. Verùm Cain obtulit non fide & uera animi gratitudine sicut Abel, sed uel pro consuetudine paternæ institutionis, uel per simulationem. Sic solent & impij externis cæremonijs cultum Dei simulare potius

A potius quàm reuera præstare, ne prorsus uideantur athei. Pij uerò ad exemplũ Habelis, licet & ipsi externo cultu Deum uenerãtur, faciunt hoc tamen ex fide Dei & sincera animi gratitudine. Quare in cultu externo difficile est deprehendere, qui Deum ueraciter uel falso colant, nisi forsan ex circunstantijs, utpote si raro, si leuiter, si parce, si cõtra præscriptũ uerbi Dei fiat, quibus indicijs id quidẽ declaratur, nõ coli Deum ex animo. Inde tamen non consequitur mox, sincere Deum coli ab illis, qui frequenter, qui studio, qui largiter, & cultu à Deo præscripto externis utuntur cæremonijs. Nam possunt ista etiam ab illis fieri, qui planè sunt uel hypocritæ, uel superstitiosi. Abel obtulit dubio procul sedulò, fideliter, & largiter. Nam obtulit ex fide, obtulit ex animo sincero & grato. Ideo commemoratur hic, obtulisse de primogenitis gregis sui, & de adipe illius. Sic faciunt, qui Deum ueraciter ac fideliter colunt. Non possunt tardè, obiter, leuiter, parcè & perfunctoriè Deum colere. Quare qui id possunt, manifestum faciunt quo animo Deum colant, quibus illud dici posset, Tu si ex animo hoc faceres, nunquid sic faceres? Rectè ergo in Habele laudat Apostolus, quod uberiorem hostiam obtulerit quàm Cain, quod tamen in impio Caino spiritussanctus nequaquam laudaret, quantumuis excellenti copia & frequentia cultum Dei simulasset. Deinde obseruandum est, quod Moses de Habele scribit, obtulisse eum de primogenitis gregis sui, & de pinguedine eius. Quoniam in oblationibus legalibus de primogenitis ac primitijs, adipibus quoq; Domino sanctificãdis passim legitur, ipsa præsentis loci ratio requirit, ut de illis loquamur. Primùm uidemus, quàm pulchrè præstitutum sit ab Habele pio Dei cultore, quod lex scripta post multa demum secula Israelitis data præcepit. Ipsa pietas ante legem, in lege, & post legem sibi ipsi pulcherrimè concordat.

Deinde cogitemus de ratione quæ Habelem mouerit, ut de primogenitis ac pinguioribus gregis sui Deo offerret, cũ nõ constet aliquid ipsi ea de re diuinitus fuisse præceptũ. Non dico, quod nihil præcepti de offerendis primogenitis à Deo acceperit, sed quod non constet. Est autem uerosimilius fuisse hanc illi mentem interno spiritussancti motu inditam. Quicquid tamen sit, ratio eius, quod oblatione primogenitorum & pinguium Deo seruire uoluit Habel, quærenda uenit. Nemo opinor cordatus sic desipit ut Deum putet morari munera qualiacunq;, siue pecorum siue aliarum rerum, siue primogenitorum, siue postgenitorũ, siue pinguium, siue macilentorũ. Sic psal. 50. dicit: Nõ accipiam de domo tua uitulos, &c. Vide locum. Quin magis in eo delectatur, ut nobis omnia suppeditet. Vnde & dicit: Lætabor cum benefecero eis. Quare non debemus cogitare, quod affectet Deus munera mortalium, cum illius sint omnia, & ipse omnia usibus nostris suppeditet. Sed hoc quærit à nobis, ut de donis illius grati simus. Hæc animi gratitudo sic est comparata, ut aliquo sese indicio declaret. Huius rei pædagogia quædam erat in externis oblationibus, quibus declarabatur à fidelibus, agnoscere se beneficentiam Dei per quam omnia de manu illius acceperint. Per consequens ipsa gratitudinis ratio dictabat, offerenda esse Deo de primitijs donorum eius, & de selectioribus. Sic ante legem offerebantur primogenita pecudum & primitiæ frugum, & quæ erant pinguiora. In lege per literam talia ad offerendum requirebantur. Natura rerum sic comparata est, ut primitiæ rerum bonarum reliquis magis habeantur in precio. Sic primogenita tam hominum quàm pecudum, sic primitiæ uini, olei, frumenti, ac reliquarum frugum pluris æstimantur & cupidius accipiuntur. Consimili modo & quæ pinguia sunt, macilentis sunt acceptiora. Quare meritò laudantur, qui primitias ac pinguedinem rerum suarum Domino sanctificarũt. Eadem ratio est & temporis. Vnde & principia anni & mensium Deo consecrabantur. Dum ista consideramus, admonemur quam Deo debeamus gratitudinem in omnibus. Primitias & pinguedinem uitæ nostræ, spiritus nostri, actuum nostrorum, studiorumq; nostrorum consecremus gloriæ Dei, de primitijs opum nostrarum demus pauperibus, demus de pinguedine alimoniæ nostræ miseris & egenis. Qui secus faciunt, offerunt Deo non cum Habele, sed cum Caino: nec respiciuntur nec ipsi, nec munera eorum.

De oblatione primogenitorum.

B

OBSERVATIO VI.

Et respexit Dominus ad Habel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera illius non respexit.] Principio notandum est, quod Moses postquam de duorum primorũ fratrum Cain & Habel uictimis & oblationibus mentionem fecit, confestim de eo subiungit, quomodo cultum hunc Deus respexerit: qui locus diligenter est obseruandus contra impietatem carnis nostræ, quæ nõ sine antiqui serpentis instinctu illud Malach. 3. subinde cogitat: Vanus est qui seruit Deo. Et quid putas Deo curæ esse res mortalium? Putas ne uidet, aut si uidet, moratur aliquid eorum qui se colunt? Hæc ab illis etiam nonnunquam mente uoluuntur qui non dicunt in cordibus suis, Non est Deus, sed & credunt esse Deum, & sentiunt de illo admodum magnificè. Arbitrantur enim usque adeò esse eum sublimem & gloriosum, ut haudquaquam se ad infima ista curanda demittat. Quare quod hic Moses respexisse Deum ad Habelem & ad munera eius scribit, ad hoc nobis seruiat, ut impiam istam carnis nostræ cogitationem reprimamus, certò scientes non contemnere Deum, sed respicere eos amanter, ac curam illorum gerere, qui se fideliter & sincerè colunt. Omnino utilis & necessaria est hæc fides, ne à uero cultu & obseruantia Dei deficiamus. Nihil enim adeò religionem & cultum Dei in animis mortalium labefactat, & tandem prorsus extinguit, atq; ista cogitatio, qua de Deo sentitur nihil illum curare res mortalium, nec distinguere inter colentem se & non colentem, inter iustum & iniustum, interq; pium & impium. Videbat hoc Apostolus, cum Hebr. 6. diceret: Non enim iniustus est Deus, ut obliuiscatur operis uestri & dilectionis quã ostendistis in nomine ipsius, &c. Etenim quis poterit constanter eum diligere, obseruare & colere, quem credit, uel suspicatur saltem, tali præditum esse ingenio, ut perinde faciat, diligatur ne

Respicere Deũ ad pios et ad opera quæ faciunt & patiuntur.

gatur ne uel minus, obseruetur & colatur, uel contemnatur & negligatur?

Non dicit simpliciter, Vidit: sed, Aspexit.

Deinde obseruandum est hoc loco, quo uerbo utatur Moses. Non dicit simpliciter, Et uidit Deus: sed, Respexit ad Abel & ad munera eius. Nec dicit, Cain non uidit: sed, Et ad Cain & munera eius nō respexit. Vidit Deus omnia quæ tam in terra quàm in cœlo geruntur, & uictimam Caini non minus uidit quàm uictimā Habelis. Aliud est simpliciter uidere, & aliud data opera adspicere uel respicere. Verbum Hebræū שעה significat cū affectu & delectatione ad aliquid adspicere. Quando Deo datur, beneplaciri & gratiæ singularis: quando homini erga Deum, spei, fiduciæ imprecationis & obseruantiæ significationē habet. Quare cū Moses dicit וישע יהוה אל הבל, id est, Et respexit Dominus ad Habelem, nō simplicem illi uisionem, sed singularē fauorem, gratiā & delectationem erga eos tribuit, qui ipsum colunt, adorant & obseruant. Et huic gratiæ, fauori, & delectationi includuntur omnia omnis generis beneficia, quibus diuina beneuolentia pios homines ac se colentes afficit. Quid dico beneficia? Deum ipsum quantus quantus est habet, quisquis hunc illius gratiæ, fauoris & dilectionis respectum habet. Deus est dilectio. Vbi dilectionis illius respectus est, ibi Deus ipse est. Etenim quod de homine amante dicitur, quod magis sit ubi amat, quàm ubi animat, multo uerius de Deo dici potest, quod magis sit ubi amat, & quò amoris sui oculos dirigit, & intendit, quàm ubi secundū maiestatis ipsius gloriam, in cœlo uidelicet esse dicitur. Et pij quoq; sic sunt comparati, ut hunc diuini amoris & fauoris respectum pluris faciant, quàm uniuersam hanc uitam, & quæcunq; alia emolumenta tam animæ quàm corporis. Dicunt enim cum propheta, Quid mihi est in cœlo præter te? Et quid uolo super terrā absq; te? Videmus quæstuis & quod ingenium amoris in illis qui impense amant. Vnicum nutum & respectū puellæ, testem & indicē mutui amoris pluris faciunt quàm omnis totius orbis opes ac thesauros. Hæc quidem illorū est insania, hactenus infelix & ridicula, quod in re uana tantopere insanitur: uerùm interea pulchrè exprimitur amoris uis & natura, quæ tum uerè pretiosior est omnibus, quando erga eum declaratur, qui amantes se non insanos, sed uerè sapientes reddit & felices.

Simile.

Non respiciuntur à Deo omnes sacrificātes.

Tertiò, uidemus hoc loco, respici non omnes à Deo, qui ipsi sacrificant externè, sed esse ex illis quorū munera & cultus respuantur. Respexit ad munera Habelis, ad munera Caini non respexit. Quare non est putandum cōmuniter omnes omnium cultus Deo probari, qui illi sacrificare uidentur. Quis autem usus esse poterit eiusmodi cultus & sacrificij, cuius nullus est respectus apud eum cui sacrificatur? Plurimum itaq; erratur in eo, quod tantis sumptibus omnium promiscuè sacrificia coemuntur, quasi ad omnia respiciat, quæ cultus loco à quibusliber in Ecclesia exercentur: cum uel ex hoc loco diuersum uideamus. De sacrificio autem quod à Deo non respicitur, quid emolumenti sperabimus? Immò quid non incommodi ex eo expectabimus? Etenim non solum inutile est sacrificium quod ei non probatur, cui sacrificatur, sed & tanquam reprobum ad iritationem illius facit. Nisi enim reprobum esset, probaretur & respiceretur. Cum non respicitur, argumentum est quod displiceat. Quis satis expenderit quantum hinc detrimenti, quantumq; malorum irruat in Ecclesiam Christi, quod passim omnia eiusmodi replentur sacrificijs, de quibus nemo cordatus sentire poterit, quod à Deo respiciantur, & non magis ad iritationem patientiæ illius faciant?

Non est coram Deo munerū respectus.

Quartò, & illud obseruandum est, quod non simpliciter dicit, Et respexit Dominus ad munera Habelis: sed, Et respexit Dominus ad Habelem: ac tum subiungit, Et ad munera eius. Ergo non est coram Deo munerū respectus in se, sed primùm respicitur ab eo persona offerentis: si illa placet, placet tum demum & munus propter personam acceptam & gratam. Si placuisset Cain, placuisset & munus illius. Si displicuisset Habel, displicuisset illius etiam sacrificium. In mundo quidem sic habet, ut propter munera placeat persona dantis: & plus placeat qui plus, & minus qui minus largitur. Proprium enim emolumentum sectatur & affectat corruptæ carnis ingenium. Coram Deo autem, & omnibus illis qui non quæ sua sunt quærunt, sed liberè & sincerè diligunt, secundum qualitatē personæ dantis censetur de muneribus, & non secundum munera de personis. Sordidum est, & non solum à Deo, sed & à quouis liberali ingenio alienum, iuitentum esse muneribus, & nō aliundè probare personas offerentiū, quàm à qualitate munerū & meritorum. Indigna Christi regno doctrina est, qua docetur respectus meritorum & operum in causa iustificationis, cum personæ coram Deo non ex proprijs meritis & operibus, sed ex

Nicol. de Cusa.

sola gratia propter fidem in Christum iustificentur ac probentur. id quod & Nicolaus de Cusa Cardinalis ante annos centum in dialogo de Pace fidei manifestè ac disertis uerbis, non sub sua, sed sub apostoli Pauli persona, tanquam apostolicum & orthodoxum asseruit. Quare haud admodum Apostolici sunt illi Episcopi & doctores, qui doctrinam hanc Apostoli quasi hæreticam & nouam diffamant, & diuersam fidleibus obtrudunt.

Contra doctrinam operis operati.

Et illud hic cogitemus: Si sacrificiū propter personā, uel respicitur, uel respuitur, quid est quod mistatores illi ac nundinatores christempori, ad sacrificiorum suorum merces distrahendas comminiscuntur ac dicunt: Quales quales ipsi simus, quantumuis impuri, peccatores & impij, placent tamen Deo sacrificia & preces nostræ propter opus operatum, etiamsi propter operantes placere non possint? Consulant saltem Canones suos de quibus gloriantur. An 3. quæst. 7. cap. In grauibus peccatis, non sic legitur? Hinc est quod scriptum est: Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, ad Cain uerò & ad munera illius non respexit. Dicturus quippe, quia Dominus respexit ad munera, præmisit solicitè, quia respexit ad Abel. Ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. Dona quippe iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus eorum,

nec in

nec in multitudine sacrificiorũ eorũ propitiabitur peccatis. Hæc ibi. Vide Malach. 1. Non est mihi uolũtas in uobis, inquit Dominus exercituũ, & munus nõ suscipiã de manu uestra. ubi dixit, Nõ est mihi uolũtas in uobis: cõmodũ subiecit, Et munus nõ suscipiã de manu uestra. Tale quid & Esa. 1. legimus. Quare, qui sacrificia hominũ impiorũ ac sceleratorũ propter opus operatũ Deo placere nugãtur, fictis uerbis in Ecclesia Dei negociant, & irã Dei omniũ grauissimam aduersum se & sectatores suos prouocãt.

Carnalem prærogatiuã non moratur Deus.

Quinto. Ad Cain aũt & ad munera illius nõ respexit. Consideremus hic, quomodo personarũ excellentiã ac prærogatiuã secundũ carnẽ haud moretur Deus. Erãt Cain & Habel duo fratres, ambo filij Adæ. Primogenituræ dignitate excellebat Habelẽ Cain. Et præterea propter spẽ parentũ de illo conceptã habebat loco thesauri cuiusdã & futuri Seruatoris. Habel secundũ nomẽ suũ censebat inutilis, & serui loco habebatur. Iam uide sententiã Dei de utroq; . Qui clarus erat natiuitate carnis, & charus existimatione parentũ, respuitur à Deo: & qui habebat abiectus & nullius momenti, respicit & probatur. Dices: Ergo Caino obfuit quod erat primogenitus & parentibus charus? Respuit igit Deus primogenitos, & omnes eos qui chari sunt parentibus? Absit. Non colligimus istam consequentiam ex hoc loco. Sed id annotamus, nõ morari Deum hasce carnis prærogatiuas uel quãcunq; aliã excellentiam seculare magis quàm spiritualem. Et hoc est quod scriptura de illo prædicat, quod personas non accipiat. Quare autem personam Caini non respexerit, suprà in quæstionibus est annotatum.

OBSERVATIO VII.

Iratusq; est Cain uehementer, & concidit uultus eius.] Obserua ingeniũ hypocritarũ & iustitiariorũ. Nõ dicit, Et erubuit, uel, humiliatus est Cain corã Domino: sed, Iratus est Cain uehemẽter. Ergo iudicabat insigni se iniuria contẽni, & eũ sibi præferri, qui lõgè esset inferior. Nisi sic affectus fuisset, ac de seipso sensisset, utiq; indignã rẽ erga se cõmitti nõ iudicasset, neq; tãtopere excãduisset. Prodidit igit hac iracundia Cain, quo esset ingenio, quo fastu ac supercilio, quid de seipse, & quid de Habele fratre suo sentiret. Dignũ esse se iudicabat, qui respiceret à Deo, cuius sacrificia magnifierẽt: fratrẽ uerò indignũ prorsus, cuius illa haberet ratio, etiã ab hominib. nedũ à Deo. Quare ubi diuersũ accidere uidit, quasi ob indignã rẽ meritò se irasci cẽsebat, ideoq; & iræ habenas liberius permittebat, ut uehemẽter irasceret, sic ut & uultu cõcideret, & iræ indicia exprimeret. Tale est iustitiariorũ ingeniũ. Huiusmodi iustitiarij paradigma nobis & Christus Luc. 15. proponit, in seniore fratre, qui ob id irascebat patri, quod iuniorẽ filiũ, fratrẽ suũ, prodigũ, in gratiã tãto cũ gaudio recepisset, ut & uitulũ illi saginatũ mactasset. Iudicabat hoc fieri cum grãdi honoris sui iniuria. In huiusmodi iustitiariorũ ingenio nec est reuerẽtia erga Deũ, nec charitas erga fratres, nec propriæ uilitatis agnitio: sed obtinet superbia cordis, uenenũ serpentis antiqui, quo fit ut de seipsi sentiant splendidè, de reliquis contemptim.

Ingenium hypocritarum.

Hoc genus irarũ experimur hodie in nostri seculi iustitiarijs. Illi ubi per Euãgelij doctrinã audiũt, nihil esse omnẽ illũ ceremoniarũ, Missarũ, cantionũ, ac precationũ cultũ, de quo tã multa præsumũt, uanã esse corã Deo omnẽ operũ ac meritorũ iustitiã, cuius gratia nescio quẽ gradũ in cœlo & sibi & alijs pollicẽtur, clamãt hæresim, & contumeliã sanctitati suæ irrogari uociferãtur, nec satis cogitari potest quantũ irarũ animo cõcipiant. Obseruãdũ est & illud, quod nõ exprimitur à Mose, cui nã iratus fuerit Cain, Deo ne uel Habeli. Nã simpliciter dicit: Iratus est Cain uehemẽter. Si expẽdas irarũ istarũ causas, nulla ratio erat, qua uel Deo uel Habeli iraseretur. Etenim nihil illi debebatur à Deo. Et liberũ erat Deo fauere cui uellet. Habeli quoq; succẽsebat immeritò. Nã quod fiebat, nõ ipsius, sed Dei erat opus. Sibij ipsi irasci debebat, & omnẽ nõ Deo, nõ fratri, sed suæ impietati adscribere culpã. Verũ si causa hæc rite inspiciatur, nõ sibij ipsi succẽsuit impius, sed & Deo & Habeli. Immo Deo tantũ succẽsuit, tanquã sacrificij sui reprobatori, & Habelis uictimã præferẽti. Habeli uerò prærogatiuæ huius honorẽ inuidit, tãquã ipsius iudicio lõgè inferiori & indigno, quã qui sibi præferri deberet. Sic & senior ille filius Luc. 15. cũ indignatus fuisse memoratur, inducitur expostulãs nõ cũ fratre, sed cũ patre. Erat aũt expostulatio egestus quidã irarũ, & cordis cõmoti eructatio: uerũ ipsa expostulationis uerba, simul inuidiam aduersus fratrẽ spirabant. Tale quid omnino eructasset ira Caini, si in expostulationẽ aduersus Deũ erupisset. Ista paucis annoto, ut cogitãdi occasionẽ offerã cordatis hominib. quo malũ hoc in cordib. iustitiariorũ latẽs penitius introspiciãt & considerẽt. Persuasus sum in corde meo, si signo aliquo uisibili, certo & irrefragabili sacrificia, cultus, & iustitia hypocritarũ & iustitiariorũ nostrorũ cœlitus à Deo reprobarẽtur, quemadmodũ sacrificiũ Caini sprẽtum & contẽptum scribitur, eadem illos impietate & Deo succensuros fore, & fratres odio prosequuturos. Nunc quoniam conscientiæ illorum nullo tali uisibili signo de uoluntate Dei conuincuntur, securi quod Deum concernit, omnem irarum æstum & impetum uertunt in fratres.

Cui fuerit iratus Cain.

Dixitq; Dominus ad eũ: Quare iratus es? & cur cõcidit facies tua? Nõne si bene egeris, recipies? Sin aũt malè, statim in foribus peccatũ tuũ aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Dixitq; Cain ad Abel fratrem suũ, Egrediamur foràs. Cũq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.

Statim non est in Ebræo.

LECTIO.

Nõne si bene egeris, etc?] Nõ cõuenit hoc quoq; loco Græcæ uersioni cũ Ebræo. Græci sic legũt, Nõne si rectè offeras, nõ aũt rectè diuidas, peccasti. Quiesce. Quod in Ebræo est את תיטיב שאת. i. si bene egeris, recipies: Græcus reddidit, Si rectè offeras: quasi in Ebræo sit, si benefeceris offerẽdo. Deinde illud quod

sequitur, ראם לא תיטיב לפתח, discerpsit, & uertit: nõ rectè autem diuidas, ubi uoculam אם, id est, si, omittit, & לפתח, id est, ad fores, uertit uerbaliter, quasi sit, nõ aũt benefeceris diuidendo, cũ uerbũ פתח aperire & nomen פתח ianuam significet. Tertiò duas illas uoculas חטאת רובץ, id est peccatum quiescens uel accumbens uerbaliter reddidit ac diuisit, ut sit, peccasti, quiesce. Apparet omnino Græcum interpretem Hebræo contextu sine punctis esse usum.

Theodotio uertit illud שאת, acceptabile erit. Munsterus sic interpretatus est: Nonne si bene egeris, erit subleuatio: & si non bene egeris, ad fores peccatum cubat? Pagninus: Nonne si benefeceris, uenia erit: & si non benefeceris in porta peccatum cubat? Tigurina: Nonne si bene egeris, feres? Est qui sic reddidit alterã particulã: Si non bene egeris, ad ianuam peccati cubabis? Germanicus interpres uertit ad hunc modum: *Ists nit also? wan du frum bist, so bist du angeneme. Bistu aber nit frum, so bleibt die sünd nit sicher noch uerborgen.*

Illud, Sed sub te erit appetitus eius, in Ebræo est אליך, id est, ad te.

Egrediamur foràs.] Græcus uertit, Egrediamur in campũ. uerùm particula hæc in Ebræo nõ legit, sed simpliciter, Et dixit, uel, Et loquutus est Cain ad Abel fratrẽ suũ. Hier. sic annotat. Subaudit, ea quæ loquutus est Dominus. superfluũ ergo est, quod in Samaritanorũ & nostro uolumine reperit, Trãseamus in campum.

EXPLANATIO.

Transitio. *Dixitq; Dominus ad eum: Quare iratus es?*] Exposuit Moses de duobus istis fratribus Cain & Abel, quomodo utrique Deo munera sacrificij gratia obtulerint, & quomodo sacrificiũ Abel Deo placuerit, Cain uerò displicuerit, indeq; factum sit, ut Cain uehementer irascceretur. Iam ut historiã persequat, subiungit quomodo Cain admonitus sit à Deo, ut irã poneret, & nullam se illius habere causam agnosceret.

Quomodo loquutus sit Dominus ad Cainum. Dixit Dominus, inquit, ad eum: Quare iratus es? & quare concidit uultus tuus? Quomodo loquutus sit Dominus ad Cain, aliter atq; aliter sentitur. Alij existimant hoc esse factum in ipsa conscientia Cain, instinctu occulto, quo penes se ad hunc modum cogitarit: Quare iratus es? & quare cõcidit uultus tuus? &c. Alij arbitrantur factum esse hoc per Adamum, ex instinctu Dei, atq; ideo scribi à Mose, quod Dominus ad Cain loquutus sit, quod id per Adamum actu spiritus Dei sit factum. Huiusmodi expositiones sacrarum scripturarũ sicuti temere proferuntur, ita & facile spernuntur. Non uideo quid impediat, quo minus credamus simpliciter apparuisse Dominũ sub forma aliqua uisibili, ac Caino loquutum perinde atq; cum Adamo & alijs loquutus est.

Quare iratus es, inquit, & quare concidit uultus tuus? Quasi dicat, cum hoc facias præter rationem. Irascceris ob id quod sacrificiũ tuũ neglectũ, fratris uerò acceptũ est? Atqui illud nõ fratris, sed tuo uitio contingit. Etenim si iustè ageres, reciperes ac ferres ea quæ sunt iusti, sicuti uides cõtingere fratri. Quod si egeris iniquè, quid potes expectare aliud, quàm quod peccato tuo promereris? Nam illud, Si perrexeris, ad fores cubabit, hoc est, mane aderit pœna peccati, quæ nõ dormit, sed ueluti uigil nocturnus ad ianuã accubat. Hoc sensu uidetur significari, nullã esse causam Caino, cur fratri irascatur. Potest hæc particula etiam ad hunc modum exponi: Nonne si bene egeris, feres? Hoc est, Meditaris iniqua aduersus fratrem tuum, & iræ habenas permittis. Verùm quare non cogitas, hac te ratione non fratri, sed tibi ipsi moliri exitium? Si uis ut tibi bene fiat, fac bene, & recipies bona: si uerò benefacere detrectas, & malitiæ potius studes, teipsum perdis. Nam peccatum non manet inultum. Pœna illius statim aderit. Quare iram hanc, exitij proprij ministram, abijce, & redi in gratiam cum fratre, quo feliciter agere possis, nec teipsum uerius quàm illum perdas. Si posteriorem hunc sensum probauerimus, habent hæc uerba fidelem admonitionem, qua Cainum Deus utriusq; & commodi & incommodi consideratione à proposito malitiæ reuocare uoluit, promittens præmia, si bene ageret: rursus minitãs pœnã, si malè ageret.

Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.] Exponunt quidam hanc particulam ad hunc modum: Sed tu potes uincere peccatum, quia nullus peccat nisi uolens. Sic Lyranus, & Rabanus. Ambrosius & ipse de peccato intelligit, sed aliter exponit, nimirum ad hunc modum. In te, inquit, reuertetur crimen quod à te cœpit. In te retorquetur improbitas tua. Alijs uidetur, intelligendum esse de appetitu iræ, quæ neci fraternæ inhiabat. Verùm meo iudicio loquitur Deus nec de peccato hic, nec de ira, sed de Habele, quem in potestate Caini, tanquam primogeniti, esse dicit, ut intelligamus hæc uerba eodem hic sensu esse posita, quo capite præcedenti usurpata leguntur. Quasi dicat Deus: Quod autem Habelem fratrem tuum attinet, non est quod illi succenseas, quasi tibi præferatur. Habes in illum dominium, iure primogenituræ. Quare appetitus eius tibi nocere non poterit, cum non in ipsius, sed tua sit potestate. Et Chrysostomus ad hunc modum exponit. Ne putes, inquit, licet tuum auersatus sim sacrificium ob prauam mentem, fratrisq; oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem, quod ideo primatu te destituam, & primogenituræ dignitatem à te auferã. Nam licet honore ego illũ prosequutus fuerim, ueruntamen ad te conuersio eius, & tu ipsius dominaberis. Atq; post peccatum hoc permitto, ut primogenituræ priuilegijs gaudeas. Illumq; sub tua potestate & dominio esse iubeo. Hæc ille. Quidam per repetitam interrogationem תלא sic legunt: An appetitus illius ad te est? an tu illi dominaris? Quasi dicat: An non est Habel sui iuris? Quare ergo illi succenses, quasi dominus illius existas? Verùm hæc sententia prorsus est contraria sensui loquentis Dei & iuri primogenituræ repugnat.

Dixitq; Cain ad Abel fratrem suum, Egrediamur foras.] Et hæc particula bifariè exponitur. Alij addunt quædam quasi à Caino ad Habelem dicta, alij nihil addunt. Qui addunt, inter se uariant, sicuti necesse erit, ubi nihil habetur certo expressum, sed coniecturis locus datur. Alius sentit eum dixisse, Egrediamur

A grediamur foràs: Sic habet uulgata latina. Alius opinatur quod dixerit, Exeamus in campũ. Sic uertit Græcus. Colligunt isti ex eo quod sequitur, Et factum est, cum essent in agro. Si horum sententia probari posset, pulchre ius dominij exprimeretur, quo Cain usus fratrem secum in agrũ, ueluti ad operandum exire iusserit. Rursus alij iudicant cum retulisse Habeli, quæ ex Deo audisset. Ex præcedentibus isti coniecturam sumunt. Ebræorũ aliqui arbitrantur Cainum iurgari cum Habele cœpisse, occasionemq; quærere, occidendi illũ. Burgensis citat uersionem Chaldaicam Ionathæ, quæ sic habet: Dixit Cain ad Abel fratrem suum: Non est iustitia, neq; iudex, neq; seculũ aliud, nec remuneratio iustis, neq; punitio impijs. Nec Dei misericordia creatus est mundus, nec Dei misericordia regitur mundus, eo quod suscepta est oblatio tua cum beneplacito. Respondit Abel, & dixit ad Cain: Est iudicium, est iudex, estq; seculum aliud, merces item bona pro iustis, & pœna pro impijs. Misericordia quoque Dei conditus est mundus, atq; misericordia illius gubernatur, utique propter bona opera gubernatur. Quia enim meliora fuerunt opera mea tuis, suscepta est oblatio mea cum beneplacito, tua uerò nequaquam. Cumq; duo isti conten derent in agro, insurrexit Cain, &c.

Sic uariant, qui putãt hic aliquid in cõtextu desiderari, ideoq; de suo ad complementũ illius aliquid addunt. Alij uerò sentiunt nihil esse omissum, ideoq; nihil addunt. Illi quod in Ebræo est ויאמר, id est, & dixit, positum esse iudicant pro וירבר, id est, & loquutus est, ut legendum sit: Et loquutus est Cain ad Abel fratrem suum. quasi dicat Moses: Cain à Domino admonitus, cœpit rursus loqui cum fratre. Nam antea propter rancorem animi dedignabatur illi loqui. Et hic sensus uidetur mihi esse simplicior, quo tamen non simplicitas, sed duplicitas Caini exprimitur. Etenim apparet illum in dolo loqui cœpisse fratri, ut malitiam cordis celando, & reconciliationem simulando, incautum circumueniret, & circumuentum occideret: id quod sequentia innuere uidentur.

Cumq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & occidit eum.] Sic declarauit Cain impietatem suam erga Deum, admonitionem illius contemnens, & malitiam erga fratrem insontem blandis uerbis deceptum occidens. Occidit autem eum in agro, ut parentum conscientiam effugeret, posseq; mendaciter postea affirmare nihil sibi de fratris constare interitu.

QVAESTIO I.

Quare alloquutus sit Deus Cainum, cũ esset impius, nec monitis obtemperaturus

B *Dixitq; Dominus ad eum: Quare iratus es?*] Non immeritò quæsierit hic quisquam, qua ratione uoluerit Deus Cainum conuenire, illiq; loqui tam familiariter, quem sciebat esse impiũ usq; adeò, ut nec oblationem eius respicere dignatus sit: deniq; ad quid uoluerit eũ admonere & à malo proposito reuocare, cum sciret eum non obtemperaturum, immo fratrem occisurum.

Respondendum hic est, haud quidem ignorasse Deum quàm esset Cain impius, quamq; perrecturus esset in malo proposito, tanquam captiuum Satanæ mancipium: nec ideo illũ conuenisse & admonuisse, quod speraret eum à proposito auelli posse, sed hac in re potius ista egisse. Primùm declarasse, quàm nõ ignoret, nec probet etiam, mala cõsilia cordis humani. Deinde quomodo curam gerat eorum qui innocenter odio impiorum fiunt obnoxij. Nam hoc potissimum erat quod agebat, ut innocentiæ Habelis rationem haberet. Sic infrà cap. 31. pro Iacobo loquitur ad Laban, & alicubi reges pro Abrahamo & Isaaco corripuisse legitur. Tertiò quàm nolit ullam excusationem permittere impijs. Ideo corripit eos, etiamsi correptionem non bene collocent. Sic egit Christus cum Iuda proditore, quem tamen sciebat in proposito esse obstinatum, nec ignorabat oraculis diuinis esse prædictũ, ut à discipulo proderet. Hæc simpliciter considerandæ sunt homini pio, nec ultrà ad curiosas cogitationes progrediendum.

QVAESTIO II.

Quomodo uera sint quæ hic dicũtur.

Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit.] Illi qui præsentis uitæ cursum cùm in pijs tum in impijs obseruant, arbitrantur hoc loco necessariam posse moueri quæstionem, quomodo uerum sit quod ad Cainum à Deo dicitur, recepturum ipsum, si bene egerit: sin uerò male, adfore statim peccatum eius in foribus. Etenim si priuatim de Caino intelligatur, uidetur ille non esse statim propter fratricidium pro merito punitus. Si uerò in genere tanquam generalis quædam sententia intelligatur, manifestum est iustos in hac plerunque uita usque adeò non recipere iustitiæ præmia, ut magis propter iustitiæ studium opprimantur, id quod & Habeli accidit: iniustos uerò, deliciari etiam & in precio haberi tam abest, ut peccatũ eorum statim sit in foribus. Et hac quæstione tentati sunt etiam sancti uiri. Vide Psalm. 73. Zelaui super iniquos, pacem peccatorum uidens. & Hierem. 12. Iustus, inquit, es tu Domine, & iusta tecum loquar. Quare uia impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt? plantas eos, & radicem mittunt, proficiunt & faciunt fructum &c. Et Abacuc 1. Quare uides Domine contemptores & taces, conculcante impio iustiorem se? Igitur cum ista quotidie uidere liceat, quæritur quomodo uerum sit quod ad Cainum Dominus dixit: Si bene egeris, recipies: sin uerò malè, statim ad fores peccatum tuum aderit.

Respondeo. Quod dicit, Nonne si bene egeris, recipies, per hoc nõ fit irritum, quod Habel in hac uita nulla uidetur recepisse iustitiæ præmia. Non enim adiecta est ulla determinatio temporis, quo fuerit recepturus Cain, si bene egisset. Et quod Habeli non est in hac uita datum, reseruatum illi est ad futuram: quemadmodũ & in Lazaro Euangelico admonemur: de quo dictũ est, Lazarus accepit mala in uita sua, quare nunc consolatione fruitur. Quanquam etiam in hac uita satis amplissimum erat iustitiæ ac fidei

ac fidei præmiũ consequutus, quod testimonium certũ acceperat diuinæ erga se gratiæ ac benevolentiæ, idq; tam luculentum, ut inde ad liuorem motus sit Cain. Quod uerò pœnam peccati concernit, primũ non est in Ebræo quod hic legimus, Statim aderit peccatum tuum. Vocula statim adiecta est. Deinde nõ fuit uanum etiam hoc sensu, quod minatus fuerat Dominus. Nam licet morti non sit statim traditus impius fratricida, est tamen confestim non leui ultione Dei punitus, sicuti infrà uidebimus. Non dormit peccatum impiorum, quantumuis impune peccare uideantur. Ducunt quidem in bonis dies suos, & accipiunt bona in uita sua cum diuite epulone: uerùm in puncto descendunt ad inferos, & transitoriam uitam cum æterna morte, caducam felicitatem cum sempiterna infelicitate commutant. Quare etiam in genere considerata hæc particula, Si uerò malè egeris, in foribus peccatum tuum aderit, reipsa omnium esse uerissima deprehendetur, modò nouissima impiorum cum Dauide consideremus.

QVAESTIO III.

Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis eius.] Quærunt hic doctores liberi arbitrij, quomodo hæc sententia Dei constare possit, nisi sit in homine liberum arbitrium, quo motus peccati reprimi, ac studium iustitiæ apprehendi retinerique possit. Nam intelligunt Deum loqui de appetitu peccati, cui Cain dominari potuerit.

Nos quantum præsentem locum concernit, respondemus, primùm, non posse secundum Ebraici contextus ueritatem de peccato intelligi, quæ hic dicuntur, propterea quod Ebr. uox תשוקה, id est, peccatum, quæ hic ponitur, relatiuum masculinum per literam ה expressum recipere nequeat, cum ipsa non masculini, sed fœminei sit generis. Quare nisi uim uoluerimus Ebraicæ inferre ueritati, quo nostra dogmata statuamus, non possunt ista exponi nisi de Habele, quemadmodum & Chrysostomus exposuit: atq; ita manifestum est, non habere hic locum doctores liberi arbitrij.

Deinde ex abundanti, etiamsi demus posse ista de appetitu peccati exponi, primùm quomodo prohibebunt, ne expositionem Ambrosii sequamur, quã suprà annotaui, potius quàm Lyrani ac Rabani, omniumq; sophistarum?

Deinde, si Ebræa considerentur, non habetur, Sub te: sed, Ad te erit appetitus eius. quod idem est, atq; in tua potestate est appetitus eius, ut illum feras uel non feras. Cogitandũ hic erat, nõ conuenire ut dicatur homo potestatem habere peccati, ut admittat illud uel non admittat, qualem sensum loquutio ista adferre uideretur, si de peccato intelligeretur. Nemo enim potestatem accepit peccandi. Quare non rectè dicetur id esse in mea potestate, quod non possum licitè tam facere quàm omittere. Tertiò quomodo non uident ipsam uerborum simplicitatem hanc esse, ut admoneatur Cain non de eo quid facere possit, neq; de eo quid facturus sit, sed de eo quid facere debeat? Nam hæc est Ebraicæ linguæ consuetudo, ut futuris indicatiui utatur pro imperatiuis. Sic cum dicit, Tu dominaberis eius, non loquitur de eo quid sit facturus Cain (Etenim non est dominatus peccato, atq; ita mentitus esset Deus, si hoc esset sensu loquutus,) sed quid facere debeat. Sic alijs multis locis eodem loquendi modo utitur Deus. Vtpote: Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, &c. Quis autem ignorat Israelem post legem hanc acceptam habuisse Deos alienos, & adorasse sculptilia? Vt necesse sit has loquutiones imperandi esse, non prædicendi sensu positas. Quantum autem discriminis sit inter ea quæ præcipiunt quid fieri debeat, & ea quæ docent: quid nos nostro ipsorum arbitrio ac proprijs naturaliter inditis uiribus facere possimus, aut etiam facturi simus, quis adeò stupidæ mentis est qui non intelligat? Quare admodum impertinenter hunc locum ad id citant aduersarij, ut uires liberi arbitrij ad bonum in ipso Caino fuisse probent. Deinde in eo sensu quem nos assignamus & sequimur, quæstio moueri potest, quare homini impio Deus uirũ iustum subiecerit, cum sciret eum alioqui corde esse inflato, deinde ad perimendũ propenso, quod etiam mox reipsa declaratũ est. Nam hac in re duo ista admodum absurda commissa uidentur. Vnum, quod iniusto Caino subiectus est Habel iustus, cum non solum æquum, sed & rationi consonum magis uideatur, ut iniusto præferatur ac præsit iustus, quàm ut iusto præficiatur iniustus. Alterum, quod innocens dominio tyrãni & ad cædẽ propensi subiectus est. In eo qui præficitur alijs rectè requiritur sapientia & iustitia, ut sciat & uelit rectè gubernare subditos. At in Caino neutra fuit, sed sola primogenituræ prærogatiua, quæ summa erat cũ impietate coniũcta, sic ut illa non immeritò priuari potuisse uideatur. Respondeo: Noluit Deus potestatẽ primogenituræ Caino adimere, licet sciret eũ esse impiũ, illaq; malè usurũ. Primũ enim, nõdũ fuerat illa abusus, nec par est ut propter futurũ malũ præsens cuiquã adimatur potestatis ius, atq; ita quod nondũ est cõmissum puniatur. Deinde, quoniã potestas secularis inter secularia & tẽporaria bona cẽsenda est, nihil habet absurdi, si illa permittat impijs, huius seculi filijs, magis quàm electis, & uera cœlestis uitæ bona cõsequutis. Tertia, nec male cõuenit prouidẽtiæ Dei, qua piorũ omnia rectè gubernãtur, quod electi boni, ac iusti impiorũ, reproborũ & iniquorũ potestati subijciũtur. Sũt enim electi in hac uita uarijs adũictionib. exercendi. Quare cõuenientius est, ut Habel subsit dominio Caini, quàm ut Cain subsit dominio Habelis. Sic Christus Pilato subijciebatur. Non haberes, inquit, potestatem in me, nisi tibi datum esset desuper. Accidit quidem aliquando, ut in potestatem ac dominium subuehatur Dauid aliquis: uerùm accidit raro, ac tum demum, quando liberandi sunt electi, non afflictionibus exercendi. Cum esset Israel exercendus iniusta tyrannide dabatur illi rex nõ Dauid, sed Saul. Rursus cũ esset ab hostib. asserẽdus & cũ iudicio & iustitia gubernandus, amoto Saule substituebatur Dauid. Hæc sunt iudicia diuinæ prouidẽtiæ, quib. factũ est, ut Habel Caino, non Cain Habeli subesset. Illa sunt nobis non temere diuexanda, sed piè ac religiosè adoranda, etiamsi

A etiamsi non mox rationem singulorum intelligamus,& uideantur quædam fieri, quæ longè secus insti tuenda fuisse putamus.

QVAESTIO IIII.

Egrediamur foràs.] Ambrosius secundum Septuaginta legit,Egrediamur in campum: mouetq; ex eo quæstionem ad hunc modum:Quid igitur sibi uult,quod ait Eamus in campum? Intelligit autem per campum, locum nõ fertilem, sed sterilem. Et addit responsionis gratia,nisi quia locus nudus gignentiũ eligitur parricidio? Vbi enim frater habebat occidi nisi ubi fructus deesset? Tanquam præsagiens naturatanti sceleris loco germina denegauerat, quia non conueniebat ut idem solum & contagia parricidialis sanguinis reciperet præter naturã,& fructus secundũ naturã germinaret. Expendit quidẽ uir sanctus hac in re & parricidæ ingeniũ, locũ sterilẽ ad perpetrandũ facinus deligentis magis quàm fertilẽ, ne soli fertilitas propositi crudelitatẽ nonnihil mitigaret, & ipsius naturæ horrorẽ quo tã insignia facinora sterilitate locorũ detestari uideẽ.uerũ si Ebræa inspexisset, nullũ huic quæstioni locũ reperisset. Primũ enim nõ legit in Ebræo, Eamus in campũ,sicuti suprà annotatũ est. Deinde sequẽs particula nõ habet,cũ essent in cãpo, sed, cũ essent בשרה, id est, in agro. Notum est autem omnibus Ebrææ linguæ uel mediocriter gnaris,שרה non significare campum sterilem, sed agrum uel fertilem uel fertilitati destinatum. Quare Ambrosius ista non est in loco philosophatus.

Quæstio Ambrosij, de eo quod Cain fratrem uoluerit in campo occidere.

OBSERVATIO I.

Dixitq; Dominus ad eum: Quare iratus es?] Quod Cainum Deus à proposito malo reuocare uoluit, Præter ea quæ suprà sunt in prima quæstione notata,etiã hoc est obseruandũ,quomodo hoc testimonio declararit,non delectari se morte peccatoris,sed uelle magis ut cõuertaẽ & uiuat, quemadmodũ & Eze. 18.testaẽ. Sic nobis sentiendũ est de Deo,non impellere ipsum ad peccandũ quenquã quantũuis impium, nõ gaudere ipsum perditione filiorũ hominũ,sed magis occasiones resipiscẽtiæ & uitæ subministrare delinquẽtib.ac pereũtibus,modò illæ nõ respuant. Talis nobis in S.scripturis proponiẽ,tales igiẽ & de eo sentire conuenit. Interea friuolis disputationibus abstinendũ est quibus homines uani de necessitate fatigarrientes,& seipsi & alios à simplici pietatis sensu magno periculo abducũt. De Deo nobis sentiendũ est inquam secundũ ipsius manifesta uerba & facta,& abstinendũ à secretis illius & inscrutabilibus iudicijs. Et factis aũt & uerbis declarauit,reuocare se errantes ac delinquentes ne pereant. Quid autem iniquius & magis impiũ iudicari posset,quàm si sentiremus sic esse comparatũ Deũ, ut foris quidẽ uerbis reuocet peccãtes ne pereãt,sicuti cũ Caino egit:intus uerò secreta ui uel impellat ad peccandũ, uel resipiscentiã prohibeat,ne ad uitam ac salutẽ miseri aspirare queant? Plurimũ aũt momenti habet ad ueræ pietatis studiũ,si de Deo persuasi sumus,delectari ipsum salute filiorum hominũ,nõ delectari morte pereuntium: nec deesse laborantibus ac tentatis,quo minus conuertendi occasiones subministret,ut quisquis perit,non ipsius Dei,sed planè proprio uitio pereat?

Non delectari Deum morte peccatoris.

Quemadmodũ sentiendũ sit de Deo.

Deinde admonemur hoc loco,quomodo nos quoq; erga eos qui malè uel agunt,uel egerunt,uel acturi uideãt,animatos esse cõueniat. Si boni fuerimus, nõ poterimus delectari perditione mortaliũ,sed magna nos uoluptate afficiet bene prosperantiũ ac rectè uiuentiũ salus. Et hunc animũ declarabimus erga eos quoq; quorũ cultus & sacrificia probare nõ possumus,cũ uerbis reuocando peccantes à cursu perditionis,tũ factis aut adiuuando ad resipiscentiã,aut si in potestate constituti simus nolentes uolentes à studio peccandi cohibendo. Sic animati cũ angelis Dei magno afficiemur gaudio super uno peccatore pœnitentiã agente magis quàm supra nonaginta nouẽ iustis. Mat.18. rursus magno mœrore propè confitiemur,lugentes eos,qui spreta resipiscentia in studio peccãdi pergũt & ad exitium currũt, qualẽ animũ Apostolus à Corinthijs requisiuit,2. Cor.5. dicens,Et uos inflati estis, & non magis luctum habuistis.

Quomodo debeamus afficiri erga pereuntes.

Tertio,cum dicit:Quare iratus es? & quare cõcidit facies tua? admonet nos, ut etiam atq; etiam cogitemus, irati qua nã ratione irascamur. Nõ haberet locũ in nobis ista percontatio, nisi pro ingenij nostri corruptione subinde accideret,ut præter ullam rationem irascamur. Etenim ut propter iudicij obscurationẽ accidit,ut nõ rectè de rebus, immo Deo ipso, sentientes erremus: ita accidit etiã propter affectuũ corruptionẽ,ut irascamur nulla iusta de caussa doleatq; nobis,ubi magis esset gaudendũ. Itaq;, quoniã hanc & mẽtis & affectuũ nostrorũ corruptionẽ ignorare nõ possumus, plane necessaria est ista uigilãtia,ut mox atq; motũ iræ sentimus,urgeamus nostrã ipsorũ conscientiã ut fateaẽ,quare nam irascamur, quo deprehẽsa iræ nostræ uanitate,uel malitia potius,nos ipsi corripiamus ac iudicemus, ne iudicemur à Domino. Et quod de ira admoneo,accommodandũ est & alijs gaudij,mœroris,spei,desperationis, timoris,cõfidentiæ,amoris,odij,arrogantiæ,dejectionis &c.affectibus, ut nos ipsi interrogemus, quare gaudeamus,quare mœreamus,quare speremus,quare desperemus,&c.

Irascentibus cogitandum est quæ de causa irascantur.

Quoniam autem ira uehementem habet animi commotionem, & confestim ad uindictam sumendam anhelantem, singulari diligentia opus est, ad reprimendum illius impetum: quo plurimum facere poteſt,si declareẽ,irasci nos sine causa. Caro quidẽ sic est cõparata,ut haud facile agnoscat,quod sine causa,& immeritò nedũ iniquè irascatur,uerũ quoniã nõ uult iniusta uideri,si conuincaẽ,quod præter rationẽ irascaẽ, uix aliqua alia ratione fortius cohiberi & ad remittendã irã cogi poterit. Etenim quisquis irascit,hoc in ipso iræ motu & sentit & urget,quod propter rei alicuius indignitatẽ & iniquitatẽ irascaẽ, & usq; adeò iustitiæ prætextus peculiaris est omnib.irascẽtib.ut nemo sit qui se nõ putet magna ratione & omniũ iustissimè ad irascendum moueri. Quare studiosè faciendum est, cùm erga nos ipsos irascendum,

De mitigandis irascentium commotione.

Dum caro succẽsset,non uult iniusta uideri.

scendum,tum erga alios,quod hic à Deo erga iratũ Cainum factum legimus. Conueniat amicus amicum,frater fratrem,fidelis fidelem,superior inferiorem,inferior superiorem,doctor auditorem, ubi iræ motus sentitur,interrogetq; seriò & constanter, qua nam ratione irascatur. Modica saltem remora & admonitio plurimum mitigationis ad compescendum iræ motum conferre potest. Nec est ut absterreat nos exemplum Cain,qui frustra fuit à Domino admonitus. Erat ille in impietate sua obstinatus, id quod non conuenit de fratribus sentire,etiam nonnunquam indignè irascentibus. Quinetiam si frustra admoneamus,haud sumus meliores Deo,qui & ipse Cainum hic frustra admonuit. Illi autem reuera filij Dei uocandi sunt, qui Principium ac Regum iras prudenti ac placido alloquio mitigant, sicuti de Abigail legimus 1.Sam. 25. quemadmodum è contrario ipsissimi sunt filij diaboli, qui animos illorum ad irascendnm instigant & inflammant, unde plerunq; sanguis innocentum effunditur, cuius rei exemplũ in Doeg Idumæo 1.Sam.22. uidere licet, quẽ hodie nimis multi in aulis principũ sequuntur.

OBSERVATIO II.

Iustitia Dei peccaturis proponẽda.

Nónne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit.] Obseruandum est, quomodo hac concione peccaturo & irato Caino iustitia illa consideranda proponatur, qua iustis & iniustis rependitur pro cuiusq; uel iustitia uel iniustitia. Proponit illi utraq; ratio,sors & conditio cùm iustitiæ tum iniustitiæ:ac simul admonetur quid expectandum sit, si bene & quid si malè egerit. Con-

Concio legalis.

cio hæc planè legalis est,& accommodata ad personam & præsentem causam:quare improbissimi homines sunt,qui eam sic urgent,ut doctrinam gratiæ reprimant ac damnent. Vbi agitur cum peccaturis & doctrinæ gratiæ nondum capacibus,inculcandũ illis est,recepturos esse eos præmia,si bene:pœnam daturos,si malè egerint. Huc pertinent omnes legales sententiæ. Vtpote,Qui reddet unicuiq; secũdum facta sua. Et:Si uis uitam ingredi,serua mandata. Et:Nõ auditores,sed factores legis iustificabuntur. & si quæ sunt aliæ consimiles,quibus humilianda est caro nostra in conspectu Dei,ac metu iudiciorum eius deprimẽda,ut seipsam agnoscat,gratiamq; & misericordiã ad salutis cõsequutionẽ afflictim appetat.

Aliter agendum cum anxijs peccatoribus.

Verùm ubi agitur cum peccatoribus,in conscientijs suis peccatum agnoscentibus, ac metu iræ Dei anxijs,abstinendum est ab istis legalibus sententijs:curandumq; ut uulneribus eorum Euangelij pharmaca imponantur,hoc est,peccatorũ remissio,uera iustificatio, uita & salus per fidem in sanguine Christi prædicetur. Horũ nõ sic admoneo,quod nõ sit firmiter credendum, esse Deũ iustũ, redditurumq; bona bonis,& mala malis,quasi legales sententiæ sic sint dispensatoriè usurpãdæ,ut nõ simul sint pro ueris ac certis habendæ:sed quod multum referat,quomodo usurpentur,quibus applicentur,& ad quem finem dirigantur,ne doctrina gratiæ in Christo cunctis peccatoribus proponenda eneruetur. id quod improbè faciunt omnes meritorũ ac propriæ iustitiæ doctores. Quare constanter quidem urgendum est in Ecclesia Christi,esse Deum iustum,bonorum omniũ retributorẽ,& malorũ ultorẽ:& utinã hoc saltem plerique credant, qui hodie primas obtinent in Ecclesia. uerũ nõ est hic salutis nostræ meta ponẽda quasi saluari nequeamus,nisi salutẽ propria nostra iustitia promereamur,qua sanè cõditione nemo prorsus mortaliũ saluari poterit. Nõ est enim homo qui faciat bonũ & nõ peccet,&,nõ iustificatur in cõspectu Dei ullus uiuens. Idcirco memori mente retinendũ est quod Ioannes in priore sua Epistola cap. 2. dicit: Filioli hæc scribo uobis, ne peccetis: uerùm si peccauerit quisquam, aduocatum habemus apud Deum patrem Dominũ Iesum Christũ iustũ,& ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non solum autem nostris,sed & totius mundi. Quomodo totius mundi,si alia conditione nemo saluatur, quàm merito propriæ iustitiæ:immo,si in mundo quisquam est, qui sine propitiatore Christi saluatẽ? Huc facit & illud Rom.4. Beati quorum remissæ sunt iniquitates,& quæ toto illo capite disputantur.

Quod si caussa hæc secundum Christianæ fidei normã & scripturas censenda est, planè dicendum est de illis qui sunt in Christo,& per gratiam redemptionis saluantur,quod etiã non operantes quæ iusta sunt,recipiant sortem ac felicitatem iustorũ, propter fidem in eum qui iustificat impios,quæ imputatur illis secundũ propositum gratiæ Dei, qua de re uide Rom.4.& quod peccata eorum non sint ad fores cubantia,sicuti peccata impiorũ. Nihil enim condemnationis illis est qui sunt in Christo Iesu. Ro.8. nec ueniunt in iudicium, sed transeunt à morte in uitam. Quare sic est in hac particula distinguendum, ut licet uerissimum sit, recipere eos à Deo qui bene egerunt, & peccata eorum qui malè agunt adfore suo tempore ad iudicium & condemnationẽ: simul tamẽ uerissimũ esse confiteamur etiam eos recipere qui non sunt meriti,& peccata eorũ qui malè egerunt nõ factura ad illorũ condemnationẽ,si sint in Christo non sub lege,sed sub gratia. Si quis dixerit,Non recipiet à Deo, qui bene agit, blasphemus censeatur in iustitiam Dei. Rursus,si dixeris,Nõ recipiet à Deo,nisi qui bene egerit,& bene sit propter suã iustitiam meritus,blasphemus es in gratiam Dei. Adhuc,si dixeris,Qui malè agit,peccatum illius adfores cubabit, negator es redemptionis quæ per Christũ est parta, nisi excipias fideles, quorum peccata in iudicium non uenient,sed per gratiam remissionis tecta sunt & sepulta.

Quomodo sit in hac particula distinguendum.

Quod Caino Deus, quamuis impio, primogenituræ dignitatem, & potestatẽ in fratres, non abstulit. Subditi.

OBSERVATIO III.

Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illi.] Obseruandum hic est,quod Caino Deus,quantumuis impio,potestatem quam in Habelem iure primogenituræ habet,non aufert,sed potius confirmat. Quare præsens locus omnibus est tam magistratibus quã subditis considerandus. Subditi cogitent, nõ liberari se à potestate Principũ ac dominorũ suorũ,per id quod ipsi pij,illi uerò sunt impij. Erat Habel iustus ac pius, Cain iniustus & impius. Et tamẽ nõ recusabat uir pius ac iustus obedientiam ac subiectionem,quam Caino licet impio, primogenito tamen,ideoq; domino suo debebat. Quare non incommodè

A commodè, meo iudicio, legeretur hæc particula non in futuro, sed in præsenti ad hunc modum: Sed ad te est appetitus eius, & tu dominaris illi. Hoc est, uoluntas illius tibi subiecta est, seruit tibi, nulla te iniuria lædit, & tu dominio in illũ uteris. Huic cõsiderationi astipulatur etiã Apostolica doctrina, quæ fidelib. pijs, iustis, sanctificatis, ac filijs Dei præcipit, ut subditi sint & obediãt Principibus, Regibus, Magistratibus ac dominis suis in hoc seculo, non solum fidelibus, sed & infidelibus: non solum bonis, sed & dyscolis, ne doctrina Dei propter ipsos malè audiat. Vide Rom. 13. 1. Pet. 2. Quod Apostoli uerbis tradiderunt, hoc præstitit Habel facto, & exemplo suo inde ab initio mundi cunctis fidelibus imitabile fecit.

Regibus deinde, Principibus, Magistratibus ac dominis obseruandum hic est, quod Cain uerbis istis admonetur non habere se iustas irarum causas aduersus fratrem Habelem, nec ullam esse rationem quod de occidendo illo cogitet, quandoquidem potestati illius, seculari ac temporariæ, per pietatem fraternam nihil detrahatur, nec impediatur à dominio suo per id quod fratris sacrificiũ placuit, ipsius uerò displicuit. Habere ipsum dominium quidem in fratrem: uerùm non tale, quo illi in causa religionis, fidei, ac pietatis dominetur. Debere ipsum potestatis temporariæ rationem & conditionem non ad diuina extendere, sed in temporarijs & humanis limitatam retinere, atq; ita conceptam iram tanquam iniustam cõpescere. Iuxta hoc exemplum dicatur hodie Regibus, Principibus ac Magistratibus, qui subditis pijs & electis propterea ad sanguinem usq; irascuntur, quod ab ipsis in causa religionis dissentiunt, & non perinde in diuinis atq; humanis obedire sustinent: dicatur inquam, Quare irati estis? Quare truces sunt uultus uestri? Voluntas subditorum in uestra est potestate, & uos dominamini illis. Sunt uobis subiecti, agnoscunt uos in seculo hoc dominos suos, non negant comperentem obedientiam, quæ uobis in humanis ac temporarijs debetur. Quapropter non habetis iustas causas irascendi, & dira in eos machinandi. Accipitis quæ uestra sunt: Deo relinquite quæ Dei sunt. Tale est quod & Christus de tributo accensu Cæsari dando interrogatus respondit: Date Cæsari quæ Cæsaris, ac Deo quæ Dei sunt. Hac de re debebant hodie Imperatores, Reges, Principes ac Magistratus instrui, præsertim à consiliarijs ipsorum, si & Deo & illis fideles esse uellent. uerùm hi ipsi sunt, qui potestatem eorum usq; adeò extendũt, ut illi nõ solũ humana ac tẽporaria, sed & diuina ac sempiterna: nõ solũ homines, ut homines, sed & ut filios & cultores Dei, in ijs quæ soli Deo debent, subijciant: quod nihil est aliud, quàm aduersus Deum & Christum eius, secundum Dauidicum uaticinium, insurgere, solium q; terrenæ potestatis in ipsum cœlũ collocare, ac solio gloriæ Dei opponere. Quare quemadmodum illi priorem uaticinij huius partem impiè sese aduersus Deum ac cultum eius erigendo adimplent: ita & in eis uicissim

B posterior pars, qua dictum est, Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos, iustissima ultione adimplebitur.

Principes ac magistratus.

OBSERVATIO IIII.

Dixitq; Cain ad Abel fratrem suum, Egrediamur foras.] Si legerimus hanc particulam secundum Hebræum cõtextum, sine eo quod adiectum est, Egrediamur foràs, ad hunc modum, Et loquutus est Cain Habeli fratri suo, exemplũ proponitur animi non solum impij ac mali, sed & simulatoris ac subdoli, & in id parati, ut blandis uerbis nequitiam cordis abscondat, & insontem fraudulenter circumueniat ac incautum perdat. De talibus est quod Dauid dicit: Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorũ. Et nostro seculo in causa religionis experti sumus horum hominum maliciam ac fraudulentiam, qui primùm grauiter aduersum fratres commoti, postea illis in dolo loqui & iræ remissionem simulare cœperunt, non ut reuera mitius agerent, sed ut incautos inescarent ac perderent. Bonũ quidẽ in se est, si frater fratri placidè & amanter loquatur: malũ econtra, si oborta inter fratres simultate claudantur ora fraterna, & conceptum odium signo tam luculento declaretur. Verùm si corda sint subdola ac duplicia, fit ut quod in speciem bonum esse apparet, sit omnium pessimum: & quod malũ uidetur, multo melius existat. Etenim sicuti difficile est, fraterni in speciem alloquij uitare laqueos: ita facillimũ est, cauere odium ac inimicitiam eius qui quid corde meditetur, absq; ulla dissimulatione manifesto rancoris indicio declaret.

Exemplũ animi subdoli ac nequã

Si uerò Cainum Habeli dixisse senserimus, Egrediamur foràs, uel sicut in Græco est, Exeamus in campum, aut agrũ, quasi exemplo isto uidemus quale fuerit Caino dominium in Habelem fratrem, œconomicum uidelicet & politicum. Erat Habel illi in rebus domesticis, & politicis subiectus. Hactenus etiam obediebat illi. Iubenti secum exire in campum & agrum, obtemperabat: imperante illo ut opus quoddam, modò licitum & honestum, faceret, faciebat: & si non feciffet per inobedientiam, peccasset. Hactenus potest homo pius obedire dominis suis, ut si dicant: Exeas in agrum, exeas in uineam meam, cura pecus meum: etiamsi dicat, Accipe arma, & exeas mecum ad occurrendum hosti: si dicat, Da decimas, da censum ac tributum, da bouem tuum, equum tuum, currum tuum, seruum, etiam filium, ut seruiat commodis meis: omnia hæc faciat, conscientia bona & libera. Si uerò dominus sit impius, incredulus, & idolorum cultor, dicatq; Veni mecũ ad templum, procumbe mecum ante aras, adora mecũ Baal & Astaroth, cole deos meos: hic iubet uera pietas & syncera in Deũ fides quiescere, & impiam obedientiam detrectare, etiamsi decies hoc sit nomine moriendum.

Quale fuerit Caino dominium in fratres.

OBSERVATIO V.

Cumq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus Abel fratrem suum, & interfecit eum.] Habemus hic exemplum fratricidij, in quo spectanda est imago parricidalis Ecclesiæ, quæ fratres suos in causa religionis odio sanguinario prosequutur & occidit. Occidit Cain Abelem fratrem suum. Expendamus homicidij

Imago parricidalis Ecclesiæ in Caino.

m huius

1. *Homo hominem.*
2. *Dominus subditum & obedientem.*
3. *Frater fratrẽ.*
4. *Iniustus iustũ.*
5. *Propter syncerũ cultũ Dei.*
6. *Ex odio et studio malo.*
7. *Post admonitionem Dei.*
8. *Post recõcilia tiõis simulationẽ*
9. *In agro.*

huius circunſtantias ſimul & cauſam. Primùm occidit homo hominem, peccans in cõmunem humani generis naturam, ut hoc nomine rectè cenſeatur fuiſſe inhumanus, nõ homo, ſed beſtia, nihil habens humani præter ſolam corporis humani figuram. Deinde occidit ſubditum ſibi & obediẽtem, quem pro poteſtatis officio aduerſus quamcunq; debebat tueri iniuriam & uiolentiam. Tertiò, occidit non uulgarem ſubditum, aut mancipium quoddam, ſed fratrem & germanum: eo nomine non ſimpliciter homicida aut ſeruicida, ſed fratricida. Quartò, occidit non ſceleratum ipſe iuſtus, ſed innocentem & iuſtum, ipſe impius & iniuſtus, ut hac ratione & iuſticida fuerit. Quintò occidit eum non ob cauſam aliquam prophanam, ſed propter ſincerum ueri Dei cultum, & ſpretum ſuum ſacrificium, quod hypocrita Deo obtulerat. Sextò, interfecit eum non per occaſionem aut ſubitam quandam animi commotionem, ſicuti nonnunquam accidere ſolet, ſed ex odio & malo ſtudio. quare Moſes rectè dicit, quod cum in agro eſſent, conſurrexerit in eum. Accidit aliquando, ut & pius aliquẽ occidat, uerùm aut per imprudentiam, aut per occaſionẽ. Septimò, occidit eum poſt admonitionem à Deo acceptam, quod & ipſum ſpreti uerbi Dei, adeoq; & impietatis habet argumentum. Octauò, occidit eum poſt reconciliationis ſimulationẽ, qua illi cœperat loqui. Nono, interfecit eum non domi, ſed in agro, extra conſcientiam parẽtum & aliorum, ut poſtea commiſſum facinus negare poſſet. Hæ ſunt circumſtantiæ impij huius fratricidij, in quo imago Caianæ relucet Eccleſiæ, quæ & ipſa prorſus eſt fraterno ſanguine cruenta.

1. Exuunt omnem humanitatem homines cum ſint ſæuientes in homines, uixq; beſtiarum loco ducentes communem generis noſtri naturam, prætertim ſi quid agendum ſit ſanctis illis Romanæ ſynagogæ præſulibus & Carnalibus cum laicis, plebeijs, idiotis, maximè Germanis. Sæuiunt in
2. ſubditos, de quorum ſubiectione gloriantur, quorum debebant prouidere ſaluti. Occidunt & opprimunt non ſeruiliter, ſed fraternè ſubiectos fratres, cum quibus unum ſe patrem in cœlis profiteri & co-
3. lere ſimulant, cum re uera ſint ex patre diabolo, qui & ipſe & mendax & homicida fuit ab initio. Interimunt fratres non impios & iniuſtos ipſi pij & iuſti, ſed iuſtos ac Dei timentes, ipſi iniuſti & con-
4. temptores Dei. idq; propter ſpretam ipſorum ſuperſtitionem, & impietatem quæ Deo placere non po-
5. teſt. Præterea occidũt eos nõ ſubito iræ motu, ſed odio inueterato & ex deſtinato. Ad hæc, nihilpen-
6, 7. dunt quaſcunq; admonitiones uerbi Dei, ſed ſpretis illis obſtinatè in propoſito pergunt. Addunt nõ-
8. nunquam & amicitiæ & charitatis ſimulationem, quo ſimplices & incautos circunueniant: poſtremò
9. habent & ipſi agrum ſuum, in quem inſontem Habelem iuſſu ſuo educant, & ſic interimant, ut malitiam ſuam à conſcientia mortalium abſcondant. Habent concilia, in quibus ſic conſurgunt contra Habelem, ut eos è medio tollant, ſub ſpecie hæreſeos, idq; ad exemplum Phariſæorum, ſcribarum et ſacerdotum, per manum Pilatorum & Herodum, quo poſtea dicere queant: Vultis inducere ſupra nos ſanguinem
Act. 5. hominis iſtius, quaſi nos occiderimus eum. Sic campus & ager Eccleſiæ Cainæ, eſt concilium ſanguinarium, in quo & contra Chriſtum condemnationis eſt prolata ſententia.

De cauſa ob quã Cain fratrem occidit.

Cogitandum & de cauſa eſt, ob quam Cain fratrem ſuum Habelem occidit. Ioannes in Canonica ſua cap. 3. hanc declarat iſtis uerbis: Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum. Et quare occidit eum? Quoniã opera eius maligna erãt, fratris aũt eius iuſta. Sic dupliçẽ cauſam aſsignat. Radicalem unam, quam notat dicens, Qui ex maligno erat. Secundariam alteram, quam declarat cum dicit, Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iuſta. Non legimus Cainum eſſe adulteratum, eſſe factum ebrium, & uſurarium, &c. Quæ erant ergo mala illius opera, & quæ Habelis iuſta? Mala opera Cain erant hypocritica ſacrificia, quibus cultum Dei mentiebatur impius ſimulator: iuſta opera Habelis, erant uerus & ſyncerus cultus ac Deo placitus. Expende hanc cauſam, & cõfer eam hodie cum Eccleſia Cainorum, ſanguinaria & fratricidali.

Et ait Dñs ad Cain: Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit, Neſcio: nunquis cuſtos fratris mei ſum ego? Dixitq; ad eum, Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos. uagus & profugus eris ſuper terram. Dixitq; Cain ad Dominum, Maior eſt iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Ecce eĳcies me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero uagus ac profugus in terra. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Dixitq; ei Dominus: Nequaquã ita fiet, ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Poſuitq; Dominus in Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis qui inueniſſet eum.

LECTIO.

Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.] In Hebræo ſic legitur, קול דמי אחיך צעקים אלי מן האדמה, id eſt, uox ſanguinum fratris tui clamantes ad me: uel, ut quidam legunt, clamantium ad me de terra. Iſti uocem צעקים referunt non ad קול, id eſt, uocem, ſed ad דמי, id eſt ſanguinum.

Vagus & profugus eris.] Sic habetur & in Hebræo. Græcus uerò reddidit, στένων καὶ τρέμων, id eſt gemens ac tremens. Maior

Maior est iniquitas mea.] Concordant Hebræa. At Græcè legitur, μείζων ἡ αἰτία μου, id est, maior est culpa mea. Pagninus: Maior est punitio mea.

Quàm ut veniã merear.] In Hebræo est, מנשא, id est, quàm remitti. Græcus trahit ad personã Cain. Nam sic uertit τοῦ ἀφεθῆναί με, id est, quàm ut ego dimittar. Latinus accõmodat inquirati Cain, dum uertit, Quàm ut ueniam merear, id est, Quàm ut remittatur. Pagninus sic, Quàm ut feram.

Ecce eijcies me hodie.] Sic & Hebræus. Græcus uerò ad hũc modũ, εἰ ἐκβαλεῖς με σήμερον, id est, Eijcies me hodie.

Et à facie tua abscondar.] Sic & in Hebræo legitur ומפניך אסתר. Vt satis mirari nequeam quare Onkelus Chaldæus paraphrastes uerterit ורבון קדמך ליתי אימשר לאיטמר, id est, à facie tua impossibile est ut abscondar.

EXPLANATIO.

Et ait Dominus ad Cain, Vbi est Abel frater tuus?] Toto hoc contextu duo aguntur à Deo. Primum examinat Cainum, ut rationem reddat de fratre suo Habele, & permoueatur ad sceleris ac parricidij confessionem. Deinde maledictionis illi ac condemnationis sententiam infligit. Ad primum pertinet, quod hic dicit ad illum, Vbi est Abel frater tuus? quod utiq; nõ est interrogantis ad discendum, sed peccatorem ac parricidam urgentis ad confitendum. Alioqui sciebat Deus, ubi esset Abel, & quomodo occidisset eum Cain, id quod sequentia abunde testantur. Poterat statim initio dicere, Maledicte parricida, quare interemisti Habelem fratrem tuum? Verùm quemadmodum suprà cum Adamo & Eua egerat, ita & hic sic examinationem istam instituit, ut confessionem peccati eliciat. Iosephus scribit esse hoc à Deo factum, cum Habelem diebus plurimis non uidisset, quem tamen antea certo tempore cum Caino uersari obseruasset. Verùm incerta est hæc cogitatio. *Duo agit Dominus toto hoc contextu.*

Qui respondit: Nescio. Num custos fratris mei sum ego?] Duo facit impijssimus homo. Primùm cõtra suã ipsius conscientiam mentitur, cum dicit se nescire, ubi sit Habel. Deinde stomachando negat ad se pertinere curam & custodiam fratris, quo excuset quod dixerat se nescire ubi sit frater Habel. Poterat enim mox, cum dixisset, Nescio, audire à Deo, Quomodo sic negligis fratrem, ut nescias ubi sit? Quare occupaturus immediatè negat se custodem esse fratris. Nec simpliciter dicit, Nõ sum custos fratris, uel, custodia fratris ad me non pertinet: sed cum indignatione, Num, inquit, ego sum custos fratris? Quasi dicat: Quid me de fratre interrogas, ubi nã sit? Videor ne tibi seruus fratris, cuius sit illius obseruare uestigia, quasi nõ magis ab illo obseruari debeam? Sic impius parricida nõ uereatur corã Deo & mentiri contra suam ipsius conscientiam, & stomachari, quasi non sine iniuria de fratre interrogetur. Sunt qui putant ista esse acta inter Adamum & Cainum: tribui uerò Deo, quod Adam hæc Caino loquutus sit ex instinctu Dei. Et argumentum huius opinionis sumunt ex eo quod Cain tam confidenter nescire se dicit ubi sit frater: quod arbitrantur eum non fuisse facturum, si non ab homine, sed à Deo ipso fuisset interrogatus & examinatus, quasi tantum impietatis nequeat illi tribui, quod factum suum corã Deo celare conatus sit, cum hoc sit impiorum proprium, ut dicant in corde suo, Deus non uidet. Quare, huiusmodi expositio infirmior est quàm ut recipi mereatur. *Duo facit Cain.*

Dixitq; ad eum: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.] Quoniam non solũ non confitebatur peccatum, sed & impudenter à se curam & custodiã fratris reijciebat, apertius agit Deus dicens: Vox sanguinis fratris tui ad me de terra clamat: hoc est, frater tuus occisus est. Non frustra de illo quæro, ubi sit. Sanguis illius ultionem à me poscit. Mea interest ut in cædem illius inquiram. Quare dic palàm quid fecisti? Hoc est, quid præsumpsisti, quid ausus es in fratrem? Dicis te non esse illius custodẽ: quasi quæstio sit, num custodieris fratrem. Dic potius quid in illũ designaueris, quandoquidem occisus est. Sic miserum & infelicem urget adhuc, ut peccatum suum cõfiteatur. Poterat aliàs rem ipsam illi palàm obijcere ac dicere, Vtiq; non es custos fratris, sed occisor: non es ἀδελφόφυλαξ, sed ἀδελφόκτονος. Quare occidisti fratrem? Verũ hoc tantum dicens, quod occisus sit Abel, interrogat adhuc, quid ipse fecerit, ut locus sit confessioni peccati. Sunt qui Hebræam loquutionem, uox sanguinum clamantium ad me, exponant pluraliter de posteris Habelis, non quos adeptus fuerit, sed quos adepturus fuisset, nisi illum Cain occidisset. Et Onkelos Chaldæus sic uertit: Vox sanguinis seminum quæ futura erant, ut egrederentur ex fratre tuo. Verùm simplicius est, ut numerũ pluralẽ pro singulari positum esse intelligamus. *Apertius urget negatorem.*

Nunc igitur maledictus eris super terrã quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinẽ fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos, uagus & profugus eris super terram.] Quoniam ne sic quidem Cain peccatũ suum confitetur, sed tacet, pergit Dominus, & pronunciat sententiam cõdemnationis. Iosephus scribit Cainum sacrificasse Domino ac petijsse, ne grauius in se decerneret, ideoq; Dominum condemnationis sententiam relaxasse. At dicit ista sine authoritate sacræ scripturæ. Decernit autem Dominus ad hunc modum, Et nunc maledictus eris in terra, & cætera, quasi dicat: Quandoquidem consurrexisti in fratrem, illumq; occidisti, & terra sanguinem illius de manu tua suscepit, maledictus eris in posterum super terram. Et ut maledictionem hanc declaret, adijcit: Cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos. Hæc est una maledictionis species, frustra operari terram, non reddente illa fructus suos. In Hebræo est, Non addet tibi uirtutem suam. Quod bifariam potest intelligi. Primùm, ut idem sit, atq; Quamuis operam tuam illi & cultum impenderis, non accedet tamen uirtus ipsius. Ipsa non faciet suum officium. Patietur quidem labores tuos, sed illis de suo nihil addet, negabit suas uires. Ideoq; frustra illam operaberis. Deinde, ut intelligendũ sit ad hunc modum: Hactenus cum operareris

terram,respondit illa sua uirtute laboribus tuis, ac fructus protulit. Nunc uerò, quoniam tantum facinus patrasti,non adijciet in posterum,ut illud adhuc faciat. Vtram sententiam accipiamus, nihil habet discriminis. Ad hanc maledictionis speciem rationis uice annexum est, quod dicit, Quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Hisce uerbis exprimit facinus à Caino admissum, propter quod terra esset illi uirtutem suam quantumuis culta,negatura. Quasi dicat,Etenim infecisti illa sanguine fraterno,per quẽ ueluti arefacta,non poterit tibi amplius suos proferre fructus. Non tanter autem non simpliciter dicit, Quæ aperuit os suum,& suscepit sanguinem fratris tui:sed addit, De manu tua.nec dicit,Suscepit sanguinem Habelis: sed,Sanguinem fratris tui,ut fratricidium illi & obijciat & exaggeret.

Altera maledictionis species.

Altera maledictionis huius species est,quod dicit, Vagus & profugus eris super terram. Sunt hic in Heb.duæ uoces נוע ונד.Has nõnulli sic distinguũt,ut נע sit instabilis,nullo certo loco diu consistens,pertineatq; hæc uox ad locum in quo es.Et נד sit uagus,nesciens quò se recipiat,ut referas ad locum quem refugij ac manendi gratia uagus ac profugus petas. Nõ abludit admodum mea sententia. Sentio enim hanc Caino alteram maledictionis speciem infligi, ut primùm sit נע, id est,mobilis,instabilis,nullo loco diu consistens:deinde sit נד, id est, exul & profugus, hoc est, extra patriam terram ac domum abiectus & uagus.Non est mox exul,quisquis non diu certo loco hæret:& rursus non est statim instabilis ac mobilis, qui in exilium est abiectus. Nam fieri potest, ut in ipsa patria sis mobilis & instabilis: potest etiam accidere, ut qui exul est in terra aliena,certum ac stabilem manendi locum inueniat,ne uagari,ideoq; subinde mutare cogatur. Itaq; secundum hanc sententiam sic maledicit Cain,ut & extra patrias sedes abijciatur in exilium,& in exilio non inueniat constantem ac stabilem mansionem,sed de loco ua

Gemens ac tremens.

getur ad locum.

Græcus interpres has duas uoces sic uertit, ut longè aliam exigant expositionem. Habetur enim in Græco ad hunc modum,στένων καὶ τρέμων ἔσῃ ἐπὶ τῆς γῆς: id est, Gemens ac tremens eris super terram. Non conuenit hæc uersio ueritati Hebraicæ. Neq; enim mansionum ac uitæ instabilitatem,uagandiq; errores,sed & mentis dolores crebris gemitibus ac singultibus expressos,& corporis tremorem,angustiati animi testem continet.

Definit negare Cain.

Dixitq; Cain ad Dominum,Maior est iniquitas mea,quàm ut ueniam merear.Ecce eijcis me hodie à facie terræ,& à facie tua abscondar,& ero uagus ac profugus in terra:Omnis igitur qui inuenerit me,occidet me.] Conuictus simul & maledictus definit negare & indignari. Sensit enim condemnationis sui & iusticiam & grauitatem.Iustitiam in eo quod dicit,Maior est iniquitas mea,quàm ut ueniã merear:seu ut rectius est in Hebræo,Quàm ut remittatur.quasi dicat: Agnosco iniquitatem meam,nec est ut remitti illam putem.Maior enim est,quàm ut sis eam remissurus.Agnosce animum desperantem,qui prius egregiè necgauerat & stomachatus fuerat. Grauitatem condemnationis per ea sentire se testatur quod subijcit, Ecce eijcis me hodie à facie terræ:intellige,patriæ.quare illud מאדמתי legendũ est, Terræ huius.& abscondar à facie tua:hoc est,priuabor omni tua gratia,præsidio & auxilio,non admittar amplius ad conspectum tuum, eris mihi infensus perpetuò, ad locum hunc apparitionum tuarum nunquam me accedere patieris,& ero uagus ac profugus in terra. Hinc,quod maximè timebat colligens infert, Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Sic dictitabat illi peccati conscientia, & sic ex sententia condemnationis futurum colligebat.

Alia expositio.

Sunt tamen qui locum hunc aliter exponant. Illud, Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear,legũt per interrogationem: Maior ne est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear? quasi in Hebræo sit הגדול עוני מנשוא quod non est. Arbitrantur illi Cainum non agnouisse peccati sui enormitatem, sed magis esse de pœnæ magnitudine conquestum, de peccato uerò sic sensisse leuiter, ut putarit illud facile posse remitti. Verùm nec Hebræa lectio consentit, nec ipsa uerba sic sunt comparata,ut hunc sensum lectori diligenti offerant. Alioqui non conueniebat dicere, Maior est iniquitas mea:sed, Maior ne est culpa mea:uel,Maius ne est commissum,aut peccatum meum. In uoce,Iniquitas,non est extenuatio sceleris,sed magis aperta confessio.

Omnis qui inuenerit me.

Deinde & illud, Omnis qui inuenerit me,occidet me,quidam sic exponunt: Cum igitur à facie terræ patriæ & tua abijciar,futurusq; sim in terra instabilis & exul, quorsum attinet ut uiuam? Occidat ergo me, quisquis inuenerit me, quandoquidem calamitosissimum erit in tanta miseria uiuere. Verùm rursus non astipulatur textus Hebræus. Non enim in illo sic legitur, omnis igitur qui inuenerit me,occidat me:sed ad hunc modum,והיה כל מצאי יהרגני, id est,Et erit, ut quisquis inuenerit me,occidat me. Sic & Græcus uertit:καὶ ἔσται πᾶς ὁ εὑρίσκων με ἀποκτενεῖ με, id est, Et erit,omnis qui inuenerit me,occidet me. Hæc uerba non spirant animum mortis appetentem, sed magis mortis metu perculsum. Neq; enim de eo loquitur,quod accidere sibi uelit,sed quod euenturum sibi metuit.

Metum mortis eximit Caino.

Dixitq; ei Dominus: Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain,septuplum punietur.Posuitq; Dominus in Cain signum,ut non interficeret eum omnis qui inuenisset eum.] Non erat consilium Dei ut Cain occideretur,quantumuis singulari mortis exemplo dignus. Quare ut metum hunc mortis, quo miser tenebatur,animo illius eximat, ad id quod dixerat, Et erit quisquis inuenerit me,occidet me respondet,secundum istam translationem, Nequaquam ita fiet.deinde & grauissimam pœnam minatur ei,qui sit occisurus Cainum. Nam quod dicit, Septuplum punietur, nihil est aliud,quàm grauissimè punietur.Etenim nox hæc,Septuplum uel septies in scripturis, pro multitudine incerta sumitur,cuius admoneo,ne

quis

quis in numero ſeptenario fruſtrà philoſophetur. Tertiò, adijcit ei ſignum, ut nõ interficeretur à quoquam. Quod illud ſignũ fuerit, non exprimitur à Moſe. Alius aliud diuinat. cõmuniter ſentiunt de mentis anguſtia & ſingulari quodam capitis & membrorum tremore. Fortè reſpicitur ad Græcam uerſionem, quæ habet, Gemens ac tremens eris ſuper terrã. Sunt qui putant faciem Caini aliquo ſigno notatam, quemadmodum homicidas aliquando ſic diuinitus puniri uidemus, ut oculi illorum, qui antea fuerãt placidi, mutentur in toruos ac truces. Verùm cum in Hebræo aliter legatur, & incerta ſit omnis huiuſmodi coniectura, ubi nihil certi habetur ex litera, arbitror ſatis eſſe pio lectori, ut intelligat, Deũ aliquo notabili ſigno cauiſſe, ne quis manũ in Cain mitteret, nec operæprecium fore, ut inquirat, quod nam uel quale fuerit hoc ſignum.

Illud, Nequaquã ita fiet, in Hebræo ſic legit, לכן כל הרג קין, id eſt, quapropter quiſquis occiderit Cainũ. Videt aũt interpres pro לכן, id eſt, quapropter, legiſſe לא כן, id eſt nõ ſic, quemadmodũ & Græcus habet, οὐχ ὅτω, ſicut & Theodotio legit. Quoniã eadem ferè utrobiq; pronunciatio eſt, magis ſecundum pronunciationem quàm ſecundum literas uertit, niſi dicturi ſumus exemplar unde uertit habuiſſe nõ לכן, ſed לא כן eſſeq; poſtea ſcripturã mutatã, ac pro לא כן poſitũ לכן, ſicuti exẽplaria nunc habẽt. Verùm in re tam incerta quid poſſumus, pnũciare certi? Si ſecundũ Hebræa legerimus, Propterea quiſquis occiderit Cainũ, ſeptuplũ punietur, ſenſus erit: Quoniã hoc metu teneris, ne forſan te cuilibet liceat impunè occidere, quandoquidẽ profligaris in exiliũ, omni præſidio deſtitutus, propterea legẽ hãc conſtituo, ut quiſquis te occiderit, ſeptuplo maiores pœnas luat, quàm tibi imponunt. Itaq; licet diſcrepantia in uerbis eſſe uideat, ſpiritus tamen idẽ eſt utrobiq;, ſiue legamus quapropter, ſiue, nequaquã ita fiet. *Nequaquam ita fiet.*

Deinde quod dicit, Septuplum punietur, Lyranus præter illam rationem & contra ſimplicitatem textus, Hebræorũ deliria ſequutus, ad Cainum, non ad occiſorem Caini refert: quaſi prædixerit Deus, ſpetima futurum ætate, ut Cain occidatur, id quod etiam à Lamech factum eſſe putãt. à quo Cainum in uenatione loco feræ occiſum nugantur. *Septuplũ punietur.*

Alij legunt ſic: Omnis qui occiderit Cain, ſeptemplices pœnas abſoluet. Sic habet Græcus, ἑπταπλᾶ ἐκδικηθήσεται. Et Hieron. in Hebr. quæſtionibus legit: Omnis qui occiderit Cain, ſeptem uindictas exoluet. Et exponunt non de uindictis ac pœnis quas luere debuerit occiſor Caini, ſed quas eſſet in ipſo Caino exequuturus: uerùm in Hebræo eſt יקם paſsiuè poſitum, Punietur: non actiuè, Puniet. Quare non poteſt recipi iſta expoſitio, quam Hieron. in Epiſtola ad Damaſum ſic poſuit: Nolens eum Deus compendio mortis finire cruciatus, nec tradens pœnæ, qua ſeipſe damnaret, ait, Non ſic: ideſt, nõ ut exiſtimas morieris, & mortẽ pro remedio accipies: uerùm uiues uſq; ad ſeptimã generationẽ, & cõſcientiæ tuæ igne torqueberis, ita ut quicũq; te occiderit (ſecundũ duplicẽ intelligentiã) aut in ſeptima generatione, aut ſeptimo te liberet cruciatu. Nõ quod ipſe qui occiderit Cain, ſeptem ultionib. ſubijciẽdus ſit: ſed quod ſeptẽ uindictas, quæ in Cain tanto tẽpore cucurrerũt, ſoluat interfector, occidens eũ qui uitæ fuerat derelictus ad pœnam. Hæc Hieron. Recitat etiam opinionem quorundã de ſeptem uindictis Cain, quaſi ſeptem illius peccatis competentibus, ſic ut primum illius peccatum fuerit, quod oblationem non rectè diuiſerit: ſecundum, quòd fratri inuiderit: tertium, quòd doloſe egerit, dicẽs, Tranſeamus in campum: quartum, quòd interfecerit: quintũ, quòd procaciter negauerit, dicens, Neſcio, nunquid cuſtos fratris mei ſum? ſextum, quòd ſeipſum damnauerit dicens, Maior eſt culpa mea quàm ut dimittar: ſeptimũ, quòd nec damnatus egerit pœnitentiam. Quàm autem ſint iſta infirma & friuola, ipſe quoq; Hieronymus non diſſimulat, dum ea non probat, ſed tanquam aliorum cogitata recitat. Et Chryſoſtomus ſeptem Caini peccata connumerans, non iſta, ſed alia quædam recenſet. Primùm, inquit, inuidet: ſecundò fratrem ſuum occidere deſtinat: tertiò fraudes conſuit: quartò, cædem opere implet: quintò, fratrem occidit: ſextò, primus mortem operatus eſt: ſeptimò, Deo mẽtitus eſt. Hæc ille. Vnde ſatis liquet, quàm non habeat certi quicquam hæc opinio. Etenim, ſi tuncta membra peccati Caini recenſenda ſunt, quis non uidet quàm multo plura & alia aſsignari queant quàm uterq; & Hieronymus ex alijs, & Chryſoſtomus de ſuo annumerat? Ioſephus ſic intelligit hanc particulam, quod ſobolem Caini dixerit Deus uſq; ad ſeptimam ætatem fore puniendam. uerùm ipſa ſcripturæ ſimplicitas non fauet ne huic quidem expoſitioni. Quare, ubi hæc omnia, quæ recenſui, conſidero, magis placet, ut ſimplicitatem expoſitionis quam poſui retineam, quàm ut huiuſmodi incertis ac friuolis opinionibus locum præbeam. *Septem uindictæ Caini.*

QVAESTIO I.

Vagus & profugus eris ſuper terram.] Quæritur hoc loco, quomodo pertineat ad maledictionem hominis impij & parricidæ, uagum ac profugum fieri ſuper terram: cum ea uitæ moleſtia & incommodi tas frequenter, immo magis, accidat pijs quàm impijs. Abraham relicta patria abijt in terram incogni tam, neſcius quò iret. Heb. 11. Et ſancti peregrini et hoſpites ſunt ſuper terram. Et eod. cap. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in mõtibus, & ſpeluncis & cauernis terræ. Sic patres, prophetæ, Chriſtus ipſe, non habẽs in hac terra ubi caput reclinaret, & apoſtoli, mundi huius peripſema facti, uagi fuerũt & exules in hac terra. Quid igitur cauſæ eſt, quòd hæc moleſtia in Caino deputatur maledictioni, cũ poſteros piorum magis quàm Cainam ſobolem illi uideamus eſſe obnoxios? Ad hanc quæſtionem reſpondeo: Maledictio iſta non eſt conſideranda in externa illa locorũ inſtabilitate, & exulandi moleſtia: ſed magis primùm in eo, quod Cain non ſolũ è patria terra, ſed & à facie Dei, propter immane parricidij ſcelus gratia & præſidio Dei priuatus abijciebatur: deinde ſic erat conſcientiæ ſtimulis agitatus, ut anxius corde, *Quõ exiliũ pertineat ad maledictionem, cum pij ſint exules in hac uita.*

inops consilij, metu mortis diuexatus, uitæ dubius, nemini fidens, sine fide ac spe Dei, miserrimus & infelicissimus etiam nemine persequente errabat ac fluctuabat: quare nõ immeritò huiusmodi genus uitæ omnium infelicissimæ, maledictioni deputatur. Verùm longè aliter comparata sunt exilia sanctorum. Cum illi fiunt uagi ac profugi in terra, non accidit hoc eis propter parricidia sicuti Caino, aut propter homicidia, uenefícia, adulteria, proditiones, seditiões, & alia huiusmodi facinora: sed partim ex singulari dispositione Dei, sic eos in hoc mundo salubriter exercentis: partim ex atroci filiorum huius seculi malicia, qui pios inde ab initio mundi ad finem usq; infestare ac persequi non cessant. Deinde non destituuntur gratia ac præsidio Dei sub cuius alis tuti quiescunt, quantuncunq; ab impijs profligantur. Tertiò, quòd corda ipsorum attinet, habẽt uerbum ac promissiones diuinæ gratiæ, quibus toti fide ac spe firma innituntur, non sunt anxij, meticulosi, rerum dubij ac fluctuantes, non agitur malæ cõscientiæ stimulis, non sunt impatientes: sed secura, pacata, & tranquilla conscientia in cõspectu Dei, quocũq; locorũ degant, conuersanť. scientes se peregrinos esse in terra, nec habere in hoc mũdo manentẽ ciuitatẽ, sed expectare futuram in cœlis. Quare cum tanta sit hac in re diuersitas inter impios & pios, facile ad præsentem quæstionem responderi potest, quam ob causam maledictus fuerit Cain uagus et profugus in terra, & maledicti non sint pij ac sancti, etiam ipsi uagi, instabiles, profugi & exules in hoc mundo.

QVAESTIO II.

A quibus sibi timuerit Cain.

Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.] Quæri potest hoc loco, qui nam fuerint illi, à quibus sibi metuens dixerit Cain, Omnis qui inuenerit me, occidet me. Etenim hactenus non est à Mose facta de alijs Adæ filijs ulla mentio, præterquam de Caino & Habele. At hæc uerba, Omnis qui inuenerit me, occidet me, uidentur innuere habuisse tum Adamum non solos hosce duos filios, Cainum & Habelem, sed & nonnullos alios, à quibus sibi Cain timuerit.

Respondetur ad hanc quæstionem uariè. Sunt qui intelligant hæc uerba danda esse menti angustiatæ, quæ sibi timuerit, etiam ubi nullus fuerit timor, quemadmodum de impijs qui huiusmodi timore afficiuntur scribitur, quòd fugiant nemine persequente. Sic arbitrantur Cainum perinde sibi timuisse, ne à quopiam occideretur, ac si passim, quocunq; locorum ueniret, inuenturus esset homines, & facimus quod patrauerat, iam omnibus esset cognitũ. Verùm ista cogitatio parum uidetur esse firma. Nam & Deus ipse uerbis Caini astipulať, dum legẽ ponit, ne quis Camũ occidat, nisi septuplam ultionẽ experiri uelit, cuius cõminationis sanè nulla erat ratio, si nulli erant in terra alij Adæ filij, præter Cainũ hunc & occisum Habelem. Poterat multo conuenientius dicere Deus: Quis est qui te inuenturus sit & interempturus, cum nemo mortalium iam sit in terra præter te & parentes tuos Adamum & Euam? quàm quod dixit, Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur, si solus Cain post parentes supererat. Rursus sunt, qui de bestijs intelligant, dicantq; Adamũ sibi non ab hominibus, sed à bestijs timuisse. Et hanc ob causam illi quod in Hebr. est כל מוצאי non in masculino legunt, Omnis qui imuenerit me, sed in neutro, Omne quod inuenerit me: Et sic quædã græca exẽplaria nõ habent πᾶς, id est, omnis: sed πᾶν, id est omne, & tamẽ in uerbis Dei nõ habẽt πᾶν, sed πᾶς ὁ ἀποκτείνας Cáïn. id est, omnis qui occiderit Cain. Et Iosephus dicit quod Cain timuerit, ne in bestias incidens periret. Verũ nec ista responsio satis bene conuenit cum eo quòd Deus legem posuit de non occidendo Caino, immo signum adiecit, cuius conspectu admonerentur omnes, ne quis manum inijceret in Cainum, quæ utiq; nulla ratione propter bestias facta esse dici possunt. Sunt qui dicant Cainum in hisce uerbis ad eos prospexisse qui ex Adamo adhuc nascituri erant, timuisseq;, ne ubi illi adoleuissent, futurus quisquam ex eis esset, à quo occideretur. Verùm meo iudicio nec erat præsenti lege opus propter eos qui nondũ erant nati, nec ratio erat mox signum illi imponere, quo redderetur tutus, si nemo tum erat, à quo quicquã periculi timeri posset. Respiciunt alij ad filias Adæ. Etenim natas fuisse illi filias, satis uel ex eo patet, quod statim infrà de eo legitur, quod Cain uxorem suam cognouerit, quam sororem ipsius fuisse necesse est. Verùm, ut dicã quid mihi uideatur, arbitror uerosimilius esse, ut sentiamus Adamum plures tum habuisse filios quàm Cainũ & Habelem. Quòd autem duorũ ipsorum duntaxat facta est mentio, factum esse hoc non ideo quòd soli, sed cùm quòd primi extiterint, tum propter memorabilẽ hanc historiam, & imaginem piorum et impiorum statim initio generis nostri in illis expressam. Etenim quis dubitet, genuisse Adamum post Cainum & Habelem non solum filias aliquot, sed adhuc etiam alios filios, interea dum duo illi primi ad uirilem ætatem adoleuerũt? Nec impedit hanc sententiam, quod nulli nominantur præter Cain, Habel, & Seth. Nominantur isti propter certas causas. Seth nominatur propter posteritatem piorum, quæ ex illo prognata est. Alias sequenti capite memoratur, genuisse Adamũ adhuc alios filios & filias, quorum tamẽ nec numerus, nec tempora, nec nomina assignantur. Cum nemine tamen hac de re contenderim. Dico simpliciter, quid mihi uerosimile uideatur, id quod & alij ante me fecerũt: aliorum esto iudiciũ. Scribit Augustinus alicubi contra Peligianos, fuisse qui dicerent Cainũ cum matre concubuisse & ex illa liberos suscepisse, propterea, quod scriptura nõ faciat mentionẽ filiarum, unde Caino dari potuerit uxor. Sic deuoluimur in pudendos errores, dum non satis cautè in sacris scripturis uersamur.

De natura & gratia cõtra Pelagianos cap. 38.

QVAESTIO III.

Quare noluerit Deus Cainum à quoquã occidi.

Dixitq; ei Dominus: Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.] Nascitur hic quæstio, quare noluerit Deus Cainum à quoquam occidi, cum esset iam ab ipso maledictus, excõmunicatus, ac proscriptus, deniq; propter tam atrox parricidij facinus omnium dignissimus, qui non semel, sed si fieri posset, septies occideretur. Ambrosius assignat huius rei causas aliquot. Dicit Deũ sic puniuisse Cainũ, ut primũ uindicta esset prolixior dum in metu degeret cõtinuo, & frustra terrã colendo

A multum laboraret, deinde ut admonerentur iudices, ne citò ad sumendam uindictam prorumperent, unde fieri posset, ut uel punirent insontes, uel sontes grauius æquo punirent irati: tertiò, ut locus esset pœnitentiæ, significaretuŕq́, nolle Deum mortem peccatoris, sed ut cõuertatur & uiuat. Possumus adhuc alias causas adijcere. Primùm, noluisse Deum rationẽ habere multiplicandi generis humani. Deinde, uerosimile esse, quòd ex Caina posteritate fuerint aliqui futuri, qui ad regnum Dei pertinerent. Tertiò, poscebat dispositio Ecclesiæ Dei per Sethi propagandæ, ut illi opponeretur Ecclesia malignantium, quæ ex Caino erat proditura. Quare sic erat puniendus Cain, ut & ultio de scelere illius sumeretur, & cursus posteritatis diuinitus destinatus, non mox in ipso capite amputaretur. Nõ erat statim extirpanda radix quantumuis amara, cuius fructus singulari consilio ad usum aliquem præcipuum destinabantur. Quod coercendum homicidij exemplum attinet, multo efficacius erat hoc prolixum ac diuturnum Caini supplicium ad incutiendum homicidij horrorem, quàm si statim mortis compendio seuei ac momentaneas pœnas dedisset.

OBSERVATIO I.

Et ait Dominus ad Cain, Vbi est Abel frater tuus?] Primùm obseruandum est, sic esse comparatũ Dominum, ut uigilanter obseruet, quæ iustis accidant in hac uita. Putabat se Cain necem fratris celare posse, si occideret eum seorsum in agro, ac parentum conscientiam falleret. Verùm ut postea expertus est, nõ potuit fallere oculos Dei ἀλοιμήτου, qui omnia omnium etiam occultissima speculantur. Obseruauit Deus quæ gererentur cum Habele, etiamsi de eo non cogitaret Cain. Sic cogitandũ nobis est, siue peccemus, siue ab impijs affligamur, uersari nos sub oculis Dei, omnia nostra indesinenter obseruantis. *Oculi Domini contẽplantur bonos & malos.*

Deinde uidemus hic Deum quærere de ijs qui perierunt. Quamuis illi nihil pereat, ne ij quidẽ, qui occidũtur (nam illi nemo moritur, sed omnes ei uiuunt. Luc. 20.) attamẽ quærit de illis, & hoc de eo scribitur, ut intelligamus Deum nolle quenquã suorũ perdere & amittere. Et hac in re magna proponitur consolatio fidelibus, qui in hoc mundo omnibus omnium sunt ludibrijs, contumelijs, & iniurijs exposiri: ac perinde occiduntur temerè, ac si neq́ in cœlo quisquã sit, neq́ in terra, qui uel tantillã habeat eorum rationẽ. Quare plurimũ seruitur deiectis animis, quòd inducitur Deus quærens de Habele occiso, ubi nam sit. Gaudent afflicti, si sentiant aliquos saltẽ esse, qui de ipsis quærant, & quid cũ ipsis agat scire cupiant. Quantũ quæso consolationis offerre potest fideli pectori, si credat Deũ ipsum de se quæsiturũ? *Quærit Dominus de ijs qui interierunt.*

Tertiò & illud considerandũ est, quòd non ad Adamũ, non ad Euam, nõ ad sorores, uel si qui fuerũt, fratres Abelis, sed ad ipsum fratricidã Cainũ dicit, Vbi est Abel frater tuus? De manu occisoris quærit occisum. Putabat Cain se probè liberari posse ab ea molestia, qua per fratris afficiebatur præsentiam, si eũ B occideret, & è medio tolleret: uerùm expertus est esse Deum, qui quærat de occisis. Senfit paratum esse iudicem omnibus illis qui oppressores sunt fratrũ & innocentum. Quis aũt satis expenderit, quanta sit omniũ tyrannorũ, & eorũ qui fratres & innoxios opprimunt, futura angustia, tremor & horror, quando uocem hanc Dei audient, interrogantis ac quærentis, ubi nam sint illi quos oppresserunt? Quare planè obcæcati sunt omnes Caini, dum se impunè laturos putant, quòd uim inferũt fratribus & insontibus, quasi non sint illorũ nomine unquã uocandi ad iudicium. Mortuus homo, inquiunt, nõ facit guerrã. Verũ est, sed in cœlo Dñs est qui sanguinẽ occisorũ de manu tyrannorũ quærit, & ꝓ mortuis loquit. *De manu occisoris quærit occisum.*

OBSERVATIO II.

Qui respondet, Nescio.] Obseruemus hic quoq́ animũ planè impium. Impius siue loquatur, siue affirmet aliquid, siue agat aliquid, ubiq́ sui similis est. Impius erat Cain offerendo, impius admonitionem Dei contemnendo, impius coram Deo mentiendo. Accidit subinde & pijs, ut hominibus mentiantur, quos arbitrant ut homines posse falli, at Deo mentiri haudquaquã sustinẽt, quem sciũt omniũ esse secretorũ cognitorẽ. Et Petrus nescire se quis esset homo ille respõdens, utiq́ mentiebatur: sed ancillæ, non Deo. Cainus à Deo interrogatus, ubi esset Abel frater, diserte mentitus est, dicẽs: Nescio, cum utiq́ ignorare nõ posset, ubi esset ille, quem iam recens occiderat. Itaq́ quemadmodũ iustus per gradus pietatis assurgit, ita impius per gradus impietatis perpetuò ad barathrũ perditionis descendit. Quàm sit aũt enorme, mẽtiri Deo, magis quàm mentiri homini, uidere licet *Act. 5.* in historia Ananiæ, ubi Petrus ad illũ dicit, Non es hominibus mentitus, sed Deo: quibus ille uerbis auditis, cecidit & expirauit, lucuiento declarans exemplo, quàm indigni sint qui uiuant, qui seũ De mentiendo fallere posse putant. *Impius ubiq́ sui similis, nõ uerebitur etiam Deo mentiri.*

OBSERVATIO III.

Num custos fratris mei sum ego?] Obserua, quale sit hoc genus fratrum. Non negat Cain, Habelẽ esse fratrẽ suum. Non dicit, Num custos ego sum Habelis? sed, Num custos fratris mei sum ego? quib. utiq́ uerbis cõfitetur agnoscere se Habelem pro fratre. Et tamen negat se illius esse custodẽ, hoc est, curam illius ad se pertinere. Nec erat simpliciter illius germanus, sed propter ius primogenituræ erat illius etiam dominus. Quare utroq́ nomine debebat illius gerere curam. Id non agnoscit, sed ad se pertinere negat. Tales fratres sunt omnes illi, qui sic fratres suos agnoscunt, ut tamen nulla illorum cura afficiantur, sed illud Cainicum, Quid ad me? perpetuò in corde habent, & in ore. Tales domini sunt, qui sua nõ interesse ducunt, quomodo habeant, qui fidei ac potestati ipsorum sunt concrediti, modò si quid ab illis expectatur emolumenti, inoffense expediatur. *De falsis fratribus.*

Deinde expẽde. Qui nõ solũ nõ custodierat, sed & occiderat fratrẽ, dicit: Num custos fratris mei sum ego? Parũ erat, non custodisse fratrẽ, nisi illũ etiã occidisset. Tales sunt hodie episcopi, qui reipsa negant ad se pertinere custodiam & pastum gregis Dominici, dum eum nec pascunt nec custodiunt: quibus id aliquo pacto ignosci posset, nisi etiam oues mactarent, ac perderent, in'que rapinam omnis generis *Parũ est, non curare, occidunt etiã quos curare debebant.*

bestijs traderent. Si graue iudicium manet eos qui ad curandum sibi concreditos non curant, quis satis expenderit, qua pœna digni sint, qui illos etiã occidunt ac perdũt? De hoc genere pastorũ uide Ezech. 36. ubi graphicè depinguntur. Reprehensi sunt nostra ætate grauiter à multis, quòd non pascunt oues sibi cõmissas, non obeunt munus episcoporum ac pastorum. Vtinam id saltem obtineretur, ne tyrannidem exercerent in grege Christi, ne sæuirent more luporũ, ne occiderent ac perderent fratres.

Fastus cordis impij.

Tertiò, obseruemus etiam in eo quòd non simpliciter dicit, Non sum custos fratris mei. sed insultando & stomachando, Num ego custos sum fratris mei? quis sit impij cordis fastus, imò quæ sit radix malí huius, quo percitus, manuum occisionis in fratrem iniecit. Succensebat, quòd de fratre ubi esset interrogabatur. Nam alioqui molestè ferebat, quòd sacrificium illius suo esset prælatum, cum ipse primogenitus esset. Id magnæ iniuriæ loco ducebat. Manebat alta mẽte reposita spretæ iniuriæ uictimæ, sicuti arbitrabat. Atq; ita hac insultatione non tam se fratri, quàm Deo ipsi succensere significabat. Etenim aduersus fratrem nõ habebat quod quæri posset. Non dicit, Num ego custos sum nebulonis huius, ac falsi fratris? sed, Num ego custos sum fratris mei? Quasi dicat: Quid est quòd tantopere de fratre interrogas? Quare is usqueadeò placet, ut ego illi cõparatus, sordeam? Sic manifestè rursus impij animi exemplum deprehendimus. quod imitantur illi, qui cũ nihil habeant quod de fratribus queranť, hoc uno offenduntur, quòd uident eos plusculũ habere gratiæ Dei, unde permouenť, ut de opprimẽdis illis cogitent.

OBSERVATIO IIII.

Quid fecisti? uox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.] Est hic locus diligenter consolationis grãtia omnibus afflictis notandus. Primũ quòd sanguini Habelis dat uocem, eamq; non tacitè mussantẽ, sed clarissimè clamantem. Sunt quidem sic comparati pij dum affliguntur ab improbis, & occiduntur, ut uelut ouiculæ cum silentio, nõ aperientes ora sua, proferant omnia, uerùm sanguinis illorũ, etiam in latebris effusus, latere nõ potest. Clamat aduersus improbos tam occisores quàm occisionis authores. Negabat Cain, uerùm sanguis effusus clamabat & accusabat. Sic quantumuis impij uel negent, uel dissimulent, uel excusent, tamen ipsa scelera eorum clamant & accusant.

Sanguis Habelis uocalis est. Rúffende súnde

Deinde, clamat ad Deum. Ad me, inquit, clamat. ubi obseruandum est, esse in Deo quædam, unde fit ut piorum & innocentũ sanguis, occisio uidelicet, ad illum clamare, id est, uindictam expetere dicatur. Vnum est, quòd ipse iudex est & uindex malorũ omnium. Quare quemadmodũ in regno quicquid iniuriarum & uiolentiæ infertur insontibus, rectè ad regem defertur, tanquã iudicem & ultorẽ. ita quicquid in toto terrarum orbe improbè ab iniustis ac reprobis aduersus iustos & insontes præsumitur, omnis illius malitia & iniustitia ad Deum iudicem & ultorem omnium pro uindicta clamat. Alterum est, quòd iusti ac pij peculiariter ad Deum pertinẽt, & in curam prouidentiæ illius sunt adscripti. Quare etiam hoc nomine sanguis Habelis ad Dominum clamabat. Sic uociferantur ad Deum omnia quæ pij in hoc seculo patiuntur. Persecutio fidelium, cui operam suam Paulus ante conuersionem impendebat, clamabat hac ratione ad Christum in cœlos, quod ad illum pertinet, quicquid fidelibus ipsius accidit in hoc mundo, siue beneficijs afficiantur, siue iniurijs lædantur & occidantur. Quare Saulo cœlitus acclamabat, dicens: Saule Saule, quid me persequeris? Sumus enim Domini, siue uiuamus, siue moriamur; illiq; uiuimus, illi occidimur & morimur. Horum admoneamur, dum audimus sanguinem Habelis clamasse ad Dominum. Alioqui sanguis effusus hominis occisi per se uocem non habet, imò nec organũ, nec spiritum uocis, quo clamare possit. Et hoc pacto intelligendũ est, quod Hebr. 12. de sanguine Christi legitur, quòd loquatur melius quàm sanguis Habelis. Dicitur sanguis Christi loqui, utiq; ad Deum, melius quàm sanguis Habelis, propterea quòd effusus est pro peccatis nostris, & uirtute illius Deo reconciliamur, dum propter mortem Christi condonantur nobis peccata, & in gratiam adoptionis recipimur. Quare non exposcit uindictam sanguis Christi, sicuti sanguis Habelis. Nisi contumelia illi inferatur ab ijs qui semel mundati relabuntur, & blasphemiam spiritui gratiæ inferũt. Contra illos durius etiam loquitur, quàm sanguis Habelis contra Cainum.

Non dicit, Spiritus Habelis clamat ad me in cœlo.

Tertiò, Clamat ad me, inquit, de terra. Poterat dicere, Spiritus Habelis fratris tui clamat ad me in cœlo. Nam nõ solũ sanguis Habelis fuerat effusus, sed & spiritus, & ille redierat ad eum qui dederat ipsum: uerùm maluit mentionem facere sanguinis, de terra ad se clamantis, quàm spiritus ad cœlestia recepti, ut & crudelitatem parricidij per uocem sanguinis fraterni exprimeret, & conscientiam parricidæ perstringeret, admonitam sanguinis fraterni, quem inter occidendum & effuderat, & effusum in terrã uiderat. Et simul admonemur nos, tantum non esse inter cœlum & terram interstitium, quo quæ in terra geruntur impediri possint, ne cœlos clamore suo reuerberent, & aures Dei percellant.

Cõsolatio ista nõ humano, sed ipsius Dei testimonio proponitur.

Quartò, nec illud transgrediendum est, quòd insignis ista piorum consolatio testimonio nobis nõ humano, sed ipsius Dei proponitur. Ipse Dominus dicit, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Poterat testimonium hoc uideri infirmũ, si alius quisquã diceret, Vox sanguinis innocẽter effusi clamat ad Dominũ. Iam, ne quid sit, unde hæsitemus, non homo quispiã, sed Deus ipse hac de re testificans inducitur.

OBSERVATIO V.

Contra hæresim Cainitarum ex Epiphanio.

Nunc igitur maledictus eris super terram.] Hanc sententiã Dei in Cainũ prolatã, qua maledictus pronunciatur, contra uæsaniã Cainitarũ obseruemus. Deus maledixit parricidã Cainũ, & inuẽti sunt homines, imò non homines, sed portenta quædã, quibus Cain iste dignus est uisus, quẽ laudib. deprædicarẽt, & ijs qui saluari cupiunt, capitis uice imitandũ proponerẽt. Hoc genus hominũ sectã cõstituerũt, quã propter autorem ueteres uocarunt Cainitas. De illis nõ grauabor annotare, quæ Epiphanius aduersus hæreticos libro

A libro primo scribit, Caiani, inquit, nominantur quidam, cognomine hæreseos huius sumpto à Caino. Hunc enim laudant, & patrem suum constituunt. Dicunt eum esse ex robustiore uirtute, ac cœlesti potestate. Quin & Esau, & Core cum suis, & Sedomitas ad illum referunt: Habelem uerò infirmiori uirtuti deputant. Illos autem omnes celebres habent, & pro suis cognatis. Gloriantur enim esse se cognatos Caini, & Sedomitarum, & Esau, & Core, ac dicunt eos esse perfectioris ac cœlestis scientiæ. Quare & factorem mundi huius sategisse quidem nugant, ut eos perderet: uerùm lædere eos nequiuisse, eo quòd absconditi sint ab eo, ac translati in mundum supernum, unde fortis sit uirtus, & à sapientia, tanquam illius proprij, assumpti. Et Iudam ista accuratè agnouisse dicunt. Nam & hunc cognatum suum esse uolunt, & excellentem illi scientiam adscribunt, sic ut & opusculum sub illius nomine circumferant, quod Euangelium Iudæ uocant. Et nonnulla alia quoq; scripta aduersus inferiorem uirtutem cõmiscuntur, quo nomine cœli ac terræ factorem appellant. Dicunt etiam, fieri non posse, ut saluetur quisquam, nisi cuncta pertranseat: quemadmodum & Carpocrates dicit. Nam quisque illorũ, uelut ob hunc prætextum, dum infanda facit, et turpia designat, omnisq; generis peccata perpetrat, cuiusq; angeli nomen inuocat, cùm eorum qui sunt angeli, tum quos ipsi comminiscuntur, atq; unicuiq; illorum aliquod sceleris ex peccatis quæ fiunt in terra deputant, & sic factum quisq; suum ad nomẽ cuius uult angeli refert. Et dum ista faciunt, sic dicũt, O angele N. utor nunc opere tuo. O potestas N. facio iam tuum factum. Et paulo pòst, Et peruenit iam ad nos libellus, in quo uerba quædã iniquitatis plena, sic habentia, confinxerunt. Hic est angelus qui Mosen cæcum reddidit: Et hi sunt angeli qui Core, Dathan, & Abiron absconderunt & transtulerunt. Item aliud quoddam scriptum sub nomine Pauli apostoli fingunt, plenum obscœnitatis, quod Pauli ascensum uocant, occasionem usurpantes ex eo quod Apostolus ad tertium usq; cœlũ ascendisse se, & arcana uerba audisse dicit, quæ homini loqui non liceat. Et hæc, inquiũt, sunt arcana illa uerba. Et addunt, uirtutes illas superiores & inferiores cõmixtas fuisse cũ Eua, & Cainum genuisse & Habelem, sic ut Cain superioris, Abel uerò inferioris sit uirtutis filius. Deniq; Adamũ & Euam à talibus uirtutibus, uidelicet angelis, esse factos. Et natos pueros Cainum & Habelem inter se cõtendisse, & eum qui à fortiore erat uirtute progenitus, occidisse eum qui ad infirmiorem uirtutem pertinebat. Et dum fabulosa ista docent, ad decipiendum eos qui obaudiunt, annectunt illiciendi gratia, ac dicunt, oportere unumquemq; hominem fortiorem sibi ipsi eligere uirtutem, & ab inferiore discedere: hoc est, ab ea quæ cœlum & carnem, & mundum condidit, & transcendere ad suprema per crucem

B Christi. Propter hoc enim, inquiunt, è supernis aduenit, ut in ipso fortis uirtus impleatur, & trophæũ aduersus infirmiorem acquirat, & corpus suum tradat. Et alij quidem ex illis ad hunc modum: alij uerò aliter dicunt. Sunt enim qui Christum eo quòd malus esset, ac legem subuertere uellet, à Iuda traditum fuisse dicant. Laudant namque Cainum, & Iudam, ac dicunt: Hanc ob causam tradidit eum, quòd quæ bene docebantur, destruere uolebat. Alij ex ipsis, Nequaquam, inquiunt, sed quoniam bonus erat secundum supercœlestem scientiam tradidit eum. Sciebant enim principes, quòd si Christus cruci traderetur, infirma ipsorum uirtus euacuaretur. Et hoc cum cognouisset Iudas, sategit, & omnẽ lapidem mouit, quo traderet eum, atq; ita opus saluti nostræ commodum peregit. Hæc ex Epiphanio huc transferre uolui, non ad id solum respiciens, ut admiremur insignem hanc uaſaniam, sed ut malitiã sataną obseruemus, cõdoleamusq; communi mortaliũ generi, impostura diabolicæ obnoxio: ac simul admoneamur, quid nobis quoq; possit accidere, si neglecta sacra scriptura quorumuis curiosorũ hominum somnijs aures præbere uoluerimus. Quanta uerò sit infelicitas eorum qui à Deo super terram maledicuntur, uidere est Deut. 28.

OBSERVATIO VI.

Quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinẽ fratris tui de manu tua.] Obseruanda est ista prosopopœia, qua telluri tribuitur os ad suscipiendum sanguinem effusum. Hoc loquutionis genere grauitas sceleris in conscientia peccatoris exprimitur: quæ tanta sit, ut ipsam creaturam reddat inimicam & infensam. Ipsa terra, inquit, quæ ore aperto sanguinem fratris tui de manu tua suscepit, habebit te, p execrabili. Si cogitemus peccaturi, Cœlũ aperit oculos suos, & uidet operum tuorũ iniquitatem, ideoq; tibi infensum erit perpetuò: nõ poteris amplius hilari uultu faciem illius intueri. Aer aperit aures suas, & audit mendacia, blasphemiam, turpitudinem uerborum tuorum, ac detestabitur te, erit que inclementior in te perpetuò. Huiusmodi cogitatio ad hoc facere potest, ut à studio peccandi cohibeamur. Versamur in medio elementorum ac creaturarum Dei, quæ licet nec aures habeant, nec oculos, nec sensu actorum nostrorum afficiantur, conuenientius tamen est, ut ex conuersatione nostra nihil accipiant impuritatis, unde, si sensata essent, offendi possent. Qui sic animati sunt, ubicunq; locorum degant, puritati uitæ studebunt: & quoniam didicerunt reuereri elementa surda, cæca & insensata, ne temerè in illis uiuentes peccent, multo amplius conscientiam Dei reuerebuntur, omnia non manifesta tantum uidentis & audientis, sed & occultissima cognoscentis.

Quod telluri os datur, quoſanguinẽ effusum susceperit.

OBSERVATIO VII.

Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.] Rursus uidemus sterilitatẽ terræ deputari peccatis coleutium illam, quemadmodum & suprà capite præcedenti uidimus. uide etiam psal. 107.

Deinde obseruandum est, quòd terræ adscribit uirtus & efficacia. Nam in Hebræo sic legitur, Nõ addet uirtutem suam tibi. Est quidem omnis fructificandi efficacia & uirtus, propriè ipsius opificis, sic ut terra non habeat actiuam fructificandi uirtutem, sed magis passiuam, uel si mauis instrumentalẽ: uerùm sic loquitur spiritus S. ut discamus non contẽptim uti instrumentis diuinæ uirtutis & operationis. Dei est uirtus, qua sol splendet, terramq; passim illustrat, qua ignis calefacit, urit, purgat, & consumit,

Sterilitas terræ, deputatur peccatis nostris.

Terræ adscribitur uirtus & efficacia.

qua

qua aer cuncta quasi uiuificat ac conseruat, qua aqua humectat & irrigat, terra fructus profert. Is enim operatur omnia in omnibus. Sol, ignis, aqua, terra, aer, seruilia sunt elementa & instrumẽta diuinæ uirtutis, inefficacia per se, nisi quantum uirtute Dei motu aguntur uel continuo, uel interrupto, uel mutato, pro ipsius uoluntate cuncta disponentis ac gubernantis. Vbi dicit, Germinet terra, & proferat fructus suos, uirtute uerbi huius terra efficax redditur ad fructificandum. Contrà, ubi dicit, Non det terra amplius fructus suos, non habet illa unde fructificet, sed quasi arida & inanis sterilescit. Quare ubi sterilitatem telluris experimur, non hæreamus in defectu naturæ considerando, sed cogitemus Deum esse, qui nobis uirtutem suam propter peccata nostra deneget, atq; ideo uterum telluris infœcundũ reddat.

Opus hominis et uirtus terræ iunguntur.

Tertiò & illud obseruandum est, quòd non simpliciter dicit, Non dabit tibi fructus suos: sed præmittit, Cum operatus fueris terram: ac tum subijcit, Non dabit tibi fructus suos. Videmus hic coniungi opus hominis terram operantis & colentis, & uirtutem terræ, ex hisce duobus prouenire fructuum fœcunditatem, si adsit benedictio Domini: secus, si sint maledicti qui terram operantur. Quare nihil est qui plantat & rigat, nisi accesserit incrementi uirtus, quæ ex Deo est. Cain erat agricola, & quamuis ista esset aliquandiu expertus, haud tamen futurum cogitauit, ut terram experiretur sterilem, adeoq; illam inefficaciter ac frustra coleret, si parricidio Deum sibi redderet infensum, & terram sanguine fraterno rigaret. Digni essent hodie quoq;, qui telluris sterilitatem experirentur, quotquot illam sanguine innoxio humectant. Quòd autem illis fructus suos terra subinde non denegat, ad singularem est diuinæ gubernationis dispensationẽ, qua solem suum producit super bonos & malos, &c. non ad iustitiæ Dei immutationem, referendum.

OBSERVATIO VIII.

Considerandum iudiciũ Dei contra occisores innocentum.

Vagus & profugus eris super terram.] Suprà in quæstione huius loci quædam sunt annotata, quæ hic considerari possunt. Nosin exemplum hoc iudicij Dei figamus mentis oculos, quoties tyrannos, homicidas, parricidas, & fraterni sanguinis oppressores in hoc mundo regnare, nihilq; minus quàm uagos & profugos esse, sed firmis ac stabilibus sedibus consistere uidemus. In hoc præsenti exemplo uidemus, quod sit eorum iudicium coram Domino. Quòd si illi non subijciuntur in oculis nostris, non est quòd Deum res mortalium negligere putemus: sed cogitandum est, licet iustitia illius aduersus impios acre probos immota maneat, perinde ac bonitas erga pios ac iustos, dispensationem tamen illius rationibus diuinæ sapientiæ nobis inscrutabilibus esse subiectam: quibus fit, ut non omnes Caini & parricidæ ad exemplum prioris uagi ac profugi reddantur in terra, sed firmi, ac uelut radicati esse sinantur, donec uniuersali omnis carnis iudicio infelicissimi subijciantur. In primo Caino, tanquam reliquorum succedentium capite ac principe, per diuini iudicij sententiam declaratum est, & exemplo illustri propositum omnibus, quo loco sint coram Deo omnes qui uestigia illius sequuntur, & odia fraterna exercent, quidq; de illorum sorte cogitandum sit ijs, qui oculos habent, ad exempla iudiciorum Dei obseruandum. De primis Sedomitis sumptum est horrendum supplicium. Magna est illorum posteritas inde ab illorum tempore ad nos usq;, attamen non uidemus eos perinde atq; primos igne cœlesti conflagrare ac consumi. Cogitabimus ne immutatam esse pristinam iustitiam Dei, malos punientis, & iustos conseruantis? Nequaquam. Mundus cum primùm esset in uniuersa carne corruptus, diluuio est punitus. Post primam illam corruptionem sequuta est non minor, sed decuplo maior. At de nullo interea catholico diluuio mundi spurcitiem repurgante legimus. Dicemus ne ideo immutatum sic esse Deum, ut nó perinde succenseat corrupto mũdo sicut olim? Absit. Primus tyrannus populi Dei oppressor fuit Pharao. Horrendis ille supplicijs cum suis expertus est, esse Dominum Deum populi sui uindicem & asserorem. Sequuti sunt Pharaonem primũ hunc hostem populi Dei quàmplurimi Pharaones. Non aute legimus quòd omnes consimili sint pœna diuinitus percussi. Mutatus ergo Deus est? Haudquaquam. Conspiratio Chore, Dathan & Abiron, qua contra Mosen insurrexerant, terræ est hiatu absumpta & absorpta. At multum seminis post se reliquit, quod etiamnum cõtra Deum & illius ministros erigitur, quod tamen nullo tali amplius punitur exemplo. Ergo ne Deus non succenset amplius factiosis & rebellibus? Absit, ut hoc dicamus. Dum ista consideramus, palàm fit ac manifestum, posuisse Deum singularia quædam iustitiæ ac iudiciorum suorum exempla, ad hoc, ut manifestum fiat, non negligere res mortalium, nec placere sibi quæ malè aguntur in terra, etiamsi nõ pariformiter in malefactores animaduertat: sed esse constitutum catholicum aliquod iudicium, in quo de cũctis malefactoribus sumenda sit uindicta. Et ex hoc fonte est locus ille 2. Pet. secundo, ubi sic legimus, Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos tradidit in tartarum cruciandos, & in iudicium reseruandos, & originali mundo non pepercit, sed Noah octauum, iustitiæ præconem, custodiuit, cum diluuium mundo induceret, ciuitatesq; Sodomorum & Gomorrheorum in cinerem redigens euersione damnauit, exemplum eorum qui impiè acturi sunt ponens, & iustum Loth oppressum à nephandorũ iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit, &c nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos uerò in diem iudicij cruciandos reseruare. Videmus in hisce quoque uerbis iudicia illa Dei, quibus sumpta est ultio de primarijs peccatoribus, angelis & hominibus, non fuisse uniuersalia, sed exempla quædam iustitiæ Dei, ũniuersale illud iudicium præcurrentia, ad quod reliqua peccatorum fex per dẽda reseruatur, unde pij intelligere debeant, sic esse comparatam iustitiam Dei, ut omnino perditura sit impios, ac pios conseruatura, etiamsi mundo huic diuersum appareat.

OBSER-

OBSERVATIO IX.

Maior est iniquitas mea, quàm ut uéniam merear.] Vide hic exemplum animi de misericordia Dei desperantis. Quàm graue concepisset ac parturiret peccatum, non sustinebat agnoscere cum de illo admoneretur à Deo. Deinde post perpetratum facinus cum de Habele quæreretur, negabat se scire ubi esset: immo stomachando, An ego sum, aiebat, custos fratris mei? Iam ubi iniquitatem suam manifestam esse audit, sic ut negare nequeat, non dicit: Magna est iniquitas mea, ignosce Domine: sed de uenia desperans, Maior est, inquit, iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Consideremus opus satanæ in isto desperationis exemplo. Vbi peccaturus erat miser, & ad parricidium à satana adigebatur, nulla erat cogitatio de magnitudine iniquitatis, sed egregius diuinæ admonitionis contemptus: immo dubio procul sic erat excæcatus, ut iustè se facturum arbitraretur, si Habelem occideret, & acceptam sacrificij sui repulsam cum in Deo non posset, saltem in illo ulciscereturr. Non cogitabat hic: Si occideris fratrem, maior erit parricidij huius inquitas, quàm ut remitti queat. At huiusmodi cogitatio cohibuisset animum odio fratris percitum, à parricidio. Quare studiosè cauit satan ne quicquam illi de magnitudine peccati huius in mentem ueniret, priusquam conceptum animo facinus perpetrasset. Vbi uerò post occisum fratrem arguebatur à Deo, non impediuit quominus agnosceret commissi grauitatem, immo illud in animo eius usqueadeò exaggerauit, ut uideretur nulla illius speranda, nedum petenda remissio, atq; ita infelicem ad desperationem adegit, quem ante peccatum reddiderat prorsus cæcum & diuinæ admonitionis contemptorem. Hæc erat malicia satanæ, uis & efficacia, in primogenito parentum nostrorum, cuius exemplum ad hoc est diligenter obseruandum, ut nequitiam communis hostis nostri diligenter inspiciamus & cognoscamus. Sic periit Iudas quoq; Christi proditor. Et illum satan ante perpetratam proditionem sic reddidit cæcum ut nullis posset admonitionibus Christi ad meliorem mentem reuocari. Postea uerò, cum Christum prodidisset, sic illi peccati magnitudinem & enormitatem ob oculos exposuit, ut de uenia desperans, laqueo sibi ipsi mortem consciscret. Nouit autem improbissimus hostis adeò esse abundantem clementiam & misericordiam Dei erga peccatores remissionem delictorũ suorum ex animo petentes, ut nullum sit tam enorme facinus, si accesserit peccari confessio, & ueniæ implo ratio, cui non clementer per infinitam illã bonitatẽ Dei ignoscatur. Nouit se quoq; nõ perire peccatorum enormitate, sed incorrigibili obstinatione, & gratiæ desperatione. Quare quacunq; potest ratione primùm securos ad peccandum reddit eos quos tenet captiuos: deinde ubi peccatum est, in barathrum
B desperationis ac perditionis impellit, ne peccatorum remissionem æternæ mortis sententiam euadant ac saluentur. Et nostro seculo horrenda uidimus exempla eorum qui ubi cognitam Euangelij Dei ueritatem, nescio quibus tentationibus inducti negarunt, & ad partes aduersariorum defecerũt, tandẽ sensu peccati tam enormis tacti prorsus desperarũt, & in desperatiõe horribiliter ex hac uita discesserunt.

Exemplũ animi de misericordia Dei desperantis.

Considerandum opus satanæ.

Iudas proditor.

OBSERVATIO X.

Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero uagus ac profugus in terra. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.] Considera imaginẽ hanc conscientiæ perturbatæ, perculsæ & anxiæ, quomodo desolatam se ac destitutã omni præsidio sentiens metu mortis diuexetur. Sensum desolationis ac desertionis exprimit, cũ dicit: Ecce eijcis me hodie à facie terræ huius, & à facie tua abscõdar, & ero uagus ac profugus in terra. Metum mortis habent quæ subiungit. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Hæc duo incredibilem generant angustiam in animo impij hominis, sensu iudicij Dei presso: qua in re uidere licet admirabilem metamorphosim, si ea considerentur, quæ iudiciũ Dei præcesserunt. Cain hic multum mutatus ab illo qui prius fuerat, antequam in iudicium Dei uocaretur, animo erat arroganti, præsumenti, & usq; adeò confidenti, ut nec diuinæ Maiestatis monita, nedum parentum suorum alicuius faceret. Suoipsius iudicio magnus erat, diues erat, fortis ac potens erat, sapiebat egregiè, præsumebat omnia, nullius indigus, nullius timori subditus, aliorum dominus & oppressor, sibi ipse arbundè sufficiens ad omnia. Talis erat Cain ante perpetratum parricidium, & acceptam condemnationis sententiã. Nunc uerò usqueadeò perturbatus, abiectus, anxius, mentis inops, & mortis metu perculsus apparet, ubi sensu desolationis ac desertionis tactus est, ut undiq; passim & ubiq; meritam mortem metuat, quam non metuebat, cum eam fratri per iniuriam inferret. Metamorphosis ista peculiaris est impijs, arrogantibus, ac cruentis tyrannis, qui nec diuina nec humana curantes, omnibus tetrori esse gaudent. Illi postquam propria libidine satis diu turbarunt omnia, uisiq; sunt nec Deum timere, nec homines, ac sanguinem humanum uelut aquam crudelissimè effuderunt, tandem iudicio Dei correpti sentiunt se omni & diuino & humano præsidio destitutos, & cunctis mortalibus exosos factos, reddunturq; usqueadeò meticulosi & anxij, ut omnia etiam tuta timeant, ab omnibus sibi metuant etiam cognatis, amicis, familiaribus, ac proprijs pignoribus, nihilq; aliud omnibus horis, immo momentis, in animis suis uoluant, quàm hunc meritæ mortis metum ac pauorem, quem in corde suo experiri se Cain satis diserte testatus est, dicens: Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.

Imago conscientiæ perturbatæ, perculsæ & anxiæ.

Metamorphosis impiorum.

Huic imagini oppone animum hominis pij, in timore & obseruantia erga Deum, amanter ac placidè erga homines uiuentis, modestè & humiliter de seipso sentientis, diuinæ prouidentiæ curam in omnibus sibi necessariam agnoscentis, nulla mortalium officia spernentis, bona cum conscientia in hoc mundo erga quosuis conuersantis. Huiusmodi animus, etiam si ambulandum sit in umbra mortis, & inter exteros, in exilijs, in solitudinibus inter bestias uiuendum, haudquaquam dictus est cum Caino, Ecce eijcio à facie patriæ meæ, & abscondor à facie Dei, ero que in terra uagus

Imago hominis pij, in aduersis.

uagus & profugus, & quisquis inuenerit me, occidet me: sed potius ad hunc modum, Etiamsi migrandum sit in exilium, uiuendumq; inter incognitos, & sedibus incertis oberrandũ, scio tamen Domini esse terram ac plenitudinem eius. Quocunq; uenero, non destituar præsidio Domini Dei mei, nec est ut mihi à quoquam timeam. Si ambulauero in ualle umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu Domine mecum es. Ecce quantum discriminis sit inter animum hominis pij & fidelis, & animũ impij & infidelis. Quare curandum nobis est, ut sub præsidio diuinæ prouidentiæ syncera fide, animo grato, & bona cum conscientia erga quosuis uiuamus, ne necesse sit experiri aliquando quanta sit miseria in sensu hoc negati præsidij cùm diuini tum humani.

OBSERVATIO XI.

Studium Dei in coercendis homicidis.

Dixitq; ei Dominus, Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.] Primùm obserua studium Dei in coercendis homicidijs. Dignus quidem erat Cain, qui acerbissimo mortis genere occideretur, & in quem omnes & homines & bestiæ conspirarent: uerùm illam ataxiam ferre nolebat in humano genere, ut cuiuis liceret pœnas sumere de Caino, & sanguinem fundere hominis, etiam sontis & multis mòdis mortem meriti, sine ipsius uerbo. Quare uitam hominis tam iusti quàm iniusti uoluit esse in sua potestate, non in arbitrio humano. Ne autem impunita manerẽt homicidia, legem tulit post diluuiũ, cuius autoritate occidat, quisquis hominẽ occiderit. Et illius executionẽ postea mandauit magistratibus, quibus gladium uindicem & ultorem malorum commisit. Quòd itaq; dicit, Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur, etiam hodie firmum esse debet, respectu non magistratus, sed priuatorum, ne quis suopte arbitrio, siue in propria siue aliena causa gladium uindicem aduersus malos usurpet, etiamsi non sit certus aliquis constitutus magistratus, quemadmodum tum habebant res humanæ, cum ista agerentur, nedum ubi habentur & leges & magistratus. Vbi magistratus constitutio desideratur, permittenda sunt supplicia reproborum diuinæ ultioni, sicuti hoc in loco factum uidemus. Cæterùm ubi magistratus legitimus habetur, is tanquam minister Dei gladio quem accepit animaduerterit in sontes: nec quisquam est mortalium, qui legitimi gladij uindictæ non debeat esse subiectus, si malè egerit. qua de re uide Apostolum Rom. 13. Quare grandis est impudentia ac temeritas Romanorũ pontificum, qua se potestati magistratus legitimi sic exemerunt, ut quicquid peccent, à nemine tamen iudicari puniriq; debeant, nisi à solo Deo. qua de re uide Epistolas Anacleti papæ, & Dist. 40. cap. *Si Papa*: cum tamen Chrysostomus super epist. ad Rom. 13. manifestè testetur, gladio magistratus uniuersum omnes subiectos esse mortales, etiam ipsos Prophetas & Apostolos, nedum fictitios illos Apostolorum successores, ac ueri apostolatus subuersores. Egregia sanè prærogatiua, quam filijs suis Deus non concessit, nec Prophetis nec Apostolis, nec Christus ipse usurpauit, quamuis omnium sanctiss. & innocentissimus: concessam uerò hic legimus impio & infelicissimo Caino, quem suo iudicio Dominus reseruauit. Habebant hanc Romani pontifices fratrum oppressores, communem cum Caino, immo & ipso satana quem Deus suo reseruat iudicio, in sempiternum puniendum, si ita præclarum, ac Romana sede dignum uidetur, non subijci ordinationi Dei, sed iudicio illius reseruari.

Bonitas Dei.

Deinde & illud est ad laudem excellentiss. bonitatis Dei obseruandum, quòd hisce uerbis anxietatẽ ac metum hominis impij ac parricidæ mitigare uoluit. Quid non sperabunt à Deo pij, quando ne impios quidem ubi anguntur, consolatione prorsus priuare sustinet?

OBSERVATIO XII.

Singulare signũ, quo assecurãtur qui malè egerũt

Posuitq; Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui inuenisset eum.] Expende hoc signi genus, quo homo parricida & impius assecuratur, ne pro meritis suis à quolibet occidatur. Parum honoris habet hoc signi genus. Longè honestius signum est uitæ innocentia, quo pij ac fideles signantur. Sunt in Ecclesia aliquot signatorum millia, qui & ipsi signa acceperunt, cucullas uidelicet, lõgas stolas, & rasos uertices: quorum respectu sic assecurantur, ut licet scortentur, adulterentur, inebrientur, & omnis generis flagitia designent, nemini tamen manus in illos iniicere liceat. Vide 17. Quæst. 4. Can. Si quis suadente diabolo huius sacrilegij uitium uel crimen incurrerit, quòd in Clericum uel Monachum uiolentas manus iniecerit, &c. Habent & Iudæi suum peculiare signum, quo uiso cognoscuntur quòd Iudæi sint, & impunitate Cæsarea seruantur.

Egressusq; Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra, ad Orientalem plagam Eden. Cognouit autem Cain uxorem suam, quę concepit & peperit Enoch, & ædificauit ciuitatem, & uocauit nomen eius ex nomine filij sui Enoch. Porrò Enoch genuit Irad, & Irad genuit Mauiael, & Mauiael genuit Mathusael, & Mathusael genuit Lamech. Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella. Et genuit Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentorijs, atq; pastorum. Et nomẽ fratris eius Tubal. Ipse fuit pater canentium cithara & organo. Sella quoq; genuit Thubalcain, qui fuit malleator & faber, in cuncta opera æris & ferri: soror uerò Thubalcain Noema. Dixitq; Lamech uxoribus suis, Adę & Sellæ

A & Sellæ, Audite uocem meam uxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: quoniam occidi uirum in uulnus meum, & adoleſcentulum in li uorem meū. Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech uerò ſeptua gies ſepties.

LECTIO.

Habitauit profugus in terra.] Hebr. eſt בארץ נוד, uoculam נוד alij uertunt, alij non uertunt. Significat uagum & profugum. Vertit uulgatus iſte interpres, dicens, Habitauit profugus in terra. Et Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis dicit, Non eſt terra Naid, ut uulgus noſtrorum putat: ſed expletur ſententia Dei, quòd huc atq; illuc uagus & profugus oberrauit. Vertit etiam Tigurina. Non uerterunt, primùm Septuaginta, deinde & Pagninus, & Monſterus, & Germanicus interpres. Neq; meo iudicio uertenda eſt hæc uox, נוד, ſed legendum, Et habitauit in terra Nod. Nam Moſes nō narrat hic, quòd profugus fuerit Cain, ſed ubi poſt eiectionem habitauerit, nidelicet in terra Nod. Aliàs uerbum habitandi, & uox profugij non bene conueniunt hoc loco. Et Ioſephus legit, Collocatus in loco qui Naida nuncupatur. Hæc autem terra Nod, non habebat id nominis antea, ſed demum ſic eſt uocata propter Cain Nod, id eſt uagum ac profugum, ut terra Nod ſit terra uagi ac profugi, eo quòd in illa habitauit.

Ad Orientalem plagam Eden.] Hebr. eſt קדמת ערן. Hoc eſt, uerſus Eden. Sic & Græc. *κατοικουντι ἑδὼμ*, id eſt, è regione Edom. Craſius autem eſt quòd pro Eden poſuit Edom: cum Eden ſit locus & regio paradiſi, Edom uerò habitatio poſteritatis Eſau. Tolerabilius eſt quod Chryſoſtomus legit, Edem. Onkelos Chaldæus, Quæ culta fuerat per eum iuxta hortū Eden. Alij, ut Pagninus, & Tigurina, & Monſterus, conſentiunt hic cum uulgata lectione.

Enoch genuit Irad.] Hebr. eſt עירד. Græcus uertit *γαϊδαδ*. Quis autem non uidet, quàm diuerſæ ſint hæ uoces, Irad & Gaidad? Interpres græcus legit literam ain ע per gain, ſicuti hodie quoq; plerique ſolent. Deinde huic literæ punctum non hirek, ſed pathah ſubiecit. Tertiò pro litera res ר, legit daleth ד: atq; ita legit pro Irad, Gaidad. Sic & uocem מחוריאל corrupit, legēs *μαλελεηλ*. Suſpicor primū Iamda poſitum eſſe pro litera χ chi, loco ה, & ſecundum pro ר uaf. Et in uoce מתושאל, quam reddidit *μαθουσαλα*, pro אל in poſtrema ſyllaba literis tranſpoſitis poſuit la, quod factum non ab interprete, qui dubio procul legit *μαθουσαηλ*: ſed uitio ſcriptorum tandem accidiſſe puto.

B *Et paſtorum.*] Hebr. eſt ומקנה, id eſt, & pecoris, & iumenti, & peculij.

Et nomen fratris eius Thubal.] Hebr. eſt ושם אחיו יובל, Iubal. Sic legunt & Septuagiuta, *ἰωβάλ*. Et Ioſephus habet Iubal.

Canentium cithara & organo.] In Hebræo eſt תפש כנור ועוגב. Græcus uertit *ψαλτήριον καὶ κιθάραν*. Sic habet & Ioſephus.

Sella quoq; genuit Thubalcain.] Græcus legit tantum *τὸν βόβελ*, omiſſo cognomine Cain. Verùm arbitror id quoq; ſcriptorum eſſe uitio factum: qui ubi repererunt *βοβελκαΐν*, pro *καΐν* poſuerunt *καὶ λίν*, id eſt, Et erat *σφυροκοπος*.

Septuplum ultio dabitur.] Hebr. eſt יקם. Græcus legit in præterito *ἐκδεδίκηται*, id eſt, ultio ſumpta eſt. Et illud, Quoniam occidi uirum, &c. Pagninus legit, Si uirum occidero. Et Monſterus, Si uirum occidi. Et Onkelus Chaldæus habet, Non occidi uirum.

EXPLANATIO.

Egreſſuſq; Cain à facie Domini.] Quæ hoc contextu habentur, ad poſteritatis Cainæ deſcriptionem pertinent, quam Moſes præcedentibus ordine ſubijcit, ut poſtea generatione hac impiorum relicta, ad hiſtorias ac poſteritatem piorum progrediatur. Primùm autem paucis cōmemorat, quò Cain poſt acceptam condemnationis ſententiam profugerit, & ubi ſedem fixerit. Egreſſus, inquit, Cain à facie Domini habitauit in terra Nod uerſus Eden. A facie Domini egreſſus dicitur, quando egreſſus eſt locum habitationis patriæ, ubi Dominus Adæ ac filijs eius apparere ac loqui conſueuerat, & iam cū ipſo Cain ego egerat, ubi illi etiam ſacrificare & uictimas afferre ſolebant. Nam facies Dei in ſcripturis loco habitationis eius tribuitur, ubi ſcilicet à pijs colitur & inuocatur, ſedesq; conſtituta eſt nomini eius. Sic Dauid pſal. 42. cum deſiderium ſuum erga tabernaculum Dei quo in exilio conſtitutus flagrabat exprimeret, dicebat: Sitit anima mea ad Deum, ad Deum uiuum, quando ueniam & apparebo ante faciē Dei? Quòd autem de tabernaculo Dei loquatur, ex ipſo hoc pſalmo, & ſequenti 43. ſatis liquet. Poteſt autem & hoc ſenſu Cain à facie Dei egreſſus intelligi, quòd mox poſt colloquium cum Deo habitum in exilium abierit: perinde ac ſi quis accepta ſententia ex ore regis, ad executionem illius diſcedat, ut de eo dici poſſit, quòd egreſſus à facie regis mandatum acceptū adimpleuerit. Sic de ſatana Iob primo & ſecūdo legitur, quòd poſt colloquium cum Deo de probitate Iob habitum, accepta iam poteſtate affligendi eum, egreſſus ſit à facie Domini, & Iobū affligere cœperit. Sic poteſt & hic ſimpliciter de Caino intelligi, quòd à facie Dei egreſſus in terra Nod habitauerit.

Illud, Ad Orientalem plagam Eden, cum in Hebræo ſimpliciter ſit קדמת ערן, id eſt, uerſus Eden, non exprimit qua plaga, Orientali ne uel ex reliquis tribus alia quapiam uerſus paradiſum habitauerit. Poſſet id fieri, ſi de terra Nod & ciuitate Henochia à Caino extructa, certi quicquam conſtaret: id quod difficillimè oſtendi poſſe puto, propter uaſtationem diluuij, quomodo omnia ſunt prioris mundi

monumenta turbata & obsoleta. Malim tamen harum rerum peritiores audire, quàm aliquid temere asserere.

Operã dedit posteritati.

Cognouit autem Cain uxorem suam, quæ concepit & peperit Enoch.] Postquam discesserat Cain à facie Dei, habitaretq; iam in terra Nod, à domo paterna exclusus & alienatus, cœpit operam dare posteritati. Etenim quamuis indignus esset uita, nedum posteritatis benedictione, quia tamen singulari consilio Dei beneficio uitæ potiebatur, non sunt illi adempta quæ ad seminis propagationem requirebantur. Sic permissum illi est ut haberet uxorem, illam secum abduceret in exilium, cognosceret, & prolem ex ea susciperet.

Vnde habuerit uxorem.

Non potuit autem aliunde habere uxorem, quàm ex sororibus, filiabus Adæ. Quam sunt qui negant Cainum sororem suam duxisse in uxorem. Nec matrem, inquiunt, nec sororem, sed unam ex cognatis duxit in uxorem. Oro autem, unde fuerit illa cognata progenita? Si demus ante Cainum fuisse Adæ filios, è quorum filiabus Cain aliquam duxerit in uxorem, quæritur unde fuerint illæ progenitæ, nisi ex filiabus Adæ & Euæ, quæ mater est omnium uiuentium? Si non potuerunt aliunde nasci, ergo necesse est filios Adæ sorores suas duxisse in uxores, & ex illis, quando aliter fieri nõ potuit, genus humanum multiplicare cœpisse. Si hoc dicturi sumus, quid impedit, quo minus de Caino primogenito Adæ sentiamus hoc loco, quod sororem loco uxoris habuerit? Iudæi scribunt de duabus Adæ filiabus, quarũ alteram Calmanam Cain, alteram Diboram Habel in uxorem duxerit. Sic incerta certis iunguntur. Quod uxor Cain ex sororibus illius fuerit, prorsus est irrefragabile: quod autem dicta fuerit Calmana, non uideo unde probari queat. Neq; operæprecium est de illo quicquam statuere. De nomine Henoch primogeniti Caini dicemus in obseruationibus.

Et ædificauit ciuitatem, & uocauit nomẽ eius ex nomine filij sui Enoch.] Dubio procul plura sunt gesta Caini quàm quod ciuitatem ædificauit, & plures etiam liberos ex uxore sua sustulit quàm unum hunc Henoch, qui memoratur. Verùm quoniam ea quæ Cainum ac posteritatem eius concernunt, nõ admodũ ad scopum historiæ huic præfixum faciebant, uisum est Mosi absoluere illa, tanquam paterna, obiter ac paucis. Quare non meminit de Caino quamdiu uixerit, & an præter Henoch alios quoq; liberos genuerit, quemadmodum neq; de posteris illius tale quid commemorat. De eo autem quod Cain ciuitatem ædificauit, quare hoc, & quomodo fecerit, uidebimus in quæstionibus.

Porrò Enoch genuit Irad, & Irad genuit Mauiael, & Mauiael genuit Mathusael, et Mathusael genuit Lamech. Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella. Et genuit Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentorijs, atq; pastorum. Et nomen fratris eius Iubal. Ipse fuit pater canentium cithara & organo. Sella quoq; genuit Thubalcain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror uerò Thubalcain Noema.] Hactenus Moses posteros Cain obiter recensuit, & ad septimam usq; generationem deduxit, quam ad diluuium usq; perduransse puto. De illis quædam meminit, ad studium seculi magis quàm ad pietatem facientia: utpote, quod Cain ciuitatem ædificauit, in q; illa filij sui primogeniti memoriam dedicauit. Deinde quod Lamech duas uxores accepit, arbitror illius tempore uel cœpisse uel iam inualuisse corruptionem illam & libidinem carnis, qua, ut infrà cap. 6. uidebimus, filij potentum uiris filiabus hominum acceperunt sibi uxores quas quisq; uolebat. Tertiò quòd filij Lamech usum citharæ & organi adinuenerunt, & primi malleatores ac fabri ferrarij & ærarij extiterunt. unde satis relucet, quæ fuerint Cainæ posteritatis studia. Quod dicit de Iabele, quod fuerit pater habitantium in tentorijs & pastorum, non id tantum significat, quod ipse Iabel in tentorijs uinere ac pasturam pecudum exercere cœperit, sed & quod suos ad id uitæ genus instituerit, illiusq; author extiterit. Nam hoc loco, patrem esse aliquorum, non solum de carnali origine intelligendum est, sed & ad principium & institutionem habitandi in tentorijs referendum. Conueniebat id ad pascendas pecudes, ut pro conditione pascuorum loca mutarentur, ad quod cõmoda erant tentoria & magalia. Sic intelligendum est & illud de Iubale, quod fuit pater canentium cithara & organo. Non solum genuit filios qui cithara canerent & organo, sed ipse illis huius rei author extitit.

Interpretatio nominum Hebraicorum.

Sunt qui hic ex interpretatione nominum Henoch, Irad, Mechuiael, Methusael, Lamech, Ada, Zilla, Iabel, Iubal, Thubalcain, & Noema, de studijs generationum Cain philosophentur, quorum diligentiam non improbo, modò nemo super incertum fundamentum operosius ædificet. Henoch interpretantur dedicationem, Irad cumulum descendentem. Posset uerti, ciuitatis dominator ab עיר & ירד uel ciuitas uagi ab עיר & רדד. Mechuiael, quis Dominus Deus, uel Ex uita Deus, aut principiũ deletiõis. Methusael mortis petitio. Lamech, paupertas, humilitas. Adah ornata. Zillah, umbra eius, Iabel produxit, Iubal riuus aquarum. Thubalcain, adfer possessionem, uel adduc Cain. Noema, pulchra, iucunda. Ista assignaui in gratiam eorum qui talibus delectantur, quæ tamen meo iudicio uix certa interpretatione reddi possunt. Arbitrantur cõmuniter Noemam istam fuisse inuentricem artis textoriæ ac lanificij, atque eam ob causam mentionem illius factam esse à Mose. Verùm ne id quidem aliquid certi habet.

Dixitq; Lamech uxoribus suis Adæ & Sellæ, &c.] Locus hic uariè exponitur. Verba non sunt adeò obscura: uerùm quo sensu sint à Lamech ad uxores ipsius producta, diuinatione magis cõijci quàm certo potest intelligi. Diuersitas autem expositionum huius loci sic habet. Alij intelligunt Lamech homicidium à se factum uxoribus suis esse confessum, alij negant eum admisisse homicidium. Qui sentiunt Lamech fuisse homicidam, in hoc discrepant, quod alij unum tantum esse ab illo occisum dicunt, intelligentes per uirum & iuuenem non duos, sed eundem aliquem, qui simul fuerit & uir & iuuenis. alij

De sententijs eorum qui iudicant Lamech admisisse homicidium.

A uerò non unum tantum,sed duos ab illo occisos iudicant. Et horum alij de Caino, quem Lamech iacu lo per imprudentiam occiderit,& puero Lamech, à quo tanquam senex ac cæcutiens ductus sit, quem ille percutiendo necauerit, Iudaicis cõmentis locum dantes:alij rursus non de Caino et puero Lamech, sed de insigni aliquo uiro ac filio illius,qui fuerit de generatione piorum, exponunt. Qui uerò negant hic loqui Lamech de homicidio quod admiserit, illi in lectione à prioribus dissentiunt, legunt enim non,quoniam occidi uirum.sed alij:Si occidero uirum, & sic exponunt:Si occidero uirum,faciet hoc ad uulnus meum.& si occidero adolescentulũ,erit mihi in liuorem. Hoc est,non ero impunis.alij,Non occi di uirũ,ut portem propter eum culpas, non perdidi adolescentem, ut illius gratia pereat semen meum. Sic legit Onkelus Chald. paraphrastes. Hæc est quinquepartita diuersitas in expositione uerborum istorum:Quoniã occidi uirum in uulnus.meũ,& adolescentulum in liuorẽ meum:Quod meã attinet sen tentiam,primum non possum sentire cum posterioribus, qui negant Lamech de homicidio loquutum esse,à se admisso. Etenim quid alioqui rationis erat ut diceret,Si occidero uirum,si occdero adolescẽtu lum? Satis fuerat dicere,Si occidero hominem aliquem,pœnas dabo.nec opus erat ulla specificatione ætatis & sexus. Deinde quamuis arbitror admissum à Lamech fuisse homicidiũ,illis tamen non assen tior,qui de uno tantũ homine occisso intelligunt. Est enim specificatio uiri & pueri sic posita,ut eidem homini conuenire nequeat. Nam non dicit רגער,id est,iuuenem uel adolescentem,ut ad uocem איש a daptari possit,sed וילד,id est et puerũ,adolescentulum,paruulum:ut manifestum sit, loqui eum de duo bus diuersæ ætatis hominibus à se occisis. Tertiò,licet sic sentiam haud tamẽ approbare possum Iudai cam fabulam de Lamech cæcutiente, puero ductore ac iaculationis directore, proposito Lamech pel les ferarũ quærentis, & Caino inter fruticeta præ metu latitante,atq; ita per imprudentiam à Lamech iaculo occiso. Nam Cain, si tum adhuc in uiuis erat,longè alia erat uitæ conditione quàm ut post ædi ficatã ciuitatem, in tam numerosa iam posteritate inter fruticeta metu mortis occuleretur. Quare,meo iudicio, si cui lubet certiora sequi, & quæ incerta sunt missa facere,sequatur contextus simplicitatem,ac sentiat uerum esse quod Lamech uxoribus suis dixit,nempe,occidisse se uirum & paruulum.Qui illi fue rint,quomodo & quando & ob quam etiam causam ab eo occisi sint, non inquirat auxius,quandoqui dem à Mose nihil horum est expressum.

De illis, qui negãt Lamech quẽ quam occidisse.

Illud.Septuplum ultio dabitur de Cain,de Lamech uerò septuagiessepties,& ipsum haud pariformi ter exponitur. Quidam sic: Septupla ultio sumpta est de Cain occisore Habelis:de me qui duos occidi, B longè maior sumetur, nempe tanta, ut septuagiessepties, id est uehementer ac plurimum sim pumien dus. Sic Nazan.homil.de Pẽtecost. *λαῖμ μὲν ἐνδελεχήμενος ἐπτάκις, τοῦτέστι λίαν ἐπηρτῶμενος τῆς ἀδελφο κτονίας· ὁ γὰρ ἐκ ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ, ὅτι φονεὺς λῦν μετὰ τὸν νόμον ἐκὰ τὸ ἐκτάκειμαι.*

Alij ad hũc modum: Septuplum ultio dubitur de Cain,id est,si quis eum occiderit,septies punietur. De Lamech uerò septuagiessepties,intellige supplicio afficietur,si quis illi necem intulerit. Sunt,qui ut obscuritatem hanc fugiant,ad allegorias conuertuntur,id quod nonnulli ex patribus faciunt.Homici dij peccatum,inquiũt,septima generatione diluuio uindicatum esse legitur:adulterij uerò scelus, quod Lamech primus omnium in duabus commisit uxoribus, nonnisi sanguine Christi expiari potuit, qui septuagesimã & septima generatione uenit in mundum,secundum Euangelium Lucæ. Cum allego riam huiusmodi fingentibus consentire non possum. Neq; enim idem est septuplam ultionem sumi de Cain, quod septima generatione peccatum illius uindicari:deinde ab Adã ad Christum usq; nõ sunt 77. generationes,sed tantũ 76.& præterea Lamech hic nõ de adulterij (etiãsi demus adulteriũ ab illo in dua bus fuisse uxoribus admissum) sed de homicidij pœnis loquit. Ad hæc quomodo cẽueniet,ut adulterij & non etiã homicidij scelus ad expiationem Christi transferamus? ut taceã quod scriptura nõ meminit homicidiorũ,ubi de causis diluuij loquit:mentionẽ uerò facit de libidine illa, qua sibi quisq; ex filiabus, hominũ quas uolebat sumebant uxores. Cum istis quoq; facere nequeo,qui sentiunt de Caino sumptã esse septuplum ultionem propter occisum Habelem:& Lamech hic fateri,quod dignus ipse sit in quem propter occisos uirum & adolescentulum septuagiessepties animaduertatur. Est enim id quod ad Cain Dominus dicebat, Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur,quo Lamech hic respexit,multo cla rius, quàm ut istam expositionem admittat. Quare astipulor illis,qui sic exponũt:Septuplum ultio da bitur de Cain,si quis eum occiderit: & si quis Lamech occiderit, de illo septuagiessepties uindicabitur.

QVAESTIO I.

Cognouit autem Cain uxorem suam.] Mouent hic quæstionẽ,quãdo Cain uxoratus esse cœperit, ante ne uel post occisum fratrem. Quoniã aũt scriptura nihil hac de re manifestè tradit,fit ut alius aliud sentiat. Alij dicunt eum post fratricidium cum iam esset è domo paterna in exilium abeundum,unam ex soro ribus à patre loco coniugis ad propogandam posteritatem accepisse. Et prædicant obedientiam puel læ,quæ sustinuerit cum fratricida,homine impio,et iam ad exilium damnato,relicto parentum conui ctu & solatio, migrare in exilium,quandoquidem ita uideretur parentibus. Alij,quorum sententia ma gis placet, sentiunt Cainum iam antea fuisse uxoratum,priusquam fratre occiso abijceretur in exilium. Huius sententiæ cõiectura haud leuis ex eo sumitur,quod initio capitis huius de Habele scribitur,quod obtulerit uictimas de primogenitis gregis sui. Nõ dicit, de primogenitis gregis patris, sed sui gregis. Iam si Habel filius secundus de suo grege obtulit Deo,ergo diuisa erat hæreditas & substantia Adæ,sic ut uterq; Cain & Habel suam ipsius domum curaret, & res suas ageret, unde uerosimile est fuisse utros que iam tum cum offerrent uxoratos. Quò & illud facit,quod Moses non dicit,Cain aũt colebat agros

Quãdo Cain uxoratus esse cœperit.

patris,& Habel pascebat illius oues:sed, Cain erat,inquit,agricola : Habel uerò pastor ouium,qua locutione satis innuitur utrumq; suas ipsius res curasse,atq; ita in statu matrimonij iam tum uixisse,licet Cain superior fratre propter primogenituram haberetur. Quòd si hæc sententia firma est,subnascitur adhuc alia quæstio,de tempore,quo Cain uxorem suam cognouerit, illaq; conceperit ac pepererit Henoch. Simplicitas narrationis indicare uidetur,gesta esse hæc non in patria terra,sed in exilio. Sed forsan mirabitur quisquam, quare demum post eiectionẽ in exilium uxorem suam Cain agnouisse, illaq; peperisse scribatur, cum antea illi fuerit aliquandiu coniunctus . At de huiusmodi rebus nolim quenquam esse plus æquo sollicitum. Etenim haudquaquam conueniens est, ut qui discipuli spiritus sancti sumus,necessaria scitu ducamus ea,quæ ille non iudicauit esse necessaria relatu.

Quo tempore Cain cognouerit uxorem suam.

QVAESTIO II.

Quid mouerit Cainũ,ut ciuitatem conderet.

Et ædificauit ciuitatem.] Primùm hic quæritur, quid Cainum mouerit ad ædificandum ciuitatem. Quòd si extruenda erat ciuitas , uidetur id instituti magis Adæ & Euæ competisse, quàm Caino fratricidæ & uirtute diuinæ condemnationis uago & profugo.

Etiam hic alij aliud diuinant. Iosephus sic scribit : At uerò pœnam illam non habuit pro emendatione, sed incrementum potius ad libidinem suo nutriuit in corpore, licet cum iniuria secum commorantium hanc haberet, augens domum multitudine pecuniarum ex rapinis & uiolentia congestarum, ad luxuriam quoq; & latrocinium suos familiares inuitans,quorum doctor in sceleſtis studijs erat. Et simpliciratem quidem,cum qua prius uiuebant homines adinuentione mensurarum & ponderũ permutauit, integramq; eorum uitam ex earum rerum ignorantia magnanimam ad calliditatem corruptionemq; perduxit. Terminos terræ primus posuit,murisq; munuit,illicq; coegit suos conuenire domesticos. Hanc uerò ciuitatem ab Henoch seniore filio suo,Henochiam appellauit. Hæc ille : qui sentire uidetur,quòd ciuitatem ob id ædificarit, ut rapinas suas tutò possidere, & latrocinia tyrannidemq; securius exercere posset. Sic tyranni in hoc seculo munitiones suas extruxerunt, unde uiolentiam & rapinas in subditos exerceant.

Hebræorum quidam aliam extructæ ciuitatis huius causam assignant. Quoniam, inquiunt, terra quantumuis bene culta,non dabat fructus suos,cogebatur Cain relicta agricultura, quam ad id usque temporis exercuerat (erat enim,teste Mose, agricola) aliud uitæ genus arripere : ideoq; compulsus fuit ad artes manuarias,& uitam politicam instituendam,ob quam causam & ciuitatem construxit,in qua cum suis non agrestè,sed politicè uiueret.

Chrysostomus arbitratur Cainum immortalem quæsisse generis sui memoriam,ideoq; ut redderet illud quàm celeberrimum,ciuitatem hanc ædificasse. Huius rei coniecturam forsan ex eo sumpsit,quòd conditæ ciuitati primogeniti sui nomen imposuit.

Alij dicunt,Cainum ædificasse ciuitatem ad sui defensionem, propter metum , qua conscientia ipsius indesinenter diuexabatur. Addunt nonnulli,quòd & contra bestias munitionem parauerit.

Sunt qui negent Caino ullam fuisse timoris causam : ideoq; uerisimilius esse dicunt , quòd propter spem successus animo factus elatior,& propter dominandi libidinem in superbiam erectus,& ad contemptũ Ecclesiæ,unde erat eiectus,ciuitatem ædificarit. quasi diceret : Quid ad me quòd eiectus sim? Ciuitatem ædificabo,in qua mihi Ecclesiam colligam. ualeat pater cum sua Ecclesia.

Sic diuersimodè in hac causa sentitur. Alius auaritiam,latrocinia,rapinas : alius tyrannidem, & dominandi libidinõ : alius splendorẽ generis, & memoriæ immortalitatẽ:alius necessitatem mutandi uectus, propter telluris sterilitatem : alius metum mortis ac periculorum : alius superbiam , & contemptum ecclesiæ piorum in causa fuisse dicit,ut Cain ciuitatem conderet, & suas quisq; cõiecturas sequitur. Verùm,meo iudicio,nihil est periculi,quo minus hæc omnia in Caino , quasi sentina quædam malorum,& homine à Deo maledicto,concurrisse, & animum fide ac gratia Dei destitutum, ad uaria nõ solum ædificandæ ciuitatis,sed & alia multa carnis consilia impulisse credamus.

Quomodo potuerit Cain ædificare ciuitatem

Deinde quærunt nonnulli,quomodo potuerit Cain ædificare ciuitatem,& ædificatam habitatoribus implere , quum genus humanum initijs illis paucissimorum hominum numero tam tenui ac raro constaret. Neque enim uerosimile putatur,ciuitatem à tam paucis hominibus exædificari potuisse,nedum inhabitari & adimpleri. Augustinus in quæstionibus super Genesim libro primo,capite primo quæstionem hanc sic tractat: Quæritur,quomodo Cain potuerit condere ciuitatem,cum ciuitas utique alicui constituatur multitudini , illi autem duo parentes & duo filij fuisse referantur : quorum filiorum alter ab altero occisus est,in cuius locũ alius natus esse narratur? An ideo quæstio est, quoniã qui legũt, putant solos tunc fuisse homines,quos diuina scriptura commemorat, nec aduertũt eos qui prius sunt conditi duos,uel etiam eos quos genuerunt,tam diu uixisse,ut multos gignerent? Non enim & Adam ipse solos eos genuit,quorum nomina leguntur,cum de illo scriptura loquens ita concludat,quòd genuerit filios & filias. Proinde cum multo pluribus illi uixerint annis , quàm Israelitæ in Aegypto fuerunt,quis nõ uideat,quàm multi homines nasci potuerint,unde illa ciuitas impleretur : sic Hebræi multo minore tempore ita multiplicari potuerunt? Hæc ille. Vide etiam quæ libro decimoquinto de Ciuitate Dei capite 8. de hac re scribat: Quæstio autem,quam ponimus,non solũ de adimpletione,sed & ædificatione ciuitatis mouet. Nos sic sentimus. Primùm uerũ esse quod Augustinus dicit, & Adamũ plures habuisse tum tẽporis liberos,quàm quos scriptura nominat. Deinde illos quoq; multiplicari cœpisse.

Tertiò

A Tertiò & Cainum quoque non unum tantum Hænoch, sed plures præterea genuisse filios & filias. Quartò, non esse necesse, ut credamus hanc ab illo ciuitatem statim initio exilij, & inter natales primogeniti condi cœpisse, cum probabilius sit, id tum demum fieri cœptum, cum iam crescentis posteritatis multitudinem ob oculos cerneret. Quintò, quod ciuitati nomen filij sui Hænoch imposuisse scribitur, non ob id esse factum, quod hunc solum haberet, cum ciuitatem conderet, sed quod id honoris primogenituræ deputaret, uelitq; post se dominium ciuitatis huius deuolui ad Hænoch primogenitum. Sextò, neq; cogimur sentire quod ciuitatem hanc admodum grandem initio & operosis structuris ædificarit, modumq; & numero posteritatis suæ & uiribus præsentibus accommodum excesserit. Dum ista expendimus, arbitror nihil superesse difficultatis in hac quæstione, cui satisfieri nequeat.

Quõ Cain fuerit profugus cum ciuitatẽ ædificauit

Potest etiam hoc loco quæri, quomodo in Caino adimpletũ sit illud, Vagus & profugus eris super terram, cum ciuitatem in terra Nod ædificarit. Etenim non apparet esse profugus ac uagus in terra, qui tantum habet ad manendum loci ac facultatis, ut ciuitatem etiam condat: atq; ita non solum certam, sed & firmam ac munitam sedem sibi ac posteris suis paret.

Respondeo: Primùm non est in sententia Dei expressum, quamdiù Cainum profugum & uagum uellet esse in terra. Deinde uerosimile non est, confestim illum atq; egressus esset à facie Dei, hanc certæ ac firmæ sedis constructionem ac ciuitatis ædificationem inchoasse, sed aliquandiu cum uxore ac modica prole instabilem fuisse ac uagum. Tertiò, quemadmodum & suprà alicubi admonui, in talibus sententijs diuinæ condemnationis spectandum est quid per modum uel comminationis uel condemnationis temporariæ, & quid per modum prædictionis sit dictum. Etenim multum est inter ista discrimis. Si quid à Deo futurum prædicitur, nisi fiat & adimpleatur quod prædictum est, de mendacio uix poterit defendi & excusari. Verùm si quid cõminationis uel cõdemnationis modo pronunciatur, quid prohibet, quo minus in libero sit comminantis & condemnantis arbitrio uel tollere & irritare totum, uel aliquid largiri mitigationis? Quod autem hic dictũ est, Vagus & profugus eris super terram, licet uerba futuri modum habeant, sensus tamen pro linguæ huius consuetudine, non prædictionem, sed iudiciariam condemnationẽ continet, quæ sine ulla contradictione in potestate & arbitrio est iudicantis & castigantis Dei.

QVAESTIO III.

Dixit Lamech uxoribus suis.] Quæritur hic ob quam causam uxoribus suis Lamech ista dicere uoluerit. Apparet enim primùm ex uerbis ipsius, motum ad hoc esse non leui, sed grandi quadam de causa, B cum dicit, Audite uocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum: deinde & ex ipsa materia, quã illis exponit non leuem, sed admodũ grauem, dicens, Quoniã occidiuirũ in uulnus meũ, & adolescentulum in liuorem meum, &c. Aliàs quis iudicabit eum prudentem esse uirum, qui uxoris fidei & conscientiæ concredat homicidium, uel consimile aliquod aliud facinus à se admissum? Hic igitur, cum non uni duntaxat, sed ambabus uxoribus duo à se perpetrata homicidia manifestat, omnium egit imprudentissimè, nisi grauibus sit rationibus motus.

Quare Lamech ista uxorib. suis dicere uoluerit.

Chrysostomus arbitratur hoc esse factum pœnitudine cordis, & ui conscientiæ ad confessionem peccatorum impellentis, quasi enormitate sceleris, duplicis uidelicet homicidij, compulsus sit non solum ad confessionem admissorum, sed & suij ipsius condemnationem, qua se dignũ pronunciauit in quem multo grauius quàm in Cainum animaduertatur.

Opinantur quidam, quod ab uxoribus usqueadeò malè tractatus fuerit, ut timeret sibi, ne tandem ab illis perimeretur. Ideoq; ut maliciam eorum cohiberet, ista loquutus sit, dicens: Etiamsi uirum & adolescentem uulnerando & percutiendo occidero, haud tamen impune à quoquam occidi potero. Nam si occisori Cain septupla est pœna cõstituta, utiq; qui me occiderit, septuagiessepties punietur. Quare uidete quid faciatis, ne si me affligendo occideritis, in pœnas incidatis omnium grauissimas.

Tertiò sunt qui dicãt uxores Lamech de diluuio ,ppter illius seculi luxuriã futuro percepisse, eamq; ob causam à cõcubitu mariti sui abstinuisse, dicentes, Ad quid cõcipiemus & pariemus filios? Quia una die superueniet diluuium, & interficiet eos. Voluisse igitur Lamech cõciliare sibi uxores hoc alloquio, quasi dicat, Quare consuetudinem meam fugitis? Occidi ne uirum & iuuenem sicuti fecit Cain, ut dignus sim quem fugiatis? Non sum homicida, ut deseri debeam.

Quartò, qui sentiunt Cainum & Thubalcain, iuxta Iudaicam fabulam occisos esse à Lamech, illi dicunt uxores eius fuisse ab eo propter horrorem tanti sceleris abalienatas: quare quæ hic sunt ab eo dicta, eò fuisse directa, ut illas sibi placatas redderet.

Moses Gerundensis aliam uerborum istorum causam adfert, nempe istam: Timebant, inquit, uxores Lamech, ne artificium fabricandorum armorum, quo Lamech filios suos instituebat, homicidijs seruiret, ideoq; illi admodum fuere infensæ. Has ut placaret dixit, Etiam sine ferro uulnerarem, percuterem & occiderem tam uirum quàm iuuenem, sicuti fecit Cain, nullo ferro usus cum Habelẽ occideret. Quid igitur mihi propter artificium fabricandi ferri succensetis? Etiam si aliquo euentu occiderem quenquã ferro, quod tamen non intendo, si Cain, qui studiosè occidit Habelem, septuplæ pœnæ occisorẽ sui subiecit, certè qui me occiderit propter homicidium ex improuiso admissum, septuagiessepties punietur.

Sic diuinare cogimur, dum in rebus obscuris uersamur, qualis omnino est præsens hic locus. Mea sententia uerosimilius est quod nonnulli arbitrantur Lamech fuisse uirum uiolentũ & impium: & quæ hic de homicidijs suis ad uxores loquutus est, loquutum esse non tanquam de occulto aliquo, sed mani

festo facinore, non pœnitentiæ impulsu, sed per arrogantiam: & quæ de Cain adiecit, in hoc adiecisse, ut minis istis efficeret, ne quis sibi propter perpetratas cædes necem intenderet, alioqui futurum, ut septuagiessepties puniatur. Etenim arbitror Mosem ista de eo, uidelicet quod duas acceperit uxores, & quod uirum ac paruulum occiderit, narrare uoluisse, ut Cainæ posteritatis impietatem, maliciam & tyrannidem notaret.

Deinde & uerba ista, Audite uocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum, & quæ sequuntur, nullam pœnitudinem cordis, sed magis singularem quandam & minacem arrogantiam spirare uidentur.

OBSERVATIO I.

Ingenium impij.

Egressusq; Cain à facie Domini.] Vide ingenium impij. Accepta à Domino condemnationis sententia, per desperationem egreditur à facie illius, quem habebat unicum Deum ac creatorem. Quod si aliquid pietatis in corde ipsius fuisset, procidisset in faciē corā Domino, & misericordiā illius suppliciter implorasset, quā & dubio procul cōsequutus fuisset. Verūm ut impius erat, sic & impiè à facie Dei desperata illius clemētia, uel forsan etiā cōtempta, discessit. Quis nō improbaret in filio, à patre, propter flagitiū aliquod correpto, si iussus abire in exiliū, mox abeat, & non prius summa cum humiliatione paterni animi clementiam pro impetranda uenia, & deprecanda paterna ira imploret? Talis filius, quem admodum exemplum Caini imitaretur, ita & animi reprobi imgenium declararet.

OBSERVATIO II.

Terra Nod imaginem habet huius seculi.

Habitauit profugus in terra.] In Hebraica lectione, quæ habet, Habitauit in terra Nod, considerandū est, unde Cain egressus, quò migrauerit, & ubi habitare cœperit. Egressus, inquit, Cain à facie Domini, habitauit in terra Nod, id est uagi & errantis. Gerit hæc terra imaginem eius seculi in quo sedes habitandi quærunt, quotquot à facie Dei fugunt & discedunt. Non est nisi coram Domino terra quieta ac stabilis. Quisquis à Domino discedit, quocunq; diuertat, redditur incola terræ Nod, nihil habens certi, nihil firmi. Seculum hoc præsens instabile est, & mari multis procellis exagitato simile. Ionas quoque cum fugeret à facie Dei, incidit in grādem fluctuationem commoti maris. Quare quisquis certa ac firma quærit, maneat in facie Dei, transferat cum Christū fidelibus habitationem ac conuersationē suam non in terram Nod, sed in ipsos cœlos.

Nostra conuersatio in cœlis est.

Quod terra Nod à Caino hoc nominis contraxerit.

Et illud considerandum est, quod terra ista nomen hoc contraxerit à Caino profugo, ut terra Nod uocetur. Cain erat Nod, id est uagus ac profugus mox atq; à facie Dei egressus esset: & hoc nominis non à terra accepit, sed illi intulit. Sic uniuersa terra uocatur uallis lachrymarum. Hoc nominis accepit ab inhabitantibus illam mortalibus, miseris, calamitosis, & uitam lachrymis plenam uiuentibus. Tales autem sumus facti non uitio terræ quam incolimus, sed ex eo, quod propter transgressionem & inobedientiam primorum nostrorum parentum peccato, & naturæ nostræ corruptioni facti sumus obnoxij, & è paradiso deliciarum uelut à facie Dei eiecti.

OBSERVATIO III.

Carnales homines adspirant ad delicias, sed ad ueras non perueniunt.

Versus Eden.] Eden paradisus est, locus deliciarum, plantatus à Domino, non humanitus constitutus. Versus hunc habitat & ciuitatem condit Cain, sed copiam illius non assequitur. Sic Cainitæ filij huius seculi, habitatores terræ Nod, ad ueras delicias aspirant, sed uoti compotes non euadunt. Quia quas amplectuntur, non sunt ueræ, sed imaginariæ ac transitoriæ deliciæ. Clausus est illis hortus ueræ iucunditatis.

OBSERVATIO IIII.

Affectus cōiugalis & multiplicandæ prolis cōmunis est pijs & impijs.

Cognouit uxorem suam, quæ concepit & peperit Henoch.] In eo quòd uxorem suam cognouit, primogenitumq; suum uocauit Henoch, quæ uox initiationē & auspicationē significat, propterea quòd esset is puer primitia posteritatis, obseruandū est, quō affectus ille cōiugalis & multiplicandæ posteritatis usqueadeò sit naturæ per diuinā prouidentiam inditus, ut etiam Cain, quantūuis impius, inhumanus & homicida, adeoq; & hostis naturæ humanæ, & fraternæ cognationis uastator, generis sui multiplicationem affectarit. Talia leguntur aūt & de Adamo & reliquis pijs patribus. Ergo naturalia illa quæ ad conseruationem ac multiplicationem generis necessaria sunt, non adimuntur impijs, licet corrumpantur: ficuti in Caino isto apparet, in quo φιλοτεκνία quidem generis humani & uera philāthropia relucent, uerūm iuxtà in angustiam φιλαυτίας redactæ deprehenduntur, sic ut qui debebat amicus esse cōmunis, generis ac multiplicationi illius fauere ex animo, esset tantū suæ sobolis ac posteritatis amator. Tales animi post Cainum ferè in omnibus tyrannis reperiuntur.

OBSERVATIO V.

De origine condēdarū ciuitatū

Et ædificauit ciuitatem.] Videmus hic originem extruēdarum ciuitatum esse omnium uetustissimam. Vsus illius in se malus non est, immo si imbecillitatem simul & corruptionem generis humani consideremus, admodum utilis: Vtilis propter societatem humani conuictus est & rerum necessariarū communicationem: & utilis contra insidias ac feritatē bestiarum, secundum regionum qualitatem: utilis contra uim & deprædandi procliuitatem hominum reproborum, quorum manus uiolentæ, & pedes ueloces sunt ad effundendum sanguinem. Quare haud præter rationem antiquitus sic comparatum est, ut in qualibet regione sit ciuitas aliqua firma & munita, ad quam populus agrestis inter motus bellicos quasi ad refugium quoddam confugiat, ne militari libidini ac crudelitati obnoxius pereat. Et huius-

A huiusmodi ciuitates ad significandum illarum usum uocatæ sunt metropoles. Vrinam non sint ex illis multæ mutatæ in lestropoles, id est ciuitates prædatrices, sedes uidelicet raptorum, prædonum, ac omnis generis malarum bestiarum, qualis forsan fuit Henochia ista, quam Cain ædificauit.

Quod autem primæ ciuitatis conditor non aliquis ex generatione piorum, quæ à Seth descendit, sed is proponitur, qui caput erat prauæ, impiæ ac reprobæ generationis, Cain uidelicet, egressus à facie Dei, & habitator factus terræ Nod, luculentissimam habet imaginem filiorum huius seculi, qui non quærunt cœlestem supernæ patriæ ciuitatem, perpetuò manentem: sed in terra Nod, in qua ut peregrini uiuere debebant, terrenam sibij psis ciuitatem ac mansionem quærunt & ædificant. Nobis uerò sic est in hoc seculo uiuendum, ut illud cum pijs ac generatione iustorum dicere possimus: Non habemus hic permanentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Non legimus de aliqua ciuitate, quam natio pio rum extruxerit ante diluuium: nec de aliqua legimus, quam ædificauit Abraham, Isaac & Iacob, cum posteris suis, qui omnes in morem peregrinorum uixerunt in hoc seculo. Et Israelitæ cum in troducti essent in terram Cenaan, ciuitates consequuti quidem sunt, sed quas ipsi non ædificauerant. sicuti uidere est Deut. sexto. Sic & nobis usueniet. Vbi fuerimus terram promissionis ingressi, cœlestem uidelicet patriam, desinemus esse peregrini, & inhabitabimus quidem ciuitatem ciues facti cœlestes, sed quã Deus ædificauit, non quam ipsi extruxerimus.

Imago filiorum huius seculi.

OBSERVATIO VI.

Et uocauit nomen eius ex nomine filij sui Henoch.] Obserua hic, quod ciuitatem à se conditam Cain non suo ipsius, sed filij sui nomine uocat. Ita magis filij sui quàm propriæ gloriæ rationem habebat. Ita ædificauit quidem ipse, sed usum ac dominium ædificatæ ciuitatis nuncupauit filio. Est enim nomi nis impositio, quædam dominij nuncupatio. Vides ingenium paterni quidem animi, omnem curam fi lio suo destinantis, sed in eo corrupti, quòd ciuitatem suam non Deo, sed filio suo nuncupauit. Sic solēt tyranni & filij huius seculi.

Quod ciuitatem suã Cain nõ sibi, sed filio suo nuncupauit.

Expende etiam mysterium. Ciuitas à Caino ædificata, uocatur Henochia, id est, initiatio & auspicatio. Poterat eam de suo nomine uocare Cainam, id est possessionem: uerùm accommodatius est, ut uocetur ciuitas filiorum huius seculi initiatio quàm possessio. Nam reuera nihil est aliud quàm initiatio quædam, sine iusta adimpletione ac possessioñe, quicquid filij huius seculi moliũtur. Vtuntur splen didis initijs & auspicijs: uerùm quoniam illa neq; de cœlesti auxilio sumuntur, nec nomini Dei consecrantur, necesse est ut tandem turpiter ac miserè diffluãt, ut nihil fuerint, nisi quædam speciosa quidem,
B sed inanis initiatio & auspicatio.

Quod ciuitatem suã Cain, nõ Cainam, sed Henochiã appellauit.

OBSERVATIO VII.

Porrò Henoch genuit Irad &c.] In ista nomenclatura posterorum Cain obseruandum est, quod Moses neq; numerum annorum assignat quibus singuli uixerũt, nec de morte eorum quicquam cõmemorat, nec meminit quod alios etiam liberos genuerint, sicuti infrà facturus est capite sequenti in catalogo posterorum Seth: sed obiter recensitis capitibus, ad historias generationis piorum, ex quibus uenturus erat Christus, properat. Qua in re uidemus dignos non esse impios impiorum posteros, quorum uita perpetuæ memoriæ consecretur. Iustorum est, ut sint in perpetua memoria. Quare uehementer admirari soleo, quomodo nonnulli, aliàs non mali uiri, tantopere imaginibus impiorum Iuliorum, Neronum, Domitianorum, Herodum, Iulianorum, ac consimilium aliorum tyrannorum delectari queant, cum digni sint, quorum memoria cum inani sonitu iam olim transierit.

Impios non esse dignos ut uita eorum memoriæ cõsecretur.

OBSERVATIO VIII.

Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, nomen alteri Zillah.] Videmus hic unde sit principium polygamiæ. Gamia, qua duo in unam carnem coniunguntur, instituto Dei commendatur, ipsisq; mundi primordijs coæua existit: polygamia uerò septima demum generatione à Lamech isto, humano studio, est introducta. Bono studio dandum est, quòd aliquot etiam pij posteritatis multiplicandæ gratia usi sunt polygamia: malo uerò, quòd maior pars polygamorum carnis concupiscentijs ac libidini hac in re seruiuit. Nunc tale seculum est, ut impense optandum sit, monogamos sic uti matrimonio, ut non tam numerosa quàm pia ac proba alatur posteritas.

Vnde sit principiũ polygamiæ.

Obiter & illud annotarim exeo, quòd secunda uxor Lamech Zillah, id est, umbra eius uocata fuit, innui secundam uxorem in tali coniugio non fuisse uerum connubiale corpus, sed magis primæ uxoris umbram. Prima uxor erat Ada, id est, pulchra & ornata. Illa erat uera & legitima coniunx. Secũda quæ accessit, accessit tanquã umbra quædã prioris, illi, uelut umbra corpori, adiũcta & cohærens. Nã צלה, ut in Hebræo est, umbram eius significat, non uiri, ut quidam interpretantur, sed Adæ primæ uxoris. Siquidem litera ה hoc loco relatiuum est non masculini, sed fœminini generis, ut ad uirum Lamech nequeat, ad priorem uerò uxorem illius referri debeat.

Quo loco fuerit secunda uxor.

OBSERVATIO IX.

Et genuit Ada Iabel, &c.] Vide quomodo coniuncta fuerint apud posteros Cain, uictus, deliciæ, & usus armorum. Alij studebant pascendis pecoribus, unde suppeditabantur lac, & quæ ex lacte conficiuntur, deinde &uellera ad amictum. Alij ludebant citharis, & organo. Alij fabricabant ex ære & ferro, partim necessaria usibus domesticis, partim arma. Nihil quidem illiciti habent ista in se considerata: uerùm si personæ considerentur eorum qui talibus utuntur, potest fieri ut agnoscatur ingenium filiorum huius seculi. Et Dauid ipse panit pecudes, usus est instrumen-

Quomodo apud posteros Cain cõiuncta fuerint uictus necessarius, deliciæ, & usus armorum.

tis muſicis & uſum armorum haud duxit à ſe eſſe alienum. Plurimum refert, quo animo & fine iſta uſurpentur.

Et nationi reproborum dat Deus neceſſaria quædam dona.

Simul illud cogitãdum eſt. Aſsignatur hic adinuentio muſices & opificij ferrarij poſteris Caini. Poteſt horum eſſe ut eſt etiam bonus uſus, nonnunquam & neceſſarius rebus humanis. Ergo & nationi reproborũ dedit Deus de ſpiritu eius ſapientiæ, quæ generi humano ſubinde ea ſuppeditare ſolet, quæ uſibus illius haud parum conducunt. Sic uidemus multa & præclara dona ſubtilis & induſtrij ingenij in filijs huius ſeculi, quibus filios lucis longè ſuperant. Reperias in illis eloquentiã ſingularem, ſapientiam & prudentiam præcipuam, gerendarum rerum mirabilem dexteritatem, in artificijs uel inuentis uel exercẽdis eximiam induſtriam, & quæ huiuſmodi ſunt alia multa, ad quæ pios uidere licet prorſus eſſe ſtipites, illis comparatos. Contrà uerò in pijs reperiuntur ea dona ſpiritus Dei, quæ ad ueram pietatem & felicitatem faciunt, quorum in filijs huius ſeculi ne guſtus quidem aliquis deprehenditur. Sic diuidit Deus dona ſua, ſecularia filijs huius ſeculi, & ſpiritualia filijs lucis.

OBSERVATIO X.

Vnitas carnis in impoſitione nominũ cõſiderãda

Soror uerò Thubalcain Noema.] Et hic quoq; uidere licet in poſteris Cain ingeniũ ſeculare & carnale, ſi obſeruemus quibus nominib. filias ſuas nominarint. Suprà uxor Lamech uocata eſt Adah, id eſt, ornata & cõpta. Hic ſoror Thubalcain uocatur Noema, id eſt pulchra & uenuſta. Competentia uidelicet nomina ad libidinem eius ſeculi, in quo filij potentũ conſpecta filiarũ pulchritudine ſumpſerunt ſibi ex illis uxores quas uolebant, ſicut infrà capite ſexto uidebimus. Sic caro ubique uaniratem ſuam ac ſtulticiam exercet.

OBSERVATIO XI.

Arrogãtia carnis

Audite uocem meam uxores Lamech.] Obſerua in hoc ſermone arrogantiam hominis. Non dicit ſimpliciter, Audite uxores meæ: ſed, Audite uocem meam uxores Lamech, auſcultate ſermonẽ meum. Sic homo carnalis de uxoribus ſuis ſibij pſi placebat, & imperium in illas ſpirabat.

Poſteritas prauæ nationis origini ſuæ reſpondet.

Deinde in eo quod dicit, Occidi uirum in uulnus meum, uel uulnere meo, & puerum in liuorem meum: uidere licet quàm poſteritas prauæ nationis parenti ſuo Caino percutiendo & occidendo reſpõderit, dũ ſe homicidæ patris homicidas poſteros declararũt. Adeò uidelicet tenaciter inhæret in poſteris hoc malum, quod inde à maioribus eſt contractum, & exempla domeſtica dum ſubeunt animos magnis authoribus, nimias habent procliuis imitationis uires, propter ingenij noſtri corruptionem. Probitas autem auita frequenter in ipſo deſinit authore, ut omnium ægerrimè uel proximam poſterorum generationem imbuat.

Quàm præpoſterè Lamech ad exemplum Cain reſpexerit.

Tertiò & illud ſingularem arrogantiam hominis impij ſpirat, quòd perpetratis homicidijs reſpicit quidem ad exemplũ Caini: uerùm nõ ſic, ut de facto pœniteat, ſed ut multo maioris impunitatis ſecuritatem inde ſibij pſe polliceatur, quàm fuerit ea quæ Caino ex ſententia & uoluntate Dei contigit. De Cain, inquit, ſeptuplum, de Lamech uerò ſeptuagieſſepties uindicabitur. Tantæ impudentiæ Cain ipſe non fuit, ut aliquid ſibi ipſe polliceretur impunitatis, immo anxiè metuebat ne à quopiam occideretur, ideoq; dicebat: Omnis qui inuenerit me, occidet me. At bigamus iſte pronunciat ipſe de ſceleris ſui impunitate, & multò ſe iudicat potiorem quàm fuerit Cain. Non habebat uerbum Domini, quo rectè poſſet eſſe ſecurus, & tamẽ uerbum Domini ad ſe non pertinens propria authoritate uſurpat, & de ſuo adijcit, quod ad ſe pertinere debeat. Sic ſolent homines impij, præſertim qui aliquã fibi in hoc ſeculo cõciliarunt authoritatem.

Cognouit quoq; adhuc Adam uxorem ſuam, & peperit filium, uocauitq; nomen eius Seth, dicens: Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Sed & Seth natus eſt filius, quem uocauit Enos. Iſte cœpit inuocare nomen Domini.

LECTIO.

Cognouit quoq; adhuc Adam uxorem ſuam.] Voculam, Adhuc, in Hebræo עוד omiſit Græcus. Sic enim legit, Cognouit autem Adam uxorem ſuam. Deinde illud συλλαβοῦσα, id eſt, cum concepiſſet, de ſuo adiecit. In Hebræo ſiquidem non habetur.

Poſuit mihi Deus.] Sic habetur etiam in Hebræo, & reſpondet nomini שת nato puero impoſito. Græcus uerò per negligentiam uertit ἐξανέστησε, id eſt, ſuſcitauit. Verùm Aquila quoque legit, Et poſuit mihi Deus.

Quem occidit Cain.] Sic & Græcus legit. in Hæbræo autem eſt כי הרגו קין, id eſt, quoniam occiderat eum Cain.

Iſte cœpit inuocare nomen Domini.] Et Græcus legit, ὅτος, id eſt, Iſte. Verùm in Hebræo non eſt אשר, id eſt, qui, ſed אז, id eſt, tunc. Deinde in paſsiuo habetur חוחל, id eſt, cœptum eſt: ut legendum ſit, tunc cœptum eſt inuocari nomen Domini. Græcus legit ἤλπισεν, id eſt ſperauit inuocare nomen Domini. Is uocem hanc à יחל, quod ſperare ſignificat, deflexit. Onkelus Chaldæus alio reſpexit. Sic enim reddidit, Tunc in diebus eius inceperũt filij hominum ut nõ orarent in nomine Domini. Ille uocem חוחל alio ſenſu legit, ſic uidelicet: Tunc prophanata ac polluta eſt inuocatio nominis Dei. Nam uox

aliquando

aliquãdo pro polluere ac prophanare in scripturis ponitur. Et R. Dauid in lib. rad. exponit, Tunc inquinatum est, aut prophanatum est, quia inquit, In diebus Enos errauerunt post idola. Et aliqui sentiunt hic, quòd tunc idola sua nomine Domini uocare cœperint.

EXPLANATIO.

Terminauit Moses historiam Caini & Habelis, de quibus ubi narrationẽ de posteritate Adæ ac multiplicatione generis humani instituerat, dicere cœperat. Duo ueluti surculi ex Adamo prodierant, uerùm quoniam alter interierat, alter uerò propter impietatem à Domino reiectus, & reprobæ generationis caput factus erat, redit ad Adamum & Euam Moses: exponitq́, quomodo proles illa loco Habelis prouenerit, quæ primordia poneret generationis iustorum, qua de capite sequenti uidebimus. Itaq; generatione Cainitarum ueluti in tenebras quasdam abiecta acrelicta, dicit, Adam uerò adhuc cognouit uxorem suam, & peperit filium, uocauitq; nomen eius Seth. Quoniam hic Seth caput fuit eius generationis, qua de sequenti est capite narraturus, exprimere uoluit non solum nomen illius, sed & nominis rationem. Vocauit nomen eius, inquit, Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Habel. Verba ista non sunt Adæ, sed Euæ. Nam in Hebræo nõ est in masculino genere זרע, sed in fœminino genere זרעה, ut aliò quàm ad Euam referri nequeant. Hisce uerbis reddit rationem, quare filium hunc uocarit שת, id est, positionem ac fundationem. Quoniam, inquit, Deus respexit nos, & aliud nobis semen posuit pro Habele. Agnouit donum Dei, sperauitq; longè certiora de hoc puero quàm de Caino & Habele, quorum fuerat æstimatione decepta. Sic non dicit, Posuit mihi Deus filium: sed, Posuit mihi Deus semen aliud. uoce seminis respicit ad posteritatẽ, quam ex hoc puero sperabat. Nec dicit, Pro Caino, quem amisimus: sed, Pro Habele. Nullum erat illi amplius desiderium Caini, sed propter Habelem occisum lugebat: præsertim quòd comperisset, fuisse eum pium ac Deo acceptum.

Illud, Quem occidit Cain, quoniam in Hebræo sic legitur, Quia occidit eum Cain, potest intelligi non ab Eua dictum, sed à Mose adiectum. Alioqui parum bene conuenit, ut Euam sic locutam esse credamus. Eamq; ob causam arbitror utrunq; & Græcum & Latinum interpretẽ uoculam מי, id est quoniam, mutasse in אשר, ac legisse, Quem occidit Cain, quo possint ista Euæ conuenire. Meo iudicio sunt hæc uerba Mosis, ac legenda, Quoniam occiderat eum Cain.

Sed & Seth natus est filius.] Poterat ista Moses seruare in sequentem narrationem, ubi ex integro generationem hanc Adæ, quæ per Seth est deducta, recensebat: uerùm ut animi sui intentionem aperiret, ac simul præcedentem historiam de Caino & Habele cõmoda conclusione terminaret, uoluit uno & altero uerbo cõmemorare de natiuitate ac nomine Seth, & admonere quo consilio Dei pro Abele occiso positus fuerit. Ad hoc uidelicet, ut generationis piorum ponerentur primordia, ac uerus cultus Dei, aliquandiu restauraretur. Quare adiecit hoc, Et tunc cœptum est inuocari nomen Domini. Cum uidelicet Seth cum suis spiritu pietatis imbuti, uestigia sequerentur non Caini, sed Abelis, Deum agnoscerẽt, timerent, colerent, & sincera fide inuocarent.

QVAESTIO.

Tunc cœptum est inuocari nomen Domini.] Potest hic haud præter rationem quæri, quomodo dicat Moses, quòd tempore Seth & Enos cœptum sit inuocari nomen Domini. Quid dicemus de Abele? An non & ille cum uiueret, Deum coluit, ac nomen illius inuocauit? Et Cain quoq; cum Domino de fructibus terræ sacrificaret, an non eundem Deum cum Abele coluit? Deinde, putabimus ne Adamum & Euam ad id usq; temporis à cultu Dei abstinuisse? Nequaquam. Quid igitur est quod Moses de temporibus Seth & Enos loquens dicit, Tunc cœptum est inuocari nomen Domini, cum id factum sit & antea? Possem respondere, nomen illud Dei יהוה tum demum fuisse manifestatum ex doctrina Seth & Enos, ideoq; non simpliciter Deum tanquam אלהים, sed tanquam יהוה, id est Existentem cognosci, coli & inuocari cœpisse: cui sententiæ ipse Moses astipulari uidetur, cum non dicit simpliciter, Tunc Deus inuocari cœpit: sed, Tunc cœptum est nomen יהוה inuocari: hoc est, tum demum uera cognitio Dei, tanquam Existẽtis, in ecclesia piorum innotuit, ac nomine illo יהוה Deus inuocari cœpit. Verùm huic sententiæ haudquaquã innitor. Quare certius ad hunc modũ respõderi posse iudico. Primũ loqui Moses non de qualicunq; cultu Dei, & nominis illius inuocatione, sed de tali cultu, qui omnino alienus sit à Caino, & impijs omnibus. Quod non sic intelligo, ut prorsus omnem externum colendi Deum ritũ excludam, sed quòd etiã externus cultus animo sincero, & fide recta ab impijs præstari nequeat. Quare etiamsi Cain externis sacrificijs Deum coluit perinde atq; Abel, defuit tamen fidei sinceritas, quæ quasi proprium est ueri cultus Dei. Deinde non negare Mosen, esse Dominũ etiam ab Adamo & Abele inde ab initio inuocatum. Verùm quoniam neq; à Cain neq; ab Abele, sed à Seth generatio piorum, Domini num rectè inuocantium, cœpit, propter Ecclesiæ illius primordia, & pleniorem diuini nominis cognitionem, adorationem & inuocationem, particulam hanc adiecisse, qua admoneat, id quod in Abele cœptum, post illius interitum nonnihil aliquandiu refrigerat, sub Seth & Enos repullulasse, ac pleniores uires acquisiuisse. Sic arbitror quæstioni huic satisfieri posse. Quòd si quis meliora ac certiora habet, Ecclesiæ communicet.

Quomodo cœptum sit inuocari nomẽ Domini tẽporib. Seth & Enos, cum & antea sit inuocatũ.

OBSERVATIO I.

Cognouit Adam adhuc uxorem suam.] Notandum hic est, quòd nõ simpliciter dicit, Cognouit Adã uxorem suam: sed, Cognouit Adam adhuc uxorem suam. Fabulantur hic Iudæi, uouisse Adamum uotum continentiæ

Quòd Adam nõ destitut à studio

multiplicãdæ posteritatis, quãuis prima proles ipsius uotis nõ respondisset.

continentiæ, post occisum Habelem, & abiectum à Domino Cainum, quod in posterũ abstinere uellet ab opere generandi. Deinde quoniã fabula fabulã parit, nuganíque de Lamech, quod uxores suas, debitã beneuolentiam detrectantes, duxerit ad Adamum, tanquã supremum adhuc in terris iudicem, illiq; causam suam exposuerit. Adamum pronunciasse pro Lamech, ac iussisse, ut uxores illi essent in posterum obsequentes. Tum illas Adamo obiecisse, qua ratione iuberet, ut ipsæ uiro suo essent obsequentes, cum ipse suæ uxori debitam beneuolentiam perpetuò negare proposuisset? Quo audito, mutasse Adamum sententiam, ac se rursus uxori suæ coniunxisse, eamq; adhuc cognouisse, ne cæteri suo exemplo abuterentur. Ideoq; sic scripsisse Moses, Cognouit Adam adhuc uxorem suam. Alij fingunt Adamum admonitum fuisse ab angelo, ut adhuc cognosceret uxorem suam. Sic sacris historijs nugas suas immiscent homines uani ac temerarij. Nos secundum simplicem uerborum contextum id potius in Adamo cõmendari obseruemus, quod ab opere generandi per id haudquaquam fuerit auocatus, quòd prima pignera uotis & ipsius & uxoris non responderunt, sed adhuc etiam post occisum Habelem, & excommunicatum Cainum uxorem cognouerit: idq; non feruore libidinis, sed respectu uerbi Dei, quo dictum ipsi fuerat, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Satius est, ut hanc sententiam retineamus, quàm ut Adæ desperationẽ diuinæ benedictionis pariter & promissionis tribuamus. Admonentur hoc exemplo coniuges, ne despondeant animum, si prima proles uel mox morte fuerit abrepta, uel aliàs uotis ipsorũ nõ responderit. Huiusmodi molestiæ & ærumnæ nõ debẽt cursum legitimi matrimonij impedire.

OBSERVATIO II.

Eua serpenti infensa, & benedicti seminis auida

Et peperit filium, uocauitq; nomen eius Seth, dicens, Posuit mihi Deus semen aliud pro Habele, &c.] Obseruandum est, quàm fuerit Eua singulari odio prædita aduersus serpentem ac semen eius, in eo quòd tanta auiditate semen illud benedictum expetebat, per quod caput serpentis contereret, & quàm irremissa fide à promissione Dei pependerit. Fuerat antea in Caino decepta, nunc uerò firma fide credit se habere filium, unde uenturus sit domitor ac uictor serpentis. Vtinam quotquot Christiani sumus, pari essemus præditi odio aduersus serpentem antiquum, & desiderio pariter ac fide promissi seminis benedicti, ac Seruatoris. Iam autem quàm simus frigidi osores satanæ, & affectatores Christi, quid attinet commemorare?

In manu Dei est, pro extincto pio semine aliud substituere.

Deinde obserua quòd non dicit, Erit hic mihi pro Habele: sed, Posuit mihi Deus semen aliud pro Habele. Firma fide credit hunc puerum fore semen posteritatis non Cainæ, sed piorum. Aliud est, esse semen hoc loco, & aliud esse simpliciter filium. Sentiebat enim accepisse se non solum tale semen, quod tantum filij loco esset, sed quod ex se posteritatem piorum produceret. Nos admonemur sic esse comparatam generationem piorum, ut initio parum uideatur habitura successus, cum interea floreat natio impiorum? Verùm licet primordia illius obterantur, esse tamen in manu Dei pro ijs qui opprimuntur, aliud substituere semen. Nemo ergo animum despondeat, si uiderit parua regni Dei primordia tyrannide malorum opprimi.

Firmitas Ecclesiæ Dei, sub imagine Seth considerandæ.

Tertiò & illud obserua, quòd nõ dicit, Dedit mihi Deus: sed, Posuit mihi Deus semen aliud pro Habele. In uerbo ponendi cõsideranda est firmitas illa Ecclesiæ Dei, quam ne satan quidem cum omnibus inferorum portis loco mouere poterit. Quare in hoc Seth, id est nõ ab homine, sed à Deo posito ac fundato semine subluxit mysterium Christi, petræ uidelicet, quam Deus ecclesiæ suæ fundamenti loco posuit. Innuebatur & illud, fore quidem, ut in hoc positum semen irruerent omnes aduersariorum conatus, uerùm nihil efficerent.

OBSERVATIO III.

Posteritas piorũ אנרשים, *id est, ærumnosi sunt in hoc seculo.*

Sed & Seth natus est filius, quem uocauit Enos.] Enos Hebraicè אנרש significat hominem miserum, ærumnosum & calamitosum. Quare obseruandum est hic quæ fuerit intelligentia Seth. Licet esset positus & fundatus à Deo, ut caput esset generationis piorum, prudenter tamen agnouit posteros suos in hoc seculo uarijs fore calamitatibus & ærumnis obnoxios. Et reuera ad finem usq; mundi non erit alia sors electorum, donec in hac carne uiuunt, quàm ut sint, אנרשים, id est, ærumnosi & afflicti. Et haud ille uis est & uulgaris sapientia, si quis hanc sortem piorum ritè expenderit.

OBSERVATIO IIII.

Primordijs generationis piorum tribuuntur primordia diuini cultus.

Tunc cœptum est inuocari nomen Domini.] Obserua hic quomodo generationis piorũ primordijs tribuantur primordia diuini cultus, ut scias hoc esse Ecclesiæ Dei proprium, ut nomen Domini inuocet.

Deinde & illud cogita, quàm competenter non dicat, Tunc cœptum est sacrificari nomini Domini: sed, Tunc cœptum est inuocari nomen Domini, ut inuocationem nominis Dei cultum eum esse intelligas, quo Deus à pijs ritè colitur. Vide in cõmentarijs nostris super psalmum 50.

Competẽter cultus Dei adscribitur אנרשים, *id est, ærumnosis pijs.*

Tertiò considerandum etiam est, quàm conuenienter hic cultus Dei, inuocatione nominis Dei constans, adscribatur posteris Seth, qui אנרשים, id est, miseri & adflicti sunt in hoc seculo. Ad hos potissimum pertinet illud, Inuoca me in die tribulationis, &c. Tum sentiebant pij homines, esse se ærumnosos, nec salutem ulli constare constare mortalium aliunde, quàm ex nomine Domini, ideoq; illud inuocare cœperunt.

CAPVT

CAPVT V.

HIc est liber generationis Adam, in die qua creauit Deus hominẽ, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum & fœminam creauit eos, & benedixit illis, & uocauit nomen eorum Adam, in die qua creati sunt. Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filiũ ad imaginem & similitudinem suam, uocauitq; nomen eius Seth. Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth, octingenti anni: genuitq; filios & filias. Et factũ est omne tempus quod uixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est.

LECTIO.

Et uocauit nomen eorum Adam.] Sic habetur & in Hebræo. Græcus uerò reddidit in singulari, *καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτῶ ἀδὰμ*: id est, Et uocauit nomen eius Adam.

Vixit autem Adam centum triginta annis.] Cõcordant Hebræa. At Græcus uehementer dissentit. Nam sic legit, *ἔζησε δὲ ἀδὰμ τριάκοντα καὶ τριακόσια ἔτη*: id est, Vixit uerò Adam triginta ac trecentos annos. Hieronymus annotat ea biblia quæ suo tempore in usu erant, ubi in Hebræo habentur centum anni, & quod excurrit, legere, ducentos annos, & reliquos qui sequuntur, idq; usq; ad diluuium. Et Iosephus legit annos 230.

Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitq; filios & filias.] Totus hic uersus in exemplaribus Græcis, quotquot ego uidi, desideratur.

EXPLANATIO.

Hoc capite Moses breui transcursu capita generationis piorum, qui ante diluuium uixerũt, inde ab Adamo usq; ad quingentesimum annum Noah recenset.

Hic est liber, inquit, *generationis Adam.*] Hebraicè est סֵפֶר, quæ uox recensionem & narrationẽ à uerbo סָפַר deducta significans: aliquando pro uolumine & libro sumitur. Rectius uerteretur hic, Ista est enumeratio generationũ Adæ, ne quis quærat quomodo quæ hoc cap. traduntur, libri titulũ promereantur.

In die, inquit, *qua creauit Dominus hominem.*] Qui ista ad præcedentia connectunt, laborant in expositione, ne locus sit Iudaicis fabulis, quibus uani homines nugantur Adamum in ipso creationis suæ die, cum adhuc esset in paradiso, genuisse liberos. Sic enim ista legunt & intelligunt, Hic est liber generationis Adæ, in die qua creauit Dñs hominẽ. Hoc est: Dicturus sum de generatione Adæ, qua in die creationis suæ liberos genuit. Sic R. Shlomoh exponit. Quare Lyranus dicit, diem positum, pro diebus, numerum singularẽ pro plurali: sicuti factum est suprà cap. 2. ubi legitur, Istæ sunt generationes cœli & terræ quando creata sunt, in die quo fecit Deus cœlũ & terram. Verùm non erat opus huiusmodi expositiõe. Nam hæc particula, In die qua creauit Deus hominem, sequentibus est coniungenda ad hunc modum, ut post titulum huius catalogi, qui dicit, Hic est liber generationũ Adæ, separata periodus hic incipiat: In die qua creauit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum, masculum & fœminam creauit eos, & benedixit illis, & uocauit nomen eorum Adam, in die qua creati sunt. Hæc omnia coniunctim sunt legenda. Nam per recapitulationem repetit ea Moses, quæ suprà sunt cap. 1. de creatione hominis tradita, & prædicat de illa. primùm, quòd in die creationis fecerit Deus hominẽ ad similitudinẽ suam. Deinde quòd creauerit masculum & fœminam. Tertiò, quòd benedixerit illis. Quartò, quòd in ipso creationis die uocauerit nomen eorum Adam. Itaq; dum hanc perticulam sic exponimus, facili compendio & germana explanatione Iudaicas fabulas excludimus, & simplicem uerborum sensum retinemus, ut non sit necesse singularem numerum diei creationis mutare in pluralem.

Illud, Et uocauit nomen eorum Adam in die qua creati sunt, suprà cap. 1. nõ est memoratum: quare haud præter rationem hic est adiectum. Igitur nõ uir tantum, sed & fœmina uocata est Adam, ut quod Latinis est homo, qua uoce simul & mas & fœmina uocantur, id Hebræis sit Adam, uox à tellure deducta, eo quod primus homo מִן הָאֲדָמָה, id est de terra terrenus est conditus. Ob quam ille causam peculiariter ac ueluti proprio nomine uocatur Adam.

Vixit aũt Adam 130. annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinẽ suam, uocauitq; nomẽ eius Seth.] Hinc orditur Moses recensionem generationum ac posteritatis Adæ. Nam quod initio capitis dicit, Hic est liber generationum Adæ, non est intelligendum de generationibus quibus ipse cum Eua sua sit genera-tus, sed de generationibus, per quas ex ipso generata est posteritas piorum, qui ex ordine recensentur. Alioqui Adam & Eua non sunt geniti, sed creati, ille de puluere terræ, ista ex costa illius, ut hactenus uox תּוֹלְדוֹת ipsis competere nequeat. Quare non dixit Moses, ubi de exortu illorum loquitur, In die qua genuit: sed, Qua creauit Deus hominem: item, Ad similitudinem Dei fecit illum, masculum & fœminam creauit eos, &, In die qua creati sunt. Non est genitus Adam: nec genita est Eua, sed uterq; creatus & factus à Deo. Diuinæ generationis prærogatiua Christo est unigenito Dei seruata. Igit Adã & Eua creati & facti à Deo secundũ uirtutẽ diuinæ benedictionis genuerũt ex se sobolẽ, unde omnis humani generis cõstat posteritas & multiplicatio. In præsenti aũt Moses nõ in genere de posteritate Adæ loquitur, sed ſpecialem eius generationis seriẽ recensẽt, unde cõstat Ecclesia & natio sanctorũ patrum,

ex qui-

ex quibus proditurus tandem erat Christus. Quare quod dicit, Vixit Adam centum triginta annis & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, uocauitq; nomen eius Seth, non sic est intelligendū, quòd hic Seth fuerit primogenitus Adæ. nam præcesserant Cain & Habel. Habel erat occisus, Cain reprobus, parabaturq; iam permansura piorum posteritas, ad cuius descriptionem ista pertinent, quæ primordia sua accepit à Seth.

Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitq; filios & filias.] Non recenset Moses horum numerum, nec nomina illorum assignat: sed simpliciter memorat, genuisse Adamum etiam alios filios & filias, ne quis totam illius posteritatem ad tres illos, Cainum, Habelem, & Seth astringat. Meminit autem & filiarum, ne quis quærat, unde sibi filij Adæ sumpserint uxores.

Nec sic est intelligendū quod dicit, Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth, octingenti anni, ac tum subiungit, Genuitq; filios & filias, ut putemus ante natum Seth, nullas fuisse filias ab Adamo progenitas. Aliàs unde fuisset Caino uxor? Quare quod dicit, Genuitq; filios & filias, referendum puto non tantum ad octingentos illos annos, quibus uixit post natum Seth, sed etiam ad præcedentes centum triginta: in quibus si neminem alium, certè Cainum & Habelem atq; aliquot filias genuit.

Et factum est omne tempus quod uixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est.] Quoniam hoc tātum agit in præsenti Moses, ut generationes sanctorum patrum, ab Adamo descendentium, breuiter recenseat, & historiam suam ad Noah usq; expediat, non describit illorum gesta, quæ dubio procul multa & admodum præclara extitere, sed ponit tantum illorum nomina, ortus, prolem præcipuam, annos uitæ, & mortem, atq; ita non egreditur titulum huius catalogi, in quo non dixit, Hic est liber actorum: sed, Hic est liber generationum Adæ. Hanc narrationis moderationem seruat statim initio, ubi de Adamo narrat, dicens, Et factum est omne tempus, quod uixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est: quibus uerbis uenerandissimum generis nostri parentem secundum iudicij Dei sententiam morti obnoxium factum ita sepelit, ut postea non sit illius mentionem facturus.

QVAESTIO I.

Quare dicatur Seth ad imaginē Adæ genitus.

Et genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, uocauitq; nomen eius Seth.] Quæritur hoc loco, quomodo intelligendum sit, quod Adam ubi Seth genuit, filium ad imaginem & similitudinem suam genuisse scribitur, cum nihil huius dictum sit de Caino, nihil etiam de Habele, quos tamen utrosq; negare non possumus fuisse ueros Adæ filios. Variè sentitur hoc loco.

De forma & natura humana.

Alij sentiunt intelligendum esse de forma pariter & natura humana, quam utranq; Adam secūdum genus suum in posteros à se genitos propagarit: perinde ac si dicas de animali quopiam, quòd ad imaginem & similitudinem suam gignat, dum genus ac speciē suam gignendo conseruat & multiplicat. At secūdum hunc sensum potuisset de utroq; & Caino & Habele Moses dicere, quòd genuerit eos Adā ad imaginem & similitudinem suam. Quis enim adeò desipit, ut sentiat eos non fuisse ueros homines, Adæ parenti suo & forma & natura similes, haud minus quàm Seth?

De imagine mentis humanæ.

Alij existimant Mosen loqui non de corporis humani, sed de mentis potius imagine & similitudine. Et isti inter se dissentiunt. Alij intelligunt de imagine & similitudine pietatis & iustitiæ, quæ adhuc reliqua fuerit in Adamo. Sic exponit Chrysostomus: Secundum imaginem, inquit, & similitudinē suam, hoc est, eorūdem morum quibus ille præditus erat qui genuerat, & qui reparare posset sua uirtute prioris peccatum. Huius sententiæ occasionem ex eo sumunt, quòd Seth communiter pro pio ac iusto habetur, qui hic ad imaginem & similitudinē Adæ natus scribitur. Verùm istis potest obijci, quare de Habele nō sit dictum, quòd hoc sit pacto ad imaginem ac similitudinem patris sui Adæ progenitus, cum manifestissimis diuinæ scripturæ testimonijs comprobata sit illius pietas & iusticia magis quàm Seth.

De corruptione mentis.

Quare Lyrano qui hanc sententiam amplectitur, eodem potest argumento contradici, quo ipse contra aliorum sententiam utitur. Alij uerò exponunt de priuatione originalis iusticiæ & corruptione mentis, quam utranq; Adam ex inobedientia & transgressione diuini mandati contraxit. De hac sentiunt Mosen loqui, cum dicit, Et genuit filium ad imaginem & similitudinē suam, ut idem sit, atq;, Et genuit filium sibi similem peccatorem & corruptū. Sed istis potest regeri, debuisse de Caino potius quàm de Seth hoc prædicari, quod peccator & corruptus secundum Adæ parentis corruptionem fuerit natus. Sunt qui respiciant ad imaginem mortalitatis, & omnis generis miseriarū, ad quam Adam filiū suum Seth æquè miserum & mortalem genuerit. Quid ad ista dicendum?

Mea sententia sic habet. Omnino oportet hanc imaginem & similitudinem Adæ, ad quem Seth genitus scribitur, ad ea referri, quæ in Adam, tanquam prototypo, tum reperiebantur, cum filium hunc gigneret. Erat autem Adam natura homo ratione præditus, erat dignitate ad imaginem Dei dominus terræ conditus, erat corruptione, in quam per peccatum inciderat, peccato, multis calamitatibus, morti & corruptioni obnoxius. Quòd Seth igitur ad imaginem ac similitudinem Adæ genitus dicitur, nō est ad alia quàm hæc ipsa referendum, quæ iam recensui, quæ etiam in ipso Seth sunt deprehensa, uidelicet, quod natura natus est homo ex homine, dignitate successerit in locum Caini à Deo excommunicati, ut esset dominus & caput successuræ posteritatis, corruptione peccator, miser, mortalis & corruptibilis, perinde atq; Adam. Et tam abest ut impediant illa quæ de Caino & Habele, ut memini, obijci possent, qui & ipsi tales fuerint, ut magis hanc sententiam cōfirment. Noluit enim spiritussanctus cum ista scriberentur, aliquid scrupulosius & à consueta simplicitate alienum proponere, quod in Seth singulariter esset quærendū, sed simpliciter inculcare conformitatem illam & naturæ, & cōditionis, & corruptionis

ptionis, quæ est inter Adamum tanquam caput generis nostri, & omnem illius posteritatẽ. Nec ratione caret, quòd particulam hanc specialiter de Seth posuit. Habel erat occisus, nec posteritatis aliquid post se reliquit. Quare non erat necessarium, ut de illo scriberetur quod hic de Seth scribitur. Cain, præterquàm quòd reipsa declarauit, qualis esset, nec ipse tamen is erat, unde omnis ad finẽ usq; mundi deducenda esset posteritas. Nam quicquid illius in hunc mundũ uenit, in diluuio periit. Seth uerò in hoc erat à Deo positus, ut ex ipso non solum Christi, sed & totius generis humani propagatio constaret. Vt igitur significaretur, non esse sperandam de posteritate Adæ aliam naturam & cõditionem, quàm quæ esset ipsius protoplastæ, rectè hoc loco adiecta est hæc particula, quòd Adam genuerit filium ad imaginem & similitudinem suam, ubi Seth genuit. Et hac ratione mox initio quasi telum parauit spiritus S. quo nugæ illæ satanæ confodiantur, quibus hæretici Sethiani decepti, hunc Seth, nescio unde, à matre quadam cœlesti ad hoc natum esse fabulant, ut quod interierat in Habele, per ipsum repararetur, ideoq; illi dabant quicquid est uirtutum & iustitiæ. Imò, addebant ipsum eundem esse Christum Iesum. Hisce & consimilibus nugis fortiter occurrit, quod hic Moses licet in speciem præter rationem, reuera tamen non sine magna ratione dilucidè dicit: Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, & uocauit nomen eius Seth. Nisi de Seth legeretur, quòd natus sit ex Adã utique & Eua, deinde & ad imaginem & similitudinem Adæ: præterea quòd genuerit filios & filias, quàm diu uixerit, & quando sit mortuus, quid nugarum de illo non fuisset sparsum, quando ne sic quidem cohibita est nequitia satanæ?

De Sethianis uide Epiph. cõtra hæreses lib. 1.

QVAESTIO II.

Et factum est omne tempus quod uixit Adam, anni nongenti & triginta, & mortuus est.] Primùm quærunt hic, quales fuerint isti prioris seculi anni. Mouit multos insolita illa uiuẽdi prolixitas, quæ tribuitur hic Adæ & posteris eius usq; ad diluuium, ut arbitrati sint, non fuisse temporis illius annos, quales sunt nostri, sic ut nonnulli annum pro mense positum existimarint. Iuxta illorum opinionẽ Adam non est eius uitæ diuturnitatem assequutus, quam nostri seculi homines quamplurimi lõgè excedunt. Nam si annus positus est pro mense, uixit Adam menses nostros nongentos & triginta, qui constituunt annos septuagintaseptem, menses sex. Deinde Cainan, qui anno ætatis suæ 70. filium suum Malaleel genuisse scribit, nondũ annos nostros sex natus genituræ par esse potuit. Nam menses 70. annos nostros quinq;, et menses decem constituunt. Sic isti homines dum ueritati sacrarum scripturarũ figmentis suis & tortis expositionibus consulere uolunt, reddunt eas admodum ridiculas. Tales sunt & eorũ nugæ, qui dicunt decẽ annos prioris seculi, annũ unum duntaxat, quales nostri sunt, adimplesse. Horũ opinione uixit Adam in uniuersum annos 93. Et Enos cum esset nouem annorũ, Cainan septem, Malaleel sex cum dimidio, genuerunt filios. Atq; ita isti quoq; perinde atq; priores, usqueadeò non soluunt hanc quæstionẽ, ut magis generent adhuc alias & absurdas ferant opiniones. Quare ipsa ipsa consulenda est scriptura, quæ satis de ueritate nos præsentis loci instruit, si simpliciter capiatur. Suprà cap. de duobus luminaribus monet scriptura, esse ea condita ad hoc, ut constituant tempora, dies, & annos. Ipse solis cursus, & lunæ uices, si temporis annui circulus consideretur, satis indicant, annum constitui mensibus duodecim, & reuolutione solis ad terminum unde excurrere, & sublimiora petere cœpit. Deinde & historia diluuij, quæ infrà describitur, cum et menses undecim in anno diluuij, & alicubi dies 27. in uno mense numerat, satis arguit illorũ temporum annos totidem menses, menses totidem dies habuisse, quot habent nostri. Si cui lubet, uideat Augustinum de Ciuitate Dei, libro 15. capite 14.

Quales fuerint isti anni prioris mundi.

Duo luminaria.

Historia diluuij.

Cum ergo ad hodiernum usq; diem duo illa luminaria, quæ tempora & annos constituunt, in eodẽ & ordine & cursu perseuerent, quo sunt initio disposita, & annorum qualitas tempore diluuij non fuerit alia quàm quæ nunc est, quis non gemino hoc & cœlestium luminariũ, & historicæ narrationis testimonio satis admonetur, prioris seculi annos nec longiores nostris fuisse, nec breuiores? Rogarim eos, in quonam ex patribus illis qui post diluuium ad Abrahamum usq; uixerunt, hanc annui spacij putent esse factam mutationem, ut annus unius mensis cœperit in duodecim menses extendi. Noe uixit annos 950. Sem filius eius 600. Arphaxat 338. Sale 430. Heber 464. Phalec 239. Reu 242. Saruch 230. Nachor 148. There 205. Abraham 175. Quem dabũt ex istis, cuius ætate mutata sint spacia annui cursus? At interim à Noe usq; ad Abrahamum per decem generationes uita hominis annis septingẽtis septuagintaquinq; decreuit: id quod non est citra singularem dispensationem Dei factum.

Quòd autem nonnulli quærunt, quomodo fieri potuerit, ut homines ante diluuium tot centenarios annorum uiuerent, cum nostris seculis rarissimi sint qui ad centum usq; annos uiuendo perueniant, si diuinæ dispensationis, non dico sapientiam tantum, sed & potentiam inspicerent, non sic de prolixa patrum uita admiratione caperentur, ut in fide ueritatis, quam sacris scripturis debemus, infirmarẽtur. Certissima monumenta immanium corporum quibus olim Gigantes nostram staturam incomparabiliter exuperarunt, non minus adferunt admirationis intuentibus, quàm prolixior solito patrum uita audientibus, & tamen ipso conspectu cogunt nos fateri, mirum in modum defeciisse corpora nostra posterioribus seculis à proceritate antiquorum. Quòd igitur in hac parte, staturas corporum in priscis hominibus concernente, negare non possumus, fuisse illas olim ad miraculum usque nostris lõgè grandiores, robustiores ac proceriores, ita ut uix locustæ, illis comparati, uideri possimus, sicuti de Gigantibus in terra Cenaan uisis dicebant exploratores, admonet nos, ne fidem historiæ sacræ denegemus in re consimili, quod annos patrum concernit, ne illis coniungamur, qui in rerum natura nihil unquã fuisse

putant, cuius nulla uestigia oculis ipsis conspiciant. Quis non rideat Pygmæos, si credere nolint esse homines triplo proceriores quàm sint ipsi, & esse qui uiuant annos centum, eo quòd mulieres eorũ quinquennio pariunt, & octauum uitæ annum non excedunt? Tales uidentur omnino, qui prioris seculi homines ad nostram & staturam & uitæ breuitatem metiuntur.

Adferũt alij naturales etiã causas, de meliori corporũ constitutione, de tẽperantia uitæ, & fructibus terræ sanioribus quàm nunc sint, quas rursus alij sic infirmant, ut tanti non sint habendæ momenti, quibus ista uiuendi miraculosa prolixitas tribui debeat. Satius est, ut quicquid hic insolitũ & miraculosum uidetur, sicuti suprà memini, Deo cuncta disponenti, acceptum feramus, quàm ut ad alias causas respiciamus: quas licet non prorsus improbemus (nam aliquid ad uitam humanam aliquousq; conseruandam facere possunt, si Deus permittat) tanti tamen nõ facimus, ut per eas factũ fuisse sentiamus, quòd Adam annos uixit 930. nisi dicturi sumus Abrahamum propter uitæ intemperantiam & defectus fructuum tantum 175. annos uiuere potuisse.

QVAESTIO III.

De salute Adæ. *Et mortuus est.*] Mouent hic nonnulli quæstionem de salute Adæ. Eusebius in Ecclesiasticis historijs libro quarto, capite uicesimooctauo ex Ireneo ista citat. Saturniani & Marcionitæ, quos Encratitas uocant, uitandas nuptias prædicarunt, antiquam Dei formationẽ reprobantes, ac sensim cum reprehendentes, qui maris & fœmellæ generationem fecit. Deinde & animatorum, sicut apud eos uocantur, abstinentiam omnium factori Deo ingrati induxerunt. Cõtradicunt etiam primi hominis saluti. Et hoc iam deprehensum est in illis, Taciano quodam primũ hanc blasphemiam introducente. Hæc ille.

Quamuis nõ legamus quid Tacianũ istum cum sectatoribus ipsius mouerit, ut primũ hominem, generis nostri parentem, æternæ salutis expertem esse contenderint: possumus tamẽ facilè saltem aliquas causas coniecturando cogitare, quibus ad hanc fuerint opinionem moti: utpote, quòd peccator fuit, quòd primus peccatum, mortem, & condemnationem in uniuersum genus humanum deriuauit: demq; quòd de peccato suo pœnituisse non legitur. Forsan habuerunt isti hæretici etiam secretæ aliquid absurditatis unde causas sint huius opinionis commenti. Verùm de his loquemur, quas recensuimus, uidebimusq; an satis firmæ sint, ad hoc, ut primo homini salutem adimant.

Principiò, planè uerum est, fuisse Adamum peccatorem, primumq; & peccatum & mortem, & condemnationem in genus humanũ unà cum generis propagatione deriuasse. qua de re Apostolus ad Romanos quinto, & 1. ad Corinthios decimoquinto disertè scribit. Deinde & illud uerũ est, quòd propter transgressionem diuini præcepti, & istam corruptionem quæ est per peccatum, dignus fuerit condemnatione: nec seipse ab ea potuerit eximere. Inde tamen colligi non potest, fuisse eum minus capacem salutis, quæ per Christum est, quàm cæteros mortales. Venit Christus in hunc mundum peccatores saluos facere. Fuit Adam peccator: Ergo propter hunc quoq; uenit. Peccauit primus? Fecit hoc non sicut satan suopte motu, sed per uxorem inductus. Per peccatum suum totũ genus humanum peccati ueneno infecit, morti ac perditioni subiecit? Verum est: sed ob id non debet peccatum ipsius sic exaggerari, ut salutis quæ per Christum est, capax esse nequeat. In hoc toto nihil potest illi impingi, quàm quòd mandatum Dei transgressus est, pro cuius transgressionis culpa, reatu, pœna & effectu mortuus est Christus. Etenim quòd natura iam per peccatum corruptus erat, suapte uirtute emendare non potuit, nec efficere ne sibi similes peccatores & miseros ipse peccator & miser gigneret, nisi prorsus nullos gignere uoluisset. Quod genus humanũ sibi similes gignendo multiplicauit, erat ex uirtute diuinæ benedictionis. Quòd peccatores ac morti obnoxios genuit, erat ex naturæ corruptione quam per diuini mandati transgressionem incurrerat quidem, inde tamen sese extricare nõ poterat, sed & ipse unà cum posteris suis ad finem usque mundi uenturo Christo, semini benedicto, communi & uni omnium mediatori, redemptori, ac seruatori Deo reconciliandus, redimendus, ac saluandus reseruabatur. Quare cauendum est, dum legimus Deum sic dilexisse mundum, id est, uniuersum genus humanum, ut filium suum unigenitum daret: & Christum esse agnum Dei, tollentem peccata mundi, & propiciationẽ pro peccatis totius mundi, & inde ab origine mundi pro peccatis nostris occisum: ne excludamus eum, qui non simpliciter portio quædam, sed primus parens ac ueluti caput est mundi, totius uidelicet generis humani, nec peccatum illud primarium ab expiatione quæ per Christum est eximamus, ne dum illius consideramus grauitatem, gloriam redemptoris Christi diminuamus, ac de plenitudine communis redemptionis maximam partem detéramus, quasi usqueadeò Christus non sit totius generis humani seruator, ut eum seruare uel nequiuerit, uel noluerit, qui caput illius est, sed membra duntaxat seruauerit: sicq; non sustulerit prorsus peccata mundi, ut radicem illorum auferre nequiuerit uel noluerit. Quis dicat eum medicum uniuersam curasse familiam, qui patremfamilias nõ curauerit? uniuersum sustulisse morbum, qui caput & radicem morbi non sustulerit? Si noluit Christus Adamum seruare, quare sese ad carnis illius communicationem demisit? Si solus Adam à gratia Christi exclusus est: quæ ratio erat Lucæ, ut incarnationis Christi primordia ad ipsum usque deduceret? Quis non uider ob id illud esse factum, ut admoneremur uenisse Christum in carnem nostram, non ut aliquam duntaxat illius portionem, sed ut uniuersam inde à capite ac primo parente ad finem usque seruaret? Vidit Ireneus plurimum pertinere ad plenitudinem humanæ redemptionis quæ per Christum est, ut si quisquam mortalium certè primus, qui Adam est, sit seruatus, ut ab hac salute nemo minus quàm ille fuerit excludendus. Nam libro tertio aduersus hæreses Valentini & similium, capite triceſimoquarto, ad hunc modum de salute

de salute Adæ scripsit: Cum saluatur homo, oportet saluari eum, qui prior formatus est homo, quoniam nimis irrationabile est, illum quidem, qui uehementer ab inimico læsus erat, & prior captiuitatẽ passus est, dicere non eripi ab eo qui uicerit inimicum: ereptos uerò filios eius, quos in eadem captiuitate genera uit. Hæc ille. Non est igitur præter rationem, quod Ecclesia Christifidelium communiter de Adamo semper sensit, esse illum ex inferis per Christum unà cum reliquis patribus liberatum.

Qua de re Augustinus epistola nonagesimanona ad Euodium sic scribit: Et de illo quidem primo homine patre generis humani, quòd eum ibidem soluerit, ecclesia ferè tota consentit, quòd eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur authoritas. Quanquam illud quod in libro Sapientiæ scriptum est, Hæc illum, qui primus factus est, patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit & eduxit illum à delicto suo, &c. magis pro hac sententia quàm pro ullo alio intellectu facere uideatur. Hæc iste.

Locus crucis Christi.

Ad eundem scopum pertinet, quod traditum est apud ueteres, eo loco crucifixum esse Christum, ubi Adam sepultus iacet: cuius traditionis mentionem faciunt & Origenes & Cyprianus. Origenes in Matthæum homilia tricesimaquinta sic dicit: Venit ad me traditio quædam talis, quòd corpus Adæ primi hominis ibi sepultũ sit, ubi crucifixus est Christus, ut sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes uiuificentur, ut in loco illo qui dicitur Caluariæ locus, id est, locus capitis, caput humani generis resurrectionem inueniat cum populo uniuerso per resurrectionẽ Domini saluatoris, qui ibi passus est & resurrexit. Inconueniens enim erat, ut cum multi ex eo nati, remissionem acciperent peccatorum, & beneficium resurrectionis consequerentur, non magis ipse pater omnium hominum huiusmodi gratiam consequeretur.

Et Cyprianus in sermone de Resurrectione Christi: Ita nos, inquit, ad Christum pertinentes, cuius sanguine conspersa creditur Adæ caluaria, qui sub loco quo crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis, eiusdem sanguinis elapsu sanctificati lætemur in Domino, &c.

Et Capnio libro primo Cabalæ opinionem istam firmare uidetur, cum dicit Adamum in monte Moriæ, ubi postea condita est Hierusalem, struxisse altare, ibiq; cum filijs suis Caino & Habele Domino Deo sacrificasse. Quòd si uerum iudicari potest, proximum est, ut ibi credatur etiam sepultus esse, ubi cultum Dei cum suis exercuit. Opiniones ac traditiones patrum non æquamus sacris & Canonicis scripturis, sed propter scopum quo respexerunt, gloriam uidelicet plenæ redemptionis humanæ, Christo debitam, ista contra uaesaniam Tacianorum adducere uolui.

Quòd si dixerint: Sine pœnitentia nemo seruatur: Adam nusquam pœnituisse legitur: Ergo Adam saluatus nõ est. Respondemus: Corrigite fallaciã Elenchi, & cõstitute in termino. Non potestis dicere, Adamum nunquam pœnituit delicti. Quare non potestis certò concludere, Adam saluatus non est. Nõ omnia dicta, facta & cogitata Adæ sunt literis tradita. Aliud est, non legi quòd pœnituerit: & aliud, quòd nunquam pœnituerit. Non legimus de pœnitentia Seth, & aliorum multorum, quibus tamen ob id adscribere non possumus, quòd expertes fuerint ueræ pietatis, fidei, ac salutis per Christum partæ. Intolerabilis temeritas est, cupiam mortalium, qualis qualis sit, gratiam Christi denegare, nisi certò de finali illius impœnitentia & incredulitate constet, nedum ei, cuius salus potissimùm ad gloriam pertinet Seruatoris. Quæso, an non sit probabilius, ut uel ex eo colligamus, Adamum & Euam uerè & ex animo respuisse, quòd post primam illam transgressionem diuini mandati non leguntur enorme aliquod delictum admisisse, sicuti solent homines impij? Vnde facile intelligi potest, uixisse eos piè & in timore Dei, ac spem seminis benedicti caput serpentis contrituri firma fide retinuisse. Quare haud præter rationem ab Augustino in libro de Baptismo paruulorum sic scribitur. Sicut illi primi parentes postea iustè uiuendo creduntur per Domini sanguinem ab extremo liberati supplicio, non tamen in illa uita meruerunt ad paradisum reuocari: sic & caro peccati etiam remissis peccatis, si homo in ea iustè uixerit, non continuò meretur eam mortem nõ perpeti, quam traxit de propagine peccati. Hæc ille. Quare dicendum est istis Tacianis, quoniam de Adamo quòd post transgressionem diuini mandati per impœnitentiam impiè uixerit: perinde nõ legitur, atq; quòd eum delicti pœnituerit, ut uel potius more fidelium, bonorumq; & gratorum hominum ea ex non scripto colligant, quod & salutis est humanæ, & gloriæ Christi, quàm quod utriq; est cõtrarium: quandoquidem usum ipsis est ex eo quod scriptum nõ est aliquid posse probabiliter colligi, uel secundum nomen suum, magis quàm secundum hæreticam temeritatem, taceant de rebus non liquidè cõpertis, sintq; uerè Taciani, quales esse optarim omnes eos qui ora sua aduersus gloriam Christi soluunt.

OBSERVATIO I.

Hic est liber generationis Adam, &c.] Cogitemus hic, plurimùm referre, ut de generatione hominum cum homines simus, probè instruamur. Alioqui, quid necesse erat Mosi eandem rem repetere, qua de superà capite primo, deinde & secundo satis quæ uidebantur manifestè exposuit? Vt autem de ijs quæ superà capite primo & secundo didicimus, rursus admoneamur, sciamusq; quarum rerum ad hanc causam pertinentium memoriam retinere debeamus, uelut in transcursu statim primis duobus uersibus repetit ista. Primùm, esse hominem creatum. Deinde, esse à Deo creatum. Tertiò, esse creatum non ab æterno, sed in tempore. In die, inquit, qua creauit Deus hominem. Quartò, esse factum ad similitudinem Dei: Ad similitudinem, inquit, Dei fecit illum. Quintò, esse factum non simplicem ac solum, sed geminum.

Perpetuò recogitandũ esse, quales simus conditi

Sextò, esse factum non uno tantum, sed gemino sexu constantem, masculino uidelicet & fœminino. Ma A
sculum, inquit, & fœminam creauit eos. Septimò, esse utrumq; hominem à Deo benedictum: non uirum solum, non fœminam solam, sed utrumque & uirum & fœminam, quo ad multiplicationem generis humani fertiles esse possent. Neque enim uir, sicuti Paulus dicit, sine muliere, nec mulier sine uiro in Domino. 1. Corinth. septimo sic dicit, Et benedixit illis. Octauò, esse utriusq; originem eandem, è terra uidelicet: id quod per impositionem nominis Adæ, id est terræ, significatur, cum dicit: Et uocauit nomen eorum Adam. Hæc uolui breuiter in præsenti perstringere, de quibus suprà cap. 1. & 2. suis locis accuratius admonuimus.

OBSERVATIO II.

Imago Christi in Seth cõsiderãda

Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, uocauitq; nomen eius Seth.] Obserua. Duo hic de Seth prædicantur. Vnum, quòd sit genitus ad imaginem & similitudinem Adæ, uerus filius Adæ. Alterum, quòd sit uocatus Seth, id est Positus: cuius nominis rationẽ ipsa Eua suprà cap. præcedenti expressit, dicẽs: Posuit mihi Deus semen aliud, p Habele. Cẽiungamus ista. Videmus hic unum & eundem hominem semen esse à Deo positum, & filium Adæ ad illius imaginem & similitudinem genitum. Ergo potest à Deo positus esse uerus filius Adæ, & ad illius imaginẽ ac similitudinem gigni: deinde uerus filius Adæ, ad illius imaginem & similitudinem natus, esse semen à Deo positum. Qua in re pulchrè exprimitur typus Christi, seminis benedicti, à Deo positi, & similiter ex carne Adæ, ad imaginem & similitudinem eius, tanquam uerus & illi ὁμοούσιος filius, progeniti. Ita mysterium Christi in hoc filio Adæ Seth, quasi adumbratum uidemus. Quare quemadmodum Adam & Eua in hoc filio suo non quòd carne erat natus ex ipsis, sed quòd à Deo singulari erat consilio non simpliciter datus, sed positus pro iusto Habele oculis fidei contemplabantur: ita & nobis in Christo considerandum est, non solum quòd secundum carnis natiuitatem filius est Adæ ad imaginem & similitudinem illius genitus, sed cum primis, quòd est uerus Seth, positus uidelicet & obsignatus à Deo reparator generationis iustorum & electorum, quorum typus primarius in Habele præcessit.

Idem affectus fidei erga promissum semen in Adamo & Eua fuit.

Deinde & illud considera. Suprà de Eua dixit Moses, quòd filium hunc suum uocarit Seth, accessionis uice adiecerit, Posuit mihi Deus semen, &c. hic uerò & Adæ tribuit, quòd ipse filium hunc suum uocarit Seth. Ergo admonemur, fuisse in utroque & Adamo & Euah eundem fidei ac spei erga promissum semen affectum. Pulcherrimum nobis hac in re proponitur fidelium & concordium in pietate coniugum exemplum, quod imitemur.

Tertiò admonemur, quæ sit seruanda ratio imponendorum nominum. Sed ea de re quædam annotauimus in Cõment. nostris super Matth. cap. 10. B

Quartò, cogitandum etiam hic est, quanta sit temeritas illa Tacianorum, cuius paulo antè in quæstionibus memini, qua Adamum primum parentem perinde ac si impius fuerit, à salute quæ per Christum est, excludunt. Cum uel hoc saltem loco pietatis illius, fidei ac spei specimen obseruare liceat.

OBSERVATIO III.

Quòd uita hominis appellatione dierum uocatur ac recensetur.

Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitq; filios & filias.] Vsitatissimum quidem in sacris scripturis est, ut uita hominis, quantumuis prolixa, dierum appellatione uocetur. Sicdicit hic Moses, Et facti sunt dies Adam anni octingenti. Item, iuxta Hebræum contextum, Et facti sunt omnes dies Adæ quibus uixit, anni nongenti triginta. Consimili loquutione utitur & in sequentibus. Verùm non caret considerationis utilitate, si expenderimus quamuis prolixam nostrã uitam dierum inuicem succedentium breui transcursu consummari, ut quoties unus dies elapsus est, uitæ nostræ partem absumptam esse cogitemus. Huiusmodi obseruatio si sit non annua tantum, sed quotidiana potius, admonet nos, ut tempus uitæ nostræ bene collocemus. Qui de summa pecuniæ suæ quotidie expendit, nec rationem habet eorum quæ erogat, opinione citius consumpta omni summa ad paupertatem delabitur. Idem usuenit & nobis, dum nõ cogitamus omnem nostram uitam singulorum dierũ transcursu consummari, præsertim cum summam illorum ignoremus.

Obseruãda sunt luminaria populi fidelium.

Deinde & illud obserua, quòd de reliqua sobole Adæ simpliciter dicit, Genuitq; filios & filias, cum sit uerosimile per annos illos octingentos, uel certè prope nongentos, factam illam fuisse numerosam. Non nominat eos, nec exprimit numerum, cum tamen de generatione Adæ loqui, & catalogum illius contexere cœperit: ad quam utique non solus Seth cum nepotibus ac posteris nominatim subiectis, sed & uniuersa reliqua illius soboles pertinet. Admonemur itaque hac consideratione, licet innumera sit multitudo filiorum Adæ, etiam ad generationem piorum pertinentium, potissimam tamen esse habendam eorum rationem, qui inter illos diuina sunt dispositione, quasi luminaria quædam, præ alijs illustrati: quales sunt patres isti decem usque ad Noe, deinde reliqui decem à Sem filio Noe usq; ad Abrahamum, & ab Abraham usque ad Mosen, post hunc prophetæ ac reges usque ad Christum, & post Christum apostoli, apostolici uiri, Euangelistæ, doctores, &c. & qui sanguine confessionis Christum filium Dei glorificarunt. Sunt quidem Deo accepti in uniuersum omnes ad plenitudinem fidelium pertinentes, quantumuis multi, promiscui, & obscuri. Verùm singularia illa capita, instar luminarium in populo Dei inde ab initio mundi ad finem usque lucentia, ut nominatim à spiritu S. exprimuntur, ac reliquis non superstitiosè & impiè adoranda, colenda & inuocanda, sed piè ac salubriter imitanda proponunt, ita & nobis etiam singulariter sunt obseruanda.

Et factum

OBSERVATIO IIII.

Et factum est omne tempus quod uixit Adam anni nongenti triginta, & mortuus est.] Cogitandum hic est de consilio Dei, quo uoluerit Adamum ac sequentes nouem patres ad diluuium usq; tam prolixè in misera hac & ærumnosa uiuere carne. Non scrutamur secretiora Dei consilia & iudicia, sed ea inspicimus & obseruamus quæ ex ipsis illius operibus diligenti possunt consideratione cognosci. Condiderat Adamum non propter ipsum tantum, sed ut esset caput humani generis. Genus humanum fecit ad nominis sui gloriam, ut ab illo agnosceretur, coleretur, & tanquam unus ac uerus omnium Deus, conditor & seruator omnium glorificaretur. Sic dicebat Athenienſibus Apostolus Actuum decimoseptimo, Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, &c. fecit ex uno omne genus hominum habitare super uniuersam faciem terræ, definiens stata tempora, & terminos habitationis eorum, ut quærerent Deum, &c. Voluit igitur, ut Adam primus ille homo, quem ad imaginem ac similitudinem Dei condiderat, de creatione omnium instruxerat, cui rerum omnium primordia, paradisi etiam gloriam ac felicitatem, denique & causas humanæ corruptionis, calamitatis & mortalitatis ostenderat, tam diu uiueret, ac posteros suos de his omnibus quæ à Deo ipso audierat, oculis suis uiderat, rebus ipsis expertus fuerat, certa & fideli narratione exponeret, ac fidem unius ac ueri Dei, creationis q; & prouidentiæ eius, promissi denique seminis primis humani generis capitibus traderet, atque ita ad diluuium usque proueheret. Sic prius illud seculum decem luminaribus, ne prorsus omnia tenebris ignorantiæ Dei essent obuoluta, illustrauit, Adamo uidelicet, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Henoch, Mathusalem, Lamech, & Noe, quorum uitam ad diluuium usque propagauit. Adam igitur nongentos triginta uiuens annos, uidit nepotes suos ad nonam usque generationem. Durauit enim usque ad quinquagesimum sextũ annũ uitæ Lamech, ita ut desiderarentur anni ad Noe usq; centum uigintisex, & ad diluuium septingenti uigintisex. Sic simul uixerunt patres illi generis nostri, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Henoch, Mathusalem, & Lamech, quos Adam omnes uiua uoce in cognitione Dei, & de primordijs rerum dubio procul instituit. Lamech quæ ex ore ipsius Adæ accepit, postea filio suo Noe tradidit, per quem in alterum illum mundum, in quo nos adhuc uiuimus, transfunderentur. Atque ita factum est, ut fides & cognitio unius ueri Dei, creatoris omnium, & historia primarum mundi rerum non solum in priori seculo certa & indubitata seruaretur, sed & in sequentem mundum eadem certitudine deriuaretur, quandoquidem inter Adamum & Noe unus tantum homo, Lamech uidelicet intercesit, qui filio suo Noe ab ipso Adamo fideliter accepta pari fide concredidit. Quare præter rationem nõ est, quod
B nonnulli dicunt, ad utilitatem humani generis esse factum, quòd patres isti tam prolixè uixerunt. Hanc utilitatem uerò, meo iudicio, non satis considerant, qui illam referunt ad scientiam & experientias de cursu & effectibus siderum.

Quare uoluerit Deus Adamũ et patres sequentes tam prolixè uiuere.

Et mortuus est.] Considera hic diuinæ sententiæ ueritatem, qua dictum fuerat Adæ, Quocunque die comederis ex eo, morte morieris. atque ita ueritate diuinæ sententiæ re ipsa declarata, simul declarata est et nequitia mendacis satanæ, qui dixerat, Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Deinde obserua patientiam Dei, qua iudiciorum suorum effectum, ac uerbi sui ueritatem tam diu nonnunquam differt, ut nihil illis ueri inesse uideatur. Cum Adam etiam noningentesimum annum uiuendo excederet, poterat uideri non moriturus unquam. Ita hodie quoque, quoniam aduentus Christi ad iudicium tot seculis differtur, reperiuntur innumeri, qui non credant illum unquam rediturum, sed uana esse omnia quæ de extremo iudicio in sacris scripturis traduntur. Quare curandum nobis est, ne propterea putemus esse uana, quæ in uerbo Dei uel promittuntur credentibus, uel minando proponuntur incredulis & impœnitentibus, quòd non statim re ipsa perficiuntur: sed consideremus potius longanimitatem Dei, illamq; cum beato Petro salutem arbitremur.

Diuinæ sententiæ ueritas.

Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos. uixit´que Seth postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuit´que filios & filias. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum. Vixit uerò Enos nonaginta annis, & genuit Cainan. Post cuius ortum uixit octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias. Factiq; sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est. Vixit quoque Cainan septuaginta annis, & genuit Malaleel. Et uixit Cainan postquam genuit Malaleel octingentis quadraginta annis, genuit´que filios & filias. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus est. Vixit autem Malaleel sexagintaquinque annis, & genuit Iared. Et uixit Malaleel postquam genuit Iared, octingentis triginta annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti & nonagintaquinque anni, & mortuus est. Vixit´que Iared cen

tum ſexagintaduobus annis,& genuit Enoch. Et uixit Iared poſtquam genuit Enoch octingentis annis, & genuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Iared, nongenti ſexagintaduo anni, & mortuus eſt. Porrò Enoch uixit ſexagintaquinque annis,& genuit Mathuſalem. Et ambulauit Enoch cum Deo. Et uixit Enoch poſtquam genuit Mathuſalem, trecentis annis, & genuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Enoch trecenti ſexagintaquinque anni. Ambulauitque cum Deo,& non apparuit, quia tulit eum Deus. Vixit quoque Mathuſalem centum octogintaſeptem annis, & genuit Lamech. Et uixit Mathuſalem poſtquam genuit Lamech, ſeptingentis octogintaduobus annis, & genuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Mathuſalem nongenti ſexagintanouem anni, & mortuus eſt. Vixit autem Lamech centum octogintaduobus annis,& genuit filium, & uocauit nomen eius Noe, dicens: Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum, in terra cui maledixit Dominus. Vixitque Lamech poſtquam genuit Noe, quingentis nonagintaquinque annis, & genuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Lamech, ſeptingenti ſeptuagintaſeptem anni, & mortuus eſt. Noe uerò cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth.

LECTIO.

Vixit Seth centum quinque annis, & genuit Enos.] Concordant Hebræa. Græcus habet, Vixit autem Seth ducentis & quinque annis. Deinde ubi Hebræus & uulgata latina habent, Vixit Seth poſtquam genuit Enos,octingentis ſeptem annis,genuitque filios & filias: Græcus legit,ſeptingentos ac ſeptem annos. Atque ita in ſummario numero concordat, dicens: Et facti ſunt omnes dies Seth, nongenti duodecim anni.

Vixit uerò Enos nonaginta annis, & genuit Cainan.] Græcus legit hic,annos centum nonaginta. Et poſtea ubi nos cum Hebræis legimus, Poſt cuius ortum uixit annis octingentis quindecim, ut in numero ſummario concordet,legit: Et uixit Enos poſtquam genuit Cainan, annos ſeptingentos quindecim: atq; ita dies uitæ Enos conſtituit pariformiter nongentos quinq; annos.

Vixit quoque Cainan ſeptuaginta annis.] Græcus habet,centum ſeptuaginta.

Et uixit Cainan poſtquam genuit Malaleel,octingentis quadraginta annis.] Græcus legit, ſeptingentos & quadraginta annos. Et ſic hic quoq; in ſumma annorum uitæ Cainan concordat.

Vixit autem Malaleel ſexagintaquinque annis.] Et hic Græcus addit centum,quos annis poſt natũ Maleleel poſtea demit,ut in ſumma capitali concordet.

Vixit Iared centum ſexagintaduobus annis.] Græcus & Hebræus,& Vulgata lat. in hoc Iared cõſonant.

Porrò Enoch uixit ſexagintaquinque annis.] Græcus hic quoque centum annos adijcit, & poſtea annis ſequentibus totidem adimit,ut in ſummario numero non diſcrepet.

Præterea quod in Hebræo legitur, Et ambulauit Enoch cum Deo, ipſe legit, εὐηρέστησε δὲ ἐνὼχ τῷ θεῷ: quod uertunt, Placuit uerò Enoch Deo. Ea lectio reddit lectorem hæſitabundum. Nam immediatè ſubditur, Poſtquam genitus eſſet ipſi Mathuſala annis ducentis,& genuit filios & filias. Vulgata latina interiecit, Et uixit Enoch, poſtquam genuit Mathuſalem, &c. Illud, Et uixit, in Hebræo non eſt. Verùm latinus interpres adiecit de ſuo,ut lectionem expeditiorem redderet,ne intelligat lector de Enoch prædicari à Moſe, quòd trecentis tantum annis coram Deo ambularit, ſed quòd poſt natum Mathuſalem trecentos annos uixerit,filiosq; & filias genuerit. Incõmoditas græcæ uerſionis tolli poteſt,ſi non legatur, Placuit uerò Enoch Deo: ſed, Approbauit ſe Enoch Deo, poſtquã genitus ipſi eſſet Mathuſala,annis ducentis.

Vixit quoque Mathuſalem centum octogintaſeptem annis.] Quemadmodum in Iared, ita hic quoq; nihil eſt diſcrepantiæ.

Vixit autem Lamech centum octogintaduobus annis.] Habet hic Græcus annos centum octogintaocto, abundans ſexennio.

Vixit Lamech poſtquam genuit Noe,quingentis nonagintaquinque annis.] Græcus legit, quingentos ſexagintaquinq;,deficiens annis triginta. Ideoq; dies uitæ Lamech conſtituit annos ſeptingentos quinquagintatres,cum nos,quemadmodũ & Hebræi,legamus ſeptingentos ſeptuagintaſeptem. Sic in ſummario numero diſcrepantia annorum uigintiquatuor reperitur,quibus Græcus deficit.

Habet

EXPLANATIO.

Habet hic contextus catalogum primorum patrum, nepotum Adæ, capitum singularium & illustrium, quorum generatio reliquias nobis dedit, unde postea alter hic mundus, priore consumpto ac deleto, exortus est: unde etiam natus est Christus seruator omnium. Recenset autem Moses non solum illorum nomina, sed & generationes, & annos uitæ. Atq; ita seriem generationum illorum, & annorum numerum ad tempus usque diluuij deducit, quo manifestum fiat, quàm diu prior mundus inde ab initio creationis ad diluuium usque durauerit, ac quibus capitibus generatio & Ecclesia piorum constiterit.

Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos.] De hisce duobus mentio facta est in calce capitis præcedentis. Seth uixit usque ad annum sexagesimumoctauum uitæ Lamech, obijt'q; quum ad natiuitatem Noe anni quatuordecim, & ad diluuium usq; sexcenti & quatuordecim desiderarentur.

Vixit uerò Enos.] Quoniam iste uixit annos nongentos & quinq;, consequens est, quòd obierit anno uitæ Noe octuagesimoquarto, ante diluuium 516. atque ita uiderit posteros suos Cainan, Malaleelem, Iared, Henoch, Mathusalah, Lamech, & Noe.

Vixit quoq; Cainan 70. annis.] Summa dierum huius fuit numerus annorum 910. Obijt ergo anno Noe centesimo septuagesimonono, ante diluuiũ anno quadragesimo uicesimoprimo. Significat autem Cainan lamentationem, à uerbo קין.

Vixit autem Malaleel sexagintaquinq; annis.] Vixit hic in summa annos octingentos nonagintaquinq;. Obijt itaque anno Noe 234, ante diluuium 366. Ipsum nomen מהללאל, laudatorem ac celebratorem Dei significat.

Vixitq; Iared centum sexagintaduobus annis.] Vita huius fuit annorum nongentorum sexagintaduorum. Mortuus itaque est anno Noe trecentesimo sexagesimosexto, ante diluuium ducentesimo tricesimoquarto. Est autem Iared idem quod descensus, si deducas à uerbo ירד: uel dominium, si deflectas à uerbo רדה.

Porrò Henoch uixit sexagintaquinq; annis.] Vita huius fuit annorum 365. Ergo ad dimidium ætatis maiorum suorum, filij etiam Mathusala & nepotum non peruenit. Translatus est anno patris sui Iared, 597, filij sui Mathusalem trecentesimo, Lamech nepotis sui centesimo decimotertio, ante natum Noe sexagesimonono, & ante diluuium 669. Dicit hunc Moses ambulasse coram Domino, quod idem est
B atq; uersatũ esse in fide, timore, obseruãtia & cultu Dei. Dum de obseruantia & cultu Dei loquor, nolo me quisquam monasticè loqui putet, propterea quòd uox obseruantiæ monachis, quos rectius polyachos quàm monachos dixeris, nostro seculo adaptari cœptum est. Non fuit monachus Henoch, sed maritus ac pater filiorum & filiarum. Quòd autem coram Domino ambulasse scribitur, non sic est intelligendum, ut reliquis & præcedentibus ipsum ac sequentibus patribus existimationem ueræ pietatis adimamus, quasi non & ipsi coram Domino piè & religiosè ambulauerint. Quod hoc de isto Moses expresse commemorare uoluit, factum est ad hoc, ut ueluti causam translationis eius cuius erat mentionem facturus, præmitteret. Quare etiam particulam hanc repetijt, eiq; quod de translatione dicturus erat, immediatè præposuit, dicens: Ambulauit'q; cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Nolim autem repugnare, si quis sancto isti patri tribuat, quòd singulari quadam & præcipua pietate præditus religiosius cæteris coram Domino sit conuersatus. Quòd autem dicit, Et non apparuit, quia tulit eum Deus, omnino singularem quendam modum innuit, quo Enoch è medio nationis prauæ diuinitus est sublatus. Nec est, ut disputemus, factum ne sit hoc morte intercedente, quod nonnullis nostris temporibus doctoribus probari uideo: uel secus, quod à ueteribus communiter sentitur. Illud satis innuitur cum dicit, Et non apparuit: uel ut in Hebræo est ראיגבר, id est, Et non ipse, esse eum subitò, præter omnium expectationem, tempore uitæ consueto, nondum ad diluuium usq; consummato, dixerim etiam, modo insolito, è medio subjatum. quale est quod Eliæ accidit: præsertim cum subiungatur, Quia tulit eum Deus. Aufert & illos Deus ex hoc mundo, qui morte abripiuntur: uerùm quoniam epistola ad Hebræos diserte dicit capite 11. Fide Enoch translatus est, ne uideret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus: quicquid aliqui recentiores dicant, mihi simplicitas contextus, & authoritas epistolæ ad Hebræos persuadent, sic esse Henoch ex hoc mundo translatum, ut mortem nõ uiderit modo uulgari, & à suis etiam perinde atq; Elias quæsitus sit, nec inuentus.

Vixit quoque Mathusalem centum octogintaseptem annis.] Vixit iste annos nongentos sexagintanouem, diuturnitate uitæ cunctos superans. Obijt tamen & ipse anno Noe nepotis sui sexcentesimo: eo uidelicet, quo inundaturum erat diluuium. Significat autem מתושלח mortis gladium. Alij interpretantur mortis missionem, uel mortis spolium.

Vixit autem Lamech centum octogintaduobus annis.] Numerus annorum uitæ Lamech est 777. Decessit igitur ex hac uita anno uitæ Noe filij sui quingentesimo nonagesimoquinto, quinquẽnio ante diluuiũ. Ergo sub isto Lamech decesserunt ex hac uita luminaria illa magna Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, & Henoch. Pater eius Mathusalah quinquennio post obitum eius mortuus est.

Et *genuit filiũ*, inquit, *& uocauit nomen eius Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operib. & laboribus manuũ nostrarũ in terra cui maled. Dom.*] Noe Heb. נח significat requiẽ ac refocillationem. Quare hoc nominis

filio suo imposuerit Lamech, Moses non tacet, dum uerba illius recitat. Iste, inquit, consolabitur nos a b A operibus & laboribus, &c. Quamuis in Hebræo sit יְנַחֲמֵנוּ à uerbo נחם, quod consolari significat, loquutus tamen est Lamech de tali consolatione, quæ requiem adferat: unde & filium suum נח, id est, quietem uocauit. Quare præter rationem non est quòd Græcus uertit, οὗτος διαναπαύσει, id est, ille quiescere ac cessare nos faciet. Sic & Hieronymus legit.

Quod legimus, Ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus, in Hebræo habetur, Ab opere nostro, & adflictione manuum nostrarum, à terra cui maledixit Dominus. Exponuntur autem ista aliter atq; aliter. Quidam intelligunt, Lamech respexisse ad semen illud benedictum, quod caput serpentis conquassaturum, generisq; humani ærumnas è medio sublaturum esset, putasséq; hunc suum filium esse hoc semen primis hominibus promissum, & sanctis patribus tot iam seculis expectatum ac desideratum. Si hunc sensum recipimus, idem fuit uotum Lamech, idemq; error in persona & tempore filij ipsius, quo Euam suprà capite tertio in Caino & prædictam & deceptam fuisse legimus.

Alij exponunt de eo, quòd hic Noe esset labores & molestias agriculturæ manuariæ, quibus seculum illud manibus terram colendo fuerit fatigatum, usu boum inuento releuaturus: cuius sententiæ causam sumunt, quum ex hisce uerbis, quòd in illis mentio fit laborum & operum manuum, & terræ à Deo maledictæ, tum ex eo quod infrà capite nono legitur, Cœpit Noe uir agricola exercere terram. Verùm infirmiora sunt ista, quàm ut pro certis haberi debeant (neque enim uspiam de usu boum per Noe inuento legitur, nec textus id Noe tribuit quòd fuerit primus agricola) & humiliora quàm ut tanto uiro, longè ad maiora destinato, debuerit illorum gratia hoc nominis imponi, ut Noe, id est quies uocaretur.

Hieronymus & Chrysostomus alio sensu uerba Lamech exponunt, nempe isto: Hic quiescere nos faciet ab omni illa molestia qua adflictamur, dicq; terra hac à Domino maledicta, propterea quòd sub eo futurum est, ut cuncta per diluuium terminentur. Sic Hieronymus exponit, dicens, Ab eo quòd sub illo omnia retrò opera quieuerunt per diluuium, uocatus est requies.

Chrysostomus ad hunc modum: Quietem, inquit, uocat generalem illum interitum, post multos annos futurum. Quoniam ualde magnus labor est malitiæ, abolitionem & sublationem per diluuium quietem uocat. Hic utique quietem nobis, inquit, præstabit ab operibus nostris, à malicia desistere faciet, & à molestijs manuum nostrarum: quia per earum opera & malas actiones molestiæ & tristitiæ auctæ sunt. Et à terra, inquit, quam maledixit Dominus. Liberabit nos, inquit, ab omnibus malis præmentibus. Hæc Chrysostomus. Hæc sententia reliquis uidetur probabilior. Quanquam priorem non ausim temerè reijcere, res tamen ipsa, quæ sub hoc Noe per diluuium gesta est, posteriori isti sententiæ fauere uidetur.

Noe uerò cum 500. esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth.] Hunc Sem genuit cum natus esset annos 502. Nam infrà cap. undecimo legimus, Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxat, biennio post diluuium. Erat autem Noe in diluuio annos natus sexcentos. Quare quod hic scribitur, Noe cũ esset quingentorum annorum, genuit Sem, Cham & Iapheth, non est præcisè referendum ad annũ quingentesimum, quasi in illo tres istos filios genuerit, sed ad annos proximè quingentesimum sequentes. Facit autem Moses istorum mentionem propter sequentem diluuij historiam.

QVAESTIO I.

An patriarchæ isti fuerint omnes primogeniti.

Primùm de eo quæritur, an notem isti patriarchæ, nepotes Adæ, quorum catalogus ad diluuiũ usq; protenditur, fuerint singuli primogeniti, uel secus. Facit hæc quæstio ad intelligentiam historicæ narrationis. Dum enim legimus, Vixit Seth centum quinq; annis, & genuit Enos. Item, Vixit Enos nonaginta annis, & genuit Cainan. Deinde, Vixit Cainan septuaginta annis, & genuit Malaleel. Et de Iared, Vixit Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit Enoch. Et de Mathusalah, Vixit Mathusalah centum octogintaseptem annis, & genuit Lamech. Et de Noe: Noe uerò cum quingentorum esset annorum, genuit Sem: mox cogitamus istos omnes fuisse primogenitos, ac patres eorũ tanto temporis spacio à procreatione liberorum abstinuisse. Quare operæpreciũ fuerit, quæstionem hanc probabiliter saltem inspicere. Vbi attendimus propositum Mosis in isto patriarcharum catalogo, non possumus affirmare, fuisse istos omnes primogenitos. Neq; enim hoc agebat Moses, ut primogenituram patriarcharum celebraret, sed ut seriem earum generationũ deduceret, unde nasciturus erat Christus. Ideo cursum generationum non quarumlibet, sed earum duntaxat exposuit, quæ inde ab Adamo ad Noe, & à Noe ad Abrahamum usq; tendunt, unde Christus nasciturus manifestioribus oraculis traditum est.

Non agebat hoc Moses, ut primogenituram patriarcharũ celebraret.

Nõ fuit consiliũ Dei, ut generationẽ Christi per primogenitos carnis deduceret.

Deinde non reperitur fuisse consilium Dei, ut generationẽ Christi per primogenitos carnis deduceret, id quod in posteris Abrahæ satis est manifestum. Primogenitus Abrahæ erat Ismael, uerùm respuebatur ille, & eligebatur Isaac. Rursus primogenitus Isaac erat Esau: at nec ille, sed Iacob ad hanc est dignitatẽ electus. Primogenitus Iacob fuit Ruben: at illo spreto assumptus est Iudas. Iudæ primogenitus fuit Her: uerũ nec ille, sed Phares electus est. Neq; Aran Esrom, neq; Dauid Isai, neq; Salomon Dauidis primogenitus fuit. Dũ ista cõsideramus, facile intelligimus, noluisse Deũ per carnalẽ primogenituram filij sui generationẽ iuxta seculũ reddere illustrẽ, per quẽ nõ carnis, sed spiritus erat, ppagãda gloria. Quare nõ possumus hoc loco pro certo recipere quòd patres isti ad generationẽ Christi electi fuerint omnes primogeniti

A primogeniti, ut necesse non sit genitores eorum antequam ipsi nascerentur, à procreandis liberis abstinuisse. Itaq; quàm non conuincitur, Adamum ante Seth nullos habuisse liberos, propterea quòd hic legimus: Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium, uocauitq; nomẽ eius Seth, cum ante Seth genuerit, si non plures, certè duos, Cainũ & Habelem, præter filias: tam non potest affirmari de sequentium generationibus, quòd singuli qui hic numerantur, fuerint primogeniti. Si cui lubet, legat August. lib. de Ciuit. Dei 15. cap. 15.

QVAESTIO II.

Secunda quæstio nascitur ex diuersitate numerorum, quæ in recensendis annis generationum in isto reperitur patrum catalogo, quemadmodum suprà est in lectione annotatum. Diuersitatis huius causæ quæruntur. Tribuunt illas aliqui malitiæ Iudæorum, quasi illi studio sacram hanc scripturam corruperint, ut nostris libris diffamiam falsitatis excitarent. Faciunt hoc illi qui authoritatem Septuaginta interpretum firmiorem habendam esse uolunt, quàm Hebræorum codicum: quibus tamen Augustinus reluctatur libro decimoquinto de Ciuit. Dei, cap. decimotertio, ubi uir sanctus præsentem hanc quæstionem tractans, nec Hebræorum nec Septuaginta interpretum authoritatem conuellit: sed causas diuersitatis huius transfert in eos, qui primi uersionem Septuaginta negligentius descripserunt. *Vnde sit dissonantia illa, quæ in numeris annorũ passim in hoc patriarcharũ catalogo reperitur*

Sciendum autem est, in numeris istis duplicem reperiri diuersitatẽ. Prima est in generationib. Seth, Enos, Cainan, Malaleel & Enoch: in quibus Græci ab Hebraica lectione hactenus dissentiunt, quod in recensendis annis singulorum generationes præcedentibus ubiq; centenario abundant, & in sequentibus rursus centenario deficiunt: illic plus, hic minus numerantes quàm Hebræi, & uulgata nostra latina. Altera est, quòd in Lamech, sicuti suprà notatum est, Græci uigintiquatuor annos minus numerant quàm Hebræi. *Duplex diuersitas.*

Prior dissonantia uidetur etiam Augustino non errore aut casu, sed studio & cõstanti industria introducta. Apparet enim eum, qui author illius fuit, de annis patrum istorum sensisse, quòd fuerint longè nostris breuiores, quemadmodum de quorundam opinione suprà est notatum, ut fides inueniretur isti historiæ: ideoq; ne uideretur absurdum, si Seth annos decem natus cum dimidio, Enos cum nouem esset annorũ, Cain anin septennio ætatis suæ, Malaleel puer sex annorũ cum dimidio filios genuisse dicantur, id quod consequuturũ iudicauit, si secundũ Hebræos Seth cũ centũ quinq;, Enos cum nonaginta, Cainan cum septuaginta, Malaleel cum sexagintaquinq; annorum esset, gignere potuisse credantur, B quandoquidem centum annos prioris seculi decem duntaxat nostros constituere arbitrabatur. Quare ut istam inconuenientiam uitaret, & simul in summarijs numeris ab Hebraica ueritate non discrepareret, uisas est hac industria, ut primis istorum patrum annis adderet centum, quo Seth anno ætatis suæ uicesimo cum dimidio, Enos decimonono, Cainan decimoseptimo, Malaleel decimosexto cum dimidio, procreandis liberis operam dedisse credantur: deinde posterioribus annis demeret centum, quo summa annorum eadem & concors utrobique constaret. Argumentum huius consilij in eo manifestum relucet, quòd nec addidit nec sustulit quicquam in generationibus Iared & Mathusalah, propterea quòd in illis priores anni apud Hebræos alioqui centenarios additis aliquot excurrentibus habere inueniuntur, ut ratio quam sequebatur locum in illis non haberet. Nam Iared annos natus 162. Mathusalah uerò anno 187. filios genuisse legunrur: quare tam in prioribus quàm in posterioribus illorum annis simpliciter cum Hebræo concordat. Hæc de prima diuersitate. *Prior dissonãtia.*

Quod alteram discrepantiam in generatione Lamech commissam concernit, non possumus dicere, factam esse illam studio aliquo & destinata industria: sed per errorem uel per negligentiorem numeri descriptionem. Vbi potius sequenda est Hebraica ueritas, quàm uersio ab illa quomodocunque discrepans. Sic Augustinus & piè & prudenter dicit, rectè fieri nullo modo dubitauerim, ut cum diuersum aliquid in utriusq; codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrunq; uerum esse non potest, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio. *Altera discrepantia.*

QVAESTIO III.

Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.] Quærunt de Enoch, quonam, & qua de causa sit à Deo translatus. Est quidem, sicut & Chrysostomus admonet, omnino tutius in huiusmodi quæstionibus non excedere modum in sacris scripturis præfixum, nec quærere plura, quàm ab illis traduntur. Quòd translatus à Deo sit Enoch, manifeste hic legitur: at in quem locum translatus sit, & qua de causa, nisi ob eam quòd coram Domino ambulauit, non legitur. Quare pius lector quod scriptum inuenit, pro indubitato accipit: quod scriptum non esse uidet, ad se pertinere nõ iudicat, sed cum Cypriano dicit: Quò translatus sit Enoch, Deus nouit. Attamẽ haud prorsus infrugiferum arbitror, si citra affirmandi temeritatem quæ huc facere uidentur attulero.

Quò translatus sit Enoch, & ubi interea tẽporis agat, uel detineatur, Ecclesiast. 44. legimus. Enoch, inquit, placuit Deo, & translatus est in paradisum. Propter huius scripturæ autoritatem, quæ tamẽ Canonica non est, ueteres communiter senserunt, esse Enoch translatum in paradisum. Vnde Augustinus libro de Peccatorum meritis & remissione, cap. 3. sic dicit: Neque enim Enoch & Elias per tam longã ætatẽ senectute marcuerunt, nec tamen credo eos iam in illam spiritualẽ qualitatẽ corporis cõmutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit: nisi quia isti fortasse nec his cibis *Quò sit translatus Enoch, Eccle siast. 44.*

egent,

egent,qui ſui conſumptione reficiunt,ſed ex quo tranſlati ſunt, ita uiuunt, ut ſimilem habeant ſatietatem illis quadraginta diebus,quibus Elias ex calice aquæ & ex collyride panis ſine cibo uixit: aut ſi & his ſuſtentaculis opus eſt, ita fortaſſe in paradiſo paſcuntur, ſicut Adam priuſquam propter peccatum exinde exire meruiſſet. Hæc ille. Qui ſentiunt paradiſum terreſtrem etiamnum poſt diluuium durare, exiſtimant quæ in Eccleſiaſtico leguntur de illo eſſe intelligenda,ac putant ibi detineri utrumque & Enoch & Eliam. Verùm meo iudicio certius eſt,ut paradiſi dictionem de cœleſti manſione poſitam intelligamus,ad quam ſit tranſlatus Enoch. Neq; enim abſurdum iudicari poterit,ſi Enoch & Eliam in eandem eſſe manſionem tranſlatos crediderimus. Quæ illa ſit,quoniam hic non legitur,diſcatur ex hiſtoria Eliæ,in qua 2. Regum ſecundo ſic legitur: Cum pergerent,& incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei diuiſerunt utrunq;. Et aſcendit Elias per turbinem in cœlum. Si Elias in cœlum tranſlatus eſt,quid uetat,quo minus idem ſentiamus etiam de Enoch? qui hoc ipſo quod ex hoc mundo tranſlatus ſcribitur,rectè ad cœleſtes manſiones ſubuectus creditur? Arbitror autem multo eſſe rationabilius,ut Enoch credamus eſſe in cœlo cum Elia,quàm Eliam eſſe in paradiſo terreſtri cũ Enoch, cum ſcriptura dicat hunc tranſlatum eſſe in cœlos.

Qua de cauſa translatus ſit Enoch.

Qua de cauſa Deus Enochũ hunc tranſtulerit,in eo uidetur exprimi,quod in textu dicitur,Et ambulauit Enoch cum Deo,& non apparuit, quia tranſtulit eum Deus. Non poſſumus aliam cauſam aſſignare,quàm quæ hic ponitur. Ea tamen nõ eſt talis,ut ſit perpetua & neceſſaria, quaſi perpetuò quiſquis cum Deo ambulat,transferri debeat, quomodo tranſlati ſunt Enoch & Elias. Alioqui reliqui patres,quos conſtat fuiſſe pios,conuincerentur non ambulaſſe cum Deo,quandoquidem ad eum modum tranſlati non ſunt,ſed mortui. Placuiſſe Deo Enoch & Eliam, rectè ex iſta tranſlatione colligitur. Reliquos uerò diſplicere Deo,qui non transferuntur,ſed communi legi mortis ſubijciuntur,non rectè colligitur. Etenim non eſt hoc unicum argumentum beneplaciti Dei,ſi ad cœleſtia quiſquam morte nõ guſtata transferatur,niſi pios omnes,qui mortui ſunt,& Chriſtum ipſum reprobaturi ſumus. Sed ſunt innumera etiam alia gratiæ Dei argumenta,unde beneplaciti illius certitudo colligi poteſt.

Deinde ad quid Deus Enochum ſingulari hoc modo ad cœleſtia transferre uoluerit,rurſus ex ſupradicto Eccleſiaſtici loco communis apud ueteres obtinuit opinio,quòd eam id ſit ob cauſam factum, ut ante finem mundi unà cum Eliah ſecundum Chriſti aduentum præcedat,& Antichriſto reſiſtat. Id uidetur innuere Eccleſiaſticus,cum dicit: Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, ut det gentibus ſapientiam. Quod & illud ſignificare iudicabatur apud Iudæos, quod Malachiæ ultimo de Eliah legitur,Ecce ego mittam uobis Eliam prophetam, antequam ueniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet corda patrum ad filios,& corda filiorum ad patres,ne fortè ueniam,& percutiam terram anathemate. De Enoch ſic ſcribit Cyprianus tractatu de Sina & Sion aduerſus Iudæos: Item Enoch qui ante diluuium Deo iuſtus placuit,& ideo de iſto mũdo in carnis ſuæ natiuitatẽ uiuus tranſlatus eſt in locum ubi Deus ſcit, ex quo loco conſummationem mundi innouare habet in hoc mundo, unde etiam tranſlatus eſt ad confundendum & reuincendum Antichriſtum: quo interfecto, martyria ſua complebunt uiuentes in æternum in ſecula ſeculorum. Hæc ille. Vnde uidemus uulgatam illam opinionem de Enoch & Elia,quòd ſecundum ſint Chriſti aduentum præcurſuri, & aduerſus Antichriſti prædicaturi,iam tum Cypriani tempore in eccleſiam fuiſſe introductam: uerùm, meo iudicio,non ſine grandi errore, & præter ullam ſacrarum ſcripturarum authoritatem. Etenim quod locum Eccleſiaſtici attinet,primùm non eſt authoritas eius libri Canonica. Deinde quòd dicit, Vt det gentibus ſapientiam,nulla neceſsitate refertur ad gentes circa finem mundi huius ſecundi futuras,cum omnium commodiſsimè intelligi poſsit de gentibus eorum temporum quæ diluuium præceſſerunt, ac legi, ut daret gentibus ſapientiam. Quanquam ſi Græca conſulamus, unde latina ſunt tranſlata, pro eo quod latine legimus,Enoch placuit Deo,& tranſlatus eſt in paradiſum,ut det gentibus ſapiẽtiam, habetur ad hunc modum: οὐκ εὑηρέστησεν ἰωβὴλ, διὰ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας τοῖς γενεαῖς: id eſt,Enoch placuit Domino, & tranſlatus eſt, exemplum factus reſipiſcentiæ generationibus. Ergo errorem de paradiſo, & opinionem de reditu Enoch ante extremum iudicium, peperit latini interpretis negligentia: uel certe alius quiſquã corruptor ac falſarius,qui quod rectè uerſum reperit,ad hoc corrupit,ut locus eſſet conceptæ opinioni. Græca namq; nec paradiſi mentionẽ faciunt, nec loquuntur de generationibus in fine ſecundi mundi futuris,ſed de gentibus illis,inter quas Enoch in priore mundo uixit, quibus à Deo poſitus eſt reſipiſcentiæ exemplum,idq; in uita docendo,corripiendo,admonendo,& pie coram Domino uiuendo: & ipſa quoq; tranſlatione cunctos monens,eſſe coram Deo reſpectum iuſtorum,& eſſe ſeculum aliud in quod transferantur pij: deinde innuere iram Dei,mundo corrupto ac deprauato. Sic Irenæus libro quarto Aduerſus hæreſes capite triceſimo de illo ſcripſit: Sed & Henoch, inquit, ſine circumciſione placens Deo,cum eſſet homo, Dei legatione ad angelos fungebatur, & tranſlatus eſt,& conſeruatur uſque nunc teſtis iudicij Dei,quoniam angeli tranſgreſsi deciderũt in iudicium,homo autem placens tranſlatus eſt in ſalutem. Et libro quinto: Quoniamquidem,inquit, Enoch placens Deo,in quo placuit corpore tranſlatus eſt, tranſlationem iuſtorum præmonſtrans. Et Elias ſicut erat in plaſmatis ſubſtantia aſſumptus eſt,aſſumptionem patrum prophetans. Hæc ille. Nihil igitur uulgatæ patrocinatur opinioni locus ille Eccleſiaſtici ſuprà citatus.

Locus Eccleſiaſtici excutitur.

Malach. ultimo

Locus Malachiæ uaticiniũ habens de Elia,ab ipſo Chriſto Domino ac ſeruatore noſtro in Ioanne Baptiſta completus tradit Matth. 17. Vide Cẽment. noſtros in Matth. Quare prorſus abſq; ulla ſacrarum ſcripturarum

A scripturarum authoritate opinio ista de aduentu Enoch & Eliæ obtinuit in Ecclesia. Ipse Elias nõ corpore, sed spiritu primùm Christi aduentum in Ioanne præcesserit, & uaticinium adimpleuit. Et quomodo tale quid de Enoch credi potest, quòd sit sub finem mundi corporaliter rediturus, quum nullum de reditu illius extet uaticinium authenticum? Non negarim quidem destinatos esse postremis istis seculis, finem mundi præcurrentibus uiros aliquot pios, quales diluuium præcesserunt, qui mundum hunc redarguant, ad resipiscentiam uocent, & Antichristum manifestent: uerùm Iudaicum est prorsus, quòd id futurum creditur per Enoch & Eliam, quasi illi sint corpore aduenturi, & Antichristũ expugnaturi, quem Dominus noster Iesus Christus spiritu oris sui, & illustratione aduentus sui propediem destruat prorsus, & è medio tollat. Amen.

QVAESTIO IIII.

Et facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti sexagintanouem anni.] Nata est in Ecclesia difficilis quæstio de isto Mathusalah, cui exemplaria quædam uersionis Septuaginta causam dederunt illis hominibus, qui sacras scripturas haud aliter nouerunt, quàm sicuti in illis exemplaribus legerunt. Habebant autem ista ad hunc modum: Cum esset Mathusala annorum centũ sexagintaseptem, genuit Lamech. Deinde de Lamech: Cum esset Lamech annorum centum octogintaocto, genuit Noe. Et quoniam diluuium sexcentesimo anno uitæ Noah inundauit, colligitur ex ista supputatione Mathusala quatuordecim annos uixisse post diluuium. Nam sic anno nongentesimo quinquagesimoquinto Mathusala, fuit diluuium, cum ipse Mathusala uixerit annos nongentos sexagintanouem, qui numerus priorem annis quatuordecim excedit. Quæsierunt ergo hic, ubi nam fuerit seruatus, & sit Mathusalah, interea dum diluuium uniuersam totius orbis carnem delebat: cùm in Arca cum Noe non fuerit, in qua tantum octo animæ seruatæ sunt, utpote Noe, uxor, tres filij, tres nurus. Nec poterat dici quòd & ipse aquis diluuij absumptus esset. Nam alioqui non uixisset nongentos sexagintanouem annos, sed tantum nongentos quinquagintaquinq; : atq; ita nõ staret firma sacræ scripturæ ueritas, quæ dicit eum uixisse annos nongentos sexagintanouem.

Quæstio de Mathusalah, an ille quatuordecim annis uixerit post diluuium.

De hac quæstione possem abiq; ullo negotio paratum & expeditum responsum ex Hebraicæ ueritatis certitudine adferre: uerùm placet Augustinum non defraudare diligẽtiæ huius gloria. Scribit ille hac de re libro 15. de Ciuitate Dei ad hunc modum: Propter quod, inquit, nonnulli eum etsi non in terra, ubi omnem carnem, quam uiuere in aquis natura non finit, constat fuisse deletam, cum patre suo (Enoch) qui translatus fuerat, aliquantum fuisse, atq; ibi donec diluuium præteriret, uixisse arbitrantur, nolentes fidem derogare codicibus, quos in authoritatem celebriorem suscepit Ecclesia, & eredentes Iudæorum potius quàm istos non habere, quod uerum est. Non enim admittunt, quòd magis hic esse potuerit error interpretum, quàm in ea lingua esse falsum, unde in nostram per Græcam scriptura ipsa translata est. Sed, inquiunt, nõ esse credibile Septuaginta interpretes, qui uno simul tempore, uno'q; seniũ interpretati sunt, errare potuisse: aut ubi nihil eorum intererat, uoluisse mẽtiri. Iudæos uerò, dum nobis inuident, quòd Lex & Propheræ ad nos interpretando transierunt, mutasse quædam in codicib. suis, ut in nostris minueretur authoritas. Post ista subiungit: Hanc autem opinionem uel suspicionem accipiat quisque, ut putauerit. Certum est tamen, non uixisse Mathusalem post diluuium, sed eodẽ anno fuisse defunctum, si uerum est quod de numero annorum in Hebræis codicibus inuenitur. Hæc ille: qui tamen alio loco, utpote libro primo Quæstionum super Genesim quæstione secunda, Mathusalẽ sexto anno ante diluuium mortuum esse dicit. Sic enim ibi scribit: Hanc quæstionem plurium codicum mendositas peperit. Non solum quippe in Hebræis aliter inuenitur, uerumetiam in Septuaginta interpretatione, Mathusalem in codicibus paucioribus, sed uerioribus, sex annos ante diluuium reperitur fuisse defunctus. Ista uolui ad præsentem adferre quæstionem, quo admoneantur sacrarum literarum studiosi, ut Hebrææ linguæ ueritatem in sacris scripturis hoc tenacius amplectantur, quo magis uiderint eos qui illam deserunt, uarijs erroribus reddi obnoxios: quos uitare poterant, si plus fidei haberẽt ipsi fonti, quàm riuulis ex illo deductis. Hebræa ueritas poterat instruere errantes, dum docet Mathusalem eo esse anno mortuum, quo diluuium inundare incipiebat, ut necesse non esset, commentum inducere de illius translatione ad Enoch parentem, tantisper dum diluuium cessaret.

B

OBSERVATIO I.

Vixit Enos nonaginta annis, & genuit Cainan.] Quoniam sancti patres liberis suis nomina non temerè qualiacunque, sed studio talia imposuerunt, quibus uel dona Dei celebrarent, illorumq; in liberis quasi titulos & monumenta memoriæ gratia statuerent, uel alios ueræ pietatis affectus declararent: arbitror pio homini haud fore ingratum, si nomina patrum istorum expendantur, & pietas in illis expressa obseruetur. De Serh & Enos dictum est suprà. Consequenter uideamus de reliquis.

Nomina patrum istorum, expenduntur.

Quis fuerit affectus Enos, cum filio suo nomen hoc Cainan imponeret, ex ipsa illius significatione facilè animaduertitur. Significat enim lamentum. Vide quàm competenter factũ sit, ut Enos, qui sonat hominem miserum & ærumnosum, filium suum uocet Lamentum. Experiebat uir pius præsentis uitæ miseriam, cuius etiam primordia mox à partu uagitibus ac lamensis inaugurant. Quare filium suũ nõ uocauit gaudiũ & lætitiam, sed potius lamentũ. Impij in hoc seculo, qui secundũ carnẽ uiuunt, quoniã perpetuo studio carnis sunt addicti delicijs, nõ obseruãt præsentis uitæ ærũnas & molestias: obseruãt uerò pij, qui & alieno sunt animo à delicijs huius mũdi, et aliàs singulari cõsilio Dei uarijs tribulationib. exercen-

exercentur,ut non frustra dixerit Dauid,Multæ tribulationes iustorum: & ad suos Christus,In mundo pressuram habebitis.

Deinde Cainan suum filium uocauit מחללאל,id est,laudatorem ac celebratorem Dei. Hoc scilicet in filio suo spectabat Cainan, hoc quæsiturus erat,ad hoc illum instituere proponebat, ut Dominum Deum & ore & ueræ pietatis studio laudaret. Hic debebat esse omnium parentũ affectus,ut filios suos cuperent esse מחללאלים. Et uide quàm cõmodè is qui Lamentum est à patre suo uocatus, filiũ gignat diuini nominis laudatorem. Admonemur sic esse cõparatos pios, ut quamuis præsentis uitæ molestias & ærumnas experiantur,inq; luctu & lamentis uiuant,dum impij agunt in delicijs,nihilo tamen secius tam absint ab eo,ut inde ad impatiẽtiam & diuini nominis blasphemiam permoueantur, ut potius ad laudandum Dominũ Deum suum conuertantur. Mirabile uidetur carni, quomodo luctus & lamenta nominis Dei laudem ac celebrationem pariant. Talis מחללאל erat Iob,cum amissis omnibus diceret, Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit,ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Item capite 13. Etiamsi occiderit me, sperabo in eum. מחללאל erat Dauid,qui in exilio constitutus, Dño psallebat. unde & dixit, Cantabiles mihi erãt iustificatiões tuæ,in loco peregrinatiõis meæ.

Mahelaleel,laudator ille Dei,filium suum uocauit Iered,quæ uox sonat descensum. Vel optabat uir pius,ut cœlitus descenderet semen illud benedictum,quod pij omnes expectabant,uel futurum prædebat ut Deus iustus ille iudex olim ad uisitandum & puniendum orbem iam corruptum descenderet: id quod & postea sub Noe factum est. Talis erat etiã descensus Dei,quo uisitata est & damnata iniquitas Sedomitarum: de qua Dominus ad Abrahamũ dixit, Descendam & uidebo. Est namq; duplex descensus Dei. Gratiæ unus,uindictæ alter. Et uterq; pijs omnibus tum potissimũ cordi est, quando corruptionem mundi uident esse incorrigibilem prorsus & incurabilem. Vterq; igitur iam à fidelibus postremo hoc seculo noctes ac dies suspiratur,& per aduentum Christi Seruatoris perficietur. Is enim descendet in fine mundi,tam suorum liberator,quàm impiorũ & incredulorum iudex ac condemnator.

Iered quem genuit filium, uocauit Henoch. Significauit hac uoce uir pius,hoc se esse animo prædictum,ut cuperet filium suum consecratum,dedicatumq; esse Domino. Sonat enim Henoch, imitationem ac dedicationem. Habuit & Cain suum Henoch,sed affectu mundano non Domino,sed carni destinatum,de quo non legimus,quòd Domino placuerit. Sunt igitur duplices Henochini, quorum alij pertinent ad ciuitatem impiorum, mundo nuncupati: alij ad ciuitatem piorum, Domino consecrati. Videat quisq; quò destinatus sit ipse,& quo liberos suos consecrarit.

Henoch suum filium nominauit Methuselah,id est gladium mortis. Sic fidem suam dilectus ille Dei declarabat. Credebat enim uenturum eum qui mortem ac mortis authorem gladio uirtutis suæ tolleret è medio,ideoq; hoc nominis filio suo ad consolationem piorum ac fidei suæ, speiq; declarationẽ imposuit. Hic uerus Methuselah Christus est,qui in Propheta dicit, Ero mors tua, ò mors.

Filius Methuselah uocatus est Lemech,quod paupertatem & humilitatem sonat. Sic miseria & calamitas humanæ uitæ exprimebatur,quam sancti potissimùm experiantur. Testabatur hac uoce uir pius, uersari se in misera & calamitosa uita, & quos gignebat filios, gignere in omnis generis miserias & afflictiones. Vel significabat hoc nomine placere Deo humiles & pauperes, displicere uerò superbos & sublimes, ideoq; cupere se,ut filius suus in spiritu humili & depresso uiuens Deo se commendabilem redderet.

Lemech filium suum uocauit Noah,id est requiem. Sic declarabat & sperare & desiderare se finem aliquem cùm malorum inualescentium eo seculo, tum malitiæ quæ carnem uniuersam toto iam occupauerat & corruperat orbe. Itaq; dum istam nomenclaturam sanctorum patrum consideramus, pulchrè pios illorum & fidei & spei affectus quasi in tabella quadam expressos deprehendimus.

OBSERVATIO II.

Et ambulauit Enoch cum Deo,& non apparuit,quia tulit eum Deus.] Primùm consideremus, quod dicit, Et ambulauit Enoch cum Deo. Græcus uertit, εὐηρέστησε ὁ ἐνὼχ τῷ θεῷ. Hoc est, Approbauit se Enoch Deo,bene se gessit coram Deo,uoluntati Dei ex animo acquieuit, Deo placere studuit. Sic in sensu concordat Græca uersio cum Hebræo. Quid enim aliud est, ambulare cum Deo,quàm uoluntati Dei acquiescere,& in omnibus illi sese studiosissimè ἀναρεστεῖν, id est, bene approbare?

Hebr. 11. Qui epistolam ad Hebræos in græcam linguam transtulit, non reddidit uerba Hebræi contextus,sed usurpauit uersionem Septuaginta interpretum, ad hunc modum: πρὸ γὰρ τῆς μεταθέσεως αὐτοῦ μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ θεῷ: id est, Etenim ante translationem ipsius testimonium accepit, quòd Deo sese bene approbauerit. Adiecit, χωρὶς δὲ πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι: id est, Sine fide autem impossibile est,ut Deo sese quisquam approbet. Latini interpretes lapsi sunt hic per oscitantiam,& neque Hebraicæ ueritatis, neque Græcæ uersionis sensum sunt assequuti, dum uerterunt: Ante translationem enim testimonium habuit, quod placuisset Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Quantum enim discriminis sit inter hæc duo, placere uidelicet alicui, & sese cuipiam approbare, hoc est, adid conniti, ut ei sese approbet, cui placere cupit, quis est qui non uideat? Accidit frequenter, ut non placeamus illis, quibus tamen nos approbare studemus. Rursus accidit, ut placeamus illis, quibus nos nunquam approbare fatemur. Et utrumque in Deo quoque locum habet. Iudæi testimonium habent à Paulo, quòd, quamuis zelo Dei præditi, iustitiam quæsierint, Deo tamen haud placuerint.

placuerint. Vide Rom. 10. Rursus Iacob adhuc in utero matris constitutus, Deo placuit, quamuis nihil dum boni egisset. Quare quod Latini reddiderunt, Sine fide impossibile est Deo placere, & in uersione error habet, & in re ipsa falsum est, si pro uniuersali gnoma accipiatur. Placuit enim Iacob Deo in utero matris sine fide: placuit & Hieremias, antequam nasceretur: placent & infantes credentium nomini ipsius consecrati, ac fœderis cœlestis participes, antequam credere sciant, quod Deus sit & remuneret omnes se quærentes. Illud uerò impossibile est, ut Deo se quisquam approbare, ac uoluntati illius in omnibus acquiescere studeat, si fidem non habeat. In hoc sensu consistit argumentatio Apostoli, qua probare instituit, quod Enoch per fidem translatum esse dixit. priusquam enim, inquit, transferretur testimonium, meruerat quod Deo sese approbasset: hoc est, quod, sicut in Hebræo est, coram Deo ambulasset. Coram Deo autem ambulare, eique se in omnibus approbare non poterit quisquam, nisi credat. Nam necesse est, ut qui accedit ad Deum, id est, qui coram Deo ambulare, illique placere cupit, credat primùm esse Deum cui sese tanquam Deo commendare studet: deinde credat eum non negligere sui studiosos, sed remuneratorem esse quærentibus se. Etenim nisi ista credat, quanam ratione quisquam placere illi cupiat ac studeat? Animaduertendum est itaque hoc loco, studium placendi Deo, sese'que illi in omnibus approbandi, esse idem quod ambulare coram Deo. Quisquis igitur uitam suam non sic instituit, ut ambulet coram Deo, perinde atq; famulus, heri sui uoluntati se accõmodans, reuera talis nõ est, de quo dici possit, quòd Deo placere studeat. Deinde obseruandum est unde declaretur fides piorum, ex eo uidelicet, quòd coram Deo ambulant, sese'que illi indefesso placendi studio approbant. Etenim sicut Apostolus arguit, quoniam fieri non potest, ut qui fidem non habet, Deo sese approbet: ita certò colligi potest, fide esse eos præditos, qui hoc placendi studio tenentur. Simul autem obserua quàm nequeat ratione humana comprehendi, esse Deum remuneratorem quærentium se, sed opus esse fide ad hoc, ut talem esse Deum cognoscamus. Alioqui, si ratione posset hoc certò conuinci, planè uanum esset quod hic Apostolus arguit de fide, per hanc comprehendi quòd sit Deus quærentiũ se remunerator. Vbi pulchrè quàm insignis fuerit fides Enoch relucet. Ante illum uixit iustus Abel, qui & ipse Deo placere studuit, attamen in uita sua nihil remunerationis accepit. Verùm Enoch nihil huius exemplo impeditus est, quo minus crederet esse Deum quærentium se remuneratorem: sed utut iusti ab improbis opprimerentur, firmus tamen in hac fide persistens, qua credebat Deum rationem habere piorum, in studio placendi illi perseuerauit. *Fides Enoch.*

B Secundo loco consideremus illud quod dicit, Et nõ apparuit, quia tulit eum Deus. Videmus hic Deũ etiam in priori illo mundo posuisse exemplum quoddam, in quo declaretur futurũ ut mors tolleretur, ac tyrannis diaboli dissolueretur. Nam sicut Apostolus meminit, non est sic translatus Enoch ex hoc mundo, ut communi conditione mortalium mortem gustaret, sed ne uideret mortem, quemadmodum & Elias translatus legitur. Iam tum itaq; significabatur moriendi necessitatem sic esse introductam, ut futurum sit aliquando tempus, quo pij ad cœlestia sine ullo mortis sensu, ab omni corruptione alieni subitò abripiantur, id quod illis eueniet, qui tempore secundi aduentus Christi in uiuis erunt. qua de re uide 1. Thessal. 4. *Exemplum tollendæ mortis.*

Præterea etiam hoc expende, quod dicit, Et non apparuit. In Hebræo est, ואיננו, id est & nõ ipse, uel, & non supererat amplius. Non est hæc particula ociosa, sed admodum conuenienter adiecta, si considerauerimus circunstantias & seculi illius, & ætatis ipsius, & generationis patrum istorum, qui hoc catalogo recensentur. Seculum hoc uehementer erat prauum & corruptum, ideoq; pijs admodum periculosum. Quare non sine singulari prouidentia Dei factum est, quòd uir iustus, coram Deo ambulans, quotidiam inter peccatores uiuebat, sic è medio diuinitus tolleretur, ut nusquam appareret, nec superstes amplius inter mortales esset. Neq; enim ulla potest esse plena securitas pijs hominibus à corruptione præsentis seculi, donec uiuunt in mundo. Vbi uerò prorsus sunt abrepti, tum demum nihil habet generatio malorum, quo negocium illis facessat. Sic Sap. 4. legimus: Placens Deo dilectus, & uiuens inter peccatores translatus est, raptusq; est, ne malicia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Deinde huc & illud faciebat, quod non in plenitudine dierum more patrum mortuus est, sed in dimidio uitæ translatus. De hoc capite iam citato paulo pòst præcedentia sic legimus, Cõsummatus in breui explenit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Quare ubi pios uelut è medio uitæ suæ cursu ex hoc seculo auferri uidemus, cogitemus de prouidentia hac Dei, agnoscamusq; quanto sit felicius, citius migrare ad Dominum, quàm ad prouectam usq; ætatem in hoc mundo consistere. Potest Dominus etiam eos conseruare, qui in hac uita quàm longissimè perdurant: uerùm orandum illis est cum Dauide, In senecta mea ne derelinquas me. Tertiò conueniebat & illud, quod in generatione septima translatus est Enoch iste. Nam septimus fuit in ordine post Adamum. Septima generatio mysterium habebat quietis. Itaq; iam tum significabatur fore aliquando sabbatum, in quo pij cœlestem ac perpetuam à malis omnibus consequerentur quietem ac refocillationem. *Et nõ apparuit.* *Quod ex seculo prauo translatus est.* *In dimidio uitæ.* *In generatione septima.*

OBSERVATIO III.

Et facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti sexaginta nouem anni, & mortuus est.] Non legitur quisquã mortalium prolixius in hac carne uixisse, quàm hic Mathusalem, qui tamen ad millenarium usq; annorum numerum non peruenit. Non caret autem mysterio quod nemini unquam ex patribus, quantumuis longæuis datum est, ut mille annos in hoc seculo uiueret. Numerus millenarius typum habet perfe- *Quod Mathusalem ad millenarium non peruenit.*

ctionis. Constat enim ex centenario decies reuoluto. Quod igitur ad numerum hunc perfectionis nemo patrum in hac uita uiuendo peruenit, sed mortui sunt omnes priusquam ad fastigium illius peruenissent, in eo nobis pulchrè delineatum est, fieri non posse, ut ad perfectionem pietatis ac felicitatis præsens hæc uita nostra donec in carne sumus perueniat, quantumuis in illa multis seculis perduremus. Quare moriendum tandem est, ut quod uiuendo acquirere non possumus, moriendo salutem acquiramus.

Species immortalitatis proposita.

Simul tamen & illud obseruemus: Quamuis uita hæc nostra, utut prolixa, morti sit obnoxia propter peccatum, quod eam ob causam Apostolus stimulum mortis uocat, ideoq; patribus, iftis peritis ac reliquis hominibus semel omnino moriendum fuerit, si tamen ex diuina prouidentia longæui exiterunt, ut in ipsis species quædam immortalitatis sit proposita, quam habiturum fuisset genus humanum, si peccato abstinuisset. Etenim declarabatur quodammodo, possibile fuisse ut homo uiueret in sempiternum, nisi peccasset Adam. Quando siquidem illi, qui peccato, & per peccatum morti quoq; ac simul omnis generis ærūnis, denicq; & corruptioni obnoxij fuerunt tamdiu uiuere potuerunt, idq; in terra maledicta, ut proximè ad millenarium annorum numerum uiuendo peruenerint: non est ratio ut dubitemus homines, si in statu innocentiæ & obedientiæ sub gratia Dei, felicitatis paradisi participes, alieni ab omni peccato, miseria & corruptione, permansissent, uiuere potuisse non uno & altero millenario, sed in sempiternum. Iam quoniam à peccato & morte per Christum Dominum aduatorem redempti sumus, futurumq; speramus, ut posito isto corporis nostri ergastulo, liberi prorsus reddamur ab omni illo incommodo, quod per peccatum incurrimus: uiuamusq; ac simus cum Domino in sempiternum, spem hanc nostram consideratione ista corroboremus, cogitemusq;: Si peccatores corruptibiles & mortales, in hac ærumnosa uita, super terram à Deo maledictam, in corpore peccati tamdiu uiuere potuerunt: quanto facilius erit, ut ij qui prorsus erunt liberi à peccato, ærumnis, morte & corruptione, ac stola iam immortalitatis induti corpore glorificato in cœlestibus inter angelos Dei degentes in sempiternum uiuant, ac perpetua felicitate fruantur?

OBSERVATIO IIII.

Nostra ipsorum malicia perimus.

Iste consolabitur nos ab operibus nostris ac laboribus manuum nostrarum, & à terra cui maledixit Dominus.] Principiò considerandum hic est, quod laborem & adflictionem humanæ uitæ corruptæ, prauæ, & calamitosæ tribuit manibus hominum, & terræ à Deo maledictæ. Ergo nostra ipsorum malicia & peruersitas, deinde & maledictio terræ à Deo inflicta in causa sunt, quòd & corpore & animo sumus miseri & infelices. Nostris ipsorum manibus conficimur, ipsiq; sumus perditionis nostræ authores, iuxta illud: Perditio tua ex te Israel. Sensit hoc Lamech, ideoq; ad hunc modum loquutus est. Quare Chrysostomus rectè alicubi de eo differit, quòd nemo lædatur nisi à seipso. Quàm stulti sumus itaq; quòd malorum nostrorum causas alijs tribuimus, illisq; admodum irascimur, & ad sumendam uindictam allelamus? Quin potius irascimur nobisipsis, & causas malorum omnium nostræ ipsorum tribuimus uel ignorantiæ, uel temeritati, uel impudentiæ, uel impatientiæ, uel libidini, uel maliciæ & impietati?

Quod cessationem malorū consolationē & requiem uocat.

Deinde obserua quòd malorum istorum finem, quem in spiritu præuidebat & expectabat, uocat consolationem & quietem. Hoc exemplo solemur & nos præsentis seculi mala spe futuri aliquando finis quo mundus hic terminabitur, cuncta mortalium malicia extinguetur, & omnia transformabuntur. Præterit enim figura huius mundi. Et hæc spes nostra haud parum ex eo corroborari potest quòd quemadmodum tempore Lamech prioris mundi malicia sic inualuerat, ut uir pius certò statuere posset, uiuente adhuc filio suo, fore ut in omnem carnem ira Dei exardesceret, & terminus malorum illorum quæ quotidie cum dolore uidere cogebatur, indueretur: ita & hac nostra ætate omnis generis impietas, malicia, nequitia, contemptus Dei, & humanæ uitæ corruptio ad ipsa malorum fastigia subniti uidentur. Vnde facilè colligimus instare finem & consummationem seculorum. Qui hoc obseruant, multo iustius consolationem ex futura illa requie malorumq; cessatione animo concipient, quàm Lamech ex ea quæ per diluuium fuit inducta. Neq; enim eum malorum finem quem nos in aduentu Christi & consummatione seculorum expectamus, mundus talis sequetur, qui adhuc sit priſtinis malis obnoxius qualis ille est qui post diluuium sequutus adhuc durat: sed mundo potiemur ab omni iniusticia, corruptione & calamitate prorsus & in sempiternum alieno.

Quòd uocatus est Noah, id est, requies, homo ille, sub quo finis erat prioris futurus.

Tertiò, nec illud transeundum est, quòd is, sub quo futurum erat diluuium, & per diluuium finis prioris mundi, uocatus est Noah, id est requies. Non erat ipse consummationem rebus mortalium introducturus, quæ sita erat in manu solius Dei, & tamen hoc nominis accepit, ob id quod sub ipso terminandus esset puer mundus. Consimili modo futuri sunt extremis temporibus homines quos rectè uocaueris Noachim, propterea quòd ipsis uiuentibus adfuturus est finis præsentis huius mundi. Et habet unumquodq; regnum in hoc mundo suos Noachim, sub quibus terminantur. Possent illi cognosci, si darentur oculi fidei.

Quod Lamech res illas expectauit ac desideratuit quas uisurus non erat.

Quartò & hoc considera, quòd Lamech ante annos 60. non solum præsciuit futurum malorum finem, sed & cum desiderio expectauit, licet eum usurus non esset. Discamus & nos hoc animo speraretre & expectare finem mundi, licet temporum momenta, quæ pater posuit in sua ipsius potestate, ignoremus, fieriq; possit, ut post aliquot demum sit annorum centenarios uenturus. Non dixit, Hic consolabitur posteros nostros: sed, Nos consolabitur ab operibus & laboribus nostris. Sic tempus illud diuinæ uisitationis uir potius auidè expectabat, haud secus quàm si ipsius esset ætate futurum. Reperies hodie

A rias hodie multos, qui ne obolo quidem emerent quantumuis magnam rerum felicitatem & cõsolationem, quæ post ipsorum obitum demũ sit futura: longè aliter animati, quàm hic Lamech affectus fuisse deprehenditur.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM CAPITIS HVIVS VI.

ORditur Moses iam consequenter historiam diluuij catholici & œcumenici quo totum orbem repurgauit Deus. Narrat autem hoc capite primùm causam illius, & propositum Dei de delendis à superficie terræ cunctis spirantibus. Deinde exponit, quomodo Noe exemptus sit unus cum suis ex omnibus mortalis, & quid mandati à Domino de facienda arca acceperit.

Vmq̃ cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, uidentes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Dixitq̃ Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Eruntq̃ dies illius centum uiginti annorum. Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominũ, illæq̃ genuerũt: isti sunt potentes à seculo, uiri famosi.

LECTIO.

Videntes filij Dei filias hominũ.] Sic legit & Græcus, ἰδόντες δὲ οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ. In Hebræo est בני האלהים. Notum est autem Hebraicæ linguæ uel mediocriter gnaris, uocẽ אלהים esse pluralis numeri, & significare potentes. De Deo quidem sumpta legitur in singulari: uerùm quando refertur ad homines, magistratus & principes, legenda est in plurali. Sic legit hic Symmachus, Videntes filij potentum filias hominum. Et Pagninus, Viderunt filij principum filias hominum.

Non permanebit spiritus meus in homine.] Hebraicè est לא ידון רוחי. Videntur Græcus & Latinus interpretes pro ידון legisse ירום. Nam רום significat expectare, דין uerò contendere, iudicare, rixari, discere, ptare. Quare Hieron. admonet legendum esse, Non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum. Monsterus: Non rixabitur spiritus meus. Tigurina, Non contendet spiritus meus. Germanicus uertit, die menschen wöllend sich meinen geyst nit mer straffen lassen. Pagninus legit: Non erit ut in uagina spiritus meus in homine in seculum. Ille sequitur Rab. Dauidem, qui uocem hanc ידין hoc loco deducit à דין, quæ uox uaginam significat, ut sit ידין pro ידן. quasi dicat Deus, Non erit spiritus meus detentus in homine uelut in uagina.

In homine.] Græcus legit ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις, id est in hominibus istis. In Hebræo simpliciter est באדם, id est, in homine. Quare Græcus de suo adiecit, τούτοις, id est istis: deinde quod in Hebræo est לעולם, id est in seculum, omisit.

Quia caro est.] In Hebræo est בשגם הוא בשר, id est propterea quod etiam ipse caro est.

EXPLANATIO.

Cumq̃ cœpissent homines multiplicari super terram.] Corruptionẽ generis nostri Moses capitibus præcedẽtibus tertio & quarto sic exposuit, ut & originẽ illius doceret, & primos ueluti maliciæ eius fructus in ipsis primordijs declaratos commemoraret: iam uerò, postquam catalogum piorum patrum qui à Seth descenderunt recensuit, redit ad describendam mortalium corruptionem, quomodo illa excreuerit, plenoq̃ cursu passim ad ipsa fastigia peruenerit. Dicit itaq̃: Cum cœpissent homines multiplicari super terram, &c. Etiam antequam multiplicari cœpisset genus humanum, prauum erat cor hominis, & peccabatur à primis hominibus quantumuis numero adhuc paucis: uerùm tantas nondum uires poterat exercere paucorũ malicia in quantas postea prorupit, ubi ex multitudine mortaliũ uberior delinquendi occasio subministrari cœpit. Rectè ergo Moses cum maliciam hominum non amplius teneram & immaturam, sed iam adultam & ueluti ad messem maturescentẽ describere, atq̃ ita causas subsequuturi diluuij præmittere uellet, non simpliciter dicit, Videntes filij potentum filias hominum: sed, Cum cœpissent homines multiplicari super terram, & filias, hoc est, filiarũ multitudinem & ub.q̃ obuiam copiam procreassent (alioqui ab initio mundi natæ sunt patribus etiam filiæ) Videntes filij potentum, &c.

Ordo historicæ narrationis.

Arbitror autem Mosen hic non solum ad secula Noe, sed etiam ad præcedentia respicere, in quibus utiq̃ super terram homines ante natum Noe annis plus mille multiplicari cœperant. Quare non dicit, Cum homines essent multiplicati super terram: sed, Cum multiplicari cepissent, ac filias procreassent. Quid factum est?

Non respicit Moses ad secula Noe tantum, sed & ad præcedentia.

Videntes filij potentum filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibijpsi uxores ex omnibus quas elegerant.] Hoc Moses ueluti specimen quoddam commemorat eius corruptionis, quæ multiplicatis in terra mortalibus inualescere cœpit. Exponuntur autem ista uariè. Alij de angelis prolapsis, hoc est, malis spiritibus exponunt, qui susceptа forma uisibili congressi sint mulieribus, quos uetustas uocat Incubos & Succubos. Hos putant hic uocari uel angelos Dei, uel filios Dei, propter spiritualem naturam. Horũ

De angelis prolapsis, spiritibus incubis ac succubis.

sententia dignissima est, quæ reprobetur hoc loco. Alij, etiam ex recentioribus, exponunt de posteris Seth, quos uolunt ob id uocatos esse filios Dei, quod essent de natione piorum. Cyrillus alicubi licet de ijsdem exponat, aliã tamen adfert rationẽ quare dicti sint filij Dei: πατάττει ἀνωθεν χρόνος, ait, λιτῆς ἀνδρὸς φυσικὰ τοὺς τε ἀπὸ πάππου καὶ τὰς ἀπὸ τῆς σὺν ὁς, ὃς διὰ πολλὴν ἄγαν δικαιοσύνην ὠνόμασται παρὰ τοῖς τὸ πλανηθὲν γνόντος, οἱ μὲν ἀπὸ σὺν ὡς ἐπιμελητὰὶ ἦσαν δικαιοσύνης, ἔθετιν ἑπόμενοι τῷ πατρὸς, δίχ ε μὴν ἀπὸ λαίφ θρασεῖς καὶ ἐπάρατοι. Et paulo pòst, ἐπειδὴ δὲ οἱ υἱοὶ τῷ ἐπιπλεθοντος θεῦ, τότε τιμ τῷ ἑνὸς τὰς ἐν τῇ πάππου θυγατέρας τιθέαντται, προσεφθάρησαν αὐταῖς. Sic iste filios Dei intellexit posteros piæ nationis ad hũc modũ propter Enos dictos, qui eximiæ uirtutis gratia uocatus sit Deus. Qui sic exponunt, arbitrantur Mosen per hoc significare uoluisse, quod totus mundus fuerit corruptus, quandoquidem etiam piorum natio ad carnis libidinem exorbitarit. Alij, quorum mihi sententia probabilior uidetur, exponunt nec de posteris Seth, neq; de natione Cain specialiter, sed in genere de filijs principum, potentum ac magnatum, qui maiorum suorum potentia abusi usqueadeò insolescere pro libidine cœperint, ut ruptis omnis pudicitiæ & honestatis legibus rapuerint sibi uiolenter, è filiabus uulgi ac plebis quas sibi quisq; delegisset, siue essent maritatæ, siue uirgines, siue cognatæ, siue alienæ, idq; non alia ratione, quàm ut ad saturandũ libidinem illis abuterentur. Neq; enim Hebræa uox נשים uxores & coniuges legitimas hoc loco, sed simpliciter mulieres significat, à uiris cognitas.

De filijs principum.

Dixitq; Deus: *Non cõtendet spiritus meus propter hominem in seculum, propterea quòd caro est. Et erunt dies eius anni centum uiginti.*] Et hæc uariè intelliguntur, quemadmodum & uariè leguntur. Qui legunt, Non permanebit spiritus meus in homine, per spiritum Dei intelligunt animam hominis à Deo inspiratam. ut sensus sit: Non patiar ut homo quandoquidem totus caro & corruptus est, uiuat in seculum. Horum sententia plus rationis haberet, si simpliciter in textu esset, Non permanebit spiritus in homine. Qui legunt, Non iudicabit spiritus meus hominẽ in seculum, quia caro est, idem esse putant, ac si diceret: Non condemnabo hominẽ in sempiternũ, quia fragilis illius est cõditio, sed hic illum puniã in hac uita, ne pereat in sempiternum. Sic expositi Hieron. Sunt qui sic, Nõ iudicabit spiritus meus homines in seculum: intellige particulariter, sicuti hactenus feci. Etenim nihil efficio. Est enim caro ac perditus. Non possum illum perpetuò frustra castigare. Semel illum uniuersaliter iudicabo. Qui legunt, Non contendet, non rixabitur spiritus meus in homine, quia caro est: exponunt adhunc modum, Frustra disceptauit hactenus spiritus meus in meipso propter hominem, quandoquidem prorsus est incorrigibilis & carnalis factus, quare tandem ab hac contentione spiritus desistam, ponamq; terminum huic corruptioni. Et hæc mihi sententia propterea placet, quòd hanc anthropopathiam hoc ipso capite infrà & hac ipsa causa diserte expressam legimus ad hunc modum: Videns autem Deus, quòd multa malicia hominum esset in terra, &c. pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra, & præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem, &c. Vides spiritum Dei contendentem & disceptantẽ in ipso, ac tandem includentem ac pronunciantem, quod uelit hominem non ferre amplius, sed prorsus delere? Quid enim est aliud disceptare spiritu, quàm pœnitere ac dolere intrinsecus, donec tandem certa sententia quid faciendum sit concludatur? Contendit spiritu, qui sedulò ac seriò ad propositum aliquod perficiendum luctatur. Contendit cum dolore cordis, qui se frustra luctari sentit. Rixatur, qui corripiendo ac reprehendendo delinquentes redarguit. Fecit hoc Deus per Enoch, Mathusalah, Lamech, Noa. Disceptat spiritu qui intra se iam iusticiæ, iam misericordiæ affectibus fertur, ac ueluti libratur, priusquã in alterã partem prorsus inclinet. Habent ista locum in hominibus, in Deo non item, & tamen Deo tribuuntur in scripturis per anthropopathiam: quandoquidem nobis ut hominibus aliter de Deo S. scriptura loqui non potest.

Nõ permanebit spiritus meus in homine.

Quia caro est.] Hebræa lectio, sicuti dixi, habet, Propterea quod & ipse caro est. Videtur Deus loqui de uulgo promiscuo, ut uox אדם etiam hic quemadmodum duobus præcedentibus uersibus specialiter posita sit de uulgi hominibus, quorũ filias heroum filij pro libidine sua rapiebant. De illis quoq; quæritur quod caro sint, perinde corrupti ac carnales facti atq; filij potentũ. Sensus est: Non solum potentes, sed & uulgus & gregarij homines corrupti sunt & mali, quare non in sempiternum super illis disceptabo. Itaq; huius particulæ emphasis non patitur, ut per filios אלהים generationem Seth, & per filias hominũ, eas intelligamus quæ de posteritate Cain descenderint, quæ inde ab initio caro fuit & corrupta.

Erant dies eius anni 120.

Illud, Eruntq; dies eius anni centum uiginti, rectè est à patribus expositum, non de spacio uitæ humanæ, quasi in posterum ultra centum & uiginti annos non esset quisquam mortalium uicturus, cum multi diutius uixerint: sed de termino patientiæ Dei, qua inde ad diluuium usq; meritam ultionem differre statuit, ut esset tempus resipiscentiæ. Sic nanq; dicit, Non disceptabit spiritus meus propter hominem in seculum, id est, in sempiternum, propterea quòd caro est: sed constituã illi certum resipiscentiæ spacium, annos uidelicet centum & uiginti: quibus elapsis, nisi resipuerit, pœnas sumam extremas.

Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam ingressi sunt enim filij potentum ad filias hominum, genuerunt illæ. Hi sunt potentes à seculo uiri nominati.] In Hebræo est הנפילים, quæ uox significat, prosternentes, supprimentes, irruentes, homines uidelicet uiolentos ac plebis uulgiq; oppressores. De his intelligit Moses, cum dicit, Gigantes erant super terrã. Sunt qui exponant נפילים cadentes, defectores, transfugas, qui uidelicet à cognitione, cultu ac religione Dei defecerint, quales nos Mameluken uocare solemus & apostatas. Verùm prior sententia propterea magis placet, quia isti נפילים statim hic etiam גבורים, id est potentes ac robusti uocantur. Et addit, unde fuerint prognati. Ex ea uidelicet libidine, qua filij

הנפילים

qua filij potentum filiabus uulgi, propterea quòd pulchræ essent, abutebantur: qua de paulo antè initio capitis huius meminerat. Sic arbitror legendum esse hunc contextum, Gigantes erant super terram in diebus illis. Etenim postquam filij potentum ingressi essent ad filias hominũ, illæ genuerunt. Hi sunt potentes (Hebr. גבורים, id est fortes ac robusti) à seculo, id est inde à primordijs crescentis generis humani, uiri nominati, celebres uidelicet & magni nominis. Sic quod in Hebræo est, Et etiam postquã sic ingressi sunt filij potentum ad filias hominum, & illæ genuerunt, hoc est sensu exponendum: Etiam filiæ uulgares, postquam cognitæ essent à filijs potentum, genuerunt filios, qui tanquam & ipsi de potentia progenitorum præsumentes, facti sunt uiri potentes, & uulgi oppressores. Significat omnino Moses abundasse numerũ huiusmodi uiolentorum hominum in mundo, ex eo quod filij heroum nõ solum ex nobilibus suis uxoribus, sed & ex filiabus uulgi passim sibi filios procrearint. Quare illud ויגדו, id est & etiam, & quod in medio uersu est, וילדו, id est & genuerunt, coniungenda sunt in sensu, sic ut litera ו uau coniunctionalis abundet, legaturq; simpliciter, Genuerunt, quemadmodum & Pagninus uertit.

Illud, In diebus illis, referunt quidam ad tempora Cain & Henoch: uerùm ipsa narrationis series requirit, ut intelligamus de temporibus Noe, de quibus Moses hic scribit. In illis enim iam & uis & multitudo Nephilim inualuerat super terram, & omnia corruperat. *In diebus illis.*

QVAESTIO I.

Eruntq; dies illius centum uiginti anni.] Quærendum uidetur hoc loco, quomodo adimpletum sit oraculum hoc Dei, cum ab eo tempore quo dictum apparet, centum duntaxat anni ad diluuium usq; cucurrerint. Videntur enim quæ hic à Deo dicta legimus, mox post quingentesimum annum Noe esse dicta, à quo ad diluuium usq; anni centum fluxere. Nam anno Noe sexcentesimo inundauit diluuiũ, cum tamen secundum præsens oracullum Dei adhuc uiginti anni desiderarentur. *Quomodo ad impletum sit hoc oraculũ Dei.*

Hieronymus in Quæst. Ebraic. dicit Deum noluisse amplius ad mortalium maliciã conniuere, sed propter impœnitentiam illorum de spacio centum uiginti annorum postremos uiginti amputasse, atq; ita citius constituto diluuium induxisse: Nihil quidem absurdi habet hæc sententia, nec demit quicquam ueritati Dei, cui liberum erat plures annos isti spacio uel adimere, propter incorrigibilem hominũ impœnitentiam: uel adijcere, propter resipiscentiam. Verùm nulla necessitate cogimur, ut ad istam rationem confugiamus hoc loco. Neq; enim impedit quicquam, quo minus sentiamus ista dicta esse à Deo non precise quingentesimo anno uitæ Noe: sed annis præcedentibus, cum mortalium malicia unà cum multitudine incrementum sumpsisset, & filij potentum filiabus uulgi iamdudum pro libidine abuti consueuissent, atq; ita patientiam Dei ad uindicandum prouocare cœpissent. Quemadmodum enim ea quæ à Mose de multiplicatione hominum, infreniq; libidine potentum, & gigantibus super terram inualescentibus initio capitis huius narrantur, non sunt talia, quæ demum quingentesimo anno Noe cœperint: ita neq; oraculum hoc Dei ad eam est ætatem restringendum, cum sit isti narrationi insertum, sed admodum conuenienter annis uiginti antequam Noe annorum esset quingentorum, prolatum esse credi potest, sic ut ab eo tempore quo dixit ista Deus, ad diluuium usq; anni centum uiginti intercesserint. Rectè ergo August. sentit prolatum esse hoc oraculum, cum Noe natus esset annos 480. lib. 15. de Ciuit. Dei capite 24.

QVAESTIO II.

Gigantes autem erant super terram in diebus illis.] Mouent hic nonnulli quæstionem, quomodo naturæ humanæ conueniens fuerit, ut gigantes, homines uidelicet portentosæ magnitudinis ac proceritatis, ex hominibus nascerentur. Sentiunt hic aliqui, prognatos fuisse eos non secundum naturæ humanæ cursum, sed secundum operationem spirituum malorum, quos uoluit hoc loco nominari filios Dei, eo modo, quo satan Iob 1. filijs Dei, id est angelis adnumeratur. Lactantius lib. 2. Diu. Instit. cap. 15. sentit eos qui ex spiritibus procreati sint, fuisse nec angelos, nec homines, sed mediam quandam habuisse naturam. Sic enim scribit: Cum ergo numerus hominum cœpisset increscere, prouidens Deus ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio dederat terræ potestatem, uel corrumperet uel disperderet homines, quod in exordio fecerat, misit angelos ad tutelam cultumq; generis humani, quibus præcepit ante omnia, ne terræ cõtagione maculari, substantiæ cœlestis amitterent dignitatem. Scilicet id eos facere prohibuit, quod sciebat esse facturos, ut ueniam sperare non possent. Itaq; illos cum hominibus commorantes dominator ille terræ fallacissimus consuetudine ipsa paulatim ad uitia pellexit, & mulierum congressibus inquinauit. Tum in cœlum ob peccata quibus se immerserant, non recepti ceciderunt in terram. Sic eos diabolus ex angelis Dei suos fecit satellites & ministros. Qui autem sunt ex his procreati, quia neq; angeli, neq; homines fuerunt, sed mediam quandam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti, sicut in cœlum parentes eorum. Itaq; duo genera dæmonum facta sunt, unum cœleste, alterum terrenum, &c. *An Gigantes naturaliter prognati sint ex hominibus. Lactant.*

Sic ille non solum ortum gigantum istorum, sed & conditionem eorum ab humana natura separat, quasi neq; ex hominibus nati, neq; homines etiam, sed ex spiritibus defectoribus procreati, mixtum quoddam dæmonum genus extiterint, ut taceam quòd duos angelorum lapsus ponit, primordialem unũ, secundarium alterũ, qui admissus sit demũ, cũ homines in terra increscere cœpissent. Et Eusebius de Præparatione Euang. libro septimo hæsitat, ad quam debeant isti Gigantes, humanam ne uel potiorem aliquam, quod generationem eorum attinet, referri naturam. Nam ad hunc modum scribit: *Eusebius.*

ὥστε πάντων αὐτὰ σῶμα θρυλλόμενοι γίγαντες τοὺς εἰς λεῦρο βωμοὺς θεομαχίας ἀθέοις λιτὰ λυσσᾶσι μὲν χεῖ

ῥήμασιν ἀπειργάζοντο. ὅθεν δὲ καὶ οἱ τῆς τότων γνώσεως αἴτιοι, ὅτι τινὲς ἡσύχασον μέρας ἢ κατὰ ὄρεσιν φύσιν ὑπάρξαντες, &c. Verùm qui sic senserunt, nec satis diligenter Mosaicæ narrationis ueritatem inspexerunt, in qua nihil prorsus agitatur de spiritibus illis incubis: sed simpliciter potentum ac principum infrenis libido & proles impia inde prognata memoratur, nec uim humanæ naturæ considerarunt, quæ nunquam inde ab initio ad certam aliquam magnitudinem ac staturam humanorum corporum sic fuit alligata, ut non subinde longè imparia proferret. Semper nati sunt paruuli homines, quales sunt Pygmæi: semper mediocres, semperq; aliqui reliquis proceriores sunt producti, ut mirum non sit, si primis illis temporibus complures nati sunt ex hominibus, qui parentum suorum corpora proceritate eximia excellerent. Quare fabulas istas de spiritibus incubis, unde prouenerint Gigantes, haud immeritò patres aliquot admodum reprobarunt, è quibus sunt Chrysostomus, & Cyrillus, qui posterior sic scribit: ἀσύνετον γὰρ τὸ οἴεσθαι τὸς ἀσωμάτους δαίμονας δύνασθαι τῶν σωμάτων συνάπτεσθαι τὸ παρὰ φύσιν ἰδίαν ἐπιτελεῖν. δῆλον γὰρ τῶν ὄντων δύναται τὸ παρὰ φύσιν μηδαμῶς, ἀλλ' ὡς ἕναστον γέγονεν, ἕτω μένει, τάξιν ὁρίσαντος ἐνάστῳ θεοῦ. αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ παύτων γενεσιουργὸς, ὃ τοῖς νεύμασιν ἕναστον τῶν ὄντων ἐστὶν ὃ ἐστιν. Hæc ille. Chrysostomus quoque, quanta, inquit, dementia plenum fuerit, dicere angelos deiectos, ut cum mulieribus rem habeant, & incorporea illa natura copuletur corporibus? Neque enim possibile est incorpoream naturam talem unquam concupiscentiam habere. Quis enim nisi ualde insanus comprobaret talia uerba dementiæ plena, quod incorporea & spiritualis natura corporis complexum ferret? Hæc ille. Sententiam istorum arbitror multo esse manifestiorem, & narrationi Mosaicæ conformiorem, quàm ut in dubium uocari debeat. Omnino siquidem manifestum est, scribere Mosen de talibus filijs Elohim, qui iuxta cordis humani corruptionem capti fuerint specie ac uenustate muliebris formæ, & inciderint in concupiscentiam uisis mulierculis forma elegantiore præditis, id quod nullo modo dari potest creaturis spiritualibus, sed nimium ueraciter ad corruptionem generis humani pertinet. Deinde & uerba Dei quibus dicit, Non permanebit spiritus meus in homine inæternum, quia caro est, satis euincunt, non loqui Mosen de alijs filijs Elohim quàm qui sint homines, idq; carnales, quibus sic corruptis spacium à Deo centum uiginti annorum ad resipiscendum fuerit constitutum. Tertiò, quod opinionem Lactantij de Gigantibus concernit, fuisse eos non mixtum dæmonum genus, sed homines, ex eo satis declaratur, quod Moses dicit: Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filij Elohim ad filias hominum, genuerunt illæ. Isti sunt potentes à seculo, אנשי השם, id est homines nominati. Cum ergo Gigantes isti & homines, & naturaliter ex hominibus prognati fuerint, non est ratio, ut propter corporum illorum proceritatem insolitam ad fabulas conuertamur, & ludibrijs satanæ opus Dei creatoris omnium tribuamus.

Cyrillus.

Chrysostomus.

OBSERVATIO I.

Quomodo multiplicatio generis humani ad corruptionem illius fecerit.

Ingenij humani corruptio.

Cumq; cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent.] Obseruandum hic est, quod Moses, cum causas diluuij narraturus, humani generis corruptionem & malitiam non priuatam aliquam, sed publicam exponere uellet, statim initio de multiplicatione hominum meminit. Non erat illa culpabilis in se. Nam uirtute diuinæ benedictionis prouenichat, qua dictum erat primis hominibus: Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Deniq; faciebat ad propositum diuinæ uoluntatis, quo sic erat ab initio constitutum, ut genus humanum multiplicaretur, terramq; repleret. Ad quid igitur Moses multiplicationis huius meminit? Ad id uidelicet, ut admoneat nos de corruptione ingenij nostri, qua fit, ut donis Dei quo magis cumulantur, hoc magis abutamur. Vbi promiscuum uulgus super terram multiplicari, ac copia filiarum passim exposita haberi cœpit, mox qui potentes erant in seculo, quorum præcipuè erat multitudini leges honestatis & iusticiæ præscribere, ne in morem bestiarum obbrutescerent, multiplicati generis nostri primordia, primi insolescunt, & contemptim de uulgo propter multitudinem sentiunt, & quasi obuiam libidinandi copiam acceperint, ex filiabus hominum quas quisq; uolebat impudicè usurpant. Hæc est ingenij nostri peruersitas. Sic perpetuò omnibus illis donis Dei abutimur, quæ propter multitudinem passim exponuntur. Quæ multa sunt, quotidiana sunt, uulgaria sunt, inde nobis uilescũt, & in abusus cedunt: unde ad ignoscendam & glorificandam diuinæ bonitatis excellentiam admoneri & excitari debebamus.

OBSERVATIO II.

Quale fuerit hoc filiorum potentum peccatũ.

Videntes filij potentum filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.] Quur uoluit hoc commemorare Moses? Peccatum ne est, si quis puellam, quam uidet uenustam, ducat in uxorem? Nequaquam, nisi accedant circunstantiæ, unde illicitum fiat, quod in se est licitum. Quid igitur est, quod Moses ista meminit? Expende singula. Viderunt filij potentum: quas? filias hominum, id est uulgi, quòd essent pulchræ. Quid fecerunt? acceperunt sibi uxores: quas? quas uolebant ex omnibus. Primùm, non dicit, Videntes filij hominum filias potentum quòd essent pulchræ, & acceperunt sibi, &c. sed, Videntes filij potentum filias hominum, acceperunt filias quas uolebant. Neque dicit, Videntes filij potentum filias nobiles potentum & magnatum, &c. sed, Videntes filij potentum filias hominum, uulgi ac plebis. Ergo perstringitur hac in re non simplex concupiscentia & libido quorumuis, sed uiolentia libidinosorum nobilium, ocio & luxu corruptorum, & propter principatum insolentium, ac quiduis pro libidine, in subiectam plebem audentium.

Videtes filij potentum filias hominum.

tium: Violentam hanc libidinem notat Moses in eo quoque quod non dicit, Et petierunt sibi uxores ex illis dari, sed וישאו & acceperunt, & rapuerunt sibi uxores ex illis. Alienum est hoc & ab æquitate & ab honestate publica, à quocunq; tandem fiat. Petenda est uxor, non rapienda: accipienda est cum consensu maiorum utriusque partis. Peccant in ius paternum, qui citra uoluntatem maiorum sibij ipsi rapiunt uxores. Deinde ad criminis huius exaggerationem & illud facit, quod non simpliciter dicit, Acceperunt sibi ex illis uxores: sed, Acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Non solũ libidinose ac uiolenter agebant, sed faciebant hoc plena, libera, infreni, & impuni tyrannide erga quoslibet, parcentes nemini, sed quicquid libebat, absq; ullius mortalium respectu, & ab omni timore Dei alieni, audacter perpetrantes. Quid attinet hic disputare, acceperint ne puellas hac conditione, ut haberent eas legitimas coniuges? Acceperunt sibij ipsi, acceperũt ex libidine uaga, acceperũt ex omnibus, accepe-runt quas uolebant. Vbi ad hunc modum rapiuntur uxores, non quæritur legitimi coniugij honestas, sed seruitur libidini corruptæ carnis. Et si prætexitur matrimonium, seruari tamen legitimè ab eo non potest, qui prauæ & corruptæ est libidinis mancipium: eaq; audacia & temeritate præditus, ut ausit: & eo loco constitutus, ut impunè possit, muliebri cuicunq; uim inferre pudicitiæ.

Ex omnib. quas elegerant.

Itaq; ex eo quod Moses hic de libidine & uiolentia magnatum, potentum ac nobilium commemorat, considerare licet, qualis fuerit status rerum humanarum ante diluuium, quàm necesse sit omnia fuisse corrupta, inualuisse passim omnis generis flagitia, iniustitiam, & iniquitatem. Nequit enim fieri, ut uulgus timorem Dei, & iustitiæ studium retineat, ubi magistratus ac potentatus corrupti sunt, sceleratis & manifestè impijs. Omnis quippe caro sic est ingenio corrupto, ut accliuis sit & propensa ad quamuis iniustitiam. Quare ut coerceatur illius impetus, dati sunt magistratus. Si illi officiũ suũ non faciunt, sed corrupti sunt, & uitiorum exempla subditorum conscientiæ obijciunt, quid aliud consequi poterit, quàm ut quorum sunt malorum spectatores, fiãt etiam prohibente nemine imitatores? Sal est magistratus. Si is fuerit inutilis & euanidus, unde prohibebitur carnis corruptio?

Qualis fuerit status rerum humanarum ante diluuium.

Deinde consideremus etiam hoc exemplo cursum concupiscentiæ prauæ, quæ est in carne nostra. Viderunt, concupiuerunt, rapuerunt. Concupiscentiæ uis uidendo excitatur & mouetur, qui motus primus est, & omnium uelocissimus: efficacissimus etiam, nisi spiritu timoris Dei coerceatur. Rapit enim totum hominem, ut faciat quod ipsa imperat. Quare pleno impetu regnat in illis, qui nec Dei, nec alicuius hominis metu reprimuntur, quales plerunq; sunt potentes in hoc seculo, qui quoniam nullo timore coluentur, imperio sunt concupiscentiæ suæ prorsus subiecti. Omnino ui aliqua opus est, qua re primamur, ne dum uidemus quæ sunt carni nostræ concupiscibilia, uisa concupiscamus: & ubi concupiscentiæ locum dedimus, ne ultrà progressi manum etiam in ea quæ concupiscimus injiciamus. Sic nanque comparati sumus, ut oculum animus concupiscens, animum uerò manus usurpans uelut uestigio sequatur, si non sit uis aliqua maior quæ id uetet.

Cursus concupiscentiæ prauæ.

Tertiò, expendamus uanitatem quoque carnis nostræ hoc exemplo expressam. Viderunt filij potentum filias hominum quòd essent pulchræ, & acceperunt sibi uxores. Ergo non spectarunt in illis aliquam pietatem, pudicitiam, honestatem, mores integros & bene institutos, sed solam corporum formam paulo elegantiorem ac uenustiorem. Quàm autem sit hoc uanum, res ipsa declarat. Decor corporis quantumuis sit eximius, leui momento dedecoratur. Deinde plerunq; adsunt mali mores, animus insincerus ac perfidus, ut incipiat esse omnium molestissima, quæ initio impensissimè concupiscebatur. Quare uerum est quod Salomon dicit, Vana est pulchritudo, mulier timens Dei laudetur. Vera pulchritudo ut firma est & constans, ita etiam firmam adfert iucunditatem ijs qui illa sese oblectant. At ea non est corporis, sed animi. Pulcherrima mulier est, quæ mente prædita est pia, pudica, morigerata, fide li & submissa. Verùm hanc pulchritudinem carnales homines licet in uxoribus suis non improbent, ei tamen quæ corporis est longè postponunt.

Vanitas carnis nostræ hoc exẽplo expressa.

Quartò, admonentur etiam hoc loco, quotquot filias habent, ne finant eas liberius euagari seculo hoc postremo, quod propter malitiæ incrementa ab ipso Christo temporibus illis corruptis assimilatum est, quæ diluuium præcesserunt. Quod si prioris seculi homines filias suas maiore cautione custodiissent, minus forsan occasionis potentum filijs ad rapiendum eas obiecissent. Notum est exemplum Diinæ filiæ Iacob, infrà cap. 34. Illa quoniam liberius ad uidendum regionis illis mulieres egrediebatur, uidebatur à loci illius principe, concupiscebatur ac rapiebatur. Turpitudo ista uitari poterat, si domi suæ sicuti decebat תעלמה, id est absconditam, sub custodia maiorum suorum mansisset. Quæ nunc dissolutio muliebris sexus passim obtineat, quid attinet commemorare? Quare mirum non est, quòd omnia plena sunt stupris, scortatione & adulterio.

Non permittendum filiabus ut liberius euagentur.

OBSERVATIO III.

Dixitq; Deus, *Non disceptabit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.*] Primùm obserua anthropopathiam, quæ Deo hic tribuitur. Disceptatio spiritus, qualis in homine reperitur, in Deum non cadit: interea tamen hac loquutione admonemur eius patientiæ, qua Deus peccatoribus admodum diu parcere solet: admonemur misericordiæ, per quam seueritas iustitiæ Dei, ne citò delinquentes puniat, refringitur: admonemur rursus iustitiæ Dei, quæ per impœnitentiam nostram quotidie irritata, ad sumendum pœnas meritas inclinat. Cogitemus Deum sic esse comparatum, ut mallet nos seruare, quàm perdere: bene nobis facere obtemperantibus, quàm pœnas sumere de immorigeris. Cogitemus nostræ deberi malitiæ & obstinationi, quando per iustitiam illius uisitamur

Anthropopathia disceptationis Deo tributa quorum admoneat.

Patientia Dei per obstinationē nostræ prauitatis uincitur.

& corripimur. Nam tardus est ad iram, ac pronus ad misericordiam. Deinde obseruemus, quòd se non inæternum disceptaturum propter hominem dicit, propterea quòd caro sit. Admonemur, patientiam Dei per carnis nostræ corruptionem & obstinationem non modò iritari, sed & uinci. Carnalis homo, quoniam mente cæcus est, & animo prorsus corruptǫ & insensato, nec iudicia Dei, nec sua ipsius facta intelligit, deniq; nec afficitur ulla bonitate patientis Dei: quare fit ut incorrigibilis perduret in sua malitia. Itaq; nisi cor nouum & spiritum nouum accipiat à Domino, fieri non potest ut ad studium iustitiæ conuertatur. Simul illud obserua, quòd cum dicendum esset, quia carnalis est, dicit, Quia caro est. Sic totus homo, carne & spiritu cōpositus, caro tū nominat, quādo carnis imperio totus quantus quantus est obnoxius est factus, ita ut & spiritus in illo, qui de cœlo datus est, carni sit subiectus. Rursus spiritus uocatur, quando corde pio ac sincero totus adhæret Domino, ac spiritu regitur ac ducitur. Sic dicit Apostolus: Qui adhæret Domino, unus spiritus cum illo est. Solet S. scriptura ob id etiam carnem uocare hominem, quòd imbecillis est, ærumnosus, mortalis, & corruptibilis. Sic Dauid alicubi dicit, Non timebo. Quid faciet mihi caro? Et alio in loco: Recordatus est, quia caro sumus, puluis, &c. Verùm quod posteriore hoc sensu caro sumus, plus facit ad impetrandam misericordiam Dei, quàm ad iritandum illius patientiam. Prior carnalitas ad hoc tandem facit, ut misericordiæ Dei nequeamus amplius esse capaces. Quare plurimum in eo desipimus, quòd non tantum dolet quòd ingenioſi sumus ad perficiendam malitiam carnis, quantum nobis infelices esse uidemur, quod infirmi sumus, calamitosi & mortales. Etenim reuera infœlix est, qui suaipsius malitia alienum se à misericordia Dei constituit: ac rursus uerè felix est, qui infirmitate, miseria, & humilitate sua propitium ac misericordem Deum inuenit.

Quod homo carnalis caro uocatur.

OBSERVATIO IIII.

Patientia diuinæ bonitatis.

Eruntq; dies illius centum uiginti anni.] Videmus hoc loco insignem diuinæ bonitatis patientiam, in eo quod cum omnium meritissimè in malitiam & corruptionem mundi animaduertere posset, sese cohibet, & adhuc resipiscentiæ spacium proponit. Quàm sit ista patientia Dei præclari exẽpli, ex circumstantijs considerari potest, utpote quòd carnalibus & obstinatis in malo adhuc pepercit, de quibus ipse queberatur quòd essent caro. Deinde quòd hoc facit in ipso proposito futuræ plagæ & animaduersionis. Tertiò, quod non breue aliquod tempus resipiscentiæ largitur, sed admodum prolixum, centum uidelicet & uiginti annorum. Cum in unoquoq; decennio magnæ soleant fieri rerum humanarum, immo & animorum mutationes, planè satis prolixum spacium proposuit diuina patientia, in quo duodena decennia sic erant comprehensa, ut singulis mortalium ætatibus abundè satis temporis ad resipiscendum proponeretur.

Certus patientiæ Dei terminus.

Simul & illud obseruandum est, quòd propter impœnitentiam corrupti mũdi certus tandem patientiæ Dei terminus proponit. In se quidem infinita est ut bonitas ita & patientia Dei: uerùm quæ resipiscentibus ac Dei timentibus absq; ulla limitatione indefinenter est parata, impœnitentibus ac deplorata certo aliquo termino includitur ac limitatur. Quare certo certius sciant omnes pij, etiam hoc nostro seculo constitutum esse quendam patientiæ ac tolerantiæ Dei terminum, quo tandem carnalium hominum & pseudochristianorũ deplorata malitia Deo rebellans, & ad ultionem meritam iamdudum maturescens, condignas pœnas inueniat.

OBSERVATIO V.

Quomodo mundum corruptum Deus per homines uiolentos castigarit.

Gigantes autem erant super terram in diebus illis.] Admonemur hoc loco, quomodo mundum illum corruptum Deus interea dum catholicum illius interitum ad constitutum usq; terminum patienter differebat, per homines impios ac uiolentos castigationis gratia flagellarit, ut ad resipiscentiam cogeretur. Quid enim aliud agebatur per Gigantes, qui diebus illis inualuerant super terram? Suprà diximus נפלים secundum uocis huius significatum esse homines uiolenter irruentes, prosternentes ac uulgum opprimentes. Vbi illi inualescunt, quid obtinet aliud, quàm quod alibi dictum est, propter peccata populi multi principes eius? Sic percutit Dominus mundum deprauatum multitudine tyrannorum, ut humilietur adflictus, & ad resipiscentiam adspiret, antequàm terminus patientiæ extremis supplicijs deputatus irruens cunctos absumat & perdat. Huius rei euidentissima sunt postremis hisce seculis exempla, in quibus passim toto terrarum orbe abundant חגבירים, quasi quædam flagella Dei corruptum mundum castigantis, & ad resipiscentiam uocantis. Horum insignia ipsi causæ quæ agitur conuenientissimè respondent. Verùm quemadmodum prior mundus frustra fuit percussus & castigatus propter incorrigibilem impœnitentiam: ita & posterior hic noster, ut apparet, dum emendari non sustinet, sed frustra flagellatur, tandem unà cum Gigantibus suis extremo dabitur exitio.

Pro. 28.

OBSERVATIO VI.

Ex peccato nascitur peccati pœna.

Postquàm enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, genuerunt eis illæ.] Videmus hoc loco, quomodo ex peccato peccati pœna nascatur. Peccabãt parentes, quòd filias suas libidini potentũ incautius eas ac dissolutius educando prostituebant. Ex eo peccato prouenit tyrannidis & oppressionis accumulatio & aggrauatio, dum numerus est gigantum multiplicatus. Videmus etiam, quàm ex concubitu libidinoso, illegitimo, & extraordinario, plerunque nascatur proles impia. Accidit subinde, ut ex honesto quoque coniugio nascantur liberi impij ac reprobi, quales fuere Cain, Cham, Esau, & alij consimiles multi: uerùm inde colligi non debet, nihil esse discriminis inter legitimos & illegitimos natales. Nam omnino rarum est, si inueniatur illegitima proles, quæ uera possit pietate ac probitate commendari

dari, cuius rei multæ sunt rationes. Nec mirũ uideri debet, si qualis est pater, talis ex ipso gignat & filius, & fructus arbori, immo nõ arbori tantũ, sed & sationi ac plantationi, ut educationẽ taceã, respondeat.

OBSERVATIO VII.

Hi sunt potentes à seculo, uiri nominati.] Considera hic, unde sit antiqua nobilitas, ut uocant, & potentum prosapia pariter & celebritas. Non dicit simpliciter, Hi sunt potentes: sed addit, אשר מעולם, id est, qui sunt à seculo. Poterant igitur gigantes isti gloriari de ortus sui uetustate. Verùm de honestate natalium gloriari non poterant. Itaq; non mox honestum est quod antiquum est.

Vnde sit antiqua nobilitas.

Deinde uidemus etiam hoc exemplo, quàm sit hic mundus corruptus, in quo nominis splendorem acquirere possunt homines impij ac uolenti, quorum facta, non celebritatem & gloriam, sed obscurationem potius & abominationem merentur. Et huic peruersitati seruiunt plurimum & poetæ & historiographi, qui gesta tyrannorum magis hoc nomine quòd fortia & uiolenta fuere, quàm iustitiæ respectu illustrant. Huc faciunt item homines uani ac leues, qui tyrannidem impiorum qualicunq; sibi pacto lucrosam, & affectibus suis commodã reddere solent, quibus etiam ipsi magnates impensius quàm uiris honestis delectantur.

In hoc mũdo possunt homines impij esse uiri nominati.

Videns aũt Deus quòd multa malitia hominũ esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malũ omni tempore: pœnituit eũ quòd hominem fecisset in terra, & præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominẽ, quẽ creaui, à facie terræ, ab homine usq; ad animantia, à reptili usq; ad uolucres cœli. pœnitet enim me fecisse eos. Noe uerò inuenit gratiam coram Domino.

LECTIO.

Et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.] In Hebræo sic legitur, וכל יצר מחשבות לבו רק רע כל היום, id est, Et omne figmentũ cogitationum cordis eius tantũ malũ toto die. Græcus sic: καὶ πᾶς νοῦς διανοεῖται αὐτῆ διαφόλιγ αὐτῆ ἐπιμελῶς ἐπὶ τὰ πονηρὰ πάσας τὰς ἡμέρας, id est, & quòd unusquisq; cogitaret in corde suo meditans ad praua singulis diebus.

Et præcauens in futurum.] Hanc particulam nec Hebræus habet, nec Græcus, sed latinus interpres de suo adiecit.

Et tactus dolore cordis intrinsecus.] Græcus uertit, διὰ διανοήθη. i. & uolutauit in animo, & deliberauit.

EXPLANATIO.

Videns autem Deus quòd multa malitia hominum esset.] Moses ut causam diluuij nõ simpliciter cõmemoret, sed usq; adeò fuisse grauẽ declaret, ut extremo totius orbis exitio demerẽdo abũde sufficeret, tria de Deo prædicat hoc cõtextu. Primũ, quòd uiderit malitiã hominũ in terra multã esse & prorsus inualuisse, sic ut uniuersa meditatio cordiũ illorũ dũtaxat, id est modis omnib. mala esset, nõ aliquãdo tantũ, sed omni tẽpore hoc Deũ uidisse, id est certò cognouisse dicit, idq; post cõstitutũ resipiscẽtiæ terminũ. Deinde quòd pœnituerit ipsum, quòd hominẽ in terra creasset, deq; eo corde cõtristatus admodũ doluerit. Nec pœnitẽtia, nec dolor locũ habẽt in diuina natura, sed sacra scriptura humano more de Deo loquit, dũ illi pœnitentiã tribuit & dolorẽ. Est aũt hominib. in cõsueto, ut ex operib. iudicent de affectib. cõsilijs, cogitationib. unde opera prouenũt. Sic ubi uidemus figulũ suũ ipsius opus destruere, iudicamus id ex eo fieri, quòd pœnitet ipsum prioris facturæ, & facile intelligimus eã pœnitentiã adiunctũ habere dolorẽ ac tristitiã cordis. Quemadmodũ enim natura sic est cõparatũ, ut opus suũ quisq; opifex amet & firmũ esse cupiat: ita cõsequens est, ut nemo opifex suũ ipsius opus, quod integrũ durare cupiebat, citra doloris sensum pœnitẽtia ductus ipse destruat. Quoniã itaq; opifex ille omniũ, uniuersum genus humanũ quod & cõdiderat & amauerat, incorrigibiliter corruptũ de terra prorsus deleuit, respectu facti huius, nõ respectu diuinæ naturæ, tribuit hoc illi Moses, quòd pœnituerit eũ quòd hominẽ cõdidisset, & quòd dolore cordis tactus consiliũ delendi illius cœperit. Tertiò prædicat de eo, quòd non hominẽ modò, sed & cũcta animãtia, reptilia & uolucres, unà cũ illo de superficie terræ abolere cõstituerit. De eo, quur hoc factũ sit, in quæstione huius loci uidebimus. Hæc omnia exposuit Moses ad hoc, ut frustra cõcesso pœnitentiæ termino malitiam mortalium inualuisse, eamq; ob causam grauissimas Deo fuisse causas perdendi generis humani doceret. Addit de Noe.

Quomodo sacra scriptura pœnitentiam Deo adscribit.

Noe uerò inuenit gratiam coram Domino.] Gratiam coram Deo inuenire, est Deum in re magna habere propitium, beneuolum ac fauentem. Sic ad Mariam dicebat Angelus: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Sic Noe gratiam inuenit coram Domino, ut cæteris uniuersis pereuntibus, unus ipse cum suis seruaretur, ac futuro mundo quasi seminarium quoddam retineretur.

QVAESTIO I.

Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, &c.] Quæritur hoc loco, quare Deus hominẽ initiò uel cõdiderit, uel conditũ cũ peccasset, iãq; peccato in ipsis esset intimis cordis affectib. corruptus, non statim exitio tradiderit, cum sciret genus humanum, ubi multiplicatum esset in terra, obstinata fore malitia corrumpendum, ac tandem catholico interitu de terra abolendum. An non satius fuisset initiò duos homines mortem meritos morti tradere, quàm postea multitudinem innumerabilem toto terrarum orbe sparsam tam horrendo supplicio perderet?

Quare Deus hominem initiò cõdiderit cum sciret eum fore malum.

Respondeo:

Non erat ratio, ut propter ſatanæ malitiam ab opere ſuo ceſſaret.

Reſpõdeo: Nihil quidẽ omniũ eorũ, quæ inde ab initio creationis ad poſtremũ uſq; diẽ in operib. à ſe factis euẽtura erãt ignorabat omniſcius Deus: uerũm quoniã ut bonus omnia bene, & ut prudẽs cũcta prudenter cõdebãt, nõ erat ratio, ut propter ſatanæ nequitiã & futurã mortaliũ corruptionem ab opere creationis deſiſteret: uel ubi primi homines peccauerãt, primordia generis humani mox in uniuerſum è medio tolleret. Primũ enim declarãda erat ipſius cũm omnipotentia tũ bonitas, tã creãdo ex nihilo nõ dũ exiſtentes, tãtiſq; beneficijs creatos cumulãdo, quã pijs parcendo, & malos puniendo. Quare haud quaquã cõueniebat, ut propter futurã hominũ malitiã ab eo quod ſe decebat abſtineret. Damnei potius malitia generis noſtri, quæ tã impia ingratitudine & obſtinata corruptione infinitã Dei bonitatẽ in extremã indignationẽ uſq; adeò cõuertit, ut præter ingeniũ ſuũ quod ipſe cõdiderat perdere cogeret. Deinde erat etiã habenda ratio eorũ quos ad uitã æternã elegerat, quales dubio procul poſt Habelẽ, Seth ac reliquos in S. ſcripturis expreſſos iuſtos, multi etiam alij ante diluuiũ uixerunt. Tertiò accedit & illud: Quod ſi quis hodie fecerit aliquid, unde cras ſit pœnitendũ, quodq; nulla poterit tatione corrigere & emendare, meritò cenſebit imprudens, ſi ignorãter: uel temerarius, ſi prudẽter hoc fecerit. Verũm de Deo ad hunc modũ cogitare, planè fuerit impiũ. Nec imprudenter pepercit primis hominibus, præſcius omniũ eorũ quæ futura erãt: nec temerarius in eo iudicari poteſt, quòd ſcienter tantæ mortaliũ malitiæ per tot ſeculorũ patientiã locũ dedit, cũ terminũ illi ac finẽ, quo cõſummaret, omniũ certiſsimũ deſtinarit: & hanc cauſam ſic diſpoſuerit, ut nõ ſolũ corrigeret tandẽ mortaliũ malitia, ſed & exẽpla primùm bonitatis ipſius & patientiæ, deinde & iuſtiſsimi iudicij ederent. Poſtremò, etiãſi nihil horũ cõſtaret, æquũ ne eſt, ut creatura creatorẽ, ſtultitia ſapientiã, iniuſtitia iuſtitiã, corruptio ac perditio ſummã integritatẽ & exiſtentiã in ius uocet, & rationẽ actorũ eius exigat? Abſit à pijs mentibus iſta impietas. Satius eſt ut dicamus cũ Apoſtolo, O altitudinẽ diuitiarũ ſapiẽtiæ ac ſciẽtiæ Dei, quã incõprehenſibiles ſunt uiæ eius, &c.

QVAESTIO II.

An non fuerit iniquum, quod etiã beſtias de terra deleuit Deus, cũ non peccarint.

Ab homine uſq; ad animantia, à reptili uſq; ad uolucres cœli.] Quæſierit forſan hoc loco quiſquã, ſi corruptio & malitia generis humani cauſã præſtitit diluuio, quomodo defendi poſsit, ne iniquũ uideat, quòd non ſolum homines Deus, ſed & animantia & beſtias unà cũ reptilibus & uolucribus cœli de terra delere uoluit, cũ illa dubio procul tam ab iſta corruptione quàm ab ipſa natura generis noſtri prorſus eſſent aliena, nec ab ea uitæ & naturæ conditione, qua condita erant, peccando declinaſſent.

Ad hanc quæſtionem Lyranus ſic reſpondet: Quia peccata hominũ facta fuerãt in terra, ideo ad deteſtationem criminis deleta ſunt animalia quæ habitãt in terra, & uolucres cœli quoq;, quia accipiunt ibi paſtum. Piſces aũt habitantes in aquis non fuerunt mortui per diluuiũ, quia peccata hominũ nõ fuerũt facta in aquis. Hæc ille. Chryſoſtomus & alij propius accedũt ad ueras huius rei cauſas, quibus etiã aſſentior. Quoniã animalia facta ſunt à Deo nõ, ꝓpter ſeipſa, ſed propter hominẽ, ideo cũ homine quoq; tanquã ad uſus illius pertinentia, deleta ſunt de terra, ut genus humanũ grauitatẽ pœnarũ ſecundũ malitiæ ſuæ multitudinem & enormitatem non in ſeipſo tantum experiretur, ſed & in animantibus propter ipſum ut creatis, ita & unà cum ipſo pereuntibus ipſis oculis cerneret.

Si cogitaueris hoc eſſe præter æquitatẽ factũ, reſponde quæſo, cui nã facta ſit iniuria? Animãtia bruta ſunt creaturæ ſecũdariæ, nõ primariæ, quemadmodũ & reliqua propter hominẽ cõdita. Si quæſieris de cõditore, ipſe Dominus cõdidit ea, qui & poſtea deleuit. Quis dicet figulo, Quare deſtruis opus tuũ? Si quæſieris in quos & cuiuſnã uſus fuerint initio cõdita: cõdita cõſtat in uſus generis humani, cui etiã à conditore ſingulari magnificẽtia fuere ſubiecta. Iam cũ homo dominus beſtiarũ uitã & omnia ſua iudicio Dei & extremo exitio per inemendabilẽ ſuã malitiã reddidiſſet obnoxia, nulla utiq; iniuria afficiebat, cũ non ipſe modò, ſed & cũcta ad ipſum pertinẽtia diluuio ſubuerterent. Itaq; in hac cauſa non ſunt animãtia, reptilia, & uolatilia in ſe inſpicienda, quia non proprij, ſed alieni iuris & uſus erant: ſed conſiderandũ eſt, an uis iniuſta ſit illorũ iuri illata, ad quos illa uel cũ primis uel ſecũdariò pertinebãt. Cũ primis erãt Dei conditoris & altoris, ſecũdariò pertinebãt ad uſus hominis. Deus ipſe, delendo illa, nec illi ipſi nec homini, ſicuti dictũ eſt, aliquid intulit iniuriæ. Abſit igiſ ut pueriliter ſentientes, ne quid durius dicam, putemus beſtias præter fas & æquum unà eſſe cum homine deletas.

OBSERVATIO I.

Videndi uerbum Deo non ocioſe tributum.

Videns autem Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra.] Principiò notandũ eſt uidendi uerbũ Deo hic nõ ocioſe tributũ. Nõ ſimpliciter dicit, Cũ multa eſſet hominũ malitia in terra: ſed, Videns aũt Deus, quod multa malitia hominũ eſſet in terra. Multæ ſunt cauſæ, quibus rerũ cognitio cõſtare poteſt: uerũ inter omnes certiſsima eſt, quæ teſtimonio oculorũ prouenit. Itaq; ut perſuadeat nobis ſpiritus ſanctus tam certò ſcire Deũ quæ hic in terra gerimus, quàm certò cognoſcunt quæ ipſis oculis uidẽt, dicit: Et uidit Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra. Admonemur eius quod Pſaltes canit, dicens: Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominũ, ut uideret nũ eſſet intelligens quiſquam, & qui quæreret Dominũ. Pſal. 14. Impij dicũt in cordibus ſuis, alius, Nõ eſt Deus: alius, Non uidet Deus. Scriptura docet nos, & eſſe Deum in cœlis, & uidere illum quæ facimus omnia, ſiue bona ſiue mala. Sic alibi dicit: Oculi Dominum contemplantur bonos & malos. Quare nemo ſeipſe fallat. Verſamur omnes in ipſis ueluti oculis diuinæ Maieſtatis, nec fieri poteſt, ut illum quicquam celemus.

Quod non dicit: Quod peccarent homines in terra

Deinde conſideremus, quod non dicit, Quod peccarent homines in terra, ſed quòd multa malitia hominũ eſſet in terra. Nõ mox ex malitia peccat, quiſquis peccat. Accidit enim ſubinde, ut à pijs quoq; peccetur uel per ignorantiã & errorem, uel per infirmitatem ſiue carnis ſiue fidei, uel per occaſionem. Verũm

A rùm qui peccat ex malitia, peccat malo ſtudio & ex deſtinato, delectaq́; peccati ſucceſſu. Cogitemus hoc loco, non eſſe Deum leuibus peccatis hominum ſic iritatum, ut conſilia perdendi prorſus generis humani cœperit, ſed in cauſa fuiſſe peruerſæ mentis malitiam. Ignorantia, infirmitas, & præoccupatio delinquentium ueniam meretur promptam & facilem, malitia uerò non item.

Tertiò & illud obſeruandum eſt, quòd non dicit, Videns autem Deus quod malitia hominũ: ſed, Quòd multa malitia hominum eſſet in terra. Ergo tanta eſt bonitas Dei, ut etiam malitiam hominum patienter aliquandiu ferat, nec moueatur ſtatim ad ulciſcendum, niſi malitia excreſcat, & ad ſummum euadat. Quare ubi uiderimus modum malitiæ nullum eſſe reliquum, ſed ſtudia praua ac peruerſa paſſim excreſcere, certo ſtatuendum eſt, iritari patientiam Dei, & cogi ad uindicandum, ut neceſſe ſit grauiſſimum aliquod præ foribus eſſe iudicium & exitium. Hinc eſt quod Chriſtus Matth. 24. de Hieroſolymorum deſtructione uaticinans inter alia excidij illius præcurrentia ſigna etiam illud poſuit, quòd iniquitas eſſet abundatura. *Non ſimpliciter dicit, quod mali eſſent homines.*

OBSERVATIO II.

Et cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore.] Expende hic delineationem humanæ malitiæ, quæ ex peccato originis carni noſtræ innaſcitur. Primùm, datur homini nõ extraria quædã oris uel manuũ malitia, ſed ea quæ cordis eſt: ut intelligamus ipſum fontem uitæ humanæ, unde omnia cogitata, dicta & facta noſtra proueniũt, eſſe uitiatũ, corruptũ ac prauũ, ut rectè dixerit Hier. cap. 7. Prauum eſt cor hominis. Et Chriſtus Matt. 15. De corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, homicidia, &c. Deinde nõ ſolũ cordis malitia perſtringit, ſed daĩ illi etiã יצר הרע, id eſt, figmentũ prauũ, & מחשבת, id eſt uerſutæ & prauæ meditationes. Ergo mala illa quæ proueniũt ex corde humano nõ ſcaturiũt ex illo obiter & citra ſtudiũ: ſed fingunt ac parturiunt maligno ſtudio, ſcienter ac prudenter, callidè ac uerſutè, ſic ut fictio cogitationũ eius inſcrutabilis ſit, ac ſoli Deo intelligibilis. Ideo cũ Hieremias dixiſſet, Prauũ eſt cor hominis: adiecit, Et inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Tanta eſt mali huius profunditas, ut ne à nobis ipſis quidẽ rectè agnoſcaĩ. Quare Dauid haud fruſtra clamat, dicens: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis mũda me. Et hoc יצר הרע Rabini Iudæorũ agnoſcũt eſſe pecca illud originale, quod, dũ in utero matris concipimur, naturã noſtrã fermentat & corrũpit. Tertiò obſerua, quòd non dicit, Et figmentũ cordis: ſed, Et omne figmentũ cordis eius malũ eſt. Quid quæſo boni naturæ noſtræ relinquit? Ergo ſi quid boni cogitamus, haud ex nobis eſt, ſex ex ſpiritu Dei. Quartò, huc accedit, quod nõ ſimpliciter dicit, Et omne figmentũ cordis eius malũ: ſed רק רע, id eſt, dũtaxat malũ eſt. Nulla concedaĩ palliatio, nulla excuſatio, nulla extenuatio, quaſi quæ facimus haud prorſus mala, ſed & aliquo pacto bona cenſeri poſſint. Poſtremò addit & illud, כל היום, id eſt omni tẽpore. Ergo nunquã nõ mali ſumus. Nullũ hic momentum concedit, quod alienũ ſit & liberũ à natiua cordis noſtri malitia. Ne dormientes quidẽ puri ſumus. Ipſa hoc noſtra inſomnia teſtantur. Nulla ætas hominis mũda eſt inde ab infantia ad decrepitam uſq; ſenectam. Eſt igitur omnium ueriſsimum quod Apoſtolus dicit: Sumus natura filij iræ. Et Chriſtus affirmat, fieri non poſſe ut regnum cœlorum quiſquã uideat, niſi regeneretur è ſupernis. Dum illa expẽdimus, quæſo, poſſumus ne citra inſignem impudentiam homini nondum per gratiam Dei regenerato liberos animi tã cæci, tamq́; praui dare motus, quibus ipſe ſeſe ad bonum erigat, bonumq́; appetat, & citra ſingularem gratiam ſuiſipſius uiribus amplectatur? *Delineatio malitiæ humanæ. Malitia cordis. Figmentum prauum. Omne figmentũ cordis humani malum eſt. Duntaxat malũ eſt. Omni tempore malum eſt.*

OBSERVATIO III.

Pœnituit eum quòd hominem feciſſet in terra. Et infrà, Pœnitet enim me feciſſe eos.] Obſeruemus uocẽ hãc omniũ grauiſsimam. Non potuit grauius quicquam ad deteſtandũ & condemnandũ hominis malitiã dici, quàm quod Deus ipſe pœnitere ſe dicit, quòd fecerit hominẽ. Hoc enim quid eſt aliud, quàm optare nõ ſolũ ne ſit amplius homo quiſquam in terra, ſed & ut nunquã aliquis homo factus eſſet? Quo teſtimonio ſignificaĩ ipſam naturã hominis ſic eſſe corruptam, ut inde ab initio poſt primũ lapſum nullis potuerit beneficentijs, nullaq́; patientia ac lenitate corrigi, uel ſaltem cohiberi, ne quotidie peior, ac tandem peſsima euaderet. Omnino exprimitur hoc teſtimonio Dei, tam enormiter excreuiſſe corruptæ naturæ humanæ malitiam, ut & bonitatẽ Dei, & patientiam, cui nec modus eſt, nec terminus in ſe uicerit ac repreſſerit. Non poterit hæc conſideratio ſatis exprimi. Cogita quàm oporteat inſignem eſſe nebulonem, & enormiter improbum, qui ſic ſe peruicaciter, turpiter, & indefinenter improbum aduerſus parentem ſui impenſiſsimè amantem gerat, ut animus paternus pignoris ſui amantiſsimus poſt longam patientiam & multifarios ſeruandi ipſius conatus tandem eò adigatur, ut deſperata omni reſipiſcentia cum ingenti dolore cordis dicat: Pœnitet me quod filium hunc genui. Quicunq; norũt, quis ſit animus patris erga filium tenerrimè dilectum, quaſi per umbram intelligere poſſunt utcunq;, quis ſit in hoc optimi creatoris de homine à ſe creato querimonia, ſpiritus, dolor & affectus. Viciſsim nobis cogitandum eſt, quàm intolerabilis dolor ſit filio ſincero & germano, ſi audiat à chariſsimo genitore tam graue pœnitudinis ac doloris teſtimonium, ut de ſe dicat, Pœniteat me geniti huius filij. Sic oportebat & nos eſſe erga conditorem ac cœleſtem patrem noſtrum animatos, ut cum teſtimonium hoc pœnitentiæ Dei de condita à ſe natura noſtra legimus, haud quidem ad deſperationem, nullo tamen pacto ad contemptum, ſed potius ad propoſitum humiliationis noſtræ & placandæ iræ illius confugiamus. *Vox hæc Dei omnium eſt grauiſsima. Similitudo filij deploratè mali. Ingenium germanum filij.*

OBSERVATIO IIII.

Et tactus dolore cordis intrinſecus.] Quod pœnitudini Dei de creatione hominis conceptæ dolor cordis coniungit, quãuis, ſicuti ſuprà memini, nec pœnitudo, nec dolor locũ in Deo habeant, ad id tamẽ no bis *Deum non delectari exitio noſtro.*

bis ſeruit, ut intelligamus Deum non delectari exitio noſtro, quantumuis iuſto & innumeris modis abundè merito. Nihil erat æquius, nihilq; tempeſtiuius, quàm ut malitia mundi incorrigibilis & extrema, extremas etiam pœnas daret: nihilo tamen ſecius ægrè Deus conſilia perdendi mundi inibat. Sic tũ quoq; implebatur illud, Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur, & uiuat. Et alibi: Non delectatur Deus perditione filiorum hominum. Deinde & illud cogitandum eſt: Qui natura ſic eſt comparatus, ut reſipiſcentiam delinquentium patienter admodum diu expectet, ac tandem incorrigibiles ægrè ac ueluti cum dolore puniat, quomodo negligeret eos qui ſe obſeruant? quomodo adflictiones priorũ ab impio mundo illatas ſuſq; deq; faceret? quomodo quenquam per iniuriam perderet? Non habet iniuſtitia locum in eo ad perdendum innocentes, qui ne noxios quidem etiam obſtinatos, facile ac propere, ſed tardè ac difficulter meritis pœnis afficit. Habent hic exemplum cui ſe conforment quotquot poteſtate iudicandi ſiue in Eccleſia, ſiue in ſeculo funguntur. Diuini planè eſt ingenij, non facile extremam exercere ſeueritatem in eos qui delinquunt, ſed quibus fieri poterit modis, auerſos à ſtudio iuſtitiæ patienter in uiam reducere: & ſi tandem ipſa neceſsitas coegerit, ut ultimo ſupplicio animaduertatur in obſtinatos, id facere quidem ex officio, uerùm non ſine dolore cordis, & humana compaſsione, omni ferocia tyrannica reiecta. Iudices Hebræorum olim id in more habebant, ut cùm de ſanguine hominis noxij iudicandum eſſet, toto illo iudicij die nihil ne guſtarent quidem. Videri uolebant iudicare ſe ac damnare ſanguinem hominis ægrè & tanto cũ dolore cordis, ut cibum capere toto illo die nõ lubere-

Ad hæc, Vbi uidemus Deũ tardus punire ſontes, & liberare inſontes, cogitandũ eſt ex hoc loco, unde accidat.

Priſci Hebræorũ iudices.

OBSERVATIO V.

Quid tandẽ expectandũ ſit impijs.

Delebo hominem, quem creaui, à facie terræ, ab homine uſq; ad animantia.] Delebo, inquit, hominem. uide quid tandem expectandum ſit impijs diuinæ patientiæ contemptoribus. hoc uidelicet, ut prorſus deleantur. Quid aliud meretur, quod corrigi emendarique non ſuſtinet, quàm ut deleatur? Delere autem quid aliud eſt, quàm è numero eorum quæ adhuc ſeruantur & curantur, prorſus auferre, perdere, & in nihilum redigere, quod uel inutile uel reliquo operi dedecoroſum aut noxium ſic eſt factum, ut curari, emendarique nequeat? Donec temporibus patientiæ Dei corripimur & caſtigamur, tam abeſt ut deleamur, ut ob id ipſum corripiamur, ne deleamur. Sic dicit Paulus 1. Cor. 11. Dũ iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Verùm ubi fruſtra cecidit omnis caſtigatio, conſequens eſt, ut prorſus deleatur, quod corrigi non potuit. Quare non debemus hic in eo tantum facto Dei hærere, quod ſemel accidit prioris mundi hominibus: ſed conſequentiam iudiciorum & operum Dei in illo obſeruare, quo cauti reddamur.

Idem eſt qui delet, qui & creat.

Quem creaui, inquit. Obſerua, Non dicit, Deleatur homo: ſed, Delebo hominem. Nec dicit, Qui creatus eſt: ſed, Quem creaui. Ergo eiuſdem eſt potentiæ, quod nondum erat, ex nihilo creare, & quod creauit ex nihilo, rurſus, ubi uidetur, delere, & in nihilum redigere. Quare, ſi non agnoſcimus creatorem, omnium eſt æquiſsimum ut experiamur deletorem & exterminatorem. Si offendit quod dicit, Delebo hominem: cogita quid ſit quod addit, Quem creaui. Expende ius creatoris in creaturam ipſius, ac uiciſsim ingratitudinem ac contumeliam creaturæ aduerſus creatorem, & habebis non unde offendaris, ſed potius unde creatoris iuſtitiam agnoſcas, & creaturæ maliciam & corruptionem damnes. Cogitandum hic eſt, declarandum fuiſſe, maliciam generis humani à Deo nõ eſſe qui hominem creauit. Etenim ſi à Deo fuiſſet, Deo placuiſſet. Quod autem non placeat Deo, ex eo conuincitur, quod illius gratia hominem quem creauerat deleuit. Nemo delet quod probat. Niſi deleuiſſet tandem, probaſſe uideri poterat: imò locus fuiſſet cogitandi, talem eſſe hominem initio creatum, ut natura malus eſſet, nõ poſt creationem ſtudio ſatanæ corruptum ac deprauatum: atq; ita humanæ malitiæ culpa nec in ſatanam, nec in hominem, ſed in creatorem referretur: quod alioqui faciunt, qui duos deos, bonũ & malum, ſtatuentes, creatorem mundi ueluti malorum autorem damnant.

Declarandum fuit, malitiam generis humani nõ eſſe ex creatore, nec placuiſſe illi.

Quare terra ſit filijs hominũ data. Act. 17.

A facie terræ.] Terram dedit quidem filijs hominum, ſicuti Propheta canit: uerùm ad habitandum, ut creatorem ſuum quærerent & agnoſcerent: non ad deliciandum & inſoleſcendum, ac ſatanæ potiùs quàm ipſi Domino cœli ac terræ ſeruiendum. Vbi hoc non agnouit homo, meritò deletus eſt de terra. Admonemur, indignos eſſe qui terram hanc inhabitent, quotquot creatorem ac Dominum terræ nec timent, nec grati obſeruant. Scriptum eſt: Domini eſt terra & plenitudo eius. Terram ſuam malitia mortalium contaminari, in ſempiternum ferre non ſuſtinet. Quare propheta aliquoties futurum eſſe inculcat, ut pereant impij, tollanturq; de terra

OBSERVATIO VI.

Cõſolatio magna noſtro ſeculo cõueniens.

Noe uerò inuenit gratiam coram Domino.] Habet hæc particula inſignem conſolationem omnium piorum, præſertim eorum qui temporibus catholice corruptis & iudicio Dei iamiam obnoxijs uiuunt, qualia erant tempora Noe, & tempora Loth, & hæc noſtra extremum iudicij præcurrentia. Conſolatio hæc eſt, non negligere Deum ſuos, etiam unicos, etiam inter eos uiuentes, qui omnes exitio ſint deſtinati. Caro cogitat: Putas ne in tam publica corruptione, qua totum genus mortalium corruptum & interitui eſt deuotum, unius hominis rationem habet Deus? Deinde & hæc cogitatio ſubrepit: Tu ne aliam ſortem expetes ab ea quæ communis erit omnium? Contra huiuſmodi cogitationes pulchrè ſeruit exemplum hoc Noe, qui licet unus eſſet di uinæ uoluntatis obſeruans gratiæ, tamen ſeſe accommodauit: nec falſus eſt, ſed uoti compos factus.

Inuenire gratiã coram Domino.

Deinde obſerua loquutionem: Inuenit gratiam coram Domino, uerbum inueniendi pulchrè conuenit ſtudio pietatis, quo Noe gratiam Dei ueluti quæſiuit & ambiuit. Duo ſunt genera quærentiũ. Vnũ, eorum

A orũ qui scienter ac studio aliquid quærunt: & quod quærunt, indefinenter affectant. Alterũ, eorũ qui licet non intendant animum ad id quod tandem inueniunt, sic se tamen uitæ suæ studijs gerunt, ut quod merentur, ac tandem etiam experturi sunt, quærere: & ubi acciderit, inuenire dicantur. Vtroq; modo pij gratiam coram Domino & quærunt, & inueniunt. Deinde significatur, huiusmodi studia non esse frustranea, sed adimpleri quod dictum est à Christo: Qui quærit, inuenit. Fons gratiæ in Deo est. Quare fieri non potest, ut uoto suo fraudetur, qui ad illum sitibundus aspirat. Tertiò notabimus & illud, quod gratiam inuenisse dicitur Noe iustus, idq; testimonio Dei, sicut infrà uidebimus. Non dicit, Noe inuenit præmium, debitum, meritum: sed, Noe inuenit gratiam coram Domino. Non meritum est, sed gratia, qua ratio iusticiæ piorum habetur: & pij non meritum dum iustè uiuunt, sed gratiam coram Domino quærunt. *Noe uir iustus atq; perfectus.*

Hæ sunt generationes Noe. Noe uir iustus atq; perfectus fuit in generationibus suis: cum Deo ambulauit, & genuit filios Sem, Cham, & Iapheth. Corrupta est autem terra coram Domino, & repleta est iniquitate. Et uidit Deus terram esse corruptam. Omnis quippe caro corruperat uiam suam super terram.

LECTIO.

Cum Deo ambulauit.] Græcus rursus uertit, τῷ θεῷ εὐηρέστησε νῶε, id est Deo sese Noe approbauit: uel ut alij reddunt, placuit.

Et uidit Deus terram esse corruptam.] In Hebræo est, ותשחת הארץ, id est & ecce corrupta erat. Et Græcus loquutionis huius emphasim neglexit. Vertit enim, καὶ ἦν διαπεφθαρμένη, id est, & erat corrupta. ותמים שם לדיק

EXPLANATIO.

Hæ sunt generationes Noe.] Moses repetit de Noe, propterea quòd dixit eum gratiam inuenisse coram Domino, atq; ita exceptum fuisse ab uniuersa reliqua totius humani generis multitudine, catholico & œcumenico exitio deuoto, ne unà cum peccatore & corrupto mundo deleretur. Repetit autẽ primùm de generationibus illius, quoniam & illas erat Dominus unà cum eo seruaturus. Deinde ue
B luti rationem redditurus quare dixerit eum gratiã inuenisse coram Domino, addit: Noe uir iustus atq; perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit. Prædicat de eo, quòd uixerit in timore & obseruantia Dei, cum dicit, Cum Deo ambulauit, id quod & suprà cap. præcedenti de Enoch prædicauit. Deinde quod inter homines quoq; sui seculi iustè & integrè uixerit, alienus à corruptione, malicia, & uiolentia illa quæ in toto terrarum orbe inualuerat. In Hebræo sunt duæ uoces לדיק & תמים. Zadik sonat uirum probum, æquum, iustum ac bonum, æqui uidelicet ac iusti studiosum. Thamim significat hominem integrum, simplicem, candidum ac syncerum, non corruptum, non uersutum ac prauum, in quo nullus dolus deprehenditur, sed omnia & factis & ore & corde inter se consonant.

Illud, In generationibus suis, non est referendum ad eos qui uel maiores uel posteri Noe fuerunt, sed ad nationes & secula in quibus ille uixit. In Hebræo non est בתירותיו, id est in generationibus suis, quæ uox paulo antè de filijs illius posita est: sed בדורתיו, id est in seculis suis, ætatibus suis. Potest autem, quod & Lyranus annotauit, bifariam intelligi. Primùm ut idem sit, atq; respectu eorum qui illis seculis uiuebant. quasi dicat Moses, alijs mortalibus collatum Noah, fuisse uirum iustum & integrum. Deinde ut intelligas prædicari de Noah, quòd in seculis illis omnino corruptis ac deprauatis iusticiam & integritatem uitæ cum studio pietatis erga Deum, non abiecerit, nec à proposito suo, ut corruptorum mortaliũ malicià sequeretur, auelli potuerit. Mihi uidetur hoc de Noah prædicari, quòd in seculis illis & ætatibus corruptis unus fuerit inuentus, qui insticiam & integritatem seruarit, & Deum bona fide coluerit. Neq; enim hoc tantum agit Moses, ut doceat Noah fuisse uirum iustum, integrum ac pium: sed quod ex omnibus seculorum illorum mortalibus unus fuerit inuentus, qui iustè, integrè ac piè uiueret: ut simul admoneat, quare ille unus gratiam coram Domino inuenerit, reliqua uerò humani generis multitudo uniuersa deleta sit. *In generationibus suis.*

Corrupta est autem terra coram Domino.] Repetit de corruptione terræ, de qua & suprà loqui cœperat. Repetitionis huius ratio est, ut animus lectoris ad sequentia paretur, intelligatq; ista tum esse facta & gesta cum Noah, cum malicia mortalium, quæ iam olim cœperat esse multa, prorsus ad consummationem usq; creuisset. Suprà dixerat, Et dixit Deus: Non contendet spiritus meus propter hominem in æternum, quia caro est: sed, Erunt dies illius centum uiginti anni: paulopòst subiecit, Videns autem Deus quòd multa malicia hominum esset in terra, &c. pœnituit eum quòd fecisset hominem in terra. Et tactus dolore cordis, ait, Delebo hominem, &c. Iam uerò, ut iudicaret completam esse mortalium maliciam, mensuramq; suam adimplesse, ista repetere uoluit, quibus postea mandatum Dei ad Noah de facienda arca subijceret. Sic dicit, Corrupta autem erat iam terra coram Domino. Quasi dicat: Vsqueadeò iam consummata erat mortalium malicia, ut terra ipsa coram Domino corrupta ac fœda esset, uidelicet propter maliciam mortalium in illa habitantium. Alij exponunt terram pro incolis terræ. Mihi uerò uidetur Moses maliciam mortalium sic exaggerare uoluisse, ut quoniam illa ad summum usq; creuerat, & toto passim terrarum orbe inualuerat, dicat terram ipsam fuisse corruptam, putrefa- *Ratio repetitionis de terra corrupta.*

ctam ac fœtidam coram Domino, translatione sumpta à rebus corruptis, quæ sic sunt corruptæ, ut fœtorem grauem & inferendum exhalent. Sic potest de ciuitate dici, quòd corrupta sit ac fœteat, propter malos inhabitantium illam mores. Sic addit, Et repleta est iniquitate, ut præcedentem particulam exponat, de quo corruptionis genere loquatur, uidelicet de eo quod morum est & uitæ. Est autem in Hebræo חמס quam uocem interpres reddidit iniquitatem. Significat uiolentiam & calumniã, quæ fit בריעה, id est scienter.

Et uidit Deus terram.] Retinenda est diligentia Mosaicæ narrationis. Et uidit Deus terrã, inquit. Hoc est, cum tempus illud centum uiginti annorum, pœnitentiæ datum, propè elapsum esset, inspexit Deus terram cum suis incolis, considerauitq; statum humanæ uitæ. Sic loquitur de Deo Moses quasi de rege quodam, statum regni sui considerante. Alioqui nõ erat opus Deo, ut cognoscendi gratia terram & incolas illius consideraret, cum omnia illi essent omniũ notissima. Verùm quoniam de iudicio Dei, quo terra perdenda erat, narrationẽ instituebat, ne uideatur Deus diluuiũ illud temerè induxisse, dicit illum terram inspexisse & considerasse, antequam in illam tam graui supplicio animaduerteret. Et subijcit: Et ecce corrupta erat. Hoc est, iam planè deperdita erat, ac ueluti putrefacta. Nihil supererat sani & integri. Iterum exponit, de qua corruptione dicat: Omnis caro, inquit, id est, omnis homo, totum genus humanum, corruperat uiam suam, id est uitam suam, mores suos, studia sua: super terram, intellige uniuersam, quaqua patet.

QVAESTIO I.

Quomodo Noe perfectè iustus dicatur.

Noe uir iustus atq; perfectus fuit.] Qui propter ignorantiam Hebrææ linguæ lectionem hanc sequuntur, quæstionem hoc loco mouent, quomodo Noe sic iustus dicatur, ut simul perfectus etiam prædicetur, cum scriptum sit 2. Paral. 6. & 1. Reg. 8. Non est homo qui non peccet. Et Prouerb. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Etenim sicuti perfectè uenustus non est, qui aliquid uitij circunfert in corpore, præsertim si sit agnatum: & quemadmodum non potest perfectè sapiens, qui adhuc alicui est stulticiæ obnoxius: ita non potest perfectè iustus dici quisquam, cui adhuc aliquid iniusticiæ inhæret, quo impeditur ne omnes iusticiæ partes perfectè absoluat.

Similia.

Ad hanc quæstionem Albinus, præceptor olim Caroli Magni, sic respondet: Perfecti dicuntur, non sicut perficiendi sunt sancti in illa immortalitate, qua æquabuntur angelis Dei: sed sicut esse possunt in hac peregrinatione perfecti. quam sententiam usurpauit exex Augustino libro decimoquinto de Ciuit. Dei cap. 26. Alij sentiunt Noah iustum ac perfectum dici, non simpliciter, sed per collationem, respectu uidelicet cæterorũ sui seculi mortalium, qui tum omnes erant corrupti. Sic intelligunt quod additum est, In generationibus suis, quasi non simpliciter in se, si separatim consideretur, sed alijs collatus,

Simile.

iustus fuerit ac perfectus, hoc est, uisus fuerit esse iustus ac perfectus. Quemadmodum si homo mediocriter doctus uiuens inter illiteratos, pro perfectè docto habeatur, qui tamen doctioribus comparatus, in multis adhuc deprehendatur esse indoctus: ita iudicant Noah, quoniam in seculo uiuebat omnibus modis corrupto, & ab omni iusticia alieno, habitum pro iusto ac perfecto: qui tamen si temporibus Abrahæ uixisset, illi collatus, admodum imperfectus fuisset. Sic respondent isti.

Vera responsio.

Verùm si Hebræa consulantur, facilis erit responsio. Ibi nanq; non legitur, Noe uir iustus atq; perfectus fuit: sed, Noe uir iustus & integer fuit. Integer dici potest, quisquis animo præditus est candido, simplici, & syncero, etiamsi propter carnis infirmitatẽ in multis adhuc delinquat, ideo perfectè iustus dici nequeat. Petrus cum negaret Christum, erat adhuc corde erga illum integro & candido. Nam quod eum negabat, non faciebat animo insyncero ac maleuolo, sed infirmo: uerùm quoniam falsum dicebat, ideoq; & delinquebat, perfectè iustus dici non potest. Quare admonendi sunt, qui sacras scripturas legunt, ut ubi occurrit huiusmodi locus, qui tribuat homini perfectionem, inspiciant contextum Hebræum, & discriminent inter integritatem cordis, & iusticiæ perfectionem. Ecclesiastici 44. legitur, Νὼε ἦ εὑρέθη τέλειος δίκαιος, id est, Noe inuentus est perfectus iustus. Ne impingát lector, consulat ipsum Hebraicæ ueritatis fontẽ, in quo non legit, Noe fuit perfectus iustus: sed, Noe fuit iustus & integer.

Quomodo Christus adhortetur ut simus perfecti sicuti pater. Matth. 5.

Adhuc dicet aliquis: Quid igitur est, quod seruator noster Christus nobis omnibus in se credentibus dicit, Estote perfecti sicuti pater uester perfectus est: & Apostolus aliquot locis monet, ut simus perfecti: si fieri non potest, ut perfectam iusticiam in hac uita apprehendamus? Respondeo: Primùm, ubi tale quid legitur, obseruandum est de quo perfectionis genere præcipiatur. Nam plerunq; adijcitur aliqua perfectionis specificatio. Vt Matth. 5. ubi Christus dicit, Estote perfecti sicuti pater uester perfectus est: ex præcedentibus satis liquet, non de deo præcipi ut in omnibus perfectionẽ Dei patris nostri adæquemus, sed ut in dilectione simus integri, non amicos tantum sicuti gentes faciunt, sed & inimicos diligentes, ad exemplum patris nostri, qui solem suum nõ super bonos tantum, sed & super malos producit: & pluit nõ modò super gratos, sed & super ingratos. Imperfecta quippe ac ueluti claudicata dilectio est, qua tantum amici: perfecta uerò, qua & amici & inimici diliguntur: etiamsi non tantum diligamus, quantum pater noster cœlestis, cuius ut bonitas, ita & dilectio prorsus est infinita & incomparabilis.

Deinde, etiamsi absq; ulla specificatione generaliter præcipiatur, ut perfectè iusti simus, cogitandum tamen est, non esse præter rationem, quod ad perfectæ iusticiæ studium prouocamur. Nam etiamsi illa nemini contingat in hac uita, nostrum tamen est, ut quemadmodum diligenda est & exoptanda, ita etiam noctes ac dies ad illam aspiremus & cõnitamur. Studium hoc perfectionis requiritur ab omnibus

nibus fidelibus, quod & Domino maximè probatur, etiamsi ad perfectionem ipsam peruenire in hac uita nequeamus. Hoc studium instar sitis est, qua urgemur ad fontem illum perfectæ iusticiæ. Qui de statu perfectionis gloriantur, id quod aliquot monachi faciunt, quantum sibijpsi perfectionis adscribunt, tantum ab hac perfectæ iusticiæ siti & esurie sunt alieni.

Si incidas lector in locum Apostoli 2. Tim. 3. ubi dicit, Omnis enim scriptura diuinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendũ, ad corripiendum, ad erudiendũ in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne bonũ opus instructus, caue putes ab Apostolo hanc sacris scripturis dari efficaciã, ut reddant aliquem perfectè iustum. Vsus illarum est, de uera iusticia docere ignorantes, arguere & corripere delinquentes, & erudire rudes, atq; ita hominem Dei timentem quouis bono opere instruere, & ἄρτιον, id est, integrum ac paratum reddere: intellige, quantum attinet scientiam & intelligentiam iusticiæ. Efficaciam iusticiæ non tribuit nisi uirtus & operatio spiritussancti, idq; sicuti & reliqua dona, per mensuram donationis Christi. *Locus 2. Tim. 3 exponitur.*

QVAESTIO II.

Omnis quippe caro corruperat uiam suã super terrã.] Si Moses hic omnẽ carnem, non omnẽ carnalẽ hominem, sed simpliciter omnem hominem uocat, quæritur quomodo uerũ sit, quòd omnis caro corruperit uiam suam, cum & Noe caro, id est homo, fuerit, de quo tamen prædicatur hoc ipso loco quòd fuerit iustus, & gratiam apud Deum inuenerit. Etenim si iustus fuit Noe & integer, non corrupit uiam suam. Si uiam suã nõ corrupit, non corrupit omnis caro uiam suam. Si uerò uiam suam corrupit etiam ipse, quomodo de eo prædicatur, quòd fuerit iustus & integer, & quòd cum Domino ambulauerit? *Quomodo omnis caro corruperit uiam suam, cum & Noe caro fuerit.*

Respondeo: De Noe dubitandum non est, quin fuerit iustus & integer, de cuius iusticia, integritate & fide non solum Moses, sed & Deus ipse cap. sequenti, immò ipse quoq; rerum euentus testimonium perhibuit omnium luculentissimum. Quare quod scriptura hic dicit, Omnis caro corruperat uiam suã, non sic est accipiendum, quasi nulla cuiusquam sit admittenda exceptio. quod sanè fieri posset, si nullius mortalium, qui fuerit exceptus, mentio exprimeretur. Narratur autem de Noe manifestè, quòd iustus fuerit. Ergo ille à generali omnis carnis corruptione excipitur. Admonemur itaq; hoc loco, non esse generales huiusmodi loquutiones in sacris scripturis ultra propositum loquentis diuexandas. Vis est & iniquitas, non sanus intellectus, si quis hoc faciat.

OBSERVATIO I.

B *Hæ sunt generationes Noe.*] Considerandum hic est, quod fuerit studium Mosis in exponendis eorum generationibus, qui quasi fontes quidam fuere populorum ex ipsis promanantium. Sic describit generationes Adæ, suprà præcedenti, Noe præsenti hoc capite, Sem infrà cap. 11. Thare patris Abrahæ eodẽ, Ismaelis 25. Isaac eodem, Esau 36. Iacob 46. Non uult spiritussanctus, ut generationes hominum confundantur. Qui mundum condidit, & cuncta pro sua sapientia dispensat, genus humanum non solum certis temporum articulis & ætatibus, sed & insignibus quibusdam capitibus diuisit, & in duas Ecclesias partitus est, piorum uidelicet & impiorum. Capita Ecclesiæ impiorum quorum generationes in scripturis recensentur, sunt Cain, Cham, Ismael, Esau. Ecclesiæ uerò piorum, Seth, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob. Horum utrobiq; sunt generationes obseruandæ, ut cursum intelligamus diuinæ prouidentiæ, quo genus humanum non solum inde est ab initio cùm in priore, tum in posteriore hoc mundo multiplicatum, sed & discretis & capitibus & generationibus in diuersa religionis studia diuisum. *Quo studio Moses capita generationum expo- fuerit.*

OBSERVATIO II.

Noe uir iustus & integer fuit in generationibus suis.] Primùm expende coniunctionem iusticiæ, integritatis, & pietatis. Reperias in seculo uiros iustos & integros, qui æqui bonique sint studiosi, & tamen uera pietate destituantur. Huiusmodi homines secularitèr sunt iusti ac boni, quatenus ductu rationis diriguntur, quales in historijs ethnicorum multi leguntur. Verùm ad eum iustum & integrum, qui gratiam inueniat apud Dominum, quod de hoc Noe suprà est commemoratum, requiritur uerum ueræ pietatis studium, quo ambulet cum Deo. Vbi ea pietas obtinet, fieri non potest, quin & iusticia uitæ & integritas animi concomitentur. *Coniunctio iusticiæ, integritatis, & pietatis.*

Deinde obserua, quòd non simpliciter dicit, Noe uir iustus & integer fuit: sed addit, בדרתיו in seculis suis, ætatibus suis. Non est ociosum, quod dum iusticiam, integritatem, ac pietatem Noe prædicat, mentionem facit seculorum & generationum eius. Nam ea commemoratio plurimum facit ad commendandam fidei ac pietatis constantiã, qua Noe sic fuit animo confirmatus, ut nullis quantumuis catholicis malorum hominum exemplis, nullis etiam impiorum infestationibus à proposito pietatis & iustitiæ potuerit auelli. Etenim ut magna commoditas est, & plurimum incitamenti habet ad retinendam uitæ integritatem & pietatem, si quis uiuat cum hominibus iustis & pijs: ita magnam uim habet ad corrumpendum pietatis ac iustitiæ studium, si uiuas in medio nationis prauæ & uniuersaliter corruptæ, quales erant in quibus uiuebat Noe. Quare iusticia & pietas Noe particulæ huius adiectione sic commendatur, ut nobis qui præsenti hoc seculo omnium corruptissimo uiuimus, singulariter sit proponenda. Quisquis hac nostra ætate uel mediocriter pietatis studium seruat, haud minus, meo iudicio, suspiciendus est ac celebrandus, quàm qui tempore Christi & apostolorum admodum reperti sunt fideles ac pij. Laude quidem digna est mulier, quæ cum honestis hominibus uiuens castitatem seruat. quis autem non uidet quàm excellentiorem laudem promereatur illa quæ in ipsum impudicitiæ prostibulum & lenonum cõsortium rapta, castitatis propositum quasi per miraculum infractum retinet? *Constantiam singularem ostendit, quisquis in seculo corrupto studium iusticiæ seruat.*

OBSERVATIO III.

Et genuit filios, Sem, Cham, & Iapheth.] Rursus expende quomodo ista præcedentibus coniungantur. Noe uir iustus fuit, integer fuit, cum Deo ambulauit, idq; seculo omnium pessimo & corruptissimo, & tamẽ filios genuit. Itaq; quod de Henoch suprà cap. præcedenti annotauit Chrysostomus, & hic obseruandum uenit: uidelicet coniugium legitimum, & procreationem liberorum nihil impedimenti adferre pijs hominibus, quominus iusticiam uitæ, animi integritatem, & studium piè cũ Deo ambulandi retineant. Quare omnium nocentissimus est cœlibatus ille pontificiorum sacerdotum ac monachorum, per quem non castitas ac puritas uitæ, quæ Deo probari possit, sed omnis generis impudicitia & libido profligatissima est in Ecclesias Christi introducta. Ocioси uentres ordinem uitæ à Deo institutum à ministerio Ecclesiastico reiecerunt, quasi fieri non possit, ut cum Deo ambulent, illiq; seruiant homines coniugati: possit autem probari Deo, si cultui ipsius nuncupati sint uel hypocritæ, foris apparentes casti, intus impuri, uel palàm spurci, & impudici scortatores.

Coniugium legitimum nihil impedit pios à studio pietatis.

OBSERVATIO IIII.

Corrupta est autem terra coram Domino, & repleta est iniquitate.] Primùm illud obseruemus, quòd terram corruptam fuisse dicit, cum repleta esset iniquitate mortalium. Ergo iniquitas hominũ impiorum terram, ciuitates, mansiones & omnia corrumpit, detestabilia q; & abominanda reddit: & econtra pietas & iusticia hominum iustorum ac Dei timentium sanitas est & integritas orbis, & conseruatrix terræ.

Iniquitas mortalium terram reddit corruptam.

Deinde obserua, quòd nõ simpliciter dicit, Corrupta est terra: sed addit, Coram Domino. Impijs & carnalibus hominibus terra tum nihil minus esse uidebatur quàm corrupta, cum pro libidine & malicia sua in omnis generis flagitijs uelut in cœno impurissimo uolutarentur. Quin magis terra ipsis in paradisum deliciarum commutata uidebatur. Etenim perinde atq; suibus graueolentis uolutabri spurcities omnium est acceptissima, ita impuris & flagitiosis hominibus fœda terræ corruptione nihil est iucundius. Verùm coram Domino abominabilis est & inferenda terræ corruptio, quæ ex iniquitate & impietate carnalium & impiorum hominum nascitur. Audimus & hodie complures priorum temporum encomiastas, quibus corruptio morum cùm priuatorum tum publicorum nihil uidetur fuisse minus quàm fœda corruptio. Isti ferre non possunt, sicubi libido seculi nostri honestis legibus, & sedulitate docendi restringitur. Non olfaciunt fœtorem uitæ corruptæ, sed putant omnia habere feliciter, si cuiuis pro ingenio uiuere liceat. Horum sententia fugienda est homini pio: curandumq; ut de terra iudicemus secundum iudicia carnalium & filiorum huius seculi, sed secundum oracula Dei, quibus docemur, corruptã esse terrã corã Domino, dum iniquitate repletur, quãtumuis in oculis carnis appareat diuersum. Locus hic est cogitandi de iucunditate fidei, iusticiæ, integritatis, pietatis, ac morum honestorum, quàm sit harum uirtutum in conspectu Dei delectabilis uenustas & acceptabilis fragrantia, qualis nimirum esse solet rerum sanarum & integrarum. Deinde econtrario, quàm sint uitia, scelera, flagitia hominum impiorum, impietas, iniusticia, iniquitas, fraudulentia, uiolentia, & quæ alia sunt huiusmodi coram Domino detestabilia & abominanda, qualia solent esse quæ corrupta sunt ac putrefacta.

Terra corã Domino corrupta est, etiamsi impijs paradisus esse uideatur.

Tertiò, & hoc considerandum est, quòd non dicit, Et admissa est iniquitas in terra: sed, Et repleta est iniquitate. Pro patientia & clementia sua Deus non mox abominatur terram, sicubi à paucis aliquot, immò etiam à multis iniquè uiuitur: sed propter reliquorum pietatem summæ rerum humanarum parcit, licet peccantes flagello filiorum hominum subinde castiget. Verùm ubi sic abundare cœpit iniquitas hominum, ut terram passim impleat, tum demum res humanas tanquam deploratè corruptas fastidit & abominatur. Sic accidit non solum seculo illo quod diluuium antecessit, sed & Sodomitis, & Iudæis ante destructionem Hierosolymorum, de cuius temporibus Christus Matth. 24. prædixit, quòd abundatura esset iniquitas. De nostris temporibus quid attinet admonere? Resipsa tantum non uocalissimè clamat, omnia repleri iniquitate & impietate.

Nõ dicit, Admissa est iniquitas super terrã: sed, Repleta est iniquitate.

OBSERVATIO V.

Et uidit Deus terram, & ecce corrupta erat.] De eo quòd dicit, Et uidit Deus terram: quæ notanda sint, uide suprà, ibi, Videns aũt Deus quòd multa malicia hominũ esset in terra. Et ecce, inquit, corrupta erat. Nota hic uoculam, Ecce, quæ siue ad celebrandum quæ bona sunt & præclara, siue ad culpandum quæ mala sunt usurpatur, admirationem quandam habet rei stupendæ & uel enormis uel inopinæ. Admonemur itaq; in præsenti, etiam eo tempore, quod per patientiam Dei pœnitentiæ delinquentium datur, sic excrescere iniquitatem mortalium, ut admirabili ac stupendo modo terram, ideq; præter expectationem piorum, passim corrumpat. Cogitemus hic de nostri seculi malicia. Determinauit illi Deus dubio procul certum quoddam resipiscentiæ tempus: deniq; misit lucem uerbi sui, unde ad ueram pietatem institueremur. Quid factum est? Malicia nostra non est sublata, sed sic in immensum excrescit quotidie, ut & hic magna admiratione dici possit, Et uidet Deus terram, & ecce corrupta est. Damnatur hac loquutione humani cordis peruersitas, qua tempus resipiscentiæ uertitur in occasionem prouehendæ maliciæ: simulq; iustificatur bonitas Dei, qua conuersionem ac salutem delinquentium tanta cum patientia connuendo quærit. Peruersitatem hanc perstringit Apostolus Romanis secundo cum dicit: An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duriciam autem tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius.

Etiam tempore pœnitentiæ dato, terrã ab impijs corrumpi & iniquitate repleri.

Obser-

OBSERVATIO VI.

Omnis quippe caro corruperat uiam suam super terram.] In eo quod in uniuersum omnem carnem uiam suam corrupisse dicit, admonemur, ut cogitemus quid expectandum sit postremis huiusmodi temporibus singularia iudicia Dei præcurrentibus. Hoc uidelicet, quòd omnis caro corruptura sit uiam suam: id est, quòd inualitura sit communis omnium non modò ordinum, statuum, ætatumq;, sed & indiuiduorum inemendabilis quædam corruptio. Quare nisi tempora hæc, de quibus boni quiq; magno cum dolore queruntur quòd pessima sint, ad postrema secula non pertinent, admodum inanis est spes eorum qui in Ecclesia Dei publicam reformationem ordinum, doctrinæ, cultuum ac morum obtineri posse sperant. In ipsis oculis nostris ista uniuersæ carnis corruptio, quotidie inualescit: ut admodum inconsiderantis hominis sit, tale expectare concilium, quod catholicæ corruptioni postremis hisce seculis mederi possit.

Quid expectandum sit postremis istis temporibus.

Deinde, de eo quòd hominem uocat carnem, uide suprà, ibi, Non disceptabit spiritus meus in homine inæternum, quia caro est.

Tertiò, obserua quòd non dicit, Via omnis carnis corrupta erat: sed, Omnis caro corruperat uiam suam. Excusationem aliquam meretur, quicquid aliunde, non suo uitio, corrumpitur. De genere humano non prædicatur hoc loco, quòd aliena, sed quòd propria culpa corruptum, uias suas corruperit. Hoc est, quòd sponte sua, propria malicia in omne genus flagitiorum & nequitiæ ruerit. Vbi hoc genus corruptionis obtinet, quid sani sperari potest? Quis seruabit eos docendo, admonendo, corripiendo, qui sibi ipsi sunt corruptionis authores? Quid hic efficiēt leges? Imò quales haberi possunt legū exequutores?

Caro ipsa uiam suam corrumpit.

Quartò, notandum est, quod uitam hominis uiam uocat, cum dicit: Omnis quippe caro corruperat uiam super terram. Hominis uia dici non potest, qua semel atq; iterum, sed qua semper & quotidie utitur. quare hoc loco uia carnis, quotidianum est studium carnis. Frequenter hac uiæ metaphora sacræ scripturæ utuntur. Admonemur perinde ex quotidiano nostro studio cognosci posse, quò ambulemus & tendamus, ad salutem ne uel exitium, atq; ex uia, qua quis utitur, quid agat, & quò proficiscatur.

Quod uita hominis uia uocatur.

Deniq; & illud cogita. non dicit, Omnis caro corruperat cogitationes & consilia sua: sed, Viam suam. Notatur tum uenisse maliciam hominum ad summum fastigium, quando uniuersalis illa corruptio non hæret amplius in cordium affectibus, sed in manifestam lucem prorupit, & externæ uitæ actus, & mores, cosq; quotidianos & consuetos corrupit. Aliquandiu quasi parturitur ista corruptio in uisceribus affectuum delitescens: tandem uerò sic emergit, ut uniuersam uitam hominis, omni hypocrisi abiecta, palàm corrumpat, & detestabilem reddat.

Non dicit, Consilia & cogitationes suas: sed, Viā suam.

Ex dixit Deus ad Noe: Finis uniuersę carnis uenit coram me. Repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis læuigatis, mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus. Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius. Ostium arcæ pones in latere deorsum. Cœnacula & tristega facies in ea. Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, ut interficiam omnem carnem in qua spiritus uitæ est subter cœlum, & uniuersa quæ in terra sunt consumentur. Ponamq; fœdus meum tecum, & ingredieris arcam tu & filij tui, uxor tua & uxores filiorum tuorum tecum, & ex cunctis animantibus uniuersæ carnis, bina induces in arcam, ut uiuant tecum, masculini sexus & fœminini. De uolucribus iuxta genus suū, & de iumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundum genus suum, bina de omnibus ingredientur tecū, ut possint uiuere. Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi quàm illis in cibum. Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.

LECTIO.

Finis omnis carnis.] Sic & in Hebræo legitur. At Græcus uertit, καιρὸς παντὸς ἀνθρώπου, id est, tempus omnis hominis.

Repleta est terra iniquitate.] In Hebræo est, Quoniam repleta est terra uiolentia.

De lignis læuigatis.] In Hebræo est, עצי גפר, id est lignis Gopher. Sic uertit Pagninus, quemadmodum & Tigurini. Hebræi gopher, alij pro cedro, alij pro cupresso accipiunt. Monsterus uertit, lignis pineis, Hieronymus dicit legi in Hebræis, lignis bituminatis. Nam alicubi in scripturis גפר pro sulphurato bitu-

ro bitumine accipitur. Græcus reddidit, ἐκ ξύλων τετραγώνων, id est ex lignis quadratis.

Mansiunculas in arca facies, & bitumine linies, &c.] Hebraicè est קִנִּים, quæ uox nidos significat. Sic reddidit & Græcus.

Fenestram in arca facies.] Hebraicè est צֹהַר, quæ uox fenestram significat, propterea quòd per illum lux meridiana ingreditur. Nam צָהֳרַיִם in plurali pro meridie ponitur. Hieronymus dicit in Hebræo haberi, Meridianum facies: & à Symmacho uersum esse διαφανές, id est, pellucidum. Græci legunt ἐπισυνάγων ποιήσεις κατὰ πλὴν πιβωτόν, id est, Colligens facies secundum arcam: uel si mauis colligans, quæ uersio aliena est ab Hebræo.

Ostium arcæ pones in latere deorsum. Cœnacula & triftega facies in ea.] In Hebræo est פֶּתַח הַתֵּבָה תָּשִׂים בְּצִדָּהּ, תַּחְתִּים שְׁנִים שְׁלִשִׁים תַּעֲשֶׂהָ וּמִשְׁנִים תַּעֲשֶׂהָ, id est, & ostium arcæ in latere pones, & subditur, inferiora bina & terna facies. Loquit aũt dubio procul de mansionibus inferioribus. Quare quod latinus habet, Ostium arcæ pones in latere deorsum: illud deorsum malè præcedentibus de ostio dictis cõiunxit, cum pertineat ad sequentia. Græcus legit, κατάγαια διώροφα καὶ τριώροφα ποιήσεις αὐτὴν, id est inferiora biculminata & triculminata facies eam.

Et ex cunctis animantibus uniuersæ carnis, bina induces in arcam.] Græcus hic pleraq; de suo adiecit. legit enim: Et ex omnibus iumentis, & ex omnibus reptilibus, & ex omnibus bestijs, & ex omni carne. Et quod in Hebræo est, לְהַחֲיוֹת אִתְּךָ, id est ad uiuendum tecum, uertit, ἵνα τρέφῃς μετὰ σεαυτῆς, id est, ut nutrias ea tecum.

Series narrationis.

EXPLANATIO.

Ipsa series narrationis historicæ requirit, ut quoniam in præcedentibus dictum est, fuisse terram iniquitate repletam & corruptam, uno dempto Noe, ac Deum etiam uidisse & certò agnouisse, quòd omnis caro super terram uiam suam corrupisset, ex ordine subiungatur, primùm quid aduersus istam totius mundi corruptionem statuerit iusticia illa Dei, quæ licet ad uindictã tardo pede progrediatur, haud tamẽ in sempiternum ad impœnitentiã impiorum cõniuent: deinde quid actum sit cũ Noe, à communi mortaliũ corruptione alieno. Itaq; consequenter Moses de utroq; cõmemorat: primùm exponens propositũ Dei de disperdẽda uniuersa carne à superficie terræ, deinde de liberatione & cõseruatione Noe.

Priorem propositi Dei partem concernunt ista.

Et dixit Deus ad Noe: Finis uniuersæ carnis uenit coram me. Repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.] Duo dicit. Primum, quòd uelit uniuersam carnem disperdere cum terra. Intelligit per uniuersam carnem, uniuersum genus humanum. Alterum, quæ sit propositi huius ratio. Repleta est, inquit, terra iniquitate à facie eorum, ideoq; finis eorum ad me usq; peruenit. Ipsa abundantia iniquitatis eorum, qua totam terram repleuerunt, ad maturitatem ac plenitudinem suam peruenit, adeoq; falcem excisionis requirit. Quare Hebræus notanter posuit uocem קֵץ pro fine, quæ à קָצַץ decidere amputationem significat, ut quemadmodum messis frugum uenit coram agricola, quando totus ager maturitate spicarum albicat: ita & finis mundi coram Deo uenit, cum malicia illius totam terram replesset, & ad maturitatem usq; peruenisset.

Illud, à facie eorum, emphasim habet, qua malicia mortalium exaggeratur. Idem enim eum est, ac si diceret: Ipsa facies, id est, præsentia eorum & commoratio super terram, repleuit terram iniquitate, & cuncta corrupit.

Fac tibi arcam de lignis læuigatis.] Quæ sequuntur, omnia ad finem usq; capitis, pertinent ad alterum præsentis contextus membrum, quod cõsilium Dei de liberando & seruando Noe continet. Primùm instruit eum de medio, quo seruandus sit, ne unà cum reliquo mundo pereat. Fac, inquit, tibi arcam de lignis læuigatis, siue pineis, siue cedrinis. Non placet, ut legamus, De lignis bituminatis. Nam alioqui quid necesse erat seorsum præcipere, ut arca intus & foris bitumine uel pice liniretur? Loquitur dubio procul de lignis ad id instituti aptis, qualia sunt in nostris regionibus pinea, in Iudæa & alijs cẽsimilibus terris cedrina, uel cupressina. Non iubet ut faciat nauem. Neq; enim commoda fuisset ad propositũ, dempto propter imbrium uehementiam non seruasset nauigantes. Iubet ideo ut arcam faciat, quæ supernè tecta deruentes cœlitus imbres excludat.

Deinde præscribit de structura arcæ, quomodo illam adornare debeat. Mansiunculas, inquit, in arca facies. Requirebat hoc necessitas non solũ ipsius Noe cũ suis, sed & animaliũ diuersorũ, deinde & alimoniæ in arcam comportandæ. Et bitumine, inquit, uel pice linies intrinsecus & extrinsecus. Præcipiebat hoc contra uim aquarum. Notum est illis qui maria colunt, quomodo naues aduersus undas communiantur pice, usqueadeò, ut si igne aliquo corripiantur, extingui nequeat incendium. uide historiam huius rei in 80. religiosis uiris quos Valens necari iussit. Socrates libro quarto, capite decimosexto. Et sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo, &c. Hæc præcipiuntur de forma & magnitudine arcæ. Longitudini dantur 300. latitudini 50. altitudini 30. cubiti. Consulitur non solum necessariæ capacitati, sed & firmitudini, qua undarum uiolentiæ, forsan & uentorum, resistipossit. Eam ob causam longitudo talis præscribitur, quæ latitudinem sexies, altitudinem uerò decies excedat. Ea forma & dispositio structuræ ligneæ quoniam fundo suo longius in aquis prorogabatur, & minori sui parte supra aquas extabat, firmius contra aquarum & uentorum impulsus ne subuerteretur permanebat. Addit: Fenestrã in arca facies. Seruiebat illa ad recipiendã lucẽ, quantũ cõmoditas commodè uentiũ in arca requirebat. Ostiũ, inquit, arcæ pones in latere. Nec exprimit latus ipsum, nec locus lateris, quo

quo positũ fuerit ostiũ. Quare incerta sunt quæ à nõnullis hic in depingenda figura arcæ scribunt. Vnde etiam factum est, ut inter se uariauerint. Cœnacula & tristega facies in ea. Particula ista aliter atq; aliter exponitur. Alij intelligunt arcæ structuram inter nè tribus interstitijs fuisse distinctam, sic ut inferiori interstitio deputata fuerit sentina, quam stercorariam quidam uocant, qua immundicies immorantium & hominum & animalium reciperentur: deinde secundo, idest medio bicamerato, alimonia conseruaretur: post tertio tricamerato, eoq; supremo, destinatæ essent mansiones separatæ, pro hominibus & bestijs. Alij diuidunt arcam in quinq; interstitia, à fundo ad fastigium usque deducta. Etenim per Hebræa uocẽ התחתים intelligũt sentinã: deinde per שחת, id est bina, duas mãsiones medias, & per שלשים tres superiores. Germanicè uocamus, *fünf gaden hoch*. Verùm simplicitas Hebræa nihil habet aliud, quàm fuisse structuram hanc arcæ tribus interstitijs, infimo, medio & supremo distinctam. Quare Germanus interpres meo iudicio rectè uertit, *vnd sol drei boden haben, ainen vnden, den anderen in der mitte, den dritten in der höhe*. Ista interstitia non erant mansiones, de quibus suprà præcepit, sed ad struendas mansiones accommodatæ contignationes.

Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, ut interficiam omnem carnem, &c.] Quoniam illi de facienda arca præscripsit, reliquum erat ut usum ac necessitatem illius exponeret. Id nunc facit, cum dicit: Ecce ego adducam aquas diluuij super terram. Suprà simpliciter dixit, Finis uniuersæ carnis uenit coram me, & ego disperdam eos cum terra. Poterat hoc fieri uarijs modis. Quare iam exprimit quomodo sit deleturus genus humanum: uidelicet per diluuium aquarum, ut simul intelligat Noe, in quem usum sibi præcipiatur, ut arcam fabricet.

Ponamq; fœdus meum tecum.] Pertinent ista ad fidem faciendam Noe, quod sit in grata Dei, & unà cum suis, uxore, filijs ac nuribus, in arcâ seruandus, ne cum mundo impio perdatur. Volebat Dominus, ut arcam fide firma fabricaret, ideoq; illi significat non solum quòd liberandus sit per arcam, sed adijcit etiam fœderis firmitatem.

Et ex cunctis animantibus uniuersæ carnis bina induces in arcam.] Prosplcit hoc præcepto non bestijs, sed Noe cum suis, & futuræ illorum posteritati, unà cum uniuerso mundo ex ipsis orituro. Initiò creauerat bestias in usus hominum. Quare ubi constituit ex hominibus aliquos futuri mundi ueluti seminarium quoddam seruare, simul in illorum gratiam constituit etiam de animalibus aliquot seruandis, unde postea animalium genera & species denuò mulplicarentur. Vnde & præcipit, ut bina & bina, id est paria, masculina uidelicet & fœminina, de omnis generis animantibus, secum ducat in arcam. B

Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt, & comportabis apud te.] Quia dixit, Vt possint uiuere, & ipsa quoq; naturæ necessitas requirebat, ut tam ipsi Noe cum suis, quàm animantibus in arcam assumptis, de alimonia prouideretur, qua dum in arca essent, toto diluuij tempore sustentarentur, particulam hanc decomportandis omnis generis escis adiecit, cũ specificatione dicens, Et erunt tam tibi quàm illis in cibum.

Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.] Tribus quatuor uerbis Moses fidem & obedientiam Noe comprehendit qua secundum uerbum Dei arcam constructit, animalia omnis generis ad se collegit, & ex omnibus escis quæ necessaria uidebantur, comportauit, & in arcam recondidit.

QVAESTIO I.

Et ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis læuigatis.] Quærunt hic nonnulli, quomodo de terra dixerit, quòd unà eam cum hominibus disperdere uellet, cum illa tamen post diluuium permanse rit, sicuti etiamnum eadem nimirum quæ initio creata est, perdurat. Etenim quam post diluuium genus humanum incolit, non est demum post finem diluuij, sed in principio mundi condita, ut eandem nunc quoque terram calcemus, quam ante diluuium prior mundus calcauit, & iniquitate sua pastim repleuit. *Quomodo terrã se cum hominibus disperdere uelle dixerit.*

Ad hanc quæstionem respondet Lyranus ad hunc modum: Per salsedinem, inquit, aquarum peiorata est terra. Hebræi uerò dicunt quòd tres palmi de superficie terræ per aquas fuerint tabefacti, & in aquam conuersi, & ideo additur hic, Cum terra. Hæc ille. Hinc quidam colligũt, post diluuium esum carnium hominibus ob id esse permissum, quòd uigor & fœcunditàs terræ minor sit post illuuium illud aquarum quàm fuerit antea.

Suprà dixit, Delebo hominem de superficie terræ. Et infrà cap. sequenti, Delebo omnem substantiam quam feci de superficie terræ. Item, Deleuit Deus omnem substantiam quæ erat super terram ab homine usq; ad pecus, tam reptile quàm uolucres cœli, & deleta sunt מן הארץ, id est, de terra. Non erat igitur propositum Dei, ut terram quoq; unà cum homine & pecudibus in nihilum redigeret, sed ut uniuersam carnem de terra disperderet. Quare uocula את quæ hic legitur, uel pro על, id est, super, uel loco מן, id est de, posita est, quemadmodum etiam alicubi posita legitur, ut 1. Reg. uer. 31. Et ædificauit את האבנים, id est de lapidibus, altare. ut את הארץ idem sit, atq; de terra.

Aut, quod magis probatur, uocula ארץ, id est, terra, posita est hic non pro חראתח, id est, tellure, sed pro omnibus illis, quæ in superficie terræ extabant, qualia erant terræ nascentia, & opera humanitus extructa, & animalia quoque. Quoniam mundus ille prorsus erat carnalis ac ter-

renus,terrenisq; rebus ad suas delicias prosequendas abutebatur,eam ob causam sic punitus est, ut unà cum terra sua,hoc est rebus terrenis,quibus toto corde adhæsit,perierit. Ipsa terræ substantia, quæ permansit, tellure uidelicet, non est ille mundus studio deliciarum suarum abusus : sed quæ ex terra proueniunt,sic est cupidè amplexus,ut ex illis materiam libidinis ac luxus quæsierit. Quare terrena illa unà cũ impijs per aquas diluuij diuina perdidit iustitia.

QVAESTIO II.

Quomodo in tã angusto spacio tã ta animaliũ multitudo comprehendi potuerit.

Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ.]Quæstionem hoc loco mouit Apelles Marcionis discipulus,quomodo fieri potuerit,ut tam arcto breuiq; arcæ huius spacio tot animalium genera, unà cum cibis toti anno sufficientibus,caperentur,cum uix quatuor elephantis capiendis ac sustentandis eiusmodi structura sufficeret. Conclusitq; eam ob causam fabulam esse quæ hic à Mose narrantur. Homo impius causas quæsiuit,quibus sacris scripturis ueritatis authoritatem adimeret. De cubitis cogitauit,fuisse illos nihilo prolixiores nostris,id quod Origenes negat,affirmans Mosen de cubitis loqui non usualibus,sed geometricis . Dicit autem cubitum geometricum sex usuales adæquare . Deinde cogitandum est, fieri potuisse ut relictis adultis animalibus,collecti fuerint illorum pulli: idq; si non in uniuersum, maiori saltem ex parte. Neq; enim instituti necessitas hoc requirebat,ut adulta tantum colligeret. Denique multo commodius erat & colligere & in arca sustentare pullos quàm corpora plena,matura, & adulta. Nihil affirmo . Vnde nanque affirmarem,cum nihil huius habeat sacra historia? sed impietatem eorũ dãno,qui sine ulla numinis reuerẽtia,& circunstantiarũ consideratione sacras historias impugnãt.

QVAESTIO III.

Quomodo Noe potuerit feras indomitas capere & in arcem inducere.

Et ex cunctis animantibus uniuersæ carnis bina induces in arcam.]Rursus quærit hic humana scrupulositas,quomodo credibile sit,potuisse Noe de uniuersis animalium,bestiarum,reptilium, & uolucrum generibus bina de immundis,& septena de mundis non solum capere utcunq;, sed uiua secum inducere in arcam,maximè,si respiciantur feræ immites ac indomitæ,quarum pleræq; nisi occisæ capi nequeunt.

Respondendum est, causam hanc, ut non est humano consilio à Noe præsumpta, sed à Deo præcepta ,ita nõ esse uiribus humanis metiendã. Qui sic uoluit,cõstituit ac præcepit, ut omnis generis animalia colligerentur , & unà cum Noe in arca seruarentur . quod humanis uiribus perfici non potuit , ipse suis perfecit . Qui condidit in uniuersum omnis generis animalia, potuit ex ijs quæ condidit adducere ad Noe quæ & quot uolebat : quemadmodum & initio creationis αὐτοκτιστα animalia adduxit ad Adamum. Qui iustificat impios, potuit etiam feritatem ac sæuitiam bestiarum indomitarum usque ad manus hominis mansuefacere. Rectissimè ergo scripsit Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 27. ad hunc modum: Non fuit ista cura hominis,sed diuina. Non enim Noe capta intromittebat, sed uenientia & intrantia permittebat. Ad hoc enim ualet quod dictum est: Intrabunt ad te, scilicet non hominis actu,sed Dei nutu.

Solent etiam quærere de insectis ac minutis bestiolis,quales sunt locustæ,scarabei,muscæ,bruchi,campes,canthares,chelones,culices,erucæ , multorum generum uermes & pulices . Verùm si considerentur quod dictum est à Deo,Masculus & fœmina erunt: item,Bina & bina introduces tecum in arcam: manifestum redditur , ea duntaxat animantia in arcam assumpta , quorum species non nisi coniunctione maris & fœminæ conseruantur & multiplicantur . Quare quæ sine concubitu aliunde nasci possunt, & quæ nec masculino, nec fœminino sunt prædita sexu, nulla necessitate ad generis ipsorum conseruationem introducta fuissent in arcam.

QVAESTIO IIII.

Vnde uixerint feræ carnivoræ in arca.

Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt,&c.& erunt tam tibi quàm illis in cibum.] De cibo quoq; quæstionem mouent,quòd feras carnivoras attinet. Vnde,inquiunt, leonibus, lupis, aquilis, & alijs id genus bestijs cibus in arca dabatur,cum eiusmodi bestiæ non nisi carne uiuant,non autem legantur animalia in arcam assumpta quæ in cibum cederent leonibus,lupis,& aquilis,sed quæ in arca uiuere conseruariq; possent. Primùm,etsi scriptum non sit,aliqua in arcam collecta esse animalia, unde carnivoræ bestiæ uiuerent , nihil tamen prohibet quo minus id à Noe factum esse credamus. Deinde non adeò certò constat , bestias aliquas ante diluuium fuisse carnivoras , cum esus carnium homini nondum esset concessus. Tertiò . Etiamsi constaret eundem illis uictum fuisse ante diluuium, quo nunc uiuunt, quid impediebat propositum Dei , quo minus hanc illis feritatem ad tempus adimeret , efficeretq; ut in arca leo & bos,aquila & columba , lupus & agnus, ursus & uitulus, non modò pari mansuetudine commorarentur,sed & eodem cibo alerentur,atq; ita impleretur quod Esaias de regno Christi parabolicè usurpauit,& ciuibus illius accommodauit cap. 11. dicens: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. Vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos: uitulus & ursus pascentur,simul requiescent catuli eorum. Et leo quasi bos comedet paleas. Non asserо sic esse factum,sed admoneo quid fieri potuerit.

Quare Deus reliquias aliquas ex hominibus & bestijs seruare uoluerit.

De potentia & efficacia diuini propositi, unde quicquid hic de arca , bestijs, & diluuio inducto legimus, in effectum est perductũ, non est ut pij homines quicquam dubitent,uel scrupulosius inquirat, quin potius de eo cogitamus,quare Deus,cum uniuersam carnẽ de superficie terræ delere constituisset, reliquias aliquas de hominibus & bestijs conseruare uoluerit, unde postea & hominũ & animantium genera repararentur, nouusq; mundus oriretur, cum eadem uerbi sui uirtute post diluuium , quæ initio

creationis

creationis omniũ usus fuerat, & homines & bestias ab integro creare, & ex terra producere posset? Hac de re pius animus & moderatè & utiliter cogitare poterit. Primùm, quòd humani generis reliquias, Noe cum suis, concernit, uoluisse Deum non solum iustitiæ suæ in exterminatione malorum & iniquorum, sed & bonitatis & misericordiæ, in conseruatione piorum luculentissimum extare argumentum, ut omnium manifestissimo documento intelligeret posterior mundus, tantum esse discriminis inter pios & impios coram Deo, ut dum innumeri plectuntur mali, unius etiam hominis iustitia & pietas, in medio malorum uiuentis, haudquaquam negligatur.

Deinde non esse præter rationem, quòd prioris mundi reliquias aliquas superesse uoluit, unde genus humanum conseruaretur, & in sequentem mundum deriuaretur, manente adhuc illius corruptione, quæ per peccatum initiò fuit introducta. Neq; enim irritanda erat promissio de semine benedicto Adæ ac posteris illius facta, & postea in Christo Seruatore filio Adæ adimpleta. Etenim si prorsus in uniuersum omnis posteritas Adæ diluuio fuisset extincta & sublata, & post diluuium rursus ex terra genus humanum noua creatione restitutum, inanis fuisset illa promissio de semine mulieris, caput serpentis contrituro primis nostris parentibus facta: fuisset; consilium illud Dei ac mysterium ab æterno absconditum, de redimendo per Christum genere humano mutatum, immo prorsus annihilatum. Præterea non erat consilium Dei recreare genus humanum secundum carnem, in hanc terrenam uitam: sed recreationẽ alem proposuerat, qua regeneraremur & spiritu per fidem in Christũ, & carne per resurrectionem ex mortuis. Postremò, quod bestias in arca seruatas concernit, cogitandum est uoluisse Deum ea re declarare quòd dum suos è discrimine eripit, simul illis etiam de necessarijs prouideat: & quòd non solum homines, sed & iumenta, ut in psalmis est, conseruet.

QVAESTIO V.

Quare Noe pro mundo perituro non orauerit sicut Abrahã pro Sedomitis.

Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.] Poterit hoc loco quæri, quare Noe coram Domino pro mundo perituro non intercesserit, cum gratiam coram illo inuenisset, quemadmodum infrà cap. 18. Abrahamum in causa Sedomitarum fecisse legimus. Hic cum propositum Dei de perdendis Sedomitis audisset, studiosissimè in id incũbebat, ut iram Dei ab illis auerteret: & eousq; profecerat, ut si decem iusti in ciuitate reperirentur, propter illos toti multitudini parceretur. Mirum uidetur quòd Noe simili non est intercessione usus, præsertim in causa tam graui, qua non una & altera ciuitas, sed uniuersum genus humanum extremo discrimine periclitabatur. An Noe minus afficiebatur totius mundi interitu, quàm Abraham aliquot ciuitatum exitio?

Respondeo: Primùm, sciebat Abraham Loth fratrem suum hominem iustũ, cum suis habitare in Sedomah, Noe uerò neminem talem sciebat in orbe. Deinde Noe audierat ex ore Dei certam & determinatam sententiam de uniuersa carne per diluuium de superficie terræ delenda. Audierat etiam causam illius omnium iustissimam, quòd uidelicet terra esset corrupta, & iniquitate repleta, ac finis uniuersæ carnis ad Dominum ueniisset. Quare quantumuis de catholico uniuersi generis humani interitu doleret, haudquaquã tamen determinatæ iam sententiæ Dei sese, ne precaria quidem intercessione, opponere audebat. Abraham uerò, non audierat à Deo, finem eius regionis & ciuitatum illarum adesse, iniquitatem Sedomitarum ad summum ascendisse, uelle se eos incendio cœlesti exterminare, sed ita dixerat angelus: Clamor Sedomorũ & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est ualde. Descendam & uidebo, utrum clamorem, qui uenit ad me, opere compleuerint, an non, ut sciam. Nihil in hisce uerbis audierat Abraham, quod conclusam iam & determinatam sententiam præseferret. Significabat angelus ad hoc se descendere, ut de peccato Sedomitarum certò cognosceret. Quare Abraham licet exitium imminere Sedomitis olfaceret, potuit tamen hoc maiore fiducia pro illis intercedere, quòd non constabat ipsi neq; de consummatione peccati Sedomorum, neq; de certa exitij conclusione. Admonemur hac consideratione tantisper pijs esse locum coram Deo pro peccatoribus intercedendi, quandiu non constat quod ad mortem irrefragabiliter consummata iniquitate sic peccarint, ut imminens illis iudicium Dei auerti nequeat. Vbi uerò conscientia teste conuincuntur, deploratam iam esse impœnitentium iniquitatem, & ad falcem diuini iudicij maturuisse, non possunt ulla amplius fiducia pro illis orare & intercedere, sed & spiritus instinctu prohibentur ne id tentent. Quanquam etiamsi quis pro talibus orauerit, nihil impij molitur. Nam licet id frustra faciat, sicut & Abrahamo accidit, & Samueli, & Hieremiæ, affectus tamen compassionis huiusmodi in se culpari non potest.

OBSERVATIO I.

Non quærit Deus finem carnis nostræ.

Et dixit Deus ad Noe: Finis uniuersæ carnis uenit ad me.] Obserua, quod non dicit, Ego finem super uniuersam carnem adducam: sed, Finis uniuersæ carnis uenit coram me. Non quærit Dominus finem carnis nostræ, quia non delectatur perditione filiorum hominum: sed nos ipsi finem nobis accersimus, dũ à studio mali corrigi non sustinemus. Exitium nostrum nobis non curantibus uenit in conspectum Dei ultrò. Diligenter est hæc loquutio notanda. Finis, inquit, uniuersæ carnis uenit coram me. Fines rerum humanarum duplicis generis sunt. Vnum, quo propter infirmitatem, senium, corruptionem, ubi uires defecerunt, terminantur. Huic generi finis propter primorum nostrorum parentum inobedientiam sub iecti sumus, cui etiam omnis creatura propter nos est obnoxia facta. Vidé Rom. 8. Alterũ est, quo propter incorrigibilem nostram maliciã, quantũuis natura adhuc sani & firmi simus, iusto iudicio Dei percutimur & cõsummamur. Hoc genere finis uniuersa caro diluuio, Sedomitæ cœlesti incẽdio, multa præclara regna hostili gladio perierũt, & tandẽ præsens hic mundus terminabit. Vtrũq; finis genus gradus

Fines rerum humanarum duplicis sunt generis.

habet,

habet, quibus ad eum ascendit, qui ut principiũ est omnium, ita est & finis. Prius genus uitari nõ potest, posterius studio pietatis & iustitiæ etiã à paucis impediri potest, sicuti patet in Sedomitis, quibus Dominus uniuersis peperciſſet, si decẽ iustos inter illos reperisset. Et Niniuitæ exẽplo sunt, spiritu humili & studio resipiscentiæ finẽ hunc uitari posse, etiã ubi diuino oraculo determinatus est. Quare certã esse notã finis huius ad Deum propinquãtis cogitare debemus, ubi nulla potest peccantiũ obtineri resipiscentia.

Causam futuri exitij significauit Deus Noe.

Deinde & illud considerandũ est, quòd rei huius gnarum reddit Noe. Non simpliciter illi mandat, ut arcam paret, futurum enim esse catholicum diluuium: sed declarat illi causam, ut intelligat non solum quid, sed & quare futurum sit. Voluit illum scire, adesse mundi finem, propter illius corruptionem maturam iam & absolutam. Sic solet Deus iudicia sua manifestare pijs, ut dum illa perficiuntur, sciant quid, & quibus de causis agatur. Secretum Domini, inquit Dauid, timentibus ipsum.

OBSERVATIO II.

Repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.] De eo quod dicit, Repleta est terra iniquitate, uide suprà, ibi: Corrupta est aũt terra coram Domino, & repleta est iniquitate. De eo quod ait, Et ego disperdam eos, uide suprà, ibi, Delebo hominem quem creaui. In præsenti illi considerandum est, quod dicit, A facie eorum. Non simpliciter dicit, Repleta est terra iniquitate ab eis: sed, A facie eorum. Admonemur ipsam malorum hominum præsentiam adeò esse noxiam ac detestabilem, ut omnia repleant iniquitate, ideoq; nihil posse ciuitati pestilentius accidere, quàm facies hominũ iniquorum impunè, impudenter, palàm, & incessanter in quæuis scelera ruentiũ, ut tandem dici possit: Repleta est ciuitas iniquitate à facie eorũ. Quid de Ecclesia Christi possit hic dici, non possunt homines pij satis gemitu cogitare. Nocturnæ tenebræ notiores nõ sunt quàm sint illi homines, qui facie sua Ecclesias passim omnis generis sceleribus replerunt & obscurarunt.

A facie eorum.

Et ipsa loca propter impios iudicio Dei fiunt obnoxia.

Obseruandũ & hoc est, quòd nõ simpliciter dicit, Et ego disperdã eos: sed addit, Cũ terra. Admonemur nõ solũ impios propter iniquitatẽ ipsorũ obnoxios fieri iudicio Dei, sed & loca illa, quæ facie & præsentia suu corrũpunt, & iniquitate replẽt, exitio propter illos subijci. Sic magnæ urbes malorũ hominũ iniquitate cõtaminatæ & repletæ, subuersæ legũt. Ipsum templũ Hierosolymitanũ, quoniã factũ fuerat spelunca latronum, & repletum auaritia & quæstu sacerdotũ, cũ disperderentur illius corruptores, sic est & ipsum direptũ ac destructum, ut iuxta uaticinium Christi lapis lapidi non cohæserit amplius.

OBSERVATIO III.

Fac tibi arcam de lignis læuigatis &c. usq; ibi: Ecce ego adducam aquas diluuij.] Primùm notabimus, quòd Noe Deus nõ miraculosè, cũ utiq; posset, sed per mediũ ad id instituti commodũ seruare uoluit. Iubet ut faciat arcã de lignis ad propositũ aptis, per quã seruet. Nõ est ut consiliũ Dei in ius uocemus, quare illi, cũ unico uerbo perinde in aquis ipsis atq; tres pueros in camino ignis, illæsum seruare posset, per arcã opera humana factã ex undis diluuij eripere uoluerit. Nõ erat ratio, ut luculento aliquo miraculo ad id instituti uteretur, quæ postea in Babylone offerebat, cũ tres pueri in caminũ ignis conijciebant. Illicnãq; miraculo illustri seruiebat futuræ regis cõuersioni: hic uerò nemo erat, cui ullo miraculo seruiret. Etenim uniuersa caro deplorate erat corrupta, & iã finali exitio deuota. Propter Noe uerò & domesticos illius nõ erat ratio ob quã miraculosè seruarent. Nã sicuti Apostolus ait: Signa sunt non propter fideles, sed propter infideles & incredulos. Erat autem Noe uir fidelis, & uerbo Domini absq; ullo miraculo acquiescens. Deinde obserua quod nõ dicit, Facia tibi arcã: sed, Fac tibi arcã. Poterat Deus ipse parare arcã illis quos seruare cõstituerat: uerùm uoluit ut Noe hãc fabricaret. Erat id operis exercitiũ fidei, si ipsum Noe consideres. Operãdo in hac arca, quod dubio procul multis annis fiebat, quotidie admonebat diuini oraculi & præceptι: deinde & finis uniuersæ carnis, qui instabat: adhæc & beneuolẽtiæ Dei qua in seductus unà cũ suis liberãdis erat assumptus. Adhæc suos quoq; exercitio ad fidẽ uerbi Dei instituebat, & à præsenti uniuersæ carnis corruptione, deniq; & à cura rerũ terrenarũ auocabat. Alij ædificabãt terrenas mãsiones, plantabãt, edebãt, bibebãt, uendebãt, emebãt, & seculo sese omniũ securissimè accõmodabant. Noe uerò cũ suis arcã interea, qua seruaret in futuro diluuio, omni rerũ mundanarũ cura excluſa parabat, & ad eũ finẽ suos domesticos intentos & occupatos tenebat. Sic uir pius diuino hoc erat præcepto ad id institutus, ut suãipsius salutẽ unà cũ suis operaret: quod studiũ etiã à nobis requirit Apostol. Phil. 2. dicens, Cũ metu & tremore uestrã salutẽ operamini. Qui pietati studet, & cursui fidei retinẽdo immorat, quæso quid ille aliud facit, quàm quod operat suãipsius salutẽ, nõ quidẽ proprijs uirib. sed uoluntate & efficacia, quã utriq; in eo operat ille, qui suis dat & uelle & perficere pro bona ipsius uoluntate, atq; ita arcã sibi quodãmodo in postremis istis temporibus fabricat, per quã seruet. Lignũ Noe non seruasset, nisi prius spiritualem quàm ligneã arcã parasset. Tertiò & illud considerandũ est, quod tam diligenter à Deo instruitur, quid, unde, quomodo, qua figura, qua magnitudine facere & quæ alia necessaria erant parare debeat. Res erat maximi quidem momenti & insolita, uerùm non usq; adeò rationis humanæ captum excedens, ut quæ hic præcipiuntur, quod arcæ structuram concernit, humano ingenio excogitari nequiuerint. Cogitandum itaq; nobis est, uel non fuisse Noe naturali industria ad hoc institutum sic accommodus, ut instructione ista singulari haud egerit. Solent enim pij in huiusmodi sapientia, quæ carnalibus subinde hominibus & filijs huius seculi datur, minus esse instructi. Vel uoluisse Deum omnia quæ arcam hanc attinent, uerbo suo consecrare: & id requirere à Noe, ut nihil de suo, sed cuncta faciat ex uerbi ipsius præscripto: ut totum hoc opus non industriæ humanæ, sed fidei uerbo diuino obsequenti deberetur. Quærunt hic patres allegorias & mysteria, uerùm de sensu mystico post

Voluit Deus Noe non miraculo, sed competenti medio seruare

Quòd Noe iubetur ipse sibi fabricare arcam.

Noe de omnibus instruitur, quomodo arcam parare debeat.

consi-

A consideraciones historicas, sub finem cap. 8. subijciemus. In præsenti cogitandum est, consuluisse Deum fidei Noe, ne ulla in re hæsitaret. id quod facile euenisset, si quæ ad causam hanc pertinebant, suapte industria excogitare debuisset. Iam quoniam omnia diuino oraculo præscribebantur, non habuit ullam causam fluctuandi in opere tam grandi & annoso. Sic Deus pro sua prouidentia infirmitatis suorum rationem habet: & quo quæ facienda sunt animo, certò & fide infracta prosequantur, uerbo suo conscientias eorum non solum instruit, sed & in opere præscripto confirmat.

OBSERVATIO IIII.

Manus Domini ubiq; agnoscēda

Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, ut interficiam omnem carnem in qua spiritus uitæ est subter cœlum, & uniuersa quæ in terra sunt consummentur.] Principio animaduertendum est, quòd non dicit simpliciter, Ecce diluuiū aquarum erit super terram: sed, Et ego, ecce ego adducam aquas diluuij super terrā. Non erat satis fideli Noe, de eo instrui, quid futurū esset: sed id requirebatur, ut sciret diluuium non casu aliquo, uel coniunctione insolita astrorū, sed iudicio, uoluntate, & opere Domini uniuersæ terræ immitti. Manus Domini ultionem de uniuersa carne sumentis erat agnoscenda. Illa spectanda & agnoscenda est in omnibus, non modò beneficijs, ut grati simus: sed & plagis, ut iustū iudicē reuereamur. Non est ut cogitemus uniuersalem quidem plagam illam singulari iudicio & opere manuū Dei inductā: particulares uerò cataclysmos, & quæ alia huiusmodi incommoda subinde accidunt, casu aliquo, uel ex stellarū coniunctione accidere, quemadmodum uani homines existimant, sed quemadmodū per prophetā Dominus dicit, Non est malum in ciuitate quod ego non faciam: ita sentiendum est, non accidere malum aliquod in uniuerso orbe quod Dominus ipse non iusto suo iudicio immittat. Idem enim ipse est qui percutit, & sanat: mortificat, & uiuificat: aquas de superficie terræ in unum locum initio creationis collegit, & postea exigente hoc uniuersæ carnis corruptione super terram reduxit, reductas rursus abstulit, & in pristinas stationes reuerti iussit.

Quòd terram repurgaturus, aquas diluuij induxit Deus.

Deinde & illud obseruemus, quàm conuenienter terram à malitia mortalium repurgaturus, aquas diluuij induxerit. Natura aquæ est, ut abluat sordes. Terram repurgare uoluit, ideo illam aquis oppleuit, non quæ superficiem illius perpetuò occuparunt, sed quæ tantisper cuncta obtegerent, dum uniuersa caro prorsus esset cum sua corruptione extincta, ac tum remouerentur. Erat hoc genus plagæ ad id quod agebatur accommodissimum. Non cōstituerat genus humanum prorsus auferre ex hac terra, & ultimum rerū humanarum ac mundi finem inducere, id quod tandem est in nouissimo facturus.

B quare usus hic est nō incendio, quo usurus est in fine huius mundi, sed aquarū illuuio catholico: quo ablato, terra adhuc, quæ & qualis antea fuerat, usibus humanis rursus commoda permansit. At in fine mū di, ubi non solū auferendi erunt homines & bestiæ de superficie terræ, sed & omnia, cœlum, terra, & elementa immutanda, ut cœlū reddatur nouū, & terra noua: non iam aquarū, sed ignis usurus est diluuio, quo sic repurgabitur orbis, ut simul in aliā faciem & conditionem transmutetur. Ad hoc nobis ista consideratio seruiat, ut rationem diuinæ prouidentiæ etiam in ipsis plagis obseruare discamus.

Quod eodem exitij genere & modo tam homines quàm bestiæ perierunt.

Tertiò & hoc est obiter cogitandum. Quāuis multū discriminis sit inter hominē ad imaginē Dei conditū, usuq; rationis præditū, & inter bestias ratione destitutas, simul tamen Deus & homines & bestias uno eodemq; exitij genere inuoluit. Nullo discrimine perierūt simul potentes illi חגבוריה & חגבלית, & אנשי השם & uulgus promiscuū, quāuis dum uiuerent plurimū esset inter illos discrimen inductū. illi deorū, isti uix bestiarū loco habebant. In articulo uerò cōsummationis & finis, omni discrimine sublato, eodem pariter interitus genere & modo perierūt. Cogitemus ea quoq; in re iustissimū esse iudiciū Dei declaratū. Etenim quid potuisset æquius accidere, quàm ut homines unà cū bestijs interirent: quibus, abiecto nō solū pietatis, sed & humanitatis usu, pares fuerant facti: deinde & potentes simul cū uulgo eodē interitu necarent, qui corruptione & iniquitate pari studio terrā uniuersam repleuerant & corruperant. Indignissima res est, honoris sortiri discrimen eos qui nihilo meliores sunt cæteris. Si homo corruptis uitæ moribus similis redditur bestijs, utiq; æquum est, ut interitu bestiarum intereat. Qui tutelotenus supra reliquos mortales sublimatus, nullo uirtutis gradu præstantior est uulgo, sed eadē cū illo corruptione deprauatus, dignus planè est qui unà cū uulgo morte inhonesta & uulgari pereat. Sic de Ioachim rege filio Iosiæ, qui deditus fuit auaritiæ, calumniæ, oppressioni innocentū, & omnis generis malis operibus, Hierem. 22. legimus. Propterea hoc dicit Dominus ad Ioachim filiū Iosiæ, regem Iuda: Non plangent eū, Væ frater, uæ soror: non concrepabunt ei, Væ Domine, & uæ inclyte. Sepultura asini sepelietur putrefactus & proiectus extra portas Hierusalē. Sic homo in honore cōstitutus, si nō sit intelligens, comparat iumētis insipientib. & reddit illis similis. Quartò etiā hoc cōsiderandū est, quòd dicit, Vt interficiā omnē carnem in qua spiritus uitæ est. Loquit aūt de flatu illo, quo spiramus. Vide quō cōmuni loquutione de hominibus & bestijs loquat. Dicit, Vt interficiā omnem carnē in qua spiritus uitæ est. Sic uocat hominē carnē spiritu uitæ inflatā: sic uocat & bestias. Nihil discriminat inter homines & bestias. Rectè planè. Tolle homini pietatē & humanitatē, quid erit amplius in hac uita, quā caro spirās? Eccle siastes dicit cap. 3. Similiter spirāt omnia, & nihil habet homo iumēto amplius. Sicut illa moriunt, sic & homo. Hæc est nostra fragilitas, quam communem habemus cum bestijs, quæ tum demum nobis rectè opprobratur, quando honorem à Deo acceptum abijcimus, & bestijs similes euadimus. Verùm si pij fuerimus, longè præclariora elogia sunt in scripturis, quibus cohonestamur, utpote quòd sumus ad imaginem Dei conditi, filij Dei, genus Dei, gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis, hæredes Dei, cohæredes Christi, & quæ alia huiusmodi leguntur.

Oseæ 4. Et erit sicut populus sic sacerdos. Et propheta quoq; gladio corruet.

Et homo perinde atq; bestiæ caro est spiritu uitæ inflata. Vide Aug. lib. 1. quæst. super Genesim, quæst. 9.

Obser-

OBSERVATIO V.

De ratione fœderis Dei.

Ponamq; fœdus tecum, & ingredieris arcam tu & filij tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.] Cogitemus hic primùm de ratione fœderis Dei. Fœdus non ſolum amicitia conſtat & beneuolentia mutua, ſed & obligationem habet, qua confœderati inter ſe mutuò conſtringuntur. In ſeculo hoc fine conſtituuntur fœdera, ut utraq; pars utilitatis aliquid, ſiue pacis, ſiue mutui auxilij ex illo capiat. Hic claudicat iſta ratio. Neq; enim eam ob cauſam cum homine confœderatur Deus, ut opera illius utatur, uel aliud aliquod emolumentũ ex fœderis obligatione auferat: ſed ut hominem de uoluntate ſua, fide & beneficentia huiuſmodi obſtrictione certum reddat. Huc facit etiam non ſolum uox fœderis, ſed & uerbũ הקמתי, id eſt, ſtatuam, erigam & firmabo. Sic ſeruit imbecillitati fidei noſtræ, ne quid de firmitate beneuolentiæ ſuæ dubitemus. Concurrunt hic in conſtitutione fœderis beneuolentia Dei, fides q; ac ueritas illius, quæ neminem unquam fefellit. Poterat ſimpliciter benefacere Noe cum ſuis, uerùm uoluit eum in fide ac fiducia erga ſe firmitate beneuolentiæ ac ueritatis ſuæ confirmare.

Vnà cum patrefamilias & domeſtici in fœdus aſſumuntur.

Deinde & illud obſerua. Dicit, Ponam fœdus meum tecum: & addit, Et ingredieris arcam tu, & filij tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum. Fœdus Dei ponitur cum Noe: in arcam uerò non ſolus Noe ingreditur, ſed in hanc recipiunt quotquot ad illum pertinent. Ergo licet cum Noe ponatur fœdus Dei, pertinent tamen ad hanc gratiam etiam illius domeſtici, qui & ipſi recipiuntur in arcam ut ſeruentur. Sic ſolet Dominus. Noe paterfamilias erat domus ſuæ, caput & princeps erat. Vbi hunc in gratiam recepit, ſicuti ſuprà commemoratum eſt, cum illo & propter illum ſimul recepit illius quoq; domeſticos. Quare cum hic dixiſſet, Ponam fœdus meum tecum: non ſimpliciter ſubiecit, Et ingrediris arcam: ſed addidit, Tu, & filij tui: uxor tua, & uxores filiorum tuorum. Neq; hoc tantũ, ſed adiecit, Tecum. Ingreſsi ſunt arcam domeſtici Noe non propter ſuam ipſorum iuſtitiam, ſed propter Noe, ad quem pertinebant: quoniam ille gratiam coram Domino inuenerat. Non eſt itaq; de iuſtitia domeſticorum Noe quærendum hoc loco, ſed gratia illa Dei conſideranda & celebranda, quam Noe talem inuenit, ut non ipſe modò, ſed & quotquot illius erant, beneficio fœderis Dei & conſeruationis potirentur, modò gratiam hanc non recuſarent, ſicuti duo generi Loth infrà feciſſe leguntur: qui quoniam ſocerum ſuum Sodomam egredientem ſequi nolebãt, meritò cum alijs reprobis perierunt, cum unà cum ſocero in gratiam Dei recepto liberari poſſent.

OBSERVATIO VI.

Propter homines & beſtiæ ſeruantur.

Et ex cunctis animantibus uniuerſæ carnis bina induces in arcam, ut uiuant tecum, &c.] Cogitemus hic rurſus de gratia illa Dei, qua propter pios homines nõ ſolum qui illorũ ſunt domeſtici, ſed & animalia ratione deſtituta periculo & exitio eximuntur. Omnino conſuluit hac quoq; in re ufibus Noe, poſterorumq; illius & mũdi ex illis naſcituri. Primùm in eo quod innumeram illam omnis generis beſtiarum multitudinem non retinuit. Etenim periculoſiſsimum fuiſſet tam paucis hominibus terram hanc uniuerſam incolentibus uiuere inter beſtias, innumera multitudine paſsim omnia occupãtes. Deut. 7. legimus ad hunc modũ: Ipſe conſumet nationes has (Cananæorũ) in conſpectu tuo paulatim atq; per partes. Non poteris eas delere pariter, ne fortè multiplicentur contra te beſtiæ terræ. Si tantæ Iſraelitarum multitudini timendum erat, ne beſtiæ contra ipſam in terra Cenaan, modica illa prouincia, multiplicarentur, ſi nationes illarum gentium ſtatim initio prorſus delerentur, quis non uidet quantum diſcrimnis timendum fuiſſet octo hominibus uniuerſam terram poſt diluuium incolentibus, ſi beſtiarum multitudo non fuiſſet ad paucas aliquot reliquias uſq; diluuio abſumptæ? Quare quemadmodum propter Iſraelitarum commoditatem aliqui Cananæorum populi relicti fuerunt in terra, ne multitudine beſtiarum obruerentur: ita propter uitanda paucorum hominum diſcrimina, qui ſoli poſt diluuium uniuerſam terram erãt inhabitaturi, ſic per diuinam prouidentiam abſumpta eſt beſtiarum multitudo, ut paucæ ex illis reliquiæ, unà cum ipſis in arca ſeruatæ ſimul poſt diluuiũ paulatim ac ueluti paribus incrementis unà cũ genere humano, quemadmodum initio creationis factum erat, multiplicarentur.

Quare exiguum beſtiarum numerum Deus retinere uoluerit.

In reliquijs beſtiarum conſideratio potẽtiæ et ſapientiæ Dei.

Deinde & in eo utilitati mortalium conſultum eſt, quòd non ſolum neceſſarius animalium uſus ſequenti mundo ſeruatus eſt: ſed & cauſa ſubminiſtrata, potentiam, ſapientiam, & magnificentiam creatoris in tam multis tamq; uarijs animantium, beſtiarum, uolucrum ac reptilium generibus conſiderandi. Eam uidelicet ob cauſam noluit ea duntaxat animalium retinere genera, quæ aliquid emolumenti ad uſus humanos adferre poſſunt: ſed ſimul & reliqua conſeruauit, quorum natura, multitudo & uarietas diuitias potentiæ ac ſapientiæ ipſius non ſolum propter creationem, ſed & propter ſuſtentationem luculentiſsimè deprædicant, & modis etiam nobis incognitis ad rationem & decorem uniuerſi pertinent.

OBSERVATIO VII.

Tolles tecum ex omnibus eſcis quæ mandi poſſunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi quàm illis in cibum.] Primùm hoc cogitemus in eo quod de uictu quoq; non hominum tantum, ſed & animalũ præſcribit, declaratur nobis eundem eſſe omnium & hominum & beſtiarũ altorem, qui eſt omniũ tam creator quàm ſeruator. Quos ab exitio conſeruat, illis etiam de uictu neceſſario prouidet.

Deinde & illud conſideremus. Potuit Moſen, & poſt Moſen, Eliam prolixo tempore ſine cibo, filiorum Iſrael propè innumerabilem multitudinẽ, ſolo manna cœlitus depluto annos quadraginta in locis deſertis ſuſtentare: potuiſſet utiq; eadem potentia octo homines cũ beſtijs ſub unius arcæ tecto cõprehenſos ad anni ſpaciũ uel abſq; ullo cibo, uel cœlitus aliquo ſuſtentaculo demiſſo cõſeruare. Verùm uoluit fidẽ eorũ, qui cũ Noe erant, tam grandi experimento ſubijcere: ſed quemadmodũ cætera, ita etiam uictũ

uictus neceſsitatem modo rationi conſentaneo diſpenſare, ac ſimul Noe in opere fidei exercere.

Tertiò, quod curã hanc & diſpenſationem Noe iniungit, ut nõ ſibi ipſi tantũ, ſed & animalibus de uictu neceſſario prouideat, documento nobis eſt, ſic eſſe diuinitus conſtitutum, ut quod præſtantius eſt, deteriori & inferiori ſeruiat. Diuina illa potentia & ſapientia quæ condidit omnia, catholica prouidentia creatis omnibus conſulit. Huius exemplo conuenientiſsimum eſt, ut etiam quod in hominibus forte eſt, ſeruiat infirmis: quod ſapit, famuletur inſipientibus: quod ſublime eſt, curam gerat inferiorum.

Quartò. Ex omnibus eſcis, inquit, quæ mandi poſſunt. Obſerua qũo uoluerit Deus, ut rationẽ alendorũ animaliũ haberet Noe, cibosq; iuxta illorũ uarietatẽ uarios, & ſingulis generibus conuenientes, cõportaret. Nihil præcipit de eſcis mundis uel immũdis: ſed quicquid mandi poteſt, ad hanc neceſsitatẽ liberũ facit. Duorũ hic admonemur. Vnũ eſt, quã debeant eſſe prudentes diſpenſatores, quibus à Domino cõmiſſum eſt, ut neceſsitatibus ſubditorũ prouideant. Alterũ, quàm non ſit ulla legis ratio, ubi neceſsitas liberã requirit diſpenſationẽ. Cogita de exemplo Dauidis, qui panes propoſitionis neceſsitate ãdactus comedit, quorum tamen uſus ſolis ſacerdotibus ex lege competebat. Matth. 12. 1. Sam. 21.

Ratio habenda eorũ qui alendi ſuſcipiuntur.
Prudentia.
Libertas.

Quintò & illud obſerua quod dicit, Et erũt tam tibi quàm illis in cibũ. Neceſsitate cibi coniungit homo beſtijs. Habemus cũ beſtijs cõmunem hanc non ſolum ſpirãdi, ſicuti ſuprà memoratũ eſt, ſed & edendi & bibendi neceſsitatem. Sine flatu uiuere non poſſumus, quo adempto morimur, & ſine cibo diutur nam flatus reſpirationem retinere nequimus, qua utraq; flatus & cibi neceſsitate de fragilitate conditionis noſtræ conuincimur, & beſtijs coniungimur.

Neceſsitate cibi cõgitur homo beſtijs.

OBSERVATIO VIII.

Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.] Conſideranda eſt hoc loco fides Noe. Diuino oraculo de futuro diluuio præmonitus, cuius nulla dum prorſus indicia apparebant, non ſolum corde quod ex Deo audiuit credidit: ſed & quod in mandatis accepit, opere perfecit. Hæc demum uera fides eſt, unde iuſtitia corã Deo cõſtat. Hac de re Ebr. 11. ſic legimus: Fide Noe oraculo admonitus de his quæ nondũ uidebantur, ueritus, aptauit arcã in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum, & iuſtitiæ quæ per fidem eſt, hæres eſt conſtitutus. Prædicatur noſtro ſeculo per gratiã Domini fidei quæ in Chriſtum eſt iuſtitia. Eam doctrinam alij impugnant & hæreſeos damnant: alij uerbis laudant, opere negant: pauciſsimi ad exemplum Noe efficaciam illius declarant & oſtendunt. Non eſt uera fides, quæ ſola conſtat credendorum intelligentia, uel magis opinione. Vera fides quod corde creditur, factis exprimit. Veritas ignis in ui ardoris, ueritas fidei in efficacia eſt operis. Noe credidit uerum eſſe, quod de futura per diluuium uniuerſæ carnis exterminatione ex Deo audiuit: & quemadmodum uerè credidit, ita uerè etiã quæ ſibi præcepta erant perfecit. Non iuſtificant quidem opera, uerùm ut iuſta fides non eſt, quæ efficacia obedientiæ præceptis Dei debitæ deſtituitur, ita ex illa nemo iuſtificatur. De uera fide teſtificatur efficacia operis. Itaq; non ſolũ errãt illi, qui operibus iuſtificationem tribuunt: ſed & iſti admodum falluntur, qui ocioſam, inefficacem, immo planè mortuam quandam opinionem pro uera & uiua fide amplectuntur, illiq; gratiam iuſtificationis aſsignant. quorum omnis uita abundè teſtatur, eſſe eos alieniſsimos à uera, quæ per fidem in Chriſtum eſt, iuſtificatione. Quare quod præſentem locum concernit, iſta ſunt notanda.

Conſideranda fides Noe.
Ebr. 11.
Iuſtitia fidei.

Primum, non dicit, Intellexit Noe omnia quæ præceperat ipſi Deus. Etenim licet intellexerit, haud tamen in eo ſolo conſtitit, ut intelligeret quæ præcipiebantur: ſed intelligentiæ adiecit ueram obedientiam, quæ conſummatio quædam eſt ſcientiæ. In cauſa enim pietatis tantum quiſq; ſcit, quantum opere perficit. Nuda ſcientia, quam non conſequitur obedientiæ efficacia, reum magis & damnabilem quàm iuſtum conſtituit. Seruus enim ſciens uoluntatem domini ſui, & non faciens, tam abeſt ut propter intelligentiam iuſtus cenſeatur, ut grauiori etiam condemnationi ſubijciatur.

Non dicit, Intellexit Noe omnia.

Deinde, non dicit, Credidit Noe: ſed, Fecit Noe omnia quæ præceperat ipſi Deus. Oraculum Dei ad Noe bimembre erat. Primùm, proponebat quædam, non opus aliquod, ſed fidem requirentia: utpote quæ de fœdere, denique de diluuio quoque dicebantur. Deinde præcipiebat quædam, uidelicet de arca facienda, de animalibus mundis & immundis in arcam colligendis, ac de cibis neceſſarijs comportandis. Credidit oraculo Dei in his quæ fidem poſcebant. Et quoniam credebat ſecundum uerbum Dei futurum eſſe diluuium, obediuit etiam præceptis Dei: ueritus, ne ſi non obediret, unà cum mundo impiorum periret. Niſi fidem adhibuiſſet credendis, manũ handquaquã admouiſſet faciendis: arcam non paraſſet, animalia non collegiſſet, cibos non comportaſſet. ideoq; & ſuam & ſuorum ſalutem neglexiſſet. Rectè ergo Moſes, cum poſſet dicere, Credidit Noe ijs quæ de diluuio & de fœdere Dei dicebantur: maluit ſic loqui, ut ſimul & fidem illius & fidei efficaciam commendaret. Vidit hoc Apoſtolus, ideoq; encomium fidei illius hiſce uerbis expreſsit: Fide Noe oraculo admonitus de his quæ nondum uidebantur, ueritus aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ.

Non dicit, Credidit Noe.

Principiò ponit fidem erga oraculum Dei, quo de ijs admonitus fuerit, quæ nondum uidebantur, de diluuio uidelicet, quod demum longo pòſt tempore futurum erat. Deinde huic fidei tribuit timorem, quo metuebat, ne unà cum reliquis interiret. Niſi credidiſſet, nihil huius metuiſſet, ſed cum reliqua multitudine ſecurus comediſſet, bibiſſet, ædificaſſet, &c. uſq; ad articulum eius diei quo poſtea diluuium uenit, & ſecuros perdidit. Ergo hic timor illius argumentum erat fidei. Tertiò, attingit etiam ea quæ ſecundum membrum oraculi diuini concernũt, quomodo erga illa ſe geſſerit Noe. Aptauit, inquit, arcã. Hoc eſt, fecit quod in mandatis à Domino ad hoc acceperat, ut à futuro interitu ſeruaretur. Sic uerita-

tem & efficaciam fidei Noe deprædicat: actum de fructu illius subiungit, dicens, Ad salutem domus suæ, per quam iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est constitutus.

Matt. ult. Marci ult.

Huic exemplo conforme est Christi quoq; oraculum, quo discipulos suos ad prædicationem Euangelij misit in orbem. Et in illo sunt quæ poscunt fidem, quò referendum est quod dicit: Prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. deinde sunt quæ obedientiam requirunt, quale est quod Matth. ultimo dicit: Docentes eos seruare, quæcunque ego præcepi uobis. Da fidelem hominem, qui prædicationi Euangelij Dei uerè credat, uidebis in illo fidei efficaciam & ueritatem. Neque enim duntaxat credenda fide apprehendet, sed & præcepta faciet. Fide consequitur Christianus iustitiam coram Deo, uerùm fidei suæ ueritatem per obedientiam præceptorum Christi declarat.

Omnia præcepta Dei faciẽda.

Tertiò non simpliciter dicit, Fecit Noe quæ præceperat ipsi Deus: sed, Fecit Noe omnia, quæ præceper. &c. Non solum sibi ac suis arcam parauit, sed & bestias ad se collegit, ac cibum congessit. Nihil omisit eorum quæ in mandatis acceperat. Et hæc sedulitas ad ueræ obedientiæ commendationem pertinet. Non uerè & ex animo obedit, qui scienter uel negligit quædam ex faciendis, uel facit nonnulla ex uetitis. Quisquis, inquit Iacobus, totam legem seruauerit, si offendat in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non moechaberis: dixit etiam, Non occides. Quare obseruandum est hic in Noe ueræ ac perfectæ obedientiæ exemplum, cui cursum fidei nostræ conformemus.

Dicet aliquis: Quis usquadeò perfectus est, ut omnia præcepta Dei faciat, nec ulla in re delinquat? Respõdeo: Agnosce quid debeas & ad uerã obedientiã pertineat: nec agnosce tantum, sed & studio faciendi pro uiribus incumbe. Satagenti facilè condonat, ficubi defecerit. Aliud est dicere, Non requiritur à nobis, ut omnia præcepta Dei faciamus: & aliud, agnoscere quàm perfectam debeamus obedientiam ei qui nos in gratiam recepit: & tametsi impares ad illam simus, ex animo tamen satagere: & ficubi defecerimus, gratiam & misericordiam Dei per Christum implorare, sperare, & consequi.

Præcepta Dei sic sunt facienda sicuti sunt mandata.

Quartò, huc facit & illud, quod in Hebræo legitur, non solum fecisse Noe omnia præcepta Dei: sed & sic fecisse, sicuti præceperat Deus. Reperias seruos, qui faciant quidem præcepta dominorum suorum, uerùm non eo modo, quo in mandatis acceperunt, sed de suo addant quædam, & nonnulla mutent. Præposteram hanc sapientiam detestatur Deus, quare significanter populo suo præcipit, dicens: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito: nec addas quicquam, nec minuas. Deuteronom. 12. Contra hoc præceptum Dei faciunt, non illi qui prorsus negligunt præceptorum Dei obseruantiam, sed qui tales uideri uolunt, qui præcepta Dei custodiant, & tamen ea nec modo quo præcepta sunt, nec fine ad quem destinantur, seruant, sed suopte arbitrio & modum & finem illorum peruertunt. Sic præceptum cœnæ Dominicæ peruertitur, dum nec modus, nec finis illius à Christo præscriptus seruatur.

Seruet quisq; quod sibi præcipitur à Deo, reliqua nõ attingat.

Quintò. Nec illud transeundum est, quod non simpliciter dicit, Fecit Noe omnia quæ præceperat Deus: sed, Fecit Noe omnia quæ præceperat ipsi Deus. Et hæc discretio requiritur ab homine fideli, & diuinis præceptis morigero, ut diligenter inter ea discernat quæ communiter omnibus, & quæ singulari ter nonnullis alijs, deniq; quæ sibi peculiariter à Deo præcipiuntur. Quæ alijs præcipiũtur, horum non adimpletio non constringit: constringunt uerò quæ nobis uel communiter cum omnibus, qualia sunt præcepta dilectionis & pietatis ad salutem pertinentia: uel priuatim ac peculiariter præcipiũtur, qualia erant præcepta, Noe præscripta, & alia consimilia innumerabilia. Declaret quisq; in ijs quæ se constringunt, quàm sit pius, & à reliquis abstineat.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Hoc septimo capite Moses diluuium ipsum describit: primùm quomodo Noe unà cum uxore, filijs, & filiarum uxoribus, & seruandorum animalium delectu arcam sit iussu Dei ingressus: deinde, quando & unde inundarint aquæ super terram: tertiò, quousq; excreuerint: quartò quomodo uniuersam carnem, demptis ijs qui erant in arca, de superficie terræ deleuerint: postremò, quamdiu terram uniuersam occuparint.

DIxitq; Dominus ad eum: Ingredere tu & omnis domus tua in arcam. Te enim uidi iustum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolles septena & septena, masculum & fœminam: de animantibus uerò immundis duo & duo, masculum & fœminam. Sed & de uolatilibus cœli septena & septena, masculum & fœminam, ut saluetur semen super faciem uniuersæ terræ. Adhuc enim post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam quam feci de superficie terræ.

Lectio

LECTIO.

Sed & de uolatilibus cœli.] Græcus adiecit, τῶν καθαρῶν, id est mundis, quod in Hebræo non habet. Nec illud in Hebræo est quod addit, καὶ ἀπὸ παντῶν τῶν πετεινῶν τῶν μὴ καθαρῶν δύο δύο, ἄρσεν καὶ θῆλυ, id est, & de omnibus uolatilibus immundis duo & duo, masculum & fœminam.

Vt saluetur semen.] Ebr. להיות זרע, id est, ad uiuificandum semen. Græcus legit, διαθρέψαι σπέρμα, id est, ad educandum semen. Vulgata latina habet, Vt saluetur semen.

Et delebo omnem substantiam.] In Hebræo est היקום. Germanicus interpres uertit, *alles was das wesen hat.* Quicquid subsistit. Græcus reddidit, πᾶν τὸ ἀνάστημα: id est, quicquid erigitur. Respexit ad uocem קום, quæ significat surgere. Germanicè rectè uerteretur, *alles was aufraget.*

EXPLANATIO.

Et dixit Dominus ad Noe: Ingredere tu & omnis domus tua in arcam.] Cum iam arca secundum mandatum ac præscriptum Dei parata, ac tempus resipiscentiæ, annorum uidelicet 120. elapsum, mundi uerò malitia haudquaquam diminuta, sed auctior ac deploratior etiam facta esset, ideoq; maturitate ac plenitudine sua ad finem decurrisset: constituit Dominus in effectum deducere, quod antea proposuerat. Itaq; mandat Noe, ut se ad ingressum arcæ paret.

Mandatum hoc præsenti contextu Moses exponit. Est autem bimembre. Nam primum continet præceptum, quo traditur, quid facere debeat Noe. Deinde habet quædam rationis uice adiecta. Ad præceptum pertinet, quod à Deo dicitur: Ingredere tu & omnis domus tua in arcam. Hoc est, para te ac tuos ad ingressum arcæ. Non iubet ut statim eo ipso die arcam ingrediatur, sed ut spacio illo septem dierum, quod adhuc ad diluuium usq; restabat, cuncta ad ingressum arcæ necessaria disponat, quo ad initium diluuij expeditis omnibus in illam ingrediatur.

Te enim uidi iustum coram me in generatione hac.] Pertinet hæc particula ad alterũ membrũ, hoc est ad αἰτιολογίαν. Duo iubebantur. Vnum, ut ipse cum suis arcam ingrederetur: alterum, ut iamiam se ad ingressum illius pararet. Prioris rationem declarat, cum dicit: Te nanque uidi iustum coram me in generatione hac. Omnino declaranda erat hæc ratio nõ solum narratione ac testimonio Mosis, sed & oraculo ac testimonio ipsius Dei, quare uidelicet ex uniuerso mortalium genere unus Noe cum suis seruaretur. In generatione hac, inquit. Intelligit de hominibus qui seculo illo uiuebant. Nemo præter Noe, cũ hæc dicerentur, de pijs superstes erat amplius.

B *Ex omnibus animantibus mundis tolles septena, &c.*] Referenda sunt ista ad primum mandati huius membrum, quo Noe præcipitur, quid facere debeat. Nempe non solus cum suis arcam ingredi, sed & animalia in illam inducere, de quibus ipsi suprà quoque mandatum fuerat. Præcedentibus hic adijcitur de discrimine mundorum & immundorum animalium, cuius suprà nulla fuerat facta mentio. De mundis iubet sumere septem septem, de immundis uerò duo duo.

Potest hæc particula uariè intelligi. Tolles, inquit, de mundis septem septem. Primùm, ut septem septem idem sint atque septem paria, quatuordecim uidelicet indiuidua, septem masculi & septem fœmellæ: & duo duo, duo paria: id est indiuidua quatuor, duo masculi & duæ fœmellæ. Deinde, si hæc sententia non placet, ut per septem septem, intelligantur tantum septem indiuidua, id est tria paria, & unum indiuiduum adiectum: & per duo duo, unum tamen par. Sensus iste sic habet: Ex omnibus animantibus mundis, inquit, tolles septem septem: ideſt, de singulis animantium generibus septem tolles indiuidua. De animantibus uerò immundis duo duo, id est de singulis immundorum generibus, duo, par uidelicet unum. Nos Germani loquutionem hanc septem septem, duo duo, commodius exprimimus, cum dicimus, *ie siben, vnd siben vnd ie zwey vnd zwey vonn iederley geschlecht.* Et hæc mihi expositio commodior uidetur. Nam prior multum incommoditatis adfert, propter duplicatum animalium numerum, & multitudinem arcæ capacitati incommodam.

Vt saluetur semen super faciem uniuersæ terræ.] Quoniam suprà de animantibus in arcam assumendis simpliciter dixerat, ut possint uiuere, hic clarius exprimit, quare non solum aliquot ex omnibus animantibus, sed paria ac paria masculum & fœminam assumi uelit, ob id uidelicet, ut de singulis generibus seminarium aliquod seruetur, cuius multiplicatione terra rursus, sicut antea, omnis generis animantibus passim repleatur. Sic non simpliciter dicit, Vt seruetur semen: sed addit, Super faciem uniuersæ terræ.

Adhuc enim post dies septem ego pluam super terram.] Refer ista ad rationem eius, quod iubebat Noe iam sese cum suis, & animantibus delectis, ad ingressum arcæ expedire & parare. Quoniam, inquit, post dies septem ego pluam super terram. Terminum illi præscribit, quo sciat omnia commodius disponere, ne præter expectationem diluuio adobruatur: & quæ inducenda erant in arcam, irruentibus pluuijs difficilius & molestius expediantur. Addit, Quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: hoc est, pluuiæ erunt continuæ, nec interrumpentur per quadraginta dies ulla serenitate. Quare parabis te in tempore ad ingressum arcæ, sciasq; mox ubi pluere cœpero, non fore finem pluuiarum, donec uniuersa caro deleta sit de superficie terræ. Hoc sensu dicit, Pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam quam feci de superficie terræ. Dicuntur ista propter Noe, ut sciat quid, quando, quomodo & quo fine futurum sit, quo ad ingressum arcæ sine ulla tergiuersatione & cunctatione urgeatur.

QVAESTIO I.

Quomodo ex animantibus quæ dã immunda uocentur, cum omnia bona ualde creata sint à Deo.

Ex omnibus animantibus mundis.] Quærunt hic, quomodo ex animantibus uocentur alia munda, & alia immunda, cum nihil sit ex omnibus creaturis Dei, quod non sit ualde bonum, sicuti suprà cap. 1. uidimus, ubi Moses dicit: Et uidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona?

Respondeo: Non est idem esse malum, & esse immundum, quantum concernit non animi, sed corporalis conditionis immundiciem: quæ tam abest ut mala sit, ut aliqua ratione, si naturalis est, bona quoq; sit & utilis. Secus comparata est immundicies animi in homine, quæ ut ex primæua creatione non est, sed ex ueneno peccati per serpentem introducta, ita & bona non est, sed mala. Quare discrimen hoc animalium immundorum & mundorum non tollit ueritatem Mosaici testimonij, quo suprà cap. 1. dixit: Et uidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Nam etiam immunda animalia suum usum in uniuerso illo opificio Dei habent, propter quem inter ualde bona rectè numerantur. Bonum

Bonum esse.

esse si dicatur de creaturis Dei, non nisi ad aliquid & ex parte: si uerò de Deo referatur, iam non ad aliquid & ex parte, sed in se & perfectè dictum debet intelligi. Sic habet etiam ratio mundiciei & immundiciei. Quicquid ex creaturis mundum uel immundum dicitur, non simpliciter & omnibus modis, sed aliquatenus dicitur. Habent & munda animalia suam aliquam immundiciem propter quam immunda, sicut & immunda suam quandam habent mundiciem, cuius gratia munda dici possent. Vtraq; genera coram Deo nihil habent immundiciei à quo sunt ualde bene condita, sed discriminantur usu & iudicio mortalium.

Quæ sit animalium immundicies.

Dicet aliquis: Quæ est ergo mundicies mundorum, & immundicies immundorum animalium, in hoc præsenti consideranda discrimine? Non est ista consideratio ad eundem referenda respectum. A ut enim corporis forma talis est, ut animal reddat immundum, qualis est forma draconum, crocodilorum, serpentum & aliorum innumerabilium, quæ ipso aspectu sunt oculis nostris abominabilia. Aut uictus sic est impurus ac detestabilis, ut constituat animal immundum. Sic sunt immundi sues, & quotquot uel ex rapto & cruento, uel ex immundo uiuunt. Aut immundum censetur animal ex eo quod usibus humanis est incommodum. Talia sunt uenenata, & reliqua omnia, quorum caro si edatur, sanitati corporis humani aliquid adfert detrimenti. Habebat forsan postrema hæc ratio nihil loci in priore mundo, in quo carnibus non uescebant homines sicuti communiter sentit: uerùm præcedentes satis adferunt discriminis mundorum & immundorum animalium quod illa tempora concernit. De immundis animalibus uide Leuit. 11. Horum consideratione facile cognosci potest, quæ sint animalia munda & quæ immunda, censenda.

QVAESTIO II.

Quare Deus de mundis animalibus numerum imparem elegerit.

Ex omnibus animantibus mundis tolles septem septem, de animantibus uerò immundis duo & duo.] Ipsa lectoris diligentia uix poterit hoc loco transire, quin quærat, qua nam ratione uoluerit Deus de mundis animalibus imparem, de immundis uerò parem numerum reseruari in arca. Respondebit forsan aliquis poëticum illud, Numero Deus impare gaudet. Verùm ea responsio hanc secum trahit incommoditatem in hac causa, ut mox suspicio nascatur, non delectari Deum pari numero, masculi uidelicet & fœmellæ. Deinde quoniam munda quoq; in eum usum assumebantur, ut semen superesset retinendæ singulorum generum posteritatis, nõ immeritò quæritur, quare impar numerus assumptus sit, cum haud sit ad id instituti necessarius, sufficiatq; paruum coniunctio.

Ad hanc quæstionem communiter respondetur, septenarium numerum ex mundis animalibus ea fuisse ex causa assumptum, ut tria paria multiplicationi, septimum adiectum oblationi & sacrificio, cuius infrà cap. 8. mentio fiet, seruirent. Ex solis enim mundis solebant ad sacrificandum sumi. Huiusmodi responso nonnulli contradicunt. Primùm ob id, quod literæ repugnare uideatur, si sentiamus septimum individuum non conbinatum suo compari, siue masculum siue fœmellam, intrasse in arcam, cum scriptum sit, Duo & duo, item masculus & fœmina ex omni carne introierunt. Deinde ob eam quoque causam, quod ad sacrificandum ex ijs quæ in arca nata sunt, sine multiplicationis detrimento sumi quædam potuerint, ut necesse non esset aliquot individua imparia sacrificiorum gratia paribus coniungere.

Communem tamen responsionem, non uideo quàm possimus certis ac firmis de causis respuere. Nam etiamsi plus momenti ad multiplicationẽ habeat, si masculo uni sex, uel duobus quinque fœmellæ adiungantur, quàm si uel tria uel quatuor paria committantur: haud tamen potest assignari aliqua ratio, quare non æquè quinque uel septem fœmellæ uni masculo, ut numerus esset par, atque sex, quo impar esset, fuerint coniunctæ. Quare quamuis nihil expressum hac de re sit in scripturis, meo tamen, quemadmodum & aliorum, iudicio tutius est, ut impari numero sacrificijs prospectum esse sentiamus.

QVAESTIO III.

Quare Deus nõ etiam immundos homines, quemadmodum bestias, in arca seruari uoluerit.

Et de eo forsan quæsierit aliquis, quare non etiam ad eundem modum simul immundos aliquos homines cum mundis in arca seruandos coniunxerit, sicut animalia immunda cum mundis seruari uoluit.

Respondendum est, homines immundos esse peccatores impios, mundos uerò pios ac syncéros: deinde non esse eandem coram Deo rationem animalium immundorum, quæ est hominum immundo-

rum.

A rum. Animal immundum, ſicut & ſuprà memini, nihil habet in ſe quod coram Deo cenſeatur immundum, ipſiq; diſpliceat, hoc eſt, quod iuſtitiæ eius repugnet, ideoq; & iudicio illius ſit obnoxium. Etenim ut ab eo creata ſunt, ſic ſunt naturaliter, nec fieri poteſt, ut aliquid eorum odiat quæ ipſe creauit, niſi à primæua creatione degeneret. Longè alia eſt impiorum & immundorum horum ratio. Horum immundicies neque ex Deo eſt, ſed ex ſatana: neq; illi placet, ſed uehementer diſplicet, id quod hæc ipſa diluuij hiſtoria ſatis euidenter declarat. Adhæc, non erat neceſſe, ut mali & impij homines data opera eam ſeruarentur ob cauſam, ut natio impiorum etiam hoc noſtro ſeculo multiplicaretur, cum naſci queant ex bonis & pijs parentibus, ſicuti Iſmael ex Abrahamo, Eſau ex Iſaaco, &c. Quare non conueniebat, ut immundi homines unà cum mundis, idq; miniſterio Noe, cum illius conſcientia, ſeruarentur. Erat quidem Cham, iunior ex filijs eius, non uſq; adeò iuſtus, ut paternæ probitati ac pietati reſponderet: uerùm hactenus illius ſeſe malitia nondum exeruerat, ut patris eſſet conſcientiæ cognita: deinde non erat conſimilis reliquorum mortalium corruptioni & impietati. Quapropter noluit eum Deus excludere à numero ſeruandorum.

QVAESTIO IIII.

Ego pluam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.] Quærunt hic nonnulli, quid neceſſe fuerit ad delendum uniuerſam carnem, ut quadraginta dierum & noctium pluuiam immitteret, cum poſſet id non ſolum unico die, ſed & breui momento uirtute uerbi ſui perficere? Etenim cum immenſam illam aquarum molem initio creationis de ſuperficie terræ uno die abſtulerit, & in unum locum congregarit, quid uetabat, quo minus illam conſimili modo uno die reduceret uniuerſam?

Quid neceſſe fuerit quadraginta dierũ pluuia, cũ unico die potuiſſet omnis caro deleri.

Reſpondeo: Vtiq; neceſſe non erat, ut quadraginta dies ac noctes plueret, neq; id eam ob cauſam factum eſſe dicendum eſt, quòd citius fieri non poſſet, ſed quòd ita ipſi faciundum uidebatur. Sed ne id quidem dicemus, quod præter rationem ſic ipſi ſit uiſum, licet nulla exprimatur. Etenim uoluntas Dei tametſi omnium ſit liberrima, irrationalis tamen eſſe non poteſt. Quomodo nanq; ſine ratione faceret aliquid qui ipſiſsima eſt ſapientia, & fons omnis rectæ rationis?

Dicam quid mihi uideatur, quandoquidem coniecturis probabilibus moderatè utendum eſt, ubi nihil certi in ſcripturis exprimitur.

Initio creationis, quoniam conſtitutum erat ſex dierum ſpacio condere uniuerſa, quæ cœlo ac terra continentur, ipſe ordo dierum, & opificij ratio requirebat, ut tertio die ſegregaret aquas de ſuperficie terræ in locum unum, redderetq; terram aridam & ad fructificandum paratam. Hic uerò non erat conſimilis ratio. Deinde quoniam propter iniquitatem mortalium diluuium hoc catholicum erat introducturus, licet non legamus de ſeruatis ex undarum fluctibus, niſi de Noe tantum, cum ſuis: credibile tamen eſt quadraginta dierum illorum ſpacio, creſcentibus aquis, multis mortalibus oblatam fuiſſe reſipiſcendi, & de ijs quæ Noe prædicauerat, cogitandi occaſionem. quæ prorſus fuiſſet amputata, ſi uno momento cuncti ſubitò interiſſent. Nec eſt ut dicat quiſquam, debuiſſe eos ſeruari ex undis, ſi qui reſipuiſſent. Sera pœnitentia eſt, quæ in curſu iudicij Dei ac plagæ meritæ naſcitur. Sera ad hoc eſt, ut à plaga liberet. Quis autem de talibus affirmauerit, prorſus in conſpectu Dei inane eſſe, quod interea dum exitium ob oculos cernunt, ad ſe redeunt, & meritum iudicium Dei cum pœnitentia cordis agnoſcunt, ac gratiam iuſti iudicis implorant? Quis credet nihil diſcriminis eſſe coram Deo inter eos qui huiuſmodi ſunt, & eos qui ad extremum uſque halitum in obſtinatione & impietate cordis ſui perdurant? Interijt quidem diluuio uniuerſa caro corrupta & repleta iniquitate: uerùm nihil habeat abſurdi, ſi credamus multos ex immenſa illa mortalium multitudine, cum uiderent iam interiſſe alios, alios in ipſo uerſari diſcrimine, & aquas ſic excreſcere, ut ipſis quoq; nulla ſpes euaſionis, ne in ſummis quidem montibus, relinqueretur ad reſipiſcentiam in extremis eſſe permotos. Accedebat & hoc. Non ſolum uidebant interitum communem, ſed & ipſum Noe cum ſuis in arca abſque ullo diſcrimine ſeruari, unde reipſa admonebantur, perire ſe iuſto Dei iudicio, ac dare pœnas incredulitatis & impœnitentiæ, quod non credidiſſent uerbis ac factis Noe. Vbi de iſtis cogito, arbitror non ſine peculiari conſilio Dei, ſiue hoc, ſiue alio, diluuium hoc aquarum non uno tantum, ſed quadraginta diebus ac noctibus fuiſſe perfectum.

Obiectio.

Sic arbitror & de multitudine illa 600000. uirorum qui in deſerto perierunt cenſendũ, de quibus legitur Deu. 1. & 2.

B

OBSERVATIO I.

Et dixit Dominus ad Noe: Ingredere tu & omnis domus tua in arcam.] Vide, non ſolum de facienda arca mandauit, & quod in illam Noe unà cum ſuis ingreſſurus eſſet prædixit, dicens, Pono fœdus meum tecum, & ingredieris in arcam, tu & uxor tua & filij tui, & uxores filiorum tuorum: ſed iubet etiam, ubi tempeſtiuum eſt, ut in illam cum omni domo ſua ingrediatur. Sic uidelicet fidei Noe ſeruiebat. Volebat illum in omnibus reddere certum, ne quo pacto fluctuaret, ideoq; in omnibus uerbi ſui oraculo adhibuit, quibus firmâ fide non ſolum faciendo arcam, ſed & in illam ingrediendo niteretur. Erat nanque utrobique opus magna & inconcuſſa fide, qua illic rationis iudicio & irriſioni hominum impiorum reſiſteret. hic uerò animum ſuum contra quæuis in diluuio occurrentia diſcrimina obfirmaret, nec dubitaret futurum, ut in arca cum ſuis ſeruaretur, uirtute uidelicet & cuſtodia eius, qui arcam hanc & facere & ingredi iuſſerat.

Deo eo quod nõ ſolum arcam fecere, ſed & illã ingredi iuſsit.

Stultitia eſt uitã fragili concredere ligno, ſi id humana temeritate fiat.

OBSERVATIO II.

Quod Noe propter iustitiam suam seruatus fuit.

Te enim uidi iustum coram me in generatione hac.] In hac ætiologia primùm obserua, quod propter iustitiam suã seruatus fuit Noe, quemadmodũ reliquus mundus uniuersus propter iniquitatẽ incorrigibilem perijt. Te enim uidi iustum, inquit. Ideo ingredere in arcam. Repete hic quod suprà cap. præcedenti dixit Moses, inuenisse uidelicet Noe gratiam coram Domino. quibus uerbis significauit, seruatum illum esse per gratiam Dei. Ergo nec gratia Dei ijs est speranda, qui nullo iustitiæ studio tenentur, quales erant illius seculi homines, sed capaces illius sunt pij & iusti, per quam seruentur. neq; iusticia iusti per se satis est ad salutem, nisi inueniatur gratia coram Domino. Quare pulchrè concurrerunt in hac causa & gratia Dei & iustitia Noe.

Gratia Dei & iusticia piorũ cõiungenda.

Vera iustitia.

Deinde considerandum est, quod non dicit, Tu nanq; uisus es iustus coram mundo: sed, Te nanque uidi iustum coram me. Habes hic ueram iustitiam expressam. Primùm non constat illa iudicio & oculis mundi, sed Dei. Deus ipse uidit Noe esse iustum. Videt autem Deus intima cordis, homo ea tantum uidet, quæ apparent in facie. Reperias multos, qui iudicio mortalium uideantur esse iusti, propter externam pietatis & iustitiæ speciem, in quibus tamen Deus nihil iustitiæ, sed plurimum uidet hypocrisees & iniustitiæ. Deinde uera iustitia non in seculum, sed in ipsum Deum dirigitur. Noe coram Deo iustè uiuebat, conscientia bona & sincera coram illo ambulans. Verùm falsa iusticia non hoc agit, ut Deo sese approbet, sed omnia sic instituit, ut coram hominibus sese uenditet. Vide Matth. 23. Ergo ea demum uera est iustitia, quæ & oculis Dei probatur, & ad conscientiam ac uoluntatem Dei dirigitur.

Iustitia parentũ prodest liberis ac domesticis.

Tertiò & illud obserua, quod ubi de ingressu arcæ præcipit, non dicit, Ingredere tu in arcam: sed addit, Et omnis domus tua. Vbi uerò de iustitia tanquam ingressus huius causa loquitur, non dicit, Te nanque & tuos uidi iustos, sed iustitiam ipsi Noe tantum adscribens, Te enim, inquit, uidi iustum coram me. Non est ut hic inquiramus in domesticos Noe, an non & illi iusti fuerint, quandoquidem unà cum illo seruati sunt in arca. Credibile quidem est fuisse eos ad pietatem & iustitiam institutos, uerùm non illorum, sed Noe iustitiæ tribuitur, quod non perierunt unà cum impijs. Sic nanque solet Deus temporaria beneficia filijs & domesticis conferre propter maiorum ipsorum pietatem.

Propter paucos iustos innumeræ multitudini mortalium parcitur.

Quartò. In generatione hac, inquit. In eo quod unus Noe in uniuersa illa prioris mundi generatione, cum inducendum esset diluuium, iustus est inuentus, admonemur quanta fuerit patientia Dei, qua totius mundi tam insigniter obstinatam malitiam & corruptionem tantisper tulit, dum ex natione pio rum nemo præter Noe cum suis supereſſet amplius. Cum adhuc in uiuis essent aliquot patres, qui sub Noe sunt mortui, distulit propositam plagam, donec illis morte sublatis, solus Noe supereſſet. Videmus hoc exemplo, quomodo propter paucos aliquot iustos innumeræ peccantium multitudini admirabilis illa Dei patientia parcat. Quare omnium insanissimus est hic mundus, qui eos odiosissimè persequitur, quorum præsentiæ debet, quod non catholico statim exitio absumitur.

OBSERVATIO III.

Initio creationis facta sunt animalia propter homines non solum munda, sed et immunda.

Ex omnibus animantibus mundis tolles septem septem masculum & fœminam, de immundis uerò duo duo.] Principiò illud considerandum est, quod cum omna omnium animantium genera propter hominem initio conderet, ac potestati etiam illius subijceret, non solum munda condidit, quæ immediatè usibus illius cederent, sed & immunda, à quibus abstineret. Suo quidem modo singula uniuerso subseruiunt, quod propter hominem est factum, uerùm non omnia usibus humanis sunt destinata, sed ea duntaxat, quæ munda & accommoda sunt homini. Munda mundis conueniunt. Significatur hac consideratione, ipso hoc ordine Dei requiri à nobis, ut uita nostra talis sit, quæ immunda spernat, & solis mundis utatur. Alioqui quorsum attinet abstinere ab immundis eos quorum uita nihil est aliud quàm ipsissima spurcities? Quis à sue requisierit, ut mundis ueſtiatur, cum omnis illius uictus sit immundus?

Nõ permisit Noe liberũ ut ipse de animantibus statueret.

Deinde considerandum & hoc est, quod de mundorum & immundorum discrimine præcipit, haud permittens Noe, ut ea de re pro suoipsius statuat arbitrio. Cogitasset enim nullum fore usum necessarium animantium immundorum, cuius gratia in arcam ad posteros seruanda recipi debeant, præsertim cum nulla in præcedentibus mandatis immundorum mentio facta legatur. Quare de illis quoq; expresse præcipere uoluit. Non dico, quod diem de arca facienda præciperet, nullam immundorum mentionem fecerit, sed quod factam esse, nisi præsenti hoc loco, non legatur. Siue & antea de illis, siue hic primùm præceperit, nobis obseruandum est, longè alio loco apud Deum esse, quàm nos putamus, quæ minoris uidentur esse momenti. Quare cogitandum est hic, quando sit ille neglecturus munda sua opera, qui ne immunda quidem negligit. Deinde in operibus Dei disponendis summoperè cauendum est, ne quid nostro ipsorum iudicio tentemus, sed omnia ad præscriptum uerbi Dei disponamus. Quod si in animantibus ratione destitutis hac nobis est cautione utendum, ut ne de immundis quidem nostro arbitratu statuamus, obsecro, quæ est illa temeritas, qua qui in mundo rerum habenas dispensandas usurpant de hominibus ad imaginem Dei conditis propterea quod subditi sunt, suapte libidine statuunt quidquis, unde & natum est illud tyrannicum: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas?

Quòd plura de mundis quàm immundis in arcam duci iussit.

Tertiò, nec illud transeundum est, quod plura de mundis quàm de immundis in arcam introduci iubet. De mundis nanq; dicit, Septem & septem: de immundis uerò, Duo & duo. Hac ratione usibus humanis magis quàm gloriæ suæ consulere statuit. Primũ enim copiam utiliũ & mundorum animalium magis

magis quàm immundorum extare uoluit, ne quid nobis uel ad alimoniam & uictum, uel uestitum, uel aliàs necessarium adiumentum deesset. Deinde noluit immundorum animalium parem cum mundis esse multitudinem, ne passim inualescentia & hominibus & iumentis incommodarent. Quare quoties mundorum animalium copiam magis quàm immundorum cernimus, cogitemus de prouidentia Dei, quæ statim initio necessitatibus nostris ut in reliquis, ita & hac in re consuluit. Vastationis argumentum est, sicubi immundæ inualescunt bestiæ, quale est quod Esaiæ decimotertio de Babylone legitur. Voluit quidem semen aliquod immundarũ retinere bestiarum, ut essent quibus ad castigandũ ingratos & immorigeros uteretur: uerũ id sic temperauit, ut munda, innoxia, utilia, & mansueta, hoc est necessitatibus nostris accõmoda animalia multitudine superarẽt immundas, sæuas, ac truculentas bestias, quo minus ab illis absumantur. Sic in aquis plures sunt inermes pisciculi quàm sint uoraces ac dentati: inter uolucres maior est innoxiarum columbarum quàm rapacium accipitrum copia, & inter animantia plures sunt oues quàm lupi.

Quartò etiã hoc expendamus, quod tam diligenter inculcat ac præcipit, ut masculi & fœmellæ in arcã introducant. Capite præcedẽti, masculini sexus, inquit, & fœminini erũt. Et hic ubiq; tam de immũdis quàm mundis, & uolucribus quoq; præcipiens addit masculũ & fœminam. Et si domũ Noe inspicias, & illa quoq; coniunctione masculorum & fœminarum constabat. Noe & uxor, tres filij & tres illorũ uxores, quatuor paria totũ uniuersi generis humani seminariũ continebant. Dum ista consideramus, admonemur de constantia coniugij legitimi, qua non solum initio creationis ut ex eo prior, sed & in reparatione hac generis nostri, ut posterior quoq; hic mundus & multiplicaretur & propagaretur, masculum & fœminam coniungi uoluit creator ille & moderator omnium, ne quod Christus, ex authoritate creationis Matth. 19. pronunciauit, dicens: Quos Deus coniunxit, homo non separet, duntaxat ad prioris mundi tempora pertinere putemus. Quare uehementer detestabilis est eorũ temeritas, qui ordinem hunc coniugij à Deo instituti præ cœlibatu suo omnium spurcissimo quasi immundum respuerunt & despicabilem reddiderunt.

De constantia coniugij legitimi.

OBSERVATIO IIII.

Vt saluetur semen super faciem uniuersæ terræ.] Obserua hic usum eorum qui in arca seruabantur, hominum uidelicet & animalium. Alud est seruari ut sis & uiuas, & aliud ut ad aliquid sis & uiuas. Prius ad nostram ipsorum salutem pertinet, posterius prouidentiæ Dei seruit. Ad prius requiritur, ut sis in gratia Dei & spiritu fidei studioq; iusticiæ præditus: ad posterius reipsa uidemus non requiri necessariò, ut sis in gratia Dei & iustus, nisi & hoc gratiæ Dei tribuas, quod electus es, ut sis propter alios. Noe quoniam iustus erat, & gratiam coram Deo inuenerat, non ad hoc tantum seruabatur in arca, ut semen esset futuræ posteritatis, sed & ut uiueret, & ab exitio impiorum liber seruaretur. De filijs eius id constat, quod tanquam semen humani generis, ex ipsis propagandi, seruati sint in arca, qua in re ex æquo cõmunicarunt, absq; ullo iusticiæ uel iniusticiæ respectu. Neq; enim Sem propter iusticiam suam plus præstitit ad multiplicandum genus humanum quàm Cham. Verùm quatenus paternam iusticiam & fidem imitatus est, hactenus & ipse non solum ut semen ad futuram posteritatem, sed & ut electus ad suam ipsius est salutem seruatus. Verè felices sunt, qui sic propter alios in uita seruantur, ut simul propriæ salutis gratiam ac felicitatem retineant. Hi sunt omnes illi qui non modò ut homines, generis humani speciem & gerentes & multiplicantes, quod commune habent cum bestijs, sed & ut iusti ac fideles homines uiuunt, & ab ira Dei, qua perduntur impij, liberantur.

Vsus eorum quæ in arca sunt seruati.

Deinde & illud expendamus quod dicit, Super faciem uniuersæ terræ. Ergo modicum illud semen tam hominum quàm animalium, quod in arca seruabatur, uirtute diuinæ benedictionis in tantam erat multitudinem euasurum, ut non unius duntaxat regionis, sed uniuersæ terræ faciem esset occupaturum. Quare non est attendendum in semine, quantum, quamq; multum uel modicum existat: sed respiciendum est ad uirtutem opificis omnium, qui utrunque operatur, & semen uidelicet & seminis incrementum.

Quod tam modicum semen totã terræ superficiẽ repleturũ erat. Apostoli, pusillus grex, fermentum erãt, quo postea totus fermẽtatus est orbis. Matth. 13.

OBSERVATIO V.

Adhuc enim post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam quam feci de superficie terræ.] Obseruandum hic est, quod non simpliciter dicit, Ego enim replebo terram aquis: uel ut suprà dixit, Ego adducam aquas diluuij super terram: sed ut modum exprimat, Ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. deinde tempus quoq; significat, quo inchoaturum sit diluuium. Alij hic arbitrantur uoluisse Deum occasionem dare mortalibus ad resipiscendum: mihi uerò uidetur considerandam esse diligentiam Dei, cuius & suprà memini, qua animum Noe in causa tam ardua & insolita ab omni hæsitatione liberare, & de cunctis certũ reddere uoluerit. Plurimũ enim apud pios refert, qua certitudine fidei ad oracula Dei sese accõmodent. Moses & Aaron propter qualemcunq; hæsitationẽ reijciebãtur, ne Israelem in terrã Cenaan introducerent, qua de re Num. 20. legere licet. Ex uxor Lot, quoniam respiciebat, in statuã salis cõuersa est, infrà cap. 19. Et pater Ioan. Bap. non satis credens uerbis angeli, mutus reddebat. Quare cũ nihil minus ferri possit apud Deũ, quàm incredulitas, & hæsitatio mentis, ubi oraculis diuinis credendũ & obsequendum est, admodum necessarium erat, ut Noe in causa hac sic insolita, ut nullum illius præcesserit

Quod & tempus & modus diluuij Noe exponitur.

Moses et Aaron. Vxor Loth. Zacharias.

exemplum, & sic inopina, ut dubio procul ridiculus ac delirus illius gratia haberetur, non solum de eo quod futurum esset, sed & de modo & tempore, tanquam duobus indicijs, de ueritate oraculi Dei testantibus, instrueretur. Hæc est illa prouidentia Dei, quæ in omnibus rebus fidem & obsequentiã requirentibus rationem habet infirmitatis nostræ, ne quo pacto dubij fluctuemus. Sic angelus beatæ uirgini, non solum quid futurũ esset, sed & modum eius exponebat, & exemplum grauidæ Elizabet, confirmationis gratia addebat.

Et delebo omnẽ היקום *quam feci.*

Deinde & illud notandũ hic est, quod dicit: Et delebo omnem היקום, id est, quicquid erigitur, quod feci. Admonemur hac loquutione, ut ubi in superficie hac terræ uidemus מיקומי, id est erecta, extantia, & nihil minus quàm breui aliquem interitum præseferentia, cogitemus hæc duo. Vnum, esse illa & quod sunt, & quod erecta sunt, facta à Deo, ne quam sibi gloriam de eo quod sunt uindicent, sed in ordine creaturarum & factorum retineantur: alterum, nisi gloriæ Dei seruiant, aliquando futurum, ut eo iusdem opificis manu qua facta sunt, rursus deleantur, ut ex חיקומים fiant גבלות, cadauera putrida, & uilissimum stercus terræ, unde fuerant producta.

Fecit ergo Noe omnia quæ mandauerat ei Dominus. Eratq; sexcentorum annorum quando aquæ diluuij inundauerunt super terram. Et ingressus est Noe & filij eius, uxor eius, & uxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij. De animantibus quoq; mundis & immundis & de uolucribus, & ex omni quod mouetur super terram duo & duo ingressi sunt ad Noe in arcam, masculus & fœmina, sicut præceperat Deus Noe. Cumq; transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt super terram. Anno sexcentesimo uitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. In articulo diei illius ingressus est Noe & Sem & Cham & Iapheth filij eius, & uxor illius & uxores filiorum eius cum eis in arcam. Et ipsi & omne animal secundum genus suum uniuersaq; iumenta in genere suo, & omne quod mouetur super terram in genere suo, cunctumq; uolatile secundum genus suum, uniuersæ aues omnes uolucres ingressæ sunt ad Noe in arcam, bina & bina ex omni carne, in qua erat spiritus uitæ. Et quæ ingressa sunt masculus & fœmina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: & inclusit eum Dominus deforis.

LECTIO.

De animantibus quoq; mundis.] Græcus hic de suo quædam adiecit. Sic enim uertit: Et à uolatilibus mundis & à uolatilibus non mundis, & à iumentis mundis, & à iumentis non mundis, & à bestijs, & ab omnibus reptilibus quæ sunt super terram, &c. In Hebræo non est priore loco de uolatilibus, sed de iumentis: deinde non fit mentio hic mundorum & immundorum uolatilium, sed simpliciter legitur, Et de uolucribus.

Anno sexcentesimo uitæ Noe mense secundo septimodecimo die mensis.] Græcus uariat, Ἐν τῷ ἑνὶ καὶ ἑξακοσιοστῷ ἔτει, inquit. In sexcentesimo primo anno. Et ubi Hebræus habet, septimodecimo die: ille legit, ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι, id est uicesimo septimo die.

Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.] Græcus quod est in Hebræo רבה, id est magnæ, omisit.

Cunctumq; uolatile secundum genus suum, uniuersæ aues, omnesq; uolucres.] Græcus pro his omnibus simpliciter una dictione uertit, πᾶν πτερωτὸν κατὰ γένος, id est, & omne uolatile secundum genus.

Bina & bina ex omni carne.] Adiecit hic Græcus, ἄρσεν καὶ θῆλυ, id est masculus & fœmina, quod in in Hebræo non habetur, nisi in sequenti particula.

EXPLANATIO.

Fecit ergo Noe omnia quæ mandauerat ei Dominus.] Hæc est summa eorum quæ toto hoc contextu aguntur. In præcedentibus exposuit Moses, quid mandati Noe acceperit à Domino: iam consequenter subiungit, quomodo hic quoq; iussis Dei fuerit obediens. Noe, inquit, fecit omnia, quæ mandauerat ei Dominus. Postea obedientiam hanc Noe latius explicat, quam in eo declarauit, quod arcã intrauit cũ suis, & omnis generis animantibus, secundũ præscriptũ Dei intrauit. Et primũ meminit ætatis Noe

quam

A quam attigerat cum inchoaret diluuium. Erat, inquit, sexcentorum annorum, quando aquæ diluuij inundauerunt super terram. Facit hoc ut spacium 120. annorum, quod resipiscentiæ datum erat, elapsum fuisse doceat, & ut tempus memorabilis huius historiæ certò constet: quanquam infrà illud exactius exprimet. Deinde rediens ad factum Noe, idq; obiter, Et ingressus est Noe, inquit, & filij eius, uxor eius, & uxores filiorum eius cum eo in arcam, &c. Hoc iusserat Dominus. deinde & de bestijs præceperat: etiam illud adimpleuit Noe, planè secundum præceptum Dei cuncta perficiens.

Cumq; transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt super terram.] Hoc ob id commemorat, ut ueritatem Dei declaret. Dixerat enim: Adhuc septem dies, & ego inducam aquas diluuij super terram. Id ad eum modum & tempore præscripto factum esse narrat.

Anno sexcentesimo uitæ Noe mense secundo decimoseptimo die mensis rupti sunt omnes fontes, &c.] Paulo antè obiter meminit, fuisse Noe annorum sexcentorum, cum aquæ inundarent super terram: iam uerò & tempus & modum inundantis diluuij plenius ponit.

Ad tempus pertinet quod dicit, Anno sexcentesimo uitæ Noe, &c. Satis patet, quod suprà dictum est, Erat Noe sexcentorum annorum, non sic esse intelligendum, quod annus sexcentesimus uitæ Noe iam fuerit absolutus, cum inundaret diluuium: sed quod principium diluuij inciderit in eum annum, antequam secundus illius mensis esset adimpletus. Alioqui secundus ille mensis non fuisset sexcentesimi, sed sexcentesimi primi anni uitæ Noe. quam sententiam Græcus interpres contra manifestam Hebraici contextus simplicitatem sequutus uidetur. *Tempus diluuij.*

Ad modum diluuij referendum est, quod dicit, Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadriginta noctibus. Mirum uidetur quomodo terra uniuersa potuerit oppleri aquis. Igitur modum diluuij huius exponit. Rupti sunt, inquit, omnes fontes abyssi magnæ. Magnam abyssum uocat Oceanum. Fontes illius non dicit apertos, sed ruptos fuisse, idq; omnes. Per fontes distillatione quadam & scaturigine indefinenti irrigatur superficies terræ. qua de re uide suprà capite secundo. Scaturigines illæ ad irrigandum terram accommodæ, quasi ruptis uenis in subitam & immensam aquarum eruptionem sunt mutatæ. Et cataractæ cœli apertæ sunt. In Hebræo est ארובות, id est, & fenestræ. Græcus uertit cataractas, id est, uiolenta aquarum præcipitia, qualia sunt quæ Germanicè uocamus *Wolckenbruch*. Sic supernis & infernis aquarum irruptionibus totus orbis diluuio est oppletus. Significat autem Moses insolitam imbrium effusionem, per id quod metaphorica loquutione cœli dicit apertas fuisse fenestras. *Modus diluuij.*

B *In articulo diei illius ingressus est Noe & Sem & Cham & Iapheth filij eius, & uxor illius & uxores filiorũ eius, &c.*] Suprà dixit: Et ingressus est Noe & filij eius, uxor eius & uxores filiorum eius cum eo in arcam, propter aquas diluuij, de animantibus quoq;, &c. Eam particulam non sine diligentiore quadam specificatione repetit.

Primùm enim quo die ingressi sint arcam, notanter exprimit, dicens: In articulo diei illius ingressus est Noe. Erat is decimusseptimus mensis secundi anni uitæ Noe sexcentesimi.

Deinde nomina filiorum Noe ponit, qui arcam unà cum uxoribus suis sunt ingressi. Suprà quidem dixit, Et ingressus est Noe, & filij eius: uxor eius, & uxores filiorum eius. Verùm ne quis interea quo fabricauit arcam, adhuc alios illi filios natos esse suspicetur, qui cum tribus suprà nominatis in arcam & ipsi sint ingressi, uoluit nomina filiorũ eius repetere, ubi de ingressu arcæ scribit. Sic dicit, In articulo diei illius ingressus est Noe & Sem, & Cham, & Iapheth, filij eius.

Tertiò & de animantibus, quæ in arca ingressa sunt specialiter, commemorat, quòd ex omni carne secundum genus suum ingressa sint animalia, iumenta, reptilia, uolatilia, sic ut ubique apponat, Secundum genus suum, ut sciamus nullam fuisse factam generum confusionem. Et illa cum inculcatione quadam repetit, quòd bina & bina, item quòd masculus & fœmina ex omni carne introierint. Vt significet omnis generis uolatilia ingressa in arcam, non simpliciter dicit, בל עוף, id est, omne uolatile: sed addit בל צפור, id est omne genus passerculorum & minutorum uolucrum, & בל כנף, id est omne pennatum. Hæc considerantibus in promptu uidere licet, non esse repetitionem istam ociosam, sicuti uidetur oscitanter legentibus.

Tandem adijcit, Et inclusit eum Dominus deforis. Quoniam præceptum erat ut arcam & intus & foris bitumine liniret, ne quis cogiret, quomodo ostiũ arcæ foris bitumine cõmuniri potuerit à Noe, cum iam in arca esset, satisfacit huiusmodi cogitationi tribus quatuor uerbis dicens: Et Dominus clausit pro eo, sicuti est in Hebræo. quod nihil est aliud, quàm Dominus ostiũ arcæ sufficienter aduersus uim aquarum communiuit, atq; ita ipse, quod Noe præstare non poterat, præstitit.

QVAESTIO I.

Cumq; transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt super terram.] Quærunt hic quare Deus septem dierum spacio diluuium differre, & non statim cum Noe arcam ingredi iuberet, inferre uoluerit. Hebræi dicunt hosce septem dies fuisse deputatos ad lugendum Mathusalem, qui tum fuerit mortuus. Id quidem constat, quòd eo anno mortuus fuerit, quo diluuium inundauit: quod uerò septimo die ante diluuium obierit, nullo certo potest argumento probari. Alij arbitrantur septem istos dies fuisse ad tempus annorum 120. ex abundanti adiectos, ne qua esset impœnitentibus excusatio. Verùm neutra ratio necessaria est ad præsentem quæstionem. Etenim sicuti & suprà meminì, ubi dicit Deus: *Quare Deus diluuium septẽ dierum spacio differre uoluerit.*

Deus: Adhuc post septem dies ego pluam, terminum non iam præsentem, sed post dies septem futurum prænunciare uoluit, quo se Noe commodius unà cum uxore, filijs, & uxoribus filiorum, deinde & omnis generis animantibus ad ingressum arcæ pararet. Igitur septem isti dies nec ad lugendum Mathusalem, nec impœnitenti & incorrigibili mundo congressi, sed ijs qui arcam erant ingressuri, quo se pararent, prænunciati uidentur.

QVAESTIO II.

Quis fuerit secũdus iste mensis.

Anno sexcentesimo uitæ Noe mense secundo.] Quæritur hic, quis fuerit secundus iste mensis. Alij sentiunt fuisse Octobrem, eo quòd Septembris primus sit mensis, anni habens principium. Arbitrantur enim mundum conditum fuisse in Septembri, cuius rei argumentum ex eo colligunt, quod in eo mense fruges maturitatem suam consequuntur, talesq; euadunt, quales initio creationis perfectæ uidelicet & maturæ, non immaturæ & imperfectæ, extiterunt. Verùm isti perspicuè falluntur. Sunt enim multa terræ nascentia, quæ partim in Maio, in regionibus calidioribus, partim in Iunio, partim in Iulio & Augusto matura fiunt, quorum plerapue antequam Septembris aduenial iam sunt consumpta, de quibus tamen dicere non possumus, quòd non sint & ipsa cum alijs initio mundi condita. Alij primum anni mensem constituunt Martium: & secundum hunc, quo diluuium cœperit, Aprilem fuisse dicunt. Citant illud Exod. 12. Mensis iste uobis principium mensium, & primus erit in mensibus anni.

Verùm, quod & alij annotarunt, constituebatur ibi principium anni, non quod generale esset, & inde ab initio mundi durasset, sed quod Israeli propter liberationis Aegyptiacæ memoriam singulariter primum anni mensem constitueret.

Mea sententia sic habet: Arbitror mensem hunc secundum, in quo diluuium cœpit, nec Aprilem fuisse, nec Octobrem, etiamsi uel Martius, uel Septembris, anni principium contineret: quod tamen utrunq; est incertum. Etenim nõ loquitur hic Moses de eo mense, qui fuerit simpliciter secundus in anno, sed de eo qui secundus fuerit anni sexcentesimi uitæ Noe. Annus hic numeratur non secundum principium temporum, sed secundum natales Noe, ideoq; & mensis hic non erat secundus simpliciter secundum annui temporis cursum, sed secundum principium uitæ Noe. Primus annus ordiebatur quo die Noe nascebatur, ad quem respicit Moses. Quemadmodum primi anni principium unicuiq; separatim ex eo die censetur quo natus est: ita cogitandum est hic quoq; de annis uitæ Noe. Quo die diluuium cœpit, agebatur mensis secundus anni sexcentesimi respectu natalium Noe. Quare uel ipsa uerba Mosis satis perspicuè docent, non esse hic quærendum de principio annui cursus, siue Solaris, siue Lunaris: sed respiciendum ad natales Noe, cum dicit: Anno sexcentesimo uitæ Noe, mense secundo decimo septimo die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, &c.

QVAESTIO III.

De quo cœlo loquatur Moses, cuius fuerint apertæ fenestræ.

Et cataractæ cœli apertæ sunt.] Quærunt hic de quo cœlo loquatur Moses, cuius in diluuio fuerint apertæ fenestræ. Alij sentiunt loqui Mosen de nubibus cœli aereo uidelicet cœlo, non de firmamento, quo sensu nubes aliquando cœli nomen accipiunt: unde & uolucres, cœli uolucres dicuntur, propterea quòd in nubibus circumuolant. Huic sententiæ consonare uidetur, quod & suprà dixit Deus, Ego pluam super terram: & Moses hic immediatè subiecit, dicens: Et facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Apparet enim cœlum fuisse nubibus obductum, & inde pluuiam quadraginta dierum demissam. Alij intelligunt de firmamento, cœlo uidelicet stellato supra quod aquæ sunt, sicuti suprà cap. 1. uidimus: sentiuntq; aquas illas supercœlestes in eum fuisse usum seruatas, ut ad puniendum mundum incredulum demitterentur. Hac de re cap. 1. in opere diei secundi, obseruatione quarta, quædam annotauimus. Nihil periculi est, utram sententiã sequamur, tametsi priorem arbitror esse simpliciorem & certiorem.

OBSERVATIO I.

De fide & obedientia Noe.

Fecit ergo Noe omnia quæ mandauerat ei Dominus.] Quid hic sit de fide & obedientia Noe obseruandum, suprà in calce præcedentis capitis dictum est. Nequit hoc satis commendari in Noe quod non iemel duntaxat, cum arcam fabricare, sed cum illam ingredi quoq; iuberetur, omnia secundum mandata Dei fecit. Est exemplum hoc, insignis admodum fidei & obedientiæ, diligenter intuendum, ac memori mente retinendum. Parata quidem est gratia Dei ad liberandum suos è quocunq; discrimine: uerùm requiritur à nobis, ut ad exemplum Noe iussis Dei in omnibus obediamus. Fecit hoc Noe, & ereptus est è diluuio & communi uniuersæ carnis exitio. Non bene sanitatem sperat, qui præceptis medici non per omnia obtemperat.

OBSERVATIO II.

Quot anni ab initio mundi ad diluuiũ usq; fluxerint.

Eratq; sexcentorum annorum quando aquæ diluuij inundauerunt super terram.] Ex hoc loco colligi licet, quot anni à principio creationis ad diluuium usq; interceserint, qua in re & theologi & historici tam Græci quàm Latini admodum uariãt. Iosephus alicubi numerum 1893. rursus alibi 2656. annorum assignat. Eusebius annos ponit 2242. sicuti & chronica quædam Synopsis, quæ apud Græcos circunfertur. Septuaginta interpretum uersio parit numerum 2262. Hieronymus narrante Otrone Frisingensi numerat 1666. Augustinus 2262. sicut & Otto Frising. Verũ si Hebraicæ ueritatis auctoritatẽ sequamur, cui & uulgata latina editio cõsonat, nõ poterimus aliter numerare quàm 1656. & sesqui

meniem-

menſem. Varietatem hanc undecunq; nata ſit, nulla alia ratione melius emendabimus, quàm ſi relictis quibuſcunq; uerſionibus Hebraicam ueritatem amplectamur.

Deinde cogitandum hic eſt, quanta requiratur patientiæ καὶ μακροθυμίας conſtantia ad hoc, ut oraculorum Dei adimpletionem tandem experiamur. Ab eo tempore quo Lamech nato iam Noe ſpem futuræ quietis ac refocillationis cõceperat, ideoq; & filio iam nato nomen hoc Noah, quod quietem ſignificat, impoſuerat, tranſierunt ad diluuium uſq;, per quod impletum demum eſt quod ſperauerat, anni ſexcenti. Quis autem ſatis expenderit, quàm multis ac uarijs modis ſpes iſta cùm Lamech & reliquorum piorum, tum ipſius quoq; Noe, annis hiſce ſexcentis ſit tentata & adflictata? Spes quæ differtur, inquit ille, adfligit animã. Quare exemplo iſto admonemur, ne ulla quantũuis annoſa cunctatione frangamur, ſpeiq; noſtræ ſoliditatem labefactari ſinamus. Nam etiamſi ſeculis aliquot differatur oraculorum Dei adimpletio, erit tamen aliquando tempus quo tanquam maturitatem ac plenitudinem ſuam conſequuta adimpleantur. *Magna patientia opus eſt ad experiendã oraculorum Dei ueritatem.*

OBSERVATIO III.

Et ingreſſus eſt Noe & filij eius, uxor eius & uxores filiorũ eius cum eo in arcã, propter aquas diluuij. De animantibus quoq; mundis & immũdis, & de uolucribus, & ex omni quod mouetur ſuper terrã, duo & duo ingreſſi ſunt ad Noe in arcã, maſculus & fœmina, ſicut præceperat Deus Noe.] Expendendũ hic eſt quòd ingreſſum huncarcæ nec domeſtici Noe, nec animalia detrectarunt. Noe arcam ut fide fabricauit, ita & fide ingreſſus eſt. An pari fide prædíti fuerint omnes illius domeſtici, nõ immeritò hæſitauerit quiſquã. De beſtijs nemo dubitat, non fuiſſe illas fide præditas. De nullis tamen, ne immundis quidem ac feris legimus, quòd aliqua tergiuerſatione ingreſſum hũc detrectarint. Longè diuerſum legitur in hiſtoria Loth, infrà cap. 19. ubi uxor retroſpexit, ideoq; in ſtatuam ſalis conuerſa eſt, & duo generi Loth ciuitatem iam iam interituram exire recuſarunt. Hic nihil huius legitur. Nemo ex domeſticis Noe, nemo ex animantibus, ubi tempus ingrediendi erat, ingreſſum arcæ recuſauit: ſed ingreſſi ſunt cuncti, ſicuti præceperat Dominus. Si quis tanti conſenſus rationem quæſierit, non poteſt certior aſsignari, quàm quod tota hæc cauſa diuino non ſolum conſilio, ſed & actu ſit perfecta. Qui Noe non modò de fabricanda, ſed & ingredienda arca præceperat, idem ipſe & uires dedit fabricandi: & animos eorum quos ad hoc elegerat, ut in arca ſeruarentur, inſtinctu ſuo ad ingreſſum arcæ mouit ac direxit. Ipſum Noe, & ſi qui pij erant ex domeſticis eius ſpiritu fidei, alios uel metu diluuij, uel animo obſequendi patrifamilias, beſtias uirtute ſua, qua cuncta etiam inanimata moderatur, mouit & impulit. Idem eſt ſpiritus Dei qui operatur omnia in omnibus, & cuncta quamuis diuerſarum naturarum, quò uult, dirigit. *Quod abſq; ulla tergiuerſatione & homines & beſtiæ arcã intrarunt.*

Dicet aliquis: Poterat hoc etiam facere in liberatione Loth. Poterat, ſed nolebat. Satis erat, quòd miſſis angelis liberationis copiam non ſolum ipſi Loth, ſed & domeſticis ac generis differebat. Domus Loth non erat eadem cõditione ſeruanda, qua ſeruatus fuit Noe cum ſuis, & animalibus quoq; adiunctis. Non erat illic neceſsitas ſeruandi ſeminis, unde genus humanum, aut natio piorum reſtauraretur. Domus uerò Noe & animalia illi adiuncta hac neceſsitate ſeruabantur, ut ſeminarium futuri mundi in arca retineretur. *Diſcrimen inter liberationẽ Noe & liberationem Loth.*

Obſeruabis & illud, quòd non dicit, Duo & duo introducti ſunt per Noe in arcam: ſed, Duo & duo ingreſſi ſunt ad Noe in arcam. Diuinitùs agebantur beſtiæ, ut ultrò ad Noe ingrederentur in arcam, atq; ita incredulitatem impij & obſtinati mundi condemnarent. Quare nemo diſputet, quomodo Noe tam uarias, tam multas, tam immites, tam feras & intractabiles beſtias in arcam perinde atq; manſuetas introducere potuerit. Non erat opus humana ui & coactione. Intus erat impulſor ſpiritus, à quo agebantur, ut ad Noe arcam ingrederentur. Annotarunt hic quidam, primæuam humanæ naturæ prærogatiuam, qua beſtijs præfuit Adam, factumq; eſt ut illæ obedirent, in Noe fuiſſe reſtitutam, ideoq; omnis generis animalia ad illum perinde atq; inuitio creationis ad Adamum ultrò ueniſſe. Dubio procul magna eſt ueræ innocentiæ uirtus, quæ in Adamo amiſſa inobedientiam peperit & animalium & hominum. Potuit forſan illa in Noe aliquouſq; reparata ad hanc cauſam aliquid. Verùm tutius eſt, ut quid hic acciderit, diuinæ moderationi tribuamus, unde etiamnum pleraq; animalia hoc uelut à natura habere uidentur, ut uel futuras tempeſtates aliquandiu præſentiant & fugiant, uel imminentis hyemis inclementiam in tempore migrando declinent. *Actus diuinus beſtias introduxit in arcam.*

OBSERVATIO IIII.

Cumq; tranſiſſent ſeptem dies, aquæ diluuij inundauerunt ſuper terram.] Obſeruanda eſt hic ueritas uerbi Dei. prædixerat Noe dicens, Adhuc poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Prædixerat hoc, non ſolum ad id, ut ſe cum ſuis Noe ad ingreſſum arcæ pararet: ſed eam quoq; ob cauſam, ut ubi poſt elapſos ſeptem dies pluuiam iuxta uerbum Dei inſolito more deruere cerneret, in fide eorum quæ agebantur confirmaretur. Sic Chriſtus ſuis pleraq; futura prædixit, ut cum ea fieri cernerent, crederent: quale eſt quod illis Ioan. 13. de Iuda proditore prædixiſſe legitur. Admonemur hac conſideratione, ut obſeruemus ueritatem eorũ, quæ nobis in uerbo Dei antequã fierent prædicta ſunt, indeq; animos noſtros aduerſus quaſuis tentationes confirmemus. Hoc enim conſilio diuina nobis prouidentia pleraq; futura prædicit, ut impletione eorum in fide ædificemur. *Veritas uerbi Dei.*

OBSERVATIO V.

Anno ſexcenteſimo uitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ,

& ca-

Diligentia historica Mosis & Noe obseruãda.

& cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadrag.] Cogitandum hic est, quæ fuerit non solum Mosis, sed & ipsius Noe diligentia, qua & annum, & mensem, & diem, tam accuratè signarunt, quo diluuium cœpit. Noe dubio procul historiam uitæ suæ diligenter annotauit, & memoriæ propter posteros consecrauit, quæ & à filijs & nepotibus ipsius per generationum successiones ad posteros fideli est traditione transmissa. Huiusmodi diligentia eorum est, qui operâ, iudicia, & beneficia Dei magnificiunt, & gloriam ac cognitionem illius in usum posterorum propagare cupiunt. Multa tenet antiquitas quasi tenebris quibusdam sepulta, de quibus uel prorsus nihil, uel incerta & modica quædam ad posteros uenerunt. Et nostro seculo multa geruntur diuinitùs magni admodum momenti, quorum uereor ut aliquid certi ad cognitionem sit succedentium ætatum uenturũ, propter oscitantiam & stupiditatem eorum qui rebus in hoc seculo potiuntur. Quare summopere laudanda est eorum diligentia, qui quæ singulis temporibus geruntur, tenebris obliuionis eripiunt, & memoriæ gratia in lucem commentarijs suis exponunt, etiamsi paucissimi sunt, qui diligentia ac sedulitate illorum bene utantur.

De magnitudine abyssi magnæ.

Deinde obseruandum est, quod dicit, Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ. Primùm uocat mare illud Occidentale, quod Oceanum appellamus, abyssum magnam. quod & Dauid psal. 104. mare magnum uocat. Quanta sit huius magnitudo, uidere licet cùm ex eo quod initio creationis, tum quod in diluuio quoq; totam terram oppleuit. Deinde adscribit illi omnes fontes. Etenim, sicuti Ecclesiastes dicit, in mare omnia flumina influunt, & inde redeunt, ut rursus fluant. Magnus est omnino thesaurus aquarum in ista abysso, si copiam inexhaustam: magna utilitas, si necessitatem eorum quæ in toto terrarum orbe mouentur: magna sapientia, si modũ quo fontium scaturigines meatibus suis molem telluris penetrant, & in superficiem illius emergunt: magnum miraculum, si fluendi perpetuitatem consideres. Abyssus ista magna quid aliud est quàm incomprehensibilis thesaurus aquarum & fons uniuersalis, unde fontes uniuersi scaturiunt? Quare etiam hac ratione cõsiderare licet, quanta sit abyssi huius magnitudo, ut simul diuitias potentiæ Dei consideremus, quoties fontium ubiq; terrarum emergentium ubertatem ac perennitatem cernimus.

De utilitate fontium.

Tertiò, quod præsentem diluuij historiam attinet, dicit omnes magnæ huius abyssi fontes fuisse ruptos. Duobus modis utilitas fontium, quæ est ex quotidiana & irremissa scaturigine, interuertitur. Vnus est, quando fontes obturantur & exiccantur, unde quantum sit calamitatis, 1. Reg. 17. & 18. uidere licet. Alter est, quando fontes abyssi magnæ rupti aquis cuncta replent: id quod hic factũ scribitur. Posteriore hoc modo non solùm utilitas quæ ex aquis est adimitur, sed & omnibus quæ spirant exitium infertur. Sic fumus imbecilles & miseri. Non possumus acquirere necessaria, si diuinitùs propter peccata nostra negentur: rursus non est nostrarum uirium, exitiosam exuberantiam siue ignium, siue aeris, siue aquarum repellere, si diuinitùs immittatur: id quod in isto aquarum diluuio patuit. Quare salus & uita nostra non est in ulla creatura Dei, sed in moderatione diuinæ prouidentiæ, qua cuncta necessaria usibus nostris competenter dispensantur.

Salus nostra non est in creaturis, sed in dispensatione gratiæ Dei.

Quæ sit fontium integritas.

Et obserua uerbum rumpendi. Rupti sunt, inquit, omnes fontes abyssi magnæ. Integritas ergo fontium est non qua claudantur, sed qua moderatè scaturiant. Ruptura est, qua fractis legibus & repaguliis intolerabilis & immoderata uis aquarum telluri suffunditur. Integritas solis est, qua lucem suam quotidie modo & mensura competenti emittit. Diruptio esset, si uniuersum ardorem absq; ulla moderatione simul effunderet. Itaq; sicuti Soli, obturatio, ne quid lucis edat: diruptio, qua simul uniuersus illius ardor effundatur: & integritas, qua competenti & consueto cursu cuncta illuminat & calefacit: ita & fontibus hæc tria possunt accidere, ut uel obturẽtur, & exiccentur: uel rumpantur, & cuncta aquis inuoluant: uel integritatem suam retineant, qua necessitatibus nostris seruiant.

Vnde sit integritas rerũ omniũ.

Quartò, & illud est expendendum, quòd non paucos aliquos, sed simul omnes abyssi magnæ fontes uno die ruptos fuisse dicit. Quod 1656. annis integrum manserat, hoc uno die diruptionem est passum. Sic in fine mundi abyssus illa cœlestium ignium, cuius fontes ad hunc usq; diem integri permanent, statim uno die rumpetur. Considerandum hic est, unde sit integritas rerum omnium, & quamdiu illa duret. Omnia continentur uerbo Dei, ubi uirtus illius aliud statuerit: unico momento rumpuntur, quæ multis seculis rumpi nequiuerant. Sic nos Germanicè dicimus, *Ein stund bringt, das tusent iar nit heiten vermöcht.*

Quo loco uiuamus.

Præterea & illud notandum est, quod dicit, Et fenestræ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Cogita hic quo loco uiuamus. Infra nos terra ei[illegible]perne cœlum imminet. Terra plena meatibus, uenis, & fontibus uiam aperit abyssо magnæ, cuius exundantia cuncta perdantur. Cœlum fenestras habet: quibus apertis, cataractæ aquarum in nos effundantur. Nusquam licet effugere, constitutis in medio inter cœlum & terram. Sic sunt superna & infernæ in hac terrena nostra habitatione comparata, ut quàm utilia sunt, dum beneuolentiæ Dei seruiunt: tam sint exitiosa, si irascente Deo in ultionem impiorum armentur.

Quòd ingressus iste in arcam nõ humano tantum studio, sed diuino sit actu perfectus.

OBSERVATIO VI.

In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem, & Chã, & Iapheth filij eius, & uxor & uxores filiorũ eius cũ eis in arcã. Et ipsi & omne animal secundũ genus suũ, &c.] Suprà obseruatione tertia quædã de ingressu hoc annotauimus in præsenti ad cõfirmationẽ eius quod illic nõ humanis uiribus, sed actu diuino gestũ esse diximus, quod de isto tã bestiarũ quàm hominũ ingressu scribit, quædã notanda ueniũt. Primũ est, quòd tam

tam magna animalium, iumentorum, beſtiarum, reptilium, uolucrum, auium, & pennatorum multitudo uno die arcam eſt ingreſſa, quæ uix magna aliqua anni parte humano ſtudio & labore in locum huiuſmodi clauſum, & uno duntaxat oſtio acceſsibilem, colligi & impelli potuiſſet. Secundũ eſt, quod eo ipſo die cuncta ſunt animalia cum hominibus ingreſſa, quo ſecundum cõſtitutionem Dei diluuium cœpit. Tertium eſt, quod non confuſa quadam multitudine, ſed generatim, hoc eſt, de ſingulis generibus animalium, iumentorum, beſtiarum, reptilium, uolucrum, auium, &c. aliqua introierunt. Quartum eſt, quod non plura quàm fuerat conſtitutum, ſed bina & bina ingreſſa ſunt. Quintum, quod nõ eiuſdem alicuius, ſed utriuſq; ſexus, maſculus uidelicet & fœmina ſecundum præceptum Dei intrarunt. Vbi iſta perpendimus, arbitror manifeſtum relinqui, nihil in hac cauſa dandum eſſe induſtriæ & uiribus Noe, ſed cuncta diuinæ tribuẽda eſſe moderationi. Quare quod hominibus impijs fabuloſum uidetur propterea quòd uires humonas excellit, id pijs & fidelibus argumentũ offert, unde actum & inſtinctum Dei non in hominibus tantum, ſed &, immo amplius aliquanto, in beſtijs iſtis agnoſcant.

De cõiunctione maris et fœminæ

Deinde nec illud tranſeundũ eſt, quod dicit: Bina & bina ex omni carne in qua erat ſpiritus uitæ: Et quæ ingreſſa ſunt maſculus & fœmina ex omni carne introierũt. Quamuis ſuprà de mundis dixerit, Septem & ſeptem: de immũdis uerò, Duo & duo ingredientur: haud tamen colligendum ex eo eſt, coniunctionem parium, maſculi uidelicet & fœmellæ, & numerũ binarium, ad immunda duntaxat pertinere animalia. Nam & ſuprà dixit: De animãtibus quoq; mundis & immũdis &c. duo & duo ingreſsi ſunt. Et hic manifeſtè ueluti inculcat dicens, Bina & bina ex omni carne, in qua erat ſpiritus uitæ. Et quæ ingreſſa ſunt maſculus & fœmina ex omni carne introierunt. Quare planè improba temeritas eſt, qua

32. Quæſt. 2. can. Nuptiæ.

32. quæſt. 2. Can. Nuptiæ, ad hunc modum ſcribitur: Nuptiæ terram implent, uirginitas paradiſum. Sed & hoc intuendum eſt duntaxat iuxta Hebraicam ueritatem, quod ſcriptura in primo, tertio, quarto, quinto & ſexto die expletis operibus ſingulorum dierum dixit, Et uidit Deus quòd bonum eſſet: in ſecundo die hoc omnino ſubtraxit, intelligentiam nobis tribuens, non eſſe bonum duplicem numerũ qui ab unione diuidat, & præfiguret fœdera nuptiarum. Vnde & in arca Noe omnia animalia quæcunq; bina ingrediuntur, immunda ſunt: impar numerus eſt mundus. Hæc ibi. Vide quàm inſigni impudẽtia impuritatis damnetur coniunctio parium, maſculi & fœminæ: deinde quàm manifeſto mẽdacio dicat: Omnia animalia quæcunq; bina ingrediuntur, immunda ſunt, impar numerus eſt mũdus. Primũ enim ſi iuxta quorundam ſententiam ſeptem paria de mundis ingreſſa ſunt, utiq; bina & bina, id eſt maſculus & fœmina ingreſſa ſunt. Quod ſi ſeptem tantum indiuidua de ſingulis mundorum animalium generibus ingreſſa ſunt, cum oues ſeptem (animal utiq; mundum) arcam ingrederentur, utiq; tria paria maſculi & fœminæ, & unum duntaxat impar, ingrediebantur. Illa tria paria, bina & bina ingrediebantur. Ergo erant immunda, & ex ſeptem mundis animalibus ſeptimum duntaxat, propterea quod impar eſſet, pro mundo cenſeri debet? Quid ergo eſt, quod ſcriptura dicit: De animalibus mundis & immundis duo & duo ingredientur? Deinde ſcriptura non imputat immunditiem numero pari, neq; mundiciem numero impari, ſed generibus & naturis animalium. Quod dualem numerum, hoc eſt, coniunctionem maris & fœminæ cõcernit, hunc æquè tribuit mundis atq; immundis animalibus, immo illum deſtinat multiplicationi generum, cuius gratia tam munda quàm immunda in arcam ſunt iuſſu Dei collecta. Quare quod dicit, Impar numerus eſt mundus, innuens parem ac dualem eſſe immundũ, diabolicam ordinis à Deo conſtituti contumeliam habet. Impar numerus eſt in digamia, tetragamia, hexagamia. Ergo munda eſt digamorum, & immunda monogamorum coniunctio. Scortator duabus concubinis coniunctus, impari numero multiplicatur: ergo ſecundũ Canonis huius ſanctimoniã mundus cenſebitur concubinarius dipornus, & immundus fuit Noe cum uxore ſua, qui & ipſe binus eſt arcam ingreſſus. Ex huiuſmodi radicibus ſpurciſsimus ille cœlibatus exortus eſt, cuius immunditiem ne uniuerſa quidem totius orbis flumina expiabunt.

OBSERVATIO VII.

Duplex clauſuræ genus.

Et incluſit eum Dominus deforis.] Nota hoc genus clauſuræ. Includuntur malefici ac ſcelerati homines, ne aufugiant, ſed in diem iudicij plectendi ſeruentur, uel ſaltem ne cuipiam noceant, & pacem publicam turbent. Rurſus clauduntur etiam ea quæ chara ſunt, ne alicunde lædantur. Vtroq; clauſuræ genere utitur Dominus. Claudit angelos peccatores & impios in diem uſq; iudicij, quo condemnentur ac puniantur, 2. Pet. 2. Claudit iuſtos, dum eos aduerſus quæuis mala cuſtodia ſua munit. Sic Noe cum ſuis clauſit in arca, perinde atq; ſemen in apotheca ad ſationis uſq; diem reconditum, ne ui diluuij perderetur. Vtraq; clauſura pertinet ad munus magiſtratuum, quorum eſt ſceleratos ac maleficos carceribus includere, ac pro meritis punire, ſubditos uerò cuſtodia diurna ac nocturna aduerſus quamuis uiolentiam communire. Inepti homines ſunt, qui putant non conuenire fidelibus ut ciuitates ſuas muris cingant, propugnaculis inſtruant, ſeris, repagulis ac uectibus portas communiant, ne qua uis hoſtium irrumpat, ac ſedes ipſorum uaſtet. Niſi Dominus, inquiunt, cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilant qui cuſtodiunt eam. Verum eſt. Dominus eſt qui confortat ſeras portarum. Quas autem confortabit, ubi nullæ habentur? Niſi Dominus cuſtodiſſet eos qui erãt in arca, nihil effeciſſet clauſura. Poterat autem etiã ſine clauſura. Verùm uſus eſt medio hoc, ne doceret nos externã cuſtodiam temerè contemnere, ac Dominum Deum noſtrum tentare.

Quæ nos nõ poſſumus, adimplet Dominus.

Deinde & illud obſerua. Non ſimpliciter dicit, Et clauſit eum Dominus: ſed, ut in Hebræo eſt ויסגר יהוה בעדו, id eſt, Et clauſit Dominus pro eo. Ne ſic quidẽ dicit, Et clauſit Dominus pro eis, ſed pro eo.

Ipse erat paterfamiliàs, ad cuius munus pertinebat, curã gerere eorũ, qui ipsi erant cõcrediti, nõ solum uxoris & liberorũ, sed & animaliũ quæ iussu Dei in arcã erant ad ipsum ingressa, quibus etiã de necessario uictu prouiderat. Quæ potuit præstiterat, arcam uerò claudere extrinsecus ac sufficienter aduersus uim aquarũ munire nõ poterat. Quare pro eo clausit Deminus deforis. Admonentur pulcherrimo hoc exẽplo, quotquot sunt in magistratu & patres etiã familiàs, ne in cura sibi cõmissa desp̃deant animũ, si pro uiribus diuinis præceptis obediẽtes aliqua in re necessaria defecerint, sed bona fiducia implorent eius manũ qui arcã pro Noe clausit, & uelut obsignauit, nihil dubitantes non defuturũ eum obedientiæ ipsorum, sed pro ipsis impleturum ea quæ uel hoc nomine manum eius requirunt, quod humana diligentia perfici nequeunt.

Nõ permisit Noe aperiendi facultatem.

Tertiò nec hoc transeundũ est, quod nõ simpliciter dicit, Et clausit Dñs pro eo: sed addit בחוץ, id est deforis, extrinsecus. Nolebat uidelicet custodiã hanc & aperiẽdi facultatẽ in eorũ esse potestate qui erãt in arca, sed hanc sibi retinebat. Ad ipsos pertinebat in arca se cum fide, spe, & silentio tantisper continere, dum à Deo emitterent. Docemur hoc exemplo, quõ nos sub clausura diuinæ custodiæ gerere debeamus. Qui custodiæ gratia clauditur, nõ sic includitur, ut suopte arbitrio quandocunq; lubet egrediatur, sed clausura in manu est eius à quo includit, ut nõ egrediat, nisi emittatur. Claudunt oues, nec quando uolunt ipsæ, sed quando emittit pastor egrediunt. Claudũtur portæ ciuitatũ, gratia uidelicet custodiendorum subditorũ. Aperiendi potestas non est in manu subditorum, sed eorum quibus illa concreditur. Hoc genus clausuræ cautionem habet necessariam inclusis. Quare cogitandum nobis est, non posse saluti nostræ melius consuli, quàm si non modò clausura qua diuinitus custodimur, sed & apertura & egressio diuinæ prouidentiæ permittat. Fidelis est Deus claudendo & custodiendo suos, fidelis etiam est clausos in tempore & utiliter emittendo.

Factumq; est diluuiũ quadraginta diebus super terrã, & multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcã in sublime à terra. Vehementer enim inundauerunt, & omnia repleuerũt in superficie terræ. Porrò arca ferebatur super aquas, & aquæ prꝛualuerũt nimis super terrã, opertiq; sunt omnes mõtes excelsi sub uniuerso cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua supra montes quos operuerat. Cõsumptaq; est omnis caro quæ mouebatur super terrã, uolucrũ, animantiũ, bestiarũ, omniumq; reptiliũ, quæ reptant super terrã uniuersi homines, & cuncta in quibus spiraculum uitæ est in terra, mortua sunt. Et deleuit Deus omnẽ substantiã quæ erat super terram ab homine usq; ad pecus, tam reptile quàm uolucres cœli, & deletæ sunt de terra. Remansit aũt solus Noe, & qui cum eo erant in arca. Obtinuerunt q; aquæ terram centum quinquaginta diebus.

LECTIO.

Factumq; est diluuiũ quadraginta diebus.] Græc. addit, Et quadraginta noctib. quod in Heb. nõ habet.

Super montes quos operuerat.] Græc. legit ϖαίντα τὰ ὄρη τὰ ὑψηλὰ, id est, cunctos montes excelsos.

Et cuncta in quibus spiraculum uitæ est in terra.] Hebraicæ scripturæ emphasim nec Græcus, nec latinus interpres expressit. In Hebræo siquidẽ ad hunc modũ legit: כל אשר נשמת רוח חיים באפיו מכל אשר בחרבה, id est, omnia in quibus erat flatus spiritus uitæ in naribus ipsorũ, de omnibus quæ in arido: hoc est, quicquid spiritũ naribus trahit, & in arido uiuit. Græcus sic uertit: Et quicquid flatũ uitæ habet, & quisquis erat in arido. Illud באפיו, id est, in naribus ipsorum, perinde ac si superfluum esset, omisit.

EXPLANATIO.

Contextus trimẽbris.

Quoniã in præcedentibus dixerat, anno sexcentesimo uitæ Noe, mense secundo, decimoseptimo die mensis cœpisse diluuiũ, factamq; esse pluuiã diebus quadraginta: iam consequẽter ad finem usq; capitis huius exponit: primùm, quid factũ sit, cũ pluisset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: deinde quid aquarũ sit multiplicatione perfectũ: tertiò, quãdiu moles illa undarũ terrã uniuersam occuparit.

Effectus diluuij duplex.

Ad primũ pertinet quod dicit: *Factumq; est diluuiũ super terrã 40. diebus, & multiplicatæ sunt aquæ.* Nondum dicit, quãta fuerit aquarum multitudo: dicturus aũt est, ubi effectũ illius exponet. In præsenti satis erat cõmemorasse, pluuiã illã 40. dierũ ac noctiũ, eruptionemq; fontiũ abyssi magnæ, in magnã excreuisse aquarũ molẽ & exuberantiã. Id erat mediũ illud, quo utebatur Deus ad exequutionẽ iudicij sui, cuius gratia & fontes abyssi magnæ ruperat, & fenestras cœli aperuerat.

Ad secundũ pertinet quod subiũgit, *Et eleuauerũt arcã in sublime à terra.* Effectus diluuij huius duplex erat. Primùm enim eleuabat & illæsam in superficie sua ferebat arcã, in qua asseruabatur tam ex bestijs quàm hominib. futuri mundi seminariũ. Huius mẽtionẽ facit cũ dicit: Et eleuauerũt arcã in sublime. Et quoniã nõ simpliciter dixit, Et eleuauerũt arcam: sed, Et eleuauerũt arcam in sublime: adijcit huius διολογίαν, dicens: *Vehementer enim inundauerunt, & omnia repleuerunt in superficie terræ.* In superficie uerò terræ erãt non solum planicies, sed & montes, quare necesse erat aquas eousq; excreuisse, ut & montes excellerent. Alioqui non replessent omnia in superficie terræ: *Porrò arca ferebatur super aquas, & aquæ prꝛualuerũt*

præualuerũt nimis super terram, operti; q; sunt omnes mõtes excelsi sub uniuerso cœlo. Sic uidelicet omnia repleuerant aquæ in superficie terræ, id; q; non in una dũtaxat regione, sed orbe uniuerso. ideo dicit, Sub uniuerso cœlo. Et quia dixerat, Porrò arca ferebatur super aquas, quoniam necesse erat usqueadeò extare aquas supra montiũ cacumina, ut nihil impedimenti accideret arcæ, adijcit: *Quindecim cubitis altior erat aqua super montes quos operuerat.* Ergo etiãsi fundus arcæ quatuordecim cubitis fuisset aquis immersus, nihiltamẽ à montiũ uerticibus tulisset incõmodi. Quare non simpliciter de quibusdam tantum montibus, sed de uniuersis qui sub cœlo erant dicit, quòd aquis fuerint operti.

Deinde & hic erat diluuij effectus, quod uniuersam carnẽ de superficie terræ deleuit. Huc facit quod dicit, *Consumpta; q; est omnis caro, quæ mouebatur super terrã.* In genere primũ secundariũ hunc diluuij effectum exprimit, qui alteram iudicij Dei partem concernit. Per omnem carnẽ siquidẽ intelligit omnia spirantia & uiua tam ex hominibus quàm ex bestijs. Quare non simpliciter dicit, Consumpta est omnis caro: sed addit, Quæ mouebatur super terrã. Deinde generi subijcit specificationem, dicens: *Volucrũ, animantium, bestiarũ, omniumq; reptiliũ quæ reptant super terrã, uniuersi homines, & cuncta, in quibus spiraculum uitæ est in terra, mortua sunt.* Sic explicat, quid uocarit omnẽ carnẽ, quæ consumpta sit: uel, ut in Hebræo est, expirarit. Hac specificatione per omnia adimpletum esse significat, quod ad Noe prædixerat Dominus dicens: Ecce ego adducam aquas diluuij super terrã, ut interficiam omnẽ carnẽ in qua spiritus uitæ est subter cœlum, & uniuersa quæ in terra sunt consumentur. Item: Adhuc post septem dies ego pluam super terram quadraginta dieb. & quadraginta noctib. & delebo omnẽ substantiam quam feci de superficie terræ. Quò pertinet & illud quod subiungit, Et *deleuit Deus omnẽ substantiã quæ erat super terrã ab homine usq; ad pecus, tam reptile quàm uolucres cœli, et deletæ sunt de terra.* Inculcat Moses nihil seruatum esse in uniuersa terra ex omnibus spiraculũ uitæ habentibus, nihil de hominibus, nihil de iumẽtis, nihil de feris, nihil de reptilibus, nihil de uolucribus: sed omnia, in quibus spiritus uitæ per nares traitur, cuncta in arido, non in aquis uiuentia, ad expirationem redacta esse & mortua.

Remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in arca.] Hoc pertinet ad priorem diluuij effectũ quo arca in sublime est undis inualescentibus eleuata: & per exceptionem hic generali omniũ uiuentiũ perditioni subijcitur. Nam & Noe cum suis, et bestiæ quas secũ habebat in arca, de hominib. iumentis, bestijs, reptilibus, uolucribus, spiraculũ uitæ in naribus habentib. & in arido uiuentibus erant, & tamẽ in aquis non expirarunt, sed exempti sunt à cõmuni omniũ exitio. quare de illis dixit: Remansit autẽ solus Noe, & qui cum eo erant in arca. Ad tertium pertinet quod dicit, *Obtinuerunt q; aquæ terrã centũ quinquaginta diebus.* In Hebræo est גאברו, id est, Et inualuerunt aquæ. Sic cõmemorat, quãdiu moles illa aquarum, omniũ uiuẽtiũ in arido suffocatrix cunctã uniuersæ terræ superficiẽ inuaserit & occupauerit, cunctos; q; omnium montiũ uertices excelluerit, centum uidelicet & quinquaginta dies. Tantũ tẽporis spacium abundè sufficiebat ad delendum omnia spirantia, quocunq; terratũ loco sita. Annotarunt quidam centũ istos & quinquaginta dies referendos esse nõ ad principium diluuij, decimumseptimum uidelicet diẽ, secundi mensis, quo pluuia cœpit, sed ad finem quadraginta dierum, quibus pluuia continua cœlitus demissa est. sed falsi sunt.

QVAESTIO I.

Operti sunt omnes mõtes excelsi sub uniuerso cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super mõtes quos operuerat.] Quærũt hoc loco, quid sentiendũ sit de Olympo monte in Thessalia sito, cuius uertex usq; adeò attolli scribitur, ut ipsas nubes transcendat, solemq; sic clarum habeat, ut nullis unquam nubibus adumbretur, ideoq; & Olympus, id est, ὅλος λαμπρὸς totus splendidus, dictus sit, & ab accolis cœlum uocetur. An & hunc montẽ aqua diluuij quindecim cubitis transcenderit, sic quærunt, quasi quæ hic Moses scribit, uel impossibilia sint, si de omnibus in uniuersum montibus, qui sub cœlo sunt, dicantur: uel non ad omnes montes sint referenda. *Quæstio de mõte Olympo.*

Homines uani & irreligiosi nec potentiã nec consiliũ Dei considerãt. Qui potentia sua tãtas toto terrarum orbe moles è terra & saxis compactas ad ipsum prope cœlum usq; attollere potuit, id quod oculis nostris palàm cernimus, nec aliò quàm ad diuinam potentiam conditoris omniũ referre possumus: quomodo aquas illas, quæ initio creationis omnia repleuerant, sic reducere & attollere nequiuisset, ut non simpliciter planicies terræ, sed & montes uniuersos excellerent? Ipse Olympus, de quo quæstionis huius sumit occasio, si fidelibus ac religiosis oculis consideretur, tam abest ut quæstionẽ hic gignat, ut si qua de ipso mouetur, facillimè soluat. Quare non est necesse, ut inæqualitatem hanc terræ montium q; sublimitatẽ, quæ nunc est, ante diluuium haud extitisse dicamus, quod aliqui adferunt, quo ad præsentẽ quæstionem respondeant. *Potentia Dei.*

Deinde, si consilium Dei attenditur, quo cunctam quæ sub cœlo erat carnem non hominum modò, sed & bestiarũ & uolucrũ in uniuersum, solo Noe cum suis exempto, delere uoluit, non conuenit ut sentiamus aliquos montes uerticibus suis undarum superficiẽ excelluisse. Primùm enim potuissent in illis uerticibus seruari & homines, & bestiæ & uolucres, ne diluuio inuoluerentur, atq; ita non fuisset omnis caro aquis diluuij delera. Deinde, quid necesse erat tanto labore fabricare arcam, in qua reliquiæ ex hominibus, bestijs, & uolucribus seruarentur, cum sine negocio in montis alicuius uertice tantisper manere possent, dum aquæ diluuij decrescerent, si ulli montiũ uertices illæsi, & à diluuio intacti mansissent? Dum ista consideramus, satis opinor manifestũ fit, quæstionem hanc non ex qualitate eorum quæ Moses scribit, sed ex inconsiderantia potius cùm potentiæ tum consilij Dei esse productam. *Consilium Dei.*

QVAESTIO II.

An quà diluuio perierũt, in futuro quoq; sint puniendi.

Consumpta est omnis caro, &c. Vniuersi homines & cuncta in quibus est spiraculũ uitæ in terra, mortua sunt.] Mouetur hic quæstio de illis hominibus, qui diluuio perierunt, an in futuro quoq; sint puniendi, & pœnas sempiternas cum incredulis & impœnitentibus daturi. Sic quærunt etiam de Sedomitis, cœlesti incendio absumptis, & de Aegyptijs in mari rubro submersis, deq; Israelitis in deserto prostratis, ac reliquis omnibus, quos plaga Dei in hac uita corripit, & è medio aufert.

Sententia Hier.

Ad hanc quæstionem respondent aliqui, non fore eos, qui in hac uita iudicio Dei percutiuntur ac puniunt, amplius in futuro puniendos: sed quoniã hic temporaliter puniti, pœnas peccatorũ suorum dederunt, unà cum fidelibus saluandos. Citant dictum Prophetæ Nahum, cap. 1. nempe, quòd non sit Dominus bis uindicaturus in idipsum. Et in hac sententia Hieronymus fuisse deprehenditur, cuius hæc sunt uerba, super dictum hoc prophetæ, Quid ergo, ait, contra Dominũ cogitatis? Ipse qui creauit mundũ, & consummationẽ eius faciet. Quod si uobis uidetur crudelis, rigidus & cruentus, quod in diluuio genus deleuit humanũ, super Sodomã & Gomorrhã ignem et sulphurẽ pluit, Aegyptios submersit fluctibus, Israelitarum cadauera prostrauit in eremo, scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Item: Quod si uerum est, ut negare non poterunt, dicente prophetæ, Non uindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione: ergo qui puniti sunt, postea non punientur. Si aũt illi punientur, scriptura mentitur. Quod dicere nefas est. Receperunt ergo & qui in diluuio perierant, & Sedomitæ, & Aegyptij, & Israelitæ in solitudine, mala sua in uita sua. Hæc ille.

Gratia electiõis.

Hanc sententiã arbitror non sic esse certam & firmã, ut sine periculo acceptari possit. Neq; enim cõuenit gratiæ electionis, sine qua nemo saluat, nisi dicturi simus uniuersos mortales qui diluuio, & postea in Sodoma & Gomorrha, item in mari rubro, deniq; in deserto perierunt, & tanquam impij diuinitus sunt percussi, fuisse ad uitam electos. Neq; contra iustitiam Dei facit sententia diuersa, qua credimus impios & impœnitentes etiãsi in hoc seculo singulari plaga percutiuntur, in futuro tamen in sempiternũ esse puniendos: nec locus prophetæ talis est, qui hoc neget. Nõ enim de futuro supplicio loquitur propheta, cum dicit, Non uindicabit Dominus bis in idipsum: uel ut in Hebræo est, Non consurget bis angustia: sed de ultionis grauitate, qua erat Assyrium Deus sic percussurus & humiliaturus, ut non esset necesse plagam secundam qua humiliaretur ob id adijcere, quod prior non sufficeret. Sic enim loquitur propheta: Consummationẽ ipse faciet. Non consurget bis angustia. Q.d. Semel conteram inimicum: secundò non erit opus. Hoc est, prorsus cum delebo. Sic posset & de diluuio dici: Consummationẽ fecit Deus. Non consurrexit bis angustia. Etenim sic omnem carnem deleuit in uniuersum, ut non esset opus plaga secũda. Qui electi sunt ad uitam & fideles, quoniam & ipsi peccant, puniuntur in hac uita, ne cum mundo incredulo pereant in futuro. qua de re loquitur Apostolus 1. Cor. 11. De Sedomitis & Gomorrheis Christus Mat. 10. & 11. non dicit, quòd in futuro iudicio nihil sunt pœnarũ passuri: sed, Tolerabilius, inquit, ac remissius habebũt, non simpliciter, sed quàm Capernaitæ, & illi qui Euãgelij gratiam magnis cum portentis ac signis oblatam increduli respuerunt. Præterea sententiæ Hieronymi & illud repugnat, quod 1. Pet. 3. legimus ad hunc modum: Quãdoquidem & Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, uiuificatus uerò spiritu, in quo etiam abijt, & spiritibus qui erant in carcere prædicaret, qui inobedientes fuerant quondã, cum semel expectabatur Dei lenitas in diebus Noe, cum apparabatur arca, in qua paucæ, id est, octo animæ seruatæ fuerũt per aquã. Hæc ibi. Quamuis obscurus sit hic locus, illud tamẽ significatur, salutẽ illis qui diluuio perierunt non constitisse per hoc, quòd pro peccatis suis catholico illo exitio sunt temporaliter puniti. Alioqui quid necesse fuisset illis prædicari gratiam redemptionis quæ est per Christum? Intolerabilis error est, si dicamus peccatores æternam per hoc euadere condemnationẽ, & salutem acquirere, quòd propter scelera sua plagis in hac uita diuinitus percutiuntur, cum salus mortaliũ solo consteterit sanguine Christi, pro peccatorum remissione in cruce effuso. Quapropter iudico sententiã Hieronymi tẽquam periculosam esse fugiendã. Interea nõ dico, neminem esse ex omni illorum numero, qui aquis diluuij perierunt, æternæ cõdemnationi exemptum: absit: sed si qui exempti sunt, per gratiam electionis & redemptionẽ quæ per Christũ est liberati sunt, nõ per pœnas de peccatis ipsorũ tẽporaliter sumptas.

OBSERVATIO I.

Multum refert, quõ dispẽsentur à Deo quibus carere non possumus.

Factumq; est diluuiũ quadraginta diebus super terrã, & multiplicatæ sunt aquæ.] Consideremus hoc loco, quantũ referat, quõ diuinitùs dispensentur ea, quibus carere nõ possumus, & quorũ magna est utilitas, si cõmodè & cum gratia exhibeantur. Quadraginta dierum pluuia priorẽ mundũ perdidit. Magna piuiæ utilitas, magnũ emolumentum, magna necessitas. Quadragenaria pluuia tam abest, si discreta sit et competentibus interstitijs diuisa, ut noceat, ut plurimũ etiam prosit, nec aquas multiplicet, sed fruges. Verùm si sit continua & immodica, noxiã gignit aquarũ multiplicationẽ, sicuti paret præsenti hoc exemplo. Quare agnoscenda est singularis gratia Dei, quando pluuias suis temporibus & modis sic dispẽsatur, ut tellus non inuoluatur aquarũ inundatione, sed placidè irrigetur, nõ aquæ, sed gramina, herbæ, segetes fruges q; multiplicentur: ubi uerò diuersum usuuenit, cogitandum est demitti pluuiam non gratiæ ac beneficentiæ, sed iræ & ultionis diuinæ. Et quod occasione præsentis annotamus historiæ, etiam de reliquis est elementis cogitandũ, sine quibus uiuere non possumus. Ipse aer, quem spiramus per gratiam Dei uitalis, per iram dispensatus exitialis redditur. Quapropter curandũ est, ut in omnibus à gratia d. prouidentiæ pendeamus, illamq; bona fide & conscientia expetamus, colamus, & grato animo bene

collocẽ

collocemus. Etenim uni illi debet omnis nostra & uita & salus siue præsentia siue futura respicias. Quē admodum enim si quæ necessaria nobis sunt, per iram Dei dispensentur, in exitium uergunt omnia: ita si gratia illius rerum fuerit dispensatrix, cuncta redduntur commoda & utilia.

OBSERVATIO II.

Et eleuauerunt arcam in sublime à terra.] Obserua hic, quod nō dicit, Et eleuata est arca: sed, Et eleuauerūt arcā, aquæ uidelicet, iam multiplicatæ. Ergo illæ ipsæ aquæ quæ multitudine sua impios suffocabāt, arcam, in qua Noe cum suis erat, in sublime extulerūt, & periculo exportarūt. Nō debemus hic aquarū inspicere naturā, per quā fit, ut quod leue est, ad fundū illarum demergere nequeat, sed de operatione iu sti iudicij Dei cogitare. Nam aquæ illæ non erant ad hoc missæ cœlitus, ut iustum cum suis diluuio perderent, sed ut impium mundum de superficie terræ delerent. Quare quamuis magna esset arcæ moles, sic tamen diuinitus dispensatū est hoc diluuiū, ut aquæ multitudine sua & ad leuandū arcam, & ad impiorum extinctionē sufficerent. Et hæc mihi uidetur esse ratio quare Moses de arca cōmemorare uoluerit, quō ueluti humeris aquarū eleuata ac discrimini sit exēpta, ne iustus cum iniustis cōmuni exitio involueret. Sic creatura iusto seruato discrimine creatori suo seruit, ut uoluntatis illius limites haudquaquam transgrediatur. Aliquādo cōmuniter tam malis quàm bonis cōmodè seruit, quādo uidelicet communis prouidentiæ ac bonitatis Dei ministra est. Vtpote, quando Sol producitur, ac pluuia inscrimina tim super bonos & malos, gratos & ingratos demittitur, Mat. 5. Aliquando sic dirigitur, ut pios seruet illæsos, id quod in hoc est diluuio factum. Et ne quisquam in huiusmodi iudicijs Dei & piorū liberatione naturæ creaturarū tribuat, quod diuinæ est prouidētiæ: fit aliquando, ut contra naturam suam creaturæ Dei pios seruent illæsos, ac reipsa palàm declarent, non esse se temeritatis, libidinis, & crudelitatis humanæ, sed iusticiæ Dei ministras. Sic tres pueri in camino ignis septies ultra consuetum accenso in medijs flāmis agentes illæsi permanserunt: immo non solum illæsi permanserunt, sed qui ligati in ignē fuerant iniecti, soluti in camino circuierūt. quasi tyranno diceret ignis: Non seruio crudelitati tuæ. Dei, non tuus, sum minister. Quos tu mihi ligatos iniecisti, hos ego reddo solutos: quos cremari à me uolui sti, hos seruo incolumes: ut uideas me non tuæ, sed diuinæ seruiræ uoluntati. Aliquando creatura nō solum seruat illæsos pios: sed hoc sic facit ut simul perdat impios, luculento discrimine ostendens iusto iudicio Dei seruari pios, et perdi impios. Hoc pacto flamma ignis eaipsa quæ incolumes seruabat pios, consumpsit regiæ crudelitatis ministros. Sic leones qui Danieli in medio ipsorum constituto nihil nocumenti intulerāt, accusatores illius impios & iniquos confestim discerpserunt & cōminuerunt. Sic aquæ istæ illæsum Noe seruantes, uniuersam impij mundi carnem de superficie terræ deleuerunt. Sic unda maris rubri cessit Israeli per aluum ipsius transeunti: Pharaonē uerò cum omni excercitu suo fluctibus involuit ac perdidit. Nec illud transeundū est, quòd priore loco Moses de salute iusti Noe, quàm de interitu impiorū, narrat. Admonemur, sic Deo curæ esse iustos, ut nunquam perdat impios, quin priore loco rationē habeat piorū, quo seruentur. Sic in historia Sedomitarū quoq; uidere licet, quomodo primùm de seruando Loth insteterit angelus, ntequā ultio cœlestis in impios ac scelestos demitteret. Quare pijs omnibus hoc certò persuasum esto, fieri non posse, ut nō priore loco rationē salutis eorū habeat Deus, qui se diligunt & obseruant, priusquam in impios animaduertat. In extremo quoq; iudicio, antequam mundus incendio & impij perpetuæ condēnationi tradantur, congregabuntur primùm electi per angelos ad Christū, & cum gaudio excipientur, ac tum demū in impios pronunciabitur. Prima ratio est ad seruandū pios, posterior ad perdendum impios.

Creaturæ seruiunt uolūtati creatoris.

Prior cura Dei est ad seruandū iustos, posterior ad perdendū impios.

OBSERVATIO III.

Vehementer enim inundauerunt, & omnia repleuerunt in superficie terræ. Porrò arca ferebatur super aquas, & aquæ prævaluerūt nimis super terrā, operticq; sunt omnes montes excelsi sub uniuerso cœlo.] Obseruandū hic est, quæ fuerit diligentia Mosis in eo quod istam aquarū excrescentiā tam multis uerbis inculcat, ne uidelicet audiamus eos, qui physicis rationibus magis quàm potentiæ creatoris intenti, impossibile esse dicūt ut terra uniuersa simul aquis operiat. Sic enim natura cōparatū esse sentiūt, ut si qua terræ portio aquis maris occupat, alio in loco terra aquis antea cooperta, arida reddat. Quicquid ea in re ueri sit, nemo pius inde argumentū sumere debet, quo de ueritate Mosaicæ scripturæ dubitet. Neq; enim naturalis quædā ab illo texit historia, quæ cōmuni naturæ cursu perficiatur, sed iudiciū Dei pœnas de impio mundo sumētis describit. Quocirca nō est putandū ociosum esse quòd tot uerbis à Mose inculcat, usque adeò inualuisse diluuiū, ut totā ubiq; terrā, etiā omnes sub cœlo mōtes, quantūuis excelsos, occuparit & operuerit. Sic uoluit spiritussanctus fidei nostræ consulere, ne de potentia Dei, in hoc diluuio mirabiliter declarata, dubitemus.

Diligentia Mosis non ociosa.

Deinde notandū & hoc est, ante diluuiū fuisse terrā perinde collib. ac mōtibus refertā, atq; nūc est. Alioqui nō rectè scriberet Moses, omnes mōtes excelsos qui sub uniuerso cœlo sunt, aquis diluuij fuisse opertos, si nulli ante diluuiū extitissent mōtes. Quare sentiendū est terram sic esse à Deo initio creatā & dispositā, ut & planicies, & montes & ualles haberet, qualē post diluuiū esse uidemus, errareq; eos qui ualles per uim diluuij factas, & montes exinde eminere cœpisse putant.

Montes, colles et ualles extitisse, ante diluuium.

Tertiò. Considerandū est, quòd excelsos montes aquis opertos fuisse scribit. Vbi aquæ exundant, & telluris superficiē opplere incipiūt, salus in montib. arduis ac sublimibus esse putatur. Verùm declaratū est hoc exemplo, ubi ira Dei ingruit, nihil esse adeò excelsum, in quo seruari queant, quibus ultio diuina immittitur. Quod in mōtibus istis uidere licuit, cogitandū etiā est de turrib. altis, urbibus munitis, prin-

Ira scente Deo nihil adeò est excelsum in quo seruare queamus.

cipibus huius mundi robore, sapientia & quæcũq; eminẽtia carnis magnis & potentibus. Quapropter cauendũ est, ne refugiũ in illa huiusmodi eminẽtia, sed in solo Deo quæramus. Magni mõres erãt regna Assyriorũ, Babyloniorũ, Persarũ, Græcorũ, Romanorũ. Verùm aduersus iræ Dei diluuiũ ciues suos ser-

Regna mundi.

uare nequiuerunt. Et hodie uidemus magnos sublimesq; exurgere montes, quorũ se robore & altitudine impij homines tutos fore putant. Ingruet breui diluuiũ d. ultionis, quo non solũ ualles & campi, sed ipsi quoq; excelsi montes operientur: quando gladius humanæ maliciæ uindex pertransibit orbem cuncta demetens, & excelsa quoq; prosternens. Vide Lactant. D. institutionum lib. 7. cap. 15.

OBSERVATIO IIII.

Prudẽtia Dei in hoc diluuio declarata.

Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.] Vide hoc loco qua diuinæ prouidentiæ diligentia & cautione institutũ ac dispositũ fuerit hoc diluuiũ. Omnino delenda erat uniuersa caro, omnium eorũ quæ uiuebãt, spirabant, & mouebantur in arido. Quare ipsi quoq; montiũ uertices aquis erant operiendi, ne quid ex omnibus quæ in arido mouebãtur, in alicuius uertice montis seruari & commune exitium euadere posset. Ad id instituti opus erat certa quadã excrescentiæ mensura, qua montiũ cacumina sic operirentur, ut nec impijs esset aliquod in illis effugiũ, nec arcæ, in qua Noe erat, obstaculum & offensaculũ. Altitudo quindecim cubitorũ aũt sic erat comparata, ut nec Gigantũ proceritate superari, etiã si in ipsis montiũ uerticibus erecti starent, nec cursum arcæ, quæ in superficie aquarũ ferebatur, impedire remorariq; posset. qd̃ fieri poterat, si nõ tanta excrescẽtia ab undis fuissent montiũ excelsorũ uertices operti. Nec obstat huic cõsiderationi, quod Plinius cadauer hominis 46. cubitorũ in Creta insula repertũ esse scribit. Nã ille de cubitis hominũ suorũ temporũ scribit, Moses uerò de cubitis eorum, qui ante diluuiũ uixerũt. Admonemur hac cõsideratione, quõ diuina prouidẽtia omnia certis mẽsuris ac moderationib. sic dispenset, ut quod ad exitiũ impiorũ destinatur, cõpetenter & impios perdat, & nihil nocumenti pijs inferat.

OBSERVATIO V.

Consumptaq; est omnis caro quæ mouebatur super terrã, uolucrũ, animantiũ, bestiarũ, omniumq; reptiliũ quæ reptant super terrã, uniuersi homines, & cuncta in quibus spiraculũ uitæ est, in terra mortua sunt. Et delenit Deus omnem substantiã, &c.] Obseruandũ hic est, quõ de uita & morte omniũ eorũ quæ super terrã uiuunt loquatur. Principiò, omnia uiuentia communi uocabulo uocat carnẽ. Quid aũt carne imbecillius ac fragilius? Caro quid est, quàm terra, immo puluis transformatus? Ergo hac uoce de cõmuni tam ortus nostri humilitate, quàm substantiæ fragilitate admonemur.

Omnia uiuentia caro uocantur.

De motu eorum quæ uiuũt super terram.

Deinde, dat omnib. motũ super terrã. Quæ mouebatur, inquit, super terra. Varijs quidẽ modis mouentur quæ super terram uiuunt: at ratio mouẽdi omnib. eadẽ est. Quicquid in hac carne uiuit, inquietum est, hoc est, quiescere nescit, quocunq; loco & modo consistat. Et ista motuũ inquietudo sic est uniq; uiuenti agnata, ut argumentũ uitæ ex motu sumatur. Quid igitur aliud est uita nostra super terrã, q̃ uaga quædã & inquieta instabilitas, qua nunc uanè, nũc necessariò, nũc molestè, & cum labore mouemur ac ueluti rotamur? Quare meritò irrisus est à Diogene Zenon, cum nullũ esse motũ probare niteretur. Surgens enim Diogenes, cũ ille acutissimè disputaret, cœpit inãbulare, atq; ita rationes illius cõfutabat.

Vita nostra flatus est.

Tertiò, uitã nostrã tribuit flatui. Et cuncta, inquit, in quibus spiraculũ uitæ est in terra. Non loquitur de spiritu S. omniũ eorum quæ sunt uiuificatore, sed de flatu illo carnis nostræ, cuius respiratione uiuimus. Hunc uocat spiritũ uitæ, utiq; nostræ. Ergo uentus est uita nostra, immo ne uentus quidẽ, sed modica uenti portio: eaq; tam imbecillis, ut uix excitando sufficiat igniculo, quæ tamen & ipsa q̃uis minuta & imbecillis haudquaq̃ in nostra est potestate. Quis enim mortaliũ hac est flandi ac reflandi potestate præditus, ut uel uitam suam sine usu spirandi ad unius horæ spaciũ retineat, uel tantũ flatus hauriat, quantũ uult: aut semel haustũ pro suo arbitrio contineat, ne reddere & denuò aerẽ sine intermissione ue dormiat, siue uigilet, attrahere spirareq; cogatur? Et organa illa spirãdi q̃ sunt imbecillia quamq; angustis meatibus flatũ accipiũt ac reddũt? Denicq; quis nam adeò potens est in terra, ut aerẽ hũc unde cõmuniter spiramus mutare queat, ne eodẽ cum bestijs siue sit purus, siue turbulentus, siue noxius siue innoxius necessariò uti cogatur?

Quartò, & illud considerandũ est, q̃d ubi nos legimus, Cõsumpta est omnis caro, in Hebræo habetur ויגוע כל בשר id est, Et expirauit omnis caro. Deinde, Et cuncta, inquit, in quibus spiraculũ uitæ est in terra, mortua sunt. Ergo idem est expirare quod mori, quẽadmodũ idem est spirare ac moueri q̃d uiuere. Quanti aũt momẽti quæso, res est, quãtamq; morã requirit ista expiratio? Etiãsi mille uixeris annos, subito ac momẽtaneo efflatu uitã reddere & mortẽ accipere cogeris, ubi semel expiraueris, etiãsi omnes uenti undequaq; spirantes, corpus iam exanime ac spiritu uitæ destitutũ adflent, uitam tamẽ illi conferre nõ poterunt. Vsq; adeò uidelicet & fragilis est uita carnis nostræ, & nihil minus q̃ in nostra potestate.

Idem est expirare quod mori.

De eo quod dicit, Et delenit Deus omnem substantiam, quæ erat super terram, annotatũ est suprà.

OBSERVATIO VI.

Remansit aũt solus Noe, & qui cum eo erant in arca.] Duo sunt hic notanda. Vnũ est, quod uniuerso genere mortaliũ, propter incorrigibilẽ maliciã deleto unus Noe cum suis, nõ quia homo, quod erant et alij, sed quia iustus, pius, ac timens Dei, q̃d nõ erant alij, seruatus scribit. Ergo usqueadeò uanũ nõ est, obseruare, colere, ac timere Deum, ut etiamsi solus iustus sis ex omnibus mortalibus, pereantq; iniusti omnes, tu tamen unus serueris. Quapropter hic locus efficacissimo ac luculentissimo exemplo cogitationẽ impiorum refutat, qua dicunt: Vanus est qui seruit Deo. Et quod emolumentum ex eo est quòd custodiuimus præcepta eius, & ambulauimus tristes corã Dño exercituũ? Malac. 1. Etsi q̃d Noe accidit, cuius

Non est uanum colere Deum.

nõ fuerit

A tissimè testatur discrimen coram Deo esse inter iustũ & iniustũ, seruientẽ Deo & nõ seruientẽ ei. Quare omnibus pietatis & iusticiæ studiosis huiusmodi exempla diligenter sunt obseruanda.

Alterum est, quod Noe non solum seruatus est cum suis ne diluuio periret, sed ut esset שאירית, id est, reliquiæ uniuersi generis humani. Sic in Hebræo uerbũ שאר est positũ, qd' nos legimus, Remãsit. Admonemur quõ Deus nõ solũ in particularibus populi alicuius, uel ciuitatis plagis, sed & uniuersalibus non sic irascatur ut prorsus uniuersos deleat, sed reliquias aliquas seruet, quæ seminis loco retineantur. *Reliquias seruat Deus.*

OBSERVATIO VII.

Obtinuerunt́q; aquæ super terram 150. diebus.] Cogitandũ hic est, quanta fide opus habuerit Noe, ne interea dum altitudo ista aquarũ etiã montib. abditis uniuersis occuparet omnia, tantoq; tẽpore sine ullo diminutionis indicio perduraret, animũ desponderet, metueretq; ne perpetua futura esset ista aquarum inũdatio. Credibile nõ est nullis fuisse tentationibus pectus illius, licet fidele ac pium, hominis tamẽ ad huc imperfecti, tentatũ ac probatũ. Etenim, quemadmodũ capite sequẽti uidebimus, non sine tædio ac desiderio exiccationẽ terræ expectauit, cuius experimentũ iam corui, iam columbæ emissione capere satagit. Expectauit tamẽ, donec à Deo ipso siccata tellure emitteretur. Admonemur exemplo isto, magna fide opus esse pijs, ne in tribulationibus animũ abijciant, dum spes auxilij diuini longius tentatur q̃ ini tio cogitabat. Nõ poterat Noe cogitare, qua nam ratione, omni iam carne deleta, uis illa & altitudo aquarũ tot dierũ & noctium curriculis nõ diminueret: nec caro aliud iudicare poterat q̃ diluuiũ illud in ea qua erat statione perpetuò mansurũ. Fide tamẽ perdurauit, & hanc quoq; tentationẽ superauit. Cõ simili ratione curandũ & nobis est ut nulla quantũuis prolixa tribulationũ mora, auxilijq; dilatiõe perturbemur, etiamsi præsens tribulatio instar diluuij occupantis omnia in eadem, absq; ulla diminutione, uideatur statione prorsus immota perfistere. *Quanta fide opus habuerit Noe.*

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Commemorat hoc capite Moses, primùm quomodo aquæ diluuij diminui ac decrescere cœperint, & terra fuerit exiccata. Deinde quomodo Noe arcam iussu Domini cum suis egressus altare construxerit, deq; cunctis pecoribus sacrificauerit, & sacrificium illius Domino fuerit acceptum.

B RECordatus aũt Dñs Noe cunctorũq; animãtiũ & omniũ iumẽtorũ quæ erãt cũ eo in arca, adduxit spiritũ super terrã, & imminutę sunt aquę, & clausi sunt fontes abyssi & cataractæ cœli, & phibitæ sunt pluuiæ de cœlo. Reuersæq; sunt aquę de terra euntes & redeuntes, & cœperunt minui post centũ quinquaginta dies. Requieuitq; arca mense septimo uicesimoseptimo die mẽsis super mõtes Armeniæ. At uerò aquæ ibant et decrescebãt usq; ad decimũ mensem. Decimo enim mense prima die mensis apparuerunt cacumina montium.

LECTIO.

Recordatus autem Dominus Noe cunctorumq; animantiũ & omniũ iumentorũ.] Græcus addidit de suo καὶ πάντων τῶν πετεινῶν, καὶ πάντων τῶν ἑρπετῶν, id est, & omnium uolatilium, & omnium reptilium.

Adduxit spiritum super terram.] Sic et Græcus uertit, ἐπήγαγεν πνεῦμα. At in Hebræo est ויעבר אלהים רוח id est, & pertransire fecit Deus spiritum super terram.

Et imminutæ sunt aquæ.] Heb. ויסכו המים, id est, & cessarũt, & sedatæ sunt aquæ. Sic uertit & Græcus, καὶ ἐκόπασε τὸ ὕδωρ, id est, Et quieuit aqua.

Et clausi sunt fontes abyssi.] Sic habet Hebræus. Græcus uerò reddidit: καὶ ἀπεκαλύφθησαν, id est, & reuelati sunt fontes. Fatẽ tñ Hier. omnes interpretes uertisse, & clausi sunt fontes. Forsan Græcus interpres uerbũ ἀποκαλύπτεσθαι posuit pro ἀναπκαλύπτεσθαι, id est, rursus obtegi & claudi, tametsi illud quoq; uerbum reuelari significat. Sunt qui putant legendum esse ἐπεπκαλύφθησαν, id est, obtecti sunt.

Reuersæq; sunt aquæ de terra euntes & redeuntes.] Græcus habet: καὶ ἀνεδίδου τὸ ὕδωρ πορευόμενον ἀπὸ τῆς γῆς, id est, & remisit, inclinauit, cessit aqua uadens de terra.

Et cœperunt minui.] Hebraicè est וייחסרו, id est, & defecerunt. Græcus, ἀνεδίδου καὶ ἠλαττοῦτο id est, cessit & imminuta est.

Vicesimoseptimo die mensis.] Hebr. בשבעה עשר יום, id est decimoseptimo die. Et Græcus legit uicesimoseptimo die. Suspicor hoc esse per oscitantiam factum, uel exemplar Hebræũ unde uersum est, pro שבעה עשר יום habuisse sic, בשבעה עשרים expuncta litera uau in uocula יום.

Super montes Armeniæ.] In Hebræo est, בהרי אררט, id est, in mõtanis Ararat. Et Græcus sic uertit, retẽta uoce Ararat. Reliqui ferè per Ararat Armeniam intelligunt.

Decimo enim mense, prima die mẽsis.] Illud, Decimo eñ mense, in Hebræo nõ est, sed simpliciter ad hũc modum, באחד החדש, id est, in una mensis, pro, prima mensis, more scripturæ. Græcus sic, ἐν ᾗ τῷ ἑνδεκάτῳ μηνὶ τῇ πρώτῃ τοῦ μηνὸς, id est, in undecimo uerò mense, prima mensis.

EXPLANATIO.

Hactenus Moſes expoſuit, quō diluuio aquarum uniuerſa caro fuerit de ſuperficie terræ deleta, & quouſq; excreuerint aquæ: iam conſequenter eam hiſtoriæ huius partem proſequitur, quæ ablationem diluuij & liberationem Noe continet. Dicit itaq;:

Recordatus aũt Dñs Noe, cunctorumq; animantiũ.] Primùm memorat quis et qua de cauſa diluuij aquas de ſuperficie terræ abſtulerit, deinde quō id ſit factũ. Dominus, inquit. Idem uidelicet qui induxerat, remouit etiam. Recordatus Noe cunctorumq; animantiũ, &c. Ergo propter Noe, & quæ cum illo in arca erant animãtia terris abſtulit undas illas diluuij, quæ in immenſum creuerant, & omnia occupabãt.

Quomodo Deus recordetur alicuius.

Quod aũt dicit, Recordatus Deus Noe, idem eſt atq;: Non eſt oblitus Deus Noe. Recordari dicitur alicuius, quando declarat ſe non eſſe illius oblitũ. Aliàs nec obliuio in Deũ cadit, nec recordatur ut homo: ſed humano more ſic de illo loquitur ſacra ſcriptura, ut dicat eum recordari, uel non obliuiſci alicuius, quando rationem illius habere ſe ipſo facto declarat, quemadmodum in hac cauſa Noe cernere licet.

Adduxit ſpiritũ ſuper terrã.] Pertinent hæc ad modũ quo diluuiũ de terra ſublatũ eſt à Domino. Spiritum impulſorem, exiccantẽ & arefacientẽ immiſit aquis, cuius ui remouebantur aquæ. Deinde fontes abyſſi qui rupti, & feneſtras cœli, quæ apertæ fuerant, clauſit, & pluuias cohibuit. Sic & cauſas diluuij amputauit, & aquas illius per uim uenti arefacientis remouit, & ad locum ſuum unde proſluxerant recompulit. Sic dicit,

Reuerſæ ſunt aquæ de terra euntes & redeuntes.] Reuerſæ ſunt ad ſinus priſtinos, ceſſeruntq; de terra. Quod dicit, Euntes & redeuntes, exponunt quidam de fluctuatione aquarũ. Mihi uidetur loqui nõde agitatione ac fluctuatione aquarũ qua fluctus illarũ ultrò citrò q; iactati fuerunt, ſed de dilapſu & reditu ad abyſſum magnã, unde fuerant productæ. Ibant dilãbendo, redibãt ad priſtinũ locũ reuertendo.

Et cœperunt minui poſt centum quinquaginta dies.] Intellige de quibus ſuprà in calce cap. præcedẽtis facta eſt mentio. Numerãtur aũt non à fine quadraginta dierũ quibus pluuia cœlitùs demiſſa fuit, ſed à principio diluuij, decimo ſeptimo die uidelicet menſis ſecundi anni ſexcẽteſimi uitæ Noe. Ab eo tẽpore quo diluuiũ cœpit, creuit, & uniuerſam nõ modò terræ planiciẽ, ſed & montiũ cacumina occupauit, uſq; ad obſeruabilem diminutionem aquarum, interceſſerunt dies centum quinquaginta.

Requieuitq; arca menſe ſeptimo uiceſimoſeptimo die menſis ſuper montes Armeniæ.] Numerant quidam à principio diluuij, quod ij faciunt, qui quadraginta illos dies, quibus pluuia deſcendit, non includunt in numerum centũ quinquaginta dierũ, ſed ſeorſim numerant ſic, ut hic menſis ſeptimus diluuij ſit, non anni. Verùm meo iudicio competentius eſt, ut cum alijs intelligamus menſem hunc ſeptimũ fuiſſe nõ diluuij, ſed anni. Diluuiũ cœpit anno ſexcenteſimo uitæ Noe menſe ſecundo die menſis decimoſeptimo. Centũquinquaginta dies conſtituũt mẽſes quinq;. Ergo finis centũ quinquagintadierũ incidit in diem decimumſeptimũ menſis ſeptimi, cuius mẽtionẽ facit Hebræus contextus: deq; illo memorat, quòd arca in illo mõtanis Ararat inſederit. Sed dices: Ergo ſtatim initio diminutionis uſqueadeò defluxerant aquæ, ut quindecim cubitis diminutæ uerticẽ mẽtis Ararat nudarint, quo arca poſſet in illo quieſcere. Sup. ſi quidẽ dictũ eſt, quòd aquæ ſupra mõtes excelſos quindecim cubitis excreuerit. Videtur aũt haud eſſe ueroſimile, ut confeſtim uno die tanta moles aquarũ quindecim cubitis defecerit. Primũ cogitabis, non eſſe in Hebræo, Et ceperũt minui poſt centũ quinquaginta dies: ſed, Et defecerũt poſt centũ quinquag. dies. quibus utiq; uerbis non hoc dicitur, quòd tum primùm imminui cœperint, ſed quòd circa id temporis notabiliter defecerint.

Deinde nõ erat neceſſe, ut quindecim cubitis defecerint eo die quo arca montib. Ararat inſedit. Ponit enim fundus arcæ montis inſiſtere uertici, ubi uel duobus ſaltẽ aut tribus cubitis defecerãt aquæ. Quæ reddiderũt, Requieuit arca menſe ſeptimo uiceſimo ſeptimo die menſis ſuper montes Armeniæ: uel, ſicuti ſuprà memini, negligẽtia factũ eſt: uel ſic in Hebræo exemplari repererũt, uel ob id uiſum eſt ſic eſſe legendũ, quo decẽ dies, poſt centũ quinquaginta, huic aquarũ diminutioni tribuerẽtur, per quã euenit ut arca in mõtanis Ararat quieſcere poſſet. Cogitarũt enim haud eſſe probabile, ut ſtatim poſt finẽ centum quinquag. dierũ uno die tantũ defectionis paterentur aquæ, ut arca iam mõtanis inſiſtere poſſet: quæ cogitatio inde illis eſt nata, quòd legerunt nõ ut in Hebræo eſt, Et defecerunt aquæ: ſed, Cœperunt minui aquæ poſt centum quinquaginta dies.

De montibus Armeniæ, an ſuper illis quieuerit arca, nihil certi uideo. Citant Beroſum hiſtoricũ, qui reliquias arcæ in montanis Armeniæ cerni ſcripſerit, ſed neſcio quàm ſit firmũ huius aurhoris teſtimonium. Sunt qui ſentiunt montes Ararat non eſſe in Armenia, ſed ad illã uſq; protendi, eamq; ab cauſam mõtes Armeniæ uocari. Epiphanius aduerſus hæreſes lib. 1. ſic ſcribit: Poſt diluuium uerò conſtitit arca Noe in montanis Ararat, inter Armenios & Cordyeos, in monte Lubar, ibiq; facta eſt primũ habitatio hominum poſt diluuiũ, et illic plãtauit Noe uineã. factusq; eſt eius loci colonus.

At uerò aquæ ibant & decreſcebant uſq; ad decimũ menſem.] Vſq; ad decimum menſem anni illius nõ diluuij. Ibant, id eſt diffluebant, dilabebantur. Ab eo die quo arca in montibus Ararat quieſcere cepit, ad decimum uſq; menſem interceſſerunt menſes duo, dies 15. quibus quod reſiduum erat de cubitis quindecim defecit. unde & ſubditur:

Decimo menſe prima die menſis apparuerunt cacumina montiũ.] Si intelligamus non de quibuſlibet montibus, ſed excellentioribus, ſignificatur aquas quindecim cubitis fuiſſe tum temporis diminutas: ultra illos uerò defeciſſe cogitandum eſt, ſi de mediocribus quoq; montanis loquitur Moſes.

Decimo

QVAESTIO I.

Adduxit ſpiritum.] Quæruut hic de quo ſpiritu loquatur Moſes. Quoniã dictio ſpiritus frequenter in S. ſcripturis de ſancto ſpiritu, tertia uidelicet S. Triadis perſona, accipitur, fit ut arbitrentur hic aliqui loqui de illo Moſen, quemadmodum & ſuprà cap. 1. ſentiunt, ubi legimus, Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Putant et illic & hic ſpiritũ ſanctum uirtute ſua diſpuliſſe aquas, & in ſuum locum collegiſſe. Verùm licet non ſit negandum opera ſpiritus, id eſt uirtutis Dei, factũ eſſe utrunq; cùm quod illic tum quod hic à Moſe ſcribitur, haud tamen neceſſe eſt, ut dictionem ſpiritus de ſpiritu Deo, & non de uento aliquo diuinæ operationis & uirtutis organo intelligamus, qualis erat, de quo Exod. 14 ad hũc modum legimus: Cum extendiſſet Moſes manum ſuam ſupermare, abſtulit illud Dominus, flante uento uehemẽti, & urente tota nocte, & uertit in ficcũ, diuiſaq; eſt aqua, &c. quo loco perinde atq; hic uox רוח legitur, quã ferè ſpiritum reddunt, cum uel uentum uel flatum uertere poſſunt, quo clarior eſſet hiſtoriæ ſenſus, neccauſſa alicuius obijceretur quæſtionis. *De quo ſpiritu loquatur Moſes.*

QVAESTIO II.

Super terram] Poterit hic quæri, quomodo uentum Deus ſuper terram pertranſire fecerit, cum terra uniuerſa aquis eſſet altiſsimè adoperta, nec uiuenti contingi poſſet, neq; neceſſariũ etiam eſſet, ut uento perſtringeretur terra, priuſquam aquis eſſet liberata: ut dicendum potius fuiſſe uideatur, Adduxit ſpiritum ſuper aquas, quàm, Adduxit ſpiritum ſuper terram. *Quõ uẽtus ſuper terram inductus ſit, cum tota terra aquis eſſet operta.*

Reſpondendum eſt, primùm, uenti huius uſum non propter aquas fuiſſe introductum, ſed propter terram mole aquarũ liberandam. Deinde locus ille, quo aquæ diluuij continebantur, non erat illis prorſus prius, ſed alienus. Aquæ non ſuas ſtationes occupabant, ſed alienas, & terræ uidelicet, inuaſerant. Quare non immeritò ſic eſt loquutus Moſes, Adduxit Deus ſpiritum ſuper terrã. Cum Moſes Iſraelem traducturus erat per rubri maris alueum, extendiſſe manum ſuam ſcribitur non ſuper terram, ſed ſuper mare. Nam congregatio illa aquarum ſuam ſtationem, non alienam occupabat, & rectè mare uocabatur: quæ appellatio aquis diluuij dari non potuit. Terra illa, quæ initio creationis ab aquis ſeparata appellata eſt arida, nomen ſuũ retinet ut uocetur ארץ quouſq; ſub cœlo extenditur, etiam ſi ad tẽpus aliquod aquarum inundatione occupetur. Quod ſi Germaniã noſtram peregrinæ Gallorũ, Italorum, & Hiſpanorum nationes permiſsione diuina occuparent, & Turci ad pellendum illas inducerentur, rectè diceretur Deus Turcos adducere ſuper Germaniã, quamuis iam nihil minus uideretur eſſe quàm Germania. Sic cenſendum eſt de hac quoq; loquutione, qua Moſes Deum ſpiritum ſuper terram induxiſſe ſcribit, cum tamen nulla ſupereſſet terræ facies, ſed omnia inuoluta tenerentur undis.

QVAESTIO III.

Et prohibitæ ſunt pluuiæ de cœlo.] Quæſierit hic quiſquã, quõ demũ poſt centũ quinquaginta dies pluuiæ de cœlo prohibitæ fuerint, cum ſuprà dictum ſit factam fuiſſe pluuiam de cœlo diebus quadraginta, quẽadmodum & oraculũ Dei futurũ prædixerat. Nam ſic ad Noe Deus dixiſſe legitur: Ego pluam ſuper terram dies quadraginta, & noctes quadraginta. Si pluuiæ demũ poſt dies centum quinquaginta prohibitæ ſunt, ergo pluit Deus non ſolũ quadraginta, ſed centum quinquaginta dies: eratq; non dicendum, Ego pluam dies quadraginta: ſed, Ego pluam dies 150. neq; Moſes rectè dixit, Et facta eſt pluuia ſuper terram dies quadraginta: ſed rectius dixiſſet, Et facta eſt pluuia ſuper terram 150. dies. *Quõ pluuia poſt 150. dies ſit prohibita.*

Ad hanc quæſtionem pauciſsimis reſponderi poteſt. Per pluuiam quadraginta dierum & rupturam fontium abyſsi magnæ, aperturamq; feneſtrarum cœli, creuit diluuiũ ad eam altitudinem quæ diuinitùs erat deſtinata, ſic ut excelſiſsimos montes cubitis quindecim excelleret. Factum eſt hoc ſpacio quadraginta dierum: poſtea cõſtitit moles aquæ, in ea ſublimitate, donec uentus immitteretur diſpellens & exiccans. Verùm poſteaquam diluuium ſtationem ſuam poſt 40. dies fueras aſſequutum, nõ erat ratio, ob quã pluuia amplius demitteretur cœlitus, & fontes abyſsi magnæ uim aquarum ſuffunderent. Quare quod Moſes dicit, Et clauſi ſunt fontes abyſsi, & cataractæ cœli, & prohibitæ ſunt pluuiæ de cœlo: nõ ſic eſt intelligendũ, quòd iſta demum poſt 150. dies facta ſint, ſed quòd per recapitulationem dicantur, tanquam ſtatim poſt finem 40. dierum facta. Conuenientius itaq; eſt, ut ſic legamus, Et clauſi erant fontes abyſsi & cataractæ cœli, & aquæ de cœlo prohibitæ. Nam clauſura fontium & ceſſatio pluuiæ cœleſtis non faciebat ad hoc ut aquæ deficerent & de ſuperficie terræ tollerentur: ſed ne amplius excreſcerent, poſteaquam mõtium exceſſorum uertices quindecim cubitis exuperaſſent. Ad dimotionem uerò aquarũ & telluris exiccationẽ faciebat uentus exiccandi ac diſpellendi gratia immiſſus. Dum iſta expẽdimus, patet diligenti lectori, quàm referat, quõ huiuſmodi loci ſic uertantur, ne qua obſcuritas hiſtoricæ intelligentiæ obijciatur.

OBSERVATIO I.

Recordatus aũt Dñs Noe cunctorumq; animantiũ & omnium iumentorũ, quæ erant cum eo in arca.] Obſeruandum hic eſt uerbũ recordandi Deo tributũ. Commendatur nobis hac loquutione fides & cura Dei erga nos, quæ talis eſt, ut ſi immenſa ipſius Maieſtas & cõditionis humanæ uilitas cõſiderentur, animũ piũ planè ſtupidũ reddat, nedũ admirabundũ, ut cum Propheta exclamet ac dicat, Domine quid eſt homo quòd memor es eius, aut filius hominis quòd uiſitas eum? Si diues pauperis, potens impotentis, ſuperior inferioris, princeps ſubditi non obliuiſcatur, ſed reipſa ſe memorem illius eſſe declaret, admodũ eiuſmodi cura & beneuolẽtia cõmendatur, cũ tamẽ homo recordeſ hominis, infinito inferior Deo. Ratio humana ægerrimè perſuadeſ, ut credat Deũ ipſis cœlis excelſiorẽ curare terrena, nedũ unius alicuius hominis eſſe memorẽ. Quare cõtra huiuſmodi tentationẽ, qua tribulati & afflicti dicimus, Dereliquit nos Dñs, & oblitus eſt noſtri, notãdus eſt præſens hic locus, & cõſimiles alij, præſertim quod Eſa. 49. legit, Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantis ſui, ut nõ miſereat filij uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego *Verbum recordandi Deo tributum.*

tamẽ non obliuiſcar tui. Simul & illud notandũ eſt, quod non ſolũ dicit, Recordatus Dominus Noe, ſed addit, cunctorumq; animantiũ, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca. Cogitemus hic quanta ſit bonitas Dei, qua fit, ut animantiũ quoq; & iumentorum recordetur. Quõ obliuiſcetur hominum iuſtorum & piorum, qui ne beſtiarum quidem obliuiſci poteſt? Hanc bonitatem Dei & Dauid cõſiderat & extollit, cum dicit: Homines & iumẽta ſeruas Domine, quẽadmodum multiplicaſti bonitatẽ tuam Deus. Et Chriſtus ipſe illam conſiderandam proponit Mat. 6. dicẽs: Reſpicite uolatilia cœli, quæ nõ ſerũt, neq; metunt, nec cõgregant in horrea, & pater ueſter cœleſtis paſcit illa. Nonne uos pluris eſtis illis? Et Mat. 10. Nonne duo paſſerculi aſſe ueneunt? At unus ex illis non cadit ſuper terram ſine patre ueſtro. Nolite ergo timere. Multis paſſeribus meliores eſtis uos.

OBSERVATIO II.

Adduxit ſpiritũ ſuper terrã.] Videmus hoc exemplo non eſſe ocioſam recordationẽ, quæ Deo tribuitur. Vbi dixit, Recordatus eſt Dominus Noe, &c. ſubiecit, Et adduxit ſpiritũ ſuper terram. Quare, quemadmodum obliuio in Deum non cadit, ita fieri non poteſt, ut deſerat eos quorum obliuiſci nequit. Neq; enim poteſt illorũ ocioſe meminiſſe. Quod uerò nõ ſtatim ſuccurrit, nõ eſt obliuionis, nõ eſt cõtẽptus, nõ eſt negligentiæ, nõ eſt impotẽtiæ aut hæſitatiõis, ſed prudentiæ cũcta ſuis tẽporib. optimè diſponẽtis.

Deinde uidemus hic uentorũ productionẽ nõ eſſe aliunde quàm à Domino. Qui uẽtos facit, producit etiã quos & quãdo uiſum fuerit. Inquirant Phyſici uentorũ origines & cauſas, noſtrũ eſt cum Dauid ſentire, quòd à Deo creentur, & è theſauris illius producãtur. Fingant poetæ ſuum Aeolum: noſter rex uentorum idem ipſe eſt, qui & reliqua uniuerſa condidit, & condita gubernat & conſeruat.

Vſibus humanis ſeruiunt uenti. Tertiò & illud cõſiderandum eſt hoc loco, quòd uenti in gratiam Noe producuntur, ut ab undis liberetur, & terra exiccetur. Sic uenti quoq; ſeruiunt uſibus humanis, ſi homines uentorum conditorem ac Dominũ ſincera fide ac pietate obſeruẽt, atq; ita in gratia Dei permaneãt, ut & hic uerũ ſit illud Apoſtoli: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. OBSER. III.

Operationes uentorum. *Et imminutæ ſunt aquæ.*] Per occaſionẽ huius loci, cogitandũ eſt de operationib. Dei, quas ſub cœlo uentorũ perficit, cum poſſet omnia uirtute uerbi ſui unico momẽto perficere. Immiſit uentũ ſuper terram, cum uellet aquas diluuij de ſuperficie terræ in ſuũ locũ reducere. Illo immiſſo defecerunt aquæ, abierunt q;, & ad priſtinas manſiones retrocceſſerunt. Vbi conſtituit faciem terræ renouare, & omnis generis floribus, herbis ac fructib. ornare, emittit ſpiritũ, qui telluris ſinũ aperiat, imprægnet, ac nouos fœtus producat. Sic Dauid dicit: Emittis ſpiritũ tuũ, & creantur: & renouas faciẽ terræ. Per uentos cœlum nubibus obducit, & uel grandinem, uel niuẽ, uel pluuiã diſpenſat. Per uentũ nubes diſpellit, & cœlũ nubilũ ſerenũ reddit: ui uentorum terrã & aquas glacie conſtringit: rurſus alio flatu inducto, quæ cõgelata & cõſtricta ſunt, diſſoluit. Mare tranquillũ immiſſo uento excitat, & fluctus illius ad cœlos uſq; extollit. Per uentũ quæ alta ſunt diſijcit, & terrã in ipſis intimis receſsibus concutit. Per uentũ diuiſit mare rubrum, & unius noctis ſpacio uertit in ſiccum, ut Iſrael per medium illius tranſiret. Nõ eſt ocioſa uentorum productio, & operatio illorum: nõ unius eſt generis, ſed admodum uaria, imaginem habens ſpiritus ſancti, qui operatur omnia modis uarijs ac multis.

Et homo flatu ſuo uaria perficit Et homo ad imaginẽ Dei cõditus flatu ſuo uaria perficit. Flatu accẽdimus ignẽ, flatu extinguimus lumina, flatu refrigeramus calida, flatu calefacimus frigida, flatu attrahimus ac ſorbemus, rurſus flatu expuimus & abijcimus ſuperfluos humores, flatu purgamus nares, flatu pulueres exagitamus. Sic uitã ſi ãdi ac ſpirãdi habemus uariũ, in quo quaſi imagine quadã uirtus illa Dei delineata & adũbrata cernitur, qua uentorũ inductione tam multa & uaria perficiuntur. OBSER. IIII.

Et clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cœli, & prohibitæ ſunt pluuiæ de cœlo.] Videmus hoc diuinarum

Idẽ Deus clauſa aperit, et aperta claudit. operationũ exemplo, quõ idem Deus & integra rumpat, & clauſa aperiat, & rurſus rupta redintegret, apertaq; recludat, liberrima utens omniũ eorum quæ condidit poteſtate. Ordinẽ rerum, quem initiò conſtituerat, ad tempus diſſoluit: ubi quod uolebat perfecit, iubet omnia in priſtinum ſtatum reuerti ac redintegrari. Si quãdo rerum ordo peruertitur, cogitemus propter peccata noſtra res integras rumpi ac diſſolui: deinde non dubitemus eiuſdẽ uirtute reducendã aliquando rerum perturbatarum redintegrationem, qui illas, ut pœnas de improbis ſumat, perturbauit ac diſſoluit.

Quomodo mala ſint compeſcẽda & tollenda. Deinde & modum expendamus, per quẽ aquæ diluuij decreſcunt, & è medio tolluntur. Primùm eius incõmodi cauſas tollit, claudẽs fontes abyſsi & cataractas cœli, & prohibẽs ne pluuiæ de cœlo amplius cadant. Nam hinc exortũ erat ac creuerat diluuiũ. Poſtea & uentum immittit, uim habentem pellendi & exiccandi. Ad hunc modũ & malũ externè cõpeſcit, & cauſas illius ampurat. Admonemur hoc exemplo nõ ſolũ qua utatur prudẽtia Deus, dum mala premẽtia de ceruicibus mortaliũ auferre ſtatuit, ſed etiam quõ nobis quoq; cõpeſcenda ſint uitiorum mala: fruſtra laborãt qui mala externis remedijs cõpeſcere, & nõ ſimul cauſas illorũ reſecare ſatagũt. Obturãdi ſunt ipſi fontes uitiorũ, ocia, luxus, & ſi quid aliud eſt eiuſmodi. Alioqui fruſtraneum eſt, ſi quis externa corporalis diſciplinæ remedia interdũ adhibeat, cauſis & radicibus uitiorum permanentibus. OBSERVATIO V.

Argumentũ potentiæ Dei. *Reuerſæq; ſunt aquæ de terra euntes & redeuntes, et cœperunt minui poſt 150. dies.*] Solet Oceanus irreperabiliter occupare regiones ſi quas corripuerit. Et erat id hic quoq; facturus, niſi diuinæ uoluntatis & potentia diuerſum ſtatuiſſet, cui contra naturã ſuam obediuit. Quare admonemur hoc exemplo, ut potentiæ Dei argumenta nõ in eo duntaxat conſideremus, quod abyſſum magnam ruptis illius fontibus uniuerſæ terræ induxit, inq; tantam ſublimitatem euexit, ut montes uniuerſos excelleret: ſed in eo quoq;

quoq; quod eandem quantumuis immensam & cuncta occupantem uento immisso uelut oris sui flatu dispulit, & ad pristinas sedes reuerti coegit. Sic elementum illud immensum & indomitum nulli unquam creaturæ morigerum diuinæ uoluntatis & potentiæ imperium agnoscit, illiq; per omnia sic obedit, ut iussum præsto sit, rursus iussum discedat & occupata relinquat. Agnoscamus hanc potentiam Dei, cui mare ac uenti obediunt, in Christo quoq; Domino ac Seruatore nostro, cuius imperio indomita illa utraq; elementa acquieuerunt Mat. 8. & simul cogitemus quàm sit stupenda humanæ mentis cæcitas & obstinatio, qua fit ut homo non obediat eius uoluntati, cui obediunt muta, surda, & inanimata elementa. *In Christo potentia Dei declarata.*

Eandem hanc potentiam Dei, quæ abyssum magnam aduocat, & super terram inducit, deinde inducta ubi quod uoluit perfecit, rursus abigit, & ad suas sedes retrocedere compellit, in eo quoq; declarari uidemus, quòd ubi exigentibus peccatis nostris ultionem de impijs sumere statuit, populos exteros & incognitos magna & indomabili multitudine nutu suo aduocat, & quasi marinis fluctibus hostili manu cuncta subijcit: rursus uerò, ubi mensurã ultionis suæ adimpleuit, uelut uẽto quodam immisso, uniuersam hostiũ multitudinẽ grassantem & insolescentem, unde uenerat retrocedere compellit. Sic loquitur Esaias de rege Assyriorum cap. 8. & 10. quem Dominus ueluti uiolentas quasdam aquas super terram Iehudah & alia uicina regna induxit: & pòst ubi in sublime exaltatus, arrogans & superbus euasisset, cum ignominia ad dedecore ad suos reuerti compulit. Tale quid & Esa. 37. legitur.

OBSERVATIO VI.

Requieuitq; arca mense septimo, uicesimoseptimo die mensis, super mortes Armeniæ.] Considera hic quoq; diuinæ prouidentiæ curam. Poterat arca omnium facillimè impingere in montis alicuius uerticẽ, præsertim cum uentus immissus undas exagitaret: uerùm sic custodiebatur ac dirigebatur diuinitus, ut unde timendum erat discrimẽ, inde contingeret quies & securitas. Et uerbũ quiescendi considera. Mundus impius erat deletus: terra mole aquarũ premebat uniuersa, aquæ ui uentorũ exagitabant, discedendoq; ac reuertendo ueluti fatigabantur, uenti aquas repellendo laborabant: interea sola quiescit arca montanis Ararat imposita, tantisper dum deficerent aquæ, & pristina terræ facies & cõmoditas restituere tur. Sic curabatur arcæ huius salus & custodia, ut ubi undæ decrescebant, & uento impellebantur, ipsa monti alicui inniteretur, ne in scopulos aut colles impingeret ac periclitaretur. *Curã diuinæ prouidentiæ.*

OBSERVATIO VII.

B *At uerò aquæ ibant & decrescebant usq; ad decimũ mensem. Prima die mensis apparuerũt cacumina montiũ.*] In eo quod montiũ cacumina decimo mense apparuerunt, obseruandum est, quomodo Deum animũ & fidem Noe, eiusmodi decrescentis diluuij argumento confirmarit, molestamq; sit expectationem solatus. Etenim credibile est passum esse Noah magnas tam prolixæ moræ molestias, donec tandem nudatis montiũ uerticibus, manifestũ acciperet decrescentis ac dilabentis diluuij argumentũ. Sic solet Deus animos suorũ in tribulationibus exhibitis quibusdam decrescentiũ malorũ documentis confirmare, solari, & erigere. Catholicus luxus occupat hodie omnia, & quasi quodã diluuio uniuersam ferè carnem, paucis demptis, corrumpit ac perdit, quam ob causam pijs tædiosissimum est uiuere, maximè cum nõdum uideant aliqua indicia, unde mali huius diminutionẽ cognoscere possint. Deinde tenebris mentiũ obscurãtur omnia, nec apparent euanescentis caliginis argumenta. Quòd si principes populorũ, magistratus, episcopi & seniores, quasi montium capita, primi apparerent, in resipiscentia, restituenda pristina sobrietate, & diuinæ ueritatis professione, manifestũ caperet argumentũ breui sequuturæ emendationis ac reformationis catholicæ, unde pij omnes exhilararentur, & in studio pietatis cõfirmarentur. Iam uerò cum ipsi uertices populorũ cæcitatis & corruptionis fluctibus altissimè submersi teneantur, non uideo unde catholica possit sperari Ecclesiarum & populorum reformatio, etiamsi singulis annis generalia & catholica, ut uocant, celebrentur concilia. *Quomodo Deus animum Noe cõfirmarit.*

Cumq; transissent quadraginta dies, aperiẽs Noe fenestrã arcæ quam fecerat, dimisit coruũ, qui egrediebatur & nõ reuertebatur, donec siccarẽtur aquæ super terrã. Emisit quoq; columbã post eum, ut uideret si iam cessassent aquæ super faciẽ terræ. Quæ cum non inuenisset ubi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcã. Aquę enim erãt super terrã uniuersam. Extẽditq; manũ suã, & apprehensam intulit in arcã. Expectatis aũt ultrà septẽ dieb. aliis, rursum dimisit columbã ex arca. At illa uenit ad eũ ad uesperã portãs ramũ oliuæ uirentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo Noe, quòd cessassent aquæ super terrã. Expectauitq; nihilominus septẽ alios dies, & emisit columbã, quæ nõ est reuersa ultrà ad eum. Igitur sexcentesimo primo anno uitæ Noe, primo mense prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terrã. Et aperiens Noe tectũ arcæ, aspexit: uiditq; quòd exiccata esset superficies terræ.

LECTIO

LECTIO.

Aperiens Noe fenestram.] Sic legitur & in Hebræo. Græcus uertit, ἀνέῳξε νῶε τὴν θυρίδα, id est, aperuit Noe ianuam. Caueat lector ne de foribus arcæ intelligat, quas Noe nec clausit, nec aperuit. In Hebræo non est פתח, id est, ostium, sed חלון, id est fenestra.

Qui egrediebatur & non reuertebatur.] Sic habet & Græcus. In Hebræo uerò sic legit יצוא יצוא ושוב id est, Et egrediendo egrediebatur & reuertebatur. Vel ut alij reddunt, Et exiuit exeundo & redeundo, quemadmodũ & Chaldæus interpres uertit. Et Iosephus sic legit, ὁ ἧ κάτω εὑρὼν λιμνάζουσαν ἐπὶ νῶχον ἐπανῆλθε, id est, Hic uerò (coruus) cum uniuersam (terram) reperisset stagnantem ad Nohum reuersus est. Quare latinus Iosephi interpres non satis fideliter egit, quod reddidit: Non est ad Noe reuersus, nisi postea sit uersio illius à sciolo quodam corrupta.

Emisit quoq; columbam post eum.] Sic & Græcus reddidit, ὄπισω αὐτοῦ. At in Hebræo non est, אחריו uel אחריו, sed מאתו, id est à se.

Portans ramũ oliuæ uirentibus folijs in ore suo.] Græcus sic, καὶ εἶχε φύλλον ἐλαίας λάφυρος ἐν τῷ στόματι αὐτῆς, id est, Et habebat folium oliuæ siccum & minutum in ore suo. Hebræus uerò habet ad hunc modũ, ורחנה עלה זית טרף בפיה, id est, Et ecce folium oliuæ raptum in ore eius.

Igitur sexcentesimo primo anno uitæ Noe.] Illud, Vitæ Noe, & Græcus quidem posuit, sed in Hebræo non habetur.

EXPLANATIO.

Hactenus Moses exposuit, primùm quomodo diluuium immisso uentro ac fontibus abyssi magnæ cœliq; fenestris clausis, & pluuia cœli prohibita deficere cœperit: deinde quæ fuerint decremẽti illius indicia in eo declarata, quòd arca mẽse septimo, decimoseptimo die mẽsis, in mõtanis Ararat, quieuit: & prima die mensis decimi montium apparuere cacumina: iam ex ordine commemorat, quomodo Noe decrescentium aquarum & terræ exiccatæ argumenta quærierit ac deprehenderit.

Cumq; transissent, inquit, quadraginta dies, aperiens Noe, &c.] An Noe montium cacumina mox arq; apparere cœperant uiderit, non meminit Moses: uerùm quoniam quæ hic à Mose exponuntur, uerosimile est per traditionem inde ab ipso Noe ad posteros eius peruenisse, simul haud alienum à uero esse uidetur, si sentiamus Noe statim initio decimi mensis nudates montium obseruasse uertices, indeq; adhuc quadraginta dierum spacio quieuisse, donec tempestiuum arbitraretur, ut emisso uolatiliũ aliquo, experimentum de telluris exiccatione caperet. Nam quadraginta isti dies inde ab initio decimi mensis numerandi uidentur, quod montium capita eminere cœperant.

Emisit autem principio coruum, ut per hunc experimentum caperet, num terra alicubi aquis esset liberata. At ille, ut in Hebræo est, egrediebatur egrediendo & redeundo. quod sic est dictum, ut certum non sit, in arcam ne redierit: uel ubi reuersus erat, arcæ insederit. Omnino reuersus est, semel ne tantum, uel sæpius, non est expressum. Id uerò exprimitur, quod reuersus sit, donec exiccarentur aquæ super terram, tam abest ut non sit reuersus. Quare cum non adferret aliquod exiccatæ terræ indicium, emisit columbam à se, ut uideret, cessassent ne aquæ super terram. Apparet autem columbam hanc non statim post reditum corui, sed cum septem transissent dies, fuisse emissam. Nam infrà dicit: Expectatis ultrà septem diebus alijs, unde coniectura est, & antea fuisse septem dies expectatos cum primùm emitteretur columba. Deinde non erat ratio statim post reditum corui ablegare columbam, cum ex reditu corui satis esset indicij, nondum defecisse aquas super terram.

Quæ cum non inuenisset ubi requiesceret pes eius, &c.] Ex reditu columbæ colligebat Noe, non inuenisse illam, ubi quiescere posset, eo quòd adhuc aquæ superficiem terræ occuparent. Vnde & subdit Moses: Aquæ enim erant super uniuersam terram. Quod dicit, Vbi requiesceret pes eius, loquutio est sumpta de illis qui ambulando pedes fatigant, ideoq; subinde recumbunt, ut pedes ex itinere fatigati conquiescant, & recreentur. At columba nõ laborat pedibus uolando, sed alis. Verùm ubi à uolatu quieuit, quoniam pedibus innititur quiescendo, ad hunc modum loquutus est Moses, dicens: Quæ cum nõ inuenisset ubi requiesceret pes eius, &c.

Extenditq; manum suam, & apprehensam intulit in arcam.] Sic propè assedit columba fenestræ unde fuerat emissa, ut à Noe extenta manu apprehendi posset. Et ipsa necessitas hoc requirebat, ut resumeretur in arcam. Alioqui non erat quicquam extra arcam unde uiueret.

Expectatis autem ultrà septem diebus alijs, rursum dimisit columbam ex arca: at illa uenit ad eum ad uesperã, portans ramum oliuæ, &c.] Quod ad uesperam demum reuersa est, indicium erat inuenisse eam quidem, ubi aliquandiu quiesceret, arborũ uidelicet cacumina: uerùm quoniam reliqua adhuc tenebantur aquis, non potuisse diutius propter necessarium cibum extra arcam manere, ideoq; coactam esse ut reueteretur. Quod folium oliuæ decerptum ex arbore in ore secum attulit, factum est quidem secundum naturæ ipsius ductum (sic enim solent columbæ, ubi ad nidos suos redeunt) uerùm non sine moderatione diuinæ prouidentiæ. Significabatur Noe hoc indicio, quousq; iam tum aquæ decreuissent, atq; ita in spe sua confirmabatur, ne dubitaret breui futurum, ut superficies terræ aquis liberata exiccaretur. Vnde & subditur.

Intellexit ergo Noe quòd cessassent aquæ super terram.] Nondum planè erat terra aquis liberata. Quare malim hic legere: Intelligebat ergo Noe quòd cessarent aquæ super terrã: uel ut in Hebræo est, Quòd extenuatæ, uel alleuiatæ essent aquæ super terram.

Expe-

Expectauitq; nihilominus septem alios dies, & emisit columbam, quæ non est reuersa ad eum ultrà.] Illud, Nihilominus, non est in Hebræo, sed ab interprete adiectum. Intelligebat superficiem terræ nondũ esse aquis nudatam, ideoq; adhuc alios septem dies expectauit, quorum spacio quod residuũ erat ex aquis, dilaberetur. Nec falsus est spe sua. Columba siquidem, cum inuenisset ubi quiesceret, & unde uiueret, nõ est amplius in arcam reuersa. Et hoc indicio significabatur aquas iam planè defecisse.

Igitur sexcentesimoprimo anno uitæ Noe, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram.] In Hebr. est, חרבו המים, id est, exiccatæ sunt aquæ. Prima hæc dies primi mensis anni 601. uitæ Noe incidit in id temporis, quo columba cum tertiò emissa esset, in arcam non est amplius reuersa. Vnde colligit Moses, quo tempore uitæ Noe aquæ prorsus cessarint super terram.

Et aperiens Noe tectum arcæ, aspexit, uiditq; quòd exiccata esset superficies terræ.] Vbi columba non reuertebatur, intelligebat quidẽ Noe, inuenisse illam ubi quiesceret: uerùm ut certò cognosceret, an aquæ in uniuersum defecissent, tecto aperto aspexit, uiditq; quòd superficies terræ esset sicca ab aquis. Adijcit hoc Moses, tanquam testimonium eius, quòd aquas prima die primi mensis anni sexcentesimi primi uitæ Noe prorsus exiccatas fuisse dixit.

QVAESTIO I.

Aperiens Noe fenestram dimisit coruum.] Adducit hoc loco Augustinus quæstionem, quomodo coruus inuenerit ubi quiesceret & maneret, cum columba post illum emissa nõ inuenerit ubi pes ipsius quiesceret. Hac de re quærunt, qui legunt, Dimisit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur. Et respondent, quòd uel perierit in aquis, uel quoniam immundus erat, cadaueribus hominum & bestiarum insederit, quod columba facere non poterat. Verùm nobis qui secundum Hebraicam ueritatẽ legimus, Et egressus est egrediendo & reuertendo, nulla hic quæstio de eo nascitur, quare non sit reuersus coruus, & ubi manserit, cum reuersum esse constet.

Quomodo inuenerit coruus ubi quiesceret.

Hebræorũ quidã quærunt, quare statim reuersus sit coruus, & nõ auolarit quemadmodũ columba. Et respondent omniũ uanissimè, noluisse illum longius ab arca discedere, eo quòd suspectum haberet Noe de fœmella sua. Hæc est uanitas hominum leuissimorũ, quibus usqueadeò nihil est iudicij & pudoris, ut haud uereantur etiam absurdissimas suas cogitationes chartis illinere, & ad posteros transmittere. Mihi uerosimile est, coruum eam ob causam nõ auolasse longius, sed citò esse reuersum, quòd nequiret continuo uolatu prolixius uti, sicuti pleræq; aliæ uolucres: eamq; ob causam ne deficiens decideret in aquas, citius ad arcam redire cogeretur.

Quare statim reuersus sit coruus

B

QVAESTIO II.

Emisit quoque columbam post eum.] Quæri poterit, quare columbam, & non aliam quampiam ex uolucribus emiserit. Poterat emittere aquilam, quæ plurimũ uolando ualet. Chrysost. arbitratur eam ob causam emissam fuisse columbam, quòd mitis esset ac tractabilis: deinde tanquã pura auis nõ uescretur nisi seminibus. Hæc ratio aliquid habet probabilitatis. Aquila & cõsimiles uolucres uel altissima montiũ cacumina petijssent, uel cadaueribus inhæsissent, ideoq; uotis Noe haudquaquam satisfecissent. Quare nõ potuit cõmodior auis emitti, quàm colũba: quæ & ipsa uolando ualet, & non tam alta quàm terræ nascentia petit, proq; mansuetudine sua ad mansionẽ consuetam ultrò reuolat, & præterea hoc, p natura sua in consueto habet, ut aliquid ore acceptum domum reportet: unde Noe colligere poterat, quousq; cessassent aquæ de superficie terræ, quod aliarum auium emissione cognoscere nequiuisset.

Quare columbã & non aquilam emiserit.

QVAESTIO III.

Quæ cum non inuenisset ubi requiesceret pes eius.] Quærũt hic, quomodo nõ inuenerit columba ubi pes ipsius requiesceret, cum iam ante dies 40. decimo uidelicet mense, prima die mensis montiũ cœperint apparere cacumina, quibus insidere & quiescere poterat. Respondẽt hic quidam, ipsa montiũ cacumina, licet apparere cœpissent, nondum tamen satis fuisse exiccata, ut columba ipsis commodè insistere posset. Augustarbitratur posse quæ hic de columba dicuntur, per recapitulationẽ dicta intelligi, tanquã antè facta quàm montiũ apparuissent cacumina. Verũ hanc sententiã ipsa temporũ series, qualis à Mose describitur, ferre non potest. Disertè namq; meminit, montium cacumina prima die mensis decimi apparuisse, & postea de quadraginta, ac rursus septem diebus cõmemorat, post quos columbã emiserit Noe. Itaq; meo iudicio, rectius ad hanc quæstionem respondebimus, si illud, Quæ cum non inuenisset ubi requiesceret pes eius, intelligamus non strictè, sed sic dictũ, quòd non inuenerit columba ubi quiesceret, et competenti cibo inuento maneret: eo quòd terræ superficies, unde cibus ipsi erat petendus, adhuc aquis esset tecta. Quare & adiectũ est à Mose, Aquæ enim erant super uniuersam terram: id quod rationis uice positum est, & non de montiũ uerticibus, quibus haud delectantur columbæ, sed de campestris terræ superficie intelligendum.

Quomodo nõ inuenerit columba ubi requiesceret cum montiũ cacumina ante dies quadraginta apparuissent.

QVAESTIO IIII.

Portans ramum oliuæ in ore suo.] Quærunt hic, unde columba decerpserit folium oliuæ, cum cõmuniter teneatur, fuisse omnes arbores aquis diluuij uastatas. Hebræorum Rabbini rursus nugantur. Alij dicunt, columbæ isti accessum fuisse ad paradisum permissum, ut inde folium oliuæ decerperet, & ad Noe adferret. Alij garriunt columbam auolasse ad montem Oliueti, cui postea Hierusalem uicina est facta, indeq; foliũ oliuæ rapuisse, & in arcam attulisse. Ista cõminiscunt Iudæi propterea quòd & paradisi & terræ Israelis regiones diluuio intactas fuisse opinantur. Verùm interea non animaduertũt, quod Moses subiungit: Intellexit ergo Noe, quòd cessassent aquæ super terram. Ex indicio uidelicet allati folij oliuæ. Si folium hoc uel ex paradiso, uel de monte Oliueti propterea decerptũ fuisset, quòd illis in locis

Vnde colũba folium oliuæ decerpserit.

non esset diluuium, quomodo intellexisset Noe, aquas diluuij cessasse super terram? Debuisset Moses dicere, Intellexit ergo Noe, aquas non peruenisse ad paradisum uel ad montem olueti. Quare nihil ad propositum faciunt istæ Iudæorum cogitationes, quamuis speciosæ appareant. Quòd putarint omnes totius orbis arbores fuisse diluuio uastatas, sic ut nihil, quod uiridum esset, retinuerint, incerta opinio est. Deinde oliuæ suum uigorem singulariter retinent, ut impossibile nõ fuerit, quod hic Moses scribit. Omnino necesse est inde fuisse folium hoc oliuæ decerptũ, unde Noe rectè colligere potuerit, quænam tum esset terræ superficies, & quousq; aquæ defluxissent.

OBSERVATIO I.

Cumq; transissent 40. dies, aperiens Noe fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit coruũ, qui egrediebatur & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram.] Primùm obseruandũ est ex præsenti narratione, passum esse Noah aliquid humani, in eo quòd ante iustum tempus & oraculum Dei experimentum de ablatione diluuij, & exiccatione terræ capere uoluit. Quid enim aliud agebat, cum fenestram arcæ aperiret, coruũ, & post coruum columbã quoq; emitteret, ac tandẽ ipsum etiã tectum aperiret & prospiceret, quàm ut liquidò cognosceret, cessassent ne aquæ super terram, id quod & Moses ipse exprimit? Atqui expectandum erat os Domini, & non præueniendum iustum tempus non solum egrediendi ex arca, sed & cognoscẽdi de statu terræ. Curiosum quid erat, quod tantopere scire cupiebat, quousq; cessassent aquæ super terram, cum non liceret ipsi egredi ex arca sine iussu Dei. Videmus igitur hoc loco, quomodo & sanctis subinde accidant ea quæ magis carnis quàm fidei spirant affectus. Minoris momenti fuisset, si hoc alicui ex filijs eius, utpote minus in fide exercitato & confirmato accidisset. Leuius etiã fuisset, si semel tantum accidisset. Iam quod ipsi Sem, secundum testimonium Dei iustoridq; non semel, sed toties accidit, satis arguit, & sanctos aliquando ea pati quæ sunt humana, & haud à carnis affectibus aliena. Accidit & illud, quòd postquã montiũ apparuissent cacumina, quadraginta dies expectat, ac tum aperta fenestra coruũ emittit. Sequebat ea in re iudiciũ rationis. Obseruauerat 40. dierum spacio totam terrã aquis sic fuisse oppletam, ut montes quoq; diluuio essent operti. Cogitabat uim illam aquarũ quemadmodũ diebus 40. in eam creuerat altitudinẽ, ita totidẽ diebus posse decrescere ac prorsus desinere. Sic non solum affectus carnalis, per curiositatẽ declaratur: sed & rationis iudiciũ, fidelis hominis animũ in clausura arcæ hactenus occuparunt, ut ea faceret, quæ parũ conueniebant fidei & patientiæ hominis iusti. Admonemur hoc exemplo, ut æquiores simus captiuis ac uinctis, si quando intelleximus eos ante iustum captiuitatis terminũ aspirare & anhelare ad liberationem. Deinde considera prudentiam Noe, in eo quòd non utrumq; coruũ, masculum uidelicet, & fœminam, sed unum duntaxat, quemadmodũ & postea non par columbarũ, sed unam tantũ, explorandi gratia emisit. Nolebat aliquid ex arca in curam suam à Domino acceptũ prorsus & sic emittere, ut ad se nõ rediret, sed ut reuertereti & iudiciũ de cessatione aquarũ reportaret. Quare conuenientius erat, ut unam duntaxat uolucrẽ emitteret, & comparẽ illius in arca retineret. Verosimile est, hanc fuisse illius cogitationẽ, quamuis columba tertiò emissa, cum terram exiccatã reperisset, in arcam nõ est amplius reuersa, etiamsi compar ipsius in illa adhuc detineretur. Sic & sancti aliquando in re non necessaria, & carnali magis quàm spirituali, prudenter agere conantur, sed frustra.

Tertiò & illud consideremus, quod dicit, Qui egrediebaṫ & non reuertebaṫ donec siccarenṫ aquæ super terram. Primùm quod attinet interpretes tam Græcos quàm latinos, uidemus hic, quanta religio uertendi conueniat illis qui S. scripturas uertendas suscipiunt. Quoniam absurda loquutio uidebatur, quæ in Hebræo sic legitur, Et egressus est egrediendo & reuersus, donec siccarenṫ aquæ super terram, de suo uoculam, non, adiecerunt: reddiderunṫq;, Qui egrediebaṫ & nõ reuertebatur, donec siccarenṫ aquæ super terram: ut idem sit quod, Nunquã reuersus est in arcam. Sic uersionẽ tradiderunt Ecclesiæ Hebraicæ ueritati contrariam. Deinde hanc uersionẽ patres in disceptatione aduersus hæreticos usurparunt, qui perpetuã Dominicæ matris uirginitatẽ negantes ex eo quod in Matth. legiũ, Et nõ cognouit eam, donec peperisset filium suum primogenitũ, euincere conabanṫ, fuisse illam post natũ Christũ à Iosepho cognitã, & adhuc aliorũ filiorũ matrẽ effectam. Arbitrabanṫ se ex loquutione cõsimili redarguere Eluidianas nugas, eo quòd coruus ad arcam, perinde ac columba, non fuerit reuersus, quum aquæ exiccatæ iam essent super terram, & tamen scriptura dicat, quòd reuersus nõ sit, donec siccatæ essent aquæ super terram, quasi siccata tellure in arcam redierit. Ad eum modũ colligebant & Euangelistæ dictũ esse intelligendũ, quòd uidelicet beata uirgo à Iosepho haudquaquã cognita fuerit, & quòd uocula, Donec, nõ conuincat, fuisse eam post natum Christum cognitam. Laudo pietatẽ patrũ, damnoq; errorem Eluidianorum, & scio uoculam Donec non euincere quod illi astruere conabanṫ: sicut & in Cõment. super Matth. obiter annotauimus. Illud uerò deploro, quod ad cõfirmandam ueritatẽ, satis aliunde probabilem & firmam, scripturæ uerba peruertuntur. quasi quod uerum est, scripturis deprauatis opus habeat quibus confirmetur.

OBSERVATIO II.

Emisit quoq; columbam post eum, ut uideret, si iam cessassent aquæ super faciẽ terræ. Quæ cum nõ inuenisset ubi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam. Aquæ enim erant super uniuersam terram. Extendit q; manum suam, & intulit eam in arcam.] Principiò de eo cogitemus, quòd Noe in arca constitutus, & desiderio terræ siccæ afflictatus nullo oraculo Dei instruitur aut erigitur, sed conatibus suis relinquitur, donec tempus esset egrediendi ex arca, sicuti uidebimus infrà. Sic in eo quod instituerat pergit, & post coruum columbam quoq; emittit. Admonemur hac consideratione, ubi nulla necessitas oraculũ Dei exposcit, etiã sanctos

Passum esse Noe aliquid humani.

Quare 40. dies expectarit Noe.

Prudentia Noe.

Quanta religio requiratur ab interprete S. scripturarum.

Ex mala uersiõe argumẽtati sunt patres.

Sancti non semper oraculo diui no instruuntur.

A ſanctos uiros ſuis relinqui conſilijs & conatibus, quibus tamen nihil quod magni ſit momenti expediant. Quare ſi quando & nobis tale quid uſuuenerit, reſpiciamus ad huiuſmodi ſanctorum exempla.

Deinde & illud expendamus quod dicit: Quæ cum non inueniſſet ubi requieſceret pes eius, &c. Leuis admodum eſt auiculis uolandi labor, & tamen ſi uolandum ſit, indeſinenter tandem fatigantur, & fatigatæ quietem appetunt. Naſcitur auis ad uolandum, inquit ille, & homo ad operandum. Requirit tamen, ut nec auis continuo uolatu, nec homo indeſinenti labore conficiatur. Quare ueriſsimũ eſt illud Poetæ: Quod caret alterna requie, durabile non eſt. Quòd ſi auis neceſſe habet, ut à uolandi labore, tam leui ac facili, ſubinde quieſcat: quanto magis humana conditio & fragilitas requirit, ut operandi laborem alterna quiete interrumpat, & naturæ uires recreet? Sunt itaq; inhumaniſsimi illi ergadioctes, qui ſubditis ſuis ægerrimè permittunt, ut à labore paululum reſpirent. *Requiẽ appetũt omnia ſpirantia. Iob 5.*

Simul & illud cogitemus. Columba emiſſa non inuenit ubi pes ipſius quieſceret. Ergo talis erat tum ſtatus totius terræ, ut ubi antea non ſolum quieuerant, ſed & deliciatæ fuerant innumeræ mortaliũ, hominum impiorũ & corruptiſsimorũ myriades, præter iumenta, & reliquorũ generum animalia innumerabilia, ibi tantũ non reperiatur cõmoditatis, ut unius auiculæ pes aliquo ſaltem uſq; conquieſcat. Hæc erat mutatio dexteræ excelſi, hæc potentia iuſti iudicij Dei. Timendum eſt, ne pari iudicio Dei eueniat aliquãdo, ut ubi nunc multa impiorum hominũ millia turpiſsimè ac fœdiſsimè libidinantur, ibi ne unica quidem columba inueniat unde neceſſarium accipiat alimentum. *Maxima rerum mutatio.*

Tertiò: Reuerſa eſt, inquit, ad eum in arcam. Vide quid faciat neceſsitas. Vbi ſe nuſquam quieſcendi commoditatẽ inuenire ſentit columba, redit ad Noe in arcam, in qua fuerat ueluti in cuſtodia detenta. Cum libera eſſet, redijt in arcam ſub poteſtatem hominis, à quo fuerat dimiſſa, malens relinquere libertatem quàm uitam. Erat hoc prudentiæ. Sic auicula ſimplex, cuius nobis ſimplicitas exempli loco, pponitur à Chriſto Matth. 10. hactenus ſapiebat, quòd duro neceſsitatis telo coacta libertatem cum ſeruitute mutabat, ne uitam in libertate intempeſtiua amitteret: ſed futuræ ſe libertati reſeruaret, quam & poſtea eſt conſequuta. Quanto quæſo prudentius ſe geſsit ſimplex hæc columba, quàm ſuperbum eorũ ſupercilium, & pertinax contra iudicia Dei ingenium, qui uitam ſibijpſi eripere maluerunt, quàm colla ſeruituti à Deo impoſitæ ſubmittere. id quod non à gentibus modò, ſed & Iudæis factum eſſe ſcribit Ioſephus. Fuerant mali liberi, poterant eſſe boni ſerui, & aliquando per gratiam Dei priſtinæ libertati reſtitui. Verùm quoniam cordibus erant excæcatis, & uitam & libertatem amiſerunt. *Quid faciat neceſsitas.*

B Quartò: Extenditq; manum ſuam, & intulit eam in arcam. Vide utriuſq; & Noe & columbæ mansuetudinem. Noah afflictim edoceri cupiebat, num aquæ ceſſaſſent ſuper terram. Hanc ob cauſam emiſerat columbam, ſperabatq; ex illa, ubi reuerteret, aliquod exiccatæ terræ indicium. Iam ubi reuerſa nihil adfert indicij eorum quæ ipſe ſperauerat, abſq; ulla impatientiæ ſignificatione reuerſam extenta manu recipit in arcam: longè aliter animatus quàm pleriq; ex magnatibus, qui uſq; adeò ſunt impatientes ubi ſpe ſua fraudantur, ut inſontes quoq; famulos, qui fideliter quod poterant præſtiterunt, præter omne meritũ, quaſi in re impoſsibili poſsit eſſe culpa, improbiſsimè affligant. Columbæ manſuetudo in eo declarata eſt, quòd non ſolum redijt ad arcam, ſed & feneſtræ aſſedit, unde fuerat emiſſa, & extentam in ſe Noe manũ haud effugit, cum poſſet, ſed apprehendi ſe paſſa eſt, & in arcam referri. Hoc genus manſuetudinis nihil habet noxij, nihil habet dedecoris: ſed & utile eſt, & cum ſapientia debitæ obedientiæ coniunctum. Vtiliter manſuetus eſt, qui ſuo ſe bono apprehendi tractariq; permittit. Recta eſt & debita manſuetudo, qua manus heri non effugitur à ſubdito, ſed patienter perfertur. *Manſuetudo utriuſq; et Noe et columbæ.*

OBSERVATIO III.

Expectatis autem ultrà ſeptem diebus alijs, rurſus dimiſit columbam ex arca. At illa uenit ad eum ad ueſperã, portans ramum oliuæ uirentibus fõlijs in ore ſuo. Intellexit ergo Noe quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram: expectauitq; nihilominus ſeptem alios dies, & emiſit columbam, quæ non eſt reuerſa ultrà ad eum.] De myſterio folij oliuæ dicetur infrà. In præſenti conſideremus columbæ huius factum. Quoniam extra arcam nondum manere poterat, reuerſa eſt: uerùm non uacua, ſed decerptum oliuæ folium ſecum abſtulit: eoq; indicio animos eorum qui in arca erant, nonnihil recreauit. Haud quidẽ de induſtria fecit hoc columba, ſed naturæ ductu: inde tamen exemplum nobis præſtatur, ut quod illa inſtinctu naturali fecit, nos rationis iudicio & humanitatis affectu faciamus. Hoc eſt, animos abiectorũ ac triſtium ſignificatione rerum lætarum ſeſe per gratiam Domini offerentium exhilaremus. Tales columbæ erant quatuor illi leproſi, de quibus 2. Reg. 7. legitur, qui fugam Syrorum certis experimẽtis cognitam obſeſsis in Samaria ſignificantes, quaſi folium oliuæ in caſtris hoſtium decerptum, ore ſuo in ciuitatem detulerunt. *Colũba euangelica animũ Noe recreabat.*

Deinde in eo quòd ſeptem diebus iterũ atq; iterum expectatis columbam emiſit, admonemur de eo quod uulgo dicitur, *In acht tagen laufft viel Waſſers den Rhein abe.* quo dicto ſignificatur, ſeptem dierum curriculo multa deteri de rebus incõmodis, & in præſentia animos mortaliũ diuexantibus. Sic omnino ſentiebat Noe: ideoq; cũ reuerſa columba nondũ plenam exiccatæ terræ ſignificationẽ accepiſſet, ſpacio ſeptẽ dierũ quieſcit, ſperãs fore, ut interea maxima aquarũ uis deficeret, ac terra ſiccari inciperet. Breue eſt ſeptẽ dierũ ſpaciũ, at incredibile eſt, quantã adferat rebus triſtibus mutationem ac diminutionem. *Spaciũ ſeptẽ dierũ multa de malis noſtris deterit*

Tertiò & illud conſideremus, quòd columba tertiò emittitur, coruus duntaxat ſemel. Declaratur hoc exemplo, quomodo manſuetudo & parata obediẽtia cõmodè ſeruientiũ ſuperiorib. arrideat, eoq; permoueat, ut nullius ſeruitio cupidius ac ſæpius utantur, quàm morigerorũ ac ſpontaneorum. Dici uerò nequit, quantã res iſta beneuolentiã manſuetis & ſponte obediẽtibus hominib. corã maioribus cõciliet. *Corũus ſemel, columba uerò tertiò emiſſa.*

Reperias aũt tam malo ingenio præditos ſubditos, ut de induſtria quod in mandatis acceperũt, malè & ſic exequantur, ut efficiant ne ultrà rebus gerendis adhibeantur, magis cornuum quàm columbam imitantes. Indigni ſunt huiuſmodi homines, qui ulla in re commoda, utili et honeſta cuipiam ſeruiant, & quibus uiciſsim à quoquam beneſiat.

Non eſſe deſperandum, ſi ſemel atq; iterum fruſtra quæſierimus

Quartò: Quæ non eſt reuerſa, inquit, ultrà ad eum. Vide auiculæ huius ſortem. Quæ antea cum eſſet intempeſtiuius & fruſtra emiſſa ex arca, non inuenerat ubi pes ipſius quieſceret, poſtea reperit ubi prorſus maneret, atq; ita potita eſt libertatis refocillatione, eamq; ob cauſam ad arcam non amplius reuerſa. Admonemur ne deſperemus, ſi ſemel atq; iterũ non conſequimur quod quærimus, ſed perſeueremus donec tempeſtiuum fuerit, ut beneficio Domini contingat quod aliquanto antea negabatur. Dictum quidem eſt, Qui quærit, inuenit: uerùm conſiderandum eſt in hoc columbæ exemplo, quantum referat quàm tempeſtiuè & quàm perſeueranter quæramus.

OBSERVATIO IIII.

Igitur ſexcenteſimoprimo anno uitæ Noe, primo menſe, prima die menſis, imminutæ ſunt aquæ ſuper terram. Et aperiens Noe tectum arcæ, aſpexit, uiditq;, & ecce exiccata erat ſuperficies terræ.] Primùm obſerua, quòd aquæ ſuper terram 601. anno uitæ Noe, primo menſe, prima die menſis, imminutæ fuerunt. Erat is dies natalis Noe, quo iam annos 600. ad plenũ abſoluerat. Sic iuſti uiri natales inſigni hoc gaudio coloni ſtauit Dominus, ut in illis primũ ſuis ipſius oculis cerneret, quod diu iam magno deſiderio expectauerat. Significabat ſexcentorũ annorũ moleſtias unà iam cum illorum terminatione deſiſſe, et adeſſe lætum noui mundi primordia. Deinde & ipſa tecti apertura hoc præſagiebat, quòd non eſſet futura in poſterum arcæ huius neceſsitas. Tectum aperitur in illis ædificijs, quæ iamiam ſunt demolienda.

Natales Noe inſigni gaudio exhilarabantur.

Apertura tecti.

Operis Dei perfectio cum admiratione tandẽ uiſitur.

Et illud conſideremus quod dicit, Et ecce exiccata erat ſuperficies terræ. Admirationis emphaſim in uocula Ecce, nõ ocioſe adiecit Moſes. Ingens erat deſideriũ Noe, quo nõ ſine expectationis moleſtia terræ ſiccitatẽ uidere geſtiebat. Interea dum in arca cum eiuſmodi deſiderio quotidie conflictaſ, nec ullis accipit oraculum Dei, ſed ex auiũ indicijs aliquid experimenti quærit, non ociatur cura & prouidentia Dei, ſed quemadmodũ ſuprà initio capitis huius, Recordatus Noe & eorũ qui cum ipſo erant in arca, uentumq; & aquas diſpulſurũ, et terram exiccaturũ immiſiſſe cõmemoraſ, ita & opus eiuſmodi ad finẽ perduxit. Sic non quieſcit Deus ab opere ſuo, donec quod cœpit perficiat, etiamſi ſuis in cura & ſolicitudine conſtitutis non ſemper pro uotis ipſorũ opus ſuũ, antequã perficiatur, oraculis & apparitionibus manifeſtet. Quare nemo putet de opere Dei, quo ſalutem piorũ exequitur, ſecundum animi noſtri ſenſus & experientiam eſſe cenſendum. Etenim ſiue dormiamus ſiue uigilemus, ſiue anxij ſimus & ſiue quieti ſimus ac ſecuri, opus Dei quod ab æterno deſtinauit, & oraculis ſuis piorũ cognitioni patefecit, nullis remoris impeditur, ſed infracto curſu ad effectum tendit, ſic ut aliquando cũ admiratione dicturi ſimus, Ecce aquæ tribulationum defecerunt, & terra hactenus diluuio ad cœlum uſq; adoperta priſtinam eſt ſiccitatem conſequuta.

Menſe ſecundo, ſeptimo, & uiceſimo die menſis arefacta eſt terra. Locutus eſt autem Dominus ad Noe, dicens: Egredere de arca tu, & uxor tua, filij tui, & uxores filiorum tuorũ tecum. Cuncta animantia quę ſunt apud te ex omni carne, tam in uolatilibus quàm in beſtijs, & uniuerſis reptilibus quæ reptant ſuper terram, educ tecum, & ingredimini ſuper terram. Creſcite & multiplicamini ſuper eam. Egreſſus eſt ergo Noe, & filij eius ſimul, uxor illius, & uxores filiorum eius cum eo. Sed & omnia animantia, iumenta & reptilia quæ reptant ſuper terram, ſecundum genus ſuum egreſſa ſunt de arca. Aedificauit autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecorib. & uolucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare. Odoratusq; eſt Dominus odorẽ ſuauitatis, & ait ad eum: Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines. Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Non igitur ultrà percutiam omnem animam uiuentem, ſicut feci. Cunctis diebus terræ ſemẽtis & meſsis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies nõ requieſcẽt.

LECTIO.

Et ingredimini ſuper terram.] In Hebræo eſt ורישרצו בארץ, id eſt, Repant ſuper terram. Alij uertunt, Et prolificent ſuper terram. Interpres Onkeli uertit, Et procreent in terra. Significat uerbum ישרץ nõ ſimpliciter repere, ſed ebullire quoq;, & ſcatere: unde iſti occaſionem ſumpſerunt uertendi, Et prolificent ſuper terram.

Creſcite & multiplicamini.] Sunt qui uertant, Creſcant & multiplicent, quaſi de animantibus tantum ſit dictum. At in Hebræo eſt פרו ורבו, quod & ſuprà cap. primo, & infrà cap. ſequenti reddunt cõmuniter, Creſcite & multiplicamini. Quare non uideo cur hic perſona mutari debeat,

Sed &

Sed & omnia animantia, iumenta, & reptilia quæ reptant super terrã secundũ genus suũ, &c.] At Græcus, *καὶ πάντα τὰ θηρία, καὶ πάντα τὰ ἑρπετὰ, καὶ πᾶν πετεινὸν, καὶ πᾶν τὸ ἐπιθυμοῦν ἐπὶ τῆς γῆς κατὰ γένος.* In Hebræo non est, Et iumenta. Deinde Latinus non habet רבל חעוף, id est, Et omnia uolatilia.

Odoratusq; est Dominus odorem suauitatis.] Græc. ὀσμὴν εὐωδίας: id est, Odorem bonæ fragrantiæ. At in Hebræo est ריח הניחח את, hoc est, Odorem quietis. Sic reddiderunt Pagn. & Monst.

Et ait ad eum.] Hebraicè est, אל לבו, id est, Ad cor suum. Latinus legit, Ad cor eius: ideoq; reddidit, Ad eum. Alij legunt, In corde suo. Græcus reddidit διανοηθείς: id est deliberans, animo secum uolutans.

Propter homines.] Græcus uertit, διὰ τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων: id est, Propter opera hominum.

Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt.] In Heb. est יצר לב האדם רע, id est, Quoniam figmentum cordis hominis malum est.

Non ultrà percutiam omnem animam uiuentem.] In Hebræo est חי כל, id est, omne uiuens. Græcus πᾶσαν σάρκα ζῶσαν uertit: id est, Omnem carnem uiuentem.

Aestas & hyems.] Græcus uertit, θέρος καὶ ἔαρ, id est, æstas & uer.

EXPLANATIO.

Mandatum Dei ad Noe.

Mense secundo, &c.] Præsens hic contextus ad finem usq; capitis quadrimembris est. Primò cõtinet mandatum Dei ad Noe de egressu arcæ prolatum. Huc pertinet quod dicit, Mense secundo, septimo, & uicesimo die mensis arefacta est terra, & loquutus est Dominus ad Noe dicens, Egredere ex arca, &c. προγνωστικῶς præmittitur ut sciamus quando egressus sit Noe ex arca. Suprà quidem dixit, aquas fuisse super terram imminutas anno 601. uitæ Noe, mense primo, prima die mensis, uidisseq; Noe, quòd arefacta esset superficies terræ: uerùm quoniam ipsa tellus nondum planè & per omnia exiccata erat, licet superficies illius siccari cœpisset, dilatum est mandatum Dei de egressu arcæ, donec sufficienter esset arefacta: id quod postea spacio bimestris temporis, minus triduo, est effectum. Quare non est permissum Noe, ut citius egrederet. Sic dicit: Mense secundo, septimo, & 20 die mensis arefacta est terra. Non dicit, ut suprà, Exiccata est superficies terræ: sed, Arefacta est terra ipsa. Et addit, Loquutus est Dominus ad Noe, dicens: Egredere de arca, tu & uxor tua, filij tui, & uxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia, &c. Oraculũ hoc ad Noe factũ est eo ipso die, quo iam terrã arefactã fuisse dixit. Continet autem ista: Primùm, iubet eum egredi de arca unà cum uxore, filijs, & filiorum uxoribus. Dubio procul non solum iussit ut egrederetur, sed & ostium arcæ quod ipse foris clauserat simul aperuit. Deinde
B & de animantibus nominatim præcipit, ut illa quoq; secum educat, quo super terram repant. Tertiò, iubet ut crescant & multiplicentur: quibus uerbis in pristinam eos cõditionem restituit, admonetq; eius quod, cum de ingressu arcæ præciperet, ad Noe dixit, nempe: Vt sint semẽ super faciem uniuersæ terræ. Ad hoc erant in arca seruati & Noe & bestiæ. Quare oraculo suo illos ad destinatum finem consecrat, dicens, Crescite & multiplicamini. Hactenus de primo contextus huius membro.

Obedientia Noe

Egressus est ergo Noe, & filij eius simul, &c.] Pertinent ista ad secundum membrum, & continent obedientiam Noe, qua mandato Dei obtemperans egressus est ex arca cum suis, ac simul omnia animantia secum eduxit. Cõmemorantur autem ista à Mose non sine ratione tam diligenter. Poterat simpliciter dicere, Fecit Noe quod iussus erat à Domino. Verũ uoluit egressum illius ex arca diligenti specifica tione describere, quo sciamus nihil in egressu arcæ desideratum fuisse ex omnibus tam bestijs, iumentis, reptilibus, &c. quàm hominibus. Quotquot arcam fuerant ingressa, singula genera secundum species suas egressa sunt. Nihil ex illis in arca decessit. Nec confuse egressa sunt, sed generum coniunctionẽ seruarunt, ad institutam multiplicationem necessariam: quò pertinet, quod dicit, Sed & omnia animantia, omnia reptilia, & כל חעוף, id est, omnia uolatilia, & quicquid repit super terram, secundum genus suũ egressa sunt de arca.

Pietas Noe erga Deum.

Aedificauit autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis, &c.] Referenda sunt ista ad tertium membrum, quo pietas Noe erga Deum liberatorem & conseruatorem declarata describitur. Primum ædificauit Domino aram, in qua illi sacrificia offerret. Sic non simpliciter dicit, Aedificauit Noe altare: sed addit, Domino. Deinde accepit de iumentis & uolucribus, quæ Domino offerret. Accepit autem cum discretione. Non legimus quòd de חיות, id est, feris ac bestijs, aut de רמשים, id est reptilibus, sed quòd de iumentis & uolatilibus acceperit. Adhæc nec de quibuslibet ex illis, sed de mundis. Censuit indignam rem esse, offerre Deo de immundis, à quibus homines abhorrent. Tertiò, obtulit non qualiacunq; sacrificia, sed holocausta, quæ reliquis sunt præstantiora. Hoc cultus genere animi sui gratitudinem erga Deum declarauit, illiq; sacrificium laudis obtulit.

Quomodo sacrificium Noe Deo placuerit.

Odoratusq; est Dominus odorem suauitatis, & ait ad eum.] Hoc quarto membro cõmemoratur, quomodo sacrificium hoc Noe acceptum fuerit à Domino, & quid coram illo effecerit. Odoratus est, inquit, Dominus odorem suauitatis: uel, ut in Hebræo est, quietis, aut si mauis, placationis. Hoc est, Placuit Domino sacrificium Noe, sacrificium placationis. Et ait אל לבו, Ad cor suum. Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines, &c. Significat his uerbis quid effecerit coram Deo sacrificium Noe. Loquitur de Deo more humano, quasi perinde ut homo odoratus sit odorem sacrificij, secumq; in corde suo loquutus. Propriè nõ conueniunt ista Deo, sed per figuram anthropopathicam illi tribuunt, qua quod gestum est diuinitus, more hominibus capaci exprimitur. Cum diluuio Deus uniuersam carnem de superficie terræ propter malitiam mortalium deleuisset, & Noe ex arca egressus sacrificium gratiarum actionis obtulisset, inducitur à Mose eiusmodi sacrificio usqueadeò placatus, ut penes se cõstituat, quod

nunquam in posterum terræ propter homines maledicere, & cuncta uiuentia perdere, sed constitutionem mundi primæuam illam retinere uelit, in qua sit perpetua sementis & messis, frigoris & æstus, hyemis & æstatis, diei & noctis uicissitudo. Narratio hæc humanitus est formata, res ipsa quæ cõmemoratur diuinitus ab æterno, consilio Deo competenti, constituta.

Sensus & cogitatio hominis.

Illud quod interseritũ est, Sensus enim & cogitatio humani cordis prona est ad malũ à iuuẽtute sua, ætiologiã habere uidet, quã cõmuniter de eo exponũt, quòd eam ob causam nolit Deus amplius eiusmodi uniuersali plaga totã terrã et cũcta uiuentia ,ppter homines perdere, quòd cor hominis prauum sit à iuuentute sua, nequeatq; huiusmodi plagis emẽdari, sed citius uniuersa mũdi machina prorsus perdenda sit, quàm hominis malitia corrigi queat. Quod dicit, Cunctis diebus terræ sementis & messis, idẽ est ac si dicat, In diluuio nec semẽtis fuit nec messis, nec frigus nec æstus, nec æstas nec hyems, nec dies nec nox, sed cõfusa omnia, quã confusionẽ rerũ & status ab initio cõstituti nõ inducã posthac ,ppter malitiam hominũ, sicuti feci, sed cũcta hæc in ordine primæuo seruabo. Chrysost. illud, Cũctis dieb. terræ, refert ad præcedentia ad hunc modũ, Nõ igit ultrà percutiã omnẽ carnẽ uiuentẽ, sicuti feci cũctis diebus terræ. Quamuis sensui nihil decedat, uidet tamen cõmodior esse distinctio, si ad sequentia referamus, sicut etiam in Hebræo legitur.

Cunctis dieb. terræ sementis.

QVAESTIO I.

Quare Moses de mundis animalibus Noe sacrificasse dicat, cum de Abele non dixerit.

Et tollens de cunctis pecorib. & uolucrib. mundis, obtulit holocausta super altare.] Poterit hic quæri, quare Moses nõ simpliciter cõmemorare uoluerit, quòd de pecorib. Noe & uolucrib. Dño obtulerit, sed quòd obtulerit de mũdis. Quòd si iam tũ haud de immũdis, sed mũdis dũtaxat sacrificare licebat, uel si magni alicuius momẽti ad uerũ cultũ Dei erat, sacrificare de mũdis, debebat id etiam de sacrificio Abelis cõmorari. Nam dubio ,pcul nec ille nisi de mũdis Dño obtulit. Cũ igit nulla mundorũ mẽtio in descriptione sacrificij Abelis fiat, quæsierit forsan quispiã, qua de causa Moses hic cõmemorare uoluerit, quòd Noe de cunctis pecorib. & uolucrib. mũdis holocausta super altare obtulerit. Respõdeo. Verũ est, nec Abel obtulit de immũdis, nec quispiã piorũ siue ante siue post Noe sacrificiũ Dño de immũdis obtulit, necnu lisset hoc ueræ pietatis studiũ. Quòd aũt de Abele nulla est mẽtio mundorũ facta, in promptu causa est. Meminit de illo Moses qd fuerit pastor ouiũ. Deinde ubi de sacrificio illius scribit, dicit eũ obtulisse de grege suo, hoc est, de ouibus. Pertinẽt aũt oues ad animalia mũda. Quare nõ erat opus, ut diceret eũ de mũdis pecorib. obtulisse, cũ id satis esset in eo expressũ, qd meminit eũ sacrificasse de grege ouiũ. Quòd uerò pietatẽ Abelis cõcernebat, de illa cõmeminit, ubi dixit eũ nõ simpliciter de grege, sed de primogenitis, & adipe illorũ sacrificasse. Nam & de mũdis poterat negligẽtius ac uilius æquo sacrificare, nisi ex animo pio & sincero obtulisset. Quod uerò Noe sacrificiũ cõcernit, haud præter rationẽ est, qd illũ de mũdis obtulisse dicit. Habebat enim sub se nõ oues tantũ, capras & boues, turtures & colũbas, sed omnis generis animãtia tam immũda quàm mũda, & ipsa historia expresse de mũdis & immũdis animalibus meminit. Quoniã igit de sacrificio illius dicendũ erat, nõ modò quòd obtulerit Dño, sed & quòd sacrificiũ eius Dño placuerit, ne sine discrimine de quibuslibet animalib. tam immũdis quàm mũdis sacrificasse putet: uisum est operæpreciũ, ut significanter de mũdis illũ iumẽtis uidelicet & uolucrib. obtulisse memoraret, ut hominis pietatẽ erga Deũ exprimeret. Nõ erat eadẽ ratio Noe quæ fuerat Abeli, ut de primogenitis, illorũq; pinguedine offerret (haud enim eã habebat pecorũ mundorũ copiã, quæ fuerat Abeli) alioqui & ipse consimiliter de primogenitis, & adipe illorũ obtulisset, nec eam pietatem Moses obticuisset. Sic eadẽ utrobiq; pietas cùm in Abele tum in Noe fuit, quam & uterq; suo modo sacrificando declarauit.

QVAESTIO II.

Quomodo malũ sit figmentũ cordis humani, cum fictor illius sit Deus.

Sensus enim & cogitatio humani cordis prona sunt ad malũ ab adolescẽtia sua.] In Hebræa lectione יצר לב האדם רע, id est, quoniam figmentum cordis hominis malum est, quæstio nascitur quomodo Deus ipse figmentum cordis humani malum esse dicat, cum præter ipsum nemo sit alius qui corda filiorũ hominum, immò ipsos homines totos fingat. Psalmo tricesimotertio de Domino canit Dauid, dicens, יוצר יחד לבם, id est, qui fingit singulatim corda eorũ. Si malũ est figmentũ cordis humani, & fictor illius præter Deũ nemo est alius, consequit Deũ esse nõ solũ authorẽ, sed & opificẽ mali, malũ uidelicet mali cordis fictorẽ. Deinde quoniã quicquid malorũ operũ perpetrat ab homine, è malo illius corde pascitur, teste Christo Matt. 15. sequit & horũ autorẽ ac causam esse Deũ. Etenim quicquid est causa causæ, etiã causa est causati. Quid aũt de Deo poterit absurdius dici, quàm quòd sit malorũ & fictor & autor? Quomodo iudicabit orbẽ de iniustitia & peccato, si iniustitiæ & peccati autor existit? Respondendũ est, uocẽ figmẽti usurpari posse dupliciter. Primũ, ut sumat de opere Dei. Eo sensu uerũ est, cor hominis esse figmentũ Dei, tanquã ab illo fictũ & creatũ. Deinde ut capiat non de opere Dei, sed de studio, uolũtate, cogitatione & meditatiõe cordis humani. Sic cũ dicit hoc loco figmentũ cordis humani malũ, non quatenus corda nostra à Deo sunt ficta dicit, sed quatenus ipsa malis fingẽdis & cogitãdis studẽt, ut figmentũ cordis sit, non quo cor nostrũ fictũ est à Deo, sed qd ipsum noctes ac dies malo studio cogitat ac fingit. Malitia ista nõ est Dei, corda nostra fingẽtis & creãtis, sed cordiũ nostrorũ quæ mala sunt fingentiũ. Nec ,puenit ex corde nostro, tanquã figmẽto Dei, sed ex ueneno peccati originalis, cõtracti ex parentib. nostris, in quo & cõcipimur & nascimur. Quare quòd causa causati esse dici, quispiã est causa causæ, uerũ est: si rectè intelligat. Est Deus causa cordiũ nostrorũ, sicuti opifex causa est operis sui: & corda ipsa dici possunt causa malorũ figmentorũ, sicuti fons causa est aquæ ex ipso ,pfluentis, et radix fructuũ qui ex illa nascunt. Verũ nõ potest Deus dici causa cordiũ nostrorũ quatenus mala sunt, sed quatenus sunt. Vt sint, habẽt à Deo: ut mala sint, inductũ est à satana. Malũ fieri ex bono causam habet nõ effectiuam, sed defectiuã. Qui causa boni est, effectiuè est, nõ defectiuè. Qui mali, ut mali causa est, defectiuè est

Qui causa est causæ, est etiam causa causati.

A nõ effectiuè, Qui causã est essendi, non est causa nõ essendi. Causa essendi cordi humano Deus est, quatenus ab illo conditũ est, ut & esset, & bonũ esset: ergo nõ potest dici causa, siue nõ essendi, siue nõ sic ut conditũ est, essendi. Et ipsa uerba præsentis cõtextus satis sunt cautè posita. Nõ dicit, Quoniã figmentũ cordis humani malũ est à creatione, uel à principio: sed מנעוריו, id est, ab adolescentia sua, ut significet se loqui de cõsilijs, studijs & cogitationib. humani cordis, quæ homo in corde suo corrupto ab eo tẽpore uoluit ac reuoluit, quo per ætatẽ capax est cogitationũ, consiliorũ, studiorũ ac meditationũ: id quod statim ab adolescẽtia fieri solet, nõ de opere creationis, quo corda nostra finguntur. Sic Deus causa quidẽ est cordis nostri, sed nõ causa causati, id est mali figmẽti, quod ex corde corrupto & infecto nascitur. Finge ollam quandã sic esse ueneno à nebulone quodã infectam, ut lethale sit quicquid in illa coquitur. Figulus qui ollã fecit, illius quidẽ causa est quatenus olla est, non aũt quatenus ueneno infecta est. Ergo neq; causati, id est ueneficij causa dici poterit. Ad hũc modũ & hoc loco de Deo cordiũ nostrorũ fictore dicendũ est.

QVAESTIO III.

Quare Deus nolit amplius facere quod semel fecit, propterea q, figmentũ cordis humani malũ est

Et illud quæri poterit, quõ dicat se Deus ,,ppterea terræ ,,ppter homines maledicere omnẽq; animã uiuentẽ percutere nolle, qd' sensus & cogitatio humani cordis ad malũ prona sunt, cũ eam ipsam ob causam & terra maledicẽda, & quæcũq; uiuẽtia percutiẽda uideant, nisi dicturi sumus diluuiũ hoc uniuersæ terræ & carni prætermeritũ fuisse inductũ. Nam suprà cap. 6. sic legimus, Vidẽs aũt Deus quod multa malicia hominũ esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malũ omni tẽpore, pœnituit eũ quòd fecisset hominẽ in terra, & præcauẽs in futurũ, & tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominẽ, quẽ creaui, à facie terræ, &c. quibus uerbis manifestè significat, caussam hanc fuisse perdẽdæ carnis uniuersæ, qd' cũcta cogitatio cordis humani omni esset tẽpore prona ad malũ. Quærit itaq; quõ malicia cordis humani eadẽ absq; ulla mutatione permanẽs ante diluuiũ causa fuerit perdẽdæ carnis uniuersæ, post diluuiũ uerò rationis uice inducat, ,,ppter quã nolit Deus amplius maledicere terræ, & cũcta uiuentia, sicuti fecerat, percutere. An mutatus fuit Deus ut quod ante diluuiũ iustũ & utile esse iudicauit, post diluuiũ iudicauerit esse diuersum? Nõ esset quæstioni locus, si diceret: Nequaquã ultrà maledicã terræ ,,ppter homines. Erũt enim in posterũ pij & iusti, et cogitatio cordis humani ab adolescẽtia sua prona erit nõ ad malũ, sicut antea, sed ad bonũ. Respõdeo. Neq; mutat Deus ut homo, neq; præter iustissimas rationes diluuiũ catholicũ orbi induxit, sed pro sua summa sapientia quod semel ad declarandam iusticiã suã pœnas uniuersales de priore mũdo sumẽdo fecit, id se nõ facturũ in posterũ amplius cõstituit. Quod aũt adiectũ est, Quoniã figmentũ cõdis humani malũ est ab adolescẽtia sua, nõ sic est intelligendũ, qd' mũdo ,,ppterea qd' malus est parcere cõstituerit, sitq; nõ puniturus amplius eos qui sine ulla pœnitẽtia in impietate & malicia sua perseuerãt, sed qd' nolit amplius ,,ppterea maledicere terræ & cũcta uiuẽtia percutere quod cor humanũ inde ab adolescẽtia sua malũ est & mala fingit ac meditatur. Hisce uerbis nulla cõstituit peccantib. securitas, sed pactũ ponit cum terra & animantib. quod status orbis ac terræ nõ sit amplius tali cõmuni exitio ,,ppter maliciã cordis humani subijciẽdus. Hunc sensum ipse uerborũ cõtextus satis exprimit. Quare qd' dicit, Quoniã figmentũ cordis humani malũ est ab adolescẽtia sua, arbitror nõ esse separatim legendũ quasi rationẽ habeat ,,ppter quã ista cõstituerit Deus, sed tãquã expositionẽ intelligendũ eius qd' dixit ,,ppter hominẽ, ut sic legat: Nequaquã ultrà terræ ,,ppterea maledicã q, figmentũ cordis humani malũ est ab adolescẽtia sua, neq; eam ob causam ultra percutiã omnẽ animã uiuentẽ sicuti feci. Quid est quare fecerat? Maledixerat terræ, et percusserat omnia uiuẽtia. quare? Propter hominẽ. Ad quid ,,ppter hominẽ? Quod figmentũ cordis eius dũtaxat malũ esset omni tempore. Eã maliciã hominis dicit haud fore sibi posthac causam, ,,ppter quã terræ uniuersæ maledicat, & cũcta uiuẽtia percutiat, sicuti iã fecerat. Causa ,,ppter quã, nõ exprimit hisce uerbis, sed causa ,,ppter quã nõ: quæ tamẽ antea fuerat causa ,,ppter quã. Aliud est si dicat rex, quòd nolit posthac amplius eã ob causam uastare finitimos agros qd' incolæ mali sunt ac peruicaces, & aliud, si dicat hoc se ideo nõ facturũ, qd' uideat eos esse malos & incorrigibiles. Sic aliud est si hic legas, Nequaquã ultrà maledicã terræ propter homines. Est enim figmentũ cordis humani malũ, inde ab adolescẽtia sua, ut sic causam ,,ppter quã nolit Deus amplius terræ ,,ppter homines maledicere expressam intelligas. Et aliud rursus est, si legas: Nequaquã ultrà maledicã terræ ,,ppter homines, sicuti feci iam cũ ,,pprer malitiã cordis humani diluuiũ tori orbi induxi, ut intelligas id quidẽ exprimi, quòd nolit posthac Deus humanæ malitiæ gratia uniuersam terrã uastare diluuio sicuti fecerat: uerũ quare nolit amplius ,,ppter malitiã cordis humani facere quod iam fecerat, nõ esse his uerbis expressum. Quòd si hunc sensum tenuerimus, nõ erit causa quærẽdi, quomodo cõueniat Deo, quòd mundo ,,ppter malitiã posthac uelit parcere, cũ uideat cõuenire illius iustitiæ, ut nõ ,,ppter malitiã, sed ,,ppter bonitatẽ ac ,,pbitatẽ parcat mortalibus: sed de eo quærendũ uidet, quæ causa sit qd' nolit amplius facere quod semel nõ iniustè, sed omniũ iustissimè fecit. Ad hanc quæstionẽ potest animus pius unico uerbo respõdere, nõ licere sibi statuere causas consiliorũ ei nullo uerbo Dei expressas, sed credere se, qd' nihil à Deo statuat unquã, qd' nõ sapientissimi rationib. nitat. Qd' semel diluuiũ orbi ,,ppter humani cordis malitiã induxit, ac terrã unà cũ omnis generis animãtib. cõmuni plaga percussit, quàm nõ sit damnandã iniustitiæ, suprà c. 6. ibi, Delebo hominẽ quẽ creaui à facie terræ ab homine usq; ad animantia, à reptili, &c. quæst. 2. eius loci dictũ est. Quod semel iustissimè factũ, cõstituit se nõ facturũ amplius, liberæ est illius potestati dandũ, quã nõ debemus sic in ius uocare, ut causas exigamus, quare diluuiũ hoc uniuersale nolit repetere, quare nõ igne et sulfure animaduertat amplius in masculorum cõcubitores, sicuti semel fecit, cũ Sodomitas perderet, quare nõ oẽs tyrannos plagis illis opprimat, quib. oppressit olim Aegyptiũ Pharaonẽ, quare nõ cunctos factiosos & schismaticos hatu telluris absumat

Quæ causa sit q, nolit Deus amplius propter humani cordis malitiã maledicere

etiamnum sicut olim fecit in deserto. Causas habuit, quare ista faceret semel: rursus causas habet, quare non faciat amplius. Cum faceret, iustè faciebat: & si adhuc faceret, non posset iniustitiæ argui. Cum ista non facit amplius, neq; hoc iniustè fieri censendum est. Quis principem iniustitiæ arguet, quòd regionē hostiū, semel à se iure belli uastatā, nolit posthac amplius cōsimili seueritate quantumuis iusta uastare ac perdere, sed alijs uti rationibus, quibus malitiā inimicorū suorum uel uincat, uel retundat? Quod in homine damnare nō possumus, in Deo ne damnabimus? Absit. Hoc responsi genus arbitror esse & cōuenientius propositæ quæstioni, & pio homini utilius, quàm si subtiliter de consilij ac propositi Dei causis scotizemus. Quòd si quis alterū sensum malit amplecti, quo causa ipsa exprimat, ob quā nolit Deus amplius omnem animam uiuentem propter homines percutere: ob id uidelicet, quòd figmentum cordis humani malum sit ab adolescentia sua, cogitet esse cauendum, ne causam hanc putet primū habere consilij Dei respectū, quasi prima sit, & nō secundaria: sed sentiat subesse aliquid aliud extra malitiam cordis humani, quod hic non sit expressum: cuius respectu Deus uniuersam terram propter homines percutere nolit amplius. Quid illud sit, si placet sententia ueterum, uide Chrysostomum: qui uidetur respicere ad misericordiam Dei, quòd misericordia motus sic statuerit, sicq; Noe pactū hoc significarit, quo in posterū nihil tale uenturū esse sciret. Perinde ac si paterfamilias uniuersa familia, quòd incorrigibilis esset, uirgis cæsa, domoq; dēptis nōnullis paucis, eiecta, randē misericordia motus & apud se cōstituat, & relictis paucis edicat, quòd nolit posthac amplius huiusmodi seueritate in uniuersam grassari familiā, eo quòd seruorum genus & malū sit, & pertinax, sic ut citius deleri quàm emēdari possit. Sic malitia humana causa quidem est, propter quam nolit Deus facere posthac amplius, quod semel fecit: uerū non est primaria causa, sed secundaria. Primaria est misericordia Dei parcens etiam delinquentibus, ne cunctos perdat. Secundaria est, malitia incorrigibilis, per quam fit, ut citius iterū atq; iterum perdatur diluuio totius orbis, quàm ut mundus plagis emendetur, & in ordinem redigatur. Et Augustinus huc respicere uidetur, cum dicit: Vtrum hic Testamenti noui indulgentia figurata sit, & præterita ultrò ad uetus pertineat Testamentum: hoc est, illud ad legis seueritatem, hoc ad gratiæ bonitatem. Quæstione super Genesim, libro primo.

QVAESTIO IIII.

Quomodo non sint cessatura sementis et messis, &c. cùm in futuro tamen seculo non sint futura.

Cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent.] Quærat hic aliquis, quomodo sementem & messem, frigora & æstum, æstatem & hyemem, noctem ac diem nunquam cessatura dicat, cum omnino sint ista in fine mundi desitura. Neq; enim in terra illa noua, & sub cœlo nouo, talem orbis constitutionem expectamus, in qua sint agri colendi, sementis facienda, facta demetenda, frigora & æstus perpetienda, & post diei splendorem noctis tenebræ subeundæ.

Paucis respondendum est. De tempore illo, quo mundus hic, uel si mauis, figura mundi huius terminabitur, & cuncta innouabuntur, non loquitur Deus, sed de statu præsentis mundi. Neq; enim simpliciter dicit, Nunquam sementis & messis, &c. requiescent: sed significanter, Cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent. Per dies terræ, tempus intelligit præsentis seculi, & de statu hoc terreno loquit, in quo uiuimus, donec hic mundus terminetur. De statu futuri seculi non loquitur, sed hunc suæ potestati & scientiæ reseruat. Deinde de eo nō loquitur, quid particulariter singulis regionibus, sed quid cōmuniter toti esset orbi euenturum. Etenim aliàs sæpe accidit, ut alicubi terrarum nec sementis sit, nec messis, sicuti in Israele sub Eliah accidit, cum annos tres, & menses sex nulla demitteretur pluuia. 1. Reg. 17. 18. Et Aegyptijs triduani tēporis spacio nulla erat dies, sed continuæ noctis caligo. Interea tamen quod alicui regioni negatur, alijs non adimitur.

OBSERVATIO I.

Quòd Noe tandemū arcam iubetur egredi, cū esset terra prorsus arefacta.

Mense secundo, & uicesimo die mensis arefacta est terra, & loquutus est Dominus ad Noe dicens, Egredere de arca, tu & uxor tua, &c.] Primùm illud expende, quid tum demum, ubi terra prorsus esset arefacta, ora culo Dei iubetur Noe egredi de arca. Viderat ante bimestre tempus superficiem terræ undis esse liberatam, & tamen ne uerbo quidem de egressu arcæ admonetur, donec terra commoda esset ad inhabitandum. Hæc est fides Dei erga suos, qua cuncta suis, hoc est, tempestiuis momentis cum illis gerit, etiamsi caro ægerrimè fidem hanc Dei agnoscat, & patienter tempora & articulos temporum expectet, quibus quod gerendum est, commodè & utiliter geratur. Hanc fidem Dei in eo expresit Moses, quòd nō simpliciter dicit, Mense secundo, & uicesimoseptimo die mensis loquutus est Dominus ad Noe, dicens, Egredere, &c. sed, Mense secundo, & uicesimoseptimo die mensis arefacta est terra, ac tum demum subiecit, Et loquutus est Dominus ad Noe, dicens, Egredere de arca. Cogitaret lector, quare tam diu detinuit eos Dominus in arca, cum terra iam ante bimestre tempus liberata esset ab aquis? nisi legeret, arefactam illam demum esse mēse secundo, uicesimoseptimo die mensis, ideoq; statim eo ipso die iussum esse Noe, ut ex arca cum suis egrederetur. Et molestum & incōmodum fuisset citius egredi. Quare ipsius bono detentus est, ne ante hunc diem egrederetur. Hæc est paterna prouidentia & cura Dei, qua rebus humanis consulit optimè, dum nos diuersum suspicamur.

Patientia Noe.

Deinde & patientiam Noe considera. Quamuis, dubio procul, quod & facta ipsius testanē, cupidissimè ad egressum arcæ anhelabat, haud tamen affectib. suis hactenus acquieuit, ut iniussus ex arca prorumperet, & oraculum Dei præueniret, sed patienter expectauit, donec ab eo iuberet egredi, cuius iussu arcam fuerat cum suis ingressus. Videmus huiusmodi exemplis quæ fuerit uiri pietas, & qua fide ac spe à Deo pependerit. Expectauit in omnibus uerbi Dei & authoritatem & lucem, ne quid suopte arbitrio & iudicio tentaret. Quare necesse fuit ut omnia illi prosperrimè succederēt. Quàm felices essemus, si ad

A si ad exemplum Noe affectibus nostris imperaremus, ne quid citra præscriptũ uerbi Dei moliremur? Iam quoniam imperio non Dei, sed nostrorum affectuum subiacemus, quid mirum est, si uarijs incõmodis reddamur obnoxij?

Tertiò: Tu, inquit, & uxor tua, filij tui, & uxores filiorum tuorum tecum. Rursus uide, quomodo Noe domestici ipsius connectantur. Non solum dicit, Tu & uxor tua, & filij tui, &c. sed addit, Tecum. Sic patrifamilias cùm in lætis tum in tristibus domestici ipsius, quasi capiti membra, coniunguntur. Sed ea de re & suprà monuimus.

Deinde simul & illud obserua, quàm constanter Noe adhæserint, uxor, filij, & uxores filiorum, sic ut nulla in re diuersum quid ab eo tentarint. Iussi cum illo ingressi sunt arcam, cum illo manserunt in arca, donec oraculo Dei iuberentur unà cum illo egredi. Felix domus, in qua huiusmodi reperitur maiorum pietas, & minorum obedientia. Meritò magnis discriminibus eripiuntur, qui & Domino adhærent pietatis studio, & inter se concordiæ & obedientiæ uinculo iunguntur. *Cõcordia domus Noe.*

OBSERVATIO II.

Cuncta animantia quæ sunt apud te ex omni carne, &c. educ tecum, & ingredimini super terram, & crescite & multiplicamini super eam.] Etiam hic obserua, quomodo Noe cuncta subijciat Deus. Non simpliciter dicit, Cuncta animantia quæ sunt in arca: sed, Quæ sunt apud te. q.d. Tuæ curæ ac potestati subiecta. Deinde non dicit, Egrediantur: sed, Educ tecum. Noe iubetur egredi, domestici iubẽtur cum Noe egredi: animantia uerò educi à Noe, educi tanquã irrationalia, quorum est à ratione præditis gubernari ac duci, educi à Noe, tanquã ab eo, cuius erant potestati subiecta. Sic ordinat & disponit Deus omnia. Loquitur ac præcipit superiori, etiam de illis quæ pertinent ad inferiora. Illi curam rerũ gerendarũ committit. Et quæ sic geruntur, non humana temeritate, sed diuina authoritate geruntur. *Quomodo Noe cuncta fuerint subiecta.*

Deinde & illud obseruandum est, quòd non simpliciter mandat ut arcam egrediantur: sed addit, Et ingredimini super terram, & crescite & multiplicamini super eam. Terram propter malitiam hominũ corruptam usibus hominum ademerat. Deinde multitudinem tam bestiarum quàm hominum pœnitentia motus propter corruptionem generis humani, inde ab eo tempore quo multiplicabantur homines cœptam, aquis diluuij deleuerat: quare nec terram ingredi, nec multiplicationi generum quæ Deus ad istas usq; reliquias deleuerat, operam dare sine uoluntate Dei licebat. Vtraq; ista erant Noe non incognita. Itaq;, quo bona cum conscientia & terram ingredi, & multiplicationi incumbere possent, utraq; B ista nominatim exprimere uoluit. Seruiunt ista fidei nostræ, quo & ipsi bona cum conscientia terrã hanc inhabitemus, & in illa crescamus ac multiplicemur. Etenim quod Noe dictũ est à Dño, dictum est tanquam capiti, unde nos omnes descendimus, adeoq; & uniuerso generi mortaliũ dictum esse constat. *Quòd nõ solum arcã egredi, sed & terram ingredi, inq; illa multiplicari iubet.*

OBSERVATIO III.

Egressus est ergo Noe & filij eius simul, uxor illius, & uxores filiorum eius cum eo. Sed & omnia animantia & reptilia quæ reptant super terram secundum genus suum egressa sunt de arca.] Obserua hic, quomodo tandẽ exitum inueniant pij ex omnibus tribulationibus, si à fide Domini patienter pependerint. Tandem egressus est Noe ex arca cum suis, sortitus exeundi facultatem, quam diu suspirauerat. Admonemur hoc exemplo, ut agnoscamus omnium esse uerissimum, quod Apostolus 1. Cor. 10. scribit, dicens: Fidelis est Dominus, qui non sinet uos ultra uires tentari, sed faciet cum tentatione & exitum. Multis modis tentantur & afflictantur pij: uerùm quoniam sub cura Domini omnium fidelissima uersantur, fieri non potest, quin tandem exitum inueniant. *Tandem inueniunt pij exitum è tribulationibus.*

Et de eo cogitandum est, quòd nõ solus Noe cum suis, sed & omnia animantia, quæ cum ipso arcam fuerant ingressa, simul cum eo sunt egressa. Ergo saluata fuerunt omnia in arca. sic ut nihil de illis quantumuis minutũm perierit. Hæc est plenitudo curæ ac prouidentiæ Dei. *Plenitudo custodiæ Dei.*

OBSERVATIO IIII.

Aedificauit autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & uolucribus mundis obtulit holocausta super altare.] Consideremus hoc loco, non solum quid fecerit Noe, sed & facti circumstantias inspiciamus. Aedificauit altare Domino, & obtulit holocausta de pecorib. & uolatilibus mundis. Vide quid primo loco fecerit, cum esset arcam cum suis omnibus saluus & incolumis egressus. Multum interest, quando quid fiat. Bonum est quærere regnum Dei quandocunq; fiat, modò fincerè & ex animo. At qui hoc fincera mente faciunt, faciunt non postremo, sed primo loco, quemadmodum & Christus suos admonet dicens, Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Sic Noè, cum esset arcam egressus, non cœpit sibi ac suis primo loco prospicere, ubi & quàm commodè agerent, sed prouincias operum suorum confestim consecrauit Domino. Prima structura erat ara, in qua Domino sacrificaret. Consimile pietatis studium in Abrahamo quoq; uidere licet, qui mox atq; in locum aliquem manendi gratia migrasset, statim illic altare Domino erigebat, ac nomen illius inuocabat. Quàm sunt autem diuersi ab huiusmodi sanctorum uirorum exemplis, qui primam curam terrenis rebus, postremam, ne prorsus athei uideantur, sacris utcunq; impendunt. *Non solum factum Noe, sed et circumstantiæ illius inspiciendæ.* *Prima cura Noe religionis erat.*

Deinde cogitandũ etiam est, quo animo Noe aram hanc construxerit, ac Domino sacrificarit. Erat liberatus ex uniuersali totius orbis exitio. Arcam summo cum gaudio egressus agnoscebat beneficentiam Domini admodũ singularẽ & stupendã. Igit ante omnia animũ erga Dominũ de tanto beneficio gratũ ostendere cupiens, sacrificiũ illi laudis & gratiarũ actionis more maiorũ suorũ destinat & offert. Sic solent pij nunquã uti beneficijs Dei sine aliqua grati animi declaratione. Agnoscunt enim, non esse *Quo animo Noe Domino sacrificarit.*

aliunde

aliunde quàm à Domino, quibus potiuntur bonis: & si quando malis eripiuntur, tribuunt hoc nec cæ-
sui, nec fato, nec propriis studijs aut uiribus, sed singulari gratiæ ac beneficentiæ Dei, idq; uel ore uel sa-
Cœna Dominica crificio laudis testantur. Idem etiam scopus ab ipso nobis Christo est in ritu sacræ cœnæ propositus.
Hoc, inquit, facite in mei rememorationẽ. Et Paulus exponens: Quotiescunq;, inquit, de pane hoc co-
mederitis & poculo biberitis, mortem Domini annunciate donec uenerit. Nihil autem aliud est, memo-
riam Domini celebrare, & mortem illius deprædicare, quàm sacrificium laudis & gratiarũ actionis of-
ferre, & uitulos non stabulorum, sed labiorum nostrorũ immolare. Vnde & ueteres, ut hunc cœnæ Do-
minicæ scopũ exprimerent, synaxin istam Eucharistiã uocarunt. Eucharistia uerò non ad hoc instituitur,
ut per illam è discrimine seruemur, sed ut per mortem Christi ab æterna damnatione liberati, gratias
agamus seruatori, & in fide redemptionis animos nostros exerceamus & alamus. Sic Noe cum sacri-
ficium hoc post egressum arcæ Domino Deo suo offerret, non hoc agebat, ut liberaretur ex undis, sed
ut ex undis iam beneficio Domini liberatus, gratias ageret seruatori, ac beneficentiam illius deprædi-
caret, sicq; ac suos in fide Dei exerceret & confirmaret. Quare nihil aliud censeri debent, quàm peruer-
sores Eucharistiæ, quotquot cœnæ Dominicæ Missas suas substituunt: illisq; tribuunt non sacrificiũ lau-
dis, sed sacrificium reconciliationis ac propiciationis, quo gratia remissionis peccatorum & uitæ per la-
crificum tanquam mediatorẽ inter Deum & homines mediandi gratia constitutum pro uiuis ac mor-
tuis impetretur. Veteres aliquot cœnam Domini sacrificium redemptionis uocarunt. Scio. Verùm nõ
de eo senserunt, quo redemptio impetretur, sed quo pro redemptione in cruce semel impetrata à fideli-
bus & redemptis gratiæ agantur Domino, & unici illius sacrificij in cruce semel perfecti memoria cele-
bretur. Sic initio pro martyribus quoq; sacrificium offerebatur in cœna, non quo liberarentur è pœ-
nis purgatorij, sed quo Ecclesia Christo Domino pro liberatis ac saluatis gratias ageret: eratq; hunc-
modi sacrificium non propiciatorium, sed gratulatorium. Tandem uerò cæcitas episcoporum, superbi-
tio monachorum, & quæstus Simoniacorum sacrosanctissimum ac germanum usum cœnæ Domini-
cæ prorsus extinxerunt, & adulterinum, quæstui accõmodissimum introduxerunt: cuius gratia nostris
temporibus orbis Christianus inter se omnium miserrimè colliditur. Oro Dominũ, ut tandem eccle-
rum suarum misertus, nequitiam carnalium hominũ, & corruptelas ueræ religionis domo sua ejiciat.

Exemplum fidei in eo q; de pau-cis reliquijs animalium sacrifi-cauit. Tertiò & illud consideremus, quòd de pecoribus obtulit Noe, quæ in arca fuerant ad hoc seruata, ut
semen esset, quo cuncta terræ superficies animalium multitudine impleretur. Si rationis usus esset in-
dicio, ne unum quidem de numero illorum sustulisset. Cogitasset potius: Numerus animalium admo-
dum modicus est ac tenuis, ad hoc præsertim ut illorũ incremento tota terra repleatur animalibus, acsa-
cies pristina restituatur. Malim potius addere quàm demere. Deinde non iussit Dominus, ut de illis
tollam ad sacrificandum, sed, Crescite, inquit, & multiplicamini. Ad incrementum non faciet macta-
tio, & numeri aliàs perexigui diminutio. Quare abstinendum in præsenti est à sacrificio, donec multitu-
dinem animalium insignem aliquam uideris. Nihil huius cogitat Noe, sed de cunctis pecoribus & uo-
lucribus mundis holocausta super altare offert. Expressum est hac in re pulcherrimum fidei exemplum.

Duo respexit Noe in istis peco-ribus. Respiciebat in istis pecoribus hæc duo. Vnum, quòd essent reliquiæ ex omnibus totius orbis animanti-
bus beneficio Domini seruatæ. Alterum, quòd essent seminarium, & primitiæ quædam futuræ multitu-
dinis, qua nouus tum mundus erat implendus. Igitur sumit ex illis ad sacrificandum Domino, ut quà-
tenus erant seruatæ reliquiæ, sacrificium gratiarum actionis & laudis, sicuti cõmemoratum est, pro illa
ac se offerret: quatenus uerò semen erant & primitiæ futuræ multitudinis, cõsecraret ea & initiaret Do-
mino: atq; ita huiusmodi sacrificio agnosceret esse & seruatorẽ reliquiarũ, & multiplicatorẽ seminũ
ac primitiarum quantumuis modicarum. Quare haudquaquam dubitabat de uirtute Dei etiam uehe-
menter modica & pauca ab ipso seruata, & nomini ipsius consecrata, in multitudinẽ immensam & in-
numerabilem multiplicare ualentis. Sic pij animati perpetuò non solum de seruatis gratias egerũt ser-
uatori, sed & primitias illi consecrarunt, tanquã rerum omnium multiplicatori. Sciebant fœnus esse nõ
detrimentum, si quid de aceruo uel numero etiam admodum tenui Domino consecraretur. Cogitemus
itaq; optimum esse multiplicationis compendium, si primitiæ multiplicandorũ Domino initientur.

Quòd de mũdis obtulit. Quartò expendamus etiam quòd nõ de quibuslibet animaliũ generibus, sed de mundis duntaxat su-
mit, quæ Domino offerat. Atqui nõ solum munda, sed & immunda erant à Deo in arca seruata: deinde
& futuræ generum suorũ multiplicationi destinata. Quare & de illis erant Domino agendæ gratiæ, &
illorũ quoq; primitiæ diuinæ uirtuti consecrandæ: quandoquidẽ ut idem est omniũ tam immundorum
Discretio Noe. quàm mundorũ creator, idẽ etiã est utrorũq; & seruator & multiplicator. Cogitemus itaq; hic de discre-
tione Noe in isto sacrificio declarata. Habebat sub se non solũ animalia, sed & uxorẽ, filios, & filiorum
uxores. Habebat nõ solũ munda, sed & immũda animalia. Erant nõ solũ munda, sed & immũda anima-
lia: nõ animalia tantũ, sed & domestici illius, imò & ipse quoq;, ex undis & cõmuni totius orbis exitio
liberati. Erant itẽ nõ animalia modò, sed & homines futuræ multiplicationi destinati. Sciens hoc Noe,
instituit Domino sacrificiũ & gratiarũ actionis & initiationis. Instituit uerò nõ ꝓ mũdis tantũ pecori-
bus & uolatilibus, sed & ꝓ reliquis omnibus, hoc est, ꝓ uniuersis reliquijs in arca seruatis. Sumit aũt nõ
de omnib. indiscriminatim, sed seruata discretione, quod offerret Dño. Nõ sumit de immũdis haud eam
ob causam, quòd illa ab isto gratiarũ actionis & initiationis sacrificio, hoc est, à ratiõe huius oblationis,
essent prorsus aliena, sed quod cõueniẽtius esset, munus ꝓ omnib. & animalibus & hominib. Deo offe-
rendũ de mũdis sumere quàm de immũdis. Eadẽ discretiõe nõ litauit Deo sanguine uel suo, uel uxoris,
uel

A uel filiorum, uel uxorum filiorum suorum, cum tamẽ hoc sacrificium ad istos quoq; potissima ratione pertineret, sciens non probare Deum sacrificium ethnica crudelitate contaminatũ. Itaq; admonemur hoc exẽplo Noe, cauendũ esse in oblationib. Deo destinandis: ne qua illis insit leuitas, offerẽdo immũda: nec aliqua crudelitas, mactans sanguinẽ humanum: uel aliud quid sanguine ac sudore humano partũ.

Quòd holocaustum obtulit.

Quintò & illud obseruandũ est, quòd holocausta obtulit Noe. Holocaustũ, uel holocautoma, Græca uox est, significans omnimodam cõbustionẽ, qua quod offerebaẽ Domino, planè conremabaẽ. Huiusmodi sacrificiũ summũ erat hoc nomine, quod significationẽ habebat animi omnia Deo cõsecrantis & attribuentis, & præterea imaginẽ continebat, qua admonebanẽ pij, mortificanda & absumẽda esse terrena nostra omnia, & in conditionẽ spiritualẽ & cœlestẽ transformanda. Huiusmodi sacrificium cum primis non erat hominum carnalium, & tamen ab illis in Israele frequenter usurpabaẽ. Quare & Esa. 1. & Hierem. 7. reprobatur à Domino, oblatum ab impœnitentibus & carnalibus hominibus.

Quo loco sint pijs externi ritus & cultus.

Sextò, de eo quoq; cogitemus hoc loco, quòd non simpliciter oris & labiorũ sacrificium, sed pecudũ quoq; obtulit, & huius gratia altare ædificauit: cum Dominus reuera, sicuti uidere est ps. quinquagesimo et 50. non huiusmodi sacrificia externa, sed fidem, inuocationẽ, & grati animi confessionẽ moretur. Scie bat utiq; hoc Noe, nec ulla lege ad externa sacrificia astringebatur. Verùm quoniã sub se habebat eccle siam domesticam, in fide & cognitione Dei instituendam & alendam, deinde & ipse, ut homo, externis huiusmodi exercitijs ad alendam animi pietatẽ opus habebat, extruxit altare, hoc est, locum quendam certum, cultui Dei exercendo consecrauit. Hoc à pijs omnibus factum esse constat. Nec tempora, nec loca, nec externa sacrificia moratur Deus: uerùm quoniam nõ sumus spiritus, sed homines ex carne & spiritu compositi: adeoq; opus habentes ordine quodam rerũ externarum, quo in sacris instituamur & alamur, non potuerunt unquã pij uiri negligere temporũ, locorum, & externorũ rituum ordinẽ & commoditatẽ, sacris exercitijs conuenientem. Quare cauendi sunt phanatici homines, omnia huiusmodi externa sacrorum exercitia explodentes, & cuncta ad spiritum referentes, donec tandẽ prorsus obbrutescant, & carnẽ non spiritum respiant. Cauendi sunt etiam superstitiosi, qui structuræ altarium, & externis ceremonijs, diebus & locis omnẽ cultum Dei prorsus ab omni fide & uera religione uacui deputãt, cuius superstitionis omnium manifestissima argumẽta templa Papistarum cunctis intrantibus ac spectantibus obijciunt.

Cauendi phanatici & superstitiosi.

OBSERVATIO V.

Odoratusq; est Dominus odorem suauitatis.] Cõsideranda est hæc loquutio, qua per anthropopathiam

Odor operũ nostrorũ corã Deo

B Moses Deo tribuit odorandi facultatẽ, & de sacrificio Noe nõ scribit, Et odoratus est Dominus odorẽ holocausti: sed, Et odoratus est Dominus odorẽ suauitatis. Nec odoratur Dominus organo narium, ut homo: nec odor sacrificij Noe, quem edebant holocausta pecorum, bonæ erat fragrantiæ, sed magis grauis & molestus. Admonemur ergo hac loquutione, opera nostra, qualiacunq; sint, exhalare odorẽ quendam qui ascendat in conspectum Dei, & ab illo uel probetur tanquã suauis, uel improbeẽ tanquã grauis, molestus, & iniucundus. Is odor est, non quem externa nostra facta mortalium sensib. ingerunt, sed quem ipsa corda nostra spiritualem, mala malum & graueolentem, bona bonum ac suauem exhalant. In sacrificio Noe corporalis & externus odor erat, quem caro incensa naribus mortalium: spiritualis uerò, quem cor Noe naribus Dei ingerebat. Erat is nihil aliud quàm sincera fidelis animi pietas, beneficium Dei agnoscentis ac celebrantis. Ad hunc modum omnia nostra facta duplicẽ habent odorem. Externum unum, internum alterum. Externum mundus uel probat, uel improbat: internum uerò odoratur Dominus, qui nõ iudicat secundum externam factorum nostrorum faciem, sed secundum cordis affectus, unde omnia nostra tam dicta quàm facta prodeunt. Offerebat Domino Cain, offerebat Habel. Huius sacrificium acceptabaẽ, illius spernebaẽ. Quare? Quia quamuis externo odore essent haud diuerso, interno tamen uariabant. Illud odorẽ hypocriseos, grauẽ Deo, & molestum: hoc uerò odorẽ fidei, & mẽris integræ ac sinceræ, Deo iucundũ ac suauẽ exhalabat. Phinees, Num. 25. occidit Zam bri, ad scortum Madianiticum ingressum. Facti huius odor Deo fuit admodum suauis: zelus uidelicet, à quo fuerat uir pius impulsus. Saul nõ occidit Agag regẽ Amalechitarum, sed retinuit eum uiuum, eo quòd uitæ illius parceret. Facti huius odor erat Deo grauis & intolerabilis. Vide 1. Sam. 15. Etenim olebat animum Deo inobedientẽ, cuius mandatum non ad plenum, cum posset, perficiebat. At externus odor facti Saulis iudicio mundi suauior erat, quàm odor Phinees, cuius factum externum, & temerita tem, & crudelitatẽ horribilẽ spirabat. Quare uidemus uerissimum esse primum illud quod quidã dicit, ὡς τὰ ἔνδον γινώμενα τὰ πράγματα λέγονται: deinde quòd facta nostra aliter olent corã Deo, & aliter corã mundo. Simul & hic cogitandum est, quàm sit accepta coram Domino fides & pietas cordis. Poterat Moses dicere: Et placuit Domino pietas uel sacrificium Noe: uerùm ut significaret animum sincerum & integrum haud leuiter, sed eximiè placere Deo, usus est hac odoris metaphora, dicẽs: Odoratus est Dominus odorẽ suauitatis, uel odorẽ suauẽ & iucundum. Magna uis odoris est tam mali quàm boni. Abominabilis est odor malus, & planè intolerabilis. Contrà uix acceptius est & iucundius aliquid odore bono & suaui. Quare & Apostolus cum exprimere uellet, quàm gratum sit Deo ministerium Euangelij, per quod notitia gratiæ ipsius in Christo Iesu manifestaẽ mundo, usus est hac boni odoris metapho ra, dicens: Deo autẽ graria, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo. Non tantum dixisset, si absq; hac metaphora boni odoris dixisset, & notitiam suam manifestat per nos in omni loco, quia ministerium nostrum illi placet, &c. quantum hac loquutione expressit.

Facta nostra duplicem habent odorem.

Quã sit Deo accepta, fides & pietas cordis.

Nec

Quòd tritura est aromati, hoc opus est pietati ac fidei.

Nec illud transeundum est. Pietas Noe, fides ac sinceritas erga Deum, erat in corde illius etiam ante quàm sacrificium hoc de mundis pecoribus ex arca egressus obtulisset, & tamen tum demum dicitur odorem illius odoratus esse Deus, cum sacrificium hoc externum offerret. Cogitemus igitur fidem ac pietatem instar aromatis alicuius in cordibus esse piorum reconditam, & odorem bonæ fragrãtiæque potissimum exhalare, quando opere aliquo quasi exercetur, perinde atque aromata nunquam fortius olent, quàm ubi teruntur, ac ueluti reserantur, ut latens in illis uirtus exeratur. Fides erga Deum erat in corde Abrahæ, etiam antequam filium suum offerret: uerùm cum eam tam insigni facto declararet, ac ueluti fragrantiam eius exereret, uicissim insigni est encomio à Domino celebrata. Vide infrà capite 22. Sic è regione comparata est etiam malitia & impietas cordis, quæ tum potissimùm grauiolentiam exhalat, cum facinore aliquo exeritur.

Quomodo sacrificium Noe placuerit Deo, cum nõ legatur fuisse sacerdos.

Expendamus hoc quoq;. Placuit Deo admodum sacrificium Noe. Atqui non legimus quòd fuerit sacerdos, ut licuerit illi ædificare altare Domino, & sacrificare. De Saule rege legimus primo Sam. decimotertio, quòd cum sacerdos non esset, obtulerit Domino holocaustum, & quòd sacrificiũ illius Domino uehementer displicuerit, quamuis animo Dominũ placandi obtulisset. Quomodo igitur factum est, ut Noe offerens, cum sacerdos non esset, placuerit Domino: Saul uerò sacrificans, tantopere displicuerit, propterea quòd non esset sacerdos? Distinguenda sunt tempora, & temporũ circumstantiæ inspiciendæ. Noe sacrificauit ante legem, Saul sub lege. Ante legem non erat certa sacerdotij constitutio, erat uerò sub lege. Noe itaq; sacrificando non peccabat contra legem aliquam Dei, sicuti nec Abel, nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob: peccabat uerò Saul, quemadmodum & Hieroboam 1. Regum 12. & 13. Deinde Noe unus erat ex omni mortalium genere, post diluuium reliquus, & ante diluuium in medio generationis impiæ uixerat. Quare & ante & post diluuium etiam hac causa sacerdos erat & episcopus inter suos: quemadmodũ & Abraham, & Isaac, & Iacob. Pius homo si degat in populo legi & ordini Dei subdito, nihil suopte arbitrio tentabit, quod sit à lege Dei diuersum. Si uerò degat inter impios, hoc unicè curabit, ut domum suam tanquã uerus illius episcopus & sacerdos uero pietatis studio instituat, Dño consecret, & quæ ad puram religionem pertinent faciat, etiamsi non sit aliqua externa uocatione & initiatione ad munus sacerdotale cõsecratus.

OBSERVATIO VI.

Et ait ad eum, Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Non igitur ultrà percutiam omnem animam uiuentem, sicut feci.

Deus & maledicit & percutit.

Huius cõsiderationem digeramus in ordinem. Principio uidemus hic Deum de seipso prædicare, quòd maledixerit & percusserit, cum dicit: Nequaquam ultrà maledicam: non igitur ultrà percutiam. Non dicit, Nequaquam maledicam, non percutiam: sed, Nequaquã ultrà maledicam, non ultrà percutiam. Vox hæc est non eius qui nec maledixerit, nec percusserit unquam, sed qui nolit amplius maledicere & percutere. unde & adiecit, Sicut feci. Ergo maledicere & percutere per se malum non est. Alioqui nõre-ctè Deus ipse de se prædicaret utrũq;. Haud enim malũ esse potest, quod Deus & facit & de se prædicat. Refert autem quis, quem, qua de causa maledicat & percutiat. Maledixit Deus terræ, percussit omnem animam uiuentem. Deinde utrumq; fecit propter homines, incorrigibiliter malos & impios.

Maledicere.

Nihil hic admissum est quod sit iniquum. Maledicit homo Deo. Execrabilis est impietas. Maledicit patri & matri, facinus est morte plectendum. Maledicit innocenti, cui non maledicit Dominus: inanis est maledictio, quod attinet effectum, coram Deo interim damnabilis. Maledicit sonti, studio uindictæ: & hoc ipsum extra piorum est ingenium, qui iubẽtur inimicis suis benedicere, & non maledicere. Maledicit peccanti, non proprio uindictæ studio, sed zelo Dei. Sic Elisæus 2. Reg. 2. pueris quibusdam maledixisse legitur. Hoc genus maledictionis nec culpabilis est, nec inanis. Percutit homo? nisi faciat hoc ex officio & legitimè, culpabilis est, quemcunq; percutiat. Ex officio autem percutiunt magistratus per ministros suos, lictores, satellites & milites, deinde parentes, & præceptores, qui percutiendo non peccant, nisi uel innocentes percutiant, uel modũ excedant, aut studio ppriæ uindictæ magis quàm ex officio id faciãt.

Percutere.

Maledicere Dei percutere est.

Deinde obseruandum est, quòd Deo simul & maledictio & percussio coniunctim tribuuntur. Ergo maledicere, illius percutere est. Et Romanus pont. de maledictione sua ad hunc modum loquitur, quòd quos maledicit, anathemate percutiat. Et credebatur olim, omnino percussum esse quemcunque Romana temeritas maledictione sua damnasset. Verùm res ipsa frequenter declarat, non esse maledictioni, quæ profertur ab homine, perpetuò adiunctam percussionem. Quare nolebat Bileam maledicere Israeli, quòd sciret inefficax esse, si maledicat quisquam illis, quibus nõ maledicit Dominus. Num. 23. Caueamus itaq;, ne maledicatur nobis à Domino, quicquid faciant homines.

Qui propter malos maledicit, utiq; propter bonos benedicit.

Tertiò expende quod dicit se maledixisse terræ propter homines. Qui terræ maledicit propter homines malos, utiq; illi benedicit etiam propter homines bonos. Haud enim æquũ est, ut sentiamus Deum propensiorem esse ad maledicendum quàm ad benedicendum: & magis inclinare ad puniendum malos, quàm ad benefaciendum bonis. Si malitia mortalium tam est efficax coram Deo, ut propter illam terræ quoq; maledicatur, multo utiq; efficacior est coram illo bonitas ac pietas mortalium, ut illarum gratia terra benedictionem sortiatur à Domino. Quanto quæso honestius est, ut tales simus propter quos benefiat alijs, quàm quorum culpa alijs adferat exitium?

Quartò: Sensus enim, inquit, & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua. Quid hic obseruandum ueniat, suprà capite sexto annotatum est, ibi, Et cuncta cogitatio cordis intenta esset

A esset ad malum omni tempore. In præsenti annotandum est, quod dicit, Ab adolescentia sua. Ipsa natura quidem mala est à cõceptione, uerùm studium mala fingendi orditur statim ab adolescentia, hoc est, quàm primùm usus ratiocinandi aliquouscq; emergere incipit. Qui feras nutriunt, qua sint malitia, statim in tenera ætate experiuntur. Sic qui pueros educant, reipsa experiuntur, quæ sit humani cordis malitia. Vrit enim citò quod uult urtica manere. Quare diligenti cura instituenda est hominis adolescentia, ut si non in uniuersum tolli, aliquo tamen usq; infringi possit illius malitia. Stultitia est in corde pueri, inquit Sapiens: uirga disciplinæ effugabit illam. Tribuit alicubi Socrates studio philosophiæ, quod cum natura homo bardus, stupidus, mulierosus, puerorum amore pollutus, uinolentus & intemperans esset, quemadmodum de eo physiognomon quidam pronunciauerat, longè alius euasisset. Non possum sine gemitu legere, tantum esse datum philosophiæ, cum Euangelicæ religionis hodie tanta deprehendatur inefficacia, cum ea demum uera sit philosophia, unde iustificentur impij, & uita mortalium corrigatur. *Studium malitiæ incipit ab adolescentia.*

Quintò, obseruemus quod dicit, Nequaquam ultrà maledicam, non ultrà percutiam. Videmus hoc exemplo Dei, non esse uocem hominis stulti aut iniusti, si dicas, Non faciam amplius quod hactenus feci, nisi sic mutetur animus, ut à bono & iusto malè desistas. Si quid abs te quidem factũ est bene, usurpatum autem ab alijs malè, non est præter rationem, si dicas: Non faciam hoc ultrà. Si quid egisti iustè quidem, at æquo seuerius, haud est contra ueræ iustitiæ canonem, si misericordia motus dicas, Non faciam hoc amplius. Si quid abs te factum est imprudentius & incautius, prudentiæ est, si constituas ac dicas, Vltrà tale quid non faciam. Si feciſti quod sit malum, & contra Dominum, pietatis est, ut ex animo resipiscens dicas: Non faciam hoc amplius. Quare stolidissimi homines sunt, qui turpe putant si ab eo quod ab facere cœperunt mutato consilio in posterum abstinere debeant. Sapientis enim est, mutare consilium. *Non faciam amplius, qualis uox sit.*

Sextò, nec illud transeundum est, quod non simpliciter dicit, Non maledicam, non percutiam ultrà: sed addit, Sicut feci. Ergo non constituit se posthac nec maledicturum, nec percussurum, sed non sic maledicturum & percussurum sicuti per diluuium fecit. Quare non est ut qui malè agunt, occasionem securitatis ex hisce sibi uerbis hauriant, quasi impunè sint peccaturi. Etenim licet non inducat amplius catholicum diluuiũ, innumeros tamen interea propterea quòd mali essent, particularibus diluuijs perdidit, igne absumpsit, gladio necauit, peste de medio abripuit, & alijs modis percussit, ne putemus illum omnem exercendæ iustitiæ seueritatem in uniuersum abiecisse. *Adhuc maledicit & percutit Deus.*

B

OBSERVATIO VII.

Cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent.] Cogitemus hic, quàm sint ista necessaria. Si non sit tempus sementis, non poterit esse tempus messis. Si frigus cessauerit, cuncta torrefaciet ac perdet æstus. Si defierit æstus, frigore cuncta interibunt. Si nulla fuerit æstas, erit perpetua hyems, nec poterunt esse sementis ac messis. Si cessauerit hyems, calore tellus exicabitur, & infrugifera reddetur. Tolle dies, erit nox continua. Tolle noctes, carebimus & animorum & corporum & telluris quoq; recreatione omnibus modis necessaria. Est itaq; uicissitudo istorum sic constituta diuinitus, ut nec perpetuò sit seminandum, sed & suo tempore quod seminatum est metendum: nec semper metendum, sed & aliquando seminandum: rursus nec indesinens sit frigus, sed frigori succedat æstus: nec æstus duret continuò, sed frigori succedenti cedat: ad hæc, neq; æstas totum anni decursum occupet, sed partem illius hyemi permittat: neq; hyems indesinenter perduret, sed ubi tempestiuum est, ante faciem æstatis discedat: consimili modo utræq; & nox & dies uices suas alternatim retineant. Horum uicissitudine utimur quidem omnes, sed pauci sunt qui utilitatem illius agnoscant. *Necessaria uicissitudo sementis et messis, &c.*

Deinde admonemur etiam hoc loco, unde sit, quòd istorum uicissitudo tam constanti & infracto ordine tot iam secula permanet. Fit hoc nec nostro merito, nec naturæ uiribus, sed totum quicquid est, diuinæ bonitatis constitutioni debetur, quam nobis Moses in isto oraculo Dei considerandam proponit. Quod nos attinet, non sumus meliores illis hominibus propter quorum malitiam Deus hæc omnia uniùs anni spacio per diluuium sustulit. Quod naturæ uires concernit, in diluuio declaratum est, non constare ista aliquo naturæ robore, sed uoluntate Dei, cui omnis naturæ tam uirtus quàm ordo cedere cogitur. Veritas itaq; pacti huius, quo post diluuium Deus istam sementis & messis, frigoris & æstus, æstatis & hyemis, noctis ac diei uicissitudinem, initiò quidem mundi inductam, postea uerò propter malitiam cordis humani sublatam, in integrum restituit & confirmauit, anni cursum in eo seruat ordine, quem singulis annis uidemus & experimur. Qua in re admoneri possumus, quàm sit firma & infracta pactorum Dei ueritas, usqueadeò uidelicet, ut in hunc usq; diem nulla quantumuis immodica mortalium malitia infringi potuerit. Cum firmitatem pacti sui erga domum Dauidis exprimere uellet Deus, sic est per Hieremiam cap. 33. loquutus: Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo. In hisce uerbis propheta stabilitatem noctis & diei inter se alternantium pacto Dei tribuit, quod hoc hoc nobis loco per Mosen proponitur, ad hoc nimirum, ut ueritatem Dei in pactis illius firma fide apprehendamus: nec dubitemus fieri non posse, ut irritum fiat, quod se facturum Domi nus semel est pactus. *Vnde sit ista rerum constantia.*

Tertiò simul & illud cogitemus. Pactum quidem hoc Dei firmum permanet, sicuti res ipsa declarat, interea tamen non est ut firmitatem illius in occasionẽ securitatis peruertamus. Licet enim maneant se-

Dispensationem eorum quæ permanent ex pacto, reseruauit sibi Deus.

mentis & messis, utrancq; tamen propter peccata nostra sic potest dispensare, ut parum ex illis accipiamus commodi. Non est pactus de largitate incrementi sui, sine quo nihil est qui plantat & seminat. Liberum sibi retinuit, ut quod seminamus, largo faciat incremento crescere: uel parco, ad maturitatem peruenire sinat: uel secus, in apothecas collectum custodiat aut uastationi tradat: in stomacho comestum, ad sustentandas corporis uires commodè digerat, uel noxium reddat. Relinquit uices frigoris & æstus, æstatis & hyemis, sicuti pactus est. Qualitatem interim illorum sibi retinet liberam, quemadmodum & noctis dieiq; alternationem haud quidem è medio aufert, interea tamen suæ potestati ac nutuntati liberum reseruauit, quales nobis dies, qualesq; noctes concedat. Quare curandum nobis est, ut & grati simus pro pacti huius beneficio & firmitate: & simul caueamus, ne maliciæ nostræ merito benignitatem hanc Dei exacerbemus: & quod usibus nostris commodissimum esse poterat, incommodum, molestum, & noxium reddamus.

DE MYSTICA CONSIDERATIONE EORVM
quæ in historia diluuij huius cap. 6. 7. & 8. leguntur.

Suprà cap. sexto alicubi polliciti sumus dicturos nos sub capitis huius octaui finem de mystica consideratione præsentis historiæ. id quod faciendum arbitror propter eos qui sensibus allegoricis nonnihil delectantur: quos tamen admonuerim, ne sic quærant allegorias immodicè, ut omnia quæ in sacris historijs temporaliter gesta leguntur, ad mysticos sensus detorqueant, id quod nec in præsenti est historia faciendum. Insunt illi quædam, quorum lectio ultrò mysticum aliquid spirare uidetur, de quibus ut lubet in transcursu quantum in præsenti occurrit, dicendum esse iudico.

Tẽpora Noe & postremi seculi.

Principiò ipsum tempus, in quo sunt gesta quæ in hac historia scribuntur, imaginem habebat postremorum temporum, noui scilicet Testamenti. Loquor autem non præcisè de diebus illis, quibus diluuium inductum est, sed de toto sexcentenario tempore uitæ Noe, quod post finem quingentesimi anni illius cœpit, & ad principium septimi seculi, hoc est ad sexcentesimum primum annum protendit. In sexto illo seculo uitæ Noe ad summum creuit malicia mortalium, oracula Dei de fine cartnis uniuersæ, de facienda arca, & reliquis facta sunt ad Noe, inductumq; est diluuium, & finirus prior mundus. Consimili modo & noui Testamenti tempore, quod inde à Christi aduentu cœrum ad finem usq; mundi huius posterioris protenditur, malicia mundi creuit in immensum, oracula Dei cœlitus demissa sunt, prædicantia pœnitentiam, & denunciantia diem, in quo iudicaturus sit Deus orbem per filium suum, deniq; præcipientia electis de ratione, qua futurum possint exitium euadere, tandem ratus hic orbis igneo diluuio corripietur & immutabitur. Et Christus ipse cum uellet postremorum temporum maliciam simul ac securitatem, deniq; & improuisum interitum perstringere, dixit, Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus filij hominis. Vide Lucæ 17. Matth. 24.

Act. 17.

Arca domus salutis.

Deinde quòd arcam concernit, gerebat illa imaginem domus Dei, quatenus ad hoc institura fuit, ut Noe cum suis in illa seruaretur. Sic domus Dei, quæ est Ecclesia, domus salutis est, ad hoc faciens ut in illa seruemur, ne cum hoc mundo pereamus.

Noe figura Christi.

Fabricata est arca secundum præscriptum diuinæ uoluntatis, per Noe unicum ex uniuerso mortalium genere iustũ. Domus Dei fabricatur ab architecto Christo. Vox illius est, Aedificabo Ecclesiam meam. Ergo Noe figuram gessit Christi, cùm quòd ille uerè sit unicus iustus quem Deus in toto humano genere reperit, tum quòd domum Dei domum salutis ipse fabricat.

Arca bitumine illita.

Arca intus & foris bitumine fuit illita, hoc est, aduersus aquas diluuij munita. Domus Dei per gratiam sanguinis Christi sic est illita, ut tuta sit aduersus catholicã iræ diuinæ ultionẽ, cuius figuram aquæ diluuij habebant.

Arca mansionibus distincta.

Arca uarijs fuit mansionibus distincta. Et domus Dei sic à Christo fabricatur, ut diuisiones habeat charismatum, ordinum, & statuum, secundum diuersitatem eorum qui in illam recipiũtur. Dedit enim in Ecclesiam suam alios Apostolos, alios prophetas, alios doctores, alios Euangelistas, &c. Eph. 4.

Electi in arcam.

In arcam congregati sunt & uocati electi, tanquam reliquiæ ex mundo pereunte. Et reliquiæ sunt & electi, qui in domum Dei recipiuntur. Reliquiæ saluantur, inquit Apostolus.

Animalia in arca.

Recipiuntur in arcam animalia non modò munda, sed & immunda. Agnosce typum eorum qui ex gentibus crediderunt. Vide Act. 10. uisionem ad Petrum hac de re factam.

Quæ in arca fuerũt, cum Noe fuerunt.

Quotquot in arcam ingressi sunt, ad Noe sunt ingressi, & cum Noe in illa fuerunt. Sic loquitur scriptura, Ingrediantur tecum, induc tecum, ut uiuant tecum. Et, Cuncta animantia quæ sunt apud te. Sic quotquot in domo Dei sunt, cum Christo sunt, tanquam domus huius Domino.

Omnia sunt diuino instinctu in arcam ingressa.

Quod non humano, sed diuino instinctu & animantia & homines arcam sunt ingressi, quemadmodum suprà alicubi notatum est, iam tum significabat, in domum Dei uenturos ad Christum omnes eos quos illi pater dedit, & suo instinctu traxit, sicuti uidere est Ioan. 6.

Pauci seruati in arca.

In arcam pauci sunt ingressi, si respicias eorum numerum qui incredulitatis suæ uitio perierunt. Sic pauci electi in domo Dei saluantur. Multi sunt uocati, inquit Christus, electi uerò pauci. Huc respexit Apostolus Petrus, in priore epistola capite tertio, ubi dicit: In quo abijt, & spiritibus qui erant in carcere prædicauit, qui inobedientes fuerant quondam, cum expectaretur Dei lenitas in diebus Noe, cum

appare-

appararetur arca in qua paucæ, hoc est, octo animæ seruatæ fuerunt per aquam, cuius figuræ nunc respondens baptisma nos quoq; saluos facit, quo non carnis sordes abijciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia bene respondeat apud Deum, per resurrectionē Iesu Christi, &c. Magnum erat offendiculum, quod fideles Christi numero pauci, respectu incredulorum, uarijs modis in hoc mundo ab improbis affligebantur. Huic occurrere cupiens, admonet eos nihil hoc habere noui: cum & olim tale quid acciderit, nimirum, quando pauci homines in arca cunctis reliquis pereuntibus, ex aquis seruabantur. Huius rei figuram in nobis impleri dicit, qui per baptismum in domum Dei recepti, ac bonam conscientiam erga Deum per Christum nacti, saluamur.

Cibaria in arca.

In arcam collecta sunt per Noe cibaria, unde uitæ esset sustentatio. In domo Dei est pabulum uitæ, per Christum paratum, & per ipsius ministros dispensatum: uerbum uidelicet salutis & uitæ, Euangelium regni & gratiæ: per quod alimur ac uegetamur, corroboramur ac recreamur.

Arca à Deo clausa.

Arca ab ipso Deo foris est clausa. Et domus Dei clausa est undis sæuientibus, licet aperta sit electis. Clausa est autem non humana, sed prorsus diuina manu & custodia, sub qua Christus ipse, ut homo, cū suis in eum usq; diem asseruatur, quo unà cum ipsis in gloria deletis impijs in omnibus manifestabitur. qua de re uide Coloss. 3.

Arca eleuata ab undis.

Arcam tam aberat ut subuerterent undæ, ut quo magis multiplicabantur, hoc illam sublimius à tellure eueherent & exaltarent. Sic domus Dei non solum non euertitur undis tribulationum, sed magis etiam erigitur. Mala quæ occidunt impios, in sublime exaltant pios.

Extra arcam perierunt omnia.

Extra arcam quorquot fuerunt, undis perierunt, solo Noe cum suis dempto: sic pereunt uniuersi, qui nō cum Christo in domo Dei seruantur. Verissimum est quod dicunt, extra Ecclesiam seruari neminē. intellige autem de Ecclesia non in qua Rom. Pontifex ueri Noe personā falso sibi uindicat ipse, sed Christus cum suis electis à patre acceptis nauigat. Aliàs in Romana Ecclesia pereunt multi: in ea uerò ubi Christus cum reliquijs est saluandorum, perit nemo: quemadmodum & in arca Noe ne unus quidem interijt. Deniq; extra ecclesiam Romano Pontifici subiectā saluantur multi: extra eam uerò quæ Christi est nemo saluatur: sicut & extra arcam Noe saluatus est nemo, sed perierunt omnes.

Dominus Noe recordatus.

Recordatus est Dominus Noe, & omnium quæ erant cum eo in arca. Et Christi recordatur pater, omniumq; eorum, quorum cum illo uita in domo Dei est abscōdita. Horum gratia tandem præsentis uitæ tribulationes, & dies irarum abbreuiabuntur ac cessabunt. Matth. 24.

Arca quiescens in montanis.

Arca mense septimo in montanis Ararat quieuit. Ecclesia Christi ciuitas est monti imposita, & super petram omnium firmissimam sic quiescens, ut aduersus illam nihil ne portæ quidem inferorum ualeant. Quietis huius figuram ipsum quoq; septimi mensis tempus gerebat. Numerus enim septenarius in scripturis quieti est sacratus.

Coruus emissus.

Coruus emissus egrediendo egrediebatur & reuertebatur. Apostoli in Iudæa primùm emissi non in orbem egrediebantur, sed ad oues duntaxat domus Israelis, adeoq; haud longius ab arca in qua Christus erat auolabant, sed ad eam reuertendo reuertebantur.

Pes columbæ nō inuenies requiē.

Pes columbæ non inuenit extra arcam ubi quiescat, quare ad Noe in arcam reuertitur, ac placidè recipitur. Et suos discipulos Christus columbina simplicitate præditos è domo Dei emittit in mundum. Ibi aliquando non inueniunt ubi quiescant, hoc est aliquid efficiant. Quare ad Ecclesiam in qua Christus cum suis est uacui reuertuntur, ac nihilo minus ab illo amanter recipiuntur. Noe manu extenta recepit columbam quā & ipse emiserat. Manus Christi est in Ecclesia, quæ columbas & emittit & recipit. Hic est uerus Noah, uera quies, uocans ad se omnes laborantes, ac requiem promittens.

Folium oliuæ.

Columba secundò emissa uesperi redit ad Noe in arcam, adferens ore folium oliuæ, pacis symbolum. Et in Ecclesiam subinde pacis & misericordiæ symbolum per uerbi ministros adfertur. Neq; enim mundo tantum salutis nunciū offerunt, sed & domesticis domus Dei uelut in arca detentis gratiæ ac recreationis breui futuræ consolationem annunciant. Tales columbæ erant piæ mulierculæ, quæ ad discipulos clausos Dominicæ resurrectionis nuncium, uelut oliuæ folium ore decerptum, reuertendo attulerunt. Talia sunt etiā oliuæ folia, signa illa à Domino prædicta, quæ secundum ipsius aduentum præcedere debeant, de quibus dixit, Cum uideritis ista fieri, leuate capita uestra. Appropinquat enim redemptio uestra. Qualiacunq; coram mundo uideantur, nobis qui in domo Dei uersamur ætatis breui futuræ, nostræq; liberationis luculentissima præferunt indicia.

Columba non reuersa.

Columba tertiò emissa & nō reuersa in arcam amplius, propterea quòd prima exiccatæ terræ quietē potiretur, imaginem eorum gessit omnium, qui ante consummationem mundi huius eos ad cœlestis regni gaudia præcedunt, qui in fine ueluti ex arca cum Noe, sic cum Christo ex hac præsenti egrediantur Ecclesia.

Tectum arcæ apertum.

Tectum arcæ aperuit Noe cum terra esset exiccata, quòd non admodum esset amplius necessarius illius usus. Et Ecclesiam hanc Christus paulatim demolitur (intellige externam quæ præsentis est seculi) ut uel ex eo cognoscas breui futurum ut ex illius clausura in libertatem uitæ cœlestis ac mundi noui egrediamur.

Arcam Noe non egressus ante tempus.

Arcam non est egressus Noe, nisi tempore à Deo ipso constituto. Nec Christus cum suis Ecclesiam præsentis uitæ egredietur, nisi tempore illo, quod pater in sua posuit potestate. Act. 1.

Arcam Noe cum suis omnibus est egressus.

Arcā Noe cum suis omnibus est egressus, dempta columba quæ præcesserat. Sic & Christus cum suis omnibus amisso nemine, Ecclesiam præsentem in consummatione mundi egredietur, nisi quòd eum

egressum fideles illi præuenerunt, qui ante finem mundi ex hoc seculo migrarunt, quorum imaginem columba tertiò emissa & non reuersa prætulit.

Noe sacrificauit egressus ex arca.

Noe cum esset ex arca egressus, & se & suos omnes nomini Dei sacrificando consecrauit & commendauit. Sic Christus in fine mundi & se & pueros quos acceperat Deo patri consecrabit, illiq; regnum offeret, ut in futuro illo ac nouo mundo sit Deus omnia in omnibus, 1. Cor. 15. neq; locum amplius habeat ulla maledictio & percussio, sed pax plena ac sempiterna obtineat. Ad hunc finem quisquis animo uerè Christiano ac fideli quotidie suspirat, is demum uerè testimonium in corde gestat, quod sit ex electis, quibus ista gaudia sunt destinata, cum quibus etiam à Christo capite & duce, uero Noah, Deo & patri tandem in fine mundi offeretur, & sempiternis futuri mundi bonis potietur.

CAPVT IX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Benedicit Deus Noe & filijs eius. Dat illis potestatem in omnia animantia, etiam ad comedendum, demptio sanguine. Legem ponit aduersum homicidas. Statuit pactum, ac pacti signum, quod nolit amplius orbi catholicum inducere diluuiũ. Noe gustato uino inebriatur, iacensq; in tabernaculo nudus à iuniore filio ridetur, à duobus uerò senioribus obuelatur. Istis benedicit, illi maledicit. ac tandem moritur.

BEnedixit Deus Noe & filijs eius, & dixit ad eos: Crescite, & multiplicamini, & replete terrã, & terror uester ac tremor sit super cuncta animantia terræ, & super omnes uolucres cœli, cũ universis quæ mouentur super terram. Omnes pisces maris manui uestræ traditi sunt: & omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in cibum. Quasi olera uirentia tradidi uobis omnia. Excepto quod carnem cũ sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarũ uestrarum requirã de manu cunctarum bestiarum & de manu hominis, de manu uiri & fratris eius requiram animam hominis. Quicũq; effuderit humanum sanguinẽ, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Vos autẽ crescite & multiplicamini, & ingredimini super terrã, & implete eam.

LECTIO.

Et replete terram.] Græcus adiecit: καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς, id est, & dominamini illi. quod in Hebræo non habetur hoc loco, neq; in latina uersione.

Omnes pisces maris manui uestræ traditi sunt.] & Græcus uertit: καὶ πάντας τοὺς ἰχθύας τῆς θαλάσσης προχείρους ὑμῖν δέδωκα: id est, Et omnes pisces maris manui uestræ subditos dedi. At in Hebræo sic legitur, רבכל דגי חים בידכת נתנו, id est & super cunctos pisces maris, in manum uestram traditi: uel ut ad reliqua etiam animalia referatur, tradita sunt.

Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.] In Hebræo sic legitur אך בנפשו דמו לא תאכלו, id est tantũ carnem in anima eius sanguis eius non comedetis. hoc est, tantum carnẽ in anima eius, quæ sanguis eius est, non comedetis. Græcus reddidit sic: πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς οὐ φάγεσθε, id est tantũ carnem in sanguine animæ ne comedatis. Hic uerba transposuit, ut quod in Hebræo est, In anima eius, uertit simpliciter, animæ & sanguis eius, reddidit in sanguine, utrobiq; relatiuis omissis.

Sanguinem enim animarum uestrarum.] Et Græcus reddidit, Etenim uestrum sanguinem animarum uestrarum. At in Hebræo sic legitur, ואך את דמיכם לנפשותיכם, id est, & uestrum quoq; sanguinem animarum uestrarum. Pagninus uertit, Et profectò sanguinem uestrum animarum uestrarum. Munsterus, Alioqui sanguinem uestrum de animabus uestris requiram.

De manu cunctarum bestiarum.] Deficit hic latina lectio. Nam in Hebræo additur אדרשנו, id est, requiram eum, sicut & in græco, ἐκζητήσω αὐτό.

De manu uiri & fratris eius.] Coniunctio & in Hebræo non habetur, sed sic legitur מיד איש אחיו, id est, de manu uiri fratris eius. Sic & Græcus uertit.

Fundetur sanguis illius.] In Hebræo legitur ad hunc modũ, באדם דמו ישפך, id est in homine, uel propter hominem, (pro בעבור האדם) sanguis eius fundetur. Græcus sic habet, ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται, id est pro sanguine eius effundetur. Monsterus uertit, per hominẽ sanguis eius fundetur. Sic sed didit & Germanicus interpres, & Tigurina uersio sic habet. Pagninus illud באדם, id est in homine, refert ad præcedentia, & uertit: Qui effundit sanguinem hominis in homine, sanguis eius effundetur.

Ad imaginem quippe Dei factus est homo.] In Hebræo est: בי בצלם אלהים עשה את האדם, id est quoniam in imagine Dei fecit hominem. Græcus habet ἐποίησα τὸν ἄνθρωπον, id est feci hominem.

Et implete eam.] Hebraicè sic, ורבו בה, id est, & multiplicamini in ea. Græcus uertit: καὶ πληθύνεσθε ἐπὶ τῆς γῆς, id est & multiplicamini super terram.

Explana

EXPLANATIO.

Post hiſtoriã diluuij Moſes ordine omniũ cõuenientiſsimo conſequenter de primordijs ſubſequentis poſterioris huius mũdi, in quo uiuimus, ſubijcit: & narrationis huius principiũ ab eo ſumit, q̃d & maieſtate, & rei ordine primũ eſt, nimirũ ab oraculo Dei ad Noe & filios eius poſt ſacrificiũ laudis & gratiarũ actionis facto. Sic itaq; dicit· *Benedixit Deus Noe & filijs eius, & dixit ad eos: Creſcite, &c.*] Circa calcẽ præcedẽtis capitis meminit, quid Deus penes ſe odorẽ ſuauitatis ex ſacrificio Noe odoratus ſtatuerit, hic uerò ne cõſilium & ,ppoſitũ Dei Noe ac filijs eius haud innotuiſſe putemus, memorat qũo & illis ,ppoſiti Dei gratia peculiari ſit oraculo patefacta. Crediderim aũt hoc ſtatim in ipſo factũ eſſe ſacrificij loco, ubi Noe ſtructo altari unà cũ filijs ſuis holocauſta Dño obtuliſſe ſcribit. Adhibuit Noe dubio procul & filios ſuos ei ſacrificio, & beneficentiã Dei nõ modò oblatione pecudũ, ſed & uerbis celebrauit: ubi ueroſimile eſt oraculũ hoc Dei ad ipſum eſſe pariter & filios eius factũ. Continet aũt præſens oraculũ Dei primũ benedictionẽ, deinde cõceſſionẽ, tertiò exceptionẽ, quartò cõminationem, quintò legem, ſextò pactum pactiq; ſignum. Ad benedictionem pertinet q̃d dicit: Creſcite, & multiplicamini, & replete terrã. &, Terror ueſtri ac tremor ueſtri ſit ſuper cuncta animantia terræ, &c. Eſt ergo bimembris iſta benedictio. Primũ em̃ multiplicationẽ habet tam animaliũquàm hominũ. Deinde dominiũ hominis in cuncta animantia terreſtria, aquatilia & uolatilia. Neq; em̃ tantum dicit, Terror ueſtri ac tremor ſit ſuper cuncta animantia terræ: ſed addit, Manui ueſtræ tradita, hoc eſt, poteſtati ueſtræ ſubiecta ſunt. Per terrorem expreſsit maieſtatem hominis: per hoc quod dicit ea manui noſtræ tradita, poteſtatem ſuper animantia ſignificare uoluit. *Benedictio.* *Benedictio bimembris.*

Et omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in cibum. Quaſi olera uirentia tradidi uobis omnia.] Quæ de benedictione Noe & filiorũ eius cõmemorata ſunt, repetitionẽ habent primæuæ benedictionis, qua primis hominibus Deus ſtatim initio creationis benedixerat, ſicuti uidimus ſuprà cap. 1. Quæ uerò de cibo ſubijciuntur, conceſsionẽ habent cibi ante diluuiũ haud permiſsi. Nam illic de herbis tantum & arborũ fructibus in cibum datis legitur: hic uerò, quicquid mouet & uiuit, erit uobis, inquit, in cibũ. Generaliter loquit, ut omnia animantia terreſtria, uolatilia & aquatilia comprehendat. Ideo motus ac uitæ meminit, quæ cõmunia ſunt omnibus omniũ generum animantibus: & particulam hanc adiecit ad diſcriminandũ inter animantia & terræ naſcentia, quæ poſteriora licet creſcendo motum quendam patiuntur, de loco tamẽ ad locum perinde atq; animantia nõ mouentur. Illud, Quaſi olera uirentia tradidi uobis omnia, perinde dictũ uidetur, ac ſi dixiſſet, Quemadmodũ olim initio olera uirentia, herbas, & arborũ fructus in cibũ uobis dedi: ita in poſterũ trado uobis omnia quæ mouentur & uiuunt. Hiſce uerbis nõ tollit uſum herbarum & olerũ uirentiũ ſemel homini datũ, ſed conceſſum carnis eſum declarat, ut ſciamus perinde licere nobis ueſci quibuſuis animãtibus, atq; herbis & arborũ fructibus. Alioqui dicendũ erat, Pro oleribus tradidi uobis iſta. *Conceſsio.*

Excepto quòd carnẽ cũ ſanguine non comedetis. Sanguinẽ enim animarũ ueſtrarũ requirã de manu cunctarũ beſtiarũ, & de manu hominis, de manu uiri fratris eius requirã animã hominis.] Habẽt iſta exceptionẽ cũ intermi natiõe cõiunctã, qua cauet, ne carnis eſus homini libere permiſsus abeat in crudelitatẽ beſtialẽ, qua homo inſtar ſæuæ beſtiæ carnẽ animalis, in qua adhuc uita ſit, cũ ſanguine comedat. Sic intelligo q̃d in Hebræo legitur אך בבשר בנפשו דמו לא תאכלו Quaſi dicat carnẽ non comedetis de animali in cuius ſanguine adhuc eſt anima uel uita, aut in quo uitalis adhuc ſanguis exiſtit. Sic beſtiæ decerpunt ac uorant uiua animalcula. Poſſet etiã ſic exponi: Carnẽ in cuius corpore adhuc ſanguis eſt, ne comedatis: ut nox נפש nõ de anima, ſed corpore animato accipiat, intelligatur q̃ ,phiberi ne q̃d mẽbrũ de uiuo animalis alicuius corpore abreptũ comedamus. *Sanguinẽ enim animarũ ueſtrarũ requirã.* Suprà monui in Hebræo legi, *Et ueſtrũ quoq; ſanguinem requirã.* Habent iſta cõminationẽ. Minat ſe requiſiturũ ſanguinẽ, hoc eſt, uindictã crudelitatis ſanguinariæ de immanibus ac crudelibus ſumpturũ. Nõ dicit ſimpliciter, Sanguinẽ ueſtrũ requirã: ſed addit, Animarũ ueſtrarum, id eſt uitæ ueſtræ, ut de nece per ſanguinis effuſionẽ illata intelligamus. Nec dicit tantũ, Sanguinẽ animarũ ueſtrarũ: ſed, Et ueſtrũ quoq; animarũ ueſtrarũ ſanguinẽ requirã. Q. d. uindicabo crudelitatẽ ſanguinariã nõ ſolum qua ſæuit in ſanguinẽ beſtiarũ, ſed & qua ſanguis humanus truculenter fundit. Non adiecerat de ultione, qua ſanguinẽ beſtiarũ uellet ulciſci: ſed ſimpliciter prohibuerat, ne caro comedatur ſanguine uitali adhuc in corpore exiſtẽte. Ideo ad hunc modũ loqui uoluit, quo neutrã crudelitatẽ tam qua in ſanguinẽ animaliũ, q̃ qua in ſanguinẽ humanũ ſæuitur, impunẽ fore ſignificaret. Scio nõnullos particulã hanc ſic legere: Sanguinẽ ueſtrũ de animabus ueſtris requirã. Q. d. Si uoſmet ſanguinẽ ueſtrũ effuderitis, hoc eſt, ſi uobiſmet manũ cruentã intuleritis, requirã ſanguinẽ ueſtrũ de ueſtris ipſorũ animabus. Verùm tortũ eſt q̃d illud לנפשותיכם, id eſt animarũ ueſtrarũ, pro, מנפשותיכם, id eſt de animabus ueſtris accipiunt. Deinde ſequentia nõ fauent iſti expoſitioni. Subiungit em̃: De manu cunctarũ beſtiarũ requirã eum. De manu hominis, de manu uiri fratris requirã anima hominis. Hiſce uerbis exprimit, unde uelit ſanguinẽ & animã hominis requirere. Tam de beſtijs uidelicet q̃ de hominibus, ſiue illi ſint uulgares, id eſt, אדם, ſiue præcipui & familiares uel fratres, quos intelligit cũ dicit, מיד איש אחיו, id eſt de manu uiri fratris eius. Loquitur de homicidis adhuc uiuis, in quos poſsit ultio corporalis lege talionis exerceri, q̃d fieri cũ eo nõ poteſt, qui ſemetipſum occidit. Haud quidem ille iudiciũ Dei euadit, uerũ hic nulla de eo fit mentio. *Quicunq; effuderit ſanguinem humanũ, fundetur ſanguis illius. Ad imaginẽ Dei quippe factus eſt homo.*] Ponuntur iſta uigore legis. Aequitas illius ad normã talionis expreſſa eſt, qua nihil æquius eſſe poterit. Fundet, inquit, ſanguis eius, qui ſanguinẽ hominis effuderit. Sicuti fecit, ſic patiat & ipſe. Occidit: occidatur. Adijcit etiam rationẽ, de dignitate hominis ſumptã. Ad imaginẽ quippe Dei, inquit, factus eſt homo. Q. d. Non cõuenit ut cuiuſquã libidini & crudelitati ſit obnoxius homo, cũ ſit ad imaginem Dei factus, & dominus omnium conſtitutus. Quare non poterit impunè cedere cuiquam, ſi *Benedictio bimembris.* *Exceptio.* *Comminatio.*

manum suam in illum miserit,ac sanguinem eius crudeliter effuderit,siue homo sit,siue bestia.

Vos autem crescite & multiplicamini, & ingredimini super terram,& implete eam.] Repetit benedictionem multiplicationis, qua suprà cœpit. Q.d. Huc potius spectate, ut multiplicemini, quàm quomodo sanguinem fundendo benedictioni multiplicationis huius repugnetis.

QVAESTIO I.

Quare in benedictione hac non sit facta mulierũ mentio.

Benedixit Deus Noe & filijs eius,& dixit ad eos, Crescite & multiplicamini,&c.] Poterit hoc loco quæri, quare nõ sit facta mulierũ quoq; mentio. Dicit, Benedixit Deus Noe & filijs eius,& dixit ad eos, Crescite & multiplicamini. An benedictio multiplicationis ad solos uiros pertinebat,& non etiã ad illorũ uxores?

Respondeo: Nequaq̃ excludunt uxores. Quod eñ uirorũ duntaxat meminit, pro more scripturæ factũ est,sicuti passim occurrit. qua de re & suprà cap.3. meminit. Vir caput est mulieris. Illi loquit Dñs etiã de his quæ non ad eum tantũ,sed & ad uxorẽ & subditos pertinẽt. Quare quẽadmodũ non uiris tantum,sed & mulieribus cõcessus est carnis esus, licet non fiat illarũ mentio: ita benedictio multiplicationis nõ ad uiros duntaxat pertinebat, q̃uis ad illos loquutus sit Dñs,sed & ad uxores illorum. Neq; eñ uir sine uxore benedictionis huius effectum sortiri potest,ut multiplicet: neq; masculorũ duntaxat,sed & fœminini generis sexus erat multiplicandus.

QVAESTIO II.

Quomodo sint hæc uerba impleta, cum multæ sint bestiæ, quæ timeantur magis ab homine, quàm timeãt homines.
Onagri.
Rhinoceros.
Aquila.
Dracones.

Terror uestri ac tremor sit super cuncta animantia terræ. Item, Manui uestræ tradita sunt omnia.] Quærat hic quis q̃, qũo sint ista impleta,cũ multæ reperiant bestiæ, quarũ tremor ac terror magis sit super homines,q̃ hominũ super ipsas: quales sunt leones,ursi,dracones,crocodili,& consimiles aliæ nostris regionibus incognitæ,quæ utiq; & timent ab hominib.& haudquaq̃ manui illorũ subsunt. De onagro Iob 39. sic dicente Deo legimus: Quis dimisit onagrũ liberũ,& uincula eius q̃s soluit? Cui dedi in solitudine domũ,& tabernacula eius in terra salsuginis? Cõtemnit multitudinẽ ciuitatis,clamorẽ exactoris nõ audit. Et de rhinocerote, Nũqd uolet rhinoceros, inqt,seruire tibi? aut morabit ad præsepe tuũ? Et de aquila: Nũqd ad præceptũ tuũ deuorabit aquila, inqt,& in arduis ponet nidũ suũ? Et de draconib.marinis: An extrahere poteris, inqt ca.40.leuiathã hamo,& fune ligabis linguã eius? Nũqd pones circulũ in narib.eius? Nũqd multiplicabit ad te preces,aut loquet tibi mollia? Nũqd feriet tecũ pactũ,& accipies eũ seruũ sempiternũ? Et in calce cap.41. Nõ est super terrã potestas quæ cõparet ei, qui factus est, ut nullũ timeret. Qũo igit uerũ est q̃d hic legit, Terror uestri ac tremor sit super cuncta animantia terræ. Et: Manui uestræ tradita sunt omnia. Ad hanc quæstionẽ aliter atq; aliter responderi potest. Primũ q̃d dicit, Terror uestri sit super cuncta animantia terræ,intelligi potest ei tẽpori accõmodatũ fuisse,in quo numerus hominũ post diluuiũ adhuc erat exiguus, ideoq; indidisse Dñm terrorẽ ac tremorẽ cũctis bestijs quo coercitæ abstinerẽt à dilaniatione hominũ,ne multiplicatio generis humani impediret. Si hunc sensum acceperimus, habent hæc uerba dispensationẽ quandã non perpetuã,sed temporariã,incremẽtis humani generis teneri adhuc & exigui seruientẽ, quæ post illius multiplicationẽ uires suas nõnihil amiserit. Deinde,si sensus iste nõ placuerit,responderi potest, datũ esse hisce uerbis dominiũ & maiestas homini super oẽs bestias, ut potestatẽ habeat in cuncta animantia uolatilia,terrestria & aquatilia,sicuti in explanatione admonuimus. Nõ est aũt ad ueritatẽ huius prærogatiuæ necessariũ,ut prorsus omnes bestiæ homini accedant ad manũ,illi seruiant, & metu eius consternent: sed satis est, q̃ coram Dño,& quantũ necessarius usus exposcit,ius, dominiũ, maiestatẽ,& potestatẽ super omnia est sortitus. Et serui subiecti sunt dominis ordine diuino. Si dicat dominis: Terror uestri sit super seruos uestros omnes, Manui uestræ traditi sunt omnes: an ista potestas nõ erit uera,si aliqui ex seruis heros suos nec timeant,nec obedienter obseruent? Abſit. Paucorũ inobedientia iuris & prærogatiuæ integritatẽ ac ueritatẽ non infringit. Reperias herũ,qui seruũ malũ magis timeat ipse q̃ ab illo timeat, ista peruersitas nõ tollit interim ueritatẽ herilis potestatis. Sic & de honore quẽ parentibus filij, & obseruantia quã præceptoribus discipuli,immò & de timore quẽ omnes Deo debemus,dici potest. Huc accedit,q̃ uoces uniuersales, Omnes,omnia,&c. nõ sunt perpetuò sic accipiẽdæ,ut nullã patiant exceptionẽ. Quæ communiter & maiori ex parte fiunt,solent plerũq; uniuersaliter exprimi. Vt cũ omnis Hierosolyma ad Ioannem egressa scribit, q̃d haudquaq̃ uerũ erat, nisi intelligas maiorẽ populi partẽ hac esse locutione significatam. Sic cũ dicit hoc loco Deus, Terror uestri sit super cuncta animantia terræ:&, Manui uestræ tradita sunt omnia: nõ est necesse,ut strictè de omnibus bestijs,nullis prorsus exceptis intelligas, cũ nulla usus humani necessitas hoc requirat,ut ad manũ hominis de facto præstò sint omnes bestiæ,dracones,crocodili, rhinocerotes,onagri,tygrides,harpyiæ,aquilæ,leones,&c. Contendunt aliqui, nõ esse ullã bestiã, quæ ad hominis subitũ conspectũ nõ contremiscat initiò, donec sese recolligat. Ea tamen de re cũ nemine cõrendo. Negari nõ potest, multas esse bestias, quarũ nos conspectus subitus, præsertim in locis desertis, perterreat. Inde tamẽ nõ rectè colligit, esse illis bestijs dominiũ datũ in homines. Alij reijciunt causam eius, q̃d homini bestiæ sunt terribiles uel in peccata nostra, uel in irritationẽ aut famẽ bestiarũ. Verũ satius esse iudico,ut ad hanc quæstionẽ ea respondeamus, quæ secundo sunt loco dicta,& ad maiestatem & potestatẽ generis humani super omnia quæ in terra sunt acceptam pertinent. Quærunt etiam hoc loco, quare bestiæ ante diluuium non ita timuerint ac fugerint hominis cõspectum, sicuti post diluuium. Et antea legimus homini potestatem & dominium à Deo datum fuisse in bestias, de timore tamen isto ac tremore nihil in historijs diluuium præcedentibus legimus. Respondendum est, ante diluuium fuisse homini datam potestatem super bestias, uerùm citra lanienam & mactationem, nisi quantũ requirebat ritus sacrificandi. Post diluuium uerò permissa est homini potestas mactandi & comedendi non unius duntaxat, sed omnis generis bestias. Hanc potestatem homini Deus non uerbis tantũ,sed & sic efficaciter dedit,ut in ipsa animantia inditus sit eam ob causam timor ac tremor ad hominis saltem conspectum, perinde atq; oiuculæ à facie lu-

Simile.

A cie lupi, lepores à latratu canum, & columbæ à conſpectu accipitris protinus fugiunt.

QVAESTIO III.

An & animalia immunda & uenenata, etiam hominibus, ad ueſcendum dederit hiſce uerbis.

Omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in cibum.] Viuunt & mouentur etiam dracones & ſerpentes, & quæ adhuc aliæ ſunt uenenatæ beſtiæ. Quærat igitur aliquis, ac dicat: Ergo iubet ut ſerpẽtes quoq; & alia uenenata & mortifera animalia comedamus? Præterea uiuit & mouet homo. Vult ergo ut homo comedat etiã hominẽ, ſimusq; crudeles anthropophagi? Reſpondeo: Habẽt iſta uerba conceſsionẽ, non imperiũ, & mandatũ. Permittit ut quibus uiſum fuerit animalibus ueſcamur, non iubet ut id faciamus, quaſi niſi fecerimus peccemus. Habes admodum magnã mundorũ ac ſanorũ animaliũ copiã quibus ueſcare: quod ſi cordi eſt ſerpentibus etiam ueſci, non prohiberis. Scribit Plinius lib. 6. cap. 29. de Caudæis populis Aethiopiæ, quòd ſerpentes comedant, ideoq; Ophiophagi uocentur. Haud quidem illi faciunt q̃ ſit prohibitum, faciunt tamen quod uicißim non eſt præceptum. Et nos ubi mundis animalibus ueſcimur, non faciamus quod ſit præceptum, haudquaquam peccaturi, etiam ſi ne illis quidem ueſcamur, ſed comedamus ex oleribus & herbis aut fructibus arborum, tantũmodò ſani ſimus fide, & edamus cum gratiarũ actione, & quantum neceſſe eſt ſuſtentandis naturæ uiribus. Quare agnoſcenda eſt hic liberalitas Dei, qua nobis poteſtatem facit ueſcendi quibuslibet: & ſimul uidendum, ut illa pro noſtra commoditate ſobrie utamur.

Caudæi ὀφιοφάγοι.

Quod obijcitur de homine, an & homo, quoniã ipſe quoq; uiuit & mouetur, ſub iſta conceſsione comprehẽdatur, liceatq; nobis eſſe anthropophagis, quales aliquot gentes eſſe audimus: reſpondeo, non eſſe uerba Dei contra ſpiritum ac mentem eius diuexanda, & à propoſito abalienãda. Vbi dicit, Omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in cibum: non loquitur de homine, ſed ad homines de beſtijs terræ, uolucribus cœli, & piſcibus maris. Terror ueſtri ſit ſuper cuncta animantia terræ, inquit, & ſuper omnes uolucres cœli, cum uniuerſis quæ mouentur ſuper terram, & ſuper omnes piſces maris, omnia uobis ſunt tradita. Hic ſubiungit immediatè, Et omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in cibum: ſignificans ſe non loqui niſi de animantibus terræ, uolucribus cœli, & piſcibus maris. Quare iniquum eſt, ſi uerba hæc ultra, imimo contra intentum Dei capiantur. Intentum enim Dei nõ erat, hominem homini dare ad ueſcendum. Deinde pro poſitum diuinæ benedictionis erat, ut multiplicarentur homines ſuper terram. At anthropophagia plane aduerſatur huic propoſito ad diminutionem faciens generis humani, non ad multiplicationem, ut erudelitatem taceam, quam philanthropia Dei probare non poteſt: ſed, ut hoc ipſo quoq; loco uidemus, admodum grauiter deteſtatur, & poſita lege prohibet, dum dicit: Quicunq; fuderit ſanguinem hominis, fundetur & ſanguis eius. Quis autem ſic poterit ueſci homine, ut nec ſanguinem eius fundat, nec carnem cum ſanguine comedat, nec homicidium admittat?

De Anthropophagia.

B

QVAESTIO IIII.

Quare carnis eſus permiſſus ſit poſt diluuium.

Quærũt etiã, quare Deus poſt diluuiũ aquarũ carnis indulſerit eſum hominib. cũ ante diluuiũ illis herbas dũtaxat & arborũ fructus ad edendũ tradiderit. Chryſoſtomus ſic dicit: Hic eſt initiũ edendarũ carniũ, nõ ut nos ad uẽtris ingluuiẽ paret & inſtruat, ſed qa ex ipſis erat Noe ſacrificaturus & Deo gratias acturus. Videt ergo ſentire, eã ob cauſam poſt diluuiũ permiſsũ eſſe carnis eſum q̃d de animantib. erãt hominẽs Deo ſacrificaturi, q̃ uidelicet licitè de ſacrificijs edere poſſent. Verùm ea ratio parũ firma eſt & conueniẽs. Nã & ante diluuiũ obtulit Habel de grege ſuo, & tñ nõ legimus, q̃ fuerit homini ante diluuiũ carnis eſus permiſſus. Et uerõſimile eſt Noe quoq; inde à patrib. acceptã fuiſſe conſuetudinẽ de animantib. ſacrificãdi, anteq̃ diluuiũ induceret. Alij aliò reſpiciũt. Dicũt terrã fuiſſe diluuio labefactatã, ideoq; fructus illius priſtinã cibãdi efficaciã amiſiſſe poſt diluuiũ: deinde naturã humanã factã fragiliorẽ, opus habuiſſe liberaliori alimonia, atq; ob has cauſas eſum carniũ permiſsũ eſſe hominib. Horũ ſentẽtiæ nihil detralio. Crediderim tñ eſum carniũ etiã ante diluuiũ fuiſſe uſurpatũ hominib. Etenim ſi omnis caro uiã ſuã corruperat, ſicuti ſcriptura teſtat, haud im, pbabile eſt etiã in uictu corruptã fuiſſe ſobrietatẽ primæuã, & inductã q̃libet edẽdi temeritatẽ, priusq̃ cũcta diluuio inuoluerent. Nã & Chriſtus ipſe de temporib. diluuij præcedentib. teſtat, q̃ ederint & biberint homines. id q̃d ſanè nõ de neceſſaria, licita & moderata edendi bibẽdiq; ratione, ſed de ingluuiei intẽperantia dictũ eſſe cenſemus. Quare arbitror eſum carniũ homini poſt diluuiũ etiã hãc ob cauſam eſſe conceſsũ, & primã ſobrietatis legẽ abrogatam, ne etiã nouo illi ſeculo trãſgreſsionis occaſio, ꝓpter carnis noſtræ intemperantiã, obijceret. Et Baſilius ad hũc modũ ſenſiſſe uidetur, in Hexã. hom. 11. ſic dicẽs: Poſtq̃ uerò præſcriptã uiuẽdi metã reiecit, trãſgreſſusq; eſt homo, poſt cataclyſmũ, cũ temeritatẽ hominũ ſciret Deus, q̃buſuis ueſci permiſit. Omnia hæc, inq̃t, ueluti olera uirẽtia comedite. Hac permiſsione poteſtatem acceperunt & reliqua animantia, ut carnibus ueſcanꝰ, &c. Hæc ille.

QVAESTIO V.

De gladio magiſtratus.

Quicũq; effuderit ſanguinẽ humanũ, fundetur ſanguis illius.] Quæriũ hic, q̃d de magiſtratu ſentiendũ ſit, q̃ gladiũ geſtat, utiq; nullã aliã ob cauſam q̃ ut ſanguinẽ nõ beſtiarũ, ſed hominũ effundat. Si iuxta præſentẽ hãc legẽ uſq̃adeò nõ eſt humanus ſanguis fundẽdus, ut q̃ſqs illũ fuderit, ꝓprij ſanguinis iudiciũ & condemnationẽ incurrat, quo gladius magiſtratus excuſabil, ne trãſgreſsionis reus cenſeat? Reſpondeo: Qui legẽ hãc tulit, poteſtatẽ ſibi retinuit decernẽdi & ſtatuẽdi in cuiuſuis ſanguinẽ. Ille ſic ſtatuit, ut ſanguis homicidæ fundat. Huius ſentẽtiæ ſuæ executionẽ cõmendauit, primũ Noe, deinde ex ordine cũctis magiſtratib. Illi q̃d faciũt, faciũt ex authoritate diuinæ legis & cõſtitutionis, dũ homicidas occidũt. Aliud aũt eſt, ꝓpria temeritate, impulſu uel odij uel iræ, uel ſtudio rapinæ: & aliud, ex authoritate diuinæ legis ſanguinẽ fundere humanũ. Aliud itẽ eſt, fundere ſanguinẽ hominis: & aliud, fũdere ſanguinẽ homicidæ. Quare nõ dixit, Qui cũq; effuderit ſanguinẽ homicidæ, latronis, uenefici, blaſphemi, adulteri, &c. ſed, Quicũq; effuderit ſanguinem hominis, fundetur ſanguis illius. Quapropter tam abeſt ut gladius magiſtratus reus ſit ſanguinis humani,

mani, ut si ritè administretur, ad hoc faciat ut sanguis humanus seruet illæsus, ac cordis humani ac sanguinis effusionē, ꝓpendētis malicia & crudelitas cohibeat. Nisi legē hāc sic intelligamus, ut ad reprimēda sit homicidia lata, & iustū, immo necessariū, usum gladij magistratib. cōmendati statuat, semel uno homine occiso, tollendū esset, prsus uniuersum genus humanū, & omnis omniū hominū sanguis effundēdus. Etem fingere accidisse, ut Sē filius Noe, occideret à Iaphet. Iuxta legē hāc sanguis Iaphet fuisset effundēdus. A q̄: Nisi dicas, ab eo q potestatē gladij ad sumēdū supplidiū de homicidis à Deo accepit, cōsequet ut à q̄libet, id q̄ sine authoritate & potestate, sic ut occisor Iapheth quoq; fuerit occidēdus uel à Chā, uel à Noe, & per cōsequētiā etiā illius sanguis fūdēdus. Hoc pacto semel occiso aliq̄ homine, ꝓgressus fundēdi sanguinis humani nullū sortiret finē, donec de primo ad ultimū omniū mortaliū sanguis esset effusus. Itaq; q̄d dicit, Quicūq; fuderit humanū sanguinē, fundet sanguis eius: sic est intelligendū, ut legē habeat nō tollendi è medio sanguinis humani, sed conseruādi, ideoq; iustā homicidij uindictā statuentē, ne ꝓgressu fundēdi sanguinis humani genus humanū nō multiplicet, sed prorsus extinguat, liceatq; innocentib. secure uiuere. Rursus dicet aliquis: Qūo implet q̄d hic est à Deo dictū: Quicūq; fuderit sanguinē humanū, fundet sanguis illius, cū uidere liceat quā plurimos homicidas pœnā hāc euadere, q̄d uel lateāt illorū homicidia, uel magistratus in eos nō animaduertat, etiāsi sciat eos sanguinē fudisse humanū? Respōdeo: Quæstioni huic locus nō erit, si nō legas, Fūdet, quasi sit uaticiniū de re futura: sed, Fundat sanguis illius, ut sit uerbū præcipientis ac statuentis Dei, qūo animaduerti debeat in homicidas. Hāc legē si angelis exequendā mādasset, nō esset ulla homicidarū euasio. Quoniā uerò mandata est homini, accidit pro corruptione ingenij humani etiam hic quod usuuenit in reliquis præceptis Dei, quorum nullum est quod constanter & ritè adimpleatur.

Quomodo sit impletum, quod dicit, Fundetur sanguis eius.

OBSERVATIO I.

Benedixit Deus Noe & filijs eius, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & replete terrā.] Quid sit de benedictione hac annotandū in se, admonui suprà cap. 1. In præsenti obseruandū est, q̄ cōuenienter eā Deus coràm Noe & filijs eius post diluuiū repetierit ac renouarit. Erat nō terra modò, sed & uniuersa caro maledictioni & condēnationi subiecta, & aqs diluuij illa uastata ista, prsus, dēpto Noe, cū suis deleta, nec constabat amplius an pristina humani generis benedictio efficaciā suā habitura esset in posterū: quæres dubio ꝓcul animos piorū Noe ac posterorū eius admodū perturbasset. Deleuerat priorē mundū, ꝓpter malitiā q̄dē humani cordis: uerùm inter alia uitia libido nominata fuerat, quā cū filiabus hominū exercuerāt. Quare ne uideret dānare matrimoniū q̄d ipse instituerat, & ne q̄d hac in re fluctuarēt, nō solū reipsa uirtutem pristinæ benedictionis renouat, sed manifesto etiā & expresso oraculo renouationē eius manifestat, dicēs Crescite & multiplicamini, ut bona cū cōscientia, & fide syncera multiplicādo generi humano terrāq; replēdæ incūberent. Sic solet Deus post flagella & iræ ipsius sensum gratiæ suæ lucē cordib. fideliū restituere, sine qua nulla posset quantūuis pij hominis cōscientia in cursu pietatis cōstanter perseuerare. Deinde & illud cōsideremus. Nō solū filijs Noe dicit, Crescite & multiplicamini: sed & unà cū illis ipsi etiā Noe, de q̄ tñ nō legimus ꝓpost diluuiū aliq̄s liberos ex uxore sustulerit, in quib. secundū benedictionis huius efficaciā creuerit, & aliqd post tres filios ante diluuiū acceptos ad generis humani multiplicationē cōtulerit. Cōsequēs ergo est, ut deputet ipsi q̄q; multiplicatio generis humani, quæ cōtigit per ipsius filios, nepotes, & posteros. Immo si rectè cōsideres quicquid sit de opere multiplicationis per filios adimpleto, ipsa multiplicationis benedictio & gratia principaliter ad Noe refertur, qui gratiā coràm Domino inuenerat, & cuius sacrificij odor Domino apprimè placuerat. Quare quod dicit, Benedixit Deus Noe: intelligendū est cum primis: & quod addit, Et filijs eius, idem est ac si dicat, Propter illum benedixit & filijs eius.

Quàm conuenienter ista repetatur benedictio.

Quomodo benedictio ista pertineat ad Noe.

OBSERVATIO II.

Terror uestri ac tremor sit super cuncta animantia terræ.] Videmus hic annexū esse maiestati timorē. Vbi cōstituit hominē dñm terrenū, illiq; potestatē in cūcta animātia dedit, adiecit hoc reuerētiæ gratia, ut maiestatis huius eminētia terrori esset cūctis animātib. Quare nihil poterit peruersius accidere, q̄ si Maiestas hæc ludibrio. Si ego Dñs inquit Deus Mal. 1. ubi est timor mei? Deinde obseruēt hic magistratus unde sit timor ille maiestati debitus. Nō dicit, Terrebitis ac tremefacietis cūcta animātia terræ: sed, Terror uestri erit super cūcta animātia terræ. ipse Dñs terrorē hūc animantib. indidit, reddiditq; hominē terribilē ac tremendū, fitq; dē itaq; opus est hic timor ac terror, cuius est maiestatis eminentiā, ꝓ arbitrio suo in quē uoluerit trāsferre, q deponit potētes de sede, & exaltat humiles, & effundit contemptū super principes. Qua, ꝓpter insipientissimi sunt, q ut timeant à subditis, legitimā gubernationē peruertūt in tyrannidē: idq; efficiūt, ut dū præpostero modo timeri uolūt ab omnib. timeāt uicissim sibi ab omnib. fidāt nemini. Quin potius cū studiosè obseruāt ac reuerent, unde habēt ꝓ sunt principes, per quē unū ritè possunt & hoc conseq, ut à subditis timeant & obseruent? Quid aūt æquius cēseri poterit, q̄ si homo timēdus sit à subditis suis, ꝓpter maiestatē à Deo acceptā, q̄uis natura nihil ab illis differat, & eidē cū illis infirmitati sit obnoxius, multo magis timēdus sit ab hominib. Deus ipse, à q̄ q̄cq̄d habēt eminētiæ & honoris acceperunt, q unus etiā omniū quæ in cœlo sunt & in terra sapientiā, iustitiā, & uires superat, & remotior est cū à natura tū à fragilitate nostra, q̄ cœlū sit à terra? Iā uerò cū non sit timor Dei ante oculos nostros, q̄ sumus impudētes dū à subditis requirimus timorē quē Deo negamus? Iniquū censet, si bestia nō timeat hominē, & homo inferior superiorē: & interim iusq; deq; facimus, si homo nō timeat Deū. In eiusmodi immorigeros ac diuinæ Maiestatis contemptores, dētes bestiarū immissurū se minat Dñs, ut dilcerpant ac proterāt à bestijs, q eminētiæ suæ authorē agnoscere nolūt. Et illud obseruandū est: Cū dixisset, Terror uestri ac tremor erit super cuncta animantia terræ, &c. nou adiecit, si mali quicquā egerit. Ergo uoluit timeri hominē à bestijs etiā innocuis. At ꝓ

Maiestatis dignitati annexum esse timorem notent subduti.

Animaduertant magistratus, unde sit timor Maiestatis.

A stolus ubi de magistratibus Rom.13. scribit, dicit: Si malè egeris, time. Non enim frustra gladium portat. Admonemur potestatem homini à Deo datam semper quidem honorandam à subditis: tum uero timendam etiam esse, cum aliquid mali moliuntur. Maiestatem uerò Dei non solum à malè agentibus, sed & ab illis qui pro uiribus abstinent à malo, esse timendam, immò tremendam. Etenim tametsi non habeatur homo coram Deo, eo loco quo bestia habetur coram homine, infinito tamē inferior est Deo, & à diuina Maiestate remotior quàm sit bestia infra hominem, & ab humana natura remota. Quare si timendus est homo ab animantibus etiam dum nihil mali agunt, multo iustius est ut Deus timeatur ab hominibus, etiam dum impensissimè iustitiæ student.

Quod non adiecit, Si malè egerint.

OBSERVATIO III.

Manui uestræ tradita sunt.] Obserua quod nō dicit, Manu uestra parta sunt: sed, Manui uestræ tradita sunt. Quæ nostra sunt ex traditione, hoc ipso quòd tradita sunt admonent de eo qui tradidit, ac cōmonefaciūt nos gratitudinis pariter & modestiæ, ne uel ingrati simus largitori, uel acceptis insolenter & arrogāter utamur. Quid habes, inquit Apostolus, quod nō acceperis? si aūt accepisti, qd gloriaris, quasi nō acceperis? Ipse q tradidit, leges populo suo fixit, quo & abusum pecudū prohiberet, & infrenē cordis humani cupidinē coerceret. Nō ligabis, inquit, os boui triturāti. Itē, Vt requiescat iumentū tuū & asinus tuus. Et: Ne auferas matrē cū pullis. Itē, Qui coierit cū iumēto, morte moriatur. Pecus quoq; occidite. Vides repressam libidinē & abusum pecorū, quamuis manui nostræ traditorū. Deinde, ne ordo charitatis ac pacis insatiabili cupiditate perturbet, uetuit, ne quis bouē uel ouē proximi sui cōcupiscat. Sūt quidē humano generi tradita omnia, uerùm hactenus, ut in possessione & usu nulla sit confusio, nulla iniquitas, nulla uis, nulla fraus, sed unicuiq; quod ipsi iustis modis contingit, intactum relinquatur. quò spectant innumeræ leges tam diuinæ quàm ciuiles. Da phanaticum hominem, publicæ pacis & æquitatis hostem. Is colliget ex hoc loco: Si tradita sunt nobis omnia, ergo nostra communiter sunt omnia. Quic quid communiter pertinet ad omnes, communiter potest usurpari ab omnibus. Omnia itaq; omnium communia sunt, nec conuenit ut aliquid priuatim possideatur à quoq;, tollendaq; sunt omnia proprietatis iura. Horum dementia non argumentis, sed potestate publica est coercenda, ut leges eius reuereri discant, qui sic mortalibus tradidit omnia, ut interim iusta rerum distributio & possessio illibata seruetur & integra.

Non dicit, Manui uestra parta sūt: sed, Manui uestræ tradita.

Cōmunis ista bonorū omniū traditio nō tollit legitimam & priuatā possessionē

OBSERVATIO IIII.

B *Omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in cibum. Quasi olera uiuentia tradidi uobis omnia.*] De prouidentia Dei, qua conditis à se de necessario cibo prouidet: deinde & de eo quòd uerbo suo potestatem eorum tradidit, quibus uescamur, dictum est suprà cap. 1. ubi primis hominibus de cibo præscribitur. In præsenti expendenda est primùm liberalitas ista Dei, qua ultra herbas & arborum fructus etiam carnis esus concessus dicitur hominibus. Deinde considerandum est, quod non solum tradidit nobis carnis esum, sed & hunc se nobis liberrimè tradere manifesto oraculo expressit, quo non necessitati modò, sed & conscientiæ nostræ consulat. Alioqui quotquot alieni sunt à crudelitate mactandi ac uorandi animantia, nunquam in ducī possent, ut salua conscientia aliquod animalculum mactarent & ederent. Et ego Musculus, qui ista scribo, omnino sic sum animatus, ut in omni uita mea de nullius essem animalculi carne comesturus, uisi uerbo Domini instructus, certò scirem, hanc esse diuinæ bonitatis & uoluntatis liberalitatem, qua mortalibus liberè concessum est ut pura conscientia uescantur quibuslibet, habeāt̄q; cibum nō solum ex herbis & arborum fructibus, sed & ex omni eo quod mouetur & uiuit. Tertiò. Concessio ista quoniam ab eo profecta est, qui omnem habet & authoritatem & potestatem, nec potest illicita censeri, nec debet à quoq; mortalium infringi ac prohiberi. Sicut enim firmum est quod Christus Matth. 19. dixit, Quos Deus coniunxit, homo non separet: ita planè irrefragabile est, si dicas: Quod Deus humano generi dedit, homo non auferat. Quare quemadmodum non ministri Christi, sed aduersarij Dei est, prohibere legitimum coniugium, & separare quos Deus coniunxit: ita haudquaquam Dei, sed satanæ serui sunt, qui carnis esum à Deo ipso tam liberaliter concessum, propria temeritate, immo ex instinctu satanæ prohibent. Quàm aūt haud unlgaris sit ista temeritas, sed prorsus diabolica, & quod fuerit per homines hypocritas & fidei desertores in Ecclesiam nouissimis temporibus introducenda, manifestè cernere est 1. Tim. 4. ubi Apostolus disertis uerbis uaticinatur dicens: Spiritus manifestè dicit quòd in nouissimis temporibus discessuri sint quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauterio notatam habentium conscientiam, prohibentium nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendū cum gratiarū actione fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarū actione percipitur. Sanctificatur enim per uerbum Dei & precationem. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus in uerbis fidei & bonæ doctrinæ. Hæc Apostolus. At hodie qui ista Ecclesiæ Dei proponit, à Pontificibus damnatur hæreseos, & igni traditur comburēdus. Paulus doctrinam hanc uocat bonā & uerba fidei: hypocritæ Papistæ uocant eam erroneam & schismaticam. Horū impietatem præuidit Apostolus, immo per spiritum Dei prædictam esse dicit: deinde tribuit eam dæmonibus tanquā spiritibus malis, & Deo in omnibus aduersantibus. Dixit enim Deus, Crescite & multiplicamini: eamq; ob causam masculū & fœminā creauit & coniūxit. Deinde quod cibū attinet, Omne quod mouet, inqt erit uobis in cibū. Quasi olera uirētia tradidi uobis omnia. Huic operi, ordini, ac liberalitati Dei aduersarius dæmon per ministros suos hypocrisi, hoc est, simulatione ac specie

cie sanctimoniæ tectos, contradicit, & matrimonium de immundicia diffamat, cœlibatum prædicans & coniugium seruis Dei adimens: consimiliter & esum carnium sub specie religionis certis diebus omnibus fidelibus illicitum facit. Agnoscamus igitur doctrinam dæmoniorum, & ministros non Christi, sed satanæ, nota omnium manifestissima per ipsius spiritus sancti uaticinium ex ore Apostoli prodi-tos, quicquid hodie Pontificij prætexant. Nobis authoritate uerbi Dei constat, non modò bonum quicquid Deus creauit ad percipiendum fidelibus, sed & licitum esse illorum omnium usum, ut perin-de bona cum conscientia carnibus animaliũ uolatiliũ, terrestrium, & aquatilium, atq; herbis terræ, olerī-bus, & arborum fructibus uesci queamus. Deus est, non homo, qui dicit: Omne quod mouetur & vi-uit, erit uobis in cibum. Quasi olera uirentia tradidi uobis omnia. Et hanc liberalitatem suam neque per Christum filium suum, neque per Apostolos seruos suos sustulit. Satan est, non Deus, qui dicit: Ne ducas uxorem. Etenim qui secundum carnem uiuit, morietur, sicuti Siricius Papa pronunciat. Satan est non Deus qui dicit, Ne uescaris carne, nisi piscium tantum.

Contra luxũ & ingluuiem.

Deinde annotandum & illud est, quòd non dicit, Omne quod mouetur & uiuit, erit uobis in luxum & ingluuiem: sed, Erit uobis in cibum. Multum interest inter cibum necessarium, quo corpora nostra re-ficiuntur: & inter luxum, quo ingluuiei & crapulæ studetur, & uires corporum nostrorum non refici-untur, sed corrumpuntur ac perduntur. Quare non immeritò requirit Apostolus, ut accedat grati-arum actio & precatio, quo cibus à Deo datus non solum illius uerbo licitus sit, sed & sanctè à nobis usurpetur. Sanctificatur, inquit, per uerbum Dei, quo uidelicet est concessus, & precatione. Qui pre-cando cibum petit à Domino, & datum cum gratiarum actione usurpat, non poterit illo per luxum prophanis modis uti. Quare & peccat hodie uehementer in eo, quòd ultra leges naturæ omnẽ nostrũ cibum uertimus in luxum, ac donum Dei uerbo illius sanctificatum prophanamus, & uires corporum nostrorum irrecuperabiliter perduntur, dum per luxum illas omnis generis morbis subijcimus.

OBSERVATIO V.

Concessus carnium ejus exceptione aliqua limitatur.

Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.] Primùm obserua, quod concessum carnis esum Deus exceptione aliqua limitat, ne prorsus liber sit concessorum usus, sed legi alicui astrictus. Consi-mili modo & suprà cap. 2. cum uniuersos paradisi fructus primis hominibus daret ad uescendum, u-nã ex omnibus exemit arborem, de cuius fructibus non liceret illis ad edendũ usurpare. Non est præter rationem quòd aliquid excipitur, ubi homini infignis aliqua prærogatiua confertur. Prodest pluri-mum ad restringendam cordis nostri arrogantiam, & immoderatam intemperantiam, si in usu conces-sarum rerum lege aliqua non humana & Pontificia, sed diuina cohibeamur, ne modum excedamus, & omnium largitorem tandem floccifaciamus, & ne agnoscamus quidem.

Qualis ponatur exceptio.

Deinde expendamus qualis ponatur exceptio. Excepto, inquit, quòd carnem cum sanguine non co-medetis. Non prohibet, ne sanguis animalium fundatur. Alioqui quomodo ederentur? sed crudelitatem ferinam prohibet, ne homo ad morem bestiarum cruentam animalium carnem uoret. Quid nece-sse erat hac exceptione & prohibitione, si à cruenta feritate alienus prorsus est hominis animus? Re-periuntur Gentes, quæ carne humana uescuntur: quid mirum, si reperiantur qui immani feritate, ma-gis bestias quàm homines referentes carnem crudam, & calido adhuc cruore palpitantem uorent? Ex legum Dei qualitate iudicandum est de naturæ nostræ malitia & deprauatione.

OBSERVATIO VI.

Iudicium sanguinis pertinet ad Deum.

Sanguinem enim animarum uestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu uiri fratris eius requiram animam hominis.] Primùm expendamus, quod dicit se sanguinem hominis re-quisiturum. Ergo iudicium sanguinis ad ipsum pertinet, tanquam superiorem iudicem. Atqui magi-stratus ob id gladium gestat, ut pœnas sumat de homicidis. Rectè. Minister Dei est, inquit Paulus, ad sumendam uindictam. Quare ubi uidemus homicidas plecti, cogitemus Deum sanguinem effusum de manibus illorum requirere: nec iudicium magistratus, tanquam humanum respiciamus, sed potius diuinam supremi iudicis ultionem agnoscamus.

Æquitas iudicij Dei.

Deinde considerandum est, quod cum dicendum esset, Pœnas sumam de homicidis: dicit, Sanguinem uestrum requiram. Item, Requirã animã hominis. Æquitas iudicij Dei exprimitur. Quid enim æqui-us, quàm ut requiratur quod malè & per iniuriam est ablatum? Homicida aufert hominis sanguinem & animam. Rectè ergo ab illo requiritur, quod uiolenter & per iniuriam abstulit.

Quare comminationem istam statim post diluuium paucis illis hominibus proposuerit.

Cogitemus hìc primùm, sanguinem nostrum pertinere ad ius & potestatem Dei. Sic illum dedit, ut nihilominus ad ipsum pertineat, si qua illi infertur iniuria. Quare cogitet se peccare in Dominum, qui-quis in sanguinem & animam hominis temerarius esse præsumpserit. Deinde expendamus quàm sit graue timendum iudicium omnibus illis, qui sanguinem humanum fundunt. Requiram, inquit. Quis? Deus ipse. Quid? Sanguinem hominis, animam hominis. unde? De manu tam bestiarum quàm hominum. Aufertur pecunia, requiritur de manu uel furis, uel raptoris, aut defraudatoris. Potest restitui. Si quem defraudaui, inquit Zachæus, reddo quadruplum. Aufertur sanguis, eripitur anima. Vide & quomodo restituetur? Requiritur quod restitui non potest. Quis est ille homicida, qui reddita occisi anima uitæ restituat quem occidit? Graue debitum quod reddi non potest, ut tamen omnium iustissi-mè requiratur, idq; ab eo, cuius requisitio contemni uitarìq; non potest. Tertiò, & de eo cogitemus, qua de causa statim initio post diluuium, cũ octo tantum homines de uniuersa carne superessent, cõminato-nem istam aduersus homicidas protulerit. Videtur enim nullã fuisse tũ illius rationem, cum essent uelut una

A una caro homines illi arctissimè triplici funiculo connexi. Erãt enim coniuges, erãt parentes & liberi, erãt fratres. Et præterea erãt pij, adeoq; stupẽdo beneficio Dei soli ex omni mortaliũ genere seruati. Verùm quantãuis essent arctè coniuncti, & una caro, ac simul pij, erãt tamen homines, quorũ tãta est corruptio ac deprauatio, ut pedes eorum ueloces sint ad effundendũ sanguinem, etiam fraternũ, quod antea fecerat Cain: etiam paternũ, quod tentauit Abshalom: etiam filiorũ, quod fecit Herodes: denicq; & connubialem, quod idem Herodes fecisse legitur. Quare non erat præter rationem, quòd comminationem istã Deus domui Noe, in qua erant coniuges, parentes & liberi, & fratres, statim initiò proposuit, qua cordis humani temeritas refringeret. Et licet non legamus in domo Noe aliquã esse sanguinis effusionem factam, erat tamen statim figenda lex, quæ & præsentes cohiberet, & ad posteros transmitteret.

OBSERVATIO VII.

Lex talionis.

Quicunq; effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius.] Expẽde legem talionis, qua nihil potest esse æquius. Qui sanguinẽ humanũ fundit, restituere quẽ fudit nõ potest, & tamen tenetur ad restituendũ. Aequũ igitur est, ut sanguinẽ suũ det, pro eo quẽ fudit. Sic rectè reposcit anima pro anima, manus pro manu, pes pro pede, oculus pro oculo, &c. quemadmodũ & in lege constituit. Est aũt gemina talionis huius ratio. Vna, ut iustitia & æquitas seruet. Alioqui iniquũ est, si impunis sit sanguis homicidæ & hominis uiolenti, sanguis uerò hominis insontis malorum pateat uiolentiæ ac truculentiæ. Longè aliud exigit iustitiæ & æquitatis censura. Altera est, ut malum coerceatur, ne exemplum exemplo trahatur, & omnes ualuæ cædibus aperiantur. Ad id instituti autem duo sunt necessaria. Mortis uidelicet metus, & incorrupta legis huius exequutio. Metum mortis indidit naturæ nostræ Deus. Exequutio legis huius magistratibus est commendata. Qui amat uitam suam, metu mortis cohibetur, ne uim inferat uitæ alienæ. Qui nec amore uitæ propriæ, nec metu mortis coercetur, ne manum in sanguinem alienum mittat, coercendus est gladio ultore, ut illius saltem exemplo cohibeantur alij, & quæ in corde humano est ad effundendũ sanguinẽ propensio formidine pœnæ cõpescatur. Quod si legis huius exequutio uel prorsus fuerit sublata, uel aliquo pacto eneruata, quid poterit restare aliud, quàm ut sanguis innoxius malorũ hominũ uiolentiæ & atrocitati reddatur obnoxius, & dilacerẽtur oues, dũ parcit lupis?

Gemina ratio talionis.

Duo necessaria ad hanc causam.

OBSERVATIO VIII.

Ad imaginem quippe Dei factus est homo.] Quid de eo notandum sit, quòd homo ad imaginem Dei factus est, dictum est suprà capite primo. In præsenti considerandum est, quod rationis uice hoc loco adducitur, ob quam cauenda sit humani sanguinis effusio. Communis dignitas hominum est, quod ad B Dei sumus imaginem conditi. Si par est, ut extremis supplicijs afficiantur, qui Deo ipsi aliquam inferunt contumeliã, utiq; digni sunt in quos animaduertatur, qui hominem ad imaginem Dei creatum ac sublimatum uiolenta manu occidunt. Quod si quisquam in eam fuerit sublimitatem euectus, ut regis in toto regno gerat imaginem, qualis erat Ioseph in Aegypto, quis non uidet, quàm singulari sit exemplo puniendus, quisquis sanguini illius uim inferre ausit? Admonemur itaq; hoc loco, ut si non ui deatur habenda ratio communis naturæ carnis & sanguinis, quod eiusdem uidelicet sumus naturæ consortes, & eiusdem radicis palmites, habeatur tamen ratio communis dignitatis, in quam sublimati sumus, dum imaginis Dei excellentiam in ipsa statim creatione accepimus. Dignitatem hanc tam abest ut floccifacere ob id debeamus, quod communis est omnibus magnatibus & humilibus, diuitibus & pauperibus, sapientibus & insipientibus, ut argumentum potius inde mutui sit accipiendum amoris pariter & honoris. Si uidetur pauper & obscurus homo humilitatis respectu contemptibilis, cogita qualis sit & quantus respectu huius dignitatis, qua ad imaginem Dei est conditus, ut si non communem naturã, saltem Dei in illo suspicias imaginem. Quod si hoc communiter omnibus est mortalibus cogitandum, quanto magis Christianis, qui quod in Adamo de imagine hac Dei detritum fuit, in Christo filio Dei per fidem in ipsum recuperarunt?

Dignitas humani generis.

De eo quod dicit, Vos aũt crescite & multiplicamini &c. dictum est suprà cap. præcedenti, & cap. 1.

Hæc quoq; dixit Deus ad Noe, & ad filios eius cum eo: Ecce ego statuã pactum meũ uobiscũ, & cũ semine uestro post uos, & ad omnem animã uiuentem, quæ est uobiscũ, tã in uolucribus q̃ in iumentis & pecudibus terræ, cũctisq; quæ egressa sunt de arca, & uniuersis bestijs terræ. Statuã pactũ meũ uobiscũ, & nequaq; ultrà interficietur omnis caro aquis diluuij, neq; erit ultrà diluuiũ dissipãs terrã. Dixitq; Deus: Hoc est signũ fœderis q̃d do inter me & uos, & ad omnẽ animã uiuentẽ q̃ est uobiscũ in generationes sẽpiternas. Arcũ meũ ponã in nubib. & erit signũ fœderis inter me & inter terrã. Cũq; obduxero nubib. cœlũ, apparebit arcus meus in nubib. & recordabor fœderis mei uobiscũ, & cũ omni anima uiuẽte q̃ carnẽ uegetat, & nõ erũt ultrà aquæ diluuij ad delẽdũ uniuersã carnẽ. Eritq; arcus meus in nubib. & uidebo illũ, & recordabor fœderis sempiterni,

piterni, quod pactum est inter Deum & omnem animam uiuentem uniuersæ carnis quæ est super terram. Dixitq; Deus Noe: Hoc est signum fœderis quod constitui inter me & omnem carnem super terram. Erant aũt filij Noe qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Iaphet. Porrò Cham ipse est pater Chanaan. Tres isti sunt filij Noe, & ab his dissem̃atum est omne genus hominum super uniuersam terram.

LECTIO.

Hæc quoq; dixit Deus ad Noe.] In Ebræo non est, Hæc quoq;: sed simpliciter, Et dixit Deus ad Noe. Verùm interpres connexionis gratia sic uertere uoluit.

Tam in uolucribus quàm in iumentis & pecudibus terræ.] In Ebræo sic legitur, בכל חית הארץ ואתכם, id est, & in omnibus bestijs terræ uobiscũ. In omnibus, & uobiscum, omisit interpres. Græcus pro ואתכם, id est, uobiscum, reddidit, ὅσα μεθ' ὑμῶν, id est, quotquot sunt uobiscum.

Et uniuersis bestijs terræ.] Græcus hanc particulam omisit.

Nequaquam ultrà interficietur omnis caro.] In Ebræo est יכרת, id est, excidetur. Græcus uertit ἀπολεῖται, id est, morietur.

Dissipans terram.] Græcus uertit, ad perdendum omnem terram.

Dixitq; Deus.] Græcus addit, ad Noe, quod in Ebræo non est.

Cumq; obduxero nubibus cœlum.] In Ebræo sic legitur, ריחי בעבי ענן על הארץ, id est, Et erit cum obnubilabo nube super terram, id est, cum induxero nubes super terram. Sic uertit & Græcus.

Et cum omni anima uiuente quæ carnem uegetat. In Ebræo est, רבין כל נפש חית בכל בשר, id est, & inter omnem animam uiuentem in omni carne. Sic habet & Græcus.

Et uidebo illum.] In Græco legitur καὶ ὄψομαι αὐτὸν, id est, & uidebo illam, ut referatur ad περιβολὴν, id est, nubem. Verùm suspicor esse mendam, ut pro αὐτὸ positum sit, αὐτὴν.

Inter Deum & omnem animam uiuentem.] Sic legitur & in Ebræo. Græcus pro, inter Deum, legit, καὶ μέσον ἐμοῦ, id est, inter me.

Et ab his dissem̃atum est omne genus hominum super uniuersam terram.] In Ebræo est וישלח נפצח כל הארץ quod Pagninus uertit. Et ab illis sparsa est omnis terra. Monsterus, Et ab his respersa est uniuersa terra. Et Tigurina, Et ab his dispersa est uniuersa terra. Onkelus Chaldæus habet, Et ab illis dissem̃inata est uniuersa terra. Verbum נפץ significat quidem aliquãdo conterere & confringere, uerùm non nunquã ponitur etiã pro diuidere, sicuti uidere est. 1. Sam. 13. ubi Saul dixit כי ראיתי כי נפץ העם מעלי, id est, quoniam uidebam quod diuideretur uel diuideret se populus à me. Sic poterat hic uertit. Et ab his diuisa est omnis terra. Quemadmodum & infrà cap. sequenti usurpatum est hoc uerbũ, נפץ, ubi legitur ואחר נפצו משפחות הכנעני, id est, & postea diuisæ sunt familiæ Cenaanitarum. Germanicus interpres liberius uertit, vonn denen iſt alles landt beſezt.

EXPLANATIO.

Hæc quoq; dixit Deus ad Noe, & ad filios eius cum eo, Ecce ego statuam pactum meum &c.] Pertinent & ista ad oraculum Dei, de quo suprà diximus, quod post benedictionem, concessionem, exceptionem & legem, contineat etiam pactum. De pacto itaque Moses præcedentibus subijcit. Primum commemorat quid præterea proposuerit Deus Noe & filijs eius, idq; repetito narrandi principio facit dicens, Hæc quoq; dixit Deus ad Noe & ad filios eius cũ eo. Sunt aũt in uerbis Dei hæ partes. Prima ostendit, quid præterea fecerit Deus. Et ego, inquit, ecce statuo pactum meum uobiscum. Poterat simpliciter promittere, quod facere destinabat. Verùm ut animos eorum certos redderet ac firmos, ei cum illis pactum. Et ne putarentur ipsi tantum in pactum hoc assumi, quibus tum præsentibus loquebatur, Noe uidelicet & uxor & filij & uxores eorum, adijcit, Et cum semine uestro post uos, & ad omnem animam uiuentem quæ est uobiscum tam in uolucribus quàm in iumentis & pecudibus terræ, ac cunctis quæ egressa sunt de arca, & uniuersis bestijs terræ. Sic comprehendit & pacto suo includit & homines & animantia: rationemq; habet non solum præsentium, sed & posterorum.

Statuam pactum meum uobiscum, & nequaquam ultrà interficietur omnis caro aquis diluuij, neq; erit ultrà diluuium dissipans terram.] Secunda hac parte exprimitur pacti qualitas. Possent ista sic legi: Statuam pactum meum uobiscum, ut nequaquàm ultra interficiatur omnis caro aquis diluuij, neque fiat ultrà diluuium dissipans terram. Ergo hoc est pactum quod se statuere dixit, ut posthac nullum tale diluuium inducatur amplius, quo, quemadmodum factum erat, & terra ipsa uastetur, & uniuersa caro deleatur. Erat hoc genus pacti omnium conuenientissimè statim post diluuium præcedenti benedictioni subiectum. Etenim uerosimile est fuisse homines istos ex arca egressos haud modico non solum præteriti diluuij horrore. sed & futuri metu perculsos, eamq; ob causam non admodum ad propositam multiplicationis ac singularis prærogatiuæ benedictionem alacriter & propense affectos. Quare satis tempestiuè & competenter hoc est pacti genus confestim inductum, quo omni metu futuri consimilis diluuij posito. alacriores essent & securiores ad omnia.

Dixitq; Deus: Hoc est signum fœderis, quod do inter me & uos &c.] Habent ista tertiam partem, qua pactum

A pactum Dei signo aliquo confirmatur, & perpetuæ recordationi consecratur. Sic enim in consueto est & solenne in rebus humanis, ut pacta adiectis signis confirmentur. Huc se Deus ipse quoq; accommodat, quoties cum hominibus pacta & fœdera sancit. Repetit primùm de fœdere, quod statuatur in universum cum hominibus & animantibus omnibus, deinde quod ualiturum sit ac duraturum in succedẽtes generationes omnes in sempiternum, ac tum signum illius exprimit, dicens:

Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.] De iride loquitur, quam subinde pluuio tempore in nubibus, elegantem ac uaricolorem cernimus. Vocat hanc arcum propter figuram arcuatam, qua apparet. Hanc se positurum dicit in nubibus non simpliciter ostenti gratia, sed ut sit signum non iræ, sed gratiæ & fœderis. Inter me, inquit, & inter terram. Per terram hic intelligit nõ solum terram ipsam, sed & cuncta quæ in illa continentur, homines, bestias, & quicquid est præterea in superficie terræ.

Cumq; obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei uobiscum, &c.] Subiiciuntur ista latioris explicationis gratia, & exprimunt usum signi huius, ne putetur frustra apparitorum in nubibus. Quare ubi dixit, Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram, subijcit ista: Cum obduxero nubibus cœlum, uel, ut in Hebræo est, Cum induxero nubes super terram, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei uobiscum. q. d. Vbi uidebor propter pluuiam tempestatem rursus inducturus diluuium, apparebit arcus meus in nubibus, per quem de fœdere admonebor, quod uobiscum pepigi: & quoniam pacti seruans sum, curabo ne posthac unquam sit diluuium, quo terra disipetur. Sic repetit dicens,

Erit arcus meus in nubibus & uidebo illum, & recordabor fœderis sempiterni, &c.] Non potest satis inculcare, fore se memorem pacti, quoties arcus ipsius in nubibus tanquam fœderis signum apparuerit. Loquitur autem rursus more humano, cum dicit: Videbo illum, & recordabor fœderis. Homines conspectu signorum admonentur rerum signatarum. Deo non est opus, ut uiso signo admoneatur de fœdere qui nunquam potest obliuisci pactorum. Alioqui quid opus esset Deo monitu signi, cum nemo præter ipsum signum hoc inducat in nubibus. Sic suprà dixit: Arcum meum ponam in nubibus. Quæ esset ergo illi ratio uidẽdi arcus huius, & ex illius conspectu admoneri de pacto, cum ipsa illius inductio arguat, esse eum pacti nõ immemorẽ. Verùm sic loqui uoluit, ut omnẽ hæsitationẽ cordis humani auferret, ac certos redderet ex signi huius cõspectu nõ fore posthac unquam diluuiũ uniuersale quale fuit.

B *Dixitq; Deus Noe: Hoc est signum fœderis quod constitui inter me, & omnem carnem super terram.*] Quoniã id quod initio de fœderis signo dixerat, nempe hoc est signum fœderis quod do inter me & uos etc. per sequentia latius explanauit, post explanationem inculcandi gratia repetit dicens, Hoc est signum fœderis quod constitui inter me & omnem carnem super terram. Non est autem de signo tantum intelligendum quod dicit, Hoc est signum fœderis, sed & de ratione & usu signi. q. d. Habetis fœdus, signum fœderis, & simul illius usum & rationem, quare non est ut in posterum solliciti sitis, ne catholico aliquo diluuio cuncta sicuti feci inuoluam.

Erant autem filij Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Iapheth.] Quoniam in præcedentibus quartò est filiorum Noe post finem diluuij facta mentio, deinde & in sequentibus pleraq; de illis commemorantur, ne putentur fuisse plures quàm ingressi sunt in arcam, uisum est hac illos particula nominatim recensere, id quod eadem est cautione etiam suprà factum, ubi de ingressu arcæ facta est mentio. Sic nõ simpliciter hoc loco dicit, Erant aũt filij Noe, Sem, Chã & Iapheth: sed addit, Qui egressi sunt de arca.

Porrò Cham ipse est pater Chanaan.] Hoc dicit, cùm propter historiam proximè subsequuturam in qua factum Cham, & uicissim illius maledictio memorabitur, tum propter gentes Chananæorũ, quæ ab Israelitis erant profligandæ. Alioqui non erat ratio cur hic de Cham specialiter loqueretur: neq; requirebat, ut diceret eum esse patrẽ Chanaã, cum & aliorũ fuerit pater, sicuti infrà cap. sequẽti uidebimus.

Tres isti sunt filij Noe, & ab his disseminatũ est omne genus hominũ super uniuersam terram.] Dicuntur ista propter sequentia, ad quæ lectoris animum præparat. Nam horum trium generationes capite sequenti exponet. Igitur inculcat, omne genus mortalium non esse post diluuium aliunde seminatum super terram quàm ex ipsis.

QVAESTIO I.

Et ego statuo pactũ meum uobiscum, & cum semine uestro post uos, & ad omnem animam uiuentem, quæ est uobiscum, tam in uolucribus quàm in iumentis, &c.] Quæsierit hic quisquã, quomodo statui possit pactum cum iumentis & bestijs ratione destitutis, præsertim à Deo, cum nullam habeãt cognitionem numinis. Etenim hæc uideretur esse pactorum ac fœderum conditio, ut certis capitibus, quibus pacta comprehendantur, non una duntaxat, sed utraq; confœderatorum parte inuiolabiliter stetur. Iam cum pactum eri gitur à Deo cum creaturis, quemadmodum ipse seruans est pactorum, quæ se concernunt, ita planè cõuenit, ut & ij cum quibus initum est ab illo pactum, huic sese benenolentiæ Dei, fide & obseruãtia debita uicissim accommodent. quod utiq; à bestijs fieri non potest. Quare non immeritò quæri poterit quomodo pactum cum illis iniri queat.

Quomodo pactum cum iumẽtis statui possit.

Respondeo: Multum refert quale pacti genus statuatur. Quod in præsenti cogitandum est, duo sunt pactorum genera. Vnum est eorum quæ sub conditione, alterum eorum quæ sine omni conditione statuuntur. Quæ conditionem adiectam habent, cum bestijs irrationalibus statui non possunt. Neq; enim capaces sunt seruandarum conditionum: quas nec intelligere, nec obseruare & custodire possunt. Quæ

Duo sunt pactorum genera.

simpliciter sine conditione feriuntur, nec requirunt uicariam obseruantiam, beneficij agnitionem, & animi gratitudinem, possunt utiq; non cum hominibus tantum, sed & cum bestijs statui. Inijt Deus pactum cum Abrahamo & semine eius post ipsum: uerùm uicissim ab eo et posteris ipsius requisiuit, ut coram se ambularent sincerè, & integrè, pactorum essent obseruantes, & præceptis ipsius obedirent, cuius postea obseruantiæ gratia tabulæ fœderis erectæ sunt per Mosen in deserto. Huiusmodi pacti participes non sunt bestiæ, sed homines tantũ: & ne illi quidẽ omnes, sed de semine Abrahæ prognati, idq; non aliter, quàm si inobedientes esse pergerent, pro benedictione fœderis reiectionis maledictionem reportarent. Hic uerò inijt Deus pactum non particulare aliquod, sed uniuersale: non cum hominibus tantum, sed & cum bestijs omnibus. in summa, cum uniuersa terra, sine cuiusquam exceptione. Necalia quam conditionem adijcit, sine qua pactum stare non possit, sed sese tantum obstringit ad obseruantiã pacti, quod uidelicet nolit amplius cunctis diebus terræ, tale diluuium inducere, quo de superficie terræ cuncta caro, tam hominum, quàm bestiarũ deleatur, & ipsa terra uastetur, sicuti fecerat. Et expresse statuerat, quòd nollet amplius in maliciam cordis humani, ad eum modum animaduertere, ut rursus diluuium orbi inducat. Et res ipsa declarat, non esse huic pacto adiectam conditionem uicariæ obseruantiæ & gratitudinis. Alioqui tandiu stare nequiuisset. Vnde & Christus dicit, quod pluat Deus super malos & bonos, & solem suũ producat super grates, & ingratos. Cum itaq; tale sit hoc præsens pactũ, ut non qualitate eorum cum quibus, sed sola bonitate, ac uoluntate Dei, à quo est constitutum cõstet & firmum permaneat, nihil impedit, quo minus participes illius sint, & mali homines, perinde atq; boni, & bestiæ æquè ac homines, imò uniuersa terra, & dies, & nox, & sementis & messis, & frigus & æstus, &c.

Quid nos deceat.

Interea & agnoscendum & fatendum est, per esse, ut pacti huius firmitas, qua cuncta in hunc usque diem immota permanent, ab hominibus sincera fide inspiciatur, inq; illa cùm bonitas, tum ueritas Dei consideretur, ac deprædicetur: deinde conuenire etiam, ut studio pietatis huic nos bonitati accommodemus, & ab exemplis prioris mundi, cuius malicia causam diluuio dederat, abstineamus. Etenim licet ueritas ista Dei nulla possit mortalium impediri malicia, & à bestijs non requiratur, ut Deum cognoscat & obseruẽt: æquissimũ tñ est, ut homo ad imaginẽ Dei cõditus, & luce intelligentiæ præditus, tam insignẽ bonitatẽ ac ueritatẽ Dei, haud susque deq; faciat, ac bestijs sese conformet, sed grato ac pio animo magnifaciat, ac deprædiscet.

QVAESTIO II.

Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.] Mouẽt hic curiosas quæstiones, nihil ad pietatem facientes. Quærunt primùm, an arcus iste naturalibus causis oriatur in nubibus, uel secus. Et alij asserunt eum consueto naturæ cursu formari: alij tribuunt eum non naturæ, sed singulari uoluntati Dei, qua illum signi loco nubibus inferre constituit. Deinde quærunt, an fuerit arcus iste ante diluuium perinde atq; post. Et hic negant alij, alij affirmant. Tertiò, & de pluuijs quærunt, an fuerit terra in priore quoq; mundo ante diluuium pluuijs irrigata, quemadmodum post diluuium fieri uidemus. Asserunt alij cecidisse pluuias ante diluuium, ad irrigandum terram, alij negant.

An naturalis sit causa arcus.

An arcus fuerit ante diluuium.

Quod arcum attinet, qui illum naturaliter prouenire dicunt, suas habent rationes, quibus probabiliter ostendunt, quomodo imaginem hãc arcus quadricoloris à sole concipiant nubes: & causas reddũt, quare nunquam maior reddatur circuli dimidio: deinde quare quo altior sol est, hoc ipse sit minor: & quare noctu non fiat, & quare post autumnale æquinoctium qualibet horã diei fiat, æstate non appareat, nisi die uel incipiente, uel inclinante: & quare non recta, sed incuruata linea fiat. Ex huiusmodi obseruationibus perpetuò certis & infallibilibus arguunt hunc arcum non fieri, nisi causis naturalibus & usitatis. Rursus, qui negant eum tribuendum esse naturæ, respiciunt ad constitutionem hanc singularem, qua signi loco est fœderi à Deo adiectus, quasi non fieret ullis naturæ operationibus, nisi singulariter esset à Deo sic constitutum, ut cœlo nubilo pacti firmitatem exprimat.

Vide Senecam libro primo naturalium Quæstionum cap. 3. usque ad 9.

Qui arcum hunc ante diluuium fuisse negant, eadem ratione mouentur, quam ij sequuntur, qui apparitionem illius naturalem esse nolunt. Arbitrantur enim inconueniens esse, ut quod antea usitatum fuit, & in rerum natura consuetum, signi alicuius rationem accipiat. Quare iudicant hunc arcum tum demum esse cœpisse, cum post diluuium fœdus hoc statueretur, illiq; signi loco adijceretur. Qui contrariam sententiam tenent, colligunt ex eo quod Deus non simpliciter dicit, Ponam arcum talem uel eiusmodi, sed, Ponam arcum meũ in nubibus, eo quod loqueretur de re iam antea nota. Deinde, sic colligunt, huius causæ fuerunt ante diluuium, illius etiam fuisse effectum constat. Causæ autem arcus huius, ex solis & nubium oppositione constantes, fuerunt ante diluuium quoq;: Ergo, &c.

De pluuijs mouet quæstionem Albinus, & sentit non fuisse eas ante diluuium. Adijcit rationẽ, propterea quod arcus, inquit, non fuit ante diluuium, propter carentiam humidæ nubis, & quod uerosimile sit terram fuisse ex rore & fontibus irrigatam. Qui diuersum sentiunt, propius intuentur, id quod iuxtà capite secundo legitur, Non enim pluerat Dominus super terram. Haud enim illic de toro tempore prioris mundi, sed de initio tantum creationis loquitur Moses, cum nõdum esset homo procreatus. Nã uestigio subiungit, & homo nõ erat, qui operaret terram. Si hinc quisquam colligere uelit, nunquã pluisse Deum ante diluuium, sed fœcundationem telluris constitisse, rore tantum & scaturigine fontiũ, colligat eadem ratione, nullum fuisse hominem ante diluuium, qui terram coluerit, sed cunctam seminem prouenisse ex spontenascentibus. Mea sententia sic est: Quemadmodum initio dixi, curiosum arbitror, si quis de istis operosius quærat. Attamen, quoniam à nonnullis quæritur, sentio eos sentire rectius, qui dicunt arcũ hũc, & naturales habere causas, ex quibus oriaĩ, & ante diluuiũ perinde atq; nunc

appa-

A apparuisse in nubibus, modò nõ gentiliter hac de re sentiant, sed simul considerẽt, quid illi ex cõstitutio ne Dei post diluuiũ accesserit, quod antea nõ habuerat. Ante diluuiũ nihil erat aliud natura sua q̃ quod nunc est: usu aũt nũc aliud post diluuiũ est, q̃ quod erat antea. Nũc eñ fœderis post diluuiũ cõstituti signũ est, ipso suo aspectu monens, nõ esse cunctis diebus terræ tale futurũ diluuiũ, quale tẽporibus Noe fuit. Id nõ erat ante diluuiũ. Alioqui nõ fuisset tale diluuiũ inductũ. Neq; inconueniens uideri debet, rem naturaliter productã, usum aliũ sortiri, q̃ habuerit antea, & rationẽ accipere signi. Aqua baptismi, natura tum usurpatur, retinet quod est ex natura, & accipit quod ante hũc usum non habuerat, uidelicet ut sit regenerationis symbolũ. Annotant quidã tria signorũ genera. Portentosa, & miraculosa: deinde naturalia & usitata, sed rara: tertiò naturalia & usitatissima. Miraculosa sunt, qualia in cœlo nõ sine stupore aliquando uidemus, ut sunt cometes, & alia consimilia portẽta, de quibus nullas possumus naturales ostendere causas. Naturalia & rara sunt, arcus iste, & consimiles aliæ impressiones. Naturalia & usitatissima sunt, sol & luna, quæ ut suprà cap. 1. uidimus, signorũ rationẽ obtinẽt. Isti rectè annotãt, arcum hunc pertinere ad signa naturalia & rara. Quare, meo iudicio, sentiendũ est, esse eum aliud natura, & aliud usu & singulari constitutione Dei.

Lapides qui termini uocantur: item si uuij, qui cõstituuntur termini regionum.

Tria signorũ genera.

Quod pluuias concernit, nullas uideo causas, quare illas ante diluuiũ perinde atq; nunc telluris irrigationi seruisse negem. Si concedimus fuisse hyemes ante diluuiũ, concedendũ etiam est fuisse pluuias.

De coloribus.

Disputant etiam de coloribus, quatuor ne sint uel duo tantum. Qui quatuor esse dicunt, assignant igneũ, giluũ, uiridẽ & ceruleũ. Qui duos ponũt, dicunt esse igneũ & ceruleũ uel aqueũ. Sed hac de re iudicent nõ theologi, sed physici, immo cõmunis oim̃ sensus qui ex ipso colligit aspectu. Quærũt etiã an sit in arcu isto naturalis quædam cõstitutio, quæ naturali sua qualitate siccitatẽ futurã, ideoq; nõ futurũ diluuium significet. Respondẽt alij esse illũ sic comparatũ, ut naturaliter significet, nõ futurũ diluuium. Esse eñ arcũ in nubib. sic cõstitutũ, ut ,pueniat aere nec nimiũ sicco, nec nimiũ humido, sed medio modo tẽperato, ut naturaliter futurã siccitatẽ portendat. Alij negãt, affirmãtes signũ illi inesse ex placito cõstituentis Dei, nõ ex naturali constitutione & qualitate. Expendũt illi causam diluuij efficientẽ esse Deũ, materialẽ uerò aquas Oceani & cœlestes. In arcu nihil esse quod causam efficientẽ remoueat, nisi uerbũ fœderis: materialẽ causam exparte esse pluuias, nõ aũt ex toto. Quare cũ iris nõ habeat aliquid naturale in se ẽd aquas Oceani respiciat, dicũt nõ sufficere illius cõstitutionẽ ad naturalẽ significationẽ nõ futuri am

B plius diluuij, etiamsi quod pluuias attinet, significationem habeat serenitatis breui futuræ.

OBSERVATIO I.

Ingeniũ ueræ dilectionis obseruãdum in Deo.

Ecce ego statuo pactũ meũ uobiscũ, & cum semine uestro post uos, & ad omnẽ animã uiuentem, &c.] Habet hic locus quædã summopere admirãda, quæ obiter saltẽ annotãda uident. Primũ est, q; Deus ille omniũ maximus & infinitus, omniumq; ueracissimus, liberã habens uoluntatis suæ potestatẽ in omnia, nõ solum ad benefaciendũ à se creatis expositissima bonitate, ꝓpendet: sed & eam uoluntatis suæ bonitatẽ disertis uerbis manifestat, uolens ut intelligatur & indubitatò credat. Etem̃ nisi hoc uellet, q̃rsum attineret manifesto oraculo exponere, quid facturus sit, quid nõ? Sed sic sunt animati, qui uerè diligunt, & sincero benefaciendi studio tenentur. Sic habet ingeniũ ueræ dilectionis, ut cupiat innotescere illis erga quos amantes afficitur. Quare quoties Deum de bona sua erga nos uoluntate expressis uerbis testificantem audimus, nõ solũ id admiremur, q; ea sit immensæ maiestatis Dei erga miseros beneuolẽtia & philãthropia, sed & ingenium hoc ueræ dilectionis obseruemus: quo fit, ut uelit nobis eam suam beneuolentiam esse quàm cognitissimam.

Quod uinculo se se pacti constringit Deus.

Secundũ est, quod nõ solũ uerbis beneuolentiã suam declarat, sed & pacto sese obstringit. Ecce ego, inquit, statuo pactũ meũ. Pacti ratio est, ut quæ ,pmittuntur uerbis, iureiurando confirmentur, fiatq; pro missor quasi quodã seruandæ fidei ac iurisiurandi uinculo constrictus, nec liberũ posthac habeat aliquid detrectandi uel mutandi arbitriũ, nisi pactorũ ac præstitæ fidei uelit haberi uiolator. Quis aũt nõ stupeat Dñm omniũ quæ in cœlo sunt & in terra, cui libera competit potestas in omnia, quæ nemini prorsus sit obstricta, sed uolũtate omniũ liberrima utatur in omnibus, suapte sponte usqueadeò sese demittere, ut uinculũ & obstrictionẽ pacti subeat? Quã huius putabimus aliã esse rationẽ, nisi unã hanc, ut omnis hæsitatio ex cordib. nostris auferat, certiq; de uoluntate illius reddamur? Alioqui nisi sic cõparati essemus, ut ægerrimè diuinis ,pmissis credamus, abunde satis esset, si simpliciter ex uerbo Dei de uoluntate illius, qui mentiri nescit, instrueremur. Itaq; quoniã ad hunc modũ animati sumus, nõ grauatur diuina maiestas promissis suis certitudinẽ adijcere pactorũ & iurisiurandi, ut, sicut author Epistolæ ad Hebræos cap. 6. dicit, immobilitatem consilij sui ex abundanti inculcet. Quare dum ista consideramus, triũ admonemur. Primum est, q; nostrã illam credendi Deo difficultatẽ & diffidentiã, qua ægerrimè etiam pacisceti & iurãti credimus, ex animo deplorare & detestari debeamus, præsertim si cogitemus quàm faciles interea simus ad credendum hominibus mendacibus ac fallacibus. Secundum est, quàm deceat admirari beneuolentiam hanc Dei, qua fit ut diffidentiam nostram cuius nos uel solius gratia detestari prorsus & abominari rectissimè poterat, iureiurando eximere studeat. Quotusquisque nostrum est, quem non pessimè habeat, si uerbis suis fidem difficulter haberi senserit? Hinc audimus subinde illud, *Můß ich dir dann eyn eyd jchwären?* quæ uerba satis indicant, succensere nos illis, qui cunctanter uerbis nostris credunt: nec crediturí uidẽt, nisi iuratis. Tertiũ est, quãta fiducia, & certæ fidei immobilitate pactis Dei niti debeamus, quandoquidẽ facilius fieri poterit, ut cœlum & terra prorsus intereãt,

Quàm ægre credamus Deo.

quàm ut pactum Dei fiat irritũ. Sic Esaiæ 54. dicentem Dñm audimus. Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuraui, ne inducã aquas diluuij ultrà supra terram, sic iuraui ut non irascar tibi, nec increpem te. Montes enim cõmouebuntur, & colles contremiscent, misericordia aũt mea nõ receder à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit miserator tuus Dñs. Obsecro, quæ maior poterit contumelia diuinæ maiestati ac ueritati irrogari, q̃ si ne pactis quidẽ, fœderibus & iuramentis illius fidem adhibuerimus, cuius uel nutibus pertinacissimè inniti debebamus.

Quòd pactũ init Deus non solum cum præsentibus sed & cum futuris.

Tertium est, quod pactum init non solum cum præsentibus, sed & cum futuris. Dicit enim: Ecce ego statuã pactũ meum uobiscum, & cum semine uestro post uos. Et infrà: In generationes, inquit, sempiternas. Ergo sic comparata est bonitas Dei, ut non in præsenti duntaxat, ad modici alicuius temporis præscriptum pactum ineat cum hominibus, quemadmodũ in præsenti seculo fieri uidemus, sed in futurum quoq;, & in sempiternũ. Quæ est huius ratio? Hæc uidelicet: Bonitas illa Dei omniũ pactorũ ac fœderum illius fons & radix, non ex tẽporaria & momentanea, sed prorsus infinita, qua fit ut non præsentibus modò ad certũ annorũ præscriptũ, sed & futuris in finem usq; consulere ac benefacere cupiat. Longè aliter animati sunt homines, cum fœdera statuũt. Aut enim statuũt illa non ex germana aliqua & mutua beneuolentia, sed ex occasione rerũ præsentiũ, & cõmodi alicuius priuati ac tẽporarij respectu: aut si ex beneuolentia aliqua, haud tamẽ sincera & cõstanti, sed per occasionẽ aliquã instabilẽ concepta ac breui desitura, quam sæpenumero grauissima excipiunt odia & dissidia. Quare fit, ut & fœdera mortalium ad certum annorum numerum restringantur: quo finito, finita etiam sit omnis mutuæ beneuolentiæ obstrictio.

Quòd pacto suo bestias quoq; includit.

Quartum est, quod non homines modò, sed & bestias & pecudes & uolucres & reptilia totius terræ pacto suo includit. Et ad omnem, inquit, animam uiuentẽ, quæ est nobiscũ, tam in uolucribus q̃ in iumentis, & pecudibus terræ, cunctisq; quæ egressa sunt de arca, & uniuersis bestijs terræ. Et hanc particulam quinquies inculcat. Apostolus dicit: Nunquid Deo cura est de bobus? An propter nos utiq; hoc dicit? 1. Cor. 9. Sic possumus hic cum admiratione dicere, An satis Deo non est, pactum inire cum hominibus, nisi etiam propter homines pactum ineat cum iumentis, bestijs, reptilibus, & uolucribus, illisq; sese reddat perinde atq; nobis obstrictum? Admirabilis reuera bonitas Dei, qua nos non modò de nostri, sed & propter nos de animaliũ quoq; conseruatione quàm certissimos esse uoluit.

Quòd nullã conditionem pacto suo adiecit.

Quintum est, quod tale pactum statuit, quod nulla pietatis, gratitudinis, & obedientiæ nostræ conditione cõstet, sed sola bonitate ac ueritate ipsius ad finem usq; mundi inuiolabiliter persistat, sicut & suprà in quæstione prima admonuimus. Poterat adijcere conditionẽ istam, Si nõ declinaueritis ad prioris seculi maliciam & impietatẽ. Verùm absq; ulla conditione obstrictus sese & hominibus & bestijs indiscriminatim omnibus & ad finem usq; hac pacti constitutione reddidit. Cogitemus hic quid discriminis sit inter bonitatem Dei generalem, & specialem, uel si mauis singularẽ. Generalis est, cuius hic habemus exemplum, qua se indiscriminatim omnibus & hominibus tam malis q̃ bonis, & animalibus, donec hic mũdus durat, inito pacto deuinxit. Specialis & singularis est, qua fœdus inijt cum electis & fidelibus, Abraham, Isaac, Iacob, & semine illorum. Illa terminatur in terrenis ac temporarijs: ista uerò post temporaria cõplectitur etiam æterna, spiritualia & cœlestia. Illa pactũ inijt sine ulla conditione ac discriminatione: ista uerò pacto adijcit conditiones fidei, pietatis, iustitiæ, & sinceræ obedientiæ.

Cogitemus itaq; hoc loco, primùm quantã oporteat esse latitudinẽ & amplitudinem eius bonitatis quæ sine ulla conditione ac discriminatione in omnibus tam hominibus, quàm bestijs, donec hic mundus steterit, diuinam maiestatem reddidit obstrictam. Deinde q̃ sit illa infinito excellentior, quæ electos tantũ cõplectitur. Etenim si malis quoq; hominibus & bestijs tam insigniter benefacit, quis non uideat, q̃ oporteat eum infinito ꝓpensiorem esse ad benefaciendũ ijs quos ipse ab æterno elegit, electos iustificat, & iustificatos in sempiternũ glorificat, ueris q̃ & æternis bonis cumulat? Quis dubitat eum patrem familias in filios morigeros esse beneuolentissimũ, quẽ communiter omnibus domesticis, seruis, ancillis, peregrinis quoq; & iumẽtis etiam benefacere uidet? Adhæc cogitemus, quomodo exemplũ utriusq; bonitatis Dei tam generalis erga omnes, q̃ singularis erga electos & fideles imitari studeamus. Nam utraq; nobis imitanda proponit. De generali admonemur ab ipso Christo Matth. 5. ubi dicit, Ego aũt dico uobis, diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, et orate pro calumniantibus & persequentibus uos, ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est, qui solem suum producit super bonos, & malos: & pluit super iustos, & iniustos, &c. Solẽ producere, & pluere in discriminatim super omnes, tam malos q̃ bonos, nihil est aliud, q̃ cõmuni quadam bonitate & dilectione affici erga omnes, & temporaliter omnibus benefacere, nec ab ea bonitate ulla malorũ hominum malicia & ingratitudine impediri. Hanc nobis in Deo patre nostro sic imitandam proponit, ut illius imitatione declaremus nos esse germanos illius filios. Ideoq; requirit à nobis, ut nõ selectos duntaxat, amicos & fratres, sed communiter & indiscriminatim omnes tam inimicos q̃ amicos diligamus, & beneficijs afficiamus. Cõstituamus itaq; & nos pactum ad exemplũ patris nostri, cum omnibus in uniuersum tam hominibus, q̃ animantibus, & ad hanc nos cõmunem bonitatem obstrictos reddamus, ne cuiq̃ aliquid mali inferamus, sed potius omnibus benefacere studeamus, nec ab eo benefaciendi studio ulla cuiusq̃ malicia, uel ingratitudine impediamur. Etenim si nõ est Deus pater noster grauatus hoc se pacti genere cum creaturis suis, tam malis q̃ bonis, tam animalibus q̃ hominibus ad benefaciendum suapte sponte obstringere, quanto magis conuenit, ut nos ipsius filij, cum omnibus illius non nostris creaturis, idq; iussu & adhortatione Christi filij ipsius, nullo modo grauemur huiusmodi statuere pactum.

Singula-

Singularis ac peculiaris beneuolentia multis sacræ scripturæ locis ab omnibus illis qui Christi sunt requiriť. Matth. 25. significať secundũ illius uel obseruantiã uel negligentiã fore sententiã ultimã, qua reprobi damnabunť, electi saluabunť. Esuriui, inquit, et dediſtis mihi manducare, &c. Quicquid uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Item alibi: In hoc cognoſcimini mei esse discipuli, si dilectionẽ habueritis inter uos mutuam. Et Apostolus philadelphiam fidelibus singulari studio colendam esse frequenter admonet. Et Gal. ultimo: Ergo, inquit, dum tẽpus habemus, operemur bonũ ad omnes, maximè autẽ ad domesticos fidei. Ecce utramq; & generalẽ & singularẽ bonitatẽ propositam, sic tamen, ut singularis, qua domestici fidei prosequendi sunt, magis quàm generalis sit declaranda.

OBSERVATIO II.

Vſus ſignorum.

Dixitq; Deus, Hoc eſt ſignũ fœderis, quod do inter me & uos, & ad om. an. uiu.] Cogitemus de eo, q̃ fœderi signũ adiecit. Signorũ huiusmodi usus est, ut pacta cõfirment, & de illis admoneant. Vtraq; signorũ isto rũ ratio de cõsuetudine humana sumpta est. Sic eñ solẽt qui fœdera ineunt, signis quibusdã confirmare pacta, deinde memoriã illorũ refricare & cõseruare. Ad eũ modũ et Dñs pactis suis adiecit signa, ut cordа mortaliũ & in fide cõfirmaret, & memoria fœderis ad gratitudinẽ animi, & pactorũ obseruantiam permoueret. Circumcisionẽ uocat Apostolus σφραγίδα, id est obsignationẽ, & phase ad memoriã erat liberatiõis institutũ. Et hoc præsenti signo Dñs pactũ cũ Noe initũ cõfirmat pariter & refricat. Tanta uidelicet est bonitas Dei, ut nõ solũ paciscať nobiscũ, sed & pactis suis signa adiiciat, ne quid omittat q̃d ad faciendã ueritati suæ fidẽ desiderari possit.

OBSERVATIO III.

Quale ſignũ pa ſuerit.

Arcũ meũ ponã in nubibus, & erit in ſignũ fœderis inter me & inter terrã. Cumq; obduxero nubibus cœlũ, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei uobiscũ, &c. Item, *Eritq; arcus meus in nubibus, & uidebo illũ, & record. fœd. ſemp.*] Considerandũ hic est, quale signũ fœderis instituerit. Primũ, qñ pactũ hoc uolebat esse ברית עולם, id est, fœdus sempiternũ, quod ad finẽ mundi usq; duraret, tale signũ illius erexit, q̃d nõ solũ Noe cũ suis in præsenti cerneret, sed & posteri toto fœderis tẽpore ob oculos habere possent. Alioqui q̃d uerbis actum est cum Noe, nõ tanta euidentia peruenisset ad posteros. Quare arcũ hunc signi loco cõstituit, qui ad hunc usq; diẽ orbi innotuit, & dubio procul ad extremum usq; durabit.

Signum non ſubiectum humanæ diſpenſationi.

Deinde & illud obseruandũ est, q̃ signũ constituit fœderi attemperatũ. Fœdus q̃d statuebat, sicuti superà memini, nulla nostræ iustitiæ & pietatis conditione nitiť, sed quales quales simus, etiã priore mũdo millesies peiores, durat tñ ad finẽ usq;, sicuti constitutũ est, & sola diuinæ uolũtatis ac ueritatis firmitate perstat. Itaq; & signũ illi tale adiecit, q̃d à nobis celebrari ac frequẽtari nequeat, seq; solo cœlestiũ tẽpestatum curſu ferať. Signa fœderis, initi cũ electis, ipsis cõfœderatis exercẽda tradidit, qualia sunt apud Iudæos circũcisio & Phase, & apud nos baptismus et cœna Dominica, quorũ illa Iudæorũ, ista nostris manibus exercenť. Secus habet præsentis fœderis signũ. Neq; eñ ullus est mortaliũ, neq; ullus toto terrarũ orbe populus fuit, est, uel erit unq̃, cui signi huius cœlestis cõcredita sit administratio. Itaq; ipsum signũ declarat, fœdus hoc nõ aliqua nostra qualitate, sed sola diuinæ maiest. ueritate niti. Ea uerò signa, quorũ nobis cõmendata est administratio, ipso nos usu admonẽt uirtutẽ ipsorũ esse cõditionalẽ, sic ut nisi fide recta & sincera pietate præditi simus, nihil nobis cõmodẽt: sed, q̃d nos attinet, prorsus sint inania. Quare non immeritò monet Apostolus, ut de pane Dñi manducaturi, ac de poculo illius bibituri, nosipsos probemus, ne indignè mãducemus & bibamus: ideoq; Dominici corporis & sanguinis rei cõstituamur. Hic uerò non dicit, Et recordabimini fœderis mei: sed, Videbo, inquit illum, & recordabor fœderis mei. Sic ad implectionem eius, q̃d signo isto cœlestis arcus oculis nostris proponitur, ad se solũ transtulit. Ego, inquit, uidebo, & memor ero, curaboq; ut pacta seruem. Recogitandum tamen est, de quo suprà quæstione prima admonui, quid nos deceat, nisi bestijs assimilari uelimus. Etenim quamuis pactum hoc Dei ad finem usq; mundi firmum & immotũ permaneat, etiamsi nulla prorsus gratitudine tam insigni bonitati respõdeamus, excusari tamẽ nõ potest, quisq; nullo illius sensu afficiť, nec ad animi gratitudinẽ permoueť. Tertiò cõsiderandũ est, q̃ cũ pacto huic signũ aliq̃d annectere uellet, nõ portentosum & insolitũ elegit, q̃ infideliũ q̃q; mẽtes permouerenť: sed tale, q̃d à solis fidelib. fœderis esse signũ cognosceretur. Ideo arcũ hunc, antea usitatũ, & naturalib. de causis frequẽter appareutẽ, signi loco cõstituit, & uerbũ suũ adiecit, à quo pij & fideles homines pendeant. Da hominẽ uerbi Dei ignarũ, is etiamsi arcũ hunc quotidie uideat, & de causis illius acutissimè, & accuratius etiam q̃ Seneca disputet, nunq̃ tñ intelliget illius usum, uidelicet, q̃ sit fœderis Dei inter Deũ & terrã statim post diluuiũ cõstituti signũ. Quare admonemur q̃d potissimũ sit in huiusmodi diuinæ uolũtatis & gratiæ signis obseruandũ. Verbũ uideli cet q̃ gratiæ Dei, ꝑmissio exprimiť & declarať, sine quo arcus iste nihil est aliud, q̃ imago quædã radiorũ solariũ nubibus impressa, aqua baptismi nihilo est melior q̃ quælibet alia, & panis cœnæ Dominicæ minoris etiã momenti & utilitaris q̃ sit quiuis mensarius. Rectissimè igiť faciũt fideles homines, q̃ de huiusmodi signis nõ secundũ id q̃ sunt ex natura, & foris esse apparent, sed iuxta uerbũ Dei iudicãt. Sic ubi arcũ hunc in nubibus uident, memores uerborũ Dei, nempe, Ponã arcũ meũ in nubibus, erit signũ fœderis mei, uidedo eũ & recordabor fœderis mei, &c. non disputant de naturalib. illius causis, & uarietate colorũ, sed inspiciunt eum tanq̃ signũ fœderis Dei, & magis tam insignẽ bonitatem Dei, cuius signũ uidenť, admiranť & suspiciũt, q̃ externã figuri figurã. Ad hunc modũ faciunt etiã in sacramentis & symbolis noui Test. baptismo & cœna Dñi. Non considerant aquæ, panis & uini externas & uisibiles formas, materiã, naturã, naturæq; uires: neq; disputant cũ Scotistis, an in baptismate imprimať character aliq̃s, & num delebilis ille fit, uel indelebilis: item an forma illius characteris absoluta sit uel respectiua, & in

Inſacramẽtis uerbum Dei potiſſimũ attendendũ.

Nõ portentoſum & inſolitum ſignum.

Scotiſmi de baptiſmate & cœna Domini.

essentia animæ hæreat ut in subiecto, an in Eucharistia possibile sit, corpus Christi realiter esse subspecie panis, & an ibi sit sine sui mutatione, possitq; corpus esse in pluribus locis simul, item an panis substantia cõuertat in corpus Christi, annihiletur q; , et quis sit formalis terminus transsubstantiationis, denicq; an ibi sit accidens aliquod sine subiecto, & quid comedãt bestiolæ, si de Eucharistia edãt. Hosce Sectarismos ignorant pij, sed simpliciter auribus fidei uerbũ Dñi accipiunt, & secundum illius infallibilẽ ueritatẽ de signis istis iudicant, amplectunturq; illa ex animo tanq; symbola gratiæ quæ per Christi nobis est sanguinem parta, & iussu illius per Euangelij prædicationem mundo proposita.

Quartò considerandũ etiã est, quò arcum hunc, fœderis sui signũ, locarit, & quando illũ producat firmum, non locauit eum quolibet, sed eo loco constituit, quo uideri possit ab omnibus. In cœlo uidelicet. Deinde nõ infigit eum cuiuis cœli loco, sed nubibus. Tertiò nõ producit eum cœlo sereno, candidæ alicui nubi infixũ, sed tempore pluuio, quãdo terræ nubes densæ imminẽt, & imbres uel minant uel demittunt. Vbi ista cõsideramus, singularẽ in illis prouidentiã Dei agnoscere cogimur. Vult signum hoc omnibus ob oculos esse expositũ, uult ut eo tẽpore appareat, qñ incõmodũ aquarũ ex imbribus timeri potest. Vult ut in ipsis aquosis nubibus appareat & ipsa aspectu ueluti clamet ac dicat: Nõ est ut diluuium aquarũ ex nubibus istis uenturũ suspicemini. Ecce adsum fœderis Dei signũ, quod pactus est inter se & uniuersam carnẽ. Admonemur hoc exẽplo, quasi in imagine aliqua, quomodo soleat Deus rebus tristibus aliquid immiscere cõsolationis, ne animũ desp̃deamus. Præsentia hæc nostra tẽpora sunt instar nubiũ dẽsissimarũ: uerũ ne quẽ piorũ terreãt in ipsa mundi huius malicia, signa quædã omniũ euidentissima apparẽt, unde mentes nostræ erigant. Quæ sunt illa? Tumultuatio gentiũ, populorũ & regnorum, crapula, luxus & ebrietas, iniqtatis abundãtia, charitatis extinctio, et catholica illa ferè omniũ, maximè capitũ, dormitatio, crebræ pestes, caritas uictus, philautia passim obtinẽs, omninũ ordinũ corruptio, ut portẽta cœlestia taceã. Hæc omnia signa certissima sunt, in hac caligine lucẽtia, ac ,p̃mittentia, breui futurã redẽptionis nostræ serenitatẽ. De istis ẽm in S. scripturis præmoniti sumus, idq; etiã ex ore Seruatoris, ut ubi apparuerint, capita nostra leuemus, ,p̃pter appropinquantẽ redemptionẽ. Sic nocturnis tenebris lunam & stellas addixit, ne quis amoto parumper sole, omni luce mundũ putet esse priuatũ. Hæc est prouidentia Dei, quam soli pij magno cum gaudio obseruant & exosculantur.

OBSERVATIO IIII.

Erant aũt filij Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham & Iapheth. Porrò Cham ipse est pater Canaan. Tres isti sunt filij Noe, & ab his disseminatum est, &c.] Obseruanda est hic diligẽtia Mosis. Cũ de ingressu arcæ narraret, nomina filiorũ Noe expressit, ne quis præter tres illos etiã alios fuisse Noe filios, qui arcã cum illo ingressi sint, suspicet. Consimili diligẽtia usus est & hoc loco, sicuti & in explanatione admonui, ut sciamus nõ esse plures egressos cum Noe ex arca, q̃ hosce tres filios Sem, Chã, & Iapheth unà cũ matre & uxorib. Quare meritò tanq; manifestè falsum reijcimus, q̃d ex Berosо de Tuiscone q̃dam Germanorũ & Gallorũ patre citãt, q̃d is quartus fuerit filius Noe, & unà cum reliquis arcã sit egressus. De eo nõ disputamus, an Noe nullos alios siue ante siue post diluuiũ genuerit filios. id uerò pro indubitato retinemus, non esse cum illo plures arcã & ingressos & egressos, q̃ qui à Mose tanta diligentia cõmemorantur, Sem uidelicet, Cham & Iapheth, quisquis tandem ille Tuisco sit, & undecunq; inducatur.

Diligẽtia Mosis.

De eo quod Chã uocat patrẽ Chanaan.

Deinde & illud obiter est considerandũ, q̃d specialiter de Chã meminit, q̃ sit pater Chanaan. Poterat & de duobus alijs cõmemorare, quorũ & ipsi patres essent. Verùm nõ fecisset ad ,p̃positũ. Cum ista scriberet, seruiebat causæ quæ tum agebat. Introducẽdus erat Israel in terrã Chanaan. Id agebat, cum essent educti ex Aegypto. Quare uolebat illis esse cognitũ, unde originẽ suã ducerẽt Cananæi, nimirũ è iuniore filio Noe Cham. Ideo cũ esset de facinore Cham in ipsum parentẽ patrato, deniq; de filij ipsius Chanaan maledictione cõmemoraturus, admouuit hoc loco, Cham esse patrẽ Chanaan, ut ex sequuntura historia spem conciperent, adesse tẽpus illud, quo gẽtes Cananæorũ de terra sua pellerent, & maledictio illis olim inflicta effectũ suũ sortiret. Hac utebat prudentia Moses, qua simul declarabat, q̃ cuperet populũ Dei, sibi concreditũ, intelligere iudiciorũ Dei efficaciã, & eorum quæ tum agebant antiquissimã prædestinationẽ, quo in fide ueritatis Dei cõfirmati ad quæuis essent pericula ferenda parati. Alioquin intelligebat, q̃ pauci essent ad tam arduã & difficilẽ migrationẽ instructi, quamq; imbecillis sit caro ad ferendas expeditionis huiusmodi tentationes & molestias, nisi spiritu fidei & scientia operum iudiciorumq; Dei confirmet, & in ordine constanter retineatur. Tertiò, de eo quod dicit, Tres isti sunt filij Noe, & ab his disseminatũ est omne genus hominũ super uniuersam terrã, uidebimus capite sequẽti, ubi diuisio ista generis humani exponitur, ac fusius explicatur, quod hic obiter attingitur.

Cœpitq; Noe uir agricola exercere terrã, & plantauit uineã, bibensq; uinũ inebriatus est, & nudatus iacuit in tabernaculo suo. Quod cum uidisset Cham pater Chanaã, uerẽda scilicet patris sui esse nudata, nũciauit duobus fratribus suis foràs. At uerò Sem & Iapheth, palliũ imposuerũt humeris suis, & incedẽtes retrorsum, operuerũt uerẽda patris sui, facies q; eorum auersæ erant, & patris uirilia non uiderunt. Euigilans aũt Noe ex uino cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait, Maledictus puer Chanaan, seruus seruorũ erit fratribus suis. Dixitq;, Benedictus Domi

nus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius. Dilatet Deus Iapheth et habitet in tabernaculis Sem, sitq; Chanaan seruus eius. Vixit autem Noe post diluuiũ trecentis quinquaginta annis. Et impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est.

LECTIO.

Cœpit Noe uir agricola exercere terrã.] Illud, exercere terram, in Hebræo nõ est, sed neq; in Græco. Heb. simpliciter habet, Et cœpit Noe uir terræ & plantauit uineam.

Et nudatus iacuit in tabernaculo suo.] In Hebræo est, & nudatus est in medio tabernaculi. Græcus legit: Et nudatus est in domo sua.[a]

Verenda scilicet patris sui esse nudata.] In Hebræo est simpliciter את ערות אביו id est, pudenda patris sui. Græcus uertit τὴν γύμνωσιν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, id est, nuditatem patris sui.

Maledictus puer Chanaan.] In Hebræo nõ est, puer Chanaã, sed simpliciter Chanaã. Græcus habet, χαὰμ παῖς, id est Chã puer. q̃d sic potest legi, ut Chã sit gignẽdi casu positũ, ac de Chanaã filio Chã intelligẽdũ.

Sit Chanaan seruus eius.] In Heb. pluraliter legitur עבד למו, id est, seruus eis uel eorũ. Sic & infrà in benedictione Iapheth legit ויהי כנען עבד למו, id est, & sit Chanaan seruus eorũ. Vbi rursus & Græcus & Latinus legunt, seruus eius.

EXPLANATIO.

Cœpitq; Noe uir agricola exercere terrã.] Postq̃ de sacrificio Noe post diluuiũ statim sub egressum arcæ oblato, deinde de oraculo ac fœdere Dei illiusq; signo quædã expositisset, consequẽs erat, ut & de reliquo uitæ instituto, cui se Noe addixerit, aliquid cõmemoraret. Eam itaq; particulã tribus quatuor uersibus obiter attingit, properans ad historias Abrahæ fusius aliquãto explicãdas. Dicit ergo, Cœpit Noe uir agricola exercere terrã. Continẽt ista summã uitæ Noe post diluuiũ. Agricola, inquit, erat Noe (hoc enim est, quod uocat eum איש האדמה, id est, uirum telluris) & ubi terrã colere cœpit, plãtauit etiam uineas. Non sunt ista sic intelligenda, quod demũ sexcentenarius post diluuiũ cœperit exercere terrã. Terrã coluerat etiã ante diluuiũ, unde & dictus est uir telluris. Quare uerbũ incipiẽdi ad hoc est positũ, ut q̃d post diluuium fecerit Noe exprimeretur. Agricultura iam toto anni spacio propter aquas diluuij intermissa fuerat. Hanc repetere cœpit, ubi commodum erat.

Et plantauit uineã bibensq; uinũ inebriatus est, &c.] An statim post diluuiũ uineas plantauerit, nõ potest certò statui. In Hebræo quidem sic legitur: Et cœpit Noe uir terræ & plantauit uineã. inde tamẽ nõ poterit certò colligi, quod factum hoc sit statim post diluuiũ. Facit aũt Moses huius rei mentionẽ, nõ eam ob causam, quòd tam magni sit momẽti, ut tacitis reliquis gestis Noe, uineã ab illo plantatã esse fuerit singulari studio memorandum, sed quòd ita postularet sequens historia de maledictione Chanaan, & benedictione Sem ac Iapheth, cuius erant causæ præmittendæ, de quibus sic dicit.

Et nudatus iacuit in tabernaculo: quod cum uidisset Cham pater Chanaan, uerẽda scilicet patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis.] Habitauit Noe in tabernaculis, quod ex hac patet historia. Quare nõ satis diligẽter factũ est ab interprete Græco, quod uertit: καὶ ἐγυμνώθη ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, id est & nudatus est in domo sua. Cum de uino bibisset, inebriatusq; esset, obsoporatus iacuit neglectius in tabernaculo, sic ut uerenda ipsius præter honestatem & grauitatẽ detecta apparerent. Hic quid factũ sit à filijs eius, subijcit Moses, nõ ut detrahat maiorib. & pudenda illorũ facta ad posterorũ temere transferat cognitionẽ, sed ut Israelitarum fidem antiquarum historiarum cognitione erigat. Hoc consilio factum Cham filij Noe exponit, repetens fuisse eum patrem Chanaan, ut admoneat qualis fuerit Chananeorum pater, homo uidelicet malus & usqueadeò degener, ut conspecta nuditate patris non erubuerit, quin etiam fratribus suis ad consimilem impudentiam author esse uoluerit.

At uerò Sem & Iapheth palliũ imposuerunt humeris suis, &c.] Cham nõ inuenit in fratrib. suis q̃d quæreret. Arbitrabaã eos eodẽ secũ esse ingenio, ideoq; & patri secũ illusuros. Verùm lõgè erãt aliter animati, id q̃d & facto ostẽderũt. Nõ delectabãt ludibrio patris, quare q̃d illi præter decorũ acciderat, summa cũ reuerẽtia correxerũt. & pudẽda paterna sic obuelarũt, ut ea ne uiderẽt quidẽ, tã aberat ut huiusmodi spectaculo cũ degenere fratre delectarent, eodẽ facto & pudori paterno cõsulẽtes, & fratris nequiciã damnantes, deniq; & germanos se filios esse declarãtes. Illud, Palliũ imposuerũt humeris suis, & incedẽtes retrorsum operuerũt uerẽda patris sui, sic est positũ, ut nõ cõstet, uno ne tantũ utriq;, quo humeros suos simul & cõiunctim operuerint, an separatim suo q̃q; sit pallio usus. Neq; em insolẽs scripturæ est, ut numerus singularis, pro plurali ponat. Quod si id hoc quoq; loco factũ est, legendũ esse uidet ad hũc modũ, & acceperũt Sem, & Iapheth quisq; palliũ, & imposuerũt super utroq; humeros suos. Si uerò uno dũtaxat usi sunt pallio utriq;, particula illa in Hebræo וישימו על שכם גיהם sic est legenda, Et posuerunt super humerum utriusque ipsorum.

Euigilans autẽ Noe de uino, cum didicisset quæ fecerat ipsi filius suus minor, aut, &c.] Vnde didicerit quæ in terra cum dormiret facta fuerant, non exprimitur. Alij iudicant ea à duobus fratribus Sem & Iapheth fuisse exposita, fieri potuit, ut cum euigilasset, pallio se filiorum suorum tectum cernens quid factũ esset quæserit, atq; ita rem omnem resciuerit. Alij arbitrantur cognouisse illum factũ filij sui per reuelationẽ spiritus, perinde atq; Eliæus factum Giezi pueri sui absens cognouit. Verùm non est ut de eo quæramus unde cognouerit, cum nullus sit hic impossibilitatis uel difficultatis nodus.

Quæ fecerat, inquit, ipsi filius suus minor. Sic uocatur Cham, unde colligitur fuisse illum natu minorem reliquis duobus fratribus. Inconsideratius est q̃ ut recipi debeat quod Chrysostomus hic dicit: Secundus enim erat, inquit, & maior notu q̃ Iapheth. Licet aũt ætate illo prior erat, uoluntate tamen minor & temeritate eum excesit. Nam quia noluit intra suos limites manere, amisit honorem sibi à natura traditum. Et sicut ille id quod natura habuit nequicia uoluntatis amisit, ita Iaphet quod natura non habuit, saniorem ob mentẽ accepit. Hæc ille. Meo iudicio, nõ obseruauit Chrysostomus satis, cuius hæc sint uerba: Si Noe uocasset eum minorem, posset forsan affectu tali dictum uideri, qualem exponit. Verũm cum nõ Noe, sed historiographus Moses dicat, cum uidisset quæ fecerat ipsi filius minor, arbitror cõuenientius esse, ut simpliciter & historicè, q̃ ut emphaticè & metaphoricè dictum intelligamus. Neq; mouere quẽq; debet, q̃d ubi tres isti filij Noe nominatim recensentur, Cham post Sem & ante Iapheth nominetur, quasi natu senior sit q̃ Iapheth. Non est iudicandũ de ætate patrũ secundũ hunc, quo recensentur, ordinem. Nam ex supputatione annorum constat, nec Sem fuisse primogenitũ Noe, nec Abrahamum primogenitum Thare, sicut infrà suis locis uidebimus, qui tamen utriq; fratribus suis propter singularem pietatis prærogatiuam recensendo præponuntur.

Maledictus puer Canaan, &c.] Suprà dixit, in Heb. nõ esse, Maledictus puer Canaan: sed, Maledictus Canaã. Maledictiõis sentẽtia neqciã filij sui Chã cõpensat. Quare aũt nõ dicat, Maledictus Chã: sed, Maledictus Canaan, dicemus in quæstionib. suo loco. Seruus, inquit, seruorũ erit fratrib. suis. Hoc est, extrema seruitute subiectus erit fratrib. suis. Nõ dicit simpliciter, Seruus erit fratrũ suorũ: sed, Seruus seruorũ erit fratrib. suis. q̃ genere loquutionis seruitus eorũ exprimit, q̃ ad uilissima quæuis seruitia sunt mãcipari.

Benedictus Dominus Deus Sem.] Quoniã non solũ de nequicia Cham, sed & de reuerentia sibi à Sem & Iapheth reliquis duob. filijs exhibita cognouerat, non solũ maledictionis sententiã in Chanaan filium Cham, sed & benedictionẽ profert in Sem & Iapheth. Pro Sem gratias agit Dño Deo, uocãs eũ Deũ Sem. Spirat aũt ista gratiarũ actio affectũ animi felicitatẽ filij sui Sem considerantis & magnificentis. Q.d. Benedictus sit Dñs Deus filij mei Sem, qui hunc illi animum indidit, & insigni adeò gratia ad nominis sui gloriam destinauit, ut reuera sit se Deum illius esse declaraturus, quæ illius felicitas animum meum singulari gaudio afficit.

Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem.] Habent ista benedictionẽ multiplicandæ ac dilatandæ posteritatis. Allusit aũt ad nomẽ huius filij sui Iapheth, q̃d dilationis significationẽ habet hoc loco. Q.d. Rectè uocatur Iapheth. Dignus est quem dilatet Dñs, & posteritate omniũ ampliss̃ima multiplicet. Illud, Et habitet in tabernaculis Sem, sic est amphibologicè positũ, ut rã ad Deũ referri queat q̃ ad Iapheth. Qui referunt ad Iapheth, quod is habitaturus esset in tabernaculis Sem, nõ sic exponũt, ut intelligendũ sit habitaturũ fuisse Iapheth in tabernaculis Sem, illo expulso sicuti Israelitæ in terra Canaã expulsis Chananeis erãt habitaturi: sed q̃ posteritas Iaphet, id est multitudo gentiũ ab illo descẽdẽtiũ esset ad posteros Sem Israelitas uidelicet ,ppter cognitionẽ & cultum ueri Dei accessura, id q̃d Hebræi referunt ad ,pselytas ex gẽtibus, & eos qui ad templũ Hierosolymitarũ diebus solennib. causa orationis, uel stri uerò ad uocationẽ & accessionẽ gentiũ quæ ad regnũ Christi uenerunt, de quibus Esaias cap. 2. uaticinatus est dicens: Et erit in nouiss̃imis diebus præparatus mons domus Dñi in uertice montiũ, & elabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, &c. Hiero. sic exponit: Quod aũt ait, Et habitet in tabernaculis Sem, de nobis ,pphetatur qui in eruditione & scientia scripturarũ electo Israele uersamur. Verũm nõ solũ de posteris Iapheth, sed in genere de uniuersis gentibus, ideoq; & de posteris Cham, uenerũt plurimi ad Christũ, unde & ,ppheta uaticinatus est uniuersaliter de omnib. dicens, Et fluent ad eũ omnes gentes. Quare, meo iudicio, simplicius est, ut intelligamus loqui Noe de Deo, qui fuerit habitaturus in tabernaculis Sem, id est, omnia illius & posteros quoq;, benedicturus, in omnibus illi adfuturus, ac ueluti in illius ac posterorũ eius tabernaculis habitaturus. Vel intellige Deum habitasse in tabernaculis Sem, q̃diu nomẽ eius, pietas, religio, cognitio & cultus eius inter posteros Sem Israelitas uidelicet permansit. Nihil aũt impedit quo minus uterq; sensus coniungatur. Sunt qui exponant de uerbo incarnato, q̃d habitarit in utero beatæ uirginis, uelut in tabernaculo Sem. Rursus exponũt alij de sacrificio altaris in quo Deus sacramentaliter habitet, alij de infusione gratiæ per quã Deus habitat in cordibus mortalium. suo quisq; sensu nitit̃ur, nobis simplicitas est in exponendis retinenda scripturis.

Illud, Sitq; Canaan seruus eorũ, tertiò repetit ad exprimẽdam maledictiõis huius certitudinẽ. Videnẽ aũt ista magis per modũ uaticinij q̃ imprecatiõis dicta. Etenim effectus illorũ suis est tẽporib. cõsequutus. Subiectus fuit Chanaan potestati Sem, cũ Israelitæ posteri Sem terrã Cananæorũ occuparũt, & populis illis maiori ex parte deletis reliquias illorũ subiectas habuerũt. Subiectus fuit potestati Iapheth, quando posteri ipsius, uel aliq saltẽ ex illis, dominio sunt Occidẽtaliũ gentiũ subiecti, quæ à Iapheth descenderũt.

Vixit aũt Noe post diluuiũ trecẽtis 50. annis. Et impleti sunt omnes dies eius nongentorũ 50. annorum, & mortuus est.] Quoniã ad historias Abrahæ properat Moses, hisce uerbis quasi sepelit patriarchã Noe, & historias prioris mundi ac principia posterioris terminat. Nam immediatè post ista generationes filiorũ Noe subijcit, & ad Abrahamũ usq; deducit. Meminit aũt nõ simpliciter mortis eius, sed & annorũ quib. ætatem suam compleuit, ut cernere liceat quousq; denaria illa priorum patrum ab Adamo descendentium series, in ipso Noe terminata, in subsequentem sese mundum extenderit.

QVAESTIO I.

Et plantauit uineam.] Quærunt hic, an uites ante diluuium quoque plantatæ fuerint. Qui sentiunt Noe

A Noe fuisse primum plantandæ uineæ authorem, arbitrantur usum uini ante diluuiũ priori fuisse mundo incognitũ. Verùm admodũ incerta ducunt opinione. Primum enim nõ potest ex litera colligi quod sentiunt. Quod nanq; legimus cœpisse Noe post diluuiũ exercere terrã, & plantare uineã, tam nõ facit ad hoc, ut inde colligamus ante diluuiũ nullam fuisse uineã plantatã, q̃ ad id nõ facit, ut hinc asseramus ante diluuiũ fuisse neminem qui agros coluerit, cum diuersum manifestè legamus in historia Cain.

An uites plantatæ fuerint ante diluuium.

Deinde etiamsi demus Noe primum fuisse uinearũ plantatorẽ, neq; sic tamen ꝓbari poterit cœpisse illum post diluuiũ demũ plantare uineã, cum credibile sit & antea illũ unà cum reliqua agricultura uites quoq; plantasse. Præterea, cum Christus de temporib. Noe diluuiũ præcedentib. dixerit, q̃d ederint ac biberint, arbitror uerosimilius esse quod nõ simpliciter aquã, sed uinũ biberint. Neq; eñ rationi consentaneũ uidetur, q̃d delicias sectati sint bibendo, si aquã tantũ biberũt, qui potus nõ ad luxũ & ebrietatẽ, sed ad sobrietatẽ potius facit. Adhæc, quæ Dauid psalmo 104. canit, quoniã talia sunt omnia, ut nõ posteriori huic tantũ, sed & priori mũdo cõpetant, nõ uideo certã aliquã rationẽ, quare quod dicit, Producens fœnũ iumentis & herbã seruituti hominũ, ut educas panẽ de terra, referamus ad utrunq; mundũ. Quod uerò sequitur, Et uinũ lætificat cor hominis, in hoc posteriori duntaxat & nõ ante diluuiũ, locum habere dicamus. Nõ est res ista adeò magni momẽti, ut de illa sit contendendũ: uerùm quoniã usum est aliis suam opinionem ferre in medium, uolui post illos & ipse quid mihi uideatur proferre.

Deinde quærũt nõnulli, quare omnino sit uitis initio creationis inter reliqua terræ nascentia, ꝓducta, cum innumerabilia mala ex usu uini nascantur. Arbitrant illi nõ debuisse uites uel initio creari, uel creatas plantari: aut certè quando quidẽ plantatæ sunt, debere illas in uniuersum cunctas funditus extirpari. Quare mirantur quid Noe sibi uoluerit, ꝙ uineã plantarit & coluerit. Verùm si isti primùm expẽderent, quod Dauid psalmo suprà citato canit, dicens, Et uinum lætificat cor hominis, in q̃ hac re diuinæ bonitatis consiliũ cõsiderarent: deinde inter legitimũ ac tẽperatũ uini usum & abusum distinguerẽt, utiq; nec culpã creatori uitis adscriberent, nec plantationem illius dãnarent: sed & creaturæ huius boni ratem grati agnoscerent, & quicquid admittit uitij in bibentiũ intemperantiã reijcerent. Chrysostomus rationẽ assignat, quare Noe uineã plantarit: Quia magna, inquit, tenebat tristicia, & sibij ꝑsi consolationẽ inde excogitare uolebat, sicut & sapiens quidã dicit, Date uinũ ijs qui in tristicia, & sicerã ijs qui in dolore: mõstrans ꝙ nullũ est tam præsens tristiciæ remediũ atq; uini usus, modò utilitatẽ eius non perdat intemperantia. Quòd aũt in tristicia & mœrore fuerit iustus ille, uident sei psum in tanta solitudine, & illorũ hominũ corpora ante oculos proiecta, & cõmune omniũ se pulchrũ hominibus & brutis factũ, quis contradiceret? Hæc ille. Adfero & aliorũ & meam sententiã in medium iudicent cordati.

Quare omnino sit uitis creata, et postea plantata, cum tanta mala proueniant ex uino.

B *Et nudatus iacuit in tabernaculo.*] Poterit hic quæri, primùm quãdo acciderit hoc Noe: deinde ubi fuerit uxor eius, ꝙ nõ diligentius maritũ suum obseruauerit, & senectutis illius rationẽ habuerit. Nam ut ex litera Hebræa patet, nõ iacuit consueto dormiendi loco, quo senex bene potus uxoris cura & officio cõmodè collocari poterat, sed בתוך אהלה, id est, in medio tabernaculi, quam negligentiã nec Græcus nec latinus interpres expressit. Quod attinet tempus quo Noe inebriatus fuit ex uino, nõ est putandũ ꝙ sta tim acciderit post diluuiũ, ꝓpterea ꝙ historia ista uestigio post oraculum Dei & fœderis constitutionẽ subijcitur. Moses eñ multorum annorum historias transit, & certis de causis hanc adduxit, quæ tum ac cidit, cum Cham filios suos omnes iam genuisset: id quod ex eo satis patet, ꝙ Chanaan filius Cham postremus in ordine nominatim à Noe maledicitur. Quare manifestum est accidisse ebrietatẽ hanc Noe admodum diu post diluuium. Neq; eñ uerosimile est maledixisse eum Chanaan antequam esset natus. De uxore Noe nihil potest certò responderi, cum nulla fiat illius in scripturis mentio post diluuiũ, ni si quòd & ipsa sit cum marito suo & filijs & nuribus arcã egressa. Quare nõ potest hic aliquid affirmari adferri, sed necesse est, ut ex coniecturis dicat, quicquid adfertur. Si adhuc in uiuis erat, cum ebrietas ista Noe accideret, nõ uideo quid aliud dici possit q̃ quòd pro consuetudine maiorũ seꝑato tabernaculo seorsim habitarit à marito & filijs, ideoq; facile fieri potuerit ut præter ipsius conscientiã ad hunc modũ iacuerit Noe nudatus in medio tabernaculi sui. Quod aũt hic mos fuerit apud patriarchas istos, ut uxores eorum seꝑatis tabernaculis habitarent, satis perspicuè infrà capite 24. in historia Isaac cernere licet, ubi sic legimus: Qui introduxit eam (Rebeccã spõsam suam) in tabernaculũ Saræ matris suæ, & accepit eam uxorem, &c. Nõ dicit, In tabernaculũ suum, uel patris sui Isaac: sed, In tabernaculũ Saræ matris suæ. Ergo & Sarah peculiari ac seꝑato tabernaculo seorsim ab Abrahamo mãsit. Sic & de uxoribus Iacob legitur, quòd diuisis ac seꝑatis tabernaculis manserint. Quod si coniectura ista probabilis uidet, nõ est quod quæramus amplius, quare Noe tectus nõ sit ab uxore potius q̃ à filijs. Dicet aliquis: Potuit nuditas Noe uxori indicari uel per filios, uel aliquẽ ex nepotibus, quorũ tunc iusta erat copia. Hæc cogitatio coniecturã parit fuisse tum Noe uiduũ, uxore mortua. Quicquid sit, satius esse iudico, ut ex coniecturis hisce uel priorẽ, uel posteriorẽ teneamus, q̃ ut turpitudinẽ istã Noe uxore conscia & negligente accidisse sentiamus.

Quando ebrietas ista Noe acciderit.

De uxore Noe ubi illa fuerit cũ maritus iaceret in tabernaculo nudus.

QVAESTIO III.

Pallũ imposuerũt humeris suis, et incedẽtes retrorsum operuerũt uerẽda patris sui, facies q; eorũ auersæ erãt, & patris uirilia nõ uiderunt.] Poterit hic quæri ad quid Sem & Iapheth humeris suis palliũ imposuerint. Quod si hoc agebant ne patris pudenda uiderent, poterant ne hoc satis per id cauere, quod retrorsum incedebãt, & facies suas auertebãt? Poterant utiq;. Deinde ad quid imponebant palliũ humeris, & non magis capitibus, si illo utebantur cautionis gratia, ne nuditatem paternam spectarent?

Arbitror

Arbitror eos pallio ad hunc esse modũ usos, non ut aspectũ nuditatis paternæ illius uelamine adimerent, sed ut illo patrem præter decorũ nudatũ in tabernaculo operirẽt ac tegerent. id quod facile poterãt efficere, pallio hoc ab humeris suis sensim super ipsum demisso, & postea ritè composito. Itaq; ne uerenda patris cernerent, auersis faciebus retro sunt tabernaculũ ingressi: ut aũt haberent, quo illa cõmodè operirent, palliũ usurparunt: & quoniã manibus illud corpori paterno non perinde commodè poterant imponere, incedentes retrorsum & faciebus auersis: atq; si rectã & antrorsum accessissent, hæ sunt usi industria, ut humeris suis ac tergori impositũ sensim supra nuditatem patris demitterent, deinde conuersi ritè cõponerent. Quare hoc agentibus nõ erant duo pallia necessaria: sed uno accepto, quod instituebant commodè perficiebant.

QVAESTIO IIII.

Maledictus puer Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.] Quærunt hic quare Noe non maledixerit potius ipsi Cham filio suo, q̃ Canaan filio Cham, peccatũ assignatur non Canaan, sed Cham: dicit enim Moses, Cum uidisset Cham uerenda patris sui, nunciauit duobus fratribus suis foràs. Et, Euigilãs Noe ex uino, cũ didicisset quæ fecerat ipsi filius suus minor. Quæriũ itaq; quare maledictio infligaẽ ei qui nõ peccauit, & nõ potius ei qui maledictionẽ peccato suo promeruerat. Respondeũ hic aliter atq; aliter. Alij dicunt, factum esse hoc à spiritusancto, qui ad detestationẽ inobedientis & contemptoris filij, nomen eius ne nominare quidem uoluerit, sed nominarit eum nomine filij sui, uocans eum Canaan. Secũdum istorũ opinionẽ non est Canaan filius, sed pater Cham sub nomine filij maledictus. quam sententiam probare non possum. Lyranus dicit, maledictũ esse patri in filio, ad hoc, ut ostenderetẽ quòd nõ in persona sua dũtaxat maledictus esset, sed ad posteros quoq; ipsius ista deriuaretur maledictio. Chrysostomus, quare non sit ipse Cham à Noe maledictus, hanc adfert rationẽ. uolebat, inquit, corrigere filium propter peccatũ & contumeliam qua se affecerat, & simul nolebat præiudicare benedictioni, quæ ei pridem erat facta. Benedixerat enim Deus Noe, quando exiuit ex arca, & filios eius. Igitur ne uideretur maledicere quem Deus semel benedixerat, præterito illo qui se contumelia effecerat, filio illius maledictum intulit. Hæc ille. Lyranus itaq; sentit utrumq; & patrem & filiũ. Chrysostomus uerò nõ patrẽ, sed duntaxat filiũ fuisse maledictum, licet dicat patrem fuisse correptum propter admissum peccatum. De patre non est quæstio, si dicamus cum Lyrano & alijs illũ quoq; fuisse maledictione ista percussum: sed de filio quæritur, quare fuerit illi siue soli, ut Chrysostomo: siue cum patre, quod Lyrano placet, illata maledictio. Non satisfacit ratio Lyrani. Est enim generalior, q̃ ut huic posset quæstioni conuenire. Vt ostenderetur, inquit, quòd nõ in persona sua duntaxat maledictus esset, sed ad posteros quoq; ipsius ista deriuaretur maledictio. Atqui nõ solus Canaan pertinebat ad posteros Cham, neq; erat ille primogenitus, si credendũ hic sit ordini quo filij Cham recensentur, sed postremus. Quod si id agebatur, ut indicaretur maledictionem hanc ad posteros quoq; Cham fore peruenturam, erant posteri Cham non solum qui ex Chanaan, sed & qui ex Chus, qui ex Mizraim, & qui ex Phuth descenderunt. Quare nõ immeritò quæriũ, quare nõ dixerit, Maledictus Chus, uel maledictus Mizraim, aut, maledictus Phuth: sed, Maledictus Chanaan. Poterit Chrysostomus hic aliquid adferre uideri cum dicat, Verosimile est, & propter sua delicta dederit pœnam. Neq; dubito, fuisse hunc Chanaan singulari præ fratribus ipsius præditũ malicia, ut non immeritò impij Canaanitæ malè audiant in scripturis, quod semen essent Canaan, sic ut & degeneres Israelitæ hoc nomine Canaan propter impietatem perstringantur. Dan. 15. & Ezech. 16. uerũ ne ille quidẽ satis ad scopũ accedit. Alij dicũt Canaan primũ nudatũ Noe auũ suũ uidisse, deq; eo ad Cham patrẽ suũ retulisse. At ne isti quidẽ aliquid certi adferũt, & tanta maledictione dignũ. Augustinus propius ad scopũ accedit. Quæriũ, inquit, quare peccans Cham in patris offensa, non in ipso, sed in filio suo Chanaan maledicitur? Nisi quia, ꝓphetatũ est, terrã Chanaan eiectis Chananæis & debellatis accepturos fuisse filios Israel, qui uenirent de semine Sem. Hæc ille. Respondendũ igitur hic est, non esse ista à Noe spiritu ultionis & imprecationis, sed uaticinij loco de eo quod suis erat temporib. posteris Canaan singulari iudicio Dei euenturũ, ꝓlata: ideoq; non esse disputandũ de rationib. sed rotũ hanc causam in abyssum iudiciorũ Dei nullo modo scrutabilem, reijciendã. Nõ est Cham in sua persona maledictus, ne maledictio ista deriuanda uideretur in omnes illius posteros: sed Chanaan nominatim perstringiũ, ꝓpter iudiciũ Dei quo posteri ipsius olim erãt percutiendi. Et ob hanc causam Moses præsentẽ historiã cõmemorare uoluit, ut Israelitas in spẽ erigeret, maledictionis huius efficacia iamiã futurum ut terrã Canaan subactis illius gentib. occuparent.

OBSERVATIO I.

Noe uir agricola

Cœpitq; Noe uir agricola, & plantauit uineã, bibensq; uinũ inebriatus est, & nudatus iacuit in medio tabernaculi.] Cõsideremus qualia sint quæ Moses hic de Noe prædicat. Primũ, uocat eũ uirũ agricolã. Parũ magnificẽtiæ tribuit illi, si mores seculi huius inspicias, in cuius oculis agrestes homines, terrã colẽtes, iusq; deq; fiũt, suspiciunt uerò qui uel robore bellico, uel opũ magnificẽtia, uel singulari astutia quasi Dij quidam esse uidentur. Quare iudicio carnis mirũ uideũ, quid sibi Deus uoluerit, quod deleta uniuersa carne unà cum innumeris uiris potentibus, sapientibus, & nominatis, gigantibus etiam seruauit sibi hominẽ rusticum & agricolam, illumq; tanta diligentia & cura complexus est, ut & fœdus cum eo inire uoluerit. Nos uerò animaduertamus hac cõsideratiõe, sic esse cõparatũ Deũ, ut nullius magni iuxta seculũ personã accipiat, nullius obscuri & abiecti humilitatẽ fastidiat, sed acceptũ habeat omnẽ eũ, qui corde sincero ab ipso pẽdet, & iusticiæ ex animo in omnib. studet quãrũuis sit in oculis mũdi cõtẽptus & abiectus.

Institutio maiorum ac uictus patriarcharum.

Simul hic de institutione maiorũ, ac uictu patriarcharũ, cogitemus. Generatio Cain deflexerat ab agri culturæ frugalitate ad artes mechanicas, sicuti suprà cap. 4. uidimus: deinde ad libidinẽ quoq;, & ambi-

tionem

A tionẽ domĩnãdi. Patres uerò, qui deſcenderũt de Seth, humilitatẽ ac frugalitatẽ agriculturæ ſimul & paſturæ pecudũ, ſtudioſè retinuerũt, cuius rei ueſtigia, nõ in Noe tantũ, ſed & in ſequentibus illius poſteris Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, &c. uidere licet. Erat hoc uitæ genus ſimplex, innocuũ, frugale, & primorũ hominũ uictui cõforme. Verum, qua eſt corruptione deprauatũ ingeniũ humanũ, pauciſsimi ſunt, qui utilitatẽ, cõmoditatem, & honeſtatẽ illius rectè agnoſcant & colant, ut nõ immeritò dixerit ille: O fortunatos nimiũ ſua ſi bona norint, agricolas. Cain quoq; fuit agricola, agricola fuit Noe. Sed hoc noſtro ſeculo, quotuſquiſq; eſt agricola, qui ſimplicitatem Noe imitetur? Deinde, prædicat de Noe Moſes, quòd plantarit uineã. Quanquã de mũdo diluuiũ præcedente affirmari nequit, quod illi Noe fuerit plãtandarũ uinearũ author, de eo tñ qui diluuio ſucceſsit, in quo adhuc uiuimus, ſecundũ præſentis hiſtoriæ ueritatẽ certò aſſeuerare licet, quod & agriculturã & plantationẽ uinearũ habeat, nec à Cerere, nec à Baccho, quem Liberũ patrem uocant, ſed à Noe. Quare gentiũ dãnanda eſt & ingratitudo, qua bene ficiũ à Noe primo poſterioris huius mũdi parente acceptũ, tranſtulerunt ad homines longè poſteriores: & impietas, qua diuinitatẽ utriq; & Cereri & Baccho propter frugũ & uini inuentionẽ adſcripſerunt. Nos uerò agnoſcimus quidem ueriorem harum rerum authorem Nõe, uerùm beneficiũ & panis & uini cum Dauide Pſalm. 104. Deo creatori & altori omnium acceptum ferimus. Tertiò, & bibit, inquit, de uino. Sicuti non peccauit Noe plantando uineã, ſic nõ peccauit bibendo de uino uitis, quã plantauerat. Quis, inquit Apoſtolus 1. Cor. 9. plantat uineam, & nõ edit de fructu eius? Poterat aquæ potu contentus eſſe, uerùm non eſt aſpernatus bonitatẽ Dei, qua uinũ ad hoc dedit, ut cor hominis aliquando inter curas & moleſtias præſentis uitæ exhilaret, Pſalm. 104. Apparet aũt Noe iam ſenem hunc ſibi uini potã peculiarius uindicaſſe. De filijs ac nepotibus illius nõ legimus, quod uino noſtri ſeculi more fuerint aſſueti. Sunt ætatũ, conditionũ, ſexũq; diſcrimina, quorũ rationẽ noſtra ſecula nullã, magnã uerò habuit antiquitas. Quartò: Et inebriatus eſt, inquit. Hactenus nihil culpabile de Noe audiuimus, iam uerò tribuitur illi ebrietas, quæ licet poſsit forſan quibuſdã excuſari rationibus, in ſeipſa tñ eiuſmodi eſt, ut uitio nõ careat. Etenim quicquid modũ excedit, uitioſum eſt etiã in animantib. ratione deſtitutis, nedũ in homine. Quare nõ eſt in eo laborandũ, quomodo ebrietati huic Noe patrocinaturi, uel ſimplicitatẽ, uel uini Orientalis fortitudinẽ, aut bibendi uini raritatẽ excuſemus. Rurſus nõ eſt ut immodeſtius illam exaggeremus ac diuexemus. Neq; enim talis eſt, ſi circũſtantiæ inſpiciant, quæ hominem uino turpiter deditũ arguat. Neq; ex unico delicto ſemel præter opinionẽ admiſſo de ingenio & moribus cuiuſquã ſententia ferri debet, præſertim ſi aliàs extent pietatis illius teſtimonia et argumẽta, qualia de Noe, hoc & ante & poſt diluuiũ adducta legimus, quæ ſanè maiora ſunt, quàm ut propter ſemel admiſſam ebrietatẽ prorſus annihilari & in ſpongia abire debeant. Reprimenda ſunt igit hoc loco tria hominũ genera. Primum eorũ eſt, qui omnia ſanctorum uitia ſic excuſant, ut nihil in illis delicti agnoſcere ſuſtineant. Sanctorũ uitia & infirmitatẽ haudquaq; diſſimulat ſpirituſſanctus, ſicuti hoc loco & multis cõſimilibus uidere licet. Nec fit hoc præter rationẽ. Sic eñ uiſum eſt infirmis noſtris cõſcitijs conſulere, ne de gratia Dei deſperemus. Reperias multos imperitè ſimplices, qui de ſanctis uiris haud aliter ſentiant, q̃ quod ſine gratuita peccatorũ remiſsione ſolis propriæ iuſticiæ meritis ſalutẽ ac felicitatẽ cœleſtẽ ſint cõſequuti. Hoc eñ arbitrant eſſe ſanctũ, ſanctos uerò nõ eſſe, quibus opus eſt, ut peccata remittant. Contra eiuſmodi noxiã ſtulticiã inſpicienda ſunt uitia ſanctorũ, quæ in ſcripturis commemorantur, ut illorũ cõſideratione admoneamur ueriſsimũ eſſe quod Dauid dicit, Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo Dñe, quia nõ iuſtificatur in conſpectu tuo ullus uiuens. Item dixi, Confitebor iniuſtitiam meã Dño, & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei. Quapropter orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Et hoc conſilio ſpirituſſanctus, cum dubio procul multa præclara poſt diluuium geſta de Noe commemorare poſſet, hiſtoriam hanc de ebrietate illius in mediũ adduxit, quo non ſolũ formam uitæ, ſed & infirma illius uideremus, & ſalutẽ eius gloriæ, gratiæ Dei acceptam ferremus. Secundũ genus eorũ eſt, qui agnoſcunt quidem in pleriſq; deliquiſſe ſanctos, & uitia eorũ nominatim tenent, uerũ non ut de gratia Dei admoneant, ſed ut uitijs ſuis operculũ habeant, ac ſeſe dum delinquunt ſanctorum exemplis tueantur. Sic qui uino ſunt dediti, ac frequenter inebriant, intemperantiæ ſuæ turpitudinẽ citato exemplo Noe excuſant. Quid eſt, inquiunt, ſi ſubinde uberius & alacrius bibamus, etiamſi inebrie mur? An non & Noe uinũ bibit? An nõ inebriatus etiã fuiſſe legit? Quod ſi tam grande peccatũ eſſet ebrietas, ut hominẽ redderet Deo inuiſum, quomodo ſaluatus eſſet Noe? Sic miſeri citant mulierem peccatricem, citant Dauidem adulterum, & Petrum negatorem. Sanctorũ uitia norunt, ut imitent: fidem illorum, pietatem, & iuſticiæ ſtudiũ egregiè diſsimulant. Noe ſemel inebriatus pro ebrioſorũ hominũ infinita uino ingurgitantiũ, patrono citatur. Quin potius illis patrocinat qui præter opinionẽ uel incautius bibendo, uel propter cerebri infirmitatem, exhilarationem uini non ferendo, ſemel in omni uita ſua inebriantur: & ubi ad ſe redeunt, ſeipſi iudicant, ne iudicentur à Domino: ſimulq; ſtudioſiſſimi ſunt cauẽ, ne tale quid unq̃ patiant in poſterũ. Tertium genus eorum eſt qui iuſtorũ hominum delicta acerbius inſectantur, & ob unius uitij maculam, omnem illorum cùm præcedentem tum ſubſequẽtem pietatem & iuſticiam nihil faciunt & exuflãt. Tales ſunt plerũq; iuſticiarij alienæ uitæ curioſiſsimi exploratores ac iudices. Talibus Noe iſte poſt admiſſam ebrietatẽ nihil eſſet aliud q̃ homo ebrius, Dauid nihil aliud q̃ adulter. Sanctorũ uitia quæ per gratiã Dei remittuntur & abluunt, in oculis iſtorũ hærent perpetuò, nec ulla poſſunt quantũuis ſeria & irremiſſa pœnitentia deleri. Verum eſt apud hoc genus hominũ quod uulgò dicitur: Qui ſemel malus, ſemper præſumitur eſſe malus. Item et illud: Omnia ſi

Inſtitutio maiorũ, ac uictus patriarcharum.

Noe præſẽti mũdo uini author.

Noe non peccauit bibẽdo uinũ.

In uſu uini ſeruãda eſt ætatũ ac ſexuũ differẽtia

Ebrietas Noe nec excuſanda, nec exaggerãda

Tria hominũ genera reprimẽda

Omnia ſanctorũ uitia excuſantes

Vitia ſanctorum in patrocinium peccatorum ſuorum citantes.

Peccata iuſtorũ acerbius inſectãtes.

mnia si perdas, famam seruare memento. Qua semel amissa, postea nullus eris. Sobrietatis famam uni-
ca ebrietate amissam ne Noe quidem istis iudicibus recuperauerit.

Fructus ebrietatis.

Quintò, prædicat de Noe Moses, q̃ nudatus fuerit in medio tabernaculi. Videmus hoc loco, quid faciat ebrietas, ut ex fructu cognoscamus arborem. Nuditas ista non erat cuiuslibet membri corporis, sed pudendorum, quæ nemo sobrius nisi necessitate adactus nudare sustinet. Ipsa enim natura sic est comparata, ut pudenda detegi nolit. Quare prorsus uel Cynici sunt non homines, uel mente moti, qui nihil inter honesta & inhonesta corporis nostri membra discriminant. Iam cum ebrietas pudenda Noe uiri sancti, grauis & honesti nudarit, & in medio tabernaculi uisenda exposuerit, id quod haudquaquã passus esset sobrius, satis hoc exemplo monemur, hanc esse ebrietatis maliciam, ut rationis usum cõsopiat, honestatis iura extinguat, & uelanda reuelet, hoc est ex homine bestiam reddat.

Habet et animus suã turpitudinẽ.

Ebrietas itaq̃ reddit hominem mente motum & impudentem. Quæ sobrietas honestatis & decori obseruans uerecundè tegit, ea omnia ebrietas inuerecunda in lucem producit, idq̃ non in corpore tantum, sed & in ijs quæ sunt animi. Habet enim & animus suam turpitudinem, quam sobrietas non minus quàm eam quæ corporis est, studiosè premit. Ebrietas contrà impudentissima scaturigine egerit. Etenim, obsecro, quid sunt uerba impudica, stulta, inepta, ridicula, nonnunquam & sceleſta, quæ homines ebrij effundunt quàm denudatio quædam pudendorum intus in animo hominis latentium? Quare uerissimum est illud: Nullum secretum, ubi regnat ebrietas. Item, Ebrietas operta recludit. Multa sunt,

Omnium malorũ fons, quæ ex ebrietate, proueniunt.

immo innumera mala quæ gignit ebrietas, quæ omnia recẽseri nec præsentis est instituti: nec si esset, etiam recẽseri possent. Omniũ aũt illorũ unicus hic fons est, q̃ hominẽ rationis usu priuat, atq̃ ita ad quæuis mala omnes ualuas aperit, idq̃ efficit, ut ebrius nec Dei, nec hominũ, nec honestatis, nec utilitatis, nec salutis ac uitæ suæ, siue agẽdo siue loquẽdo ullã habeat rationẽ: quæ si singulatim inspiciantur, manifesti erit, id quod Noe hic inebriato accidit, omniũ eorũ quæ gignit ebrietas esse nõ maximũ malũ, sed prope minimũ. Nostra tẽpora scatẽt exẽplis ebriosorũ, quare nõ est ut adducamus ea quæ ueteribus acciderũt. Mũdus hic præsens planè factus est ebrius, nec uidẽs, nec audiens, neq̃ intelligẽs, quibus malis redatur obnoxius: & interim ingruunt extrema tempora, quæ potissimum animos requirunt sobrios ac uigilantes. Sed implendum est quod Christus de reditu suo parabolicè dixit: Et dormitauerunt omnes, Mat. 25. Quare non est præter rationẽ, quod Lucæ uicesimoprimo dixit, Cauete à crapula & ebrietate, cum de postremis temporibus loqueretur.

OBSER. II.

Quod cum uidisset Cham pater Chanaan, uerenda scilicet patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis foràs.] Duo sunt hic facienda. Primùm, uidendum est factum Cham. Deinde ex consideratione facti pe-

Externum factũ Cham.

netrandum ad internum illius ueluti fontem. Factum externum Moses paucis uerbis exponit, in quo sunt hæc tria. Principiò, uidit pudenda patris sui. Deinde, non texit. Tertiò, nunciauit etiam de illa fratribus suis extra tabernaculum constitutis. Videntur ista nihil habere delicti, ut mirum sit quod illorum gratia Chanaam filio Cham inflicta est maledictio. Etenim quid delicti habet, casu incidere in hominem ebrium ac nudatum, & de improuiso uidere illius pudenda: deinde relicto illo abire, & ad alios ui sa referre: idq̃ non alienos, sed fratres, quorum opera is qui nudus iacebat operiatur? Verùm cogita ledicti grauitas, ut factum Cham non solum culpabile esse sentiamus, sed & tale, quo degeneris filij animus sit expressus. Primùm enim non debebat è longinquo nudatum patrem conspicatus, citius ad pudenda quàm ad uultum illius intendere oculos. Siquidem natura sic comparatus est hominis uerecundi animus, ut ne ullius quidem hominis, nedum parentis, pudenda, nisi coactus, uidere sustineat. Quare non caret argumento animi uani & impudentis, quod in patre ebrio & nudato non faciem deiectam ac deformatam, sed pudenda uidit, à quibus occultissimus naturæ genius abhorrere consueuit. Deinde ubi nuditatẽ patris sui uiderat, debebat illã tegere, ne pòst amplius ullius hominis oculis esset expsita. Officiũ hoc honori paterno debitũ contẽpsit ac neglexit. Tertiò relicto patre, ut erat, nudato, abijt & retulit de nuditate illius ad duos fratres, turpitudinẽ patris silẽtio saltẽ occultandã reuelans: atq̃ ita nõ facienda fecit, & quæ facienda erant non fecit. Sic comparatum est externum hoc factum Cham.

Qualis fuerit animus Cham.

Iam si ex fructibus iudicandum est de arbore, facile est colligere ex hoc facto, qualis fuerit animus hominis istius. Primùm deprehenditur illius uanitas & impudicitia, quod spectaculo tali delectabatur, à quo natura ipsa abhorret. Deinde defuit illi amor honestatis. Hic si fuisset, nullius hominis nedũ parentis, nuditatem contempsisset, quo minus illam quacunq̃ posset ratione operuisset. Tertiò, nullo honore prosequutus est parentes suos, qui tamen uel naturæ lege sunt honorandi. Quartò, apparet illum ultra hæc omnia occulto quodam odio præditum fuisse aduersus patrem, dubio procul propterea quòd subinde ab illo grauiter corriperetur, & quòd eum ad studium pietatis impensius cuncta dirigere & instituere cerneret, id quod filio degeneri placere non poterat. Hoc pacto animatus risit secum in corde suo omnem disciplinam ac religionem patris, foris celans maliciam cordis, donec per occasionem hanc ebrietatis nudum in medio tabernaculi offendit. Hic se occasionem deridendi parentem nactum esse iudicans, conatur illius turpitudinẽ oculis fratrum uisendam & subsannãdam exponere, atque ita omnẽ illius honorẽ & autoritatẽ extinguere. Hoc erat satanicũ uenenũ in corde degeneris filij, cuius origo erat ex occulta impietate, qua Deum ipsum uel contemnebat secretò, uel prorsus negabat.

Imago filiorum alienorum.

Videmus itaq̃ expressam hoc loco imaginem filiorum alienorum ac degenerum, nationis uidelicet prauæ ac peruersæ, qui non solum degenerant à pietate paterna, sed & inimicè erga parentes affecti, omnia illorũ dãnant & ridẽt in corde, & si qua offerẽdi occasio palã etiã ludibriũ paterno nomini inurũt,

& inho-

& inhonesta illorum diffamant. Quare ueteres eos, qui Episcoporum ac præpositorum suorum nemina proscindebant, & si quid ab illis factum esset culpabile, deferebant in publicum, & subsannabant, filios uocare solebant, propterea quòd ueluti nuditatem patrum suorum ludibrio exponerent, quam tegere debebant. Verum est, omnino referunt qui eiusmodi sunt, non Sem, sed Cham. Verum & hoc est, non sunt inhonesta maiorũ propalanda & manifestanda, sed potius obtegẽda. Et rectè citatur dictum Constantini Magni, qui dicebat se operturum magis pallio suo quàm detecturum, si quid turpe ab episcopo aliquo designari cerneret. Intellexit uir pius consilium esse sataræ, ut omnis ministrorum Christi authoritas extinguatur, sine qua parum poterit ædificari ecclesia. Quare totus in eo erat, ut honorem illorum seruaret integrum. Verũ uicit satan & obtinuit iam olim, ut ipsi, quos uocant, Episcopi, Prælati, & Sacerdotes, turpitudinem suam omniũ oculis detestandam obiecerint, ubi sine ulla dissimulatione frontẽ meretriciam induti, & omni pudore abiecto, palàm scortari, inebriari, deliciari, simoniam exercere, & neglectis officijs beneficia sectari ac uenari cœperunt. Et dum ista impudentissimè faciunt, clamant hodie, admitti à nobis peccatum Cham, quoties tam manifestè ac pernicioſe peccantes, publicè reprehendimus probamusq; esse eos non Christi, sed Antichristi ministros. Videmus satanæ ministros, lupos rapaces ac uastatores grassari in ecclesia & ouili Christi. Quid requrit ipsa necessitas, ut fiat aliud quàm ut indefesso clamore abigantur à grege Dominico? Non habet hic locum ulla honestatis paternæ ratio. Primùm enim, non sunt patres, sed tyranni: non sunt pastores, sed lupi: non sunt ministri Christi, sed serui & mancipia sataræ: quare non debetur illis honos ueris patribus, pastoribus, ac Christi ministris competens, nec possunt sine grauissima cæcitate haberi in precio & honore: neq; conducibile est saluti fidelium, ut authoritatem retineant in Ecclesia, quæ ad solos pertinet Christi ministros, gregem Dominicum pabulo Euangelico pascentes. Etenim quo plus obtinent honoris, nominis & authoritatis, hoc sunt ad perdendum Ecclesias instructiores. Deinde uitia illorum non sunt occulta, sed publica: nec proferuntur in lucem à nobis, sed ab ipsis omnium oculis ubiq; suapte temeritate, libidine, ac summa cum impudentia ingeruntur. Quare dum incusant nos quòd nuditatem matris Ecclesiæ reuelemus & propalemus, impudentissimè faciunt, perinde ac si scortum publicum queratur se ignominia affici, dum reprehẽditur ipsius scortatio, quã sine ullo pudore palàm exercet, & de cuius emendatione ne cogitat quidem. Impletur in eis illud Esaiæ 3. Peccata sua sicut Sodoma prædicant, nec abscondunt. Sic enim insanire cœperũt, ut libros etiam in laudẽ Sodomiticæ suæ spurcitiei & scribant & inuulgent, tam abest, ut uel reprehensi erubescant, & turpitudinem suam abscondant. Sint ueri patres, ut gerant imaginem Noe. Sint ueri pastores, & Christi ministri, cessentq; à publicis offendiculis & uitæ et doctrinæ, ac finant nuditatem suam tegi, sicuti Noe uel tegant eam saltem ipsi. Si hoc fecerint, tum demum si quem Cham inuenerint, de illius querantur improbitate.

2. Quæst 7. Sententia Cham filij Noe damnantur qui suorũ doctorum uel præpositorum culpã produnt ceu Cham, q uerẽda patris non operuit, sed irridenda monstrauit.

Calumnia aduersariorum.

1. Quæst. 4. cap. Ecclesia prælatis suis fauentes subditi ad malũ simul cum eis corruent sicuti filij Israel diu portantes peccata sacerdotũ tãdem cum eis ceciderunt in manus hostium.

Adhæc, in eo quod Cham iste de nuditate patris sui retulit ad fratres suos foràs, conatusq; illos est ad irridendum secum paternam turpitudinem inducere, expressum est ingenium hominum reproborũ, qui sic sunt animati, ut quosuis corrumpere, & peccatorum suorum consortes efficere, hoc est, in idem barathrum pertrahere conentur, quo detinentur ipsi. Qui sic animati sunt, manifesto deprehenduntur indicio, quòd sint falsi fratres, & quòd ex malitia, non ex infirmitate peccent. Etenim qui ex infirmitate peccant, ut de peccato suo dolent, ita nollent unquam alicui mortalium peccandi secum occasionem obijcere. Contrà qui peccant ex malitia, sic sunt animati, ut quosuis cupiant peccatis suis inuoluere, & malitiæ suæ reddere consortes.

Ingenium hominum reproborũ.

OBSERVATIO III.

At uerò Sem & Iapheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt uerenda patris sui, facies q; eorum auersæ erant, & patris uirilia non uiderunt.] Principiò uidemus hoc loco, quàm etiã pijs hominibus nascantur diuersorum ingeniorũ filij. Ista autem diuersitas uarijs sese modis ostendit. Primus illius modus est, quòd non sunt in theophilia pares. Hoc est, quòd non æquè pij sunt erga Deũ, licet sint parentibus pijs ac Dei timentibus prognati. Sic diuersi erant Cain & Abel. Et dubio procul iste Cham diuerso animo fuit à fratribus in causa religionis & pietatis. Secunda diuersitas est in patrophilia, id est, in amore & obseruantia parentum. Hic aliter animatus est Cham, quàm Sem & Iapheth, Absalom quàm reliqui ipsius fratres. Sic uidemus quotidie esse inter liberos quosdam, qui nõ sint parentum suorum amantes & obseruantes: esse rursus, qui illos studiosissimè colant. Tertia diuersitas est in philadelphia, id est, amore fraterno. Degenerabat hic Cain occisor fratris, & Esau minitans necem fratri, & filij Iacob opprimentes & uendentes fratrem suum Ioseph. Quarto modo diuersi sunt eiusdẽ parentis filij in moribus & studijs uitæ, sic ut alius sit amans honestatis, alius cõtrà omnis turpitudinis ac uanitatis sectator, alius sobrius, alius ebrius, alius truculentus, alius mitis & mansuetus, alius sapiẽs: rursus alius stultus, alius item auarus, alius liberalis, &c. Dum hosce quatuor diuersitatis modos consideramus, manifestè deprehendimus, non esse fructum carnis & sanguinis, sed omnino singulare donum Dei, sicut pij erga Deũ, parentũ ac fratrũ amantes, & honestatis ac probitatis studiosi nascantur filij.

Etiam pijs hominibus nascuntur diuersorum ingeniorum filij.

Deinde considerandum est hoc loco, quòd ex tribus filijs Noe duo fuerũt boni ac probi, & unus tantum malus. Domus Noe sicuti reliqua erat ex priore, & prima in posteriore hoc mundo, ita omnino plena erat uariorum exemplarium. Habebat pietatem & cultum ueri & unici Dei, habebat disciplinam paternam, & obseruantiam stliorum Requirebatur etiam, ut esset in illa aliquis filiorum ac fratrũ consensus. Pulchrè itaq; factum est, ut essent in ea non degeneres duo, sed duo germani ac sinceri fratres, qui sese mutuò diligerent, & conformiter essent & Dei & parentum obseruantes. Sic constituta gesset ima-

Quod ex tribus filijs Noe unus duntaxat malus fuit.

ginem Ecclesiæ Dei: in qua, licet multi mali reperiantur, omnino tamẽ ista obtinent, pietas erga Deũ, amor filiorum erga parentes, & philadelphia, id est mutua fratrum dilectio.

Quatenus sit seruãdus fraternus consensus.

Tertiò notandum est in facto Sem & Iapheth, quàm non sint exemplo & illectione degeneris fratris ad hoc moti, ut unà cum illo irrisores fierent nuditatis paternæ. Sequanť hoc exemplum quotquot cupiunt germani esse filij. Ne patianť se ne à fratribus quidẽ induci ad degenerandũ, & faciendũ quod dedeceat germanos filios, displiceat parentibus, & ad illorũ cedat ignominiã. Planè incundissimus est fratrũ consensus, sed hactenus, ne fit in eo quod displiceat patri, & honori illius detrahat. Prima cura debeť religioni Dei, secunda honori paterno, tertia demũ fraterno cõsensui. Mali sunt ac degeneres filij, qui sic inter se consentiunt, ut præ mutua hæsitatione deserant honorẽ & obseruantiam parentũ. Canit Dauid, dicens, Ecce quàm bonũ & quàm iucundũ, habitare fratres in unũ. Rectè canit, sed ab illis hodie peruersè usurpať hoc canticũ, qui ubi ubi consentire cum illis nõ possumus, qui obedientiã & obseruantiam Deo patri ac Christo filio eius Dño ac seruatori nostro debitam pedib. conculcant, clamant nos esse uiolatores charitatis fraternæ, & turbare cõsensum unitatis Ecclesiasticæ, quasi hæc sit unitas Ecclesiastica, & uerus filiorũ Dei consensus, ut neglecto uerbo Dei, cohæreamus sub magisterio humanæ temeritatis, simusq; boni fratres & degeneres filij. Quòd si uerè & ex animo diligunt fraternam unitatẽ, redeant nobiscũ ad honorem & obseruantiam patris cœlestis, ut unitate iungamur non dimidiata, sed integra: non adultera ac detestabili, sed germana ac Deo grata, quæ nos non ut aduersarios subijciat, sed ut ueros fratres coniungat.

De cõsensu unitatis Ecclesiast.

Pudor germanorum filiorũ erga parentes.

Quartò obseruandũ & hoc est, quàm sint germani filij alieni à curiositate illa, qua infirma & secreta parentũ ij qui degeneres sunt cupidè scrutanť. Sem & Iapheth ne uidere quidẽ uoluerunt, indicatà à fratre patris nuditatem, tam aberant ab eo, ut spectaculo illius oblectarenť. Hic pudor decet, ornat, & declarat germanos filios.

Ingenium germanũ filij.

Quintò, quòd sumpto pallio operuerunt pudenda patris, rursus ingenium habet germani filij expressum, qui ferre nõ potest, ut ludibrio sint parentes, sed etiam eam tegit parentum ignominiam, quæ ipsorum culpa accidit. Quando huiusmodi filius aliqua parentes suos afficiet ignominia, qui ne turpia quidem illorũ & pudenda irridere sustinet, & si quid ab illis admittitur quod sit cum turpitudine coniunctum, studiosissimè tegit & operit? Non poterit reuelare uitia parentum is filius, cuius pallio paternæ est turpitudinis operculum.

Quanta sit libido oculorum.

Septimò, nec illud transeundum est quod dicit, Et facies eorũ auersæ erant, & patris uirilia non uiderunt. Obseruandum hic est, quanta usi sint cautione, ne uirilia patris uiderent. Poterant clausis oculis rectà ad patrem accedere: uerùm iudicabant non satis esse ad cauendum paternæ nuditatis aspectum, si oculos clauderent, nisi facies ipsas prorsus auerterent. Est enim incredibilis oculorum uanitas & curiositas, ita ut nobis etiam inuitis inuolent in ea quæ uidere nolumus. Quare nemo satis cauere potest insatiabilem quæ illis inest, uidendi libidinẽ. Itaq; admonemur præsenti filiorũ Noe, ut si quando cauendus est rerum uel turpium uel illicitarum aspectus, haudquaquam fidamus clausuræ oculorũ, sed ipsam faciem auertamus, quo temeritas oculorum cohibeatur.

Qualis sit accessus iste ad patrẽ

Septimò. Expendamus etiam qualis sit iste accessus filiorum ad patrem. Facies auersa non solet esse accedentiũ, sed discedentium. Et tamen isti non discesserunt, sed accesserunt. Cor non discedebat, sed accedebat, quod & pedes illius ministri quamuis & ipsi auersi faciebant. Species erat discedẽtium, ueritas operis habebat accessum. Itaq; externa illa faciei, pedum, & totius corporis auersio non ueritatem ipsam, quæ agebatur, sed diuersam quandam speciem habebat, qua per dispensationem utebantur.

Sic Deus subinde ad suos accedit, ubi ueluti nudi, contempti, miseri ac desolati iacent. Facies illius uidetur auersa, non solum in oculis mundi, sed & nostro ipsorum iudicio, quando ad horam auxilio illius destituimur. Sic clamabat Propheta: Quare auertis faciem tuam à me? Et Seruator in cruce: Deus meus, Deus meus quare dereliquisti me? Interea quamuis uidetur auersus, accedit tamen, & infirma nostra curat, miseriam solatur, & turpitudinem tegit: id quod non intelligimus dum tentationibus adolescimus ac uelut ebrij iacemus, donec expergefacti nobis ipsis restituamur. Sic solent ueri amici: ubi non licet rectà & ex professo absq; ulla dissimulatione accedere, & uitia amicorũ tegere, saltem ex obliquo, ac ueluti à tergo & dissimulanter, dum auersi uidenť, nuda illorũ operiũt. Sic aliquãdo uerus amicus dissimulato amicitiæ affectu perinde se gerit ac si alienus esset, & nihil minus quàm amicus, quo plus fidei apud aduersarios nactus, amici causam efficacius tueri possit. Hoc pacto mente accedit ad amicum nudatum & contemptũ, & turpitudinẽ eius obtegit, externa uerò specie simulat se esse auersum ab eo, & planè abalienatum.

OBSERVATIO IIII.

Sancti euigilãt, & ad se redeũt.

Euigilans aũt Noe ex uino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitq;, Benedictus Dominus Deus Sem, erit Chanaan seruus eorum. Dilatet Deus Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem, eritq; Chanaan seruus eorũ.] In eo q̃ Noe euigilasse de uino suo scribitur, imaginẽ habemus sanctorũ & piorũ, qui etiamsi subinde labunť in peccatũ, & quasi inebrianť, euigilant tamen per resipiscentiam, & ad seipsos redeunt. Culpabilis quidem est ebrietas in se, tum uerò tolerabilior est, quando in pristinã sobrietatẽ desinit, & hominẽ non tenet perpetuò ebrium, & mente priuatum. Et utinam talis esset præsentis seculi ebrietas, qua potissimũ detinenť illi, qui debebant uigilantissimi esse aliorũ custodes, de quibus Esa. 56. sic legimus: Speculatores eius cæci omnes, nesciũt uniuersi, canes sunt muti, non ualentes latrare, uidentes uana, dormientes & amantes somnia, & canes impudentissimi,

Speculatores ebrij.

A dentiſsimi,ſaturari neſciunt. Ipſi paſtores ignorant intelligentiam. Omnes in uias ſuas declinauerunt, unuſquiſq; ad auaritiã ſuã, à ſummo uſq; ad nouiſsimũ. Venite,inquiũt,ſumamus uinũ,& impleamur ebrietate,& erit ſicut hodie ſic & cras,& multo amplius. Hæc ibi. Quis quæſo excitabit Eccleſiarũ ſpeculatores epiſcopos,altiſsimũ dormientes ac ſtertentes,ebrios à uino meretricis Babylonicæ? Quis compeſcet eos,qui inebriati ſæuiunt in oues Dominicas,& pro paſtorib. agũt beſtias crudeles & cruentas? O ſi & iſti cum cæteris dormirent. Multo namq; tolerabiliores ſunt qui uitijs ſuis ocioſi indormiunt, q̃ qui nimium ſunt uigiles non ad paſcendũ,ſed ad mactandũ gregem Domini. Ad hunc modum nõ dormiunt ſancti,ſed euigilant,& ad ſe redeunt:denique recognoſcunt quæ acciderint interea dum ſibi ipſis erepti dormierunt:ſicuti de Noe cõmemoratur hoc loco, quòd de uino expergefactus reſciuerit ea quæ fecerat Cham. Lethalis ebrietas eſt,qua hodie tenetur præſens ſeculum,unde rariſsimus quiſque euigilat,& quid in ebrietate fecerit,cum dolore ac pudore recognoſcit.

Poſſunt praua facta fratrũ deferri ad parentes.

Cum didiciſſet,inquit,quæ fecerat ipſi filius ſuus.] *Si* ea cognouit ex relatu Sem & Iapheth,uidemus hoc exemplo,noo eſſe culpandũ in homine pio,ſi praua fratrũ facta deferat ad parentes, modò hoc fiat nõ in quibuſlibet leuiculis ac uulgaribus delictis,ſed in facinoribus enormibus, qualia ſunt quæ uel in Deũ uel in ipſos parentes deſignant, præſertim ſi ſperandũ non ſit,ut fraterna admonitio aliquid ad emendationem poſsit. Sic infrà de Ioſepho legimus, quòd fratres ſuos accuſarit apud patrem non de leuiculo aliquo delicto,ſed de crimine peſsimo. Probandum non eſt, ſi quis odio fraterno percitus, deferat fratres,de quibuſcunq; poterit uitijs,ſtudio deditus uel incõmodandi,uel ſeſe ulciſcendi. Rurſus probari nõ debet,ſi quis ad enormia flagitia fratrũ,quæ ſe fraterna admonitione emendare non poſſe uidet,ſilẽtio conniuere uoluerit,quaſi nequeat germani fratris præſtare officium,niſi ad illa taceat,quib.& in Deum & in parentum honorem cum pernicie quoq; fraterna peccatur.

Minores filij ſolent indulgẽtius educari.

*Quæ fecerat ipſi filius ſuus,*inquit,*minor.*] Non eſt ocioſe poſitum quòd non ſimpliciter dicit,Quæ fecerat ipſi filius ſuus:ſed addit,minor. Solent minores natu impenſius diligi à parentibus, ideoq; & teneriùs educari,quod credibile eſt,ufuueniſſe etiam iſti Cham. Cogitemus igitur hoc loco,quàm ſubinde malè ac præter ſpem cadat affectus paternus, quo ex filijs aliquẽ ſingulari propenſione proſequimur. Hic Cham,ut minor natu,tenerius dilectus factus eſt paternæ nuditatis irriſor. Et Abshalom impenſius adamatus quàm cæteri, euaſit in perſequutorem ſanguinis, & inuaſorem regni paterni. Hæc ferè cõmunis ſors parenũ eſt,ut minus diligant ab illis filijs ſuis quos ipſi plus cæteris dilexerũt ac foueriũt.

Iuſta maledictio eorũ qui contemptores ſunt parentum.

B *Maledictus Chanaan.*] Videmus hoc exemplo iuſtiſsimo Dei iudicio accidere, ut qui patris eſt contemptor & irriſor,filius non benedictionis,ſed maledictionis: maledictionẽ uiciſsim non in ſe duntaxat,ſed & in poſteris ſuis experiatur. Maledictũ ſe patri ſuo filiũ exhibebat Cham, ubi nuditatem illius ludibrio quantum in ipſo erat exponebat.quare dignus erat,qui & ipſe aliquẽ ex filijs ſuis,quem,ut uerоſimile eſt,iuniorẽ inter reliquos habebat,ac chariorem,maledictioni cerneret eſſe obnoxiũ. Terreant hoc exemplo omnes illi qui ſuſq; deq; faciunt honorem paternũ. Si noluerint experiri iuſtiſsimũ Dei iudicium in filijs ſuis,tales ſe præbeant parentibus ſuis,quales ſibi filios obtingere cupiunt.

Vnde ſit ſeruitus

Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis.] Admonemur hoc loco,unde ſit ſeruitus. Ex peccato uidelicet. Et re uera indigni ſunt libertate,qui malitiæ facti ſunt mancipia. Dominiũ competit ueris liberis, qui libertatem ſuam nullis peccatorum uinculis implicatam & captiuam reddunt. Quòd autem diuerſum accidere uidemus,ubi qui peccati ſunt ſerui,dominant reliquis,tribuendũ eſt noſtræ malitiæ,quæ malorum hominum libidini domanda ſubijcitur.

Seruitutem quæ ex peccato eſt, eſſe quoddã maledictiõis genus.

Deinde uidemus hoc loco ſeruitutem hanc quæ ex peccato prouenit, eſſe maledictionis genus. Vbi enim dixit,Maledictus Chanaan:ſubiecit,Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis,idq; tertiò repetijt. Optarim eum qui ſe paſsim ipſe ſeruum ſeruorum Dei eſſe iactat, tandem ſeruitutis huius experientiam incurrere,ut uerè impleatur quod inanibus,imò fallacibus uerbis iactat.

Qualis ſit iſta maledictio.

Præterea notemus,qualis ſit iſta maledictio,cui ſubiectus eſt Chanaan. Seruus, inquit, erit fratribus ſuis. Seruum fieri fratribus,licet carni ſit moleſtiſsimũ,quæ per ſuperbiam ſpiritus citius alienis q̃ fratribus ſubijci ſuſtinet:id quod in fratribus Ioſeph uidere licet infrà cap.37. tale tamen non eſt, quod per ſe excludat à ſalute quæ eſt per Chriſtum,cuius participes facti ſunt non ſoli domini,ſed & ſerui.

Pius affectus Noe.

Benedictus Dominus Deus Sem.] Notandus eſt hic pijſsimus affectus Noe,cum ſpiritu uaticinij conius ectus. Primũ laudat Dominũ ex animo propter filium ſuum Sem. Placet illi probitas filij,ſed huius conſideratione rapitur non in laudem filij,ſed in laudem Dei. Neq; enim dicit,Benedictus Sem: ſed,Benedictus Dominus Deus Sem. Agnouit in filio opus gratiæ Dei,unde eſt omnis probitas,& huius nomine nec ſe nec filium,ſed Deum laudibus extollit. Quantum turbabatur per iunioris filij malitiam, tantum recreabatur reliquorũ probitate, ſic ut ex animo in laudem Dei illius gratia prorumpat. Admonemur iraq; hoc loco,ut filios noſtros inſtituamus quidem ſtudioſiſsimè ad omnis generis pietatẽ ac probitatem, uerùm iuxtà agnoſcamus nihil effici noſtro ſtudio, niſi gratia diuinæ cooperationis accedat, & ſi qua in liberis noſtris effulſerit pietas ac probitas,laudes illius nomine Domino Deo offeramus. Deinde uocat Dominũ אלהי שם,id eſt Deum Sem. Erat utiq; etiam Deus Noe, & Deus Iapheth, & omnium præterea mortalium:uerùm ſignificabat eſſe eum ſingulari quadã gratia Deum filij ſui Sem, propter futurũ benedictionis ſemen Chriſtum,ex eo ſecundum carnem naſciturum.

Qualis ſit multiplicationis benedictio.

Dilatet Deus Iapheth.] Conſideremus hic, quomodo pertineat ad terrenæ felicitatis benedictionem, quæ & ipſa non eſt aliunde q̃ à Deo, ſi populus aliquis plurimũ augeatur, multiplicetur ac dilatetur.

Hanc felicitatem præstat Deus subinde in gratiam suorum etiam illis, quos in fœdus suum non recipit. Sic infrà cap. 17. de Ismaele filio Abrahæ legimus. Super Ismaele quoq; exaudiui te, inquit. Ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum ualde. Duodecim duces generabit, & faciam illũ in gentem magnã. Pactũ uerò meũ statuã ad Isaac. Hanc gloriã itaq; Deus præstat subinde nationib. à fœdere ipsius alienis, ut in hoc seculo latè regnent ac multiplicentur: quare non debemus illius splendorẽ tanti facere, aut ueram illi felicitatem tribuamus, quæ electorũ tantum est, & in multo potioribus bonis consistit.

Cõferuntur duo benedictionis genera.

Habitabit in tabernaculis Sem.] Confer duo ista benedictionis genera. Benedictus Sem, Benedictus Iapheth. Iapheth dilatatur in terra, & in multa regna multiplicant illius posteri. Benedictio ista tẽporaria est, tametsi sit magna. Sem uerò longè præclarius benedicit. Primũ habet Dominũ Deũ suum, cui usqueadeò adiunctus est, ut dicatur ille Deus Sem. Deinde habet eum non solũ huiusmodi addictione, sed & singulari quadã & perpetua cohabitatione. Habitabit, inquit, in tabernaculis Sem. Huiusmodi locutione familiaritatis est et intimæ beneuolentiæ expressa gratia. Domini est terra & plenitudo eius. Nullo loco tamen terrarũ capit, quem nec cœli cœlorũ capere possunt. At habitare dicit in medio populi sui, propterea q̃ eum singulari gratia prosequit. Hæc aũt est summa felicitas, pertinens tm̃ ad electos, qui uerè felices sunt, etiamsi in hac terra uideant omniũ esse miserrimi, & innumeris calamitatib. exerceantur. Vbi sciunt se esse in gratia Dei, & sentiunt lumen uultus eius, contemnunt uniuersam præsentis seculi gloriã & felicitatẽ, ac quicquid tribulationũ acciderit, fortiter perferunt, scientes se haudquaquã auxilio Domini Dei sui destitui. Hinc illud est Apostoli: Si Deus ꝓ nobis, quis cõtra nos? Et illud Prophetæ: Beatus populus cuius Dñs Deus eius. Sciunt omnẽ huius mundi felicitatẽ esse caducam & fluxam: deinde etiamsi diutius duret, neminẽ tamẽ uerè reddere felicẽ, eo q̃ in terrenis duntaxat constitato, quibus animus hominis saturari non potest. Quare præter hanc gratiã qua Deo sunt singulariter chari & adiuncti, nihil appetunt nec in cœlo nec in terra. Sic Dauid alicubi dicit: Portio mea Dñs. Et, Quid mihi est in cœlo præter te? Et in terra nihil uolo præter te. Argumenta gratiæ huius, qua Deus in tabernaculis suorũ habitat, diligentissimè sunt obseruanda. Alioqui reperias homines alienissimos à Deo, q̃ tamen gloriant̃ de hac gratia: quales sunt, qui cum carnalissimè uiuant, & orbẽ non religione Dei, sed crassissima superstitione dementent, iactant tm̃ illud Christi, Ecce ego uobiscũ sum usq; ad consummationẽ seculi. Quare inspiciẽda sunt indicia & argumenta, quibus declarat̃, quis sit spiritus uitæ nostræ, Dei ne uel satanæ. Quòd si primũ recta fides erga Deũ, deinde quæ fidem consequit̃ recta religio & obseruantia, tertiò spiritus ueræ dilectionis Dei ac proximi deprehendit̃, manifestis indicijs declarat̃, habitare Deũ in tabernaculis nostris. Non potest certius argumentũ tradi. Contrà, si uideas homines idolatras, superstitiosos, uerbo Dei immorigeros, innocentium persequutores, carnales, superbos, impuros, hypocritas, fratrũ osores, &c. ne credas habitare Deũ, nisi huius mundi, in illorũ tabernaculis, quantumuis uideant̃ esse serui & cultores Dei, & titulis splendidissimis sanctissimi, religiosissimi, deuotissimi, pontifices, episcopi, prælati, monachi, sacerdotes, clerici, presbyteri, &c. uocentur.

Argumẽta inhabitantis in nobis Dei.

De alieno sensu, quo Iapheth habitare dicitur in tabernaculis Sem.

Hæc putaui consideranda in eo sensu, quo uerba ista, Habitabit in tabernaculis Sem, nõ ad Iapheth, sed ad Deũ referunt. Si quis iudicauerit referenda esse ad posteros Iapheth, gentes uidelicet, quæ Christi suut religionẽ amplexæ, cogitabit quid nobis sentiendũ sit de Ecclesiis nostris. Esse eas uidelicet tabernacula, id est peregrinantiũ receptacula, nõ permanẽtes indigenarũ mansiones. Nos sumus de posteris Iapheth. Accessimus ad posteros Sem, & facti sumus cohabitatores scenitarũ, id est tabernaculariorum, ut ita dicam, in Christo filio Sem, cuius regnũ nõ est de hoc mundo. Deinde cogitabit nõ esse prædictũ q̃ Sem habitaturus esset in tabernaculis Iaphet: sed, Et habitabit, inquit, in tabernaculis Sem. Ergo ecclesiæ Christi, quas inhabitamus, nõ sunt tabernacula Iapheth, id est gentiũ: sed Sem, Israelitarum uidelicet. Nos accessimus ad Israelitas, nõ illi ad nos. Illi portant nos, nõ ipsi illos. Vide Ro. 11. Hanc Israelis prærogatiuam Papatus quasi pedib. conculcauit, quã Apostolus tanti semper fecit momenti. Cæcitas quidem cecidit super Israelẽ, donec plenitudo gentiũ intrauerit, inde tm̃ probari nõ potest, q̃ Sem ille, in cuius tabernacula sumus recepti, tantis ludibrijs in posteris suis ab ingratis & duplo peioribus Iaphethis afficitur.

ALLEGORIA.

Habet ebrij Noe historia ultra sensum literæ allegoricas etiam figuras, quibus ea quæ Christo acciderunt, admodũ conciunnè sunt adumbrata. Quare uisum est illas saltem obiter indicare.

Noah plantat uineam. Christus plantat Ecclesiam suam, quæ in propheticis quoq; scripturis uinea comparat̃. Vide Esa. 5. Et Christus ipse allegoria uineæ utitur, ubi de Ecclesia loquitur.

Noah uino inebriat̃. Christus inebriatus est calice illo, quem uinea degenerans ac rebellis in passione ad bibendum dedit.

Noah nudatus iacuit in medio tabernaculi sui. Christus nudatus in cruce infirma sua in medio domus suæ ostendit, ut non frustra dixerit, Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. De nuditate ista Christi, aliusq; mysterijs, dixi quædã in psalmũ 22. ibi, Et diuiserunt sibi uestimenta mea.

Cham irridet patris turpitudinem. Iusticiarij & sapientes huius mundi irrident scandalũ crucis, inebriatũ uidelicet & nudatũ Christũ, q̃d & scribæ & pharisæi, degeneres & alieni filij fecerũt, cũ in cruce contemptus & abiectus penderet. Igitur irrisus fuit Christus in suaipsius persona: Omnes uidentes me, inquit, deriserunt me. Deinde in doctrina sua, quæ carnalibus & sapientibus huius mundi omnium uidetur esse stultissima: & hominis non sobrij, sed uehementer ebrij. 1. Cor. 1.

Sem & Iapheth tegunt nuditatẽ paternam, nec offendunt̃ illius ebrietate. Electi ex Israelitis operue-

runt

A ruerũt nuditatẽ crucifixi Christi, dum de cruce depositũ sindone munda inuoluerũt, & in monumento quasi quodã lectulo quieturũ collocarũt. Rursus, electi in Christũ credentes haudquaq̃ offenduntur probro crucis, sed nuditati illius debitũ impendunt honorẽ, dum sermonẽ crucis tanq̃ cœlestem sapiẽtiam amplectuntur, & fatentur, quod stultũ uidetur in Deo, sapientius esse uniuersa huius mundi sapientia.

Chamaan maledicit, Sem & Iepheth benedicunt. Adumbratũ est, quid expectandũ sit utriusq; cũm irrisoribus crucifixi & nudati Christi, tum germanis filijs, qui absq; ullo offendiculo crucifixũ honorant.

OBSERVATIO.

Vixit aũt Noe post diluuiũ 350. annis. Et impleti sunt omnes dies eius 950. annorũ, & mortuus est.] Videmus hoc loco, q̃ in priore mundo patres tam prolixè uixerunt, nõ esse dandũ efficaciæ uel aeris, uel terræ nascentiũ, quibus tum homines uiuebãt: sed singulari dispensationi Dei. Alioqui hic Noe haudquaq̃ tam diu uitã post diluuiũ traxisset, cum essent omnia multo infirmiora q̃ antea. Verũ uoluit Dñs posterioris mundi primordia per patriarcham pium ac semen in fide, cognitione, ac religione nominis sui imbuere. Audierat Noe à patre suo de primordijs prioris mũdi, quæ ille ex ipso acceperat Adamo: sicuti suprà est cap. 5. annotatũ. Deinde uiderat, expertusq; fuerat humani generis maliciã, acceperat oracula Dei de futuro diluuio, iactatus fuerat & seruatus in arca: uiderat interitũ uniuersæ carnis, acceperat certitudinẽ diuinæ uoluntatis de nõ immittendo amplius diluuio. Hæc & alia consimilia ad studiũ pietatis facientia poterat tanq̃ fide dignus testis posteris suis inculcare. Quare sic æratẽ illius constituit ac dispensauit Dñs, ut in uita duraret ad decimã usq; posterorũ suorũ generationẽ. Etenim quoniã nongentos ac 50. annos uixit, manifestũ est q̃ uixerit usq; ad annũ 58. uitæ Abrahæ. Crediderim aũt Abrahamũ eo fuisse loci educatũ, ubi ipse Noe cum Sem filio suo ac reliqua nepotũ ac posterorũ serie, quæ de Sem ducebatur, ad mortẽ usq; uixit. Legimus quidẽ terrã esse à filijs Noe diuisam, sic ut super faciẽ uniuersæ terræ sint à se inuicẽ dispersi: uerũ credibile est, semen Noe nõ mansisse separatũ, sed cohabitasse ac cohæsisse filio suo Sem, propter singularẽ pietatẽ & gratiã charo, atq; ita tanq̃ patriarcha & episcopus sanctæ domus, unde nasciturus erat Christus, corã omnib. illius posteris egisse, & cũctos autoritate sua instituisse ac docuisse. Sic, inquã, uoluit Deus hunc Noe uerũ esse Ianũ bifrontẽ, qui & prioris seculi senectutẽ ac finẽ, & posterioris primordia & iuuentutẽ cerneret et cõplecteret. Tanti momẽti res erat in oculis Dei, ut cursus ueræ pietatis in generatione electorũ inde ab Adamo ad Abrahamũ usq; per utrunq; mundũ opera Noe perduceret. Quis aũt satis condignam imaginationem de tam raro sanctissimi uiri aspectu mẽte poterit cõcipere? in q̃ posterior mũdus nõ solũ longæuã priscorũ patriarcharũ uitã ob oculos exB positã uidebat, sed & deleti mũdi reliquias & succedẽtis principẽ summa cũ admiratiõe contẽplari poterat. Deinde & illud cogitemus. Viderat Noe humani generis multitudinẽ in priore mũdo: deinde uiderat illius deletionẽ ad octo personas usq;. Post diluuiũ acceperat benedictionẽ ac spem multiplicandæ posteritatis. Sic itaq; uitã illius dispensauit Deus, & eousq; prorogauit, ut ipsis oculis suis multiplicationẽ generis humani tantã cerneret, quæ in uniuersam terrã replendã & possidendã diuideret. Nõ debemus cogitare de Noe, q̃ usq; adeò fuerit corde lapideo, ut multiplicationẽ hanc generis humani nõ summo cũ gaudio & animi recreatione se adhuc uiuo restaurari uiderit. Dubio procul cũ ingenti mœsticia cordis uiderat mundi exitiũ, & uniuersæ carnis interitũ. Consequens igit est, q̃ restaurationẽ illius singulari quadã refocillatione uiderit. Sic solet Deus ostendere uicissim læta illis qnos tristib. exercet, ac mœstos reddit. Nobis orandus est Dñs, ut qui postremis istis tẽporibus præsentis mundi corruptionẽ uidemus, & forsan breui multorum malorum diluuium sumus experturi, tandem aliquando renascentis ac crescentis ueræ pietatis & fidei incremẽta in multiplicatione fidelium ipsis oculis nostris cernamus, & cernentes in sempiternum exhilaremur.

Quare Noe tam diu uixerit.

Solet Deus ostendere læta illis, q̃ tristia sunt experti.

CAPVT X.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Hoc capite Moses generationes filiorum Noe exponit, quibus multipliciti totam terram repleuerunt.

Hæ sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Iapheth, natiq̃ sunt eis filij post diluuiũ. Filij Iapheth, Gomer, & Magog, & Madai, & Ianan, & Thubal, & Mosoch, & Thiras. Porrò filij Gomer, Assenes, & Riphat, & Thogorma. Filij autem Ianan, Eliza, & Tharsis, Cithim, & Dodanim. Ab his diuisæ sunt insulæ gentiũ in regionibus suis, unusquisq; secundũ linguam, & familias, in regionib. suis.

LECTIO.

Filij Iapheth, Gomer, &c.] Græcus inter filios Iapheth numerat Elizã, qui in Heb. hoc loco nõ habet. *Secundũ linguã & familias in regionibus suis.*] In Hebræo est בגוייהם, id est, in gentibus suis. Sic uertit & Græcus, ἐν τοῖς ἔθνεσιν αὐτῶν.

EXPLANATIO.

Quemadmodũ suprà cap. 4. & 5. cum historiã Adæ terminasset, generationes filiorũ eius subiecit, ita & hic Moses post absolutam historiam Noe, descendit ad describendas filiorum eius generationes. *Hæ sunt generationes filiorũ Noe*, inquit. Vbi dicit se generationes filiorũ Noe expositurũ, includit etiã

illorum nepotes. Neq; enim eos duntaxat ponit, qui nati sunt de filijs Noe, sed & horum filios subiicit. Rursus aũt filios Noe nominatim exprimit. Sem, inquit, Cham & Iapheth. Neq; id inconsulto facit, ut sciamus omne genus humanũ è trina hac ueluti radice post diluuiũ descendisse. Alioqui suspicari quis quam posset, natas fuisse Noe post diluuiũ etiã alios filios, quandoquidem adhuc 350. annos post̃ q̃ exiit arcam egressus, uixisse legitur. Quare ut omnis huiusmodi suspicionis tollerẽdi occasio, prudenter nomina filiorum Noe rursus exprimit, ubi generationũ illorũ positurus est catalogũ. Non autem ponit alios præter eos qui arcam fuerant cum patre ingressi, & egressi, Sem uidelicet, Cham & Iapheth.

Natiq; sunt eis filij post diluuium.] Interpres narrationis simplicitatẽ quæ in Hebr. est, non retinuit, cum dicit, Natiq; sunt eis filij. Nam quod in Hebræo est ילדו להם בנים, principium habet narrationis, titulo subiectũ, legendumq; est simpliciter ad hunc modum, Et nati sunt eis filij post diluuium. Rursus prudenter non simpliciter dicit, Et nati sunt eis filij: sed addit, Post diluuium, ne quis putet aliquam iam rum generationum partem cœpisse ante diluuium. Ergo cum arcam ingrederentur & egrederentur, non erat inter eos qui prolem aliquam haberet, sed omnis illorum posteritas aliena est à priore mũdo, utpote post diluuium demum nata.

Filij Iapheth, Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Thubal, & Mosoch, & Thiras.] Ordit à Iapheth, quod is natu maior fuerit, sicut infrà uidebimus. Adscribit huic quatuordecim animas, unde quatuordecim exortæ sunt gentes. Tribuit illi septem filios, & septem de duobus filijs nepotes. Quod latine legitur Ianan, legendum est Iauan. Est enim in Hebræo יוון, id est, Et Iauan. Græcus legit Iouan: Et quod nos habemus Mosoch, in Hebræo est משך, id est, Mæschech.

Porrò filij Gomer, Assenes, & Riphat, & Thogorma.] In Hebræo est אשכנז, id est Aschenas, Thogorma, legendum Thogarma.

Filij aũt Iauan, Eliza, & Tharsis, Cithim & Dodanim.] Cithim legendum Kithim. Hi sunt nepotes Iapheth, è Gomer & Iauan. De reliquis quinq; filijs Iapheth, Magog, Madai, Thubal, Meschech, & Thiras, quos habuerint posteros, non meminit.

Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, &c.] His uerbis significat Moses, quare generationes filiorũ Noe recensere uoluerit. Ob id uidelicet, ut indicaret, quomodo terra, & à quib. post diluuiũ repleri, diuidi, & inhabitari cœperit, perfectũq; sit illud q̃d Deus dixerat, Ingredimini terrã, & replete eam. Sic meminit insularũ gentiũ, quas posteri Iapheth inter se iuxta familias & linguas suas diuiserint, tribuitq; illis tertiã orbis habitabilis partẽ. Hanc certò determinare, & simul singulis posteris Iapheth singulas assignare regiones, post tot seculorũ decursum, quo nomina locorũ, regionũ & gentiũ multiones ac sic sunt mutata, ut in multis ne uestigia quidẽ priscorũ ac primorũ nominũ appareãt, à nemine posse præstari iudico. Cõmuniter diuidit orbis in tres partes, ueluti regionũ classes, Asiam uidelicet, Africã et Europã. An tribus filijs Noe ista sic cõpetat diuisio, ut Europa posteris Iapheth, Africa generationibus Cham, & Asia ijs cesserit, qui descenderunt de Sem, affirmare nẽ possum, ultra id quod in S. scripturis legitur, quæ certas quasdã regiones primis nominib. posterorũ Noe assignat: quale est quod Aegyptũ uocat Mizraim, & Aethiopiã Chus, unde colligi potest, eas regiones cũ aliquor finitimis, initio fuisse à posteris Cham occupatas & inhabitatas. Ne aũt lectorẽ prorsus hoc loco destituã, simul q̃ ne quid de meo temerè adferã, annotabo quid ueteres senserint, Iosephũ sequuti. Etenim quid attinet recentiorũ opiniones adferre in mediũ, quorũ alij & ipsi nihil tradunt q̃d nõ acceperint à ueteribus, alij coniecturis diuersis inter se dissident, quibus cordatus homo delectari non poterit.

Hieronymus itaq;, quoniã nihil reperit apud Iudæos & Christianos, q̃d probabilius imitari posit, Iosephũ sequutus sic scripsit: Iapheth filio Noe nati sunt septẽ filij, qui possederũt terrã in Asia, ab Amano & Tauro Syriæ Cœles & Ciliciæ montibus usq; ad fluuiũ Tanain. In Europa uerò usq; ad Gadira, nomina locis & gentib. relinquẽtes, è quib. postea immutata sunt plurima, cætera permanent ut fuerunt. Sunt aũt Gomer Galatæ, Magog Scythæ, Madai Medi, Iauan Iones, qui & Græci, unde & mare Ionium. Thubal Iberi, qui & Hispani, à quib. Celtiberi: licet quidã Italos suspicent. Mosoch Cappadoces, unde & urbs hodie apud eos Mazaca dicit. Porrò Sept. interpreres Caphorim Cappadocas arbitrant. Thiras Thraces, quorũ nõ satis immutatũ est uocabulũ. Scio quendam Gog & Magog tam de præsenti loco q̃ de Ezechiele, ad Gotthorũ nuper in terra nostra uagantiũ historiam retulisse: q̃d utrũ uerũ sit, præsij ipse finis fine monstrabitur. Et certè Gotthos omnes retrò eruditi magis Getas q̃ Gog & Magog appellare cõsueuerant. Hæ itaq; septẽ gentes, quas de Iapheth uenire stirpe memoraui, ad Aquilonis partẽ habitant. Filij Gomer, Ascanaz, & Riphath, & Togarma. Ascanas Græci Rheginos uocant, Riphath Paphlagones, Thogarma Phrygas. Filij Iauan, Eliza, & Tharsis, Cethim, & Dodanim. De Ionibus, id est Græcis, nascunt Eizei, qui uocant Aeolides: unde & quinta lingua Græciæ Aeolis appellat, quam illi uocant τὸ αἰολικὸν διάλεκτον. Tharsis Iosephus Cilicas arbitrat: unde & metropolis eorũ Tharsus appellat, Paulo Apostolo gloriosa. Cetim sunt Citij, à quib. hodie quoq; urbs Cypri Citiũ nominat. Dodanim Rhodij. Ita cũ Sept. interpretes transtulerũt. Hæc Hieronymus. QVAEST. I.

Quare ex septẽ filijs Iapheth duorũ tantũ generatiões ponat

Porrò filij Gomer, Assenes. Item, *Filij aũt Iauan, Eliza, &c.*] Poterit hic quæri, quare Moses ex septẽ filijs Iapheth duorũ duntaxat generationes posuerit, Gomer uidelicet & Iauan, præteritis reliquorũ quinq; posteris, quemadmodũ in filijs Sem q̃q; & Cham facit. Nam in filijs Cham tacet de posteris Phut. Et in filijs Sem nõ meminit generationũ Elam, Assur, & Lud. Nõ possumus ad hanc quæstionẽ sic respondere, ut dicamus eos de quorũ generationib. tacet, nullos esse cõsecutos posteros. Diuersum quippe restantur gẽtes illæ, quæ nominib. eorũ adhuc hodie uocant: utpote Medi & Thraces, ut Magog tacens

A de cuius posteris apud Ezech. legimus cap. 39. deinde & Assyrij, & Elamitæ. Quare dicendũ est, uel q̃ nomina eorũ qui nati sunt de Magog, Madai, Thubal, Meschech, Thiras, Phut, Elam, Assur & Lud, nõ fuerint inuẽta in archiuis, quib. usus est Moses, cũ ista scriberet, id q̃d tñ haud est uerosimile, uel q̃ solos præcipuos nominare uoluerit: id q̃d nostrorũ aliqui factũ esse putant, quorũ sententia aliquid uideꝛ habere probabilitatis, cui id adijciã. Non erat propositũ Mosis omnes omniũ generationes ad plenũ assignare, sed abũdè satis esse iudicauit, si quorundã præcipuorũ posteris memoratis, innueret: quib. terrarũ locis eorũ quoq̃ posteritas habitare cœperit, quorũ generationes nõ expressit. Vtpote, cũ indicat quæ gẽtes descenderint de Gomer & Iauan filijs Iapheth, ex illarũ regionibus facilè poterat tum tẽporis, cum ista scriberẽt, intelligi, ubi terrarũ habitarent posteri reliquorũ filiorũ Iapheth, quorũ nulla hic fit mentio. Tum, inquã, cũ ista scriberẽt, potuit hoc absq̃ ullo negotio sciri, nũc uerò nõ itẽ: sed utendũ est cõiectu-
ris, plerunq̃ nõ satis firmis. Quoniã Iaphetho tribuit Europa, cũ uicina quadã Asiæ parte, insulis uideli-
cet aliquot, & Gomer cum suis Aquilonares regiones, & maritima Oceani inhabitasse creditur (unde mi
hi uerosimile est, è Thogarma descendisse nomen Germaniæ, quicquid sit de populis toties mutatis. Si
cut enim Prænestinis gonia est ciconia, ita uideꝛ & hic detrita priore syllaba, q̃d omniũ est usitatissimũ:
& Thogarma mansisse nomen Garma, ac successu tẽporis cœpisse dici German, unde est Germania, p
Garmania) Deinde Iauan cũ suis partes aliquot & insulas Asiæ & Græciæ occupasse iudicaꝛ, ex horum
duorũ regionib. coniectura sumi potest, etiã reliquos filios Iapheth, Magog, Madai, Thubal, Meschech,
& Thiras unà cũ parẽte & fratrib. in hasce Europæ cõmigrasse regiones: qua cõiectura uti poterimus
etiam in posteris Cham & Sem, quorum nomina non sunt posita.

QVAESTIO II.

Quare prouincias continentis uocet insulas.

Ab his diuisæ sunt inſ. gent.] Cũ posteris Iapheth, de quib. hic Moses loquitur, cõmuni omniũ iudicio cesserit Europa, tertia pars orbis, in qua sunt Italia, Gallia, Germania, Dacia, Polonia, Hũgaria, Moschouia, & Thracia, regna scilicet potẽtissima, & in cõtinenti sita, quæritꝰ quare tam grandes & insignes cõtinentis regiões ac prouincias uocet insulas, siq̃dẽ insula cõmuni sensu terra appellaꝰ, quæ aquis undequaq̃ claudit. Si dixerimus id eã esse ob causam factũ, q̃ Europa partim Oceano, partim Mediterraneo mari, & Põto Euxino propè claditur, poterit eadẽ ratiõe totus etiã orbis insulæ nomine cẽseri. Nam ille uniuersus Ocea
no cingit. Quare dicendũ uideꝛ, nõ respexisse Mosen ad eũ orbis statũ, q̃ ipsius erat tẽpore: sed ad primor
dia occupatæ terræ, quib. illa inter posteros Noe diuidi cœperat, ut intelligamus gẽtes illas & familias
B Iapheth primũ occupasse insulas Europæ, quales sunt Anglia, & Scotia, & Sicilia, & consimiles aliæ, & q̃ in illis se tutius habituros putarẽt, donec multitudine in immensum aucta ampliores etiã regiones & prouincias occupare cogerent. Etenim potuisse eos uti nauigijs, ad traijciendũ in insulas, ex historia diluuij et factura arcæ credibile apparet. Nisi quis uoculam איים nõ pro insulis hoc loco, sed pro regio-
nibus ac prouinciis positam esse putauerit.

QVAEST. III.

Quare uocet eas insulas gentium.

Et illud quærendũ uideꝛ, quare uocet eas insulas gentiũ, cum nõ solũ de qui de Iapheth, sed & qui de reliquis duobus fratribus Cham & Sem descenderunt גוים, id est gentes, in scripturis uocentꝰ, demptis posteris Abrahæ, populo uidelicet Israelitarũ. Meo iudicio Moses posteros Iapheth, regionũ Occidenta
lium & Aquilonariũ incolas, uocat gentes, propterea q̃ remotissimis insulis, & uelut à corpore reliqui orbis diuisis, qualis est Anglia, cuius incolas poetæ uocant, toto diuisos orbe Britannos, habitare cœpe
runt. Solent enim aliquando in scripturis uocari גוים, id est gẽtes, illi præcipuè populi, qui sunt ei remo
tiores & alieniores. Sic aliquoties legimus de insulis gentiũ, illarũq̃ incolis quib. propheticæ literæ tri-
buunt, q̃ remoti sint, & securi habitent. Minaꝰ illis aliquando Dñs, q̃ sensuri sint iræ suæ potentiã, licet
longissimè disiri, et admodũ securi, itẽ ubi prophetæ regni Christi gratiã celebrantes de eo uaticinanꝰ,
q̃ sit in orbẽ uniuersum egressura, insularũ mentionẽ faciunt, ut Esa. 42. Cantate Dño, inquit, canticũ no
uum, laus eius in extremis terræ. Qui descenditis in mare, insulæ & habitatores earũ. Itẽ, Et laudẽ eius
in insulis nunciabunt. Et cap. 66. Mittã eos ad insulas longè, ad eos qui nõ audierũt de me, & nõ uiderũt
gloriã meam, & annunciabũt gloriã meã gentibus: ubi propheta manifestè non de uicinis, sed remotis,
populis loquitur, illosq̃ Gentes, & habitatores insularũ uocat. Ad hunc modũ arbitror & Mosen de po-
steris Iapheth hoc loco scribere, dum eos uocat Gentes, & incolatũ illorũ insulis adscribit. Quòd si cui
ista sentẽtia non probaꝰ, proximũ est, ut quod in Hebræo est מאלה נפרדו אריי הגוים, sic legatur: Ab his
diuisæ sunt insulæ harum gentium. Nõ emi simpliciter habet אריי גוים, id est, insulæ gentiũ, sed אריי הגוים,
q̃d legi potest, Insulæ harum gẽtium, ut litera ה, litera sit חידושה, id est, notificationis ac specificationis.

Ex Ezech. 39.

OBSERVATIO I.

Vtriusq̃ mundi primordia nõ humanis uirib. sed diuinæ benedictionis uirtute constant.

Nati sunt eis filij post diluuiũ.] Obseruandũ hic est, q̃ nõ modò Deus nullã filijs Noe sobolẽ dedit ante diluuiũ, aut in ipso diluuio, sed & Moses generationũ illorũ exordiũ ab illis ducit qui nati sunt eis post diluuiũ. Nõ cõtendo cũ quoq̃, habuerint ne filios ante diluuiũ, uel secus: sed obseruo, uoluisse Deũ, ut nulla illis esset soboles è priore mũdo damnatiõi ac maledictioni obnoxio, sed omnis illorũ posteritas demũ post diluuiũ fortireꝰ initiũ. Nõ inquiro in iudicia Dei per S. scripturas nõ expressa, sed considero, sic esse causam hanc diuinitus dispositã, ut humani generis multiplicatio nõ tribueretꝰ nisi uirtuti diuinæ bene-
dictionis, quæ statim est à diluuio restituta. Sic nec Adæ nata est proles, anteq̃ benedictionẽ multiplica-
tionis à Deo accepisset. Nõ sunt ista gesta fortuitu, sed quẽadmodũ cordato homini facilimè patet, singu
lari cõsilio Dei ad hunc modũ dispẽsata, ut utriusq̃ mũdi primordia diuina benedictione ad multiplica
tionẽ instructa redderentꝰ, ne q̃d utrobiq̃ naturæ tribuaꝰ uiribus.

OBSER. II.

Filij Iapheth, Gomer, &c.] Obserua hoc loco manifestũ indiciũ, q̃ deprehẽdere licet ethnicos poetas S.

Ethnicos poetas legisse sacras scripturas.

scripturas legisse, & in fabulas conuertisse. Latini ac Græci poetæ quoniã in ijs regionib. uixerunt, quæ à posteris Iapheth cesserũt, ea in S. scripturis receperũt, quæ ad generatiões Iapheth pertinẽt, tribuerũtq; illi quòd fuerit cœli ac terræ filius, et genuerit Prometheũ, qui terra aquis mixta finxerit homines. Hæc dere Ouidius lib. 1. Metamorph. ubi de primordijs generis humani canit, ad hunc modũ scribit:

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est, siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo:
Siue recens tellus se ductaq; nuper ab alto
Aethere cognati retinebat semina cœli,
Quam satus Iapeto mistam fluuialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.

Hæc ille: quibus de primordijs mundi poetica cõfusione scribit. Legit Deũ rerũ opificẽ initio creasse hominẽ è terra, & dubitans, quonam creationis huius uirtutẽ referret, hæsitanter loquit, & ea quæ de Iapheth uno ex patriarchis sequẽtis mũdi in scripturis reperit, cum prima hominis creatione cõfundit, & fabulosa narratione obscurat. Sunt & alia plerag; argumẽta, quibus iste Ouidius scripturas Mosaicas legisse deprehenditur: uerũ quæ ex illis in poemata sua transtulit, ethnica impietate ac superstitione deprauauit. Reperit historicas & simplicitate & antiquitate uenerandas: uerũ q̃d simplex ac clarũ reperit, poetica uanitate transformauit, imò deformauit.

OBSERVATIO III.

Terrã cœperunt homines diuisis inter se regionibus inhabitare.

Ab his diuisæ sunt insulæ gentiũ in regionib. suis, unusquisq; secundũ linguã & familias suas in gentib. suis. Scriptum quidẽ est, Terrã dedit filijs hominũ. Et suprà dixisse Deũ legimus, Ingredimini terrã, & replete eam. Verũ licet hoc loco uidere q̃ nõ confuse more bestiarũ, sed diuisis inter se regionib. terrã à Deo cõtam occupare inhabitareq; cœperint. Ea regionũ diuisio pulcherrimè faciebat nõ modò ad cõmodã & pacificã terræ huius inhabitationẽ, sed ad posteritatis etiã educationẽ. Quare turbatores sunt rerũ humanarũ, ac transgressores primæuæ huius diuisionis, qui uiolenta manu alienas regiones inuadũt, & incolas earũ auitis sedibus exturbant. Et hoc genus tumultuationis licet olim cœperit, inq; hodiernũ usq; diem durauerit, in postremis tamen temporib. uiolentius adhuc & grauius sæuiet, iuxta Christi seruatoris dictum, Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, sic ut orbis intra se collidi uideatur, donec tandem prorsus fine rerum omnium corripiatur.

Genus humanũ in tres principales familias diuisum.

Deinde & illud considerandũ est q̃d dicit, Vnusquisq; secundũ linguã suã, & familias suas in g e. Vide, quemadmodũ unicus orbis primũ in tres principales partes, deinde singulæ partes in regiones, prouincias & insulas: ita & genus humanũ post diluuiũ primũ in tres patriarchas, Sem, Cham & Iapheth, deinde singuli patriarchæ in familias & gentes sunt diuisi. Quod in se unicũ est, hactenus est diuisum ut lut in mẽbra, ut quatenus habitandi & cõuiuendi cõmoditas requirit. Nõ enim sunt à se inuicẽ diuisæ unius capitis gentes & familiæ, ut citra ordinẽ familiæ familijs confunderent, sed ut singulæ familiæ a gentes suis quasi mẽbris cẽiunctæ cõiunctu & regione habitationis à reliquis essent diuisæ. Interea manet sanguinis, generis, cognationis & originis propinquitas, qua uniuersæ totius orbis gentes quasi quodã uinculo connectunt, sic ut orbis uniuersus à gentib. inhabitet, fraterna cognatione coniunctis. Quantumuis enim Orientales ab Occidentalibus, & Meridionales ab Aquilonarib. immensis locorum sint spacijs diuisi, ac gentiũ uarietate diuisi, ab uno tñ patre descendentes, fraterno omnes sanguine sunt coniuncti. Quare inhumanissimi sunt, qui cõmercia regionũ quib. gentes gentib. innotescunt, & conuectus exterorũ perinde reijciunt, ac si de generis humani propinquitate secundũ regionũ distantiam, ac gentiũ diuisionẽ iudicari debeat. Mala diuisio est, qua quod erat unicè coniunctũ, sic separat, ut omnem pristinæ unitatis sensum & affectũ amittat. Nõ decet bonos uiros sic gentiũ ac familiarũ propagatiõe, seculorũ prolixitate, et regionũ distantia diuidi à fratribus, ut originis, naturæ, generis ac sanguinis oblituiscant, & omnẽ fraternæ cognationis affectũ exuant. Frater est hominis homo cuiusq; quilibet, siue sit Iudæus, siue Græcus, siue Turca, siue Italus, siue Gallus, siue Hispanus, siue Germanus. Quandiu durat sanguis paternus in posteris, tandiu durat etiã sanguis fraternus: & donec permanet in genere humano sanguis fraternus, meritò requiritur ut permaneat etiam cum sanguine fraterno fraternus sensus & affectus. Et permanet sanè, sed in pijs hominibus, qui ut conditorem omnium agnoscunt & obseruant, ita etiam germano sunt affectu erga quosuis humanæ naturæ consortes.

Filij aũt Cham, Chus, & Mesraim, & Phut, et Chanaan. Filij aũt Chus, Saba, Euila, & Sabatha, & Regma, & Sabathaca. Filij Regma, Saba & Dadan. Porrò Chus genuit Nimrod. Ipse cœpit potens esse in terra, & erat robustus uenator coram Domino. Ab hoc exiuit prouerbiũ, Quasi Nimrod robustus uenator corã Domino. Fuit autẽ principiũ regni eius Babylon, & Arach, & Archat, & Chalanne in terra Sennaar. De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuen, & plateas ciuitatis, & Chale. Resen quoq; inter Niniuen & Chale. Hæc est ciuitas magna. At uerò Mesraim

A Mesraim genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Neptuim, & Phetrusim, & Celluim: de quib. egressi sunt Philistijm, & Capturim. Chanaan autem genuit Sidonem primogenitũ suum, Etheum, & Iebuseum, & Amorreum, & Gergeseum, & Eueum, & Aracheum, & Cyneum, & Aradium, Samariten & Amatheum. Et per hos disseminati sunt populi Chananæorũ. Factiq; sunt termini Chanaan uenientibus à Sidone Geraram usq; ad Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, & Adamam, & Seboim usq; ad Lesa. Hi sunt filij Cham in cognationibus & linguis, & generationibus, terrisq; & gentibus suis.

LECTIO.

Et plateas ciuitatis, & Chale. Resen quoq; inter Niniuen.] Ista in exemplaribus græcis, Athenienſi uidelicet & Basilienſi desiderant, quod dubio procul negligentia factum est eorum, qui exemplari mendoso non satis considerate sunt inter imprimendũ usi. Videtur aũt quod in Hebræo est רחבת עיר ראת, & uersum, Et plateas ciuitatis, nomen esse ciuitatis separatæ, quod locum attinet: legendumq;, Et ædificauit Niniuen: &, Et Rahebath, Ir, & Chale.

At uerò Mesraim genuit Ludim.] Græcus reddidit in plurali, *καὶ μεσραὶμ ἐγέννησε τὸν λαδιείμ, καὶ τὸν νεφθαλιείμ.* id est, Et Mesraim genuit Ludimos & Nephthalimos, ut ita dicam, gẽtes uidelicet à Ludim & Nephthalim exortas. Mouit interpretem, quòd nomina ista filiorũ Mizraim terminant in im apud Hebræos: quæ terminatio numeri pluralis significationẽ habere solet. At eadem ratione debebat suprà reddere, Filij autem Cham, Chus & Mesraimi. Nam & illud nomen in im terminatur.

De quibus egressi sunt Philistijm.] In Hebræo est ad hunc modũ, אשר יצאו משם פלשתים: id est, Vnde egressi sunt Philistijm, ut referas ad proximè præcedentẽ בסלחים, quem Latinus uocat Celluim, Græcus *χασμωνιείμ*. Latinus interpres cũ dicit, De quibus egressi sunt Philistijm, ad omnes eos refert, quĩ præmittunt filios uidelicet Mesraim. Græc. sic uertit, *ὅθεν ἐξῆλθε φιλισθιείμ.* i. unde egressus est Philistijm.

Et Capturim.] Dubitat lector, an intelligat & istos egressos esse cum Philistijm, de præcedentibus fi-
B lijs Mesraim, nisi inspiciat Hebræa. Ibi habet כפתרים ראת, & in Græco, *καὶ τοὺς γαφθοριείμ.* unde liquet, Capturim pertinere ad numerum filiorum Mesraim, ut particula illa, De quibus egressi sunt Philistijm, per parenthesim sit inserta.

Et per hos disseminati sunt.] Hebr. est, ראחר נפצו, id est, Et pòst dispersæ sunt familiæ, &c. Sic & Græcus legit, *καὶ μετὰ ταῦτα διεσπάρησαν.*

In cognationibus & linguis.] In Heb. est, In familijs eorũ, in linguis eorũ, in terris eorũ, in gentibus eorũ. Quare q̃d latinus interpres habet, Et generationibus, de suo adiecit: quandoquidẽ in Hebræo nõ habet.

EXPLANATIO.

Secundo loco Moses generationes Cham recenset. Assignat aũt illi filios quatuor, Chus, Mesraim, Phut, & Chanaan. Deinde 24. nepotes ex trib. filijs. Ex Chus sex, Saba uidelicet, Euila, Sabatha, Regma, Sabathaca, & Nimrod. Ex Mesraim septem, Ludim, Anamim, Laabim, Neptuim, Phetrusim, Celluim, & Capturim. Ex Chanaan undecim, Sidonẽ, Etheum, Iebuseum, Amorrheum, Gergeseum, Eueum, Aracheum, Cyneum, Aradiũ, Samariten, Amatheũ. Tertiò pronepotes duos ex Regma, Saba uidelicet, & Dadan. Et præterea Philisteos. Summã ergo posteritatis Cham triginta patribus complectit, demptis Philisteis. Ex quib quæ fuit ortæ gentes, tradit Hieronymus. Chus Aethiopia est, Mesraim Aegyptus, Phut Libyæ. Chanaan terram obtinuit, quã postea Israelitæ Chananæis eiectis obtinuerunt. De filijs Chus sic annotat: Saba, à quo Sabei. Hemila Getuli, in parte remotioris Africæ. Sabatha, à quo Sabatheni, qui nunc Astabari nominant. Regma uerò & Sabathacha paulatim antiqua uocabula perdidere, & quæ nunc pro ueteribus habeant, ignorat. Filij Regma Saba & Dadan. Hic Saba per ש literam scribitur, suprà uerò per ס. Interpretant aũt Saban Arabiam. Nam in 71. psal. ubi nos habemus, Reges Arabum & Saba munera offerent, in Hebræo scriptũ est: Reges Saba primũ nomen per Sin, secundũ per Samech. Dadan gens est Aethiopiæ in Occidentali plaga. De Nimrod fuit aũt, inquit, principiũ regni eius Babel, & Archad, & Chalanne. Arach est Edessa, Archad nunc dicitur Nisibis: Chalanne uerso nunc nomine, Seleucia uocatur, uel ea est quæ nunc *κτησιφὼν* appellatur.

At uerò Mesraim genuit Ludim, & Anamim, &c.] De istis Hieronymus sic scribit: Exceptis Labaim, à quo Libyes postea appellati sunt, qui prius Phutei uocabant: & Chasiohim qui demceps Philistijm appellati sunt: cæteræ sex gẽtes ignotæ sunt nobis, quia bello Aethiopico subuersæ usq; ad oblionẽ præteritorum nominũ peruenere. Possederunt autem terram à Gaza usq; ad extremos fines Aegypti.

Et Chanaan genuit Sidonem primogenitũ suum, &c.] De Sidone notũ est q̃ ex illo prouenerint Sidonij, quorũ urbs est in Phœnice. Aracheus oppidũ Arcas cõdidit cõtra Tripolim in radicibus Libani situm. A quo haud procul alia ciuitas fuit, nomine Sim, nomẽ Cynei referẽs. Aradij sunt, qui Aradũ insulã posse derunt angusto freto à Phœnices littore separatã. Samarei, à quib. Edessa est nobilis Syriæ Cœles ciuitas. Amath usq; ad nostrũ tempus ram à Syris q̃ ab Hebræis, ita ut apud ueteres dicta fuerat, appellat. Cæterũ notũ est in scripturis quæ fuerint reliquiæ gentes Etheorũ, Iebuseorum, Amorreorum, Gergeseorum, & Eueorum,

Factiq;

Factiq; sunt termini Chanaan uenientib. à Sidone Geraram, &c.] Notæ sunt ciuitates Sidon, Gerara, Gaza, Sodoma, Gomorrha, Seboim, & Adama. Lesa uerò ea ciuitas est, quæ nunc Callirhoe dicit, ubi aquæ calidæ prorumpentes in mare mortuũ defluunt. Hactenus ex Hieronymi scriptis annorauimus, quæ sint istæ gentes quæ à Cham filio Noe descenderunt. Manifestum aũt est ex quatuor filijs Cham, ceciderunt illorũ posteritati eam orbis partem, quam uocamus Africam, unà cum Aegypto, Palæstina, & Arabia Aethiopiam Arabiæ includimus. Redeamus nunc ad contextum.

Porrò Chus genuit Nimrod.] Ipsa tyrannis, quæ de hoc Nimrod prædicat, satis admonet, qua ratione Moses separatim cõmemoret, q; Dhus genuerit etiam Nimrod, cum posset hunc in catalogo reliquorũ filiorum Chus recensere, ac dicere: Filij Chus, Saba, Euila, Sabatha, Regma, Sabarhaca, & Nimrod. Quoniã facturus erat mentionẽ potẽtiæ ac tyrannidis Nimrod, separatim illi narrationem destinauit.

Ipse cœpit potens esse in terra, & erat robustus uenator coram Domino.] Pertinent ista ad tyrannidẽ Nimrod. Non dicit, Ipse fuit potẽs: sed, Ipse cœpit potẽs esse in terra, ut admoneat hunc primũ fuisse qui post diluuiũ potentiã ac uim in terra inter homines exercere cœperit. Addit, Et erat robustus uenator coram Dño. Quidã intelligunt de uenatione ferarũ ac sæuarũ bestiarũ, quas Nimrod ueluti primus Herculeo robore corporis tanq; Gigas cõfecerit ac deleuerit, eamq; ob causam Dño placuerit, ac iudicant sic intelligendũ quod legit לפני יהוה, id est, coram Dño. Et Græcus interpres uertit, οὗτος ἦν γίγας λαμπρὸς, id est, Hic erat Gigas ducens canes. Non cõtenderim hac de re cum quoquã, fuerit ne Nimrod uenator ac domitor bestiarũ, uel secus. Illud tñ certũ est, fuisse eũ regẽ ac tyrannũ. Nam regnũ illi adscribit, cuius principiũ fuerit Babel: unde apparet, fuisse illũ autorẽ ædificandæ ciuitatis ac turris Babel: qua de re sequenti cap. uidebimus. Probabile quidẽ est, fuisse eum & bestiarũ & hominũ uenatorẽ: uerũ spiritus Mosheus ad tyrannidẽ regiam, q; ad bestiarũ uenationẽ respexit. Et usitatũ est in scripturis, ut principes tyrannidem exercentes uenatores uocent. Sic Dauid psal. 91. Ipse liberauit me de laqueo uenantiũ. Et 124. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo uenantiũ. Et Ezech. 32. Ibi principes Aquilonis omnes, & uniuersi uenatores, &c. Et populus Israel in captiuitate cõstitutus lamentat, dicens, Venatione ceperũt me quasi auem. Thren. 3. Erat igit Nimrod primus rex post diluuiũ potentia sua opprimens homines: idq; adeò impiè & improbè, ut uim suã absq; ullo respectu ac timore Dei palàm exerceret, tanq; rebellis & impius, q; sensu uidet hic adiectũ, Coram Dño, quæ particula exaggerationẽ habet tyrannidis, & manifestæ rebellionis emphasim. q. d. Vsq; adeò uenationẽ tyrannicam palàm et impudẽter exercuit in terra, ut ne Dei quidẽ ullã haberet rationẽ ac reuerentiã, ascẽderetq; illius uis & iniqtas in cõspectũ Dñi.

Ab hoc exiuit prouerbiũ, Quasi Nimrod robustus uenator co. Do.] Prouerbiũ hoc nõ à Nimrod, sed de Nimrod ortũ suũ ab illis accepit, qui tyrannidẽ illius uel fuerant experti in se, uel in alijs obseruarant. Quare legendũ nõ est, Ab hoc: sed, De hoc. In Hebræo est על בן יאמר, id est, Propterea dicit: uel, dictũ est, sicut Nimrod robustus uenator corã Dño. Sic solebant dicere, ubi uidebant aliquẽ exercere tyrannidẽ & oppressionem hominum. Est hic alter Nimrod, robustus uenator coram Domino. Sequitur uestigia primi tyranni Nimrod.

Fuit autem principium regni eius Babylon & Arach, &c.] Dicuntur ista per anticipationem. Sequenti capite uidebimus quomodo sint facta. Interea præmonemur, quò debeamus ea referre, quæ lecturi sumus de ciuitatis Babel ædificatione.

De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuen, &c.] De terra Sennaar egressus est Assur. Nõ possumus reperire aliũ Assur, quàm eum qui infrà numerat inter filios Sem. Epiphanius aduersus hæres. lib. 1. dicit hunc Assur fuisse filiũ Nimrod. Haud tñ indicat, unde hoc colligi possit. Facit huius mentionem hoc loco Moses, per occasionẽ primarũ ciuitatũ, Babel, Arach, Archat & Chalanne, quas Nimrod cõstruxit: quibus etiam exordiũ magnæ ciuitatis Niniue cum autore suo subijcere uoluit. Quando aũt Assur, & quare egressus sit de terra Sennaar, hic quidẽ non exprimit, uerùm infrà cap. sequenti satis argumenti datur, unde intelligamus tum esse Assur de terra Sennaar egressum, cum esset labium uniuersorum in uarias linguas diuisum: ob quam causam omnis illa multitudo posteritatis Noe in uniuersam terram à se inuicem est diuisa ac dispersa.

Illud, Hæc est ciuitas magna, referendum est non ad ciuitatem Resen, sed ad Niniuen, cuius amplitudo memoratur in scripturis, ut Ionæ 3. ubi legitur, Et Niniue erat ciuitas magna itinere triũ dierũ. Citat autem Lyranus Eusebium, qui dicat, Assur hunc ædificasse ciuitatem, quæ longo pòst tempore uocata sit Niniue, à Nino primo rege Assyriorũ, durasseq; regnũ illud per mille ducentos, & 40. annos.

Illud, De quibus egressi sunt Philistini, bifariam exponit. Alij referunt ad ortũ generationis, quasi ex Celluim nati sint Philistini: alij ad migrationem, quòd Philistei migrando exierint ab illis gentibus: quemadmodum de Assur dicitur, quòd de terra Sennaar sit egressus, unde tamen colligi non potest, quòd natus sit de terra Sennaar.

Factiq; sunt termini Chanaan, &c.] Particulam hanc Moses propter Israelitas diligentius ponit, quoniam in hanc erant Cananæorum terram introducendi. Ideo terminos illius describit. Sidon ad Aquilonem, Gaza est ad Meridiem. Hinc ad Sodomam uersus Orientẽ protẽdebatur: deinde ad Lesam, quam Hieronymus putat esse Callirhoen, sicuti suprà memini, alij nominant nunc Cæsaream Philippi, sitam in tribu Dan. Sed ista in tabula Cosmographica melius uideri possunt.

QVAESTIO.

Chanaan autem genuit Sidonem, &c.] Quæsierit hic quispiam, quomodo quæ de Chanaan hoc scribuntur, maledic-

tur, maledictioni conueniant, qua suprà à Noe maledictus fuisse cõmemoratur. Maledictus, inquit, Chanaan, seruus seruorũ erit fratribus suis. At mirũ uidetur, quomodo maledictus fuerit, cum in tantã posteritatis multitudinẽ excreuerit (tribunt enim illi undecim filij: unde & undecim sunt prognatæ gentes) & præterea optimam orbis partem possederit, de qua multi sentiunt, quòd in illa fuerit paradisus. Omnino usquequaquè erant regiones illæ felices & eximiæ, ut destinatæ essent & populo & nomini Dei. Videntur ista ad benedictionem pertinere magis quàm ad maledictionem: & ad dominium potius, uel libertatem saltem, quàm ad seruitutem. Quòd si considerentur sortes, quæ cõtigerunt Sem & Iapheth, omnino euentus utrinq; uidentur nec huius maledictioni, nec illorum respondere benedictioni.

Ad hanc quæstionẽ respondemus ex psal. 72. Ingrediendũ erat pijs hominibus, qui tum uiuebant, in sanctuaria Dei, & consideranda impiæ nationis non præsentia, sed nouissima. Quemadmodũ enim David prosperitate, pace, ac felicitate impiorum tentatus, cum fortunas et fastum eorum recensuisset, in eo laborabat, ut causam horũ cognosceret, donec in sanctuaria Dei ingrederet, & nouissimum eorũ intelligeret, quomodo posuerit eos Deus non in perpetuam stabilitatẽ, sed in lubricum, esset; eos prostraturus ut interirent, ac uastaturus, ut subitò deficerent, terroribus; consumerent: deniq; imaginem eorũ contemptam, ac ueluti somniũ euigilantis redderet, ita planè credibile est, fuisse pios homines in posteritate Sem tentatos, ubi uidebant fortunas Chanaan, insolentiam & fastum, ut mirũ uideretur, quomodo ista maledictioni conuenirent, quam illi Noe inflixerat, donec adesset tempus, quo tandem uastaren tur Chananæi, & seruituti subijcerent. Ista posteris facta sunt manifesta per experientiam, unde palàm est factum, sic solere Deum impijs & maledictis hominibus maledictionis sententiam dispẽsare, ut ali quandiu uideantur benedicti ac fortunati: pios uerò ac benedictos sic tribulationibus & aduersis euentibus exercere, ut respectu maledictorum & impiorum uideant ipsi & maledicti & impij. Quare non possunt huiusmodi quæstiones efficacius declarari, quàm si nouissima impiorũ considerentur. Oportet impios suam adimplere mensuram: qua adimpleta, declaratur diuinitus, fuisse illorũ fortunas nõ perpetuas, sed caducas & fluxas, & minas maledictionis quantumuis dilatas & in dubium tractas, omnium extitisse ueriss imas. Etenim & hic uerum est uulgare illud, Quod differtur, non aufertur. Cum Israelitæ terram Chanaan deletis omnibus illius gentibus ingrederentur, tum sanè manifestabat, ueram esse maledictionis sententiam ab ipso Noe aduersus Chananæos prolatam.

Mali perpetuò bonis immixti in hac uita.

OBSERVATIO I.

Filij aũt Cham, Chus, Mesraim, &c.] Quoties filij Noe cõiunctim nominant, siue à Sem siue à Iapheth recẽsendo inchoetur, perpetuò medius inter duos fratres pios ac bonos Cham impius ac reprobus recensetur: qua in re imago quædã obseruanda est, qua tum est adumbratũ, quæ esset futura ecclesiæ sors. Ea uidelicet, ut in medio ipsius inter pios ac bonos perpetuò sint impij Chamitæ degeneres ac falsi fratres, perinde atque zizania in medio tritici, quo simili & Christus ipse ad hoc est usus, ut discipulos suos hac de re præmoneret, ne si improuidi sortem hanc Ecclesiæ Dei experirent, offenderent ac resilirent. Et incõmoditas ista durabit in Ecclesia Christi ad finem usq; mundi, tumq; demũ cessabit, quando angeli à facie Domini egressi separabunt malos de medio iustorũ, ac mittent eos in caminũ ignis. Quid igit rum est, q; passim in Ecclesia Dei occurrunt Chamitæ falsi ac degeneres fratres? quos satan nõ extremis, sed ipsi gremio fideliũ immiscuit, quo facilius totũ corpus inficiant. Nec mysterio caret, q; falsus hic frater, medius inter filios Noe numeratus, cum ætate sit iunior. Antiquior namq; est sementis piorũ, quàm zizania à satana postea iuxta parabolam Dominicã interiecta. Quanquã hodie improbissimè contendunt aduersarij ac luctant, ut quod post sanam est Euangelij doctrinã introductũ, antiquitatis nomine uenditetur, & authoritas Chamitarũ primatũ obtineat. Accedit & illud, q; degener ac reprobus frater Cham uocat, id est calidus ac feruens. Sem & Iapheth respectu illius frigere uident. At ille seruorẽ suũ ad contemptũ patris, & nequitiã germano filio indignã transferens, imaginẽ gessit Iudæ, proditoris, ad perficiendam proditionẽ nimiũ feruentis, cui reliqui Apostoli cõparati, frigidi uidebant, & somnolẽti. Verũ seruor iste Chamitarũ nec de firmitate, nec iusta dilatatione gloriari poterit: quæ duo ecclesiæ Dei in pijs sunt reseruata, ut competẽter reliqui duo filij Noe tanquam piorum imagines, Sem & Iapheth, id est positio ac dilatatio uocent.

Cham iunior.

Cham feruens.

OBSERVATIO II.

Porrò Chus genuit Nimrod. Ipse cœpit potẽs esse in terra, & erat robustus uenator corã Domino. Ab hoc exiuit prouerbiũ, Quasi Nimrod robustus uenator corã Domino. Fuit aũt principiũ regni eius Babylon, & Arach, & Archat, & Chalanne in terra Sennaar.] Cõsideremus hoc loco singularẽ tyrannidis imaginẽ in eo qui primus fuit tyrannus post diluuiũ. Principio, ipsum nomen Nimrod tyrannidi erat conuenientissimum. Sonat enim præuaricatorẽ, contumacem ac rebeliẽ. Nemo tyrannidẽ exercere poterit, uisi iura æquitatis præuaricetur, & contumax rebellisq; fiat cùm aduersus Deum, tum contra homines. Erat itaq; nomẽ hoc Nimrod haud quaq; fortuitu isti homini tributum, siue sit hoc à parentibus statim post nattuitatem, siue postea ab alijs factum, cum se talem ostendere cœpisset, cuius facta hoc nominis mererent. Legitima potestas quæ à Deo tradita est, non reddit hominem præuaricatorem ac rebellẽ, sed æqui ac recti seruantẽ, & iustitiæ legibus subditos moderantem. Tyrannis uerò & præuaricatrix est, & rebellis. Quare uel ex hoc nomine uidemus quid discriminis sit inter legitimam potestatẽ & tyrannidem. Tyrannus est, qui cuncta suapte libidine ac temeritate metiens aduersatur & Deo & hominibus, omnesq; æquitatis & iustitiæ leges infringit, ut rectè uocetur Nimrod, præuaricator & rebellis. Legitimus magistratus est, qui potestatem à Deo acceptam legitimè & utiliter administrat.

Singularis imago tyrannidis.

Dei de

Quomodo & quando exoriatur tyrannis.

Deinde in eo quod dicit, Ipse cœpit potens esse in terra, considerandum est, quòd non simpliciter dicit, Ipse potens fuit: sed, Ipse potens esse cœpit in terra. Antequam multiplicatũ esset genus humanum, non exurgebat tyrannis: uerùm ubi creuisset multitudo mortaliũ, creuit simul & malitia, propter quam factum est iudicio Dei, ut oriretur tyrannis qua ueluti flagello quodam corruptio mortalium castigaretur. Sic Nimrod iste cum posteri Noe multiplicati iam essent & à pietate paterna deficerẽt, nec ullum numinis & æquitatis rationẽ haberẽt, unà cũ illorũ malitia malus & ipse paulatim excreuit, & tyrannidem exercere cœpit. Admonemur hoc exemplo, unde tyrannis exurgat. Corruptio mortalium & causa est & mater omnis tyrannidis. Causa, propterea quòd tyrannidis flagellum meretur. Mater, eam obcausam, quòd ex sese tales homines gignit, qui tandem tyrannidem molianẽ. Posteri Noe, si manifiesti in obedientia & disciplina Noẽ patris ipsorum, nullam dedissent causam tyrannidi, nec tyrannum aluissent. Verùm ubi multiplicati & insolentes facti, à pietate & obedientia paterna deficiebant, iritarunt aduersum se Deum, ac dignos sese reddiderunt, qui tyrannũ pro parente sortirentur: deinde in ipso corruptionis, malitiæ, præuaricationis, cõtumaciæ ac rebellionis suæ gremio Nimrodum istum, hominem malum, præuaricatorem, contumacem ac rebellem merito suo maluerunt & educarunt. Huius rei multa licet in historijs uidere exempla, in quib. perinde atq; hoc præsenti perspicuè cernere licet, unde oriantur tyranni.

Tertiò & illud est obseruandum, quòd non dicit, Iste cœpit esse iustus in terra: sed, Iste cœpit esse potens in terra. Iustus erat Noe. Huius iustitia in posteris crescente illorum multitudine haud crescebat, sed decrescebat: crescebat uerò malorum potentia, quam crescens merebatur iniquitas.

Quartò, etiam hoc considera. Non dicit, Iste cœpit esse potens in familijs suis: sed, Iste cœpit potens esse in terra. Aliàs unicuiq; familiæ ordine naturali ac legitimo is præerat, qui illius erat pater et caput, cui etiam competebat authoritas illam gubernandi, instituendi ac tuendi. Sic Sem donec uixit, pater erat & caput familiarũ à se descendentium: quemadmodum & Iapheth eorum qui ab ipso erant prognati. Huiusmodi authoritas & potestas erat domestica & naturalis. At Nimrod nõ contentus paterna potestate in suos, si quos habuit, sed factus est eadem temeritate & rebellis aduersus autoritatem Noe patriarchæ & potestatis alienæ uiolẽtus usurpator. Hoc scilicet est quod dicit Moses, Iste cœpit potens esse in terra. Non enim loquitur de potentia domestica, sed de tyrannide, qua sibi ad se nõ pertinentes uiolenter subiecit, ac uim in terra contra omnem æquitatem in quosuis exercuit. Hæc itaq; sunt prorsus mordia tyrannidis & iniustæ potentiæ, qua imperium in alienos, eosq; inuitos, nec ullo iure subiectos ab omnis æquitatis præuaricatoribus usurpatur.

Tyrannis uenationi cõparatur.

Quintò, Et erat, inquit, robustus uenator. Primùm, uidemus hic tyrannidem comparari uenationi: deinde adiungi etiam potentiam. uenatio multis modis perficitur, laqueis, reti, foueis, improbis indagationibus, canibus, & exagitationibus: quare requirit hominem non solum durum, sed & uafrum, & astutũ, deniq; propositi tenacem. Ad eum planè modum qui homines, prædia, ditiones, & regna uenantur comparatos esse oportet, ut sint immites, crudeles, uafri ac subdoli, omnisq; generis fraudib. & astutijs, quasi laqueis ac foueis, instructi, ac præterea indefessi ac pertinaces in proposito. Hisce artibus cõiungit potentia, qua quod dolo nõ potest, uiolentia obtineatur. Non est opus ut ista per exempla declarentur, quomodo legibus iniquis uiolentia coniuncta tyrannidem perficiat, cum res ipsa sit hoc præsertim seculo omnium manifestissima.

Tyrãnis plerũq; impia est aduersus Dominum.

Sextò, notandũ est, quod ait, Corã Dño: qua particula tyrannidis perstringit impietas, erigẽs se aduersus eum qui omnium est potentissimus, & unde est, quicquid uspiam est potentiæ. Quo quisq; potentior est, hoc cõueniebat esse diuinæ maiestatis obseruantiorem. Verùm ita uidetur esse in fatis, ut potentes in terra ferè omnes cœlestis potentiæ contemptũ spirent. Quis eñ credat eos esse obseruantes Dei, quando præter fas & æquum propria libidine metiuntur omnia? ubicunq; uideris potentiam ac multocentum uenationem coniungi, ibi ne dubites omnem iustitiæ, æquitatis, & cœlestis quoq; numinis regnare contemptũ, quantumuis à plerisq; uel superstitio ac cultus defendant, uel religio uera simuletur.

De successiõe tyrannorum.

Septimò. Ab hoc, inquit, exiuit prouerbium, quasi Nimrod robustus uenator coram Domino. Obseruandum est, unde natum sit hoc prouerbium. Ab hoc, inquit, exiuit prouerbium. Si Nimrod solus mãsisset tyrãnus in terra, nec ullos habuisset sectatores, nõ fuisset, puerbio isti locus. Rectè quidẽ dici potuisset: Nimrod robustus est uenator: at, quasi Nimrod robustus coram Domino uenator, non itamine existente, qui alter Nimrod, uel quasi Nimrod dici mereretur. Natum est aũt hoc prouerbium illis temporibus, durante adhuc memoria Nimrod, uel forsan eo adhuc in uita existente, ut dictum sit quasi Nimrod robustus uenator coram Domino. Consequitur itaque fuisse homines reprobos, qui uestigia Nimrod sequẽtes tyrannidem in terra exercerent & ipsi, de quibus dictum sit, Quasi Nimrod robustus uenator coram Domino. Admonemur ergo hoc prouerbio de successione tyrannorum. Quicquid de primo tyranno factum sit, non defuerunt qui uestigia illius sectarentur. Vbi mores publici corrupti sunt, ac uera inclinauit religio, citius emergunt decem tyranni, quàm unus legitimus princeps uel magistratus. Deinde uidemus etiam in hoc prouerbio, non solum fœcundos esse tyrannorum ortus, sic, ut licet præcedens uel fulmine feriatur cœlitus, uel cruenta morte cadat (Est etenim indignum pereant ut ficca morte tyranni) confestim tamen exurgat alius, sed & usq; adeò similes sibi inuicem esse tyrannos, ut subsequens propter morum similitudinem præcedẽtis nomen publico accipiat prouerbio, perinde ac si præcedens in successore reuixerit. Cogitemus hoc loco quæ ut rerum humanarũ miseria & infelicitas,

Ortus tyrannorum fœcundi.

Consimilitas tyrannidis.

Infelicitas rerũ humanarum.

Noe

A Noe uir iustus ac pius tantũ in omni sua posteritate obtinere potuit, ut prouerbio fieret locus, quo diceretur: Quasi Noe uir iustus coram Domino. Non dico, quòd nemo fuerit iustus in posteris Noe, sed quòd iusticia illius non abierit in prouerbium, siue quòd parem nõ fuerit sortitus ex posteris, siue quòd nulla haberetur uulgo iusticiæ ratio. Nimrod uerò uir impius ac tyrannus usqueadeò sectatoribus non est destitutus, ut nomen ipsius propter cõsimilium successionem prouerbio transierit ad posteros, & ne in hunc quidem usq; diem tot seculorum decursu obliuione sepeliri potuerit: tanta uidelicet omnibus est seculis tyrannorum inuicem sese interrupta successionis serie excipientium fœcunditas, & Nimrodianæ tyrannidis conformitas. Quare parum firmè probant, quod uolunt, qui ut Romanæ sedis authoritatem in ecclesia Christi tueantur, admodum urgent indesinentem Romanorum episcoporum successionem, quasi nõ sit in hoc seculo facilius, ut continua personatorum episcoporum successione, sic peccatis nostris promerentibus, grauetur ac prematur Ecclesia, quàm ut ueris episcopis inuicem sibi succedenti bus ritè pascatur & regatur. Gloriãtur de successione apostolorũ, maximè Petri ac Pauli. Verùm detur ex omni illorũ catalogo, de quo uero & indubitato prouerbio dici possit, Quasi Petrus: uel, Quasi Paulus fidelis Apostolus corã Domino. Reperias inter eos, qui maluerint Romanos referre Iulios, quàm aliquem ex Christi Apostolis. Est itaq; planè ridiculum, immò admodum impudens, quod de irremissa apostolorum successione gloriantur, cum inter ipsos & Christi apostolos tanta sit dissimilitudo, ut citius referant manifestos Nimrodos & apostatas, quàm ueros Christi Apostolos. Minuta cõmemoro, non quòd grauiora ignorem, sed quòd animo abhorream ab iniquitatis huius mysterio, quod olim tectum, nunc est tandem patefactum.

Infelicitas rerũ humanarum.

De successione Rom. episcoporum.

Octauo. Fuit autem principium regni eius Babylon.] Primũ obserua, quod tyrãnidem Nimrod scriptura uocat מרדלה, id est, regnũ. Licet hoc exemplũ uidere, quo principio exorta sit regia maiestas. Nimrod erat גבור uir potẽs ac robustus. Robore ac potẽtia corporis præstãtior reliquis existẽs, paulatim ab initio partim metu, patim studio gratificandi obseruari cœpit, unde dominandi occasionẽ nactus monarchiam usurpauit, atq; ita regnũ obtinuit, hoc est, quos potuit uoluntati ac potentiæ suæ seruiliter subiecit. Sic Nimrod homo impius ac uiolentus monarchiã, regnum ac tyrannidem nõ electione populari, sed potentia ac robore obtinuit & coniunxit. Natura quidem sic est cõparatum, ut non inter animantia modò, sicuti leones, sed & inter homines primatũ obtineant, qui reliquis sunt robore ac potentia præstantiores: uerùm plurimũ refert, quibus uijs regnũ acquiratur, malis ne artibus, ambitione, aut uiolentia: ut imperetur inuitis, uel uoluntate & electione subditorũ: deinde quomodo regatur, sola ne propriæ uoluntatis libidine, uel iusticia & æquitate. Quoniam autem plerunq; euenit, ut magis libidine ac temeritate arbitraria, quàm ex æquo & iusto regatur, factum est apud Romanos, cum liberi essent, ut nihil minus ferrent quàm dominatũ regiũ, cœperuntq; monarchæ ac reges uocari tyrãni, sic ut ea uox uulgo nihil aliud sonaret quàm monarchã, principem ac regẽ. Interea tamen fatendũ est omniũ esse non præstantissimũ modò, sed & cõmodissimũ gubernationis genus, si regia potestas cadat in uirum bonum, itẽ quàm si rex sit homo malus, iniquus, potens, stultus & impius, cuius regnum haud dissimile est regno Nimrod, tum destinatum mortalibus, quando peccata nostra non paternæ gubernationis clementiam, sed sæuæ tyrannidis merentur uiolentiam, qua de re uidere est 1. Sam. 8.

Quòd tyrannis Nemrod uocatur regnum.

Regia potestas omniũ est præstantissima, si cadat in uirum bonum.

B Deinde notandum est, quòd principium regni Nimrod fuit Babylon. Babylon confusionem significat, sicut uidebimus capite sequenti. Pertinet & hæc particula ad considerationẽ tyrannidis, qua admonemur unde dominiũ huius mundi constet. Neq; enim præter singulare mysterium factũ est, quod principium tyrannici regni fuit Babel, ciuitas confusionis, in qua quod fuerat unitũ, à se est inuicem diuisum & confusum. Regnum Dei regnũ est consensionis, pacis & unitatis. Nam Deus ipse nõ est dissensionis, sed pacis 1. Cor. 14. & regnum huius mundi, in quo princeps est satan, usqueadeò confusionis est regnũ, ut è confusione sit natum, & confusione cõstet. In regno Dei cuncta sunt omniũ conuenientissimè ordinata. Ibi enim uoluntate ac spiritu Dei omnia gubernantur, inferiora supremo capiti cohærẽt, & inter se cõnectuntur: regnat iusticia, bonitas, fides ac ueritas. in regno mundi spiritu satanæ turbantur ac confunduntur omnia, regnat uis, iniquitas, fraus, perfidia, malicia, ac mendaciũ: & quæ unita esse debebant, à se inuicem diuelluntur: coluntur detestanda, respuuntur amplexanda: timentur non timenda, timenda contemnuntur: cohærent diffiungenda: creduntur nõ credenda, credenda non creduntur: uera pro falsis, falsa pro ueris habentur: bonũ malum est, malũ bonũ: lux tenebræ, tenebræ lux. In summa, secundũ principium regni huius confusa sunt omnia. In hac cõfusione regnat Nimrod, præuaricator ac rebellis, persequutionem patiuntur sancti, & florent impij. Hæc ciuitas confusionis ac Deo rebellatrix, non solum orbem tyrannide sua afflixit, sed & populum Dei in captiuitatẽ abduxit, ac tamdiu detinuit, donec tandem ultione diuina percussa uastaretur ac conculcaretur.

Principium regni Nimrod Babylon.

Dum ista consideramus, facilè intelligimus, quare Ioannes in Apocalypsi Romã uocarit Babylonẽ, sicuti uidere est cap. 14. 16. & 18. Ne quis aũt nostrã hãc dicat esse expositionẽ, audiat primũ Tertullianũ, deinde & Hieronymũ. Tertull. aduersus Marcionẽ lib. 3. Sic & Babylon, inquit, apud Ioannẽ nostrũ Romanæ urbis figura est, magnæ & regno superbæ, ac sanctorũ Dei debellatricis. Hæc ille. Hieron. in præfatione libri Didymi de spiritusancto ad Paulinianũ: Cũ in Babylone uersarer, inquit, & purpuratæ meretricis essem colonus, ac Quiritũ iure uiuerẽ, uolui aliquid gatrire de spiritusancto, & cœptũ opusculũ eiusdem urbis Pontifici dedicare. Et ecce olla illa, quæ in Hieremia posti baculũ cernitur à facie Aquilonis, cœpit

Roma Babylon.

nis,cœpit ardere,& pharisæorum conclamauit senatus,& nullus scriba in eis fictus,sed omnis quasi in-
dicto sibi prælio doctrinarũ aduersum me imperitiæ factio coniurauit. Ilico ego uelut postliminio Hie-
rosolymam sum reuersus:& post Romuli casam, & luporum Lupercalia,diuersoriũ Mariæ & Saluato-
ris speluncã aspexi.Hæc ibi.Et ad Marcellam de laudibus Bethlehem:Et hic puto locus,inquit,sanctior
est Tarpeia rupe,quæ de cœlo sæpius fulminata,ostẽdit quòd Domino displiceret.Lege Apocalypsim
Ioannis,& quid de muliere purpurata & scripta in eius fronte blasphemia,septẽ montibus, aquis mul-
tis,& Babylonis cantetur exitu,cõtuere.Exite,inquit Dominus, de illa populus meus, & ne participes
sitis delictorũ eius,& de plagis eius ne accipiatis.Fugite de medio Babylonis, & saluate unusquisq; ani-
mam suam.Cecidit enim cecidit Babylon magna,& facta est habitatio dæmonum,& custodia spiritus
immundi.Hæc illic.Est itaq; Roma Babylon,principiũ regni Nimrod,Antichristi uidelicet,urbs con-
fusionis ac tyrannidis,non solum orbis domina, sed & aduersatrix Dei ac persequutrix sanctorũ, ebria
sanguine fidelium ac martyrũ Iesu Christi, quã Hieronymus & uoce spirituſsancti ex Apocalypsi cita-
ta,& suo ipsius exemplo fugiendã ac deserendã esse docet omnibus illis,qui pertinent ad populũ Dei,&
alieni esse cupiunt à plagis illius.Eant nunc Romani, & satisfaciant Hieronymo à quo deserti fuere,ci
nondũ ad ista maliciæ &confusionis fastigia peruenissent,quæ nunc summa cũ impudentia obtinent,ut
cordato uiro mirũ uideri nõ debeat, quod tandem cognita ueritate Babylonẽ hanc exiuimus, & nos à
regno Nimrodico subduximus, cuius casum & interitũ breui non sine grandi stupore uisurus est orbis.

Quod Babel deputatur terræ Senaar.

Nonò,& illud obiter notandum est, quod principium regni Nimrodici Babel uidelicet cum adiacẽ-
tibus ciuitatibus Arach,Archad,& Chalanne,deputatur terræ Senaar.Sonat aũt Senaar excussionẽ,
ut terra Senaar terra sit excussionis:unde sic dicta, quòd posteri Noe, cum illò ueniſſent, ac in multi-
tudinem excreuissent,iugum ac timorẽ Dei excusserunt.Saadiam inde hanc uocem deducit,quòd in ea
terra uiri diluuij mouerí ac crescere cœperint.נער שם מבני,inquit,id est quoniam adoleuerunt ac cre-
uerunt ibi. *Si priorem sensum receperimus*, admonemur quid uocari debeant ea loca, in quibus re-
gnãt homines impij,ab omni timore Dei & iusticia alieni.Nẽpe terra Senaar,terra excussionis, in qua
iuxta Zachariã cap.5. impietas sedẽ suã fixit.Vbi iugũ Domini excutit,& Babel ciuitas cõfusionis ædifi-
catur,ibi rectè sedes impietatis cõstituit.Si placuerit interpretatio Saadiæ,cõsiderandũ est,qũo multipli-
cationẽ mortaliũ subsequaĩ tyrãnis Babylonica &Nimrodica,qua de re & suprà quædã annotauimus.

OBSERVATIO III.

Secedendum esse pijs de terra Senaar.

De terra illa egressus est Assur,& ædificauit Niniuen.] אשור significat gressũ. Notandũ itaq; est,quàm
conuenienter uocatus sit Assur,qui de terra Senaar egressus scribitur.Non potuit ferre impietatẽ ac ty-
rannidem Nimrodianã in terra Senaar, quare post factam linguarũ confusionẽ discessit à natione im-
piorum,ac seorsim ædificauit ciuitatẽ,in qua cum suis maneret.Admonemur hoc exemplo,quid faciẽ-
dum sit pijs ac bonis uiris,ubi impietas inualescit. Secedendũ est & egrediendum de Terra Senaar,&
linquenda ciuitas confusionis. Videntur in oculis mundi infelices, qui relictis sedibus suis, aliò migrãt,
& cohabitationẽ malorum fugiunt. Verùm sunt non solum migrantes,sed & hoc nomine אשור,id est

Felices sunt, qui exeunt Babylonem.

felices,quòd huiusmodi migratio felicem habet progressum ac successum.Hic Assur usqueadeò nonnul-
lit aliquid incõmodi ex ista migratione, ut & ciuitates postea ædificarit. Quemadmodum nec Abrahæ
malè cesserit,quòd egressus est de Hur Chaldæorũ.Et huc facit etiã nomen ciuitatis Niniue,quod uel ha-
bitationem,uel pulchritudinem sonat. Pulchra est ciuitas & habitatio eorum,qui relicta terra excusſio-
nis,& confusione Babylonica,ab impiorum sese commercijs separant.

De corruptione & tyrannide ciuitatis Niniue.

Simul & illud notandum est.Niniue ista,quãuis initio bono studio ad hoc fuerit condita,ut populus
Dei separaretur à corruptione Babylonica,tandem euenit tamen,ut & ipsa corrumperetur,& ad tyran-
nidem degeneraret.De corruptione illius testatur historia Ionæ,de tyrannide testaĩ illud saltẽ,quod rex
Assyriorũ primùm Israelem seruituti suæ subiecit,ac tandem prorsus in Assyriã abduxit, deinde & Iu-
dæam uastare cœpit.Sic tandẽ à studio ac pietate maiorũ defecit Niniue, cũ esset superbia ac luxu corru-
pta.Videmus hoc exemplo,quàm sit facilius relinquere terrã Senaar,& egredi è confusione Babyloni-
ca,constituereq; ciuitatẽ ab impiorum consortio separatã,quàm constanter cauere impietatẽ.Cogitent

Notẽt, qui Euangelici uocantur.

hoc loco,quibus Dominus per gratiã suã cõcessit,ut Babylonẽ Antichristianã euadere potuerint,quàm
nõ sufficiat ista separatio,nisi & ipsam impietatẽ,uitæ corruptionẽ,& in iusticiã irremisso pietatis studio
euitent.

OBSERVATIO IIII.

Et plateas ciuitatis,& Chale,Resen quoq; inter Niniuen & Chale.Hæc est ciuitas magna.] Obserua.Babel

Nulla sibi ciuitas quamuis magna sufficit.

erat ciuitas potens,Niniue ciuitas magna,& tamen nec Nimrod solam Babel, nec Assur solã Niniuen
condidit:sed uterq; magnæ suæ ciuitati tres alias,ueluti subseruientes filias,adiecit. Babel accepit annexas
xas ciuitates Arach,Archat & Chalannæ:Niniue,Rahabas,Irchale & Resen.Vsqueadeò uidelicet nul-
la quantumuis magna ciuitas sibij ipsa sufficit, si sola fuerit : sed opus habet etiam minorũ auxilio ueluti
famulitio,siue respicias delicias magnatum,siue ciuiũ necessitates. Matres quidẽ sunt magnæ ciuitates,
debentq; curã gerere minorũ quasi filiarũ : uerũ sic matres sunt,ut auxilio filiarũ carere nequeãt. In has
elocanĩ ac ueluti extrudunĩ,ad quos spectat cultura agrorũ, & ex illis quæ necessaria sunt ad uictũ pe-
tantur.

OBSERVATIO V.

Sors populi Dei.

At uerò Misraim genuit Ludim,&c. de quibus egressi sunt Philistijm.] Cogitandum hic est quæ sors sit po-
puli Dei. Cognati erant qui descendebãt de Cham,& magis etiã qui prognati sunt de Assur filio Sem,
attamen futurũ erat,ut ab illis Israelitæ affligerentur,utpte à Babylonijs,Aegyptijs,Philisteis & Assy-
rijs

A rijs, ob quã etiã causam gentiũ istarum origines ponit Moses. Sic nulla habetur cogitationis ratio, ubi uel odium propter religionis diuersitatẽ inter cognatos intercedit, uel dominandi libido omnẽ humanitatis sensum hebetat. Et prodest admodũ populo Dei, si se cunctorũ etiam cognatorũ odijs propter religionẽ unius ac ueri Dei, & mundi huius tyrãnis obnoxiũ esse sciat, ut simul cogitet, patienter ferendã esse hanc sortẽ. Quo consilio & Christus seruator discipulis suis futurũ prædixit, ut odio essent omnibus ꝓpter ipsius nomẽ. Israelitis suo tẽpore prodesse poterãt quæ Moses hic de origine earũ gentiũ scribit, à quibus erant admodũ affligendæ. Etenim cũ ostendit Aegyptios, à quibus erãt annos quadringẽtos dura seruitute opprimendi: & Babylonios, à quibus erant è terra sua in captiuitatẽ abducendi: & Philistæos, quorũ erant iugũ & hostiles inimicitias experturi, ortos esse à Chã, maledicto illo patris irrisore, facilè cogitare poterant, nõ esse alia à natione praua ac degenere expectanda, q̃ quæ origini illius responderent.

OBSERVATIO VI.

Chanaan aũt genuit Sidonẽ primogenitũ suum, Etheũ & Iebuseũ, &c.] Quæ de posteritate Chanaan, siue q̃d multitudinẽ, siue quod terrã habitationis illorũ attinet, à Mose hic recensent, ad hoc nobis facere debent, ut in natione maledicta manifesto uideamus exemplo nec gloriã numerosæ posteritatis, nec possessionẽ terræ fœcundæ uerã cuiq̃ conferre fœlicitatẽ. Etenim Chanaan utroq; nomine infuſus est in terrã felix, cũ tamẽ esset ab ipso auo suo maledictus. Filios undecim, & terrã optimã in posteris acquisiuit, homo à Deo & ab ipso auo suo maledictus. Nõ est nobis de maledictiõe huiusmodi secundũ iudiciũ mũdi censendũ, quo benedicti ac felices iudicant qui à Deo sunt maledicti, & eam ob causam reuera infelices. notũ est illud ꝓphetæ: Beatũ dicunt populũ cui hæc sunt: beatus aũt est populus, cuius Dñs Deus eius.

Vera felicitas nõ est in terrena prosperitate.

OBSERVATIO VII.

Facliq; sunt termini Chanaan, &c.] Quoniã Moses terminos terræ Chananeorũ singulari studio prõpter Israelitas, futuros illius inhabitatores, describit, admonemur de prouidentia Dei, quæ iam tum, cũ terra illa à natione maledicta occuparetur, posteris Sem cõsuluerit, ac propter illos terram hanc terminis istis circunscripserit, quibus olim esset in manus uentura populi Dei. Hac cõsideratione intelligimus fieri subinde iudicio Dei, ut impijs distribuantur, quæ suis sunt temporibus possessioni piorũ destinata.

Impijs aliquando dantur ad tẽpus quæ pijs sunt destinata.

De Sem quoq; nati sunt patre omniũ filiorũ Eber, fratre Iapheth maiore filij Sem: Elã, & Assur, & Arphaxad, Lud & Arã. Filij Arã Hus, & Hul, & Gether, & Mes. At uerò Arphaxat genuit Sale, de quo ortus est
B Eber. Natiq; sunt Eber filij duo. Nomen uni Phaleg, eo quòd in diebus eius diuisa sit terra: & nomen fratris eius Iectan. Qui Iectan genuit Elmodad, & Saleph, & Assaromoth, Iare, & Adur & Iasal, & Deda, & Hebal, & Abimahel, Saba, & Ophir, & Euila & Iobab. Omnes isti filij Iectan. Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usq; ad Sephar montem Orientalem. Isti sunt filij Sem secundum cognationes & linguas & regiones in gentibus suis. Hæ familiæ Noe iuxta populos & nationes suas. Ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.

LECTIO.

De Sẽ quoq; nati sunt patre omniũ filiorũ Eber.] In Hebræo sic habetur: גם לשם ילד חרא אבי כל בני עבר quod uariè legitur. Græcus sic uertit: καὶ τῷ σὴμ ἐγεννήθη καὶ αὐτῷ πατρὶ πάντων τῶν υἱῶν ἔβερ, id est: Et Sem natum est & ipsi, patri omnium omnium filiorum Eber. Pagninus sic: Et ipsi Sem natus est. Etiam ipse est pater omniũ filiorũ Eber. Non potest autẽ simplicius uerti quàm sic: Et ipsi Shem quoq; natum est. Ipse est pater omnium filiorum Eber. Diuisio commoda est, ut sic legas גם לשם ילד, id est, & ipsi etiam Sem natũ est. Vocula גם, id est etiam, iungenda est ad לשם, legendũq; sic לשם גם ילד. Deinde sequentia nihil habent incommodi חרא אבי כל בני עבר, id est ipse est pater omniũ filiorũ Eber.

Fratre Iapheth maiore.] Ebr. האחי יפת הגדול. quod bifariam uertitur. Alij referũt uocẽ הגדול ad Sem, leguntq;, frater Iapheth maior, quasi Sem natu sit maior q̃ Iapheth. Alij referunt ad Iapheth, ac legunt, Frater Iapheth maioris. quam lectionem Septuaginta retinuerunt. Sic enim uerterunt ἀδελφῷ ἰάφεθ τῷ μείζονος, id est fratri Iapheth maioris. quæ mihi lectio magis placet.

Filij Sem Elam & Assur, &c.] Græcus addit, καὶ καϊνάμ, id est, & Cainan, quod in Hebræo nõ habetur.

Arphaxad genuit Sale.] Græcus & hic abundat. Sic enim habet καὶ ἀρφαξὰδ ἐγέννησε τὸν καϊνὰμ καὶ καϊνὰμ ἐγέννησε τὸν σαλά, id est, & Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Sala. At in Hebræo nõ est Cainan, sed simpliciter ראר פכשר ילד את עבר שלח רשלח לד את, id est & Arphaxad genuit Salah, & Salah genuit Eber. Quare quod Lucas cap. 3. in genealogia Christi patres hosce recẽsens dicit, Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, manifestum est argumentum, quòd nõ Hebraicam est scripturam, sed Græcorum uersionem sequutus. Quod autem Hebræa non sint nostris demum temporibus mutilata, sed etiam olim lecta hoc loco qualia nunc leguntur, testis est uersio Hieronymi.

Et Hebal.] Hunc Græcus non habet, uitio opinor negligenter describentium.

Ab his diuisæ sunt Gentes.] Sic habet & Hebræus. At Græcus uertit ad hunc modũ: ἀπὸ τούτων διεσπάσθησαν νῆσοι τῶν ἐθνῶν, id est, Ab istis diuisæ sunt insulæ gentium. Insulas Hebræus hoc loco non habet.

Quod nomina attinet, quæ aliter in Hebræo, & aliter à Græcis & Latinis leguntur, maior narrationis huius causa est, quod cũ Hebræa Biblia uerterentur, habebantur sine punctis, quæ uocalium officium implent. Sic ubi in Hebræo est גתר, Græcus legit γάτηρ. ubi puncta accesserũt, legendũ est gether. Sic שלח, id est Mash legit, latinus Mes, & שלח, id est Shelach, legit Sale. & עבר Græcus legit ἀβήρ, & בלה γαλέκ, & ירסן Ιωτὰμ, & cætera consimili ferè de causa uariant. Illud quod in Græco pro ארפכשד est ἀρφαξάδ, uerbentiũ est uitio factũ. Apparet enim αι positum pro ου. & βηλ pro σηλ. atq; ita ουδηλ muratum in οὐδάδ.

EXPLANATIO.

Tertio loco Moses ad generationes Sem recensendas transit, nõ q̃ ille tertius sit in ordine fratriũ, sed q̃ cõmodius iudicauit postremo loco illius recensere posteros, de quibus in sequẽtibus est toto hoc libro cõmemoraturus. In præsenti generationes Sem ad quintam usq; generationẽ deducit, idq; nõ in uniuersum, sed ex parte tantũ. Sem tribuit filios quinq;, Elam, Assur, Arphaxad, Lud, & Arã. Nepotes ex Arã quatuor, Vtz, Hul, Gether, & Mas. Et ex Arphaxad unũ, uidelicet Salah. Pronepotẽ ex Salah unũ, nempe Eber. Abnepotes ex Eber duos, Pheleg & Iactan. Trinepotes ex Iactan tredecim, Elmodad, Sareleph, Hazermaueth, Iara, Hadoram, Vzal, Deklah, Obal, Abimael, Sheba, Ophir, Heuila, & Iobab, quibus si Sem ipsum adiunxeris, numerus uigintiseptem efficitur.

Filij 5.
Nepotes 4.
Pronepos 1.
Abnepotes 2.
Trinepotes 13.

De istis Hieronymus scribit ad hunc modum: Hi ab Euphrate fluuio partẽ Asiæ usq; ad Indicũ occeanum tenent. Est aũt Elam, à quo Elamitæ principes Persidis. De Assur antè iam dictũ est, q̃ Niniuen urbem condiderit. Arphaxad, à quo Chaldæi: Lud, à quo Lydij: Aram, à quo Syri, quorũ metropolis est Damascus, filij Aram, Vtz. Vtz Trachonitidis & Damasci cõditor, inter Palæstinã & Cœlen Syriam tenuit principatũ, à quo septuaginta interpretes in libro Iob, ubi in Hebræo scribit, Terra Hutz, regionem Ausitidem, quasi Husitidem, transtulerũt. Hul, à quo Armeni: Gether, à quo Acarnanij seu Cariæ. Porrò Mes, pro quo septuaginta interpretes Mosoch dixerunt, nunc uocantur Mæones. Arphaxad genuit Sela, & Sela Eber. Ex Eber nati sunt duo filij, nomen uni Phaleg, quia in diebus eius diuisa est terra, & nomẽ fratris eius Iectan. Eber à quo Hebræi, uaticinio quodã filio suo Phaleg nomen imposuit, qui interpretatur diuisio ab eo q̃ in diebus eius linguæ in Babylone diuisæ sunt. Iectan genuit Elmodad, &c. Harum gentiũ posteriora nomina inuenire non potui, sed usq; in præsens, quia procul à nobis sunt, uel ita uocantur ut primũ, uel quæ immutata sunt ignorantur. Possederunt autem à Cophene fluuio omnem Indiæ regionem, quæ uocatur Ieria. Hæc Hieronymus. Sed redeamus ad contextum.

De Sem quoq; nati sunt, patre omnium filiorum Eber.] Eber significat transitũ. Et quoniã posteri Semtrarum ultra Euphratẽ incoluerunt, arbitrant quidã, legendũ esse patre omniũ filiorũ trãsitus, id est, omniũ eorũ qui fluuiũ Euphratẽ traiecerunt, & terras ulteriores incoluerunt. Verũ, meo iudicio, uoluit Moses Sem uocare patrẽ omniũ filiorũ Eber, id est Hebræorũ, ut Israelitas Hebræos de origine ipsorũ admoneret. Alioqui nõ Hebræorũ tantũ, sed & eorũ pater est Sem, qui de Elam, Assur, Lud, & Arã descenderũt.

Fratre Iapheth maiore.] Dixi in lectione Græcos legere fratre Iaphet maioris. Lyranus annotat, sic legere & Hebræos. Et Shlomoh quamuis q̃ præsentẽ locum attinet nõnihil fluctuat, utrũ ex his duobus Sem & Iapheth natu sentiat esse maiorem, ex eo tamẽ quod infrà capite sequenti de Sem legitur, quod biennio post diluuium centum fuerit annorum, colligit Iapheth fuisse maiorem.

Quæ subijciuntur, non habent opus ulla expositione, nec est certi quicquam de gentibus istis, quod ad nostram usq; cognitionem uenerit, nisi quod de Sem originem ducant, & Orientem inhabitent.

Hæ familiæ Noe iuxta populos, &c.] Quoniã suprà capite nono dixerat, Erãt filij Noe qui egressi sunt de arca, Sem, Chã & Iapheth. Tres isti sunt filij Noe, & ab his disseminatũ est uniuersum genus hominũ super omnẽ terrã, deinde generationes illorũ hoc capite ex ordine recensuit: compleris iam illis, concludit ac dicit: Hæ sunt familiæ Noe, & ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuiũ, ut sciamus uniuersas totius orbis nationes inde post diluuiũ ad finẽ usq; mundi & præteritas & præsentes & futuras ad Noe esse referendas.

QVAESTIO I.

Quomodo Eber filium suum uocarit Peleg.

Nomen uni Phaleg, eo quòd in diebus eius diuisa sit terra.] Quærat quis q̃ hoc loco, qũo Eber filio suo imposuerit hoc nominis, ut uocaret eũ Peleg, id est diuisionẽ. Sentiũt Ebræi, q̃ hoc fecerit ex spũ ꝓphetico. Sic scribit Shlomoh עבר חית גביא שגקוא שם בגר עלשם חעתיד, id est Eber fuit propheta, qui uocauit nomen filij sui secundũ rem futurã. Et Hieronymus sic sentire uidet, cũ dicit: Eber, à quo Hebræi, uaticinio quodam filio suo Peleg nomẽ imposuit, quia in diebus eius diuisa est terra. Verũ, meo iudicio haud quaq; opus est, ut prophetico spũ factum credamus, cum uerosimilius sit è re præsenti nominasse illum filiũ suum Peleg, propterea q̃ in ipsa diuisione terræ prognatus esset. Et huic sententiæ simplicitas contextus astipulat. Non enim dicit, q̃ in diebus eius diuidenda esset terra: sed, quia in diebus eius diuisa est terra. Nec remorari quenq̃ debet, quod dicit, In diebus eius. Nihil enim aliud est, q̃ circa dies natiuitatis eius. Alioqui si de annis uitæ illius simpliciter loqueretur, nõ constaret ratio, quare terra in diebus huius Peleg diuisa diceretur, cum non in illius tantũ, sed & aliorum, qui tum uiuebãt, diebus fuerit diuisa. Non constat nobis, quando patres illi filijs suis nomina imposuerint, an id nostro more statim post illorum nati uitatem, uel cum adulti iam essent fecerint. Quare non puto certi quicquam de hac re posse statui.

OBSERVATIO I.

De Sem quoq; nati sunt, patre omniũ filiorũ Eber, fratre Iapheth maiore.] Non est hic locus ociosè trãsiendus. Erat Sem non solum eorum pater, qui nati sunt ex Eber, sed & omnium reliquorum, ex ipso deScendentium, Elamitarũ, Assyriorum, Lydiorum, & Syrorum: deinde non erat tantũ Iaphethi, sed & Chami frater.

frater. At Moses hic uocat eum patrẽ omnium filiorũ Eber, & fratrẽ Iapheth maioris, quasi horũ duntaxat fuerit pater, & huius frater. Quid aliud innuitur, q̃ huiusmodi sanctorũ filios & fratres non esse reuera eos, qui carne tantum, & non etiã spiritu ac pietate sunt filij ac fratres? Elamitæ, Assyrij, Lydij & Syri quod carnẽ quidem attinet, erant & ipsi filij Sem, spiritu uerò degeneres erant & alieni. Consimili modo & Cham non minus erat frater Sem q̃ Iapheth, si carnem respicias at spiritu erat ab eo alienissimus. Ad hunc modum Christus reprobos & incredulos Iudæos Ioh. 8. fatetur quidem carne filios esse Abrahæ, at spiritu referre nõ Abrahamũ, sed satanam. Et Apostolus Rom. 9. negat eos esse filios Abrahæ, qui non nisi carne ad illũ pertinent. Admonemur ergo non esse nobis de carne sanctorũ gloriandũ, nec censendos pro ueris filijs & fratribus nostris, qui non spiritu & fide sunt coniuncti. Et Christus Matth. 12. carnis cognationem sic respuit, ut palàm eam duntaxat requirat, quæ sit in spiritu & pietate.

Veros filios & fratres non esse carne tantũ censendos.

OBSERVATIO II.

At uerò Arphacsad genuit Salah, de quo ortus est Eber. Natiq; sunt Eber filij duo. Nomen uni Peleg, eo quòd in diebus eius diuisa sit terra, & nomen fratris eius Iaktan.] Quoniam Arphacsad ad generationẽ piorũ pertinet, obseruandũ hic arbitror, qualia nomina filijs ac nepotibus ipsius sint indita. Arphacsad, inquit, genuit Salah. Ebr. est שלח, quæ uox missionis significationẽ habet. שלח siquidem significat misit. Deinde de Salah filiũ suũ uocauit. Eber significat aũt עבר transitũ. Eber filios suos uocauit Peleg & Iaktan פלג idẽ est quod diuisio, sicut & textus iudicat. יסטן uerò significat, minorauit, uel si ad futurũ respexit diminuet, aut diminutus erit, minor erit, à סטן q̃d minui ac paruũ fieri significat. Apparet sanctos nomina filijs suis nõ temerè, sed ab insigniore aliquo euentu, siue præsenti istos siue futuro, indidisse. Arphacsad, quoniã intellexerat esse se cũ alijs posteris Noe ad ingrediendũ ac possidendã terrã emissum à Deo, uolebat eius rei memoriã in filio suo retinere, ideoq; illũ שלח, id est misit, uel missionẽ uocauit. Salah, & ipse pius, uestigia patris secutus, cũ cerneret nondũ certas ac stabiles obtigisse mansiones, acceptũ filiũ uocauit Eber, id est transitũ. Significans uitã suam migrationi ac trãsitioni esse obnoxiã. Eber quoq;, cũ uideret terrã diuidi, regionesq; passim occupari, uocauit filiũ suum Peleg, id est diuisionẽ. Secundum uerò filium, quẽ præuidebat à linea iustorum defecturum, uocauit Iaktan, id est diminutũ. Nam reuera tanto quisq; uel maior est uel minor, quanto plus cæteris uel manet in studio pietatis, uel deficit. Sic sancti uiri euentus suorũ temporum, quos sciebãt diuinitùs dispensari, in nominibus filiorum suorum memoriæ consecrarunt, atq; hoc se pacto declararunt & obseruantes esse operum Dei, & memoriam illorum singulari uoluisse studio transferre ad posteros. Si horum pietati, uigilantiæ & studio nostram conferas negligentiam, oscitantiam & stupiditatem, bone Deus, quàm sumus in clara ueritatis luce inferiores illis, qui lucẽ Christi nõ nisi è longinquo ueluti per nebulam quandã qualicunq; fide salutare potuerunt? Immò usq; adeò sumus ab illis alieni, ut si pius quisq; hodie filijs suis huiusmodi nomina de nostri secundi euentibus sumpta cõsimili studio imponeret, ab illis irrideret etiã, q uolũt omniũ esse Christianissimi.

Qualia nomina indita sint posteris Arphacsad.

Sancti suorũ temporũ præcipuos euentus in nominibus filiorũ suorũ memoriæ cõsecrarunt.

CAPVT IX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Tria continentur hoc capite. Primum est de confusione linguarum in Babylone facta. Secundum de generationibus Sem usq; ad Abrahamum. Tertium de egressu Abrahæ ex Vr Chaldæorum.

Rataũt terra labij unius & sermonũ eorundẽ. Cũq; proficiscerentur de Oriente, inuenerũt campũ in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. Dixitq; alter ad proximũ suũ: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habuerũtq; lateres pro saxis, & bitumẽ pro cæmento. Et dixerũt: Venite faciamus nobis ciuitatẽ & turrim cuius culmen pertingat ad cœlũ, & celebremus nomen nostrũ, anteq; diuidamur in uniuersas terras. Descendit aũt Dñs, ut uideret ciuitatẽ & turrim quã ædificabãt filij Adã, & dixit: Ecce unus est populus, & unũ est labiũ omnibus. Cœperũt hoc facere, nec desistent à cogitationib. suis, donec eas opere cõpleant. Venite igitẽ, descendamus & confundamus ibi linguã eorum, ut nõ audiat unusquisq; uocẽ proximi sui. Atq; ita diuisit eos Dñs ex illo in uniuersas terras. Et cessauerunt ædificare ciuitatem, & idcirco uocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium uniuersæ terræ. Et inde dispersit eos Dñs super faciem cunctarum regionum.

LECTIO.

Erat autem terra.] In Hebræo est, ררית כל הארץ, id est, Et erat omnis terra. Sic & Græcus legit.

Et bitumen pro cæmento.] In Hebræo est, ויהי החמר היה לחם לחמר. Vox חמר significat & lutum & bitumen, ut legi possit, & bitumen erat illis pro luto, uel, ut Græcus habet, καὶ ἄσφαλτος ἦν αὐτοῖς ὁ πηλός, id est lutum erat illis bitumen.

Antequam diuidamur.] In Hebræo est פן נפוץ, id est ne dispergamur. Sic & Chaldæus uertit, & Mon-

sterus,& Tigurina. Germanicus reddidit: *Wir werden villeicht zerstrewet.* Et hunc secutus est interpres Onkeli Chaldæi. Nam & ipse post Germanicum interpretem uertit: Fortassis dispergemur.

Quam ædificabant filij Adam.] Græcus uertit: ὃν ᾠκοδόμησαν οἱ τῶν ἀνθρώπων, id est quem ædificabant filij hominum. Et Chaldæus sic uertit, בני אנשא, id est filij hominum.

Ecce populus unus.] In Hebræo est, הן עם אחד, id est, Ecce populus unus. Verùm Græcus reddidit, ἰδοὺ γένος ἓν, id est, ecce genus unum. Hic magis sensum quàm uerba respexit. Etenim nõ mox est unum genus, quod unus est populus.

Et cessauerunt ædificare ciuitatem.] Græcus addit, καὶ πύργον, id est, & turrim, quod in Hebræo nõ est.

Et idcirco uocatum est nomen eius Babel.] Græcus sic, διὰ τοῦτο ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ σύγχυσις, id est, propterea uocatũ est nomen eius cõfusio.

EXPLANATIO.

Priusquam ad describendam peculiariter generationem iustorum progrediatur, illud quod in calce præcedentis capitis dixit, Ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium, exponere constituit, quomodo uidelicet & qua occasione facta sit ista diuisio.

Erat, inquit, terra labij unius, & sermonũ eorundẽ.] Intellige, anteq̃ impedita ciuitatis ac turris ædificatione in uniuersam terram dispergerentur, loquebantur uniuersi mortales una & eadem lingua. Rem autem eandem bis dicit. Etenim nihil est aliud quod dicit, Et sermonum eorundem, quàm quod prænisit, Erat terra labij unius. Dicit hoc propter sequentem linguarum confusionẽ, ne quis putet eandem quæ nunc est inde ab initio fuisse linguarum diuersitatem.

Cumq; proficiscerentur de Oriente, &c.] Orditur historiam. Apparet eos haud statim post diluuiũ deseruisse montana, sed in illis hæsisse, donec tandem uel tædio montanæ uitæ, uel multitudine sobolis ad cãpestria sese demittere sunt coacti. De montanis igitur Orientalibus, respectu terræ Israelis, in quibus arca cõstiterat, profecti, quæsierũt loca campestria quibus in terra Sennaar inuẽtis immorari cœperũt. Duabus de causis hoc factũ esse arbitror quod attinet multitudinẽ plebis: una erat propter agriculturam, cui erant inde à maioribus dediti. Altera latitudinem ad habitandum commodam concernebat.

Dixitq; alter ad proximũ suũ: Venite, faciamus nobis lateres, & coquamus eos igni. Habueruntq; lateres pro saxis, &c.] Crediderim hoc non esse factũ subitò, sed postquam aliquandiu in planicie ista terræ Sennaar habitassent, & loci commoditate ad hoc essent moti, ut sedes sibi in eo firmas pararent. Exprimit aũt quorundam astutiorũ ac primorũ hominũ consilium catholicũ multitudinis studium prouocantũ in eo quod dicit: Dixit alter ad proximum suum: Venite faciamus nobis lateres, & coquamus eos igni. Verosimile nanq; est hanc cogitationem initio quidem à paucis Chamitis sumptsisse exordium: uerùm ut ex uerbis istis patet, tandem abijsse in studium catholicũ, sic ut multitudo mutuis sese hortatibus ad ædificandum ciuitatem impulerit. Accidit autem historia ista in primo centenario post diluuium. Nam diuisio per confusionem linguarum facta est in diebus Peleg anno 101. post diluuium.

Habueruntq; lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento.] Quoniã erat in loco cãpestri, utebant illius cõmoditate quæ erat ex copia luti. Lapidibus enim destituebãtur, quorũ copia maior fuisset in locis petrosis. Quare cõsilio ex re ipsa sumpto coquebãt ac durabant luteos lateres igni, & luto utebant loco cæmẽti.

Et dixerunt: Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat usq; ad cœlum, & celebremus nomen nostrum, ne dispergamur in uniuersas terras.] Exponit quorsum sibi lateres parare uoluerint. Venite, aiunt, faciamus nobis ciuitatem & turrim. Erant mansiones eorum tabernacula, ad quem modum maiores ipsorum in hac terra fuerant peregrinati: uerùm eius generis uitæ pertæsi, & affectu dominationis ambiendæ impulsi, cogitabant ædificandam esse ciuitatem, eamq; non nudam & infirmam, sed turri munitam, cuius altitudo pertingeret usq; ad cœlum, hoc est, quæ singulari sublimitate protegendæ ciuitati commodaret. Est enim hyperbolica loquutio, quando scriptura huiusmodi meminit altitudinis, quæ uertice cœlos contingat, quale est quod Deut. 1. dicebant: Vrbes in ea sunt magnæ, & ad cœlum usq; muratæ. Addunt: Et celebremus nomen nostrum. Hic erat affectus primorum illorum defectorum hominum, Cham regnum sibi ac nominis splendorem parare cupientium. Studebant nomini suo non in præsens tantum, sed & in futurum.

Ne dispergamur, inquiunt, in uniuersas terras.] Omnino uolebant securitati suæ consulere, & interim nominis sui gloriam & insignia monumenta una cum regno erigere. Apparet autem uoluisse eos cauere, ne quopiam euentu à se inuicẽ super faciem uniuersæ terræ dispergerentur, eamq; ob causam unanimiter & ciuitatem & turrim aeream ædificare cœpisse.

Quod si quis legendum putat, Antequam diuidamur in uniuersas terras, intelligendum uiderur, non fuisse quidem illis absconditum, quòd diuidendi essent super uniuersam terram, uerùm uoluisse eos monumento aliquo eximio nominis sui statuere memoriam, priusquã à se inuicem diuellerentur. Nihil habet incõmodi hæc lectio, nisi q̃ cum uerbis Hebræis nõ cõuenit. Nisi forsan illud נפוץ, id est nedispergamur, sic fit uersum, Anteq̃ dispergamur, ut intelligendũ sit perinde ac si dicas, Cõmuniamus ciuitatem nostram firmioribus propugnaculis, antequã occupent eam hostes, ac desolatam reddãt. Vbi illud, Anteqũ, omnino sic dicitur, ut nihil sonet aliud, quàm ne occupent eam hostes ac uastent. Sunt & in scripturis huiusmodi locutiones, ut Zeph. 2. cũ dicit: Conuenite, &c. anteq̃ ueniat superuos ira Dñi. Et Hier. 13. Date Dño Deo uestro gloriã, anteq̃ cõtenebrescat, & priusq̃ offendãt pedes uestri ad montes caliginosos. Quòd si hunc sensum tenuerimus hoc loco, ubi interpres uertit, Anteq̃ diuidamur in uniuersas terras, nihil erit in sensu discriminis. Nã perinde erit, ac si legamus, Ne dispergamur super faciẽ uniuersæ terræ, &c.]

Descendit aũt Dñs ut uideret ciuitatẽ et turrim, quã ædificabãt filij Adã, et dixit: Ecce unus est populus, &c.] Hactenus

Hactenus studia & factũ filiorũ Noe exposuit: iã consequẽter diuinã subijcit animaduersionẽ. Inducit Dominũ cœlitus descendentẽ, ciuitatẽ ac turrim, opus uidelicet rebellantiũ, spectantẽ, illiusq; adimplectionẽ prohibentẽ. Descẽdit, inqt, Dñs, ut uideret ciuitatẽ, &c. Humano more de Deo loquit. Dicit eũ descendisse ut uideret, q̃ ubiq; est præsens, & cũcta adimplẽs, nec opus habet ut q̃piã uisendi gratia descendat, cũ oculis ipsius nuda & aperta sint omnia. Sic uoluit exactã cognitionẽ & animaduersionẽ Dei exprimere. Descendere ac uidere dicit Deus quãdo reipsa iudicio suo peccata nostra nisitare deprehendit.

Quam ædificabant, inquit filij Adam.] Vocat eos filios Adæ cũ propter originis humilitatẽ, tũ propter trãsgressionis ac rebellionis imitationẽ. Nõ dignat eos uocare filios Noe, quandoquidẽ uestigijs illius haud inhæserũt. *Ecce, inquit, unus est populus, & unum est labium omnibus, cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis &c.*] Confusurus eorũ linguas præmittit causam, ob quã necesse sit id fieri. Nõ desistent, inquit, donec quod ceperunt opere perficiant. Sunt enim unus populus & labiũ omnibus est unũ. Hoc est, & cõcordi studio ferunt ad perficiendũ quod cœperũt, & mutuis hortatibus & operis adiuuant. Quare subijcit: *Venite, descendamus & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque uocem proximi sui.*] Hoc est, quoniã unitate linguæ & uiriũ coniũctione in opere præsumpto iuuant, auferamus illis hãc cõmoditatem per confusionẽ linguarũ, qua impediti q̃d temerè cœperũt nolint uelint intermittere cogant. Illud, Vt nõ audiat unusquisq; uocẽ ꝓximi sui, finis quidẽ erat quo linguarũ destinabat confusio: uerũm nõ erat ultimus scopus, q̃ tendebat, sed terminũ habebat per quẽ ad finẽ propositũ collimabat. Is aũt erat, ut ab opere cœpto impediti à se inuicẽ diuellerent, & in uniuersam terrã dispergerent. De hoc est quod subditur: *Atq; ita diuisit eos Dominus ex illo in uniuersas terras. Et cessauerunt ædificare ciuitatẽ.* Hoc uidelicet agebat, & huc tendebat, q̃d confusione linguarũ efficiebat, ne quis uocẽ proximi sui audiret. Et quoniã id erat à Deo factũ, nõ dicit, Atq; ita diuisi sunt: sed, Atq; ita diuisit eos Dominus ex illo in uniuersas terras. quod idẽ est ac si diceret: Atq; ita effecit Dñs, ut quoniã in tanta linguarũ cõfusione simul manere nõ poterãt, necessitate adacti à se inuicẽ in uniuersas terras diuderent, & cœptũ opus desererent. Quod in latino est, Ex illo, nõ est referendũ ad tempus, neq; ad opus confusarũ linguarum, sed ad locũ. Est enim in Ebræo משׁם, id est inde, ex eo loco, terra uidelicet Sennaar, cuius planiciem inhabitare, & in qua ciuitatem ac turrim moliti Deo rebellare cœperant. Inde dispersit eos Dominus in terras uniuersas. Et Græcus legit, ἐκεῖθεν, id est inde.

Et idcirco uocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium uniuersæ terræ. Et inde dispersit eos Dominus super faciem uniuersæ terræ.] Habent ista rationẽ quare ciuitas illa uocata sit Babel. Ob eã, inquit, causam ꝙ labiũ uniuersæ terræ, id est totius generis humani ibi cõfusum est, eaq; cõfusio causam dedit, ut in totũ orbẽ à se inuicẽ dispergerent. Sic è reipsa natũ est ciuitati nomẽ Babel, id est cõfusio. Ipsum Babylonis nomẽ erat illis temporib. insigne ac celebre, quare de ortu illius hisce uerbis admonere uoluit.

QVAESTIO I.

Quæ fuerit una illa lingua, an manserit, denique in qua familia manserit.

Erat aũt terra labij unius, & sermonũ eorundẽ.] Vtinã tã essemus instructi ad satisfaciendũ quæsitis, q̃ parati sumus ad quærendũ de illis quæ in sacris scripturis haud exprimunt. Quæritur hoc loco, primùm, quæ fuerit una illa lingua, qua usi sunt homines ad id usq; tẽporis quo linguarũ inducta est uarietas: de inde, manserit ne prisci illud & primæuũ humani generis idioma, uel nouo aliquo sit immutatũ: tertiò, in qua familia manserit. Ad primã quæstionẽ, quãuis nihil possit certi è sacris proferri scripturis, cõmuniter tamen sentit, fuisse unã illã prioris seculi linguã haud aliã q̃ Ebræã. Et huc puto respicit Hieronymus, cũ super Zephoniã ca. 3. Ebræã linguã omniũ reliquarũ linguarũ uocat matricẽ. Et meo iudicio non caret hæc sententia probabili ratione, quã ex ijs colligere possumus, quæ de priori mũdo scribunt. Etenim quod primus homo de terra sumptus uocatus est Adã, id est, rufus ac terreus, & uxor eius Hauah, propterea ꝙ mater esset omniũ uiuentiũ, & primogenitus illorũ Cain, tanq̃ acquisitus, & secundus Habel quasi superfluus, tertius Seth tanq̃ positus: deniq; & filius Lamech, sub quo futura erat quies malorũ, Noah dictus est: satis opinor argumenti præbet, eã fuisse tũ linguã primorũ hominũ prioris q; seculi ad Babylonicã usq; confusionẽ, in qua terra uocatur אדמה Adamah, propter rubedinẽ, & terreus homo Adam, & חוה uiua, uel uiuifica, uel nita, & קין Cain acquisiuit, uel acquisitus, & הבל Habel superfluum, & שׁת posuit, & נח Noah, quies. Ea uerò nulla est alia quàm Hebræa. Neque uerosimile est has uoces esse à Mose excogitatas, & pro alijs quæ priori mundo fuerint in usu, introductas. Licet enim mutatæ sint linguæ, propria tamen nomina uirorum insignium sic permanserunt, ut non solis Hebræis, sed & Græcis & Latinis & alijs nationibus nomina ista Adam, Euah, Cain, Habel, Seth, & Noe in usu existant. Augustinus quidem lib. 9. super Gen. ad literam cap. 12. dicit: Vnam fanè linguam primitus fuisse didicimus, antequàm superbia turris illius post diluuiũ fabricatæ in diuersos signorum sonos humanam diuideret societatem. Quæ autem illa lingua fuerit, quid attinet quærere? Hæc ille. Verùm quemadmodum diximus, probabile est planè fuisse primos homines & ante & post diluuium usq; ad confusionem linguarum Hebræo idiomate usos.

Si hanc considerationem acceperimus, in promptu est quid respondendum sit ad reliquas duas quæstiones, uidelicet, manserit ne prima illa lingua, & in qua manserit familia. Nam omnino certũ est mansisse eam linguam, quæ ad nos usq; peruenit: deinde mansisse in familia Sem Arphaxad, Selah & Eber, unde & Ebræa dicitur. Philo alicubi iudicauit hanc primam linguam esse Chaldæam, & inter Chaldæos mansisse, cui repugnat Hieronymus. Verùm cum Arphaxad princeps כשׂדים, id est, Chaldæorũ fuerit, quid impedit quo minus initio unam Chaldæorum & Hebræorum fuisse linguã credamus, licet successu tẽporis diuersitas quædã qualis etiã in lingua Germanorũ & aliarũ gentiũ reperit, intercesserit.

QVAESTIO II.

Quomodo potuerint turrim ad cœlos usq; extruere.

Et dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum.]Quærũt hoc loco, qũo potuerint usq; adeò desipere posteri Noe, ut se turrim substruere posse cõsiderent, cuius apex ad cœlos usq; exurgeret. Et Iulianus impijssimus apostata, arbitratur hoc perinde fabulosum esse, atq; id est quod Homerus de Aloidis confinxit, quos canit tres montes accumulasse, ut accessum ad cœlos illi struerent. Addit, non posse ciuitatem ad cœlos pertingentem ædificari, etiamsi una uoce & lingua omnes homines utantur, & totam terram lateres ac cæmentum coquant.

Respondeo: Magnã oportet esse huiusmodi ingeniorũ malitiã, qui ne ea quidẽ ne in sacris scripturis intacta relinquũt quæ uel cõmuni sensu haud absurdè dicunt. Dauid Psal. 107. de illis q tẽpestate maris iactant canit, q ad cœlos usq; subuehant fluctib. ac rursus ad abyssos deferant. Accedat ingeniũ nequã & ad diuexandum bene dicta paratum, consimili calumnia dictũ hoc propheræ in ius uocabit, qua Iulianus Mosen hoc loco diuexauit. Familiare est ferè omnibus hoc loquutionis genus, ut quæ propter singularem sublimitatem extollere uolumus, ad cœlos usq; ascendere dicamus. Hac figura loquutus est Moses, immo loquuti sunt posteri Noe, qui abundè sciebãt fieri nõ posse, ut ciuitatẽ suã ac turrim ueniera ad cœlos usq; subueherẽt: sed quoniã excelsissimã turrim moliebant, ut singularem sublimitatẽ experirẽtur, hac sunt hyperbolica usi loquutione, quã Iulianus facillimè uidere poterat, nisi cordis fuisset malitia, & odio Christiani nominis excæcatus.

QVAESTIO III.

Ad quos loquutus sit Deus.

Venite descendamus & confundamus ibi linguam eorum.]Nascit hic quæstio, qui nã illi sint, ad quos loquutus sit Dominus, dicens: Venite, descendamus & confundamus ibi linguam eorũ, quandoquidẽ hæc uerba omnino uidentur esse talia, quæ non ad unum aliquem singulariter, sed ad plures sint dicta.

Iulianus apostata locum hunc, p stabiliendo impiæ polytheiæ errore citat. Sed uidete, inquit, an non & nobis dederit Deus quos uos ignoratis, deos ac præsides bonos, nõ minores q̃ ille sit, qui ab Ebræis ab initio colit in Iudæa. Et paulo pòst: Vnamquanq; gentẽ suus princeps Deus curat, angelusq; subilo, & Dæmon, ac animarũ priuatũ genus, q̃d subditũ est, & sub præstãtioribus operatur. Deinde: Quòd aũt & Moses, inquit, sciens occultauerit ista, neq; linguarũ confusionẽ in solũ Deũ retulerit, hinc accipe. Dicit eñ ipsum nõ solũ descendisse, neq; unũ cũ ipso descendisse, sed multos, eos uerò qui tales sunt non dixit. Manifestum autem est quòd proximos sibi ut simul descendãt susceperit, &c. Hæc ille, unde se impius Christianæ fidei desertor & hostis, admodum fortiter polytheian suam asserere putabat.

Cyrillus ad nugas Iuliani respondens sic dicit: Sciuit Moses in sancta Trinitate uenerabilẽ & unam Deitatis naturã, & ob hãc rationem interdũ singulari utit numero & interdũ plurali, ut cũ dicit, Faciamus hominẽ secundũ imaginẽ & similitudinẽ nostrã. Neq; eñ Deus alios quosdã ad formationẽ hominis adiutores fecerat, sed dũ dicit, Faciamus hominẽ secundũ imaginẽ & similitudinem nostrã, sanctæ & consubstãtialis Trinitatis est manifestatio. Vnde & hic, cũ dicit, Venite descẽdamus & confundamus ipsorũ linguas, non indicat alios simul assumptos deos. Quopacto eñ, & undè? Nulli enim sunt, sed sanctæ Trinitatis uenerabile, magnũ & sanctũ suboſtendit sacramentũ. Hæc Cyrillus, quẽ & nostrorũ alii qui sequunt. Nec uideo rationẽ, quare debeat ista reijci sententia. Vide supra cap. 1. in quæstionibus, ubi Deus dixisse legit: Faciamus hominẽ ad imaginẽ & simil. nostrã, ubi hæc est tractata quæstio. Lyranus hoc loco sequit Ebræos. Verba ista, inquit, in plurali posita, sunt uerba Dei ad angelos qui sunt executores diuinæ iustitiæ. At Lutherus negat angelos posse confundere linguas, eo quod id operis solius sit creatoris Dei, qui linguas hominib. dedit. Quàm firma sit hæc ratio, iudicent alij. Aliud quidẽ est dare, & formare linguã homini, & aliud sermonẽ aliũ mutare in aliũ. Prius solius esse Dei creatoris nemo negat. posterius uero etiã per angelos fieri posse, ex eo forsan cuiq; probari posse uidet, q̃d cũ angelus propheræ in itinere obuius resisteret, asina percutienti se respondit, Quid feci tibi? Cur percutis me ecce iam tertiò. Nonne iumentũ tuũ sum cui semper sedere consueuisti, usq; in præsentẽ diẽ? Dic quid simile unq̃ fecerim tibi? uerùm ne angelo opus hoc mutatæ in asina linguæ adscribamus, prohibet quod notanter à Mose dicit: Aperuit Dñs os asinæ, & loquuta est dicẽs: Quid feci tibi? Infrà quidẽ in historia Sedomæ & Gomorrhæ manifestè legimus usum esse Deũ angelorũ ministerio ad perficiendũ incendiũ Sedomarũ, ubi tũ sic loquutus est ad Abrahamũ Dñs: Clamor Sodomorũ & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatũ eorũ aggrauatũ est ualde. Descendã & uidebo, utrũ clamorẽ qui uenit ad me opere compleuerint nec ne, ut sciã. Et subdit, Conuerterũtq; se inde, & abierunt Sodomã. Fuisse aũt ibi angelos, uel excẽti capite liquet, ubi disertè dicit: Venerũtq; duo angeli Sodomã. ubi manifestè uidere licet usum esse Deũ opera angelorũ ad subuertendũ Sodomitas. Verũ an sic possit linguarũ confusio tribui ministerio angelico, sicuti subuersio Sodomitica, iudicent alij. Arbitror simplicius ac certius esse, ut ubi non expresse de ministerio scribitur angelorum, loquutiones huiusmodi quibus pluraliter loquitur Deus, eo sensũ capiamus, quo cap. 1. dictum est, Faciamus hominem ad imaginem nostram &c.

Contra impietatem Iuliani.

Quod autem impij Iuliani uerba concernit, quibus Mosi tribuit, quod Deum non solum, neque unum tantum cum ipso, sed multos, ad confusionem linguarum descendisse scribat, omnino friuolum est ac tale quod ex uerbis Mosis conuinci nequeat. In Græco legit Iulianus *δεῦτε*, id est, adeste, uenite, sicut & in latina uersione: uerùm Moses nec Græcè, nec latinè scripsit, sed Ebraicè, ad hunc modum הבה נרדה, id est, Agè descendamus. In uerbo הבה, id est, agè, quod hortationis est aduerbium, nulla est uel personarum, uel numeri significatio. Quare inconsultissimè factum est ab interpretibus Græco & latino, quod ille *δεῦτε*, iste, uenite, uertit: & Iulianus improbe fecit, quòd Iuliomodi

A modi uoculam inconsulta Mosaica lingua ad impietatem ethnicam, ipse Christianus, comprobandam usurpauit, quam sciebat in scriptis Mosaicis disertissimè reprobari ac damnari. Erroris sui stabilimentum non quæsiuit in uerbis, Descendamus & confundamus, (nam talis loquutio frequenter usurpatur à magnatibus, sine ulla pluralitatis significatione, honoris tantum & dignitatis gratia) sed in uerbo Venite. Hic ratiocinando sic collegit: Qui dicit, Venite, nõ aduocat ad se unum tantum, sed plures. Alioqui non diceret pluraliter, Venite: sed singulariter, Veni. Verùm manifestum est Ebræam uocem הבה considerantibus, friuolam esse prorsus hanc impij apostatæ argutationem. Deinde debebat discernere inter Principes huius seculi, & unicam illam diuinitatis Maiestatem. Si Princeps dicat ad subditos uel satrapas suos, Agè descendamus & uideamus castra hostium: intelligi potest dictum esse ad illius duces & satellites: secus uerò, si Deo huiusmodi tribuatur loquutio. Exod. 1. sic legimus: Surrexit uerò Rex nouus super Aegyptum, qui non nouerat Ioseph. Dixitq; ad populum suum: Ecce populus filiorum Israel maior & fortior nobis est, הבה, id est, age, callidè agamus contra eum ne multiplicetur. Hic facilè intelligitur loquutum esse Pharaonem non sibijpsi tantum, sed ad alios quoq; multos. Nam expresse dicitur, quòd loquutus sit ad populum suum. Tale quid non inuenit hoc loco Iulianus, quod de Deo scriptum sit à Mose, sed propria temeritate & spiritu odij motus calumniam hanc scriptis Mosaicis intulit.

QVAESTIO IIII.

Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere cõpleant. Venite igitur confundamus ibi linguam eorum &c. Et cessauerunt ædificare ciuitatem.] Quæritur hoc loco, ob quam causam Deus conatus istos filiorum Adæ, ne ciuitatem hanc & turrim quam cœperant absoluerent, impedire uoluerit. *Quare Deus ædificationem ciuitatis huius impedire uoluerit.*

Iulianus apostata etiam hac in re Christianos irridens sic scribit: Hanc igitur fabulam manifestam cum uerã censeatis, & de Deo opinemini, quòd territus sit humanæ uocis unitate, eiusq; gratia linguas eorum confuderit, adhuc audetis uobis scientiam Dei arrogare? Addit. Redeo ad illud. Moses enim dixit, Deum confudisse linguas, hanc nimirum ob causam, quòd timeret, ne quid contra se molirentur, parato sibi in cœlum accessu. Eadem enim tam lingua quàm mente inter se erant. Hæc ille. quibus hanc nobis imputat dementiam, quòd putemus Deum metu periculi ac discriminis impediuisse turris huius ædificationem, cũ fuerit huiusmodi conatus prorsus impossibilis. Homo impius causam quam poterat in gloriam Dei syncerè ac rectè interpretari, pro cordis sui excæcatione studiosè rapuit ad cauillandum.

B Scimus & nos impossibilem fuisse filiorum Adæ conatum (siquidem id agebant quod communiter creditur. (neq; ullum fuisse Deo à conatibus mortalium timendum periculum (quod enim periculum Deo ab hominibus, deinde quodnam discrimen cuipiam euenire poterit à conatu impossibili?) Verùm iuxtà scimus hunc illorum conatum simul fuisse impium, subdolum, & diuinæ uoluntati contrarium. Impius erat, propter incredulitatem & diffidentiam. Acceperant enim promissionem à Deo etiam fœderis uinculo firmatã, quod nollet amplius diluuio perdere terrã. Huic si credidissent, turrim hanc moliti non fuissent. Subdolum erat quod regnum molientes populum sibi deuinciebant. Et uoluntati Dei repugnabat iste conatus. Mandarat enim illis, ut terram ingrederentur & implerent. At illi mansionem sibi in terra Sennaar parabant. Ista non sunt adeò obscura, ut à candido nequeant obseruari lectore. Verùm Iulianus hoc scripto declarauit, quàm candidè sacras scripturas legerit aliquando, cum esset in Ecclesia Christi anagnostes. Nos igitur illo relicto facile intelligimus, uoluisse Deum hosce filiorũ Adæ conatus impedire, primum quod essent stulti & impossibiles, deinde quòd impietatem quoq; resiperẽt, subdoli essent, & uoluntati ipsius repugnarent.

QVAESTIO V.

Rursus percontabitur quisquam, quare Deus per confusionem linguarũ ædificationem ciuitatis ac turris huius irritã reddere uoluerit, cũ posset id facere per immutationẽ animi illorũ, quo ad opus huiusmodi ferebant. Cogitandũ hic est, uoluisse Dominũ tali impedimento uti, quod in posterũ ad finẽ usq; mundi duraret, factiq; memoriã retineret: deinde quod ad id quoq; faceret, ut non solum cœptum opus impediret, sed & malè unitorum animos & conuictum disiungeret, eoq; impelleret, ut à seinuicem diuisi in orbẽ uniuersum dispergerent, & per gentes ac familias segregati separatas sibi mãsiones ac regiones quærerẽt ac possiderent. Ad hoc propositũ cõmodissima erat nõ animi duntaxat, sed linguæ quoq; mutatio, & quæ hanc sequuta est confusio, sic dispensata, ut cuilibet familiæ separatũ idioma maneret, quo non modò à reliquis necessariò diuideretur, sed & inter se connecteretur, eoq; ueluti symbolo cognoscceretur. Ad hunc modũ diuisæ sunt à seincem primæ post diluuium gentes, & singulæ familiæ cognatione simul & linguæ communicatione duobus ueluti retinaculis inter se connectebantur. Sic etiãnum uidemus eos qui eiusdem sunt linguæ, unius loci, regionis, ac prouinciæ cohabitationem ab alijs separatã retinere. Cogitant hic nõnulli de cõsilio Dei quo genus mortaliũ in linguas septuaginta duas diuidere, ac postea per donum linguarum Apostolis datum rursus in unum coniungere uoluerit. Sic numerant 72. gentes à Mose assignatas. Tribuunt Iaphet 15. qui numerus constat, si Iaphetũ connumeres. Cham 30. Sem uerò 27. unde numerus 72. colligitur. Quàm firma sit ista consideratio, uiderint alij. Mihi nõ admodũ probat, quod omnes uniuersi generis humani linguæ ad numerũ hũc 72. redigũt. Sic enim fit, ut coganr Iaphetho, Chã, & Sem, unicuiq; peculiarẽ ac separatã linguã à filijs ipsorũ assignare: nec sta bit ea sententia, qua lingua Hebræa in familia Sem perdurasse creditr. Deniq; qd dicemus de illis gẽtibus quas Moses nõ recẽsuit? Quas illis linguas dabimus? Quare planè infirmũ est, qd isti hoc loco cogitant.

De opinione 72. linguarum.

Quare per confusionem linguarum cœptum opus destruxerit.

Obseruatio

OBSERVATIO I.

Consideratur donum loquendi datum hominibus.

Erat autem terra labij unius & sermonum eorundem.] Admonet hic locus, ut cõsideremus donũ loquẽdi. Primũ adscribit terræ labiũ & facultas loquendi. Intelligũt aũt per terrã homines terrã incolẽtes. Et bestiæ quidẽ terrã incolũt, uerũ de illis nõ loquit Moses hoc loco, neq; data est illis à Deo loquẽdi facultas, sed hominibus tantum. Homo solus habet os non solũ comedendi, sed & loquendi. Vsus aũt loquendi est, ut animi nostri sententiam ac uoluntatem intelligibiliter uerbis significantibus exprimamus. Quid enim aliud est uerbum oris, quàm imago quædam mentis, unde nascitur ac profertur? Hanc loquendi facultatem homini tantum concessit Deus, quem ad imaginem suam uirtute uerbi sui, & mente rationeq; præditum condidit. Quare uehementer hoc dono loquendi abutuntur, primùm, qui irrationalia ac bestialia magis q̃ humana, deinde qui turpia & imaginẽ Dei dedecentia, tertiò qui falsa & à corde diffidentia, quasi adultera & supposititia mendaci labio loquunt. Nã hæc omnia à ratione tam insignis doni solis hominib. cõcessi dissident, ut nõ sit præter rationẽ quod Christus Seruator noster Matt. 12. iudicij minaũ, ut rationẽ reddamus de quocũq; ocioso uerbo. & Apostolus Eph. 4. hortaũ, ut pro fito mẽdacio loquamur ueritatẽ unusquisq; cũ proximo suo, nec malus sermo ex ore nostro progrediat.

Abusus linguæ.

Ad quid datum fuerit mortalibus omnibus labium unum.

Deinde adscribitur hic terræ non simpliciter labium & sermo, sed labium unum, & sermo idem. Erat, inquit, omnis terra, id est, omne genus humanum, labij unius ac sermonum eorundem. Vnum & idem idioma linguæ erat mortalibus omnibus. Qui facultatem loquendi dederat homini, poterat idioma dare diuersum, aliud uiris, aliud mulieribus, aliud posteris Seth, aliud posteris Cain, aliud parentibus, aliud liberis, aliud heris, aliud seruis, aliud paruulis, aliud adultis, aliud senibus. Qui postea linguas hominum uario idiomate diuisit, poterat hoc facere statim initio. Verùm non diuersum dedit, sed unum & idem. Si cogitemus de ratione labij omnibus eiusdem, quam possumus assignare aliam, quàm ut unitati & consortio non unius aut alterius gentis, sed omnis in uniuersum generis humani consuleret? Etenim quoniam sermo mentis est expressio, illa autem non solitudini, sed communicationi & conuictui humano destinata est (quorsum nanque opus esset sermone homini solitario & absq; ullo mortalium consortio uiuenti?) manifestum relinquitur ex eo, quod idem omnibus datus est sermo, uoluisse Deum omnes homines communicare inter se de rebus ad necessitatem, & cum primis ad gloriam ipsius, sapientibus. Et reuera donum hoc ipsa sua fic est natura comparatum, ut plurimum ad concordem rerum communicationem facere possit. quod uel ex eo conuincitur, quod ad disturbandum concordes stultorum & impiorum hominum conatus unitas ista linguæ uario est idiomate ac sic diuisa, ut cœpto sint absistere coacti. Quod autem ante diluuium quoq; cum unum esset labium omnibus, atq; eiusdem inter eos qui eadem lingua utuntur, tanta reperiuntur dissidia, diuersaq; ingeniorum & morum studia, ut non frustra dixerit ille, Tres mihi conuiuæ propè dissentire uidentur, Poscentes uario multum diuersa palato: manifestum habet argumentum corruptionis nostræ, qua fit, ut non magis inter canes latratus idem faciat ad mutuæ necessitudinis & amicitiæ conciliationem. Sentiunt homines cordati, unde & quàm turpe sit, quod sub eiusdem linguæ consortio animis, studijs & moribus haud minus quàm album & atrum à nobis inuicem discrepamus. Hanc morum & ingeniorum discrepantiam impius apostata Iulianus dispositioni diuinæ tribuit, quæ per Deorum in hoc mundo dispensetur pluralitatem. Nos scimus eam esse ex huius mundi principe Satana, omnis confusionis ac dissensionis authore, cuius est malitia factum ut unà cum primordiali pietate & innocentia animorum quoq; & ingeniorum perierit unitas & integritas. Huius mali admoneamur, quoties uidemus non solum inter uarias, sed & inter unius & eiusdem linguæ homines grauissimas exerceri inimicitias & dissensiones.

Vnde fit quod illi quoq; à se inuicem dissident qui una & eadẽ utuntur lingua.

OBSERVATIO II.

De eo quod prima generis humani migratio facta est ex Oriente.

Primitiæ uitæ humanæ.

Cumq; proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Senaar, & habitauerunt in eo.] Illud hic obseruandum uenit, quod post diluuium prima humani generis migratio ac profectio ex Oriente facta est in reliquas orbis partes, non ex Occidente in Orientem. Ergo primitiæ uitæ humanæ debentur non Occidenti, non Septentrioni, non Meridiei, sed Orienti. Inde ueluti è carcere quodam primi homines in orbem sunt emissi. Quantum autem discriminis sit inter Orientem & Occidentem, uel Solis cursus testatur, cuius exortus de Oriente, occasus de Occidente quotidie pronunciat. Discriminis huius consideratione admoneamur de discrimine primorum ac postremorum seculorum. Et uitæ nostræ cursum similis est conditio, in qua primi anni Orientem unde crescendo promouemus, postremi uerò occasum, ad quem tandem longè ab Oriente diuersum transimus, ac ueluti migramus, referunt. Ipse itaq; seculorum cursus, ipsaq; uitæ nostræ migratio, non est ab Occidente ad Orientem, sed ab Oriente ad Occidentem: hoc est, non à defectione ad incrementa, sed ab incrementis ad defectionem uitæ & omnis firmitudinis. Horum consideratione reddamur uigilantes ac memores migrationis nostræ. Qui senio quidem premuntur, ac meridiem iam post se reliquerunt, facile sentiunt uitæ ipsorum cursum non tendere ad Orientem, sed ad occasum: uerùm qui iuuentutis adhuc robur ac uires sentiunt, ægrè possunt induci, ut migrationis suæ rationem, ortum ac finem considerent, uitamq; suam rectè instituant.

Facillimum est carni deficere à studio obedientiæ.

Deinde quod de Oriente profecti in planicie terræ Senaar habitarunt, admonet nos, quàm accidat raro, ut per omnia nos diuinis oraculis accommodemus. Quod de Orientalibus montanis, in quibus aliquandiu post diluuium manserant, tandem ad migrationem sese accinxerunt, tanquam orbem ingressuri & impleturi, cõueniebat cũ oraculo Dei, quo dictũ ipsis erat, Ingredimini terrã, & replete eã: quod uerò mox atq; planiciẽ in terra Senaar inuenissent, in illa cõsederũt, & habitationẽ instituerint, defe-

A ctus erat ab eo quod iuxta oraculum Dei cœperant. Sic ſumus comparati in uia mandatorum Dei, ut ferueamus quidem in principijs obedientiæ, uerùm leui paulopòſt occaſione deficiamus.

OBSERVATIO III.

Quomodo priuatum conſiliũ fiat catholicum.

Dixitq; alter ad proximum ſuum: Venite faciamus lateres & coquamus eos igni, habueruntq; lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento. Et dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum, priuſquàm diuidamur in uniuerſas terras.] Principiò illud obſerua. Dixit, inquit, uir ad proximum ſuum, Venite, &c. Videmus hoc loco, quomodo conſilium carnis in unius aut alterius praui hominis corde natum improbis hortatibus ſic producatur in effectum, ut iam non eorum tantum qui excogitarunt, ſed & multitudinis opus ac ſtudium fiat. Quod lateres coxerunt igni, ciuitatemq; ac turrim ſtruere cœperũt, conſilium erat carnis, à paucis aliquot excogitatum: uerùm pauci illi ſic induxerunt multitudinem hortatibus ſuis, ut factum ſit ex particulari conſilio ſtudium & conſilium catholicum. de quo ſic loquitur Dominus: Ecce unus eſt populus, & unũ eſt labium omnibus: cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis. Expreſſum eſt ingenium carnis non ſolum ad excogitandum, ſed & ad propagandũ quod excogitat ſtudioſiſsimè propenſum. Deinde uidemus, quàm ſit peſtilens malum, ſi liberum ſit improbis hortatibus ad facinus aliquod incautam & ſtultam ſollicitare multitudinem. Tertiò ſatis perſpicuè docet hic locus, quomodo priuata uerſutorum hominum conſilia per imperitæ & corruptæ multitudinis ſeductionem fiant catholica.

Conſilium Caiaphæ Ioan. 11.

Sic accidit etiam in concilijs.

Quæ ſtudia naſcantur ex tædio uitæ ſimplicis, agreſtis, & frugalis.

Deinde obſeruemus, quod dicunt, Faciamus lateres, & coquamus eos igni: item, Faciamus ciuitatem ac turrim. Cogitemus hic, ad quæ ſtudia deferantur carnis conſilia, ubi illam priſtinæ ſimplicitatis, ruditatis, ac frugalitatis tædere cœpit. Patres filiorum Noe habitarant in tabernaculis, tanquam peregrini in hoc ſeculo, & homines rure uitam degentes. Iſti uerò, ubi nacti erant campos fertiles, id quod ex circunſtantijs hiſtoriæ huius patet, prioris & auiti uictus pertæſi, capiunt conſilia ædificandæ ciuitatis & turris, quo faciebat inuentum faciendorum è luto & igni coquendorum laterum. Sic concurrebãt tædium uitæ priſtinæ, & agreſtis: ſolertia faciendorum laterum, & qualitas loci. Ingenioſa ſcilicet eſt caro, ad deficiendum à ſimplicitate & frugalitate maiorum, ad uitam uanè ſplendidam, ac ſplendidè uanam. Et huius defectionis exempla quamuis omnibus ſeculis paſsim extiterint, noſtro tamen omnium ſunt manifeſtiſsima, in quo nullus eſt ſplendidorum ædificiorum finis. Arbitror autem nemini cordato eſſe obſcurum, non poſſe conſiſtere apud eos uitam ſimplicem, frugalem, agreſtem ac tabernacularem,

Vita ſplendida, delicata, & urbana, requirit muros ac turres

B qui tabernacula & tuguria agreſtia mutant in manſiones urbicas, & uſqueadeò affectatè lapidibus extructas, ut quoniam natiui deſunt ac quadri lapides, ſingulari artificio lutum forment in lateres, & igni coctos pro lapidibus uſurpent. Haud opus eſt operoſa declaratione in re omnium manifeſtiſsima, quæ inde à poſteris Noe cœpta, ſic eſt in uſu retenta, ut etiam noſtro ſeculo paſsim uerſetur ob oculos.

Simul & illud obſeruandũ eſt, quòd nõ ſimpliciter dicunt, Faciamus nobis ſplendida ædificia, relictis tabernaculis: ſed, Extruamus nobis ciuitatẽ ac turrim, cuius culmẽ pertingat uſq; ad cœlũ. שחי, id eſt, ciuitas, Hebræis eſt locus qui non ſimpliciter ſicuti uillæ ac pagi inhabitatur, ſed ſecuritatis gratia muris cingitur, propugnaculiſq; ac turribus aduerſus impulſus hoſtiles munitur. Et in hunc uſum muri ac turres in ſublime apud ueteres erigebantur, quo difficilius ab hoſtibus adhibitis gradibus ſuperarentur. Sic ſcribit Moſes & poſteros Noe paraſſe ſibi manſiones non ſolum ſplendidas, ſed illas etiam muris urbicis circũdediſſe, ac turri ſublimi communiuiſſe. Videmus hic, quibus ſe laboribus & periculis reddãt ob noxios, qui à frugali ac tabernaculari uita ad urbanas delicias & opum coaceruationes deficiũt. Qui rure degunt, agros colunt, & humilibus caſis habitant, non habent opus muris, turribus, ac propugnaculis, quia hoc genus uiuendi, & humiles caſæ, laboreſq; agreſtes, non ita potentum ac ferocium hominũ inſidijs, ſicuti ſplendor urbanus, & loca munita, exponunt. Quare qui uel lateribus uel quadris ædificant, opes cumulãt, ac ſplendidè uiuunt, multos ſortiunt æmulatores & inſidiatores: & quoniã multos lædunt & offendunt, multos uiciſsim inueniunt hoſtes, nec poſſunt puram & ſecuram erga uicinos retinere conſcientiam, unde fit ut iudicent opus eſſe munitionibus, quibus aduerſus uim & inſidias hoſtium conſeruentur. Hinc naſcuntur conſilia extruendorum murorum, propugnaculorum ac turrium. Et ubi iſta parata ſunt, ſecurè ac pro libidine uiuitur, nec ulla eſt cogitatio de reſipiſcentia, de amplectenda ac retinenda gratia Dei, de uita frugaliter inſtituenda, deq; uicinis ad beneuolentiam prouocandis. Quapropter non debemus putare, quòd magnæ ac potentes urbes ſine ſingulari iudicio Dei ſic aliquando deſtruuntur, ut turribus ac muris deiectis, pagis ac uillis ſimiles reddantur. Et ſic puto horribile illud bombardarum inuentũ poſtremis iſtis temporibus iuſtiſsimo eſſe Dei iudicio deſtinatũ, quo & robuſtiſsimæ urbium & arcium munitiones deturbentur, & quamuis præclaræ uirorum pariter & equorum uires inanes reddantur ac proſternantur.

Vita ſplendida et muris munita parũ cogitat de reſipiſcentia.

Vaſtationes urbium.

Bombardarũ inuentum.

Præterea notandum eſt, quod dicunt, Et celebremus nomen noſtrum. Apparet ex his uerbis, à quibus cœperit conſilium hoc ædificandæ ciuitatis ac turris. Haud uidelicet ab inferioribus & humiliori bus, plebeijs & uulgaribus hominibus: ſed à potioribus ac primoribus, quos perpetuò inanis gloriæ parandiq; nominis ſtudium diuexat. Horum erat iſta uox, Aedificemus ciuitatẽ ac turrim, & celebremus nomen noſtrum. Arbitror omnino paucos ex omnibus ciuitatum ſtructoribus ac fundatoribus dari poſſe, qui à ſtudio nominis & uanæ gloriæ fuerint alieni. Quantũ aũt & quale ſit hoc uitiũ, quo nõ hoc agitur ut nomen Domini ſanctificeĩ, & reipublicæ quæratur utilitas, ſed ut noſtra nomina cùm apud præſentes tũ coram poſteris celebria fiant, nõ eſt præſentis inſtituti exponere. Natũ eſt hoc malũ in

A quibus cœperit conſilium ædificandarum ciuitatum ac turriũ.

Vnde ſit ſtudiũ inanis gloriæ.

cordibus

cordibus humanis ex peccato illo originis, quod conceptum est ex affatu satanæ dicentis: Eritis sicuti dij. Vis illius tanta est, ut angelos cœlo, & primos homines paradiso deiecerit, ex felicibus infelices, & ex immortalibus mortales reddiderit: deinde adeò insidiatur sanctis etiam hominibus, ut Apostolos quoq; tentarit, & Ecclesiæ Christi pastores & doctores in mancipia Antichristi peruerterit.

Quæ sit uis nouo delicto.

Et quantum putamus hodie eorum esse numerum, qui nullo alio impedimento detineantur, ne ad manifestam ueritatem doctrinæ Christi concedant, quàm quòd studiosiores sunt retinendi nominis in hoc seculo, quales erãt illi quibus Christus dicebat: Quomodo potestis uos credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? Ioan. 5. Sed redeamus ad eos qui ciuitatem studio nominis sui extruunt. Quicquid de ipso sit opere sentiendum, quantumuis magnificum uideatur, & quamuis singularem inueniat diuturnam q; & longæuam nominis celebritatem, propositum tamen illius adeò est detestabile, ut magis ignominiã corã Deo & fidelibus hominibus mereaꝰ, quàm gloriam. Iam cogita, quæso, si culpabiles sunt ac detestabiles, qui ut nomen suum celebre reddant, ciuitates uel de nouo ædificant, uel ædificatas ampliant, & aliqua ratione illustriores ac munitiores reddũt: quid sentire conueniat de tyrannis illis, qui nominis sui celebritatem non hac ratione quærunt, ut ciuitates uel extruant uel amplificent, sed ut ab alijs ædificatas & illustratas, etiam antiquitatis nomine uenerandas, per uim & iniuriam destruant, uastent, & desolatas constituant?

Quàm sint infelicia carnis consilia.

Etiam hoc consideremus, quod dicunt, Priusquàm diuidamur in uniuersas terras. Suprà monuimus gendum esse, Ne dispergamur super faciem uniuersæ terræ. Obseruandum est, quæ sit consiliorum carnis infelicitas. Per ciuitatem & turrim arbitrabantur se & nominis sui statuere gloriam, & simul cauere, ne plebs ab ipsis dispergeretur, sed eo loci retenta libidini ipsorum esset exposita: uerùm hoc ipso effecerunt, ut à seinuicem dispergerentur. Dispersionem detrectabant, at sicuti scriptum est, quod timebant impij, uenit super ipsos. Sic accidit & Iudæis. Ne fortè Romani ueniant, aiebant, & destruant nostrum locum & gentem. &: Expedit ut unus moriatur pro populo, ne tota gens pereat. Itaq; ne incidèrent in manus Romanorum, locũq; & gentem perderent, arbitrabantur crucifigendum esse Christum. Verùm hoc ipso consilio effecerunt, ut per exercitus Romanorum uastarentur ac perderentur, diuina ipsos uindicta, propter tam insignem malitiam & incredulitatem uisitante, & meritas pœnas sumente.

Quid considerãdum sit in expositione communi

Videamus etiam quid considerandum nobis sit in expositione ac lectione communi præsentis loci. Si intelligas eos ob id uoluisse turrim extruere, quæ ad cœlos usq; pertingeret, quo posthac securi essent ac tuti aduersus aquas diluuij, si quando terras iterum sicut antea obtegerent, eoq; sensu dictum abilis esse, Venite ædificemus nobis ciuitatem ac turrim, cuius culmen ad cœlum pertingat, &c. exemplum

Prudentia carnis.

habes impij consilij ex ipsa carnis prudentia profecti, quæ sic argutatur: Aqua perdidit mundum. Defuerũt turres & munitiones excelsæ. Venite igitur, ædificemus nobis ciuitatem ac turrim, quæ uertice suo ad cœlum usq; exurgat, & ad cuius fastigiũ aqua nõ pertingat. Sic ratiocinatur caro impia, incredula, & stulta. Non uidet, unde sit exitium, cuius radices & fontes ignorat. Debebant potius dicere, Malitia & impœnitentia corrupti mundi, carnem uniuersam diluuio perdidit, gratia Dei & studium iustitiæ seruauit patrem nostrum Noah. Simus itaq; grati erga Deum, cuius misericordia factũ est, ne & ipsi perderemur, & maneamus in studio ueræ pietatis & iustitiæ, ne irã illius in nos conciremus, acrandem pereamus. Verùm carnales erant, & alieni à cogitationibus fidei huius ac ueræ sapientiæ. Sic sunt comparati in uniuersum, quotquot spiritu fidei destituti, carnis tantum iudicio siue de salutis suæ, siue de perditionis causis ratiocinantur.

Vide locũ Hier. 44. Quoniã cessauimus sacrificare r eginæ cœli, apprehenderũt nos ista mala.

Deinde, si secundum uulgatam tam Græcam quàm latinam uersionem legas, Priusquàm diuidamur in uniuersas terras, intelligasq; eos haud ignorasse futurum ut in uniuersas terras diuiderentur, nec conatos esse dispersionem eam hac impedire ciuitatis ac turris ædificatione, sed nominis sui uoluisse memoriam in terris erigere, priusquàm à se inuicem diuiderentur, exemplum obseruabis animi prorsus carnalis, & sic comparati, ut quoniam futurum incommodum impedire se non posse intelligit, aliquid saltem præripiat, quod delectet. Sic cogitabant isti (secundum uulgatam hanc lectionem) futurum esse, ut à nobis inuicẽ diuellamur, & in uniuersas terras ueluti dispergamur: agè igitur qnando hoc impedire non possumus, saltem hoc faciamus priusquàm diuidamur. Aedificemus ciuitatem ac turrim, insignem & memorabilem, quo nomen nostrum & cognatæ originis memoriam celebremus ac stabilimus. Sic comparatum est carnis ingenium, maximè ubi facta est deplorata. Moriendum est, inquit, & relinquenda semel hæc omnia. uita nostra transit, & nomen nostrum oblitionem accipiet, nec erit copia reuertendi in hanc uitam. Agè igitur fruamur bonis præsentibus, priusquàm abripiamur ex hac uita, & uiam uniuersæ carnis ingrediamur. Statuamus nobis nomen, antequàm tenebris obliuionis sepeliamur. Hæc sit portio uitæ nostræ. Tales impiæ ac deploratæ carnis cogitationes Sapientiæ, legimus. Et Esa. 22. Vocat Dominus Deus exercituum, inquit, ad fletum, ad planctum, ad caluicium, ad cingulum sacci (hoc est, ad luctum & pœnitentiam) & ecce gaudiũ & lætitia. Occidunt uitulos, iugulant arietes, comedunt carnes, & bibunt uinum. Comedamus, inquiunt, & bibamus, cras enim moriemur. Vtinam nihil horum uideamus hodie. Vocamur & ipsi ad resipiscentiam, prædicuntur nobis imminentia flagella, exterminia, mutationes rerum, uastationes regionum, migrationes & exilia, nisi resipiscamus: uerùm usqueadeò deplorata mente sumus, ac ceruice obdurata, ut ne cogitemus quidem iram Dei, quam scimus flagitijs nostris prouocari quotidie, uel simulatione aliqua resipiscentiæ & humiliationis placare, sed perinde in carnis delicijs, luxu, & fastu pergamus, ut etiamsi non uerbis, ipso tamen

Sap. 1.

Esa. 22.

Deploratum nostri seculi malũ.

A tamen facto dicamus, Edamus, bibamus, deliciemur, nomina nostra celebremus, priusquàm moriamur, & antequàm flagellum Domini immineat. Sic nonnulli in ore illud frequenter habent: *Lieber laß vns essen vnd trincken vnnd güter ding sein. über hundert iar, seind die heyden hie.*

IMAGO DEFECTIONIS ECCLESIASTICÆ.

Haud possum ad sequentia progredi, nisi primùm paucis admonuero, quæ obseruanda sit hic defectricis Ecclesiæ imago. Posteri Noe de Oriente, sedibus uidelicet pristinis profecti, uenerunt in terram Senaar, campos ac planiciem excussionis, & mores auitæ pietatis & integritatis abiecerunt. Carnales ac falsi Christiani de Oriente profecti, unde sicuti Basilius in Epistolis scribit, fides Christiana primũ cœpit, à recta & pristina fidei integritate defecerunt. Omnis defectio, qua à primæua integritate defici tur, uelut ab Oriente, ideſt origine sua, tendit in terrã Senaar, terram excussionis. Discedit ab Oriente, quisquis ab origine ueritatis deficit. Regula ueritatis in origine sua retinenda est, quæ à Christo est per comites ipsius, ut uerbis Tertulliani utar, trãsmissa, quibus diuersi commentatores & doctores aliquan to deprehenduntur esse posteriores. Ipse autem rerum ordo manifestat, id esse Dominicum & uerum, quod prius est traditum: extraneum uerò & falsum, quod à priori dissidens, posterius est immissum. Quamprimum itaq; cœpit Ecclesia non uoce Christi communis & unici nostri pastoris pasci, sed humano magisterio per traditiones Episcoporum ac prælatorum magistraliter & pontificaliter, ut sic dicam gubernari, quæso quid aliud agebatur, quàm quod ueri Noe, Christi uidelicet posteri, relicta Oriente deficiebant ad campos terræ Senaar? ubi iugum Christi, & ueram illius disciplinam excusserunt?

Posteri Noe ex Oriente profecti.

In Apolog. cap. ult.

Posteri Noe ab Oriente profecti inuenerunt campũ, inquit, in terra Senaar, & habitarunt in eo. Defectores Christiani inuenerunt & ipsi campum ac planiciem in terra Senaar, securitatem uidelicet, latitudinem q; uitæ carnalis, nacti sunt ueluti fertiles campos unde mundi huius opibus diteſcerent, reliquerunt uitam frugalem, simplicem & laboriosam, amplexiq; sunt glebas pingues terræ Senaar, omnis generis deliciarum, uoluptatum & opum feraces. Campos hosce nacti cœperunt in illis figere sedem & habitationem. Gloriantur de successione Apostolorũ, quibus dictum erat: Ite in orbem uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. At ipsi perinde atq; posteri Noe, quibus erat dictum, Ingredimini terram, & replete eam, inuento campo Babylonico fixerunt ibi sedem, relicto mandato Dominico, ex

Inuenerunt campum in terra Senaar, & habitauerunt in eo.

Successio Apostolorum.

B Apostolis in orbem migrantibus, principes & habitatores terræ Senaar facti: de quo usq; adeò non erubescunt, ut de sede sua, quam Apostolorum uocant, glorientur etiam, nec sentiant quàm malè conueniat sedes Apostolis, id est legatis ac nuncijs Dominicis. Verùm constituerunt sedem suam in terrã Senaar ארשבי שנער usq; adeò obfirmati, ut nisi diuinitus exturbentur, sedes hasce terræ Senaar haudquaquam sint deserturi. Gloriantur etiam hodie Romanæ sedis satellites, non potuisse in hunc usq; diem Apostolicam hanc sedem ullo pacto moueri. Sic habitant obfirmati ac sedent Apostoli in campo terræ Senaar, nec sperandum est ut ad deserendam hanc defectionis sedem aliquando suapte sponte exurgant, & ad Dominici mandati adimpletionem, hoc est, Euangelicæ ueritatis prædicationem calciati pedes accingantur, ut audire possint Apostolicum illud: Quàm specioſi pedes euangelizantium bona, annunciantium pacem.

Sedes Apostolica in Babylone.

Vltrà posteri Noe, habitatores terræ Senaar, faciunt è luto lateres, & coquunt eos igni, utuntur q; illis pro saxis, & bitumine pro cæmento, ad extruendam sibi ciuitatem ac turrim, cuius fundamenta quidem sint in terris, culmen uerò ad cœlum usq; pertingat. Antichristiani ubi ab origine ueritatis Christi deficere, & sedem suam in terra Senaar figere cœperunt, sibij psi Ecclesiam, in qua regnent, ex lateribus & luto construxerunt. Later autem quid est aliud quàm lutum humana industria formatum, & igne duratum? Bitumen Ebraicè חמר lutum est & ipsum. Sic Babylon, Ecclesia illorum, latericia est & lutea. Non est constructa ex uiuis ac ueris lapidibus, neq; ex uero cæmento. Omnis illius structura est non ex ueris, sed factitijs Christianis. Episcopi in hac Ecclesia non sunt ueri Episcopi, sed pro ueris Episcopis: presbyteri non ueri presbyteri, sed pro presbyteris: doctores non ueri, sed pro ueris doctoribus: doctrina non uera, sed pro uera: religio non Christiana, sed pro Christiana. Bitumen illis est non uerum cæmentum, sed pro uero cæmento: id est spiritus, quo omnia illorum constant & ueluti conglutinantur, non est uerus Christi spiritus, sed terrenus pro uero Christi spiritu. Dispeream, si singula Antichristianæ Ecclesiæ membra consideres, si non omnia deprehenderis esse aliena ab eo quod uocetur fundata sit in terris, inq; illa regnet, nihilo tamen minus ratum sit in cœlo & firmum, quicquid statuerint. Sic turrim suam extollunt, ut uerticem illius ad cœlos usq; ascendere dicant. Sed reuera ad cœlos ascendit blasphemia Babylonica, cuius culmen quid est aliud quàm execrabilis superbia bestiæ quæ dicit: Ascendam ad cœlos, & similis ero altissimo, & qua se extollit super omne quod dicitur Deus, sedens in templo Dei, quasi sit Deus.

Faciamus lateres et coquamus eos igni. Aedificemus ciuitatem.

Ecclesia Babylonica.

At Christi Ecclesia non est ex lateribus & luto, hoc est falsis Christianis, falsis Episcopis, & terreni spiritus glutino, sed ex uiuis lapidibus, fidelibus scilicet hominibus, non ex carne & sanguine, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo natis, constructa, & opera spiritus sancti conglutinata, est q; architectus illius non homo, sed Deus. De uiuis lapidibus uide 1. Pet. 2. firmitudo huius tanta est, ut nihil contra ipsam non modò latericia, lutea, fictitia & falsa Antichristianorum Ecclesia, sed nec ipsæ posint inferorum

Ecclesia Christi 1. Pet. 2.

Matth. 16.

A portæ.

portæ. Fundata enim in montanis est supra petram immobilem, non supra molle ac mobile lutum terræ Senaar. Interea tamen lateritia illa ac lutea Babylon fingit se esse omnium fortissimam, dicitq; Non mouebor in sempiternum: & regnat in hoc seculo, diademate regio coronata, cum omnium delicatissima ac turpissima, ocio, luxu fastu, & omnis generis flagitijs eneruata iam penè diffluxerit. Cuius interitum amatores ipsius non poterunt animaduertere, nisi prorsus deiectam uideant, implearurq; unicinium spiritussancti, quo dictum est in Apocalypsi. Cecidit cecidit Babylon magna, &c. Verè felices sunt oculi, qui Babylonis huius interitum, Ecclesiæq; Christi firmitudinem, acumine fidei & prænident ipsi, & alijs præmonstrant.

OBSERVATIO IIII.

Primùm uidendum, deinde iudicandum.

Descendit autem Dominus ut uideret ciuitatem ac turrim, quam ædificabant filij Adam.] Obseruandum hic est, quòd Dominum Moses cœlitus descendisse, ac structuram filiorum Adæ uidisse dicit, cum conatum & opus illorum impediuit. Sumunt hinc communiter exemplũ, quod magistratus imitentur, quo & ipsi uideant primùm, id est certò cognoscant, antequàm iudicent ac sententiam pronuncient. Admonitio sanè necessaria omnibus illis quibus est potestas iudicãdi & quæ mala sunt corrigendi commissa. Quid enim iniquius, quàm nondum certò cognita temerè damnare, & uel ex incerta suspicione uel secundum aliorum delationem præcipitare sententiam? Sic Putiphar Aegyptius Ioseph um innocentem, causa nondum cognita, ad solam uxoris accusationem, coniecit in carcerem. Et Pharisæi Christum omni causæ illius inspectione cõtempta, missis satellitibus capere moliebantur, quibus Nicodemus resistebat dicens, Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Ioan. 7. Huiusmodi temeritas insidiosa est magistratibus ac principibus, qui satis esse putãt, & potestate funguntur de factis aliorum iudicandi: nec putant admodum referre, quàm id certò ac legitimè faciãt, præsertim si animaduertendum sit in homines obscuros ac plebeios. Rectè ergo qui huiusmodi sunt, exemplo hoc Dei admonentur, ne quam causam nondum certò cognitam iudicio suo damnent: sed primùm descendant, uideant, & liquidò quid ueri sit, quid non sit, cognoscant. Nec possunt ullius dignitatis quamuis eximiæ siue Regiæ siue Cæsareæ sublimitate excusari, si diuersum fecerint. Neque enim sublimiores sunt Domino, qui rex est regum: neque subditi eorum inferiores sunt illis, quàm filij Adam Deo.

Cauendum esse ne dicamus cum impijs, Non uidet Dominus.

Deinde admonemur hoc loco, cauendum nobis esse, ne cum impijs dicamus: Non uidet Dominus quæ facimus, non curat facta mortalium, deliciatur in cœlis, contemnit ea quæ fiunt in terris. Impia est hæc cogitatio, & omnium falsissima. Quamuis cœlos inhabitare dicitur Deus, inspicit tamen structuram filiorum Adæ, & in temerarios conatus iudicio irrefragabili ac iusto animaduertit.

Ædificatores Babylonij sunt filij Adam.

Tertiò nec illud transeundum est, quòd ædificatores ciuitatis ac turris huius, ac nominis sui celebratores, uocantur per tapinosim, filij Adam. Sic cogitemus perpetuò, ubi magnos uidemus mortalium conatus, splendorem, & inanis gloriæ studium & ostentationem, esse eos filios Adæ. Quo magis adspiramus ad diuinitatis fastigia, hoc magis humilitatis nostræ sumus admonendi, cuius obliuiscimur, quoties tentatione satanæ uelut in montẽ excelsum subuecti, nescio quã regnorũ, potẽtiæ, ac maiestatis gloriam affectamus. Quare nihil pestilentius excogitari poterit, quàm aulicum illud, Euge euge, quo mentes principum & magnatum sic dementantur, ut homines esse se ac filios Adæ prorsus obliuiscantur. Aduersum hanc illorum insaniam orat propheta Dauid Psalmo 9. dicens: Exurge Domine, ne confortetur homo, iudicentur gentes in conspectu tuo. Incute metum illis, ut cognoscant gentes homines esse se. Vix ullum poterit esse præsentius remedium aduersus humani cordis supercilium ac fastum, quàm si perpetuò memores simus, esse nos non deos, sed filios Adæ, homines miseros & calamitosos.

Aulicum, euge euge.

Psal. 9.

OBSERVATIO V.

Exemplum peruersæ unitatis.

Et dixit: Ecce unus est populus, & unum est labium omnibus. Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.] In eo quod dicit, Ecce unus est populus, & unum est labium omnibus, cœperunt hoc facere, nec desistent, &c. exemplum habemus peruersæ unitatis, qua caro nostra abutitur ad studia non bona, sed praua. Vnus erat hic populus, & sanguinis origine ac cognatione, & cohabitatione, & labio, & ædificandæ ciuitatis studio, spiritu uidelicet & proposito, ut de illo quoque dici queat: Erat illis cor unum & anima una. Verùm unitas ista diuinæ uoluntati repugnabat, ideoq; per confusionem linguarum discerpebatur. Admonemur hoc exemplo, dignam esse malam concordiam quæ diuidatur, & Dominum ipsum diremptorem ac disturbatorem esse unitatis, quæcunque in se mala non sit, ad malum tamen usurpatur ac peruersa redditur. Non erat mala unitas posterorum Noe, quòd unus erant populus, & uno omnes loquebantur labio: uerùm quoniam unitas ista sanguinis, cohabitationis, & sermonis concordiam praui studij alebat, eoq; seruiebat, ut pertinaciter in opere impio pergerent, hanc ob causam digna reddebatur quæ destrueretur, quo nec unus esset amplius populus, nec eodem, sed multifario sermone diuisi ac discordes loquerentur. Cogitemus hic quale sit quod aduersarij clamant, scissam esse concordiam Ecclesiæ, non debuisse unitatem Ecclesiæ dividi: fuisse antea populum Ecclesiæ unum, nunc esse in partes diuisum: detestanda esse schismata, quibus concordia Ecclesiastica rumpitur: schismaticos non esse ferendos: & nescio quæ alia malè consulti homines euomunt. quibus regerimus, non Christianam fidelium, sed Babylonicam illam aduersus Deum ædificantium unitatem scindi: nec impediri structuram ueræ domus Dei, quæ Christi est Ecclesia,

Dignam esse malam concordiam quæ disturbetur.

De concordia Ecclesiastica.

sed

A sed ciuitatis illius ac turris, in qua sedem suam meretrix Babylonica constituit. Non negamus nos esse schismaticos ac turbatores unitatis catholicæ. Turbamus enim studio pio & Christiano concordiam Babylonicam, & abducimus quoscunque poterimus ab obedientia & unitate regni Antichristi, ad Ecclesiam & regnum Christi. Si bona est omnis concordia, nec refert qualis sit, bona erat etiam eorum de quibus hic Moses scribit, quòd fuerint populus unus, & ciuitatem ac turrim Babel concordi studio ædificarint, adeoq; culpabilis Deus est, q illam turbauit ac dissoluit. Si uerò nõ est quæuis concordia talis, ut bona sit, ac licitè scindi nequeat, sed refert plurimum, qui & quali sint unitate coniuncti: consequitur irrefragabiliter, non esse quamuis concordiam bonam ac Deo gratam, etiamsi sit planè catholica: nec esse mox culpabiles ac damnandos quosuis schismaticos, & catholicæ unitatis turbatores, nisi damnandi sint, qui admonitionem spiritussancti sequuti egrediuntur de Babylone, ac unitatem illius soluentes, quosuis secum educere conantur, ne delictorum illius ac simul exitij participes inueniantur.

Non negamus nos esse schismaticos.

Deinde obserua quod dicit, Cœperunt hoc facere. Quod cœperant facere? Cœperant ædificare ciuitatem & turrim in qua celebraretur non Dei, sed ipsorum nomen, & iungerentur habitarentq; securè & indiuulse rebelles, ac dominium obineret Nimrod fortis uenator, persequutor & oppressor piorum & innocentum. Hoc erat ipsorum opus. Verùm, cœperunt, inquit, hoc facere. Ergo nondum fecerant, nondum absoluerant, sed tantum cœperant. Admonemur in hac ueluti figura ædificationis Antichristianæ, quid accidat illis qui ciuitatem & Ecclesiam Deo rebellem ædificant. Hoc nimirum quod accidit ædificantibus ciuitatem ac turrim regni Nimrodici ac Babylonici. Cœperunt quidem, uerùm ad destinatum finem non peruenerunt. Etenim antequàm absoluissent, descendit Dominus, uidit, ac cœptum opus disturbauit. Idem accidit & istis. Cœperunt ædificare Ecclesiam Romanam, cui subiectæ essent omnes totius Christianæ religionis populi, in qua sederet Pontifex uniuersalis, caput & rex omnium, cœlestis ac terreni iactans imperij potestatem. Verùm ne in hunc quidem usque diem ad fastigium operis peruenire potuerunt, sic ut ab uniuersis Christianorum Ecclesijs bestia ista Nimrodica adoraretur, & pro capite uniuersali agnosceretur, quãuis mirum in modum structuram impiam ac sibi rebellem. Permisit quidem illi magnum quoddam & aliquot seculorum ac prouinciarum regnum, propter eos qui quoniam ueritati non credunt, digni sunt qui credant mendacijs, sicuti Apostolus 2. Thess. 2. scribit: uniuersale uerò & perpetuum, quale structores isti molirentur quidem, uerùm ad destinatum finem non peruenerunt. Etenim antequàm absoluissent, descendit Dominus, uidit, ac cœptum opus disturbauit. Idem accidit & istis. Cœperunt ædificare Ecclesiam Romanam, cui subiectæ essent omnes totius Christianæ religionis populi, in qua sederet Pontifex uniuersalis, caput & rex omnium, cœlestis ac terreni iactans imperij potestatem. Verùm ne in hunc quidem usque diem ad fastigium operis peruenire potuerunt, sic ut ab uniuersis Christianorum Ecclesijs bestia ista Nimrodica adoraretur, & pro capite uniuersali agnosceretur, quãuis mirum in modum structuram impiam ac sibi rebellem. Permisit quidem illi magnum quoddam & aliquot seculorum ac prouinciarum regnum, propter eos qui quoniam ueritati non credunt, digni sunt qui credant mendacijs, sicuti Apostolus 2. Thess. 2. scribit: uniuersale uerò & perpetuum, quale structores isti molirentur quidem semper, haudquaquam concessit, quemadmodum & ædificatoribus Babel ut inciperent quidem dum hoc ueluti fastigio operis ciuitatem hanc absoluere etiamnum conentur. Disturbat enim Dominus structuram regni Nimrodici, & aliquousq; promouerent, concessit: id uerò non permisit, ut quod facie bant perficerent ac pro uoto absoluerent.

Incipiũt quidem impij, sed nõ perficiunt quod uolunt.

Figura structuræ Antichristianæ.

Datur impijs ut aliquousq; promoueant. 2. Thess. 2.

B Tertiò & illud notemus, quod dicit: Nec desistent à cogitationibas suis, donec eas opere complerent. Considerandum hic est ingenium carnis, quàm sit propositi sui tenax, cum aliàs sit inconstantissima. Inconstantiam suam declarat in studijs illis quæ bona sunt & diuinitus tanquam iusta, utilia, ac salutaria proponuntur. In hisce nihil est carne nostra instabilius, nihil ad remissionem primùm, deinde & omnimodam defectionem procliuius. Aegerrimè incipit, fluctuanter operatur, citò remittit ac friget, paulopòst planè deficit ac cessat, quantumuis urgeatur. Pertinaciam uerò ac præposteram perseueran tiam mordicus retinet in studijs prauis, noxijs, ac Deo inuisis. Hic nihil est illa firmius ac stabilius. Vltrò appetimus, alius alium inuitamus, operi accingimur, feruemus operantes, nec remittimus, multo minus deficimus, donec uoti compotes facti ad finem perueniamus. Haud opus est, ut ista declarentur exemplis, quandoquidem plus æquo sunt manifesta & comperta. Vbi cœpimus studere pietati, mox fastidimus ac relabimur. Vbi peccare cœpimus, completur in nobis quod hic de Babylonijs dicitur, Cœperunt hoc facere, nec desistent.

Caro tenax mali propositi & inconstãs in bono.

Quartò, obserua quod pro eo, quod latinus legit, Cœperunt hoc facere, nec desistent, in Hebræo habetur ad hunc modum רזח חחלם לעשות רעתח לאיבצר מיחם, id est, Et hoc est principium eorum ad faciendum, & nunc non prohibebitur ab eis. Quod dicit, Non prohibebitur ab eis quicquid excogitarunt ad faciendum, amplius aliquid habet, quàm si legas, nec desistent. Significatur enim, tantam esse pertinaciam carnalium hominum in malo, ut ne prohiberi quidem ab opere cœpto sustineant, tam ab est ut ulterò desistant. Crediderim fuisse pios aliquot, præsertim Noe ac Sem, qui cœptum opus reprobauerint, & impedire conati sint. uerùm uicit concors ædificandi studium, sic ut nullis potuerit dehortationibus impediri, nulla maiorum authoritate prohiberi. Ea demum uera est pertinacia in malo, non qua perseueratur, ubi nemo dehortatur, sed qua omnis dehortatio pertinaciter contemnitur. Hanc notamus, quando de homine incorrigibiliter peccante dicimus, *er laßt im nit weren.*

Quanta sit carnalium hominum pertinacia.

Quis autem futurum sperare poterit, ut ultrò in ordinem redeant, & à malo desistant, qui usque adeò sunt obdurati, & in quouis scelelere adeò impudentes facti, ut omnis honesti sensum prorsus amiserint: quorum tanta est arrogantia, ut sicut Petrus dicit, dominationes etiam contemnant, immo luditrijs ad pedes usque suos exponant: tanta est hypocrisis & astucia, ut orbem dementent: tanta auaritia, ut ne multorum quidem regnorum opibus exaturari, ecq; perduci queant, ne Christum ipsum pro modica pecunia uel cum Iuda proditore uendant, uel cum Simone Mago emãt: tanta denicq; est ac tam infrenis libido, ut naturalem mulierc ularum congressum plerique illorum fastidientes, eum qui naturæ repugnat cum Sedomitis igne cœlitus deletis in delicijs habeant, & impudentissimè quoque gloriando iactitent: quorum tanta est ac tam deplorata impietas, ut quantumuis in corde religionem

Hypocrisis. Auaricia.

rideant, hominem Dei timentem subsannando, bon Christian, id est fatuum ac stultum uocent, suâ ipsorum sacra putidissimis ac uilissimis hominibus exequenda imponant, in templis dum missatur spacientur, oculos luxuriæ plenos hinc inde iactent, in lectulis mollissimè cubando causas audiant, in latrinis cubicularibus sedendo horas suas, quas Canonicas uocant, ebiaterent, & missas quoque audiant, atq; ita latriam suam cum latrina coniungant. Quis inquam adeò poterit stultescere, ut credat hoc hominum genus ullam admissurum, nedum moliturum reformationẽ, ut non de ipsis quoq; uerissimè dici poterit, cœperunt facere quod faciunt, nec prohibebitur ab eis quod faciunt? Et tamen cum hæc sint omnium manifestissima, non solum uocantur isti homines ad cõcilij celebrationem quo Ecclesiæ Christi reformentur, sed & omnis datur illis decernendi ac statuendi potestas, & usq; adeò stultescit hic mundus, ut pars cæca superstitione, pars desperatione huiusmodi sese Concilio cum omnibus suis subijciant, ut exclamare libeat: O cæcas hominum mentes, immo, O putidas mentes, ac turpissima omnium desperatione proiectas.

Structores Babyloniei homines astuti.

Quintò. Expendamus & illud, quòd non simpliciter dicit, Cœperunt hoc facere, nec desistent, sed addit, A cogitationibus suis. Vt autem intelligas non loqui Deum hoc loco de simplici aliqua & obiter incidente cogitatione, sed de astutissimo consilio, singularíq; uafricie ac peruersitate, dicit in Ebræo, אשר יזמו לעשות, id est, quod excogitarunt ad faciendum. Significat autem uerbum זמם non simpliciter cogitare aliquid, sed studiosa ratiocinatione excogitare ac meditari, qualia solent esse cosilia hominum astutorum. Ergo non tribuitur Babylonicæ ciuitatis structoribus, quòd fuerint homines simplices ac rudes, & temerè ad ædificandum prorumpentes: sed quòd fuerint astuti, callidi, & ad excogitandum praua consilia prompti, quodq; structuram hanc prauo & astuto consilio excogitarint. Confer ad

Aedificatores Israelis.

exemplum istorum Babylonicæ ciuitatis architectorum, primùm eos qui in populo Israelitarum non domum Dei, sed magisterij sui arcem ædificabant, de quibus scriptura loquitur, dicens: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, quod Christus ipse Matth. 21. principibus sacerdorum ac senioribus populi obiecit: deinde & illos, qui ciuitatem & arcem regni Papistici uel ædificarunt hactenus, uel hodie quoq; ne corruat suffulciunt: & expende diligenter, quales sint homines, ut non tales, qui omnia ad regni sui structuram facientia callidissimè ac uaferrimè excogitarint, sic ut agnoscere cogaris non humanam aliquam prudentiã & astutiam, sed incomparabilem ac prorsus diabolicam nequitiam, quam Apostolus, quod Antichristi regnum concernit, non absre mysterium uocat iniquitatis. In hac structura Babylonica non perstringuntur qui operas manuarias ad faciendos igneós coquendos lateres, & ad parandum pro cæmento bitumen adhibuerunt, quod uulgus præstitit, sed ipsi architecti, homines primores, callidi structuræ huius excogitatores, capita ac duces plebis, cum Nimrodo colludentes, ac regnum illi parantes. Manifesta sunt uerba Dei. Cœperunt, inquit, hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis. Non dicit, Nec desistent ab operibus suis: sed, A cogitationibus suis. Quis autem ignorat alios fuisse, quorum erãt שרירות id est, excogitationes, & alios quorum erant externæ operæ in ista ciuitatis ac turris Babylonicæ structura?

Structores regni Papistici.

Dividendum inter architectos & operatores manuarios.

Consimili modo in structura sedis Romanæ omnino magnum discrimen est inter architectos Pontifices, Episcopos, Carnales, prælatos ac seniores populi, & eos quos ipsi uocant laicos, idiotas, uulgum, seculares, quibus ægrè permittunt, ut in Cõcilijs, propter structuram ædificij ipsorum institutis uel auditorum loco adsint, propterea quòd non sunt de coniuratis bestiæ: nec subtiliter excogitare possunt, quomodo structura ista perficiatur, & impedire illam conantes astutè repellantur: deinde, quòd simpliciores sunt & integriores, quàm qui mysterium iniquitatis, si intelligerent, ferre, nedum iuuare possent.

Quare & nobis curandum est, ut uel precibus ad Deum, uel prædicatione, uel calamo mystas illos & architectos Babylonici ædificij cum primis incusemus & impugnemus: pro plebe uerò seducta & misera ad ueritatis cognitionem reducenda noctes ac dies inuigilemus, quo intelligant se non uiuos lapides religiosè ad structuram domus Dei, sed lateres luteos ad ædificiũ regni Antichristi seruiliter operari, dum humanas illorum traditiones & somnia adorant, & facultates suas ad quæstum illorum Christiano nomini turpissimum conferunt.

Donec eos opere compleant.

Sextò notandum est quod dicit, Donec eas opere compleant. Atqui non compleuerunt eas opere. Sunt enim postea per linguarum confusionem impediti, ne quod instituerant consilijs opere perficerent, atque ita desistere coacti. Quomodo igitur dicit, Nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant: uel ut in Ebræo est, nec prohibebitur ab eis quicquid facere cogitauerunt. Obseruandum

Duplex desistẽdi genus.

hic est, duplex esse genus ab opere aliquo, studio, uel instituto desistendi. Vnum quod fit sponte, uelex tædio, uel per resipiscentiam. Alterum, quod fit contra animi sententiam & coactè, propter incidens aliquod impedimentum. Ad prius cessandi genus pertinet, quod hic à Deo de structoribus Babel dicitur: Nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant. Haud enim erant sponte sua à cœpto opere cessaturi. Ad alterum referendum est, quod tandem destiterunt, ubi linguarum erant confusione à seinuicem diuisi, & à mutuis operis impediti.

Non est metuenda impiiconatus pertinacia.

Admonemur hac consideratione, quàm non debeat nos malorum & improborum hominum temere pertinacia, qua sic in eo quod consultarunt constanter & obdurata fronte pergere uidentur, ut haudquaquam sint cessaturi donec ad destinatum finem perueniãt. Haud enim in illorum manu est, ut quod uolunt perficiant, nec refert quid ipsi & quàm constanter ac pertinaciter agant: sed quid constituerit Dominus, qui quod homo proponit, pro libero suæ uoluntatis arbitrio disponit. Non est ullius hominis

nis uoluntas sic comparata, ut impediri nequeat. In Deo solo est hæc inuictæ uoluntatis potentia. Videmus hoc seculo nostro pertinacissimos Antichristianorum conatus, quibus toti ad hoc feruntur, ut ciuitatem & arcem regni sui indies magis ac magis dilabentis conseruent, & plebes Christi in obedientia sua retineant. Nemo terreatur. Nihil hinc est regno Christi incommodi, quòd non sunt sponte sua cessaturi. Cessabunt tandem inuiti. Nec Pharao populum Dei sponte sua demissurus erat, dimisit tamen coactus, ac tandem ab eo quod pertinaciter agebat cessauit. Desistet tandem Romana Babylon, eritq; omnibus manifestum, structuram ipsius esse contra Dominum: nec posse persistere constanter quod non Domini, sed humanæ tantum pertinaciæ uiribus nitens, immotum uidetur in hoc seculo.

OBSERVATIO VI.

Venite igitur descendamus & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque uocem proximi sui.] Primùm obserua, quod in Ebræo dicit, חבה נרדה, id est, agè descendamus. Dixerant impij ac rebelles חבה נבנה לנו עיר, id est, agè ædificemus nobis ciuitatem ac turrim cuius culmen ad cœlos usq; pertingat. Huic mutuæ adhortationi hominum rebellium opponitur contraria adhortatio ipsius Dei, qua seipse ad resistendum illorum conatibus excitat dicens, Agè descendamus, & confundamus ibi linguam eorum. quasi dicat: Hortantur se inuicem ad ædificandum ciuitatem ac turrim quæ cœlos usq; ascendat. Nituntur ad sublimia, agè ergo descendentes occurramus superbis, & illud eorum Agè ex ore ipsorum auferamus. Videmus hac consideratione, quomodo aduersum improbos filiorum huius seculi conatus, quibus iram Dei prouocant, & factiosum illud eorum, Agè, quo sese mutuo adhortantur & incitant, paratum sit in cœlis ad diuinæ maiestatis & potentiæ excitationem, oppositum, Agè: quod ubi sonuerit, certissimam adfert improborum conatuum represionem.

Agè ædificemus nobis ciuitatem &c. Agè descendamus & cõfundamus linguam eorum.

Deinde notandum est, quod dicit Et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisq; uocem proximi sui. Item, Et cessauerunt ædificare ciuitatem. Obserua. Vnitas labiorum faciebat ad ædificationem ciuitatis, confusio uerò ad illius impedimentum. Quare? Quia confusis linguis non audiebat unusquisque uocem proximi sui, qua alius alium ad operis huius perficiendam structuram adhortari appellarecq; consueuerant. Deerat enim intellectus eorum quæ dicebantur, quandoquidem alter alterius linguam non intelligebant. Cogitemus hic de admonitione Apostoli 1. Cor. 14 qua reprehendit eos qui in Ecclesia Dei alienis & incognitis linguis loquebantur, unde ædificatio Ecclesiæ impediebatur. uide locum ipsum. Quæso, per Christum, an non hanc eandem linguæ confusionem satan per ministros suos Romanæ Ecclesiæ satellites, in Ecclesiam Dei introduxit, qua sic loquuntur lingua incognita, ut intelligi nequeant: idq; faciunt homines haudquaquam uulgatæ linguæ ignari, quod ne in Babylone quidem est factum? Quomodo in hac linguæ confusione ædificabitur Ecclesia Dei?

Confusio linguarum impedimentum est ædificationis.

1. Cor. 14.

Tertiò & illud obseruemus, quod non simpliciter dicit, Confundamus linguam eorum: sed, Confundamus ibi linguam eorum. Vbi? In ædificatione Babylonica Deo inimica ac rebelli, ubi consonantia linguæ non ad gloriam Dei, sed ad structuram regni rebellis seruiebat. Itaq; omnium erat æquissimum, ut donum à Deo datum non Deo, sed humanæ temeritati seruiens confunderetur. Sic omnino iusto iudicio Dei fieri arbitror, ut in Ecclesiis Papisticis, ubi regnat eidololatria, & Romanæ sedis, nõ Dei seruitur regno, adempta eorum quæ dicũtur intelligentia regnet labiorum confusio, fiatq; ut frater fratrem nec loquentem nec psallentem intelligat.

Vbi locum habeat linguarum cõfusio.

Confusio labiorũ competit Ecclesiæ papisticæ.

OBSERVATIO VII.

Atq; ita diuisit eos Dominus inde in uniuersas terras. Item: Et inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunct. &c.] Expende hoc opus Dei. Illi dicebant, Ne dispergamur in uniuersas terras, cupientes populum sub suo retinere regno, & in illum Babyloniæ locum includere. Contrà Dominus diuisit eos inde in uniuersas terras, sicuti initio disposuerat. Sic non est consilium contra Dominum. Et Romanis hoc idem accidit. Nam quamuis illi quoque populum Dei Romanæ sedi, quam eam ob causam Apostolicam uocant, alligare, ac regnum Christi in suos angulos arctare conentur, dispersit tamen fideles suos Dominus in uniuersas terras, quemadmodum inde constituit ab initio, ut regnum filij sui non esset Romanæ sedi alligatum, sed ad fines orbis usq; dilatatum.

Opus Dei impediri non potest.

OBSERVATIO VIII.

Et idcirco uocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium uniuerſæ terræ.] Expende rationem nominis de re ipsa sumpti. Vocata est ciuitas illa Babel. Quare? Quia ibi confusum est, inquit, labium uniuersæ terræ, sic ut nemo proximi sui uocem intelligeret. Cogita hic quidnam aliud quàm Babel uocari debeat ea Ecclesia, in qua confuso & peregrino sermone sic oratur, psallitur & canitur, ut frater fratrem non intelligat. Si non ex dignitatibus, sed rebus ipsis sumenda sunt nomina, quis non uidet, quàm longè alijs sit uocanda nominibus sedes illa Romana, quàm quibus sese in Ecclesia Christi catholicam, orthodoxam, Apostolicam, & matrem omnium Ecclesiarum uocat & iactat?

Ratio nominis Babel.

Hæ sunt generationes Sem. Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluuium.

Vixitq; Sem postquàm genuit Arphaxad quingentis annis, & genuit filios & filias.

Porrò Arphaxad uixit triginta quinq; annis, & genuit Sale. Vixitq; Arphaxad postq; genuit Sale, trecētis trib. annis, & genuit filios & filias.

Sale quoq; uixit triginta annis & genuit Heber. Vixitq; Sale postq; genuit Heber quadringentis annis, & genuit filios & filias.

Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phalech. Et uixit Heber postquàm genuit Phalech quadringentis triginta annis, & genuit filios & filias.

Vixit quoq; Phalech triginta annis, & genuit Reu. Vixitq; Phalech postquàm genuit Reu ducentis nouem annis, & genuit filios & filias.

Vixit autem Reu trigintaquinque annis, & genuit Saruch. Vixitq; Reu postquàm genuit Saruch ducentis septem annis, & genuit filios & filias.

Vixit autem Saruch triginta annis, & genuit Nachor. Vixitq; Saruch postquàm genuit Nachor ducentis annis, & genuit filios & filias.

Vixit autem Nachor uigintinouem annis, & genuit Thare. Vixitq; Nachor postquàm genuit Thare centum decem & nouem annis, & genuit filios & filias.

Vixitq; Thare septuaginta annis, & genuit Abram, Nachor, & Arā,

LECTIO.

Vixitq; Sem postquàm genuit Arphaxad quingentis annis.] Sic habet etiam Ebræus. At Græcus legit, Et uixit Sem postquàm genitus ipsi fuit Arphaxad annos trecentos trigintaquinq;.

Et genuit filios et filias.] Græcus de suo hic & in sequētib. ubiq; adiecit, καὶ ἀπέθανε id est, & mortuus est.

Porrò Arphaxad uixit triginta quinq; annis, & genuit Sale.] Conuenit cum Ebræo. Græcus uerò differtit. Sic enim uertit, καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰλ ἑπτὰ καὶ τριακοντατριακόσιτε ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Καϊνάμ.

Vixitq; Arphaxad postquàm genuit Sale trecentis tribus annis, &c.] In Ebræo habetur שלש שנים וארבע מאות שנה, id est, annos quadringentostres. Græcus legit annos trecentos triginta. Deinde subiungit. Vixit Cainan annos centum triginta, & genuit Sale. Et uixit Cainan postquàm genuit Sale annos trecentos triginta, &c. quorum nihil est in Ebræo. Hunc Cainan & suprà cap. præcedenti posuit.

Sale uixit triginta annis.] Græcus legit annos centū trigiuta, & pòst ubi Ebræus habet annos quadrangentos, legit Græcus trecentos triginta.

Vixit autem Eber triginta quatuor annis, &c.] Græcus habet centum trigintaquatuor. Et post natū Phalech, numerat trecentos septuaginta, cum Ebræus habeat quadringentos triginta.

Vixit Phalech triginta annis, &c.] Græcus addit centum.

Vixit Reu trigintaquinq; annis.] Ebræus habet שתים ושלשים, id est, trigintaduos. Græcus centum trigintaduos.

Vixit Saruch triginta annis.] In Græco adduntur centum anni.

Vixit autem Nachor uigintinouem annis.] Græcus legit septuaginta nouem. Et post natum Thare legit centum uigintinouem, cū Ebræus tantum habeat centum decem & nouem.

EXPLANATIO.

Hæ sunt generationes Sem.] Post creationē cœli ac terræ Moses in causa generis humani duas res, magnas & præcipuas diligēter exponit. Vna totius generis nostri, ppagationē & orbis diuisionē, altera electorū ac piorū generationē & Ecclesiā cōcernit. Ad priorē pertinet qd suprà capite præcedēti dixit, Hæ sunt generationes filiorū Noe, & quæ ad præsentem usq; locum subijciūtur. quò etiam referenda sunt, quæ capite quarto leguntur. Ad posteriorem uerò referre debemus quæ suprà cap. 5. & præsenti hoc loco scribuntur, ubi dicit: Hæ sunt generationes Sem. Singulari studio generationem sanctorum recenset, tam eorum qui post, q̄ qui ante diluuium uixerunt. Illic decem prioris Ecclesiæ capita Adamum, Seth, Enos, Cainā, Malaleelē, Iared, Enoch, Mathusalem, Lamech & Noah, hic totidem, uidelicet Sem, Arphaxad, Salah, Eber, Peleg, Reu, Sarug, Nachor, Thare, & Abrā ex ordine recensēt. Vtrobiq; separato exordio sanctæ nationis catalogū ponit. Quare, meo iudicio, non minus conueniebat hoc loco nouū incheare caput, q̄ suprà, ubi capite quinto priorū sanctorū catalogus à præcedentibus historijs separata sectione distinguit. Neq; enim quæ hic de decē generationib. priorū scribunt, & ad Abrahamum usq; deducunt, ad præcedētia, sed magis ad sequētia sunt referēda. Assignat aūt singulis patrib. tripliciē numerū annorū, quemadmodū & suprà cap. 5. fecit: numerū uidelicet natiuitatis, q̄ anno uitæ patris sui natus sit q̄sq;, deinde q̄ anno suæ uitæ genuerit filiū, tertiò numerū annorū quib. postea uixerit, ac filios & filias genuerit. Hāc seriē annorū deducit usq; ad Abrahamū. Nō adijcit integras annorū summas quib. quisq; in uniuersum uixit, sed illarū collectionē diligenti lectori permittit. Nec addit, Et mortuus est. Neq; enim opus

opus esse uidebatur, cũ alioqui satis innuatur, fuisse eos mortuos, cum annos uitæ suæ cõsummassent. Quod autem suprà cap. 5. posita est hæc particula, factum est propter Enoch, qui non est mortuus, sed translatus à Deo. Præterea nihil est in hoc cõtextu, quod sit obscurũ, & aliquid expositionis requirat.

QVAESTIO I.

Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio post diluuium.] Suprà capite præcedenti legimus, filij Sem, Elam, & Assur, & Arphaxad. Quæritur ergo, quomodo Sem Arphaxad biennio post diluuium genuerit, cum ille tertius recensetur in ordine generationum. Religio est dicere, quòd uxorem suam adhuc in arca constitutus cognouerit, illaq; statim post egressum arcæ primogenitum suum Elam pepererit. deinde inconueniens quodammodo est, si dicamus illam statim, post natũ Elam, concepisse secundum filium suum Assur, illumq; circa finem primi post diluuium anni in lucem protulisse, ac postea consimili celeritate anno secundo concepisse, ac peperisse tertium filium Arphaxad. Neq; enim lactationis conditio huiusmodi concipiendi uterumq; gestandi celeritatem ferre potest. Non possumus dicere, quòd Elam & Assur nati fuerint ante diluuiũ. Etenim nulla ratione firmari potest quòd in arca seruati fuerint, contradicente Apostolo Petro, qui octo tantũ animas in illa fuisse scribit: nec licet ut dicamus eos ante diluuium fuisse mortuos. Nam sic Elamitæ & Assyrij suis priuarentur capitibus. Et de Assur suprà legimus, quòd egressus sit de Babylone, & Niniuen, utiq; post diluuium, ædificarit. Sunt qui respondeant ad hanc quæstionem, fieri potuisse, ut primùm gemellos, Elam uidelicet & Assur, uel si Elam separatim peperit, postea uno partu Assur & Arphaxad pareret. Posset & illud dici, quod uidelicet Arphaxad iste non fuerit tertius in ordine, sed secundus. Neq; enim consequens est & firmum, ut liberos patrum istorum eo natos esse ordine, quo recensentur, credamus, qua de re & suprà monui, de Sem, Cham, & Iapheth. In re tam incerta quid possumus adferre certi? Deinde non est hæc quæstio tam magni momenti, ut sine periculo nequeat illius ignorari ueritas: nec habet aliquid impossibilitatis, ut illi nihil ueri inesse quisquam suspicari debeat.

Quomodo Sem Arphaxad genuerit biennio post diluuiũ, cũ ille tertius in ordine generationum recẽseatur.

QVAESTIO II.

Secundo loco quæsierit quis q̃ unde sit dissonantia illa numerorũ, quæ reperiũ in uersione Septuaginta, per quã Augustinus seductus annos numerat à diluuio ad Abrahamũ usq; 1072. cũ in Hebræo tantũ inueniant 292. Ad hanc quæstionẽ hoc ipsum dicendũ est, quod suprà cap. 5. in catalogo generationis Seth, quæstione secunda in medium attulimus. Septuaginta, quemadmodum isthic, ita & hoc loco, centum annos ádiiciunt, quoties primis annis triginta, trigintaquatuor, 35. &c. soboles adscribitur, ne patres ætate adhuc immatura genuisse uideantur. Neq; enim putarunt istos etiam annos, qui diluuio proximè successerunt, nostris fuisse pares. Sed hac de re suprà loco iam dicto satis admonui.

Vnde sit dissonantia numerorum.

QVAESTIO III.

Tertiò quærendum uidetur, an isti omnes qui in præsenti catalogo numerãtur, fuerint primogeniti. Ad hanc quæstionem ea repeti possunt, quæ suprà cap. 5. de patribus diluuium præcedentibus quæstione prima sunt dicta. Quod Arphaxad attinet, apparet eum non fuisse primogenitum, quicquid fit de sequentibus. Nisi ex eo quisquam primogenitos illos fuisse putat, quod ferè in iuuentute patrum suorum nati commemorantur. Nam Arphaxad Sale genuisse scribitur anno uitæ suæ tricesimoquinto, Sale filium suum Eber anno tricesimo, Eber suum Peleg anno trigesimoquarto, Peleg suum Reu anno tricesimo, Reu suum Sarug anno tricesimosecundo, Sarug suum Nachor anno trigesimo, Nachor suum Therah anno uicesimonono. At huiusmodi coniectura leuior esse uidetur, quàm ut credi debeat, habuisse Deum carnalis primogenituræ rationem in hac causa, quæ planè non carnis prærogatiua, sed libera gratiæ ipsius constat electione. uerùm nolim hic quicquam certò affirmare. Simpliciter profero, quid mihi uerosimilius esse uideatur.

An patres isti omnes fuerint primogeniti.

QVAESTIO IIII.

Vixit Thare septuaginta annis, & genuit Abram, Nachor & Aram.] Quærat hic quisquam, quid Moses mouerit, ut non simpliciter scriberet, Vixit Tharah septuaginta annis, & genuit Abrahamum: sed adderet duos illius fratres, Nahor & Aram, cum piorum istorum genealogiam non ad illos, sed ad unum deduceret Abrahamum, & præterea nemini ex præcedentibus in isto catalogo fratres adiecisset.

Suspicabitur forsan quisquam esse hoc eam ob causam factum, quod non Abraham duntaxat, sed & reliqui duo illius fratres Nahor & Aram ad generationem hanc & Ecclesiam piorum pertinerent. Quod si causam hanc firmam esse iudicauerimus, consequens erit, ut reliquorum Arphaxad, Selah, Heber, Peleg, Reu, Serug, Nahor, & Therah, fratres & filios propterea non esse adnumeratos ac nominatim expressos dicamus, quòd excluſi essent & alieni ab Ecclesia & generatione piorum, id quod haud sine magna posset temeritate dici. Neq; enim qui hic recensentur, ob id nominatim ponuntur, quòd soli iusti ac pij fuerint, & Ecclesiam sanctorum constituerint: sed quod per ipsorum generationes series duceretur eorum, unde nasciturus erat Christus, de quibus non est sentiendum, quòd uel omnes inculpati uel soli iusti extiterint. Erant dubio procul & alij multi pij, qui propterea nõ cõmemorantur, quod propositum Mosis non erat, cum ista scriberet, tradere nobis omnium piorum ac sanctorũ nomina: sed eorum duntaxat assignare genealogiam, per quorum generationes ad Abrahamũ linea duceretur. Ab Abrahamo ad Christũ usq; sine ulla cõtradictione multi pij ac sancti uiri fuerunt in populo Dei, quorũ tamẽ ab Euãgelistis Matthæo & Luca nulla fit mentio, ubi Christi genealogiã recensent. Nã nec illis in animo erat omniũ piorũ, sed Christi duntaxat cõmemorare genealogiam. Quare quod duos hosce fra-

Quare adiecti sint duo fratres Abrahæ.

tres Abrahæ Nahor & Aram cõcernit, non debemus eos ob id nominatim esse positas iudicare, quòd pij ac iusti fuerint, & ad Ecclesiam Dei & ipsi perinde atq; Abraham, pertinuerint: sed cogitandum etiã à Mose hoc aliam quampiam ob causam esse factum.

Dicã quid mihi uideatur. Quemadmodum suprà in calce cap. 5. cũ genealogiã patrum ad Noe usq; deduxisset, ac decadem illam clauderet, non simpliciter dixit, Noe cum quingentorum esset annorum, genuit Sem: sed addidit, Cham & Iapheth, propter historias sequentes, in quibus erat nonnulla ad Cham & Iapheth pertinentia commemoraturus: ita planè & hoc loco cum præsentis genealogiæ circuitum absoluturus esset, non solius Abrahæ mentionem fecit, sed adiecit illi duos fratres Nahor & Aram, propter sequentia, præsertim propter historias Loth filij Aran, & propter Rebeccam uxorẽ Isaac de domo Nahor ex Mesopotamia petitam. Horum gratia nõ simpliciter dixit, Vixit Thare 70. annis, & genuit Abraham: sed adiecit, Nahor & Aram, ut sequentibus seruiret.

OBSERVATIO I.

Quandiu capita generationum Sem in carne uixerint, & quæ fuerit ea in re prouidẽtia Dei.

Principiò obseruandum est in præsenti genealogia, quamdiu capita piæ posteritatis Sem in carne uixerint. Quemadmodum enim in ea patrum decade, quæ diluuiũ antecessit, singularis prouidentia Dei in eo deprehenditur, quòd Adam ad nonam usq; posteritatis suæ generationem in uita ad hoc conseruatus fuit, ut doctrinam ueræ pietatis & unici Dei cognitionem in posteros uiua uoce transfunderet: ita & in præsenti patrum catalogo, qui diluuium subsequuti sunt, non fine peculiari dispositione Dei factum est, ut Noe & Sem & Eber ad ipsum usq; Abrahamũ in uita durarent, quo posteros suos in pristina illa & uita ueri Dei cognitione authoritate sua instituerent. Sic Noe uixit usq; ad quinquagesimum octauum annum uitæ Abrahæ. Sem, cum Abraham nasceretur, erat annorum trecentorum nonaginta, ac uixit usq; ad annum quinquagesimum uitæ Iacob, nepotis Abrahæ. Arphaxad filius Sem biennio post diluuium natus annos uixit 338. mortuusq; est, cum Abraham natus esset annos quadraginta octo. Selah, nepos Sem, anno post diluuiũ 37. natus uixit annos 430. mortuusq; est anno uitæ Iacob quintodecimo. Heber anno sexagesimoseptimo post diluuium natus uixit annos 464. & mortuus est anno septuagesimonono uitæ Iacob. Peleg natus post diluuium anno centesimo tricesimoprimo uixit annos 239. usq; ad annũ 48. uitæ Abrahæ. Reu post diluuium anno centesimo tricesimo natus uixit annos 239. usq; ad annum 78. uitæ Abrahæ. Sarug natus post diluuiũ anno centesimo sexagesimotertio durauit annis 230. ad eum usq; annũ in quo natus est Isaac. Nahor anno centesimo nonagesimotertio post diluuium natus uixit annos 148. usq; ad annum quadragesimum nonum uitæ Abrahæ. Therah natus post diluuium anno 222. uixit annis 205. usq; ad annũ 35. uitæ Isaac, si Abraham primogenitus fuit & ante mortem ipsius Carran est egressus, sicut aliqui uolunt. Verùm quoniam Steph. in Actis cap. 7. non admittit uixit, Terah usq; ad annum 75. uitæ Abrahæ. Abraham post diluuium anno 292. natus uixit annis 175. ac mortuus est anno 15. uitæ Iacob. Isaac anno 392. post diluuium natus uixit annis 180. ac mortuus est anno uitæ Iacob filij sui centesimo uicesimo. Iacob anno post diluuium quadringentesimo quinquagesimosecundo natus uixit suprà 130. annos, mortuusq; est in Aegypto. Hic Iacob etiamsi patres illos, qui suo tempore adhuc erant in uiuis, Sem uidelicet, Saje & Eber, non uidit, de quo tamen controuerti potest, potuit tamen ab auo suo Abrahamo quæ ille non modò ex speciali reuelatione Dei, sed ex uiua quoq; maiorum suorum traditione inde à Noe, Sem & Eber accepta didicerat cognoscere, atq; ita inter suos posteros memoriæ consecrare. Sic uera ueri Dei cognitio inde ab exordio mundi ad diluuium, deinde à diluuio ad id usq; temporis paterna est traditione propagata, quo Israel translatus est in Aegyptum, ibiq; tandem insignem illum ac fidelem seruum Dei Mosen legislatorem sortitus, cuius postea lege ueluti pædagogia quadam non modò in studio pietatis & cognitione unius ueri Dei institueretur, sed & ad Christum accedente ministerio prophetarum dirigeretur.

Noe. Sem. Arphax. Sale. Heber. Peleg. Reu. Sarug. Nahor. Thare. Abram. Isaac. Iacob.

OBSERVATIO II.

De diminutione ætatis sanctorũ.

Secundo loco cõsiderandum est in hac sanctorum patrum genealogia quomodo longæua illa maiorum ætas, qua ante diluuium annos uixerunt octingentos, nongentos, &c. sic ut nonnulli eorum ad millenarium propè accesserint, post diluuium diminui & atteri cœperit. Sem non est assequutus ætatem patris sui Noe, à qua defecit annis 348. Arphaxat filius Sem paulo ultra dimidium annorum patris sui uixit. Peleg propè quadringentis annis citius est mortuus quàm atauus ipsius Sem, & uix dimidium est ætatis patris sui Eber assequutus. Sic & Reu & Serug & Thare uix paucis annis ultra ducentos uixerunt. Tandem in Abrahamo sic defecit humana uita, ut nec ipse, nec Isaac, nec Iacob ad ducentos annos uiuendo peruenerint. Tanta uidelicet diminutio uitæ post diluuiũ in decẽ istis generationibus accidit, ut intra spacium annorum 292. à sexcentenaria ætate ægrè centenaria permanserit. Decas illa patrum, qui diluuiũ præcesserunt, à principio mundi ad diluuium usq; annis constitit mille sexcentis quinquaginta sex. Præsens ista quæ subsequuta est diluuium usq; ad natiuitatem Abrahæ trecentis annorum centenarios non impleuit, atq; ita à priore defecit annis mille trecentis sexaginta quatuor.

Hac consideratione admonemur quanta sit humanæ uitæ imbecillitas, qua fit ut successu seculorum subinde magis ac magis atteratur, & mortalitatis legem multo quàm antea citius experiatur. Sic factum est, ut quemadmodum propheta Psal. 90. quæritur, dies uitæ nostræ uix ad septuagesimum, aut ad summum, octuagesimum annum perueniant. Ad hunc modum attenuata & decurtata uita nostra, quid est aliud quàm quasi uentus quidam & umbra citius obseruatione transiens & euanescens?

OBSER-

OBSERVATIO III.

Quomodo duæ istæ patrum decades uiris illustrioribus fuerint ornatæ.

Tertiò consideremus etiam, quomodo duæ istæ decades patrum tam in principio quàm fine uiris fuerint propter singularem pietatem insignioribus ac præclarioribus, quasi quibusdam luminaribus ornatæ. Prior initio habuit Adamum, in fine Noah. Altera in exordio suo consequuta est iustissimum Sem, & in calce pientissimum Abrahamum, amicum Dei celeberrimum. Non derogo intermediorum patrum pietati, sed diuinam prouidentiam cõsidero, qua mortalium generi huiusmodi luminaribus & fidei exemplaribus sic subinde consulit, ut nulla illi relinquatur ullius ignorantiæ & impietatis excusatio. Simul & illud obseruo, quàm posteri piorum parum constanter in fide ac pietate maiorum suorum perseuerent, sic ut ad decimam usq; generationem cursum ueræ & auitæ pietatis firmum & infractum haudquaquam retineant. Quare præter rationem non est, quod post absolutum cursum Adæ dat⁹ est Noe. Notum est ex præcedentibus, quanta tum in genere mortalium inoleuerit defectio & corruptio. Sic hic quoq; ratione non caret, quòd in fine secundæ decadis datus est Abraham, in quo prisca fides ac pietas ueluti renouaretur, & renouata ad posteros transmitteretur.

Et utinã qui nunc in Ecclesijs Christi primas tenẽt, ac pertinaciter hæc nostra secula ab omni errorũ ac corruptionis genere pura & immaculata esse contendunt, istam inconstantiam deficiendiq; procliuitatem accuratius animaduerterent: & quæ nos tanquam depranata & corrupta cùm in doctrina & ritibus Ecclesiasticis, tum in uitæ conuersatione reprehendimus, & emendari cupimus, ad Apostolicæ doctrinæ & primæ Ecclesiæ normas cum timore Domini conferrent, & rectius cognoscerent. A diluuio usq; ad tempora Abrahæ fluxerũt anni 292. in quibus adhuc superstite Noah generatio piorum quoq; usq; adeò à uero cultu & germana pietate defecit, ut maiores Abrahæ eidololatriæ accusantur. Et hodie asserunt Pontificij Ecclesiam Romanam inde à tempore Apostolorum per annos mille quingentos Christianæ fidei seruasse puritatem. Verùm tanta obtinuit in animis illorum obstinatio & stupiditas, ut etiamsi ipsi nunc reminiscerent Apostoli, temporumq; nostrorum corruptionem reprehenderẽt, nihil inde reportarent aliud, quàm ut hæreseos, schismatum, ac seditionis damnarentur.

OBSERVATIO IIII.

Quid ex nominibus patrũ sit colligendum.

Postremo loco, arbitror & ipsa nomina patrum in præsenti esse Decade obseruanda. De quinq; prioribus dictum est suprà in calce capitis præcedentis, obseruatione secunda. In præsenti considerandasunt nomina Reu, Serug, Nachor, Therah & Abram. Reu significat pascite, Serug perplexũ ac circumuolutum, Nahor arefactum, Therah respirationem, Abram excelsum patrem. Itaq; Peleg, ubi filiũ suũ uocauit Reu, id est pascite, satis expressit, quo uoluerit posteros suos uitæ genere exerceri: nempe non emollescere uita urbana, Nimrodica, & Babylonica: sed uitam maiorum retinere, frugalem, rudem, & agrestem, quam passim uidebat contemni ac negligi. Reu, ubi maliciam & corruptionẽ mortalium ætate sua inualescere uidit, ut animi sui angustiam, quam eam ob causam sentiebat, exprimeret, uocauit filium suum Serug, perplexum uidelicet & inuolutum, significans sui seculi malum ætate filij fore peius & intricatius. Serug, uidens omnia quæ ad iusticiam & pietatem pertinent indies rarescere, & instar arboris arefieri, uocauit filium suum Nahor, id est arefactum. Nahor nonnihil spiritu prophetico inflatus, uocauit suum filium Therah, id est respirationem: sperans fore, ut aliquid daretur respirationis diuinitus, ne pij prorsus deijcerentur & conficerentur. Therah prorsus eodem spiritu fidei ac spei quo Lamech penultimus in priore patrum Decade motus filium suum Noah, id est, quietem ac refocillationem appellauit, unum ex tribus filijs suis uocauit Abram, id est patrem excelsum: præuidens nimirum fore, ut pater fieret generationis sanctæ, & prærogatiuã insignem apud cunctos posteros suos sortiretur. Hac consideratione pulchrè deprehendimus primùm qualia fuerint illorum seculorum tempora, & quibus alij cogitationibus fuerint affecti, qua deniq; fide ac spe alij rerum meliorum expectationem animo conceperint.

Hæ sunt autem generationes Thare. Thare genuit Abram, Nachor, & Aram. Porrò Aram genuit Loth. Mortuusq; est Arã ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum. Duxerunt autẽ Abram & Nahor uxores. Nomen uxoris Abram Sarai, & nomen uxoris Nahor Melcha filia Aram patris Melchæ & patris Ieschæ. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos.

Tulit itaq; Thare Abram filium suum & Loth filium Aram filium filij sui, & Sarai nurum suam uxorem Abrahæ filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan. Veneruntq; usq; Aram & habitauerunt ibi. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinq; annorũ, & mortuus est in Aran.

LECTIO.

Mortuusq; est Aram ante Thare patrem suum.] Græcus clarius, ἐνώπιον θάρρα τοῦ πατρὸς. In Hebræo sic legitur, על פני תרח אביו, id est, In facie Therah patris sui. Latina uersio amphibologiã habet, quæ tollitur inspectione Hebraici cõtextus.

In Vr

In Vr Chaldæorum.] Sic legit Hebraicè. Græcus habet, *ἐν τῇ χώρᾳ τῶν χαλδαίων*. Hoc est, in regione Chaldæorum. Hieronymus uertit, In igne Chaldæorũ. Nam Hebræa uox אור quandoq; ignẽ actum, לחבח, significat. Recitat hic à Hieronymo fabula Iudæorũ, qui tradunt Haran, fratrẽ Abrahæ, propterea q̃ ignẽ, tanq̃ Deum, adorare nollet, in ignẽ fuisse à Chaldæis coniectũ, inq; illo spectante patre mortuũ: Abrahamũ uerò consimili modo igni traditũ, uirtute Dei fuisse ereptum & eductũ. Verũ nihil prohibet, quo minus uocẽ אור pro loco & ciuitate accipiamus. Et infrà satis patet, nõ solum Abrahamum, sed & uxorẽ eius Sarai, & Lot à patre ipsorũ Tharah de Vr Chaldæorũ fuisse eductos. Et Kimhi alicubi dicit uocem אור significare etiã uallem. Iosephus dicit Vr esse ciuitatem in terra Chaldæorũ.

Et nomẽ uxoris Nahor Melcha filia Aran patris Melchæ & patris Ieschæ.] Græcus uertit, *θυγάτηρ ἀδέλφου, καὶ πατρὸς μελχᾶ, καὶ πατρὸς ἰεσχᾶ*, id est filia Aran, & pater Melcha, & pater Iescha. In Hebræo est בת חרן אבי מלכה ואבי יסכה quod uerti potest, pater Milcha, & pater Iescha. uel, patris Milcha & patris Ieschæ. Mihi uidetur legendum esse ad hunc modum: Et nomen uxoris Nahor Melcha filia Aran: pater Melchæ (ipse est) & pater Ieschæ.

Et eduxit eos de Vr Chaldæorum.] Hebr. est, ויצא אר אתם, id est, Et egressi sunt cum eis. Sic uertit Pagninus. Munsterus reddidit, Et egressi sunt pariter. Tigurina, Et egressi sunt simul. Apparet Hieronymum sine uau in fine legisse ויריצא אתם, id est, Et eduxit eos. Potest sic uerti: Et egredieudo, id est, cũ egrederetur, uel egressus esset ipse, יצא אר, de Vr Chaldæorũ, ut irent in terrã Canaan, uenerunt usq; Haran, &c.

Et facti sunt dies Thare.] Græcus quædam adiecit, quæ in Hebræo non habentur: *καὶ ἐγενοντο*, inquit, *πᾶσαι αἱ ἡμέραι*, id est, Et facti sunt omnes dies. Omnes, nõ est in Hebræo. Deinde adiecit: *οὐ χαρραν*, quod nec ipsum in Hebræo legitur hoc loco. Inter Haran autem & Charan, id est discriminis in Hebræo, quod Haran nomen uiri scribitur per he, חרן Charan uerò nomen loci per ches חרן.

EXPLANATIO.

Hæ sunt generationes Thare. Thare genuit Abrã, Nahor, & Arã.] Resumit generationes Thare. Nam de illis, præsertim de Abrahamo, erat quædam cõmemoraturus. Quare lectorem hac repetitione quasi ad sequentia præparat & excitat.

Porrò Haran genuit Lot.] Narrat hoc quoq; propter sequentes historias, ut sciamus quousq; cognati fuerint inter se Abram & Lot.

Mortuusq; est Haran ante Therah patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum.] Sic absoluit & expedit ea quæ Haran concernunt. Nihil habebat de eo memoratu dignum, quod exponeret, nisi q̃ genuisset filium Lot. Cæterùm, ne mentionẽ illius desideraret lector, ubi narraturus est, Therah hunc cũ Abrahamo & Lot nepote suo de Vr Chaldæorũ esse profectum, admonet uno & altero uerbo, mortuũ esse eum in terra natiuitatis suæ, in Vr Chaldæorũ, præsente adhuc patre ipsius, anteq̃ inde migrasset. Et hoc significari puto per id quod nõ simpliciter dicit, esse eum mortuũ in Vr Chaldæorũ, in terra natiuitatis suæ: sed addit על פני תרח אביו, id est, corã patre, præsente patre suo & adhuc in Vr Chaldæorũ cõstituto. Iosephus sepulturã Haran adhuc suo tẽpore in Vr Chaldæorũ ostensam fuisse scribit.

Duxerũt aũt Abram & Nahor uxores. Nomen uxoris Abrahæ Sarai, & nomẽ uxoris Nahor Milchah, &c.] Vxorẽ omnino duxerat & Haran, quandoquidem filiũ genuisse scribit. Huius tamen nullã facit mentionẽ, meminit uerò uxorũ Abrahæ & Nahor, propter sequentes historias. Arbitrant Sarai & Milchã fuisse sorores eodẽ patre genitas, & Sarai esse Iescam. Meminit huius opinionis Hieronymus. Et Iosephus in ea fuit sententia. Nihil tamen habet certi. Immò infrà cap. 20. manifestè uidere est, Sarai esse filiã nõ Haran, cui hic Iesca adscribit, sed Therah patris Abrahæ, ex alia matre natam. Quis aũt sit hic Haran pater Milchæ & Iescæ, nõ liquet. Non esse fratrẽ Abrahæ ac Nahor, ex eo uideri potest, quod cũ dixisset Moses, nomẽ uxoris Nahor Melcha, filia Haran, adiecit, patris Milchæ & patris Ieschæ: quasi uerbis istis hunc Haran à priore separare uoluerit. Verùm tutius est, ut cum alijs non nisi de ipso filio Thare actum fuisse existimemus, ut Abrahæ & Nachor intelligamus.

Erat aũt Sarai sterilis, nec habebat liberos.] Et hoc seruit sequentibus historijs. Quod aũt nõ solũ dicit, fuisse eam sterilem, sed nec ullos habuisse liberos, neq; duntaxat liberos eam non habuisse, sed sterilem quoq; fuisse cõmemorat, non est tautologon, sed ad hoc dictum, ut nõ tantum exprimeretur nullos illi fuisse liberos, sed simul illius causa redderetur, quod uidelicet sterilitatis uicio laboraret: deinde significaretur eam sterilitatem non accidisse post aliquot liberorum partus, sicuti nonnunquam accidere solet, sed durasse inde ab initio nuptiarum, indeq; factum esse, ut nullos pareret liberos.

Tulit itaq; Thare Abrã filiũ suũ, &c.] Hactenus qualemcunq; cognitionẽ Therah ac filiorũ eius, ad generationes illorũ, patriã, & conditionẽ attinet, paucis tradidit, properans ad potiora: nunc uerò historiã migrationis eorũ obiter attingit. Quatuor aũt cõmemorat. Primũ, cum quibus migrauerit Therah: Cũ Abram uidelicet filio ipsius, deinde & Sarai uxore Abram, nuru sua, tertiò cum Lot etiã nepote ipsius. Secundũ est, unde migrauerit: de Vr Chaldæorũ uidelicet, hoc est, de loco patrio. Tertiũ, quo migrauerit proposito. Vt irent, inquit, in terrã Canaan. Quartũ q̃ anteq̃ in terrã Canaan uenissent, manserint & habitauerint in Charran. Non exprimitur, quare non rectà migrauerint in terram Canaan, sed in Charran mansionẽ constituerint. Iudith quidem cap. 5. legimus, Deum cœli præcepisse illis, ut exirent inde, & habitarent in Charran. in Græco tamen pro Charan Chanaan legitur. Quare nõ est ut causas huius rei inanes cõiecturas sequuti tradamus. Iosephus dicit Tharah propter luctũ filij sui odio fuisse terram Chaldæorũ prosecutũ, ideoq; patria sede relicta in Charran Mesopotamiæ ciuitatem migrasse.

Et facti

Et facti sunt dies Thare ducentorum quinq; annorum, & mortuus est in Charan.] Sic uitã Thare Moses expedit, & ad historias Abrahæ properat. Nõ meminit, qua fuerit ille ætate, cum Mesopotamiã relinqueret, & in Charan habitationẽ instituueret: unde ne illud quidem conijcere licet, quot annos in Charran habitarit. Non putauit ista necessariò requiri, quare obiter ad historias Abrahæ narrationem traduxit. Carran autem hanc Plinius lib. 5. cap. 24. Carras uocat, & inter oppida numerat Arabiæ, ad mare rubrum pertinentis. Sic enim scribit: Arabia suprà dicta, habet oppida, Edessam, quæ quondã Antiochia dicebãt, Callitroen à fonte nominatã, Carras clade Crassi nobiles. Hæc Plinius. Lucanus assignat hanc ciuitatẽ Assyriæ, cũ dicit, Assyrias Latio maculauit sanguine Carras. Nõ uideo quid moueat quosdã, q̃ inter Charrã & Carras discriminant, & hanc Arabiæ, illas Mesopotamiæ deputant, & tamen utranq; & cladem Crassi & peregrinationem Abrahæ, non Charræ Arabicæ, sed Charris Mesopotamiæ assignant, cum S. scriptura manifestè dicat Abrahamum relicta Mesopotamia uenisse Charran, sicuti uidere est Act. 7. & Iudith 5. & Plinius cladem Crassi Charris quæ in Arabia sunt tribuat.

QVAESTIO I.

An fuerit Abrã primogenitus.

Therah genuit Abram, Nahor & Aram.] Mouent hic quæstionem, fuerit ne Abram primogenitus Therah, quandoquidẽ iam secundò duobus fratribus suis præponi. Variãt hac in re doctorũ sententiæ. Ex Hebræis quidam statuũt eum fuisse primogenitũ, nulla alia ratione motiq̃ q̃ propensiores sunt ad assẽrendam gloriã carnis suæ. Arbitrant enim multũ facere ad gloriã carnis Abrahæ, adeoq; & suæ ipsorũ, si asserãt Abrahamũ fuisse inter fratres ipsius primogenitũ, ac pro dignitate ac iure primogenituræ dominiũ quoq; obtinuisse. Hic est illorum affectus non spiritus, sed carnis. Putant aũt plurimũ labefactari honorẽ patriarchæ, si negetur fuisse eum primogenitũ, quasi sancti huiusmodi carnis prærogatiuã mo-

Lyra.

rentur, & nõ potioribus à Deo cumulent honoribus. Nec Seth, nec Sem, primogeniti fuerunt, quemadmodum neq; Isaac, neq; Iacob, & tamen nihilo sunt ob id unquã in Ecclesia Dei uiliores habiti.

Lyranus negat Abrahamũ fuisse primogenitũ. Et hac de re colligit ad hunc modũ: Sarai uxor Abræ secundum cõmunem sententiam, expositorũ, fuit filia Haran. De ipsa uerò scribitur infrà cap. 17. Putas ne centenario nascetur filius, & Sarah nonagenaria pariet? Ex quo patet, q̃ Sara erat iunior Abraham decem annis tantum. Si igitur Haran fuit iunior ipso Abrã, sequitur, q̃ non habebat decem annos quando genuit Saram, immò nec octo, quia inter natiuitatẽ Abrahæ & illius fuerunt plusq̃ duo anni. Quod uidetur inconueniens, maximè illo tempore, in quo incipiebant generare, quando erant 60. uel 70. annorum. Et ideo melius uidetur dicendum q̃ Abram fuit ultimò natus de tribus filijs Thare, & tamen nominat primò propter eius dignitatẽ, & quia ponendus erat caput & stirps generationis sequentis, & quia primò facta est ei repromissio expressa de Christo. Hæc Lyranus. Verùm, meo iudicio, non satis firma ex eo uidentur esse, quod infrà cap. 20. ipse Abram ad Abimelech de hac Sara uxore sua dixisse legitur: Aliàs uerè soror mea est filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem. Quibus uerbis innuitur, Therah plures habuisse uxores, & ex alia Abrahamum, ex alia genuisse Saram. Deinde non uideo, quæ possit alicuius momenti ratio assignari, ob quam Moses non dixerit: Nomen uxoris Abram Sarai, filia Haran, quemadmodum mox de Milchah uxore Nachor subijcit: Nomen uxoris Nachor Milchah, filia Haran. Et tertio, omnino infirmum est & incertum, quòd per Iescã filiam Haran, intelligunt ipsam Saram. Non est enim aliquis locus in historijs sacris, ubi Sara Iescah uocetur. Et uerosimilius est dicturum fuisse Mosen, nomen uxoris Nachor Milchah filia Haran, patris Milchæ & Saræ, quàm, patris Milchæ & Iescæ. Quare non uidetur esse firmum argumentũ Lyræ, quod hoc fundamento tam infirmo & incerto nititur. Quemadmodum neq; illi satis solidè colligunt, qui Abrahamũ ex eo iudicant esse primogenitũ, quòd priore loco nominatur: nõ animaduertentes quemadmodum in Sem filio Noe, qui & ipse consimili modo duobus fratribus suis præponitur, ita & in Abrahamo non spectari à Mose gloriam carnis, sed magis prærogatiuam fidei & honoris à Deo collati. Sic arbitror quidem Haran esse primogenitum, non Abrahamum: quemadmodum & author Scholasticæ historiæ, ordinem hic præposterum, & Haran primogenitum, Abrahamum uerò postremum esse dicit. Verùm simul fateor, non uidere mihi satis esse certum argumentum eorum qui hoc ex eo colligunt, quod Sara fuerit filia Haran. Quapropter cautius est, ut etiamsi magis arrideat, Haran esse primogenitum quàm Abram: nihil tamen affirmemus, nec aliorum sententijs temerè contradicamus.

QVAESTIO II.

Quomodo Therah adscribatur quòd Abrahamũ de Vr Chaldæorum eduxerit.

Tulit itaq; Therah Abram filium suum, & Lot filium Haran filium filij sui, & Sarai nurum suam uxorem Abrahæ filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorũ, ut irẽt in terrã Canaan.] Nascitur hic quæstio, quomodo Moses Therah tribuat, quod Abrahamum filium suum cum uxore illius & Loth de Vr Chaldæorum eduxerit, cum infrà cap. 15. sic Deum Abrahæ dixisse legamus: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, & possideres eam. Si Deus Abrahamum de Vr Chaldæorum eduxit, quomodo datur hoc Therah patri ipsius?

Respondeo: Nihil est hic contradictionis. Licet enim nõ sit expressum, quomodo quibusq; de causis Therah migrationem hanc de Vr Chaldæorũ ut in terrã Canaan proficisceretur instituerit, neq; id liqueat, qũo Deus Abrahamum eduxerit: certum tamen est, quicquid hic gestum est, non humano, sed diuino esse consilio & impulsu gestum. Act. 7. legimus, Abrahamũ diuina esse uisione hac de re adhuc in Vr Chaldæorũ admonitũ, eamq; uisionẽ credibile est illum patri suo significasse, & hunc obtemperasse, ac migrationem hanc instituisse. Nihil in hoc sensu est, quod prohibeat quo minus utrumq; uerè dici possit,

posſit,cùm q u d Therah Abram & reliquos ſuos de Vr Chaldæorũ eduxerit,tum quòd Deus hoc fecerit. Therah fuit inſtrumentũ operis huius,author uerò Deus. Scio fabulas Hebræorũ à noſtris quoq; recitatas: uerùm iudico eas tanti non eſſe momenti, ut ab illis approbari debeant, qui certis delectantur. Burgenſis arbitratur hanc eductionem de Vr Chaldæorum non accidiſſe ſine grandi miraculo, propter uerbũ Dei,Ego eduxi te de Vr Chaldæorũ,conforme illi quod Iſraeli dicitur, Ego Dñs Deus tuus,qui eduxi te de Aegypto,de domo ſeruitutis,&c. ideoq; haud abhorret à fabulis Iudæorũ. Habuit ille ſuas cogitationes,unde tamen nihil poteſt certò colligi,etiamſi damus cauſam iſtam haud fuiſſe inſigni geſtam miraculo. Illud tamen non eſt tranſeundum,q; Therah dicitur eduxiſſe non ſolum Abrahamum,ſed & uxorem illius & Lot,de Vr Chaldæorum. Si hoc eſſet de igne intelligendum, ſicuti Hieronymus Nehemiæ cap.9. uocem מאור uertit,conſequeretur non ſolum Abrahamum,ſed & Saram & Lot in ignem fuiſſe coniectos: deinde non mero aliquo miraculo,ſicuti pueris illis tribus in Babylone accidit, ſed humano miniſterio fuiſſe eductos.

Burgenſis.

OBSERVATIO I.

Iuſti habitant in medio impiorũ.

Mortuus eſt Haran coram patre ſuo Tharah in terra natiuitatis ſuæ in Vr Chaldæorum.] Cõſiderandum hic eſt,q; patres ſancti populi,etiam illi qui ad genealogiam Chriſti pertinent,habitarunt in Vr Chaldæorum,in medio impiorum & eidololatrarum, idq; non uno & altero anno, inſtar peregrinorũ, ſed tanquam in patria terra,quæ hic terra natiuitatis Haram uocatur,& ut in Iehoſua cap.24. legimus עולם, id eſt à ſeculo,tanquam indigenæ. Hæc plerunq; ſors eſt populi Dei,ut habitet in medio impiorum,magis quàm ut in ipſius medio habitent impij.

Generatio ſanctorum non diu in uera pietate perdurat.

Ioſue. 24.

Deinde obſeruandũ eſt,hoc loco uerũ eſſe, cuius ſuprà mentionẽ feci,nẽpe ne ſanctorũ quidẽ generationẽ ac poſteros in uera cognitione Dei ac ſincero cultu conſtanter & ad finẽ uſq; perſeuerare, ſed poſtunam & alterã generationẽ inclinare & deficere ad corruptionẽ eorum, inter quos uiuunt & habitant. Accidit hoc poſteris Sem,quorum ſuprà catalogum uidimus. Non ſolum habitarunt in Vr Chaldæorum,ſed & alienos ibi deos adorarunt. Sic enim de illis Iehoſua 24. legimus, Iehoſua ad populum Iſraelitarum concionante ad hunc modum: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Trans fluuium habitauerunt patres ueſtri à ſeculo, Therah pater Abrahæ & pater Nachor, ſeruieruntq; dijs alienis. Tuli ergo patrem ueſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Canaan,&c. Ergo patres populi Dei in Chaldæa conſtituti ab unius ueri Dei cultu ad cultus plurium & alienorum deorum

An & Abrahã fuerit eidololatra.

deorum defecerãt,ſic ut & paterna domus Abrahæ hac eſſet impietate polluta. Sunt qui ipſum quoq; Abrahamũ eidololatram & alienorum deorum cultorem fuiſſe dicant. Verùm quoniam nullo alio S. ſcripturæ loco nituntur, quàm eo quẽ iam ex Iehoſua citauimus, non poſſum illis aſſentiri. Neq; enim Iehoſua de Abrahamo prædicat quòd alienos deos coluerit, ſed de patribus antiquis & maioribus Iſraelitarum,& nominatim de Therah patre Abrahæ & patre Nahor: ut ſignificet,fuiſſe patres Iſraelitarum eidololatras uſq; ad ipſum Abrahæ patrẽ: & hoc malum duraſſe, donec Abraham,tanq; primus eidololatriæ huius execrator,inde ex patria terra diuinitus euocaretur,& à gente impia ſegregaretur.

Quòd Haran mortuus eſt in terra natiuitatis ſuæ.

Tertiò,nec illud tranſeundum eſt,q; Harã coram Therah patre ſuo in terra natiuitatis ſuæ,mortuus fuiſſe ſcribitur. Videtur ad terrenã pertinere felicitatẽ,ſi quis in terra natiuitatis ſuæ præſente patre,domo{q; paterna adhuc in pace conſtituta ex hoc ſeculo migrauerit, præſertim ſi poſt illius obitũ perturbationis aliquid acciderit, quale eſt quod domui Therah poſt mortem Haran uſuuenit,ut cum ſuis fieret exul. Verũ ſi q̃d hic eſt factũ,rectè cõſideretur,magis ad infelicitatẽ eſt q̃ ad felicitatẽ referendũ: quandoquidẽ reuera infelix eſt, qui in loco impietatis,inter impios & eidololatras ante tẽpus gratiæ moriẽ, & ſecutura uocatione cœleſtis gratiæ priuatur. Nolim temerè iudicare de fide ac ſalute Haran: uerũ id aſſirmo,multo felicius fuiſſe exiliũ Abrahæ,quantũuis moleſtum,q̃ mortẽ Haran licet in terra natiuitatis & patria mortui ac ſepulti. Epiphanius aduerſus hæreſes lib.1. ſic ſcribit: Nahor genuit Tharrah. Hinc initiũ ſumpſit figmentũ ſtatuarũ per lutificiũ & ſcientiã figulinã, ac per artẽ huius Tharæ. Et paulopoſt: Nemo unq̃ priorum hominũ ante patrẽ ſuum eſt mortuus, ſed patres ante filios morientes, reliquerũt eos ſucceſſores. Thare uerò,quoniã æmulũ Deo per artificiũ ſuũ præpoſuit dignas factis pœnas dedit, ipſa ſua arte ſtimulatus. Et hoc S. ſcriptura per admirationẽ ſignificauit,dicẽs: Et mortuus eſt Haran coram Thare patre ſuo in terra natiuitatis ſuæ. Hæc Epiphanius. Si certò conſtaret,quo genere mortis ſancta functus ſit Haran,poſſet hac de re iudicari certius. Iam cũ ea de re nihil habeatur certi,quorſum attinet ex incertis incerta colligere?

Epiphanius.

OBSERVATIO II.

Quales uxores duxerint ſancti patres.

Duxerũt aũt Abraham & Nachor uxores. Nomen uxoris Abrahã Sarai, & nomẽ uxoris Nachor Milchæ filia Haran patris Milchæ & patris Iſcæ.] Obſeruandũ hic eſt quales duxerint uxores patres iſti populi Dei. Non tam eñ hoc agit Moſes,ut doceat nos patres iſtos duxiſſe uxores,q̃d utiq; fecerant & illorũ maiores,de quibus tamẽ nihil huius meminit,q̃ ut admoneat quas & quales duxerint. Abrã duxit Sarai,patris ſui ex alia matre filiã. Nahor duxit uxorẽ Milchã filiã fratris ſui Haran. Ergo nuptias alienarũ uitarunt, & uxores ſibi de domo & familia paterna ſumpſerũt. Nulla tum erat lex ſcripta quæ hoc præciperet,ſed uel maiorũ ſuorum ueſtigijs inhæſerunt,uel ſingulari hoc cautione fecerunt. Crediderim aũt eum fuiſſe piorũ morem, ut ſeruandæ auitæ pietatis gratia alienorũ coniugia uitarint, quod poſtea hic ipſe Abrahã in nuptijs filij ſui Iſaac, & Iſaac in connubio Iacob filij ſui diligenter obſeruauit. Tandem ſub Moſe cautio iſta legis eſt diligentia circunſcripta & authoritate confirmata. Cautio iſta tum proteſtus eſt neceſſaria,quando inter eos uiuitur,qui alieni ſunt à uera fide & pietate.

Obſer-

OBSERVATIO III.

Quàm parũ ex terna sanctorum fortuna consilijs Dei conueniat.

Erat aũt Sarai sterilis.] Considera hic, quàm parum res externæ consilijs Dei cõueniant, quibus quæ sanctos suos concernunt, mirabiliter dispensat. Abram uocatur pater excelsus. Hoc nominis acceperat non sine instinctu spiritus sancti, quod illi postea etiam accessione aliqua est auctum. Sara uocatur Domina, principissa. Poscebant ista nomina hoc ipsum quod diuinitus erat destinatum, magnam uidelicet posteritatis multitudinẽ. Verùm fortuna externa & status uitæ ipsorũ nihil huius præseferebat. Erat enim Sara sterilis liberos neq; habens neq; expectans, unde alicuius esset posteritatis indiciũ. Sic erat Abram excelsus pater sine liberis, uxorẽ habens sterilem & infœcundam. Verùm hoc pacto Deus declarare uoluit, semen illud Abrahæ, quod expectabatur, cuius ille pater futurus erat, non constare facultate carnis, sed diuinæ gratiæ libertate ac potentia. Ad hoc semen pertinebant nõ filij carnis, Ismael & Esau: sed filij gratiæ & electionis, Isaac & Iacob. Quare secundũ Apostolicæ doctrinæ ueritatẽ filij Abrahæ sunt non nisi illi qui ex fide sunt Abrahæ, ut sit ipse pater credentiũ non solum Hebræorũ, sed & gentiũ.

OBSERVATIO IIII.

Quo studio uel filius parentes, uel parens filios suos in causa Dei lucrifacere debeat.

Tulit itaq; Thare filiũ suum Abrã, & Lot filiũ Aran filiũ filij sui, & Sarai nurũ suã uxorem Abrahæ filij sui, et eduxit eos de Vr Chaldæorũ, ut irent in terrã Canaan. Venerũtq; usq; Charan, & habitauerũt ibi.] Primũ illud consideremus. Abrã uisionẽ Dei cũ adhuc in Mesopotamia esset accepit, qua iubebat exire de terra sua & cognatione sua, ac proficisci in terrã quã monstraturus esset ipsi Deus. cui uisioni obediens exijt quò uocabat, sicuti legimus Act. 7. initio capitis. Hic dicit Moses: Tulit itaq; Therah filiũ suũ Abrã, & Lot filiũ filij sui, &c. & eduxit eos de Vr Chaldæorũ, ut irent in terrã Canaan, cum tamen nus q̃ legamus uisionẽ Dei factã esse ipsi Therah, sed Abrahæ. Quid hic aliud innuitur, q̃ studio, fide ac diligentia Abrahæ factũ esse, ut Therah pater ipsius consortiũ & conuictum eidololatrarũ desereret, & uocationi Dei obediret? Quòd aũt eidololatra fuerit, ex eo patet, cuius suprà obser. prima admonui. Admonemur hoc exemplo, qũo in causa Dei satagendum sit, ut filius parentes, & parens filios suos lucrifaciat, & ad cognitionem ueritatis perducat. Cogitent etiam patres, q̃ non sit indecorum, etiamsi per filios de ueritate admoniti paternas opiniones abijciant, & ueritati locum præbeant.

Authoritas maiorũ erga filios, etiam uxoratos.

Deinde, cogitandũ est, quæ fuerit authoritas maiorũ erga filios etiã uxoratos. Abrã habebat uxorẽ, & tamen authoritas migrationis huius tribuitur ipsius patri Therah, de quo Moses scribit, q̃ tulerit filium suum Abram, & Lot nepotem suum, & Sarai uxorẽ Abrahæ filij sui, illosq; de Vr Chaldæorum B eduxerit. Cohabitabãt ueteres, & familias suas quasi domũ indiuulsam authoritate senioris siue patris, siue aui, siue proaui regebant, quam inferiores omnes agnoscebant, & obseruabant. Nunc parentes uix agnoscuntur à liberis, etiam illis qui nondum paterna cura carere possunt.

De eo quòd Nahor in Chaldæa manserit.

Tertiò, nec illud transeundum est, q̃ nulla hic fit mentio Nahor. Abram, Lot, & Sarai, cum Therah patre ipsorum migrasse scribuntur, de Nahor tacetur. Si ante migrationẽ istam mortuus fuisset, admoniisset de eo Moses perinde atq; de morte Haran. Quid igit aliud in causa fuisse putabimus, q̃ migrantibus non annumeratur, q̃ quod patriam terram relinquere nolens maluerit diuelli à patre, ac fratribus & habitare cum impijs, q̃ unà cum suis peregrinationis subire molestias? Videmus expressum exemplũ hominis carnalis, mollis ac delicati: qui pluris faciat quietæ uitæ commoditatem, q̃ amorem & conuictum tam paternum q̃ fraternum, cum incõmoditate aliqua coniunctum. Sic forsan ad tempus anima rus fuit Nahor: uerùm postea mutata sententia subsequutus est patrem & fratrem, & uenit & ipse Haran, ibiq; post obitum patris ac discessum Abrahæ mansit.

Quousq; possit filius in causa Dei parentũ se necessitatibus accommodare.

Quartò, obseruandum est quod dicit, Veneruntq; usq; Charran, & habitauerunt ibi. Charra non erat in terra Canaan, sed in Arabia, inter Mesopotamiam & Canaan. Licet ignoremus, quare substiterint habitarintq; in Charran, cum esset Abraham uocatus in terra Canaan (nam quod suprà ex quinto capite Iudith citaui, uerba sunt hominis pij quidem, uerùm adhuc ethnici) considerandum tamen est, quàm fuerit Abram obseruans parentis sui. Est enim uerosimile, factum esse hoc propter senium Therah, ne prolixa illa peregrinatione prorsus cõficeretur. Rationẽ huius habuit Abram, ideoq; quamuis esset in Canaan uocatus, hactenus tamẽ in Charran habitare sustinuit, quatenus id patris poscebat necessitas. Interea tamen accepti oraculi Dei non immemor, peregrinationis institutum ex animo suo haudquaquam abiecit, id quod sequentia testantur. Admonemur hoc exemplo quousq; in causa Dei possit filius parentum suorum sese accommodare necessitatibus.

OBSERVATIO V.

Therah non est sine singulari cõsilio Dei in Charan mortuus.

Et facti sunt dies Therah ducentorum quinq; annorum & mortuus est in Haran.] Cogitandum hic est non esse sine singulari consilio Dei factum, quod Therah pater Abrahæ mortuus est in Charan, priusquã in Canaan uenissent. Terra Canaan erat Abrahæ promissa, ac semini illius, nõ Therah patri. Quare ne prærogatiuã hanc Abraham non singulari munere Dei, sed ex iure paterno consecutus uideret, rectè factum est ut Therah promissam hanc terrã haudquaq; ingrederetur, sed in Arabia moreret. Deinde, quoniã nõ erat Abram promissionis huius effectu statim ad ingressum terræ promissæ potiturus (neq; enim uel latũ pedem in ea possedit, nisi unicum agrũ quem sepulturæ gratia coemit) ne Therah solidæ fidei potentia ac firmitudine destitutus offenderetur, & de promissione diuina dubitaret, etiam hoc minime consultissimè factum est, ut antequam terram Canaan attingeret, in media peregrinatione subsisteret, moras necteret, & mortẽ obiret. Accedebat etiã senium, quod institutæ erat peregrinationi incõueniens. Sic seruuit Deus no modò dispensationis suæ prouidentiæ, sed & infirmi senis imbecillitati.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Vocatur Abrahã à Deo ut relicta domo paterna proficiscatur in terrã Canaan. In terra Canaan ussionibus Dei cõfirmatur, et structo altari Deũ inuocat, pòst aliquãto famis necessitate adactus in Aegyptũ descendit.

DIxit aũt Dñs ad Abrã: Egredere de terra tua, de cognatione tua & de domo patris tui, & ueni in terrã quam monstrauero tibi, faciãq; te in gentẽ magnã, & benedicã tibi, & magnificabo nomẽ tuũ, erisq; benedictus. Benedicã benedicẽtibus tibi, & maledicã maledicentibus tibi, atq; in te benedicent uniuersæ cognationes terræ. Egressus est itaq; Abrã, sicut præceperat ei Dñs, & iuit cũ eo Lot. Septuagintaquinq; annorũ erat Abrã cũ egrederetur de Haran. Tulitq; Sarai uxorẽ suã, & Lot filiũ fratris sui, uniuersamq; substantiã quam possederant, & animas quas fecerant in Haran, & egressi sunt ut irent in terram Canaan: & ingressi sunt terram Canaan.

LECTIO.

Egredere.] Sic habet & Græcus ἔξελθε. Verùm in Hebræo legitur לך לך, id est uade tibi, si punctatione quamur. Aliàs legi potest uade uade de terra tua.

De cognatione tua] Hebr. מִמּוֹלַדְתְּךָ, id est, de solo natali, uel, de patria tua, quemadmodum & nõnulli reddiderũt. Græcus reddidit, ἐκ τῆς συγγενείας σου, id est, & de cognatione tua, quam uersionẽ latinus est interpres secutus.

Et ueni.] Græcus quoq; καὶ δεῦρο, inquit. At hæc particula in Hebræo non est.

Erisq; benedictus.] Sic uertit & Græcus. Hebraicè est וֶהְיֵה בְרָכָה, id est & sis benedictio. Monsterus uertit, ut sis benedictio.

Vniuersæ cognationes terræ.] Hebr. בְּכֹל מִשְׁפְּחוֹת הָאֲדָמָה. Græcus habet πᾶσαι αἱ φυλαί, id est omnes tribus uel familiæ.

EXPLANATIO.

Tandem ad eas historias peruenit Moses, quæ patres populi Dei & notiores & celebriores, Abrahamum uidelicet, Isaac & Iacob cõcernunt: quas etiã fusius est aliquanto prosecuturus, nõ modò propter insignem patrũ istorum fidem ac pietatẽ, sed & propter eximias promissiones Dei: deinde & singularẽ illius prouidentiã & gratiã, qua se Deũ esse Abrahæ, Isaac & Iacob omniũ euidentissimè demonstrauit.

Est aũt præsens iste contextus bimembris. Nam primùm cõtinet oraculum Dei factum ad Abram: deinde commemorat, qua fide Abram & obedientia oraculo Dei obtemperauerit.

ORACVLVM DEI.

Duo continentur hoc oraculo Dei, 1. iussum. Egredere de terra tua, &c.

Dixit aũt Dñs ad Abrã, Egredere de terra tua, &c.] Duo habet oraculũ hoc Dei, quod primũ intercepit, quæ Abrahã diuinitus accepit, iussum uidelicet & promissum. Ad iussum pertinet, q̃d dicit: Egredere de terra tua, &c. Nolebat Deus Abrahamũ suum, quẽ ad res magnas singulari gratia elegerat, diutius conuersari, iactari, tentari, periclitari & adflictari in medio impiorum, etiam cognatorum. Quare iubet, ut egrediatur, hoc est, prorsus sese auellat ac separet, etiã cõiunctu corporeo, de terra, id est regione illa, in qua ciuitas erat quã inhabitabat, de מוֹלֶדֶת, id est solo & loco natali: uel ut aliis placet de cognatione & gente sua, & de domo patris sui. Nec iubet tantũ ut egrediatur, sed simul admonet quò tendat ac migret. Et ueni, inquit, in terrẽ quã monstrauero tibi. Haud quidẽ exprimit nominatim, quò migrare debeat: simul tamen indicat, esse certũ quendã locũ constitutũ, ad quẽ debeat diuertere: ne satis esse putet, si Mesopotamiã & domũ patris relinquat, nec referat postea, ubiubi maneat. Quare promittit se monstraturum illi terram, ad quam migrationẽ suam dirigat, dicens, Et ueni in terrã quam monstrabo tibi.

2. Promissum.

Ad promissũ pertinet, q̃d subiũgit: Faciãq; te in gentẽ magnã, & benedicã tibi, &c. Hac, promissione cõstituit Abrã in principẽ ac patrẽ populi Dei, inde ad finẽ usq; mũdi secuturi. Quare nõ debẽt inspici tãq; ipsius duntaxat personã, sed tanq; patrẽ multitudinis credentiũ cõcernentia quæ in oraculo isto leguntur.

Faciam te in gentem magnam.

Principiò, dicit Faciam te ingentẽ magnã. Promittit non qualemcunq; posteritatis multitudinẽ, sed tam fœcundam & numerosam, ut abeat in multitudinẽ nõ mediocris alicuius, sed amplissimæ gentis.

Et benedicã tibi.

Deinde, Et benedicã tibi, inquit Hoc est, reddam te diuitẽ, felicem, ac prospero rerum successu utentẽ. Significat enim benedici à Deo, omnis generis gratia, felicitate, ubertate, ac rerum prosperitate donari. Esse hoc factum, quod terrena concernit, sequentes testantur historiæ. Vide infrà cap. 24. in uerbis serui Abrahæ. De spirituali benedictione suo loco admonebimus.

Magnificabo nomen tuum.

Tertiò. Magnificabo, inquit, nomen tuum. Pollicetur illustrem nominis memoriam. Q.d. Sic te beneficijs insignibus, eximijs ac multis cumulabo, ut passim cùm in uita, tum post mortem nomen tuum fiat splendidum & illustre.

Et sis benedictio.

Quartò. Et sis benedictio, inquit. Potest hæc particula bifariam exponi. Primùm ut sit auxesis exprimendæ gratiæ posita. Q.d. Quid necesse est benedictionis recensere species? Vsq; adeò te omnis generis bonis

bonis cumulabo, ut nō modò benedictus, sed ipsa sis benedictio. Iam ita decerno ac statuo. Esto ipsa benedictio, ipsa prosperitas ac felicitas. Deinde, ut ad sequentia referatur, pertineatq; non solū ad eam benedictionē quæ personæ ipsius Abrahæ diuinitus est cōcessa, sed ad eam quoq;, qua propter ipsum, uel, si mauis, in ipso etiam reliquis erat diuinæ benedictionis gratia conferenda.

Quintò. Benedicam, inquit, benedicentibus tibi, atq; maledicā maledicentibus tibi. Q. d. Non solum in eo declarabo, quàm sis mihi charus & acceptus, q̄ rebus tuis in omnibus benedico: sed in eo quoq; quòd benefacturus sum omnibus illis qui bene erga te afficientur, & de te nominis mei gratia bene loquentur, rursus maledictos & infelices reddā, qui diuersum sunt facturi. In summa, amici tui erunt mei amici, & inimicos tuos pro meis hostibus reputabo & ulciscar. *Benedicam benedicentibus tibi.*

Sextò. Atq; in te, inquit, benedicentur uniuersæ tribus terræ. Et hæc particula bifariā poterit exponi. Primùm, ut de tribubus terræ Canaan intelligas. Q. d. Ad quoscunq; per uniuersam terrā illam ueneris, quam tibi monstrabo, cum benedictione uenies. Nam propter te illis benefaciam. Deinde, quod magis placet, ut non solum de tribubus terræ Canaan, sed de uniuersis totius orbis nationibus exponatur, ad quas omnes benedictio per semen Abrahæ, Christū uidelicet, cœlitus est demissa. Hoc sensu nō terrena aliqua, sed spiritualis est benedictio promissa. Etenim nulla potest ostendi ratione, per Abrahamū cunctis esse totius orbis nationibus corporalibus huius uitæ bonis benefactum. Neq; remoratur hunc sensum, quòd non dicit, In semine tuo: sed, In te benedicentur uniuersæ tribus terræ. Nam rectè in Abrahamo fieri dicitur quod in semine illius perficitur. Legunt quidam, In te benedicent se uniuersæ tribus terræ. At in Hebræo simpliciter est וברכו, id est benedicentur, non יתברכו benedicent se. Quare repudienda est Iudaica expositio, quam Lyranus adducit quidem, sed tamen & ipse reijcit. *In te benedicentur uniuersæ tribus terræ.*

Egressus est itaq; Abram sicut præceperat ei Dñs.] Pertinent ista ad alterum huius loci membrū, expositionemq; qua fide & obedientia executus sit Abram, quod mandatum fuerat ei à Domino. Iussus erat terram suam, patriam, & domum patris sui relinquere, & migrare in terrā, quæ esset ipsi monstrāda. Itaq; egressus est ex Charan, & terram Canaan ingressus. Canaan ergo erat illa terra, quam monstraturū se pollicitus fuerat Dominus. Quomodo ista fuerit Abrahæ monstrata, nō exprimitur: monstratā tamen esse, ex eo conuincitur, quòd paterna domo relicta, hanc est terram ingressus. *Fides & obedientia Abrahæ.*

Deinde quamuis haud commemoretur, quamdiu habitauerint in Charan, ponitur tamen quo uitæ suæ anno Charan egressus sit Abram. Septuagintaquinq; annorum erat, cum egrederetur de Charan. Posset sciri, quamdiu manserint in Charan, si constaret quo anno de Vr Chaldæorum egressi in id loci uenerint. Verùm maluit significare Moses, quo tempore uenerit Abram in terram Canaan, quàm quo tempore uenerit Charan, de quo loco nullam acceperat promissionem à Domino.

Tertiò, meminit iterum Lot & Sarai uxoris Abrahæ, quod & illi unà sint in terram Canaan profecti. De Lot dicunt nonnulli, quòd fuerit Abrahamum tanquam tutorem secutus. Mihi hoc uidetur esse infirmum. Nam uerosimile est fuisse eum iuris proprij, & uxoratum, licet nulla fiat uxoris eius mentio. Siquidem cum esset Abrā natus annos 99. perierūt Sedomitæ cœlesti incendio, quo tēpore Lot duas habebat filias non modò nubiles, sed utrasq; desponsatas. unde colligi potest, habuisse eum uxorem, cum de Charan cū Abrahamo auunculo suo egrederetur. Quare arbitror eum partim cognationis, partim pietatis affectu motum, migrasse cum Abrahamo. Quod enim haud fuerit impius, non ex eo duntaxat quòd ab Abrahamo est in comitem peregrinationis assumptus, sed ex eo quoq; patet, quòd ministerio angelico de Sodomis postea est ereptus, ad quod Apostoli quoq; testimonium accedit, 2. Pet. 2.

Quartò. Significatur etiam, haud esse Abrahamum & Lot uacuis manibus de Charan egressos, sed cumulatos opibus, seruis, ancillis, & pecoribus. Nam per animas, quas in Charan fecerat, innuitur primùm, quòd seruos & ancillas acquisierint in Charan: deinde quòd Dominus peregrinationi illorum statim iuuio, antequam uenissent in terram Chanaan benedixerit. Sunt qui per animas in Charan factas homines intelligant ab Abrahāmo in Charan constituto ad fidem unius Dei conuersos. Verùm non est hæc locutio consueta S. scripturæ, ut animas fieri dicat, quando ad fidem conuertuntur homines. Per animas intelligit hoc loco seruos, uernaculos & emptitios, uxores seruorum, ac liberos, qui omnes in potestate sunt ac iure patris familiàs. De liberis Abrahæ intelligere non possumus, cum dictum sit Sarai uxorem illius fuisse sterilem, & infrà cap. 15. manifestè queratur Abram se liberis ad id usq; temporis fuisse destitutum. De liberis Lot nec affirmare nec negare possumus. Id tamen constat, quòd non Abram tantum, sed & Lot substantiam & familitium acquisierit in Charan. Nam id innuitur, cum Moses pluraliter dicit: Vniuersam substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Charan. Et mox sequenti capite 13. narratur quòd & Lot habuerit greges ouium, & armenta, & tabernacula & pastores, idq; tanta copia, ut nō possent diutius habitare coniunctim, eo quòd terra copias illorum capere non posset, deinde & crebra iurgia inter utriusq; pastores nascerentur.

Quod dicit, Et ingressi sunt terram Canaan, nisi Hebræa distinctio impediret, mallem referre ad sequentem contextum, sicuti latinus interpres fecit, & uersum hic inchoare ad hunc modum, Et uenerunt in terram Canaan, & pertransiuit Abram terram, &c. Verùm quoniam nihil est periculi, uisum est distinctionem Hebraicæ lectionis seruare immotam.

QVAESTIO I.

Dixit aũt Dñs ad Abram: Egredere de terra tua, de cognatione tua, &c.] Quæritur hoc loco, quando sint ista ad Abrahamum dicta. Nec caret ista quæstio rationibus unde moueatur. Etenim si secundum narrationis *Quando sint ista ad Abrahamum dicta.*

rationis seriem oraculum hoc Dei post mortem Therah patris Abrahæ in Charan est factum, quæritur quomodo Arabia, in qua sita est Charan, מולדת, id est, natale solum Abrahæ dicatur, cum natus sit non in Charan, sed in Vr Chaldæorum. Deinde quid necesse fuerit admoneri Abrahamum, ut de domo patris exiret, cum de illa non ipse modò, sed & pater ipse egressus, & iam mortuus esset: idq; non in domo sua patria, sed in terra aliena. Tertiò, quomodo cõueniat, ut Abrahæ dictum credamus à Deo cum in Charan esset, Veni in terram quam monstrabo tibi, quasi nondum instructus fuerit, quò esset migrandum, cum tamen suprà circa calcem præcedentis capitis dictum sit, hoc proposito Theram cum Abrahamo, Lot, & Sara de Vr Chaldæorum egressum, ut irent in terram Canaan. Vnde satis patet, fuisse tum Abrahæ non solum dictum ut exiret, sed & terram ipsam monstratam in quam esset migraturus, nempe terram Canaan.

Sunt qui neglectis istis cogitationibus arbitrantur oraculum hoc præsens factum esse ad Abrahamũ in Charan post obitum patris. quorũ sententiæ fauere uidetur torta illa expositio, quam recitat Augustinus ad hunc modum: Quod autem iam in Mesopotamia cõstituto, hoc est, iam egresso de terra Chaldæorum dixit Deus, Exi de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui: non ut corpus inde ejiceret, quod iam fecerat, sed ut animam euelleret, dicitur. Non enim exierat inde animo, sed spe redeundi & desiderio tenebatur, quæ spes & desiderium Deo iubente ac iuuante, & illo obediente, fuerant amputanda. Hæc ille. Et Lyranus opinionem hanc citat quidem, at tanquam inconuenientem reijcit.

De Ciuitate Dei lib. 16. cap. 15.

Factum esse hoc oraculum in Vr Chaldæorum.

Horum opinionem cõsideratis circunstantijs sequi nõ possum. Quare uerosimilius uidetur, ut quod initio capitis huius dicitur, Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui, &c. dictum esse sentiamus ad Abrahamum non in Charan post mortem Therah patris, sed in Vr Chaldæorum, antequam migrationem hanc instituissent. Dixerat in præcedentibus de Therah, quòd tulerit Abram filium suum, Sarai nurum suam, & Lot nepotem suum, eduxeritq; eos de Vr Chaldæorum, ut irent in terram Canaan, illisq; statim de Charan & morte Therah subiecit, ut quæ de illo dicenda erant, obiret absolueret. Hisce absolutis per recapitulationem, redit ad Abrahamum: & quoniam in illius historijs primum locum obtinet diuinæ uocationis oracullum, quo de terra sua, cognatione ac domo patris exire iussus erat, principiò de illo meminit, ut lectorem instruat, quæ fuerit Theræ & Abrahæ migrationis causa. Hoc consilio recapitulando sic narrat, Et dixerat Dominus ad Abram (uidelicet in Vr Chaldæorum) Egredere de terra tua, & de natione tua, & de domo patris tui, & ueni in terram quam monstrabo tibi, &c. Et hæc recapitulatio ad hoc quoq; facit ut doceat nos Abrahamũ post mortẽ patris haudquaquam fuisse oblitũ oraculi diuini, quod ad ipsum in Chaldæa fuerat factũ, sed fide & obedientia illius permotum, migrationem à Domino præceptã, & annis aliquot in Charan interruptã continuasse, nec cessasse, donec in terram Canaan uenisset. Huc scilicet pertinet, quod post oraculi diuini commemorationem subiungitur, Et egressus est Abram sicut præceperat ei Dominus. Intellige de Charan, post mortem patris. Vnde & subditur: Septuagintaquinq; annorum erat Abram, cum egrederetur de Charan.

Recapitulatio.

Itaq; oraculum hoc Dei, Egredere de terra, &c. non ideo post mortem Therah patris Abrahæ refertur, quòd tum primùm sit factum: sed ad Abram in Vr Chaldæorum factum per recapitulationem hoc loco memoratur, ut causa migrationis huius intelligatur. Et huic sententiæ fauent ea quæ Stephanus Act. 7. dixisse legitur ad hunc modum: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cũ esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & ueni in terram, quam monstrabo tibi. Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan. Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc uos habitatis. Hæc ibi. Ergo oraculum hoc factum est ad Abram in terra Chaldæorum, antequam inde exisset nõ in Charan. Imposuit autem Augustino, quòd non animaduertit Mesopotamiam à Stephano dictam esse, pro Chaldæa. Quare præter rationem est, quòd uocationem hanc contigisse dicit Abrahæ non in Chaldæa adhuc constituto: sed postquam Chaldæam egressus in Mesopotamiam uenisset, & antequam in Charan habitaret. Nam manifestè dicit Stephanus: Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan. Quando? Post acceptam uidelicet uocationem Dei, ut satis liqueat, Mesopotamiam esse à Stephano positam pro Chaldæa, quemadmodum & Iehos. 24. & Iudith quinto fieri uidemus. Etenim ipse declarat, cum dicit, Tunc exijt de terra Chaldæorum: satis innuens, per Mesopotamiam se significasse Chaldæam. Notum autem est & ab ethnicis scriptoribus, Mesopotamiæ uocabulo etiam Assyriam aliquando & Chaldæam esse nocatã. Si cui lubet, uideat Cosmographicã doctissimi Vadiani Epitomen.

Act. 7.

Augusti.

QVAESTIO II.

Quomodo Abrã Charan egressus sit anno uitæ suæ 75. quæstio à multis exagitata.

Septuagintaquinq; annorum erat Abram cum egrederetur de Charan.] Nascitur hic altera quæstio, quam ferè omnes docti iudicant esse intricatissimam. Quæritur: Si Thera genuit Abrahamum, cum annorum esset septuaginta, sicuti dictum est capite præcedenti, deinde mortuus est in Charan annos natus ducentos quinq;, quomodo Abraham cum de Charan post mortem illius egrederetur, septuagintaquinq; tantum annorum fuisse scribatur, cum à natali Abrahæ ad mortem usq; Therah patris ipsius anni fluxerint centum trigintaquinq;, atq; ita desiderentur anni sexaginta. Si Abraham natus est anno septuagesimo patris sui Therah, & post mortem illius de Charan discedens annorum fuit septuagintaquinq;, consequitur Therah non uixisse annos ducentos quinq;, sed mortuum esse cum uixisset annos centum quadragintaquinq;. Atq; hac supputatione dicendum erit, uel Abrahamum cum egrederetur de Charan non

A ran non ſeptuagintaquinq; tantum,ſed centum trigintaquinq; annos fuiſſe natum, ſi Therah anno ætatis ſuæ ducenteſimoquinto mortuus eſt:uel,ſi Abram uerè ſeptuageſimoquinto anno uitæ ſuæ Charan egreſſus eſt: Therah patrem ipſius mortuum eſſe non ducenteſimoquinto,ſed centeſimo quadrageſimoquinto.quod utrunq; manifeſtè Moſaicæ narrationi repugnat.

Ad hanc quæſtionem uariè reſpondetur.Hieronymus,quemadmodum & Auguſtinus lib. 1. Quæſt. *Hieronymus.* ſuper Geneſim cap.26.recitat traditionem Iudaicam,qua computantur anni Abrahæ non ab eo tempore,quo natus eſt ſecundum carnem,ſed quo liberatus ex igne Chaldæorum tyrannidem euaſerit,inq; libertatem auxilio Dei aſſertus, Vr Chaldæorum egreſſus fuerit. Ab eo tempore ad mortem uſq; patris ipſius Thare numerant annos ſeptuagintaquinq;. Secundum hanc traditionem, fuit Therah cum de Vr Chaldæorum egrederetur annos natus centum triginta: & cum in Charan anno uitæ ſuæ ducenteſimoquinto moreretur,erant anni Abrahæ ſeptuagintaquinq;. Ad hunc modum arbitrati ſunt nonnulli ſoluram eſſe hanc quæſtionem. Verùm Moſaica ſimplicitas commentum hoc Iudaicum non recipit. Neq; enim numerat annos Abrahæ,quemadmodum nec Therah, ab egreſſu de Vr Chaldæorũ, ſed de illius natiuitate.Alioqui uniuerſa ſeries annorum illius redderetur irrita,ſic ut neq; nataliũ Iſmael,neq; circunciſionis, neq; nati Iſaac, neq; mortis ipſius Abrahæ, deniq; neq; Saræ, & per conſequentiam,nec Iſaac,nec Iacob,& filiorum eius,anni ſupputationem eam retinerent,quæ in ſequentibus à Moſe traditur.Quare nequaquã recipienda eſt Iudaica traditio,qua plus incommodi ſacris ſcripturis,quàm adiumenti ad præſentem quæſtionem infertur.

Auguſtinus loco ſuprà citato per recapitulationem quæſtionis huius nodũ ſolui poſſe putat. Vt uidelicet dicamus quæ capitis huius initio de oraculo Dei & egreſſu Abrahæ de Charan ſcribuntur, non eſſe poſt,ſed ante mortẽ Tharæ annis 160.facta,ſic ut Abram fuerit primogenitus, anno Tharæ ſeptuageſimo natus, & cum annorũ eſſet ſeptuagintaquinq;, anno uitæ patris centeſimo quadrageſimoquinto de Charan egreſſus,poſt cuius diſceſſum Thera uixerit adhuc in Charan annos ſexaginta. Eſt quidem recapitulationis magnus uſus in exponendis ſacris ſcripturis, & per illam, quemadmodũ eodem loco non fruſtra Auguſtinus admonet,multarũ quæſtionum aliàs inſolubilium difficultas tollitur: uerùm in hac quæſtione locũ habere non poteſt.Prohibet enim authoritas Stephani, ne Abrahamũ ante mortem patris ipſius Thare Charan fuiſſe egreſſum dicamus.Nam Act.7.manifeſtè dicit: Tunc exijt *Auguſt.*

B de terra Chaldæorum,& habitauit in Charan.Et inde poſtquã mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram iſtam,in qua nunc uos habitatis.Hæc uerba Stephani,quamuis Auguſtinus illa fingat ac refingat,ſic ſunt manifeſta, ut reclament omnibus illis, qui Abrahamum ante mortem patris ſui de Charan fuiſſe egreſſum ſentiunt.Quare nec hac ſolutione quicquam efficitur.

Tertiò,idem Auguſtinus ſupradicto loco adhuc aliud ad hanc quæſtionẽ dici poſſe iudicat. Quoniã *Auguſt.* ſcriptura, inquit,quæ dicit, Cum eſſet Thare annorum ſeptuaginta, genuit Abram,Nahor,& Aram: non utiq; hoc intelligi uoluit,q; eodem anno ſeptuageſimo ætatis ſuæ omnes tres genuerit: ſed ex quo anno generare cœpit,eum annum cõmemorauit ſcriptura.Fieri autem potuit,ut poſterior ſit generatus Abraham,ſed meritò excellentiæ,qua in ſcripturis ualde cõmendatur,prior fuerit nominatus,ſicut propheta priorem nominauit minorem dicens:Iacob dilexi, Eſau odio habui. Et in Paralipomenon cum ſit quartus naſcendi ordine Iudas,prior eſt nominatus,à quo Iudaicæ genti nomen eſt datũ, propter tribum regiã.Hæc ille.Secundum hanc rationẽ præſenti quæſtioni ſuccurri poteſt ad hunc modũ, ut de eo quod certò expreſſum eſt,ad id quod in quæſtionem propter obſecuritatẽ uenit, ſupputando peruenia mus. Quod Thare mortuus ſit in Charan, annos natus ducentoſquinq;,certò eſt expreſſum: deinde & illud indubitũ eſt,q; Abraham anno ætatis ſuæ 705.de Charan poſt mortem patris egreſſus in terrã Canaan migrauerit,ſecundum narrationẽ Stephani.Illud non eſt certò expreſſum, quo anno Tharæ natus ſit Abraham.Licet enim ſcriptura dicat, Therah cum uixiſſet annos ſeptuaginta,genuit Abrã, Nahor & Haran:ſic tamen intelligi non poteſt, ut ſentiamus hos tres eodem anno 70. fuiſſe natos:quemadmodum neq; de filijs Noe,Sem, Cham,& Iapheth dicendum eſt, q; 500. anno Noe omnes nati fuerint, & q; Sem primogenitus extiterit,licet legamus ſuprà cap.5. Noe cũ quingentorum eſſet annorũ,genuit Sem, Chã & Iapheth.Quare ubi Moſes in calce genealogiæ poſterioris dicit, Therah uixit annos 70,& genuit Abrã,Nahor & Haran:ſicuti ſuprà in fine genealogiæ prioris,ubi dicit,Noe cũ 50.eſſet annorũ, genuit Sẽ,Chã,& Iapheth, nõ hoc agit ut doceat quo quiſq; iſtorũ natus ſit anno, ſed quãdo illic Noe, hic Therah gignere cœperit. Igiẽ ex uerbis Moſis id quidẽ conſtat,q; ante 70.annũ Thare nec Abrã,nec Nahor,nec Haran ſit natus:uerũ quo anno ſingulos genuerit Therah,non eſt certò expreſſum. Exigit itaq; ipſa ratio ut ex eo quod certũ eſt cognitionẽ quæramus eius q̃d eſt incertũ, per quã quicquid eſt dubij & obſcuri declareſ, & quæſtionis nodus ſoluatur.Quapropter de anno natiuitatis Abrahæ,iudicatu ris ab anno mortis Tharæ,deinde & ab anno quo Abram de Charan diſceſſit,ſumendũ eſt ſupputandi initiũ.Thare mortuus eſt in Charan,cũ uixiſſet annos 205.Abram inde egreſſus eſt annos natus 75.Hos ſeptuagintaquinq; annos de annis uitæ Thare tollamus,& remanebũt anni centũ triginta. Ergo Abrã natus eſt anno uitæ Thare patris ſui centeſimo & trigeſimo:& cum pater in Charan moreretur erat annorũ ſeptuagintaquinq;,quo anno ſecundum narrationẽ Moſis de Charan eſt cum Lot & Sara uxore ſua egreſſus. Hac ratione arbitror omnium cõmodiſsimè ſublatum eſſe,quicquid difficultatis in hac uidetur eſſe quæſtione. Et hæc ſolutio etiam authori Scholaſticæ hiſtoriæ & Lyrano uiſa eſt probilior.

Arbitrantur nonnulli noſtrorum temporũ ſcriptores,uoluiſſe Deum certo conſilio ſexaginta annos

in Abrahamo intercidere, ne si certa constaret annorum mundi ratio, de fine mundi quisquam certi ali quid prædicere præsumeret. Verùm quàm sit hoc infirmum & incertum, etiam ipsi haudquaquam dissimularunt, dum diserte suam sunt hac in re ignorantiam & fluctuationem confessi.

OBSERVATIO I.

Libertas diuinæ uocationis.

Dixerat aũt Dñs ad Abrã: Egredere de terra tua, de natione tua, & de domo patris tui, in terrã quã monstrabo tibi.] Cumprimis illud considerandum est, q̃ cum hominẽ quempiam Deus eligere & uocare uellet, quem patrẽ populi sui constitueret, non elegit & uocauit aliquem de posteris impiorum ac reprobo-
rũ, sed de generationibus piorum. Qua in re uidemus, qũo nõ abijciat prorsus generationes piorum, licet
& ipsæ corrumpantur, sed semen ex illis eligat. Deinde perpendendum est, quæ sit diuinæ uocationis li-
In causa electionis non est attendẽda iustitia Abrahæ. bertas. Abrã non erat primogenitus, sed Haran, uel Nachor. Et tamen nec Haran, nec Nachor ad præ-
claram hanc sunt gratiam uocati, quamuis & eiusdem essent patris filij, & natu grandiores, sed Abram.
Nulla monstrantur hic propriæ iusticiæ merita, sed omnis hæc causa liberæ diuinæ electionis gratiæ
Proprium iusticiariorum. permittitur, cui tantum decedere necesse est, quantum à iustitiarijs tam nostris quàm Iudæorum iusti-
ciæ Abrahæ assignatur. Proprium est omnium iusticiariorum, ut causas diuinæ electionis & uocatio
nis haud libero diuinæ gratiæ arbitrio & proposito, sed uel præcedentibus, uel subsequentibus electorũ
ac uocatorũ meritis adscribant. In hoc enim perpetuò deficiunt, quòd soli diuinæ iusticiæ consideratio-
ni intenti oculos mentis à consideranda gratiæ Dei gloria & libertate auertunt, ad cuius nos respectũ
Paulus tanquam insignis cœlestis gratiæ præco studiosissimè uocat & inducit, Rom. 9. & 11. & Eph. 1.
In conscribenda uocatione Abrahæ nulla illius præcedens iustitia commemoratur. Quod attinet præsens Abrahæ exemplum, primum omnium est, quod legitur, non præcedens aliqua il
lius iusticia, sed uocationis diuinæ gratia, qua dictum illi est: Egredere de terra tua, &c. faciam te in gen-
tem magnam, & benedicam tibi, & sis benedictio, &c. Non est sine singulari spiritus sancti consilio fa
ctum, quòd inuocatione ac principio historiæ Abrahæ, qui futurus erat credentiũ pater, nulla præce-
dens illius cõmemoratur iusticia, sed historiæ exordiũ à gratia uocationis diuinæ sumitur. Quare & no
bis cõuenit, ut cõsiliũ hoc spiritus sancti diligẽtissimè obseruemus, ac gloriã gratiæ Dei deprædicemus.

Vbi uocatus sit Abram. Tertiò considerandum est ubi uocatio ista contigerit Abrahæ. Id à Mose quidem nõ exprimitur, ue
rùm ex uerbis Stephani Act. 7. & infrà cap. 15. satis patet, factam esse eam in Vr Chaldæorum. Ego
Dñs, inquit, qui eduxi te de Vr Chaldæorũ, ut darẽ tibi terrã istam. Ergo tanta est gratia Dei, ut hom-
nem adhuc in medio nationis impiæ cõstitutũ non asperneꝰ, sed inuisat & euocet. Sic est cõparatus cœle
stis pater, ut in ipsis errorũ & impietatis tenebris sedẽtes ad lumẽ gratiæ suæ uocare haud dedigneꝰ. Gra
1. Pet. 2. tiã hãc Dei cõmendat fidelibus Apostolus Petrus, cũ dicit: Vt uirtutes annũcietis eius q̃ uos de tenebris
in admirabile lumẽ suũ uocauit. Et nos amplitudinẽ gratiæ huius experti sumus, q̃ & ipsi scimus quãtis
nos tenebris Deus euocauerit, & ad ueritatis suæ cognitionẽ perduxerit. Illi sit gloria in sempiternum.

Quãdo uocatus sit Abraham. Quartò, obseruemus etiã quando Dñs Abrahamũ uocauerit. Dubio procul elegerat eum ante con-
stitutionẽ mundi, & in utero matris quoq̃ ad patriarchatus dignitatẽ segregauerat: uerũ nõ statim eum
in ipsa pueritia, sed cũ ad ætatis maturitatẽ peruenisset, & iam uir factus esset, oraculo suo uocauit. Ete
nim priusq̃ uocaretur, uxorem habuit, eamq̃ sterilem. Seruiebat hoc uirtuti uocationis huius, quæ hoc
fuit illustrior, quo minus obedientia ipsius Abrahæ iuuenili poterat temeritati adscribi. Aetas immatu-
ra multa inconsultò aggreditur, quæ animus uirilis & maturus prouidentia sua declinat. Quare ne qua
temeritatis daretur species, uoluit Abrahamum Deus non puerum adhuc & adolescentẽ, sed ætatem ma
turum & uxoratum ad causam hanc arduam & magnam uocare. Haud quidem moratur ullam ætatẽ
Deus, uerùm quæ dispensat, non sine singulari prouidentia disponit & instituit.

Quomodo uocatus sit Abrahã. Quintò, nec illud transeundũ est, q̃ uocauit eum non occulto quodã & interno spiritus sui instinctu,
sed quemadmodũ Stephanus indicat, apparitione aliqua, externa dubio procul & uisibili, siue uigilantẽ
siue dormientẽ appellans, & oraculo hoc, quod Moses ponit, magnis adhibitis promissis uocans. Varij
Sola prouidentia Dei nouit, quibus certis modis cõscientia uocatorum confirmetur. sunt diuinæ uocationis modi, quorũ omniũ rationẽ ostendere nõ est præsentis instituti. Illud tamen ad-
monẽdi sumus, ad solã pertinere prouidentiã Dei, ut modos uocationũ cõmodè dispenset, ac uocatorũ
cõscientijs certitudinẽ uocationis suæ indat, ne de illa dubitent & reluctenꝰ. Disputant hic non nulli, un
de Abrã certò cognouerit, oraculũ hoc uocationis suæ nõ esse illusionẽ aliquã maligni spũs, sed unius ac
ueri Dei uerbũ. Argumenta certitudinis quibus certò & indubitatò diuina uocatio cognoscit, haud fo
terunt à quoq̃ tradi nisi ab eo solo qui corda mortaliũ spũ suo confirmare nouit. Extant quorundã scri-
pta, qui Abrahamũ prima hac uocatione per ministeriũ Sem de Vr Chaldæorũ euocatũ esse sentiunt.
Quàm hoc firmũ sit, iudicent alij. Et tamen etiamsi hoc demus, neq̃ Sem tamẽ, neq̃ alius quisq̃ hoc ut
tutis habebat, ut mentẽ Abrahæ de diuina uocatione certam redderet. Occultissimo fidei sensu, à quo
alieni sunt quotquot spiritu fidei destituuntur, corda uocatorum diuinitus ducuntur & confirmantur,
quo Abrahamum quoq̃ in hac uocatione præditum fuisse dubitari non debet.

Vnde uocatus sit Abram. Sextò obseruandũ etiã est, unde eum uocauerit: Egredere, inquit, de terra tua, & de natione tua, & de
An patriæ sedes noceant pijs. domo patris tui. Quid igitur? Non potuit Abrã uerus esse cultor Dei, nisi exiret de terra sua, de natione
sua, & de domo patris sui? An patriæ sedes impediunt pios, ne Deo seruire possint? Nequaquam. Non
repugnat pietati, uiuere in patria terra & domo: sicuti impium non est, conuersari cum parentibus &
cognatis, quòd multi pij ac iusti fecerunt. Verùm si propter impietatem cum periculo pietatis & sa-
lutis cõiunctum sit uiuere in patria, & cohabitare parentibus & cognatis, tum sanè locum habet egres-
sus iste, qui hic Abrahæ præcipitur, & de quo Christus dicit: Qui non reliquerit patrem & matrem

propter

ppter me, non est me dignus. Erat aũt nõ solũ ipsa Chaldæa ac Mesopotamia, sed & natale solũ Abrahæ, immo ipsa etiã domus patris impietate falsorũ cultuũ ac pluriũ deorũ, prsus cõspurcata, id q̃d Iehosuæ 24. & Iudith 5. uidere licet. Quare & indigna erat tam patria terra q̃ cognatio Abrahæ, in qua uir pius & syncerus Dei cultor maneret: deinde & incommodũ erat ipsi Abrahæ uiuere in medio impiorũ, potissimũ cognatorũ. Dicet aliquis: Etiãsi indigni sint impij, apud quos uir pius uiuat, & incommodũ quoq; sit ac periculosum habitare cũ impijs & eidololatris, impiũ tamen censeri nõ potest, quandoquidem hoc multis iustis usuenit, modò nõ consentiat impietati, deniq; unde occasio erit impijs ac seductis ad lucẽ ueritatis perueniendi, si prorsus omni piorũ conuictu destituant? Nisi initio Christianissimi fideles infidelibus cohabitassent, unde religio Christiana incremẽti sui primordia accepisset? Quod aũt primi Christiani infidelib. coniugibus, parentib. cognatis & gentibus fine offensa pietatis cohabitarint, & res ipsa declarat, & sacræ historiæ testantur.

An impiũ sit habitare cũ impijs.

Respondeo: Nemo cordatus huiusmodi conuictũ in se damnat, nisi circunstantiæ accedant, ad segregationem ac discessionẽ urgentes & impellẽtes. Impiũ quidẽ in se non est, externa cohabitatione uiuere cũ impijs: immo bonũ etiã est & laude dignũ, si id fiat cũ spe lucrandarũ animarũ quæ tenebris errorũ detinent. Verùm si nullus sit huiusmodi spei locus, & simul q̃tidie timẽda sint cõscientiæ ac pietatis pericula, ut discrimina uitæ taceã, ab illis q̃q; metuẽda, q parẽtes sunt, fratres & cognati: addo, si uiuendũ sit in medio eorũ q nõ inde ab initio in impietate uixerũt, sed à pietate & cognitione Dei, in qua fuerant à maioribus educati ad falsos pluriũ deorũ cultus impiè defecerũt: quæ circũstantiæ omnes causam Abrahæ grauabãt. laudi dari non potest, si quis q̃ ab impiorũ cõuictu auelli nolit, nec caret suspicione carnaliũ q̃rundã affectuũ huiusmodi pertinax cohæsio. Præterea, si discessus pij hominis q̃ à periculoso furẽtiũ ac deploratorũ infideliũ cõuictu separatur, ad hoc facere poterit, ut alibi uiuens causas cognoscendi ueri Dei errantibus minus obduratis subministret, etiam hoc nomine non modò rectè, sed & cum utili pijs, & de consortio malorum egredi iubetur, nõ modò inculpatè discedit, sed & fine culpa inobedientiæ, salutisq̃ discrimine cohærere malis non potest, à quibus discedere authoritate diuina iubetur. Sic Abrahã etiam hoc nomine rectè est patriam & terram & nationem & domum egressus.

Conuictus impiorum non nisi ex circumstãtijs dãnatur.

Sunt itaq; duo causarum genera, quibus homo pius rectè à conuictu cognatorum suorum auellit, & de sedibus patrijs, uel alijs etiam quibuscunq; egreditur. Vnũ earũ est, quæ locum unde disceditur concernunt. Vtpote si pius illic nec uita, nec conscientia salua, nec aliqua spe fructus, consistere poterit. Altera earum est, quæ pertinent ad ea loca in quæ disceditur. Videlicet, si uel cõmoditas propagandæ ueræ pietatis, uel authoritas mandati diuini aliquò nos uocet. Vtroq; causarũ genere impulsus est Abram, ut de terra ac natione sua domoq; paterna egrederetur. Primũ enim talis erat ipsius patria tam domus q̃ terra, ut salua nec pietate, nec uita, diutius manere posset. deinde accedebat mandatũ Dei, cuius oraculo ad terrã Canaã euocabat. Quælibet harũ causarũ sufficiens est ad excusandam discessionem hominis pij, etiamsi de ipsa domo patris sui discedat, nedum de minus propinquorũ & coniunctorũ conuictu.

Duo sunt causarum genera quibus rectè à consortio impiorum discceditur.

Sunt istæ considerationes nostro seculo admodum necessariæ, quo multi boni ac pij uiri ad deserendum patrias sedes & egrediendũ de Chaldæa, hoc est, de terra in qua Babylonica regnat impietas, partim necessitate seruandæ pietatis ac uitæ, partim authoritate uerbi ac mandati Dei coguntur. Extat enim præceptũ Domini, quo de medio Babylonis exire iubemur. Sic Hier. 15. legimus: Fugite de medio Babylonis, ut saluet unusquisq; animã suam. Nolite tacere super iniquitate eius, quoniam tempus ultionis eius est à Domino. Et Apocal. 18. Et audiui uocem de cœlo dicentem, Exite de illa populo meus, & ne participes sitis delictorũ eius, & de plagis eius ne accipiatis. Quoniam peruenerunt peccata eius usque ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatũ eius. Quare præter rationem non est, quòd tam multi pij uiri hodie, & magnitudine periculorũ, & enormitate impietatis Babyloniorũ, & authoritate diuini præcepti ad hoc adiguntur, ut Ecclesiã illã Babylonicã deserãt, & nonnunq̃ etiã corporali migratione saluti suæ consulant. Septimò, considerandũ etiã est, quanto serio proposita sit ista euocatio Abrahæ, qua de terra Chaldæa, natione & domo per eidololatriã infecta exire est à Deo iussus. Non simpliciter dicit, Egredere de terra impiorũ: sed, uade tibi, uel, uade uade. quæ loquutio omnino uehementiam quandã impulsionis necessariæ spirat, unde etiam de magnitudine causæ conijcere licet. Sic etiamnũ dicere solemus, ficubi quempiã ad properanter eundũ & discedendũ impellimus, *Heb dich*, uel *gang gang*, *lauf lauf*. Huc etiã pertinet, quod non dicit, Vade tibi de terra Chaldæorũ: sed, Vade tibi de terra tua, etiam de natione tua, immo & de domo patris tui. Admonemur quanta requirat animi firmitudo ab homine pio, ficubi propter pietatis conseruationẽ instituenda est migratio. Facile est, aliena loca relinquere, & de consortio hominũ extraneorũ discedere. Verùm patriã terrã & nationẽ, & ipsam quoq; patris domũ propter causam nõ carnis aliquã, sed fidei ac spiritus deserere, id demũ animũ exposcit robore fidei planè confirmatũ. Sed ea de re in sequentibus. Interea cogitandũ nobis est, nullã impietatẽ periculosiorem esse q̃ patriã: nec esse magis necessariã ullã diuisionẽ, q̃ qua propter retinendã ueræ pietatis puritatem à coniunctissimorũ hominũ consortio diuidamur. Facilius est Christiano inter ipsos Turcos uiuenti Christianæ fidei sinceritatẽ custodire, q̃ si in patria terra inter eos, qui Christiani nominis professionẽ falsò iactant, deinde & sanguinis sunt propinquitate coniuncti, uiuendũ sit, & quotidie calumniæ hæreseos ac schismatis audiendæ, ut de infanda nostrorum temporum erudelitate taceam. Octauò. Etiã hoc cogitãdũ est, q̃ nõ simpliciter de patria terra, sed simul in certũ quendã locũ uocat Abram

Qualitas nostrorum temporum.

Præcepto Dei de medio Babylonis fugere iubemur.

Quanto serio deferenda sit Chaldæa.

Nulla impietatis societas periculosior est quàm patria.

Non solum de patria terra, sed ex in terram Canaan uocatur.

in terram uidelicet Canaan. Non habet hæc particula catholicum exemplum, ad quod piorum sint de-
sponendæ uocationes, sed singulare factum est, peculiarem habens diuinæ prouidētiæ dispensationem.
Constituerat Dominus futuro suo populo terram hanc Canaan, in qua separatus à reliquis totius or-
bis nationibus uiueret, & in cultu nominis sui institueretur: deinde & mysterium Christi ab æterno de-
stinatum ad totius humani generis salutem dispensaretur. Huius populi patrem ac principem aliquot
seculis antea non solum promissis eius terræ, sed & inhabitatione, saltem peregrina, ad res futuras præ-
parare, ac successores illius ad fidem & expectationem promissorum instituere uoluit. Huiusmodi au-
tem consilium Dei quare terram Canaan de reliquis omnibus elegerit, nostrum non est inquirere.

Quare monstrabo tibi.

Illud uerò diligenter est obseruandū, & initio uocationis huius nō dixit, Et ueni in terram Canaan:
sed, Et ueni in terram quam monstrabo tibi. In Ebræo est אל ארץ אשר אראך, id est, ad terram quam ui-
dere te faciam. Obserua ordinem. Primùm iubet egredi de patria terra & domo. Deinde pollicetur se
ostensurum illi terram. Non dicit, Quam tibi dabo, sicuti postea dicturus est: sed, Quam te uidere faciā.
Sic primùm inuitauit eum ad uidendum terram, cum adhuc in Chaldæa esset, pòst in terra ipsa constitu-
tus pollicetur dicens, Tibi ac semini tuo terram hanc dabo. Admonemur hic quo proposito ostendat

Bona sua Deus ostendit nudè & inefficaciter.

nobis Dominus bona sua. Non eo tantū ut illa cognoscamus, sed ut cognita etiam accipiamus & pos-
sideamus. Non est nuda ostentatio, cum dicit, Quam ostendam tibi: sicuti nuda ostentatio non est, cum
in psalmo pollicetur dicens, Ostendam illi salutem meam. Habet hoc genus ostensionis annexam largi-
tionis munificentiā, & inuitationem ad appetendum & accipiendum. Excitatur animi alacritas & auc-
ditas, ubi præclara bona non ab auaro aliq̄ ac tenaci, sed liberali ac munifico principe ostendunt. Sic spi-
ritus sanctus cum dicit, Gustate & uidete quàm suauis sit Dominus, non inuitat nos ad curiosam aliquā

Satan contrariū agit.

ac nudam diuinæ bonitatis explorationē, sed ad tale illius experimentū quo ad fruendum illa excite-
mur. Satan contrarium agit. Ostendit ille non ut det, sed ut decipiat. Christo ostendit omnia regna mun-
di, dicens: Hæc omnia tibi dabo, si me adoraueris. Non agebat hoc ut redderet eum felicem, ac Dominū
orbis, sed ut felicem ac Dominū omniū subuerteret, & omniū redderet infelicissimū. Quare cauendū est,
ne impostoris illius seducamur. Habet etiamnū ministros suos, per quos miseris ac seductis nescio quā
pollicetur salutem ac felicitatem, si relicto uerbo ueritatis, Deum colant qualem & cultibus quos ipsi
fingunt. Habemus uerbum uocantis nos Dei, quod sequamur, in quo nulla est impostura, sed omnium
certissima ueritas.

Terrā promissionis usuro, deserenda est societas impiorum.

Simul tamen cogitandū est, requiri cū primis ut consortiū impiorū deseramus, & patriā terrā, cogna
tionē & domū egrediamur, hoc est, ab omnibus remoris etiā coniunctissimorū nobis morū & conue-
ctuū separemur, anteq̄ ad cœlestiū bonorū uisionem & acquisitionem perueniamus. Deinde opus esse
fide, quæ omnem nobis adimat sollicitudinem & hæsitantiā & promissioni huic אראך, id est, uidere te
faciā, firmissimè innitatur. Agnoscendū quidem est, q̄ nostræ non sit facultatis uidere bona illa, quæ nec
oculus uidit, nec auris audiuit, nec cor hominis unq̄ sensit, ad quorū tamen gustū ac usum diuinis pro
missionibus inuitamur: uerùm iuxta obfirmandus in eo est animus, quod qui dicit, Videre te faciā, ostē-
dam tibi salutem meam &c. potest etiam oculos dare uidendi, & cor sentiendi. Impossibile esset carni no
stræ gloriam illam Dei uidere quæ in cœlo, terra, & omnibus uisibilibus creaturis relucet, nisi ille ocu-
los uidendi dedisset. Qui carni usum hunc dedit, dabit etiam menti oculos quibus fide dum sumus ad-
huc in mundo, & postea facie ad faciem cœlestia bona uideamus, & uisis fruamur, modò uocanti & in-
uitanti obsequamur.

OBSERVATIO II.

*Faciamq̄ te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq̄ benedictio. Benedi-
cam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atq̄ in te benedicentur uniuersæ tribus terræ.*

Etiam pij nonnū quàm corporaliter in hac terra benedicuntur & felices reddūtur à Deo.

Primùm iudicandum est qualis sit ista benedictio. Quatenus corporalem posteritatis multitudinem ac felici
tatem promittit, admonet nos de bonitate Dei, qua electos suos in hac uita, licet ad bona cœlestia & æ-
piterna destinarit, nonnunquam tamen etiam corporalibus bonis cumulat. Sic Abrahæ data est ma-
gna posteritatis multitudo, magnæ quoq̄ sunt adiectæ opes, & magnus nominis splendor concessus.
Huius generis felicitatem experti sunt multi sancti uiri, Isaac, Iacob, Ioseph, Iob, Dauid, &c. Quare non
debemus quenq̄ mortalū propter terrenarū rerū felicitatē ac successum condēnare, ac sorti impiorū ad-
iudicare, qui in bonis ducunt dies suos, & in puncto descendunt ad inferos. Impium ac damnationi de-
stinatū hominem declarat non terrena felicitas, sed terrenæ felicitatis improba & damnabilis auiditas;
quemadmodū pium ac Deo charū non ostendunt huius uitæ calamitates & miseriæ, sed fidelis in Deo
ac constans calamitatum ac miseriarum tolerantia.

Bonitas Dei in eo quoq̄ declaratur quod magnā gentem elegit quæ saluetur in Christo.

Quatenus uerò non solum carnalis in hac promissione, de qua impensius gloriātur Iudæi, sed & spi-
ritualis posteritas promittitur, quæ electorū est & fideliū, cogitandū est de bonitate Dei, qua destinauit
Abrahæ gentem saluandorū non modicā aliquā, sed magnā, quā etiā infrà stellis cœli & arenæ maris in-
numerabili cōparat. Hæc est incōprehensibilis bonitas Dei, per quā numerus electorū ac saluandorū in
tantā destinatus est multitudinē, cui nō repugnat q̄d Christus dicit: Multi sunt uocati, pauci electi. Nā
electos ille paucos esse dicit, nō separatim, sed respectu pereuntium & gratiam uocationis cœlestis con-
temnentiū consideratos. Alioqui si numerus electorū in se paucus esset ac rarus, argumentū daretur no
luisse Deū multos æternæ destinare saluti, id quod plurimū de gloria infinitæ illius bonitatis detereret.

Deinde obseruandum est, quod non simpliciter dicit, Faciam te in gentē multā, aut numerosam: sed
גוי גדול

לגוי גדול, id est, ad gentem magnam. Dicitur autem gens magna bifariam, uidelicet aut numero, aut dignitatis alicuius & honoris prærogatiua. Semen est Abrahæ promissum utroq; cùm numeri tum honoris nomine magnũ. Ad numerũ pertinet & multitudinẽ, quod infrà tredecimo dicit: Faciam semen tuũ sicut puluerem terræ. & cap. 15. Suspice cœlum, & numera stellas, si potes. Sic erit semen tuũ. Ad honoris prærogatiuam referendum est, quod Moses Deut. 4. dicit ad hunc modum: Hæc est uestra sapientia & intellectus corã populis, ut audientes uniuersi præcepta hæc dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grãdis, quæ habeat Deos appropinquãtes sibi, sicut Deus noster adest cũctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta, &c. Non sunt hæc ad carnalẽ duntaxat Israelẽ referenda, sed prorsus ad uniuersum semẽ Abrahæ, multitudinẽ uidelicet & amplitudinẽ electorũ Dei, tã ex gentibus q̃ Israele in unũ ac uerũ Deũ per Christũ filiũ eius credentiũ. Quis enim multitudinem istorum numeret? Quis dignitatem, honorem & gloriam sufficienter deprædicet, qua ad sortem sumus filiorum ac hæredum Dei selecti? Deut. 4.

Simul & illud obiter obserua, q̃ nõ dicit, Factã te לעם גדול, id est, ad populum magnũ: sed לגוי גדול, id est ad gentem magnam. Annotarũt hoc etiam alij ante nos. Iudæi probri gratia uocant nos Goim, propterea quòd non sumus ex carne Abrahæ. Quid dicent ad hunc locum? Si promissionem hanc Dei dũtaxat ad posteros carnis Abrahæ, hoc est ad sereferunt, ergo ipsi sunt לגוי, id est gens, adeoq; prorsus inepti, quod hoc ipsum culpant in alijs, quod ipsi perinde atq; alij esse deprehenduntur. Si uerò, id quod res est, de spirituali semine, hoc est, de electorũ ac credentium multitudine intellexerint, cogitent quanta sit temeritas, quòd Goim, id est gentes, alienos esse putant à Deo, cũ omnis Abrahæ posteritas ab ipso Deo gentis nomine uocetur ac futuræ benedictionis particeps reddatur. Etiam Israelitæ goim uocantur.

Præterea perpendendũ est, quod non dicit, Faciam tibi: sed, Faciam te in gentem magnam. Potest alicui gens magna undecunq; nata subijci, id quod principibus contingere uidemus: uerùm hic promitti tur Abrahæ, quòd ipse futurus sit in gentem magnam: hoc est, q̃ semen ipsius euasurũ sit in eam multiplicationem & amplitudinem, ut fiat gens magna mirabile cogitatu est, quòd uir unus, uxorem habẽs sterilem, promissionem accipit, quòd futurus sit in gentem magnam. Deinde non dicit, Faciam semen tuum: sed, Faciam te in gentem magnã. Ergo gens illa magna est Abrahã. Palmites sunt uitis, quoniam ex uite nascuñ. Vniuersum genus humanũ est Adã, ꝓpterea q̃ ꝓgnatũ est ex Adã. Cogitemus de Christo cœlesti uite, cuius sumus palmites. Quemadmodũ de palmitib. prædicari potest, q̃ sint uitis: de gente Abrahæ, q̃ sit Abraham: de uniuerso genere humano, q̃ sit Adãita & de ueris Christi fidelibus, q̃ sunt caro de carne Christi, & membra de corpore ipsius, nõ incõuenienter dici potest, q̃ sint Christus, qui & ipse factus est à Deo patre in gentẽ magnã propagatione haud quidẽ carnis, sed spiritus, uera tamen & non minus cognata q̃ sit ea quæ est carnis. Quemadmodũ igiť Iudæi, qui de carne Abrahæ gloriantur, recte admonentur hac cõsideratione, ut quoniam Abraham à Deo factus est in eam gentem, quæ sunt ipsi, sic ut hoc nomine possint uocari Abraham, curent etiam fidem ac pietatem Abrahæ exprimere: ita & nobis Christianis dici potest, Si Christus factus est à Deo patre suo in gentẽ magnã, quæ estis uos, eamq; ob causam uicissim de uobis prædicari potest, quòd sitis Christus, uiuite ac spirate Christum, ut quod uos esse profitemini, non externa tantum professione, sed & ueritate ac uiua spiritus illius efficacia exprimatis. Non dicit, Faciã tibi: sed, Faciam te in gentem magnã. Non dicit, Faciã semen tuum: sed, Faciam te in gentem magnam. Gens Abrahæ, Abrahã est Omnis mũdus Adã. Et omnes fideles Christus.

Secundo loco considerandum est quod dicit, Et benedicam tibi. Siue de corporali, quæ est omniũ rerum ac multiplicandæ posteritatis felicitas, siue de spirituali benedictione intelligas, qua spiritualibus ac cœlestibus bonis cumulantur electi, considerandũ est hoc loco benedictos esse à Deo, qui ab illo in peculiũ assumuntur, multiplicantur, reuera tamen propter cœlestis gratiæ benedictionem, cuius pro mensura quisq; donationis Dei participes reddũtur, benedicti sunt ac felices. Sic uocabit suos Christus benedictos patris sui, ubi dicturus est in extremo iudicio, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, &c. Et Apostolus bonitatem hanc Dei Eph. 1. celebrat, qua nos omni genere cœlestiũ benedictionum in Christo benedixit. Et quomodo non essent uerè benedicti ac felices, qui à Deo in populũ peculiarem sunt electi & assumpti, in qua gratia uera confertur, uita, salus ac felicitas, ut non frustra dicat Dauid: Felix populus cuius Dominus Deus eius? Et Psal. 65. Felix quem eligis & assumis Domine, habitabit in atrijs tuis. Benedictos Dei esse qui ab illo in peculiũ assumuntur. Matth. 25. Eph. 1.

Deinde considerandũ est q̃ benedictio ista quæ cõtigit Abrahæ, admirabilis fuerit, & humanæ rationi cõtraria. Pollicẽ illi benedictionẽ & multiplicationẽ, si egrediať de terra sua, de natione sua, deq; domo patris sui, hoc est, si fiat in terra incognita & aliena peregrinus & exul. At uerosimilius uidebat fore illum diuitem & potentẽ, si maneret in terra sua, in cognatione sua, ac domo patris. Deinde cũ moreretur in terra peregrinationis, erat quidem dives: uerùm uix unũ relinquebat superstitẽ filiũ ad hãc benedictionẽ pertinentẽ, qui & ipse eadẽ fortuna usus, non nisi unũ reliquit filiũ, q ad multiplicationis ꝓmissionẽ pertineret. Tandẽ cũ aliqua futuræ multiplicationis species in filijs Iacob appareret, fame adacti descendunt in Aegyptũ, ibiq; uarijs modis exercitati sub cruce & afflictionibus multiplicanť. Sic Exod. 1. legimus: Quanto magis opprimebãt eos, tãto magis multiplicabantur & crescebant. Hæc sunt cogitanda, quando legimus Abrahæ dictum à Domino, Benedicam tibi: ut admoneamur, quomodo electis suis Deus benedicat in hoc mũdo, ne si oculis carnis & iudicio rationis humanæ de diuina uoluerimus iudicare benedictione, erremus & impingamus in filios huius mundi, qui cum non sint, uidentur esse benedicti. Quis credidisset Iosephum filium Iacob pertinere ad sortem benedictorũ, cum tam inhumaniter tractaretur Quàm admirabilis fuerit benedictio Abrahæ. Abraham Isaac Iacob cum filijs suis. Exẽplũ Ioseph.

tractaret à fratribus suis, uenderet Ismaelitis hominib. ignotis, abduceret in Aegyptũ, seruiret uiro Aegyptio, falsoq; accusatus à dña sua conijceret in custodiã, & inter sceleratos asseruaret? Quis Dauidẽ benedictis Dei adnumerasset, cũ esset im, pbitate ac tyrãnide Saulis in exiliũ eiectus, & usq; ad terras Philistinorũ, pfligatus, sic ut, prius ab omni cõsortio populi Dei, piectus & abalienatus esse uideret? Quare curandũ nobis est, ut huiusmodi exẽplis animos nostros in fide benedictionis Dei solemur & cõfirmemus, ficubi pro diuina uoluntate uarijs nos tribulationibus in hoc seculo exerceri contigerit.

Nominis celebritatem haud esse in se rem malã.

Tertiò, in eo q̃d dicit, Et magnificabo nomẽ tuũ, admonemur celebritatẽ ac gloriã nominis nõ esse in se rẽ malã, ac talẽ, quæ electis Dei ac fidelibus nõ cõueniat. Malũ quidẽ est peruersum illud studiũ illustrãdi nominis, q̃ laborãt filij huius seculi, quales erãt q dicebãt: Celebremus nomẽ nostrũ, antեq; dispergamur in uniuersas terras. At hoc studio non laborabat Abrahã. Neq; eñ dixit ad eũ Dñs, Magnificabis nomẽ tuũ: sed, Magnificabo nomẽ tuũ. Aliud est, magnificare seipsum: & aliud, magnificari à Dño. Magnũ nomẽ Abrahæ, magnũ nomẽ Mosis, magnus Dauid. Amplitudo nominis multis sanctis uiris cõtigit, sed à Dño data nõ, pprio studio quæsita. Studẽt sancti pietati ac modestiæ, nec quærũt nominis splendorẽ. Verùm q̃ minus cupiũt esse magni, hoc magis illustrant à Dño. Vnde cõstitit Abrahæ nominis magnitudo? Ambulauit corã Dño fide bona & corde syncero. Vicissim glorificauit eũ Dñs, ac patrẽ multarũ gentiũ cõstituit, deditq; illi nomẽ, q̃d magnũ esset nõ illius tantũ seculo, sed usq; ad finẽ mundi: nõ apud Israelitas modò, posteros illius secundũ carnẽ, sed & Christianos ex omnib. gentibus in populum Dei assumptos, deniq; & inter Turcos & Saracenos. Reuera magnus est, quem Dominus commendat.

Igitur ad ueram nominis amplitudinem uenitur non propriæ gloriæ studio, sed spiritu fidei & ueræ humilitatis. Nam qui se humiliat, exaltabitur. Fuerunt in hoc seculo multi tyranni משחית שמות nis gloriæ mancipia, quorum amplitudo momentanea unà cum uita eorum instar fumi euanuit. Fuerunt haud pauci inanis sapientiæ ac philosophiæ nomine conspicui. Verùm quid hodie sunt ad unũ? Abrahamum comparati? Quare curandum nobis est, ut studeamus submissioni spiritus ac ueræ pietati, non uerbis ac titulis nescio quam humilitatem falsò iactantibus, & mundum & nosipsos fallentes, sed ueritate ac synceritate cordis, tanquam in conspectu Dei ambulantes ac dicentes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Quod non dicit, Et eris benedictus: sed, Et sis benedictio.

Quartò. Obseruandũ est quod non dicit, Et eris benedictio: sed, Et sis, uel esto benedictio. Illud uaticinium habet de re futura, istud uerò iussum ac constitutũ ex arbitrio ac potestate diuinæ gratiæ profectum. Illud à propheta quopiam dici potest, hoc uerò nonnisi ab eo in cuius est potestate reddere tam felicem quàm infelicem, tam benedictum quàm maledictum. Nemo mortalium hoc habet facultatis, ut uerbo uoluntatis suæ reddat aliquem benedictum, & cum efficacia dicat, Esto benedictus.

Solius Dei est uerbo suo reddere benedictionem.

Solus hoc Dei est, qui quod uerbo dicit, simul opere efficaciter implet. Si dixerit ijs quæ non sunt, ut sint, nihil est in cœlo, nihil in terra, quod uerbi huius efficaciam impediat, cuius uirtute ex nihilo condita sunt omnia. Si dixerit mortuo, Viue, soluitur omnis potestas mortis, & uitæ restituitur qui erat mortuus. Si dixerit homini, sis benedictus, portæ inferorum prohibere non poterunt quo minus benedictus sit cui benedixit Dominus. Sic Dauid in precatione sua ad Dominum 1. Paral. 17. dicebat: Nunc ergo Domine tu es Deus, & loquutus es ad seruum tuum tanta beneficia, & cœpisti benedicere domui serui tui, ut sit semper coram te. Te ergo benedicente Domine, benedicta erit in sempiternum. Hanc uirtubi potentiam Euangelicæ historiæ Christo tanquam unigenito Dei tribuunt, unde manifestè constat, esse omnium uerissimum quod Ioannes dicit, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deũ, & Deus erat uerbũ. Hoc erat in principio apud Deũ. Omnia per ipsum facta sunt, &c. Et uerbũ caro factum est. Nullum est fortius ueritatis argumentũ q̃ quod opere & experientia cõstat. In huiusmodi uerbo, Esto benedictio, &, Mundus esto, Esto sana à flagello tuo, & quæ alia sunt huiusmodi, consideranda est primùm diuinæ gratiæ uolũtas, deinde omnipotẽtiæ efficacia. Nisi uellet, nõ iuberet: nisi posset, nõ efficeret. Sed quoniã in uerbo Dei utraq; libera est & uolũtas & efficacia, necesse est, ut fit & liberũ & omnipotẽs. Vtrũq; expressit Christus cũ diceret: Volo, mũdus esto. Mat. 8. Et, Esto sana à plaga tua, Mat. 9.

Diuinæ gratiæ exuberantia.

Deinde & illud hic est considerandum, quod non simpliciter dicit, Et sis benedictus: sed, Et sis benedictio. Hæc est diuinæ gratiæ exuberantia & plenitudo, qua factum est, ut Abraham pater credentium nõ esset uno & altero benedictionis genere benedictus, sed usq; adeò multitudine & copia diuinæ gratiæ cumulatus, ut ipsa possit dici benedictio. Sic Deus, iuxta dictum Apostoli, diues est in omnes qui inuocant eum. Et reuera nihil sunt aliud q̃ benedictio, qui ad dignitatem filiorum Dei assumpti hæredes facti sunt cœlestis ac sempiternæ benedictionis. Cogitemus igitur, q̃ conueniat nos, qui ad hoc uocati sumus, ut benedictionem hæreditate possideamus, in omni nostra uita spiritum benedictionis huius, non maledictionis tam uerbis quàm factis exprimere. Extra miſpat benedictionis huius est, esse in humanum, tenacem, auarum, inimitem, conuiciatorem, maledicum & noxium. Quemadmodum enim Deum, qui ipsissima est benedictio, uidemus esse bonum, misericordem, mitem, benenolum ac beneficum, non modò erga bonos & gratos, sed etiam erga malos & ingratos: ita conuenit & filijs ipsius, ut eandem benedictionis bonitatem passim exprimant ac declarent.

Quæ sit sors piorum in hoc seculo.

Quintò, considerandũ & illud est q̃d dicit, Benedicã benedicentib. tibi, & maledicã maledicẽtib. tibi. Principiò perpẽdè quæ sit sors piorũ in hoc seculo. Viuũt in medio malorũ, & tñ inueniũt subinde à quibus benedicant, hoc est, qui beneuolentia & amicitiã ostendant. Experiũtur hoc solatij etiam illi quibus

A tituendum est inter alienos & incognitos. Rursus quãuis boni sint & amore digni, sortiuntur tamen inimicos, benedicunt omnibus, & tamen ab impijs maledicuntur. Nisi ista contingerent fidelibus in hoc mundo, nulla ratione dictum esset ad Abrahamum: Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Disponuntur aũt ista singulari consilio Dei, quo electi in hoc mundo per malos homines exerceantur probentur reddantur, & rursus subinde aliqua bonorum beneuolentia recreentur. Quare nemo ita desipiat, ut fieri posse putet, ut nullam experiatur malorum hominum inimicitiam, quam non solum Abraham, & reliqui patriarchæ & prophetæ, sed & Christus ipse est expertus. *Es hat iederman fründ vnd feind.*

Deinde admonemur hic rursus de abundantia gratiæ Dei erga pios in eo, quòd non solum ipsi, sed propter ipsos etiam alij benedicuntur. Benedicã, inquit, benedicentibus tibi, & maledicã maledicentibus tibi. Hoc est ueri amoris ingenium, ut propter amatos amemus etiã alios, & amatis etiam in alijs bene faciamus: rursus detestemur eos & malis afficiamus, qui odio quos nos amamus prosequuntur, ac quouis modo affligunt. Certissimum hoc est ueri amoris experimentum. Igitur ut certi de amore Dei erga se sint pij, capiantq; illius experimentum non in se tantum, sed & in alijs, à quibus uel amantur, uel odio habentur, diuino est hæc benedictio expressa oracvlo. *Abundantia gratiæ Dei in pios.*

Et obserua, quod non dicit, Benedicentur benedicentes tibi, & maledicentur maledicentes tibi: nec dicit, Benedices benedicentibus tibi, & maledices maledicentibus tibi: sed, Ego benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Primũ enim noluit simpliciter uaticinari quid futurũ esset ipsius amicis pariter & inimicis, sed promittere constantẽ suã erga ipsum Abrahamũ gratiã ac beneuolentiã. Et ex hac promissione ꝓmanarũt uaticinia illa, quæ legimus, utpote infrà cap. 27. ubi Isaac cũ filio suo Iacob benediceret, inter cætera dixit, q maledixerit tibi, maledictus: & q benedixerit tibi, benedictus erit. Et in uaticinio Bileã Nu. 24. Qui benedixerit tibi, erit benedictus: & q maledixerit tibi, maledictus. Nõ possunt esse certiora uaticinia, q̃ quæ ex ꝓmissionibus Dei ducunt. Vbi Deus ꝓmittit, q̃s non uaticinabit q̃d futurũ sit, q̃d nõ sit? Vbi igit huiusmodi uaticiniũ legimus, Benedicent q benedicũt, & maledicent q maledicũt electis ac fidelibus, recurramus ad hanc ꝓmissionẽ Dei, unde nõ modò instruamur, à q̃ sint benedicẽdi q benedicũt pijs, & maledicendi qui maledicũt, sed & in fide gratiæ huius ac beneuolẽtiæ Dei cõfirmemur. Deinde noluit Abrahamũ & reliq̃s electos suos sic instituere, ut ipsi benedicerẽt benedicentib. & maledicerẽt maledicentib. sibi. Vult em̃ suos ab omni esse philautia alienos. Nõ est pij hominis sic amare seipsum, ut nõ nisi illis benedicat, qui sibi benedicũt, maledicentibus uerò sibi maledicat: B sed hoc potius ab eo requirit, ut maledicentibus sibi benedicat, odio se habẽtes diligat, & malè sibi faciẽti reí, nõ maledixit. 1. Pet. 2. Hinc sunt ista 1. Pet. 3. Nõ maledictũ ꝓ maledicto, sed ecõtrario benedicite. Et Ro. 12. Benedicite persequentibus uobis. Benedicite, & nolite maledicere. *Non dicit simpliciter, Benedicentur benedicentes tibi.*

Sed dicet hic quis q̃, Ergo aduersabor Deo, ac repugnabo illius & iustitiæ pariter & erga me beneuolẽtiæ, qua maledicẽtib. mihi maledicit? Eremñ & iustũ est, ut maledicat q̃ innocẽti maledicit: & amoris est ingenium, ut qui uerè diligit, maledicat ei qui dilecto suo præter meritũ maledicit, utrũq; hoc facit Deus, dũ maledicentib. mihi maledicit. Aequũ ne est, ut uolũtati illius repugnẽ, diligẽs quẽ ipse odit, benedicẽs cui ipse maledicit? Et quæ potest esse cõcordia inter me & ipsum, si diuersa sit in utroq; uolũtas? Quæ cõstabit inter nos amicitia, cũ idẽ uelle idẽq; nolle firma sit amicitia? Etem̃ nõ hoc requirit, ut uerbis tm̃ & per simulationẽ diligã, benedicã, & benefaciã ei qui me odit, mihi maledicit ac malefacit, sed ut ista faciã ex animo. Detestat em̃ omnẽ hypocrisim. Qũo igit uel ego benedicã ei, cui maledicit ipse? uel ipse maledicere poterit ei, cui ego benedico? Rñdeo, cauenda est pio homini huiusmodi argumẽtatio, quẽ maiore decet erga Christũ prædituẽ esse fide & reuerẽtia, q̃ ut tã manifestã illius doctrinã in ius uocet ac diuexet. Considerandũ potius est, cõcordiã uolũtatis Dei & nostræ nõ consistere in eo, ut q̃d ipse nostra gratia ꝓ immerita sua erga nos beneuolẽtia erga inimicos nostros facit, idẽ faciamus & nos: sed in eo potius, ut q̃d nos uult facere faciamus, & quales nos esse uult tales simus. Odit eos qui nos odiũt, maledicit illis qui nobis maledicũt: & tñ à nobis requirit, ut inimicos nostros eosdẽ planè q̃s ipse odit, diligamus, & maledicẽtib. nobis benedicamus. Quare? Ne ab ingenio illius ac perfecta bonitate discrepemus, qui nõ ita seipsum diligit, ut peccantes in se statim odio prosequat ac perdat. Alioqui qũo dilexisset nos usq; adeò, cum inimici essemus, ut unigenitũ suũ salutis nostræ gratia traderet? Sic Deus, inquit Christus Ioan. 3. dilexit mundũ, ut unigenitũ suũ daret. At mũdus totus erat in maligno & inimicitia positus. Hãc illius bonitatẽ à nobis requirit, ut ipsius exẽplò diligamus inimicos nostros, & benefaciamus illis qui nobis faciũt malè. Hoc faciẽtes tã abest ut uolũtati ipsius repugnemus, & amicitiã dissoluamus: ut nisi sic simus animati, uerè à uolũtate & ingenio illius discrepemus. Iustũ quidẽ est, ut malefiat ei qui malefacit homini innocẽti ac Deo charo. Sed ab hac iustitia alieni sumus, dũ malefacimus inimicis nostris ꝓ rea q̃ nobis malefaciũt, qui affectus nõ est iustitiæ, sed philautiæ. Hanc iustitiã Deus exequit rectius, qui nõ seipsum quærit, dũ inimicis nostris malefacit, sed suã erga nos beneuolentiã declarat. Adhæc iustũ qui dẽ & illud est, ut diligamus eos q̃s diligit Deus, benedicamusq; illis quib. ipse benedicit, q̃cũq; id nomine siue ꝓpter se, siue ꝓpter ipsos, siue nostra gratia faciat. Secus uerò habet in causa odij & maledictionis. Impijssimũ quidẽ est, si maledicas ei cui benedicit Dñs (unde Bileã dicebat Num. 23. Qũo maledicã ei, cui nõ maledicit Deus?) impiũ uerò nõ est, sed magis piũ ac laude dignũ, si benedicas ei cui Dominus non simpliciter, sed propter te maledicit. Hoc genus dilectionis diuinam quandam ingenij bonitatem spirat, quare Deo uehementer probatur. Quis parens à filio suo requirit, ut odio fratrem suum in se peccantem *Obiectio.* *Qui in re cõcordia consistat diuinæ uoluntatis & nostræ.*

cantem prosequatur, licet ipse huiusmodi improbo filio in fratrem suum peccanti grauiter succenseat? Immo quis ignorat, admodum probari parentibus, si tanta inter filios ipsorum obtineat germanæ dilectionis bonitas, ut ne inimicis quidem suis, maledicentibus & malefacientibus ipsis maledicant & malefaciant, sed eos beneficijs potius afficiant? Quare nullo modo repugnamus diuinæ uoluntati, nec amicitiam inter nos mutuam lædimus, dum maledicentibus nobis, quibus ipse uicissim propter nos maledicit, non malè, sed benedicimus.

Quo loco sint apud Deum homines pij ac fideles.

Simul considerandum est, quo loco sint apud Deum homines pij ac fideles. Eo uidelicet, ut ipsorum gratia rebus humanis plurimum uel commodetur uel incommodetur. Quare omnium insanissimi sunt qui homines timentes Dei maledictis & malefactis afficiunt, atq; ita sese diuinæ reddunt maledictionis obnoxios. Nemo de uoluntate hac Dei dubitet. Omnino maledictionem Dei sunt experturi, qui hodie innocentes homines, propterea quòd in conscientijs suis uerbo Dei obstricti manifestis eidolomanijs, & ac falsis cultibus relictis, Euangelicæ doctrinæ puritati adhærent, maledictis, probris, calumnijs, & omnis generis afflictionibus insectantur, quemadmodum & Abraham, propterea quòd dijs gentium, immo sicut Iudith 5. legimus, patrijs simul & dijs & ceremonijs contemptis, unum ac uerum Deum colebat, idq; homo peregrinus & exul faciebat, passim dubio procul uelut hæreticus & schismaticus blasphemabatur & damnabatur.

Rursus prudentissimi sunt planè, qui licet impares sint in studio pietatis & culpabiles in multis, hoc tamen in se boni habent, quod uiros iustos & innocentes pietatis gratia diligunt ac fouent. Nam quod propria iusticia non assequuntur, assequuntur aliena, cuius sese beneficijs suis reddunt participes.

De illis qui pijs hominib. nec benedicũt, nec maledicunt.

Postremò, roget forsan aliquis, quid de illis sentiendum sit hoc loco qui pijs hominibus nec benedicunt, nec maledicunt. Neq; enim ea est conditio ac sors illorum, ubicunq; terrarum uixerint, ut benedicant illis omnes homines (Alioqui sortem hanc Christus non rectè tribuisset pseudoprophetis, cũ Luc. 6. dixit: Væ cum benedixerint uobis omnes homines. Sic enim faciebant pseudoprophetis patres eorum) neq; rursus adeò mali sunt omnes homines, ut uniuersi nullis demptis maledicant iustis ac pijs.

Deinde res ipsa docet, esse quosdam, eosq; plurimos, qui pijs neq; cum malis maledicant, neq; cũ omnis benedicant. De illis quærendum uidetur quid sentire debeamus, quandoquidem iuxta præsens oraculum nec benedictionis Dei participes, nec maledictioni uidentur esse obnoxij. Si qui eiusmodi sunt, nec benedicuntur à Domino, nec maledicuntur, uehementer admirandum est, quæ non modò in præsenti, sed in futuro quoq; sit eorum fortuna, deniq; quomodo sint animati & affecti, quod nec benedicunt quibus benedicunt alij, nec maledicunt illis, quibus ab alijs, ijsq; plerunq; potioribus in hoc seculo, maledicitur.

Ad hanc quæstionem facile poterit responderi. Primùm uidendæ sunt causæ, propter quas nonnulli pio homini nec benedicant, nec maledicant. Hæ sunt uariæ. Principiò sunt quibus pij non innotuerunt. Quis aũt uel benedicat uel maledicat ei de quo nihil unq; cognouit? Deinde sunt quibus illi facietenus tantũ innotuerũt, ut nulla ipsis sit causa benedicendi, nulla etiam maledicendi. Tertiò, sunt quibus licet piorũ conuersatio innotuerit, uideantq; illis ab alijs bene, ab alijs maledici, ipsi tñ nec benedicũt, nec maledicunt. Et horũ sunt tria genera. Primum, eorũ est qui timore Dei per ignorantiã cohibentur, metuentes ne per imprudentiam siue benedicendo siue maledicendo delinquant. Eiusmodi spiritum respiebat Gamalielis consilium, de quo Actorũ quinto legimus. Sinite, aiebat, homines istos. Quoniã si est ex hominibus consiliũ hoc aut opus, dissoluetur: si uerò ex Deo est, non poteritis illud dissoluere, ne forte & Deo repugnare uideamini. Tales multi etiam hodie reperiuntur homines non mali, qui ut cautam uectatis, quã non intelligunt, nec probant, nec dãnant, ita & sectatoribus illius nec benedicunt nec maledicũt, sed omnis huius controuersiæ finem ac ueritatis declarationẽ cũ modestia expectant. Secundũ genus ad eos pertinet, qui licet causam ueritatis & innocentiã piorũ intelligant, propter infirmitatẽ animi tamen non benedicũt, ne offendant ueritatis aduersarios: & simul à maledictione abstinent, ne contra conscientiam suam quod uerũ ac iustũ esse sciunt damnantes, constituãt se maledictioni Dei obnoxios.

Carnales & athei.

Et horum quoq; nostro seculo magnus est numerus. Tertio genere comprehendunt homines carnales & athei, quorũ alij ob id nec benedicunt nec maledicũt iustis, ne quem uel ex benedicentibus uel ex maledicentibus offendant, & inimicitiarũ molestias incurrant. Sunt enim filij huius seculi, & nulla religionis cura tenent, sed seculo sese accõmodant, uolũtq; haberi homines moderati ac pacis studiosi: alij uerò, eam ob causam nec benedicunt, nec maledicunt, quòd licet ipsi quoq; nulla religionis cura teneantur, simul tamen adeò sunt obstinatè impij & inhumani, ut nec Deum uereantur, nec homines. Non maledicunt pijs, quoniam nulla in re ab illis læduntur: nec benedicunt, quoniã iustitiam illorũ ne tantilli quidem faciunt: nec adeò curant aliorum amicitias, aut inimicitias tantopere uerentur, ut cuipiam hacin re uel benedicendo iustis uel maledicendo gratificari cupiant.

Cũ itaq; tanta sit eorũ diuersitas, q nec benedicunt, nec maledicunt, nõ potest de illis eadẽ responderi sententia. Primùm illis nihil est imputandũ, quibus pij nondũ innotuerũt ne facie quidẽ: deinde nec illis qui eos facie tantũ cognouerũt. Tertiò nec illis, qui timore Dei impediunt, ne per imprudentiã siue inconsiderando siue uituperãdo peccent. Quartò & illis facile speranda uidetur misericordia Dei, qui licet per infirmitatẽ animi nõ benedicũt, ne malos offendãt, cauẽt tñ ne maledicẽdo irã Dei incurrãt. Reliq; sunt carnales & athei, q licet nõ benedicũt à Deo cũ ijs q benedicũt iustis, fruũt tñ cõmuni illa bonitate Dei qua solẽ suũ pducit super bonos & malos, & licet nõ maledicãt cũ illis, q maledicũt pijs, sunt tñ propter cor-

dis

A dis sui impietatem æternæ maledictioni obnoxij. Quare considerandum hic est, non esse in hac promissione Dei catholicã benedictionis & maledictionis diuinæ causam inclusam, quasi nemo bonitate Dei fruatur, nisi benedicat iustis: rursus nemo maledicatur à Deo, nisi illis maledicat. Non dicit Deus, Nemini benedicam, nemini maledicam, nisi propter te. Nec dicit, Benedicam illis qui tibi non maledicunt: neq; Maledicam illis, qui tibi non benedicunt. Sunt multæ aliæ quoq; benedictionis pariter ac maledictionis Dei causæ, de quibus nihil agitur hoc loco.

Sextò. Atq; inte benedicẽtur, inquit, uniuersæ cognationes terræ. Obseruandus est hic locus summa cum diligentia. Vnus enim ex illis est, quibus Apostolus doctrinam gratiæ Christi ac ueræ iustificationis aduersus hostes illius, & propriæ iustitiæ doctores utitur. Citat hunc Galat. cap. 3. ad hunc modũ: Præuidens scriptura, quòd ex fide iustificet Gentes. Deus primùm Abrahæ euangelizauit, dicens, In te benedicentur omnes gentes. Itaq; qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham. Præmiserat autẽ locum ex cap. 15. infrà, ubi legimus, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Admonemur itaq; ex duobus istis locis, primùm quanta sit diuinæ bonitatis exuberantia, qua benedictionis suæ gratiam non in unius familiæ angustias artauit, sed omnibus in uniuersum gentibus cõmunicauit: Benedicentur, inquit, uniuersæ familiæ, uel tribus terræ. Ergo nulla uspiam gens est, cui non sit ista destinata benedictio. Hinc est quod apostolis Christus dixit, Ite in orbem uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Item, Docete omnes gentes. Gratiam hanc gentibus deputatam non agnoscunt Iudæi, sed admirabili prorsus insania repudiant. Deinde benedictionẽ hanc esse iustificationem. Nam Apostolus ut iustificationem gentibus promissam esse probet, sic dicit, Præuidẽs autem scriptura, quòd ex fide iustificet gentes Deus, prius euangelizauit Abrahæ, dicens: In te benedicentur omnes gentes. Ergo iustificari gentes, Apostolo idem est quod benedici, ut iustificati sint benedicti, & benedicti iustificati. Tertiò iustificationem hanc & benedictionem constare fide, nullis nostris meritis. Quartò, fundamentum illius esse semen Abrahæ. Huc enim pertinet quod dicit, In te, id est semine tuo. Semen aũt hoc Christus est. Quintò, credẽtes esse filios Abrahæ: id est, non solum imitatores fidei illius, sed & gratiæ huius, qua per fidem iustificatus est, participes. Sic dicit Apostolus, Qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham. Sextò, esse Abrahæ ante tot secula de gratia ista benedicendarum omnium gentium, per modum Euangelij hisce uerbis prænunciatum, In te benedicent omnes familiæ terræ. Vnde Apostolus dixit προευηγγελίσατο, id est, antea euangelizauit. Ergo doctrina hæc iustificationis, quã sola fide in Christum omnibus totius orbis nationibus gratis ad exemplum Abrahæ constare docemus, non est nupera B & hæretica, sicuti doctores meritorũ calumniantur, sed uerè Apostolica, & olim Abrahæ euangelizata. Non est ullũ genus hominũ remotius & alienius à ueritate euangelicæ huius gratiæ, q̃ qui nostro seculo inter Christianos & manibus & pedibus utriq; tam prophetico huic quàm Apostolico euangelio reluctantur, ne hactenus à scopo Euangelij Dei deuiasse, et gregem Christi falsa propriæ iustitiæ doctrina, meritorumq; humanorum fiducia seduxisse uideantur. Quare consulendum est omnib. Christianis, ut huiusmodi gratiæ Dei hostes quauis peste magis fugiant, & duos hosce S. scripturæ locos, In te benedicentur omnes tribus terræ. Et, Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi pro iustitia, tanq̃ duas fidei Christianæ firmissimas anchoras, mentibus suis indelebiliter inscribant, spemq; suam & fiduciam illis contra omnes tam satanæ quàm falsorum doctorum insultus confirment.

OBSERVATIO III.

Egressus est itaq; Abraham, sicut præceperat ei Dominus.] Post oraculum ac promissionem Dei considerandum hic est exemplum fidei in facto Abrahæ. Poterat Moses dicere, Credidit Abraham promissis Deo, uerumetiam ut de fidei illius efficacia & ueritate testaretur, pro fide subiecit opus fidei, dicẽs, Egressus est itaq; Abraham, sicuti dixerat ei Dominus. Oraculi diuini duæ partes erant. Vna iubebat ut exiret de terra sua, &c. Altera benedictionem singularem promittebat. Prior requirebat obedientiam, posterior fidem, qua promissis crederetur. Credidit promissis, ideoq; & mandato Dei obediuit, egrediens de terra sua, &c. Nisi credidisset, in patria terra, natione ac domo, perinde atq; Nazor, mansisset, manẽdoq; incredulitatem suam per opus inobedientiæ declarasset. Venit igitur fidei ueritas in opere obedientiæ conseranda. Quemadmodum autem ad gloriam gratiæ Dei sedulò docemus iustificatum esse Abrahamũ sola fide, & ad illius exemplum constare omnibus gentibus diuinam benedictionem & iustitiæ imputationem sola fide, ita sedulò est etiam inculcanda fidei ueritas & efficacia in exemplo Abrahæ posita. *Exemplum fidei in facto Abrahæ. Opus fidei pro fide positum.*

Quod fidem attinet, uidendus est locus Apostoli, Hebr. 11. qui sic habet: Fide qui uocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exijt nescius quò iret. Sic cõmendat Apostolus fidem in opere fidei. Primùm, tribuit fidei obedientiam. Fide, inquit, obediuit ut exiret. Hæc est natura fidei. Nequit esse ociosa. Fidelis, qua fide promissis Dei credit, eadem & iussis eius obedit. Iustus, ut ex fide sua uiuit, ita ex illa loquitur etiam, & cuncta quæ facienda sunt facit. Quare ex operibus nostris proditur nostra uel fides uel incredulitas.

Deinde cum dicit, Et exijt, nesciens quò iret, admirabilem fidei naturam in eo cõmendat, q. haudquaquam rationis iudicio acquiescit, sed promissis Dei nitens per medias ignorantiæ, stultitiæ, & impossibilitatis quoq; ut sic loquar, tenebras ingreditur, nihil hæsitans firmum esse quod diuinitus est promissum, eo q. mentiri nequeat qui promisit. Sic Abraham quamuis ignarus esset terræ promissæ, & futurorum euentuum, quoniam tamen credebat promittenti Deo, obediebat etiam de egressu præcipiens. Nihil apparebat omnium eorum quæ promittebantur. Et absurdum uidebatur & stultum rationis *Admirabilis fidei natura.*

C pruden-

prudentiæ res certas relinquere, & incertas persequi, quarum nullæ, ne in speciem quidem, coniecturæ apparebant. Verum ista fidei stultitia multo certioribus fundamentis nititur, q̃ omnis in uniuersum sto lidissimæ rationis sapientia, industria, cautio, & prudentia. Nititur enim illa infallibili diuinæ ueritatis certitudine, qua nemo unq̃ fidelium est deceptus. Ista uerò meras rerum humanarum coniecturas caca sequitur, ac sequendo misere fallitur. Rectè ergo fidem descripsit Apostolus Heb. 11. ubi dixit, Est autem fides substantia rerum sperandarũ & argumentum, uel certa comprehensio, ἔλεγχος, nõ apparentium. Quæ Abrahæ promittebantur, præsentia nõ erant opere, sed demũ post aliquot annorum centurias futura, ideoq; non modò fidem, sed et spem tanq̃ speranda requirebant. Deinde nõ apparebat aliqua illorum species, & tamẽ fide perinde ac si apparerent, certissimè comprehendebant. Hæc considerata declarant, q̃ sit admirabilis ueræ fidei natura, & in oculis humanæ sapientiæ stulta & ridicula.

De obedientia. Tertiò, cum Moses dicit, Sicut præceperat ei Dominus, admonẽtur omnes pij & fideles homines, ut quemadmodũ per infinitã bonitatem Dei admissi sunt ad gratuitam, quæ per fidem est, iustificationẽ & participes facti benedictionis Abrahæ, deinde & exẽplo Abrahæ de fidei natura & efficacia instituti: ita etiam obedientiæ illius exemplo sese accõmodent, non solum ut obediant, ac fidem suam opere aliquo declarent, sed & ut obediant secundum præceptũ Domini. Adulterina obedientia est, quæ nõ ad uerbum diuinæ iussionis, sed ad ἐθελοθρησκείαν, id est arbitrariam religionẽ instituitur. Quare uehementer desipiunt mõasticæ uitæ simulatores, qui sectæ suæ patronũ constituũt patriarchã Abrahamũ, cuius exemplo se fingũt patriam cognationẽ & domum deserere, & alienis immorari. Primum, Abrahã secutus est uerbũ Dei. Dixerat ad eũ Deus, Egredere de terra tua, &c. Ostendãt isti mandatũ Dei, cuius authoritate monasticã uitã sequanẽ. Non facient hoc in sempiternũ. Deinde, Abrahã nõ fine iusta causa è domo & terra patria euocabat. Erat eñ separandus à cõmercio idololatrarũ. Isti à quibus sese, & quò recipiunt? Quales quales sint parentes quos deserunt, utinam non ad decuplo deteriores tam cuius q̃ homines deficiant. Tertiò, Abraham nesciebat quò iret. Monachismum sectantes abundè norunt non ad deteriorem se, sed ad uberiorem ac certiorem etiam alimoniam concedere. Quartò, Abraham uxoratus erat, uxorem non relinquebat, sed indiuulse secum ducebat. Isti si uxores habent, abnegant: si nõ habent, matrimoniũ prorsus abiurant: & scortandi licentiam & impunitatẽ, ne quid deterius dicam, uentre otioso & saginato usurpant. Hæc est uidelicet conformitas illa exempli Abrahæ, ad posteriorũ temporum monachismum, ut cœlum terræ cõformius esse dicas, q̃ monachorũ uitam fidei ac uitæ Abrahæ. Loquor nominatim de pseudomonachis, quales plerunq; sunt, qui postremis istis temporibus monachismum rasura simulant, & cucullo. Scio, in prima Ecclesia, cum tyrannis sæuiret in nomen Christi, q̃plurimos Abrahæ filios, ut consortium idololatrarum fugerent, & saluti animarum suarum consulerent, patrias sedes reliquisse, & ad loca deserta nescij quò irent, sese recepisse. Verùm ab illorum quoq; fide, causa, religione & pietate omnium alienissimi sunt nostrorum temporum monachi.

Contra Monachismum.

OBSERVATIO IIII.

Pietas Lot. *Et iuit cum eo Loth.*] Duo sunt hic consideranda. Primum pietas Lot, qua post obitum aui sui Therah non est ad patriam terram & nationem reuersus, sed Abrahæ peregrinanti & quò iret nescienti cõiunctus. In patria terra supererat Nahor, perinde patruus ipsius atq; Abraham. Poterat ad illum redire. Verùm à pietate Abrahæ diuertere, & ad consortium idololatrarũ redire nolebat. Admonemur hoc exemplo, ne malimus in patria cõuiuere impijs cum pace & securitate, q̃ inter extraneos cum pijs & amicis Dei peregrinationis sustinere molestias.

Dispositio prouidentiæ Dei. Alterum prouidentiæ Dei dispositionem concernit. Euocauerat Abrahamum de patria terra ac domo ad terram alienam & ignotam, hoc est, ad exilium. quod etiamsi nihil præterea quod molestũ sit accedat, per se tamen abundè miserum est & molestum. Erat quidem Abraham sic animatus & confirmatus fide, ut non modò peregrinationem, sed & solitudinem ac desolationem pro uoluntate Dei sustinere haud esset detrectaturus. Verùm quæ est diuinæ prouidentiæ sollicitudo, sic mitigauit illi peregrinationis molestiam: ut primùm de terra ac domo patria non sine patris authoritate & comitatu ad Chanaan usq; migraret: deinde post mortem chari parentis, ad terram Chanaan proficiscendo societate necessitudinis ex fratre solatij gratia frueretur. Sic tẽperat benignus pater electorũ suorũ molestias, ne grauius æquo premantur.

OBSERVATIO V.

Ad quid Moses annos Abrahæ annotarit. *Septuagintaquinq; annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran.*] Nõ debemus cogitare curiosa factũ esse diligẽtia, q̃ ætatem Abrahæ Moses annotauit, qua de Harã ad terram Canaan post mortem patris est ingressus. Potest ex eo diligens lector historiarum sacrarum tempora & annos colligere. Deinde admonemur etiam, quanta fuerit Abrahæ opus fide, spe ac patientia, qua diuinæ promissioni constanter innixus in terra promissionis tanquã aliena ad finem usq; peregrinaretur, & tamen haudquaquã hæredem se illius esse constitutum dubitarit. Etenim, si anno septuagesimoquinto Charan egressus est, & in Canaan profectus, consequitur illũ centum annis peregrinatum fuisse in terra diuinitus promissa, demptis illis, quibus aliquandiu in Aegypto & Geraris famis necessitate adactus egit. uixit enim annos centum septuagintaquinq;. Et Dominus illi ne passum quidẽ pedis in ea terra possidendum dedit Act 7. Hanc fidei illius patientiam Apostolus exempli nobis gratia proponit, cum dicit: Fide demoratus est in terra promissionis tanq̃ aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob cohæredibus promissionis eiusdẽ. Expectabat enim ciuitatẽ fundamẽta habentẽ, cuius opifex & cõditor esset Deus. Abraham ergo ne centũ quidẽ annorũ peregrinatio à fide promissionis deiecit. Nos cõtrà breuissima mortalitatis fragilitate

OBSER-

OBSERVATIO VI.

Tulitq; Sarai uxorem uam, & Lot filiũ fratris sui, uniuersamq; substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran, & egressi sunt, &c.] Primùm in Sara considerandum est exemplum legitimæ, sinceræ & individuæ coniugis, quæ maritum suum, patriam terram ac domum egressum, & ad exteros peregrinantem non deseruit, nec fidelis uxoris societate destituit, sed ad omnis generis molestias unà cum illo perferendas sese accinxit. Admonentur uxores hoc exemplo, quid maritis suis in causa uel pietatis uel necessitatis debeant. *Exemplũ sinceræ coniugis.*

Deinde uidemus hic Abrahamum in Charan fuisse ditatum, antequam uenisset in terram Chanaan. Ergo nõ debentur illius opes fertilitati terræ Chanaan, sed diuinæ benedictioni, quæ diuites facit quocunq; loco constitutos, etiam in Charan id est loco arido. Cogitandũ etiam est de prouidentia Dei quæ futuræ migrationi Abrahæ consuluit. Tale quid & beatæ uirgini cum Iosepho contigit, cum essent exulaturi in Aegypto. *Opes Abrahæ debentur benedictioni Dei.*

Tertiò, nec illud transeundum est, quod de Charan ad terram promissionis ac benedictionis secundum uerbum Dei discessurus Abraham, non abiecit substantiam & opes in Charan acquisitas: sed secũ aufert, illarumq; cõmoditatem in usus suos reseruat. Quamuis enim haudquaq; dubitaret, non defore sibi prouidentiam Dei in terra peregrinationis suæ: noluit tamen, sicuti nõ debuit etiam, acquisitas iam facultates à se reijcere, & uacuis manibus ad nationem incognitam migrare. Sic uir integerrimus futurorum spem immotam in corde fideli retinuit, & à prouidentia Dei pependit, ut nihilominus præsentem diuinæ benedictionis fructum cum gratiarum actione pro necessarijs suis suorumq; usibus reserua ret, & peregrinationi suæ competenter accõmodaret: idq; effecit, ne cuipiam inter extraneos homo peregrinus & exul molestus esset & onerosus. Longè alio sunt spiritu præditi qui sic propriæ substãtiæ possessionem relinquunt, ut per omnem uitam suam aliorum sudore partis uiuentes, plerunq; deliciantes etiam, quòd alijs oneri sunt, religionis loco ducunt, & iactatione uoluntariæ paupertatis quæstum in Ecclesia Dei sectantur. *Non abiecit substantiam acquisitam.*

Et pertransiuit Abram terrã usq; ad locũ Sichem, & usq; ad cõuallem illustrem. Chananæus autem tunc erat in terra. Apparuit aũt Dominus Abram, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei, & inuocauit ibi nomẽ eius. Et inde transgrediens ad montem qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai. Ædificauitq; ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius. Perrexitq; Abram uadens & ultrà progrediens ad meridiem.

LECTIO.

Et pertransiuit Abram terram.] Græcus uertit: διὰ διώδευσεν ἀβρὰμ εἰς τὸ μῆκος αὐτῆς, id est, Et pertransiuit Abram ad longitudinem eius. Hebræus uerò simpliciter habet: Et pertransiuit Abram terram.

Vsq; ad conuallem illustrem.] Heb. עד אלון במורה. Pagninus uertit, Vsq; ad quercum Moreh. Tigurina, Vsq; ad quercetum Moreh. Mõsterus, Vsq; ad planiciẽ Moreh. Græcus, ἐπὶ τῶν δρυῶν τῶν ὑψηλῶν, id est, ad quercum excelsam. Vnde Græcus & Latinus uoculam Moreh trãstulerint, illustrem, & excelsam, nõ uideo. Qui Hebræos sequuntur, arbitrantur esse nomen uiri Cananei, à quo planicies ista dicta sit planicies Moreh. Sunt qui nomen montis esse putant. Vox ipsa significat doctorem, si ducatur à ירה, id est docuit. Si uerò deriuetur à uerbo ראה, id est uidit, expuncta litera א. potest sonare monstratorem. Et hoc sensu non displicet eorum cogitatio, qui arbitrantur planiciem hanc, planiciem esse dictam munstratoris, Dei uidelicet, ob id quòd eo loco Dominus apparuerit Abrahæ, illiq; terram Canaan monstrauerit, quemadmodum pollicitus fuerat adhuc in Chaldæa existenti dicens, Et uenì ad terram, quam אראך id est, uidere te faciam, uel, monstrabo tibi.

Et inuocauit ibi nomen eius.] Ista non sunt hoc loco in Hebræo, nec in Græco.

Et ab Oriente Hai.] Græca lectio defectum habet hoc loco, Nam legit, ἀπ' ἀνατολῶν, absq; Hai.

Et ultrà progrediens ad meridiem.] In Hebræo est ונגבה quod sonat uersus meridiem. At Græcus legit ἐσκηνοπήγησεν ἐν τῇ ἐρήμῳ, id est, & castrametatus est in solitudine.

EXPLANATIO.

Postquam Moses peregrinationem Abrahæ ad ipsam usq; terram Canaan perduxit, consequenter cõmemorat quibus in illa locis primùm substiterit. Nõ hæsit in illius terminis, sed transiuit, inquit, usq; ad locũ Sichem. Sichem ciuitas est in tribu Manasse in monte Ephraim ad sortẽ pertinẽs sacerdotũ & fugitiuorum, teste Hieronymo. Adiacet autem duobus uerticibus Hebal & Garizim, in quibus filij Israel benedictiones iussu Dei pronunciari audiuerunt, uide Deut. 27. Nicolaus Damascenus, citante Iosepho, dicit Abrahamum principio post relictam Chaldæam habitasse, immo regnasse in Damasco. Et addit Iosephus tum quoq; suo tẽpore monstratũ fuisse uicum in Damasco, qui uocatus sit, habitatio Abrahæ.

Vsq; ad conuallem, inquit, illustrem.] Hanc arbitrantur nonnulli esse Pentapolim, id est regionem quinq; ciuitatũ, Sedomæ uidelicet & Gomorrhæ, &c. uerùm probabilius esse uidetur quod suprà annotaui.

Non habitauit Abram in ipsa ciuitate Sichem, sed in regione illi uicina, in planicie uidelicet Moreh.

Chananæus autem tunc erat in terra.] Dicunt Hebræi Chananæos terram illam iniustè occupasse, propterea quòd à Noe data esset Sem ac posteris eius. Et Sem tum quoq; in illa habitasse, uidelicet in Salem, ac dictum fuisse Melchizedec, quod sonat regem iustitiæ, id est, regem iustum. Sed dicunt quidem, haud tamen probant. Moses simpliciter Chananæos tum in terra illa fuisse dicit, ut rationem reddat, ob quam eam terram uocarit terram Canaan, ac simul historijs sequentibus uiam paret.

Apparuit autem Dominus Abrahæ, ac dixit ei.] Venerat Abraham in terram ad quam fuerat uocatus, confœderatq; iam in planicie Moreh circa Sichem. Eo loci constitutum non negligit fidelissimus Dominus, sed ob quam causam iussisset, ut in eam terrã migraret, clementer aperit, dicens: Tibi ac semini tuo dabo terrã hanc. Quæ promissio duas res magnas comprehendebat. Vnam, quòd esset habiturus semen, quamuis sterilis esset illi uxor. Alteram, quòd terram hanc possessuri essent ipsius posteri. Hæc erat prima promissio, terræ huius possessionem concernens. Non loquitur autem de semine illius, cuius gratia multarum est gentium pater, sed de semine carnis. Alioqui ad nos quoq; pertineret ista promissio. De posteritate promiserat illi in terra Chaldæa, cum eum inde egredi iuberet.

Qui ædificauit ibi altare Domino, &c.] Hisce uerbis Moses post obedientiæ commemorationem, qua terram patriam iussu Dei fuerat egressus, & terram Canaan ingressus Abram. Exponit etiam pietatem illius in eo quod dicit eum altare extruxisse Domino, qui ipsi apparuerat. Erat hoc indicium ac testimonium fidei illius, qua diuinæ uisioni ac promissioni indubitanter credebat. Hoc innuit Moses, cum non simpliciter dicit, Qui ædificauit ibi altare Domino: sed addit, Qui apparuerat ei. Per apparendi autem uerbum totam apparitionis huius causam comprehendit.

Et inde transgrediens ad montem qui erat contra Orientem Bethel, &c.] Videbatur inuenisse locum manendi pariter & colendi Dominum. Verùm rursus migrat. Causa migrationis huius nõ aperitur. Possunt uaria cogitari. Aut propter indigenarum improbitatem & humanitatem, qui hominem peregrinum, & à cultu deorum ipsorum abhorrentem ferre noluerint, aut propter loci incommoditatem, uel propter susceptam terræ inspectionem, uel aliam quampiam ob causam, rursus habitationem mutat. Deinde nec montis nomen exprimit, sed situm ac regionem duntaxat circumscribit, ut significet fixisse illum tabernaculum inter Bethel & Hai, sic ut Bethel habuerit ad Occidentem uersus mare, Hai uerò uersus Oriẽtem: quæ ciuitates pertinebant olim ad tribum Beniamin. Bethel nominata est ex eo quod Iacob accidit, proficiscẽti in Mesopotamiam: qua de re legitur infrà cap. uicesimo octauo. Quare quòd per Mosen hic locus Bethel uocatur, dandum est anticipationi. Cum enim Abraham illò ueniebat, non B isto, sed alio nomine, Luza uidelicet appellabatur: sicuti uidere est infrà capite iam citato.

Aedificauitq; ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.] In Hebræo est ויקרא בשם יהוה, quod sonat, Et uocauit in nomine Domini. Potest autem trifariam intelligi. Aut quòd constructum altare uocauerit in nomine Domini, id est, nuncupauerit altare Domini. Aut quòd ad altare Domino ædificatum conuocauerit, ibiq; eos de uero cultu ueri & unici Dei instruxerit, cum eis orauerit, & Domino sacrificauerit: quem sensum nonnullis placuisse uideo. Vel quod & simplicius est ac certius, quòd ibi nomen Domini inuocauerit: quem sensum sequenti capite manifestius expressum uidere licet, ubi legitur, Et uocauit illic in nomine Domini, quod Hebraico loquendi more sonat: id est, Et inuocauit ibi nomẽ Domini: sicut & Ioelis 3. legimus, והיה כל אשר יקרא בשם יהוה ימלט, id est, Et erit, ut quicunq; inuocauerit nomen Domini, eripiatur, uel saluetur: sicut & Apostolus Rom. 10. legit. Sumitur autem inuocatio nominis Dei hoc loco non solum pro precationibus quas in conspectum Domini effundebat Abram, sed pro uniuerso cultu Dei, pro sacrificijs, & gratiarum actione.

Pergrexitq; Abram uadens & ultrà progrediens ad Meridiem.] Apparet Mosen studio significare, nõ inueniisse Abrahamum certam ac perpetuam ad manendum sedem: uel certè non affectasse, sed terram à Domino sibi datam peragrare, & ad Meridiem contendere uoluisse: siue quòd ea regione terra Chanaan plus haberet uberratis: siue aliam ob causam, peregrinationi ipsius competentem. Nam Hebræa huiusmodi conatum ac studium proficiscendi, ac migrandi innuunt. Sic enim habent, ויסע אברם הלוך ונסוע הנגבה: Id est, Et proficiscebatur Abram eundo & proficiscendo uersus Meridiem. Infrà capite sequenti legimus dixisse ad eum Dominũ, Surge & perãbula tertam in lõgitudine & in latitudine eius, quia tibi daturus sum eam. Vnde apparet causam fuisse Abrahæ nullo loco diutius hærẽdi, sed transeundi ac promouendi, ex eo quòd esset ipsi terra ex uoluntate Dei inspicienda.

QVAESTIO.

Licuerit ne Abrahæ sine uerbo Dei ædificare altare.

Qui ædificauit ibi altare Domino.] Quærunt hoc loco, licuerit ne Abrahæ ædificare altare, & instituere diuinos cultus sine expresso uerbo Dei, positq; defendi, ne idololatriæ factum ipsius accusetur. Siquidem cultus arbitrarij, qualescunq; sint in se, & quocunq; proposito instituantur, hoc ipso de idololatria accusantur, quòd non ad uoluntatem Dei, sed ad figmentum cordis humani instituuntur.

Respondent nonnulli, non Abrahamum, sed Deum ipsum elegisse locum hunc, ac destinasse cultui suo: idq; factum esse, etsi non externo uerbo, per id tamen quod illi apparuit eo loco, eamq; apparitionem fuisse loco uerbi. Arbitrantur enim Deum eam ibi ob causam apparere uoluisse, ut illic coleretur. Verùm huiusmodi sententiam arbitror esse infirmiorem, quàm ut quæstioni satisfaciat. Primùm enim concedendum nõ est ad hunc finem apparuisse Deum Abrahæ, ut in loco apparitionis aram ac cultum erigeret, sed ut animum illius in side erga se confirmaret, & de uoluntate gratiæ suæ instrueret. Alioqui conie-

A consequeretur singulis apparitionibus Dei singula competiuisse altaria. Deinde quid dicemus de altari quod hoc ipso contextu inter Bethel & Hai ædificatum legitur, ubi tamen nec uerbi nec ullius diuinæ fit apparitionis mentio? Quare, quemadmodum suprà cap. 8. ibi, Et odoratus est Dominus odorem suauitatis, admonuimus, distinguendum est inter eos qui ante legem, ut Adam, Abel, Noe, Abrahã, Isaac, Iacob, &c. & eos qui sub lege uixerũt. Est enim diuersa inter utraq; tempora instituendæ religionis ratio. Qui ante legem uixerunt, liberiores fuerunt ad instituenda altaria, quàm quibus postea lege certa huiusmodi est libertas adempta, & magno serio præceptum, ne quod sibi placeret instituerent. Deut. 12. & ne quolibet loco sacrificarent, sed eo tantum, quem Dominus elegisset Deut. 16. Sed ea de re admonui loco iam dicto. Quamuis aũt nec nos Mosaicæ legi subiecti sumus, sed liberi ab illius præscriptis, perinde atq; illi qui Mosen antecesserunt, uiuimus tamen sub uerbo gratiæ, quod per Apostolos à Christo est acceptum, & orbi traditum: citra cuius præscriptũ non licet instituere aras, & cultus, ne Deũ colamus traditionibus humanis, quod Christus ipse Matth. 15. diserte reprobauit, dicens, Frustra colũt me docentes doctrinas & mandata hominum.

OBSERVATIO I.

Et pertransiuit Abram terram usq; ad locum Sichem, & usq; ad conuallem illustrem.] Obseruandum hic est, quòd nõ hæsit in finibus promissæ terræ cunctabundus, sed rectà transeundo ipsum illius medium petijt. Sichem enim haud procul est à medio terræ illius sinu. Admonemur qua fide & animi constantia uir pius diuinam sit uocationem sequutus. Sic solent qui absq; ulla hæsitantia uocanti Deo parent. Potierat primùm missis aliquot domesticis explorare terræ qualitatem, & mores incolarum: uerùm diuina uocatione fretus, nihil huius molitur, sed recto pede ad ipsum terræ umbilicum contendit.

Qua fide et constantia terrã Canaan sit ingressus Abram.

Deinde si legamus, Vsq; ad planiciẽ uel quercetũ Moreh, id est mõstratoris, uel apparẽtis, obseruandum est quàm pium fuerit studium ueterum, quo nomina à gestis & operibus Dei desumpta locis indiderunt. Sic Abraham locum hunc prope Sichem, ubi apparuit ipsi Dominus, planiciem apparentis uel monstratoris uocauit, ut opus gratiæ Dei perpetuæ apud posteros consecraret memoriæ.

Vsq; ad planiciẽ Moreh.

OBSERVATIO II.

Chananæus autem tunc erat in terra.] Consideremus hoc loco, quomodo consilia sua Deus sic disponat, ut fidem suorum exerceat. Euocauit Abrahamum suum de terra Chaldæorũ, in terram Canaan, ut hanc illi ac posteris eius daret. Poterat uniuersam Cananæorum gentem ante aduentum Abrahæ de terra illa ejcere, & possessionem ei dare paratam & expeditam. Vel certè, quoniam iniquitas eius gentis nondum ad plenitudinem suam peruenerat, ob quam suo erat tempore ejcienda, poterat uocationẽ hanc Abrahæ ac posterorũ eius tantisper differre, dum gens impia iusto esset iudicio deleta & ejecta. Verùm neutrum fecit: sed Abrahamum in hanc terram induxit, cum adhuc à Cananæis inhabitaretur & occuparetur, sicuti Moses hic dicit, Chananæus autem tunc erat in terra. Hunc sanè non poterat, nec debebat etiam expellere Abraham. Quare uiuendum illi erat inter impios in terra illa, perinde atq; extraneus et exul, cum tamen reuera constitutus esset à Domino uerus eius terræ dominus & hæres, essentq; Cananæi in illa, non ipse, alieni & extranei. Sic uisum erat Deo Abrahamum suum unà cum posteris in fide promissionis, & patientia irremissa exercere. Quæso quid aliud est, quod pij ac ueri Abrahæ filij per de uiuunt in ecclesia Dei, ac si essent in illa peregrini, respectu impiorum qui in ea dominantur, quàm quod hic Abrahæ in terra promissionis accidit? Cananæi erant in terra sancta, & hodie quoq; Cananæi sunt in Ecclesia, homines impij ac uiolenti, qui ut ueros se Cananæos ostendant, adscribunt sibijpsis Ecclesiæ possessionem, ius ac potestatem. Verùm quemadmodum illi Cananæi, ita & isti suo tempore per uerum Iehosuah ejcientur.

Quomodo Deus fidem suorum exerceat.

Pij etiã in ecclesia Dei tanquam peregrini uiuũt.

OBSERVATIO III.

Apparuit autem Dominus Abrahæ, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc.] Obserua hic diligentiam diuinæ beneuolentiæ & curæ. Poterat pectus Abrahæ multis ac uarijs tentationibus in terra aliena concuti ac iactari. Verùm ipse qui uocauerat eum de terra sedeq; patria, & author illi fuerat, ut terrã hanc Canaan ingrederetur, non est passus animum eius ultrà quàm ferre posset tentari et afflictari, sed apparitione sua fidem illius erexit & confirmauit. Admonemur non deesse Dominum ijs qui de cõsortio impiorum uocati obtemperant, & quod facere iubentur faciunt. Duo sunt apparitionum Dei genera. Vnum est quod fit in Chaldæa, quo euocantur pij à consortio impiorum. Alterum est, quod fit in terra promissionis, quo qui primæ uocationi obedierunt, & uocantem Deum sequuntur, ne mole tentationum obruantur, fideliter eriguntur & confirmantur. De primo genere certissimus est progressus ad alterũ. Nequit enim Deus nõ adesse illis qui uocanti sibi obtemperarunt, seq; & omnia sua curæ ipsius crediderunt. Est autem incredibile, quanta sit suauitas recreationis huius, quam pij homines in secũdo isto apparitionum Dei genere experiuntur. Expertus est illam non solum Abraham, sed & Isaac, infrà 26. capite, & Iacob, cap. 32. & 35. & 46. Tale quid accidit etiam Magis, quum Hierosolymam Bethleem uersus egressi, stellam quam in Oriente uiderant, denuò apparentem uiderent.

Diligentia curæ Dei.

Duo genera apparitionum Dei.

Deinde considerandum etiam est quod dicit, Semini tuo dabo terram hanc. Nec filijs, nec nepotibus, nedum ipsi Abrahæ terræ huius possessionem: sed semini, hoc est, posteritati eius in genere promittit, cui illam post generationes aliquot daturus erat. Huiusmodi promissiones, quibus nec personis nostris, nec filijs aut nepotibus, sed posteritati post aliquot secula futuræ promittitur aliqua felicitas, parum afficiunt carnalium hominum animos. Nam sic sunt comparati, ut impensius inhient præsentibus,

Promissiões Dei non delectant homines carnales.

& ad se uel saltem liberos ipsorum pertinentibus, quàm futuris & ad postera secula destinatis. Verum A
qui terrena non ardentius appetunt, sed fide bonitatis Dei confirmati futurarum rerum promissa pa-
tienter expectare possunt, qualis erat hic Abraham: illi demũ magno cum gaudio huiusmodi promis-
siones Dei amplectuntur quarum effectus post multa demum est secula expectandus. Sic Abraham ui-
dit diem Christi, & gauisus est. Sic pij futuræ uitæ promissiones cupidissimè amplectuntur, quandocunq;
tandem sint ad possessionem illius peruenturi.

OBSERVATIO IIII.

Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.] Quid in eo considerandum sit, quòd Abraham Do-
mino altare ædificasse scribitur, uide supra capite octauo, ubi de Noe quoq; legitur, quòd Domino al-
Pietas Abrahæ. tare construxerit. Quod uerò Moses hic addit, Qui apparuerat ei, admonet nos de pietate Abrahæ, qua
per structurã altaris memoriam diuinæ apparitionis eo loco consecrare uoluit, quo Dominus ipsi ap-
paruerat. Neq; enim simpliciter dicit, Qui ædificauit altare Domino: sed, Qui ædificauit ibi altare Do-
mino, qui apparuerat ipsi. Non erat eo loci stabili mansione hæsurus, ne quis puter hoc altare ad id tan-
taxat fuisse ædificatum, ut illo ad cultum Dei unà cum domesticis suis uteretur: sed quoniam eo loci pri-
mam acceperat apparentis sibi Domini promissionem, uoluit illius ibi memoriam cõsecrare per aram
apparenti sibi Domino nuncupatam. Crediderim autem altare hoc fuisse uocatum מוֹרֶה הַמְּקוֹם, id est
altare Moreh: quemadmodũ & locus ad conseruandam diuinæ apparitionis memoriam, planities uel
quercus Moreh dictus est. Hæc uidelicet erat pietas Abrahæ, nata ex fide diuinæ promissionis. Crede-
bat geri diuinitus res magnas, & quamuis illæ post aliquot demum erant secula futuræ, sic tamen illis
afficiebatur, ut memorias diuinarum apparitionũ ac promissionũ suis quasq; locis firma fide erigeret.

Altare hoc primitias habebat rerum futurarũ. Simul & illud considerandum est. Futurum erat, ut fides illa Abrahæ, ac uerus ueri Dei cultus in ter-
ra Canaan suo tempore reiectis dijs falsis obtineret. Huius rei specimen quoddam in hoc facto Abrahæ
prælineatum est, ac posteris illius præmonstratum quis illis Deus, & quo cultu ac pietate in ea esset ter-
ra colendus, modò in ea consistere uellent. Habebat hoc altare primitias rerum futurarũ, exiguas qui-
dem respectu catholicæ impietatis, quæ per cultus falsorum deorum totam illam terram occupauerat,
uerùm sic ualidas & efficaces, ut quod tum erat in speciem hæreticum, tandem iecta catholica falso-
rum cultuum superstitione, in catholicam pietatem & religionem euaderet, & terram illam uniuer-
sam occuparet.

OBSERVATIO V.

Et inde transgrediens ad montem qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum: ab Occi-
Quòd Abrã nõ manſit in ciuitatibus. *dente habens Bethel, & ab Oriente Hai.*] Obseruandum hic est, quòd non legitur Abraham, cum in terrã
Canaan peregrinus ueniisset, aliquam esse ciuitatem manendi gratia ingressus. Consedit cum suis locis
uel montanis, uel aliàs inhabitatis. Ab Oriente habebat Hai, ab Occidente Bethel, quæ tum Luza dice-
batur. Inter hasce ciuitates tabernaculum suum ad montem tetendit. Erat hoc uitæ genus non solũ pere
grinationi conforme, & pecudibus, quas uictus gratia alebat, accommodum: sed ad id quoq; pulchrè
dispositum, ct cum idololatris nihil haberet commercij, quo domum suam ab omnis generis superstitiõ-
one & impietate alienam in cognitione ac cultu ueri Dei seorsim institueret, & illibatam custoduret.

Imago pietatis in seculo peregrinantis. Commendatur itaque nobis exemplo hoc Abrahæ, primùm imago quædam pietatis in hoc secu-
lo peregrinantis. Quid enim aliud erat peregrinatio Abrahæ, quàm peregrinatio pietatis ac ueritatis in
homine propter causam pietatis & ueritatis, relicta patria peregrinante? Et hæc ueritatis sors est, ut
peregrina sit in hoc mundo, quemadmodum & Tertullianus alicubi dicit.

Exemplum uitæ frugalis. Deinde & exemplum uitæ frugalis, quæ conuenit peregrinantibus. Non legitur Abraham splendi-
das in ea terra sedes ædificasse, quamuis illã hæreditario iure accepisset à Domino, sed uiram duxisse ta-
bernacularem. Facilis erat apparatus expansio tabernaculi, in quo tamen uir magnus, & à Domino
benedictus cum suis habitauit.

Tertiò & singularis hic cautio proponitur, quam imitemur, quoties uiuendum est inter impios, nisi
periclitari uelimus de puritate pietatis, labemq; malorum incurrere morum.

OBSERVATIO VI.

Ædificauitq; ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.] Notandum hic est, quòd altari ad cultum Dei
constructo, coniungitur nominis Dei inuocatio, immò quod loco totius cultus commemoratur, quòd
inuocauerit Abraham nomen Dei, cum dubio procul altare hoc non precandi tantum, sed & offerendi
gratia construxerit. Admonemur hic, quæ sit potissima pars diuini cultus. Inuocatio uidelicet nomi-
Inuocatio nominis Dei, potißima pars cultus Dei. nis Dei, qua ad gratiam & opem illius in cunctis necessitatibus confugitur. Requirit autem inuocatio
nominis Dei non solum fidem qua credatur Deus esse omnipotens, sed & fidelis animi fiduciam, qua
de bonitate illius confidimus, & ad implorandum illius auxilium permoueamur. Hinc est quod Apo-
stolus ad Romanos decimo, ubi de inuocatione hac loquitur, non dicit, Quomodo inuocabunt eum, de
quo nihil credunt: sed, In quem non credunt? Aliud est enim credere de Deo, quòd sit iustus & omnipo
tens: & aliud, firma fiducia ab illius pendere bonitate, unde affectus iste inuocandi nominis Dei nasci-
tur. Alioqui & dæmones credunt de Deo multa, uerùm ab inuocatione nominis eius omnium sunt
alieniſsimi. Quare uerus cultus Dei, qui in nominis inuocatione consistit, non potest ab illis præsta-
ri, qui uera cordis erga Deum fiducia destituuntur. Possunt, qui huiusmodi sunt labijs, quidem ap-
propinquare

propinquare ad Deum, erigere altaria, stare ad aras, sacrificare ritu externo, uiuere in monasterijs, uestitus uilitate ac rasura profiteri nescio quam religionem, boare in templis, & ab omnibus propter speciem religionis haberi in precio: inuocare uerò nomen Dei cum fideli Abraham, non possunt.

Simul obserua q̃ cultus iste Dei, qui nominis illius inuocatione constat, ad eos rectissimè pertineat, qui peregrini sunt in hac terra, & in medio nationis impiæ multis quotidie periculis obnoxij uiuunt. Talis erat Abram iste. Qui sic comparati sunt, plurimum adiumenti quotidie ad hoc accipiunt, ut ad inuocationẽ nominis Domini, tanquã ad sacratissimã & omniũ tutissimam anchoram cõfugiant, quam doquidem nulla aliunde alicuius auxilij spes occurrit, sed omnia aduersari uidentur. In huiusmodi necessitatibus uerè & ex animo inuocat Deus: secus uerò in rebus prosperis, ubi omnis cultus Dei friget.

OBSERVATIO VII.

Imago peregrinãtium.

Perrexitq; Abram uadens & ultrà progrediens ad meridiem.] Considera quòd Abraham describitur hic uadens & progrediens, perinde ac si fuisset ens mobile ac uagum. Nullo loco diu consistit, sed terrã perambulat uadens & proficiscens. Habes imaginem peregrinantium, qui sedes certas & firmas nõ figũt, sed indesinenter ad ulteriora contendunt, donec ad locũ quieti destinatum perueniant. Non est quærenda quies peregrinantibus. Nihil enim tam inconueniens est peregrinanti, quàm animus quietis intempestiuè appetens. Pergendum est & perambulandum, donec ad cœlestem patriam perueniamus.

Ab Oriente progressus ad meridiem.

Simul cogita, quàm conuenienter adiunctũ sit, quod ad meridiem eundo ac progrediendo contendit Abram. Habet meridies typum manifestioris cognitionis Dei. Ab Oriente progressus est ad meridiẽ, ab exordio diuinæ cognitionis per incrementa quasi diurnæ lucis ad pleniorem ueritatis scientiã peruenturus. Malè pergunt qui ad Septentrionem tendunt, hoc est, qui in causa ueritatis Dei deficiunt. & quo magis pergunt, hoc magis nocti, tenebris, & frigiditati appropinquant.

Facta est aũt fames in terra, descenditq; Abrã in Ægyptũ, ut peregrinaretur ibi. Præualuerat enim fames in terra. Cumq; prope esset, ut ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ: Noui quòd pulchra sis mulier, & cum te uiderint Ægyptij, dicturi sunt, Vxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt: dic ergo, obsecro, ꝙ soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, & uiuat anima mea ob gratiam tui.

LECTIO.

Noui, quòd pulchra sis.] In Hebræo est, חנה נא ידעתי, id est, Ecce, quæso, Noui. Illud Ecce quæso, Græcus quoq; omisit.

Et te reseruabunt.] In Hebræo est, וראוך יחיו, id est, & te uiuificabunt. Græcus uertit, καὶ σὲ περιποιήσονται, id est, te uerò sibi uendicabunt.

EXPLANATIO.

Nihil est in hoc contextu, quod sit obscurum. Tria dicit Moses. Primum quid acciderit in terra Canaan, cum illam Abraham eundo & perambulando exploraret. Facta est, inquit, fames in terra, intelligo, illa, ut quod in Hebræo est בארץ idem sit atque בחארץ, id est in terra illa, uidelicet Canaan, ne quis putet famem hanc in toto fuisse orbe catholicam. Alioqui ad quid descendisset Abram in Aegyptum?

Secundum est, quid Abraham urgente fame fecerit. Descendit, inquit, Abram in Aegyptum. Erat Aegyptus tum fertilis, quare in illam descẽdit Abram, ut sibi ac suis de uictu necessario prouideret. Iudæa, unde descendit Abram, montana habet, ideoq; editior est Aegypto, quare scriptura profectum de illa in Aegyptum descensum uocare solet. Descendit, inquit, Abram in Aegyptum, ut peregrinaretur ibi. Non ut ibi stabilem sedem quæreret, sed ut ibi tantisper peregrinaretur, dum fames in terra Canaan cessaret. Præualuerat enim fames, inquit, in terra. Adiecta est hæc causalis particula ad significandum non fuisse Abrahamum leui quodam famis incommodo motum, ut descenderet in Aegyptum, sed ipsa necessitate grauiter premente & urgente coactum.

Tertium est, quo metu fuerit propter Saram uxorem suam in ipso descensu Aegypti correptus, & quid ea de re consilij cœperit. Cum prope esset, inquit, ut ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai uxori suæ: Noui quòd pulchra sis mulier, &c. Metuebat sibi ab intemperãtia & libidine Aegyptiorum, qua essent non solum uxoris pudicitiæ, sed & uitæ suæ propter illam insidiaturi, si constaret illis, quod esset ipsius uxor. Et hunc metum caussabat eximius & elegantissimus uxoris aspectus. Dixit enim Ecce, obsecro, noui quod mulier sis pulchra aspectu. Et adiecit: Cum uiderint te Aegyptij, dicturi sunt, Vxor eius est, & interficient me, & te reseruabunt. Hoc futurum metuebat. Quid ergo consilij cœpit, quo periculũ hoc euaderet? Dic obsecro, inquit, quòd soror mea sis. Hoc est, ne uoces me Dominum ac maritũ tuum, sed uoca me fratrem: & si interrogata fueris, sororem te meam esse dicas. Sic fiet, ut non solum nõ occidar, sed commodè etiam habeam propter te.

Habet ergo hoc locus primùm, metum periculi ac discriminis: deinde, caussam metus: tertiò, consiliũ quomodo periculũ uitari posset. In causa metus concurrunt, pulchritudo Saræ, libido & malicia Aegyptiorum. Libido ad concupiscendum alienas uxores, malicia ad occidendum maritos, quo copia cum uxoribus illorum libidinandi fiat.

Videntur autem uerba Abrahæ ad Saram sic ordinanda: Ecce obsecro, scio quoniam mulier es aspectu pulchra, futurum esse cum uiderint te Aegyptij, ut dicant, Vxor eius est, &c. Apparet inconueniens esse, ut uerbũ Scio, uel Noui, referatur ad pulchritudinem Saræ: quasi dixerit Abraham, scire se, quòd Sara mulier sit pulchra. Quorsum enim attinuisset, ad uxorem tam diu cognitã dicere, & cognouerit eam esse pulchram? Quin hoc magis se scire dicebat, quòd Aegyptij essent uisa illa dicturi, Vxor eius est, atq; ita de rapienda ea, ac se occidendo cogitaturi.

QVAESTIO I.

An non peccauerit Abrã descendendo in Aegyptum.

Descendit Abram in Aegyptum.] Poterit hic quæri, an non peccauerit Abram descendendo in Aegyptum. Parum enim ad gloriam Dei fecisse uidetur, quòd terram Canaan, in quam uocatus erat, egressus descendit in Aegyptum: quasi non posset in terra promissa benedictione ac prouidentia Dei ali ac conseruari. Quare factum hoc in se tale fuisse uidetur, ut nequiuerit non displicere Domino, propter uitium diffidentiæ. Vnde & infrà capite uicesimosexto prohibitum fuisse Isaaco in simili famis necessitate, ne descenderet in Aegyptum. Rabb. Moses Gerund. scribit Abrahamum in eo peccasse, quòd terrã Canaan egressus descendit in Aegyptum, & propter hoc peccatum postea factum esse, ut Israel dura seruitute premeretur in Aegypto. Nobis uerò rectius sentire uidẽtur, qui nullum hic Abrahæ peccatum agnoscunt. Primùm enim non conueniebat, ut tentaret Dominum, manendo in terra fame prorsus afflicta, cum non esset ea de re peculiari oraculo Dei admonitus: Deinde nullo etiam mandato Dei prohibitum ipsi erat, ne descenderet in Aegyptum, sicuti postea inhibitum est Isaaco. Tertiò, neq; sic descendit in Aegyptum, ut in illa per omnes dies uitæ suæ maneret, & in terram Canaan non rediret, sed ut ad tempus in illa peregrinaretur, præsentiq; necessitati consuleret. Chrysostomus sentit factum hoc Abrahæ tam abesse à peccato, ut singulare etiam consilium Dei spiret, quo uoluerit Abrahamum hac famis necessitate, quasi quibusdam uinculis pertrahere in Aegyptum, ut non modò Cananæis, sed & Aegyptijs per illum ueri Dei cognitio ac solidæ pietatis studium quasi lux quædam proponeret.

Nõ peccauit Abram descendendo in Aegyptum

QVAESTIO II.

Quare timuerit sibi Abrã ingressurus in Aegyptum, & non timuerit ingressurus terram Canaan.

Dicturi sunt Aegyptij, Vxor illius est: & interficient me, & te reseruabunt.] Quærat hic quisquam, quare timuerit hoc Abraham, cum ingressurus esset Aegyptum, & non timuerit, cum ingrederetur terrã Canaan. An plus cognitionis ac timoris Dei erat in terra Canaan, quàm in Aegypto, ut improbiores essent Aegyptij, ac libidinosiores quàm Cananæi? Respondeo: Non sequitur, nihil huius timuisse Abrahamum, cum esset in terram Canaan ingressurus, propterea quòd non est ea de re aliquid hoc loco annotatum. Quòd enim Moses de hoc timore Abrahæ meminit, quo ad ingressum est Aegypti affectus, non sic est factum, quòd antea nihil tale in terra Canaan metuerit, sed quoniam historiam abreptæ in Aegypto Saræ commemoraturus erat, ipsa poscebat historicæ narratiõis series, ut de metu qui præcesserat, & consilio quod cœperat, lectorem præmoneret. Alioqui infrà capite uicesimo, ubi consimile periculum accidit, manifestè Abrahamũ dixisse legimus: Postquam eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam, Hanc misericordiam facies mecum. In omni loco ad quem ingrediemur, dices quòd frater tuus sim. Fuit ergo metu hoc non solum ad ingressum Aegypti, sed & terræ Canaan, & Palæstinæ, aliorumq; locorum affectus. Quare non est ex eo colligendum, improbiores fuisse Aegyptios quàm Chananæos, & ad ingressum Aegypti timuit Abrahã uitæ suæ, non aũt. timuerit cum Cananæorum terrã ingrederetur, cum ab huiusmodi sibi discrimine mox atq; domũ patris cum uxore esset egressus, timere cœperit, timueritq; etiam postea cum in Geraris peregrinaretur.

QVAESTIO III.

An liceat mentiri, & uitæ securitatem quærere mendacio.

Dic obsecro, quòd soror mea sis.] Quærunt hic, liceat ne uiro iusto securitatem uitæ quærere mẽdacio: deniq; coniugem etiam ad mentiendum instituere. Respondeo breuiter: Tria sunt inter cætera mendaciorum genera. Vnum, quo dicitur quod est falsum. Sic Ananias & Saph. Secundum, quo quod uerum est tacetur ac dissimulatur. Tertium, quo negatur etiam quod est uerum. Sic mentitus est Petrus. Primo genere non est mentitus Abram, nec tertio. Neq; enim falsum erat, quòd Saram uocabat sororem suam: qua de re infrà capite uicesimo legere licet, ubi manifestè dicit, esse eam filiam patris sui, sed non matris suæ. Deinde non negauit quod uerũ erat. Haud siquidem dicebat, Non est uxor mea. Quod igitur uxorem esse dissimulabat, ne periculum quod timebat incurreret, ad secundum mendacij genus pertinet, quod non est uitio dandum, nisi sit cum malitia & iniquitate coniunctũ. In rebus humanis magnus & admodum necessarius est dissimulationis usus, quo celantur ac dissimulantur, quæ nõ possunt uel sine offendiculo, uel citra graue incommodum proferri: possunt uerò sine cuiusquam detrimento dissimulari. Tale erat quod de Abrahamo hic scribitur. Timebat periculum uitæ, si Saram coniugem suam esse profiteretur. Id igitur dissimulabat. Deinde dissimulatione illa nemini incõmodabat. Quare culpabile non est, quòd illa usus est in metu tam grandis periculi constitutus.

QVAESTIO IIII.

An non peccauerit Abrã, quòd pudicitiam uxoris periculo exposuit.

Et bene sit mihi propter te.] Quæritur hoc loco, conuenitne uiro graui, nedum pio, propter conseruandam uitæ usuram, & cõmoditatem uxoris pudicitiam periculo adulterij exponere. Aut timendum erat ne raperetur in adulterium, aut non erat. Si timendum hoc non erat, potest quæri, quid opus fuerit illo cõmento. Etenim si nullum illi pudicitiæ periculum, ut sorori, timendum erat, minus timendum erat uxor. Si uerò timendum erat, ut uxori, quæstio est, liceat ne huiusmodi dissimulatione uxorem adulterij periculo exponere. Respondendum & fatendum est planè, probandum non esse, si quis uxorem suam

A suam scienter & prudenter in periculum pudicitiæ inducat. Improbauit hoc Tertullianus in ethnicis, Græco Socrate, & Romano Catone, qui uxores suas alijs communicarunt, quomodo probari posset, si id fiat à uiro iusto ac pio. Iam quod factum Abrahæ concernit, si id in se consideretur, non uideo, quomodo prorsus excusari possit, ne culpabile inueniatur. Vxorem habebat unicam, ingenuam & honestam, morigeram, iuculpabilem, omnium fortunarum etiam peregrinationis sociam: & quod maximũ erat, germanæ pietatis ac fidei, deniq; & diuinæ benedictionis consortem, & matrem quoq; promissi seminis futuram. Hanc præsentis uitæ amore consilio suo sic constituit à se liberam, dum uxorem eam esse dissimulauit, & sororem credi uoluit, ut à quolibet Aegyptiorum duci posset, atq; ita cùm se, tum uxorem, deniq; & regem, qui sororem eam, non uxorem esse credens, in domum suam uxoris loco duxit, peccato adulterij inuoluit. Factum hoc, inquam, in se consideratum, reddit Abrahamum, quamuis pium alias ac iustum, cõmuni sensu culpabilem. Mirum quidem est, uirum tam pium, tam iustum, tam grauem sic potuisse metu periculi, nondum præsentis, sed opinione sua aliquando futuri, animo deijci ac frangi, ut iustitiæ, honestatis ac grauitatis, deniq; & coniugalis fidei obliuisceretur, & tamen scriptura teste, uidemus hoc esse factum.

Factum Abrahæ consideratur.

Extenuat quidẽ hoc peccatũ Abrahæ Chrysostomus, uerùm iuxtà nõ negat eum peccasse. Sic enim ait: Quoniam nondum mortis erat soluta tyrannis, propterea in adulterium uxoris consentit iustus, & quasi seruit adulterio in uxoris contumeliam, ut mortem effugiat. Hæc ille.

Burgẽsis tam abest ut peccatum in hoc Abrahæ facto agnoscat, ut asserat eum quicquid hic fecit, spiritu fecisse prophetico. Abraham, inquit, cum esset propheta, in spiritu prophetiæ cognoscebat, quòd ex hoc quòd uxor sua esset sublata, non sequeretur aliquid contra uxoris pudicitiam, sed potius laus Dei, & eius cognitio apud ipsos infideles reluceret. Hæc ille. Ex duobus certis colligit rem incertam. Primùm, certum quidem est, fuisse Abrahamum prophetam, infrà capite decimo: deinde & id quidem constat, esse hoc factum ad cognitionem iustitiæ Dei: inde tamen certò colligi non potest, quòd Abraham ex spiritu futurarum rerum præscio, & studio quærendæ gloriæ Dei consilium hoc dissimulationis inierit, nisi dicturi sumus, nihil fieri à prophetis, nisi in spiritu prophetiæ: nec posse Deum delicta suorum sic moderari, ut ad nominis sui gloriam faciant. Quare incertum est, quod colligit Burgensis, imò ipsa uerba Abrahæ diuersum spiritum exprimunt. Non enim dicit, Mulier pulchra es aspectu. Viri: debunt te Aegyptij, ducentq; ad regem, qui te habebit loco uxoris, eamq; ob causam flagellabitur à Do
B minor: id quod cedet in nominis ipsius gloriam. Hæc futura sunt, si te sororem meam esse dixeris. Nec est quod pudicitiæ tuæ rimeamur uterq;. Scio namq;, mansuram te intactam, & restituendam illæsam. Nihil huius dicit: sed, Videbunt te Aegyptij, ac dicent, Vxor eius est, & interficient me, ac te reseruabũt. Dic ergo, obsecro, quòd soror mea sis, & bene sit mihi propter te, & uiuat anima mea ob gratiam tui. Quis non uidet, esse hæc uerba non gloriam Dei, sed uitæ securitatem quærentis: non prophetantis, sed periculum uitæ metuentis, & auerrere cupientis?

Lyranus alia ratione factum Abrahæ excusat. Ad hoc, inquit, dicendum, quòd homo in periculo positus, semper debet agere ad sui liberationẽ: id quod potest secundũ uiam humanã, ut non tentet Deum omittendo illud, per quod potest euitare periculum. Vera sunt ista, modò nihil præsumat quod sit contra Deum, contra salutem aliorum, contraq; decorum hominis pij ac iusti. Sed addit Lyranus: Periculum autem castitatis suæ uxoris non erat ita propinquum. Qua probabiliter existimabat, quòd uxor sua reseruaretur regi, sicut & factum est. Sciebat autem quòd tempore illo reges nõ accedebant ad uxores suas de nouo accepras, nisi post anni circulum. Et infra tantum tempus sperabat de Dei adiutorio fibi, uxori & familiæ futuro. Hæc ille, qui & ipse incertis nititur. Vnde enim constare poterat Abrahæ, fore ut Sara regi adduceretur, & non alterius cuiuspiam libidini obnoxia fieret. An non ficut infrà capite uicesimosexto Abimelech ad Isaacum in cõsimili causa dixit: Quare imposuisti nobis? Potuit quispiam de populo commisceri cum uxore tua, & induxisses super nos peccatum grande: ita & hic timendum erat, ne incideret Sara in alterius cuiusquam Aegyptij libidinem, & non adduceretur regi? Demde non est probandum, quòd tanti dedecoris species saltem exhibita est à uiro honestatis gnaro, quum alia posset ad uitandum periculum iniri ratio.

Nonnulli ex recentioribus alia cogitarunt, non solum excusantes, sed & tanquam insignis fidei exemplum factum hoc Abrahæ commendantes. Habebat, inquiunt, diuinæ benedictionis promissionẽ, eamq; talem, quæ in corporis ipsius esset semine adimplenda. Hanc tanti faciebat, ut non dubitaret omnia sua, coniugis quoque pudicitiam citius adducere in periculum, quàm uitam amittere corporis, unde promissæ benedictionis expectabatur adimpletio. Quare quod fecit, non simpliciter amore uitæ, sed potius fide promissionis Dei fecit. Sic isti sentiunt. Verùm ne hunc quidem spiritum uerba Abrahæ referunt. Deinde, quemadmodum suprà diximus, non est fidei opus, si quis ad obtinendam promissionem Dei faciat, quod iniustum est, & inhonestum. Qua propter, meo iudicio, certius est, ut cum illis sentiamus, qui factum hoc Abrahæ non excusant, sed culpabile esse agnoscunt.

OBSERVATIO I.

Facta est autem fames in terra.] Nobis hoc constat, qui secundum S. scripturas de rebus humanis iudicamus, pertinere famis immissionem, ad flagella Dei, quibus peccata mortalium uisitat & castigat. Cogitandum igitur est, non esse factum sine singulari causa, quòd peccata Cananæorum Deus flagello famis

Quid sibi uelit, quòd fames immissa est, quam Abram esset in terra Canaan.

famis tum potissimùm castigauit, cum in terra ipsorum peregrinarentur homines pij ac iusti, Abrahã, Isaac, & Iacob, sicuti sequentes testantur historiæ, Videl enim conuenientius fuisse, ut incolis terræ propter præsentiam iustorum parceretur, imò cuncta felicius quàm antea cederẽt, quàm quòd tristiora solito acciderunt. Verùm quoniam sic uisum est Domino, credendum nobis est, fuisse patientiam Dei singulari quadam malitia per Chananæos erga pios homines declarata, ut uindictam sumeret prouocatam. Sic accidit plerunq; ubi luminaria quædam pietatis mundo proponuntur, ut propter singularem malitiam, qua dona Dei blasphemantur, & contumelia afficiuntur, res antea lætæ uertantur in tristes, & publicis calamitatibus publica mortalium malitia puniatur. cuius rei exemplum non hoc tantum loco, sed & Hierem. 44. & de temporibus primitiuæ Ecclesiæ legitur. Et nostrũ quoq; seculum tale quid patitur, de quo homines maleconsulti calumniam aduersus Euangelij doctrinam struunt, uociferantes, omnia esse ærumnis ab eo tempore repleta, quo noua hæc doctrina emergere cœpit. Culpam peccatis & malitiæ ipsorũ debitã, reijciũt in doctrinã ueritatis, atq; ita iram Dei magis ac magis exacerbant.

Tentatio fidei.

Simul & illud considerandum est. Acceperat Abraham promissionem benedictionis simul ac terræ huius, ad quam fuerat de patria sua uocatus. In hanc cum uenisset, usqueadeò uidit eam fame premi, ut exire cogeretur, nisi sẽq; suosq; fami necandos tradere uellet. Erat hæc grauis admodum fidei tentatio. Sic solet Dominus fidem suorum exercere, & euentibus ab eo quod sperandum uidetur, diuersis probare: præsertim eorum, quos quasi luminaria quædam & exemplaria ueræ fidei, ante aliorum oculos ponenda, parat & instruit.

OBSERVATIO II.

Moderatio castigationis.

Descenditq; Abram in Aegyptum, ut peregrinaretur ibi.] Primùm obserua diuinæ prouidentiæ moderationem, qua in castigandis mortalium peccatis, & exercenda piorũ fide utitur. Cum terram Cananæam fame affligeret, eoq; facto simul & Chananæorum malitiam castigaret, & fidem Abrahæ exerceret, hoc est moderatione usus, ut Aegypto fertilitatis commoditatem non adimeret, non quòd illa digni essent Aegyptij, sed ut copia sua uicinis Cananæis fame periclitantibus, & Abrahæ ad ipsos migranti consuleret. Sic dispensat iudicia sua, ne nimia seueritate etiam pessimè meritos prorsus perdat: ideo quod uni regioni adimit, alteri uicinæ largitur, unde aliquid subsidij & solatij ad eos qui sub flagello sunt perueniat.

Quomodo se gesserit Abram fame pressus.

Deinde animaduertendum est in Abrahamo, quòd sub famis necessitate constitutus, nec murmuret contra Dominum, à quo benedictionis promissionem acceperat: nec terram promissam depreciet, sicuti postea Israelitæ ipsius posteri fecerũt: nec Dominum tentat, dicens: Manebo in hac terra quicquid accidat. Non potero sentire penuriam, propter benedictionis promissionem. Nihil horum facit, sed ubi publicam eius terræ penuriam diuinitus inflictam sentit, utitur medio licito & parabili, conferens se ad eos, in quorum terra suis ac suorum poterat prouidere necessitatibus. Non alligat diuinæ benedictionis ueritatẽ & efficaciã ad terrã Canaan, nec de illa desperat, sed credit adfuturam sibi prouidentiã Dei etiam in Aegypto constituto. Scit Domini esse terram & plenitudinem eius, ideoq; nihil dubitat, ex illius se posse benedictione quocunque locorum ueniat ali ac sustentari. Est hoc fidei Abrahæ exemplum planè sincerum, & in necessitate consimili pijs imitandum.

Non est Abram reuersus in patriam suam.

Tertiò & illud consideremus. Vbi uidet se in terra Canaan consistere nõ posse, sed omnino esse illam relinquendam, poterat redire ad patriam terram Chaldæam, ubi adhuc habebat fratrem Nahor. Verùm quoniam ea res ad ignominiam nominis Dei cessisset, mauult adhuc longius ac remotius peregrinari à patria, quàm ad illam perinde ac canis ad uomitum redire. Si aliquando ex Aegypto fuisset diuinitus euocatus & liberatus, ne in illam quidem amplius descendisset. Admonemur, ne redeamus ad eos à quibus per bonitatem cœlestis gratiæ liberati sumus ac seiparati. Et hæc cura pijs iam est uehementer necessaria, ne sequantur eorum inconstantiam, qui aliquando è Babylone per gratiam diuinæ ueritatis liberati, nunc magna cum ignominia Euangelij Dei ad feces Babylonicas ueluti sues lotæ ad immundum cœnum reuertuntur.

Noluit Abrã terram promissam prorsus deserere

Quartò, nec illud transcundum est, quòd non dicit, Vt maneret ibi: sed, Vt peregrinaretur ibi. Nolebat sic è terra promissa in Aegyptum migrare, ut spem reditus abijceret, sed ad tempus in illa peregrinari, donec commodum esset reuerti. Admonemur hoc exemplo, ut quicquid accidat tribulationum, spem gratiæ Dei ac restitutionis haud abijciamus.

OBSERVATIO III.

Quomodo flagellum Dei inualescat.

Prævaluerat enim fames in terra.] Cogitemus hic sic solere flagellũ Dei super eos inualescere, qui cassum illius nec agnoscunt nec emendant, sed magis ac magis aggrauant. Tale quid etiam sub Eliah accidit, cum Israel fame annorum trium & mensium sex premeretur. 1. Reg. 17. 18.

Nõ statim initio famis discesit Abram.

Deinde obseruandum & hoc est, quòd Abram non statim initio famis, sed tum primùm terram Chanaan reliquit, cum fames in illa inualuisset. Nolebat leui de causa discedere, sed perseuerare ad articulum usq; necessitatis. Consimili modo faciendum & nobis est. Leuitati datur, si quis statim initio rerum molestiarum sedes suas mutauerit, & ab ijs qui affligi incipiunt, nulla dum necessitate cogente discesserit.

OBSERVATIO IIII.

Cumq; propè esset, ut ingrederetur Aegyptũ, dixit Sarai uxori suæ: Noui quòd pulchra sis mulier, & quòd cũ te uiderint Aegyptij, dicturi sunt, Vxor illius est, & interficient me, et te reseruabunt.] Videmus hoc exẽplo Abrahæ

A Abrahæ etiam ſanctos uiros,& oracula Dei non auditu tantum,ſed & fide amplectentes,ubi accedendum eſt ad gentem impiam,uel aliud aliquod rerum ac uitæ diſcrimen,non eſſe alienos à curis & cogitationibus rationi conſentaneis. Abram,pater ille credentiũ,cum Aegypto appropinquaret, ſaluti ſuæ timere,rationẽq; ſecum ipſe inire cœpit,qua quod timebat effugere poſſet. Hactenus nihil eſt, quod uirum Dei dedeceat. Fides in promiſsionẽ Dei non reddit hominem temerarium, & cunctos diſcriminũ euentus ſuſq; deq; facientem, ſed relinquit illi curam ſaluti ipſius neceſſariam,& iudicium rationis, quo de retinenda ſalutẽ & periculorum euaſione conſilia capiuntur. Sic nõ tantum Abraham hoc loco, ſed & Dauid, quamuis eſſet à Samuele iuſſu Dei in regem unctus: nihil tamen, cum exagitaretur à Saule,omiſit eorum quæ ad conſeruationem ſalutis ſuæ factura putabat. Et Paulus,licet promiſsionẽ Dominicam accepiſſet,quòd nemo eorum qui in naui erant,naufragio periturus eſſet,cum tamen conſiliũ nautarum effugere uolentium intelleXiſſet,centurionẽ & milites monuit, niſi nautæ in naui manerent, fieri non poſſe,ut ipſi euaderent. Act.27. Credunt quidem ſancti promiſsis Dei, ſed interea non negligunt ea quæ ad promiſſam ſalutem,aliqua ratione,modò licita,facere poſſunt.

Non eſſe ſanctos alienos à curis uitæ.

Fides non reddit hominem temerarium.

Deinde obſeruandum eſt,quòd metum ſuum uxori aperit,& conſilium illi retinẽdæ ſalutis cõmuni cat. Ipſa quidem experientia frequenter docet, non eſſe ſatis tutum ardua cõſilia cõmunicare uxoribus, propterea quòd ea res multis plurimum attulit incõmodi, uel propter muliebris ſexus leuitatem: qua fit,ut parũ ſint pleræq; fidei ac ſecreti ſeruantes, uel propter maligni ingenij perfidiam, ſi quis incidat in reprobam ac perfidam. Vnde illud eſt Micheæ 7. Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. Verùm inde non poteſt generalis ac certæ cautionis regula conſtitui, quaſi nunquam ſint uirorum conſilia uxoribus cõmunicanda. Imò exemplo hoc Abrahæ uidemus,quantum cõmoditatis ſit, ſi contingat uxor honeſta,ſincera,& fidelis,& quàm tutò illius fidei quæ ſecreta ſunt concredi queant. Tale exemplum in Michol uxore Dauidis cernere licet,cui Dauid in diſcrimine, in quo uerſabatur, ſalutem ſuam tutò concredere potuit. Magnum planè bonum, ſi quam habes legitimam uitæ ſociam, conſiliorum etiam conſciam tutò habere queas.

Quòd metũ ſuũ & cõſilia uxori communicauit Abram.

1.Sam.19.

Tertiò conſidera quod dicit,quemadmodum in Hebræo legitur,Ecce obſecro. Et rurſus, Dic ergo obſecro. Parum decorũ uiro graui ac magnifico uidetur,huiuſmodi uerbis abblandiri mulierculæ,præſertim quæ ſit uxor,& iure coniugij maritali poteſtati ſubiecta. Sic iudicat carnis ſuperbia & arrogantia,quæ gloriosum eſſe putat,ſi herus erga ſeruum, diues erga pauperem, potẽs erga plebeium, doctus erga indoctum,maritus erga uxorem ſeueriter & arroganter agat. Verùm admonent pij mariti exemplo hoc Abrahæ,non eſſe præter decorum honeſti coniugij,ſi blandius cum uxoribus ac mitius agant. Idem cogitent etiam alij ſuperiores. Apoſtolus Chriſti non dedignatur Corinthios loco Chriſti obſecrare,ut Deo reconcilientur. 2.Cor.5. Cogitemus etiam de probitate Saræ. Illa,ſicuti Petrus ſcribit,reuerenter animata fuit erga maritum ſuum Abrahamũ,quamuis ille amãter cum ipſa egerit. Vocauit eum dominum,inquit Apoſtolus. Aliàs ſi reproba ſit uxor, maritum blandientem contemnit magis quàm in precio habet. Docemur pulcherrimo hoc Abrahæ ac Saræ exemplo, quàm commoda ſit uiri honeſti ac pij,& mulieris probæ ac ſynceræ cõiunctio. Nec ille inſoleſcit poteſtate ac dominio maritali,nec iſta blandientem ſibi maritum contemnit,ſed magnifacit ac ſuſpicit.

Quòd uerbis ea tiã blanditus eſt uxori Abram.

B

Probitas Saræ.

Quartò,in eo quod dicit: Quoniam mulier es aſpectu pulchra, admonemur quàm ſit periculoſum, habere quæ mundo placent. Vxoris uenuſtas hunc Abrahæ timorem incuſsit, tanquam futuri periculi cauſa. Magni quidem facienda eſt in uxore, probitatis & pulchritudinis coniunctio: uerùm paret hoc Abrahæ exemplo,quàm ſit periculoſa, pulchræ mulieris poſſeſsio, præſertim ſi nõ tam ſit proba quàm uenuſta. Etenim ſi Abrahæ cauſa timoris fuit in pulchritudine Saræ uxoris honeſtiſsimæ,quanto magis ei timendum eſt uiro,qui uxorem habet pulchram quidem: uerùm iuxtà improbam,uanam, inſipientem,& perfidam?

Periculis obnoxia ſunt quæ pulchra ſunt.

Quintò. Noui,inquit,quòd dicturi ſunt Aegyptij,Hæc eſt uxor eius, & interficient me,& te reſerua bunt. Primùm illud conſideremus, Qui uxorem alterius uſurpat,adulterium admittit. Adulterij peccatum graue eſt,& capitale. Qui maritũ etiam propter uxorem auferendam occidit, adhuc grauius peccat. Grauius eſt homicidium quàm adulterium,ſi ſimpliciter inter ſe conferantur,nedũ ſi ad perpetrandum adulterium occidatur maritus. Admonemur itaq; hoc loco, quanta ſit humani ingenij malitia, & quàm uehemens ſit illicitæ concupiſcentiæ uis: qua fit,ut ex eo quod concupiſcentiã illicitam reprimere debebat,cauſa ſumatur maioris perpetrandi peccati, quo minoris flagitij & copia fiat,& turpitudo coram mundo obtegatur. Illicitum eſt concupiſcere & uſurpare uxorẽ alienam. Poteſt hoc fieri etiam uiuo & inuito marito: quemadmodum fit etiam ſæpenumero à potentibus huius mundi, qui nec Deum uerentur,nec homines,ab illis quoq;,qui numero principũ indultu religionis prætextu conceſſo in omnis generis flagitia impunè ruunt. At ea res & ſummam habet iniuriam cum ſumma uiolentia coniunctam,& animum declarat omnium impudentiſsimum,qui non ſolum nulla afficiatur publicæ honeſtatis ratione,ſed & omnium mortalium de ſe iudicia ne pili quidem faciat. Quare non immeritò cõmuni odio dignus cenſeẽ,qui tale quid præſumit. Abraham huiuſmodi manifeſtam uiolentiã & impudentiã non tribuit Aegyptijs,cũ dicit,Me interficient,& te reſeruabũt: ſed conſiderat humani ingenij nequitiã & malitiã,qua quod maius eſt peccatũ admittitur,idq; occultè & inſidioſe,ut ad copiam illicitæ concupiſcentiæ in minori peccato explendæ perueniatur. Non timuit Abram ne palàm hoc nomine occideretur, quòd maritus eſſet Saræ: ſed metuit ne id occultè fieret, & per inſidias, quas euitare non poſſet.

Quanta ſit illicitæ concupiſcentiæ uis et malitia

Dicunt

Dicunt nonnulli ex nostris, fuisse Aegyptios sic animatos, ut leuius duxerint homicidium quàm adulterium. Quicquid sit de Aegyptijs, de quibus hoc loco iudicare non possumus, quandoquidem peccatum scienter, nec homicidium perpetrarunt, id tamen de ingenio hominum carnalium constat, quòd in conscientijs suis nec homicidij nec adulterij peccatum tanti faciant, ut concupiscentia carnis impulsi abstineant, sese & timore Dei cohibeant, quin uoti compotes fiant, immò non uereantur maiori scelere uiam sibi parare, quo & libidinem suam expleant, & obtecta sceleris turpitudine conscientiam mortalium fallant. Et id facit humana nequitia nõ solum in illis qui prorsus sunt reprobi: sed & in electis, ubi tentatione superantur. Notum est factum Dauidis, qui ut adulterij turpitudinẽ celaret, Vriam uitiare uxoris maritum dolo malo neci tradidit, & mulierculam in domum suam iuduxit: in hoc tantum differens ab ea malitia, de qua loquimur, quod primùm adulterium admisit: deinde, ut admissum adulterij obtegeret, homicidiũ subiecit. Tale erat etiam facinus Achab, de quo legimus 1. Reg. 21. qui ut uineam, quam appetebat, possessioni suæ adijceret, Naboz Israelitam, ad cuius illa pertinebat hæreditarem, falsis accusationibus adobrutum, neci tradidit, & interempti uineam possedit: unde & ab Eliah audiebat, Occidisti & possedisti. Dum ista consideramus, quid aliud occurrit, quàm summam esse humani cordis malitiam, sic ut sanguinarijs quoq; consilijs ad ea quæ appetit contendat, & admissa facinora grauioribus criminibus abscondere moliatur?

Quõ cognouerit Abrahã, q; se essent occisuri Aegyptij propter Saram.

Deinde considerandum est quòd nõ simpliciter dicit, Dicturi sunt Aegyptij, Vxor eius est, & Meterficient, &c. sed, Noui quòd dicturi sunt, &c. Vnde cognouit hoc futurum? Non est ut dicamus cum loquutum esse ex spiritu prophetico, quemadmodum suprà quæst. 4. monui. Reliquum igitur est, ut dixerit se scire uel per experientiam, uel per intelligentiam, uel per opinionem, uel per affectum metus. Per experientiam hoc dicere non potuit, homo peregrinus, & nondum reipsa mores Aegyptiorũ expertus. Per intelligẽtiam quoq; & opinionem haud dixisse uidetur, propterea quòd nulla dum eius rei quam se scire dixit, signa & indicia occurrebant. Nõdum enim Aegyptum fuerat ingressus, nec aliquid cõmercij cum Aegyptijs habuerat. Superest igitur, ut dixerit hoc affectu metus. Sic enim solent, qui uehementius sibi à periculo quopiam timent, ut scire se dicant, futurum esse quod timent: non quòd id reuera sciant, sed quòd diuersum expectare nequeant, præ nimio quo correpti sunt periculi probabiliter futuri timore. Sic Saul Dauidi dicebat, 1. Sam. 24. Nunc quia scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel, &c. Vnde sciebat hoc? Metuebat usqueadeò futurũ, quod impedire totis uiribus conabatur, ut id se futurum scire affirmaret. Est igitur & pijs & impijs cõmune hoc timoris pathos, & ubi plus æquo timent, id se futurũ scire dicant: quod nulla alia ratiõe futurum esse sciunt, q; quod futurũ esse impensius metuunt. Longè secus habet conditio desiderantis animi. Hic quo magis quod affectat desiderat, hoc minus futurũ esse credit. Nec fiunt ista præter rationem. Sic enim comparati sunt humanarum rerum euentus, ut multo frequẽtius eueniant quæ nolumus, ac futura timemus, quàm quæ affectamus, & cupidissimè desideramus. Hinc natum est prouerbium Germanicum, *Nach bõsem ahnen kompt selten etwas gůts.* Cõtrariũ huius nemo dicit, *Nach gůtẽ ahnen kompt selten etwas bõses.*

De uerbo uiuificandi.

Præterea arbitror obseruandam etiam esse pulcherrimam Hebrææ linguæ loquutionem, qua uerbo uiuificandi Moses usus est pro uerbo reseruandi, cum dicit Abraham, ראתך יחיו, id est, Et te uiuificabunt. Quomodo uiuificatur, quod alioqui uiuit? Non erat mortua Sara, cum hoc ad illam loqueretur Abraham: nec potuisset, etiamsi mortua fuisset, uiuificari per Aegyptios. Scriptura uiuificari dicit, non solum quando uitæ restituitur quod erat mortuum, sed & quando in discrimine seruatur, quod perierat. Sic Dauid aliquoties orat ad Deum, ut se uiuificet, & prædicat etiam de Deo quòd se uiuificarit. Et hinc est quòd qui peculiaritatem seruant illius sibi uitam deberi arbitrentur: perinde ac si mortuis uitæ restituerint. Admonemur hac loquutione, toties agnoscendam nobis esse uiuificantis nos Dei bonitatem & potentiam, quoties periculis eximimur & seruamur.

OBSERVATIO V.

Vsus simulatiõis ac dissimulatiõis

Dic ergo quòd soror mea sis, & bene sit mihi propter te, & uiuat anima mea ob gratiam tui.] Primũ obseruandum est hoc loco, quomodo dissimulatione ac simulatione etiam sancti subinde utantur. Vtrag; Abraham in eo, quòd Saram uxorem suam esse dissimulauit, & sororem simulauit: uerùm eadem re & suprà Quæstione tertia monui.

Infirmitati fidei obnoxij sunt etiã sancti.

Deinde considerandũ est, etiam insignes uiros iustos ac pios obnoxios esse infirmitati carnis, ac nonnunquam pati fidei quamuis præclaræ deliquium. Si Abraham fidei suæ firmitudinem retinuisset immotam, ad hæc consilia non appulisset animum, quibus uitæ suæ securitatem cum coniugalis pudicitiæ periculo quæsiuit: remq; admisit nõ modò fideli ac iusto, sed & iuxta seculum graui uiro indignam. Eò prolapsus est, ut uitã suam uxoris uoluerit beneficio fore obnoxiam, quam potius diuinæ debebat commendare prouidentiæ. Vt bene sit mihi, inquit, propter te, & uiuat anima mea in gratiam tui. Miserè sors est, si maritus uiuat propter uxorem, cum uxor facta sit propter maritum: & miserius adhuc est, si uiuat quidem propter uxorem: uerùm non cum uxore, sed omni coniugali consortio priuatus. Illud autem miserrimum prorsus est, si uiuat propter uxorem à se ablatam, & alteri coniunctam: præsertim ubi nullo eam iuris prætextu repetere licet: quale erat quod postea accidit. Nõ enim audebat Abraham Saram suam tanquã coniugem repetere, quandoquidem sororem, non coniugem esse simulauerat. Admonemur hac cõsideratione, quàm debeamus nunq; de fidei nostræ constantia præsumere, sed perpetuò in timore Dei uersari ac precari: Domine cõserua nos in fide nominis tui, ne tẽtatione uicti, admiramur quod

quod tibi displiceat, nobis noceat, & nominis tui professionem dedeceat. Non est præter rationē quòd huiusmodi lapsus sanctorum uirorum in scripturis sacris leguntur. Seruiunt enim nobis cùm ad cautionem, ne simus arrogantes ac securi: tum ad consolationem, ne desperemus, si tentatione aliqua supe rati fuerimus, & in peccatum prolapsi.

Cum itaq; ingressus esset Abram Ægyptum, uiderunt Ægyptij mulierem quòd esset pulchra nimis. Et nunciauerunt principes Pharaoni, et laudauerūt eam apud illum. Et sublata est mulier in domum Pharaonis. Abram uerò bene usi sunt propter illam. Fueruntq; ei oues & boues & asini & serui & famulæ & asinæ & cameli.

Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis & domum eius, propter Sarai uxorem Abrę. Vocauitq; Pharao Abram, & dixit ei: Quid nam est hoc quod fecisti mihi? Quare non indicasti mihi, quòd uxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerē eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce coniunx tua, accipe eam, & uade. Præcepit Pharao super Abram uiris, & deduxerunt eum & uxorem eius, & omnia quæ habebat.

LECTIO.

Quòd esset pulchra nimis.] In Hebræo est יפת תראה מאד, id est, quòd pulchra ipsa ualde. Sic & Græcus habet, ὅτι καλὴ ἦν σφόδρα.

Et nunciauerunt principes Pharaoni.] In Hebræo est, וירא אתה שרי פרעה, id est, Et uiderunt eam principes Pharaonis. Græcus consimiliter legit, καὶ εἶδον αὐτὴν οἱ ἄρχοντες φαραώ. Latinus interpres uidetur legisse ויגדו pro וירא.

Abraham uerò bene usi sunt propter illam.] Sic legit & Græcus, καὶ τῷ Ἀβραὰμ εὖ ἐχρήσαντο δι' αὐτήν. At Hebræus habet ולאברם היטיב בעבורה, id est, Et Abrahæ benefecit (Pharao uidelicet) propter eam.

Et asinæ.] Sic habet etiā Hæbræus, ואתנות. Græcus uerò legit, ἡμίονοι, id est, semiasini, muli uidelicet.

Plagis maximis.] In Hebræo est נגעים גדלים, id est, plagis magnis. Sic uertit & Græcus ἐτάσμοις μεγάλοις, nisi quod addit καὶ πονηροῖς, id est, malis.

Et omnia quæ habebat.] Græcus addit, καὶ λὼτ μετ' αὐτῆς, id est, & Lot cum eo, quod tamen in Hebræo non legitur hoc loco.

EXPLANATIO.

Quid metuerit Abram descensurus in Aegyptum, quidq; consilij cum uxore sua Sarah cœperit, expo sunt Moses in præcedentibus: iam consequenter quid illi acciderit cum ingressus esset Aegyptum, ex ordine narrationis subiungit. Habet autem præsens contextus narrationem bimembrem. Nam primùm commemoratur, quomodo sublata sit uxor Abrahæ in domum Pharaonis. Deinde exponitur, quomodo sit restituta. Ad primum membrum pertinet quod dicit:

Cum ingressus esset Abram Aegyptum, uiderunt Aegyptij mulierem, &c.] Duo dicit: Sublatam uidelicet esse Saram in domum Pharaonis, deinde propter illam benefactum esse Abrahæ. Vtrobiq; adijcitur expositio. Primùm exponitur quomodo sublata sit Sara. Viderunt, inquit, Aegyptij mulierem & nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam, & sublata est in domum Pharaonis. Ergo Pharao motus uerbis principum suorum, iussit Saram induci in domum suam, ut haberet eam loco uxoris, quemadmodum & infrà testatur ipse, ubi expostulat cum Abrahamo. *Sara in domum Pharaonis sublata.*

Deinde, cum dixisset, Abram uerò bene usi sunt, id est, benefecerunt Abrahæ, uel, ut in Hebræo est, in singulari, Abrahæ uerò benefecit (pharao) Propter illam, ut qualitate beneficiorum exponeret, adiecit: Fueruntq; ei oues & boues, & asini, & serui, &c. Infrà capite sequenti statim initio additur etiam opulentia auri & argenti. Ergò Pharao, quoniam credebat Abram esse fratrem Saræ, in gratiam illius contulit in eum plurima beneficia.

Flagellauit autem Dominus Pharaonem, &c.] Pertinent ista ad alterum membrum, quo restitutio Saræ exponitur. Memoratur autem primùm causa restitutionis. Flagellauit Dominus Pharaonē, inquit, ac domum eius, plagis maximis, propter Sarai uxorem Abræ. Quæ fuerint, aut quales, istæ plagæ, non ex primitur. Neq; memoratur, quamdiu duraverint. Duntaxat exprimitur, quòd fuerint magnæ, deinde quòd immiserit eas Dominus, tertiò quòd immiserit eas propter Sarai uxorem Abrahæ: & quartò, quod non solum Pharaonem, sed & domum eius flagellauerit. Sic Pharao ultione diuina coactus restituit Abrahæ uxorem. Restituit autem eam non sine expostulatione. Vocato nanq; ad se Abrahæ dixit: Quid nam est hoc quod fecisti mihi? Significat hisce uerbis peccasse in se Abramum. Non simpliciter dicit, Quidnam est hoc, quod fecisti: sed, Quidnam est hoc quod fecisti mihi? Vt autem peccatum in se admissum exprimat, subiungit, Quare nō indicasti mihi, quòd uxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerē eam mihi in uxorem? Quasi dicat: Nō solū dissimulasti esse illam uxorē tuam, *Restitutio Saræ.*

sed & sororẽ tuam esse dixisti, atq; ita mihi causam obiecisti, ut sumerem eam mihi in uxorẽ, quod nunq; eram facturus, si uxorẽ tuam esse cognouissem. Sic Pharao factum suum per ignorantiã excusat, & culpam illius transfert in Abrahamũ. Deinde subiungit dicens: Et nunc ecce coniugẽ tuam, accipe eam & uade. Hisce uerbis restituit Sarã, non sine spiritu indignationis. Quo facto, mãdat seruis suis, ut Abrã cum uxore & omnibus quæ habebat deducerẽt, ne qua contumelia afficeretur ab Aegyptijs. Videbatur enim Sara non restituta, sed potius spreta & abiecta à rege, quæ res causam dedisset Aegyptijs, ut Abrahæ illuderent & contumeliam inferrent. Quare necessarium erat, ut authoritate regis deduceretur, quo illæsus Aegyptum exiret.

QVAESTIO I.

An Sara fuerit à Pharaone cognita.

Flagellauit Dñs Pharaonem, &c. propter Sarai.] Quærunt hic, cognouerit ne Pharao Saram, postq; eam in domũ suam induxit, & uxoris loco habuit. Quod si libido principum confideraẽ, & insignis Saræ pulchritudo respicitur, magna generatur carnalibus hominibus suspicio, fuisse eam à rege pollutã. Verùm si cõsideremus singularem prouidentiã Dei, qua pudicitiam Saræ, quantumuis in speciem sub manibus regum periclitãtem, & libidini potentũ expositã, propter Abrahamũ dilectũ suum & semen illi ex Sara promissum illibatam custodiuit, non possumus aliter in hac causa sentire, quàm q; intacta manserit in domo Pharaonis, perinde atq; in domo Abimelech, sicuti infrà cap. 20. legitur.

Dicet aliquis: Si nõ cognouit eam Pharao, quare flagellatus propter eam est à Deo? Respondeo: Flagellatus est, non q; cognouerit eam, sed ne cognosceret: sicut & Abimelech accidit, cuius etiã domus percussaest ultione diuina propter Sarai, quamuis illic expresse dicatur, quòd eam haudquaquã tetigerit, eo quòd Dominus id illi non permisisset.

Rursus regeret aliquis: Si intacta in domo Pharaonis permansit Sarai, quemadmodũ intacta postea permansit in domo Abimelech, quare nõ meminit eius rei Moses hoc loco perinde atq; illic? Respõdeo: Quod infrà diserte monet non fuisse Saram cognitam ab Abimelech, factum est ad cauendam suspicionem, ne Isaac non ex Abrahamo, sed Abimelech rege conceptus putetur. Nam quæ in domo Abimelech contigerunt, inciderunt in annum, ut apparet, conceptionis Isaac. Quare necessarium erat ut diserte commemoraretur, mansisse Saram intactam in domo Abimelech. Inde non debet colligi, fuisse eam pollutã à Pharaone, propterea quòd diuersum non memoratur hoc loco.

Adferunt alij alias causas, quare credendum sit non fuisse castitatem Saræ uitiatam à Pharaone: uerùm meo iudicio, id quod infrà capite uicesimo, in casu consimili manifestè legitur, satis argumenti adfert, neq; hoc loco defuisse prouidentiã Dei honori Abrahæ. Neq; enim ratio poterit assignari, quare illic Deus prohibuerit, ne cognosceretur mulier hæc sancta ab Abimelech, hic uerò illã libidini Pharaonis permiserit. Quod si uoluisset permittere ut pudicitia illius humiliaret, multo sanè maiore hoc ratione in domo Abimelech permisisset, ubi Abraham secundò in eundem lapidem impingebat, q̃ in domo Pharaonis, ubi primùm incidit in discrimen hoc amittendæ uxoris. Iam quoniam secundò peccanti nõ defuit, quomodo dubitare poterimus, quòd custodia sua nõ destituerit eum, cum primò uxorem suam huiusmodi periculo exponeret? Si uerò custodienda erat pudicitia Saræ, planè conuenientissimum erat ut nõ minus in domo Pharaonis q̃ in domo Abimelech custodiretur. Alioqui quorsum attinuisset eam custodire in domo Abimelech, si antea polluta fuisset in domo Pharaonis?

QVAESTIO II.

An æquũ fuerit quòd non solum Pharao, sed & domus eius est flagellata.

Et domum eius.] Quæritur hic, fuerit ne æquum, quòd nõ solum Pharao pœnas dedit propter Sarai, sed & domus illius eodem est supplicio inuoluta. Videtur enim normam excedere iusticiæ, si cum sontes puniantur etiam insontes. Pharao peccauerat quòd in domũ suam iusserat introduci Saram, à qua cuncta reliqua domus aliena fuisse uidetur. Quare sic dictat ratio iusticiæ, non debuisse illam eidem supplicio fieri obnoxiam. Respondent nonnulli ad hanc quæstionem, loqui Mosen de domesticis Pharaonis principibus, qui de Saræ pulchritudine ad illum retulerant, & auferendæ illius causas subministrauerãt, ideoq; non immeritò fuerint & ipsi unà cum Pharaone diuinitus flagellati. Meo iudicio non satisfaciat hæc sententia simplicitati uerborũ Mosis, qui loqui uidetur non de principibus tantum Pharaonis, sed & de omnibus illius domesticis, cum dicit flagellasse Deum nõ modò Pharaonem, sed & domum eius. Et infrà cap. 20. expresse legitur, occisurũ fuisse Deum nõ solũ Abimelech, sed & omnia quæ illius erant, nisi reddidisset Saram Abrahæ. Quare uerosimilius est & hoc loco unà cum Pharaone totam illius flagellatam fuisse domum.

Quòd autem iusticiæ considerationem attinet, nostrum est non uocare in ius eum qui iustissimus est omnium, & iustè iudicat de omnibus. Non possumus certius iudicare de iusticia eorum quæ contingũt mortalibus à Deo in hac uita, quàm ut ea uel ob id sentiamus iustè accidere quòd à Deo iustissimo omnium iudice immittuntur. Quid domus Pharaonis peccarit, iudicare tanquam de incognita non possumus. Illud tamen scimus, quoniam conflata fuit non ex angelis, sed hominibus, haudquaquam fuisse eam in conspectu Dei mundam & insontem, etiamsi in hac Saræ causa nihil deliquerit.

Deinde non est alienum à iusticia Dei, si cum peccante patrefamiliàs puniat etiam omnia quæ illius sunt, iuxta rationem & grauitatem delicti: quemadmodum & ab illius bonitate alienum non est, ut pio patrifamiliàs non in ipsius tantum persona, sed & in omnibus illius domesticis benefaciat. Vtriusq; rei multa sunt in scripturis exempla.

QVAESTIO

QVAESTIO III.

Quare non indicasti mihi quòd uxor tua esset.] Quærunt hic, unde cognouerit Pharao, Saram esse Abrahæ uxorem, & propter illam se cum suis flagellari à Domino. Iosephus dicit hoc esse illi significatum à sacerdotibus, qui id inter sacrificandū pro rege cognouerint. Verùm nulla est necessitas, ut id uerū esse credamus. Credibilius est, esse hoc manifestatum regi per Saram ipsam, uel per reuelationem diuinam, sicuti infrà cap. 20. Abimelech eandem rem reuelante Deo cognouit.

Vnde cognouerit Pharao, Sarā esse uxorem Abrahæ, et flagellari se propter illam à Deo.

OBSERVATIO I.

Cum itaq; ingressus esset Abram Aegyptum.] Ingressus Abrahæ in Aegyptū, ingressus erat hominis pij in terrā impiorū. Quemadmodū igitur memorandū dixit Moses quo metu correptus fuerit, cum iam uicinus esset Aegypto: ita subiunxit etiam, quid ingresso in Aegyptū acciderit. Admonemur, ut huiusmodi exempla sanctorum uirorum diligēter obseruemus, quibus edocemur, quid non solum timendū sit pijs, sed quid accidat etiam illis, ubi uel necessitate, uel occasione aliqua coniunguntur impijs. Nō frustrā est quod timent sibi quotiescunq; accedendi sunt impij, ac uelut ingredienda est Aegyptus. Occulto quodam instinctu spiritus præsentiunt, expectāda esse sibi non leuia discriminia. Planè enim aduersantur inter se piorum & impiorum spiritus. Quare perinde atq; oues natura quadam cōspectum luporū horrent, & ipsa hoc res docet, esse eum illarum horrorē non frustraneum ac præter rationem, ita habet etiam conditio piorum. Quàm nō uano timore corripiantur, quoties agendum est cum impijs, ipse docet rerum euentus. Est itaq; operæprecium, ut non solum obseruemus quo metu sancti appropinquent Aegypto: sed quid illis etiam eueniat ubi Aegyptum sunt ingressi.

Obseruandi sunt sanctorum et metus & rerum euentus.

OBSERVATIO II.

Viderunt Aegyptij mulierem quòd esset pulchra ualde.] Obserua hoc loco, quæ sit carnalium hominum uanitas. Dubio procul honestissimus erat ipsius Abrahæ aspectus, unde facile poterant Aegyptij de grauitate, pietate, et humanitate illius admoneri. Verùm non obseruarunt hunc homines uani ac carnales, sed oculos carnalis animi restes coniecerunt in Sarā. Viderunt Aegyptij mulierem, inquit. Quid ad illos mulier peregrina & aliena? Poterāt indigenas & proprias uidere quotidie. At etiā hoc uanitatis est, ꝙ peregrina magis q̄ cognata miramur. Quid uiderūt in muliere peregrina & aliena? Quòd esset pulchra ualde, inquit. Erat Sara non solum corpore, sed & animo & moribus pulchra. Pietas enim animi & uirtutes, pulchritudo est planè incomparabilis. Sed hanc pulchritudinem non obseruant homines uani. Sunt enim corporalibus tantum intenti. Non negamus etiam corporis uenustatem esse donū Dei. Illud uerò reprehendendum est, quòd illam pluris facimus, & impensius appetimus, q̄ eam quæ mentis est, sine qua tamen illa plus habet fellis q̄ mellis. Præclarum est, si cui talis Sara contingat, quæ & animi & corporis pulchritudine præstat. At interea fragilis est omnis ille corporis decor, quē unica febricula defor mat: animi uerò pulchritudo ad extremum usq; spiritum durare potest.

Vanitas hominū carnalium.

Admirantur quidam in hac Sara ꝙ cum annorum esset ficuti colligunt, circiter septuaginta (certè sexaginta quinq; annorū erat, cum egrederetur de Charam) deinde tanti itineris ac peregrinationis, deniq; & famis molestias pertulisset, nihilotamen minus pulchritudinis suæ natiuum decorem sic retinere potuit illæsum, ut cum in Aegyptum uenisset, admirationi esset Aegyptijs, & pulchra ualde conspicerentur. Nos uerò id potius admiremur ac celebremus, quod de hac pulchritudine sua nihil præsumpsit, nec animo est illius gratia facta elatior, sed unà cum illa & pietatē erga Deum, & coniugalem fidem ac reuerentiā erga maritum suum, quem Dominū suum uocauit, illibatā custodiuit. Meo iudicio præclarius est multo, si muliebris animus fastum & insolentiam, cuius occasionem offert splendor formæ, cōstanter uincat, quàm si animus uiri sapientis, diuitis ac potentis humilitatis spiritum retineat.

Admirantur quidam pulchritudinem Saræ.

OBSERVATIO III.

Et nunciauerunt principes Pharaoni, et laudauerunt eam apud illum.] Obserua hic corruptionē regij status. Primum quidē locum obtinet in regno suo rex, & ad illum rectè cumprimis referuntur, quæ uel peregrina adferuntur, uel aliàs insolita exoriuntur. Quare haud inconueniens fuisset, si aduentus Abrahæ hominis peregrini statim delatus ad regem, & de causa illius instituta quæstio fuisset. Verùm hac de re nihil meminit Moses. De pulchritudine peregrinæ mulieris retulerūt ad regem principes. Nisi illi mē tem regis sui reipsa cognouissent, haudquaq̄ apud eum peregrinæ mulierculæ uenustatē tantopere deprædicassent. Qualis ergo rex erat Pharao, tales habebat principes libidinis suæ ministros. Sic se gerebat ut conspicuum esset principibus ipsius, singulari ipsum affectu insignioribus delectari mulierculārum formis. Itaq; ut illi gratificarentur, non simpliciter de aduentu peregrini hominis retulerunt, sed conspectam mulieris pulchritudinē perinde apud eum deprædicarunt, ac si in id officij conducti essent ut insigniores formas in uniuersa Aegypto regi suo indagarent & adducerent. Arbitror autē multo feliciores fore regnorum status, si principes regibus suis bonorū uirorum pietatem, probitatem & innocentiam potius, quàm mulierculārum uenustatem commendarent.

Corruptio status regij.

OBSERVATIO IIII.

Et sublata est mulier in domum Pharaonis.] Obserua regis intemperantiam. Non uiderat Saram, sed audierat tantum de illius pulchritudine, & tamen iubet eam in domum suam inferri. Non quærit de dotibus ei mulieri conuenientibus quæ futura sit regis uxor. Satis erat, quòd commendabatur illius pulchritudo. Illa erat loco natalium, opum, & uirtutum heroicarū, & usqueadeò placebat, ut ex peregrina & ignota muliere redderet uxorem regis. Hæc erat Pharaonis uanitas, quæ ipsis etiam displicet ethnicis.

Intemperantia Pharaonis.

Multo maioris tẽperantiæ erat Alexander Magnus, qui cum filias Darij haberet captiuas, salutauit eas A oculis demissis, metuens sibi ab illarum insigni uenustate. Et cum inuitaretur ut eas inuiseret, noluit ire, dicens sibi non cõmittendum, ut cum uiros uicisset, à mulieribus uinceretur.

Quo animo fuerit Abram cum priuatus esset charissima coniuge.

Simul cogitemus, quo animo fuerit interim Abram, cũ priuaret charissima & honestiss. cõiuge: ideo hoc nomine, ut fieret uxor regis, quam duplici nomine redituram ad se sperare non poterat. Primùm, quòd nõ licebat eam repetere iure coniugij, quandoquidem uxorem dissimulauerat, & sororem esse dixerat. deinde quod difficillimũ uidebatur, eripere eam è potestate ac domo regis: præsertim cum is eam uxoris iure haberet. Abram cum homo esset, humana dubio procul, si unquam, hac certè in causa pas-

Promissio Dei et fides coniugalis, animũ Abrahæ poterãt erigere

sus est. Licet enim hinc fiducia erga promissionem Dei, illinc uerbis Saræ, quibus illa, ut credibile est, animum eius abitura promissa coniugalis fidei constantia nonnihil cõfirmauerat, aduersus acerbũ hunc dolorem nonnihil erigi potuerit, occurrebant tamen tristes cogitationes, quibus omnem eam calamitatem suo ipsius consilio acceptam ferebat, seq; ipsum incusabat, dicens: Tua culpa factum est, ut iam peruatus sis uxore. Tuum hoc erat consilium, ut falleres Aegyptios, & securitati tuæ consuleres. Suasisti uxori, ut sororem se esse diceret, uxorem dissimularet. Hoc cõmento perdidisti & te, & uxorem, & regẽ. Huiusmodi cogitationibus uerosimile est animũ Abrahæ uehementer fuisse tam diu diuexatum, donec plaga Dei Pharaonem ac domum eius flagellari animaduerteret. Admonemur hac consideratione, quomodo etiam sanctis usuueniat, ut acerbum subinde consiliorum suorum fructum experiantur, dum in rebus periculosis carnis prudentiam magis quàm fidei constantiam sequuntur.

OBSERVATIO V.

Qualis soleat esse clemẽtia principum.

Abram uerò bene usi sunt propter illam fueruntq; ei oues, & boues, & asini, &c.] Obserua hic, quo genere beneuolentiæ elementẽs se principes huius seculi declarent. Dignissimus quidem erat Abram, cui pietatis nomine benefieret à rege. Verùm Pharao illi benefeciſſe scribitur, nõ propter pietatem & iustitiam, sed propter Saram, quam in domum suam introduxerat. Seruiebat ea res affectibus illius tanto regi parum conuenientibus. Admonemur hoc exemplo, sic comparatos esse mundi huius principes, ut liberales sint in eos per quos affectibus ipsorum obsecundatur. Erant & Abram & Sara omnino diuersæ religionis, & tamen sic amanter ac liberaliter propter solam muliebris formæ elegantiam complectitur Abramum Pharao, ut eum redderet diuitẽ ac locupletem. Nihil morabatur, quòd essent homines peregrinæ cùm uitæ tum religionis. Tanti erat splendor formæ. Et hodie inuenias in aulis Cæsarũ ac principum, qui propter muliebris cõmercij gratiam religionis diuersitatem tolerant in quibusdam, quã in B alijs gladio, igne & laqueo persequuntur. Licet inuenire principes, qui huiusmodi obsequijs pellecti, quæ à subditis tyrannica improbitate extorserunt in mulierculas & illarum cognatos turpiter profundant. Quanquam illi haudquaquam sunt Pharaoni isti comparandi. Etenim quæ iste contulit beneficia in Abrahamum, non erant obnoxia ignominiæ scortationis, sed coniugij honestate commendata: quæ illi uerò in mulierculas profundunt, plerunque spiritum resipiunt, ac turpitudinem illegitimæ libidinis, & conformia sunt ei uæsaniæ, qua Herodes dimidiũ regni puellæ turpiter saltanti, si peteret, pollicebat.

OBSERVATIO VI.

Dominũ esse iudicem, nõ solum populi sui, sed et omnũ gentium.

Flagellauit autem Dominus Pharaonem ac domum eius plagis magnis, propter Sarai uxorem Abrahæ.] Principio animaduertendum est, esse Dominum iudicem non suorum tantum, sed & quarumcunque totius orbis gentiũ. Erat Aegyptus aliena à nomine & cultu Dei, et tamen uidemus hoc exemplo, illam quoque subiectam fuisse iudicio Dei. Flagellauit Dominus Pharaonem. Non simpliciter dicit, Flagellauit fuit Pharao: sed, Flagellauit Dominus יהוה Pharaonem. Habebat Pharao deos suos, quibus seruiebat. Ne putaretur ab illis fuisse flagellatus, rectè dixit Moses, Flagellauit Dominus Pharaonem ac domum eius. Ergo quamuis Pharao rex Aegypti superstitione dijs esset alienis obnoxius, iure tamen legitimi dominij subiectus erat iudicio ueri & unici Dei, licet illum nec cognosceret nec coleret. Alioqui dici posset Deo: Quis tu es, qui iudicas & flagellas alienum seruum? Admonemur omnem terram subiectam esse iudicijs Dei: quemadmodum & Psaltes psal. 105. canit, dicens: Ipse est Dominus Deus noster, in omni terra iudicia eius. Suorum quidem, quos ipse elegit, Deus est: uerùm simul iudex ac dominus est

Flagellat Dominus reges, perinde ac sceleratos.

omnium. Deus erat Abrahæ ac Sarai: at interea iudex etiam ac dominus Pharaonis erat, potestatẽ habens in omnem illius uitam, domum ac regnum. Et obserua loquutionem: Flagellauit, inquit, Dominus Pharaonem. Tanta est potentia Dei, ut reges ab illo perinde atq; scelerati solẽt à magistratibus, flagellentur. Vnde & Dauid alicubi dicit: Terribili apud reges terræ.

Quantum mali adferat, si mali sint maiores.

Deinde considerandum est, quòd non Pharaonem duntaxat, sed & domum eius flagellauit. Cogitemus quantum mali adferat, si coniuncti simus malis capitibus, patribus familiàs, & principibus: cũ quibus, ubi peccauerunt, ferenda nobis sint flagella Dei. Rursus quàm bonum sit, subesse pijs ac bonis, quibus Dominus fic benefacit, ut & domesticos illorum propter ipsos beneficijs cumulet.

Potuit Dominus conniuere ad eidololatriam Pharaonis et non potuit cõnuere ad peccatum in Abrã et Pharaone

Tertiò & illud obseruemus, quod dicit: Propter Sarai uxorem Abrahæ. Est hæc particula diligenter inspicienda. Causam habet propter quam flagellarit Dominus Pharaonem. Propter Sarai uxorẽ Abrahæ, inquit. Atqui non erat hoc quicquid erat peccati, quòd Saram in domum suam sustulerat Pharao, maius ac grandius peccatum cæteris. Nam dubio procul peccata superstitionis & impietatis, qua cum tota nõ modò domo, sed & Aegypto falsos & alienos deos colebat, multo erant grauiora, quàm quòd Saram nesciens illam esse coniugem Abrahæ, uxoris uolebat habere loco. Illis enim immediatè contra Deum

per imprudentiam admissum.

A Deum uerum & unicum cõmunem omnium creatorem & conseruatorem impijssimè peccabat, hoc uerò per errorem imprudenter peccabat in Abrahamũ, uirum quidem sanctũ, attamẽ hominẽ nõ Deum. Quare uidetur propter falsos cultus potius quàm propter sublatam Saram tam magnis flagellandus fuisse plagis. Cum ergo nihil legatur de pœnis idololatriæ, sed tantum de plagis propter Saram illatis, admonemur potuisse Dominum conniuere & parcere Pharaonis superstitioni & impietati: nõ autem potuisse conniuere ad peccatũ, quo delinquebatur in seruum suum Abram. Itaq; non agebat cum Pharaone pleno & consummato iudicio, sed temporario tantum & ex parte, non tam percutiens illum tanquam peccatorem, quàm asserens ac uindicans Abrahæ seruo suo uxorem. Habemus ergo exemplum hic, in quo manifestè declaratum est, quàm fideliter tueatur suorum causam Deus. Non potest retinere patientiam, ubi periclitantur bona fide à se pendentes, cum tamen aliàs in ijs quæ se peculiariter concernunt omnium sit patientissimus, & ארך אפים. Est itaq; perspicuè discernendum inter plagas Dei, quibus impij percutiuntur. Aliæ sunt ultrices impietatum ac scelerum, nihil facientes aliud, quàm quòd pœnas sumunt de impijs. Aliæ sunt defensoriæ, ac liberatrices piorum, quibus & afflicti liberãtur, & reipsa declaratur, non deserere Deum in se sperantes. Expendit hoc Dauid canens psal. 105. Non permisit ut quisquam calumniam illis inferret, & corripuit eorum gratia reges.

Idem est præsul ac protector cõiugij qui est author.

Quartò considerandũ etiam est, quòd nõ simpliceter dicit, Propter Abrahamũ: sed, Propter Sarai uxorem Abrahæ. Quid illi euenerat? Sublata erat in domum Pharaonis, ut esset illi uxor. Ob hanc causam flagellabatur Pharao. Ergo non potuit ferre Deus, ut coniugium uiri sancti uiolaretur. Est enim custos ac præsul matrimonij, idem qui illius est author: Magno solatio potest hæc consideratio coniugum animos afficere, propterea quòd tam insigni exemplo declaratum est curæ esse Deo piorum hominum matrimonia.

Quàm magnas plagas mereãtur illi qui scienter admittunt adulterium.

Quintò. Nec illud transeundũ est, quòd non solum dicit, Flagellauit Dominus Pharaonem ac domũ eius propter Sarai uxorem Abrahæ: sed addit, Plagis magnis. Admonemur hic, quàm magnas plagas mereantur illi, qui scienter ac prudenter uxores alienas polluunt, cum homo ethnicus ac barbarus, legisq; Dei ignarus, propter mulierem sublatam tam grauiter flagellatus sit, quam tamen uxorem Abrahæ esse ignorabat, & nondum opere illicito contaminauerat. Huiusmodi exempla inculcanda sunt nostro potissimum seculo, in quo adulteria scienter ac prudenter admissa pro ioco ducuntur. Vel ex magnitudine plagarum, quibus flagellatus est Pharao, abundè satis intelligi potest, quàm sit magnum ac detestabile adulterij facinus in conspectu Dei, quantumuis nullius prope delicti, nostrorum temporum
B aduiteri, rei uideri uelint.

OBSERVATIO VII.

Vocauitq; Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc quod feciſti mihi? Quare nõ indicaſti mihi, quòd uxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce uxor tua, accipe eam & uade. Præcepitq; Pharao super Abram uiris, & deduxerunt eam & uxorem eius, & omnia quæ habebat.] Primùm uidemus hic in Pharaone ingenium carnis, in eo quod cum Abrahamo expostulãs culpam admissi peccati à se in illum reijcit, dicens: Quidnã est hoc quod feciſti mihi? Erat diuinitùs per cussus propter suum ipsius utiq;, non propter aliquod Abrahæ peccatum. Quod si uero timore Domini præditus fuisset, haudquaquam factum suum iustificasset, sed Domino gloriam iusticiæ ac recti iudicij, sibi uerò culpam flagello dignã tribuisset. Verùm nihil in facto suo uidit, quod esset culpabile, ideoq; oculos uertit ad factum Abrahæ, quòd uidelicet Saram hanc sororẽ suam esse dixisset, eaq; simulatione causam ipsi tribuisset, mulierem in domum suam introducendi. Et ista sanè probabiliter culpam facti huius in ipsum Abrahamũ reijcere, & de regis innocentia testificari uidentur, nisi penitius abdita cordis in Pharaone inspicias, unde quicquid hic factũ est fuerat exortũ. Affectus carnis & laqueus cõcupiscentiæ seduxerant Pharaonem. Obsequundauerat concupiscentiæ suæ, per linguam principum suorum quasi quodam flatu excitatæ. Hinc motus cœperat appetere pulchritudinem mulierculæ prorsus incognitæ, peregrinæ, & alienæ. Nisi illa fuisset, haudquaquam Saram propterea quòd soror Abrahæ diceretur, in domum suam uxoris loco introduxisset. At malum hoc concupiscentiæ non obseruauit Pharao: quare securus non seipsum, sed Abrahamum incusat. Iudicabat se satis ob id excusatum, quòd ignorasset mulierem hanc esse uxorem Abrahæ. Nisi fuisset concupiscentiæ motu impulsus, uocasset ad se primùm Abrahamum, & diligentius ex eo de omnibus quæsiuisset, ac dubio procul ueritatem cognouisset, uel certè conscientiam & benenolentiam illius tanquam fratris Saræ & senioris ambiuisset. Nihil horum fecisse legitur, & nihilominus putat prorsus ab omni culpa alienum esse, quod concupiscentiæ impulsu, & ausu regio fecit. Admonemur hac consideratione, ut in nobisipsis quoq; carnis hoc ingenium diligenter obseruemus: nec putemus nostra facta mox inculpabilia esse coram Deo, ficubi aliquo ignorantiæ prætextu coram mundo palliari posse uidentur. Deus enim est, qui corda nostra scrutatur, & intimas factorum nostrorũ origines ac uenas considerat. Quare orandum nobis est ac dicendum, Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine.

Caro suas culpas in alios reijcere solet.

Virtus diuinæ protectionis.

Deinde obseruandum est etiam hoc loco, quæ sit uirtus diuinæ protectionis, qua suos ne quid mali patiantur, etiam in potestate regum constitutos tuetur. Pharao rex Aegypti grauiter cum omni domo sua propter Saram flagellatus, iudicat se præter meritum flagellatum, & omnem eius rei culpam transfert in Abrahamũ, idq; tam probabiliter, ut nihil uideatur ab eo posse excusationis loco adferri, & tamẽ

nec iudicio cum illo agit, nec duri aliquid in eum statuit, sed modica expostulatione contentus restituit illi uxorem dicens: Nunc ecce uxor tua, accipe eam, & uade: deniq; sic eum à se dimittit, ut nihil eorum quæ in gratiam Saræ dederat, auferat: immo, ne qua iniuria ab Aegyptijs afficeretur, uiros de suis adiciat, qui eum ad fines usq; Aegypti illæsum cum omnibus quæ habebat deducant. Videntur ista facere ad laudem humanitatis & integritatis in Pharaone. Verùm nostrum est ea non Pharaonis clementiæ, sed diuinæ adscribere prouidentiæ ac curæ, qua, secũdum Psaltem Dauidem psal. 105. non permittebat, ut quisquam Christos ac prophetas suos, numero pauco oberrantes, de q; regno ad regnum peregrinantes læderet. Prædicent alij regiam in Pharaone clementiam: nos prædicemus fidem ac uirtutem diuinæ protectionis, qua reuera contra quamuis, regum quoq;, uiolentiam tuti redduntur, quicunq; sub umbra & alis illius integra fiducia conquiescunt.

DE MYSTERIO PRAESENTIS LOCI.

Considerauimus hactenus quæ secũdum historicum sensum hoc loco consideranda uidebantur: iam & typica quædam in illo uidenda putamus, quibus res futuræ & ad posteros Abrahæ, Ecclesiam Dei pertinentes adumbratæ sunt ac delineatæ. Ingressus Abrahæ in Aegyptum figuram habebat eius ingressus, quo Israel nepos illius cum suis Aegyptum postea ingressurus erat. Quòd Sara uxor Abrahæ & mater Israelitarum sublata est in domum Pharaonis, ut esset illius iuri ac potestati subiecta, iam tum præfigurabat, futurũ ut populus Israel domui ac seruituti Pharaonis subijceretur. Beneficia quæ contigerunt Abrahæ propter Saram, imaginem habebant eorum beneficiorum, quibus Israeli propter Ioseph benefactum aliquandiu est in Aegypto, de quibus infrà cap. 47. legere licet. Quòd flagellatus fuit Pharao ac domus eius propter Saram, figura erat earum plagarum quibus percutienda erat Aegyptus cum rege suo propter Israelem seruituti subiectum. Et rectè dicit Moses, fuisse Pharaonem cum domo sua magnis plagis flagellatum. Nam & plagæ quibus postea percutienda erat Aegyptus admodum graues ac uehementes erant futuræ. Quòd Abraham non fuit in Aegypto cum Sara sua detentus, sed ex illa post diuinam flagellationem Pharaonis dimissus, significabat futurum ut Israel, Ecclesia Dei, prorsus ex Aegypto tum demũ liberaretur ac dimitteretur postquam domus Pharaonis cum tota Aegypto grauiter esset percussa. Postremò, quod non est Abram uacuis manibus, sed cum magna substantia planè diues Aegyptum egressus, typum habebat Israelem quoq; opibus Aegyptiacis onustũ seruitutem ac regionem Aegypti fore egressurum. Sic omnia concordant, nisi quòd iste Pharao minus pertinaciæ aduersus Deum ostendit, adeoq; & minus plagarum est perpessus.

Imago Ecclesiæ Christi sub antichristo.

Præterea consideremus etiam in hac historia imaginem Ecclesiæ. Sara erat pulchra ualde. Et Ecclesia Cant. 4. 6. & 7. admodum pulchra prædicatur. Sara adhæsit Abrahæ marito suo peregrinanti in Aegypto. Ecclesia adhæret sponso suo Christo, in hoc mundo peregrino & incognito. Prædicata fuit Saræ pulchritudo in domo Pharaonis, & Ecclesiæ splendor per principes Ecclesiasticos commendatus est in domo pontificis Romani. Pharao misit & Saram in domum suam, sustulit ac potestati suæ subiecit. Romanus pontifex misit, & Ecclesiam Christi undequaq; subiatam transtulit Romam, suæq; potestati uindicauit. Pharao bene uoluit Abrahæ propter Saram, tantisper dum nõ maritus, sed frater illius prædicaretur. Verùm ubi sensit illum nõ esse fratrem, sed maritum Saræ, unà cum ea cum Sara à se reiecit. Nõ potuit ferre talem Abrahamũ qui esset maritus Saræ, & coniugium cœptum iure suo impediret: Saram Saræ ferre, & amanter quoq; complecti potuit, à quo nihil nouo suo cõiugio timebat. Romanus pontifex simulat se beneuelle Christo propter Ecclesiam, quam suæ potestati subiectam tenet, potestq; æquo animo ferre, ut Christus frater prædicetur Ecclesiæ: at eam doctrinam qua prædicatur Ecclesiæ caput, Dominus ac sponsus, sic ut nemo præterea queat, nemo etiam debeat Ecclesiæ Dominus, caput ac sponsus dici, haudquaquam ferre sustinet. Etenim nec uult Ecclesiam Christo in integrum restitui: nec uult adulter & Antichristus, sed uerus Ecclesiæ Dominus ac spõsus haberi. Multo æquior erat Pharao erga Abrahamum, quàm Romanus pontifex erga Christum. Pharao non usqueadeò infamiebat, ut ubi Saram uxorem esse Abrahæ cognouit, domi suæ illam ac sub potestate sua loco cõiugis retineret. Sciebat enim fieri non posse ut mulier una duorum esset maritorum coniunx, duorumq; dominorum, capitum & maritorum potestati subiecta. Romanus uerò pontifex inaudita impudentia Ecclesiã Christi sponsam sic suæ potestati subijcit, ut nolit illam uni Christo Domino capiti ac sponso sincera fide adhærere, sed cogat eam sibi quoq; tanquam capiti, Domino ac sponso in omnibus esse subiectam: quam usqueadeò non est Christo Domino suapte sponte restituturus, ut citius doctrinam hanc, qua Christus unicus Ecclesiæ Dominus, sponsus, magister & caput prædicatur, ferro, aqua, laqueo & igne sit persequuturus. Possunt Romani ferre, ut prædicemus Christum esse uerbum Dei, per quod facta sunt omnia, esse uerum & unigenitum Dei filium, uerum Deum et uerum hominem, mortuum esse pro redemptione mundi, resurrexisse à mortuis, ascendisse in cœlos, sedere à dextris Dei, & uenturum ad iudicandum uiuos ac mortuos. Verùm si doceas, esse eum unicum Ecclesiæ suæ caput, Dominum, sponsum, mediatorem ac pontificem, ideoq; non esse alium quempiam pro capite, Domino, sponso, mediatore, ac pontifice Ecclesiæ recipiendum, mox audies, hæreticus, & schismaticus. Hæc est sors Ecclesiæ in ista Aegypto Pharaonica. Si nihil haberet terreni splendoris, nunquam fuisset in domum pontificis sublata. Pulchritudinem spiritus nec in Sara Pharao, nec Romanus pontifex in Ecclesia moratur: sed ille eam quæcunq; poris erat, isteeam sectatus est pulchritudinẽ, quæ in rebus terrenis, opibus uidelicet & honoribus mundi huius est sita. Saram infirmam, ac minus elegantem nunquam experiuisset Pharao. Ecclesiã pauperẽ, humilem,

humilem obscuram, contemptam, ac sordidatam nemo unquam Romanorum pontificum suæ potestati loco sponsæ subijcere cupiuisset. Vbi creuerunt opes ac splendor Ecclesiæ, & accessit honoris prærogatiua, tum primùm Sara nostra Christo est adempta, & in domum Romani pontificis sublata. Idem facinus tentarunt etiam alij pontifices, Constantinopolitanus, Antiochenus, & Alexandrinus: uerùm plagis Dei percussi, coacti fuere desistere cœpto, quemadmodum & Saram non solum Aegyptius Pharao, sed & Abimelech rex Geraræ ad se raptã restituere coactus fuit, id quod breui Romano quoq; Pharaoni usuenier. Cœpta est nanq; Sara nostra cognosci, quòd sit uxor non Romani pontificis, sed Christi: & euocatur quotidie ut egrediatur domum adulteri & Antichristi, nisi uelit cum illo plagis horrendis corripi ac perdi. Exite de medio eius, inquit, spiritussanctus, & ne participes sitis delictorum eius, et de plagis eius ne accipiatis, &c. In uno die uenient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne combu retur, quia fortis est Deus, qui iudicabit illam. Apoc. 18. quem locũ Hieronymus disertis uerbis refert ad sedem Romanam, ubi ad Marcellam de laudibus Bethlehem scribit: Non placebunt ista Romanis, scio, uerum optarim hoc Ecclesiæ Dei, ut quæ hoc loco uelut in imagine quadam depicta uidemus, nihil haberent in se, nisi inanes quasdam cogitationes. Iam cum sunt omnium uerissima, displiceantq; bonis omnibus nimis pertinenter obseruantur & memorantur.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Redeunt ex Aegypto in terram Canaan Abram et Loth uterq; diues. Deinde separantur à se inuicem. Dominus uerò rursus pollicetur Abrahæ ac semini eius possessionem terræ Canaan. Quo facto instituit Abram habitationem in Hebron ad conuallem Mamre.

ASCendit ergo Abram ex Ægypto ipse & uxor eius, & omnia quę habebat, et Lot cum eo, ad Australem plagam. Erat autem diues ualde in possessione auri & argenti. Reuersusq; est per iter quo uenerat à meridie in Bethel usq; ad locum ubi prius fixerat tabernaculũ inter Bethel & Hai in loco altaris quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini. Sed & Lot qui erat cum Abram fuerunt greges ouium & armenta & tabernacula, nec poterat eos capere terra, ut habitarẽt simul. Erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare cõmuniter.

LECTIO.

Ad australem plagam.] Græcus uertit, Ad solitudinem. Et illud, Et Lot cum eo, omisit.

Reuersusq; est per iter quo uenerat.] In Hebræo sic legitur. וילך למסעיו, id est, Et iuit per profectiones suas. Tigurina uertit: Et iuit ad profectiones suas. Græc. legit, Et iuit unde uenerat.

A meridie in Bethel.] Græcus habet ἐς τὴν ἔρημον, id est ad solitudinem usq; ad Bethel.

Et inuocauit ibi Abram nomen Domini.] Potest legi, Et inuocauerat ibi Abram nomen Domini, ut respiciatur ad historiam cuius suprà cap. præcedenti facta est mentio.

Et tabernacula.] Græcus legit loco τῶν σκηνῶν τὰ ὑποζύγια, id est, iumenta, pecora.

EXPLANATIO.

Summa præsentis contextus.

Ascendit Abram ex Aegypto.] Abram itaq; recepta uxore, & à Pharaone cum pace dimissus, unà cum suis ex Aegypto in terram Canaan reuertitur. Hæc est summa præsentis contextus. Quamuis autem nõ dicat expresse Moses, quòd in terram Canaan reuersus sit, ex eo tamen id satis manifestum est, quòd dicit eum ex Aegypto ascendisse. Situs enim terræ Canaan sic est comparatus, ut qui ex ea proficiscuntur in Aegyptum, descendere: & qui ex Aegypto in illam commigrant, ascendere dicantur. Deinde & loca ad quæ rediit Abram, nẽpe Bethel & Hai abundè confirmant, quòd in terrã Canaan ascenderit Abram. Hanc summæ sunt annexa quædam.

Primùm, quòd & Lot ascenderit cum Abrahamo, tanquam indiuiduus peregrinationis socius.

Deinde, quòd ascenderunt utriq; Abram & Lot, admodum diuites. Erat, inquit, Abram diues ualde. In Hebræo est, כבד מאד, id est grauis & onustus ualde: & addit, argento & auro. Nihil est autem aliud esse onustum ac grauem auro & argento, quàm esse diuitem. Innuit autem sic esse eum cumulatum muneribus Pharaonis ac principum Aegyptiorum. Est enim haud uerosimile, quòd tantis opibus onustus descenderit in Aegyptum, quantis cumulatus ascendisse ex Aegypto scribitur, præsertim cum suprà dixerit Moses, quòd benefecerit illi Pharao propter Saram. De Lot memoratur, quòd & ille ascenderit diues, cum greges ouium, & armenta & tabernacula habuisse scribitur. Facit huius mentionem propter sequentem historiam diuisionis, qua à se inuicem sunt separati Abram & Lot.

Tertiò, additur quo nam reditus sui iter direxerit Abram, hoc est, ad quæ loca diuerterit. Primùm fit mentio plagæ Australis, id est, meridiei. Intelligendũ est aũt loqui Mosen nõ respectu Aegypti (Nã terra

Canaan Aegypto sita est ad septentrionalem plagam) sed respectu terminorum terræ Canaan secundum consuetam dimensionem, qua ab incolis illius diuiditur. Deinde à Meridie relegit iter unde uenerat, usq; ad locum, quo primùm cum in terram Canaan uenisset, inter Bethel & Hai fuerat commoratus. Additur expresioris specificationis gratia, mentio altaris, quòd initio eo loci ædificauerat, ubi etiam nomen Domini inuocauerat. Arbitror enim hanc particulam sic esse legendam. Quanquã negandum non est, inuocasse eum ibi post reditum quoq; nomen Domini, non minus sedulò q̃ antea.

Quartò, annectitur et illud, quòd tanta fuerit Abrahæ & Lot gregum & armentorũ copia, ut simul amplius habitare nequiuerint: propterea quòd terra illa, ubi agebant, ambos capere non posset. Memoratur hoc quoq; propter sequentia. Cauet enim Moses, ne duo isti patriarchæ ob alias quasdam causas à se inuicem diuulsi esse iudicentur, de quorum est diuisione in sequentibus narraturus.

QVAESTIO.

Quare Abram munera acceperit à Pharaone rege Aegyptiorum, & ab Abimelech rege Gerare accipere noluerit.

Erat autem dives ualde in possessione auri & argenti.] Quoniam manifestum est, diuitias istas contigisse Abrahæ ex munificentia regis Aegypti, sicuti in Explanatione diximus, poterit hic quæri, quare Abrã munera à Pharaone data acceperit, passusq; sit se reddi diuitẽ opibus Aegyptiorũ, cũ infrà cap. sequenti noluerit quicquam à rege Sodomorum accipere. Cum enim ille dixisset, Da mihi animas, cætera tolle tibi, respondit ei dicens, Leuo manus meas ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ, quòd à filo subtegminis usq; ad corrigiam caligæ, nõ accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas, Ego ditaui Abram. Si nolebat ferre, ut diceretur à rege Sodomorum ditatus: quare non eadem ratione regis Aegyptiorum munera respuit, ne ab illo ditatus diceretur?

Singularis dispositio Dei.

Dicam quæ mihi uidentur. Arbitror genuinã hac in re causam posse cõsiderari. Prima est in singulari dispositione Dei, qui sic occulta sua moderatione utriusque & Pharaonis & Abrahæ mentes ad hoc impulit, ut ille regaliter daret, iste sine contradictione acciperet, ut postea locuples factus Abram ex Aegypto in terram Canaan ascenderet, præmitteretur q; figura earum rerum quæ aliquando Israeli erant euenturæ, sicuti suprà paucis attigimus. In spolijs uerò Sodomorum nihil tale considerari potest. Imò

Differentia & circumstãtiæ munerum.

erant illa incendio cœlesti paulo pòst destinata. Altera causa in circumstantijs est ac differentia munerum Aegyptiorum, ac spoliorum Sedomiticorum. Quæ Pharao dedit, potuerunt accipi sine dispendio Aegyptiorum. Alia uerò erat conditio in spolijs Sedomiticis. Non potuit illa Abram accipere sine dispendio populi. Erant enim non hostium spolia, sed populi Sodomorum, qui fuerat captiuus abductus & ab hostibus spoliatus, quem Abram percussis hostibus liberauerat, & unà cum spolijs reduxerat. Primùm incõmodasset & gloriæ suæ, & lætitiæ liberati populi, si spolia illa à rege oblata sibi retinuisset. Deinde cum in Aegypto esset, quæ dabantur non præsenti tantum, sed & futuræ erant necessitati seruituræ: ea uerò ratio non erat in istis spolijs Sodomorum. Tum enim abundè dives erat. Horum consideratione facilè apparent causæ, quare acceperit Abram munera regis Aegyptiorum, spolia uerò Sodomorum à rege oblata accipere noluerit.

OBSERVATIO I.

Quòd nõ est ex Aegypto in aliã regionem, sed in terram Canaan reuersus.

Ascendit ergo Abram ex Aegypto, ipse & uxor eius, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo ad Austrum. plagam.] Primùm consideremus, quòd cum à rege Aegypti dimissus esset, non est in aliam quampiam regionem profectus, sed in terram Canaan unde exierat reuersus. Declarauit hoc facto, se non contemnere terram à Deo promissam, quamuis uideretur esse famelica, neq; dubitare etiam de promissione diuinitus accepta, & quòd ex illa descenderet in Aegyptum, factum esse neq; fastidio terræ illius, neq; securiositate uisendi Aegyptũ, sed necessitate famis quæ tũ in illa inualuerat. Multa fiunt à sanctis, quæ nisi necessitate aliqua impellerentur, haudquaquam facerent. Id declarant postquam cessauit necessitas, & copia est pro uoto uiuẽdi & agendi data. Quare nõ debemus temerè de factis bonorũ uirorũ iudicare. Deinde si & nobis usuenerit, ut necessitate cogamur facere, quod aliàs facturi non eramus, reditu ad pristinam uitæ stationem declaremus, non fuisse quod factum est uoluntatis, sed necessitatis.

Ascẽsus Abrahæ ex Aegypte.

Deinde obserua, quòd ascendisse scribitur. Descenderat è terra Canaan in Aegyptum, rursus de Aegypto ascendit in terram Canaan. Figurã habes spiritualis ascensus, quo mundana uita in humili mundi fundo relicta ad eam ascendimus, quæ est ueræ fidei, & ad uoluntatem Dei conformata. Habet enim Aegyptus figuram regni mundi, promissionis uerò terra in edito sita imaginem gerit regni Dei. Qui de regno Dei transit ad regnum mundi, descendit: rursus qui de regno mundi ad regnum Dei commigrat, ascendit. Et reuera facili motu descenditur in Aegyptum: uerùm non ita facilis est ascensus ex Aegypto, nisi diuina gratia adiutus, uires ad ascendendum de fide in fidem acceperis.

OBSERVATIO II.

Gratia diuinæ prouidentiæ.

Erat autem dives ualde in possessione auri & argenti.] Consideranda est hic gratia diuinæ prouidentiæ. Fame adactus descenderat in Aegyptum, nihil quærens aliud, quàm ut necessariam consequutus alimoniam, sèq; suosq; aduersus uim famis aliquandiu sustentaret, & ecce, egreditur ex Aegypto non solum bene pastus, sed & uehementer dives auro & argento cumulatus. Non habuerat hasce opes in uotis, cum descenderet in Aegyptum: habuerat autem eas Dominus in prouidentia sua, qua suis etiam de bonis impiorum, & ultrà quoque quàm ipsi sperare possunt, prouidere nouit, modò à fide prouidentiæ suæ pendeant. Admonemur hac consideratione, quàm placeant Deo humilia sanctorum uota, quibus nihil appetunt ultra necessitatem. Non solum illis satisfacit, sed & ea largitur, quæ ipsi non

non expetiuerunt. Sic accidit & Salomoni, de quo uide 1. Regum 3. Vbi uerò Israel aduersus ipsum peccauit, aurum & argentum illius dedit primùm in manus Assyriorum, deinde Aegyptiorum, tertiò & Babyloniorum.

Deinde obseruemus & illud, quòd aurum & argentum Aegyptiorum non abiecit Abram, in terrã promissionis reuersurus, sed grato animo retinuit. Haud impediebatur opibus istis, quo minus in fide diuinæ prouidentiæ uiueret, ac ueræ pietatis studium retineret, longè diuersus à Crate philosopho Thebano, qui ne à studio philosophandi impediretur, grande pondus auri proiecit in mare, dicens: Abite pessum malæ cupiditates. Ego uos mergam, ne mergar à uobis. Haud enim putauit fieri posse, ut uirtutes simul & diuitias possideret. Potuit hoc Abram, sed Dei gratia, non suis uiribus suffultus. Nostro uitio fit, quando diuitijs impedimur à studio pietatis. Et accidit hoc sanè multis. Vnde & Christus dixit, difficile esse, ut diuites intrent in regnũ cœlorum. Non debemus culpare creaturas Dei, sed animi nostri corruptionem. Deinde non sunt damnandi omnes diuites, nisi uelimus & Abrahamum damnare, & Dauidem, & Salomonem, cum multis alijs pijs, qui & ipsi diuites extiterunt in hoc seculo. Et philosophus ille non damnabat aurum, sed cupiditatem, studio uirtutis insidiosum ac rebellantem. Non erat in auro cupiditas, sed in corde: uerùm ut hanc in corde extingueret, materiam concupiscibilem abiecit. Videretur monachi illi aliquid facere, qui à contactu & possessione auri & argenti abstinent, si id animo non superstitioso, neq; ex præscripto regulæ, sed libero studio hactenus facerent, quatenus propositò refrenandæ cupiditatis conduceret. Verùm q̃ non abstinuerint à cupiditate auri & argenti, res ipsa declarat.

Non abiecit Abram aurũ Aegyptiorum.

Tertiò obiter & illud intuendum est, quod in Hebræo legitur, Et Abram erat grauis & onustus ualde: pro, Erat diues ualde, auro & argento. Hieronymus annotauit ex eo, diuitias terrenas esse graues et onerosas sanctis. Verum est hoc, si incidant in animũ fide infirmum. Alioqui qui fide firmus est, quemadmodum rerum penuria non deijcitur animo, ita nec abundantia illarum deprimitur, sed cum Apostolo dicit, Scio abundare, & scio penuriam pati.

Quòd Abrã dicitur fuisse grauis & onustus auro, &c.

OBSERVATIO III.

Reuersus q; est per iter quo uenerat, à Meridie in Bethel usq; ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai, in loco altaris quod fecerat prius, & inuocauerat ibi nomen Domini.] Obseruandum est hic, quòd priusquam diues esset, primam tamen mansionem, ubi initio cum in terram promissam uenisset, tabernaculum fixerat, non contempsit, sed rectà est ad illam reuersus, licet alibi sedem suam figere posset. Ad monemur hoc exemplo, ne ubi rebus felicioribus uti cœperimus, humilitatem ac frugalitatẽ pristinæ nostræ fortunæ fastidiamus, sed ad illam regrediamur. Alioqui sic comparatum est ingenium carnis, ut crescentibus opibus perpetuò ad splendidiora aspiret, & humilia rerum primordia prorsus fastidiat. Sic humiles casæ mutantur in splendida ædificia, & uictus frugalis in luxum. Quare magnæ temperantiæ exemplum hic est in Abrahamo propositum omnibus illis, qui benedictione Domini redduntur diuites. In eo quòd altaris fit mentio, quòd ab eo primùm fuerat inter Bethel & Hai constructum, ad quod etiam nomen Domini inuocauerat, documentum habetur animi in uera pietate constantis ac firmi. Poterat ubilibet erigere altare, idq; aliquanto sumptuosius, quàm erat illud primum: uerùm uolebat redire ad locum principio cultui Dei destinatum, ibiq; gratias agere Deo, ac sacrificia laudis offerre pro tam insignibus illius beneficijs, ubi olim nomen ipsius inuocauerat. Est hoc factũ Abrahæ haudquaquam ociosum, sed singulari consilio institutum. Nolebat facile negligere locum initio cultui Dei consecratum. Nolebat ubilibet erigere altaria, quæ res leuis & inconstantis animi notam habere uidetur. Volebat eo loco sacrificia laudis offerre Deo, ubi initio cum in terram Canaan uenisset, nomen illius auxilij gratia inuocauerat, quo simul & gratias ageret de tam luculentis illius beneficijs, & pristina uota in animum reuocaret. Dici non potest, quantum intendatur animi gratitudo, si priora uota quibus opem Domini in afflictione constituti implorauimus, in animum reuocauerimus. Quare cum mi, afflicti & tribulati, sed & gratias agamus de periculis liberati, & interea dum gratias agimus, inuocationis pristinæ recordemur.

Nõ esse pristinæ fortunæ nostræ humilitatem fastidiendam.

Documentũ animi in religione Dei constantis.

OBSERVATIO IIII.

Sed & Lot qui erat cum Abram fuerunt greges ouium, & armenta & tabernacula, nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul. Erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.] Facilè apparet Lot fuisse diuitem factum ex eo quòd coniunctus esset Abrahæ. Abundantia diuinæ benedictionis, qua dives factus est Abram, exundauit propter illum etiam in Loth, peregrinationis socium. Admonemur hac consideratione, quantum emolumenti sit ex coniunctione piorum, si contingat illa uiris non impijs. Quod enim hic accidit Lot in opibus terrenis, id poterit usuuenire in rebus spiritualibus, si quisquam, qui non sit atheos, commercium habeat cum pijs. Perinde enim atq; ex conuictu malorum multum infectionis affricatur incautis, ita ex coniunctione bonorum multum occasionis ad ueræ pietatis cumulum colligendum offertur, si quis illa rectè utatur. Alioqui si homo impius etiam cum Christo ipso uiuat, & in mẽsa illius comedat ac bibat, tam abest, ut inde spiritualiter ditetur, ut magis etiam perdatur: cuius rei exemplum monstratum est in pseudapostolo Iuda.

Quantũ emolumenti sit ex coniunctione piorum.

Deinde, in eo quod dicit, Nec poterat eos capere terra, ut habitarẽt simul: erat quippe substantia eorum

Difficilè est ut pacificè cohabitent diuites.

rum multa, documento nobis sit, q̃ sit difficile, ut cohabitent cõmodè, quibus multa est huius mũdi substantia. Boni ac pij uiri erant Abram & Lot, deindè cognati erant inuicem, præterea cohæserant omni peregrinationis tempore familiariter coniuncti. Verùm ubi facti sunt diuites, & opibus Aegypti cumulati, nequeunt amplius coniunctim cohabitare, licet animis essent adhuc coniuncti. Itaq; quos nec paupertas, nec peregrinatio, nec fames separare poterant, diuitiæ separarunt. Si hoc accidit sanctis istis uiris, quomodo sperare poterit, fieri posse, ut homines seculi, si sint opulenti, ac mũdi huius substantia turgidi, bona cum pace coniuncti uiuant? Idem usuenit etiam doctis, honoratis, & potentibus. Vbi multa est ueluti substantia quædam eruditionis, existimationis & potentiæ, ibi difficilimũ est, stabilem retinere cohabitationem. Romanum imperium quantumuis amplum, non poterat duorum hominum, soceri ac generi ferre coniunctionem, propter nimiam potentiæ dilatationem.

Vnde facta est rixa inter pastores gregis Abram & Lot. Eo autẽ tempore Chananæus & Pherezæus habitabãt in terra illa. Dixit ergo Abrã ad Lot, Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce uniuersa terra coram te est. Recede à me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam. Eleuatis itaq; Lot oculis, uidit omnẽ circa regionem Iordanis: quæ uniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomã & Gomorrhã, sicut paradisus Domini, & sicut Aegyptus, uenientibus in Segor. Elegitq; sibi Lot regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente. Diuisiq; sunt alterutrum à fratre suo. Abram habitauit in terra Canaan. Lot uerò moratus est in oppidis quæ erãt circa Iordanem, & habitauit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.

LECTIO.

Vnde facta est rixa.] In Hebræo non legitur, Vnde facta est rixa: sed simpliciter, ריתי ריב: id est, Et facta est rixa. Sic reddidit & Græcus.

Inter pastores gregis Abram & Lot.] Interpres latinus usus est intempestiuo breuitatis studio. In Heb. habetur, בין רועי מקנה אברם ובין רועי מקנה לוט. Id est, inter pastores gregis Abrahæ, & inter pastores gregis Lot. At latina uersio sic est comparata, ut uideat innuere fuisse Abrahæ & Lot, unum & eundem gregem, & eosdem illius ad utrumq; pertinentes pastores, id quod alienum est à uero.

Fratres enim sumus.] In Heb. est, Homines enim fratres nos sumus. Sic & Græcus reddidit.

Ecce uniuersa terra coram te est.] In Hebræo est, הלא כל הארץ לפניך: id est, An non uniuersa terra coram te est? Sic legit & Græcus.

Moratus est in oppidis.] Græcus legit in singulari, κατώκησεν ἐν πόλει: id est, Habitauit in ciuitate.

Et habitauit in Sodomis.] In Hebræo est ויאהל עד סדם: id est, Et tabernacula tetendit usque ad Sedom. Græcus habet, Et tabernacula fixit in Sodomis.

Et peccatores coram Domino nimis.] In Hebræo est, Et peccatores Domino ualde. Hieronymus annotat superfluè esse à Sept. positum, In conspectu Dei, eo q; Sodomorũ coloni apud homines fuerint mali & peccatores. Et addit, Ille aũt dicitur in cõspectu Dei peccator, qui potest apud homines iustus uideri: quomodo de Zacharia & Elizabeth in præconio ponitur, quòd fuerint iusti ambo in conspectu Dei. Et in psalmo dicitur, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

EXPLANATIO.

Summa est huius contextus, separatos esse à se inuicẽ Abram & Lot. Est aũt hæc summa trimembris. Nam primùm memorantur causæ separationis. Deinde exponitur quomodo acciderit ista separatio. Tertiò exprimitur etiam, quò secesserit Lot, & ubi manserit Abram.

Et facta est rixa inter pastores gregis Abram, & pastores gregis Lot. Eo autem tempore Chananæus & Pherezæus habitauit in terra illa.] Pertinent ista ad causas, propter quas diuisi sunt à se inuicem Abram & Lot. Prima causa memorata est in præcedentibus, ubi dixit Moses, tantam fuisse substantiam utriusq;, ut terra nequiuerit ambos capere, ut simul habitarent. Secunda causa orta est ex impatientia & contentionibus pastorum utriusq;. Illa exprimitur hic ad uerbum. Tertia ex eo erat, quòd regio illa in qua morabantur cum gregibus suis Abram & Lot, in potestate erat ac possessione duorum populorum, Chananæorum uidelicet, & Pherezæorum: quorum permissu, dubio procul, aliquam partem terræ illius ad incolendum acceperant, quam ad ulteriora dilatare & extendere non licebat. Hanc causam Moses attingere uidetur, cum dicit: Eo autem tempore Chananæus & Pherezæus habitauerunt in terra illa. Lyranus arbitratur esse hanc particulam ob id insertam, quòd Abraham metuerit, ne si inualescerent rixæ pastorum, contendendum sibi cum Lot esset coram iudicibus infidelibus, Chananæis uidelicet, & Pherezæis: ideoq; de diuisione cogitarit. Burgensis aliud cogitat. Putat timuisse Abrahamum, ne propter multitudinem opum, & gregum, quæ magis erat perspicua ex coniunctione, expellerentur de terra

de terra illa à Cananæis & Pherezeis, quòd potentiam ipsorum ferre non possent, ideoq; cœpisse cogitare de instituēda diuisione. Verū simplicior ac uerosimilior esse uidet sententia quā duab. istis præmissa. Dixit ergo Abram ad Lot, *Ne quæso sit iurgiū inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos. fratres enim sumus. An non uniuersa terra coram te est? Recede à me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo. Si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam.*] Referenda sunt ista ad secundum membrū, quo exponitur quomodo separatio Abrahæ & Lot acciderit. Post obiectas causas, coniunctionem ulteriorem impedientes, & separationem suadentes, inducitur Abraham, Lot nepotem suum propter faciendam separationem alloquens. Erat is & maior natu, & usu rerum prudentior. Quare conuenientissimum erat, ut quæ necessaria ad uitandas diuisiones, & uitæ cōmoditatem retinendam essent ipse cogitaret, deq; iliis nepotem suum admoneret. Habent autem uerba Abrahæ deprecationem, consilium, & optionis oblationem. Deprecatio est quod dicit, Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos. Deprecatur enim dissidia & contentiones. Et ut admoneat, quàm dedeceant ipsos mutua & intestina iurgia, addit causam, Fratres enim sumus. Q.d. Quoniam fratres sumus, decet nos seruare concordiam, & uitare contentiones & rixas. Consilium est, quid sit faciendum, quod dicit, An non uniuersa terra coram te est? Recede à me obsecro. Non præcipit ut à se discedat, sed suadet ac consulit. Et ut admoneat, nihil ipsi detrimenti ex eo esse discessu expectandū, dicit: An non uniuersa terra coram te est? q.d. Quoniam artantur greges nostri angustia loci, quo cōmoramur, quid impedit, quo minus diuidamur, discedasq; à me, cum pateat terra, possisq; cōmigrare quò libet? Apparet autem, pastores Lot conquestos fuisse de multitudine pecudum Abrahæ, propter quam ipsis minus esset cōmoditatis ac loci ad pascendum suos greges: ideoq; Abram ad hunc esse modum loquutum Lotho: An non uniuersa terra coram te est? q.d. Quid opus est querimonijs, cum diuisione incōmoditati huic mederi liceat, & terra aliàs abundè pateat, ut alibi cōmodius quicquid pecudum habes, pascere possis?

Optionem habet quod subijcit, dicens: *Si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Quoniam separationem suadebat, ne uideretur id proprij cōmodi studio facere, dedit nepoti optionem eligendi talem, qua pro sua cōmoditate regionē ad habitandā quam uellet, siue ad dextram, siue ad sinistram liberè eligeret, paratus retinere locum secundarium, & qui minus haberet cōmoditatis, modò omnis dissensionis occasio amputaretur. Ad hunc modum, & hisce medijs

B institutura fuit ista separatio.

Eleuatis itaq; Lot oculis, uidit omnem planiciem circa Iordanem, quæ uniuersa irrigabatur antequā subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut paradisus Domini, & sicut Aegyptus, uenientibus in Segor. Elegitq; sibi Lot omnem planiciem circa Iordanem] Seruiunt ista tertio membro, quo exponitur, ad quem locum sedem, habitaueritq; in Sodomis. Intelligendum est, factum esse hoc ex permissu incolarū. Alioqui homini peregrino & aduenæ non erat liberum, quo uellet habitare loco. Describit autem simul loci commoditatem, ac singularem amœnitatem, cuius conspectu motus sit Lot, ut in eam regionis illius partē tabernacula sua transferret. Locus ubi tum manebant, inter Bethel & Hai, montanus erat: regio uerò quam elegit Lot, planiciem habebat inundatiõe Iordanis irriguam. Eam sic extollit, ut dicat eam fuisse instar paradisi Domini, & haud dissimilem Aegypto, quæ Nili exundatione irrigatur & fœcundatur. Exponitur autem illud, Sicut paradisus Domini, bifariam. Primùm, ut referendum sit ad hortum uoluptatis, in quem fuerat Adam collocatus, quasi Moses regionem hanc illi consimilem fuisse dicat. Deinde, ut intelligamus non ad hortum illum respici, sed prædicari tantam planiciei huius amœnitatem, ut meritò hortus Domini dici potuerit, in quo uidelicet Dominus ipse, si hortulana iucunditate delectaretur, habitare, deliciarisq; posset. Vtrolibet sensu accipias, nihil est periculi.

Illud, Antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, ad hoc immiscuit, ut admoneret loqui se non de præsenti qualitate loci illius, sed de ea qua tum temporis erat, cum in illū migraret Lot, priusquam ciuitates illæ cœlesti incendio subuerterentur.

Quod dicit, Venientibus in Segor, non est referendum ad Aegyptum, sed ad regionem illam Iordanis, cuius hic amœnitas paradiso Domini & Aegypto comparatur. Habet autem hæc particula determinationē eius loci, qui singulari amœnitate cum paradiso Domini certare uidebatur. Contextum sic ordina: Eleuatis Lot oculis, uidit omnem planiciem circa Iordanem, quæ priusquam subuerteret Dñs Sodomam & Gomorrham, uniuersa donec uenias Segoram, perinde atq; paradisus Domini, & sicut Aegyptus irrigabat. Lyranus sic exponit: Terra Aegypti in illa parte qua de Aegypto ueniunt hominum in Segor est pulcherrima. Verùm nō determinat Moses, quo loco irrigua sit Aegyptus, sed quousq; extendatur irrigua illa & amœna planicies regionis quæ circa Iordanem est: Eousq;, inquit, donec perueniatur ad ciuitatem Segor, aliàs Zoar, quæ una est ex quinq;, quas Pentapolim uocant, & hic per anticipationem Zoar, id est exigua, uocatur, aliàs dicta Bela.

Illud, Et recessit ab Oriēte, habet aliqd difficultatis. Si regionē cōsideres Sodomiticæ planiciei, deprehēdes eam esse Cananæis ad Orientē. Iam cū Lot ab Abrahamo separatus in illā migrasse scribit, mirū uidē, quomodo ab Oriente profectus dicatur, cum potius ad Orientem profectus fuisse uideatur. Et hinc est quod nonnulli, ut isti incōmodo mederētur, quod in Heb. est מיסע לוט מקדם, id est, Et profectus est Lot ab Oriente, legendum esse iudicarunt, Et profectus est Lot ad Orientem, eo quòd litera ב non semper sit Hebræis idē quod Ab, de: sed aliquando sumaī pro אל, id est ad. Verùm assignandi erant aliquot

aliquot scripturæ loci, unde sententia ista probetur. Ferè omnes hanc difficultatem transeunt. R. Salomon dicit: Quoniam profectus ab Abrahamo migrauit ad Occidentem respectu Abrahæ, deprehenditur ab Oriente ad Occidentẽ profectus. At scriptura non dicit quòd ad Occidentem sit profectus Lot, cum ab Abrahamo discederet, sed ad planiciem Sodomorum. Suspicor tamen dici hoc à Salomone secundum sensum allegoricum, quemadmodum & glossa interlinearis intelligit, cum dicit, Ab Oriente, id est, ad Occasum ruiturus, quasi hoc ipso ad Occasum, id est, ruinam & lapsum ab Oriente defecerit, quòd ab Abrahamo secesserit.

In hac difficultate intelligendi historiam, hæreo quidem quidnam certi dici possit. Non licet inculare literam, ac dicere, quòd pro lamed substituta sit litera mem. Quid si dicamus ea quæ de diuisione Abræ ac Loth scribuntur, posita esse per recapitulationem, tanquam nõ tum demum facta, postquam Abram ex Aegypto regressus ad pristinam mansionem quæ erat inter Bethel & Hai uenisset, sed antequam ad id loci pertigisset, accidisse hanc separationem in aliquo itineris loco, qui fuerit uersus Orientem, unde Lot separatus ab Abrahamo Sodomam uersus ab Oriente, Abram uerò ad aram quæ erat inter Bethel & Hai migrauerit, ibiq; rursus oraculum Dei acceperit?

Quòd si hæc sententia non satis uidetur esse firma, non uideo quid præterea dici possit aliud, quàm Lot cum gregib. suis eam regionis partem tenuisse, quæ Abrahæ fuerit ab Oriente, prope Hai: & quoniam inde Sodomam profectus est, ab Oriente profectum dici. Nihil affirmo in re obscura, sed quid mihi probabiliter dici posse uidetur, simpliciter in medium adfero. Chaldæus uidetur alium sensum sequutus. Sic enim legit, ויגטל לוט בקדמיתא, id est, Et profectus est Lot in principio: primus uidelicet, uel mane. Si sensus iste ferri posset ab Hebraica ueritate, ut מקדם idem esset atq; à mane, uel principio, sublata esset huius loci obscuritas.

Diuisiq; sunt quisq; à fratre suo. Abram habitauit in terra Canaan, Lot uerò moratus est in oppidis planiciei, & tabernaculum fixit usq; ad Sedom.] Summatim diuisionẽ Abrahæ & Lot perstringit, & mansiones utriusque determinat. Diuisi sunt, inquit, quisq; à fratre suo. Et ut de Abrahamo se & Lot loqui moneat, quòd fraterna erant cognatione coniuncti, ac simul ubi quisq; post diuisionem manserit exprimat, subiungit: Abram habitauit in terra Canaan. Poterat dicere quo certo eius terræ loco manserit: uerùm uoluit non solum tempus illud diuisionis complecti, & ubi tum manserit Abram specificare, sed admonere quoq; manssisse eum postq; esset ab ipso diuisus Lot, intra limites terræ Canaan, licet sedes aliquoties mutarit.

Lot moratus est mõtib. planiciei.

Lot uerò moratus est in oppidis planiciei.] Non potuit eodem temporis articulo in multis habitare oppidis. Apparet cum tam diu mutasse sedes in ea planicie, donec tandem tabernacula ad Sedom extenderet: quam etiam ciuitatem postea inhabitauit, sicuti patebit infrà cap. 19.

Homines autem Sodomitæ pessimi erant & peccatores Domino ualde.] Memorat hoc Moses per occasionem, propter sequentem historiam, quam infrà est cap. 18. & 19. expositurus: ubi de malitia & peccatis illorum uidebimus. In Hebræo autem non est, Pessimi erant: sed, Mali erant. Rectè autem uertimus, Pessimi erant, propter uoculam מאד, id est ualde, quæ sic est posita, ut non solum ad uocem רעים, id est peccatores, sed & ad רעים, id est mali, sit referenda: legendumq; Mali ualde, & ualde peccatores erãt. Quod autem dicit, Et peccatores Domino, non ad hoc tantum est dictum, quòd in Dominum peccarunt Sedomitæ, sed ut admoneretur peccata illorum inualuisse ac maturuisse coram Domino, quemadmodum & angelus infrà cap. 19. ad Lot dixisse legitur, Clamor eorum increuit coram Domino. Et capite 18. ad Abrahamum, Clamor Sodomorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est ualde. Descendam & uidebo, utrum clamorem qui uenit ad me, opere compleuerint. Et Ezech. 16. Et fecerunt abominationes coram me: ubi de Sedomitis loquitur propheta. Quare quæ Hieronymus de hac particula annotauit, impertinenter sunt adducta. Neq; enim ob id non debent Sedomitæ corã Domino peccatores, & ualde mali dici, & etiam coram hominibus tales fuerunt. Alioqui neq; de Nimrod rectè dictum esset, quòd fuerit robustus uenator coram Domino: cuius sanè tyrannis non occulta, & soli Deo cognita, sed hominibus quoq; manifesta erat.

QVAESTIO I.

An non inter fratres quoq; locũ habeant iurgia.

Ne quæso sit iurgium inter me & te, & c. fratres enim sumus.] Quæsierit hic quisquam, quomodo petitioni, uel, si mauis, adhortationi suæ Abram, qua dixit, Ne sit quæso iurgium inter me & te, rationis uice subiecerit, dicens, Fratres enim sumus, cum in omni uita mortalium reipsa compertum sit, ibi multũ esse iurgiorum, ubi multũ est amoris. Qui possunt dari coniuges, quantumuis amanter sese mutuò complectentes, quorum conuictus nihil habeat iurgiorum? Magnus est amor parentum erga liberos, & hic tamen plenus est iurgiorum. Charitas ipsa sic uidetur esse comparata, ut quo maiore cura salutem proximi quærit, hoc magis cum delinquente iurget ac rixetur. Quid igitur est, quod Abraham dicit, Ne quæso sit iurgium inter me & te, fratres enim sumus? Si charitas regnare debet inter fratres, fieri nõ potest, ut nulla sint inter fratres turgia. Respondeo: Duplex genus est inrgiorum. Alia sunt quæ proueniunt ex animo proprij uel incommodi uel honoris studioso, uel querulo male affecti cordis rancore, coniunctam habentia opprobrandi libidinem, ac murmurandi impatientiam. Talia erant iurgia, quibus cum Mose rixabantur Israelitæ in deserto, Exodi 17. & infrà cap. 37. filij Iacob cum fratre ipsorum Iosepho. Huiusmodi iurgia ex malo corde nascentia perstringit Sapiens Prouerb. 13. dicẽs, Inter superbos crebra sunt iurgia. Et cap. 17. Malus semper quærit iurgia. De hoc genere iurgiorum loquitur Abrã. Nequit enim cum charitate fraterna consistere: quemadmodum etiam non ex illa, sed odio & rancore nascitur.

Lieb můß zancket haben.

Duplex est iurgiorum genus.

nascitur. Alia rursus sunt iurgia, quæ nascuntur ex amore & affectu beneuolentiæ, & nihil quærunt aliud, quàm utilitatem ac salutem eius qui obiurgatur. De illis non loquitur Abram. Absit enim, ut charitas hac ueluti magna naturæ suæ parte inter amicos, fratres & cognatos priuetur. Accidit plerunq;, ut ubi nihil efficiunt blandiciæ, plurimum prosint amica iurgia.

QVAESTIO II.

Recede à me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo.] Nascitur hic haudquaq; negligenda quæstio. Non legitur Lot aspirasse ad separationem, sed de Abrahamo talia scribuntur hoc loco: unde manifestum est, fuisse illum autorem Loto ac suasorẽ ad istam diuisionẽ. Recede, inquit, à me obsecro, &c. Quæritur hic, recte ne fecerit Abram, q; nepoti suo separationem hanc suasit, per quam ille in maxima uitæ discrimina incidit. Quòd enim, sicuti cap. sequenti uidebimus, cum aliis Sodomitis captiuus est cũ omnibus suis abductus: deinde non solum corpore coniunctus fuit pessimis Sodomitis, qui animũ ipsius noctes ac dies affligebant, sed & maximis angustijs cũ illi cœlesti incendio perirent inuolutus, huic debetur separationi. Etenim à periculis istis omnibus remotus fuisset, si cum auunculo suo cohabitando manssisset. Neq; est ut dicat quisquam, curandum fuisse Abrahamo, ut gliscentibus dissidijs uiam præcluderet. Poterat hoc alia ratione q; consilio separationis facere. Satius multo fuisset, minuere pecudum multitudinem, unde rixarum causæ oriebantur: uel abijcere seruos rixosos, q; nepotem totius peregrinationis socium, & fratris loco habitum, ut religionis ac fidei consortia taceam, hortatu suo ad diuisionem ac separationem prouocare, & ad exteros, impios & malos homines relegare. Neq; est ut dicas: Atqui non suasit illi ut ad Sodomitas migraret, & propter loci fertilitatẽ impijs coniungeretur: sed dixit, Nunquid uniuersa terra coram te est? fecit q; illi liberum migrandi uel ad dexteram uel ad sinistram, ipse uerò sponte sua planiciem Iordanis elegit. Vera quidem sunt ista. At uidentur non sufficere ad excusandum factum Abrahæ. Debebat enim pro autoritate sua nepoti autor esse non discedendi, sed manendi. deinde si omnino discedendum fuisset, non permittere illius arbitrio potestatem migrandi quò libet, præsertim ad populum pessimũ & impijssimum. Horum cõsideratione nascitur quæstio, sit ne hoc factum Abrahæ alienum à culpa, uel secus.

An rectè fecerit Abram, quòd Loto separationem suasit.

Respondeo. Duo sunt in hac causa consideranda. Vnum est, ipsa separatio Abrahæ & Lot. Alterũ, factum Abrahæ. Quod ipsam attinet separationem, nõ est dubitandum, factam esse eam singulari consilio Dei. Primũ, ut Abraham separatus à consortio Lot, ad quem promissio terræ non pertinebat, solus in ea terra, cuius factus erat hæres, permaneret: id quod facilè ex sequẽti apparitiõe Dei, statim post hanc diuisionẽ facta, uidere licet. Deinde ut Lot ab Abrahamo separatus, et ad Sodomitas, pfectus, sedum pios è medio tribulationum declararetur.

Duo sunt considerandа in hac causa.

Quod uerò concernit ipsum Abrahæ factũ, arbitramur illud non esse superficietenus tantum inspiciendum, quatenus est obiter à Mose cõmemoratum. Ea quæ in quæstione sunt obiecta, nudam duntaxat huius facti narrationẽ respiciunt, secundũ quam, meo iudicio, ægrè posset à culpa uindicari: quemadmodum & diuisio Pauli ac Barnabæ, quæ Act. 15. legitur. Sunt & sancti homines, & nonnunquã humana patiunt, quæ nõ sint aliena à uitio. Verùm si factum hoc Abrahæ in secessu quædã habet, à Mose non expressa, non poterimus de illo certò pronunciare, culpabile ne sit uel minus. Est autem uerosimile, non esse omnia illius exposita à Mose, sed summam duntaxat cõmemoratam. Crediderim quædam à Lot dicta & facta, non ad cohæsionis firmitatem, sed ad diuisionẽ facientia. Crediderim Abrahamũ pro suo candore esse illum nõ semel tantum ea de re, sed sæpius alloquutum: ac tandem, quoniam nihil efficiebat, ad ista fuisse separationis consilia impulsum. Et ipsa illius uerba hunc uidentur habere spiritum. Ne quæso sit iurgium inter me & te, & pastores meos & pastores tuos. fratres enim sumus. An nõ uniuersa terra coram te est? Recede à me obsecro, &c. Apparet ipsum Lot aliquoties iurgasse cũ Abrahamo. Neq; enim dicit Abram simpliciter, Ne sit iurgium inter pastores nostros: sed præmittit, Ne sit, quæso, iurgium inter me & te. Et cum dicit, An non uniuersa terra coram te est? Recede à me obsecro. satis indicat querelis Lot huc se fuisse permotum, ut illi copiam discedendi faceret. Quasi diceret: Quid opus est iurgijs ac querelis? Si usqueadeò incõmodè mecum uiuis, habes potestatem discedendi, & migrandi quò libet. Elige locum, in quo uiuas. Non impediam. Hic uidetur esse spiritus uerborũ Abrahæ: unde satis apparet, non fuisse illum confestim, sed post multas querelas Lot ad hoc impulsum, ut de diuisione tractaret, priusquam ex quotidianis iurgijs grandius malum nasceretur. Quare, meo iudicio, si qua est diuisionis huius culpa, tribuenda est illa non Abrahæ, sed Loto: quemadmodum & discrimina in quæ cum Sodomitis incidit, ipsius sunt uitio, qui suapte sponte ad gentem malam diuertit, nõ Abrahæ assignanda. Quod autem obijcitur, debuisse Abrahamum pro sua autoritate prohibere, ne ad Sodomitas diuerteret, cogitandum est ea tum fuisse Lot ætate ac conditione uitæ, utpote homo uxoratus, & suarum rerum pariter & arbitrij dominus, ut haudquaq; esset amplius capax imperij Abrahæ. Quare sine ulla culpa permisit illi Abram, ut proprio uteretur consilio & arbitrio. Ad hunc modum arbitror ad præsentem esse quæstionem respondendum. Interea non impedio, quo minus, si cui certiora fuerint, in medium candidè adferat.

QVAESTIO III.

Quæ uniuersa irrigabatur, &c. & sicut Aegyptus.] Poterit hic diligens lector quærere, quid necesse fuerit Abrahamo, cum fame premeretur, relicta terra Canaan descendere in Aegyptum, cum uicina esset planicies

Quare Abrã tẽpore famis se nõ in terram Sodomorũ receperit.

planicies ista Sodomorum, tam fertilis & irrigua, q̃ est Aegyptus, in qua posset necessitati uiræ consu- A
lere. Respondeo: Huius rei uariæ possunt esse causæ. Aut planicies ista Sodomorũ perinde facta erat
famelica, atq; ipsa terra Canaan. Aut si libera fuit à famis molestia, tantam non habuit alimoniæ uber-
tatem, ut omnibus Cananæis pariter & incolis suis in ea rerum penuria satisfaceret. Erat enim modici
spacij regio Aegypto cõparata. Aut non erat sperandũ Abrahæ, ut quoniam peregrinus erat eum loci
illis inueniret, quẽ inueniebant uicini ac noti Cananæi: uel abhorrebat Abrahã ab ea regione, propter in
colarum malitiam singularem ac decantatam. Vel diuina dispositio id agebat, ut descenderet Abram in
Aegyptũ, & illic experiretur quàm esset curæ Dei sui cõmendatus. Siue aliquid horum, siue omnia si mul,
uel aliud quippiam in causa fuit, nostrum est cogitare, nihil temerè geri cum sanctis, licet ipsi quoq; non
semper rerum suarum causas intelligunt.

QVAESTIO IIII.

Abram habitauit in terra Chanaan, Lot uerò in Sodomis.] Quærunt hic, quomodo peculiariter de Abraha
mo scribat, q̃ habitauerit in terra Canaan, quasi Lot cũ habitaret in Sodomis, nõ habitarit in terra Ca-
naan, cum & planicies illa Iordanis, in qua fuit Sodoma, pertinuerit ad terram Canaan. Respondent
alij, fuisse Sodomitarũ regionẽ separatam à terra Canaan, propterea q̃ nõ esset possessioni Israelitarũ,
sed incendio cœlesti, ac perpetuæ uastitati destinata, ideo ad hunc modũ loquutũ esse Mosen. Alij, quod
mihi uidet esse probabilius, sentiunt Mosen inter habitationẽ Abrahæ & Lot sic discreuisse, ut illũ in ter
ra Canaan, hunc in Sodomis habitasse dixerit: non q̃ planicies Sodomorũ ad regionẽ Cananæorũ non
pertinuerit, sed q̃ loca, in quibus habitauit Abram, montana: Sodomæ uerò regio plana & irrigua fue
rit. Vnde & Chaldæus paraphrastes sic uertit: אברם יתיב בארעא דרמא דלוח יתיב בסיסרי מישרא
est, Abrã habitauit in terra australi uel excelsa (mẽtana) & Lot habitauit in ciuitatib. planiciei. Terra Ca
naan à Sidone usq; ad Gazam, deinde à mari mediterraneo ad Iordanem usq; terminatur. Ergo planã
cies illa quæ Cananæis est citra Iordanem ad terrã Canaan pertinet: quæ uerò ultra Iordanem est, non
ita. Si Lot ultra Iordanem habitauit, expedita est hæc quæstio: si citra, teneatur sensus iam dictus.

QVAESTIO V.

An peccauerit Lot eligendo terram Sodomorũ.

Lot habitauit in Sodomis. Homines autẽ Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino ualde.] Quæ-
runt hoc loco, peccauerit ne Lot in eo q̃ habitationẽ suam transtulit ad Sodomitas, homines pessimos
ac uehementer coram Dño peccantes. De hoc facto Lot, uaria est doctorũ sententia. Alij defendunt,
alij reprehendunt. Qui defendunt, considerant electionis libertatẽ, qua licuerit Loto sine culpa planã- B
ciem Iordanis, tanq̃ locum uberem ac fertilem, sibi ac suis ad habitandum eligere. Deinde, quod ma-
litiam Sodomorum attinet, dicunt non esse peccatũ, uiuere cum malis, modò non cõmunices cum malis
illorum operibus. Imò laudi tribuunt Loto, q̃ uiuens inter pessimos & execrandos peccatores uitæ sũ
uauit innocentiam. Sunt qui in hac causa nihil uideant in Lot, nisi meras uirtutes, & opera sancta. Qui
uerò factum hoc Lot reprehendunt, damnant in eo alij irreuerentiam erga seniorem ipsius auunculũ
Abram & priuati amoris affectum, quo impudenter potiorẽ terræ partem elegerit: id quod & Chryso
stomus in illo notat, reprehendens, quòd ad fertilitatem duntaxat terræ Sodomorũ respiciens, non cogi
tarit de illius incolis: alij temeritatem, qua impijs cohabitare uoluerit, cum sciret eos esse pessimos, &
grauissimè peccare. Quod meam attinet sententiam, quamuis nequeam factum hoc Lot prorsus ex-
cusare, arbitror tamen non esse exaggerandũ, si quid in eo delicti est. Videtur enim per imprudentiam
& incircumspectionem magis q̃ per malitiam impegisse, cùm in eo quod eligendi optionem ab auun-
culo oblatam acceperit, tum quòd ad Sodomitas propter eius terræ fertilitatem concesserit. Neq; id sa-
tis cõstat, quòd certò cognouerit antea, quanta esset Sodomitarum malitia, etiamsi id largiamur, quòd
aliquid de illa per rumorem præsciuerit.

OBSERVATIO I.

Causæ rixarũ nascuntur ex opib.

Et facta est rixa inter pastores gregis Abram, &c.] Cogitandũ hic est, quomodo ex opibus causæ nascan
tur rixarum, etiam in domibus sanctorum, à quo malo alieni sunt qui non abundant substantia huius
mundi, sed mediocri sunt necessarij uictus sufficientia contenti. Non debemus damnare opulentia sãc-
torum, uerùm iuxtà obseruare conuenit, quæ illam quoq; subinde sequatur incõmoditas. Melior est buc-
cella sicca, inquit Salomon, cũ gaudio, quàm domus plena uictimis cum iurgio. Verũ quanta sit mediо-
critatis cõmodis, & quantũ molestiarũ cumulũ adferant magnæ opes, raro cogitat à tenuioribus, qui
quosuis opulentos felices esse iudicant, ac suam ipsorũ sortem illorũ respectu miseram & infelicem pũ-
tantes deplorant. Deinde uidemus hic seruorũ iugeniũ expressum. Qualitas illius duplex est. Etenim

Ingeniũ seruorũ.

aut sunt heris suis fideles aut infideles. Qui infideles sunt, aut palàm quales sint declarant, aut malitiam
suam seruili adulatione abscondunt & palliant. Qui fideles sunt, in hoc à se inuicem differunt, quòd alij
à præscripto herorum suorũ non discedunt, alij pro suo ipsorum magis q̃ dominorũ suorũ iudicio offi
cium faciunt. Ex utroq; genere tam fidelium q̃ infideliũ seruorũ hoc mali pleruuq; nascitur: quod præ-
postera contentione etiam inter fratres & amicos contentionis materiam & iurgia seminant, illi studio
adulationis & simulatæ gratificandi, isti præpostero zelo fideliter seruiendi, & quæ utilia sint, heris suis
procurandi. Et obserua quòd hæc inter pastores accidisse scribunt, quibus pecudum erat cura concre-
dita. Quid non eiusdmodi accideret inter aulicos principũ, quibus longè sunt potiora cõmissa? Ipsa nos
hodie docet experientia, ferè uniuersam nostri seculi calamitatem curialium deberi, uel adulationi uel
præpostero bene seruiendi studio.

OBSER-

OBSERVATIO II.

Eo autem tempore Chananæus & Pherezæus habitabant in terra illa.] Obserua qualitatẽ incolarũ eius terræ quæ tum erat Abrahæ promissa. Cananæi sunt negociatores ac mercatores. Illi potissimũ habitabãt in oppidis. Pherezæi sunt uillani, ruri habitantes. Hæc est duarum istarũ uocum significatio. Pherezæi operabantur in agro, ac uitam ducebant agrestem. Chananæi opibus inhiantes negociationibus incũbebant, & ex aliorum laboribus quæstum uenabantur. Hæc duo genera hominũ etiamnum durant in mundo, nisi quòd Chananæi uehementius inualescunt.

OBSERVATIO III.

Exemplum retinendæ cõcordiæ

Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos. Fratres enim sumus. Ecce uniuersa terra coram te est. Recede à me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam.] Principiò, uidemus hoc loco propositũ exemplũ pacis & concordiæ retinendæ. Quoniã sic cõparatus est mortaliũ conuictus, ut tam perfectè ne à sanctis quidẽ uiui possit, quin subinde inter amicissimos ac cõiunctissimos quoq; lites, rixæ, & iurgia nascantur, admonemur hoc loco qua cura & diligentia causas iurgiorũ amputare: uel si oriantur iurgia, statim obora componere debeamus. Quemadmodũ enim ex parua scintilla, nisi protinus restinguatur, grãde solet incendium cõsurgere: ita solent & iurgia inter amicos oborta, nisi diligenti cura componantur, abire in iram, odium, & noxia dissidia, unde omnis conuictus turbatur, & amicitiæ suauitas exacerbatur. Quare quemadmodũ præsenti exemplo docemur, animaduertendũ est curam hanc tollendi iurgia & retinẽdi concordiam dignam esse uiris sanctis, & ueræ concordiæ studiosis.

Colloquium adhibendum ad amputãda dissidia.

Deinde obseruandum est hoc loco, q̃ sit conueniens ratio amputandi iurgia & retinendi concordiã, si intercesserit colloquij ueluti remediũ. Colloquio fraterno & amico quasi quodã antidoto ad hoc usus est Abram, ut gliscentia iurgia reprimeret. Lingua inquieta excitat rixas. Conuenientissimũ igitur est, ut lingua pacis amans inquietæ linguæ malo uerbis amicis occurrat & resistat. Nihil potest accidere pestilentius in hac causa, q̃ si taciturna simultas gliscentia odia quasi foueat & grandescere sinat, quo tandem inualescentia uelut in flammas grauissimorũ dissidiorum prorumpant. Quare cõsultissimè factũ est ab Abrahamo, quod nepoti suo fraternè est & amicè loquutus, & à malo iurgiorum forsan minus cautum dehortatus. Et hoc ipsum est quod Christus Seruator noster docet, dicẽs: *Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe ipsum inter te & ipsum solum. Si audierit te, lucratus es fratrem tuum.* Matt. 5. Quod Christus hisce uerbis docuit, Abraham diu antea eodem spiritu imbutus facto expressit. Conringimur ergo & authoritate Christi, & exemplo Abrahæ, ut mutuo alloquio oborientia inter nos dissidia componere studeamus.

Senum est, alloqui iuuenes, & paci studere.

Tertiò, nec illud transeundũ est, quòd Abram senior Lot iuniorẽ patruus nepotẽ, prior est alloquutus, & ad studiũ concordiæ adhortatus. Vnde admonenẽ, quotquot uel ætate, uel ordine ac dignitate reliquis sunt maiores, ut agnoscant hoc ab ipsorum prudentia et grauitate cumprimis requiri, ut quo sunt maiores ac superiores, hoc magis sese ad reuocandum in ordinem iuniores à se dissidentes demittant: nec præter decorum esse putent, si faciant quod Abram hic fecisse scribitur. hoc est, si ipsi priores alloquantur eos à quibus debebantur haberi in precio, & primi ad componenda dissidia resarciendamq; concordiã aspirent. Detestabilis est hæc carnis nostræ arrogantia, qua turpe putamus & dedecorosum, si primi aspiremus ad concordiam: & quamuis potiores simus, linguam tamen priores pacis resarciendæ gratia erga inferiores soluamus: cum ea demissio tam abfit ut ignominiosa debeat haberi, ut nõ modò coram Deo, sed & coram mundo laude habeatur dignissima.

Vir pacis studio sus uerba sua prudenter attẽperat paci resarciendæ.

Quartò, obseruemus etiam, q̃ commodè uerba sua Abram attemperet, & studio pacis & concordiæ adaptet. Loquitur & amanter & moderatè, cum dicit: Ne, quæso, sit iurgium inter me & te, &c. Non in tonat seuerè, pro authoritate & maiestate dicẽs: Quæ est ista impudentia & irreuerẽtia tua? quæ est hæc temeritas animi ingrati erga me patruum tuum, qua aduersum me iurgijs ac rixis ausus es insurgere? Huiusmodi maiestatis supercilium haudquaquam cõmodum est concordiæ resarciendæ, quemadmodũ & spiritus unde nascitur non pacis est, sed maiestatis retinendæ studiosus. Quare diligenter est in exemplo hoc Abrahæ notandũ, q̃ sit uerum illud Sapientis, *Sermo mollis frangit iram. Sermone molli & amico usus est Abram, dicens: Ne quæso sit iurgium inter me & te. Fratres enim sumus.* Poterat dicere, *In*

Inter me & te.

conueniens est ut iurgium sit inter nos: uerùm quoniam erat animo fraterno & amico præditus, ac concordiæ cupidissimus, intermiscet obsecrationis suauitatem, dicens: *Ne, quæso, sit iurgium inter me & te,* ut animi sui suauitatem & ardens mutuæ concordiæ studium in ipsum pectus nepotis sui instillet. Ad moderationem facit, quod non dicit, *Ne quæso iurges mecũ, sum enim frater tuus:* sed, *Ne quæso sit iurgium inter me & te.* Non improperat illi iurgandi uitium, ne quam acerbitatem uerbis suis immiscеat, sed moderatè dicit: *Ne sit iurgium inter me & te. Sumus enim fratres.* Sic adhortationem istam attemperat uir humanus, ut non tam opprobrare aliquid nepoti, q̃ in commune quid utrumq; tanquam fratres deceat animo amico & pacis cupido admonere uideatur. Vides quàm sancta sit prudentia insigni ueræ amicitiæ suauitati in hisce uerbis coniuncta? Diligens lector etiam illud animaduertat, quomodo non careat singularis affectus emphasi, quòd nõ simpliciter dicit: *Ne quæso sit iurgium inter nos.* Idem quidem dixisset, quod sensum attinet: uerùm fraternæ familiaritatis & amicitiæ affectum nõ sic expressisset, sicuti illum expressit, dicens: *Ne quæso sit iurgiũ inter me & te.* Nam hac loquutione omnino singularem quandam familiaritatem & cõiunctionem amborum specificauit, quæ nulla debeat nec possit

ferre iurgia. Perinde ac si uxori dicat maritus: Ne quæso sit iurgium inter me & te. sumus enim cõiuges familiarissimo, uel coniuge, dicitur: Inter me & te nulla sint iurgia, nulla dissidia. Animus sibi de singulari familiaritate conscius sentit, quid hisce uerbis dicatur.

Inter pastores meos & pastores tuos.

Quintò. In eo quod dicit, Et inter pastores meos & pastores tuos, considerandum est, quàm non sufficiat ad uerum concordiæ studiũ, si capita inter se concordent, nisi & domestici pacem & unanimitatẽ retinentes alieni sint à iurgijs. Sic erat animatus Abram, quare non solum dixit, Ne quæso sit iurgium inter me & te: sed adiecit, Et inter pastores meos & pastores tuos. Quemadmodum enim ad ueram & integram corporis sanitatem non est satis, si capitis illæsa sit constitutio, nisi & membris sua sit incolumitas: ita ad plenam & iustam concordiam non hoc tantum requiritur, ut bene conueniat capitibus & patribus familiàs, sed domesticorum quoq; necessaria est pax & concordia, sine qua prorsus imperfecta est capitum unitas & consensio. Immò sicuti læsa membrorum constitutio caput perturbat ac debilitat: ita & domesticorum discordia pacem & concordiam capitum lædit & infirmat. id quod Lotho quoque accidisse uidemus.

Multum est situũ in capitib. adhoc ut pax seruetur in domesticis ac subditis.

Vt autem concors & tranquilla uel sit, uel si non sit, reddatur familia, multum est planè situm in capitibus. Quod si patres ad iurgia & rixas domesticorum conniuent saltem, malum crescat necesse est, nedi si discordiam illorum fouerint etiam, dum non ex æquo complectuntur omnes, sed alios euehunt, alios deprimunt, & ad aliorum malefacta cæci sunt, aliorum uerò errata, modica etiam, acerbius inclectant. Qui sic animatus est, tam abest ut concordiam domesticorum alat, ut si qua fuit aliquando, hanc magis diueilat ac dissipet. Euidentissimũ huius rei exemplum nostro seculo animaduerti potest in principatu Germaniæ, qui quamuis in omnibus comitijs Imperialibus studium concordandæ Germaniæ simulat ac prætexit, nihil tamen aliud facit, quàm quod Germaniam sic reddit discordem & luxatam, ut nulla prorsus sit statuum, principum, ac ciuitatum cohæsio. Siue hoc studio siue per imprudentiam facit, impossibile est ut Germania sub ipsius Imperio coadunetur, quandoquidem alios illius status propter doctrinam Euangelij palàm inobedientiæ ac rebellionis damnat: alios propter execrabilem Papismum amanter complectitur, & ad horribilia illorum flagitia prorsus cæcutit. Quicunq; tandem illius stratamus, res ipsa clamat, quæ dicimus omnium esse uerissima.

Sextò. Fratres enim sumus. Obseruanda est ista ἀντιλογία. Ne sit quæso iurgium inter me & te. Fratres enim sumus. Ergo inter fratres non debent esse iurgia. Quare? Quia iurgijs lædirur fraterna charitas: Deinde aliena est charitas ab odiosis iurgijs. Quæ uerò & aliena sunt à natura charitatis, & charitatis suauitatem & concordiã lædunt, aliena quoq; debent esse ab illis, quorum est ut spiritu charitatis quasi uinculo quodam connectantur. Hi sunt autem fratres, tam carnis quàm fidei. Inscribatur ergo dictum hoc Abrahæ, Ne sit iurgium inter nos, Fratres enim sumus, in corda cunctorum fratrum, præsertim hoc nostro seculo, in quo nimis uerum est illud, Fratrũ quoq; gratia rara est. Tanta nanq; est hodie libido iurgandi, ut ij quoq;, qui de puriore Euangelij doctrina gloriantur, sic acerbè, idq; editis in publicum scriptis, inter se rixentur, ut conuicijs etiam sese mutuò planè hostiliter proscindant. Optima est Euangelij causa, diuinaq; ac saluberrima omnium est Euangelij ueritas: uerùm reperias sanè multos ex professoribus Euangelij, qui simplicem, claram & salutiferam destinatam ueritatem in materiam contentionum, iurgiorum, ac rixarum peruertant, obscurent, ac depraueut. Audiant isti uocem Abrahæ: Ne quæso sint iurgia inter nos: Fratres enim sumus. Paternitas illa diuina, unde renascimur: dignitas cœlestis, qua filij Dei censemur: unitas spiritualis natiuitatis, qua fratres sumus: & charitas, fraternitatis nostræ tessera, natura sua libidinem istam rixandi & proscindendi ferre non possunt. Et ueritas ipsa, cuius prætextu iurgia seruntur, & contentiones tam acerbæ inter fratres mouentur, altercando non defenditur, non illustratur, nõ firmatur: sed amittitur, obscuratur, ac labefactatur, haud quidem in seipsa, ubi semper & clarissima est & illæsa permanet, sed in cordibus mortalium. Miserere Ecclesiæ tuæ Christe Iesu seruator omnium fidelium, & spiritum hunc satanæ, spiritum altercationum ac dissidiorum uerbo uirtutis tuæ tandem expelle.

Si non debẽt iurgia esse inter fratres multo minus odia.

Simul illud obseruemus Ne sit iurgiũ inter me & te: Fratres enim sumus, inquit. Si inter fratres non debet esse iurgiũ, quantominus conuenit ut odia sint inter fratres & conuicia ex odijs pullulantia? Multum discriminis est inter iurgium & odium. Potest fieri ut iurgium aliquando coniunctum sit cum benuolentia, odium uerò perpetuò adiunctam habet maleuolentiam & inimicitiã. Quare cum minus malì sit in iurgio quàm odio, denicq; nonnunquam accidat, ut iurget ille qui amat, odiat uerò nequaquam qui amicus est & frater: consequitur multo magis curandum esse, ne odia q̃ ne iurgia sint inter fratres.

Aequalitas fraternæ cognationis.

Præterea considerandũ & hoc est. Abrã senior ac patruus Lot nepoti suo dicit, Fratres sumus. Poterat decere, Cognati sumus, uel, nepos meus es ex fratre: uerùm mauult eius cognationis usurpare uocabulum, quo nõ solum propinquitas sanguinis, sed & æqualitas cõiunctionis exprimitur, in qua cum facta utrinq; habẽtur æqualia. Ea est fraternæ cognationis æqualitas. Propinqui sunt inter se pater & filius, patruus & nepos ex fratre, auunculus & nepos ex sorore: uerùm ista propinquitas non habet absoluta propinquorũ æqualitatẽ, quã habet fraternitas. Præstantior eñ est pater filio, & patruus nepote, at frater fratri per omnia æquali est coniunctione propinquus. Quare modestiæ & æqualitatis spiritum obseruare debent in hoc exemplo, ij qui potiores sunt, ut & ipsi sese ad fraternam æqualitatẽ ergà minores demittant: malintq; haberi loco fratrũ, q̃ honorari pro dignitate maiorum. Et huc Christiani potissimum

potissimum exemplo Christi prouocamur, qui cum post resurrectionẽ Ioan. 20. dicere posset, Vade dic discipulis meis: maluit dicere, Vade dic ad fratres meos, Ascendo ad patrem meũ, & patrẽ uestrum. Et Hebr. 2. dicit Apostolus: Qua propter nõ confundit̃ fratres eos uocare dicens, Nunciabo nomen tuũ fratribus meis. Nec illud transeundum est, quòd is qui se fratrem esse agnoscit & fatetur, cõcordiæ studet, & iurgia amputare conatur. Vox hæc, Ne sit quæso iurgiũ inter me & te, eiusdem est qui subinfert, Fratres enim sumus. Qui iurgat & rixatur, fratrem se esse uel non agnoscit, uel obliuiscitur. Abraham quoniam cogitabat esse se & Lot fratres, simul cogitabat inconueniens esse, si orirentur inter ipsum & Lot iurgia & rixæ. Si Lot fraternæ cognationis rationẽ habuisset, iurgiorum causas resecasset. Filij Iacob, si cogitassent se fratres esse Iosephi, non dixissent: Ecce somniator uenit, uenite occidamus eum: sed, Ecce frater noster uenit, accipiamus eum amanter. Omnino multũ refert, quem se quisq; erga proximũ esse cogitet. Vbi coniunx obliuiscitur esse se coniugem: frater, esse se fratrem: pater, esse se patrem, &c. fieri non potest, ut coniugis, fratris ac patris seruetur & declaretur affectus. Consideratio hæc omnibus est humanæ uitæ, & Ecclesiæ quoq; statibus uehemẽter necessaria. Nihil enim magis omnia perturbata & confusa reddit, quàm quòd rarissimus quisq; reperitur, qui serio cogitet, quis sit cùm Deo tum proximo, cum tamen fieri non possit, ut eum se quisquam præstare possit, quem debet, qui non serio cogitat quis sit uel natura, uel conditione, uel religione, uel officio.

Cõcordiæ studet quisquis se fratrem esse ex animo agnoscit.

Septimò: An non, inquit, uniuersa terra coram te est? Habemus hic exemplũ in Abrahamo animi sic pacis & concordiæ fraternæ studiosi, ut paratus sit omnis generis priuilegia & quamcunq; terrenarum rerum cõmoditatem in gratiam fratris resignare. Non agit nudis uerbis cum nepote suo Abram, sed id quod suadet, etiam cum rerum suarum detrimento in effectum ducere conatur. Facilè est ad pacem & cõcordiam hortari uerbis, uerùm cum dispendio iuris proprij paci studere, & fraternam retinere cõcordiam non est quorũuis, nisi eorum tantum, qui ueri sunt pacis filij. Abram talis erat, quare incunctanter & ultrò omnem illam terram, cuius à Domino promissionem acceperat, arbitrio nepotis sui subiecit, ut is quem uellet ex illa locum habitandi gratia eligeret. Hodie reperias Christianos, qui ne pedis quidem latitudinem de terreno suo iure fraternæ paci largiantur, sed potius ꝑ modico telluris spacio omnia iurgijs, rixis, litibus, imò cædibus etiam ac sanguine repleant.

Fraterna charitas non quærit proprium commodum.

Rursus cogita personã Abrahæ, qui hoc nepoti suo dixit. Si inferior erga superiorem hoc faciat, poterit uideri uel adulatio, uel coacta subiectio: secus uerò, si id faciat superior erga inferiorem. Si Lot hoc pacto loquutus esset Abrahæ, caro haud quaquam modestiæ ac ueræ charitatis exemplum in illo agnosceret. Iam ubi ista de Abrahamo scribuntur, quòd ad hunc sese modum retinendæ cum nepote concordiæ accõmodauerit, ut illi proprij iuris cõmoditatem postponeret, nõ habemus ullum prætextum, quo minus exemplum pacis & concordiæ cunctis fidelibus propositum agnoscamus.

Persona Abrahæ

Octauò, considerandum & hoc est, quod dicit, Recede à me obsecro. Mirum uidetur, quòd hortatus est Abram Lot nepotem suum, ut à se discederet, cum agnosceret eum pro fratre. Dixerat enim, Fratres sumus. Atqui si frater erat, nõ debebat dicere, Recede à me. Neq; enim fratris uox esse uidet̃, quæ ad discedendũ hortat̃, sed inimici. Reliquerat Lot patriã, & adhæserat ipsi Abrahæ patruo suo, unaq; cum illo cunctas peregrinationis molestias pertulerat, & iam iubetur ab eo discedere. Quomodo conuenit hoc fraternæ charitati? Respondeo: Iudicandum est de adhortatione Abrahæ non secundum uerba simpliciter, sed secundum cordis illius affectum. Varijs de causis fieri potest, ut alius alium à se discedere iubeat. Primùm ex impietate rebellionis. Sic Iob 21. & 22. de impijs legitur quòd Deo dicant, Recede à nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus. Deinde ex abominatione. Sic Propheta dixit, Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quod & Christus in extremo est iudicio dicturus. Matt. 7. Tertiò ex impatientia iræ & indignationis. Tale erat quod Pharao Mosi dicebat, Recede à me, & caue ne uldorẽ. Hoc affectu Gen. 26 dicebat Abimelech ad Isaac, Recede à nobis, quia potentior nobis es factus. Hactenus sinistri affectus uerbum est, Recede à me. Sunt autem & aliæ causæ haud culpabiles perinde atque præcedentes, quibus aliquando non malo animo recedere iubentur etiam ij, quos uel amicè complectimur, uel reuerenter magnificimus. Reuerentia erat, quod Petrus Lucæ quinto dicebat, Exi à me Domine, quia homo peccator sum: qualis affectus erat & Gerasenorum, qui Marci 5. Dominum rogabant, ut ab ipsis discederet. Et Abner cum 2. Sam. 2. ad persequentem se Asahelem fratrem Ioab dicebat, Recede, & noli me sequi, ex metu ac reuerentia Ioab loquebatur. Deinde ex luctu erat, quo uastitatem populi Dei deflere cupiebat, quod dicebat Propheta, Recedite à me, & amarè flebo: nolite incumbere ut consolemini me. Præterea & Esau à fratre suo Iacob Gen. 36. recessisse legitur, propterea q; utriq; diuites erant ualde, & simul habitare non poterant, propter multitudinẽ gregum. Cessionis erat ista separatio. Itaq; cum tot modis uerbũ hoc, Recede à me, dici queat, manifestum esse puto, q̃d Abram Loto suasit, ut à se discederet, nulla necessitate debere intelligi, q; hoc fecerit ex affectu sinistro, & à charitate alieno, sed magis studio pacis & concordiæ retinendæ. Vnde admonemur usq; adeò rationẽ habendam esse pacis & concordiæ, ut si coniunctio causas præbeat dissidiorum, rumpenda sit, & paci consulendum separatione, etiamsi diuidendi sint à se inuicem germani fratres. Non omnis separatio fratrum mala est, imò nonnunq; certis de causis bona est & utilis: quemadmodũ non omnis coniunctio quoque bona est, sed fieri potest, ut fomenta præstet iurgiorum ac dissidiorum. Bonum quidem est ac iucundũ, habitare fratres simul & coniunctim, sicuti Propheta canit, si id faciat ad charitatis conseruationem,

Quomodo cõueniat ut frater fratrem à se discedere iubeat.

Varijs de causis alius alium à se discedere iubet.

sin diuersum accidat, melius est ut Lot discedat ab Abrahamo corpore, quàm si corpore cõiunctus separetur ab illo mente ac spiritu.

Nonò: Si ad sinistram ieris, inquit, ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistram pergam. Pertinet huius particulæ consideratio ad id quod supra est annotatum, ubi dicit, An non uniuersa terra coram te est? Proponitur exemplum animi liberam proximo quæ potiora sunt eligendi potestatem offerentis, ac deteriora sibi recipere parati, ne qua in re proprij cõmodi studio duci uideatur. Planè turpe est, si quis ubi facienda est rerum diuisio, usqueadeò proprij emolumẽti studiosus fuerit, ut sibi primas ac potiores partes appetat, proximo uerò posteriores ac deteriores relinquat. Pugnat ista turpitudo cum charitate, quæ non quærit quæ sua sunt, sed aliorum. Quòd si partiendi sunt gradus honorum, uir modestus & honestus, proximo priores, sibi uerò posteriores deputabit, animumq; ab omni philautia alienum declarabit. Si rerum diuisio partitionem requirit, Christianus homo primam electionem fratri offeret: sibi uerò secundam ac uiliorem sortem non uerbis tantum, sed & animo destinabit. Quare repudiandi sunt uersiculi illi: *Si fueris quarum diuisor particularum, Has discas artes, meliores accipe partes.* Christianus sic dicet, Si fueris quarũ diuisor particularum, Optima des fratri, tibi deteriora reserues. Tale est & uulgare illud, *Es ist ime iederman selbs die beste treuw schuldig.* Dictum hoc prorsus est ethnicum, & alienum à spiritu ueræ charitatis. Philautia rebus nostris pessimè, charitas uerò consulit optimè. Non habet postremas, qui fratri primas largitur, & postremas sibi reseruat: nec primas habet qui illas eligit, & fratri postremas deputat. Necesse est enim ut optima portio sit quæ charitate ornatur: deterior uerò existat, quæ spiritu philautiæ labefactatur. Hæc est uera piorum sapientia, qua dum postremas in mundo referre uidentur, coram Deo sortiuntur primas.

OBSERVATIO IIII.

Eleuatis itaq; Lot oculis, uidit omnem planiciem Iordanis, quæ uniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut paradisus Domini, & sicut Aegyptus, donec uenias Zoaram.] Principiò quòd Lot leuatis oculis omnem Iordanis planiciem uidisse memoratur, quam etiam sibi ad habitandi eligit, exemplum habet nonnihil reprehensibile. Non debebat oblatam à patruo optionẽ hactenus recipere, ut cum iunior esset, primas sibi sumeret eligendi partes, sed eam prærogatiuam Abrahæ tanquam seniori ac potiori honoris gratia deferre. Et si non admodum grande peccatum, inciuilitatem tñ quandam habet hoc factum non bene moribus piorum conuenientem. Honesti animi exemplum monstratum in eo erat, quòd Abram senior optionis honorem nepoti suo obtulerat. Id potius debebat imitari Lot, & seniori suum restituere honorem, quàm statim ad oblatam optionem aspirare. Inciuilitatẽ istam non probat Apostolus, cum dicit, Honore inuicem præuenientes. Rom. 12.

Factũ Lot exemplum habet reprehensibile.

Carnalis affectus.

Deinde consimiliter & illud nonnihil carnalium respit affectuum, quòd oculos in eam potissimũ terram dirigit, quæ optima erat. Votum cordis illius expressit in eo scriptura, quòd non simpliciter dicit, Vidit Lot planiciem: sed, Eleuatis Lot oculis uidit omnem planiciem Iordanis. Per oculorum elationem affectus cordis notatur. Vt enim optimum sibi manendi locũ eligeret, hac est diligenti circumspectione usus. Concupiscentiæ latentis in corde minister est oculus. Eleuationis oculorũ motus excordis erat, ministerium circumspectionis oculorum, unde uis appetendi ea quæ uidebantur accendebatur. Quare qui cautius uiuere cupiunt, oculos suos custodiant, ne liberius euagẽtur, & mirabili sua ac nimis prompta officiositate malum in corde nostro latens excitent, & irrequietum reddant. Lot si oculos uertisset, non ad irriguam Iordanis planiciem, sed ad mõtana Iudææ, ibiq; mansionem sibi quæsiuisset magnorũ discriminum occasiones amputasset.

Locorum ac regionum uarietas

Tertiò, in eo quod dicit, Quæ uniuersa irrigabatur sicut paradisus Domini, admonendi sumus, ut diuinam prouidentiam cõsideremus, quæ terram hanc incolatui nostro traditam tanta uarietate locorum non sine magna sapientia sic distinxit, ut regionum alia sit montosa, montibus ac uallibus distincta, alia sit campestris & plana, alia siticulosa & arida, alia fontibus ac fluuijs irrigua, alia sterilis, alia fertilis, alia amœna, alia horrida & iniucunda, idq; in una & eadem terra, & sub eodem cœlo hominib. originе, conditione & natura ijsdem ad habitandum destinata. Poterat ad eandem faciem uniuersam terrã componere: uerùm sic illum disposuit, ut ubiq; singularis quædam diuersitas singularis prouidentiæ illius laudem deprædicet. Qui habitant in montanis, ex cœlesti irrigatione laborum suorum incrementa fortiuntur, & dum pluuiam de cœlo expectant, ac uotis optant, agnoscere cogũtur, omnem se operum suorum prouentum cœlesti debere benedictioni. Qui in planicie ac uallibus habitant, de ubertate diuinæ prouidentiæ in aquarũ ad irrigandum copia, quam uel fontes uel fluuij subministrant, pulcherrimè admonentur. Qui loca fertilia incolunt, & facilimo labore uberem uictum capiunt, id quod contegit Sodomitis & Aegyptijs, quorum hic Moses meminit, reipsa admonentur, quàm singulari diuinæ benedictionis gratia utantur, præsertim ubi considerant quàm duriter illi uiuant, qui loca montosa, dura ac sterilia inhabitant. Rursus qui amœnis in locis pariter uiuunt ac deliciantur, occasionem cogitandi habent, quantæ sint cœlestium mansionum futuræ deliciæ, cum in terra tanta reperiatur quorundam locorum amœnitas. Qui uiuunt in montibus ac locis sterilioribus, documento sunt primũ tantam esse diuinæ bonitatis ubertatem, de qua Propheta canit dicens, Bonitate Domini plena est terra, ut non solũ feræ ac bestiæ, sed & homines in montanis ac sterilibus locis inueniant unde uiuant: deinde quàm misera humanæ uitæ necessariũ, ut in copia & luxu rerum molliter delicateq; uiuamus, quasi duri labores & uictus tenuis incolumitati uitæ nostræ plurimum incõmodent: cum manifestum sit eos qui duram & labo

riosam

A rioſam uitam in locis montanis,aridis & amœnis ducunt robore ac ſanitate corporis præſtantiores illis eſſe,qui molliter & in luxu ſine ulla rerum penuria uiuunt. Vbiq; inueniet pius animus diuinæ prouidentiæ argumentum, unde ſapientiam Dei cuncta prudentiſsimè diſponentis agnoſcat ac deprædicet. Qui in locis fertilibus & amœnis degentes molliter & delicatè in magna rerum copia uiuunt, ubi per occaſionem montanos homines inuiſunt,uehementer admirari ſolent, quomodo illi tam duræ uitæ moleſtias ferre queant,quaſi humana uita niſi in ocio & luxu ſubſiſtere nequeat.Rurſus qui uiuunt in montibus,& quotidiani laboris duritia,uictuq; arido ac tenui exercentur,ubi urbanorum ocia & delicias uident, admirantur & ipſi quomodo poſsit homo torporem ocij & luxum deliciarum tantopere amplecti. Tanta ex uictus uarietate naſcitur ingeniorum quoq; uarietas. Quanquam uereor,ne luxus iſte urbanus agreſtibus & montanis hominibus non ſatis noſtro hoc ſeculo diſpliceat.

Quartò, obiter & illud cõſiderandum eſt quod dicit,Antequam ſubuerteret Dñs Sodomam & Gomorrham. De ipſa ſubuerſionis huius hiſtoria uidebimus infrà cap. decimonono. In præſenti animaduertendum eſt inſigne exemplũ diuinæ cùm bonitatis tum iuſtitiæ.Bonitatis in eo,quòd montanis terræ Chanaan tam egregiè amœnam,irriguam & fertilem regionem,quæ hortus Domini dici poſsit,uicinam adiecit,in qua eſſet non ſolum frugum ubertas,ſed & amœnæ uiriditatis iucunditas. Iuſtitiæ,id eſt, iuſti iudicij, in eo quòd Sodomitas & alios eius loci incolas, immò & ipſius planiciei utramque cùm amœnitatem tum fertilitatem ſubuertit ac uaſtauit,propterea quòd eſſent peſsimi homines,et peccatores ualde. Admonemur quid expectandum ſit paradiſis illis terreſtribus,in quibus eximia fertilitas enormibus incolarum ſceleribus ſeruire cogitur. Habent Itali & Hiſpani quod hic cogitent. *Exemplũ diuinæ bonitatis & iuſtitiæ.*

Quintò,nec illud tranſeundũ eſt,quòd cum de ſubuerſione ciuitatum planiciei huius loquatur,duarum tantum ex illis, Sodomæ uidelicet & Gomorrhæ mentionem facit, dicens, Antequam ſubuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham:cum tamen non ſolum duas iſtas ciuitates,ſed cum illis & alias, Adamam uidelicet & Zeboym ſubuerterit Dominus. Nam Deuteronom. uicesimonono ſic legimus, In exemplum ſubuerſionis Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Zeboym, quas ſubuertit Dominus in ira & in furore ſuo. Cogitandum nobis de ratione eſt, quare per uniuerſam ſcripturam hæ duæ ciuitates coniungantur, ubi ſubuerſionis huius fit mentio. Fuerunt illæ dubio procul celebriores reliquis, cũ adhuc ſtarent:deinde non ſolũ excelluerũt reliquas amplitudine & ſplendore, ſed & peccato illo horrẽdo,propter ꝗd diuina ſunt ultione ſubuerſæ. Crediderim per illas ſcelus illud deteſtandũ manaſſe etiã ad reliquos uicinos,ſicuti plerũq; grauiora uitia nõ ſolũ oriunt in urbib.celebrioribus, ubi plus eſt ocij, B luxus & opũ,ſed & per illas ad uicinos quoq; deriuantur. Hinc factũ eſt,quòd infandum harum ciuitatum peccatum Sodomia,& qui illo ſunt polluti Sodomitæ uocantur dubio procul, quod à Sodomitis principio exortum ad Gomorrheos uicinos, deinde conſequenter ad reliquas etiam ciuitates Adamã ad Zeboym promanauit. Nam & Ezech.16. uidere eſt,Sodomam reliquarũ,tanq; filiarũ,fuiſſe matrẽ, ſicuti ſunt metropolitanę ciuitates. Conſimile quid in eodem peccato accidit etiam ante noſtram ætatem. Quemadmodũ enim propter originem ipſius Sodomia uocatur ueteribus, ita poſtremis hiſce ſeculis à ciuitate quadã plus æquo propter amœnitatẽ celebri, cognominari cœpit,id quod notius eſt, q̃ ut diſertè exprimatur. Non ſolent huiuſmodi ſcelera locis obſcuris,humilibus,& tenuioribus oriri,ſed amplis,ſplendidis,& ocioſis. Terreſtres paradiſi, ſimiles hortis Dei, feraces ſunt grauiſsimorum ſcelerum, ſimul etiam horrendis plagis obnoxiæ. *Quarè Sodoma & Gomorrha nominatim ponantur.*

Sextò,Sicut paradiſus,uel ſicut hortus Dñi. Cogitemus hic non eſſe hortum ullum diuinę naturę & eſſentiæ capacẽ,quantumuis ille ſit irriguus & amœnus. Quare admonemur, ut rationẽ obſeruemus, propter quam non ſolum in ſcripturis,ſed & uulgaribus ſermonibus ea quæ eximiè pulchra ſunt & bona,ſic prædicantur & commendant,ut Deo tribuantur,& in uſum Dei cedere poſſe dicantur. Sic plane dicat. Sic nos Germani dicere ſolemus, *Wann Gott ſolt eyn luſtgarten haben,ſo were doch diſes eyn ſchöner garten.* Huiuſmodi ſermones ex eo proueniũt,quod cõmuni ſenſu omnes id Deo damus honoris,quod conueniant illi non niſi optima. Latet hoc in cordibus noſtris, uerùm rarus quiſq; eſt, qui cõmuni hoc ſenſu competenter utatur. Sic enim cõparati ſumus, ut quæ optima uidentur, intus in ipſis carnis noſtræ medullis non Deo,ſed nobis appetamus. *Quæ eximia ſunt, Deo competere.*

Septimò. Et ſicut Aegyptus, inquit. Ergo & Aegyptus tam eſt amœna & irrigua (niſi interea mutata ſit illius fertilitas,propter peccata incolarũ)ut inter hortos Dñi numeretur.Quid igitur eſt,quod eam non hæreditati,ſed ſeruituti Iſraelis deputauit diuina prouidentia? Admiranda ſunt conſilia Dei. Babylon irrigua,abundans aquis,& amœna, Aegyptus irrigua,& amœna pariter ac fertilis,& tamen utraq; quaſi carcere quodã uſus eſt Dñs,ad caſtigandũ dura ſeruitute immorigerũ Iſraelem.Sic expoſcit humani ingenij corruptio,ut locis amœnioribus utatur Deus non ad delicias, ſed ad triſtem ſeruitutem & caſtigationẽ populi ſui. *Quarè nõ Aegyptum Deus Iſraeli dederit.*

Octauò, Donec uenias Zoaram. Quod uocem hanc Zoaram attinet,uidebimus infrà cap. 19. In eo uerò quòd ciuitas iſta aliàs uulgo uocabatur Bela, id eſt deuoratio, abſorptio & perditio, quacunq; id hiſtorica factum ſit ratione, admonemur Sodomiticæ amœnitati & fertilitati annexam eſſe deuorationem ac perditionẽ.Habebat ſimul ea uox quaſi uaticinium rei futuræ, ſignificans fore olim ut uoratrix Sodoma abſorberetur ac perderetur. *Hieronymus dicit inde eam dictam Bela, quòd tertiò ſit terræ motu abſorpta.*

OBSERVATIO V.

Elegitq; sibi Lot planiciem circa Iordanem, & recessit ab Oriente, diuisiq; sunt alterutrum à fratre suo. Abram habitauit in terra Canaan. Lot uerò moratus est in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis.]

Ratio humana optima ad oculum eligit.

Primùm illud obserua. Nõ simpliciter dicit, Discessit Lot, & habitauit in Sodomis: sed postquam illum oculis leuatis planiciem Iordanis uidisse dixit, illiusq; amœnitatẽ prædicauit, subiunxit, Elegit sibi Lot planiciem circa Iordanem, & recessit, & habitauit in Sodomis. Admonemur hoc exemplo Lot, de ingenio rationis humanæ, quæ ubi eligendi libertas datur, iudicat eligenda esse optima, & optima secundũ iudicium oculorũ censet. Sic Lot eam regionis illius partem elegit, quæ sic erat irrigua tota, ut esset instar horti Domini, & similis Aegypto. Cogitabat satius esse habitare in loco fertili & amœno, quàm uti uere in montanis. Verùm quantum sibi calamitatis hac electione cõscisceret tum non intelligebat, expertus est uerò postea non sine grandi discrimine. Idem usuuenit illis plerunq;, qui iucunda & desiderabilia mundi huius bona cupidè eligunt & amplexanť, ut dum se rebus suis optimè consuluisse putant, incidant in euentus tristes & acerbos. Quemadmodum enim corrupti sunt carnis nostræ affectus, sic cum est etiam rationis iudicium, ideoq; tam iudicando q̃ appetendo plurimùm fallimur.

Duplex discessus genus.

Deinde considerandum est quod dicit, Diuisiq; sunt quisq; à fratre suo. Significatur hanc esse diuisionem utriusq; uoluntate & consensu factam. Alioqui non erat dicendum, Diuisi sunt quisq; à fratre suo, sed, Diuisus est Lot ab Abrahamo fratre suo. Aliud enim est, si frater præter fratris assensum discedat: & aliud, si ex consensu mutuo discessus fiat. Priore discessu læditur charitas, & rumpitur mutua cõcordia: posteriore uerò tam abest, ut inter bonos uiros charitatis uinculum rumpatur, ut incõmodum quod ex arctiore conuictu nonnunquam nasci solet, tollatur etiam, & charitatis integritas seruetur, id quod exemplo hoc Abrahæ & Lot euidentissimè probatur. Ipsa hoc docet experientia, frequenter fieri ut inter eos qui coniunctim habitant, suboriantur iurgiorum & rixarum seminaria, quibus nõ poteris melius mederi, & occurrere, quàm si ex mutuo assensu à se inuicẽ discedant, ac seorsim habitent.

Conferuntur utriusq; Abrahæ & Lot mansiones.

Tertiò. Abram habitauit, inquit, in terra Canaan, Lot uerò moratus est in oppidis quæ erant circa Iordanem, & tabernacula tetendit usq; ad Sedom. Confer hic utriusq; habitationem. Abram mansit in terra Canaan, Lot uerò in planicie Iordanis. Terra Canaan nõ est irrigua, sed montana & campestris, pluuiam ac rorẽ expectans de cœlo, unde humectetur ac frugifera reddatur. Sic Deu. 11. legimus, Terra ad quam ingredieris ad possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua exisli, ubi iacto semine in morem hortorũ aquæ ducuntur irriguæ, sed montosa est & campestris de cœlo expectans pluuias, quarum Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni usq; ad finem eius. Planicies uerò Iordanis, quemadmodum suprà memoratum est, uniuersa tum erat irrigua, sicut Aegyptus, & sicut hortus Domini. In hanc migrat Lot, Abram manet in terra Canaan, quæ ipsi erat à Domino destinata, ut posteris ipsius cederet in possessionem. Promissio terræ huius non pertinebat ad Lot, sed ad Abrahamum, & futurum populum Dei, qui proditurus erat ex illo. Significatur hac consideratione, talem competere pijs habitationem, in qua uictus necessarius labore quidem manuum quæratur: uerùm benedictio laboris humani, unde fertilis reddatur, de cœlo & benigna manu Dei expectetur. Hoc uitæ genus cõmodissimum est ad exercitiũ fidei, qua animus pius à prouidentia Dei pendeat, & ad studium pietatis, qua Deus obseruetur & colatur in omnibus. Huc pertinet quod Moses Deut. 11. loco iam citato subiungit, dicens: Si ergo obedieritis mandatis meis, quæ ego præcipio uobis, ut diligatis Dominum Deum uestrum, & seruiatis ei in toto corde uestro, & in tota anima uestra, dabit pluuiam terræ uestræ temporaneam & serotinam, ut colligatis frumentum, uinum, & oleum, fœnumq; ex agris ad pascenda iumenta, & ut ipsi comedatis & saturemini.

OBSERVATIO VI.

Quod duæ uoces istæ רעים & חטאים *iungantur.*

Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino ualde.] Primùm illud obserua, quòd duas hasce uoces רעים & חטאים, id est, mali & peccatores, coniungit. Peccant omnes homines. Nemo enim est qui faciat bonum, & non peccet. Verùm magna est peccantium differentia. Peccant alij ex infirmitate carnis, alij ex ignorantia, alij ex malicia. Qui ex malitia peccant, peccatores in scriptura uocari solent. Sic uocantur hic Sodomitæ primùm mali, deinde & peccatores.

Etiam malorum discrimen est.

Deinde considerandum & hoc est. Nemo bonus nisi Deus, inquit Christus Matt. 19. Si nemo bonus est nisi Deus, ergo mali sunt omnes homines. Quid ergo in causa est, quod Sodomitæ singulariter mali uocantur? Hoc uidelicet, quod discrimen est etiam malorum. Mali sunt omnes homines, quatenus natura sunt corrupti, & ad malum procliues. Discriminantur tamen à se inuicem hactenus, quòd alij tiore Domini cohibentur, ne studio malorum delectentur, præcipitesq; ruant in mala quæuis: alij uerò sine ullo timore Dei sic sunt mali, ut & delectentur studio malorũ, & ad omnis generis mala perpetranda impotentissimè ferantur. Ex horum numero erant Sodomitæ. Ad primũ malorum genus pertinent, ad quos Christus Matth. 7. dicit, Si ergo uos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, &c. Ad alterum uerò referendi sunt Sodomitæ, & quicunq; illis similes, mali uocantur in scripturis.

Peccatores alij alijs sunt peiores

Tertiò obserua quod dicit, Et peccatores ualde. Ergo peccatores alij sunt alijs magis peccatores. Quemadmodum enim incrementa sunt iustitiæ, ita sunt & augmenta malitiæ: ut sicut alius alio est iustior, ita alius alio sit peior. Non est autem præter rationem, quòd in Sodomitis hoc culpatur, quòd non simpliciter, sed ualde peccatores fuerint. Nisi ratio discriminis huius esset coram Deo, ut quid de Sodomitis memoraret hoc Moses? Nemo itaque cogitet: Peccator sum, quidrefert quouis

A quouſq; in peccatis pergam? Non eſt hæc cogitatio pij hominis. Deinde nec animus eorum qui ex infirmitate peccant, eò propendet ut ualde peccent.

Quartò, Addam & illud. Non ſolum dicit, Peccatores erant ualde: ſed addit, Domino. Qua in re peccandi? Notum eſt Ezech. 16. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, inquit. Superbia, ſaturitas panis, & abũdantia & ocium ipſius & filiarum eius. Et manum egeno & pauperi non porrigebant, et eleuatæ ſunt, & fecerunt abominationes coram me. Ergo peccatur Domino non ſolum impietate idololatrica & ſuperſtitioſa, ſed & ſuperbia, ocio, luxu, ſplendore opum, immiſericordia, & abominabili portentoſæ libidinis immundicia. *Quõ aduerſus Dñm peccatur.*

Dixitq; Dñs ad Abrã poſtquã diuiſus eſt ab eo Lot: Leua oculos tuos in directum, & uide à loco in quo nunc es ad Aquilonem & meridiem, ad Orientem & Occidentem. Omnem terram quam conſpicis tibi dabo & ſemini tuo uſq; in ſempiternum, faciamq; ſemen tuum ſicut puluerem terræ. Si quis poteſt hominũ numerare puluerem terræ, ſemen quoq; tuum numerare poterit. Surge ergo, & perambula terram in longitudine & latitudine ſua, quia tibi daturus ſum eam. Mouẽs igitur tabernaculũ ſuum Abram uenit & habitauit iuxta conuallem Mamre quæ eſt in Hebron, ædificauitq; ibi altare Domino.

LECTIO.

Leua oculos tuos in directũ.] Illud, In directũ, nõ eſt in Heb. Græcus uertit, αἰράβλεψον τοῖς ὀφθαλμοῖς σου, id eſt, ſuſpice oculis tuis Hebræus, שא נא עיניך, id eſt, Leua quæſo oculos tuos. Neq; eſt in Heb. in quo nunc es, ſed in quo tu es. Non eſt עתה nunc, ſed אתה tu.

Si quis poteſt hominum numerare.] In Hebræo eſt: אשר אם יוכל איש למנות Vocula אשר alij legunt, ſicut Græcus & Latinus, alij uertunt. Pagninus ſic: Quia ſi poterit quiſquam. Monſterus, Quod ſi poterit homo. Vocula, homo, non eſt in Hebræo, ſed איש, id eſt, quis. Deinde in Hebræo paſsiuè legitur, Semen quoq; tuum numerabitur.

Quia tibi daturus ſum eã.] Græcus addit de ſuo, διὰ τὸ σπέρμα σου εἰς τὸν αἰῶνα. i. et ſemini tuo in ſeculũ

B *Iuxta conuallem Mamre.*] Hebræus habet, באלני ממרא, id eſt, inter quercus, uel in querceto Mamre aut, in conuallibus Mamræ. Græcus, πρὸς τὴν δρῦν τὴν μαμβρῆ, id eſt, circa quercum Mambre.

EXPLANATIO.

Dixitq; Dominus ad Abram poſtquam diuiſus eſt ab eo Lot, Leua oculos tuos, &c.] Duo continet hic contextus. Oraculum uidilicet Dei, & factum Abrahæ. Poſtquam ſeparatus eſt Lot ab Abrahamo, proſequitur Moſes ea quæ geſta ſunt cum Abrahamo, relinquẽs interea Lotum uſq; ad hiſtorias Sodomorũ. Et primò commemorat oracului diuinum, quod ad Abrahamum iam ſeparatum & à conſortio Lot liberatum eſt factum. Dominus, inquit, dixit Abrahæ, poſtquam ab eo diuiſus eſt Lot. Et antea fuerat illi eadẽ de re loquutus. Quare ne quæ de præſenti oracolo narrantur, ad præcedentia referantur, particulã hãc adiecit Moſes, Poſtq; diuiſus eſt ab eo Lot, qua admoneret, eſſe præſens oraculũ aliudà præcedentib. Eſt autem bimembre. Habet enim promiſsionem & mandatum ad promiſsionem pertinent iſta: Leua oculos tuos, & uide à loco in quo nunc es ad Aquilonem, & meridiem, &c. Omnem terram quam conſpicis tibi dabo, &c. Duo promittuntur Hæreditas terræ Canaan, & ſemen innumerabile. Quod terræ promiſsionem attinet, iubet eum leuare oculos, & circumſpicere quatuor terræ illius plagas ad Aquilonem, ad Meridiem, ad Orientem & ad Occidentem: & ſimul promittit, quòd omnem eam terrã, quam circa ſe uidebat, ipſi ac ſemini eius ſit daturus. Apparet autem oraculum hoc factum eſſe ad Abrahamum, cum in loco aliquo edito ſiue habitaret, ſiue per occaſionẽ quandã conſiſteret, unde per circuitũ terminos eius terræ è longinquo uidere poterat. Patet hæc ſententia ex eo quòd non ſimpliciter dicit, Vide terrã ad Aquilonẽ, &c ſed, Leua oculos tuos & uide à loco in quo tu es. Veroſimile eſt etiã, fuiſſe terminos terræ huius Abrahæ clariore ſpecificatione expreſſos. *Oraculum bimẽbre.*

Ad multiplicationẽ ſeminis pertinent, quæ ſubiunguntur, Et faciã ſemẽ tuũ ſicut puluerẽ terræ. Capite præcedenti memoratur, dixiſſe Dominũ Abrahæ: Faciam te in gentem magnam. Ea promiſsio clarius hic exprimit. Non ſolũ dicit, Multiplicabo ſemen tuũ, ſed ut multitudinẽ illius innumerabilẽ fore ſignificet, faciam, inquit, ſemen tuum ſicut puluerẽ terræ. Deinde ut id quomodo dictum ſit explanet, addit: Si quis puluerem terræ numerare poterit, etiam ſemen tuum numerabitur. Poterat uideri rem promiſsam eſſe impoſsibilem. Declarat igitur quomodo ſit promiſsio hæc intelligẽda. Quatenus impoſsibile eſt, ut poſteritas Abrahæ numeretur à quoq; mortalium, hactenus multitudo illius pulueri terræ eſt comparata, qui & ipſe eſt innumerabilis. Alterum oraculi membrum in eo eſt quod dicit, Surge ergo, & perambula terram in longitudine & latitudine ſua, quia tibi daturus ſum eam. Mandat illi, ut non modò è longinquo terminos terræ contemplei, ſed propius etiã ipta illius loca perãbulando inſpiciat. Omnia hæc faciebant ad inculcandam illi promiſsionis huius certitudinem ſimul & amplitudinem.

Mouens igit tabernaculũ ſuũ Abrã, &c. Hoc eſt factũ Abrahæ, quo mãdato Dei obediuit. Iuſſus erat migrare ex eo loco, in q erat, ad inſpiciendũ terrã. Id facit mãdato Dei obtẽperãs. Arbitror aũt q̃d dicit,

Mouens

Mouens tabernaculum Abram uenit & habitauit iuxta conuallem Mamræ, non sic esse intelligendum, quòd rectà ab eo loco, in quo mandatum hoc Domini accepit, ad cõuallem Mamræ, quæ est prope Hebron, profectus sit: sed quòd secundum oraculum Dei terram Canaan perambularit, ac tandem Mambre diem uersus ad conuallem hanc peracto circuitu peruenerit, ibiq; tabernaculum & altare locauerit. Alioqui non uideo, quomodo terram illam Canaan secundum iussum Dei per latitudinem ac longitudinem illius perambulauerit, nisi sentiendum sit, quòd primùm tabernacula sua in conuallem Mamræ transtulerit, & ex eo loco solus aliquot famulis comitatus, terrã perambulauerit. Conuallis aũt Mamræ dicta est ab eo qui infrà capite sequenti Mamre Amorrheus uocatur. Quæ est in Hebron, inquit, Ciuitas ista temporibus Abrahæ non uocabatur Hebron, sed hoc nominis postea ab Hebron filio Chaleb accepit. Aliàs dicta fuit Arbee, id est Quatuor, eo quòd ibi quatuor patriarchæ, Adam, Abrahã, Isaac, & Iacob sepulti sint. Erat hæc ciuitas olim metropolis Philistinorũ, & habitaculum Gigantum. Postea regnauit in ea Dauid annos septem, & menses sex. Fuit etiã ciuitas sacerdotalis & fugitiuorum. Distat ad meridianam plagam ab Aelia, id est Hierosolymis, milibus circiter uiginti duobus. Quercus autem Abrahæ, quæ & Mamre, usq; ad Constantij regis imperium monstrabat, & Mausoleum eius etiam Hieronymi tẽpore cernebatur, & terebinthus ibi superstitiose à uicinis gentibus colebatur, eo quòd sub ea Abraham angelos hospitio acceperat. Eo loco nostri ecclesiam ædificarunt. Hæc ex Hieronymo.

Illud ex more est Abrahæ factum, quòd altare eo loci ædificauit. Quoniã ibi manere aliquandiu constituerat, uoluit habere locum ubi Deum inuocaret, & sacrificaret.

QVAESTIO.

Quomodo Deus sempiternã terræ Canaan possessionem semini Abrahæ promiserit.

Omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo, usq; in sempiternum.] Quæritur hoc loco, quomodo promiserit Deus Abrahæ ac semini eius sempiternam terræ Canaan possessionem, cum illam nõ essent diu possessuri. Sunt enim illa priuati iam annos plus mille quingentos. Deinde etiamsi illam ad hæc usque tempora retinuissent, fieri tamen non posset, ut eam retinerent in sempiternum: quandoquidem totus hic mundus temporarius est, & finem habiturus: cuius sanè portio quædam est terra illa Canaan, perinde atq; aliæ regiones unà cum uniuersa totius orbis machina interitum ac finem subitura: unde sanè fieri non potest, ut à quoquam possideatur in sempiternum. Quomodo enim possideretur in sempiternum, quod sempiternum esse non potest?

Respondeo: Primùm, quòd posteri Abrahæ nõ adeò diu, sicuti præsens habet promissio, in terra Canaan manserunt, sed iam olim ex illa sunt eiecti, non aduersatur menti promittentis Dei: neq; illi dandum est uitio, sed inobedientiæ ac perfidiæ seminis Abrahæ. Habet enim promissio ista adhærentẽ conditionem: uidelicet, si sint pacti seruantes, ac manserint in fide & obedientia integri. Et de cõditione ista præmonuit eos Moses antequam terram essent ingressi, dicens: Deut. 4. Caue ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum, & facias tibi sculptam similitudinem eorum quæ fieri Dominus prohibuit, quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. Si genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in terra, deceptiq; feceritis uobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo uestro, ut eum ad iracundiam prouocetis, testes inuoco hodie cœlum & terram, citò perituros uos esse de terra quam transito Iordane possessuri estis. Non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit uos Dominus, & disperget in omnes gentes. Ergo culpa ipsorum factum est, ne possessionem terræ huius iam olim amiserunt.

Deinde ad id quòd terra Canaan in sempiternum possideri non potest, ideoq; nec sempiterna illius possessio posteris Abrahæ promitti debuit, respondendum est, in Hebr. non esse לנצח, uel עד, quæ uoculæ poni solent in scripturis, quando sempiternitas infinita est exprimenda: sed simpliciter עולם, id est, in seculum, quod non debebat uerti, In sempiternum. Neq; enim mox æternitatis est significatio, ubi Olam ponitur in scripturis: id quod multis locis euidenter ostendi potest. 1. Sam. 1. dicebat Anna de infante suo Samuele: Non ascendam, donec fuerit ablactatus puer, tunc adducam eum, ut appareat in conspectu Domini, & maneat ibi עד עולם, id est, in seculũ, perpetuò, donec uixerit. Et Deut. 15. de seruorum conditione: Et erit, inquit, tibi seruus Leolam, id est in seculum, quàm diu uixerit. Et Ier. 2. Quoniam meolam, id est, à seculo, confregisti iugum. Quòd aũt seculum non sit tempus infinitum, sed prolixum quidem, uerùm finitum, notius est quàm ut admoneam. Quare locum hic non habet, quod obijcitur, non debuisse Deum sempiternam terræ Canaan promittere possessionẽ, cum terra ipsa sempiterna esse nequeat. Non enim infinitam, sed diuturnam ac durabilem eius terræ possessionẽ promisit.

De hac quæstione scribit Augustinus libro de Ciu. Dei 16. cap. 21. ad hunc modum. Sed quod dictum est, Tibi dabo eam, & semini tuo usq; in seculum, potest mouere nõnullos, si, usq; in seculum, intelligant in æternum. Si autem in seculum hoc loco sic accipiant, quemadmodum fideliter tenemus, initium futuri seculi à fine præsentis oriri, nihil eos mouebit. Quia etsi expulsi sunt Israelitæ de Hierosolymis, manent tamen in alijs ciuitatibus terræ Canaan, & usq; in finem manebunt. Et uniuersa terra cum à Christianis inhabitatur, etiam ipsum semen est Abrahæ. Hæc ille. Satis infirma uidetur esse hæc ratio. Etenim hodie nec Iudæi nec Christiani, sed Turci terram hanc possident. Nam licet credibile sit, esse in eam usq; ad finẽ mundi aliquos tam Iudæos quàm Christianos, aliud tamen est, esse in terra, & aliud hæreditario iure possidere terram. Erant aliquando Israelitæ in Aegypto, sed non possederunt Aegyptum. In Babylone manserunt annos septuaginta, sed non possederunt Babylonem. Nec est quod obijciatur, terram hanc Canaan esse Iudæis ad finem usq; mundi promissam, ideoq; quotquot in illa uiuunt Iudæi, uiuere

A uiuere illos in sua terra, & esse ueros possessores illius, licet Turci in ea dominentur. Promissio ista non respicit priuatos quosdam paucos, sed totam seminis Abrahæ gentem. Deinde non loquitur de manssione tali, qua quis in terra cum alijs incolis habitat, sed de dominio, possessione & hæreditate terræ. At eam terræ possessionem Indæi iam olim amiserunt: nec expectandum est ut illam denuò reciperent. Quare infirmior est Augustini sententia, quàm ut quæstioni isti satisfaciat.

OBSERVATIO I.

Dixitq; Dominus ad Abram postquam diuisus est ab eo Lot.] Considerandum hic est, quòd Dominus Abrahæ apparuisse, loquutusq; esse scribitur, postquam diuisus erat ab eo Lot. Apparitiones Dei non fiunt sine singulari ratione. Vulgare dictum est, Deum & naturam nihil facere frustra. Cum Abraham esset euocandus de patria terra & domo, apparuit ei Dominus. Egresso de patria, & iam in terra Canaan constituto, rursus apparuit. Iam illi tertiò apparet, cum esset solus. Nam hactenus haud prorsus separatus fuerat ab omni cognatione patria. Credibile autem est, haud leniter fuisse turbatum illius animum, propterea quòd iam omnino solus esset, omni ea consolatione destitutus, quàm ad id usq; temporis primũ ex conuictu patris in Charran demortui, deinde ex consortio nepotis Lot humanitus acceperat. Sanctus erat, uir Dei erat, propheta erat: attamen homo cum esset, humanorum non erat expers affectuum. Quare non est cogitandum quòd separationem nepotis susq; deq; fecerit. Igitur sic turbato non deest fidelissimi Dei apparitio & consolatio. Nemo satis perpenderit, nemo satis obseruauerit, q̃ sit fidelis Deus erga eos qui firma à se fiducia pendent. Fieri non potest, ut humana consolatione destituti, haud experiant diuinam. Est & Lot iustitiæ nomine cõmendatus in scripturis: uerùm quoniam certis de causis inter ipsum & Abrahamũ suum nonnihil eam ob rem turbatum negligere: sed uoluit eum apparitione & promissione sua erigere. Quare nõ debemus cogitare, ob id apparuisse Dominũ Abrahæ, cum esset ab eo diuisus Lot, quòd coniunctionem illius ægrè tulerit, ac propter illam antea non apparuerit. Nam & antea, cum essent utriq; coniuncti, apparuisse illum Abrahæ legimus. Friuolum itaque est quod R. Shiomoh hoc loco dicit, בל דבון שחרשיע עבור חיח הרבור ברש מבחר: id est, Omni eo tempore quo quo fuit cum eo impius, separatum fuit ab ipso oraculum.

Apparitiones Dei nõ fiunt sine singulari ratiõe.

OBSERVATIO II.

Leua oculos tuos, & uide à loco in quo tu es ad Aquilonem & Meridiem, & ad Orientẽ & Occidentem. Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo usq; in sempiternum faciamq; semen tuum sicut puluerẽ terræ.
B *Quòd si quis numerare potest puluerem terræ, etiam semen tuum numerabitur. Surge ergo, & perambula terram in longitudine & latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.*] Principio considerandum est, quid sibi uoluerit Deus, quòd res longo pòst tempore demum futuras tam diu promittit antea. Poterat de illis tacere, do nec tempus esset dandi & faciendi. Dabo, inquit, terram hanc semini tuo. Et, Faciam semen tuum sicut puluerem terræ. At utrumq; etiam fine promissionibus suo tempore facere poterat: quemadmodum multa etiam alia fecit hactenus, & ad finem usq; mundi facturus est, de quibus nihil promissum legitur. Cogitandum nobis est, singularem quandam esse rationem, ac magnũ usum promissionũ Dei. Primùm indicatur, quanta sit diuinæ bonitatis propensio, ad dandum & faciendum ea quæ ultronea beneuolentia salutì mortalium destinauit. Sic enim comparati sunt, qui ex animo bene uolunt cuipiam, ut nõ solùm penes se statuant, quibus uelint eum afficere beneficijs, sed eam beneuolentiam etiam antea pollicitis declarent ac manifestent. Ea est exuberantia animi beneuoli, & ad benefaciendum propensi, ut priusquam tempus sit dandi ac benefaciendi, in promissiones erumpat. Sic econtrario, qui ira sunt uel odio aduersus quempiam malè affecti, nõ possunt cum silentio expectare ultionis opportunitatem, sed præ impotẽtia animi cõmoti prorũpunt in minas: & quod suo sunt tempore facturi, subinde se facturos minantur. Adhæc, quoniam conuenit, ut qui gratiæ Dei facti sunt participes, à prouidentia diuinæ erga se bonitatis indubitata ac firma fide pendeant, uoluit nos Deus promissionibus suis in eam fidem indu cere, qua certò persuasi futura ipsius beneficia, donec tandem præstentur expectemus, & interea quasi in luce beneuolentiæ ipsius uiuamus. Quid enim aliud est omnis promissio Dei, quàm lux quædam illius erga nos beneuolentiæ, & certificatio mentium nostrarum, ne in tenebris ignorantiæ & hæsitationum miserè fluctuemus, erremus & impingamus? Sic uolebat Abrahamum promissis inducere, ut in fide bonitatis ac ueritatis ipsius uiueret, & res futuras spe firma expectaret. Præterea ad hoc quoq; faciunt diuinæ promissiones, ut ubi res promissæ præstantur, non fortuitis euentibus, sed ueritati diuinæ gratiæ adscribantur, & cum gratiarum actione usurpentur. Hisce & alijs consimilibus rationibus satis opinor, paret, magno cõsilio Dei rebus futuris promissiones esse præmissas.

Quare Deus res longo pòst tempore futuras promittere uoluerit.

Vsus promissionum Dei.

Deinde, quid sit obseruandum in eo quòd promissiones iam antea semel atq; iterum factas repetit. Etenim quæ hic promittuntur de terra Canaan, & futuro Abrahæ semine, suprà quoq; capite præceden ti promissa leguntur. Neque hoc præter rationem factum est à Deo, quòd de rebus futuris non semel tantum promittere, sed promissiones illarum aliquoties repetere uoluit. Consuluit ea in re imbecillitati fidei. Quæ promittebantur, terræ uidelicet Canaan possessio, & immensa seminis multiplicatio, res erant prorsus humano indicio impossibiles. Solus iam erat Abram cum coniuge sterili: nec solus tantum erat, sed iam ætate grandis uterque, & ipse & coniunx: neque proles ulla erat, unde futuri seminis spes esse posset. Quare fieri poterat, ut fides promissionis huiusmodi cogitationibus incredulæ rationis adobruta periclitaretur. Voluit igitur Deus repetitione promissionis animum Abrahæ subfide erigere, & in fide confirmare. Ea est cura illius erga fideles ipsius. Sic conuenit nos illam diligenter

Repetitio promissionum Dei.

obseruare,

obseruare, quoties semel atq; iterũ promissa crebrius repetuntur & inculcantur, quæ repetitio frequẽs est in scripturis. Hoc pacto & Christus imbecillitatis nostræ rationem habet, quando frequenter æternæ uitæ promissionem in se credentibus propositam repetit dicens: Qui credit in me, habet uitam æternam. Est enim hæc fides planè talis, quæ contra carnis iudicium ac sensum irremissa opus habeat confirmatione.

Tertiò, de eo, quòd iubet Abrahamum lenare oculos, deinde & perambulare ad uidendum terram, ac pòst subiungit dicens, Tibi dabo eam, uide suprà cap. præced. ibi, Et ueni in terram quam monstrabo tibi. Quod præsentem locum concernit, considerandum est, quòd nõ solum iubet eum leuare oculos & uidere ũ longinquo, sed & surgere & terram in longitudine ac latitudine propius illam contemplando gratia perambulare. Non erat illam possessurus, nisi in posteris post aliquot annorum centurias, & tamen iubetur eam perambulare perinde ac si esset illam iamiam possessurus. Admonemur hoc exemplo, quàm uelit nos Deus ea quæ promissa sunt, ac demum in fine mundi posidenda, alacri animo & fide contemplari, & longitudine pariter ac latitudine, hoc est, immensa illorum amplitudine, perinde ac si iamiam illa possessuri simus oblectari. O felicem animum, qui in hac uita constitutus cœlestis ac promissæ patriæ amplitudinem ac felicitatem affectibus fidei perambulat, & oculis mentis contemplatur, ut uerè cum Apostolo dicere possit: Nostra conuersatio in cœlis est, ubi Christus est, &c.

Quare uoluerit Deus terram ab Abrahamo nõ solũ inspici, sed & perambulari.

Quartò, nec illud traseundum est, quod dicit: Faciamq; semen tuum sicut puluerem terræ. Si quis numerare poterit puluerem terræ, etiam semen tuum numerabitur. Cogitemus hic quare uoluerit Deus semẽ Habrahæ ad posidendum terram promissam usqueadeò multiplicare, ut perinde ac puluis terræ innumerabilis fieret, cum posset terræ huius promissionem alia ratione ducere in effectum. Poterat etenim terram hanc subijcere ac posidendã dare Abrahæ ac semini eius more regio, quemadmodũ illam Dauidi ac semini eius subiecit. Facillimũ erat sic reddere Abrahamum potentem, præsertim cum de cæde regum reuerteretur, ut toti terræ Canaan imperaret, deinde semini suo sedem regni in ea terra posuisset iure hæreditario relinqueret. Hoc pacto utiq; possedisset Abraham terram Canaan, illiusq; possessionẽ transmisisset in filios, nepotes ac posteros suos per continuã & indiuulsam successionis seriẽ, nec opus fuisset tanta seminis multiplicatione, qua posteritas ipsius perinde ac puluis terræ innumerabilis redderetur. Erat hoc Deo præstitu facillimum, id quod aliàs facere solet, regna subijciens quibus uoluerit uerùm amplius ac perfectius quiddam agebat in hac Abrahæ causa. Et reges quidem illi dedit, qui mere regio terram promissam gubernarent, quemadmodum illi infrà cap. 17. promisit: simul tamen & populum illi dare uoluit, qui nõ esset alienus ab ipsius sanguine, sed uterinus & hæreditarius, ad quẽ ius eius terræ pertineret, & qui expulsis nationibus impijs terram multitudine sua impleret ac possideret. Volebat uidelicet plenam dare possessionẽ semini Abrahæ: uolebat eam terram esse sanctam, hoc est, nomini suo consecratam: uolebat illam inhabitari ac posideri per semen Abrahæ non modò regaliter, sed & populariter: uolebat parare sibi non solum reges potentes è lumbis Abrahæ, sed & populũ sibi peculiarem ac sanctum: uolebat hunc usqueadeò multiplicare, ut similis esset pulueri terræ, & abundè ad occupandum & posidendum terram promissam sufficeret. Ipsum Abrahamum non solum regum, sed & populi innumerabilis patrem esse uolebat, sicut infrà uidebimus, ubi de nominis illius ratione, obquam dictus est Abraham, memorabitur. Quare non est præter rationem factum, quòd promissioni terræ simul & multiplicandi seminis promissionem adiecit.

Ratio multiplicati seminis Abrahæ.

Simul tamen & illud cogitemus. Præclarum quidem diuinæ bonitatis argumentum hac in re positum est, quòd semen Abrahæ, in gratiam assumptum noluit numero esse paucum, sed instar pulueris terræ multiplicatum, ut innumeri essent tam eximiæ gratiæ ac felicitatis participes, de quo propheta canit dicens: Beatus populus, cuius Dñs Deus eius. Verùm plurimum refert, quomodo ista carnalis seminis multitudo sese in conspectu Dei gerat. Neq; enim ex eo consistere, scq; ipsa conseruare poterit, quod est innumera, neq; mox æternæ salutis particeps est quisquis ad hanc multitudinem carne pertinet, sed omnis salus tam temporaria quàm æterna à sola gratia Dei pendet. Hinc illud ab Apostolo obseruatum ac citatum Rom. 9. Si numerus filiorum Israel fuerit sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient. Et, Nisi Dominus Zebaoth reliquisset nobis semen, sicuti Sodoma facti essemus, & Gomorrhæ similes fuissemus. Licet immensa sit gratia Dei, & ad hanc uocentur innumeri, sitq; hoc diuinæ bonitatis ingenium, ut multorum salute delectetur: haud tamen ulla est apud eum multitudinis catholicè peccantis & impœnitentis prærogatiua. Quare cauendum est, ne quis eò peccet securius, quòd cum multitudine catholica peccat. Quẽadmodũ enim in causa salutis nihil detrimenti senties, si piè uiuas cum paucis: ita nihil prærogatiuæ habebis si impiè egeris cum innumera & catholica multitudine. sed quemadmodũ pecas cum multis et uiam gehennæ cum multis ambulas, ita cum multis etiam damnaberis. Multitudo populi Dei duplicẽ habet respectum, fidei unum, carnis alterum. Fidei respectus ad hoc mouet, ut in illa diuinæ bonitatis, gratiæ & gloriæ amplitudinem consideremus ac deprædicemus. Huc seruiebat Abrahæ præsens promissio, seruitq; pijs ac fidelibus omnibus. Carnis respectus decepit carnales Israelitas, qui de multitudine hac carnali gloriabantur ac præsumebant, usqueadeò, ut & Dauid huiusmodi tentationi succubuerit, ac populum Israelis numerando grauiter peccauerit. 2. Sam. ult. Viderint illi, qui impensè gloriantur ac præsumunt de catholica Christianorum multitudine, & ex illa argumenta colligunt, quibus manifestos errores excusent, & nescio quam sibi securitatem contrahant.

Multitudo populi Dei duplicem habet respectũ.

OBSER-

Exemplum ueræ & obedientis fidei.

Mouens igitur tabernaculum suum Abram, uenit & habitauit iuxta conuallem Mamre, quæ est in Hebron, ædificauitq; altare Domino.] Proponitur hic exemplum obedientiæ, uel si mauis, ueræ & obedientis fidei. Oraculum Dei duo habebat: promissionem uidelicet & mandatum. Promissio fidem, mandatum obedientiam requirebat. Haud enim minus debetur fides promittenti Deo, quàm obedientia mandati. Ergo non est integra, non est uera, ac germana obedientia, quæ sine fide præstatur. Quare non est dubitandum, credidisse Abrã Deo terram illam, ac seminis multiplicationem promittenti, ideoq; & peragrationem terræ præcipienti obediuisse. Sic obediendo fidem suam declarauit, & Moses obedientiam illius tanquam opus fidei loco fidei commendauit. Verùm ea de re & suprà monui, cap. 12. ibi, Egressus est iraq; Abram sicuti præceperat ei Dominus. De eo, quòd subinde migrandum fuit Abrahæ, & quòd sedem in nulla fixit ciuitate, sed in tentorijs extra ciuitates habitauit, deinde quòd altare Domino cõstruxit, quæ obseruanda sint, uide suprà cap. præced. ibi, & pertransiuit Abram terrã usq; ad locum Sichem, & in sequentibus.

CAPVT XIIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Describitur hoc capite, primùm dexteritas fidelis Abrahæ, qua cæsis hostibus uicinos Sodomitas & nepotem suum Loth liberauit: deinde, quid illi honoris ob eam uictoriam contigerit, & qualem se, cum uictor esset, gesserit.

FActum est autem in illo tempore, ut Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlaomor rex Elamitarum, & Thadal rex Gentium, inirent bellum contra Basa regem Sodomorum, & contra Bersa regem Gomorrhę, & contra Sennaab regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboym, contraq; regem Balæ: ipsa est Segor. Omnes hi conuenerunt in uallem Sylueſtrem: quæ nunc est mare salis. Duodecim enim annis seruierant Chodorlaomor, & tertiodecimo anno recesserunt ab eo. Igitur quartodecimo anno uenit Chodorlaomor, & reges qui erant cum eo, & percusserunt Raphaim in Astaroth, & Carnaim & Zuzim cum eis & Aenim in Sabe Cariathim, & Chorrheos in montibus Seir, usq; ad campestria Pharan, quæ est in solitudine. Reuersiq; sunt & uenerunt usq; ad fontem Mispat, ipsa est Cades, & percusserunt omnem regionem Amalechitarum, & Amorrheorum, qui habitabant in Asasonthamar. Et egressi sunt rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, & rex Adamæ, & rex Seboym & rex Balę, quę est Segor, & direxerunt aciem contra eos in ualle Sylueſtri, scilicet aduersus Chodorlaomor, regem Elamitarum, & Thadal regem Gentium, & Amraphel regẽ Sennaar, & Arioch regem Ponti, quatuor reges aduersus quinq;. Vallis autem Sylueſtris habebat puteos multos bituminis. Itaq; rex Sodomorum & rex Gomorrhæ terga uerterunt, ceciderunt q; ibi. Et qui remanserant, fugerunt ad montem. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum & Gomorrheorum, & uniuersa quæ ad cibum pertinent, & abierunt. Necnon & Lot & substanti eius filium fratris Abrahæ, qui habitabat in Sodomis.

LECTIO.

Factum est autẽ in illo tempore, ut Amraphel rex Sennaar.] In Hebræo est, ויהי בימי אמרפל מלך שנער Legitur hic uersus trifariam. Primùm sic: Factum est in diebus Amraphel regis Sennaar, Arioch rex Ellasar, & Chodollogomor rex Elam, & Thargal rex gentium, bellum gesserunt, &c. Sic uerterunt Septuaginta & Pagninus. Deinde ad hunc modum: Et factum est in diebus Amraphel regis Sinnar, Arioch regis Aelasar, Kedarlaoiner regis Elam, & Tideal regis Gentium. Et commiserunt hi prælium, &c. Sic legit Monsterus. Tertiò sic: Et factum est in diebus illis, ut Amraphel rex Sinear, Arioch rex Aelasar, Kedarlaomar rex Elam, & Thideal rex Gentium bellum inirent, &c. Sic legit uulgata latina & Tigurina. Hæc posterior lectio non displicet. Suspicor enim legendum esse in Hebræo

ריהי בימים חחם,id eſt, Et factũ eſt in diebus illis. Videtur enim Moſes magis admonere acciduſſe hanc hiſtoriam poſt diuiſionem Loth ab Abrahamo, quàm quòd in diebus regum illorum acciderit, quorum mentionem facit. Etenim quid opus erat ſignificare, facta eſſe hæc in diebus eorũ regum à quibus hoc bellum eſt geſtum? Cæterùm quod latinus legit Sennaar,in Hebræo eſt שנער Schinear. Et quod ſecundum Hebræam lectionem eſt Amraphel, Græcus legit Αμαρφαὴλ, id eſt Amarphal. Sic legi poteſt Hebræa uox ſine punctis,quemadmodum tum temporis Hebræa legebantur.

Et Arioch rex Ponti.] Hebræus habet,Et Arioch rex אלסר,id eſt Elaſar.Et Grecus uertit ἐλλασὰρ,id eſt Ellaſar.Annotauit Monſterus perperam legi,rex Ponti,cum Pontus & regiones horum regũ longiſſimo ſpacio à ſe inuicem diſtent.

Chodorlaomor.] In Hebræo eſt בדרלעמר,id eſt Kedarlaomer. Græcus legit χοδολλογομὲρ.

Et Thadal.]Hebraicè תדעל,id eſt Thideal. Græcus uertit θαργὰλ. Legit res pro daleth,& gal pro al.

Contra Baſa regem Sodomorum.] In Hebræo eſt את ברע,id eſt, Cum Bera. Græcus legit,μετὰ βαλὰ,id eſt cum Balla.Latinus pro res Sain, Græcus uerò lamed legit.

Et contra Berſa.] In Hebræo legitur Birſa. Græcus habet Barſa. Et Semeber.Hebræus, שמאבר,id eſt, Et Schemeeber. Græcus legit Symobor. Contraq; regẽ Balæ.In Hebræo eſt Bela. Græcus legit Balac. Solet enim literam ע, ain per gain proferre,ut בלע ſit Balag. Ipſa eſt Segor, Hebræus habet Zoar. Græcus legit σηγώρ. Etenim Græci pro mollicie ſua literam ע legunt per s & ain per gain.

Omnes hi conuenerunt in uallem ſylueſtrem.] Hebraicè eſt אל עמק השדים, id eſt in ualle camporum, uel agrorum.Nonnulli retinent Hebræam uocem,ac legunt,in ualle Siddim. Græcus uertit ἐπὶ τὴν φαγγα τὴν ἁλυπὴν, id eſt in uallem ſalſam,uel, ut Hieronymus legit, uallem ſalinarum. Aquila uertit τῶν περιπεδίνων, Theodotio,τῶν ἀλσῶν. Intellexerũt enim per uallẽ Siddim amœna nemora. Sũt noſtro ſeculo, qui interpretentur, uallem Cinerum, eo quòd dages eſt in daleth,ut appareat eſſe שדי,id eſt cineres. Arbitrantur id nominis ab eo ſumptum,quod poſt incendium Sodomorum accidit,ubi plenicies illa facta eſt cineroſa, circa lacum mortuum.

Et percuſſerunt Raphaim.] Græcus reddidit Gigantes.Sic legit & Hieron.

In Aſtaroth,& Carnaim.] Coniunctio,Et,in Hebræo non eſt,ſed in Aſtaroth Carnaim.

Et Zuzim cum eis.] Non eſt in Hebræo בחת,id eſt in eis,uel עחת,id eſt cum eis,ſed ברת,id eſt in Ham. Et Græcus legit ἅμα αὐτοῖς.

Et Aemim.]Græcus uertit,καὶ τὸς σομαίους. Sigma tollenda eſt. Apparet interpretem pro אימית legiſſe ארמית.

In Sabe Cariathim.] Lege in Schaue Kiriathaim. Hieron. dicit eam ciuitatem ſuo adhuc tempore fuiſſe nomine uocatam.Et Græcus legit ἐν σαυὴ τῇ πόλει,id eſt, in Saue ciuitate. Monſterus & Tigurina legunt, In planicie Kiriathaim. Verbũ שוה aliquãdo æquare ſignificat, unde illi uerterũt planiciem.

Et Horræos in montibus Seir.] Hebræus habet בחררה שעיר,id eſt in montanis eorum Seir. Suſpicor legendum eſſe בחררי שעיר.

Vſq; ad campeſtria Pharan.] In Hebræo eſt, ער איל פלך.Reddunt nonnulli, uſq; ad planiciem Paran. Græcus habet ἕως τῆς τερεβίνθε τῆς φαραὴν, id eſt,uſq; ad Terebinthum Pharan.

Quæ eſt in ſolitudine.] In Hebræo eſt על המדבר,id eſt ſuprà uel iuxta aut uerſus ſolitudinem. Monſterus uertit,iuxta deſertum,quemadmodum & Tigurina.Et R. Shlomoh legit אצל המדבר, id eſt iuxta deſertum. Pagninus,ſuper deſertum.

Vſq; ad fontem Miſpat.] Græcus Hebræam uocem Miſpat uertit,legens,ἐπὶ τὴν πηγὴν τῆς κρίσεως, id eſt ad fontem iudicij. Pagninus, Tigurina & Monſterus legunt, ad En Miſpat. Sonat autem עין & fontem & oculum.Quoniam dubium eſt, quid uerti debeat, uoluerunt iſti Hebræas uoces retinere.

Et percuſſerunt omnem regionem Amalechitarum.] Græcus habet πατάξας τὰς ἀρχοντας ἀμαλήκ, id eſt omnes principes Amalechitarum. Pro כל שדה העמלקי, uidetur legiſſe כל שרי העמלקי, id eſt omnes principes Amalek.

In ualle Syluestri.] In Hebræo eſt,in ualle Siddim.de qua uoce ſuprà monui.

Vallis autem Syluestris habebat puteos multos bituminis.] In Hebræo eſt בארת בארת חמר, id eſt putei putei bituminis. Pagninus legit, plena erat puteis cæmenti. Tigurina ſic, Abundabat foueis argilloſis.

Tulerunt autem omnem ſubſtantiam Sodo.] Græca uerſio habet quædam, quæ non ſunt in Hebræo. Sic enim legit, ἔλαβον δὲ τὴν ὀρεινὴν, καὶ ἐπρονόμευσαν τὴν ἵππον πᾶσαν τοῦ Σοδόμων καὶ γομόρρας, id eſt,Cœperunt autem montana, & diripuerunt omnem equitatum Sodomorum & Gomor. Quod in Hebræo eſt רכש,id eſt ſubſtantia,uertit equitatum. Error ex eo eſt,quòd ſine punctis רכש legit pro רכש, quæ uox ſpeciem quandam equorum ſignificat. Et tamen ubi de ſubſtantia Loth eadem uox in Hebræo ponitur,uertit non τὴν ἵππον,id eſt equitatum, ſed τὴν ἀκοσμευσὴν, id eſt apparatum, ſupellectilem, ſarcinam,& impedimenta.

EXPLANATIO.

Proponitur à Moſe hiſtoria bellica de quibuſdam regibus, haud propter cõmendandum illorũ factum,ſed propter celebrandũ opus Abrahæ,quo de inſequentibus eſt memoraturus. Sunt añ hiſtoriæ huius narrationis tres partes.Prima ſummatim meminit,ſuſceptum fuiſſe bellum ab Orientalibus quibuſdã regibus aduerſus reges quinq; ciuitatum Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Zeboym,& Belæ. Propter fidẽ hiſtoriæ & tẽpus belli & nomina utriuſq; partis regum exprimit. Ad tẽpus pertinet qđ dicit, Factum *Pars prima.*

Factum est in illo tempore.] Quemadmodum in lectione memini, uidetur Moses loqui de tempore quod diuisionem Loth & Abrahæ aliquanto pòst secutum est. Etenim euenit hoc bellum cum Abram iam non solum habitaret in Hebron, sed fœderis quoq; amicitiam cum Mamre, Eschol & Aner, eius regionis dominis contraxisset.

Vt Amraphel rex Semaar, &c.] Regum Orientalium nomina præmittit, & Chronographiæ prosopographiam subijcit. Hic Amraphel, siue fuerit ipse Nimrod, quod nonnulli putant, siue illius successor, omnino rex Babyloniæ fuit, quæ hic Sinear uocatur, de qua uoce & suprà in historia de turre Babel facta est mẽtio. Et Chald. interpres uertit, טמלכא רבבל, id est, rex Babel nominatur hic prior, proptera quòd potentior fuit reliquis. Arioch rex Elasar haud constat quis fuerit. Arbitrantur nonnulli Elasaram fuisse oppidum Syriæ, cuius rex fuerit Arioch. Kedarlaomer rex Elamitarum. Hunc dicunt fuisse regem Persiæ. Elamitæ ab Elam sunt filio Sem. Et Thidal rex Gentium. Alij putãt huius populum fuisse ex multis nationibus collectũ, ideoq; uocari & ciuitatẽ regni eius דגרי. & illud, Regem Gentium, sic legitur in רבה בראש שיח. Alij sentiunt eum imperasse gentibus ad mare mediterraneũ habitantibus, & occupasse Ciliciam & alias uicinas regiones. Chald. uertit מלכא דעממיך, id est regem populorum, propterea forsan, quòd regnum haberet populosum, quo sensu regem Scotiæ regem uocant populorum, uel quòd non uni tantum, sed multis populis imperaret. Hos quatuor reges bellum mouisse scribit aduersus reges Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Zeboym & Belæ, ponitq; priorum quatuor nomina: quintum uerò duntaxat regem Belæ uocat, tacito illius nomine. quod suspicor factum esse propterea quòd oppidum Bela exiguum fuit, unde & Zoara, id est parua ciuitas uocabatur. quare non fuit tanta regis huius existimatio, quanta aliorum quatuor. Pertinent ista ad primã partem huius historiæ, quò etiam referendum est quod dicit, Omnes hi cõuenerunt in uallem Syluestrem, uel salinarum, quæ nunc est mare salis. Hic est lacus Asphaltites, id est bituminis: aliàs, mare mortuum, uel mare salsum. Collectus est hic lacus post incendium Sodomorum in ea ualle, quæ antea plena erat uel salinis, uel fossis argillosis, uel utrisq;. Quòd si illic salinæ fuerunt, in promptu ratio est, quare stagnum hoc salsum existat, cum sit non mare, sed lacus haud adeò magnus. de quo Iosephum uide de bello Iudaico libro 5. capite 5.

ὀνοματογραφία uel προσωπογραφία.

CAVSA BELLI HVIVS.

B *Duodecim enim annis seruierant Kedarlaomer, & tertiodecimo anno rebellarunt illi. Igitur quartodecimo anno uenit Kedarlaomer &, reges qui erant cum eo.*] Habent ista *αἰτιολογίαν*, & ad secundam narrationis huius partem pertinent. Assignatur causa belli huius, defectio ac rebellio regum Sodom. Gomor. Ada. Sebo. & Belæ. Illa declaratur per id quod dicit, Duodecim enim annis seruierant Kedarlaomer, & tertiodecimo anno מרדו, id est rebellarunt. Exprimuntur duo. Vnum, quis fuerit expeditionis huius bellicæ author, uidelicet Kedarlaomer, cui cæteri tres reges auxilia tulerunt. Alterum, unde orta sit huius belli causa: ex eo uidelicet quòd quinq; nominati reges cum annos 12. tributarij fuissent Kedarlaomer, anno tredecimo rebellarunt. Vnius anni rebellionem nõ tulit Kedarlaomer, sed mox anno sequenti quartodecimo adiunctis uicinis regibus ad ulciscendum prorupit.

EVENTVS BELLI.

Et percusserunt Raphaim in Astaroth Carnaim.] Hæc est tertia pars huius historiæ continens ea quæ hinc ad factum Abrahæ usq; memorantur, quibus belli huius euentus & fortuna describitur. Primùm recensentur sex populi à regibus Orientalibus percussi, Raphaim uidelicet, Zuzim, Aemim, Chorræi, Amalechitæ & Amorræi. Raphaim fuere gigantes uel magistratum gerentes, uel aliàs propterea sic dicti, quòd essent ueluti seruatores ac curatores suorum. Zuzim sunt robusti, Aemim terribiles, Chorim nobiles ac principes, quòd illi albis solerent uestiri. Nam חור album significat. Hieron. sic: Chorrei de foraminibus, quos uocant Troglodytas. Amalekitæ & Amorrei nota sunt nomina, uerùm an hi quos Moses hic recenset, tum cũ ista gererẽtur hisce nominibus sint uocati, incertũ est. solet enim Moses fœnumero & loca & gentes illis uocare nominibus quibus appellabantur cum ista scriberet. Astaroth Carnaim terra Gigantum est, inquit Hieron. quondam in supercilio Sodomorum, quos interfecit Kedarlaomer. Sunt hodie quoq; duo castella in Batanea hoc uocabulo, nouẽ inter se milliaribus separata inter Adarã & Abilam ciuitates. Et alio in loco, Carnaim Astaroth, inquit, nunc uicus est grandis in angulo Batanææ, & appellatur Caruæa, trans fluenta Iordanis: traduntq; fuisse ibi domum Iob. Ham uel ut Hieron. legit, Hom, quis locus fuerit, nõ inuenio. Vicinus tamẽ dubio procul fuit Astaroth Carnaim. Saue ciuitas antiqua fuit, inquit Hieron. in qua habitarũt Ommei (sic uocat Aemim) gens ualida, super regionem Sodomæ, quã excidit Chodorlaomer. Seir mons in terra Edom est, in qua habitauit suo tempore Esau, à quo, quòd pilosus esset, mons iste Seir, id est pilosi, nomen accepit. Pharan notus locus est. Num. 13. Per hunc iter fecerunt filij Israel, cum de monte Syna castra mouissent. Est trans Arabiam contra australem plagam, & distat ab Aula contra Orientem itinere trium dierũ. Cades, inquit Hieron. ubi fons est iudicij, & Cadesbarne in deserto, quæ cõiungitur ciuitati Petræ in Arabia. Ibi occubuit Maria, & Moses rupe percussa aquam sitienti populo dedit. Monstratur ibidem usq; in præsentem diem sepulchrum Mariæ. Sed & principes Amalek ibi à Kedarlaomer cæsi sunt. Hazazon Thamar. In hac, inquit Hieron. habitabant aliquando Amorræi, quos interfecit Kedarlaomer iuxta eremum Kades. Interpretantur autem nonnulli Hazazon Thamar, urbem palmarum, eo quòd Thamar palmam significat. Chaldæus interpres habet בעין גדי, id est Engadi. Quare autem reges Orienta-

Chaldaic. uertit, גיברי, id est fortes.

les cum bellum Sodomitis & Gomorrheis mouissent, uicinos illorũ Raphaim in Astaroth Carnaim, & Zuzim, & Aemim, & Choreos in montanis Seir, & Amalechitas & Amorræos percusserint priusquam cum Sodomitis confligerent, non est à Mose expressum. Multæ possunt esse huius rei coniecturæ. Mihi res incerta uidetur, quicquam hic statuere, tacentibus historijs.

Deinde memoratur, quomodo etiam quinq; reges Sodomorũ, Gomorrh. Adamæ, Zeboym, & Bela in eo bello percussi ceciderint. Et egressi sunt, inquit, rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, & rex Adamæ, &c. & duxerunt aciem contra eos in ualle Syluestri. Suprà dixit eos congregatos fuisse in uallem Syluestrem. Hic dicit eos esse egressos ad pugnandum, & in ualle Syluestri aciem cõtra Orientales direxisse. Ergo tum demum in eam uallem cõuenerunt, cum audissent Orientales cæsis uicinis se quoq; impetere, ut quod suprà dictum est, per anticipationem sit dictum.

Illud, Vallis autem Syluestris habebat multos puteos bituminis, topographiam habet, qua significatur, qua sint industria usi Sodomitæ, ut hostem loco difficili adorirentur, in quo difficilis illi & periculosus, tanquam eius loci ignaro & insueto, futurus esset conflictus.

Tandem euentum belli exprimit dicens. Itaq; rex Sodomorum & Gomorrhæ terga uerterunt, ceciderunt q; ibi, &c. fortuna belli aliter cecidit, quàm Sodomitæ sperauerant. licet pugnandum esset hosti loco inquiore, impetum tamen illius non sustinuerunt homines delicati ac molles, quare non simpliciter cæsi, sed terga uertisse, ac sic cæsi memorantur.

Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum & Gomorrheorum, &c. An de spolijs tantũ sit intelligendum, quæ post fugam Sodomorũ in castris repererunt, uel quòd ipsas etiam ciuitates sint deprædati, non satis est expressum. Verosimile est, discessisse illos ciuitatibus profligatorũ intactis. Quam quam rursus diuersam opinionem gignere uidetur, quòd non solum substantiam Sodomorum, sed & mulieres secum abduxisse scribuntur, sicut infrà uidebimus. Si mulieres & omnem substantiam ac populum abduxerunt, potest esse coniectura quòd ciuitates percussorum deprædati sint ac de populati.

Nec non & Loth & substantiã eius. Meminit huius propter sequentia, quorum gratia belli huius historiam narrare uoluit.

QVAESTIO.

Quare Moses bellicã hanc Orientalium regũ historiã tam uoluerit fuse conscribere.

Haud præter rationẽ fuerit, si quærat quisquam, quanam de causa Moses bellum hoc gentium impiarum, & à uera unius Dei religione prorsus alienarum, uerbis tam multis & sic accuratè conscribere uoluerit, ut uix aliã quampiã historiã diligentius sit prosecutus. Cogit diligẽs lector interea dũ historiæ huius prosopographias, arithmographias, topographias & phomographias legit, cogitare secũ haud uulgarẽ subesse tantæ diligẽtiæ causam. Cõmuniter sic sentiũ, uoluisse Mosen ista tam fuse ac diligenter cõmemorare, propter illustrandũ & amplificandũ factũ Abrahæ, quod mox erat subiecturus. Qui ita dicunt, aliquid, sed meo iudicio, non plenè quod res est dicũt. Hærent in particulari, & nõ de toto proposito Mosis cogitant. Scripsit ista Moses, cum Israelem in terram Canaan secundum promissiones patribus factas introducendum suscepisset. Erat ea res in oculis carnis impossibilis, & populus ipse uehementer hæsitabat, q; fide nondũ esset cõfirmatus. Huc accedebat, quòd exploratores è deserto Pharan ad considerandum terrã missi, cum reuersi essent animos populi consternatos ac deiectos reddebant dicentes, habere terram illam cultores fortissimos, urbes grãdes ac muratas, uidisse se ibi stirpem Enach, Amalech habitare in meridie, Ethæos & Iebusæos & Amorræos in montanis, Cananæos iuxta mare & circa fluenta Iordanis. Populum terræ esse statura Gigantea: fieri non posse ut expellatur. Commodum igitur, cum in historiã hanc propter memoranda Abrahæ facta incidisset, uoluit causæ, quam administrabat, hoc pacto seruire, ut cædes fortissimorũ populorum, gigantum, Zuzim, Aemim, Choreorum, Amorrhæorũ, Amalechitarũ, & Sodomorũ in ipsa illorum terra à quatuor Orientalibus regibus factas tam fuse ac diligenter exponeret, quo Israelem admoneret, quàm facilè sit Domino gentes impias quantumuis robustas quibus uoluerit proterendas & extirpandas dare. Sic meminit Sodomitas fuisse malos & peccatores Domino ualde. Sic nominatim robustas gentes cæsas expressit, sic adiecit à quatuor regibus quinq; fuisse percussores. Et huc illud potissimũ facit, quod de Abrahamo cõmemorarit. Omnia hæc seruiebãt fidei populo Israelis faciendæ, nõ esse rem adeò difficilem, sicuti uidebãt, Gentes terræ promissæ expellere & excidere, modò à fide promissionũ Dei nõ deficerent. Ad hunc scopum arbitror spectasse Mosen, cum bellum hoc Orientalium tam est diligenter prosequutus.

OBSERVATIO I.

Antiquæ sunt bellorũ furiæ ac regnãdi libidini cognatæ.

Factum est autem in illo tempore.] Videtur historiæ huius narratio prorsus esse ieiuna ac sterilis. Verùm si diligenter inspiciatur, habet pleraq; haud indigna quæ considerentur. Principiò chronographia, quæ statim initiò ponitur, admonet quàm antiquæ sint bellorum furiæ. Videmus eas coæuas esse tyrannidi ac regnandi libidini. Peruetustũ est utrunq; malum. Audimus hic nomina pariter & bella regũ. Quamprimum cœpit potentia regum, mox cognatus accessit bellandi furor, qui pro natura mali subinde magis ac magis factus est indomitus & omnibus gentibus catholicus. Quare nemo cordatus admirabitur, quòd postremis istis temporibus bellica crudelitas etiam inter Christiani nominis professores sit creuit in immensum.

OBSERVATIO II.

Vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Elasar, & Kedarlaomer rex Elamitarũ, & Thidal rex Gentiũ.] Animad-

A Animaduertendum est in isto regum catalogo, quomodo cœperint regna, & quæ fuerint regum cùm primordia, tum incrementa. Amraphel rex Sennaar, inquit. Sennaar aũt Babel est prima ciuitas post diluuiũ, in qua exorta est prima tyrannis. Sic initiò suæ quisq; ciuitatis magistratus rex erat. Tales erant primi reges. Hinc legimus, rex Sennaar, rex Ellasar, rex Sodomæ, rex Gomorrhæ, rex Admæ, &c. ita ut & Belæ paruæ ciuitatis gubernator rex sit dictus. Deinde cœperunt ciuitatum reges per occasionem amplificare & extendere dominiorum suorum pomeria, & ex regibus ciuitatum fieri reges intergræ alicuius gentis. Sic legimus hic Kedarlaomer uocari regem Elamitarum. Tales erant reges Ammonitarum, reges Moabitarum, reges Israel, &c. Tertiò, quoniam nullus certus est ambitionis finis, cœpit regnandi libido ad plures populos extendi, sic ut rex unus non iam uni tantum ciuitati, aut uni genti, sed pluribus etiam populis & nationibus imperaret. Talis fuit Thidal rex Goym, id est gentium ac populorum. Talis etiã fuit rex Kedarlaomer, qui frena tributi Sodomitis ac uicinis alijs ciuitatibus imposuit. Tales euaserunt reges Babel, reges Assyriorum, reges Græcorum, reges Persarũ, ac reges Romanorum, qui multis populis dominio suo subiectis perinde imperiorum fines propagarunt, ac si toti prorsus essent orbi imperaturi. Tam uidelicet insatiabilis est in corde humano regnandi ac dominandi libido, ut perpetuò plus ultrà moriantur, quotquot hoc morbo laborant. Et Episcoporum hæc fuerũt primordia, ut initio unius ciuitatis parœcus, Episcopus esset. Postea crescente Christianismo, creuit etiam Episcopalis ambitio, & duabus, tribus, &c. ciuitatibus unus præesset Episcopus. Tandem integræ regiones uni subiectæ sunt Episcopo: immò Rom. Episcopus ad totius Christiani orbis monepiscopatum aspirauit.

OBSERVATIO III.

Indefessa regnãdi cupiditas.

Iuerent bellum contra Bera regem Sodomorum, &c.] Qui considerant locorum ac regionum distantiam, colligunt à Persia unde Kedarlaomer, & à Sennaar unde Amraphel expeditionẽ mouit, ad Sodomitas usq; milliaria supra ducenta. Qua in re admonemur, primùm quàm sit indefessa regnãdi cupiditas, qua tam remotæ gentes tyrannica uiolentia impetuntur. Consimilis furor erat, quo Romani olim sanguine totius orbis regni sui fines in infinitum extendere moliebãtur, & quo iam seculis aliquot Turcorum Imperatores rapiuntur. Deinde quomodo soleat Deus magnos, potentes ac diuites populos per nationes è longinquo euocatas humiliare ac uastationi tradere: id quod se facturum Israelitis sæpenume ro comminatus est, si pergerent esse impœnitentes & immorigeri. Sic Deut. 28. legimus: Adducet Dominus super te gentem magnam de longinquo, & de extremis terræ finibus, in similitudinẽ aquilæ uolantis cum impetu, cuius linguam intelligere non poteris, &c. Quid Christianis regionibus acciderit hactenus, norunt illi quibus Turcicæ historiæ sunt cognitæ: & quid expectandum sit in posterũ, præsentiunt ac præuident homines cordati, qui corruptionem Christiani orbis inemendabilem ac deploratam considerant.

Solet Dominus gẽtibus è longinquo uocatis ad castigandũ suos uti.

OBSERVATIO IIII.

De stagnis aquarum.

Omnes hi conuenerunt in uallem Siddim, quæ nunc est mare salis.] Multa sunt stagna, multi lacus, quibus multæ ualles usibus humanis accommodæ occupantur. Quamuis autem uerosimile sit magnam illorum partẽ primordia sua accepisse à diluuio, uidemus tamen hoc loco propter peccata incolarum uallem agrorum cultorum ac fertilium ad exemplum iræ & ultionis diuinæ commutatam esse in lacum salsum & acerbũ. Quare nemo glorietur plus æquo de loci alicuius fertilitate, quãdo per potentiã Dei, si exacerbetur, quod irriguum est, in summam ariditatem: quod fertile, in sterilitatem: quod cultum & amœnum est, in solitudinem: quod habitabile, in stagnum nullis usibus accommodum propter peruersitatem hominum peruerti potest.

OBSERVATIO V.

Iudicio Dei peccatores seruituti subijciuntur.

Duodecim annis seruierant Kedarlaomer, & tredecimo anno rebellarunt illi.] Qui mundum ethnicorum sine prouidentia Dei non gubernari, sed temerè ferri putant, in huiusmodi historijs gentilium nihil nisi casus humanarum rerum uarios, incertos & instabiles considerant. Nos uerò, qui ut mundum uniuersum uerbo Dei conditũ credimus, ita diuina etiam bonitate, sapientia, potentia, prouidentia, iustitia & dispositione non solum res populi Dei, fidelium & electorum, sed & totius mundi statũ, uitã, & omnia gubernari non dubitamus, in historijs rerum humanarum cùm sacris tum prophanis cursum iudiciorũ Dei peccata filiorũ hominũ quorumcũq; punientis & castigantis obseruare debemus. Quod itaq; præsentem locum concernit, uidemus exemplum iudicij Dei, quo propter impietatem & corruptionem uitæ reges ac gentes unius hominis tyrannidi subijciuntur. Sic reges Sodomorum, Gomor. Admæ, Zeboym, & Belæ libertate uitæ, qua fuerant ad infandam molliciem & uitæ corruptionem abusi priuauit, & tanquã indignos libertate seruituti Kedarlaomer subiecit. planè indigni sunt qui liberè uiuant, nedum imperent, qui delicijs carnis immersi, serui sunt omnis generis uitiorum ac facinorũ facti, quales dubio procul Sodomitæ isti cum uicinis suis erant.

Ordo diuinæ castigationis.

Simul ordinem diuinæ castigationis obseruemus. Quatenus ex historijs hisce sacris colligere licet, apparet Deum gentem Sodomorũ ob id primùm seruituti subiecisse, ut humiliata emendaretur. Verùm quàm inemendabiles manserint, ex eo facilè liquet, quod suprà dictũ est: Erant Sodomitæ mali & peccatores Domino ualde. Maliciã illorũ seruitutis iugum haudquaquã emendauit, sed in ipsa seruitute in studijs maliciæ & grauissimis sceleribus incorrigibiliter perrexerũt. Quapropter iustissimo iudicio Dei factũ est ut grauiori flagello cæderẽtur, uastarentur & attererẽtur, id quod illis bellica hac clade cõtigit,

qua per Kedarlaomer cæsi sunt, spoliati, ac uastati. Sic aucta illorũ malicia, grauiorẽ poscebat ultionis seueritatem. Tandem uerò, quoniam ne sic quidem à nefandis sceleribus abstinebant, sed ad ipsã nefariæ turpitudinis fastigia ascendebant, cœlesti sunt incendio prorsus deleti, quemadmodum infrà capite 19. uidebimus. Admonemur hoc exemplo, quid expectandum sit nostro seculo, in quo malicia nostra & catholica corruptio tam abest ut emendetur, ut per ipsa etiam flagella seruitutis, famis, pestis & bellorum quotidie pergat, & subinde magis ac magis inualescat.

Ingenium deprauatæ carnis.

Et tredecimo anno, inquit, rebellarunt.] Vide hic expressum ingenium cæcæ ac deprauatæ carnis. Libertatem retinere nequiuerant homines molles & corrupti: & tamen cum serui essent facti, necq; seruitutis iugum ferre poterant esse patientes. Sic comparati sunt homines molles & luxui dediti. Nec imperium retinere, nec iugum seruitutis ferre possunt.

Peruersus modus excutiendi seruitutis iugum.

Deinde obserua quomodo ad impatientiam seruitutis accesserit rebellandi temeritas. Conabantur iugum seruitutis excutere. Via ad libertatem erat per spiritum humilitatis & emendationem uitæ. Hanc nec sciebant, nec admoniti per Lotum ingredi sustinebant, sed per defectionis & rebellionis temeritatem ad amissæ libertatis recuperationẽ sine pœnitentia contendebant. Non expressit Moses rebellionis huius causas. Verùm si consideres supercilium regum ac principum, quibus grauissimum est seruitutis ferre iugum, & ingenium carnis bene saginatæ ac delicijs delibutæ, quàm illa sit prona ad rebellandum, satis opinor patet, quibus de causis Sodomitæ ad consilia rebellionis peruenerint. Interea obserua iudicium Dei, quo impij cum tempestiuum est ut puniantur, sic excæcantur, ut malum sibi ipsis concilient.

OBSERVATIO VI.

Ingenium regũ.

Igitur quartodecimo anno uenit Kedarlaomer, & reges qui erant cum eo.] Cogitandum hic est de ingenio regum. Vtrinq; habentur reges. Illi deficiunt ac rebellant, isti rebellionem ulcisci festinant. Eiusdem animi est, nolle seruire, & non posse subiectorum ferre defectionem. Reges Sodomorum post duodecim annorum seruitutem defecerant: Rex Kedarla. mox magnis sese uiribus ad ultionem de rebellibus sumendum parat & accingit. Vtrunq; regibus pro summa habetur ignominia, seruire uidelicet, & pati subditorum defectionem. Tanta inest magnatibus regnandi ac dominandi cupiditas. Semiramis mulier ut queadeò defectionis erat impatiens, ut ad primã Babylonicæ defectionis significationem, crine capitis nondum plenè composito quamcelerrimè ad reprimendam rebellionem properaret.

Conspiratio regum aduersus rebelles.

Deinde in eo, quòd Kedarlaomer non solus contra defectores ac rebelles accingitur, sed & tres alios sibi reges adiungit, quorũ uiribus suffultus, ultionem de rebellibus sumat, exemplum est, in quo deprecatum uidemus, quàm procliue sit regibus, ut mutuis auxilijs aduersus eos qui imperij iugum detrectant, sese iuuent inuicem, non quòd sic sint animati, ut alter alterius beneuelit gloriæ & imperio: sed quod exempla rebellionis tanquam imperijs ipsorum periculosa & noxia, aduersus quemcunq; edantur, omnium minimè ferenda esse iudicent. Metuit enim quisq; ne si impunè sit uicini regni populo à rege suo deficere, idem sibi quoq; paulopòst accidat. Hinc est illa potentum conspiratio contra defectores & rebelles, cuius exempla anno 1525. plerisq; in locis Germaniæ uidimus. Verum est, non sunt ferendæ defectiones ac rebelliones: at interea curandum est potentibus, ne ui iniusta & oppressione inferenda mentes subditorum ad defectionis consilia impellant.

OBSERVATIO VII.

Singulare exemplũ iudicij Dei.

Et percusserunt Raphaim in Astaroth Carnaim, & Horeos in montibus Seir, &c.] In eo quod non soli Sodomitæ, sed & Raphaim, Horei, Zuzim, Aemim, Amalechitæ & Amorrhæi cæsi sunt per orientales hosce reges, exemplum proponitur iudicij Dei. Erat hoc bellum susceptum propter defectores Sodomitas, & tamen uicinæ gentes cæduntur ac uastantur, priusquam clades ad defectores perueniat. Dubio procul nihil sibi gentes istæ timebant ab expeditione Orientalium regum, cum essent alieni à causa Sodomitarum, adeoq; securi erant, & forsan nulla uicinorum suorum commiseratione tangebantur. Verùm iudicio Dei fiebat, ut ipsi cumprimis bellica clade adobruerentur. Possem nostri seculi exempla adferre in medium, uerùm notiora sunt, quàm ut de illis quisquam sit admonendus. Quotiescunq; accidit, ut populus aliquis bello impetatur, cordati homines omnem abijciant securitatem, & cogitẽt, dum uicini flagello Dei uisitantur, facillimè fieri posse, ut ipsi quoq; peccatorũ pœnas dare cogantur, & malo alijs destinato unà inuoluantur.

Diuulsio eorum quos iudicium dultionis premit.

Præterea obseruandum est, quomodo sese cùm Sodomitæ tum populi uicini in clade hac gesserint. Sodomitæ interea dum percuterentur uicini ipsorum Raphaim, Zuzim, Aemim, Horei, Amalechitæ & Amorrei, quiescebant, nec ullo pacto uicinis periclitantibus succurrebant Raphaim, Zuzim, Aemim, &c. ficuti ex contextu patet: nec ipsi uires suas coniunxerunt, sed separatim quique in sua sunt regione cæsi, Raphaim in Astaroth Carnaim, Zuzim in Cham, Aemim in Sabe Kiriathaim, Horrei in montibus Seir, Amalec in suis locis, Amorrhei in Hazazon Thamar. Sunt hæ regiones inter se contiguæ: uerùm corda gentium istarum erant partim plena de proprijs uiribus præsumptione, partim aliena à mutua inter se beneuolentia. Sic itaq; factum est, ut qui magnis uiribus communi perterant hosti occurrere, si copias suas coniunxissent, separatim sint turpiter cæsi. O dolorem plurimorum uirorum in hac nostra Germania, qui noctes ac dies malum hoc dissidentium à se principum & ciuitatum deplorant, quo fit ut separati singuli cùm de libertate patriæ, tum de ueritate doctrinæ

A ctrinæ Christi periclitentur, qui uel modicè coniuncti peregrinarum nationum libidini dexterrimè po terant resistere.

OBSERVATIO VIII.

Et uenerunt usq; ad fontem Mispat: ipsa est Cades.] Quoniam hic locus per anticipationem dictus est Cades, id est, sanctus, & fons Mispat, id est, fons iudicij, propterea quòd ibi Deus aquam populo suo dedit è petra, & de illo, uel si mauis, de Mose & Aarone iudicauit, argumento nobis esse debet, esse librum hunc Geneseos à Mose in solitudine post res eo loci gestas conscriptum. Quare quemadmodum suprà monui, perspicuum est, sic illum præsentem uoluisse historiam conscribere, ut Israelem in terram Cana an introducendum in fide potentiæ Dei confirmaret. *Quando Moses ista scripserit.*

Simul & illud notandum est, quòd relictis priscis eius loci nominibus, ea retinuit quæ nata erant ex gestis iudiciorum & operum Dei, & ad huc recentem gestorum memoriam retinebant. Sic non tam locorum quàm operum Dei rationem habendam, memoriamq; seruandam esse iudicauit. Hæc est fidelis hominis cura & diligentia. *Quo cõsilio Moses prisca locorũ nomina neglexerit.*

OBSERVATIO IX.

Et egressi sunt rex Sodomorum, & Rex Gomorrhæ, &c. Et direxerunt aciem contra eos, &c.] Videmus in hisce quinq; Sodom. & Gomorr. &c. regibus exemplum eorum qui destinati sunt ad cædem & interitum, quomodo uelut obcæcati in suum ipsorum exitium ruant. Erant hi quinq; reges iudicio Dei destinati ad ruinam & exitium, quod res ipsa euidenter monstrauit. Poterant autem huius uel ex eo præmoneri, quòd uicinæ gentes, tam grandes ac robustæ, iam cæsę essent, ut ex alieno periculo cautiores redderentur. Poterant cogitare de mediis reconciliationis, ne cogerentur conflictus subire periculum: uerùm nihil horum cogitant, sed confidenter accinguntur ad conflictum. Sic egrediuntur ad occurrendum hostibus, aciemq; instruunt, & dirigunt ex aduerso, perinde ac si uiri strenui ac fortes essent, deq; uictoria nihil hæsitarent. Sic obcæcati redduntur homines, mali, impij, & exitio destinati. *Excæcatio eorũ q; ad cædẽ sunt destinati.*

Et illud animaduerte, quòd non unus tantum, sed quinq; reges hac excæcatione dementantur. Accidit plerunq;, ut sociorum accessio malum temeritatis augeat.

OBSERVATIO X.

B *Quatuor reges aduersus quinq;.*] Obserua hic diligentiam Mosis. Secundò nomina cùm Orientalium tum Sodom. Gomorr. &c. regum adnumerauit, ut cuiuis legenti in promptu esse queat, quo illi & quo isti numero ad conflictum hunc sint progressi: & tamen particulam hanc exprimere uoluit & monere, quatuor reges esse cum quinq; congressos. Non debemus existimare, esse hoc temerè præter rationem adiectum. Si ratio humana rogetur, utrum credibilius sit quatuor reges de quinq;, uel quinque de quatuor relaturos esse uictoriam: respondebit plus spei ad uincendum esse in quinq; quàm in quatuor. Itaq; ubi pauciores uincuntur à pluribus, nõ agnoscit humana ratio iudicium Dei in uictis, sed ruinam illorum ad paucitatis imbecillitatem refert: arbitraturq; potuisse eos uincere, si numero superassent. Monet ergo Moses, Orientales reges numero fuisse pauciores, ut ibi commemoraturus est, Sodomitas, Gomorrh. &c. cum plures essent numero, ab illis esse percussos, intelligamus eos non tam humanis uiribus, quàm iudicio Dei esse prostratos. Quare admonemur, ne de multitudine præsumamus. Etenim fieri non potest, ut per hanc iudicio Dei resistamus. Immo si irato Deo ingruant bella, multitudo conspirantium ad certamen nihil facit aliud, quàm ut inani confidentia obcæcati securiores reddamur, & maiore cum ignominia plures cadamus & cædamur. Quod si historiæ inspiciantur, deprehendi potest contigisse frequentius, ut plures à paucioribus, quàm pauci à pluribus uincerentur. qua in re omnino euidens diuinæ ultionis argumentum apparet. *Non esse præsumendum de multitudine.*

OBSERVATIO XI.

Vallis autem Siddim habebat fossas multas bituminis.] Hoc potissimum loco Sodomitæ cum hoste congredi uoluerunt, astutè hoc agentes, ut inter confligendum equitatus hostilis in fossis argillosis uel bituminosis periclitaretur. Verùm nihil effecerũt. Videmus igitur hoc exemplo, quemadmodũ nulla quã tumuis magna multitudine, ita nec ullo astu uictores euadere posse, quos iudicium diuinæ ultionis ad ruinam & interitum impellit. Sodomitæ in idipsum quod hostibus exitio futurum iudicabant, miseri & infelices inciderunt, & in fossis sui ipsorum territorij perierunt. Sic non solum nihil proficiunt astutia sua homines Deo odibiles, & perditioni destinati, sed & in suis ipsorum foueis, in quas alios ruituros putant præter opinionem pereunt, & impletur quod dictum est à propheta, Incidit impius in foueam quam fecit. Et alio in loco: Comprehenduntur astuti in astutia sua. *Nihil ualent impiorum astutiæ.*

C *Itaq; rex Sodomorum & rex Gomorrhæ terga uerterunt, ceciderũtq; ibi.*] Duplex in bello cædendi modus est. Vnus eorum qui uiriliter certantes antrorsum cæduntur: alter eorum qui obuerso tergo percutiuntur. Est autem obuersio tergi, indicium animi pauefacti, & cordis usqueadeò liquefacti, ut ne uultum quidem hostium irruentium ferre, nedum manum cum illis conserere sustineat. Vbi hoc accidit, agnoscendum est iudicium Dei. Nam ille corda filiorum hominum uel confirmat in bello, uel liquefacit ac pauida reddit. Exodi uicesimotertio promittit Israeli, si uocem suam audiat, quod cunctorum inimicorum ipsius terga ante conspectum eius uertere uelit. Iudicium hoc Dei tum potissi- *Duplex in bello cædendi genus.*

mum relucet, cum plures coram paucis, & alioqui fortes ac robusti terga obuertunt.

OBSERVATIO XIII.

Misericordiæ Dei est, quod alii qui euadunt.

Et qui remanserant, fugerunt ad montem.] Ergo non ceciderunt omnes, sed seruatæ sunt ex illis aliquæ reliquiæ. Habes argumentum misericordiæ Dei, qua fieri solet ut in huiusmodi cladibus publicis non intereant in uniuersum omnes, sed aliqui euadant ac seruentur. Vnde & uulgo dicitur, *Es ward nie kein hõr gar erschlagen.* Quod autem nonnulli euadunt, non est hoc illarum iustitiæ & innocentiæ, sed misericordiæ Dei tribuendum, qui ut iram suam in illis qui cæduntur, ita misericordiam in ijs qui euadunt declarare solet. Gloriam hanc misericordiæ Dei non debemus opinione humanæ iustitiæ obscurare, sed agnoscere tam fuisse eos qui elapsi sunt dignos qui caderent, quàm eos, qui cæsi perierunt.

Quando utilis sit fuga.

Deinde cogitandum hic est, quando & quibus utilis sit fuga. Tribuit nonnullis quòd cum superessent, fugerint ad montem. Quòd seruati sunt, tribuendum quidem est misericordiæ Dei: uerum agnoscendum iuxtà est nõ debere eos quos misericordia Dei seruare constituit, negligere medium per quod euadant ac seruentur. Parum gloriæ est in fuga, qua cum pugnandum sit pro patria, pedibus salutem peruiatæ consulitur. Ea ignominia ferenda est illis, qui per misericordiam Dei è cladibus publicis fuga eripiuntur. Vbi nulla spes est uictoriæ, si locus sit fugæ, meo iudicio, non solum utile est, ut qui cæsis reliquis adhuc supersunt, fugiant. & misericordiam Dei amplectantur, qua seruentur, sed & nihil habet inse inhonesti. Vir fugiens, inquit ille, denuo pugnabit. Quare planè insanum esse iudico, quod Germani milites nonnunquam usq; adeò turpe sibi fore iudicarent, si rebus deploratis fugerent, ut ad unum omnes, cum nulla spes esset uictoriæ, & ab hostibus etiam ad fugam pellicerentur, certæ occumbere morti, quàm fuga elabi ac cæsis superesse maluerint.

Quæ sit utilitas montium è clade bellica fugientibus.

In eo, quod non ad ciuitates suas, sed ad montẽ fugerunt, admonemur quomodo accidere soleat, ut utilior sit ad salutem nostram locus à Deo dispositus, quantumuis aliàs rigidus & inamœnus, quàm deliciarum nostrarum sumptuosa palatia & ciuitates humana opera munitæ. Innumera mortalium millia bellicis cladibus perijssent, nisi montanis fuissent præsidijs seruata. Commoditatem istam montium, saltuum, petrarum ac rupium ad singularem prouidentiam Dei referre debemus.

OBSERVATIO XIIII.

Opulentia impiorum hostibus destinata.

Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrheorum, et uniuersa quæ ad cibum pertinebant, & abierunt.] Ezech. 16. uidere licet, fuisse Sodomitas & Gomorrheos opulentos, cùm quod substantiam huius mundi, tum quod abundantiam cibi attinebat. Vtraque ista opulentia cessit hostibus. Hæc sors eorum est, qui opes huius mundi colligunt, & perinde atq; Sodomitæ cum ipsi uiuant in luxu, magnum pauperibus & egenis non porrigunt, ut opes suas, tanquam auaritiæ & luxus materiam hostibus relinquant: & cum necessitati proximorum libera eleemosyna consulere detrectant, hostes ac uastatores suos opulentos reddant. Huius rei exempla in Germania quoq; nostra uidimus. Sunt nonnullæ ciuitates in alijs quoq; regionibus molles & opulentæ, & iuxtà immisericordes erga conciues quas dubio procul sors ista manet, ut opes suas hostibus diripiendas relinquant.

OBSERVATIO XV.

Quantum periculi sit ex conuictu impiorum.

Nec non & Lot & substantiam eius, filium fratris Abrahæ, qui habitabat in Sodomis.] Admonemur hoc loco, quantum sit periculi ex conuictu impiorum, ubi iudicio Dei uisitantur. Iustus erat Lot, & alienus à sceleſta Sodomitarum malitia, & tamen incidit cum suis in rapinam hostium, & unà cum alijs in captiuitatem abducitur. Expectandum hoc est pijs hominibus, dum inter malos uiuunt, ut simul cum illis rerum discriminibus reddantur obnoxij. Sic multi sancti uiri cum populo Dei in captiuitatem sunt abducti, Daniel, Ezechiel, Tobias, & c.

In ipsa uictoria faciunt impij, q̃ postea ipsis cedit ad exitium.

Simul obserua, quomodo in ipsa nonnunquam uictoria faciant impij, quod postea illis cedat in exitium. Quod si Orientales isti reges Lotum reliquissent intactum, non fuisset Abrahæ causa illos insectandi & cædendi. Hoc erat absconditum ab oculis ipsorum.

Ecce unus qui euaserat, nunciauit Abram Ebrẽo qui habitabat in conualle Mamre Amorrei fratris Eschol & fratris Aner. Hi enim pepigerant fœdus cum Abram. Quod cum audisset Abram, captum uidelicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos uernaculos suos trecentos decem & octo, & persequutus est eos usq; Dan. Et diuisis socijs irruit super eos nocte, percussitq; eos, & persequutus est usq; Soba, & Phœnicem, quæ est ad læuam Damasci, reduxitq; omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoq; & populum.

LECTIO.

Nũciauit Abrã Ebræo.] Græca uersio habet, ῥ Ebræo τῷ περάτῃ. i. trãsfluuiano, Hier. legit, trãsitori. Nã uerbũ עבר transeũdi significationẽ habet, & Eber idẽ est q̃d trãs, ultrà. uolũt Abrahamũ ῥ prærea dictũ Ebræum

Ebræum, id est transitorem, quòd ultrà Euphratem in Mesopotamia natus, traiecto fluuio in eas uenisset regiones. Sic dicit Shlomoh שבא מיעבר חבחר. Chrysostomus: Quia trans Euphratem domicilium habuerat, dictus est transfluuialis. Et antea etiam ab initio parentes ei hoc nomen indiderant, iam antea significantes eum inde migraturum. Vocatus enim est Abram quia migraturus erat trans Euphratem. Hæc ille. Per ignorantiam Ebreæ linguæ putauit Abram per א aleph idem esse quod עבר per ain.

In conualle Mamre.] In Ebræo est, באלח ממרא. Græcus legit πρὸς τῇ ἀλῳ τῇ μαμβρῆ. Ille pro conual le legit quercum, & uocem Mamre refert ad quercum. non ad uirum Amorreum. Quare suspicor Græca esse corrupta, & τῇ μαμβρῆ positum pro τὸ μαμβρῆ. Nam Ebræa satis manifestè indicant, esse hunc Mamre uerum Amorreum. At Græca lectio facit uocem Amorrei nomen non gentile, sed proprium. Hieron. sic annotat hoc loco: Quod ait, Apud quercum Mamre Amorræi, melius in Hebræo legimus, Apud quercum Mamre Amorræi fratris Eschol, & fratris non Eunan, ut Septuaginta transtulerunt, sed Aner: ut ostenderet Mamre & Eschol & Aner Amorrhæos atq; germanos socios fuisse Abrahæ. Hæc Hieron.

Hi enim pepigerant fœdus cum Abram.] Rectè uersum est, nisi quod enim non est in Ebreo. Verba autem Ebræa sic habent ריחח בעלי ברית אברח, id est, Et hi erant magistri uel domini fœderis Abrahæ. Baale habrits, idem hic est atq; uiri fœderis.

Numerauit.] In Ebræo est, וירק, id est, Et expediuit. חריק. idem est quod euaginauit. Ebræi exponunt hoc loco per וירק, id est, armauit. Sic uertit Pagninus, & Chaldæus.

Expeditos uernaculos suos.] In Ebræo est את חניכיו. Verbum חנך significat instituere & imbuere. Et חניכים sumuntur pro domesticis & candidatis, siue ad domesticam, siue ad aliam quampiam disciplinam & institutionem. Pagninus uertit pueros suos. Chaldæus habet עולמיהי, id est, adolescentes suos. Tigurina, exercitatos & instructos suos.

Et diuisis socijs irruit super eos nocte.] In Ebræo simpliciter legitur, ויחלק עליהם לילה, id est, Et diuisit se super eos nocte. Pagninus uertit, Et diuisit se super eos nocte. Monsterus: Et diuisus est super eos nocte. Nec socijs, nec irruit in Ebræo est.

Vsq; Soba.] Sic legit & Græcus. At in Ebræo est ער חובה, id est, usq; Hoba.

Et Phœnicem.] Nec in Ebræo est, nec in Græco.

EXPLANATIO.

Ecce unus qui euaserat.] Manifestus est narrationis huius sensus. Summa illius est, percussisse Abrahamum Orientales illos reges, qui post cædem Sodomitarum cum alijs captiuis etiam Lotum abduxerant, & reduxisse omnem substantiam, Lotum quoq; & mulieres & populum. Partes huius summæ sunt: prima, quid Abrahamum ad factum hoc tam periculosum mouerit: secunda, quibus uiribus prædictus fuerit: tertia, quo usus sit stratagemate. Ad primam partem pertinent ista: Et uenit quidam qui euaserat, & nunciauit Abram Ebræo. Quod cum audisset Abram, captum uidelicet Lot fratrem suum. Significatur ergo, Abramum per id fuisse motum ad insequendum & percutiendum Orientales, quòd audisset Lot fratrem suum esse captum & abductum. Ineptiunt hic Iudæi, dicentes eum qui ad Abrahamum de captiuitate Lot retulit, fuisse Og regem Basan, quòd is euaserit, cum populus ipsius cædere-tur. Verùm quid opus est istiusmodi ineptijs? Qui Abrahamo de nepote suo Lot nunciauit, uel ex domestícis Lot, uel ex uicinis Sodomæ ciuibus fuit, ut apparet, homo talis, cui nota fuerit cognatio & propinquitas Abrahæ & Lot, alioqui nunciasset de clade Sodomorũ magis Amorreis & Cananæis principibus quàm Abrahæ. Ad secundam partem referendum est, quod dicit: Et numerauit expeditos uernaculos suos trecẽtos decem & octo. Hæ uidelicet erãt Abrahæ uires. Diues quidẽ erat non argento & auro tantũ, sed & pecudũ gregibus, & magno seruorũ ac pastorũ numero. Verùm quid facerent trecenti uiri, collati tam grandi hostium exercitui? Quod in Ebræo est, domi suæ natos, positum est ad distrimen emptitiorum seruorum. Deinde & quod dicit, Qui habitabat in conualle Mamre Amorrei fratris Eschol fratris Aner: Et hi pepigerant fœdus cum Abram, ad hanc secundam partem pertinet. Nã propterea commemoratur, quod illi quoq; copias suas cum Abrahamo coniunxerunt, sicut in calce capitis huius patet. Quis fuerit illarum numerus, non est à Mose expressum. Numerus enim 318. pertinet ad domesticos Abrahæ. Ad tertiã partem pertinet quod dicit: Et persequutus est eos usq; Dan. Dan unus est ex fontibus Iordanis. Est ibi uiculus etiã Hieronymi tempore sic uocatus, distans quarto milliario à Paneade. Et diuisus est super eos nocte, & percussit eos, & persequutus est usq; ad Hoba, quæ est ad læuam Damasci. Hac igitur est usus industria, ut primùm diuisis copijs, deinde noctu, irrueret in hostem. Copias diuisit, quoniam hostes quoq; diuisim iacebant: & noctu irruit in illos, ut fessos & secundo obrueret, & ex improuisa irruptione consternatos & confusos cæderet, id quod & adiuuante Domino factum est.

Et percussit eos, inquit, & persequutus est usque Hoba. Hoba tempore Hieronymi uilla erat habens accolas Ebræos, qui credentes in Christum, omnia legis præcepta custodiebant, & à principe hæreseos Hebionitæ uocabantur, R. Shlomoh dicit Hoba non esse nomen loci, sed Dan uocari Hoba, id est culpam, propterea quòd futuri essent ibi peregrini cultus. Quæ est, inquit, ad læuã Damasci. Ergo persequutus est eos ad terminos usq; terræ Canaan. Reduxitq; omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoq; & populum. Hoc scilicet agebat, ut præda hosti eriperetur.

Summa.

Partes.

Significatur

Significatur fuisse hostes usq; adeò perculsos, ut relicta præda saluti suæ fuga præcipiti consulerent.

QVAESTIO.

An rectè factum sit ab Abrahão, quòd fœdus inijt cum uiris Amorræis.

Hi pepigerant fœdus cum Abram.] Erant tres illi uiri Amorrhei alieni à fide Abrahæ. Quæritur itaq; quid sit de eo sentiendum, quòd Abram fœdus inijt cum hominibus diuersæ fidei, factum ne sit hoc ab illo licitè uel illicitè. Si dixerimus nihil hic factum esse ab Abrahamo, quod sit illicitum, obijcietur locus Deut. 7. ubi sic posteris Abrahæ tanquam populo Dei præceptum esse legimus: Cum introduxerit te Dñs Deus tuus in terrã quã possessurus ingredieris, & deleuerit gentes multas corã te, Ethæum, & Gergezæũ, & Amorrhæũ, & Chananæũ & Euæũ & Iebusæũ, septem gentes &c. non inibis cũ eis fœdus. Ergo uolũtas Domini nõ erat, ut pij fœdus inirent cũ impijs, fideles cum infidelibus, coniũcti ipsi cum alienis, Chananæis & Amorrhæis, &c. Abram aũt pius erat, fidelis, & Deo coniunctus: Amorrhei isti uerò impij, infideles, & alieni à Deo. Videtur itaq; fœdus hoc Abrahæ cum Amorræis fuisse illicitum. Accedit & illud. Terra illa in qua habitabant Amorrhei isti, erat à Deo data Abrahæ. Ex illa profligandi & extirpandi erant Amorrhei. Quare hoc quoq; nomine non erat ineundum fœdus cum Amorrhæis, quemadmodum nec cum Cananæis, Pherezæis, &c. Sic enim ad Gabaonitas dixerunt Israelitæ: Ne fortè in terra quæ nobis sorte debetur habitetis, & non possimus fœdus inire uobiscum. Iosue 9. At Amorrei isti quoq; in terra habitabant, quæ Abrahæ ac posteris eius sorte debebatur. Non debebat igitur cum illis fœderis inire societatem.

Amorrhei isti fidem Abrahæ nõ blasphemabant.

Respondendum est. Primùm, Amorræi isti licet non essent eius fidei qua erat Abram, haud tamen unius Dei fidem ac cultum blasphemabant & persequebantur, alioqui nullum cum illis fœdus pepigisset. Quantum uerò discriminis sit inter errantem in fide, & eum qui non solum errat, sed & hostis est ueritatis ac blasphemus aduersus Deum, quis non uidet?

Abrã fœdus hoc non ambiuit.

Deinde, non Abram, sed ipsi fœdus hoc primi ambiuerunt. Videbant Abrahamum esse non solum potentem, sed & singulariter à Deo benedictum. Licet hoc non sit à Mose in præsenti historia expressum, infrà tamen cap. 21. satis patet, quomodo principes terræ illius fœdus cum Abram eam uoluerunt ob causam inire, quòd animaduerterent esse cum illo Deum in omnibus quæ faciebat. id quod & cap. 26. in historia Isaac uidere licet. Hoc genus autem fœderis nec illicitum erat nec inconueniens Abrahæ, quod non ipse quærebat, quo securus esset, sed quod ambiebatur à principibus terræ, propterea quòd Deo gratus & acceptus esse uidebatur. Talia erant fœdera, quæ Dauid & Salomon cum Hiram rege Tyri iniisse leguntur, qui & ipse diuersæ fidei erat. Cedebant ista fœdera ad gloriam Dei, & nihil incommodabant fidelibus hominibus Abrahæ, Isaac, Iacob, Dauidi & Salomoni.

Nõ erat aliquod præceptum Dei prohibens, nec tempus erat expellendi Amorreos.

Tertiò, quod gentem Amorreorum & reliquos terræ illius incolas concernit, non erat inhibitum Abrahæ, quo minus fœdera cum illis iungeret. Deniq; nondum aderat tempus, quo de terra erant expellendi, ut Israeli soli locus esset illam inhabitandi. Cũ Israelitæ Gabaonitis dicerent, Ne fortè in terra quæ nobis sorte debetur habitetis, & non possimus fœdus inire uobiscum, non erat amplius tempus peregrinandi in terra Canaan, sed illam hæreditario possidendi. Distinguamus igitur inter tempora peregrinationis & hæreditariæ possessionis, ne dum tempora confundimus, rebus etiam ipsis obscuritatem inducamus.

Horum itaque consideratione satis, opinor, manifestum est haudquaquam deliquisse Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Dauidem & Solomonem, quòd fœdera pepigerunt cum hominibus diuersæ fidei.

Cautio.

Interea tamen nolim probare, si magistratus securitatem in carnis brachio, & non in Domino quærentes, exterorum fœdera ambiant, & cum illis societatem iungant, quos sciunt hostes esse ac persequutores ueritatis Christi, ac sic uiuere, ut palàm sit esse eos impios & iudicio Dei obnoxios. Ob huiusmodi fœdera reprehensi sunt à prophetis Dei Asa rex Iudah 2. Paral. 16. & Iosaphat quoq; rex Iudah 2. Paral. 19. cui dicebat Hieu propheta: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, &c. Item: Quia habuisti fœdus cum Ochosia, percussit Dominus opera tua 2. Par. 20. Asa fœdus pepigerat cum rege Syriæ alieno à populo Dei, Iosaphat cum Achab & filio illius Ochosia, regibus Israelis, populi quidem Dei, sed desertoris ac rebellis. Talia fœdera probari non possunt.

OBSERVATIO I.

Fit nonnunquam ut meliore fortuna utatur seruus quàm herus.

Et unus qui euaserat nunciauit Abrã Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre Amorrei &c.] Admonui in explanatione fuisse hũc hominem de domo Lot. Ea in re obseruandum est, fieri nonnunquam iudicio Dei, ut meliore fortuna in rebus aduersis utatur seruus quàm herus. Hic seruus cum herus ipsius raperetur & abduceretur, manus hostium euasit. Quanto autem potior est fortuna hominis liberi quàm captiui, tanto melius habebat hic seruus quàm Lot ipsius herus.

Dispositio Dei.

Deinde consideranda est hic dispositio Dei in eo quod aliquis è domo Lot liber euasit, qui de calamitate heri sui ad Abrahamum patruum eius referret. Oportebat impleri, quod diuinitus erat ut per Abrahamum fieret destinatum. Ad hoc propositum seruiebat iste profugus, licet ignarus esset consilij Dei. Accidit hoc frequenter, ut periculis eripiatur homo aliorum magis gratia quàm sua, id quod in præsenti uidemus historia manifestum. Voluntas Domini fuit, ut hic seruus euaderet, per quem Abram ad liberandum Lotum excitaretur.

Ingeniũ ueræ amicitiæ.

Tertiò, & profugus iste nõ ad extraneos, sed ad Abrã heri sui patruũ cucurrit, illiq; de accepta calamitate nunciauit

A nunciauit, exemplum est, in quo ueræ uidemus amicitiæ ingeniũ expressum, quomodo ad illam in necessitatibus confugiatur. Discesserat Lot ab Abrahamo in pace, propter nescio quæ iurgia, id quod omnino simultatis cuiusdam uidebatur habere speciem, & inter pastores utriusq; exorta fuerat discordia. Iam uerò, ubi in hanc calamitatem cum suis incidit Lot, ut post cædem Sodomitarum cum reliquo populo & uniuersa substantia captiuus abduceretur, is qui de seruis eius manus hostium euaserat, ad Abrahamum heri sui patruum aduolat, ac captiuitatem illius nunciat. Haud sperabat futurum ut hostes ab Abrahamo cæderentur, & herus ipsius liberaretur: sed in malis illis hoc tantum agebat, ut Abram capto nepoti suo condoleret, & ut apud hunc in posterum maneret. Sic omnis illa simultas rebus miseris habentibus euanuerat. Et Lot ipse, si euasisset, ad neminem alium quàm ad Abrahamum patruum suum confugisset, atq; ita, quos opulentia seiunxerat, res tristes denuò coniunxissent.

OBSERVATIO II.

Et hi pepigerant fœdus cum Abram.] In tribus istis fratribus, uiris Amorreis, Mamre, Eschol & Aner reperiuntur quædam, quorum gratia, quantumuis homines ethnici fuerint, Christianis hominibus exempli uice proponi queant. Primùm obseruanda in illis uenit fraterna coniunctio & concordia. Deinde præclara erat in illis humanitas, qua hominem aduenam & peregrinum tam benignè susceperunt, ac locum illi ad habitandum in ditione sua dederunt. Tertiò, erat hoc prudentiæ, quòd cum eo, quem uirũ non modò potentem, sed & grauem, dextrum, ueracem, honestum ac pium esse uidebant, fœdus inire uoluerunt. Itaq; propter insignes hasce dotes, frater nam uidelicet concordiam, humanitatem, & prudentiam digni sunt, qui nobis exempli uice proponantur hoc præsertim seculo, in quo rara trium spectanda uenit concordia fratrum, & parum humanitatis erga peregrinos & aduenas declaratur.

Considerandaa in tribus Amor. fratribus.

Fraterna concordia.

Humanitas.

Prudentia.

Quòd autem Abrahamum concernit, in eo quòd fœdus cum uiris Amorreis iniit, ista uidentur esse cogitanda. Primarius hic est omnium fœderum scopus, ut confœderati mutuis auxilijs adiuti in sua quisq; ditione pacificum ac tranquillum rerum statum retinere queant. At ea ditio, quam Amorræi isti possidebant, pars erat terræ Canaan, quam Deus Abrahæ ac semini eius possidendam promiserat, atq; ita uerius ad ius Abrahæ quàm Amorreorũ istorum pertinebat. Sed de hoc iure suo nihil dum præ

Considerandaa in Abrahamo.

Modestia ac tẽperantia Abrahæ.

B sumebat Abram: satis esse tum temporis iudicans, si initio aliquo posset in ea terra consistere loco, donec aduenirent plenæ occupationis ac possessionis tempus, semini ipsius destinatum. Sic solent magnarum rerum humilia esse primordia. Multa ferenda sunt sanctis, donec diuinarum promissionum effectus integram ueluti promissæ terræ possessionem adferat. Terra hæc quam incolunt, non est filiorum huius seculi, sed ipsorum, tanquam filiorum & hæredum Dei, quorum sunt omnia 1. Cor. 3. Verùm quoniam nondum tempus aduenit, quo mali separentur de medio iustorum, permittendum est filijs huius seculi, ut unà cum filijs Dei terram hanc inhabitent ac possideant: & satis esse debet pijs ac sanctis, si aliquo loco loco permanere detur: nec peccant, si non solum tolerent reprobos & alienos à Deo, sed & ex pacto, modò non inhonesto & impio, cum illis uiuant, & quæ ipsorum sunt defendant. Dein de discamus hic in Abrahamo, quàm sit efficax uirtus ueræ pietatis, ueritatis, & honestatis, cuius tanta est energia, ut etiam uiros seculi in admirationem piorum trahat.

Virtus ueræ pietatis.

OBSERVATIO III.

Et audiuit Abram captum esse Lot fratrem suum, & armauit expeditos suos, uernaculos domus suæ trecentos decem, & octo, & persequutus est eos usq; Dan. Et diuisis socijs irruit super eos nocte, percussitq; eos, & persequutus est usq; Hoba, quæ est ad læuam Damasci, reduxitq; omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoq; & populum.] Considerandum hic est exemplum ueri ac synceri amici. Cum audisset Abram captum esse Lot fratrem suum, confestim ad liberandum illum sese accingit, & omnia sua periculo exponit, quo fratrem periculo eripiat. Poterat hoc amicitiæ officium honestis rationibus etiam rogatus detrectare, & negocij difficultatem ac manifesta discrimina causari. Immo poterat dicere, Suaipsius culpa perit frater, quòd cum hominibus pessimis uiuere uoluit. Non poterat pacificè mecum uiuere, & pastorum suorum morositatem compescere. Cum discederet, discessit ad Sodomitas homines enormiter aduersus Deum peccantes. Cum illis igitur quæ acciderunt tristia, patienter ferat. Nihil horum cogitat, sed totus in eo est, ut captum fratrem hostibus eripiat. Neque de uira suarum imbecillitate cogitat, sed quales quales essent, huc destinat, ut ueri amici ac fratris officium faciat.

Exemplum ueri amici.

Admonemur hoc exemplo, quales nos erga fratres in necessitatibus gerere debeamus. Primùm, si qua aliquando simultas præcessit, alienum est à uera amicitia, illius uel uerbo meminisse. Deinde si qua propria culpa periclitantur fratres, non est tempestiuum ut hanc illis in necessitatibus opprobremus: nec conuenit, ut propter illam periclitantibus officium & auxilium denegemus. Tertiò, succurrendum est afflictis non solum ubi nihil nobis timendum est periculi, sed & cum tanto discrimine, ut etiam animas nostras pro fratribus periculo exponere oporteat, faciamus hoc incunctanter. Sic Ioannes in Canonica sua præscribit, dicens, Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus animas ponere pro fratribus. 1. Ioan. 3. Cuncta hæc in facto Abrahæ perspicuè deprehenduntur.

Quales nos erga fratres in necessitatibus gerere debeamus.

Deinde

De bellicis expeditionibus.

Deinde uidemus in hac historia non esse alienum à pijs bellica expeditione prosequi ac cædere impios, modò id rectè ac iustis de causis fiat. Quare intuendæ sunt pulcherrimi huius exempli circũstantiæ. Pri-

Discrimen bellorum.

mùm, magnũ discrimen est inter bellum offensiuum, ut uocãt, & bellum defensiuũ, aut etiam ereptiuũ. Abram bellum aduersus Orientales reges suscepit, non quo alienos populos aliàs quietos inuaderet, cæderet ac uastaret, sed quo fratrem non modò spoliarum, sed & cum omnibus suis captum & abductũ de manibus truculentorum regum liberaret & eriperet. Hæc illi causa bellicæ erat expeditionis, tam aliena à culpa, ut laude sit omnium dignissima. Qui bellum suscipiũt, quo seq; suos q; defendant, uel quo suos de manibus hostium eripiant, iustissimo titulo arma capiunt. Secus censendum de illis est, qui uel cupiditate regnandi, ac pomeria sua plus ultrà extendendi, uel studio ulciscendi bella mouent. Hoc genus bellorum alienum esse debet à pijs, nisi ad sumendas pœnas de reprobis iussu Dei fuerit præceptum, id quod Sauli accidit, cui mandabatur diuinitus, ut perderet Amalechitas, uel urgeat zelus asserendæ gloriæ Dei, & ulciscendæ contumeliæ populo Dei illatæ, quo genere belli Dauid usus est aduersus Ammonitas.

Fide belligerandum.

Deinde in hoc Abrahæ exemplo uidere licet, qua fide gerenda sint bella. Quantumuis iusta de causa susceptum bellum, si non ex fide geratur, peccatum habet. Abram luculento argumento declarauit, qua fide expeditionem moueret aduersus tot reges, tam potentes pariter ac uictores, quando non multitudine militum, sed ope & auxilio Domini Dei sui confisus, trecentos decem & octo uernaculos suos cũ auxilio sociorum sufficere iudicauit ad persequendum ac cædendum tam grandem ac bellicosam hostium multitudinem, id quod nunquam sine fide tentasset. Fide animosus ac fortis factus, suos etiam uernaculos, dubio procul, fiducia diuini auxilij reddidit imperterritos. Sic sancti fide gerunt bella, ut iudicio rationis magna temeritate prorsus impossibilia conari uideantur. Per fidem, inquit Apostolus, Ebr. 11. uicerunt regna, fortes facti sunt in bello, &c. Tam sciunt facile esse Domino uincere per paucos, quàm per multos. Et eam ob causam mandatum est in lege Deut. 20. ad hunc modũ: Si exieris ad belli contra hostes tuos, & uideris equitatus & currus, & maiorem quàm tu habeas aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Aegypti. Appropinquantes autem iam prælio stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum. Audi Israel: Vos hodie contra inimicos uestros pugnam committitis, non pertimescat cor uestrũ, nolite metuere, nolite cedere, ne formidetis eos: quia Dominus Deus uester in medio uestri est, & pro uobis contra inimicos dimicabit, ut eruat uos de periculo. Hæc & quæ sequuntur eo loco, ad hoc sunt proposita, ut intelligamus fiducia diuini auxilij pugnandum esse aduersus impios: nec timendum esse, si pauci simus pugnaturi cum multis. Huius & Gedeon Iudic. 7. admonebatur. Multus, ait Dominus, tecum est populus, nec tradetur Midian in manus eius, ne glorietur contra me Israel, & dicat, Meis uiribus liberatus sum. Ac tandem relicti sunt illi trecenti uiri, quibus stipatus numerosissimos Orientalium populorum, Amalechitarum & Midianitarum exercitus turbauit, fudit, ac prostrauit. Consimili fide Abram cum trecentis suis uernaculis potentes Orientalium exercitus est aggressus.

Temeritas uitanda pijs.

Tertiò, quod in speciem admodum temerarium uidebatur, quamuis fide confirmatus aggrederetur Abram, haud tamen temerè & imprudenter, sed cautè, prudenter ac de industria est aggressus. Primùm enim non quosuis domi suæ natos citra delectum ad expeditionem hanc assumpsit, sed selegit ex illis חניכיו, id est, exercitatos & instructos. Non est cuiuslibet, hostium posse sustinere congressum. Reperias, qui ne aspectum quidem hostis ferre queant. Qui huiusmodi sunt, educi in prælium non debent. & si educti fuerint, lege Dei ex ipsa acie domum abire iubentur, Deut. 20.

Deinde, non diurno conflictu hostem est ex aduerso aggressus, sed irruit in illum noctu (Iosephus dicit nocte quinta) & quiescentes ac securos ex improuiso partim oppressit dormientes, partim consternatos profligauit. Tertiò neq; coniunctim, sed diuisim in castra hostium irrupit, quo non uno tantum loco, sed per uniuersa castra hostes consternati cæderentur, & in fugam præcipites darentur. Consimili industria usus postea est & Gideon.

Admonemur hac consideratione, alienum esse à uera fide, ut homines reddat temerarios & incautos. Nihil debet agi temerè, ne ea quidem quæ fide aguntur. Huius rei multa sunt sanctorum in scripturis exempla. Iosue, cum Gabaon à quinq; regibus Amorræorum obsideretur, quamuis audisset à Domino, Ne timeas eos, in manus enim tuas tradidi illos. Nullus ex eis poterit tibi resistere: nihilominus tamen hac est industria, ut tota nocte ascendens subitò & ex improuiso irrueret in hostem. Ios. 10.

Dauid cum castra Saulis explorare uellet, noctu est illa cum Abisai ingressus 1. Sam. 26. Tobias occisos de populo Dei noctu sepeliuit. Tobiæ 12. Ioseph nutricius Domini iussus fugere in Aegyptũ, accepto puero & matre noctu fugit Matth. 2. Et Paulum fratres periculo erepturi noctu per murum demiserunt. Act. 9. Est itaque præter mores sanctorum omnis temeritas, qua rerum gerendarum cautio & commoditas uel per ignauiam negligitur, uel præpostera fiducia & præsumptione contemnitur.

De persequendis fugientibus.

Et persequutus est eos usque Hoba.] Et hæc particula notanda est. Duo fecit Abraham. Percussit & persequutus est hostem. Nihil in eo uidetur esse quod reprehendi debeat quòd primo impetu percusserit hostem, siue iacentem siue resistentem: id uerò alienum à uiro sancto uideri potest, quòd fugientes, idq; tam procul, est persequutus, quibus potius parcere debuerit. Verùm si causam hanc rectè reputes, tam abest ut reprehendi debeat, quòd hostes istos tantopere est persequutus, ut diuersum potius, si fecisset, reprehensibile

reprehensibile censeri conueniat. Etenim fieri poterat, ut uiribus receptis & ad se reuersi, uictoriam amissam de manibus Abrahæ extorquere conarentur. Quare quiescendum non erat, donec procul à finibus illis pulsi omnem resistendi copiam amisissent, & plenam securamq; populum abductum cum uniuersa substantia reducendi facultatem Abrahæ reliquissent. Considerandæ sunt huius rei circumstantiæ. Clementiæ est parcere fugientibus, sed tũ, quando uictores tãtis præditi sunt uiribus, ut denuò queant cum hoste congredi, uel fugientes adeò sunt uel pauci numero, uel armis ac uiribus destituti, ut nihil ab illis amplius timendum sit periculi. Secus uerò habet, si qui uicerunt, pauciores sunt uictis ac fugientibus, & timendum est ne si facultas fugientibus denuò sese colligendi & aciem ex aduerso instruendi detur, ex uictis uictores euadant, id quod sæpenumero factum esse constat. In huiusmodi casu parcere fugientibus, nõ est ueræ clementiæ, sed ignauæ socordiæ. Si Abraham hoc fecisset, forsan & se & populum captum in extremum discrimen induxisset. Vera hæc est clementia, non parcere truculentis hosti bus, quo parcatur miseris & oppressis.

Nõ solum Lotum sed & populum Sodomorum reduxit.

Reduxitq; omnem substantiam & Lot fratrem suum, cum substantia illius, & mulieres & populum.] Considerandum hic est, quòd non solum Lotum cum sua substantia, sed & mulieres ac populum, Sodomorum uidelicet & Gomorr. uictor reduxit Abram, cum hostes essent nõ propter Sodomitas, sed propter fratrem suum Lot insectatus. Non cogitabat, Digni sunt Sodomitæ qui pereant. Pessimi nanq; sunt, & peccatores Domino ualde, & præterea rebellione sua hostem hunc aduersum se prouocarunt: sed cæsis ac profligatis hostibus, uniuersos captiuos & cuncta spolia reduxit. Qua in re agnoscenda est clementia diuinæ prouidentiæ, quæ non delectatur morte peccatorum, sed etiam dum percutit, aliquot seruat, in quibus bonitatis ipsius argumenta reluceant, & locus resipiscentiæ esse possit.

Humilibus et abiectis parcit clementia Dei.

Deinde obserua, quales nam fuerint, in quos beneficium hoc reductionis est diuino munere collatum. Mulieres, inquit, & populum reduxit. Erant homines imbelles, ac uulgus promiscuum. Horum misertus est Dominus. Reliqui fuerant uel cæsi, uel fuga elapsi. Sic parcere solet clementia Dei humilibus ac contemptis. Consimili modo accidit & Israeli, cum qui potiores erant abducebantur Babylonẽ, uulgus uerò promiscuum in terra patria relinquebatur. Hier. 39.

Consortium iustorum utile in tempore tribulationis.

Tertiò & illud considerandum est. Propter liberandum Lot percussit Abram exercitus hostiles. Hius beneficii participes facti sunt etiam Sodomitæ, inter quos erat Lot captiuus abductus. Admonemur itaq; quàm bonum sit tempore tribulationis adiunctum esse iustis.

B Egressus est autem rex Sodomorum in occursum eius, postquàm reuersus est à cæde Chodorlaomor, & regum qui cum eo erant, in ualle Sabe, quæ est uallis regis.

At uerò Melchizedeck rex Salem proferens panem & uinum. (erat enim sacerdos altissimi) benedixitq; ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cœlum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.

LECTIO.

Quæ est uallis regis.] Sic habet Ebræus. Græca uerò uersio habet, τοῦτο ἦν τὸ πεδίον τῶν βασιλέων: id est, hic erat campus regum. Et Tigurina legit in plurali, Quæ uallis Regum dicta est.

At uero Melchizedeck.] Latinus interpres, quisquis fuit, in multis locis nimium sibi indulsit. Non est in Ebræo, At uerò Melchizedek: sed simpliciter, Et Melchizedek.

Erat enim sacerdos altissimi.] Non est in Ebræo, Erat enim: sed, Et erat sacerdos, uel minister, Dei excelsi. Vel, Et ipse ministrans Deo excelso. Nec Græca uersio causalem uocula, enim, habet: sed ἦν δὲ ἱερεὺς, id est, Erat autem sacerdos Deo excelso.

Qui creauit cœlum & terram.] In Ebræo est קנה שמי ארץ, id est, qui possidet cœlum & terram. Græcus cum latino facit. Pagninus, Munsterus, & Tigurina uersio possidendi uerbum posuerunt.

Quo protegente hostes in manibus tuis sunt.] Ebræus sic habet: אשר מגן לריך בידך. Verbum מגן protegere quidem significat, unde & clypeum sonat מגן. Latinus interpres participialiter legit אשר מגן, id est, quo protegente. Verùm hoc loco posita est hæc uox pro concludere, ut legendum sit, qui conclusit. Pagninus, Munsterus, & Tigurina legunt, Qui tradidit. In eo quoq; latina deficit, quòd simpliciter legit, hostes, cum in Ebræo sit hostes tuos לריך, quemadmodum & Græcus habet.

EXPLANATIO.

Egressus est autem rex Sodomorum.] Solenne est, ut uictores cæsis hostibus cum spoliis de prælio reuertentes, publica gratulatione honorificè accipiãtur. Commodum ergo Moses post uictoriam Abrahæ diuinitus concessam etiam istam historicæ narrationis partem præcedentibus annectit, commemorans à quibus sit, & quomodo acceptus, cum spolia hostium & populum captiuum uictor reduceret. Meminit autem duorum regum, qui illi honoris ac gratulationis gratia obuiam sint egressi, regis uidelicet Sodomorum & regis Salem.

Egressus est, inquit, rex Sodomorum, in occursum eius, &c. Suprà quidem dictum est, regem Sodomorum cum reliquis terga uertisse, & in conflictu cecidisse: quoniam uerò iam in occursum Abrahæ post cædem hostium reuertentis egressus scribitur, satis constat exercitum eius in prælio cecidisse, ipsum uerò fuga elapsum fuisse.

In ualle Sabe, inquit, quæ est uallis regis.] Lyranus exponit, In ualle plana & æquali. Vox Saue Ebræis æqualitatis ac planiciei significationem habet. Interpretes Græcus & Latinus Ebræam uocem reriuerunt, uertentes, In ualle Sabe: ubi tamen ambiguum est, an uox Sabe ad ciuitatem referenda sit, cuius paulo antè facta est mentio, uel ad ipsam uallem. Et illud incertum est quod dicit, Quæ est uallis regis, de quo sit rege intelligendum, de rege ne Sodomorum, uel ciuitatis Sauæ, quæ supra regionem Sodomorum sita erat. R. Shlomoh duas opiniones de hac ualle recitat: unam, fuisse eam usibus regis adeputatam, ut ibi certamina equestria exercerentur. Sic intellexit Chaldæus interpres. Haud tamen exprimit de quo rege sit intelligendum. Alteram, esse uallem hanc ob id uallem regis dictam, quòd uicinæ gentes illam complanarint, & Abrahamum ibi regem suum cõstituerint. Sed unde ista probantur? Hieronym. ad Euagrium circa calcem Epistolæ uidetur hanc uallem regi Melchizedek assignare. Si temporum illorum historias & prisca locorũ nomina exactius sciremus, possemus certius aliquid proferre. Iam in tanta obscuritate eligat quisq; quod uerosimilius esse putauerit.

Et Melchizedek rex Schalem proferens panem & uinum.] Hic alter rex est, qui Abrahamo uictori obuiam est honoris gratia progressus. An in eandem uallem Saue occurrerit, uel seorsim Abrahamum honorificè acceperit, non est certò expressum. Mentio illius sic historiæ regis Sodomorũ inseritur, ut appareat utrosq; eodem loco ad Abrahamum conueniisse.

Et erat sacerdos Dei excelsi, benedixitq; ei, &c.] Quoniam narraturus erat, quomodo Abrahamum Melchizedeck non solum pane & uino honorario acceperit, sed & benedictionem adiecerit, dicens: Benedictus Abram Deo excelso, possessori cœli ac terræ: &, Benedictus Deus excelsus, qui conclusit hostes tuos in manus tuas: præmittendum putauit, fuisse illum sacerdotem Dei excelsi. Alioqui poterat lector cogitare, unde nam regi ethnico cognitio Dei excelsi? Nam omnino singularem in eo pietatem declarauit, quòd Abrahamum Dei excelsi, qui cœlum ac terram possidet, benedictum esse pronunciauit: ac simul Deo excelso doxologiam competentem exhibuit, dum uictoriam illius potentiæ adscripsit. Quare necessarium iudicauit Moses, ut præmoneret, fuisse illum sacerdotem uel ministrum (nam hoc uox כהן sonat.) Dei excelsi, alienum à superstitione falsorum deorum & cultruum. Huic dubio procul iam antea nota erat fides ac pietas Abrahæ. Quare illi à cæde hostium reuertenti pietatis studio motus occurrit, cùm ut uictori gratularetur ac beneditceret, tum ut Deum excelsum glorificaret.

Et dedit ei decimas ex omnibus.] Ambiguè posita est hæc particula, ut nescias uter utri decimas dederit, Abraham ne Melchizedeco, uel Melchizedek Abrahæ. quã ambiguitatem & Hieron. in Epistola ad Euagriũ attingit. Et ipsa narationis series sic est comparata, ut magis Melchizedek quàm Abraham decimas dedisse uideatur. Etenim quæ de Melchizedeko prædicare cœperat, nõdum absoluisse uidetur, ut particula hæc, Et dedit ei decimas, ad neminem appareat esse referenda, quàm ad Melchizedekum, de quo dicere cœpit, quòd panem ac uinum protulerit & Abrahæ, ac Deo excelso benedixerit: & ftim subiecit, Et dedit ei decimas. Et inuenti sunt, qui asseruerint Abrahamum fuisse sacerdotem Dei, & hoc nomine decimas à Melchizedeko accepisse. Verùm refellit eos authoritas Epistolæ ad Ebræos cap. 7. ubi sic legitur. Hic enim Melchizedek rex Salem sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuisit Abram. Item: Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Ergo quod hic Moses dicit, Et dedit ei decimas ex omnibus, sic est intelligendum: Et Abram dedit ei decimas de omnibus. Hoc est: Abram uicissim agnouit eum esse sacerdotem Domini Dei excelsi, & hoc illum nomine datis decimis tanquam sacerdotem Dei cohonestauit.

Illud aũt incertum est, dederit ne illi decimas tum in præsenti de spolijs hostiũ, & substantia cum Lot tum Sodomorum quam reducebat, uel de sua ipsius substantia, pecudibus ac prouentibus, & an id antea quoq;, uel tum demum fecerit, ac postea facere consueuerit. Meo iudicio simplicius est, ut intelligamus Abrahamum de optimis quibusq; spolijs in præsenti decimas, id est, munera honoris gratia Melchizedeko sacerdoti Dei uicissim dedisse. id quod & Hieron. in Epistola ad Euagrium sentit dicens, Et decimas prædæ, quas Abram uictis 4. regibus reportaret, acceperit. Et Chrysost: Et decimas, inquit, segregauit ei de omnibus quæ attulit. Idem sentit & historia Scholastica. Non est ratio, ut sentiamus eum hoc singulis annis feciisse, nisi doceri possit, usum esse eum posthac sacerdotij illius ministerio, cuius tamen rei nullum uspiam apparet argumentum.

QVAESTIO I.

Quis fuerit iste Melchizedek.

Et Melchizedek.] Controuertitur hoc loco, quis nam fuerit iste Mechizedek. Quatuor opiniones hac de re à Hieronymo in Epistola ad Euagrium recensentur. Prima eorum est, qui arbitrati sunt Melchizedekum hunc diuinioris fuisse naturæ, quàm qui hominibus adnumerari possit: ausiq; sunt affirmare fuisse eum spiritum sanctum, & sub figura hominis apparuisse, Abrahæq; occurrisse. Secunda est Origenis ac Didymi, qui senserunt fuisse eum angelum Dei. Tertia est Hippolyti, Irenei, Eusebij Cæsarienſis, Emiseni, Apollinarij, & Eustathij, qui omnes dixerunt eum hominem fuisse Chananeum, regem urbis Hierosolymæ. Quarta Iudæorum quorundam est, qui iudicant Melchizedekum fuisse Semi filium

lium Noe. Sic R. Shlomoh dicit חוא שם בן נח, id est, Hic est Sem filius Noah. quam opinionem etiam nostrorum aliqui sunt amplexi. Quod si quis meam sententiam requirat, arbitror simplicius & scripturæ conformius esse, ut sentiamus cum illis, qui, ut tertia habet opinio, iudicarunt hunc Melchizedekum fuisse hominem ethnicum & Chananæū, alienum à cognatione Abrahæ ac populi Dei, propterea quòd Epistola ad Ebræos quædam illi tribuit, quæ Sem filio Noah & maiori Abrahæ competere non possunt. Licet uerum sit uixisse adhuc Sem cū ista gererentur: probari tamen non potest recte ex eo colligi, ꝙ fuerit iste Melchizedek rex Salem. uixerunt & Selah & Heber usq; ad tempora Iacob, de quibus eadem ratione idem quod de Sem prædicari posset. Deinde, non est uerosimile Sem fuisse in regem à Chananæis electum, etiamsi eo in loco egisset. Grauior enim simultas & discordia inter posteros Cham & Sem intercesit, quàm ut sustinuissent illius imperium. Tertiò, Epistola ad Ebræos manifestè de Melchizedeko prædicat, generationē illius alienā fuisse à tribu Leui, quia sicuti Hieron. recitat, Chananæus fuit, & non de genere Iudæorum. quod de Sem dici non potest. Tam enim Leui ad cognationem Sem pertinet quàm Abrahaam, Isaac & Iacob. Adhæc, genealogia Sem in scripturis suprà cap. 11. exprimitur, & de patre & natiuitate ac morte eius narratur, quæ omnia Melchizedeko isti ab Apostolo adimuntur. Quare admodum inconueniens uidetur quòd nostri Iudæorum leuitati hac in causa astipulari uoluerunt, cum nulla sit necessitas, quæ nos huc adigat.

QVAESTIO II.

Rex Salem.] Quærunt hic, quæ nam fuerit ista Salem. Iosephus sentit eam fuisse ciuitatem Hierusalem. Nam de illius destructione lib. 7. belli Iudaici cap. 18. sic scribit: Primus conditor eius fuerat Chananæorum Dynasta, qui patria lingua, rex iustus est appellatus. Erat quippe talis, ideoq; sacerdotium Deo primus exhibuit, & fano primùm ædificato Hierosolymam ciuitatem uocauit, cum antea Solyma uocaretur. Idem & libro primo Antiq. cap. 18. scribit. Hunc plerique nostrorum Doctorum imitatur. Et hac opinione fuit Chald. etiam interpres. Et Hieronymus alicubi idem dixit. Verùm in Epistola ad Euagrium citat doctissimorum Iudaicæ gentis uirorum sententiam in diuersum. Sic enim anno tauit: Salem, non ut Iosephus & nostri omnes arbitrantur esse Hierusalem, nomen ex Græco Hebraicoq; compositum: quod absurdum esse, peregrinæ linguæ mixtura demonstrat: sed oppidum iuxta Scythopolim, quod usq; hodie appellatur Salem, & ostenditur ibi palatium Melchizedek, ex magnitudine ruinarum ueteris operis ostendens magnificentiam, de quo in posteriore quoque parte Geneseos scriptum uenit, Iacob in Socoth, id est tabernacula, & fecit ibi domos sibi atq; tentoria, & transiuit in Salem ciuitatem regionis Sichem, quæ est in terra Chanaan. Considerandum quoque est, quòd Abrahæ à cæde hostium reuertenti, quos persequutus est usq; Dan, quæ hodie Pamæas appellatur, non de uia Hierusalem, sed de oppido metropoleos Sichem in itinere fuerit, de quo in Euangelio quoq; legimus. Erat autem Ioannes baptizans in Ennon, iuxta Salim, quia aquæ erant multæ ibi. Nec refert utrum Salem an Salim nominetur, cum uocalibus in medio literarum perraro utantur Ebræi, & pro uoluntate lectorum atq; uarietate regionum eadem uerba diuersis sonis atq; accentibus proferantur. Hæc ab eruditissimis gentis illius didicimus, &c. qui etiam certissimum hominis nomen adscribant. Ista uoluntate lectorum atq; uarietate regionum eadem uerba diuersis sonis atq; accentibus proferantur. Hæc ab lui ex Hieronymo huc citare, ut admoneamur, quàm incertum sit hisce de rebus pronunciare, quarum nulla potest ex S. scripturis haberi certitudo. Aliena debet esse temeritas ista à uiris cordatis, ut quicquam asserant, quod nullis potest rationibus aut S. scripturis comprobari. Nolim illis contradicere qui Salem hic de Hierusalem intelligunt: rursus nolim dictam iam ex Hieronymo sententiam reprobare, procul transiuisse ab ista ciuitate Salem, quæcunque tandem fuerit, cum uictor ad suos in conuallem Mamre reuerteretur, atque ita Melchizedekum illi, cum illac transiret in uallem Saueh, occurrisse, paremq; & uinum ad accipiendum eum cum exercitu protulisse.

Quæ fuerit ista Salem.

Infrà 33.

QVAESTIO III.

Proferens panem & uinum.] In Ebræo quidem sic manifestè legitur, Protulit panem & uinum: ut prorsus insciti am suam uel magis malitiam declaret, quisquis lectioni huic contradicit. Et tamen nascitur hoc loco magna nostro tempore controuersia, quo nam proposito & consilio Melchizedek panem & uinum in occursum Abrahæ protulerit. Alij contendunt ad hoc esse factum, ut Deo offeret, loco sacrificij, eo quòd esset sacerdos Dei excelsi. Qui sic sentiunt, citant pro se lectionem uulgatam, Erat enim sacerdos Dei altissimi. Alij sensum hunc negant, dicuntq; protulisse Melchizedekum hunc panem & uinum, non ut Deo tanquam sacerdos sacrificaret, sed ut Abrahamum cum exercitu suo de cæde hostium reuertentem hac gratulatione & honoris exhibitione tanquam uictorem regaliter acciperet.

Quo proposito Melchizedek panem et uinū protulerit.

Priorem sententiam mordicus retinent illi, qui commentum oblationis ac sacrificij in sacrosancta Dominica cœna pro defendendo Papistico sacerdotio tuentur. Verùm uim faciunt simplicitati ac ueritati scripturæ. primùm enim, non est in Ebræo, Obtulit, sed ויצא, id est protulit panem & uinum. Et sic habet etiam uulgata latina & Septuaginta, & ad hunc modū legunt uetustiores patres, Hieron. ad Euagrium, & Ambrosius de mysterijs initiandis cap. 8. qui sic dicit: Tunc illi occurrit Melchizedek, & protulit ea, quæ Abram ueneratus accepit. Et August. super titulum Psalm. 33. ubi sic loquitur: Et tantus erat Melchizedeck à quo benediceretur Abram. Protulit panem & uinum, & benedixit Abra-

ham,& dedit ei decimas Abram. Videte, quid protulit ei quem benedixit. Admodum friuolum est quod Galatinus pro Papistico errore confirmando Rabi Pinhas filium Iair citat, qui dicit: Tempore Messiæ omnia sacrificia cessabunt,& sacrificium panis & uini nunquam cessabit, sicut dictum est Gen. 14. Et Melchized. rex Salem excepit panem & uinũ, hoc est, Messiah rex iustitiæ & Ierusalẽ superna excepit panẽ uinũ, id est, seperauit sacrificiũ panis à cessatione reliquorũ sacrificiorũ. Galatinus ipse mox post ista fatetur rectè legi protulit, uel produxit,& tñ pro cæcitate Papistica, addit Rabinũ istũ rectè dixisse, quod Melchizedek exceperit, id est seperauerit ac segregauerit panẽ & uinũ. Deinde nõ est in Ebreo, Erat enim, sicut & suprà monui: sed, Et erat sacerdos Dei excelsi, & benedixit ei. Et Septuaginta nõ uertẽrũt, ἦν γάρ, id est, Erat enim: sed, Erat aũt. Et sic Cyprianus quoq; legit, & citat Augustinus de Doctrin. Christ. lib. 4. cap. 21. Quare non debet ea particula præcedentibus, sed sequentibus deputari, sicut in explanatione monstratum est. Poterat hoc Lyranus sine ullo negocio uidere, nisi sui temporis opinioni magis quàm S. scripturæ ueritati fuisset addictus. Rex erat Melchizedek & sacerdos. Quatenus rex erat, gratulationis loco accepit Abrahamum cum exercitu suo pane & uino. Nec peccabimus in spiritum sanctum, si cum pane & uino alia quoq; ad cibum pertinentia prolata fuisse credamus. Quatenus uerò sacerdos Dei excelsi erat, etiam sacerdotaliter Abrahamum cohonestauit, benedicens illi & glorificans Deum excelsum. In Scholastica historia cap. 46. sic legimus: At uero Melchized. rex Salem obtulit ei panem & uinum. quod quasi exponens Iosephus ait: Ministrauit exercitui xenia, & multam abundantiã rerum opportunarum simul exhibuit, & super epulas benedixit Deum, qui Abrahæ subdiderat inimicos. Erat enim sacerdos Dei altissimi. Hactenus Scholast. historia. Hæc est simplex historiæ huius ueritas, quam Papistici sacerdotij mystæ uidere non possunt. Legant saltem Apostolum Ebr. 7. & uideant, quomodo ille sacerdotium Melchizedek ad sacerdotium Christi conferat: idq; non obiter, sed multis ac diligenter: & tamen ne semel quidem mentionem panis huius ac uini faciat. quorum certè obliuisci non debebat, si ad sacerdotium pertinerent. Verùm ea de re uideri possunt, quæ in Anticchlæo primo scripsi.

QVAESTIO IIII.

Quomodo Melchizedek homo Chananæus sacerdos Dei excelsi fuerit.

Et erat sacerdos Dei excelsi.] Poterit hic quæri de Melchizedeko isto, quomodo sacerdos Dei excelsi fuerit, cum esset homo Chananæus: & unde dignitatem hanc sacerdotij acceperit, cum nihil de uocatione illius legatur.

Ad hanc quæstionem bifariam respondetur. Qui sentiunt illum fuisse Sem filium Noe, dicunt omnes primogenitos ex stirpe Noe, cuius series & ordo describitur ad Aaronẽ usq;, fuisse sacerdotes, Deoq; obtulisse uictimas. Verùm probari non potest, neq; quòd Sem primogenitus fuerit Noe, neq; quòd sacerdotium primogenituræ fuerit annexum, nec quòd Melchizedek fuerit Sem filius Noe. Quare inanis est istorũ responsio. Qui sentiunt illũ hominem fuisse Chananæũ, dicunt sacerdotium neq; stirpi cuipiam ante legem, neque primogenituræ fuisse alligatum, cum constet & Habelem, & Enoch placuisse Deo, illiq; uictimas obtulisse, & Iobum quoq; sacerdotio functum esse, qui tamen de stirpe sanctorum fuisse probari non potest. Habuit Deus electos suos uiros sanctos ac pios non solum in generatione piorum, sed & impiorum: illiq; quoniam inter nationes uiuebant à cognitione & cultu Dei alienas, suos seperatim in uera fide ac religione instituerunt, atq; ita domi suæ sacerdotij munus administrarũt, quod & eos fecisse constat, quorum generatio inter pios censetur, utpote Noe. & Abraham. Quod autem de uocatione Melchizedek ad sacerdotium nihil legitur in scripturis, non impedit illius sacerdotium. Si sacerdotio functus est publicè in suo populo, usus est more gentiũ, quo reges simul & sacerdotes esse solebant. id quod in Vergilio quoq; uidere est, qui de Anio Etruscorum rege sic scribit: Rex Anius, rex idem hominum, Phœbiq; sacerdos. Si uerò domesticus duntaxat sacerdos fuit, non habebat populus externæ uocationis ordine, quemadmodum nec alij, qui consimili modo inter diuersæ fidei populos uixerunt, & uerum Deum seperatim coluerunt. Sed ea de re & suprà monui, cap. 8. Obseruat. 5. ibi, Odoratusq; est Dominus odorem suauitatis.

OBSERVATIO I.

Rebus tristib. etiam reges humiliantur.

Egressus est autem rex Sodomorum in occursum eius, postquàm reuersus est à cæde Chodorlaomor, & regũ qui erant cum eo, in ualle Saueh, quæ est uallis regis.] Consideremus hic qd faciant res tristes,& quousq; Deus reges quoq; humiliare possit. Rex iste Sodomorũ, priusquàm cæsus esset ab Orientalibus, tam erat elatus, ut ne potentissimo quidem regi honoris gratia occurrisset. Elationis huius argumentum in eo satis præbuit manifestum, quod Kedarlaomer regi Elamitarum tributum, quod annos duodecim dederat, amplius pendere detrectabat: tantæq; confidentiæ ac præsumptionis erat, ut armatus illi post tot populorum stragem occurrere non dubitaret. Iam uerò post acceptam cladem Abrahæ uiro peregrino & aduenæ humilis ac submissus occurrit, quem antea ne pili quidem fecisset. Hæc est mutatio dextræ excelsi, qua insolentiam ac fastum regum & principum humiliare solet. Et utinam manum eius agnoscant, & humiliati in spiritu illi submisso & morigero seruiant. Verùm quod accidit regi Sodomorum, usuuenit et nostris principibus. Post istam humiliationem ac depressionem usqueadeò ad ingenium redierunt Sodomitæ, ut post pauculos annos cœleste in se incendium & omnimodum prouocarent exitium. Sic sumus animati, ut unà cum sensu nobis memoria quoque cladis acceptæ euanescat.

Deinde quòd Abram uictor hostium & liberator captiui populi in ualle regis à regibus honorifice accipitur, documento sit, regium honorem competere potissimum illis, quibus à Deo datur ut & he-

Res

stes uincere,& populum de manibus illorum asserere ualeant. Hi demum ueri sunt reges,etiamsi nec titulo nec diademate regio inaugurentur. Quemadmodum autem Abram regis officio functus, à regibus est in ualle regis occursu honorifico publica cum gratulatione acceptus: ita conueniebat hodie accipi ab Episcopis titularibus eos,qui licet nec Episcopali titulo nuncupentur, nec dignitate Episcopatus honorentur, opus tamen Episcopi docendo in Ecclesia Dei perficiunt, errores prosternunt, & captiuas mortalium conscientias liberant, & ad ueritatis cognitionem reducunt. Hæc enim ad munus Episcoporum pertinēt, & reipsa ueros declarant Episcopos. Verùm nemo hodie talibus Episcopis, quos Deus spiritu suo imbuit,& ueros Episcopos constituit,infensius aduersatur,& hostilius occurrit,quàm titulares Episcopi,in quibus nihil præter mitram,pallium & baculum, quod Episcopale sit, deprehendere poteris.

Quibus honor regius debeatur.

De Episcopis falsis ac ueris.

OBSERVATIO II.

Et Melchizedek rex Salem protulit panem & uinum. Et erat sacerdos Dei excelsi, & benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso,qui posſidet cœlum & terram. Et benedictus Deus excelsus, qui conclusit hostes tuos in manibus tuis.]Principiò notandum est,quòd ciuitas Salem quoq; regem habet. Ciuitas Salem ciuitas pacis est. Qui hanc incolunt,regem habent. Ad quid autem opus est rege ciuibus pacis? An ideo regem habent,quia ciues sunt pacis? uel eam ob causam ciues pacis sunt, quòd regem habent? Non est opus pacis rex, sed pax opus est regis. Non est facile pacem obtinere sine rege. Reperies autem regem sine pace.Sic est humanum ingenium corruptum, ut nulla ciuitas,nulla domus, nulla uspiam regio in pace uiuere queat, nisi studio & beneficio regentis. Et nos Christiani ciues sumus Salem, id est, pacis: uerùm id non nostra ipsorum probitate, sed uirtute ac moderamine regis nostri Christi constat, quem cœlestis pater regem super Sion montem sanctum suum constituit. Huius opus est, quòd pacem nos habeamus cùm inter Deum & nos, tum inter nosipsos consequuti. Ipse est pax nostra, inquit Apostolus Eph.2.Quare qui alieni sunt à uera pace,& uitā pacis ignorant, haudquaquam inter ciues Salem ac regni Christi numerari merentur,etiamsi in Salem non modò uiuere,sed & regnare uideantur.

Etiam ciuitas Salem regem habet.

Deinde obseruandum est,quòd rex Salem Melchizedek uocatur.Melchizedek regem iustitiæ, uel regem iustum sonat.Admodum competenter rex Salem rex est iustitiæ.Nequit enim fieri,ut pax obtineat sine iustitia.Opus iustitiæ pax est,inquit Esaias cap.32. Vbi regnum est iustitiæ, ibi est & regnum pacis.Opus iniustitiæ,iniquitatis & malitiæ non est pax,sed seditio,tumultuatio,inquietudo,& omnis generis perturbatio.Quemadmodum enim iustitia & pax mutuo sese osculo complectuntur, Psal. 85. ita econtrario iniustitia & perturbatio indiuulse cohærent. Sic de Christo nostro rege pacis prædicatur in scripturis quòd sit rex iustus, Veniet tibi rex tuus iustus & Seruator,inquit Zacharias cap.9. Et Esa.11. Erit iustitia cingulum lumborum eius.Et subdit:Habitabit lupus cum agno,&c. Et cap.32. cum dixisset,Et erit opus iustitiæ pax: subiecit, Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ,& requie opulenta.Et Psal.72. Vt iudicet populum tuum in iustitia,& pauperes tuos in iudicio. Et, Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis,donec auferatur Luna.Et Esaiæ 9.uocatur Christus princeps pacis,cuius nullus sit finis: & tribuitur illius regno iustitia & iudicium. Haud ita que præter rationem est quod Apostolus ad Ebr.cap.7.Melchizedekum hunc regem Salem,cùm iustitiæ tum pacis nomine typum Christi gessisse dicit.

Quod rex Salē Melchizedek uocatur.

Tertiò,in eo quòd Melchizedek panem & uinum in occursum Abrahæ protulit,exemplum est, quo monstratur subueniendum esse iustitiæ exercitui, ab illis qui pacis adhuc bono fruuntur. Melchizedek non fuerat egressus aduersus hostilem exercitum,sed domi quietus hæserat.Aequum itaque erat,ut mitem Abrahæ, qui pro alijs pugnauerat, quo poterat solatio reficeret. Digni sunt publico fauore, honore ac solatio, quicunque publico omnium bono seruiunt, ac uitam suam propter aliorum salutem discrimini obijciunt,quibus Deus utitur ministris publicæ salutis ac tranquillitatis.Et hoc nomine æquum est, ut magistratibus tributa & uectigalia pendantur, quibus publici uel exercitus uel ministri alantur. cuius rei nos admonet Apostolus Rom. 13. Inhumani prorsus erant uiri Soccot ac Phanuel, quòd panem recentis uiris Gideon,cum publicos hostes insectarentur,proferre detrectabant,de quibus Iudic.8. legimus, Quare & postea dignissimas inhumanitatis suæ pœnas dederunt. Quid enim aliud est censendus quàm publicus hostis, quisquis publicæ tranquillitatis ministris solatium refectionis,in loco,si adsit reficiendi facultas,uel aliquod aliud subsidium,subministrare detrectat?

Subueniendū esse ministris iustitiæ.

Quod mysterium Dominici panis ac uini concernit, quando Apostolus tam diligens ac perspicax præsentis historiæ inspector, hanc particulam ne uerbo quidem attigit, arbitror haud peccare quenquam, si nihil quærat in illa præter ea quæ spiritussanctus nobis est explicare dignatus. Aliàs ex scriptis noui Testamenti abundè satis expressum est, quodnam sit Dominici panis ac calicis mysterium.Interea tamen non damno ueterum scripta, qui etiam hac in re typum Christi à Melchizedeko expressum esse iudicarunt, quòd is demum regni sui populum mystico pane ac uino, corpore uidelicet ac sanguine suo ad uitam pascat æternam,modò huiusmodi expositio non torqueatur ad confirmandum Papisticæ Missæ sacrificium.

De mysterio panis Dominici.

Quartò considerandum & hoc est,quod dicit: Et erat sacerdos Dei excelsi. Primùm obserua, quòd Abram inter Chananæos populum ethnicum,& à consortio sanctæ generationis alienum,immo inde ab origine ab ipso Patriarcha Noah maledictum, reperit non modò sacerdotem, quales apud Gentes haberi consueuerunt, sed & sacerdotem Dei excelsi, eiusdem uidelicet religionis consortem & cultorem,

Quod Abraham sacerdotem Dei reperit inter Chananæos:

rem. Admonemur hoc exemplo, nullam gentem tam esse alienam à populo Dei, in qua non reperiatur aliqui luce diuinæ cognitionis aliquousq; imbuti, & ueri uniusq; Dei cultores, qui ueluti stellæ quædam in medijs tenebris reluceant. Dicit quidem Dauid, Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. Verùm non hoc sic dicit, quòd iudicet nusquam præterea in omni mortalium genere aliquid diuinæ reperiri cognitionis. Neque enim dicit: Notus Deus in Iudæa tantum, & in Israel duntaxat magnum nomen eius. Si de gente quæras, in qua nomen & cognitio Dei catholicè obtinuerit, non erat tum temporis alia, quàm Iudaica. Si uerò de pijs ac Dei timentibus toto terrarum orbe sparsis quæras, habes hic Melchizedekum, habes Iobum, habes Bileam cognitione ueri Dei imbutum, habes Sibyllas, Niniuitas, & innumeros alios.

Quod Melchizedek simul & Rex fuit & sacerdos.

Deinde notandum est, quod Melchizedek iste simul & rex fuit, & sacerdos. Est ea in re spectabilis typus Christi, qui non umbratilis ac typicus, sed uerus supremusq; pariter est, idq; in æternum, & rex & sacerdos. Rex est potestatem omnem habens in cœlo & in terra, & cuncta gubernans. Dictum illi est à Deo patre, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. & Sceptrum potentiæ tuæ emittet Dominus è Zyon, dominare in medio inimicorum tuorum. Dictum est ab eodem: Et ego constitui regem meum super Sion montem sanctum meum. Et: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in uirga ferrea, &c. Rursus dictum est à propheta, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedek. Itaque pulcherrimus hac in re typus Christi in Melchizedeko rege ac sacerdote præcessit. Et nos, qui populus Christi regis ac sacerdotis sumus, genus sumus electum, regale sacerdotium, gens sancta, & populus acquisitionis, &c. 1. Petri 2.

De Romano pontifice.

Dicet hic quisquam, Cum ergo Romanus Pontifex Christi supremi regis ac summi sacerdotis sit in terris uicarius, quid impedit, quo minus sit ut summus rex condigne triplici corona insignitus, & ut summus sacerdos simuletiam mitratus, quo & regni & sacerdotij insignibus uicariatum suum secundum ordinem Melchizedek gerat & conformiter administret. Neque enim dici potest, quod in se sit illicitum, simul & regem esse & sacerdotem, cum uterque fuerit iste Melchizedek, præcipuus Christi typus. Respondeo: Scriptum est, nemo sibij ipse sumit honorem, sed qui uocatur à Deo tanquam Aaron: quemadmodum nec Christus semetipse clarificauit, ut summus sacerdos fieret, sed qui loquutus est ad eum, &c. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedek. Ostendant igitur Romani Pontifices uicariatus sui, regni uidelicet ac sacerdotij authoritatem ex uocatione aliqua diuina. Non reges Christus, sed apostolos & prædicatores Euangelij sui misit in orbem. Scimus & Samuelem utroque cùm Iudicis tum sacerdotis functum esse munere. Scimus regnum & sacerdotium non esse res sibijnuicem contrarias. Non contradicimus, posse utrunque ab uno & eodem homine ritè administrari, si ita constituerit Dominus. Verùm in Romano Episcopo quærimus constitutionem & uocationem Dei, qua possit iure diuino & Apostolus esse & rex. Legant saltem Bernhardum de consideratione ad Eugenium Romanum Episcopum, libr. 2. ubi sic scribit: Quod habuit, hoc dedit: Sollicitudinem super Ecclesias. Nunquid dominationem? Audi ipsum. Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum de sola humilitate putes, non etiam ueritate, uox Domini est in Euangelio, Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici uocantur. Et infert: Vos autem non sic. Planum est, apostolis interdicitur dominatus. Ergo ni, & tibi usurpare aude, aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Plane ab altero prohiberis. Si utrunque simul habere uoles, perdes utrunque. Alioqui non te excepto illorum numero putes, de quibus quæritur Deus sic. Ipsi regnauerunt, & non ex me. Principes extiterunt, & non cognoui eos. Hæc ille. Itaque non est Romanus. Pontifex rex & sacerdos iure diuino. Et ipsi Romani negant eum utrumque esse iure humano. Bernardus admit Papatui ius diuinum, Papistæ negant illi humanum. Consequens igitur est, ut nec diuino, nec humano iure coronæ huius regiæ ac mitræ sacerdotalis in Romano Pontifice nitatur coniunctio. Quo fit autem habendum loco, quòd nec diuino, nec humano iure firmatur, nemo cordatus est qui non intelligat.

De benedictione sacerdotali.

Quintò Benedixit q; ei, inquit. Notandum hic est, quod cum memoraturus esset, benedixisse Melchizedekum Abrahæ, præmonere uoluit, fuisse eum sacerdotem Dei excelsi, ut intelligamus benedictionem hanc fuisse haud uulgarem, sed sacerdotalem. Non omnis benedictio sacerdotem constituit. Legimus Elizabetam matrem Ioannis Baptistæ benedixisse Mariæ uirgini ac matri Seruatoris nostri Iesu Christi, & mulierculam quandam Christo ipsi benedicendo exclamasse: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. Et Dauidem benedixisse populo, item & Salomonem, ac uicissim populum Salomoni, quibus tamē sacerdotiū scriptura non adscribit. Sacerdotis aūt peculiariter est benedicere. Igitur ut Abrahamū non uulgariter, sed sacerdotaliter à Melchizedeko benedictum fuisse sciamus, notāter est de sacerdotio illius præmissum. Et erat sacerdos Dei excelsi. Seruit hæc consideratio argumento Apostoli, quo ad Ebræos cap. 7. ut sacerdotiū Christi sacerdotio Aaronis præstantius esse doceat, ab hac argumentat benedictione, dicens: Sine ulla contradictione, quod minus est à meliori benedicitur. Significat sacerdotium Aaronis cum esset adhuc in lūbis Abrahæ, benedictionē accepisse à sacerdote Melchisedeko, qui typus fuit sacerdotis Christi, ideoq; melius esse Christi quàm Aharonis sacerdo-

2. Sam. 6.
1. Reg. 8.
Hebr. 7.

A sacerdotium. Ratio hæc non constaret, nisi Abraham sacerdotaliter esset à Melchisedeko benedictus. Alioqui uulgaris benedictio non habet id dignitatis, ut potior habendus sit qui benedicit eo cui benedicit, nisi dicturi sumus Elizabetham potiorem fuisse beata uirgine matre Domini. Qui benedicit ex officio sacerdotij, hactenus est potior eo cui benedicit, quatenus illo est propter dignitatem sacerdotij præstantior. Benedicit sacerdos non homini tantum, sed & Deo. Hic certè locum non habet Apostoli sententia, qua sine contradictione meliorem esse dicit benedicentem eo cui benedicit. Neq; enim sacerdotij dignitas potior, sed tanto inferior est eo qui sacerdotium constituit, & cui ministerio sacerdotij seruitur, quanto minor est domino suo seruus. Verùm ubi homo, sacerdos ac minister Dei, ex officio sacerdotij benedicit homini, potior illo censetur, non fidei & pietatis, sed sacerdotij prærogatiua. Alioqui si fidei ac pietatis respectu censendum sit de Melchisedeko & Abrahamo, non uideo, quur Abrahamo præstantior sit Melchisedek. Iam cogitemus, si Melchizedek sacerdos propter sacerdotij dignitatem præstantior est Abrahamo, uiro Dei, tam pio, tam fideli, tam magnis promissionibus Dei cumulato & ornato, quid censendum sit de sacerdotio Christi non serui, sed domini: non imperfectè, sed omnium perfectissimè iusti ac sancti, respectu sacerdotij Aaronis: non modò propter conditionem serui, sed & propter fidei, pietatis, ac sanctimoniæ imperfectionem infinito inferioris. Horũ uolui admonere hoc loco propter argumentum Apostoli Hebr. 7.

Dum autem ista propter argumentationem Apostoli perpendimus, haudquaquam sacerdotibus Papisticis patrocinamur, qui de dignitate sacerdotij sui, sic gloriantur, ut asserant se reliquis Christianis multo esse potiores, quantumuis plerunq; homines peßimè in conspectu Dei uiuentes. Apostoli sententia est, inquiunt, sine controuersia meliorem esse benedicentem eo cui benedicit. Nos autem, ex officio sacerdotij benedicimus laicis. Sumus ergo illis meliores, etiam si sanctè ac iustè uiuant. Respondemus. Ostendant nobis sacerdotij sui uocationem & authoritatem ex sanctis scripturis. Alioqui non agnoscimus ullam sacerdotij dignitatẽ, ubi nulla illius legitima monstrari potest uocatio. Deinde, etiamsi sacerdotes uocati essent & ordinati à Deo, secundum Canones tamen ipsorum benedictio eorum qui malè uiuunt, & sacerdotio suo illegitimè utuntur, uertitur in maledictionem. Erant utiq; secundum ordinationem legitimam sacerdotes Domini, quibus Deus Malachiæ 2. sic loquitur: Et nunc ad uos mandatum hoc ò sacerdotes. Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in uos egestatem, & maledicam benedictionibus uestris. Vide 1. quæst. 1. capite Multi. Quorsum autem attinet iactari sacerdotium & benedictionem ab illis, quorum sacerdotium diuina non potest authoritate comprobari & benedictio uertitur in maledictionem? Vt quid Ecclesia Dei inanibus sacerdotij ac benedictionis uocabulis ludificatur ac seducitur.

Contra sacerdotes Papisticos.

Malachiæ 2.

B Sextò. Et ait: Benedictus Abram Deo excelso. In eo quod Abrahamum percussorem hostium, benedictum Deo excelso, uel Dei excelsi uocat, luculento exemplo uidemus, benedictos esse Domini, qui uiolentiam fratribus illatam uindicant, & oppressos, cum cæde quoq; malorum & impiorum liberant. Viqueadeò uidelicet sancta est uera charitas, ut & persequutio & cædes charitati seruiens benedictioni Dei deputetur.

Benedicti sunt qui succurrunt oppressis.

Septimò, considerandum est etiam elogium, quod Melchisedek Deo tribuit, dicens: Benedictus Abram Deo excelso, qui possidet cœlum & terram. Vocat Deum, excelsum, cœliq; ac terræ possessorem, non ut eum supernis mansionibus includat, cum ad impleat omnia cœlestia, terrestria & inferna, sitq; non solum excelsissimus, sed & profundissimus: sed seruit hoc elogio celebrandæ diuinæ maiestatis celsitudini, & præsenti sese causæ accommodat. Celsitudinis elogio extollitur uerus Deus super omne quod eximium uel est uel habetur cùm in cœlo, tum in terra, super omnes cœlos, super omnem terram, super omnes gentes ac populos, super omnes reges, super omnes deos. Excellit omnes incomprehensibiliter ueritate, æternitate, ac diuinitate essentiæ, Maiestate & sublimitate potentiæ, ac sapientiæ, & nunquam satis cognita infinitæ bonitatis natura. In præsenti causa elogio celsitudinis sic Deus excelsus uocatur, ut separetur & extollatur supra deos ac reges & populos omnes. Sic Melchisedek non simpliciter sacerdos Dei, sed sacerdos Dei excelsi prædicatur à Mose, ut separetur à sacerdotibus falsorum deorum. Sic Deus à Melchisedeko sacerdote suo prædicatur Deus excelsus, cœliq; ac terræ possessor, ut hoc elogio uerus & unicus Deus, & simul dominator omnium & regum & populorum prædicetur, qui potentia sua fortissimos etiam reges & populos in manus seruorum suorum cædendos, ac fiernendos tradere possit. Sit itaq; nobis elogium hoc Dei solatio, quoties terrenæ, immò diabolicæ quoq; & infernalis potentiæ spectris terremur, ut bona cum fiducia ad celsitudinem diuinæ maiestatis ac potentiæ confugiamus, sub qua curuatur, quicquid ullo pacto magnificum, potens & gloriosum est non in terra modò, sed & in cœlo, & apud inferos.

Deum esse excelsum.

Simul & illud obseruandũ est, q̃ neq; solius cœli, sed & terræ, neq; solius terræ, sed & cœli possessionem Deo excelso tribuit. Qui dominantur in terra, facilè permittunt Deo, ut cœlos possideat, modò ipsorum dominio terrena cuncta subiaceant, & pro dijs terrenis adorentur. Et inueniunt adulatores, nocentissimum genus hominũ, qui ut hunc in ipsis animum confirment, uocent eos autocratoras, & potestatem in terris quidlibet agendi tribuant, quasi non sint serui Dei, in terra non sua, sed ipsius: nec futurum sit unquam ut illi factorum suorum rationem reddere cogantur. Hinc illud, Iupiter in

Deus & cœli et terræ possessor.

cœlis, Cæsar regit omnia terris. Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Gloria victoriæ Deo adscribitur.

Octauò. Et benedictus Deus excelsus, inquit, qui conclusit hostes tuos in manibus tuis. Primũ illud obseruandũ est, ꝙ tam insignis victoriæ gloriã nõ Abrahæ, sed Deo adscribit. Benedicit quidẽ Abrahæ, tanq̃ benedicto Dei seruo & amico, per quẽ exercitus hostium fuerat prostratus: uerùm victoriæ illius gloriam præstantiorẽ esse agnoscit, quàm quæ Abrahæ competat. Non enim illius, sed Dei potentia victi fuerant ac cæsi reges isti potentes ac victores. Clamabat hoc res ipsa. Haud enim humanarum est uirium, ut 318. homines quatuor regum exercitus cædant, sed potentiæ Dei. Quare quoties quæ fortiora sunt ab infirmioribus, quæ maiora à minoribus, & quæ plura à paucioribus uinci uiderimus, agnoscamus ipsissimum diuinæ potentiæ argumentum.

Zelus gloriæ Dei et ueræ charitatis.

Deinde animaduertendum & illud est, quòd non simpliciter manum Dei in victoria hac Abrahæ agnoscit, ac dicit, Benedictus Abram Deo excelso, qui possidet cœlum ac terram, & hostes tuos in manus tuas tradidit: sed & in laudem ac doxologiã Dei erumpit, ac dicit: Benedictus Deus excelsus, laudans hoc & prædicans de Deo ꝙ hostes in manus Abrahæ cædendos tradidit. Hoc non est cædem hostiũ tribuere tantum Deo, sed erga illam etiã sic affici animo, ut agnoscatur talis, quæ gloriæ ac laudi Dei seruiat. Carnalis animus uel horret, uel commiserationis affectu corripitur, ubi de cæde ac strage multitudinis alicuius cogitat. Sancti uerò, quãuis & ipsi haud sint alieni ab humanitatis & cõmiserationis affectu, magis tamen condolent captiuis ac uastatis, quàm uastatoribus impijs, ubi illi cæduntur & captiui liberantur, & sic ardent zelo gloriæ Dei, ut quacunq̃ illa occasione illustretur, etiãsi id fiat fuso impiorum sanguine, in laudem Dei prorumpant. Non est hic animus crudelitatis & inhumanitatis damnandus, sed propter zelum gloriæ Dei, & ueræ charitatis affectum exosculandus.

Hostes fratrum nostrorũ sunt hostes nostri.

Præterea neq̃ hoc transeundum est, quod non simpliciter dicit, Qui conclusit hostes: sed, Qui conclusit hostes tuos in manibus tuis. Quatuor isti reges nihil mali fecerant Abrahæ, cuius gratia hostes illius censendi fuissent, nisi quòd Lot fratrem illius cum reliqua populi multitudine captiuum abduxerant; & tamen nihilosecius uocãtur hic hostes Abrahæ. Admonemur itaq̃ hoc exemplo, esse hanc fraternæ charitatis legem, ut hostium loco habeamus eos, qui hostes sunt fratrum nostrorum: ac rursus amicissimos, amicis fratrum. Hostes Lot, erant hostes Abrahæ. Quod potest cognatio sanguinis, multo efficacius potest uera coniunctio fidei ac spiritus.

OBSERVATIO III.

Triplex decimarum cõsideratio. De iure diuino.

Et dedit ei decimas ex omnibus] Occasione loci huius uidendum est de decimis. Harum consideratio triplex est. Sunt enim aliæ iuris diuini, aliæ iuris humani, aliæ prorsus liberæ. Quæ iuris diuini sunt, pertinebant ad sacerdotes Leuitici generis, quibus Deus primitias & decimas in populo suo deputauit, sicuti uidere est in lege Exod. 22. Leuit. 27. Num. 18. Deut. 12. 14. 26. Harũ geminus erat usus. Annuæ decimæ cedebant sacerdotibus ac Leuitis, quibus in diuisione terræ nulla erat data possessio, ut ex primitijs, decimis, & oblationibus populi uiuentes seruirẽt tabernaculo ac cultui diuino. Deinde tertio quolibet anno rursus aliæ decimæ dabantur in usus pauperum, uiduarum, orphanorum ac peregrinorum, sicuti uidere est Deut. 14. 26. Itaq̃ transgressionis & inobedientiæ reus erat, quisquis in Israele decimas secundum legis diuinæ præscriptum non offerebat.

De iure humano.

Deinde, decimæ quas iuris humani esse diximus, pertinẽt ad tributa quæ regibus, principibus ac magistratibus penduntur. De hoc genere decimarum legimus 1. Sam. 8. ad hunc modum: Veruntamẽ contestare eos, & dic eis ius regis, qui regnaturus est super eos. Dixit itaq̃ Samuel omnia uerba Domini ad populũ qui petierat à se regem, & ait: Hoc erit ius regis, qui imperaturus est uobis. Filios uestros tollet, &c. Sed & segetes uestras & uinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis suis. Item: Greges quoq̃ uestros addecimabit, uosq̃ eritis ei serui. Hæc ibi. Vnde satis manifestũ est, decimarũ exactionem cùm de terræ nascentibus, tum de pecudibus ab antiquo pertinere ad ius regum ac principũ terræ, sic, ut quisquis illis subiectus sit, si exigatur, pendere illas teneatur. Deinde, posse reges ac principes iure hoc suo uti, uel usum illius dare quibus uoluerint, uel ab eo subditos, loco priuilegij gratuiti, aut ad certum tempus aut perpetuò liberare. Sic Demetrius rex 1. Mac. 10. decimarũ ius ciuitati Hierusalem obtulit, & pro fert, si Iudæi partes suas foueãt. Et ex orationibus Ciceronis actionum in Verrem 5. oratione 8. & pro lege Manilia uidere licet, Romanos decimas à prouincijs subiectis exegisse. Et ex historijs gentium patet, ethnicos Principes dijs suis Apollini, Herculi, &c. decimas consecrasse, non modò terræ nascentium & pecudum, sed & spoliorum, si qua contigisset uictoria.

Decimæ liberæ.

Tertiò, sunt etiam aliæ decimæ, quas liberas, id est nulli iuri subiectas esse dixi. Eiusmodi sunt, quæ à liberis hominibus sponte uel ad usum ministrorũ Ecclesiæ, uel ad sustentationẽ pauperũ, uel ad subsidium reipublicæ tempore necessitatis dantur. Huius generis decimæ erant, quas Abram Melchizedecho sponte sua, honoris gratia de spolijs dedit. Neq̃ enim ad id ullo iure cogebatur, cum nõ esset illius neq̃ regno, neq̃ sacerdotio subiectus, nec ullo præcepto Dei quicquam illi deberet.

Vnde sit usus decimarum inter Christianos.

Iam quæstio nascitur, unde sit inter Christianos usus decimarum. Scio quosdam referre eas ad ius diuinũ, & huc applicar equæ de decimis præstandis in lege Mosaica Israelitis præcepta leguntur, quibus cõsentire nõ possumus. Nam eiusmodi decimarũ ius deputatũ à Deo fuit sacerdotio Leuitico. Et quidẽ de filijs Leui sacerdotiũ accipientes, inquit Apostolus Heb. 7. mandatũ habent decimas sumere à populo secundũ legem. Cum aũt sacerdotiũ hoc Leuiticum, tanq̃ umbratile & imperfectum Christi sit sacerdotio muratum, palàm est translato sacerdotio, translatam etiam esse sacerdotij legem, quemadmodum

modum dicto iam loco colligit Apostolus. Quare nisi populum Christi sacerdotio ac legi Mosis subijcere uoluerimus, cauendum est, ne ex eo quod in lege præceptum est, usum decimarum inter Christianos iuri diuino adscribamus. Alioqui qui hoc statuunt, eadem ratione primitias etiam, oblationes & uictimas à fidelibus Christi extorquere, & populum Christi legis iugo subijcere poterunt.

Alij iudicant usum decimarum ex consensu primùm alicuius Ecclesiæ inter Christianos cœpisse, ac postea per imitationem factum esse reliquis Ecclesijs catholicum. Verùm primus Ecclesiarum Christianorum communi posset consensu citra magistratuum authoritatem statui.

Christianis non est liberum negare decimas.

Illi rectius, meo iudicio, sentiunt, qui usum decimarũ per liberalitatem ac largitionem Christianorum Principum sacerdotibus falsorum deorum ademptum, ad Ecclesias Christi translatum esse iudicant, ut hoc subsidio certa quædam esset cùm ministrorum Christi, tum pauperum alimonia ac sustentatio. Apparet enim quemadmodum templorum structuras, ministrorum Ecclesiasticorum immunitatem, singularia quædam Ecclesiarum priuilegia, & possessiones ac iurisdictiones ciuitatum, pagorũ, & agrorum, ita & decimarum ius à principibus ac regibus peruenisse ad Ecclesias.

Hinc tamen nemo cordatus colliget, licerè posse decimas uel dari uel negari inter Christianos, quando non sunt de iure diuino, sed humano. Primùm enim diuini prorsus iuris est, ut qui Ecclesiæ Christi seruiunt, pro opere suo accipiant, unde uiuant. Dignus est operarius cibo suo, inquit Christus Matthæi decimo. Et 1. Cor. 9. Sic Dominus ordinauit, inquit Apostolus, ut qui Euangelium annunciant, de Euangelio uiuant. Et Gal. 6. Communicet autem is qui docetur uerbo ei qui se docet, de omnibus bonis. Deinde requirit à fidelibus authoritas apostolica, ut cui tributa sunt danda, tributa: cui uectigalia, uectigalia pendant, Rom. 13. Iam cum magistratus quod in suos poterat usus conuertere, ministris Christi ac pauperibus sustentandis delegauerit, duplici nomine tenebitur Christianus ad dandum decimas pijs usibus deputatas. Immò agnoscendum est fidelibus, quanta sit commoditas hoc contributionis genere alendi ministros ac pauperes Christi. Posset magistratus decimas suo iure exigere & usurpare à subditis, & ministros unà cũ pauperibus Ecclesiæ alendos relinquere, atq; ita essent & decimæ magistratibus dandæ, & alijs præterea contributionibus ministri Christi ac pauperes alendi.

Quare planè constat hoc genus hominum qui decimas Ecclesijs Christi pietate principum ad sustentationem ministrorum ac pauperum Christi deputatas, dare detrectant, nec magistratibus esse obedientes, nec Christo Seruatori & Ecclesiæ illius fideles.

Quid curandum sit pijs magistratibus.

Et quoniam postremo hoc seculo irreligiosorum, infidelium, & inhumanorum hominum numerus inter Christianos abundare cœpit, curandum est magistratibus pijs ac Christianis, ut authoritate ac potentia sua corrupto huic seculo edenti, bibenti, & omnia in detestabiles usus peruertenti, hoc saltem uelut è dentibus eripiat, ut priscorum principum liberalitate Ecclesiastico ministerio ac pauperum necessitatibus prouideatur.

Et hoc facientibus ista curanda ueniunt. Primùm, ut Ecclesiarum ministri, quocunq; tandem nomine nuncupantur, ministerium suum secundum præscriptum Dominicum & Canonem Apostolicum, purè ac fideliter adimpleant. Deinde ut qui hoc faciunt, legitima alimonia sustententur: secus ue rò agentes omni principum liberalitate & immunitate priuati reijciantur. Omnium enim iniquissimum est, si quod pij olim principes ueris Christi ministris, Euangelij ac regni Dei præconibus deputarunt, Antichristi cedat mancipijs, hominibus impijs, impuris, infidelibus, Simoniacis, eidololatris, & osciosis uentribus, fruges inutiliter consumere natis. Hos omnes pius Princeps è consortio ac priuilegio uerorum Christi ministrorum reijciet, & fucos, pecus ignauum, à præsepibus arcebit, quicquid ab illis è canonibus Papisticis adferatur. Tertiò, ut subsidio decimarum non solum Ecclesiæ ministris, sed & pauperibus, uiduis, orphanis, & peregrinis prouideat. Sunt enim, sicut ex Augustino 16. quæst. 1. cap. Decimæ, etiam in hunc usum ordinatæ decimæ, ut tributa sint egentium animarum. Et ut decimarum usus egestati ac necessitati Ecclesiasticæ ritè seruire possit, ipsa hoc expoſcit necessitas, ut homines Dei timentes ac Christo pariter & Ecclesiæ eius fideles constituantur decimarum, ac reliquorum Ecclesiasticorum redituum præfecti, qui subsidia ista colligant, & legitimis usibus dispensent. Vsurpant sibi Ecclesiastici non solum necessarium usum, sed & omnem hanc Ecclesiasticorum bonorum potestatem ac dispensationem. Verùm quoniam deprehensi sunt infideles, & magis quæ suaipsorum sunt quàm Ecclesiæ Christi quærentes, tradenda est cura hæc hominibus secularibus, modò fidelibus, quorum fideli dispensatione utriſq; tam ministris quàm pauperibus Christi consulatur. Et cum primis curandum hoc est, ut ab isto subsidiò arceatur omnis perfidia: quæ si ulla in re, in hac est omnium gratissimum odibilis Deo, & à ueris Christianis uehementer aliena.

Vt Ecclesiarum ministri faciant officium suum.

Vt rectè ministrantes alantur.

Vt pauperibus orph. uiduis ex decimis consulatur.

De præfectis decimarum.

Arcenda omnis perfidia.

Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui respondit ei: Leuo manum meam ad Dominũ Deum excelsum, possessorem cœli & terræ, quòd à filo subtegminis, usq; ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas, Ego diuitem Abram; exceptis his quæ comederunt iuuenes, & partibus uirorum

rum qui uenerunt mecum, Aner, Eſchol & Mamre. Iſti accipiant partes ſuas.

LECTIO.

Da mihi animas.] Græcus reddidit, δός μοι τὰς ψυχάς, id eſt, Da mihi uiros. Hebræa mulieres quoq; & paruulos includunt.

Et cætera tolle tibi.] In Hebræo eſt: וְרְחַרְבֹּשׁ קַח לָךְ, id eſt, Et ſubſtantiam tolle tibi. Septuaginta legunt, τὰ δὲ ἵππον λάβε σεαυτῷ, id eſt, equitatum uerò accipe tibiipſi. Per equitatum intellige ſarcinas quæ equis uehebantur.

Poſſeſſorem cœli ac terræ.] Rectè. Suprà uerò eandem particulam קֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ uertit, qui creauit cœlum & terram.

Quod à filo ſubtegminis uſq; ad corrigiam caligæ.] In Hebræo eſt ad uerbum, Si à filo & uſq; ad corrigiam calceamenti, & ſi accepero de omni eo quod tuum eſt. Græcus uertit, εἰ ἀπὸ σπαρτίς ἕως σφαιρωτῆρος ὑποδήματος: id eſt, ſi à funiculo uſq; ad corrigiam calceamenti. Legunt quidam ex noſtris, ſi à uitta uſq; ad corrigiam calcei. Vox חוּט aliquando pro filo, nonnunquam etiam pro funiculo, uel uitta in ſcripturis ponitur. Iudicum 16. ubi legimus Samſonem nouos funes, quibus ligatus erat, rupiſſe ſicuti filum, in Hebræo eſt בְּחוּט. Iehoſue 2. uocatur הַתִּקְוַת חוּט הַשָּׁנִי funiculus fili coccinei, quo muro ſunt exploratores per Rahab demiſſi. Canticorum 4. comparantur labia ſponſæ funiculo coccineo, ubi eſt חוּט הַשָּׁנִי. Quod græcam lectionem attinet, alij legunt ἕως σφυρωτῆρος per ypſilon, à σφύρον quod plantam pedis uel talum ſignificat, ut intelligendum ſit de ligula, qua calceus pedi circa talos alligatur. Alij per alpha & iota legunt σφαιρωτῆρος. Sonat autem σφαῖρα globum, orbiculum, unde σφαιρωτὴρ corrigiam ſignificat, qua calceus circa uertebram talorum aſtringitur. Vtraq; lectio ad eundem ſenſum collimat.

EXPLANATIO.

Dixit autem rex Sodomorum ad Abram.] De rege Sodomorum ante hiſtoriam Melchiſedek narrationem inſtituerat, quã nunc abſoluit. Dixit illum Abrahæ in uallem regis occurriſſe. Poſcebat geſtorũ ſenes, ut commemoraret, quid in occurſu illo geſſerit. Duo autem dicit. Vnum, quid rex Sodomorum ab Abrahamo petierit: alterum, quid Abram illi reſponderit.

Da mihi animas, inquit, cætera tolle tibi.] Per animas intelligit homines. Potior pars hominis anima eſt, quare ſcriptura hominem interdum uocare ſolet animam. Petit igitur ab Abrahamo, ut reſtituat ſibi mulieres ad populum quem cæſis hoſtibus uictor reducebat, reliqua ſibi tanquam ſpolia hoſtium retineat. Iure belli omnia quæ hoſtibus ademerat, non modò ſubſtantia, ſed & captiui, erant in manu Abrahæ. Quare quæ rex Sodomorum hic dicit, non ſunt largitionis ſub conditione factæ, ſed precariæ petitionis, qua captiuos ex gratia ſibi dari petit: cætera uerò iuri Abrahæ relinquit, ne impudenter omnia repetere uideatur.

Qui reſpondit ei: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli ac terræ, &c.] Rex Sodomorum arbitrabatur Abrahamum prædæ gratia hoſtes fuiſſe perſecutum, ideoq; ſpolia ac prædam cupidè eſſe amplexum. Vt hunc igitur animum à ſe prorſus alienum eſſe declaret, iureiurando teſtatur, ſe nihil ex omnibus ad ipſum pertinentibus reſeruaturum. Quod enim dicit, Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli ac terræ, expreſſam habet grauis ac perfecti iuramenti formam.

Quod à filo uſq; ad corrigiam calcei non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt.] Latina uerſio non exprimit mentem uerborum Abrahæ, quæ ſic prolata ſunt, ſi à filo uſq; ad corrigiam calceamenti, & ſi accepero de omnibus quæ tua ſunt. Non ſolum iurat ſe nihil accepturum, ſed imprecatur etiam ſibi diuinam ultionem, ſi quid acceperit. Sic enim ſolent, qui magno ſerio iurant. quò etiam pertinet quod illud Si ingeminauit. Primùm dixit, Si à filo uſq; ad corrigiam calceamenti: quo ſchemate complexus eſt omnia ea quæ ad humani corporis ueſtitum & uſum pertinent. Per filum enim ea intelligit quæ filo ſunt contexta, per corrigiam calceamenti ea quæ de corio facta ad pedes ac crura pertinent. Deinde quoniam hac loquutione nondum uniuerſam ſpoliorum ſubſtantiam fuerat complexus, ne quid ex reliquis retinere ſibi uelle uideatur, adijcit ſecundò dicens: Et ſi accepero de omnibus quæ tua ſunt. Tanto uidelicet ſerio omnem à ſe ſuſpicionem illam reijcere uoluit, qua prædæ inhiare putabatur.

Ne dicas, Ego ditaui Abram.] Hæc eſt tam grauis ac ſerij iuramenti ratio, quare nihil de omnibus quæ illius eſſent accipere uoluerit. Ne dicas, inquit, Ego ditaui Abram. Hoc eſt, ne aliquando fortunis meis inſultes, quòd tuis opibus factus ſim diues.

Exceptis his quæ comederunt iuuenes, & partibus uirorum qui uenerunt mecum, &c.] Habent iſta exceptionem rectè ac prudenter adiectam. Erat quidem ipſe expeditionis huius caput, uerùm habebat ſub ſe militem cui uictus neceſſarius debebatur, & iuxta ſe ſocios Aner, Eſchol & Mamre, qui ſua non erant portione fraudandi. Horum gratia geminam exceptionẽ adijcit, dicens, Exceptis his quæ comederunt iuuenes: ſic intelligit uernaculos ſuos milites. Poteſt autem ſic legi, exceptis his quæ comedunt iuuenes. Eſt enim credibile tantum ſibi de ſpolijs eſculentis ſeruaſſe Abrahamum, quod ſufficeret ad cibandum exercitum, donec ad ſua reuerſus eſſet, ne quem in itinere grauare cogeretur.

Altera

Altera pars exceptionis in eo est quod addit. Et partibus uirorum, qui uenerunt mecum, Aner, Escol, & Mamre. Non erant illi ex subditis, sed socij. Quare non conueniebat, ut eos iure ipsorum fraudaret. Permittit illis liberum, ut partes suas accipiant, uel regi Sodomorum permittant. Quod enim dicit, Isti partes suas accipiant: non ad hoc dicit, ut prohibeat illis, quo minus faciant de suo, quod ipsum facere uidebant: sed ne suo facto illis præiudicare uideatur. Quare idem est ac si dicat: Isti potestatem habeant suas partes accipiendi, ac iure suo utendi.

QVAESTIO.

Quare Abram tam serio hic usus sit iuramēto.

Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum.] Poterit hic quæri, quid necesse fuerit Abrahæ tam serio ac graui iuramento, cum citra iusiurandum simpliciter quod recusabat, recusare posset. Est enim tanta diuini nominis Maiestas, ut haud sit temerè usurpandum.

Chrysostomus arbitratur hoc factum esse studio pietatis, ut regem Sodomorū hac occasione de ueri & unici Dei religione doceret. Secundum hanc sententiam iuramenti huius ratio magis ad hoc faciebat, ut in aures hominis ethnici confessio ueri Dei, aduersus falsorum deorum superstitiones magna fide ac religione proferretur, quàm ut recusationis huius protestatio & assertio confirmaretur.

Addit & hoc Chrysost. uoluisse Abrahamum ob id quoq; iuramento hoc uti, ut sciret rex Sedom, nihil hic dici per simulationem: sed sic esse decretum ac certum, quòd nihil suorum prorsus accipere uellet. Verosimile est instetisse regem Sedom, & ursisse, ut præter animas omnia spolia sibi retineret Abram, atq; ita tandem Abrahamū, quo desineret esset molestus, in iusiurandum hoc prorupisse: quemadmodum solent, qui semel uerbo suo fidem facere, & instantium molestiam auertere uolunt. Quemadmodum enim alienum est à uiris grauibus, simulanter aliquid, & non ex animo recusare: ita molestissimum illis est, si quis instet & urgeat, quasi muliercularum more nolint ubi uolunt, & ubi nolunt cupiant ultrò.

OBSERVATIO I.

Exemplum iustitiæ & æquitatis in rege ethnico.

Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, & substantiam accipe tibi.] Principio obserua in rege hoc ethnico exemplum iusticiæ & æquitatis. Non rapit ad se quæ ipsius fuerant, sed agnoscit ius belli ac uictoriæ in Abrahamo. Nec dicit, Populus hic meus est, & mea sunt spolia, quæ hostibus adempta huc adfers. Sunt enim mihi ui iniusta & per iniuriam ablata. Redde igitur, quæ tua non sunt. Homo peregrinus es in hisce nostris regionibus. Satis sit, quod permittitur tibi, ut alicubi habites in hac nostra patria. Non conuenit, ut de spolijs nostris diteſcas, & populum nostrum tibi subiectum habeas. Nihil horū meditatur, sed qualis qualis sit Abram, agnoscit eum uictorē, & iure suo uti permittit: ideoq; quæ restituta sibi uellet præcario petit. Et populus ipse Sodomorum non abripit se proprio arbitratu de manu & iure Abrahæ, cum ad regem suum in uallem regis peruenisset, sed expectat iustam ac legiti mam sui liberationem. Admonemur hoc exemplo, ut nemini ius suum temerè infringamus: sed si quid desideratur, præcario petamus.

Modestiæ et philanthropiæ exē plum.

Deinde animaduertendum & hoc est, quòd rex cæsus ac spoliatus mauult recipere animas, populum suum uidelicet, miserum, calamitosum, & bonis omnibus exutum, quàm substantiam auri, argenti, & reliquæ suppellectilis, quàm uerosimile est fuisse amplissimam, & plurimarum opum. Modestiæ erat, quòd non omnia sibi & animas uidelicet & substantiam dari petijt. Illud uerò pulcherrimum habet philanthropiæ exemplum, quòd animas calamitosæ ac spoliatæ plebis quantumuis magnis præmijs tulit opibus. Non cogitabat, unde futurus esset multitudini necessarius uictus & amictus, si seruasset sibi Abram omnem spoliorum substantiam, usqueadeò uidelicet uni huic uoto intentus erat, quo populi quærebat libertatem.

OBSERVATIO II.

Nō esse iusiurandum illicitum.

Qui respondit ei: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum.] Primùm obseruandum est, non esse iusiurandum illicitum uiro pio. Nulla scriptura huiusmodi iuramentum damnat, quod nec gloriæ nominis Dei, nec charitati proximi incommodat. Verùm de iureiurando uideantur quæ commentarijs nostris in Psalmos appendicis uice adiecimus.

De usu externarum ceremoniarum.

Deinde considerandum & hoc est, quòd non simpliciter dicit, Iuro per Dominum Deum excelsum: sed, Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum. Leuare manum ad cœlum, & ad Dominum Deum excelsum, externa quædam est iurantium ceremonia, ad hoc faciens, ut quod uerbis iuratur, hoc gestu ueluti cōfirmetur. Sacramentū est iusiurandum, & magna pars religionis. Quare quemadmodū solenne est in quacunq; religione, ut quæ cum Deo aguntur, religioso quodam ritu ac gestu corporis agantur: ita habet & conditio iuramenti. Orantes uel procumbimus in genas, uel stantes oculos & manus extollimus in cœlum, quo totus homo non interior modò, sed & exterior orationi accommodetur. Confrarili modo iurantes & mente & uerbis & gestu corporis summa cum religione Dominum Deum excelsum, testem citamus, & uindicem, si mentiamur, constituimus. Ita natura comparati sumus, ut in serijs rebus, pollicitationibus, precationibus, pactionibus iuramentis, & alijs consimilibus, præcipuè sacris, perpetuò aliquid externæ ceremoniæ adiungamus. Et huic sese consuetudini Deus ipse in scripturis sanctis accommodat, quo quæ nobiscum agit, non solum intelligibiliora nobis, sed & firmiora reddantur. Sic cum uellet admonere de certitudine promissionum suarum, aut etiam minarum, usus est hac loquutione ut se manum suam leuasse, hoc est, iurasse dicat. Vide Num. 14. Deuteronom. 32. Ezech. 20. Quare prorsus detestabile genus hominum est, quod per hypocrisim, animo falso ac subdolo,

ad impo-

ad imponendum ac fallendum huiusmodi externis gestibus siue orando siue iurando, siue sacramenta Dei usurpando abutitur.

Puritatem ueræ religionis in iuramento Abrahæ esse expressam.

Tertiò, nec illud transeundum est, quòd erga hominem ethnicum, adhuc à uera cognatione Dei alienum uerba iurisiurandi nõ sic format, ut ipsius superstitioni cõuenire uideantur: sed ut puritatẽ ueræ religionis ac pietatis erga uerũ & unicũ Deum exprimant. Non dicit, Leuo manũ meam ad deos: sed, Ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli ac terræ, qua periphrasi ueri & unici Dei diuinitatem, supremam maiestatem, & uniuersalem potestatem, omnia quæ in cœlo sunt & in terra complectentem expressit. Diuinitas in eo significatur, quòd uocat eum יהוה, id est, Existentem, quæ uox diuinæ naturæ ESSENTIAM & æternitatẽ ineffabiliter cõprehendit. Maiestas suprema in eo expressa est, quòd uocat Dominũ, Deum excelsum, hoc est supremũ, & cuncta excellentẽ. Vniuersalis potestas, cuncta comprehendens, moderans & gubernans, in eo notatur quod adijcit, Possessorem cœli & terræ. Verbo possidendi & ius & gubernationem prorsus liberam ac plenam: uocibus uerò cœli & terræ non solum ut susceptibiles cœli ac terræ machinas, sed simul omnia tam cœlestia quàm terrestria expressit. Vide quomodo sese Abraham, quemadmodum & Melchisedek, periphrasi ueri & unici Dei ad animum regis Sedom primaria hac cognitione Dei per occasionem imbuendum accommodarit. Poterat dicere, Leuo manum meam ad cœlum: uerùm eiusmodi locutio nõ fuisset aliena ab usu ethnicorum, qui & ipsi manum ad cœlum leuantes iurant, eo quòd in illo deorum suorum sedem esse putant. Neq; dixit, Leuo manum meam ad spiritus uel uirtutes cœlestes. Primùm, non est iurandum per ullam creaturam, siue spiritualem siue corporalem, siue cœlestem, siue terrestrem, sed per uerum & unicum Deum, cui soli cultus hic religionis competit. Deinde non est huiusmodi iurisiurandi formulis ethnica superstitio confirmanda, qua per eos iurare solent, qui nõ sunt dij, sicuti & Papistæ faciunt, qui non contenti nomine Dei iurant etiam per sanctos, quos tamen Deos non esse fatentur. Itaq; forma hæc iuramenti Abrahæ sic est comparata, ut non solum accommoda fuerit ad redarguendum ethnici regis cæcitatem ac superstitionem, sed ad hoc quoq;, ut ad finem mundi usq; uelut exemplar quoddam sit, unde discant omnes, quomodo & per quem iurare debeant. Non habet Abram rationẽ superstitionis regis Sodomorũ, sed suæ religionis, ideoq; iurando sese non ethnicæ consuetudini, sed suæ fidei ac religioni conformat. Ad hunc modũ si Euangelicus iuret Papistis, non debet ad ipsorũ superstitionẽ, sed ad suam fidem formare iusiurandũ.

OBSERVATIO III.

Exemplum sinceri uictoris.

Si à filo usq; ad corrigiam calceamenti, & si accepero de omnibus quæ tua sunt.] Habemus hic exemplum integerrimi bellatoris ac uictoris, qui nihil sibi priuati quærit emolumenti ex præda, sed hoc tantum agit, ut suos liberet. Qui prædæ inhiant, nulla ratione spolia hostium discriminat, sed perinde ea sibi uindicant, quæ uicinis sunt adempta, atq; ea quæ ab hostibus in bellum fuerant adducta. Orientales isti reges, quos Abram percussit, dubio procul sua ipsorum habuerant impedimenta, quæ secum in expeditionem bellicam è ditionibus suis asportarant. Deinde cum sex populos Sodomitis uicinos percussissent, uerosimile est illorum quoq; substantias esse deprædatos. Tertia spoliorum pars erat, substantia Sodomorũ, Gomorrheorum, Adamæ, &c. Ergo tria genera spoliorum reperit Abraham in castris cæsorum hostium. Da nunc hominem prædæ cupidum, quid is faciet aliud, quàm quod in uniuersum sine ullo discrimine cuncta hæc spolia pariter iuri & usui suo uindicabit, nulla habita ratione uicinorũ populorum, cum quibus illi nulla intercedit inimicitia, quorum substantiam propterea quòd eam in castris hostium inuenit, iam non illorum, sed suam esse iudicabit. Qui sic animatus est, factum hostium iustificat, dum prædam illorum quamuis immeritis per uim abreptã, ideo suo ipsius iuri uindicat, quod hostibus est adempta. Rationi cõsentaneum est, ut quæ hostium sunt, cæsori hostium ac uictori cedant. hostium uerò non sunt, quæ nullo recto titulo, sed ui iniusta in potestatem illorum uenerunt. Quare eiusmodi spolia non sunt retinenda uictori, sed uastatis reddenda. Quæ furto auferuntur, si capto à magistratu fure deprehensa fuerint, meo iudicio, restituenda sunt legitimo domino ac possessori: secus uero faciendum cum ijs quæ furis sunt propria. Hoc arbitror discrimine usum Abrahamum in hisce spoliijs hostium. Non dicit, Si accepero de omnibus quæ hostium fuerunt: sed, Si accepero de omnibus quæ tua sunt. Nec dicit, Quæ tua fuerunt: sed simpliciter, אשר לך, id est, quæ tua uidelicet sunt, & tamen de spolijs illis loquitur, quæ hostes Sodomitis abstulerant, & ipse reducebat. Non argutatur dicens, Quæ reduco olim tua fuerunt, nunc quoniam mihi cæso hoste in prædam uenerunt, iure belli mea sunt, non tua. Huiusmodi arguratio non honesti & pij uiri probitatem, sed spiritum hominis mundani resipit, cui magis est cordi proprij commodi quæstus, quàm honestæ æquitatis studium.

De furto ablatis.

OBSERVATIO IIII.

Exemplum prudentiæ.

Ne dicas, ego ditaui Abram.] Obserua hic prudentiam pariter & honesti nominis studium in Abrahamo. Prudentiæ est, quòd de futuro cogitat, & quàm inconstans sit & mutabile humanum ingenũ considerat ubi recens est beneficiũ, parati sumus ad agnoscendum, confitendum, gratias agendũ, & in gratiã benefactoris grandia quæq; cũ dandũ tum faciendũ. Verùm paulopòst, ubi sensus beneficij in pectore obsopitus est, inutantur uela, & ex gratis fiunt exprobratores: & pro laude, rependitur querulatio. Extenuamus beneficium: & si quid datum est gratitudinis loco, opprobratione tantum non repetimus. Perpendit Abraham malignitatẽ istam ingenij humani, cum dicit: Ne dicas, ego ditaui Abram. Ad honesti nominis studium pertinet, quòd diffamiam hanc ferre non potest, ut alienis bonis ditatus dicatur. Vir honestus non solum possessionem alienorum bonorum, sed & eiusmodi possessionis speciem adm-

Studium nominis honesti.

dum

A dum auersatur. Poterat oblata recipere, & bona cum conscientia possidere, uerùm speciem illegitimæ possessionis ferre non poterat. Admonemur hoc exemplo, ut & prudenter mutabilitatẽ humani ingenij caueamus, & omnem cuiuscunq; mali speciem fugiamus. Haud procul à malo est, quisquis speciem mali, si queat, non ex animo fugit. Et parum honestus est, qui honesti nominis iacturam susq; deq; facit. Nota est apostoli doctrina, abstinendũ esse à specie mali. Et alio in loco, quæcunq; bonæ fame, &c. Hęc agite. Phil. 4.

Simul & illud cogitandum est, q̃ prudenter retinendę amicitię sese accommodarit Abram. Si oblata spolia à rege Sodomorũ accepisset, plurimũ amicitiã illius, quã sibi conciliauerat labefecisset, futu rę; simultati occasionẽ prębuisset. Verùm ubi prorsus oblata recusauit, quantum in ipso erat, & beneficium suum seruauit integrum, & omnem simultatis occasionem amputauit. *Studium retinẽdæ amicitiæ.*

OBSERVATIO. V.

Exceptis his quæ comederunt iuuenes, & partibus uirorum qui uenerunt mecum, Aner, Eschol, & Mamre. Isti accipiant partes suas.] Principio notandum hic est, de usu & æquitate exceptionũ. Vsus exceptionis usquequaqueò necessarius est in rebus humanis, ut prorsus iniquum sit illum reijcere. Nequit enim iustè agi, quicquid prorsus uniuersaliter siue legibus siue contractibus citra omnem exceptionem agitur. Siue res humanas, siue personas mortaliũ, cum quibus est agendum, respicias, tanta est ubiq; differentia, ut si æquali lege uniuersaliter cum omnibus & in omnibus agere uelis, summũ ius transeat in summam iniuriã. Rectè ergo Abrã, iuramẽto suo exceptionẽ adiecit, qua caueret, ne uel iuuenes suos, uel socios unà secũ inuolueret, ac iuri illorũ præiudicaret. Huiusmodi exceptionũ usus uirũ declarat & circumspectũ & çquũ: circumspectũ, qui rerum, personarũ, ac temporũ qualitates & discrimina considerat; çquũ, q̃ nulli mortaliũ aliquid iniuriç inferre, aut quacunq; in re terminos çquitatis transilire uelit. Quare leges illę, quę citra ullã exceptionẽ ponuntur, parũ habent circũspectionis et çquitatis, requiruntq; magistratũ, qui illas çquitati, tẽporisq;, rerum, & personarũ differentijs ritè attẽperent. *De usu et æquitate exceptionũ*

Deinde obserua, quomodo inter iuuenes, uernaculos illos suos 318. & tres confœderatos Amorrheos, Aner, Eschol, & Mamre discriminet. Iuuenibus adiudicat cibos, confœderatis suam cuiq; partem. Iuuenes erant serui, quibus nihil debebatur ex spolijs aliud q̃ necessarius uictus. Dignus est operarius cibo suo. Tres Amorrei erant socij fœderis, uiri liberi ac sui iuris, nemini subiecti. Sequuti fuerant Abrahamum ut fœderis socij, non ut serui. Quare ut socij erant belli ac uictoriç, ita conueniebat eos etiam participes esse spoliorum, non minus q̃ ipsum Abrahamũ. Ergo seruanda hęc çquitas est in bellis. Primũ, ut qui tanq̃ serui, uel ut stipendiarij militant, contenti sint illi cibo, isti stipendio, & abstineant à rapinis. Non dicit Abram, Exceptis his quę rapuerunt: sed, Quę comedunt iuuenes. Deinde ut spolia hostium cedant belli ducibus, quorum sumptibus miles est conscriptus & sustentatus. Tertiò ne qua fiat auaritia, ut qui socij sunt sumptuũ, & periculorum, iure suo per potentiores defraudẽtur. *Discrimẽ belli cum.*

B

CAPVT XV.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Toto hoc quintodecimo capite exponuntur promissiones Dei Abrahamo per uisionem de protectione, de futuro semine, deq; terra Chanaan factæ & confirmatæ.

Is itaq; transactis factus est sermo Domini ad Abram per uisionem, dicens: Noli timere Abrã, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Dixitq; Abram: Domine Deus quid dabis mihi? Ego uadam sine liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. Addiditq; Abrã: Mihi aũt nõ dedisti semen, & ecce uernaculus meus hęres meus erit. Statimq; sermo Dñi factus est ad eũ, dicens: Non erit hic hæres tuus, sed qui egreditur de utero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxitq; eum foràs, & ait illi: Suspice cœlũ, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. Credidit Abrã Deo, & reputatum est illi ad iusticiam.

LECTIO.

Per uisionem.] Gręcus addit, τῆς νυκτὸς, id est noctis, quod in Hebręo non legitur.

Ego protector tuus.] In Hebręo est, אנכי מגן לך, id est, Ego clypeus tibi. Metaphoricam loquutionẽ rectè expressit interpres.

Et merces tua nimis.] In Hebręo habetur מאד, id est, ualde.

Et filius procuratoris domus meæ, &c.] Locus hic uariè legitur. Gręcus sic: ὁ δὲ υἱὸς μασὲκ ϗ τῆς οἰκογενοῦς μου οὗτος Δαμασκὸς ἐλιέζερ, id est, filius uerò Masech uernaculę meę iste Damascus Eliezer. Ille pro בית, id est domus meę uertit τῆς οἰκογενοῦς μου, id est uernaculę meę, & Hebręã uocem Masech retinuit. Aquila uertit, ὁ υἱὸς τοῦ κτῆσαι τοῦτος οἰκίαν μου, id est filius potũ dantis domui meę. Theodorio uerò, καὶ ὁ υἱὸς τῆς ἐπαύλεως μου, id est, filius eius qui supra domũ meam est. Chaldęus uocẽ משק uertit ברנסא, id est, procuratoris, gubernatoris, uel pastoris. Quod Aquila uertit, potũ dãtis, ductũ est à uerbo משקה,

id est potauit. Quod alij reddũt ꝓcuratoris, est à uerbo שׁחה, id est discurrere, sicuti solent ꝓcuratores domestici. Pagninus sic: Et filius gubernator domus meę est Dameseh Eliezer, id est Dameseh Eliezer procurator domus meę erit filius meus. Annotat Lyranus aliã quoq; lectionẽ hoc pacto, Et filius est procuratori domus meę, Dameseh uidelicet Eliezer. Vt sensus sit: Ego uadã sine liberis, & ꝓcurator domus meæ Eliezer filiũ habet Damascũ, & mihi non dedisti semen, & ecce uernaculus meus hæres meus erit. Potest & sic legi: Et ecce filius procuratori meo est. Hic, uidelicet ꝓcurator, erat Damascus Eliezer. Vt sit postremũ hoc uerbũ Mosis. EXPLANATIO.

Subinde Moses oracula Dei ad Abrahamũ facta inducit, ut lectorem admoneat non ponere Deum curam suorũ, quorũ Deus esse uoluit. Quod præsens oracului diuinæ apparitionis concernit, breui compendio comprehendunt omnia hisce partibus. Prima habet quãdo: secunda, quomodo: tertia, quid loquutus pollicitusq; sit Abrahæ Dominus. Ad primam pertinet quod dicit:

His itaq; transactis, factus est sermo Domini ad Abram.] Habet hæc particula chronologiã, uel si mauis cærologiã, qua tẽpus apparitionis huius etsi nõ exactè, hactenus tamẽ ponit, ut scire liceat factã esse illam post uictoriã, à regibus Orientalib. relatã, siue mox, siue aliquãto pòst, ubi domũ reuersus fuerat. Voluit hoc Moses cõmemorare, ut apparitionẽ hanc à præcedentib. distingueret, & historicũ gestorũ ordinẽ scribẽdo retineret. Quod in Hebræo est, אחר הדברים האלה, id est post hæc uerba, Hebraismus est, quẽ Septuaginta retinuerunt uertentes, μετὰ τὰ ῥήματα τάυτα, Latinus uerò sensum expressit diuersis: His itaq; transactis. Vocant eñ Hebræi דבר non solum uerbũ ac sermonẽ, sed & rem, causam, & negocium. Huiusmodi loquutio frequens est in scripturis, cuius hic propter rudiores admonere uoluit.

Per uisionẽ.] Refer hoc ad secundã partẽ, quõ uidelicet apparuerit loquutusq; sit Abrahæ Dñs. Per uisionẽ inqt. Apparuit illi assumpta specie quadam. Aliàs potuit interna illum inspiratiõe cõfirmare.

Noli timere Abram, ego protector tuus, & merces tua magna ualde.] Pertinent ista ad tertiam partẽ, qua primùm summa quædam diuinę beneuolentię erga Abrahamũ declarat, quã rectè dixeris esse trimembrem. Habet enim appellationẽ prorsus amicam & familiarem, in uoce Abram. Sic solent compellari amici ab amicis, familiares à familiaribus. Appellationis huius magna est suauitas. Deinde consolationem habet, in eo quod dicit: Noli timere. q̃d nihil est aliud, q̃ bono esto animo, cõfide ac securus esto. Tertio habet et promissionẽ. Ego, inqt, clypeus tuus, & merces tua magna ualde. Promittit illi protectionem, & eximiã felicitatẽ. Protectionẽ expressit uoce clypei: felicitatẽ uerò, maximæ mercedis. Quod eñ in Hebræo est, magna ualde, idem est atq; maxima. Nequeũt eñ superlatiua aliter exprimere. Mercedis nomine ꝓmittit illi eximiũ lucrũ & emolumentũ, q̃d ex se sperare debeat. Intelligit ait de benedictione suprà ꝓmissa, de multiplicatione seminis, deq; possessiõe terrę, sicut ex sequentib. patebit.

Dixitq; Abram: Domine Deus quid dabis mihi: Ego uadã sine liberis, et filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer, &c.] Quoniã dixerat Dñs, Ego sum merces tua magna ualde, id q̃d intelligebat Abram de promissione benedictionis et omnis generis spontaneę beneuolentiæ, ut dolorẽ cordis sui, de sterilitate uxoris conceptũ exprimeret, regessit dicẽs, Here Dñe quid dabis mihi? Ego uado, id est morior, sine liberis, &c. q. d. Promittis mihi maxima emolumẽta. Sed obsecro quorsum? Ad quid mihi daturus es, quantũuis magna & eximia bona? cum destituar prole, simq; iam senex et morti proximus, & cessurus ex hac uita sine liberis, quib. quę ex beneuolẽtia tua largiris, hęreditario iure post mortẽ meã cedere queant. Procurator domus meę Eliezer filiũ habet Damsek domi meę natũ. ecce hic erit hęres meus: Significat hisce uerbis insuauẽ esse sibi oñis generis opulentiã ac felicitatem, q̃ senex iam ac citò moriturus, nullũ dum nactus sit semẽ, nihil q̃ expectare possit aliud q̃ ut omnia sua uernaculo suo relinquat.

Et ecce sermo Domini factus est ad eũ, dicens: Non erit hic hæres tuus, &c.] Amica contradictione mœstitiã cordis illius tollit, & spem prolis in locũ reponit. Cõtradictio est q̃d dicit: Nõ erit hic hęres tuus. Cõtradicit eñ ei q̃d dixerat Abrahã: Ecce uernaculus meus hęres meus erit. Et quoniã hoc fieri poterat, ut uernaculus iste morte prœuentus citius q̃ Abrahã ex hac uita migraret, eamq; ob causam hæreditas hęc illi cedere nõ posset, sed in aliũ quempiã uernaculũ deriuanda ueniret, ideo cõtradictioni huic promissionẽ germani filij et hęredis subijcit dicens: Sed qui egredit de utero tuo, ipsum habebis hæredẽ. q. d. Nõ migrabis ex hac uita sine filio uteri tui, quantũuis senex sis, & sterilẽ habeas uxorem.

Eduxitq; eum foràs, & ait illi: Suspice cœlum, &c.] Habent ista promissionẽ nõ simpliciter filij uterini, sed seminis ac posteritatis innumerabilis. Eduxit eum foràs, inquit. Ergo intus illi in tabernaculo apparebat. Et ait illi: Suspice cœlũ, & numera stellas, si potes. Ergo uisio hæc facta est tẽpore nocturno, quo stellę uisuntur in cœlo. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. Intellige, innumerabile, sicuti stellarũ innumerabilis est multitudo. Quid Abram ad ista dixerit, nõ meminit Moses. Stellas numerare nõ potuit, uerùm promissioni credidit. Credidit, inquit, Abram Deo. Quid credidit? Non habiturũ se uernaculũ suum hæredẽ, sed filiũ uterinũ. Deinde posteritatẽ suam fore præclarã & innumerabilem. Ista promittenti Deo credidit, id est, fiduciã ac spem promissorũ animo concepit. Et reputatũ illi est, inquit, ad iustitiam. Hoc est, propter hanc fidem iustificatus est à Deo. Etenim reputari aliquid ad iustitiã, est uisũ eum reputare, cui illud iustitię loco imputatur. In Hebræo est, Et imputata est ei iustitia, uerùm idem sensus resultat. QVAESTIO I.

Quomodo uisus sit Abrahæ Dominus.

Per uisionem.] Quærũt hoc loco, quõ uisus sit Abrahę Dñs, uel in quali sit illi uisione loquutus. Visionũ genera tria ponunt ab Augustino, de Genesi ad literã libro 12. Primũ est corporale, secundũ spirituale, tertium mentale uel intellectuale. Sic appellat ea Augustinus. Corporale est, quo uel res corporales uel

uel imagines & figuræ rerum oculis corporis uidentur. Spirituale est, quo similitudines rerũ ſpiritu uidentur, ſiue id fiat in ſomno, ſiue in ecſtaſi. Mentale uel intellectuale eſt, quo quæ uel corporeuel ſpiritu uidentur, quid ſint aut quid ſignificent, intelligitur. Pharao uidit ſpicas, uidit boues uiſione ſpiritus, ſed nõ uiſione mentis. Ioſeph uidit ea mente, quæ ſpiritu in ſomno uiderat Pharao. Ignorabat eñ Pharao quid uiſiones illę portenderent: Ioſeph uerò licet illas ſpiritu nõ uidiſſet, mente tamẽ, hoc eſt, intellectu uidit et regi expoſuit, infrà cap. 41. Et duo Eunuchi Pharaonis uiſiones uiderũt ſpũ, quas mẽte uidere nõ poterãt, poterat aũt Ioſeph, qui tamẽ ſpũ illas nõ uiderat. Infrà ca. 40. Et Nebucadnezar rex Babylonis uidit quędam ſpiritu in ſomno, quorum poſtea uiſionem (nam memoriæ illi exciderant) & ſpiritualem & mentalem à ſapientibus ſuis, hariolis et magis ſub mortis cõminatione requirebat. Daniel uerò, cum impoſsibile eſſet magis ut ſpiritu uiderent quæ rex uiderat in ſomno, ſimul illa uidit & ſpiritu et mente: atq; ita regi non modò interpretationẽ ſomniĩ, ſed & ipſum ſomniũ expoſuit Dan. 2.

Cum ergo tria ſint uiſionũ genera, corporale, ſpirituale et mentale, quęritur cui nam ex illis pręſens ſit adſcribenda uiſio, per quam Dñs hic Abrahę loquutus commemoratur. Si dixerimus fuiſſe uiſionẽ ſpiritualem, qualis euenire ſolet uel dormientibus, uel in ecſtaſim abreptis, rurſus alia naſcit quæſtio, quomodo foràs è tabernaculo fuerit eductus, ac cœlum ſuſpicere iuſſus: item quomodo promittenti Deo ſic crediderit, ut ea ipſi fides ad iuſticiam imputaretur, ſi quæ hic commemoratur uiſio ſpiritualis fuit, & dormienti accidit. Rurſus mentalẽ fuiſſe, dicendũ non eſt. Neq; eñ quę hic cõmorant, ab ipſo intelligebant, præſertim quæ infrà ſubiĩcient. Dicendũ igitur eſt fuiſſe corporalẽ, nõ quòd corpus ſit Deus, aut oculis corporis uideri poſsit (nã dictũ eſt à Dño, Deũ nemo uidit unq̃) ſed q̃d imaginẽ à Deo aſſumptam et uiſibilem uiderit. quemadmodũ in reliquis uiſionibus factũ eſſe apparet, præſertim in ea quæ infrà ca. 18. cõmemorabit.

QVAESTIO II.

Quid nã timuerit Abram.

Noli timere Abram.] Quoniam abſurdum eſt adhortari hominẽ ſecurũ ac nihil timentẽ ne timeat quę ſit hic uarię ſententiæ. R. Shlomoh, quẽ Lyranus eſt ſequutus, arbitratur timuiſſe Abrahamũ, ne tam illuſtri uictoria potitus receperit à Deo uniuerſam iuſticiæ ſuæ mercedẽ. Burgenſis hanc ſententiã non admodũ probans, alias adfert in mediũ. Sentit Abrahamũ timuiſſe, uel, ne fortè in cæde illa regũ Orientalium cõtra Dãm peccaſſet, propterea quòd expeditionẽ eam citra iuſſum Dei pręſumpſiſſet, maximè cũ reges illi iuſtam habuiſſent aduerſus Sodomitas, Gomorrheos, &c. belli ſui cauſam: uel ne reges cęteri Deo ſic crediderit, ut ea ipſi fides ad iuſticiam imputaretur, ſi quæ hic commemoratur uiſio ſpiritualis fuit, & dormienti accidit. Rurſus mentalẽ fuiſſe, dicendũ non eſt. Neq; eñ quę hic cõmorant, ab ipſo intelligebant, præſertim quæ infrà ſubiĩcient. Dicendũ igitur eſt fuiſſe corporalẽ, nõ quòd corpus ſit Deus, aut oculis corporis uideri poſsit (nã dictũ eſt à Dño, Deũ nemo uidit unq̃) ſed q̃d imaginẽ à Deo aſſumptam et uiſibilem uiderit. quemadmodũ in reliquis uiſionibus factũ eſſe apparet, præſertim in ea quæ infrà ca. 18. cõmemorabit.

Mouetur hoc loco, quidnã timuerit Abram, ut diuina conſolatione opus habuerit qua timore liberaretur. Sunt hic uarię ſententiæ. R. Shlomoh, quẽ Lyranus eſt ſequutus, arbitratur timuiſſe Abrahamũ, ne tam illuſtri uictoria potitus receperit à Deo uniuerſam iuſticiæ ſuæ mercedẽ. Burgenſis hanc ſententiã non admodũ probans, alias adfert in mediũ. Sentit Abrahamũ timuiſſe, uel, ne fortè in cæde illa regũ Orientalium cõtra Dãm peccaſſet, propterea quòd expeditionẽ eam citra iuſſum Dei pręſumpſiſſet, maximè cũ reges illi iuſtam habuiſſent aduerſus Sodomitas, Gomorrheos, &c. belli ſui cauſam: uel ne reges cęteri Deo ſic crediderit, ut ea ipſi fides ad iuſticiam imputaretur, ſi quæ hic commemoratur uiſio ſpiritualis fuit, & dormienti accidit. Rurſus mentalẽ fuiſſe, dicendũ non eſt. Neq; eñ quę hic cõmorant, ab ipſo intelligebant, præſertim quæ infrà ſubiĩcient. Dicendũ igitur eſt fuiſſe corporalẽ, nõ quòd corpus ſit Deus, aut oculis corporis uideri poſsit (nã dictũ eſt à Dño, Deũ nemo uidit unq̃) ſed q̃d imaginẽ à Deo aſſumptam et uiſibilem uiderit. quemadmodũ in reliquis uiſionibus factũ eſſe apparet, præſertim in ea quæ infrà ca. 18. cõmemorabit.

B

Et ecce uernaculus meus hæres meus erit.] Quæſierit hic quiſq̃, quid neceſſe fuerit uernaculũ Abrahæ fieri illius hæredẽ. Etenim etiamſi mortuus fuiſſet ſine prole, habebat Lot nepotẽ, ad quẽ hæreditas legitimè naturæ deriuari poterat. Reſpondeo: Impedimur ignorantia morũ ac cõſuetudinis ætatis Abrahæ, quo minus certi aliquid hac de re in medium adferre queamus. Non licet ut dicamus Abrahamũ propter ſimultatẽ aliquã noluiſſe Lotum habere hæredem. Abſit. Alioqui quõ & uitam & omnia ſua liberandi illius gratia in manifeſtum diſcrimen coniecisſet? Videtur igitur dicendũ, deſtinaſſe illũ hæreditarem uernaculo ſuo tanq̃ domi ſuæ nato, uel ſecundũ conſuetudinẽ patriam, uel ſingulari quadã beneuolentia, qua illũ in filium adoptarit, ultroq; hæredem conſtituerit. In Hebræo ſic legitur: Et ecce filius domus meæ hæres meus eſt, uel, hæreditat me, ut ita dicam. Vnde ſuſpicor hæreditatẽ iam tum fuiſſe deſtinatam uernaculo Abrahæ, ſiue id factum ſit conſuetudine gentis, ſiue adoptione.

QVAESTIO III.

Quid neceſſe fuerit uernaculũ Abrahæ illius fieri hæredem.

OBSERVATIO I.

His itaq; tranſactis factus eſt ſermo Domini ad Abram per uiſionẽ dicens: Noli timere Abram, ego clypeus tuus, & merces tua magna ualde.] Principio obiter notandũ eſt etiam hoc loco, cuius ſuprà cap. præcedenti mentionẽ feci, ibi, Dixit Dñs ad Abram, poſtq̃ diuiſus eſt ab eo Lot, quõ uidelicet apparitiones Dei nõ ſine ſingulari ratione fiant. Rem arduã ſimul ac magni periculi perfecerat Abram, quare opus habebat ut quemadmodũ in ipſo facto diuinitus fuerat adiutus, ita et poſt factũ diuinitus confirmaret et erigeret. Hoc ſic eſſe factũ in eo admonet Moſes, quod non ſimpliciter dicit, Factus eſt ſermo Dñi ad Abram: ſed pręmittit, His itaq; tranſactis.

Apparitiones Dei non fiunt ſine ſingulari ratione.

Deinde conſiderandũ eſt q̃d dicit: Noli timere Abrã. Ergo factũ Abrahæ iuſtũ erat ac Deo placitũ. Alioqui inconuenienter dictũ illi eſſet à Deo: Noli timere. Si malè egeris, inqt Apoſtolus, time. At Deus

Factum Abrahæ iuſtum erat, & Deo placitum.

Abrahę dicit: Ne timeas. Igitur nõ malè, sed bene egerat. Bonũ ergo est, ac Deo placitũ opus, si q̃s impiorũ manibus, etiam cæde, eripiat pios et insontes. Reperias scrupulosos homines, qui huiusmodi cædes ægrè probent. Quare muniendæ sunt hisce exemplis heroum illorũ cõscientię, quibus utitur Dñs ad liberandũ insontes, & perdendũ impios. Ad hęc, uidemus hoc loco nõ esse sanctos alienos à timore carnis, etiã ubi nihil mali egerũt, immo ubi Deo obsequiũ contra impios, p adflictis pręstiterũt. Quod hic Abrahę accidit, potest accidere cuiuis pio, quantumuis aliàs cordato. Verùm iuxtà cõsideremus, q̃ placidè huiusmodi timorem seruo suo Deus eximat. Nullã audis hic seueritatẽ, nullã exprobrationẽ, nullã correptionẽ, sed consolationẽ omniũ suauissimã. Talis scilicet est Deus erga infirmitatẽ piorum. Quàm seuerus est malis & obstinatis, tam est placidus bonis & infirmis. Qui dicit, Ne timeas: nouit utiq; suos uel timere, uel timori esse obnoxios, tanq̃ infirmos ac pusillanimes. Miserum est timere, siue causa sit timoris, siue nõ sit. Iam qui dicit, Ne timeas: ab ea suos liberare cupit miseria. Sic sunt oñes animati pij, cùm angeli tum homines, ut miserè timentes ad fiduciã erigere cupiant, cuius rei multa reperiuntur in S. scripturis exempla. Plurimum consolationis adfert meticulosis, quisquis illis timoris eximit angustiam. Studium hoc planè diuinum est.

Non sunt sancti alieni à timore carnis:

Quo genere fiduciæ animandi sint timentes impij.

Tertio obseruandũ est q̃d dicit: Ego clypeus tuus, uel, ego ꝓtector tuus. Admonemur hoc loco, quo genere fiducię erigẽdi sint et animãdi timentes pij, in rebus arduis ac periculosis uersantes, quales sunt pręcipuè pij magistratus, qui malorũ infidijs reddunt obnoxij, quãdo illos opprimũt, et innocentes de manib. illorũ eripiunt. Non dicit: Ne timeas Abram, nihil molient aduersum te hostes tui. Relinquunt hostib. ipsorũ ingeniũ et consilia ultionis. Nec dicit, Pauci & infirmi sunt hostes tui, nihil aduersum te poterũt. Nihil demit illorũ potentiæ. Nec dicit: Ne timeas Abram, uir iustus es, uir prudẽs, uir fortis, uir belli. Nihil horũ dicit. Cõsolationẽ adfert Abrahę neq; ex qualitate hostiũ, neq; ex ipsius uel ꝓbitate uel dexteritate, sed ex diuina ꝓtectione, dicẽs: Ego clypeus tuus. Ergo ueriss ima et omniũ potẽtissima consolatio ex eo est, q̃d Deũ habemus protectorẽ. Qualescunq; sint aduersarij, & quantumcunq; simus nos infirmi, si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Diuina protectio cunctis est periculis opponenda. Sic Dauid Psal. 23. Si ambulauero in medio umbrę mortis, inquit, nõ timebo mala, quoniã tu mecũ es.

Potentißima consolatio.

Parata merces est ijs qui mercedẽ nõ affectant.

Quarto et merces tua magna ualde. Spreuerat Abrã ea quæ fuerãt à rege Sodomorũ mercedis loco oblata. Noluit tã insigne charitatis opus, cuius efficaciã diuinę debebat uirtutis auxilio ꝓpter terrenã aliquã substantiã reddere mercenariũ ac quęstuosum. Audit igitur à Dño, Ego merces tua magna ualde. Admonemur, primùm nullũ bonũ fore irremuneratũ, sed paratã esse mercedẽ, ijs qui bonorũ operũ mercedẽ nõ affectãt. Deinde mercedẽ illorũ nullo esse rerũ humanorũ præscripto determinatã. Qui dicit, Ego sum merces tua magna ualde, satis indicat mercedẽ suorũ esse nec terrenã, nec mẽsuratã. Qui Deũ habet, uel portionẽ suã uel mercedẽ, oñia habet, dum pręter hunc nihil neq; in cœlo, neq; in terra affectat, sicuti Dauid dicebat: Quid est mihi in cœlo præter te? Et pręter te nihil uolo in terra. Inedicibilis amoris affectus pariter ac felicitas cõsiderari potest in hac particula, qua se Deus mercedẽ suorũ cõstituit dicens: Ego sum merces tua magna ualde. Q. d. Quicquid accidat, bono sis animo, tibi nihil perdit. Etiamsi destituaris oñibus, ego sum merces tua, qua te nemo priuare poterit. Impossibile est, ut paucula hęc uerba pro dignitate considerent. Ego sum merces, inquit, tua. Si Deus est suorũ merces, ergo nemo illum gratis et fruftra colit, ut impijssimũ sit, q̃d illi apud Malachiã dicũt, Vanus est qui seruit Dño, & q̃d emolumentũ est q̃d obseruauimus pręcepta eius? Mala. 3. Addit, magna ualde, hoc est, maxima. Ergo maximũ est emolumentũ in uera obseruãtia dei, cui nihil æquiparari poterit ex omnib. quæ mũdus hic insanissimè persequit. Deus ipse nec in cœlo quicq̃ habet, nec in terra, q̃d ad hoc sufficere iudicet, ut satisfaciat beneuolẽtię & gratię suæ qua hominẽ piũ ac sui obseruantẽ prosequit. Contuit ergo mercedẽ eiusmodi, nõ aliquid extra se, sed seipsum. Huic aliquid addere, est uerę felicitatis plenitudinẽ nõ augere, sed diminuere.

Merces piorum non est temporaria.

Nemo seruit deo fruftra.

Maximum emolumentum est in uera obseruãtia Dei.

OBSERVATIO II.

Dixitq; Abram: Domine Deus quid dabis mihi? Ego uado sine liberis, & filius procuratoris domus meæ ipse Damascus Eliezer. Addiditq; Abram: Mihi autem non dedisti semen, et ecce uernaculus meus hæres meus erit.] Primùm obserua insignem fidei tentationẽ in Abrahamo credentium patre. Si recurras ad præcedentia oracula Dei, inuenies illi tert'o promissum esse semen à Deo, idq; tam numerosum, ut exaturũ esset in gentem magnã, & instar pulueris terrę futurũ. De promissis istis addubitare cœpit, propter sterilitatem ad senium usq; durantẽ. Ego uado, inquit, & morior sine liberis. Sic iudicabat caro, nõ cogitans de infallibili ueritate Dei numerosam posteritatẽ promittẽtis. Si hoc accidit Abrahæ, qui ex ore Dei tam crebra oracula ad se peculiariter facta acceperat, ut cũ mœsticia cordis de ueritate uerbi Dei dubitaret, quis nostrum securus esse poterit ab huiusmodi tentationibus?

Tentatio fidei in Abrahamo.

Deinde considerandũ hic est ingeniũ carnis, quale illud fit etiã in sanctis. Dñe Deus, inquit, quid dabis mihi? Morior sine liberis. Vsquadeò affectabat sobolem, ut pręter hanc sorderent illi oñia. Dederat illi Deus multa. Erat factus diues. Liberauerat eum unà cũ uxore de manu Aegyptiorũ impolluta et illibata uxoris castitate. Dederat illi gratiam in conspectu principũ Amorrhęorũ, adeò singulärem, ut illis etiã fœdere esset cõiunctus. Præterea, ornauerat eum clarissima uictoria per quã omnibus iam erat Chananeis admirãdus ac suspiciendus. Subinde ei apparebat, ac de uolũtate beneuolentiæ siq; peculiaribus promissis testabat. Et in hoc præsenti oraculo, iubet eum animo esse bono & securo, polliceturq; protectionẽ, & addit, se esse illi mercedem magnã ualde. Verùm hæc oñia uelut euanida sunt in oculis Abrahę, propterea q̃d morti, ut putabat, uicinus nullũ dum semen acquisierat. Quid eñ aliud

Ingenium carnis quale sit etiã in sanctis.

erat

A erat quod dicebat, Dñe Deus, quid dabis mihi? Ego morior sine liberis, q̃, Nihil moror omnia quæ uel das, uel dare poteris, nisi semen accepero? Hoc uidelicet est ingeniũ carnis, quæ nisi acceperit, quod impense affectat, floccifacit oĩa tam terrena q̃ cœlestia, usqueadeò, ut si Deus ipse totum sese in sinum illius cũ uniuerso suo cœlo effundat, cupiditati illius haudquaq̃ satisfaciat. Sic reperias multos, quibus ipsa uita molesta est, propterea q̃ uel nõ assequunt, uel quod amiserũt q̃d impensius affectant, sine quo nec præsentia, nec futura placent. Est aũt huiusmodi ingeniũ carnis exuendũ, et abnegandũ omnib. illis, qui suauitatẽ cœlestis cupiũt experiri gratię, et cũ Christo dicendũ: Non mea Dñe uolũtas fiat, sed tua. Et illud ad ingenium carnis pertinet quod dicit: Et mihi nõ dedisti semẽ. Nõ potuit dicere: Et mihi nõ dabis semen. Et tamen q̃d ad id usq̃ temporis nullum semen acceperat, perinde ipsi uidebaṫ, ac si prorsus nullũ esset accepturus unq̃. Sic solet caro. Quæ aliquãdiu differunt, in uniuersum negari putat. Atqui non determinauerat illi Deus certũ aliquod tempus, quo daturus esset semen, ultra q̃d daturus nõ esset amplius. Simpliciter promiserat, Faciã te in gentẽ magnã. Item: Faciam semen tuum sicut puluerem terræ. Poterat hoc præstari in posterum, etiamsi ad id usq̃ temporis nihil illius apparuerat. Vulgo dicitur: Quod differtur, non aufertur. Verùm caro præ nimio desiderio eorum quæ affectat, quæ differuntur, planè ablata esse timet: ac suspicaṫ saltem, si non prorsus iudicat. Simul & illud obserua. Non simpliciter dicit: Dñe Deus quid dabis mihi? Morior sine liberis, non dedisti mihi semen. sed immisicet de procuratore domus suæ, & palàm Deo uelut opprobrat, quòd illi filium dederit, sibi nõ dederit. Procurator domus meus, inquit, filium habet. Mihi uerò non dedisti semen. Sic caro & inuidula est erga proximi fortunas, & opprobratrix ac querula erga Deum. Inuidebat procuratori filiũ, ipse sterilis expostulabat cum Deo, q̃d sibi negasset, cuius comportẽ fecisset seruũ. Habes etiam hac in re ingenium carnis. Confert se seruo, & indignã rem admissam esse iudicat, q̃d cum ipse sit herus, infelicior sit seruo, & q̃d seruus futurus sit ipsius hęres. Nisi eñ id iudicaret indignũ, haudquaq̃ ista Deo per modum querulandi obiecisset. Consimile quid expressum est in fratre filij prodigi Lucę 15. quem malè habebat q̃ fratri prodigo pater mactasset uitulũ saginatum: sibi uerò, obedienti ac morigero filio, ne haberet quidẽ dedisset unq̃. Et ille expostulabat cũ patre, & inuidebat fratri, illumq̃ minoris q̃ se æstimabat. Non est præter consilium spiritus sancti factum, quod ista sacris sunt scripturis de Abrahamo tam insigni patriarcha inserta. Incredibile est, quantũ consolationis infirmis mentibus adferant oĩa illa exempla, in quibus sanctorũ declaraṫ infirmitas. Solent plerunq̃ tentationes illę quæ sanctis acciderunt,

B haud obscuram aliquã aculeiculã, sed insignem fidei imbecillitatẽ exponere, quo sint illarum exempla ad hoc efficaciora, ut deiectos piorum animos aduersus infirmitatis suę sensum erigant, & contra desperationem communiant. Illud aũt diligens lector cauebit, ne in considerando carnis ingenio affectus illius sine discrimine cõmisceat, & eos qui naturales sunt & inculpabiles, unà cum inordinatis & corruptis damnet. Quòd desiderio prolis germanię hæredis tenebaṫ Abraham, naturalis & inculpabilis affectus erat, naturæ nostrę singulari prouidentia Dei inditus, quem neq̃ scriptura damnat, neq̃ uera pietas tollit: sed sola diabolica superstitio, quasi carnalis sit & immundus, per cœlibatũ papisticũ omnium impurissimũ infamem reddidit. Corruptorũ erat affectuũ, quod omnẽ diuinę gratię benuolentiam in ista tentatione susq̃ deq̃ faciebat, propterea quod semine hęreditario destituebaṫ, & quod in dignè, pcuratoris sui fortunã ferebat, ac cum Deo illius gratia expostulabat. Huiusmodi circunstantiæ quibus naturalis affectus polluebaṫ, probari nõ possunt. Interea tamẽ cauendũ est, ne istas etiam in Abrahamo perinde atq̃ in reprobis dãnemus. Loquiṫ Abrahã Deo reuerenter quidem dicens אדני יהוה here mi Dñe, uerùm ea quibus tristabaṫ simul in conspectũ illius familiariter effundit, ad morem eorũ qui amicis integro corde animi sui mœsticiam communicant, & amicè cum illis expostulant, qualia in uerbis Mosis & prophetarum multa leguntur. Obseruandum etiam hoc est, quod non simpliciter dicit, Mihi uerò nullũ est semen: sed, Mihi uerò nõ dedisti semen. Significaṫ hac loquutione fœcundita tem sobolis adscribendã esse nõ naturæ uiribus, sed benedictioni muneri Dei. Quantumuis sanis & integris corporib. iunganṫ mas & fœmina, prolemq̃ uotis ardentissimis expetant & quærãt, nisi accesserit diuinę benedictionis operatio & incrementũ, prorsus manebũt steriles. Simul & illud nota. Seruus Abrahę filium habebat, ipse uerò manebat sterilis. Dederat ergo Deus seruo forsan nõ petenti, q̃d nondum dederat hero illius desiderio seminis flagranti. Sic solet Dñs. Quæ terrena sunt, citius dat minus pijs & nonnunquã minus petentibus, quàm pijs, etiam impense ambientibus.

Caro quod differtur prorsus negari putat.

Caro et inuidula est erga fortunã proximi, et querula aduersus Deum.

Soboles non naturæ uiribus, sed d. benedictioni adscribenda est. Terrena aliquã do minus pijs citius quàm pijs dantur.

OBSERVATIO. III.

Et ecce sermo Domini factus est ad eum dicens: Nõ erit hic hæres tuus, sed qui egreditur de utero tuo, ipsum habebis hæredẽ. Eduxitq̃ eum foràs, & ait illi: Suspice cœlũ, & numera stellas si potes. Et dixit ei, sic erit semen tuum. Considerãda uenit hic singularis quædã diuinę beneuolentię placiditas pariter ac diligentia, in eo q̃ Abrahamũ Deus post tam claras præcedentes promissiones dubitantem, mœstum ac deiectũ non corripuit ac reprehendit acriter, sed placidè instruxit, ac præcedentes promissiones de semine illius factas declarauit, simulq̃ animũ eius in fide cẽfirmauit. Infirmissimis de causis poterat incredulitas illius grauiter reprehendi: uerùm qui nouit quæ sit carnis nostrę, peliuitas ad dubitandũ & hæsitandũ, magis q̃ ad credendũ, nouit simul qua sit mansuetudine fidei nostrę corroboranda infirmitas, longè aliter cõparatus q̃ sint illi, qui si nõ quasuis Antichristianorũ inugas absq̃ ulla tergiuersatione recipias, mox hæreseos dãnant, & igni adiudicãt, alienissimi à mãsuetudine diuini spiritus, quia remotissimi sunt à uerę charitatis ingenio. Admonemur itaq̃ hoc diuinę placiditatis exẽmplo, q̃ debeamus mansuetè ac

Placiditas. d. beneuolentiæ.

placidè infirmam fratrum fidem cõfirmare, & errantes instruere, præsertim si cogitemus, q̃ sit arduum unicuiq; nostrũ tentationes hęsitationum uincere, & rationis nostræ sensus in obsequiũ fidei captiuare.

Semen benedictionis non naturæ uiribus, sed solad. uoluntatis electione constat.

Deinde & illud considerandũ est, q̃d dicit: Nõ erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de uiscerib tuis, ipse erit hæres tuus. Cogitabat Abrahã de adoptando sibi hærede. Erat humana cogitatio, ex diffidentia nata. Verùm nõ sic erat constitutũ diuinitus, ut semẽ illud benedictũ, cui nõ modò bonorũ Abrahę, sed & diuinę benedictionis debebat hæreditas, illius cõstaret uoluntate & adoptione. Prærogatiua ista pendebat à diuina electione. Is erat futurus Abrahæ hæres, quẽ non ipse elegisset, sed uoluntas & gratia Dei, pmisisset ac præter spem carnis dedisset. Quare ut manifestũ fieret, adorandã esse in semine Abrahę nec uoluntatẽ, nec uires carnis, sed solam gratuitã Dei electionẽ: sapientissimo consilio Dei sic erat constitutũ, ut hæres fieret illius, nec quę ipse adoptasset, nec quẽ secundũ consiliũ Sarę ex ancilla genuisset, sed quẽ præter omnẽ expectationẽ & naturę uires ex Sara uxore grandæua & effœta sustulisset. Ad hanc imaginẽ cogitandã nobis est de filijs Dei, ueris Abrahę posteris credentib. in Christũ, quos scriptura uocat electos, de quibus Euãgelista testatur, q̃d neq; ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uolũtate uiri proueniãt, sed ex Deo nascant. Ioan. 1. Etenim si semen illud Abrahę, q̃d ex carne illius proditurũ erat, nec illius uolũtate, nec naturę uirib. cõstitit, sed à sola dantis Dei pependit electione: quãto magis cõuenit, ut filij Dei, nullius carnis uolũtate ac uirib. proueniãt, sed per solã cœlestis patris electionẽ Christo unigenito Dei dentur, iuxta illud: Oẽe q̃d dat mihi pater ad me ueniet, Ioan. 6.

De filijs Dei.

Rom. 9

Nocturna quies reb. d. accommoda.

Tertiò. Eduxit eum, inqt, foràs, & ait illi: Suspice cœlũ, & numera stellas, si potes, &c. Visionẽ hãc nocturno tempore cum quieti sese tradidisset Abram, factã esse, obseruarũt alij: admonuerunt q̃, tum esse plus loci diuinis reuelationibus, apparitionibus, & oraculis, quãdo animus diurnis laborib. accuris liberatus, seriora intentius meditari incipit. Vt aũt & nos aliquid hoc loco adferamus, uideamus

Imago rerum spiritualium.

imaginẽ rerum spiritualiũ, in externo hoc facto pulcherrimè expressam. Eduxit eum foràs, inquit. Intus in cubiculo carnis disceptabat Abrahã, & uarijs diffidentię cogitationibus artabat. Sic solemus intus in mentis nostrę cubiculo uelut inclusi cum tentationibus uel à ratione nostra, uel à Satana, aut aliunde obiectis luctari. Quare exeundum erat Abrahę, ut à curis illis diffidentię liberaret. Sic & nobis è cubiculo curarũ et tentationũ, in quo regnant cogitationes carnis, ac rationis nostrę, exeundum est in liberum aërem spiritus. Hic primus gradus est, ad euadendũ tentationũ discrimina. Donec animus intus in cubiculo carnis ac rationis nostrę tenet, fieri non potest, quin uarijs cogitationibus, curis ac tentationibus miserè torqueat, & ad incredulitatem sollicitetur, unde haud liberatur, nisi relictis penetralibus illis, & curarũ tentationum q̃; ergastulis foràs erumpat. Verùm hic egressus non est nostrarũ uirium, sed diuinæ operationis. Quare nec Abraham sponte sua egressus, sed opera apparentis Dei eductus scribitur. Gratia spiritussancti imploranda est, quę nos ex hisce angustijs educat, & in liberum spiritus aërem asserat.

Deinde iubetur Abrahã suspicere cœlos, & numerare stellas. Non poterat hoc facere, nisi eductus è cubiculo. Nec satis erat eductũ esse è cubiculo, sed leuandi etant in cœlũ oculi, & contẽplanda multitudo ac claritas stellarum. Consimili modo nec nobis satis est, si animus ergastulũ carnaliũ cogitationũ quibus tentamur euadat: sed leuandi sunt in cœlum illius oculi, & cõtemplanda diuinæ Maiestatis potentia, unde oẽis illa uis tentationum quarumcunq; dissoluit, & fides prouidentiæ ac ueritatis illius confirmat. Quemadmodũ enim Abraham cõspectu cœli ac siderum in fide potentiæ Dei confirmatur, ne dubitet eum qui cœlos condidit è nihilo, & innumerabilium claritate stellarũ ornauit, effœtum corpus absq; ullo negocio fœcundaturũ, & quæ pollicebatur præstiturum: ita & nostræ succurrendum est diffidentiæ contemplatione diuinæ Maiestatis, potentiæ, bonitatis, ac ueritatis.

Contra astrologos.

Quartò, nec illud transeundũ est, quod dicit: Numera stellas, si potes. Colligit hinc Augustinus libro de Ciuitate Dei 16. cap. 23. contemnendos esse huius scripturæ authoritate oẽes eos qui numerum stellarũ cõprehendisse ac cõscripsisse iactant. Solius Dei est, multitudinẽ numerare stellarũ, qui etiam oẽes suis uocat nominib. psal. 147. Quid igitur nobis certi dabũt de operationib. stellarũ siue astronomi, siue astrologi, uel astroscopi, quãdo impossibile est, ut ulli mortaliũ uel de numero illarũ aliquid certi constet? Præterea obserua. Numera, inquit, stellas, si potes. Cum dicit, Si potes, innuit id illi esse impossibile. Iubet ergo ut faciat, quod ipsi erat factu impossibile. Vtiq; Iubet aũt nõ quod uelit hoc tentari, sed ut animũ de promissa innumerabili seminis multitudine dubitantẽ, cõsiderationẽ hac de innumera stellarum multitudine ad fidem erigat. Q. d. Quid dubitas de promissis meis, propterea q̃ iam senex es & corpore effœto? Suspice cœlũ. Vnde illi tam innumerabilis est stellarũ multitudo? quæ neq; cœlum ipsum, neq; ulla creatura peperit, sed potentia operationis meę solo uerbo produxit? Consimili modo dicamus illis, qui rationis suæ iudicio magis q̃ potentiæ ac prouidentię Dei acquiescentes, anxij sunt & dubitantes de uerbi Dei efficacia. Suffulci cœlum, ne ruat, si potes. Cohibe terminos maris, si potes, ne ruptis illis pereat diluuio uniuersa terra. Cura, ut cras mane solem cum luce diurna reciamus, ne continua nocte sedeamus in tenebris. Huiusmodi sermonibus admoneat fratrẽ frater, abiciendas esse curas earũ rerũ, quę nullis humanis uiribus, sed sola constant diuinę prouidentiæ potentia, bonitate ac ueritate, & immota fide à uerbo promissionum Dei pendendum.

Ad quid iubeatur fieri, quod fieri nequit.

Imago spiritualis seminis Abrahæ.

Quintò. Et dixit ei: Sic erit semẽ tuũ. Secundũ historicũ quidẽ sensum de carnali posteritate Abrahę, illiusq; multitudine intelligẽda est hęc particula. Verùm iuxtà negandũ nõ est, recte à pio et cordato lectore sub historicę ueritatis imagine etiã ea intelligi, quę spirituales Abrahę filios concernũt. Quod il-

los

A los attinet, diligẽter est obseruãda stellarũ cõparatio. Primùm, sicut stellę prę multitudine numerari nõ possunt, ita nec isti. Deinde sicuti stellarũ, ita & horũ soli Deo cognitus est numerus. Tertiò, quẽadmodũ diligẽtius intuentib. subinde plures apparẽt stellæ, ita et isti, q̃ magis & intẽtius cõsideres, hoc plures esse deprehendunt, unde facile cõijci licet, sicuti innumerę nos stellæ latẽt, quę uisu assequi nõ possumus: ita innumeros etiã esse electos, quorũ nos cognitio fugiat. Hæc de multitudine electorũ. Quartò, quoniam haud præter rationẽ stellarũ usus est comparatione, cum uel maris guttas, uel multitudinẽ arenæ, aut puluerís terræ proponere posset, cõsiderandũ etiã est, quid ex qualitate stellarũ hac in re obseruandum ueniat. Nec tu conspicuæ sunt stellæ, in medijs lucẽtes tenebris. Electi tempore pacis obscuri plus lucis ostendunt in tenebris tribulationũ. Sunt stellæ errantes, sunt & electi quidã exulantes & oberrantes. Stellæ sublimes, eleuatæ sunt à rebus terrenis. Et electorũ in cœlis est cõuersatio. Stellę alię alijs sunt clariores. Et electi alij alijs luce fidei ac pietatis præstant. Obducũtur stellæ nubibus: & quamuis de cœlo non sint motæ, nusquã tamen nubilo apparent cœlo. Et fideles nonnunquã tentationibus, quasi quibusdã nubibus obuelanť, ut extincti uideanť. Et alia huiusmodi poterit diligens cogitare lector. Meo iudicio, licet propter præsentẽ stellati cœli cõmoditatem, hoc est, stellarũ usus cõparatione Dominus, haud tñ mysterio caret, quod suprà dixit, Faciã semen tuũ sicuti puluerẽ terræ. hic uerò, Numera stellas, si potes. Sic erit semen tuũ. utrobiq; innumerabilis quidẽ multitudo proponiť: uerũ simul pulcherrimẽ metamorphosis illa adumbraťur, qua in electis puluis terræ in cœlestis naturæ claritatẽ transformaťur. Sic primũ imaginẽ terreni Adã è puluere terræ formati, circumferimus: tandem uerò imaginẽ cœlestis Adæ Christi seruatoris nostri portantes, instar stellarum sempiterna claritate splendebimus. 1. Cor. 15.

OBSERVATIO IIII.

Credidit Abram Deo, & imputata est ei iustitia.] Primũ illud obserua, q̃ non dicit, Et intellexit Abram multitudinẽ stellarũ, aut, multitudinẽ futuri seminis: sed, Et credidit. Vbi promissa Dei proponuntur, nõ tam sciẽtia & intellectus q̃ fides requiriť. Quod intellectu cõsequi nõ potuit Abrahã, fide apprehẽdit. fides est scientia sanctorũ. Qui credũt, salubriter intelligunt diuini uerbi ueritatẽ, etiamsi modos, rationes, terminos, & reliquas circũstantias promissorũ non intelligant. Deinde, Non dixit simpliciter, Et credidit Dño: sed, Credidit in Dominũ. Sic cñ est in Ebræo והאמן ביהוה, id est, & credidit in Dñm. B Licet Apostolus uersionẽ LXX. sequutus Rom. 4. legat, Credidit Abram Deo: sic tamen de hac Abraham fide loquitur, ut manifestũ sit disputare ipsum de fide, qua non simpliciter Deo, sed in Deũ creditur, cum dicit: Ei uerò qui non operaťur, sed credit in eum qui iustificat impiũ, fides eius reputatur ad iustitiam. Quid aũt discriminis sit inter credere Deo, & credere in Deũ, aliàs est dictum, & ab Augustino obseruatum. Credimus etiam prophetis & Apostolis, sed nõ credimus in prophetas & Apostolos. In Deum credere, est cordis fiducia à Deo pendere, & indubitata fide in illo conquiescere.

Non tam scientiam quam fidem promissa Dei requirunt.

Fides iustificans est qua credimus in Deum.

Tertiò. Et imputata est ei iustitia, uel, Et imputatũ est hoc ei ad iustitiã, quã lectionẽ propter authoritatẽ Apostoli retinendã iudico. Est hic locus admodũ celebris, & ab Apostolo Rom. 4. integro capite diligenter tractatus. Nos in præsenti ista consideremus. Primùm, quid sit imputari aliquid ad iustitiam. Potest hoc bifariã intelligi. Primo modo sic, ut id quod ad iustitiã imputaťur, intelligatur ex iustitia cordis profectũ, & de illa testificari, hominem q̃ iustũ, probũ, sincerũ, integrũ, & bonũ declarare. Sic uerba arrogantia imputamus superbiæ, lasciua impudicitiæ, inepta stultitiæ, sordi tiẽ auaritiæ, profusionem prodigalitati, perfidiam malitiæ. Hoc sensu intelligenda sunt quæ Iacobi 2. leguntur, ubi Abrahamũ ex operibus iustificatũ dicit, cum offerret filiũ suũ Isaac. Opus illud nõ iustificabat Abrahamũ, pro priè loquendo, sed declarabat eum esse hominẽ iustum: atq; ita imputari poterat ipsius iustitiæ, quam fide fuerat per gratiã iustificantis Dei consequutus. Sic intelligendum est & illud, quod Psal. 106. de Pinecha legitur, quòd factum ipsius ad iustitiam ei sit imputatum. Isto sensu nõ est intelligendus prasens locus, ubi fides Abrahæ ad iustitiam imputata scribitur. Neq; Apostolus hunc sensum est amplexatus.

Quod fides ad iusticiam imputatur.

Iusta imputatio.

Altero modo sic, ut id quod imputatur ad iustitiã, habeatur loco iustitiæ: tantumq; ualeat apud eum cui probatur, ut quicquid defectus ac delictorum adhuc in persona iustificata hęret, prorsus condonetur. Hoc sensu imputatum est hic Abrahæ ad iustitiam, quòd credidit in Deum. Hæsitauerat antea de promissis Dei, magis q̃ naturæ defectum quàm ueritatem & potentiam Dei considerauerat, id quod omnino culpabile erat. uerùm ubi promittenti Deo firmiter credidit, est illi eiusmodi fides loco iustitiæ imputata, hoc est, ob eam fidem iustus est à Deo reputatus, & ab omnibus delictis absolutus. Hoc sensu usurpat Apostolus hunc locum Rom. 4. quod manifestũ est cuiuis diligenter ea legenti, quæ ex Psal. 32. citat, & ad causam hanc imputatæ iustitiæ accommodat. Sic publicanus ille, qui dixit, Deus propitius esto mihi peccatori, testimonio Christi iustificatus in domum suam descendit. Duos hosce imputationis modos cordatus homo diligenter obseruabit, ac discriminabit, ne quod gratiæ Dei iustificantis debetur, humanæ tribuat iustitiæ.

Gratuita imputatio.

Lucæ 18.

Deinde cõsiderandũ est, quid nã fuerit in causa quòd fides Abrahæ tantopere probata est Deo: ut ad iustitiã illi sit gratuitò imputata. Huius rei duæ sunt causæ ab Apost. Ro. 4. assignatæ. Prima est propositũ gratiæ Dei, quo sic ab æterno cõstituit, ut iustificaret in se credẽtes. Altera est, quòd huiusmodi fides gloriã Deo tribuit & ueritatis & potentiæ. Contrà, incredulitas hanc illi, quantũ in ipsa est, adimit.

Quare fides Deo tantoperè probetur.

Tertio, dicet aliquis: Atqui crediderat Abraham Deo etiam antea. Alioqui, nisi illi credidisset, quomodo oraculo illius, quo de terra patria, deq; domo & cognatione sua euocabatur, obediuisset? Quid igitur est, quòd non illic quoq;, sed huc demum fides illi est ad iustitiam imputata, qua utiq; gloriã Deo

Quare iam demum fide sit iustificatus Abrã, cum & antea crediderit.

dabat ueritatis & potentiæ. Respondeo: Cum Abraham primùm promittenti Deo crederet, erat adhuc integra & firma ætate, unde secundũ naturæ uires, semen posteritatis de Sara sua sperare poterat. Verùm ubi sterilitatẽ uxoris ad id usq; temporis durare cernebat, quo naturæ uiribus impossibile iam erat, ut aliquis ex ea fœtus proueniret, ideoq; prior illa fides tanquã infirma deficere cœperat, quod reb⁹ ad eum modum habentibus multitudinem seminis, quæ instar stellarũ esset, promittenti Deo, iam omni dubitatione reiecta credidit, id demũ est, quod hanc illius fidem omnium reddit illustrissimam, & Deo acceptissimã. Sic Apostolus quoq; circunstantias illius considerauit, dicens: Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarũ gentiũ, secundum quod dictum est ei: Sic erit semen tuũ, sicut stellæ cœli, & arena maris. Et non est infirmatus fide, nec considerauit corpus suũ emortuum, cum iam fere centum esset annorũ, nec emortuũ uterum Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriã Deo, quòd plenissimè sciret, quòd quæcunq; promisisset Deus, potẽs esset & facere. Ideo & reputatum est illi ad iustitiam. Hæc Paulus Rom. 4. Vnde satis patet, quid ad præsentem sit quæstionem respondendũ. Ea demũ fides præclara est, qua promissis Dei, contra naturæ uires & rationis nostræ iudiciũ indubitatò creditur, & ea quę nec præsentia sunt, nec uisibilia, propter promissa Dei certò sperantur & expectantur. Quod Hagar ancilla Saræ angelo credidit dicenti: Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine, quoniam ea promissio non erat talis, ut naturæ ac sensui rationis repugnaret, nõ poterit fides illi adhibita eo haberi loco, quo habetur præsens hæc fides Abrahæ. Si dicas mulierculæ, annos natæ uiginti: Nasceẽ ex te numerosa soboles, quid quæso magni fuerit, si quod dicis futurũ esse credat? Verùm si ista dicas, uetulæ per omnẽ uitam seculi, & iam per ætatem quoq; effœtæ, admodũ singularis sit fidei, necesse est, si promissioni crediderit, cui ipsa natura repugnat. Sic eadem fides differentia circumstantiarum distinguitur, & uel uilior uel præclarior censetur.

Rom. 4.

Dixitq; ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, ut darẽ tibi terrã istã, & possideres eam. At ille ait: Domine Deus, unde scire possum, quòd possessurus sim eam? Et respondit Dominus: Sume mihi uaccam triennẽ, & caprã trimã, & arietẽ annorũ triũ, turturem quoq; & columbam. Qui tollens uniuersa hæc, diuisit ea per mediũ, & utrasq; partes contra se altrinsecus posuit. Aues aũt non diuisit. Descenderũtq; uolucres super cadauera, & abigebat eas Abram. Cumq; sol occumberet, sopor irruit super Abrã, & horror magnus & tenebrosus inuasit eũ. Dictumq; est ad eum: Scito prænoscẽs quòd peregrinũ futurũ sit semen tuũ in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentẽ cui seruituri sunt, ego iudicabo, & post hæc egredientur cũ magna substantia. Tu aũt ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione aũt quarta reuertentẽ huc. Nec dum enim cõpletæ sunt iniquitates Amorrẽorũ usq; ad præsens tempus. Cum ergo Sol occubuisset, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiẽs inter diuisiones illas. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abrahã, dicens: Semini tuo dabo terrã hanc, à fluuio Aegypti usq; ad fluuium magnũ Euphratem, Cineos, & Cenezeos, Chermoneos, & Etheos, & Pherezeos, Raphaim quoq;. Amorrẽos, Eueos, Chananẽos, Gergeseos, & Iebusæos.

LECTIO.

De Vr Chaldæorum.] Sic habetur in Ebræo. Septuaginta uerterunt ἐκ χώρας χαλδαίων, id est, e regione Chaldæorum. Quoniam autem אור Ebreis sonat ignem, Hieron. uertit, de incendio Chaldæorum.

Vt possideres eam.] Ebraicè est לרשתה, id est, ad hæreditandũ eam. Sic uerterunt & Septuaginta.

Sume mihi uaccam triennem, &c.] In Ebræo est משלשת, id est, triplicatum. Non est in Ebræo expressum, sit ne ternarius numerus ad annos aut ad numerum, uel partes indiuiduorũ referendus. Chaldæus interpres sic uertit, עיגלין תלתא ועיזין תלתא ודיכרין תלתא, id est, tres uaccas, & tres capras, & tres arietes. Sic & R. Shlomoh exponit. Sunt qui intelligant mandatum esse Abrahæ, ut offerret sibi uaccam in tres partes diuisam, sic & capram & arietem.

Turturem quoq; & columbam.] In Ebræo est גזין, quæ uox significat pullum columbæ. Sic Chaldæus etiam uertit בר יונה, id est, fœtum columbæ. R. Shlo: pluraliter intelligit תורים ובני יונה, id est, turtures ac pulles columbæ.

Super cadauera.] Septuaginta adiecerunt, τὰ διχοτομήματα ἀνὰ μέρος, id est, diuisiones eorum.

Et abige-

Et abigebat eas Abram.] Ebr. וישב אתם אבגם. Septuaginta legerunt sine punctis וישב, id est, sedit. καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς, id est, & sedit cum eis, quasi sit וישב עמהם. uerbum וישב in hyphil, significat auertere, abigere.

Et affligent eos.] Septuaginta adiecerunt: καὶ ταπεινώσουσιν αὐτούς, id est, & humiliabunt eos.

Et facta est caligo tenebrosa.] Septuaginta uerterunt, φλὸξ ἐγένετο, id est, Et facta est flamma. Legerunt לחסיה pro עישטה.

Et lampas ignis.] Potest legi, Et fax ignis. Septuaginta in plurali uerterunt lampades.

Sepultus in senectute bona.] Sic habetur in Ebræo. Septuaginta reddiderunt τραφεὶς, id est, enutritus. Et sic legit Augustin. quoq; lib. de Ciuit. Dei. 16. cap. 24. uerùm satis apparet errorem esse admissum per antiquariorum uel inscitiam uel oscitantiam, qui quũ haberetur ταφεὶς, scripserunt τραφεὶς.

Et Eneos.] Ponunt hos & Septuaginta. Sed in Ebræo non habentur.

EXPLANATIO.

Promissio diuinæ benedictionis Abrahæ facta, bimẽbris erat. Nam duæ res illi promittebant. Vna, quod semen esset habiturus innumerabile: altera, quod possessurus esset terrã Canaan hæreditariò. Hæc duo rerum promissiones subinde repetebantur & inculcabantur, quo fides illarum in corde Abraham confirmaretur. Repetitio promissorum tertia est, quam hoc capite Moses commemorat. Ad multiplicandi seminis promissionem præcedentia pertinent, quibus usq; adeò fides est Abrahæ, quod hanc partem concernit, confirmata, ut testimonio spiritussancti reputata sit illi ad iustitiam. Quæ hinc sequuntur ad finem usq; capitis, ad hoc sunt præcedentibus adiecta, ut altera quoq; promissorum Dei portio, de hæreditate terræ Canaan, in corde Abrahæ firmiorem consequeretur fidem.

Dixitq; ad eum, Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, & hæreditares eam.] Quando ista dixerit Dominus, statim ne eadem apparitione postquã Abrahæ stellas cœli ostendisset, uel separata uisione, non est expressum à Mose. Meo iudicio, quoniam simpliciter dicit, Dixitq; ad eum, uidentur ista confestim præcedentibus subiecta. Alioqui si separata essent apparitione dicta, conuenientius dixisset: Et dixit Dominus ad Abram. Sensus autem est: Voluit Abrahamum Dominus etiã in fide promissæ terræ confirmare. Eam ob causam refricat illi uocationem qua eduxerat eum de Vr Chaldæorũ, de terra uidelicet patria, & rationem illius inculcat, dicens: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum ut darem tibi terram istam. q.d. Hoc te proposito de Vr Chaldæorum eduxi, ut hæredem te terræ huius constituerem. Quod semel proposui, non potest irritum fieri. Sum enim Dominus, Iehoua, existens, in quo nulla est mutabilitatis inconstantia. Quod patriam reliquisti, & nũc hic es in terra peregrina, mea est opera factũ: non ut te seducerem, sed ut terram hanc tibi hæreditandam darem. per apposiopesim aũt omissum est, quod addẽdum uidebatur, uidelicet, Dabo igitur tibi illam ad possidendum. Verùm id satis innuebatur in eo, quod propositi sui mentionem faciebat, & illud, Ego Iehouah, inculcabat.

At ille ait: Domine Iehouah, in quo cognoscam, quòd hæreditaturus sim eam?] Satis intellexit Abram, per refricationem propositi diuini, quo fuerat de Vr Chaldæorũ eductus, denuò cõfirmare sibi promissionem terræ Chanaan. Quoniam uerò iam senex erat, uehementer hæsitabat, quomodo terrã hanc hæreditaturus esset, in qua tot adhuc regnabant nationes, quarum infrà in calce capitis fit mentio. Rogat igitur, ut hac de re instruatur.

Et respondit Dominus: Sume mihi uaccam triennem, & capram trimã, & arietẽ trium annorũ, turturem quoq; & columbam.] Pertinebant ista ad instituendũ fœdus, per morem sacrificij. Robore fœderis erat Abrahamum Deus & instructurus de rebus futuris ad hanc ipsius quæstionẽ pertinentibus, & in fide promissionis huius confirmaturus. Inde autẽ à temporibus Adæ solebant pij sacrificare Domino per oblationem animalium mundorum, ad quæ pertinent etiam quæ hic recensentur, uacca, capra, aries, turtur, columba. Et id quoq; moris obtinuerat, ut fœdera non sine sacrificijs inirentur. Iuxta consuetudinem istam dixit Abrahæ Dominus: Sume mihi uaccam triennem, &c. Notanter non dixit, Sume tibi: sed sume mihi, ut de sacrificio sibi parando admoneret. Siue autem uaccam unam, capram unam, arietemq; unum triennem, siue plures, tres uidelicet de singulis generibus accipere mandarit, non est curiosius inquirendum. Si de triennibus mandatum est, significatũ crediderim, accipienda esse animalia nec immatura, nec maturitatis annos excedentia, sed iam satis uegeta, & sacrificio accommoda. uerùm hac de re forsan infrà in considerationibus uidebimus.

Qui tollens uniuersa hæc diuisit ea per medium, & utraſq; partes contra se altrinsecus posuit. Aues aũt non diuisit.] Ex eo quod non legitur diuisionẽ hanc animaliũ iussu Dei esse factã, argumẽtum datur, fuisse hunc solennem confirmandorum fœderum morem, ut animalia ceremoniæ huic adhibita per medium diuiderentur, illicq; sese accommodasse Abrahamum. De rationibus horum uidebimus infrà.

Descenderuntq; uolucres super cadauera, & abigebat eas Abram.] Haud quidem constat nobis, quæ fuerint ista uolucrum genera: id uerò satis probabile est, fuisse aues immũdas & creophagas, quales apud nos nõ sunt uultures, corui, & picæ leucomelænæ, & quæ aliæ cadaueribus uescunt. Post diuisionem animaliũ non abscessit Abram, sed præstolatus est eorum quæ facere iussus erat declarationem ac finem. Interea aduolarunt aues immundæ, quas diligentia ac sedulitate sua abegit, tametsi, ut uerosimile est, nondum mysteria eorum quæ gerebantur, intelligeret.

Cumq; Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus ac tenebrosus inuasit eum.] Quod in

Ebræo

Ebræo est תרדמה, & hic Interpres soporem uertit, reddideruut Septuaginta ἔκστασιν, id est, emotionem, alienationem & oppressionem mentis, grauiorem quàm sit dormientium. Eadem uox & supra cap. 2. posita est in historia Adæ & Euæ. Quare quæ hic de ecstasi Abrahæ scribuntur, non sunt de naturali intelligenda sopore, sed de mentis oppressione diuinitus ad hoc immissa, ut de rebus futuris edoceretur. Quod mentionem facit Solis occidui, argumento est, quæ facta sunt ab Abrahamo in diuisione animalium, facta esse interdiu post præcedentis noctis uisionem, in qua fuerant illi, utriq; post Solis occasum, stellæ in firmamento ostensæ. Deinde quod de ecstasi & magno horrore scribit, non sic est intelligendum, quod ecstasim subsequutus sit tenebrosus ille horror, hoc est, horrida quædã caligo, sed quod horribiles tenebræ præcesserint, ac tum demum subsequuta sit ecstasis.

Dictumq; est ad eum: Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, &c.] Quoniam interrogauerat Abram de modo quo possessurus esset terrã Canaan, de illo per ea quæ iam commemorantur instructus est, quæ, ut apparet, in ipsa illi sunt ecstasi ac raptu mentis declarata. Sunt autem tribus ueluti membris comprehensa. Prædicunt enim ea quæ primũ semini Abrahæ, deinde Aegyptijs, tertiò ipsi Abrahæ erant euentura.

Scito prænoscens inquit. In Ebræo est ידע תדע. Sciendo scias, hoc est, certò scias. Quod futurum sit semen tuum peregrinum in terra non sua. Loquitur de incolatu Aegypti, quam uocat terram ad Israelem non pertinentem, sicuti pertinebat terra Canaan. Quomodo semen Abrahæ peregrinum fuerit in Aegypto, infra circa finem libri huius, & primis Exodi capitibus declaratur.

Et subijcient eos seruituti, & affligent annis quadringentis.] De seruitute hac Israelis, qua sunt afflictati in Aegypto, uidere licet Exo. 1. & 2. Quod dicit, Et affligent eos annis quadringentis, non sic est intelligendum, quòd seruitus & afflictio Israelis quadringentos annos duratura esset in Aegypto, sed quod circa finem demum quadringentorum annorum finem esset habitura.

Veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo, & posthæc egredientur cum magna substantia.] Pertinent ista ad secundum oraculi huius membrum. Prædicunt enim, quid futurum esset Aegyptijs. Cum dicit, Gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo, loquitur de decem plagis, quibus Aegyptus Exo. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. percussa legitur. Verbum iudicandi pro merita est uindicta & ultione positum. q. d. Ego uindictam ac pœnas de gente Aegyptiorum sumam.

Et post hæc egredientur cum magna substantia, inquit. Hoc est, Sic puniam Aegyptum, ut tandem plagis attrita dimittat semen tuũ liberum. Quomodo autem cum magna sint egressi substantia, Exodi duodecimo exponitur.

Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus, in senectute bona.] Referenda sunt hæc ad tertium membrum. Expectabat, dubio procul, Abram, quid sibi esset euenturum. Tu, igitur, inquit, ibis ad patres tuos, &c. Hoc est, morieris antequam ista fieri incipiant, in pace, expers harum tribulationum, rebus tuis commodè habentibus, & iustam senectutis plenitudinem consequutus. qua de re uidere est infrà cap. uigesimoquinto, ubi cum annos centũ septuagintaquinq; natus esset, mortuus esse scribitur. Quod hic dicit, Ibis ad patres tuos: & infrà dicto iam capite, Congregatus est ad populũ suum: non sic est intelligendum, quòd uel corpore uel anima coniunctus fuerit patribus generationis suæ, quæ idololatriæ in Chaldæa dedita fuit: sed dictum hoc uulgarem habet loquutionem, qua simpliciter de morientibus usi sunt Ebræi, quibus ire ad patres, uel congregari ad populum suum, est morte de terra hac auferri, & mortuis coniungi.

Generatione autem quarta reuertentur huc.] Redit ad semen Abrahæ, & quæ de illo prædicere cœperat, absoluit. Dixerat quidem esse eos post quadringentos annos egressuros seruitutem Aegyptiorum, uerùm nondum expresserat id, quod caput erat huius oraculi, quando uidelicet possessuri essent terram promissam. Huius gratia adiecit istam particulam, dicens: Generatione autem quarta reuertentur huc, id est, in terram hanc Canaan, in quam te de Vr Chaldæorũ propterea induxi, ut eam suo tempore possideres.

Nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorreorum, usq; ad præsens tempus.] Habent ista ἀπροσδιόνυσον. Poterat cogitare Abram, quare possessionem terræ promissæ, non tum sua ipsius esset ætate daturus, sed ad quartam usq; seminis sui generationem dilaturus. Datur igitur dilationis huius ratio. Nam inquit, Amorrçi nondum eousq; malitiæ deuenerunt, ut iusto illos iudicio de terra hac ejiciam. Nondum maturuerunt ad messem illorum iniquitates. Quare expectandum est, donec plenitudine malitiæ suæ ejectionem hanc fuerint promeriti.

Cum ergo Sol occubuisset, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & fax ignis transiens inter diuisiones illas.] Duo diuinitus gerebantur. Internum unum, externum alterum. Interne in mente Abrahæ sub ecstasi declarabantur res ipsi, semini eius, & Aegyptijs futuræ. Externè confirmabatur sub per apparitionem clibani fumantis, & ignis per medium cadauerum transeuntis. Igitur postquam de interna instructione Abrahæ commemorauit, ad externam hanc fœderis confirmationem transit. Quod autem dicit, Cum Sol occubuisset, facta est caligo tenebrosa, de eodem Solis occasu, deq; eadem caligine horrenda, de quibus dicere cœperat, per repetitionem loquitur. Quid autem fax ignis per cadauera transiens, operata sit, non est expressum à Mose. Verosimile est in morem sacrificiorum, uel omnes diuisorum animalium partes, uel aliquas saltem ex illis corripuisse ac consumpsisse, sicuti iudicũ septimo, sacrificio Gedeonis accidisse legitur.

In illo

A *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, à fluuio Aegypti usque ad flumen magnum Euphratem, Cineos, &c.*] Quod fœdus cum Abrahamo pepigit Deus, dicens, Semini tuo dabo terram hanc, ad hunc est finem factum, ut quæ antea de possessione terræ Canaan promiserat, robore & obstrictione fœderis confirmaretur. Promissioni enim adiecit & iusiurandum, in quo neruus est fœderum, & signum clibani fumantis, ac facis inter cadauera transeuntis. Hoc pacto corroborabatur fides Abrahæ.

A fluuio, inquit, *Aegypti*, usq; ad fluuium magnum Euphratem. Non loquitur de Nilo, insigni fluuio Aegypti, sed de Rhinocorura, qui fluuius Aegyptum & Palæstinam diuidens, haud procul à Gaza in mare mediterraneũ sese exonerat. Euphrates notior est, quàm ut de illo necesse sit admonere. Ex Arabia minore, Tigridi circa Apamiam immixtus, in sinum Persicum delabitur.

Cineos & Cenezeos, &c.] Erant tum decem istæ gentes in terra Canaan. Canangi tamen terræ nomen dederunt, quoniam reliquis erant uel uetustiores, uel præstantiores.

QVAESTIO. I.

At ille ait: Domine Deus, in quo cognoscam quod possessurus sim eam.] Nascitur hic quæstio, quomodo uerba hæc Abrahæ, cum præcedentib. conueniant, quibus Deo usq; adeò credidisse dicitur, ut id illi imputatum sit ad iusticiam. Si credidit Deo, quomodo hic signum aliquod, & certum experimentum postulat, in quo cognoscat, quod possessurus sit terrã? Etenim qui uerbo Dei credit, sicuti credendo non dubitat de ueritate promissorum, ita signum non quærit, per quod ad certam scientiam perueniat, sed in ueritate uerbi Dei, certa & indubitata fide conquiescit. Quare quæ hic Abraham ipse ad Deum loquitur, præcedenti testimonio Mosis repugnare uidentur. Testatus est de illo Moses, dicens: Credidit Abram Deo. Ipse Abram, suis ipsius uerbis testatus est, quòd fide defecerit, dum certitudinem scientiæ quæsiuit, iam cum iuxta uerissimam sententiam, unusquisq; ex suis ipsius, & non alienis uerbis, uel iustificandus sit, uel condemnandus, quæri poterit, an non certius sit testimonium Abrahæ de suaipsius hæsitatione, quàm quòd de fide illius protulit Moses?

Quomodo Abraham, si Deo credidit, signum petierit.

Ad istam quæstionem respondent nonnulli, non dubitasse Abrahamũ de ueritate promissionis diuinæ, sed interrogasse de modo, quo possessurus esset terram, perinde atq; b. uirgo non dubitauit de eo, quod ex angelo audiebat, sed de modo quæsiuit, quo esset impregnanda, cum diceret: Quomodo fiet istud? quoniam uirum non cognoui. Sic respondet Augustinus: Non ait unde sciam? quasi adhuc non crederet, sed ait: Secundum quid sciam? ut ei rei quã crediderat, aliqua similitudo adhiberetur, qua eius modus agnosceret. Sicut non est uirginis Mariæ diffidentia, quod ait: Quomodo fiet istud? quoniã uirũ non cognosco. Quod enim futurũ esse certa erat, modũ quo fieret, inquirebat. Hæc August. Consimili modo respondet & Chrysostomus, & quotquot cum Græcis legũt κατὰ τί γνώσομαι, id est, secundum quid cognoscam, quod in Ebræo est במה ארע, id est, in quo cognoscam? non רמה ארע, id est, secundum quid cognoscam?

B

Lyranus sic annotauit: Domine Deus, unde scire possum, &c. ac si diceret, quid est illud, per quod cõ seruabitur bonũ quod promisisti? Ideo non dixit, Vnde scire possum, quod accepturus sim eam, sed possessurus. Hæc ille, qui solutionem quæstionis huius quæsiuit in uerbo possidendi, quod idem esse sensit, atq; si dixisset Abram: Vnde scire possum, quòd conseruaturus, ac perpetuò retenturus sim terrã hanc, quam promittis? Quid faciendum erit, ne ubi illam abs te accepero, possessione eius aliquãdo priuer? Verùm in Ebræo non est possidendi, sed hæreditandi uerbum.

Lyranus.

Alij sic sentiunt. Non quæsiuisse Abrahamum de modo, siue acquirendi, siue retinendi, terræ huius possessionem, sed signũ petisse à Deo, quo in fide promissionis redderetur certior. Et petitionem hanc signi excusant in Abrahamo, quemadmodũ & in Gideone, & alijs sanctis, & à peccato uindicant, propter fiduciam singularẽ, & familiaritatem quam acquisierat coram Domino, qua factũ sit, ut liberè, & syncero animo, signum à Domino, perinde atq; amicus ab amico, quæsierit. Et huiusmodi signorũ petitionem dicunt Dominũ haudquaquam improbare in amicis suis, quæ tamen, si fiat ab incredulis & impijs, maximum habeat peccatum, & de animi incredulis malicia ac prauitate, testetur.

Qui sic sentiunt, uera quidem dicũt, & rectè factum Abrahæ ab impietate incredulitatis uindicant: uerùm ad præsentem quæstionem, meo iudicio, non satis pertinenter respondent, qua non quæritur, quomodo petitio signi à peccato uindicetur, sed quomodo conueniat testimonio Mosis, quo de Abrahamo testificatus est, quòd crediderit Deo: & quomodo fieri possit, ut qui Deo indubitanter credit, signum à Deo quærat, unde certa scientia in eo, quod credit, confirmetur.

Dicam quid mihi uideatur, sine cuiusquam præiudicio. Duæ res promittebantur Abrahamo, à se inuicem diuersæ, sicut & suprà memini. Promittebatur seminis multiplicatio, quod instar stellarum esset innumerabile. Huic promissioni, cum foràs eductus, cœlumq; suspicere, ac stellas, si posset, numerare iussus audisset, Sic erit semen tuum, credidit aliquanto firmius quàm antea. Et de hac illius fide testificatus est Moses, dicens: Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam. Deinde refricabatur illi promissio possidendæ terræ Canaan. Hæc promissio, quemadmodum de re à priore separata fiebat, ita & separatum fidei assensum requirebat. In illo autem deficiebat adhuc Abraham, non uidens, quomodo fieri posset, ut ipse terræ Canaan fieret hæres, cum esset senex iam, & ipsa terra tot gentibus occuparetur, quæ hæreditatem ipsius haudquaquam essent cuiquam peregrino cessuræ. Itaque hac dubitatione laborans, dicebat: Domine Deus, in quo cognoscam, quòd hæredi-

hæreditaturus sim eam? Sic qui promissioni de seminis multiplicatione iam credebat, ergò promissæ terræ hæreditatem adhuc hæsitabat ac fluctuabat. At Moses cum de fide illius testificatur, de ea intelligit in qua iam erat confirmatus, non de ea in qua adhuc fluctuabat ac laborabat. Quare nulla est hic cõtradictio in uerbis Abrahæ & testimonio Mosis, si fallaciã quæ ex uitiosa coniunctione in quæstione admittitur, recta diuisione reijcias. Deinde non est insolens, ut qui in causa aliqua certò & indubitatò diuinæ promissioni credit, in alia hæsitet, ac signo aliquo certificari cupiat. Neq; enim mox omnia credenda credit, qui in una aliqua re fide est confirmatus. Moses nõ dubitabat de ueritate Dei, quæ futurum erat, ut Israel in terram promissam duceret, & tamen cum esset aquam de petra iussu Dei eductурus, usqueadeò hæsitabat, ut diceret, An de petra hac aquam uobis eijcere poterimus? ob quam causam audiebat à Domino: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filijs Israel, nõ introducetis hos populos in terram quam dabo eis. Ecce in Mose manifesto declaratur exemplo, etiam sanctis hoc usuuenire, ut licet in uno credant, in alio tamen dubitent ac fluctuent. Sic arbitror & hic esse de Abrahami fide ac dubitatione sentiendum.

Num.20.

QVAESTIO II.

Quomodo Israelitæ 400. annis afflictati fuerint in Aegypto, cũ ad summũ haud supra 215. annos fuerint in Aegypto.

In Ebræo aliter legitur.

Et adfligent eos quadringentis annis.] Quæritur hic, quomodo sit impletum, quòd semẽ Abrahæ Deus quadringentis annis in Aegypto adfligendum fore prædixit. Etenim si sacræ consulantur historiæ, deprehenditur Israelem haud ultra 215 annos egisse in Aegypto, & ne illis quidẽ omnibus, sed, quemadmodum nonnulli haud indiligenter supputãt, dũtaxat centũ ac triginta annis seruitute & afflictionibus fuisse pressum.

Augustinus hac de re libr. de Ciuit. Dei cap. 24. sic scribit: Non quòd in eadem seruitute sub Aegyptijs adfligẽtibus quadringentos annos ille populus fuerat peracturus, sed in ipsis quadringentis annis prænunciatum est hoc futurum. Quemadmodum enim scriptum est de Thare patre Abrahæ, Et fuerunt dies Tharæ in Charra quinq; & ducenti anni: non quia omnes ibi acti sunt, sed quia ibi completi sunt, ita & hic. Propterea interpositũ, Et in seruitutem redigent eos, & adfligent eos quadringentis annis: quoniam iste numerus in eadem adflictione completus est, non quia ibi uniuersus perfectus est. Quadringenti sanè dicuntur anni, propter numeri plenitudinem, quamuis aliquãto amplius sint, siue ex hoc tempore computentur, quo ista promittebantur Abrahæ: siue ex quo natus est Isaac, propter semen Abrahæ, de quo ista prædicuntur. Cõputantur enim, sicuti superius iam diximus, ab anno septuagesimoquinto Abrahæ, quando ad eum facta est prima promissio, usq; ad exitũ Israel ex Aegypto, quadringenti & triginta anni, quorum Apostolus ita meminit: Hoc autem Testamentũ confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non infirmat ad euacuandũ promissionẽ. Iam ergo isti quadringenti & triginta anni, quadringenti poterant nuncupari, quia nõ iunto multo amplius: quanto magis cum aliquot iam ex isto numero præteriissent, quãdo illa in usu demonstrata & dicta sunt Abrahæ: uel quando Isaac natus est centenario patri suo, à prima promissione post uigintiquinq; annos, cum iam ex istis quadringentis & triginta quadringenti & quinq; remanerent, quos Deus quadringentos uoluit nominare, &c. Hæc Augustinus, quæ huc adferre uolui, ne sit quod desideret lector, cui opera Augustini ad manum non sunt.

Gal.3.

Chrysostomus ad hunc modum sensit. Verùm, si quis hic addubitet, ait, quomodo quadringentis annis dicat eos seruituros, cũ neq; dimidiũ horũ annorũ fuerint in Aegypto. Et propterea nõ dixit, quod in Aegypto futuri essent annis quadringentis, sed in terra non sua, ita ut possit cõnumerari cum annis in Aegypto et tempus patriarchæ, quo ei imperatum est, ut ex Charran egrederetur. Ab illo enim tempore, tempus annorũ manifestum nobis fecit scriptura, quæ dixit, quòd septuagintaquinq; annorũ fuerit Abram, quando exiuit ex Charran. Ex eo igitur tempore usq; ad exitum de Aegypto inueniet quis numerum saluum & integrum. Hæc Chrysost. quibus in eo quidem, q; numerũ annorũ quadringentorum concernit, quomodo ille ad exitũ Israelis usq; de Aegypto cõputari debeat, haud abludit à sententia Augustini: uerùm interea non docet, quomodo quadringentos annos adflictũ fuerit Abrahæ semen in terra non sua, cum tempus afflictionis in Aegypto ultra annos 130. nõ durauerit. Nisi fortè ad hanc quæstionem id quisquã sufficere iudicauerit, quod subiungit dicens. Dici potest etiam aliter, quod cum Dominus sit misericors, & pœnas faciat imbecillitati nostræ respondentes, cũ uidit eos ita labore pressos, & Aegyptios magnam in eos crudelitatem exercere, ante definitum tempus ultionem fecerit, & ad libertatem eos reduxerit. Hæc rursus Chrysost. uerùm licet haud negandum uideatur, non esse alienũ à misericordia Dei, afflictos citius quàm constitutum sit, liberare: quoniam tamen sacræ scripturæ quadringentorũ ac triginta annorũ tempus peregrinationi seminis Abrahæ tribuit, arbitror ista à Chrysostomo haud esse in loco adducta.

Lyra.

Annotauit & Lyranus, à nato Isaac usq; ad ingressum Iacob in Aegyptum, annos centum nonaginta, deinde ab eo tempore ad liberationem usq; & exitum de Aegypto, annos ducentos ac decem: quos si utrinq; coniunxeris, habebis numerum annorum quadringentorum præcise.

Mea sententia sic habet. Quod tempus peregrinationis attinet, quo semen Abrahæ in terra non sua, usq; ad exitum de Aegypto uersatus est, supputandi sunt quadringenti anni à natalibus Isaac, tanquam primi ex semine Abrahæ, sic ut illud, In terra non sua, non ad Aegyptum duntaxat, sed ad omnia etiam reliqua loca referatur, in quibus peregrinatus est Isaac, & post Isaacũ Iacob. Licet enim promissa illis esset terra Canaan, quoniam tamen nihil in illa possidebant, rectè dicti sunt in illa esse peregrinati. Vn-

de &

A de & terra illa infrà capite 17.28.& 36.terra est peregrinationis illorum uocata.

Deinde quod locum Pauli attinet, Gal.tertio, ubi legem post testamentum anno esse quadringentesimo tricesimo latam dicit, supputandum est non à nato Isaac, sed à primo oraculo Dei, quo Abram de Vr Chaldæorum uocatus est. Erat tum annorum 70. & postquam egressus esset patriam unà cum patre annos quinq; egit in Charran. De Charran egrediens annos natus erat 75. Ab eo tempore usque ad natum Isaac concurrerunt anni uigintiquinq;. Sustulit enim eum filium anno ætatis suæ 100. Sic habes annos triginta à primo oraculo diuinæ promissiõis usq; ad natales Isaac. Illis adde annos quadringentos, qui à nato Isaac usq; ad exitum de Aegypto numerãtur, ac seruituti seminis Abrahæ deputati sunt, & absolutum habebis numerum annorum quadringentorum triginta, quem Paulus à testamento diuinæ promissionis Abrahæ factæ ad legem usq;, in monte uidelicet Sina datam, numerat.

Tertiò, quod seruitutem & adflictionem Aegyptiacam concernit, de qua prædixit Dominus, dicẽs, Et subijcient eos seruituti, & adfligent eos, curandum est ut hæc particula separatim à præcedentib. & sequentibus uice parenthesis legatur: & quod addidit, Annis quadringentis, ad tempus non seruitutis & adflictionis, sed peregrinationis referatur, & lectio sic ordinetur. Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua (subijcient autẽ eos seruituti, & adfligent eos) annis quadringentis. Si quæras de tempore peregrinationis, habes annos quadringentos: si de sorte & fortuna peregrinantium, habes seruitutem & adflictiones. Huiusmodi diuisione existimo tolli posse quæstionis huius difficultatem. Obseruabit diligens lector consimiles locos in scripturis, in quibus necessaria est cõmoda diuisio. Vt Exodi duodecimo. Quicunq;, inquit, comederit fermentatum, excidetur anima illa de Israel, à primo die usq; ad diem septimum. Vbi illud, A primo die usq; ad diem septimum, referendum est non ad proximè præcedentem particulam, qua dicit, Excidetur anima illa de Israel. sed ad id quod dixit, Quicunq; comederit fermentatũ, cui annectendum est illud, A primo die usq; ad septimum.

Et Augustinus in quæstionibus super Exodum libro 2. cap. 47. huius sententiæ meminit, dicens: Non itaq; quod ait, In seruitutem redigent eos, & nocebunt illis, ad quadringentos annos referendũ est, quasi per tot annos habuerint eos in seruitute: sed referendi sunt quadringenti anni ad id quod dictum est, Peregrinum erit semen tuum in terra non propria, quia siue in terra Canaan, siue in Aegypto, peregrinum erat illud semen, antequam hæreditatem terræ sumerent ex promissione Dei, quo factum est posteaquã ex Aegypto liberati sunt: ut hyperbaton hic intelligatur, & ordo uerborum sit: Sciendo scias quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria quadringentis annis: illud autem interpositum intelligatur, Et in seruitutem redigent eos, & nocebunt illis, ita ut ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat. In extrema enim parte annorum summæ huius, hoc est, post mortem Ioseph factum est, ut in Aegypto populus Dei duram perageret seruitutem. Hæc ille.

B Sed obijciet forsan aliquis ea quæ Exodi 12. ad hunc modum leguntur: Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Et factum est post finẽ quadringẽtorũ triginta annorũ, in eo ipso die egressi sunt omnes exercitus Domini, de terra Aegypti, &c. quibus uerbis non uidetur totum peregrinationis tempus, sed nominatim incolatus Aegypti quadringentorum triginta annorum spacio determinari. Quid hic dicemus?

Primũ omnino uerum non est, per annos quadringentos ac triginta manfisse Israelem in Aegypto, nisi mentiantur sequentes historiæ. Iacob enim cum descenderet cum suis in Aegyptum, annorum erat centum triginta. Ab eo tempore usq; ad exitum Israelis de Aegypto, non possunt computari anni 347. (nisi numeres omnes annos Caath filij Leui, qui cũ Iacobo auo suo descẽdit in Aegyptũ, & annos 130. uixit, & Amram filij illius qui uixit annos 137. & Mosis filij Amram, qui octuagesimo ætatis suæ anno Israelem eduxit, id quod tamen præter rationem fieret) nedum anni quadringenti triginta. Quare omnino non possunt uerba ista Mosis hoc sensu capi, ut duntaxat ad incolatum Aegypti astringantur.

Augustinus loco proximè citato confugit ad uersionem Septuaginta, quæ sic habet: *ἡ δὲ παροίκησις ἣν κατῴκησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἔτη τετρακόσια τριάκοντα.* Id est: Peregrinatio filiorũ Israel, qua peregrinati sunt in Aegypto, & in terra Chanaan, ipsi ac patres illorum, anni sunt quadringenti ac triginta. Si Hebraicæ ueritati, in qua illud, Et in terra Chanaan, ipsi ac patres illorum, non habetur, Septuaginta interpretum præferri posset authoritas, solutus esset omnis quæstio. Significaretur enim, non loqui Mosen de sola Aegyptiaca, sed in uniuersum de omni peregrinatione Israelis ab Abrahamo usq; ad exitum de Aegypto. Itaq; dicendum est, uel defectũ esse in lectione Hebraica, qui post tempora Septuaginta sit interpretum admissus: uel id quod in Ebræo habetur, ad hunc esse modum intelligendum, ut quæ de incolatu Aegypti dicuntur, de postrema & grauiore peregrinationis Israeliticæ parte exponantur: quasi diceret Moses, Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, durant usq; ad finem quadringentorum ac triginta annorum, quos Deus Abrahæ prædixerat ac determinauerat. Hic certè spiritus est Mosis in istis uerbis, quicquid actum sit de literatores illorum, uel de Hebræo reddiderunt, uel de suo adiecerunt.

QVAESTIO III.

Generatione autem quarta reuertentur huc] Qui septuaginta interpretum uersionem sequuntur, mouent hoc loco quæstionem, quomodo inter se concordent oraculum hoc Dei, quo Israel quarta generatione ad terram Chanaan reuersurus prædicitur, & historica narratio Mosis, qua Exodi 13. secundum *Quomodo quarta generatione reuersuri prædicãtur cũ Exo. 13.*

quinta generatione Aegyptũ egreſſi ſcribãtur.

uerſionem Septuaginta ſic dicit, τετάρτῃ δὲ γενεᾷ ἀνέβησαν οἱ υἱοὶ Ισραὴλ ἐκ γῆς αἰγύπτου. Id eſt, Quinta ue-
rò generatione aſcenderunt filij Iſrael de terra Aegypti. Quarta generatio à quinta centũ annorum ſpa-
cio deficit. Quare uel Moſes non rectè cõmemoraſſe, uel quod Deus Abrahæ prædixit, haud ut prædi-
ctum erat, geſtum eſſe uidetur. Auguſtinus in quæſtionibus ex ueteri teſtamento, quæſt. decima hac de
re ſic ſcribit: Vtiq; dixit Deus, Quarta progenie, & Moſes ſcripſit, Quinta progenie: quamuis utrumq;
Moſes retulerit, & fallere eum impoſsibile ſit, in quo tanta uirtus operata ſit: ac per hoc inueſtigandus
eſt ſenſus, quia non ocioſe aliquid agit, nec improuidè diuina loquitur ſcriptura. Itaq; duæ partes ſunt,
quas ſinguli memorarũt. Deus enim quatuor generationes ſignificauit, quæ natæ ſunt in Aegypto, Mo
ſes autem addens his unam, ex qua hæ ortum acceperunt, cum intraſſent in Aegyptum: Quinta, inquit,
generatione exierunt filij Iſrael. Generationem enim quæ intrauit in Aegyptum, & quatuor quæ illic
natæ ſunt ſimul complexus eſt. Hæc ille.

Ad hanc quæſtionem explicandam breuiſsimo compendio iuuamur, ſi ad Hebraicam ueritatem re
ſpexerimus, quod & Hieronymus in epiſtola ad Damaſum quæſtione ſecunda fecit. Habetur aũt in He
bræo ad hunc modum: Et duxit Deus populũ per uiam deſerti ad mare Suph, וַיַּעַל בְּנֵי יִשְׂרָאֵל חֲמֻשִׁים מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם: id eſt, Et armati, uel inſtructi, aut accincti aſcenderunt filij Iſrael de terra Aegypti. Vox
חֲמֻשִׁים, quam Septuaginta reddiderunt, Generatione quinta, non hoc loco quinarij numeri ſignifica-
tionem, ſed ſignificat inſtructos, accinctos uel armatos. חָמֵשׁ quidem quinq;, & חֲמִישִׁים quinquagin-
ta, & חֲמִישִׁית quintam partem: uerùm חָמוּשׁ, accinctum & armatum ſonat: unde eſt
armati & accincti. Et ſic reddidit etiam Thargum מְזַיְינִין, id eſt armati: quemadmodum & uulgata la-
tina legit. Sic etiam Iehoſuæ 1. uſurpata eſt hæc uox, ubi legimus, עִבְרוּ חֲמֻשִׁים לִפְנֵי אֲחֵיכֶם כָּל גִּבּוֹרֵי הַחָיִל transibitis אֵיתַיְכוֹן גְּבָרַיָּא מְזַיְינִין קֳדָם אֲחֵיכוֹן כָּל חֲיָלָא תִּעְבְּרוּן מְזַיְינִין לְמִגְיָס קֳדָם אֲחֵיכוֹן כָּל גִּבָּרֵי חֵילָא תִּעְבְּרוּן מְזַיְינִין

A quarta reuertentur huc: id est, aduenientе Messiæ generatione animæ ex captiuitate inferni liberabunt, & ad patriam cœlestem, à qua propter Adæ peccatum expulsi fuerant, ipso Messia duce reuertentur. Hæc ille. Arbitror autem admodum esse temerarium sic cõminisci mysticum sensum, ut historicus in uersum reijciatur. Poterat Galatinus retinere sensum literæ, nisi scrupulosius quàm par sit uerbum Dei ad hoc diuexare uoluisset, ut reiectis omnium aliorum sententijs, suam pro sola germana substitueret. Meo iudicio commodè accipiendum est quod dicit, Reuertentur huc uidendumq; an reuersio illa sit præcise de ingressu terræ Canaan intelligenda, quæ anno circiter quadragesimoprimo postquam de Aegypto essent educti, sub duce Iosue est facta, uel de initio liberationis ac reuersionis, hoc est, de exitu Aegypti facto sub Mose & Aaraone. Non est alienum à consuetudine loquendi, ut reuerti dicatur, qui reuerti cœpit, licet nondum ad terminum constitutum peruenerit. Si quis dicat, anno quinquagesimosecundo liberabitur Germania à tyrannide Hispanorum, nemo sic ineptit, ut de fine tantum liberationis & nõ de principio intelligat. Sic arbitror principium reditus in terram Canaan rectè includi, ubi dictum est à Deo, Quarta generatione reuertentur huc, etiamsi post quartam demum generationẽ promissam fiant terram ingressi, sicuti rectè dicitur, Cras ibo Romam, etiãsi post mensem demum Romam perueniat, qui cras ei se itineri accingit. Non est hæc loquutio, siue quod quartam generationem, siue quod reditũ in terram Canaan concernit scrupulosius diuexanda. Meo iudicio illi simplicius acrectius sentiunt, qui per quatuor hasce generationes quadringentorum annorum tempus intelligunt, & reuersionem interram Canaan ad exitũ Aegypti, tanquam reuersionis principium, referunt, quo in ipso quarti seculi fine reuerti cœpit Israel in terram à Deo patribus ac sibi promissam.

Quomodo hic genus Iosue ut 14. tantum numerentur.

QVAESTIO IIII.

Cineos, Cenezeos, &c.] Quæritur hoc loco, quomodo promittat Deus daturum se posteris Abrahæ terram decem istarum gentium, Cineorum, Cinezeorum, Kedmoneorum, Etheorum, Pherezeorũ, Rephaim, Amorreorum, Chananeorum, Gergezeorum, & Iebuzeorum, cum in ipsa historia Iosue uix nu merantur tantum Amorrei, Pherezei, Cananei, Ethei, Gergezei, Euei, & Iebuzei, septem uidelicet gentes. & Actorũ 13. Paulus dicat, Deus plebis Israel elegit patres nostros, &c. & destruens gentes septem in terra Canaan, sorte distribuit eis terram eorũ, &c. Hic in promissione decem, in historia uerò duntaxat septem gentes recensentur. Minus ergo præstitit Deus Israeli, quam fuerat Abrahæ pollicitus. Desiderantur enim Kinei, Kinezei, Kedmonei, & Rephaim.

B Respondendum est, Promissionem factam esse Abrahæ non tam de gentibus illis, quæ tum terrã Cananaan incolebant, quàm de ipsa terra. Siue autem postea cum Israel terrã hanc ingressus esset, omnes istæ gentes adhuc illam incolebant siue nonnullæ, uel deletæ erant, uel translatæ, nihil decedit promissioni Dei, quandoquidem ipsa terra gentiũ istarum, siue decem, siue septem, per Iosue Israelitis est diuisa, quic quid actum sit de Kineis, Kinezeis & Kedmoneis. Si adhuc in terra illa durabant, aut propter tenuitatẽ & obscuritatem non sunt aliis adnumerati, aut non statim cum aliis in potestatem Israelis uenerunt. Deut. 20. ubi gentes istæ recensentur, sex tantum ponuntur, Etheorum uidelicet, Amorreorum, Chananeorum, Pherezeorum, Eueorum, & Iebuzeorum. Iosue 1. tacitis reliquis omnibus duntaxat Ethei nominantur. A deserto, inquit, & Libano usq; ad fluuium Euphratem, omnis terra Etheorum usq; ad mare magnum, contra solis occasum, erit terminus uester. in præsenti promissione. Ebræi non habent Eueos, qui tamen Deut. 20. & Ios. ultimo, reliquis adnumerantur. Quare non debemus eas gentes, quæ septenarium numerum excedunt, propterea excludere, quod nec Deut. 20. nec Ios. ult. recensentur, & Act. 13. mẽtio sit septem gentium, quasi non nisi septem sint Israeli datæ. id quod nulla scriptura tradit.

OBSERVATIO I.

Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, ut darem tibi terram hanc ad hæreditandum eam.] Considere mus hoc loco, quomodo cum Abrahamo Deus agat, ut illum in fide promissæ terræ confirmet. Quoniam plurimum refert, quid de eo, cui fides haberi debeat, sentiamus, fidem facturus Abrahæ, admonet cum primùm quis sit, deinde quid cum eo fecerit, tertiò, quare, uel ad quẽ finem id fecerit. Quis sit, in eo exprimit, quod dicit, Ego Iehouah, quod idem est ac si dicat, Ego sum uerus ille Deus, solus existẽs, Ens omniũ, unde sunt omnia, sempiternus & immutabilis. Quod fecerit illi, in eo refricat, quod dicit: Qui eduxi te de Vr Chaldæorum, hoc est, qui elegi te mihi, uocaui, segregaui & eduxi de medio nationis prauæ & impiæ. Quò? Ad terram Canaan. Ad quem finem? Id notat, cum dicit: Vt darem tibi terrã hanc ad hæreditandum eam. Hæc inculcantur Abrahæ, ut in fide promissionis confirmetur. Admonemur itaq; nos: quandoquidem ad alendã & confirmandã diuinarũ promissionũ fidem plurimũ habẽt momenti.

Quonodo cũ Abrahamo egerit Deus, ut eum in fide confirmaret

Primùm etiam atq; etiam cogitandum est, quis sit cuius promissiones accepimus. Non est ut homo qui mentiatur, qui fallatur & erret, qui mutetur, & quod hodie uoluit cras mutet. Non est factus aut creatus, qui aliquando non fuerit, & quandoq; desiturus sit, cuius consilia cum tempore cœperint, & tempore finiantur. Non est ex aliquo, non est per aliquem, non est sub aliquo: sed ex seipso, per seipsum, & supra omnia quæ sunt. Quicquid in cœlo est, quicquid in terra, ex ipso est, per ipsum est, in ipso subsistit & constat. Hic est uerus ille Iehouah, uerus Existens, uerus, unicus, sempiternus & immutabilis Deus, omnia condens, omnia seruans, omnia gubernans. Qui sic de illo sentit, nequit non præclarè de promissionibus quoq; illius sentire. Si rectè faciunt in seculo, qui non tam quid dicatur aut promittatur attendunt, quàm dicentis ac promittentis personam considerant, talis ne sit, qui ueritati studeat, qui

Quis sit.

Quid fecerit nobis.

sapientia polleat, & uiribus sit ad præstandum pollicita præditus, quomodo non rectissimè in diuinis promissis primò omniũ cognitiõe promittẽtis Dei ab omni hæsitatiõe ad indubitatã fidẽ animaremur? A

Deinde secundus considerationum istarum gradus in eo est, ut facta Dei erga nos inspiciamus. Sunt illa innumera, siue corporalia siue spiritualia siue catholica, siue particularia & priuata consideremus. Fecit nos, uarijs donis ornauit nos, pascit nos, cõseruat nos, gubernat & nos & omnia nostra. Sunt hæc magna, si perpendantur in se: uerùm si conferantur ad spiritualia & æterna, uix sunt id quod stellæ sunt ad lunam, luna ad solem, sol ad lucem illam cœlestem & inaccessam, quam Deus inhabitat, qualia uidelicet sunt, quod nos ab æterno in Christo filio suo elegit. Ephes. 1. quod per mortem filij sui à peccatis, & æterna morte redemit, quod de potestate ac regno tenebrarũ eduxit, & in regnum filij dilecti transtulit. Quæ huiusmodi sunt, omnem humanæ rationis sensum excellunt. De illis cogitemus, & cogitatione huiusmodi fidem cordis nostri alamus.

Ad quem finem beneficia dirigantur.

Tertiò. Non subsistamus in hoc secundo, sed ad tertium considerationũ istarum gradũ subnitamur, ut non solum facta Dei, sed & rationem ac finem illorum perpendamus. Elegit nos. Ad quid? ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius. Prædestinauit nos. Quorsum? In adoptionẽ filiorum, & laudum gloriæ gratiæ suæ. Ecce propositũ uoluntatis eius. Eduxit nos de potestate inferorũ. Ad quid? Vt nos in regnum filij sui transferret, in quo est & remissio peccatorum & redemptio, & uita, & sempiterna felicitas. Mortuus est. Propter qd? Propter peccata nostra, ut uiuamus in ipso. Resurrexit: Quare? Propter iustificationem nostri. In cœlos ascendit. Ob quam causam? Vt interpellet pro nobis, mansiones q; cœlestes paret, & omnibus quæ in cœlo sunt & in terra dominetur. Incredibile est, quantum roboris fidei nostræ adferant huiusmodi considerationes, si sint seriæ & quotidianæ, quibus de Deo, & operibus eius, de q; proposito uoluntatis illius tanquam ratione & fine operum fideliter admonemur.

OBSERVATIO II.

Credũt Deo sancti, uerùm adhuc imperfectè, et nõ mox in omnibus.

At ille ait, Domine Deus, unde scire possum, quòd possessurus sim eam?] In eo quòd Abram, iam promissioni Dei de futuro suo semine credens, eam q; ob fidem iustificatus, in altera promissione de possessione terræ Canaan facta adhuc hæsitat, & quòd possessurus sit eam certo documento instrui cupit, obtinendũ uenit, etiã sanctos uiros, fideles ac iustificatos sic imbutos esse fide, ut adhuc hæsitationibus fieri possint obnoxij, quærãt q; de certa scientia rerũ, ubi fide sola ueritati est promittentis Dei innitendum. Sic nihil est ex omni parte perfectum in quoquam mortalium, quantumuis sancto & pio. Credunt Deo sancti, sed non satis perfectè, & non statim in omnibus, quæ fidem requirunt indubitatam. Capiunt intellectum, ad obsequium fidei: uerùm accidit subinde, ut rationi magis quàm diuino oraculo attendentes dicant, Vnde scire possum, quòd certò futurum sit, quod promittitur? Deniq; etsi non dubitant ueraces esse promissiones Dei, uexantur tamen curiositate cognoscendi modos & rationes eorum quæ promittuntur. Timent Deum, diligunt Deum, colunt Deum, sed haud semper & in omnibus iusta, imò ne pari quidem pietatis mensura. Videre licet, in uno fortes ac strenuos, in alio remissiores esse, ac deficere. Dauid timebat Dominũ, ideo q; manum in Christum Domini mittere detrectabat. At cum spiritu libidinis & adulterij tentaretur, plurimum à timore Dei deficiebat. Huiusmodi consideratio reddat nos cautos, ne omnia perfecta & perpetuò constantia in sanctis requirẽtes, uel infirmitate illorum offendamur, uel propter nostros defectus desperemus. B

Animus sanctorum erga Deum sincerus est, non subdolus.

Deinde & illud obserua, quòd hæsitationem suam non celat aut dissimulat, sed in conspectu Dei diserte expromit, dicens. Domine Deus, in quo cognoscam quòd possessurus sim eam? Subdolum est cor hominis ingenium, ut ubi credendum esse intelligit, hæsitationem suam premat: & quamuis non credat, fidẽ tamen simulet. Sii profundum est cor hominis, & hypocrisi putidissima infectum. Sancti uerò, infirmi esse & hæsitare possunt: simulare uerò quod non sunt. & dissimulare quod sunt, in conspectu Dei non possunt, quem cordiũ sciunt esse scrutatorem. Et alioqui sic sunt animati, ut ueritati studeant ex animo. Hæc est sanctorum sinceritas, hic candor, cùm erga Deum tum erga homines. Hæc est illorum fiducia; qua sese totos, etiam hæsitantes ac deficientes, in sinum diuinæ bonitatis infundere haud quaquam uerentur. Ab huiusmodi ingenio alienissimi sunt filij huius seculi, sapiẽtes, prudẽtes, iustitiarij, & hypocritæ.

OBSERVATIO III.

Et respondit Dominus: Sume mihi uaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoq; & columbam.] Annotarunt hoc loco quidam, esse animalia ista non ad sacrificium, sed ad fœderis confirmationẽ usurpata. Meo iudicio, nõ satis discriminãt inter uulgarem pacisceṅdi ritũ, & hũc quem Dominus cũ fideli suo Abraham usurpare uoluit. Animalia quæ fœderi huic accõmodata sunt, de mundis sunt, & ad sacrificia destinatis, id quod ab ethnicis non est obseruatum. Romani nam q; porcam, animal immundum, ad confirmandum fœdera mactabant. Quis autem non uidet uim habere sacrificij, q munda hæc animalia iussu Dei ad fœderis robur statuendum sunt usurpata? præsertim cum non simpliciter dixerit, Sume uaccam triennem, & capram trimam, &c. sed, Sume mihi uaccam triennem, ut de sacrificij religione admoneret. In eo igitur qnòd fœdus inter Deum & Abraham sacrificio est firmatũ, figura præcesit eius fœderis, quòd Deus non pecudum, sed Christi filij sui, sacrificio & oblatione ad salutem generis humani instituit ac firmauit.

Figura sacrificij Christi.

Consortium diuinæ fœderis pertinet ad omnes gentes.

Deinde quòd non unius duntaxat, sed uariorum generum animalia sacrificio fœderis huius adhibuit, typum habet, in quo præfiguratum est, non unam duntaxat gentem, sed de omnib. quos Deus spiritu suo mundat, fœderis huius fieri consortes. Vide Aug. lib. Serm. de tempore, serm. 54.

Tertiò,

A Tertiò, quod in Hebræo est משלשת, si legaī triennem, documento sit, ad sacrificia Domini accommoda esse matura & firma, non immatura, & quæ minoris sint momenti. Si uerò legatur triplicatam, id est, tres uaccas, tres capras, & tres arietes, referatur ad mysterium S. Triadis, propter quam numero Deus impare gaudet. Vide Aug. loco iam citato.

Quartò, quòd quadrupedibus adiuncta sunt uolatilia, documento est, & terrena & cœlestia Domino esse consecranda. Etenim non incōmodè per quadrupedia terrena, & per uolatilia cœli spiritualia ac cœlestia significaī. Quoniam uerò sacris non quæuis terrena, neq; quæuis cœlestia & spiritualia, sed munda duntaxat competunt, rectè hoc loco non coruos & id genus alia uolatilia, sed turtures & columbas usurpauit, uolucres innoxias, placidas ac simplices. Alioqui sunt cœlestes spiritus nequam & immundi, sunt spiritus in hominibus quoq; mali ac reprobi, quibus nihil cōuenit esse cōmercij in sacris d. fœderis.

Et cœlestia, & terrena Domino esse cōsecranda.

OBSERVATIO IIII.

Qui tollens uniuersa hæc, diuisit ea per medium, & utraſq; partes contra se altrinsecus posuit. Aues aūt non diuisit.] Quod historicum sensum concernit, considerandum est quid sibi uelit ritus iste diuidendorum pecorum, quo in sanciendis fœderibus usa est antiquitas. Primùm potest hinc considerari, q̄ sint ex æquo diuidenda fœderis cōmoda. Qui fœderis uinculo coniunguntur, sic debent inuicem esse animati, ut parati sint ad diuidendū cum socijs quæuis cōmoda & emolumenta. Qui secus animatus est, planè ineptus est ad hoc genus societatis.

Diuisio animalium quid significarit.

Deinde & illud significabatur, quemadmodū in frusta secabantur pecudes, sic fore secandū eum qui uinculum fœderis uiolasset ac scidisset. Tale quid factum est à Saule, 1. Sam. 11. cum duos boues in frusta dissectos in omnes terminos Israelis per nuncios misit, dicens: Quicunq; non exierit, & sequutus fuerit Saulem & Samuelem, sic fiet bobus eius.

Tertiò, quòd partes sic sunt locatę, ut sese mutuò respicerent, mutuum notat confœderatorum respectum, & correspondendi studium, sine quo non poterit confœderationis immota permanere societas. Nota sunt huius rei exempla, non ueterum modò, sed & nostri seculi.

Quartò, quòd aues non sunt diuisæ, sed integræ seruatæ, id opinor innuebat, non omnium diuisionē admittendam esse confœderatis, sed esse quædam integra & illibata seruanda. Externa rectè diuidunt, siue substantiæ, siue personæ: animos uerò confœderatorum, ueluti uolucres, conuenit retineri integros & coniunctos, non diuisos ac separatos. Etenim idem uelle, idemq; nolle, ea demum est animorū ac uoluntatum integritas, per quam etiam quæ aliàs diuisa sunt ac separata, firmissimè connectuntur.

Quòd aues non sunt diuisæ.

B Hæc de historico sensu. Mysterium ueri & unici sacrificij Christi, quo æternū fœdus inter Deum & genus mortalium confirmatur, etiam in hac diuisione animalium suos typos habet. In sacrificij huius sacramento rerum fit externarū rerum partitio, panis uidelicet, & uini, quæ singula sunt mystica rerū spiritualium. Ipse uerò Christus tanquam res sacramentalium signorum, non diuiditur, sed integer perse uerat in seculum. Sic canunt, Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur. Et de Consecr. dist. 2. c. Inuitat Dominus. hæc ex August. citantur: Norunt fideles quem admodum manducent carnem Christi. Vnusquisq; partem suam accipit. Per partes manducatur, & manet integer ac totus. Per partes manducatur in sacramento, manet integer ac totus in cœlo, manet integer & totus in corde tuo. Et Cyprianus in Serm. de cœna Dñi: Hæc quoties, inquit, agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus & partimur, dum quod diuinū & humanum est distinguimus ac separamus: itemq; simul separata iungentes, unum Deum & hominem confitemur. Hæc ibi. Quin & fideles, quantumuis diuersis sint à se inuicē conditionibus separati, in ipso tamen Christo, summo nostro & unico individuo fidei, spei, dilectionis ac spiritus unitate coniungimur & integri permanemus. Quàm aūt deploranda est Romanæ ecclesiæ insania, quæ externorum rituum conformitatem & unitatem urgens, ferroq; & igne extorquens, aues diuidit: id est, animorum coniunctionem in uera fide ac pietate dissoluit? Quanto satius erat, diuersitatem rituum, secundum Ecclesiarū uarietatē non impugnare, sed sic moderari, ut quantūuis ceremonijs externis à se inuicē diuisæ sunt ecclesiæ, fide tamen ac spiritu Christi, ueraq; philadelphia ueluti diuersa unius corporis membra inter se coadunatæ, inuiolatam retinerent animorum ueluti auium, integritatem & unitatem? Vidit Augustinus malum hoc iam suo tempore diuexare ecclesias, quare epist. 86. sic scripsit: Interminabilis est ista contentio, generans lites, non finiens quæstiones. Sit ergo una fides uniuersæ quæ ubiq; dilatatur Ecclesiæ, tanquam intus in membris, etiamsi ipsa fidei unitas quibusdā diuersis obseruationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide uerum est impeditur. Hæc ille.

Christus non diuiditur.

De mysterio sacrificij Christi.

OBSERVATIO V.

Descenderuntq; uolucres super cadauera, & abigebat eas Abram.] Obserua imaginem eorum quæ uentura erant Israeli. Quemadmodum pecudes mactatas & diuisas impetierunt aues immundæ & carniuoræ, cadaueribus natura sua inhiantes, ita futurum erat, ut impiæ gentes Israelem tribulationibus affli ctarum, uelut lacerandi ac deuorandi gratia impeterent. Aues illæ immundæ sacrificio fœderis inhiantes, typi erant omnium earum gentium, quæ tanquam alienæ à Deo hostiliter erant populum fœderis Dei infestaturæ. Deinde, quòd aues illas immundas abegit Abram, innuebat non defuturam populo fœderis protectionem diuinam aduersus nationes impiorum, propter Abrahamum seruum Dei. Hæc aūt non sic sunt consideranda, quasi ad carnalem duntaxat pertineant Israelem. Etenim planè eadem accidunt omnibus fidelibus in hoc seculo ad finem usque mundi, quibus insidiantur spiritus immundi,

Imago eorū quæ futura erant Israeli.

Protectio populi Dei aduersus impios.

& impuræ uolucres. Verùm habemus Abrahamum, diuini fœderis conciliatorem Christum Dominũ cuius diligentia & fide protegimur.

Immundæ uolucres regni Antichristi.

Non possum hic obliuisci immundarũ planè uolucrium, quæ sacramento unici sacrificij Christi auditissimè insident, ac sacrosancta mysteria turpissimè conspurcant. Videas hic ueluti coruos, picas, nucifres, aquilas, & uariorum generum harpyias, de montibus Antichristi & collibus Babyloniæ secundæ aperto rictu aduolare, & pinguem, ut uocant, Christi panem uorare. Vtinam tandem sic abigantur, ut in sempiternum nunquam reuertantur.

OBSERVATIO VI.

Reuelatiões rerum futurarum sub figuris qualitati illarũ conformib. tradũtur

Cumq; sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum, dictumq; est ad eum, &c.] Quòd oraculum Dei non uigilanti, sed obsoporato, & in ecstasim rapto, post solis occasum propositum est, conueniebat primũ personæ Abrahæ, qui in hac causa hæsitabat, & oculis fidei nõnihil clausis dormitabat. (Quare ut mente excitaretur & illustraretur, corpore obsoporatur. quemadmodũ & Paulo contigit, qui ut mente luce fidei illuminaretur, corpore excæcabatur. Act. 9.) Deinde & naturæ earum rerum quæ illi erant aperiendæ, unde & horror & caligo maxima accessit. Commodum graues, tristes & horribiles sub tenebris nocturnis, horrore, & graui ecstasi pronunciabantur. Admonemur quàm cõuenienter tradantur futurarũ rerum reuelationes ac uisiones, sub imaginibus qualitati illarũ conformibus. Tristia nanq; tristibus, & læta lætis figuris reuelant. Grauia erant & tristia somnia, quæ Babyloniorũ regi, Dan. 2. & 4. itẽ Pharaoni Aegyptio, infrà cap. 41. de rebus utiq; grauibus ac tristibus immittebant. Consideranda est hac in re diuina prouidentia, quæ mentes fidelium non solũ instruit de futuris tribulationibus, sed & gustum quendam illarum sub umbris & inuolucris experiri facit, quo sese rectius illis accõmodent. Nam iacula præuisa minus feriunt.

OBSERVATIO VII.

Admiranda prouidẽtia Dei dispositio.

Sciendo scias quòd peregrinũ futurũ sit semen tuum in terra nõ sua, & subijcient eos seruituti, & affligent eos 400 annis.] Considerandum hic est, quæ sit prouidentiæ Dei, & quàm admiranda dispositio, qua salutẽ ac res populi sui dispensat. Destinauerat posteris Abrahæ terræ Canaan possessionẽ, uerùm hanc sic ordinauit, ut seruitutem & afflictiones experirenti, priusquam in terram promissam introducerent. Voluit eos primùm in terra aliena, quasi in stadio disciplinæ ac palæstræ exerceri, ac tum demũ possessione terræ promissæ potiri. Res enim prosperæ haud feliciter cedunt illis, qui nullis sunt afflictionum certaminibus exercitati. Quare quemadmodũ uir prudens rerum suarum opulentiam filio suo quidem tam quam hæredi destinat, usum tamen ac possessionem hæreditatis haud prius illi permittit, quàm omnis fit generis labores expertus, nõ ꝙ illi bona sua inuideat, sed quòd cauere statuit, ne si sit homo ignauus, ac nullis laboribus exercitatus, omnia dilapidet & inaniter absumat, sic planè suos instituit Deus, ut acerba gustent, priusquam ad dulcia perueniant, crucem & afflictiones perferre discant, antequam destinatam felicitatem consequantur. Sic priores sunt passiones, ac posteriores gloriæ: sic labores terminantur in requiem, & acerbitas crucis dulcedine subsequentis felicitatis mutatur.

Qualis labores Israeli prædicantur.

Miseria peregrinorum.

Deinde obseruandum est, quales sint illi labores quos semini Abrahæ futuros prædicit. Peregrinũ, inquit, erit semen tuum in terra non sua. Peregrini hominis magna est miseria. Primùm, ignarus est omnium, rerum, morum, hominum, locorum. Viuit inter alienos perinde ac si in tenebris quisquam degat. Dum se putat uiuere inoffense, per imprudẽtiam impingit, & offendit indigenas priusquam intelligat, & quod omnium est pessimũ, non inuenit à quo moneatur. Deinde ægrè se accõmodat moribus alienis & insuetis, etiam si illos abundè satis intelligit. Difficile namq; est cõsueta relinquere, & patrios mores simul & linguam transformare. Tertiò, etiamsi tandem assuescat moribus gentis, perpetuò tamen habetur pro alieno & extraneo, & uix per omnem uitam aliquid certæ familiaritatis ac fiduciæ consequitur. Dum leuiter lædit, uehementer peccat, & difficile reconciliatur. Dum læditur, læditur impunè à malis. Quartò, nullo gentis iure gaudet. Omnia debentur gratiæ, quòd toleratur & nõ ejicitur, quòd aliquis ad manendum locus cõceditur, quòd operari unde uiuat permittitur, quòd à cõmuni foro non excludit. Hæc omnia peregrinis hominibus accidunt. Deinde: Et subijcient eos, inquit, seruituti. Hoc est alterum incommodum. Parum est, quòd peregrino non patent gradus ad imperandum indigenis, etiamsi sit illis multo sapientior ac dexterior. Subijcitur etiam seruituti. Hoc sunt ingenio homines indigenæ, ut nescio quo sibi iure dominiũ uendicent in aduenas & peregrinos. Hinc seruitus, qua peregrini hominis miseria duplicatur. Huius quanta sit acerbitas, præsertim homini ingenuo & honesto, sine experientia non intelligitur. Graue admodum est seruitutis iugum, quo ad libidinem dominantium omnis uita seruientium astringitur. Quid enim aliud est seruire, q̃ uoluntati ac iussis dominantium in omnibus esse obnoxium, adeoq; non sibi ipsi, sed ei cui seruitur uiuere? Tertiò, Et affligẽt eos, inquit. Hæc est triplicatio mali. Ipsa seruitus per se satis est molesta. Intendit itaq; illius molestia inhumanitate dominantium, qua quos seruiliter habent subiectos, singulariter etiam affligunt ac proterunt. Quartò; Annis, inquit, 400. Seruitutis prolixitas plurimũ & ipsa adijcit ad cumulũ miseriæ. Sic enim comparatum est, ut dum affligimur, omnis mora, quantumuis in se succisa & breuis, longa uideat & molesta.

Imago eorũ quæ filijs Dei cõtingũt in hoc seculo

Iam cogita mihi de consilio Dei, quo Israelẽ exilio, seruitute & afflictionibus primũ macerare & humiliare uoluit, ac tum demum in terram promissam inducere. Sic cõstituit & reliquis filijs suis, ut peregrini sint in hoc seculo, priusquam ad cœlestem patriam admittantur: deinde non regnent, sed seruiant in mundo, antequam ad regnũ cœleste perueniant: adhæc, non uiuant in delicijs, sed sub pressura & adflictionibus, quo sensu peregrinationis & seruitutis adacti suspirent ad cœlestis patriq; requiẽ ac libertatẽ.

A Harum rerũ imago, ſicuti præſenti oraculo Dei prędictũ eſt, in Iſraele præceſſit: in qua uidere licet, quid ſperandũ ſit nobis in hoc ſeculo, ſi ad ſemen Abrahæ, populũ electorũ ac fideliũ pertinere uoluerimus.

Adhuc & illud animaduertendũ eſt, ꝙ nõ ſimpliciter dicit, Peregrinũ futurũ eſt ſemẽ tuũ, &c. ſed præmittit, Sciendo ſcias, admonẽs uidelicet, ſummopere neceſſariũ eſſe fideli homini, & promiſſionib. gratiæ credenti, ut non ſolũ quæ proſpera ſunt ſperet, ſed & certò abſq; omni dubitatione perſuaſus ſciat, multa eſſe ferenda incõmoda, priuſquã ad ſcopũ promiſſorũ Dei pertingat. Hanc ſcientiæ iſtius certitudinẽ nõ ob id tantũ requirit à ſuis Deus, ſed ꝙ admodũ utile eſt, harũ non eſſe nos ignorantes, ne dum omnia ſperamus proſpera, ubi triſtia ingruunt, à fide promiſſorum Dei deficiamus. Hoc conſilio & Chriſtus Apoſtolis ac diſcipulis diligentiſsimè quæ futura ipſis erant aduerſa prædixit, ſicuti in Euangelicis lite ris uidere licet.

Non ſolum proſpera, ſed & aduerſa ſunt certo cognoſcenda.

OBSERVATIO VIII.

Veruntamen gentem cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, & poſthæc egredientur cum magna ſubſtantia.] Primũ obſerua, nõ cadere impunè omnibus illis qui populũ Dei ſeruitute premunt, etiamſi hoc ſecundũ æternæ prouidentiæ Dei conſilia fiat. Minatur iudicium ſuum Deus genti Aegyptiorũ, propterea quòd ſeruituti erat Iſraelem, ſemen Abrahæ ac populũ fœderis ſubiectura, tametſi ſic eſſet ab æterno diſpoſitum diuinitus, ut poſteri Abrahæ ſeruitute illa exercerẽt, priuſq; terram promiſſam ingrederẽt. Videmus hoc exemplo, utrumq; eſſe prouidentiæ Dei legibus cõprehenſum, tam iudicium reproborum, qui populum Dei opprimunt, q̃ exercitium piorũ, quo ſeruitute in hoc mundo, ueluti diſciplina quadam eruditur & exercentur.

Iudiciũ Dei manet eos qui populum Dei affligũt

Deinde animaduertendũ eſt, quòd non dicit, Gentẽ cui ſeruituri ſunt iudicabo. Non ſumus iudices eorũ qui nos in hoc ſeculo affligunt, ſed iudex illorum in cœlo eſt, qui hic dicit: Ego iudicabo. Et alibi, Mihi uindictam, & ego retribuam. Noſtrum eſt, uel ſecundum admonitionẽ Chriſti ſeruatoris noſtri, in patientia poſſidere: & quod reliquũ eſt, iuſto iudici cum lacrymis & gentibus humiliter & incunctanter cõmendare. Loquor aũt de fidelibus tanq̃ de priuatis, non tanquam de principibus & magiſtratibus, quorũ poteſtati gladius eſt malorũ uindex à Deo commendatus.

Non eſt noſtrum ſed Dei, iudicare reprobos.

Tertiò, & illud conſideremus, ꝙ pœnas de Aegyptijs poſt annos quadringentos ſumendas uocat iudicium, dicens: Gentem cui ſeruituri ſunt ego iudicabo. quod idem eſt ac ſi diceret, Ego meritis pœnis afficiam. Erat ea gens iam tum ſecundum æternam iuſtitiam Dei iudicata, uerùm iudicanda prædicitur, quando pœnas erat impietatis ſuæ ſecundum iudicij Dei ſeueritatem datura. Eſt ergo iudicij Dei duplex conſideratio. Vna, quatenus iudicati ſunt ab æterno omnes in uniuerſum impij
B ac reprobi, quo Chriſtus reſpicit Iohannis tertio, dicens: Qui non credit, iam iudicatus eſt. Altera, quatenus ab æterno iudicati reprobi ſuis temporibus pœnas exiguntur impietatis, & ſecundum diuini iudicij conſtitutionem uel temporaliter uel in ſempiternum puniuntur. Tum enim ueluti pro tribunali ſedens ſententiam iudicij ſui Deus in reprobos tuliſſe uidetur.

Duplex iudicij Dei conſideratio

Quartò: Et poſthæc, inquit, egredientur. Obſerua, egreſſum eſſe populo Dei deſtinatum, quo ſeruituti eximatur. Qui ſeruitutem & afflictiones populo ſuo deſtinat & prædicit, idem illi ſimul deſtinat, prædicitq; etiam exitum ac liberationem. Hæc eſt prouidentiæ Dei bonitas & fides, quam nobis cõmendat Apoſtolus, 1. Cor. 10. dicens. Fidelis eſt Deus, qui non patietur uos tentari ſuprà quàm ferre poteritis, ſed unà cum tentatione faciet etiam exitum.

Egreſſus è ſeruitute deſtinatus. populo Dei.

Quintò, ſimul & illud obſeruemus, quòd non ſimpliciter dicit, Egredientur: ſed præmittit, Gentẽ illam cui ſeruituri ſunt ego iudicabo: actum ſubijcit, Et poſthæc egredientur. Ergo non eſt nobis ullus de malis & afflictionibus ſperandus exitus, niſi interuentu iudicij Dei. Iudicium Dei non ſolum ultio eſt impiorum, ſed & liberatio piorum. Niſi iudicet Deus oppreſſores piorum, non patebit exitus de ſeruitute & afflictionibus, quantumuis ad liberationem aſpiremus.

Liberatio à malis cum iudicio Dei fit.

Sextò, nec illud tranſeundum eſt, quod addit, Magna cum ſubſtãtia. Admonemur de fructu & emolumento afflictionum. Iſrael non eſt nudus, inops & calamitoſus, ſed cumulatus opibus cum gaudio, & felix de ſeruitute Aegypti egreſſus. Exemplum proponitur, in quo declaratum eſt, quomodo tribulationes et afflictiones neminem pium deſolatum & nudum à ſe dimittant, ſed multis opibus cumulatum reddant: perinde ac ſi de ſchola diſciplinæ literariæ iuuenis quiſquam cum magna eruditionis ſubſtantia bene exercitatus, & liberalibus artibus inſtructus egrediatur. Sic utilitatem crucis & afflictionum prædicat Apoſtolus, Hebr. 12. dicens, Omnis diſciplina in præſenti quidem uidetur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea uerò tranquillum iuſtitiæ fructum reddit iis qui per illam fuerint exercitati. Sic Dauid magis profuit exilium, quàm quies & ocium. De exilio egreſſus eſt ad regnum, præclaris fidei ac patientiæ uirtutibus ditatus.

Fructus & emolumentum afflictionum.

OBSERVATIO IX.

Tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona.] Conſiderandũ hic eſt, quomodo animũ Abrahæ Deus ab omni metu quo tenebatur, hac promiſsione liberet, ꝙ in pace eſſet, ac bona ſenectute moriturus: qua conſolatione ueluti declarat, quid uoluerit ſuprà, cum diceret, Noli timere Abram, ego clypeus tuus. Magnum eſt hominem Dei, res periculoſas in terra aliena obeuntem: deinde opibus etiam inſigniter in gente extranea cumulatum, nõ modò ad bonam poſſe pertingere ſenectam, ſed & in pace ad ipſum uſq; ſepulchrum perdurare. Virtus hæc eſt diuinæ protectionis.

Magnum eſt uirum pium inter extraneos & impios ad iuſtam poſſe peruenire ſenectam.

Deinde uidemus hoc Abrahæ exemplo, non eſſe à prouidentia diuinæ gratiæ alienum, ſi quis pius in hoc ſeculo uiuat, ac moriatur in pace, quum tamen communi rerum curſu ſic accidat, ut pij in hac

uita affligantur. Posteri Abrahæ, populus uidelicet Dei, seruitute fuut & afflictionibus plurimũ grauati, ipse uerò Abrahàm ad bonam usq; senectam in pace seruatus. Non debemus propter hanc diuersitatem siniſtrè iudicare de pijs, quasi non sint in gratia Dei, quibus hoc diuinitus datur, ut in pace niuant, & tranquillum rerum statum ad mortem usq; retineant.

Mori ambulare est.

Mors nihil habet insoliti.

Tertiò obserua, quòd cum dicendũ esset, Tu aũt morieris in pace: dixit, Tu autem ibis ad patres tuos in pace. Ergo mori, ambulare ac migrare est. Qui moriunt, corpore nusquam ambulant: necesse est igitur ut ambulent spiritu. Adhæc cum dicit, Ad patres tuos, admonet nos, quàm nihil habeat hæc migratio, quæ per mortem fit, quod fit fugiendum, aut insolens, quandoquidem per illam imus ad consortiũ patrum nostrorum, qui & ipsi consimili modo ad suos maiores migrarunt ex hoc seculo.

OBSERVATIO X.

Afflictiones piorum determinatum tẽpus habẽt

Generatione aũt quarta reuertentur huc. Nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, usq; ad præsens tempus.] Principiò, in eo quod suprà dixit, Affligent eos quadringentis annis: & hic, Generatione quarta reuertentur huc, admonemur quemadmodum pij haud affliguntur fortuitò, sed iuxta cẽsilium Dei, ita afflictiones quoq; eorum certum habere quoddam ac determinatum tempus, cuius determinationem diuinæ debemus cõmittere prouidentiæ. Huius rei euidentiam in eo quoq; deprehendere licet, quòd Hieremias Israelem in Babylone annos 70. captiuum fore prædixit. Huc quoq; pertinẽt quæ in Daniele & Apocalypsi Ioannis de temporum determinationibus prædicta leguntur. Vsqueadeò nihil accidit fortuitò fidelibus, ut temporum quoq; momenta seruitutem & afflictiones illorum concernentia certò sunt ab æterno determinata.

De reditu Israelitarum ad terrã Chanaan.

Deinde in eo quod dicit, Reuertentur huc, illud cogitandum est. Loquitur de semine Abrahæ, populo Israelis, prædicitq; futurum, ut quarta generatione ad terram Canaan reuertantur. Iam certum est, eos qui Aegyptum egressi sunt, & in terram Chanaan introducti, haudquaquam fuisse in terra Chanaan, priusquam in illam sub Iehosua introducerentur. Etenim qui de terra Canaan cum Iacobo Aegyptũ fuerãt ingressi, uniuersi sunt in Aegypto mortui: qui uerò de Aegypto per Mosen educti sunt, nati erant in Aegypto. Qu õergo ad terram Chanaan posteri Abrahæ quarta generatione reuersuri prædicuntur, cum qui in Aegyptum ex illa descenderunt, in Aegypto sint mortui: & qui Aegyptũ sub Mose egressi sunt, antea in terra Chanaan nõ fuerint, mirumq; uideri possit, quomodo reuerti dicatur quisquam ad terram, quam antea non uidit. Est enim reuerti eorum, qui ad locũ unde egressi sunt, aliquando regrediuntur, non eorũ, qui aliquò peruenium, ubi antea non fuerant. Admonemur hac cogitatione, B ut perpendamus quantum discriminis sit inter cœlestia bona, & ea quæ in hac terra populo Dei diuinitus dispensantur. Terrena bona temporum sunt cursui subiecta, & non possunt uniuersis ad populum Dei pertinentibus hominibus reipsa pariter contingere. Terra Canaan promissa erat ipsi Abrahæ ac semini eius. Et tamen possessio illius nec Abrahæ contigit, nec illis eius posteris, qui in Aegypto obdormierunt, ut eos taceam, qui per annos 40. in solitudine perierunt. Quòd itaq; hic futurum prædicitur, ut semen Abrahæ ad terram Chanaan reuertatur, ad illius referendum est integritatem, qua non solũ sanguinis, sed & diuini fœderis unitate sic inter se in unum est populum, ueluti corpus, inde ab initio ad finem usq; coniunctum, ut quicquid uni illius parti contingit, ipsi semini Abrahæ ac populo Israelis contigisse dicatur. Cœlestia uerò bona sic sunt comparata, ut populo electorũ non ex parte tantum, sed uniuerso contingant, ut omnia & singula illius individua felicitate eorum potiantur, quocunque seculo nascantur, & quandocunq; ex hac misera & seruili Aegypto educantur.

Quantum discriminis sit inter cœlestia bona et terrena.

Habet iniquitas incremẽtum suũ et plenitudinem.

Tertiò. Necdum enim completæ sunt, inquit, iniquitates Amorrhæorum. Obseruemus hic, esse incrementa & gradus iniquitatis, quibus ad plenitudinem illius ascenditur. Amorrhæi nondum ad suprẽmum malitiæ gradum peruenerant. Erant tamen suis peruenturi tẽporibus. Neq; enim dicit, Non complentur: sed, Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Admonemur, quid expectandum sit illis, quorum malitia non decrescit, sed quotidie augescit, & ad plenitudinis maturitatem hoc uelocius exurgit, quo magis abiq; ulla resipiscentia in peccatis pergunt. Mensura quædam determinata est, secundum quam plenitudo malitiæ illorum censetur. Non sic est comparatus malitiæ cursus, ut nulla mensura comprehensus, extendi possit in infinitum, sed certæ cuiusdam mensuræ plenitudini subiectus, & finem peccandi & iustam diuini iudicij ultionem expectat.

Diuinæ patientiæ clementia.

Quartò, uidemus etiã hic, quæ sit diuinæ patientiæ clementia & longanimitas. Poterat gentes terræ Chanaan iam tum propter illarum impietatem eijcere: uerùm patienter eas tot seculis tulit, donec malitiæ suæ plenitudine impiorum cordium impœnitentiam prorsus testataram reddidissent. Ad hunc modum & prioris seculi corruptionem non est statim ultus, sed quamuis uniuersa caro uias suas corrupisset, annis tamen adhuc centum uiginti meritam ultionem distulit. Hæc patientia Dei quo magis ad pœnitentiam uocat, hoc grauiori iudicio ad iniquitatis plenitudinem usq; impœnitentes reddit obnoxios: qua de re uidere est Rom. 2.

Quanta sit opus patientia pijs hominibus.

Quintò. Cogitemus etiam hic, quanta sit opus patientia pijs hominibus in afflictione constitutis, qua interea dum reprobi iniquitatis suæ mensuram nondum satis impleuerunt, malorum libidinem & iniquitatem patienter ferant, donec tempestiuum fiat ut et illi puniantur, & ipsi liberentur. id quod ut exemplo Israelitarum uidere licet, qui in seruitute & afflictionibus tantisper detenti sunt, dum Amorrhæi mensuram iniquitatis suæ complessent.

Sextò

A Sextò. Quod Amorrhæos concernit, quorum hic iniquitates nondum completæ dicuntur, cogitandũ est fuisse illos reliquis terræ Chanaan gentibus peiores, quandoquidem ubi de iniquitatibus nondum completis agitur, ipsi soli nominatim exprimuntur. Et tamẽ inter illos reperti sunt, qui fœdere sese iungerent Abrahæ, & officia bonorum uirorum etiam cum periculo connuncta præstarent. Sic inter pessimos etiam boni aliquos reperiuntur. Nulla tam mala & impia gens est, quæ non habeat in se pios aliqs & bonos homines. Quare cauendũ est, ne integram aliquam gentem in uniuersum damnemus, ne unà cum malis bonos aliquos, etsi paucos, Deo tamen charos reprobemus.

Inter pessimos etiam boni aliqui reperiuntur.

OBSERVATIO XI.

Cum ergo sol occubuisset, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & fax ignis transiens inter diuisiones illas.] Obseruandum est, quàm conuenienter hæc uisio rebus sit attemperata futuris. Primùm, post solis occasum facta est tenebrosa caligo. Deinde, in ipsa caligine apparuit clibanus fumans. Tertiò post fumum flamma ignis sequuta est. Quartò, flamma ignis transiuit inter diuisiones animalium.

Quomodo uisio hæc rebus futuris sit attemperata.

Quòd post solis occasum nõ simpliciter qualiscunq; nox, sed densa & tenebricosa caligo sequuta est, innuebat futurũ semini Abrahæ, ut post occasum Iosephi, quem ueluti solem quendam in Aegypto habituri erant exoriretur, crassa quædam rerũ tristium caligo. Donec enim ille in uiuis fuit, omnia prospere cesserunt Israelitis. Post occasum uerò illius cœperunt à Pharaone cui Ioseph nõ innotuerat, grauissimè premi & affligi: qua de re uidere licet Exod. 1.

Quòd in caligine illa clibanus fumans apparuit, futurum significabat, ut graui seruitute pressi, molestijs laterificij attererentur. Vnde & seruitus illa fornax ferrea in scripturis uocatur, sicuti Deuter. 4. 1. Reg. 8. & Hierem. 11. uidere licet.

Quòd fax ignis apparuit, imaginem habebat sequuturæ liberationis. Quemadmodũ enim molestiam fumi flammæ alacritas excipere solet, ita seruitutem Israelitarum sequutura erat libertas.

Quòd fax ignis per diuisiones animalium transiit, ad confirmationẽ fœderis, earumq; rerum, quæ futuræ innuebantur, faciebat. Admonemur itaq; de prouidentia illa Dei, quæ sic omnia populi in gratiam assumpti disponit, ut nihil illis accidat fortuitò, nihilq; eueniat ex improuiso, de quo nõ certa præcesserint uel uaticinia, uel adumbrationes. Deinde considerandum proponitur, quomodo sub specie fa cis ardentis transeundo fœdus cum Abraamo institutum confirmarit. Quòd huiusmodi transitionibus confirmari consueuerint fœdera, ex 38. capite Hieremiæ uidere licet. Israelitarum seniores, principes, sacerdotes cum uniuerso populo solebant inter diuisiones mactati uituli transire, et hac ceremonia fœdus
B cum Deo initum confirmare. Verùm huiusmodi confirmatio, quæ fiebat humanitus, parum erat constans & solida. Hic uerò non Abraham, sed Deus ipse in specie ignis per mediũ diuisarũ partium transiisse scribitur. Ea demum erat certa & inuiolabilis confirmatio pacti. Quamuis Israelitæ pactis non steterint, ipse tamen fœderis huius autor Deus, quod pollicitus est, inuiolata prorsus ueritate præstitit. Admonemur hac consideratione, ut inter diuinas & humanas fœderum confirmationes distinguentes, illis infallibilem ueritatem, istis uerò summam tribuamus incertitudinem.

OBSERVATIO XII.

In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens, Semini tuo dabo terram hanc, à fluuio Aegypti usq; ad fluuium magnum Euphratem, Cineos, &c.] Quòd promissiones suas Deus uisionibus & oraculis subinde propositas tandem fœdere quoq; confirmare uoluit, documento nobis esse debet, quàm requirat à suis fidem certã & indubitatã. Quorsum enim aliàs fœderis corroboratio spectare censenda est, quàm ut certi de promissis omnem hæsitationem reiciamus, & immota fide à ueritate promittentis Dei penderamus? Cogitemus itaq;, quàm oporteat esse abominabilem in conspectu Dei doctrinam illam scholasticam, qua firmam gratiæ Dei fiduciam in Ecclesia Christi temeritatis damnant, & mentes Christianorum de gratia & dilectione Dei dubitare docent.

Requirit à suis Deus firmam fidem.

Deinde animaduertendũ est, quõ ueritas promissorũ Dei dispensetur. A fluuio, inquit, Aegypti, usq; ad fluuium Euphratem. Atqui possessio terræ Chanaan ad terminos usq; istorum fluuiorum Israeli nõ contigit usq; ad tempora Dauidis & Salomonis, sicuti uidere est 2. Sam. 8. & 2. Paral. 9. Admonemur hoc exemplo, cauendum esse ne promissa Dei temporum momentis & articulis circumscribamus. Certa quidem ueritas est promissorum Dei, uerùm adimpletio illorũ ipsius est reseruata consilio & arbitrio. Nõ est uestrũ, inquit Christus, Act. 1. scire tẽpora & momẽta temporũ, quæ pater in sua potestate retinuit.

Quomodo ueritas promissorum Dei dispensetur.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Toto hoc capite 16. Moses historiam Hagar Aegyptiacæ ancillæ Sarai exponit, quo illo consilio data fuerit Abrahæ, & quomodo ab illo cognita conceperit ac pepererit Ismaelem.

IGitur Sarai uxor Abram non genuerat ipsi liberos. Sed habẽs ancillã Aegyptiam, nomine Hagar, dixit marito suo, Ecce conclusit me Dominus ne párerem. Ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam liberos. Cumq; acquiescereret deprecanti tulit Hagar Aegyptiam ancillam suam post annos decẽ, quàm habitare cœperant

perant in terra Chanaan, & dedit eam uiro suo uxorem, qui ingressus est A
ad eam. At illa concepisse se uidens despexit dominam suam. Dixitq; Sa-
rai ad Abram, Iniquè agis contra me. Ego dedi ancillam meam in sinum
tuum, quæ uidens quòd cõceperit, despectui me habet. Iudicet Dominus
inter me & te. Cui respondens Abram: Ecce, ait, ancilla tua in manu tua
est, utere ea ut libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.

LECTIO.

Si fortè saltem ex illa suscipiam liberos.] In Hebræo est אולי אבנה ממנה, id est, si forte ædificer ex illa.
Cumq; acquiesceret deprecanti.] In Hebræo non est deprecanti, sed וישמע אברם לקול שרי, id est, Et au-
diuit Abram uocem Sarai. Suprà quidem in Hebræo legitur, dixisse Saram, Ecce quæso cõclusit me Do-
minus ne pariam, ingredere quæso ad ancillam meam: unde uidere est, quòd precib. quod uolebat obti-
nere noluerit: uerùm interpres uoculam נא, id est quæso, neglexit, et hic de suo deprecandi uocẽ posuit.
Post annos decem, quam habitare cœperant in terra Chanaan.] In Hebræo est, à fine decem annorum, qui-
bus habitauit Abram in terra Chanaan. Sic & Septuaginta. Chrysostomus uerò legit & exponit, Postq;
10 annis cohabitasset uiro suo in terra Canaan, quasi in Heb. sit, מקץ עשר שנים לשבת את אברם בארץ כנען.
Iniquè agis contra me.] In Hebræo est חמסי עליך, id est, Iniuria mea super te. Tigurina uersio sic, Iniu-
riam meam tibi acceptam fero. Pagninus, Punitio mea super te. חמס iniuriam significat. Sarai iniuriã
quam patiebatur ab Hagar, uocabat suam iniuriam, & minabatur ultionem illius sũmendam ab ipso
Abrahamo, eo quòd ipse esset in culpa. Sic intelligo uerba Saræ חמסי עליך, id est, Iniuria mea super te.
Latinus uertit quasi sit in Hebræo, חמסך עלי, id est, Iniuria tua super me. Græcus habet, ἀδικοῦμαι ἐπὶ σοί:
id est, Iniuria abs te afficior. Chald. uertit, דין לי על דין, id est, Iudicium mihi est aduersum te.

EXPLANATIO.

Præcedenti capite exposuit Moses quibus fuerit tentationibus fides Abrahæ debilitata, qua cum di-
uinas haberet de futuro semine promissiones, indubitatò quod promittebatur futurum sperare & expe-
ctare debebat: rursus quõ diuinitus fuerit in ea fide cõfirmatus, iam cõsequenter hoc decimosexto cap.
subiungitur alia tentatio, qua tentatus est animus Saræ. Illa quoniam uidebat se sterilem esse perpetuò,
ut ex se nullam posset sperare prolem, cœpit cogitare, ne forsan semen promissum è lumbis quidem A-
brahæ proditurum esset: uerùm non ex ipsa, sed alia quapiam muliercula nasci deberet. Haud enim di-
xerat Deus, Qui egredietur de utero Saræ: sed, Qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem. I-
tem, Sic erit semen tuum. Et, Semini tuo dabo terram hanc. Nusquam fuerat mentio Saræ facta, sed futu-
ri seminis promissiones omnes ad ipsum Abrahamum referebantur. Hinc natæ sunt Saræ cogitationes
istæ forsan non sic esse constitutũ à Domino, ut ex ipsa, sed ex alia quapiam impleret quod Abrahæ ro-
ties de futuro semine promittebatur. Haud enim futurum cogitabat, ut conciperet ipsa & pareret, cum
ad ipsam usq; senectam sterilis esse perseueraret. Hanc tentationem Saræ, & quid ex illa consilij cœpe-
rit, exponit hoc capite Moses dicens:

Et Sarai uxor Abram non genuerat ipsi liberos.] Præmittit hoc Moses, ut intelligamus unde mota fuerit
Sara ad id consilij, ut ancillam suam marito suo desponsaret. Ex eo uidelicet quòd non pareret, sed in ste-
rilitate infœcunda sic pergeret, ut nulla ipsi fœcunditatis spes superesset amplius. Quare uiderur inter-
pres non satis commodè uertisse. Quod enim in Ebræo est, לא ילדה לו, uertendum erat, non gignebat i-
psi, uel non pariebat ipsi. Neq; enim de eo loquitur Moses, quòd ad id usq; temporis non genuerat, sed
quòd propter sterilitatem & ætatem quoq; iam ingrauescentem (erat enim annos nata 75.) neq; tum e-
tiam, neq; in posterum paritura uideretur.

Et erat ei ancilla Aegyptia, nomine Hagar.] R. Shlomoh dicit hanc fuisse filiã Pharaonis. uerba eius sic
habent: בת מרעה היתה בשראת גיסים עיר עשיר לשורה אמר מיטב שתחא בתי שפחה בבית זה ולא גביגה
בבית אחר. Filia Pharaonis erat. Qui cum signa uidissent, quæ circa Saram fiebant, dixit: Melius est ut sit
filia mea ancilla in domo ista, quàm domina in domo alia. Et hæc opinio Lyrano non displicuit. Ve-
rùm nulla est illius ratio, qua homo cordatus moueri queat, ut non immeritò sit à Burgensi reprobata.
Voluit Moses mulierculæ huius descriptionem sic ponere, ut illius exprimeret & patriam, & condi-
nem & nomen. Patria erat Aegyptia, conditione ancilla, nomine Hagar. nihil præterea ex descriptione
hac colligi potest. Si quæras quomodo facta sit ancilla Saræ, probabiliter respondeti potest, quòd do-
no fuerit Saræ data, cum esset in domo Pharaonis. Nam suprà cap. duodecimo dictum est bene esse fa-
ctum Abrahæ propter Saram in domo Pharaonis: fuisseq; illi oues, boues, seruos & & famulas. Vtiq;
ex beneficio Pharaonis. Credibile etiã est ipsi Saræ fuisse ancillas assignatas, cum esset in domum Pha-
raonis translata hoc nomine, ut uxor esset regis, de quarum numero fuerit hæc Hagar. Quòd si filia fu-
isset Pharaonis, Moses illud dubio procul haud tacuisset.

Et dixit Sarai ad Abram: Ecce, quæso, conclusit me Dominus ne pariam, ingredere, quæso, ad ancillam meam,
an fortè ædificer ex ea.] Honesta mulier exponit uiro cordis sui cogitationem & consilium. Ecce, quæ-
so, inquit, conclusit me Dominus, ne pariam. q. d. Considera, obsecro, quomodo habeat causa nostra
& unde sit, quod seminis promissio tot iam annos non impletur. Video per me stare, quo minus im-
pleatur quod pollicet Dominus. Me conclusit Dominus, ac sterilem reddidit, ne pariam. Inde colligo,
non

A non esse tibi ex me, sed ex alia petendam & expectandam sobolem. Alioquì non conclusisset me Dominus. Quare, obsecro, tentemus an ex alia possis acquirere promissum semen. Ingredere ad ancillã meã, erit forsan, ut ex illa nascatur tibi semen. Hæc erat cogitatio cõsilium & petitio Saræ. Tota ferebatur desiderio promissi seminis, credens quidem haud mentiri diuinam promissionem: uerùm iuxtà de seipsa desperans, quare ad huiusmodi consilium inclinabat. Pulchrè autem usa est uerbo ædificandi, cum diceudum esset, An fortè semen ex illa accipiam. Quid enim aliud est semen, quàm sui generis ædificatio, & ne pereat conseruatio?

Et audiuit Abram uocem Sarai. Et accepit Sarai uxor Abrahæ Hagar Aegyptiam ancillã suam, post finem decem annorum, quibus habitauerat Abram in terra Chanaan, & dedit eam Abrahæ uiro suo uxorem.] Hæc est desponsatio Hagar, ex utriusq; cùm Abrahæ tum Saræ consensu. imò, si mauis, ex uoluntate Saræ, & Abrahæ consensu facta. Qua sit illa solennitate, ut loquuntur, aut ritibus desponsationis facta, non est expressum à Mose. Leuiter sanè, & præter desponsationis honestatem ac grauitatem factum esse haud crediderim. Mosi satis fuit id quod primarium est exprimere. Videlicet, hanc Abrahæ & ancillæ Hagar copulam nulla esse libidinis uanitate ac temeritate, qua scortatores scortis iungũtur, sed certa de causa, eáq; honestà: deinde uoluntate ac petitione Saræ institutam, ut quod fecit Abram, fecerit ex illius petitione: adhæc, esse illam ad formam coniugij factam.

Quod dicit, Post finem decem annorũ, quibus habitauerat Abram in terra Chanaan, ad hoc insertũ est, ut intelligamus non fuisse consilium hoc Saræ præproperum, sed expectasse illam tantisper dum ipsius iudicio, non esset amplius sperandum, ut pareret. R. Shlomo dicit sic fuisse constitutum, ut si mulier toto decennio non pareret uiro suo sobolem, accipienda esset uiro alia uxor. An id moris fuerit, affirmare non possumus: præsertim apud eas gentes, quibus libera erat polygamia, siue susciperent liberos ex primis uxoribus, siue non susciperent, sicuti in historia Iacob uidere licet.

Et ingressus est ad Hagar. Et uidit quòd concepisset, & contempta est domina eius in oculis eius.] R. Shlomoh dicit fuisse Hagar primo ingressu Abrahæ imprægnatã. Quæ incerta sunt, & nihil ad rem faciunt, perinde annotant isti Rabini, quasi sint omnium certissima, & admodũ magni momenti. Satis sit scire, fuisse Hagar imprægnatam ab Abrahamo, secundum consilium ac uoluntatem Saræ. Reliqua ut non memorantur, ita non inquirantur etiam. Illud uerò seruile ostendebat ingenium pariter & muliebre, quòd Hagar dominam suam despexit, cum se grauidam esse sensisset. Tanti erat fertilis uteri gloria, ut

B ancilla conditionis oblita, dominæ suæ sese propter conscientiam conceptionis præferret. Fortè iudicabat se concepisse promissum illud semen, adeoq; sibi esse à Domino concessum, quod Saræ dominæ suæ tot esset annos negatum. Et credibile est Abrahamum quoq; sic illam conceptionis huius gratia honestè tractasse, ut causam non datam pro data acciperet Sara. Verùm de Abrahamo non sic possumus affirmare quicquam horum quæ aliàs probabilia uidentur, sicuti de Hagar, de qua scribit Moses, ꝙ propter conscientiam conceptionis Saram heram suam præ se contempserit. Neq; enim dicit Moses, Et uidit quòd amaretur ab Abrahamo: sed, Et uidit quòd concepisset.

Dixitq; Sarai ad Abram, Iniuria mea super te est. Ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ uidens quòd conceperit, despectui me habet. Iudicet Dominus inter me & te.] Quomodo Hagar despexerit heram suam, nõ est expressum. Verosimile est, noluisse illam amplius pristinam ac debitam ei exhibere reuerentiã & obedientiam. R. Shlomoh annorat etiam uerba quædam Hagar, quibus heræ suæ tot annorum sterilitatem exprobrarit, sèq; illi propter conceptum fœtum prætulerit. Quicquid sit, Moses ista in præsenti cõmemorat. Primùm, quòd insolentia Hagar Saram habuerit pessimè. Nam admodum molestè tulit, quòd ab illa despiceretur. Deinde, quòd contemptum sui duxerit esse iniuriam & calumniam. Tertiò, quòd culpam hanc reiecerit in Abrahamum, cum expostulatione, & diuinæ ultionis imprecatiõe. Vnde satis apparet, excitatum fuisse in animo illius grauem ac uehementem paroxysmum. Suspicabatur forsan an illam ab ipso sic inflatam et instigatam, ut sese immodestius aduersus ipsam gereret, uel saltem haud illi quæ fiebant displicere, quandoquidem non prohiberet.

Et dixit Abram ad Sarai, Ecce ancilla tua in manu tua est, fac ei quod bonum est in oculis tuis.] Non potuit Abraham breuius & cõmodius ab hac expedire molestia, & uxoris paroxysmum sedare, q̃ hac ratione, ut uniuersam potestatẽ super ancillam quam antea habuerat Sara illi in integrum restitueret, imò nunquam illi abs se ademptam fuisse significaret. Quòd enim non dicit, Ecce uxor mea, quam semel abs te uxoris loco acceptam, ut uxorem non ut ancillam habebo: sed, Ecce ancilla tua, idem est ac si diceret, Habes eam ancillam tuam, quod me attinet etiamnum, perinde atq; antea. Non impedio, quo minus sis illius domina. Quare liberũ tibi est, illa ꝙ animi tui sententia uti, & si qd in te peccat, emẽdare & castigare.

Et adflixit eam Sarai, & fugit à facie eius.] Quemadmodũ non expressit Moses, quomodo Hagar despexerit Saram dominam suam, ita hic non specificat, quibus modis Sara Hagar ancillam suam afflixerit. Hoc solum memorat, quòd afflixerit eam, usqueadeò, ut afflicta per impatientiam aufugerit: qua in re satis apparet, haud leuem fuisse hanc afflictionẽ. De fuga hac Hagar, mox in sequentibus audiemus.

Et tulit Hagar Aegyptiam ancillam suam, & dedit eam uiro suo uxorem.] Quærendum hic uidetur, quomodo Sara ancillã suã Abrahæ dederit, an ut eam tanq̃ legitimã coniugẽ, uel tanq̃ pellicẽ dũtaxat habe ret. Faustus Manichęus, q̃ factũ hoc Abrahæ ac Saræ infamaret, uocauit Hagar pellicẽ Abrahę. Augustinus q̃is illud contra Manichæorũ calumnias defenderit, haud tñ coniugẽ eam uel uxorẽ, sed concubinã appellauit,

Quomodo Sara ancillã suã Abrahæ dederit.

appellauit,ueritus opinor,ne ex Abrahamo bigamum faceret,si coniugium in Hagar agnoſceret,quam A
tolerabilior ſit concubinatus quàm bigamia. Verùm ſcriptura manifeſtè uocabulum uxoris ponit,dicens: Et dedit eam Abrahæ uiro ſuo in uxorem. Quare negandum non eſt,datam eſſe Hagar Abrahæ in uxorem legitimam.

Obiectio. Dicet aliquis: Atqui infrà dicit Abram ad Sarai, Ecce ancilla tua in manu tua eſt, utere ea ut libet. Si data illi erat in uxorem,quomodo non dicit,Ecce uxor mea:ſed,Ecce ancilla tua? Quomodo uxor erat, ſi adhuc erat ancilla:ac rurſus,ſi erat uxor,quomodo adhuc erat ancilla? Reſpõdeo: Duplex erat apud ueteres uxorum genus. Vnum earum,quæ liberæ erant, & matresfamilias. Hæ omnium erant honorũ conſortes, & גבירות, id eſt dominæ uocabantur. Alterum earum, quæ de ſeruili conditione in uxores aſſumebantur. Illæ non erant matresfamilias,nec libertate coniugiali potiebantur, ſed in ſeruili conditione retinebantur. Vocabantur & ipſę quidem אשת,id eſt uxores:uerùm haudquaq̃ גבירות appellabantur,id eſt dominæ: ſed aliquando in ſcripturis פילגשים,id eſt concubinæ nominantur. Hagar hoc loco uocatur אשה,id eſt uxor. Sic & Kethura infrà cap.25. uxor nominatur. Addidit Abraham, inquit, & accepit אשה, id eſt uxorem,& nomen eius Ketura. Et infrà cap.30.dicebat Rachel ad Iacob: Ecce ancilla mea Bilha, ingredere ad eam, & ædificer ex ea,dedítq; ei Bilham ancillam in uxorem. Hic Bilha quoq; Iacobo in uxorem data legitur. Et tamen Hagar & Keturah infrà 25. פילגשים, id eſt concubinæ appellantur: ubi legitur Abram filijs concubinarum dediſſe munera. Et 1. Paral.1. Filij autem Keturæ,inquit, concubinæ Abram,quos genuit,&c. Ergo eiuſmodi ſeruiles uxores,erant ſimul & uxores & concubinæ,& concubinatus nomine à primo uxorum genere diſtinguebantur. Poſterius hoc genus uxorum, ſicuti Hebræi dicunt,ſine כתובה,& ſine סדורשים,id eſt,ſine literis dotalibus,& ſponſalibus ritibus ducebatur. Non erant liberæ tales coniuges,licet ueræ eſſent & legitimæ uxores. Nõ licebat illis copiam corporis facere alienis:quòd ſi feciſſent,adulterij loco habebatur. Filij illarum non erant cohæredes liberis matrumfamilias,ſicuti in filijs Hagar & Keturæ uidere licet. Et Iacob quoq; filij, qui ex ancillis nati erant, à filijs Rachel & Liæ ſic diſcriminabant,ut ab ipſis proferendæ eſſent maledictiones, ab illis uerò benedictiones. Deut. uicesimoſeptimo. Erant & ipſi quidem legitimi filij Iacob, uerùm quoniam ex concubinis prognati erant,hoc nomine liberis ex Rachel & Liah natis poſtponebantur. Non debemus iſta uocare in dubium, propterea quòd poſtremis ſeculis inter nos Chriſtianos in uſu non ſunt, nec conuenit ut ea uel damnemus in patribus,uel ad imitationem uſq; probemus. Itaq; Hagar & uxor erat Abrahæ,& ſimul ancilla Saræ,à qua conditione non erat iſto coniugio liberata. B

Quare Sara nõ dederit Abrahæ puellam aliquã liberam. Deinde quæſierit quiſquam,cum Sarai uxorem uellet dare marito ſuo Abrahæ, unde liberos ſuſcipe ret,quare non dederit illi puellam aliquam ingenuam & liberam,unde non ſeruilem, ſed liberam proles ſuſtuliſſet,magis quàm ancillam ac ſeruam. Reſpondeo:Reſpexit Sarai ad ius quod habebat in ancillam cuius erat domina. Iure dominij pertinebat ad ipſam, ſi qua ex ancilla naſceretur proles. Nolebat conſortio futuri ſeminis quod expectabatur priuari. Fuiſſet autem illi nihil iuris in prolem ex libera natam. Ideo dedit marito uxorem non liberam puellam,ſed ſuam ancillam. Sic non dicebat, Ingredere ad ancillam meam,ut ædificeris: ſed,Vt ædificer ex ea. Ad hunc modum & Rachel uiro ſuo Iacob dicebat, Habeo famulam Bilham,ingredere ad illam,ut pariat ſuper genua mea,& habeam ex illa filios. Et cum ancilla peperiſſet,aiebat: Iudicauit pro me Dominus,& exaudiuit uocem meam, dans mihi filium. Sic natos ex ancilla perinde ſuos eſſe cenſebat, ac ſi ex ipſa fuiſſent prognati, quemadmodum & Liah feciſſe legitur.

OBSERVATIO I.

Igitur Sarai uxor Abrahæ non genuerat ipſi liberos,ſed habens ancillam Aegyptiam,nomine Hagar, dixit marito ſuo,Ecce concluſit me Dominus ne pariam,& c.] Primùm obſerua conſilium ſpiritus ſancti,quo ſterilitatem Saræ in literas referre, & ad poſterorum cognitionem tranſmittere uoluit. Admonemur hac diligentia,ut non ſolum diuinæ uirtutis potentiam,qua ſteriles quoq; & effœtę fœcundantur,ſed & ſingulare illud conſilium Dei conſideremus, quo ſemen Abrahæ promiſſum haudquaquam uulgaribus naturæ uiribus ex fœta & fœcunda, ſed ſecundum uoluntatis ſuæ propoſitum ex ſterili & annoſa procurare uoluit. Adhæc & illud agebatur. Vt fides utriuſq; & Abrahæ & Saræ exerceretur,noluit ſtatim cum promiſiſſet, promiſſum dare ſemen,cum adhuc ſecundum naturæ curſum ſpes prolis eſſe poſſet, ſed tantiſper diſtulit, dum toto decennio comprobata, & uelut obdurata ſterilitas omnem ſpem prolis abſtuliſſet. Præterea ſic erat dandum promiſſum ſemen,ut palàm ex eo cognoſceretur, quòd ſingulari uirtute Dei ex ſterili præter ſpem omnem proueniſſet. Huc uidelicet ſeruiebat ſterilitas Saræ, & ut iſta conſiderentur,facta eſt illius mentio. *Quare ſterilitas Saræ literis ſit illata.*

Conſilio Dei factum eſt,ut eſſet Saræ ancilla Aegyptia. Deinde notandum eſt,quòd non ſimpliciter dicit,Et erat illi ancilla: ſed addit, Aegyptia, nomine Hagar. Cogitemus hic,quomodo diuina prouidentia factum ſit,ut eſſet Saræ ancilla Aegyptia, etiam extra Aegyptum in terra Chanaan, cuius uel aſpectu ſaltem de eo quod acciderat ipſi in Aegypto, in domo Pharaonis,quotidie admoneretur. Fuerat in domo ac poteſtate Pharaonis,ut eſſet illius cõiunx, & ibi ancillam hanc dono acceperat. Verùm inde ſingulari cura diuinæ protectionis erepta fuit, cuius erat diligentiſsimè retinenda memoria,non modò ut grata eſſet,ſed ut in fide quoque prouidentiæ Dei confirmaretur,qua non ob id tantum reſtituta erat Abrahæ marito ſuo,ut cõſors eſſet illius uitæ,& conugium illibatũ ſeruaretur,ſed ut ex ipſa ſemen toties promiſſum naſceretur, ſicuti res ipſa ſuo põſt tempore declarauit. Horum, inquam,Sara ancillæ ſuæ Aegyptiæ aſpectu admoneri poterat.

Admone-

A Admonemur hac consideratione, ut diuinæ prouidentiæ curam ac dispositionem uigilanter non in ijs tantum quæ sanctis olim contigerunt, sed in illis quoq; quæ nobis usuueniunt, obseruemus.

Tertiò & dixit Sarai ad Abram: Ecce, quæso, conclusit me Dominus, ne pariam. Considerandũ uenit hic ingenium animi sinceri & candidi, in eo quòd defectum sterilitatis non in Abrahamum marĩtum suum, sed in se reijcit. Poterat dicere: Incertum est, utrius uitio, tuo ne uel meo, fiat quòd non gignantur liberos. Sic sunt animati homines pij ac sancti, ut sibij ipsis potius quàm alijs adscribant, si quid deficiatur in ipsis. Agnoscunt perpetuò imbecillitatem ac defectus suos. Sic olim ministri Christi, sicubi ministerium suum uidebant esse haud frugiferum, sed sterile, non populo, sed sibijpsis culpam sterilitatis adscribebant, quòd essent uel seueriores æquo, uel negligentiores in ministerio, nec sic omnibus omnia fierent, ut aliquos saltem Christo Domino lucrifacerẽt. Hodie audimus eos, qui & frigidissimè docent, & pessimè uiuunt, omnem sterilitatis culpam reijcere in subditos & auditores.

Ingenium animi sinceri.

Simul fidei quoq; exemplum in Sara obserua. Non dicit simpliciter, Sterilis mulier sum: sed, Conclusit me Dominus, ne pariam. Quibus uerbis satis declarat, agnoscere se, naturam muliebrem sic quidem esse conditam, ut apta sit ad generandum: attamen sic esse eam in manu Domini, ut eam uel claudat ad sterilitatem, uel aperiat ad fertilitatẽ. Egregia est hæc fides, qua pij credunt omnia pendere à prouidentia Dei: nec dandum esse naturæ uiribus, ut quemadmodum semel condita sunt omnia, sic absq; ulla dispositione Dei infracto cursu ferantur.

Exemplũ Dei.

Illud tamen admonuerim, non posse eas mulierculas uerè dicere, Conclusit me Dominus ne pariã, quæ execrabili artificio sterilitatẽ sibij psæ accersunt, ne uel dolores & molestias partus experiri cogantur, uel clandestina scortatio ipsorum manifesto prodatur indicio. Harũ aliæ efficiunt ne cõcipiant: aliæ ubi se cõcepisse sentiũt, fœtũ in utero extinguũt, & eijciũt. Harũ nequitia seueris legibus subijcienda est.

OBSERVATIO II.

Ingredere ad ancillam meam, an fortè ex illa ædificer.] Principiò, illud annotarunt alij, quàm fuerit Sarah aliena prorsus à spiritu zelotypiæ. Tales fuerunt etiam Rachel & Liah uxores Iacob. Zelotypiam in hisce sanctis mulieribus extinxit ardens desiderium acquirendæ & multiplicandæ sobolis, quo propter promissiones Abrahæ factas ferebãtur. Inuenias alioqui & uiros & mulieres, quibus & ipsis nulla potuerit imputari zelotypia: uerũ si de causa quæras, aut sunt infecti spiritu adulterij, uel aliàs alieni sunt ab amore & affectu coniugali, qualis erat Cato censor Romanus, & consimiles alij, qui uxores suas alijs communicarunt.

Sara aliena à spiritu zelotypiæ.

B Deinde obserua uerbum ædificandi: An fortè ex illa, inquit, ædificer. Ergo sentit Sarah, ædificationẽ domus esse in prole: & econtra desolatam esse domum, in qua non sunt liberi, ubi nec maritus pater, nec uxor mater est, etiamsi aliàs omnia plena sint opibus. Erat Abram diues auro, argento, pecoribus & famulitio: & tamen, iudicio Saræ, domus illius iusta ædificatione destituebatur, propterea quòd nullum erat posteritatis semen. Longè aliter animati sunt, qui studiosius inhiant extruendis ædibus & palatijs & accumulandis opibus, quàm huic ædificationi, qua non nostra, sed nosipsi per successionem posteritatis ædificamur. Non est uera memoriæ nostræ prorogatio, quæ in rebus extra naturam nostram constitutis sita est. Tum demum rectè ædificamur, & memoria nostri prorogatur, dum secundum institutionem diuinam id quod conditi sumus ad posteritatem naturæ nostræ procreatione liberorũ transmittimus. Hanc generis nostri ædificationẽ pleriq; patres iam olim propter studiũ cœlibatus admodũ contemnere cœperũt: qui id sanè facere nequiuissent, si parentes illorũ pari fuissent misogamia præditi.

Aedificatio generis nostri in prole est.

Et illud considerandum est, q̃ non dicit, An fortè ædificeris ex ea: sed, An fortè ædificer ex ea. Aedificatio domus, quæ sobole constat, per uirum est actiuè, in muliere uerò passiuè. Sic comparat propheta fœcundam uxorem uiti frugiferæ, dicens: Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ. Et huc pertinet, quòd cõstam Adæ Deus in mulierem ædificasse dicitur. Aedificatio illa non modò ad mulieris sexus, sed etiam ad totius generis humani multiplicationem & conseruationem destinabatur.

In muliere ædificatur domus.

Tertiò, animaduertendum etiam est, quàm procliue sit, ut sancti quoq; errent, ubi fine uerbo Dei in causa Dei aliquid proprijs consilijs tentant. Sciebat quidem Sara promissionem Dei de futuro semine, neq; de ueritate illius dubitabat. Deinde agnoscebat etiã sterilitatẽ suam esse à Domino. Verùm quod hinc colligebat, promisit Deus semen, idq; ex lumbis Abrahæ mariti mei, ego uerò sterilis sum: cõclusit enim me ne pariam, necesse est igitur, ut ex alia muliere quæratur hoc semen, planè falsum erat, & error ex impatientia iudicioq; rationis proueniens. Debebat expectare mandatum Domini, unde in re tam grandi instrueretur, quod & postea factũ est. Sic accidit frequenter, ut & sancti errent, dum cõsilia præter uerbũ Dei capiunt: immò non solum errauit Sarah, sed & diuersum ab eo quod cogitabat accidit. Tam enim nõ ædificata fuit ex ancilla, ut etiã seminis sui aduersarios Ismaelitas & Hagarenos ex illa sustulerit. Sicut enim Apostolus Gal. 4. dicit, is qui secundum carnẽ natus est ex ancilla, persecutus est eum qui natus est secundum spiritum. Idem accidit & patribus in Ecclesia Christi. Suopte cõsilio multa instituerunt, quæ putabant factura ad ædificationem Ecclesiæ. Verùm reipsa monstrauit, feciisse illa magis ad superstitionem, hypocrisim, quæstum, & eidololatriam, quibus malis miserrimè uastata est Ecclesia. Seruiles animos, propter opes & potentiam, tantum non deorum loco extulerũt, putantes optimè fore consultum Ecclesiæ, si potentia & opibus magnatum quasi suffulciretur. Verùm, sicuti & Hieronymus in uita Malchi captiui monachi testatur, postquã Ecclesia ad Christianos Principes uenit, potentia quidem & diuitijs creuit, uirtutibus uerò minor est facta.

Proclive est & sanctis, ut erret, ubi sine uerbo Dei tentant aliquid.

Episcoporum error.

K Et audi-

OBSERVATIO III.

Exemplum uiri reuera casti & continentis.

Et audiuit Abram uocem Saræ.] Primùm illud obserua. Non dicit, Et audiuit Sarah uocem Abrahæ sed, Et audiuit Abram uocem Saræ. Non dixit Abram Saræ, Ecce mulier sterilis es, non gignens mihi liberos. Promissum est mihi semen à Domino, quod egressurũ sit ex lumbis meis. Quare cum ex te nequeam, opus est ut accipiam aliam quampiam, unde suscipiam liberos. Ardebat quidem desiderio promissi seminis, uerùm ad hoc consiliũ nõ adiecit animũ: sed patienter efficaciã & adimpletionẽ promissorum Dei expectauit, donec ab uxore appellatus uoluntati illius acquieuit. Habes exemplũ uiri reuera casti, cõtinentis ac temperantis, qui nihil hac in re, ne in speciem quidem admisit, quod libidini & intemperantiæ dari possit. Poterat prætextu diuinæ promissionis ac sterilitatis uxoris iam inueteratæ, deinde & publica sui seculi consuetudine, ultrò ad alteras aspirare nuptias. Verùm qua erat temperantia & honestate, nihil huius tentauit: sed quicquid hic fecisse legitur, ut uxori gratificaretur fecit.

Et sancti uocibus uxoris aliquando seducuntur.

Deinde, quod consilio uxoris nõ contradixit, sed acquieuit, si fidei constantiã respicias, reprehensibile factũ habet. Debebat illi regerere: Absit, ut aliquid hic nostro cõsilio tentemus. Quòd hactenus à Dño concluſa & sterilis fuisti, non debes huc rapere q̃ nunq̃ sis paritura, sed cogitare de potentia Dei, qua & mortuos uiuificare, nedum steriles fœcundare potest. Sed esto sis nunquam paritura, sitq; proles ex alia mihi muliere quærenda: nostrũ tamen non est aliquid in hac causa nostropte consilio præsumere, sed patientiam retinere, donec admoneamur à Domino, quidq; faciendum sit edoceamur. Verùm nihil horũ regessit, sed uocem uxoris audiuit, ac consilio illius cõsensit. Videmus itaq; hoc exemplo quomodo sancti quoq; uiri subinde à uero aberrent, dum uoces uxorum suarum audiunt, & muliebribus cõsilijs incautius acquiescunt. Distinguendũ tamen est factum hoc Abrahæ ab eo quod Adam admisit. Adæ obiiciebatur à Dño quòd audisset uocẽ uxoris suæ, uerũ suaserat illa rem à Deo prohibitã, unde & adiecit Dñs, Et comedisti de ligno, de quo præceperã tibi ne comederes. Aliud est aũt, suasu uxoris facere quod prohibitum est à Domino, atq; ita manifestum mandatum Dei transgredi: & aliud, uocem uxoris audire in causa quam Deus nec constituit, nec iussit, & hoc pacto præter uoluntatẽ Dei aliquid proprio consilio tentare. Hic error admittitur, illic uerò contra mandatum Dei peccatur. Hic excusat ignorantia factum, illic uerò manifestus diuini præcepti neglectus meritò damnatur.

OBSERVATIO IIII.

Et tulit Sarai uxor Abrahæ Hagar Aegyptiam ancillã suam, postquã annos decem habitasset Abram in terra Chanaan, & dedit eam uiro suo uxorem, & ingressus est ad eam, & concepit.] Obseruandum hic est, quod dicit, Postq̃ Abram annos decem habitasset in terra Chanaan. Apparet ex eo quæ fuerit cogitatio Saræ. Arbitrabatur ex decenni sterilitate satis iam cõstare, fore se ad finem usq; sterilem, q̃ sterilitas ista inueterata & deplorata uideretur. Sic uidemus quid faciat impatientia. Paritura erat non decimo, sed undecimoquarto demũ anno post ingressum terræ Chanaan, sicuti sequentia testificantur. Quare uerũ non erat q̃d ex decenni sterilitate colligebat. Licet enim quod naturæ uires attinebat, haud bene sperari posset, ut post eam ætatem mulier tandiu sterilis uterum aliquando gestaret, haud tamen in solas debebat naturæ uires, sed cumprimis ad potentiam & ueritatem promittentis Dei respicere, illiq; nec decem, nec nigintiannorũ terminũ præscribere, sed ad finẽ usq; immota spe à promissis illius pendere. Admonemur hoc exemplo, ut nõ tam quid natura possit, q̃ quid eloquia Dei promittant consideremus, & ueritatẽ illorũ non ad decennium tantum, sed quousq; constituit diuina prouidentia patienter expectemus.

Tentatio ex impatientia moræ.

De honestate nuptiarum seruanda.

Deinde considerandum est quàm honestè dispensatum fuerit coniugium hoc secundarium & concubinarium. Sarah disposuit omnia. Excogitauit, uoluit, cũ marito consultauit, consensum illius precibus obtinuit, ancillam ipsa ad maritum attulit, ipsa desponsauit, sic ut Abrahã nihil hic fecerit, quàm quod uoluntati uxoris morem gessit. Non tulit ipse ancillam, nec ancilla suapte sponte ad herũ suum, cui destinata erat, ingressa est: sed omnia sic sunt honestè ac pudicè gesta, ut optarim Christianorum coniugia pari tẽperantia & honestate instituti. Admonemur hoc exemplo, quàm alienã debeat esse intemperantia à cõiugijs primi generis, cum ueteres in secundarijs & concubinarijs tanta sint modestia, temperantia & honestate usi. Turci sunt polygami, uerùm de illorum coniugijs nõ primi modò, sed & secundi generis talia referuntur, ut si nostra coniugia ad illa conferrentur, ex collatione illorum haud parũ decoris reportarent. Sic est ingeniũ, sic est honestas sanctorũ, ut quicquid aliqua ratione faciendum esse intellexerint, id faciant castè & honestè. Verùm carnales homines etiam cum matrimonia ineunt, animos declarant leues, uanos, scurriles ac intemperantes.

OBSERVATIO V.

Ingeniũ seruile.

Et uidit quòd concepisset, & despexit dominam suam in oculis suis.] Vel, ut alij legunt: Et cõtempta est domina eius in oculis eius. Proponitur hic ingeniũ seruile. Serua erat Hagar, non libera & ingenua. Ingenium respondebat conditioni. Honorem acceptum moderatè ferre nequibat: sed cùm uideret se concepisse, insolescebat. Sic est carnis comparatum ingenium. Illa rebus sublata secundis modum seruare nescit. Ingenuus ac liber animus nec deijcitur rebus aduersis, nec extollitur secundis.

Malicia seruilis animi.

Notanter aũt non simpliciter dicit, Et placuit sibi in oculis suis: sed, Et despexit dominã suã in oculis suis. Atqui quod impræg nata erat, ipsi suæ dominæ debebat. Hæc est seruilis animi malignitas, qua fit ut aduersus heros, & famulæ aduersus dominas suas, à quibus euecti sunt insurgunt. Triplicis generis cõtemptus est. 1. Sũptus ex humilitate eius qui cõtemnitur. 2. Sũptus per collationẽ potioris alicuius. 3. Sumptus ex collatione suiipsius dum quis alium præ se fastidit. Sic Hagar Saram domitiã suam non simpli-

A citer,sed in suis ipsius oculis contempsit,ac præ se despexit. Non est ꝙ huiusmodi contemptũ obliuioni tantũ accepti beneficij tribuamus. Grauius enim est,contemnere præ te eum cuius es quantus quantus es:& cui hoc ipsum debes,unde insolescis:quàm si simpliciter accepti beneficij oblitus,debitam gratiam non referas. Magnæ maliciæ est,si seruus herum suum,à quo sublimatus est:& discipulus præceptorẽ, à quo eruditionem accepit, eruditionis gratia præ se fastidiat & contemnat. At diabolica peruersitas est,si creatura aduersus creatorem,& populus aduersus Dominum Deum suum post acceptum honorem insurgat,& pro obseruantia contemptũ rependat. faciebant hoc de quibus queritur Dominus per Esaiam cap.1.dicens: Filios enutriui,& exaltaui,ipsi autem spernunt me. Et illud obserua: Despexit, inquit,dominam suam in oculis suis. Quare? Quòd illa tot annos Abrahæ iuncta sterilis esse perseueraret,ipsa uerò statim concepisset. Atqui factum hoc erat singulari dispositione Dei,non culpa Saræ. Vbi culpa non est,ibi certè non debet locum habere contemptus,sed commiseratio. Si fuisset Hagar mulier pia & humaniter affecta,cõdoluisset potius heræ suæ propter sterilitatem: deinde cum ipsa imprægnata esset cõgratulata illi fuisset,propterea quòd pro uoto illi succesisset. Hæc est grandis peruersitas,pro commiseratione referre contemptum: & aduersus eum insolescere,cui potius id gratulari & acceptum ferre debeas,cuius nomine insolescis.

Peruersitatis exemplum.

OBSERVATIO VI.

Dixitq; Sarai ad Abram:Iniuria mea super te est.Ego dedi ancillam meam in sinum tuũ,quæ uidens quòd conceperit,despectui me habet.Iudicet Dominus inter me & te.] Obserua hic quomodo cedant humana consilia,citra uerbum Dei præsumpta. Paroxysmus iste inter Saram & Abrahamum, quasi primus quidam fructus est eius cõsilij,quo Sara semen promissum ex ancilla quærebat. Expectabat ædificationẽ,inuenit statim initio concepti fœtus contemptum,unde natus est iste paroxysmus. Videmus hoc exemplo, quid in cautis Dei sperandum sit ex consilijs humanis. Quæ prius obseruabatur ab ancilla,iam contemni cœpit. Quæ hactenus amanter cum marito uixerat, iam graui indignatione accensa acriter cum illo de iniuria accepta expostulat. Hi sunt fructus humanæ sapientiæ,contemptus uidelicet superiorum, & dissidia coniunctissimorum.

Fructus humanorum consiliorũ.

Deinde in eo ꝙ Sara cõtemptum sui illatũ ab ancilla tam fert molestè, uidemus ne in sanctis quidem aliquid reperiri perfectum. Peccabat quidem Hagar ancilla,ꝙ heram suam præ se fastidiebat & contemnebat:interea tamen & Sara carnis rapiebatur affectibus, ꝙ propter negatam sibi obseruantiã tam graui ter cõmouebatur. Patiebatur iniuriam, sed impatientius quàm ingenio hominis conueniat, qui seipsum abnegauerit. Ad huius exempli formã delinquitur hodie passim in Ecclesia. Cõtemnuntur, quibus iuxta sententiam Apostoli debetur honos & reuerentia. Sic peccant subditi. Contemptus iste peissi mè habet eos qui cõtemnuntur,qua re satis indicant,quòd proprij honoris studio teneantur. Qui subditus est,honorẽ exhibeat præpositis suis. Præpositi sic animati sint,ut nec affectent honorẽ,quantumuis iustum ac debitum:nec succenseant,si illo non potiantur: neq; eleuentur corde,si se obseruari ac coli uderint. sed dicant ex animo, Non nobis Domine,non nobis,sed nomini tuo da gloriam.

Neq; sanctorum patientia perfecta est.

Tertiò obseruandum & hoc est, quòd Sara non expostulat cum ancilla,sed cum Abrahamo marito suo. Habes hic læsæ charitatis ingenium. Iurgatrix est & expostulatrix charitas. Succensebat Sara magis Abrahæ quàm ancillæ.

Ingenium læsæ charitatis & amicitiæ.

Quartò,in eo quòd culpam acceptæ iniuriæ imputat Abrahæ,dicẽs:Iniuria mea super te est. Quare? Ego dedi ancillam meam,inquit,in sinum tuum,quæ uidens quòd conceperit,despectui me habet,&c. Videmus commoti animi paralogismum. Commota erat Sara & animo turbata. Quare malè collegit Abrahamũ in culpa esse,quòd ab ancilla contemneretur. Non enim consequitur ista ratiocinatio: Ego dedi ancillam meam in sinũ tuum,quæ uidens quòd conceperit,despectui me habet,quare iniuria mea super te est. Primùm enim quòd ancillam suam in sinum eius dederat,non ad illius uoluntatem ac petitionem, sed suopte consilio adhibita obsecratione fecerat. Quare non habebat hic locum quasi præstiti beneficij exprobratio. Deinde ꝙ conceperat ancilla,hoc ipsum erat quod quærierat Sarah,cuiꝰ nomine ancillam Abrahæ coniunxerat. Tertiò,quòd ancilla occasione concepti fœtus elata aduersus herã suam insolescebat,nec uoluntate,nec assensu,immò,quod credibile est,ne conscientia quidem Abrahæ fiebat. Vnde ergo imputãda erat ipsi culpa? Sed sic solet animus cõmotus ac turbatus, præsertim in mulierculis alioqui honestis,quæ quasuis iniurias undecunq; acceptas mox maritis suis cũ expostulatione imputãt.

Paralogismus animi cõmoti.

Quintò,quod dicit, Iudicet Dominus inter me & te, exemplum est animi de sua iusticia & innocẽtia præsumentis, sic præsumentis,ut an sit etiam ad iustum Dei prouocare iudicium. Ipsa Sara plus culpæ habebat in hac causa quàm Abram. Verùm stulticiam consilij sui ne in ipso quidem illius fructu animaduertens ad iudicium Dei aduersus maritum suum innocentem appellat. Tanta est cõfidentia animi propriæ iusticiæ opinione excæcati. Tanta uis etiam est muliebris iræ, ut nõ dubitet charissimum maritum iudicio Dei subijcere. Si hoc accidit sanctæ,piæ & honestæ fœminæ, quam Petrus Apostolus alijs fidelibus mulieribus exempli uice proponit,quid expectandum est à reliquis?

Exemplum animi de sua innocẽtia præsumentis.

OBSERVATIO VII.

Et dixit Abram ad Sarai:Ecce ancilla tua,fac ei quod bonum est in oculis tuis.] Primùm obserua ingenij placiditatem in Abrahamo. Sciebat se extra culpam esse, & tamen ad tam grauem & acrem expostulationem Saræ nihil duri respondet. Neq; enim iritatus est uerbis illius. Retinuit animi sui tranquillitatem,& muliebri impatientiæ expostulationem eam condonauit. Immò sic respondit, ut commotio-

Placidi ac sedati ingenij exemplum.

nem Saræ statim placarit ac sedarit. Habes exemplum omnibus uiris propositũ, unde discas, quomodo cordatis hominibus cõueniat ista continentia qua se cõtineant, ne muliebrẽ impatientiã imitentur, & ad quamuis expostulationẽ exacerbentur. Dedecorosum est uiro, si sit per animi leuitatem & impatientiã iritabilis, finatq; se facili momento exacerbari. Potuit Socrates uxoris ferre morositatẽ studio philosophiæ, quanto magis Christianis uiris hoc conuenit ut uirtute Christianissimi sic sint animo tranquillo & confirmato præditi, ut ad quasuis expostulationes & obiurgationes ingenij sui placiditatem ac tranquillitatem immotam retineant? Multa possunt hic cogitari à uiro cordato. Aut uxor est, uel parens, uel frater, aut soror, aut aliàs consanguineus, uel amicus, qui obiurgat & expostulat. Condonabis, si quid acerbi obijcietur charitati coniugalia, authoritati parentum, fraternæ familiaritati, sanguinis propinquitati, & amicitiæ candori. Si uir prudens obiurgauerit, cogitabis hoc fieri nõ sine certa ratione. Si minister uerbi increpauerit, dabis id muneri quo fungitur. Si stolidus homo tecũ expostulauerit acrius, cedes illius stulticiæ. In summa qualis qualis sit qui obiurgat, cogitabis magis quid te Christianum hominem deceat, quàm quid ille mereatur.

Quod uxorẽ nõ silẽtio, sed placido responso placauit.

Deinde & illud considerandum est, quòd obiurgatus ab uxore non tacet, sed respondet. Reperias qui ad rixas uxorum & aliorum prorsus sileant. Fecit hoc Socrates, philosophiæ magis quàm placiditatis studio. Eiusmodi silentio magis iritatur malũ q̃ placatur. id quod & Socrati accidit, cuius uxor insultans ei sic exacerbabatur, atq; ipsius silentio. Inest enim tali silentio haud obscurum cõtemptus argumentum. Quare cauendum est uiro placido & cordato, ne non modò acerbi aliquid respondeat, sed & ne silentio animum commotum magis exacerbet.

Resignandũ ius proprium studio pacis.

Tertiò. Ecce, inquit, ancilla tua. In eo quod non tuetur ius suum, quod in Hagar ab ipsa sibi Sarah datum acceperat, sed quam in coniugem illa dederat, idq; iam à se imprægnatã, potestati eius resignat dicens: Ecce, ancilla tua in manu tua est, exemplum habemus animi magis coniugalis ac domesticæ pacis quàm proprij iuris rationem habentis. Potuisset dicere: Dedisti ancillam tuam in sinum meum, non ut scortũ, sed ut uxorẽ. Antea erat tibi ancilla, nunc est mihi uxor. Quare non est ut illa posthac pro tuo arbitrio seruiliter utare. Verùm huiusmodi responso confirmasset sinistram suspicionem quam de ipso conceperat Sara, & omnem coniugij sui conuictum disturbasset. Vbi uerò liberè resignat ancillam in potestatem Saræ, & conceptam de se suspicionem prorsus diluit, & paci consulit. Alioqui sicuti uerosimile non est, haud amari quod ægrè resignatur: ita probabile est non amari singulariter, quod facilè & ultrò resignatur. Hac de re Augustinus libro de Ciuitate Dei 16. cap. 25. sic scribit: Deniq; cum ancilla gratuida dominæ sterili superbiret, & hoc Sara suspicione muliebri uiro potius imputaret, etiam ibi deus monstrauit Abram non se amatorem seruum, sed liberum fuisse genitorem, & in Hagar Saræ coniugi pudicitiam custodisse: nec uoluptatem suam, sed uoluntatem illius impleuisse: accepisse, nec petijsse: accessisse, non hæsisse: seminasse, nec amasse. Ait enim: Ecce ancilla tua in manibus tuis, utere ea quomodo tibi placuerit. O uirum uiriliter utentem fœminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter. Hæc ille. Interea tamen non probamus factum Nicolai, unde hærecolaitarũ exorta. De illo Euseb. in historijs Ecclesiasticis lib. 3. cap. 29. ex scripturis Clementis Alexandrini sic annotat: Hic, inquit, cum uxorem haberet formosam, post assumptionem seruatoris propter zelotypiæ uitium reprehensus, ducta in mediũ uxore, si quis illi nubere uellet permisit. Dicunt enim hoc quod ipsi faciunt, ei uoci conuenire, nempe, refrenandam esse carnem, atq; ita sequentes & factum & dictum simpliciter, absq; ullo iudicio, sine pudore scortantur, quotquot hæresim illius sectantur. Hæc ille. Quamuis Nicolaum Eusebius excuset, quod hoc pacto uitium obiectum à se reijcere uoluerit, tamen huiusmodi resignatio uxoris, qua cuiusuis nuptijs prostituitur, aliena est à uinculo cõiugij & animo pio & honesto. Poterat Nicolaus iste uitium zelotypiæ alio à se pacto reijcere. Abram Hagar suam non sic resignauit, ut liberum faceret cuiuis illam ducere uolenti, sed restituit eam in potestatem uxoris Saræ: & hoc pacto satis declarauit, alienum esse se ab eo quod suspicabatur Sarah. Quare admonemur, licet resignandum sit aliquando ius proprium, studio pacis, ut id tamẽ fiat in rebus, quæ licitæ sunt, & modis, quibus id citra offensam Dei & publici ordinis uiolationem fieri queat.

Euidenter se liberat à culpa.

Quartò. In manu tua est, inquit. Obserua quàm euidenter sese à culpa liberet, & querelas Saræ imperitas esse doceat. Cum dicit, Ecce ancilla tua in manu tua est, admonet se potestatem Saræ, quam habebat in ancillam, nec infregisse unquam, neq; etiamnum infringere uelle, quare non habere eam causam secum expostulandi. Etenim non habet quod iustè queratur, qui potestatẽ habet corrigendi delinquentes subditos. Si herus expostulet cum uxore propter inobedientiã serui, rectissimè respondebit illa, Ecce seruus tuus in manu tua est, fac illi quod bonum est in oculis tuis. atq; hoc responso culpam inobedientiæ à se reijciet in ipsum herum, qui cum dominus sit serui, inobedientiam illius non corrigit. Tale est, si præceptor queratur de immorigeris discipulis. Rectè illi regeritur: Ecce discipuli tui in manu tua sunt. Si magistratus queratur de corruptione ciuiũ, dicatur illi, Ecce subditi tui in manu tua sunt. Accidit plerunq;, ut ij quibus potestas est in subditos, liberos, seruos, seruas, discipulos & ciues, culpam inobedientiæ illorum non in suam ipsorum negligentiam reijciant, sed aliò referant. Quibus occinendum est hoc responsum Abrahæ: Ecce in manu uestra sunt, de quorum inobedientia & corruptione queritimini. Minister uerbi nostro hoc seculo nõ eo loco sunt ut illis dici possit: Ecce auditores uestri in manu uestra sunt, facite illis quod bonum est in oculis uestris. Cogũtur enim nolint uelint in Ecclesia ferre homines à fide ac religione Christi alienissimos, à quibus non ipsi modò contemnuntur, sed & Deus ipse & omnis

Christia-

A Christiana religio pedibus conculcatur, nec inueniunt quibus hanc indigniratem utiliter querantur.

Quintò. Fac ei quod bonum est in oculis tuis. Obsecro, quare non dixit: Fac ei quod iustum est, & æquum. Vel, uide ne quid fœtui in utero illius inferas incommodi. Grauida est, & solent grauidæ nonnihil esse morosæ, quare uide ut cautè & prudenter agas, nec iræ affectibus indulgeas? Planè huiusmodi admonitio haud aliena fuisset à cordati uiri decoro. Verũ uides hic studiũ cõcordiæ. Sic erat animus Sarai exacerbatus, ut huiusmodi admonitione tam nõ ad studium æquitatis & modestiæ permota fuisset, ut magis etiã incanduisset. Quare admonemur hoc exemplo, abstinendum esse ab æquis & rectis admonitionibus, ubi non solum nullus ex eo fructus sperari potest, sed timendũ est, ne animus ira fumans in flammas etiam excitetur. Admodum imprudentes sunt, qui uel iratos, uel ebrios, uel aliàs affectibus plus æquo percitos in ipso paroxysmo de eo quod iustum & æquum est, admonent, & reprehendunt. Prudentius agunt, qui ad tempus illis cedunt, dum animi æstus nonnihil consedit, ac tum opportunitatem nacti quod admonendum uidetur utiliter & efficaciter admonent.

Cauendũ est ne intempestiua sit admonitio.

OBSERVATIO VIII.

Et afflixit eam Sarai.] Vide ubi iam est desiderium illud Saræ, quo semen promissum ex ancilla quærebat, illiq; acquirendo tantopere inhiabat, ut reiecta zelotypia mulierculis insidiosissima ancillã suam non dubitaret marito suo dare in uxorem? Dedi, inquit, ancillam meam in sinum tuũ, quæ uidens quòd conceperit, despectui me habet. Sciebat ergo ancillam grauidam esse ex Abrahamo. Quare non condonabat illi tantillum morositatis, propter semen in utero illius conceptum? Verùm ficuti uulgo dicitur, motus graniores expellunt minores. Non tam lætabatur de concepto semine, quàm offendebatur ancillæ grauidæ insolentia. Videmus hoc exemplo nihil esse stabile in affectibus humanis. Quod hodie impensissimè affectamus, cras alio affectuum genere occupati pedibus proculcamus. Quid enim aliud erat ancillam ex ipsius impensissimo studio grauidam propter qualemcunq; morositatem affligere, quàm propensius debitum uindicare honorem, quàm semen quærere desideratum.

In affectibus humanis nihil est stabile.

OBSERVATIO IX.

Et fugit à facie eius.] Vide ingenium corruptæ carnis. Erat Hagar in potestate Sarai heræ suæ. Vbi hanc cnotemnit, affligitur. Vsqueadeò stulta erat, ut non cogitaret impunè non fore, si contemneret eam, in cuius esset manu. Deinde ubi affligebatur, conueniebat ut insolentiam in humilitatem ac submissionẽ mutaret, eoq; fugæ genere iram heræ suæ placaret. Verùm maluit à facie heræ suæ, quàm à cœpta insolentia fugere, quod nihil erat aliud quàm malum conduplicare. Hæc nobis iam catholica est stultitia. Contemnimus eum in cuius manu sumus & nos & nostra omnia: nec cogitamus futurum ut affligamur. Vbi affligimur, malum nõ emendamus per resipiscentiam, sed à facie affligentis nos Dei fugientes cumulamus etiam, & à gratia illius nosipsi magis ac magis abalienamus. Poterat Hagar fugere à facie Sarai heræ suæ: sed, obsecro, quò nos fugiemus à facie castigãtis nos Dei? Occupat omnia, cœlum, terram, inferos, ut rectè dixerit Dauid: Quò à facie tua fugam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad inferos, tu ades, &c.

Corruptæ carnis ingenium.

Cumq; inuenisset eam angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine quę est in uia Sur in deserto, dixit ad illam: Agar ancilla Sarai unde uenis? & quò uadis? Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. Dixitq; ei angelus Domini: Reuertere ad dominã tuam, & humilia te sub manu illius. Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine. Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti, & paries filium, uocabisq; nomen eius Ismael, eo quòd audierit Dominus afflictionem tuam. Hic erit ferus homo. Manus eius contra omnes, & manus omnium cõtra eum. Et è regione uniuersorum fratrum suorum figet tabernacula.

LECTIO.

Quæ est in uia Sur.] In Hebræo est על העין בדרך שור, id est, supra fontem in uia Sur, ut intelligas, qui est in uia Sur. Græcus habet: ἐπὶ τῆς γῆς ἐν τῇ ὁδῷ σουρ, hoc est, super terram in uia Sur.

Dixit ad illam.] Græcus habet, καὶ εἶπεν αὐτῇ ὁ ἄγγελος κυρίου. In Hebræo autẽ simpliciter est ויאמר, id est, Et ait.

Et rursum.] In Hebræo est: ויאמר לה מלאך יהוה, id est, Et dixit ei angelus Domini.

Ac deinceps.] Rursus in Hebræo est ויאמר לה מלאך יהוה, id est, Et dixit ei angelus Domini. Fastidiunt interpres eorundem uerborum repetitionem.

EXPLANATIO.

Cumq; inuenisset eam angelus Domini.] Quoniã de fuga Hagar mentionẽ fecit Moses, requirebat ipse rerũ gestarũ ordo ut paulisper de historia Abrahæ & Saræ digressus, quid in ea fuga accideret cõmemoraret. Recenset autem ex ordine ista. Primùm, inuentã esse Hagar profugam ab angelo Domini, in uia deserti uersus Sur, supra fontem. Inde conijcitur, quod in Aegyptum redire uoluerit. Nam ea uia per

1. *Inuenit*
2. *Interrogat.*
3. *Hortatur.*
4. *Promittit.*
5. *Instruit.*
6. *Prædicit.*

desertum ducit ad Aegyptum. De Sur autem Hieron. sic annotat: Sur, ubi inuenit angelus ancillam Saræ Agar, inter Kades est & Barad. Extenditur autem desertũ Sur usq; ad mare rubrum, quod ad Aegypti confinia peruenit. Hæc ille. Infrà quoq; cap. 25. manifestè legitur, Sur esse על פני מצרי. Quo scripto in Hebræo secundò fit fontis mentio, nihil habet superflui. Cum dixisset, Et inuenit eam angelus Domini super fontem aquarum in deserto, quoniam id generalius dictum erat, specificãdi gratia subiecit, Super fontem qui est in uia Sur, ut sciat lector, de quo fonte, deq; qua deserti regione ista dicantur.

Deinde commemorat quid angelus Domini cum Hagar in deserto inuenta egerit. Principiò interrogauit eam, unde uenisset & quò abiret: Expressit autem non solum propriũ illius nomen, sed & conditionem dicẽs: Hagar, ancilla Sarai unde uenis, & quò uadis? ut familiari illam alloquio ad respondendum erigeret. Postea, ubi ancilla respondisset, fugere se à facie Sarai heræ suæ, hortatus est eam, ut rediret ad heram, & se sub manu illius humiliaret. Duo suadebat. Erat enim peccatũ illius geminum. Insolescere cœperat aduersus heram sũam, deinde profugerat. Contra fugam suadebat, ut ad heram suam reuerteretur, aduersus peccatum superbiæ & contumaciæ hortabatur, ut sub manu heræ suæ humiliaretur. Tertiò, subijcit de futuro semine, quo erat imprægnata. De illo promittit, instruit, & prædicit. Promittit illius multiplicationem. Multiplicãs, inquit, multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine. Cum angelus esset, loquebatur in persona Dei, quasi ipse facturus esset, quod ipse Dominus erat facturus. Quanta autem multitudine aucti sint Ismaelitæ & Hagareni, uel Saraceni, nõ solum ex hoc præsenti oraculo intelligi, sed ex historijs quoq; colligi potest. Instruit eam dicens, Cõcepisti, & paries filium, &c. Quòd concepisset, sciebat iam antea. Quod uerò filium paritura esset, scire nondum poterat. Deinde instruit eam de nomine. Vocabis eum, inquit, Ismael. Hoc est, Audiuit Deus. Et rationem subdit: Quia Dominus audiuit afflictionem tuam. Sic instructioni miscebatur consolatio. Prædicit, qualem habitura sit filium, & ex filio posteritatem. Hic erit, inquit, ferus homo, agrestis & syluestris. Manus eius contra omnes & manus omnium contra eum, & è regione fratrum suorum omnium figet tabernacula. Hoc est: Non erit homo ciuilis & mansuetus, sed ferus & bellis intentus. Bella geret aduersus uicinos omnes & uicissim bellis impetetur ab omnibus. Tanta erit autem gentis tuæ feritas, ut ne fratribus quidem & cognatis parsura sit. Hoc uidetur esse quod dicit: Et è regione uniuersorum fratrũ suorum figet tabernacula. Scio particulam hanc aliter exponi à nonnullis. R. Shlomoh refert ad multitudinem Ismaelitarum. Alij idem esse putant, quod cum fratribus habitabit. Verùm sententiæ Apostoli qua filium Hagar, eum qui ex Sarah natus est, persequutum esse dixit, acquiescere malo, quàm illorum expositioni. Ineptum autem est, quod R. Shlomoh arbitratur ista non ab uno tantum esse angelo acta cum Hagar: sed quoties repetitur, Et dixit ei angelus Domini, toties alium succedisse angelum. Secundum huius opinionem angeli quatuor locuti essent cum Hagar.

QVAESTIO.

Quid opus fuerit Hagar reuerti ad dominam suam.

Reuertere ad dominam tuam.] Quæsierit hic quispiam quid opus fuerit reuerti Hagar ad dominam ipsius, cum non esset apud illam mansura, sed tandem unà cum filio eijcienda. Poterat alibi parere, & filium suum, quod & postea facere coacta est, enutrire.

Respondeo: Primùm, erat Abram dubio procul in mœrore propter fugam ancillæ grauidæ constitutus. Huius erat habenda ratio. Deinde quoniã & superbiendo & fugiendo deliquerat Hagar, utrunq; corrigendum erat. Quod postea iecta à Sarah rursus migrauit, præter ipsius culpam fiebat.

Quare Ismael non dicatur semen Abrahæ.

Multiplicabo semen tuum.] Quæstio est, quare dicat, semen tuum, & non semen Abrahæ, cum Ismael uti eq; ex Abrahamo esset conceptus, ac semen non modò more scripturæ, sed & consuetudine uulgari uteris adscribatur.

Respondeo: Ad distinguendum inter semen diuinitus promissus, quod nasciturum erat ex Sarah, & inter semen humano consilio ex ancilla proditurum, noluit angelus dicere, Multiplicabo semen Abrahæ: sed, Multiplicabo semen tuum. Separandi erant Ismaelitæ à semine Abrahæ. ideo accentitur non Abrahæ, sed matri Hagar ancillæ, unde & Hagareni dicti sunt. Et hoc uolebat Sara infrà cap. 21. Cum nõ diceret: Eijce ancillam & filium tuũ: neq; enim hæres erit filius tuus cũ filio meo Isaac: sed, eijce ancillam, & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo.

Quam afflictionem Hagar audierit Dominus.

Eo quòd audierit Dominus afflictionem tuam.] Quærunt hic, quæ non fuerit ista afflictio Hagar quam Dominus audiuisse commemoratur. Hebræi exponunt de afflictione quã passa sit Hagar ex aborsu qui acciderit ei primùm propter contumaciã qua heram suam cõtempserat, deinde propter fugam, tertiò propter fatigationem ex itinere. Ideoq; dicunt legendum esse, Ecce concipies, & paries filium, sentiuntq; uiuificationẽ fœtus extincti in utero uocari ab angelo conceptionem. Et hanc sententiam approbat Lyranus, putatq; eam ex Hebræa posse lectione firmari, quæ habeat in futuro, Ecce concipies. Verùm hanc fabulam Burgensis rectè tanquam figmentum reijcit, & simul rationem Lyrani refutat. Neq; enim uerum est, quod ille in Hebræo haberi dicit: Ecce concipies. Etenim manifestè illic legitur ad hunc modum: Et dixit ad eam angelus Domini, הנך הרה, id est, Ecce tu imprægnata es. Sic & infrà cap. 38. nurus Iudæ dicebat: De uiro cuius hæc sunt אנכי הרה, id est, imprægnata ego sum. Quinetiam si expresse in forma futuri legeret הנך תהרה, id est, ecce tu cõcipies, haud tamen discedendũ erat à simplici ueritate historiæ, sed legendũ: Ecce cõcepisti. Norũt enim omnes Hebraicè docti, frequentissimũ hoc esse in scripturis, ut uerba præteriti tẽporis ponant in forma futuri, & de reb. futuris uerba legãt in forma præteriti, quemadmodũ hoc ipso loco manifestè patet, ubi ẽd nos in futuro legimus, Et paries, in Hebræo habetur

habetur uerbum pariendi in forma præteriti ילדת, id est, & peperisti. Et locus quem Lyranus ex 13. capite Iudicum citat, non habet uerbum futuri temporis, ubi conceptionis meminit. Sic enim legitur, הרית והיית ילדת בן quod rectè legi potest: Et concepisti, & paries filium, quamuis uerbum pariendi in forma præteriti sit positum. Sic statim sequitur: הרך חרת בילדת בן, id est, Quoniam ecce imprægnata es, & paries filium, quemadmodum etiam in uerbis mulieris ad maritum ipsius legitur. Nihil prorsus uetat, quo minus sentiamus Simsonem fuisse in utero matris conceptum, priusquàm illi loqueretur angelus, sicut & hoc loco Hagar grauida erat, antequàm appareret ipsi angelus. Vnde nihil etiam de conceptione amplius post discessum angeli legitur, sed simpliciter habetur: Et peperit mulier filium, & uocauit nomen eius Simson. Quare prorsus infirma est ratio Lyrani.

Restat itaq; ut afflictionem hanc intelligamus simpliciter eam, quã intulerat Sara. Nec impedit quod Replicator obijcit, non posse dici quòd Deus pœnam ancillæ superbæ iustè inflictam respexerit. Haud enim alienum à Deo est, ut etiam eorum misereatur, qui iustè affliguntur. Deinde accessit hic respectus Abrahæ, propter quam clemens fuit erga ancillam & illius semen.

OBSERVATIO I.

Et inuenit eam angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine, iuxta fontem qui est in uia Sur in deserto.] Obseruandum hic est exemplum diuinæ curæ ac prouidentiæ. Hagar profuga uelut ouis errans, idq; in locis desertis, non negligitur à Domino, sed misso angelo inuenitur. Pulchrè & conuenienter usus est Moses uerbo inueniendi. Inuenit angelus ouem quæ peritura uidebatur. Nihil hic est dandum angelo. Totum est curæ ac prouidentiæ Domini, cuius oculi etiam gressus errantium obseruant. Hic inuenire dicitur, quando desolatos colligit Sic Deut. 32. canit de Israele Moses. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & uastæ solitudinis. Hoc illius inueniendi studium à Christo exprimitur, quando illud Matth. 18. studio boni pastoris comparat, qui relictis nonaginta nouem ouiculis, unam errantem quærit, & inuentam humeris suis imponit, & cum gaudio reportat. Vide autem quàm pulchrè & commodè mulier profuga afflicta & fessa, utranq; & corporis & animi refocillationem sortita sit. In deserto reperit fontem aquarum. Vnde corporis uires æstu solitudinis & fatigatione itineris debilitatæ recreantur. Quid autem desideratius sitienti poterit contingere in deserto, quàm ut inueniat fontem aquarum? Ad fontem sedens inuenitur ab angelo Domini, & per hunc accipit diuinæ consolationis fluenta, quibus non minus recreatur animo, quàm corpore recreabatur ex aquis fontis. Atq; ita diuino munere simul tota refocillatur & animo & corpore. Hæc est plenitudo diuinæ bonitatis, unde miseri

Exemplũ diuinæ curæ ac prouidentiæ.

B refocillantur.

Deinde considera quo loco sint apud Deum electi. Nec Hagar, nec semen quod conceperat, per se respiciebantur. Verùm quæ hic facta legimus, in gratiam Abrahæ fiebant. Cogita quo animo fuerit Abram, cum fugisset ancilla ex ipso grauida. Etsi de ancilla non admodum curabat, sic tamen lapideus & inhumanus non erat, ut nulla seminis quod ex ipso conceperat, cura tangeretur, nihilq; utero prægnanti metueret. Et tamen profugam insequi ac reducere propter Saram, ne hanc exacerbaret, non audebat. Adest ergo angelus Domini implens ea quæ ab Abrahamo fieri debebant, ac simul releuans illum à cura qua tenebatur. Sic duplici nomine seruiebat angelus Abrahæ. Hoc est officium bonorum & angelorum & hominum, ut quod à fratre cum bona gratia fieri nequit, alius studio fraternæ dilectionis motus adimpleat, ac tristem onere curæ releuet. Si angeli ministri sunt electorum quanto magis conuenit ut nos eiusmodi ministerij non pudeat?

Quo loco sint apud Deũ electi.

Tertiò obseruandum est, quàm commoda sit angelus opportunitate usus. Poterat ancillam statim initio fugæ compellare, & de reditu admonere. Verùm distulit illud usq; in ipsam solitudinem, cum iam nonnihil solitudinis æstũ & incommoditatem experta delassataq;, ac dubio procul mœsta & cogitabunda sederet ad fontem. Sic dicit Moses: Et inuenit eam angelus Domini iuxta fontem in deserto. Non satis tempestiuè admonentur officij, qui nullis dum sunt erroris sui molestijs affecti. Dum pectus adhuc calet, & cœpto infistit, non præbet aures obtemperantes. Habet unumquodq; illicitum studium hoc in se, ut quantumuis initio arrideat carni, tandem tamen animum molestijs quibusdam fatiget. Vbi sensus iste molestiarum cœpit, tum demum locus sanis admonitionibus paratur.

Opportunitatis habendã esse rationem.

Quartò. Qui est in uia Sur.] Quod Hagar hanc erat uiam ingressa, quæ ducit in Aegyptum, unde nata erat, indicio erat, quòd nec de pietate domus Abrahæ, in qua dubio procul annos iam aliquot erat in statuta, nec de superstitionibus Aegypti cogitabat. Vides imaginem eorum qui cum ex tenebris ignorantiæ errorum ac superstitionum uelut ex Aegypto educti, & luce ueritatis ac pietatis instituti sint, ubi corriguntur per impatientiam disciplinæ ad pristinam religionis ac uitæ corruptionem quasi canis ad uomitum, & sus ad uoluabra luti reuertuntur.

Imago eorũ qui ad tenebras Aegypti reuertuntur.

OBSERVATIO II.

Et ait: Hagar ancilla Sarai, unde uenis, & quò uadis?] Obserua, quòd ancillam Hagar haud in morem peregrini, sed tanquam familiariter notam alloquitur. Non dicit, Mulier unde uenis: sed, Hagar, ancilla Sarai, unde uenis? & quò uadis? Cogitandum hic est, quàm familiariter noti sint angelis Dei, non solum electi, sed & electorum domestici. Quis autem satis perpenderit, quanta sit eorum hominum felicitas, qui angelis Dei sic sunt diuinitus commendati, ut quasi illorum uideantur esse amici & familiares? Nihil enim post Deum bonis est angelis placidius, nihil ad iuuandum pios propensius, nihil etiam uigilantius ac præsentius. Reperias Christianos, qui magni ducant, quòd dæmonis

Familiaritas angelorum.

alicuius familiaritate utuntur. Huiusmodi familiaritas non ad felicitatem, sed ad perditionem facit.

Commodè nominat eam ancillã Sarai.

Deinde & illud considera, quod non dicit, Hagar, uxor Abrahæ: sed, Hagar, ancilla Sarai, unde uenis & quo uadis? Hac appellatione pariter & interrogatione seruit causæ, quam agebat. Admoner eam de conditione seruili, deq; hera ipsius Sarah, denique de fuga. Quoniam oblita erat, esse se ancillam Sarai, cœperat illam contemnere, ac tandem potestate illius sese subducere. Rectè igitur nominat eam ancillam Sarai, & interrogat, unde ueniat & quò uadat. Docemur hoc loco, quomodo & ipsi, ubi arrogantes esse cœpimus, & ab obedientia Deo debita declinamus, sic appellandi simus, ut humilitatis nostræ admoneamur, & in uiam reducamur. Sic dicendum erat Ionæ prophetæ, cum à facie Dei fugeret: Iona, serue Dei, unde uenis, & quò uadis? Sic in scripturis uocamur filij Adæ, puluis & terra, ubi in superbiam elati semideos nos esse putamus. Plurimum habet efficaciæ, si delinquentes & conditionis officijq; sui oblati accommoda appellatione conditionis & officij sui admoneãtur. Vt, si minister Christi uel uerbis uel factis ineptiat, statim audiat, Minister Christi, quid dicis? uel, quid facis?

OBSERVATIO III.

Conscientia conuicta.

Et *dixit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.*] Vide hic exemplum conscientiæ conuictæ. Sentiebat se esse cognitam, atque inde cogitabat, etiam fugæ suæ causam non latere eum, à quo sic familiariter appellabatur: quare statim id quod res erat fatebatur, agnoscens Saram esse dominam suam, & confitens ab illius se facie fugere. Magna uis est conscientiæ conuictæ. Donec sentit caro haud esse se cognitã, malitiam & peccatum suum per hypocrisim obtegit, nec admonitionem emendationis admittit. Verùm ubi uidet se non posse conscientiam appellantis fallere, licet ægre, fatetur tamen admissum delictum.

Syncera cõfessio

Et illud obserua, quod nec fugam suam excusat, nec Saram dominam suam accusat, sed simpliciter & hanc dominam suam esse agnoscit, & quod ab illius facie fugiat fatetur. Habes exemplũ sinceræ confessionis. Non est sincera confessio, quæ utramuis habet adiunctam uel excusationem delicti, uel alterum accusationem.

Quãta fuerit honestas Sarai.

Simul cogita, quanta fuerit Saræ honestas, grauitas & inculpata integritas, in qua nec ancilla profuga reperit quod culparet. Solent profugi quocunq; poterunt prætextu & fugam suam excusare, & malignè de heris suis loqui. Verùm nihil tale factum hic est ab Hagar, id quod non modò resipiscentiæ illius, sed & inculpatæ honestati & integritati Saræ tribuendum esse iudico. Habent itaq; honestæ matronæ exemplum in Sarah quod imitentur.

OBSERVATIO IIII.

Ordo eorũ quæ angelus egit cũ Hagar.

Et *dixit ad eam angelus domini. Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.*] Obserua ordinem eorum quæ angelus Domini cum Hagar egit. Primùm reduxit eam in uiam & ordinem, ut quod peccauerat emendaretur, deinde de semine quo grauida erat subiecit. Hic ordo omnium rectissimus est & planè diuinus, quo corriguntur, primũ quę sunt corrigẽda, deinde si qua docenda sunt docenda. Etenim inconuenienter & inutiliter de rebus cognoscendis, aut præscendis instruitur, qui nondum delicta sua per resipiscentiam emendare constituit. In ordine disciplinæ ac scientiæ Dei primum locum obtinet emendatio uitæ, deinde cœlestium rerum scientia rectè traditur resipiscentibus. Sic prædicationem

De Concilio Tridentino.

suam non modò Ioannes, sed & Christus ipse à resipiscentia inchoauit. Hoc ordine debebant Episcopi & prælati in concilio Tridentino ante omnia factum, auaritiam, simoniam, & uitæ impuritatem in scipsis per resipiscentiam emendare, ac tum de capitibus Christianæ religionis inquisitionem ex S. scripturis instituere, quæ aliàs infelicissime à Simoniacis, superbis, auaris, scortatoribus, ociosis uentribus, & aliijs id genus hominibus præsumitur. Vociferandum initiò erat: Si quisquam in hanc Synodo simoniacus est, deponatur & ad pœnitentiam redigatur. Si quisquam impurus & flagitiosus est, ejiciatur, &c. Verùm bone Deus quantum numerum sanctorum patrum in concilio isto remansurum fuisse putabimus?

De mansuetudine seruanda in corrigendis errãtibus.

Deinde nec illud transeundum est, quod non obiurgat eam, nec improperat contumaciam & insolentiam, qua usa erat aduersus heram suam, & fugam, qua se potestati subducebat cui erat per omnem uitam obnoxia, sed mansuetè & placidè hortatur, ut ad heram suam reuertatur, eiq; se humiliter subiiciat. Huius modestiæ tres cogitari possunt causæ. Prima est, quod hæc est natura spirituum cœlestium & iustorum, ut cum peccatoribus clementer & mansuetè agant, à qua spiritus pharisęorum, iustitiarum, & hypocritarum omnium sunt alienissimi. Secunda est, quod aliter agendum nonerat, cum

Tres causæ mansuetudinis seruãdæ.

muliercula factum suum nec dissimulãte, nec excusante. Tertia, quod parcendum erat grauidæ, & alioqui turbatæ. Discant hoc angelico exemplo ministri uerbi, immo Christiani omnes, qua debeant mansuetudine & modestia errantes & delinquentes fratres ad resipiscentiam reuocare. Requirit hoc Apostolus à spiritualibus Galat. 6. Vide locum. Scio cumobduratis, contumacibus & impœnitentibus aliter esse agendum, uerùm id facilius multo est, quàm præsens mansuetudinis angelicæ imitari exemplum.

Efficacia mãsuetudinis.

Et hoc cogitemus. Nulla usus est angelus Domini seueritate in corrigendà profuga, & ramen mansuetudine sua id quod uolebat effecit. Discamus quanta sit uis mansuetudinis apud animos non deplaratos, sed corrigibiles. Vulgo dicitur: Generosus est hominis animus, magis ducitur quàm trahitur. Inuenias innumeros qui seueritate intempestiua magis exasperentur quàm emendentur. Tertiò,

Tertiò, consideremus etiam quàm scite admoneat dicens: Et humiliare sub manu eius. Non solum innuit, quid debeat seruus hero, & ancilla dominæ suæ, sed & fideliter consulit seruis & ancillis, ut per humilitatem in ordine se contineant, innumerasq; molestias deuitent, quibus alioqui ultrò sint obnoxij futuri, si per impatientiam & contumaciam potestati sese, cui subiecti sunt, subduxerint. Sic non modò quod iustum & æquum est, sed & quod accommodum est tranquillitati nostræ, diuina admonitione proponitur. Non potest satis perpendi quanta sit utilitas adhortationis huius angelicæ, qua ad ancillam elatam & profugam dixit, Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu eius. Proponenda est omnibus filijs, seruis, subditis, ac discipulis per contumaciam competentem sibi disciplinam auersantibus ac fugientibus. *Vtilitas humilitatis et submissionis.*

Quartò & illud perpendamus. Cõtumaci & profugæ nihil proponit angelus Domini aliud, quàm ut ad heram suam reuertatur, & sub manu illius humilietur. Nulla alia satisfactio pœnitentiaria imponitur, quàm qua peccatum corrigatur. Correctio autem illicitæ fugæ est debita reuersio: & quod per animi elationem & contumaciam delictum est, rectè per humilitatem & submissionem corrigitur. Hæc demum uera est pœnitentia, prompta peccatorum emendatio. Sed ea quantumuis in conspectu Dei sufficiens habeatur, ab illis tamen in Ecclesia explauditur, qui magis quæstum suum quàm animarum salutem quærunt. Quare mare quoddam satisfactionum excogitarunt, quibus mirabiliter & quæstum suum prouexerunt, & animas mortalium diuexarunt. *Vera satisfactio.*

Nec illud transire possum. Plausibilis uox est, Reuertere ad dominã tuam, & humiliare sub manu illius. Occinunt hæc nobis Romanis sedis mystæ & satellites. Sine reuersione, inquiunt, & humilitate nemo saluari potest Profugi estis à sacrosancta Romana Ecclesia, illiq; per contumaciam resistitis. Si Hagar peccauit contemnendo heram suam, & à facie illius fugiendo, ideoq; ab angelo audiuit, Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu eius: quanto grauius uestrum est peccatum, qui Romanam & Apostolicam Ecclesiam dominam uestram, contemnitis, & à facie illius fugientes schisma constituistis? Quare perpetuò uobis admonitio hæc angelica inculcanda est: Reuertimini ad dominam uestram Romanam Ecclesiam, & humiliamini sub manu illius. Nisi enim hoc feceritis, peribitis. Respondemus: Erat Hagar ancilla Saræ: id quod sciebat & agnoscebat. Nos non sumus serui Romanæ Ecclesiæ. Habemus per superbiam dominam suam legitimam contempserat, nos graui & necessario dolore impulsi, per conscientiam dominatum Romanæ Ecclesiæ respuimus. Hagar à legitima domina meritæ disciplinæ impatiens profugerat: nos à Babylone scortatione ac tyrannide illius offensi defecimus. Hagar rectè ab angelo admonebatur, ut reuerteretur ad dominam suam, ac sub manu illius humiliaretur: nos uerò angelica uoce cœlitus admonemur, ut exeamus de Babylone, caueamusq; ne delictorum eius participes inueniamur, ne & plagarum illius cõsortes reddamur. Apoc. 18. quem locum & Hieron. ad Romam applicat, fugamq; suam hac admonitione cœlesti tuetur. *De reditu ad dominam meretricem sedis Babylonicæ.*

OBSERVATIO V.

Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine.] Cogitandum hic est de multitudine filiorum carnis ad promissionem & electionem pertinentium, quam singulari consilio Dei tribuere debemus. Semen illud cuius hic multiplicatio promittitur, erat Ismael, unde sunt Ismaelitæ & Hagareni. Origo quidem illorum erat ex lumbis Abrahæ, sed non ex utero electionis ac promissionis, ideoq; non Abrahæ, sed matri Hagar adscribuntur, cuius hic semen uocantur. Hos perinde multiplicauit Dominus, atque ipsum promissum semen Abrahæ. Haud quidum curiosius inuestigare debemus, quare gentem impiam, & à fœdere ipsius alienam tantopere multiplicare uoluerit. Verùm si rem ipsam piè ac moderatè consideremus, deprehendemus hanc esse bonitatis illius abundantiam, quã sic erga dilectum suum Abrahamum declarare uoluit, ut etiam ancillæ filium, quoniam ex ipso conceptus erat, temporaliter benedicere & insigniter multiplicare constituerit. Vnde admonemur temporaria illa bona, multiplicationis, gloriæ, opum, potentiæ, non ad consilium electionis pertinere, neq; argumentum habere gratiæ adoptionis, sed referenda esse ad exuberantiam bonitatis Dei, qua certis de causis etiam impijs nationibus temporaria bona largitur. *De multitudine filiorum carnis.*

Ismaelitæ & Hagareni quoniam consilia Dei non intelligunt, propter multiplicationem hanc & terrenam potentiã inflati, humilitatem originis maternæ non agnoscunt, ideoq; non Hagareni, sed Saraceni uocari uolunt. Eodem spiritu uideas hodie filios alienos in Ecclesia propterea quòd multitudine, gloria, & potentia excellunt, uindicare sibi uerorum Christianorum nomen, & contra uerum semen Abrahæ arrogantissimè insolescere. *Superbia Ismaelitarum.*

QVAESTIO VI.

Ecce *concepisti, & paries filium, uocabisq; nomen eius Ismael, eo quòd audierit Dominus afflictionem tuam.*] Primùm, uidemus hic, non esse adeò magni momenti rem, si nascituri pueri prædicatur diuinitus nomen & fortuna. Accidit enim hoc etiam Ismaeli, ubi non licet ut factum hoc esse dicamus propter illius sanctitatem, uel propter miraculum aliquod, sicuti Lyranus cum Iudæis suis ineptit. Quin hoc potius agebatur. Primùm gratificabatur hoc oraculo Abrahæ. Deinde quoniam Hagar filium suum erat nutritura, ne ignara esset eorum, quæ ad illum pertinebant, usum est prouidentiæ Dei, illam hisce de rebus præmonere, & erigere, quo & reliquas afflictiones & molestias *De prædictione nominis & fortunæ.*

confirmatiore

cõfirmatiore animo ferret, & pueri curam in se alacrius sumeret. Sic uidemus Deum haud contemnere seruilis & humilis conditionis personam, quo minus illam instruat ad ea obeunda ad quæ est delecta.

De ratione impositi nominis.

Deinde quòd de nomine præscribens dicit, Vocabis cq; nomen eius Ismael, eo quòd audierit Dominus afflictionem tuam, non est sine singulari consilio Dei factum. Nam ea re consultum est, non solum matri, ut memoriam gratiæ retineret: sed & ipsi puero simul ac posteris illius, quos uel nomen hoc, Ismael, id est Deus audiuit, ueri Dei admonere poterat, ne à cultu illius ad alienos deos deficerent. De ratione autem imponendorum nominum, si quis plura desiderat, uideat commentarios nostros in Matthæum cap. 10.

Audit Dominus afflictionem afflictorum.

Tertiò, in eo quod dicit, Eo quòd audierit Dominus afflictionem tuam, non solum illud est animaduertendum, quòd gemitus & suspiria afflictorum audit Deus: sed & quòd eorum quoq; afflictionem audit, qui non immeritò, sed suapte culpa affliguntur. Quod enim Hagar affligebatur, contumaciæ ipsius tribuebatur. Et tamen uel sic afflictam non abiecit Dominus, sed clementer respexit. In summa, sic est comparata bonitas Dei, ut quorumuis afflictorum misereatur, etiam eorum quos uel ipse propter peccata ipsorum, uel affligunt, præsertim, si in afflictione sua ad ipsum ingemuerint, & clamauerint. Pia nè est hæc paterna bonitas, qua pater filij quouis modo afflicti miseriam suscq; deq; facere non potest.

OBSERVATIO VII.

Stultitia mater est ferocitatis. Vulgo ein bôser esel.

Hic erit ferus homo. Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione uniuersorum fratrum suorum figet tabernacula.] Principiò illud cogitemus. In Ebræo est est פרא, quæ uox onagrum, id est asinum syluestrem sonat, sicut uidere est Psalmo 104. uersu 11. Asinus per se animal stultum est. Huic si addas syluestrem feritatem, quid aliud consequetur, quàm syluestris ac feralis stultitia? Duo magna mala coniunguntur in Ismaele, stultitia uidelicet & feritas, ut rectè dixerit ille, insciti am matrem esse feroci tatis. Contrà, uera sapientia, mater est placiditatis & mansuetudinis.

Bestiales homines.

Deinde obserua quod non simpliciter dicit, Hic erit פרא: sed addit, אדם, id est, homo. Habes imaginem eorum hominum, qui forma quidem corporis referunt homines, uerùm ingenio & moribus usq; adeò ferociunt, ut bestias magis referant quàm homines, digniq; sint qui magis oberrent in syluis & solitudine inter bestias, quàm qui uiuant inter homines.

Feritas semini datur nõ electo, sed seruili.

Tertiò. Considera & illud, quàm conuenienter feritas ista tribuatur semini non Abrahæ, sed ancillæ: non libero, sed seruili: non promissionis, sed carnis: non genuino, sed degeneri. Vides imaginem filiorum alienorum, filiorum carnis, filiorum degenerum. Inscrutabilia sunt diuinæ electionis arcana. Verùm B scuti Christus admonet, ex fructibus debemus cognoscere arbores. Filij alieni, degeneres & carnales hoc sunt ingenio, quales hic in Ismaele delineantur. Sunt feri homines, ac manus illorum sunt contra omnes, etiam fratres. Verùm germani filij Abrahæ, filij electionis ac promissionis, sunt non onagri, feri homines, sed mansueti ac placidi: manusq; illorum sunt non contra omnes, sed pro omnibus, præsertim fratribus. Nota sunt utrorumque exempla. Illorum in Cain, Ismaele, Esau, &c. istorum in Habel, Isaac, Iacob, &c.

Aequitas talionis.

Illud, quod dicit, Et manus omnium contra eum, admonet nos iusto Dei iudicio fieri, ut qui communis est omnium hostis, quemadmodum manus illius aduersatur omnibus, ita ipse uicissim impugnetur ab omnibus. Locum habet hic talionis æquitas. Verùm si consideres & ingenium & sortem electorum, agnoscendum est, sic esse illos comparatos, ut haud rependant uicem hostibus suis (neq; enim malum pro malo reddunt) & quamuis benefaciant, quantum in ipsis est, omnibus, omnium tamen sint odio expositi. Manus illorum contra neminem, sed pro omnibus est, & tamen omnium contra se manum ferre coguntur. Solentur se exemplo Christi, qui quamuis communis omnium uenerit Seruator, omnium tamen odio perinde atq; signum contradictionis imperitur. Et ut sciamus eidem nos esse sorti obnoxios, manifestè prædixit: Et eritis odio omnibus propter nomen meum.

Vocauit autem Hagar nomen Domini qui loquebatur ad eam, Tu Deus qui uidisti me. Dixit enim, Profectò hic uidi posteriora uidentis me. Propterea appellauit puteum illum puteum uiuentis & uidentis me. Ipse est inter Kades & Barad. Peperitq; Hagar Abrahæ filium, qui uocauit nomen eius Ismael. Octoginta & sex annorum erat Abram, quando peperit ei Hagar Ismaelem.

LECTIO.

Tu Deus qui uidisti me.] In Ebræo est: אתה אל ראי, id est, Tu Deus uidens me. Græc. habet σὺ ὁ θεὸς ὁ ἐπίδων με, id est, Tu Deus aspiciens me.

Profectò hic uidi posteriora uidentis me.] Ebræa sic habent. הגם הלם ראיתי אחרי ראי, id est, an non etiam hic uidi post uidentem me? Græcus uertit, καὶ γὰρ ἐνώπιον εἶδον ὀφθέντα μοι, id est, Etenim coràm uidi apparentem mihi.

Puteum uuentis & uidentis me.] In Ebræo non est coniunctio Et, sed simpliciter, puteum uiuentis, qui uidet me. Græca sic habent: ἐπὲνο φρεαϛ οὗ ἐνώπιον εἶδον, id est puteus ille est eius quem coràm uidi.

Ipse est inter Kades & Barad.] In Ebræo est: Ecce inter Kadesh & Bared. Græcus pro Bared legit

A legit Barach. Pro litera daleth usurpauit caph finale. Hieron. legit Barath.

Qui uocauit nomen eius Ismael.] In Ebræo est: Et uocauit Abram nomen filij sui, quem peperit Hagar, Ismael. Sic uertit & Græcus.

EXPLANATIO.

Quod attinet historiam hanc Hagar ancillæ Saræ, tria præcedentibus adijcienda uidentur, de discessu uidelicet angeli, deq; reditu Hagar ad dominam suam, & de partu illius. Duo priora haud quidem expresse ponit Moses. Verùm ea commemorat, unde de utrisque satis conijci poterit, si quis diligenter quæ dicuntur legat. Etenim de discessu angeli ex eo patet, quòd Hagar post uidentem se uidisse scribitur, id quod sensu historico referendum est ad id quod discedentis à se angeli tergum uisu est prosequuta. De reditu Hagar primùm ex eo colligere licet, quod intellexisse commemoratur, loquutum esse sibi Dominum Deum uiuentem ac se uidentem. Vnde dubio procul sufficientissimè admonita & mota fuit, ut sicuti iussa erat, ad dominam suam reuerteretur. deinde reuersam etiam esse ex eo manifestum est, quòd in domo Abrahæ peperit Ismaelem. Cuius rei indicium ex eo est, quòd ipse Abram puero nomen imposuit. De tertio, partu uidelicet Hagar manifestè narratur. Dicit itaq; Moses.

Vocauit autem Hagar nomen Domini qui loquebatur ad ipsam, &c.] Commemorat ista Moses ad exprimendam angelicæ huius apparitionis efficaciam, qua factum est ut Hagar sine ulla dubitione intellexerit loquutum esse sibi Dominum. Persuasionis huius argumenta duo ponit: unum est, quòd Hagar nomen eius, qui ipsi loquutus fuerat, statim uocauit, אל ראי, id est, Deus uidens me, secumq; in corde dixit, quod etiam hic post uidentem se uiderit. Alterum, quòd eam ob causam etiam puteo hoc nominis dedit, ut uocaret eum puteum uiuentis ac se uidentis. Hisce argumentis satis patet, persuasam fuisse Hagar de oraculi diuini certitudine. Addit Moses topographiam putei, dicens: Ecce inter Kades & Barad. de Cades notum est, de Bared non ita celebris est noticia. Sonat uox ipsa idem quod in descensu. quòd forsan eo loco de montanis ad campestria descendatur. Annotat Hieronymus puteum hunc suo adhuc tempore uocatum esse puteum Hagar.

Peperitq; Hagar Abrahæ filium, &c.] Duo hic dicit. Vnum, de natiuitate Ismaelis: alterum, de ætate Abrahæ, qua tum erat cum nasceretur ipsi Ismael. Textus clarus est, non egens expositione. Annus ille in quo est natus Ismael, ætatis Abrahæ erat octogesimus sextus, sicuti Moses hic exprimit: habitationis uerò in terra Chanaan undecimus. Nam annos natus 75. de Charran migrauit in terram Chanaã: B quibus si annos undecim addideris, habes numerum 86. annorum.

QVAESTIO I.

Et uocauit nomen Domini loquentis ad se, Tu Deus uidens me.] Mouetur hic quæstio, quomodo ista cõueniant cum præcedentibus, ubi manifestè Moses angelum Domini inuenisse ancillam Saræ ad fontem, illiq; loquutum esse dixit. Tertiò dixit: Et loquutus est ad eam angelus Domini. Ipsum illi loquutum esse Dominum, ne semel quidem dixit. Hic dicit: Et uocauit nomen Domini, יהוה uidelicet, loquentis ad se, Tu Deus uidens me. Si est illi loquutus angelus Domini, qũo datur illi nomen יהוה, quod uni Deo peculiariter ac soli cõuenit? Quod Hagar loquentem sibi uocat אל, id est Deum, errori dandũ uidetur, quo angelum Dei Deum aliquem esse putarit: nisi & Moses illum uocaret Iehouah, id quod erroribus tribuere non possumus.

Quomodo angelo detur nomen Iehouah, quod soli Deo competit.

Respondent communiter, angelum Domini propterea uocatum esse Iehouah à Mose, & Elab Hagar, quod missus esset à Domino Deo, & illius uerbum administrasset. Sic angelus qui Mosi loquutus est in deserto, frequenter & ipse Dominus Deus est appellatus. Hac ratione & Principes ac magistratus in scripturis Psalmò 82. Dij uocantur, exponente Christo Ioan. 10. Sententiam hanc non improbo. Verùm si uerba Mosis expendas diligentius, apparet eum non de angelo, sed de ipso angeli Domini loquutum esse ad Hagar, ne quis in persona angeli hæreat. Per angelum quidem factum est uerbum ad Hagar, & uerbũ hoc non erat angeli, sed ipsius Domini. Quare noluit dicere Moses: Et uocauit nomen angeli loquentis ad se: sed, Et uocauit nomen Iehouah, Domini, loquentis ad se, quia ipse respectus Hagar non fuit ad angelum apparentem, sed ad ipsum Dominum per angelum sibi loquentem. ideoq; non dixit, Tu angelus Dei es uidens me: sed, Tu Deus uidens me. Quid, quæso, magni dixisset, si ab angelo se uisam esse dixisset? Quod uerò intelligebat se ab ipso Deo cœlitus esse uisam ac quæsitam, id demum magni ducebat. Quare omnem hanc apparitionem non ad angelum, sed ad ipsum Deum referebat.

QVAESTIO. II.

Quoniam dixit: An non etiam hic uidi post uidentem me?] Poterit hic quæri, quare non dicat, Vidi faciem uidentis me: sed, Vidi post uidentem me.

Quare non dixerit Hagar, uidi faciem uidẽtis me.

Alij aliter sentiunt. Sunt qui dicant angelum sic apparuisse illi, ut facies eius esset auersa, ne nimio illius splendore percelleretur & retrò abigeretur, uel in faciem prosterneretur, ideoq; nequuisse illam faciem angeli loquentis sibi uidere. Rursus sunt qui sic exponant: Vidi hic in deserto angelũ Domini, post quàm uideram eum antè in domo Abrahæ. Hi legũt: Hic uidi post uisum meũ. Verùm quoniam conuenit nos esse studiosos simplicitatis historicæ, citra alicuius præiudiciũ arbitror angelũ Domini facie apparuisse

paruisse haud auersa, sed ad ipsam Hagar cui loquebatur consueto salutantium ac colloquentium more directa. Crediderim autem Hagar pro muliebri pudore & uerecundia facie fuisse in terram demissa, & haudquaquam in uultum loquentis sibi angeli intendisse, atq; ita tum demum, cum à se discederet, leuatis oculis discedentis à se tergum uidisse. Hoc simplici sensu facilè liquet, quare non dixerit, Vidi faciem uidentis me: sed, Vidi post uidentem me, uel tergum, aut posteriora uidentis me.

Scio quid ad Mosen dixerit Dominus Exod. 33. cum gloriam illius uidere cuperet, quod uidelicet posteriora ipsius uisurus esset, faciem uerò uidere non posset, quibus uerbis significatur diuinæ Maiestatis gloriam mortalibus oculis uideri non posse. Aliud enim est, faciem uidere formæ apparenter assumptæ, sicuti Moses uidit, cum facie ad faciem cum Domino loquutus èst: & aliud, ipsius diuinitatis gloriam ac claritatem ex aduerso uidere. Verùm ista accuratiorem considerationem requirunt, quàm quæ historicæ simplicitati conueniat.

OBSERVATIO I.

Sensu beneficiorum Dei non ad ministros, sed ad ipsum Deum exigendi sumus.

Et uocauit nomen Domini loquentis ad se, Tu Deus uidens me.] Principiò considerandum est specimen hoc pietatis in Hagar ancilla Aegyptia, quòd accepta per angelum, id est nuncium Dei, admonitione & instructione, spiritum suum ab angelo ad ipsum Dominum eleuauit dicens, Tu Deus es, qui uides me. Admonemur hac cõsideratione omniũ pulcherrima & summopere necessaria, ut & ipsi, quoties aliquo beneficio Dei, per quemcunq; id fiat, afficimur, confestim, quasi gusto quodam diuinæ bonitatis accepto, ad ipsum Dominum Deum nostrum spiritu eleuemur, & acceptum beneficium non internuncio illius ministro, sed ipsi adscribamus. Hic est affectus filiorum. Quæso si pater filio inter extraneos, aut aliàs in afflictionibus constituto nuncium mittat, & paternæ curæ suæ consolationem illi proponat, quid aliud primo loco in corde filij excitabitur, quàm raptus animi ad patris ipsius curam & sollicitudinem agnoscendam & exosculandam? Sic de Hagar Moses hic non dicit: Et uocauit nomen angeli loquentis ad se: sed, Et uocauit nomen Domini loquentis ad se. Vtinam in Ecclesia obtineat hic affectus, ut nemo Christianorum à ministro Dei uel angelo, uel homine quantumuis sancto pendeat, sed ipsum sibi Dominum per internuncios suos loquentem ac benefacientem sentiat & fateatur. Sic Psal. 34. cum ceciniisset propheta dicens: Castrametatur angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripit eos, non subiecit: Gustate & uidete quàm suauis sit angelus: sed, quàm suauis sit Dominus. Nemo satis expresserit quantum mali ex eo creuerit in Ecclesia, quòd mentes hominum in sanctis, ministris Dei, angelis & hominibus hærere, illosq; impensius admirari, suspicere & colere cœperunt.

De affectu afflictorum.

Deinde obseruandum est, quod Dominum per angeli ministerium ad se loquentem uocauit רֹאִי־אֵל, id est, Tu Deus uidens me. Colligebat ex apparitione angelica, afflictam se & iam in deserto oberrantem uideri à Domino, uideri inquam, non quomodo uidet omnes filios hominum, Psal. 32. sed quomodo uidere solet miseros cum tribulantur, sicuti Psal. 105. propheta canit dicens: Et uidit cum tribularentur. Cogita hic de affectu afflictorum. Dum omnium solatio destituuntur, sic sibi desolati ac deserti uidentur, ac si prorsus nemo sit qui ipsis condoleat, & aliqua iuuandi ipsos cura teneantur. Iudicant omnium & oculos & animos à se prorsus esse auersos, qui desolationis ac desertionis sensus ipsa illis est afflictione grauior & molestior. Haud enim tam miseri ex eo sibi uidentur quòd affliguntur, quàm ex eo quòd afflicti ab omnibus, etiam notis & amicis, negligi ac deseri uidentur. Quare omnium illis suauissimum est, si se à quopiam uideri, hoc est, cuipiam se curæ esse senserint. Huiusmodi affectus planè est in uerbis Hagar, quibus post acceptam angelicam consolationem Dominum Deum suum, Deum se uidentem uocauit. Est autem affectus huius emphasis in eo, quòd non simpliciter dicit, Deus uidet me: sed per apostrophen, Tu Deus es qui uides me. Quasi dicat: Desertam ab omnibus tu Deus non deseris, sed uides & colligis.

OBSERVATIO II.

Magnæ consolationis est, quod desolati & afflicti à Domino uidentur.

Dixit enim, An non etiam hic uidi post uidentem me?] Obserua. Non simpliciter dicit, quod post uidentem se uiderit: sed cum admiratione, An non, inquit, hic quoque post uidentem me, uel, tergum uidentis me uidi? Verosimile est, uidisse illam angelos Dei in domo Abrahæ frequentius. Iam ubi angelum Dei etiã in deserto ad fontem sibi apparentẽ & loquentem uidit, admodũ admirata in hæc uerba prorupit dicens: An non hic quoq; uidi tergum uidentis me? Planè stupebat, quod profuga ac afflicta in solitudine uidisset angelum Dei, in qua omnia uidentur deserta esse ac desolata. Et reuera non tam uidetur admirabilem curam ac prouidentiam Dei referre, si in domibus & contubernijs sanctorum præsentiam suam declaret, q̃ si id faciat in locis desertis, in tempestatibus maris, in carceribus, & alijs consimilibus locis. Nam ex eo euidentissimè colligitur, oculos Domini super eos esse, quos curæ suæ commendatos habet, quocunque tandem loco degant uel detineantur. Hinc illud Dauidis: Si ambulauero in uallе umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quis dubitat mirabilius uisum fuisse Petro, quod in carcere constitutus uisitatus fuit ac liberatus ab angelo Domini, quàm si circa Christum multa uidisset angelorum millia? Huiusmodi diuinæ gratiæ uisitationis mirabiles ac suaues redduntur, consideratione loci, desolationis & afflictionis, & propriæ humilitatis. Sic mirum uidebatur ancillæ huic, quòd in solitudine, afflicta ac desolata, profuga etiam & serua, non fuisset in oculis Domini neglecta & deserta. O felicitatem prorsus admirandam diuini huius aspectus, quo fit, ut locus desertus non sit desertus: & qui desolati uidentur, nihil minus sint quàm desolati.

Et

Et illud considerandum est. Vidit Hagar non faciem, sed tergum uidentis se Domini. Accidit hodie quoq; ut interea dum loquitur nobis Dominus, loquentem non agnoscamus in præsenti, sed tandem loquutum nobis esse intelligamus. Hoc quid aliud est, quàm non faciem loquentis, sed tergum discedentis agnoscere? Sic accidit & parentibus Simsonis, qui angelum Dei præsenter ipsis loquentem non agnouerunt, agnouerunt uerò discedentem. Et utinam saltem discedentem Deum agnoscamus, & oracuium illius ex animo complectamur.

Non ita cognoscitur Dominus in præsenti quando nobis loquitur si cuti discesſit.

OBSERVATIO III.

Propterea appellauit puteum illum puteum uiuentis & uidentis me.] Vide studium pietatis in Hagar, quo fonti quoq; ad quem sedenti ipsi loquutus fuerat angelus Domini, memoriam diuinæ apparitionis & gratiæ imponere uoluit. Sic & Iacob, cum noctu iuxta Luzam quiescens scalam cœlestem, angelosq; Dei descendentes & ascendentes uidisset, mane euigilans ciuitatem illam Bethel, id est domum Dei uocauit. Digna sunt huiusmodi loca quæ perpetua reddantur diuinæ gratiæ monumenta. Poterat sic Nathanael ficum, sub qua fuerat, ficum uocare uidentis se Christi. Ioan. 1.

Pietas Hagar.

Deinde & illud obserua, quod Deum uocat uiuentem & uidentem se. Pulcherrima coniunctio uitæ ac uisionis in Deo considerandaa uenit. Viuere uidetur Deus, quando suorum se curam gerere declarat. Rursus quasi mortuus apparet, quando illi in afflictionibus quasi desolati uidentur. De uita Dei testantur opera Dei, alioqui inuisibilis & incomprehensibilis. Viuere Deum nemo piorum dubitat. Si constat eum esse uiuentem, à quo per quem & in quo uiuunt omnia, ne dubitemus eum etiam esse uidentem ut insanissimi sint qui dicunt: Deus non uidet.

Coniunctio uitæ & rationis in Deo.

OBSERVATIO IIII.

Et peperit Hagar Abrahæ filium. Et uocauit Abram nomen filij sui quem peperit ipsi Hagar, Ismael. Et Abram natus erat annos 86. &c.] Obseruandum est hoc loco, quòd Hagar non simpliciter peperisse, sed tertiò memoratur peperisse filium Abrahæ, cum tamen non esset hic filius hæres futurus Abrahæ. Deinde, quòd Abram nato puero nomen imposuit, cum ad ipsam Hagar dixisset angelus, Et uocabis nomen eius Ismael. Videmus hic paterni iuris exemplum. Ancillæ Hagar hic nihil tribuitur, quàm quòd conceperit, & postea conceptum filium pepererit. Cæterùm filium quem peperit, non sibi ipsi peperit, sed Abrahæ, unde illum conceperat. Sic matri nihil relinquitur, quàm officina generationis, molestiaq; & labores parturitionis. Quod nascitur, nascitur patri, ut fructus assignetur ei qui seminauit. Præclara est ista paterni iuris prærogatiua, ut non solum uxor subsit marito, sed & proles ex uxore nata ad ius patris pertineat. Quare haud præter rationem est, quod Apostolus non mulierem, sed uirum imaginem Dei esse dicit. Hanc gloriam in confusionem scortatores & adulteri peruertunt.

Exemplum iuris paterni in sobolem suam.

B In eo, quod non Hagar, sed ipse Abram nato sibi filio nomen imposuisse memoratur, cum tamen ad ipsam Hagar dixisset Angelus, Et uocabis nomen eius Ismael, manifestè uidere licet, ne per diuinũ quidem oraculum infringi ius paternum. Etenim nominis impositio pertinet ad patrem, cuius est infans. Quare quod angelus ad Hagar dixerat, Et uocabis nomen eius Ismael, licet id Abrahæ sit per illam indicatum, ipsam tamen nominis impositionem, quæ dubio procul solenni aliquo ritu fieri solebat, non ademit paternæ potestati, sed hanc illi intactam reliquit.

Ius paternum diuino quidẽ oraculo infringitur.

Postremò nec illud transeundum est, quod dicit: Et Abram natus erat annos 86. quando peperit ei Hagar Ismaelem. Non erat hic Ismael semen electum, quod centesimo demum anno ex Sara nascitum erat. Et tamen passus est Dominus moras illas annorum uigintiquinq;, quibus Sara in terra Chanaan usq; ad natiuitatem Isaac sterilis permansura erat, natalibus Ismaelis uelut interstitio quodam prope circa medium uigintiquinq; annorum nonnihil releuari, ne continua prolixitate animum & fidem Abrahæ nimium grauarent & infirmarent. Putabat enim ille se iam accepisse promissum semen, cum Ismaelem ex Hagar sustulisset, præsertim cum dixisset de illo angelus: Multiplicans multiplicabo semen tuum, nec numerabitur præ multitudine, id quod in speciem concordabat cum promissionibus præcedentibus. Sic uidemus subinde fieri, ut etiã pij uiri per errorem aliquandiu recreentur, ne diuturniore patientiæ mora frangantur. Hæc est conniuentia Dei erga suos, qua singulari quadam dispensatione infirmitatis illorum rationem habet. Sic solet pater cum filijs suis agere, nondum per ætatem satis gnaris rerum uel agendarum uel ferendarum.

Etiã pij uiri per errorem aliquã do recreantur.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Init Deus pactum cum Abrahamo, repetitq; promissiones de multiplicando illius semine, ac de possessione terræ Chanaan. Deinde pacto adijcit etiam signum, circumcisionem uidelicet præputij. Tertiò promittit illi filiũ ex Sarah. Quartò narratur, quũ Abram pacto Dei obediens domesticos suos masculos uniuersos circũciderit.

PRIMA PARS CAPITIS HVIVS.

Postquàm uerò nonaginta & nouem annorum esse cœperat, apparuit ei Deus, dixitq; ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus, ponamq; fœdus meum inter me &

te uehementer nimis. Cecidit Abram pronus in faciem, dixitque ei Deus: Ego sum, & ponam pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Nec ultrà uocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te, faciamque te crescere uehementissimè, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te. Daboque tibi & semini tuo post te terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum.

LECTIO.

Postquàm uerò 99. annorum esse cœperat.] In Ebræo non est, Esse cœperat: sed, Et erat Abram 99. annorum.

Ego Deus omnipotens.]Ebræus habet, אני אל שדי, quod quidam reddunt: Ego Deus abundè sufficiens, uel, omnisufficiens. Tale quid enim uocula Shadai significare uidetur. Græca lectio habet: Ἐγώ εἰμὶ ὁ θεὸς σου, id est, Ego sum Deus tuus.

Ambula coram me, & esto perfectus.] In Ebræo est והיה תמים, id est et sis integer, sincerus, candidus. Græcus sic habet: σὺ δὲ εὐαρέστησον ἐνώπιόν μου, καὶ γίνου ἄμεμπτος, id est, uersare coram me placidè, & sis irreprehensibilis. Chaldæus sic uertit, פלח קדמי רחיר שלים, id est, serui coram me, & sis integer.

Ego sum, & ponam pactum meum tecum.] In Ebræo sic. אני הנה בריתי אתך, id est, Ego: ecce pactum meum tecum.

Erisque pater multarum gentium.]Ebræus habet, Et eris in patrem multitudinis gentium. Et Græcus uertit, καὶ ἔσῃ πατὴρ πολλῶν ἐθνῶν. id est, Et eris pater multitudinis gentium.

Quia patrem multarum gentium.] Sic & Græcus hic legit. Verùm in Ebræo rursus est, multitudinis gentium.

Et ponam te in gentibus.]Melius est: Et ponam te in gentes. Sic & Græcus legit.

EXPLANATIO.

Postquàm uerò nonagintà nouem annorum esse cœperat.]Appropinquauerat tempus illud diuinitus constitutum, quo pars ea promissionum Dei adimplenda erat, quæ semen benedictionis, ex ipsa Sarah futurum, restaretque unus duntaxat annus ad natales Isaac, uisum est Deo apparere illi, & non simpliciter præcedentes promissiones illi repetere, sed & fœdus cum illo ac semine eius perpetuò duraturum erigere, & competenti quasi sigillo obsignare, deinde & futurum breui partum Saræ prædicere. Vt huius admoneret Moses, non simpliciter apparitionem Dei describit, sed & tempus ætatis Abrahæ præmittit, dicens: Et erat Abram 99. annorum.

Apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Deus omnisufficiens. Ambula, &c.] Si quis oraculi huius uerba non diligenter distinxerit, existimabit inesse illis confusam quandam congeriem, & superuacaneam rerum earundē repetitionem. Quare uidendū est de ordine, quo nihil hic esse confusionis appareat. Principiò alloquitur Abrahamum Deus ad hunc modum: Ego sum Deus omni sufficiens, ambula coram me, & esto integer. Initurus cum eo ac semine eius perpetuum fœdus, cumprimis requirit obseruantiā sui & cordis integritatem, quo possit in fœdere consistere. Vt autem admoneat, qua fide coram se ambulare, seque obseruare debeat, statim initiò præmittit quis ipse sit dicens, Ego Deus omni sufficiens. Nisi enim talis esse cognoscatur & credatur, fieri non poterit, ut ritè colatur & obseruetur. Videmus igitur quàm exordium hoc causæ quæ agebatur conueniens existat. Deinde subijcit:

Et ponam fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te uehementer nimis.]Postquàm quis ipse sit pronunciauit: deinde, quid ab ipso Abrahamo requirat, consequenter subiungit, quantis illum beneficijs cumulare uelit. Et quoniam necessarium sciebat, ut corda tam Abrahæ quàm posterorum eius in fide promissionum suarum confirmarentur, affirmat se fœdus ponere inter se & ipsum, idque tertiò repetit, quo penitius inculcet. Malim autem legere in præsenti, Et pono, quàm, Et ponam fœdus meum tecum. Neque enim pollicetur hoc in futurum, sicuti multiplicationem seminis & possessionem terræ Chanaan, sed in præsenti statuit. Nisi quis in præterito legere malit, Et posui: item, Et statui fœdus meum tecum, propterea quod suprà capite 15. in calce capitis dictum est à Mose, In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, &c. Vt quæ huc de fœdere scribuntur, magis ad confirmationem fœderis, quæ adiecta obsignatione facta est quàm ad institutionem referenda uideantur.

Et multiplicabo te uehementer nimis. Duo illi subinde promisit. Seminis uidelicet multiplicationem, & terræ Chanaan possessionem. Hęc eadem ubi de fœderis confirmatione agit, rursus pollicetur, idque aliquanto fusius & expressius quàm antea. Ad priorem promissionem pertinet, quod hic dicit: Et multiplicabo

A multiplicabo te uehementer nimis. De hac paulopòst pluribus repetet.

Cecidit Abram pronus in faciem.] In signum reuerentiæ erga Maiestatem Dei, obstupefactus cecidit in terram, cum audisset hæc uerba: Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto integer, & pono fœdus meum tecum, &c. Cogitabat se puluerem esse & terram, ideoq; erga Maiestatem Dei & tam sin gularem illius erga se beneuolentiam ad terram usq; tacitus & obstupefactus procidit.

Et loquutus est cum eo Deus, dicens: Ego. *Ecce fœdus meum tecum, & eris in patrem multitudinis gentium. Et non uocabitur ultrà nomen tuum Abram. Sed erit nomen tuum, &c.*] Non esse Deum Abrahæ in terra ia centi locutum, sed rursus in pedes erecto, infrà uidere licet, ubi iterum in terram procidisse legitur. Cœ ptum autem sermonem prostratione Abrahæ interruptum prosequuturus præcedentia breuiter repe tit, dicens, Ego, Ecce fœdus meum tecum. Quasi dicat: Quod me concernit, constituo tecum fœdus, fa ciamq; ut sis pater multitudinis gentium. Hæ erunt meæ partes, quas diligenter ac fideliter præstabo. Infrà subijciet de eo, quod faciendum erat Abrahæ. Sunt qui sic intelligant: Ego, intellige, sum Deus omnipotens, ut ad id respiciat, quod præmiserat, esse se Deum Shadai. Quasi dicat: Ego inquam sum Deus ille omnipotens, atq; ita de fœdere repetens dicat: Ecce, fœdus meum tecum. Emphasis est in uo cula Ecce. Vult enim hoc illi persuasum esse, quod fœdus semel cum ipso initum, firmum sit & immo tum. Sic solent proferri quæ & præcipua, & rara, ac semel decreta sunt & constituta. Et quoniam mul tiplicationis mentionem fecerat, etiam de illa repetit dicens, Et eris in patrem multitudinis gentium.

Prosequitur autem promissionem hanc fusius. Primùm quod dixerat, Multiplicabo te ualde ualde, per id explicat quod hic dicit, Et eris in patrem multitudinis gentium. Non simpliciter dicit, Et eris in gentem magnam, sicuti suprà cap. 12. dixit, Faciam te in gentem magnam: sed, Et eris in patrem mul titudinis gentium. Et unicuiq; genti sua multitudo, & qui pater gentis est alicuius, utiq; pater est multi tudinis suæ gentis. Verùm hic multitudinis, non unius gentis, sed gentium pater constituitur Abram. Deinde ut de ueritate promissionis huius ex ipso etiam nomine admoneretur, adijcit de nominis ipsius mutatione, dicens: Et non uocabitur ultrà nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abra ham. Abram significat patrem excelsum, uel magnum. Aliquid habebat hoc nominis accommo dum causæ, uerùm non satis respondebat illius amplitudini. Neque enim satis erat patrem uel magnum uel excelsum uocari eum qui constitutus erat pater multitudinis gentium. Quare ut no men plenius conueniret ipsi causæ quæ agebatur, uoluit Deus, ut non uocaretur amplius A

B bram, sed Abraham. Sonat enim Abraham excelsum multitudinis patrem. Ab nanque patrem, ram excelsum, hamon multitudinem sonat. Eliduntur autem euphoniæ gratia primum de ram litera m, deinde de hamon, duæ postremæ literæ uas, & nun, ut pro Abram hamon quod sonat patrem excelsum multitudinis, uel ut Ecclesiastici 44. uocatur, patrem magnum multitudinis, remancat Abraham. Adij cit autem & rationem nominis huius, dicens, Quia patrem multarum gentium constitui te. Quasi di cat: Huius te quotidie mutationem nominis tui admoneri uolo, ut quoties appellaberis Abraham, scias te constitutum esse patrem multitudinis gentium.

Tertiò, quoniam cogitare poterat Abram, impossibile esse ut homo centenarius excrescat in eam multitudinem, ut pater fiat multitudinis gentium, adijcit Dominus, dicens: Et faciam te crescere ualde ualde. Quasi dicat: Non est ut naturæ uires consideres, & secundum illas de promissione hac mea iudi ces. Ego qui promitto efficiam ut uehementissimè excrescas. Addam semini tuo singularem incremen ti exuberantiam, ut in gentes euadat numerosissimas. Et huius rei argumentum Exod 1. uidere licet, u bi memoratur quod quanto magis opprimebantur, tanto magis creuerint.

Quartò. Vt & amplitudinem & magnificentiam posteritatis illius exprimat, subijcit: Et reges ex te egredientur. Ea de re uidere licet in historijs regum à Dauide usque ad captiuitatem Babylonicam. Nã omnes tam Iudah quàm Israelis reges ut Idumæos ex Esau, & Ismaelitas taceam, utique ex Abraha mo fuerunt.

Et statuo pactum meum inter me & te, & semen tuum post te &c.] Secundò de pacto & fœdere cœperat, iam repetit tertiò ad latiorem illius explicationem subijciendam. Primùm, ne putaret ad se tantum per tinere hoc fœdus, addit, Et semẽ tuum post te. Deinde ne ad filios tantum referret, subijcit, In generatio nibus eorum fœdere perpetuo, ut explicet fœderis continuationem per omnes seminis illius generatio nes perpetuò duraturam. Tertiò addit etiam caput fœderis, dicens, Vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Hoc est, fœdere sempiterno obstringo me tibi ac posteris tuis, quòd futurus sim tibi ac illis De us, protector uidelicet ac seruator.

Et dabo tibi ac semini tuo post te terram peregrinationis tuæ, &c.] Hæc est altera promissio, de possessio ne uidelicet terræ Chanaan. De hac & suprà in calce ca. 15. meminit. Hic addit, possessionem illam fore sempiternam, quod & suprà cap. 13. promiserat, dicens: Omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo usq; in sempiternum.

QVAESTIO I.

Cecidit Abram pronus in faciem.] Poterit hic quæri, si angelus Domini loquutus est Abrahæ, quare non prohibuerit, ne ille ante se procideret, cum id genus incuruationis ac prostrationis speciem habeat adorationis, nulli autem angelorum honos adorationis, sed soli Deo competat, sicuti uidere est Apo cal. 19. & ultimo, ubi Ioanni dicebat angelus, cum ipsum adorare uellet: Vide ne feceris, co nseruus tuus q

Quare passus sit angelus procide re corã se Abra hamum.

tuus suum & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu Deum adora.

Respondeo: in confesso est: non esse adorandos angelos, sed Deum unum ac solum. Quare, aut Abram non adorandi gratia procidit in faciem, si angelus illi loquutus est, quemadmodum neq; ulla fit adorationis mentio, aut si adorandi gratia hoc fecit, non est illi angelus, sed Dominus ipse loquutus.

Sed obiecerit aliquis, adorasse Abrahamum angelos infrà cap. sequenti. Nam ibi legitur, quòd cum uidisset apparentes sibi tres uiros, cucurrerit in occursum eorum, & adorauerit in terra: fuisse autem eos angelos, ex ipso contextu sequenti liquet, & ex Epistola ad Ebr. cap. 13. Respondeo: Erant quidem angeli, qui illi apparebant, uerùm ignorabat eos esse angelos cum primùm apparerent, sed iudicabat eos esse peregrinos, quemadmodum & Lotho accidit. Illis igitur pro more suo hunc exhibuit honorem, ut occurreret, & incuruatus salutaret. Sic enim solebant homines honesti & appellari Domini, & incuruatione corporis honorificè accipi. Quare ex hoc loco conuinci non potest, adorandos esse angelos.

QVAESTIO II.

Quarum gentiũ pater fuerit Abraham.

Et eris pater multitudinis gentium.] Nascitur hic quæstio, quarum gentium pater sit Abraham, cum semen illius cuius promissionem accepit, sit Israel tantum, ad quem Paulus Rom. 9. patres, utiq; Abraham, Isaacum & Iacobum cum sequentibus, pertinere dicit.

Respondeo: Diuidendi sunt posteri Abrahæ, ij qui carnis sunt ab illis qui sunt electionis & promissionis. Si ad filios carnis respicias, nõ unius tantum, sed plurium est gentium pater. Sunt enim ex illo Ismaelitæ, in duodecim familias diuisi. Deinde sunt ex eo Israelitæ, & ipsi in duodecim tribus multiplicati. Tertiò, sunt ex eo gentes ex Kethura prognatæ, de quibus infrà cap. 25. Hæ gentes quæ prodierunt ex lumbis Abrahæ singulari sunt benedictione Dei multiplicatæ, ut rectè sit ei dictum à Domino: Et eris in patrem multitudinis gentium. Præterea, si de filijs non carnis, sed electionis ac spiritus cogitaueris, etiam hac ratione pater est multitudinis gentium, earum uidelicet quæ in Christum credunt, de quibus Apostolus Gal. 3. dicit. Si uos Christi, ergo semen Abrahæ estis. Excitauit Deus filios Abrahæ, multitudinem electorum & credentium, de omnibus totius orbis gentibus, quasi de lapidibus, secundum dictum Ioannis Baptistæ.

Quomodo ad Israelem pertineant patres ex quibus est Christus.

Quod autem Paulus patres dicit esse Israelis, non sic dicit, ut neget Abrahamum patrem esse gentium fidelium, sed loquitur de carnali propagatione Israelis, secundum quam natus est ex patribus illis, ex quibus est Christus secundũ carnem. Quare cum dixisset, Quorum sunt patres: adiecit, Ex quibus est Christus secundum carnem.

QVAESTIO III.

Et reges ex te egredientur.] Quæri poterit hoc loco quare inter cætera etiam hoc promissum sit Abrahæ, quod reges egressuri essent ex ipso, cum 1. Sam. 8. legatur, admodum displicuisse Deo, quòd Israelitæ, utiq; posteri Abrahæ, regem sibi sub Samuele dari petebant. Quæ hic promittuntur, promittuntur ex gratia, & Deo placent, & utilia sunt, tanquam dona Dei, ac gratiæ illius testimonia. Quomodo igitur hæc particula illis coniungitur, cum Israeli nocuerit quòd regem petebant, & Deo uehementer displicuerit?

Respondeo: Præclarum donum Dei erat, usq; adeò multiplicari semen Abrahæ, ut in gentem acregnum euaderet. Id Deo placuit, & Israeli per se noxium non fuit, sed, quemadmodum cætera beneficia Dei, utile etiam, modò rectè fuisset usurpatum & collocatum. Quòd autem Israel suapte sponte, immo temeritate politiam Iudicum à Deo institutam fastidiebat, & ad gloriam ac maiestatem regiam more gentium aspirabat, id demum Deo placere non poterat: nec aliud populo temerario allaturum erat, quàm debitum humanæ temeritatis fructum, quem & Samuel, iubente Deo, prædixit. Non potest cedere feliciter, quando humano consilio terreni splendoris fastigia appetuntur: uerùm quando diuinæ gratiæ dispositione populus aliquis ad regni maiestatem & gloriam euehitur, nisi malitia sua beneficij Dei peruertat, potest fieri, ut inde multum auferat emolumenti. Dominus dat reges in furore suo, ficuti Saulem & consimiles alios dedit: dat etiam ex gratia, quemadmodum dedit Dauidem, Ezechiam, Iosiam &c.

OBSERVATIO I.

Quo cõsilio Deus cum homine cẽtenario fœdus inire uoluerit.

Et erat Abram 99. annorum: & apparuit Dominus Abrahæ, & dixit ad eum: Ego Deus omnisufficiens. Ambula coram me, & esto integer. Et pono fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te ualde ualde.] Principiò considerandum est, quòd præmittitur de ætate Abrahæ, fuisse eum annos 99. natum, cum ista cum eo agerentur. Mirum uideri potest, quid uoluerit sibi Dominus, quòd cum homine centenario fœdus firmat, illiq; pollicetur, quòd pater sit multitudinis gentium futurus: cum ista uideantur agenda potius fuisse cum Abrahamo iuuene & in ætate florida constituto, quàm cum centenario sene, propediem ex hoc seculo migraturo. Si futurus erat multitudinis gentium pater, poterat secundum naturæ cursum iam de à tricesimo anno ad centesimum usq; sic multiplicari, ut centenarius factus numerosam uideret filiorum, nepotum, ac pronepotum sobolem. Verùm noluit illi Dominus multiplicationem seminis eo prę stare modo qui naturæ cursui conformis esset, sed qui manifestum haberet singularis gratiæ argumentum, quo torum quod agebatur hoc magis singulare quoddam consilium Dei spiraret, quo magis alie

num

num esse à cursu naturæ uideretur. Quamuis populus ille electus consueto erat carnalis propagationis cursu multiplicandus, uoluit tamen Deus eiusmodi esse illius primordia, ex quibus conspicuum fieret, esse eum populum electionis & gratiæ magis quàm carnis. Nam, ut & Augustinus annotat, ubi euidens opus Dei est uiciata & cessante natura, ibi euidentius intelligitur gratia. Consimili modo, noui quoq; Testamenti & Ecclesiæ Christi primordia instituit, diuina prouidentia. Noluit uti adminiculo humanæ sapientiæ & potentiæ, sed per homines idiotas, obscuros, & nullius existimationis sic inchoauit Ecclesiam, ut conspicuum esset, nihil geri humanitus, sed omnia diuina uirtute perfici. Poterat uti ministerio sapientum ac principum huius mundi: uerùm spretis illis uocauit ea quæ erant in hoc mundo stulta & infirma, & per illa gloriam potentiæ suæ declarauit: manifestúq; fecit, esse populũ regni ac fœderis Christi non populum huius mundi & carnis, sed gratiæ suæ, electionis, promissionis & uirtutis. Admonet hac de re Apostolus 1. Cor. 1. cum dicit: Videte uocationem uestram fratres, quomodo nõ multos sapientes, &c. Quemadmodum igitur primordia uet. Testamenti ac fœderis sic in Abrahamo & Sarah instituit, ut nihil naturæ uiribus, ita hic noui Testamenti principia disposuit, ut plenè nihil facultatibus humanæ cùm sapientiæ tum potentiæ dari possit, atq; ita ostendit utrobiq; populum suum esse populum gratiæ & uirtutis suæ, quamuis postea in multiplicatione illius illic naturæ uiribus, hic sapientiæ & potentiæ mundi aliquis factus sit locus. *Lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 26.*

Deinde cogitandum de eo est, quod dicit: Ego Deus omnipotens, uel, omnisufficiens. Duo obseruanda. Vnum, quòd Dominus unicus ille creator & Deus omnium, Deus est omnipotens & omnisufficiens. Hoc est, quòd non solum ipse per se sibi sufficit in omnibus, nec ullius est indigus, non solum potest per se omnia: sed & cunctis est quæ in cœlo sunt & in terra sufficiens Deus, omnia illis abundè & liberè præstans & sufficiens, quæ ad conseruationem illorum necessariò requiruntur: & cuncta etiam pro sua uoluntate facit, ne quis, dum Deum audit esse omnipotentem, de ociosa quadam omnipotentia, quæ in Deo sit, cogitet. Scire & posse Dei, non sunt ociosa noticia & potentia, qualis in homine reperitur, sed uirtus efficax & operans, pro libera ipsius uoluntate. *Quòd Deus omnisufficiens.*

Alterum est, quòd non solum omnipotens & omnisufficiens est Deus, sed hoc de se prædicat etiam. Ego, inquit, Deus omnipotens. Vult igitur, ut talem se esse cognoscamus. Ipsa quidem illius opera manifestissimè prædicant, quòd sit Deus omnipotens: uerùm quoniam nox operum illius surdis ferè transitur auribus, adiecit uerbum oraculi sui ad patrem multitudinis credentium facti, quo duobus ueluti testibus omnipotentiam suam cordibus credentium persuadeat. *Quòd prædicat se Deus esse omnisufficientem.*

Tertiò. Ambula, inquit, coram me, & esto integer. Obseruandum hic est, quorsum destinetur fides ac scientia omnipotentiæ Dei. Non ad hoc, ut seruiat curiositati mortalium, sed ut seruiat ueræ pietati. Est autem uera pietas corde syncero & integro ambulare coram Deo. Ambulare coram Deo, est uiuere in conscientia Dei tanquam sub oculis illius, perinde atque seruus in oculis domini sui uiuit, illiq; sese in omnibus approbare & à gratia illius pendere studet. ut impleatur illud: Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum. Cor integrum est, cor simplex, alienum ab omni duplicitate & uersutia, candidum, non maculosum & uarium, cor recti, integri, simplices & recti, alieni ab omni uersutia, nequitia, fraudulentia, duplicitate & hypocrisi. Deinde, ut omnem nostram uitam dirigamus ad uoluntatem Dei, uiuamusq; sub illius conscientia intentem & omnisufficientem. Hæc inquam est uera pietas, qua sola Deo probamur. Non dicit, Sacrifica mihi: sed, Ambula coram me, & esto integer. Hic est uerus cultus Dei, uita fidei & integritatis, oculis Dei in omnibus per conscientiam subiecta. *Quorsum destinetur sciẽtia omnipotentiæ Dei.*

Quartò. Et pono fœdus meum, inquit, inter me & te. De ratione, qua Deus promissam suam benuolentiam fœdere confirmare uoluit, dictum est alibi. In præsenti obseruandum est, quòd postquàm dixit, Ambula coram me, & esto integer: tum primùm subiecit, Et pono fœdus meum inter me & te. Admonemur, fœdus Dei firmum esse non posse nisi cum fidelibus, integro corde coram illo ambulantibus. Nititur quidem fœderis diuini gratia & ueritas non nostra iustitia, sed bonitate ac ueritate Dei. unde & rectè hic non simpliciter dicit, Ponamus fœdus inter nos: sed, Pono fœdus uel pactum meum inter me & te. Verùm quantumuis mira sit gratia Dei, quòd fœdus init cum hominibus, rectissimè tamen requiritur, ut illi nos accommodemus. scientes fieri non posse, nec sperari debere, ut pactum Dei locum habeat cum infidelibus, impijs, prauis & peruersis. *Fœdus Dei firmum esse non potest nisi cum fidelibus.*

Quintò, de eo quod dicit, Et multiplicabo te ualde ualde, quæ notanda sint, uide suprà cap. 13. ibi, Faciamq; semen tuum sicut pulucrem terræ.

OBSERVATIO II.

Cecidit Abram pronus in faciem.] Sunt uarij gentium Orientalium, Occidentalium, Meridionalium, & Aquilonarium mores. Habent hoc Orientales, ut quocunque pacto consternati procidant in faciem. Alij uel obmutescunt consternati, uel subsidunt utcunque, uel stant ueluti Marpesia cautes. Quod pij aliquot in faciem procidisse leguntur, omnino consternationis ac perculsionis est. Est autem duplex consternatio & perculsio. Corporis una, animi altera. Vtraque humiliationem ac subiectionem habet, uel à facie, uel à consideratione, uel à manu potentis & excellentis. Quod præsentem Abrahæ con- *De ratione consternationis.*

sternationem attinet, nec facie, opinor, nec manu est apparentis ipsi Domini facta. Facta igitur est consideratione eorum quæ audiebat, & corporis prostratio, ex consternatione mentis cau- sam accepit. Quamuis igitur nostræ gentis consuetudo non sit, ut animo consternati prosterna- mur corpore, admonemur tamen, quo loco nobis esse debeat, si ex diuino oraculo excellentiam bonitatis Dei audierimus, qua non solum fœdus nobiscum inire, sed & filium suum unigenitum in carnem nostram demissum, pro peccatis nostris crucifigi, ac nos per illum in filios & hæredes ado- ptari uoluit.

Impudentissima ac putidissima hypocrisis est, qua sacrificuli in Missa Papistica, & monachi ante crucifixi imaginem mores Orientalium, gesticulando, seseq; prosternendo sine ulla mentis consternatio ne turpissimi quæstus gratia referre se simulant.

OBSERVATIO III.

Quod repetuntur ea quæ credenda erant Abrahæ.

Et *dixit ad eum Deus: Ego: Ecce fœdus meum inter me & te, & eris in patrem multitudinis Gentium.* Consideranda est ista repetitio. Eorum quæ Deus dicere cœperat, aliud credendum erat, aliud faciendum Abrahæ. Ad credenda pertinebat, quod dixerat: Ego Deus omnipotens. Item: Pono fœdus meum inter me & te. Et: Multiplicabo te ualde ualde. Ad facienda uerò, quod immiscuerat: Ambula coram me, & esto integer. Credenda, concernunt bonitatem, gratiam & ueritatem Dei. Facienda, iustitiam & integritatem nostram. Iam cum ex ijs quæ dicere cœperat, repetere uellet, non est præter rationem factum, quòd non ea quæ Abrahæ facienda proposuerat, sed quæ bonitatem, gratiam, & ueritatem promissionum ipsius concernebant repetijt, idq; manifesta cum emphasi dicens: Ego. Ecce fœdus meum inter me & te. Admonemur, inanem esse omnem inculcationem eorum quæ facienda nobis sunt, & nostram concernunt iustitiam & integritatem, nisi ea quæ credenda sunt, animis nostris fint indubitatò persuasa. Debent quidem & facienda proponi, idq; seriò: uerùm quoniam uis omnis ueræ pietatis à fide bonitatis, gratiæ, ueritatis, potentiæ ac promissorum Dei pendet, consequitur si quis ullus est sedulæ admonitionis fructus, potiorem illius partem impendendam esse credendis. Quare ubi doctrina fidei languet, quantumuis seriò clametur aduersus crassa ui tia, & uitæ nostræ correctio requiratur, reipsa tamen uidemus nihil agi aliud, quàm si quis laterem im pensissimè lauet.

OBSERVATIO IIII.

Quare Deus ista toties promittere uoluerit.

Nec *ultrà uocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham: quia patrem multitudinis gentium constitui te, faciamq́ue te crescere uehementissimè, & ponam te in gentes, & reges ex te egredientur.* Primùm illud obserua, quòd non solum penes se Deus constituit quàm uellet Abrahæ benefacere, illum uehementer multiplicare, in patrem multitudinis gentium constituere, & reges ex eo producere: sed & harum rerum usqueadeò eum præscium ac certum reddere uoluit, ut & toties illis oraculis suis polliceretur, & fœdere inito confirmaret, ac mutatione nominis quoque inculcaret. Poterat hæc omnia præstare uel ipsi, uel posteris eius citra huiusmodi promissiones ac præcedentes testificationes: uerùm & promissis toties repetitis, & fœdere, & nominis mutatione, uoluit animum Abrahæ certum reddere, & simul posteris illius testatum facere, non esse ista, ubi euenissent, naturæ cursui, sed singulari gratiæ Dei, qua Abrahamum progenitorem ipsorum complexus est, adscribenda, ut scirent se esse populum Dei, cui ista essent olim diuinitus destinata, admonerenturq; eorum uel ex ipso nomine patriarchiæ sui Abrahæ, & haberent ad quem ueluti originis suæ fontem, diuinarumq; benedictionum proxenum respicerent. Abraham quæ hic promittuntur oculis carnis suæ uidere non potuit, uiderunt autem postea ipsius posteri. Ipse oculis fidei ad futuram seminis sui benedictionem prospexit. Huc illi seruiebant promissa Dei, fœderis obsignatio, & nominis mutatio. Posteri illius oculis carnis & multiplicationem gentis suæ, & ex illa prouentum regum uisuri erant. Vt igitur in huiusmodi benedictione non carnis tantum sensu uersarentur, sed & fide ad ueritatem gratiæ Dei respicerent, magno sapientiæ suæ consilio Deus omnia ista cum ipso Abrahamo agere & toti seculis præmittere uoluit.

Donum Dei est, crescere in gentem & regnum.

Deinde considerandum est secundum historicum sensum quod dicit: Quia patrem multitudinis gentium constitui te. Et, Ponam te in gentes. Et, Reges ex te egredientur. Videmus hic donum esse Dei, si qui ex uno patre descendunt, in gentem excrescant, & sic multiplicati inter se cohæreant, ut regnum constituant. Donum hoc politicum est, & præclarum, quod sine spiritu unitatis & cohæsionis contingere non potest. Quantumuis enim multi ex uno & eodem parente nascantur, nisi inter se cohæreant, unitiq; & coniuncti uiuant, in gentem & regnum excrescere non poterunt. Quòd si filij, nepotes ac pronepotes Iacob à se inuicem discessissent, & in exteras gentes dispersi fuissent, in gentem ac regnum multiplicari nequiuissent. Donum hoc politicum ademptum est Israeli, postquàm dixerunt: Ne ueniant Romani, & tollant nostrum locum & gentem. Etenim dispersi in nationes, nec gentis conjunctionem,

iunctionem, nec regnum habent amplius. Qua in re manifestè monstratur, non esse humanis uiribus dandum, si qui multiplicati sint in gentem & regnum, sed agnoscendum esse donum Dei, & benè collocandum.

Tertiò, quod mysterium præsentis loci concernit, obseruandum est, quòd non simpliciter dicit: Quia patrem multitudinis gentis: sed, Quia patrem multitudinis gentium constitui te. Nec dicit, Ponam te in gentem: sed, Ponam te in gentes. Agnouerunt aliqui Iudæorum, constitutum esse Abrahamum hoc oraculo Dei in patrem totius mundi, id est, omnium gentium quæ in mundo sunt. Nam in מסכת בראשית, id est, in libro primitiarũ sic legitur: In principio fuit pater Aram, ideoq; uocatus fuit Abrã. Deinde uerò pater totius mundi, & nomẽ eius idcirco dictũ est Abrahã. Hæc ibi. Mysteriũ hoc impletur in Christo semine Abrahæ, in quo Abraham secundum nomen suum pater est multitudinis gentium factus. Fuit hoc absconditum à seculo, sicut & Apostolus Eph. 3. annotat: tandem uerò apostolis Christi reuelatum, cum implectionis illius tempus aduenisset. Vide autem quàm non inconuenienter factum sit, ut nomen Abrahæ usq; ad annum ætatis eius centesimum, esset non Abraham, sed Abram, donec tempus ueniret, quo sterilitas Saræ in partum benedicti ac promissi seminis mutaretur. In uoce Abram, non est ulla significatio huius rei, quòd futurus esset pater multitudinis gentium. Voluit mysterium hoc Deus occultum esse, donec tempus benedicti seminis aduenisset: ubi illud aduenit, & uerbis & mutatione nominis aperuit quod antea fuerat occultum. Hactenus quoties de posteris Abrahæ mentionem fecit, haud pluraliter, sed singulariter dixit: Semini tuo dabo terram hanc. Item, Faciam te in gentem magnam. Nunc uerò reuelatius in plurali: Et eris, inquit, in patrem multitudinis gentium. Et constitui te in patrem multitudinis gentium. Et, Ponam te in gentes. Hac ueluti imagine res futuræ adumbrabantur. Sub nomine Abram & sterilitas fuit & mysterij Christi occultatio. Vbi autem dictus est Abraham, tum cœpit promissa multiplicatio & benedictio sortiri principium suum & originem: & quod antea fuerat occultum, reuelari. Consimili modo futurum erat, ut aliquandiu carnalis Israel sterilis esset, & sub ignorantia mysterij huius (non loquor de prophetis Dei) uiueret, adeoq; magis ad Abram, id est patrem excelsum, quàm ad Abraham, patrem multitudinis gentium respicerent. Quid enim aliud erat, cum etiam sub reuelatione Christi uocationi gentium tam pertinaciter resisterent, quàm nõ ad Abram, sed ad Abrahã patrẽ suum oculis adhuc excæcatis respicere? id quod etiamnũ faciunt, ut rectè dixerit Paulus, Cæcitas cecidit super Israel, donec plenitudo gentium intrauerit. Cogitarent saltem de nomine cõmunis nostri patriarchæ Abraham, & agnoscerent, quòd illi diuino est oraculo promissum in sola ipsorũ gente impleri non posse, sed omnino implendum esse in omnibus gentibus, fidem promissionis huius in Christo semine Abrahæ amplexantibus.

Mysterium loci huius.

OBSERVATIO V.

Et statuo pactum meũ inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus eorum fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.] Iam tertiò inculcat, quòd pactum suum statuat inter se & Abrahamũ. Est hic locus in scripturis celebris, in quo ista in præsenti cẽfideranda ueniunt. Primùm, quid statuat Deus: deinde, cum quibus: tertiò, quamdiu: quartò, ad quid.

Quid.

Quid statuat, paucis exprimit, dicens: Et statuo pactum meum. Quid pactum sit, notum est. Non est simplex promissio, sed promissioni adiecta iurisiurandi obligatio. Non dicit, Statuas pactũ tuum: uel, Pacisceris mihi, obligabis te mihi, &c. sed, Statuo pactum meũ. Hoc est, ego paciscor, & fidem promissorum meorum iureiurando obstringo. Quis ausit hoc à Deo petere, in quo nulla est uel suspicio mendacij? A uiro graui & honesto ægrè exigitur iusiurandum, propterea quòd de ueritate uerborum eius sine iniuria dubitari non posse uidetur. Et Deus, ipsa ueritas, qui mentiri non potest, non solum promittit, sed & iureiurando paciscitur: nec facit hoc aliqua necessitate adactus, sed libera bonitatis suæ uoluntate motus.

Cum quibus.

Cum quibus pactum suum statuat, in eo declarat quod dicit: Inter me & te, & inter semen tuum post te. Quis satis pro dignitate considerauerit, quanta sit ista philanthropia Dei, qua cum homine, terra & puluere, peccatis etiam obnoxio, cui nihil prorsus debet, & à quo nihil potest expectare commodi, pactum inire, illiq; sese pacti uinculo obstrictum reddere dignatur? Nusquam legimus pactum iniisse Deum cum angelis, cœlestibus spiritibus, diuinæ naturæ uicinioribus, & ad omnem ipsius uoluntatem obsequentioribus: cum hominibus uerò inijsse, & hic & multis alijs locis legimus. Quis non stupeat, & cum propheta exclamet, dicens: Domine, quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quòd uisitas eum? Si Iulius Cæsar, aut Alexander Magnus, homini mendico ac omnibus modis misero dicat: Ecce statuo pactum meum inter me & te, & semen tuum post te, &c. an non uideretur ad cœlos usq; huiusmodi extollenda clementia? Iam quid est uel Iulius uel Alexander diuinæ Maiestati comparatus?

Psal. 8.

Huc & illud pertinet, q̃ nõ solum cũ Abrahamo, sed & cũ posteris illius nondũ natis pactum statuit. Inter me & te, inquit, & semẽ tuũ post te. Sic gratia philanthropiæ Dei, qua fidelẽ Abrahamũ prosequitur, nec morte illius terminatur, sed ad illius etiã posteros extenditur. Obserua hic dilectionis ingeniũ. Propter Abrahamũ etiã post mortẽ illius integrã beneuolentiã seruat illius semini. In seculo raro inuenies, qui post mortẽ amici benefaciat illius posteris, sed ferè quicquid erat amicitiæ, cũ amici morte finit.

Vnde & uulgò inter nos Christianos dici cœpit: *Wann das kind gestirbt, so ist die geuatterschaft aus.* Verùm huic defectui non est diuina dilectio obnoxia, quæ post mortem quoq; piorum erga semen illorum durat. Hæ sunt ueræ diuitiæ, quas post se pij posteris suis relinquunt.

Quandiu. Quandiu autem fœdus ac pactum Dei duret, in eo exprimitur, quod dicit: In generationibus eorum fœdere sempiterno. Non solum filios & nepotes pij Abrahæ fœderi huic includit, sed cum uniuersa illius posteritate per omnes generationes perpetuum fœdus statuit. Hæc uidelicet est perpetua diuinæ bonitatis & gratiæ constantia. Non est ista perpetuitas diuini fœderis secundum ea quæ carnali Israeli contigerunt censenda, sed ad semen electionis & promissionis referenda, de quo & prophetæ Hieremias ista scribit: Hæc dicit Dominus: Qui dat Solem in lumen diei, ordinem Lunæ & stellarum in lumen noctis: qui turbat mare, & sonant fluctus eius, Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus, &c. Hierem. 31. Sic & Paulus in Epistola ad Romanos contendit, ea quæ fœderis huius gratiam concernunt, ad semen electionis esse referenda, cuius respectu uera sunt quæ Roman. 11. dicit: An repulit Deus populum suum? Absit. Non repulit Deus plebem suam quam præscinit. Item: Sine pœnitentia sunt dona & uocatio Dei. Et cap. 9. Non qui filij carnis, hi sunt filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. In istis uerum est quod hic de sempiterno fœdere Dei cum semine Abrahæ seruando promittitur.

Ad quid. Ad quid institutum sit fœdus Dei cum Abrahamo & semine eius, declaratur hisce uerbis: Vt sim Deus tuus & seminis tui post te. Obserua caput fœderis Dei. Innumera sunt beneficia Dei, quibus populum suum afficit ac fœlicem reddit. Hæc omnia tam spiritualia quàm corporalia, tam æterna quàm temporaria, hoc capite cõprehenduntur, quòd pacisci tur fore se Deum Abrahæ ac seminis eius in sempiternum. Incõprehensibile est, quantum fœlicitatis cumulum complectatur quòd Creator omnium, omnipotens & omnisufficiens, Deum se nostrum fore pacisci tur. Beatus populus, inquit, prophetæ, cuius Dominus Deus eius. Quis expresserit, quid sit esse patrem alicuius, aut patronum, aut regem, aut amicum? Deum esse, & patrem & patronum & regem, & amicum & seruatorem in se comprehendit, idq; non temporarium, sed sempiternum: non in quibusdam duntaxat, sed uniuersaliter in omnibus: non imperfectum, sed perfectum.

Considera etiam capitis huius qualitatem. Promittit fœderis sui perpetuitatem. Ad quid? Vt sim, inquit, Deus tuus & seminis tui post te. Deum esse Abrahæ ac seminis eius non est in Abrahamo ac semine eius, sed in ipso Deo situm, sicuti philosophus honorem non in honorato, sed in honorante esse dicit. Ergo fœderis huius perpetuitas non est nostris defectibus obnoxia, sed in bonitate ac gratia Dei fixa. Bonitas hæc in Deo parata est in sempiternum, quemadmodum & Solis splendor ad finem usq; durat. Verùm si quis ab hac est fœlicitate alienus, non est hoc Deo, sed illius malitiæ & impietati adscribendum. Sicut enim nostrum mendacium ueritatem Dei non euacuat: ita nostra impietas felicitatem hanc diuinæ bonitatis non extinguit.

OBSERVATIO VI.

Daboq; tibi ac semini tuo post te terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroq; Deus eorum.] De promissione ista uide quæ suprà capite duodecimo & decimotertio sint annotata. Deinde & de eo dictum est capite decimotertio, quod perpetuam terræ Chanaan possessionem promisit.

SECVNDA PARS CAPITIS HVIVS, *de circumcisione, fœderis signo.*

Dixitq; iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me & uos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex uobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij uestri, ut sit in signum fœderis inter me & uos. Infans octo dierum circumcidetur in uobis. Omne masculinum in generationibus uestris tam uernaculus quàm empticius circumcidetur, & quicunq; non fuerit de stirpe uestra. Eritq; pactum meum in carne uestra in fœdus æternũ. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.

LECTIO.

Dixitq; iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo, &c.] Voculæ istæ, Iterum, &, Ergo, in Hebræo non sunt. Adiecit eas interpres de suo. Nec Græcus illas posuit, sed commodius uertit, τὸ δὲ, id est, Tu uerò.

Et semen

Et semen tuum.] In Hebræo est: Tu & semen tuum. Pronomen Tu omiserunt interpretes, tam Græcus, quàm Latinus, quasi sit in Hebræo superflue positum.

Quod obseruabitis.] Interpres delectatus est uariatione. Quod suprà uertit, Custodies, & hic, Obseruabitis, in Hebræo idem utrobiq; uerbum est, nempe שמר. Quàm autem latinis nõ idem sit obseruare quod custodire, non est opus ut admoneam. Græcus uertit in singulari διατηρήσεις, id est custodies.

Et semen tuum post te.] Græcus adiecit de suo, εἰς τὰς γενεὰς αὐτῶν, id est in generationes suas.

Vt sit in signum fœderis.] Rursus eandem dictionem uariè reddit. In Hebræo est, בריתי. eam uocem redditam ter reddit διαθήκην, id est testamentum.

Et quicũq; nõ fuerit de stirpe uestra.] In Heb. est ad hũc modũ, ומקנת כסף מכל בן נכר אשר לא מזרעך, id est, Et acquisitio argenti, id est acquisitus argento de quocunq; filio extraneo, qui non est de semine tuo. Interpres illud בן נכר מכל omisit, & quod est, De semine tuo, uertit, De stirpe uestra. Græca lectio corrupta est. Deleatur uocula לא, id est uerò, & legatur ad hunc modum: καὶ ὁ ἀγοραζόμενος ἀπὸ ἀλλοτρίου ὃς οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ, id est, Et pecunia emptus à quouis filio alieno.

Quod in Hebræo repetitur חמול ימול יליד ביתך ומקנת ביתך, id est, Circuncidendo circuncidetur natus domi tuæ, & emptus domi tuæ, latinus interpres prorsus neglexit.

Masculus, cuius præputij caro, &c.] In Hebræo sic habetur, וערל זכר אשר לא ימול את בשר ערלתו, id est, Et præputiatus masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit. *Sic* uertit & Græcus, nisi quòd de suo adiecit, τῇ ἡμέρᾳ ὀγδόῃ, id est die octauo.

EXPLANATIO.

Et dixit Deus ad Abraham.] Post præcedentes promissiones de multiplicatione seminis, de possessione terræ Canaan, & de fœdere, cõsequenter iam de fœderis obsignatione ac signo sacramentali subijcitur. Vt autem hæc quoq; causa seriò inculcetur, separatim ac distinctè, non obiter & incidentaliter, ut loquuntur, traditur. Quare & Moses separata narratione illam exponit, dicens: Et dixit Deus ad Abraham.

Et tu: Pactum meum custodies tu & semen tuum post te, in generationibus eorum.] Totus hic contextus tribus membris absoluitur. Habet enim principiò præceptum Abrahæ ac semini eius datum. Deinde habet præcepti declarationem. Tertiò, continet minas aduersum præcepti huius transgressores adiectas.

Ad præceptum pertinet in genere, quod dicit, Et tu: Pactum meum custodies tu & semen tuum post te, &c. Suprà cum de fœderis sui institutione loqueretur, dixit, Ego: significare uolens, quid ipse facturus esset, uel iam tum faceret. Quasi diceret: Quòd meas partes concernit, ecce fœdus meum tecum statuo, multiplicabo te ualde, & ponam te in patrem multitudinis gentiũ, daboq; tibi ac semini tuo post te terram peregrinationis tuæ, &c. Iam cum uellet de ijs præcipere quæ alteri fœderis parti Abrahæ uidelicet ac semini eius facienda erant, rursus abrupte, Et tu, inquit. Hoc est: Quòd te uerò concernit, erunt hæ tuæ partes. Custodies pactũ meum tu & semen tuum post te. Quare sic legendum est, Et tu: ac tum subijciendum comma, quemadmodum in præcedentibus Hebræi suprà uoculam אבי distinctionis notam hanc: posuerunt.

Dicit itaq;, Et tu, Pactum meum custodies tu & semen tuum post te. Pactum hic uocat, non eam fœderis partem, quæ se, sed quæ ipsum Abrahamum concernebat, & ab illo custodienda erat. Sunt enim distinctæ duæ fœderis custodiendi partes, secundum distinctionem confœderatorum. Et pactum custodi re dicitur, qui uices suas, quibus obstrictus est, fideliter custodit. Pactum suum custodit Deus, adimplens promissa. Pactum custodit Abraham, faciens præcepta, quibus uigore pacti obligatur.

Addit, Et semen tuum post te in generationibus eorum. Quoniam non solum Abrahamum, sed & semen illius per generationes eorum perpetuò in fœdus assumpserat, uoluit etiam pactum suum non à solo Abrahamo, sed & à semine illius perpetuò custodiri.

Hoc est pactum meum quod custodietis inter me & uos, &c.] Pertinent ista ad declarationem præcepti. Dixit, Et tu, pactum meum custodies. Quoniã obscurum uidebatur, quomodo posset Abraham cum semine suo pactum Dei custodire, necesse erat, ut præcepti huius declaratio subijceretur. Hanc subijcit dicens: Hoc est pactũ meum q̃d custodietis inter me & uos, & semen tuum post te, &c. Illud inter me & uos, aut positum est pro inter me & te, uel ad Abrahamum & domesticos masculos eius referendum est, quos uerosimile est fuisse tanquam in concione domestica præsentes.

Circuncidatur uobis omnis masculus. Et circuncidetis carnem præputij uestri, & erit in signum fœderis inter me & uos.] Quatuor dicit. Circuncidatur uobis, inquit. Præcipit ergo circunci sionem. Deinde, si roges, qui debeant circuncidi, Omnis masculus, inquit. Tertiò, ut doceat, quid nam in masculo circuncidi debeat, addit: Et circuncidetis carnem præputij uestri. Præputium autem est pellis illa quæ glandem colis regit, sic dicta, quòd præputari soleat à Iudæis. Quartò, ut scirent ad quid circuncidendũm esset præputium, Et erit, inquit, in signum inter me & uos. Hoc est, circuncisio illa, erit uobis obsignatio, qua declaretur, quod ad me pertineatis, & quòd ego sim Deus uester, & uos populus meus, & qua fœderis mei admoneamini.

Et infans octo dierum circuncidatur uobis, omnis masculus in generationibus uestris, tam qui domi uestræ natus est, quàm qui emptus est argento à quocunq; filio alieno qui non est de semine tuo.] Pertinẽt ista ad secundam declarationis huius particulam, qua omnem masculum circuncidi debere significauit. Desiderabatur enim

enim, quid faciendũ esset cum infantibus, deinde cũ domesticis & alienis à semine Abrahæ, quorum alij erant dominati, alij pecunia coempti. Horum gratia, ne qua dubitatio remaneret, paucis ac dilucidè præcepit, dicens: Infans circuncidatur uobis. Et quoniã excludebantur à circunciſione fœmellæ, addit, Omnis maſculus, ut admoneat præcipi de infantibus maſculis, uel, ſi melius uidetur, referatur particula hæc, Omnis maſculus, ad ſequentia. Deinde, quoniam & certi alicuius temporis ſpecificatio neceſſaria erat, ne qua occaſio humanæ temeritati relinqueretur, non ſimpliciter dicit, Infans circuncidatur uobis: ſed, Infans octo dierum circuncidatur uobis. Hæc de infantibus maſculis. Deinde de ſeruis. Omnis maſculus, inquit, in generationibus ueſtris, ſiue ſit dominatus, ſiue ſit emptus argento à quocunq; &c. Significat circuncidendos eſſe non ſolum filios infantes, ſed & ſeruos quoſcunq;, etiam alienos ab ipſorum ſemine. Et quoniam ea particula circunciſionis ſacramentum & ſeruis alienis etiam à ſanguine Iſraelis, commonefaciebat, id quod Iudaico ſupercilio indignum uideri poterat, uoluit eam repetendo inculcare ac dicere: Circuncidendo circuncidatur domi ueſtræ natus & pecunia coemptus.

Eritq; pactum meum in carne ueſtra in pactum æternum.] Hoc eſt: Erit ſignum pacti mei, circunciſio uidelicet, in carne ueſtra, in confirmationem & cuſtodiam pacti æterni. Pactum æternum eſt: Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te. pactum Dei in carne Iſraelis circunciſio eſt, æterni pacti cuſtodia & confirmatio.

Et maſculus præputiatus cuius caro circunciſa non, &c.] Habent iſta minas adiectas contra uiolatores pacti. Suprà præcepit, dicens: Et tu, pactũ meum cuſtodies, tu & ſemen tuum poſt te. Quoniã itaq; circunciſionem uoluit eſſe pacti huius cuſtodiam, omiſsionem illius dicit eſſe pacti irritationem, & contra hanc pœnas ſtatuit, dicens: Et maſculus præputiatus, cuius caro circunciſa non fuerit, exciderur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Digna pœna, & prorſus culpæ huic conueniens. Quemadmodum enim ſigno pacti huius accenſentur in populum Dei qui circuncidantur: ita conueniens eſt, ut qui ſignum hoc circunciſionis contemnunt, de populo Dei tanquam pacti uiolatores excidantur.

QVAESTIO I.

Quare non & fœmellæ ſint circunciſæ.

Circuncidatur uobis omnis maſculus.] Naſcitur hic quæſtio, cum circunciſio ſignum ſit fœderis, quare non æquè de fœmellis atq; de maſculis circuncidendis præceperit Deus. Maſculus incircunciſus, non habet locũ in populo Dei. Iam ſi locus in populo Dei ſine circunciſione nõ eſt, quomodo fœmellis eſt, de quarum circunciſione nihil eſt præceptum? Si dixeris, præputiatæ non ſunt fœmillæ ſicuti maſculi, quãre circunciſionis huius capaces non ſunt, reſponderi poteſt, poterant alia corporis parte circuncidi & obſignari. Quòd ſi inconueniens erat, alia maſculos & alia fœmellas corporis parte circuncidi, poterant maſculi alia parte corporis, quàm ubi præputium eſt, eaq; tali, circuncidi, qua circunciſionis capaces fuiſſent etiam fœmellæ.

Reſpondendum eſt. Primùm, placuit Deo hoc circunciſionis ſignum quo circuncideretur organum humani ſeminis, ad innuendum illius impuritatem, & ſignificandum myſterium regenerationis. At organum hoc in maſculis eſt, nõ fœmellis, & propagatio generis noſtri ex maſculino ſemine eſtunde & proles ex illo concepta & nata, nõ ad matrem, ſed ad patrem iure originis refertur. Quare non erat hoc circunciſionis ſignum fœmellis, ſed maſculis tantum imponendum.

Deinde, quòd fœdus attinet & communicationem populi Dei, non eſt ex ſpeciali mandato faciendum generale. Speciale eſt, quod maſculus incircunciſus fœderis & populi Dei communicatione priuatur. Nam de maſculis circuncidendis ſpecialiter eſt præceptum, de fœmellis nequaquam. Quare in fœmella incircunciſa non eſt uiolatio pacti Dei, eſt uerò in maſculo. Si generaliter in uniuerſum omnibus præcepta fuiſſet circunciſio, conſequeretur præceptã fuiſſe & fœmellis, ideoq; nõ potuiſſe illas participes eſſe fœderis & populi Dei ſine circunciſione, fœderis Dei ſigno. Specialis mandati tranſgreſsio non reddit culpabiles, niſi quibus eſt ſpecialiter impoſitum. Determinatio octauæ diei non eſt generalis, ſed ſpecialis. Neq; enim in uniuerſum omnibus, ſed infantibus tantum eſt impoſita. Quare nihil in illam peccabatur ab adultis Abrahamo, Iſmaele, ac ſeruis emptitijs, quòd non octaua die, ſed ætate adulta circuncidebantur. Sic etiam hoc loco ſentiendũ eſt de fœmellis, quæ licet circunciſæ non ſint, nihilotamen minus ſunt in fœdere & populo Dei. Participem enim diuini fœderis reddit nõ ſignum, ſed gratia eligentis Dei, qua dixit, Ego ſum Deus tuus & ſeminis tui poſt te, & pono fœdus meum inter te & ſemen tuum poſt te. Hæc ſunt generalia, & tam fœmellas quàm maſculos de ſemine Abraham deſcendentes fœderis & populi Dei participes reddunt: circunciſio uerò præputij nõ eſt generalis, ſed ſpecialis, utpote maſculis tantum & non fœmellis impoſita.

QVAESTIO II.

Quid faciendum fuerit circa infantibus, qui ante octauũ diem moriebantur, uel octauo die periculoſe ægrotabãt.

Et infans octo dierum circundatur uobis.] Poteſt hic quæri quid faciendum fuerit Iudæis, cum infantibus illis, qui uel ante octiduum moriebantur, uel octauo die ſic ægrotabant, ut dolores circunciſionis contra periculum mortis ferre non poſſent. Lex iſta præcipit, dicens: Infans octo dierum circuncidatur uobis. Et addit: Maſculus præputiatus, cuius caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactũ meum irritum fecit. Quòd octauus dies circunciſioni deputatur, argumento poterat eſſe, neq; legem hanc, neq; minas adiectas habere locum in eo infante, qui uſq; ad octauũ diem uiuendo non peruenìebat, ideoq; nec pactum Dei per illum potuiſſe irritũ reddi. Quare poterat fidelis pater huiuſmodi infantem ſuum ſecura & bona conſcientia tanquam diuini fœderis cõſortem gratiæ Dei commendare

mendare licet in præputio suo ex hac uita discesserit. Neq; enim præputium, sed uiolatio diuini fœderis à gratia Dei excludebat. Fœdus autem Dei ante octauum diem circuncisioni expresse deputatum, irritum fieri non poterat. Integro itaq; manente fœdere, quo dictum erat: Ego sum Deus tuus, & Deus seminis tui post te, nihil incommodabat præputij pellicula, haud contra legem fœderis retenta.

Ad alteram quæstionem, de infante octauo die letaliter ægrotante, uel sic infirmo, ut dolores circuncisionis citra mortis periculum ferre non posset, an is octauo die circuncidendus fuerit secundum legis huius præscriptum, uel si non circuncideretur, condemnationi subijciendus, uaria responderi possunt. mea uerò sententia, arbitror præscriptũ octaui diei nõ uoluisse contra diuinæ bonitatis & clemetiæ uoluntatem, qua eam ipsam ob causam noluit infantem ante octauum diem circuncidi, ut parceret tenello adhuc corpusculo, donec firmius factum cum minori periculo circuncidi posset. Contra hanc, inquam, clementiam & bonitatem Dei, non ualebat octaui diei præscriptum, in puero octauo die periculose ægrotante. Non est diuinum, quicquid à bonitate & philanthropia Dei alienum ex literæ legis fine spiritu legis colligitur. Crudelis Deus non est, sed philanthropus. Non habet ergo locum in lege eius, quicquid non philanthropiam, sed crudelitatem spirat. *Sicut ergo rectè dixit Christus,* Non esse hominem propter sabbatum, sed sabbatum propter hominem: & Machabæi rectè senserunt, etiam sabbatis resistendum esse hostibus: ita & hic dicendum est, Non est homo propter circuncisionem, sed circuncisio propter hominem, ut rectè factum sit ab Israelitis, quòd infantes suos cum in locis desertis oberrarent, per totos annos quadraginta non circunciderunt, de quibus tamen dici non potest quòd omissione circuncisionis pactum Dei irritũ reddiderint. Quare ægrotanti quoq; infanti parcendum fuit octauo die, donec sanitate accepta circuncisionis factus esset patiens. *Iosue 5.*

QVAESTIO III.

An circũcisio rectè sit abrogata.

Fitq; pactum meum in carne uestra in pactum æternum.] Nascitur hic quæstio de abrogatione circuncisionis. Etenim cum hic manifestè legatur, circuncisionem carnis datam esse in pactum æternum, quæritur, an per introductionem noui Testamenti licitè potuerit abrogari, quandoquidem secundum legis huius literam minimè abrogari debuisse uidetur.

Ad hanc quæstionem paucis respondemus: Noui testamenti tempore crassus erat eorum error, qui, sicut in Actis cap. 15. uidere licet, fidelibus ex gentibus circuncisionem imponere moliebantur, quasi sine illa seruari non possent. Neq; enim gentibus, sed Israeli tanquam semini Abrahæ data fuit circuncisio. Tu, inquit Deus ad Abrahamum, custodies pactum meum & semen tuum post te in generationibus eorum. Et hoc est pactum meum quod custodietis inter me & uos, & semen tuum post te, circuncidatur uobis omnis masculus, &c. Cum ergo non sit gentibus deputata circuncisio, sed Israelitis, facilè fuit crasso huic errori resistere, quo gentes circuncidendas esse clamabant.

Illud plusculum habet negocij, quomodo conuincantur Iudæi non debuisse circuncisionem inter ipsos diutius durare quàm ad Christi usq; aduentum, tempus uidelicet noui Testamenti. Obijciũt præsentem locum de eo quòd circuncisio data sit in pactum æternum. Verùm uox Olam, quæ in Hebræo posita est, non conuincit hanc illorum sententiam. Haud enim sempiternum aut æternum tempus, sed perpetuum & ad destinatum aliquem terminum usq; durans significat, qua de re & suprà annotauimus. Deinde manifestum est, non esse circuncisionem datam nisi uni Iudæorũ genti, quemadmodum paulo suprà admonuimus. Quare diutius durare non debuit, quàm gens illa sola Ecclesia & populus Dei esset. Vbi uocatio gentium cœpit, quæ facta est sub initium noui Testamenti, & tempus aduenit, quo impleretur illud Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, simulq; impleri cœpit quod Esaiæ 42. de Christo prædictum est: Dedi te in fœdus populi, & in lucem gentium, & Hierem. 31. Ecce dies uenient, & feriam domui Israel & domui Iudah fœdus nouum, &c. tum uidelicet auferendus erat paries ille, quo Israel & reliquæ totius orbis nationes à se inuicem diuidebantur. Circuncisio data fuit in signum fœderis inter Deum & Abraham ac semen eius positi. Vltrà non debuit extendi. Vbi nouum fœdus introductum est, de quo uaticinatus est in scripturis spiritussanctus, quo non Iudæi tantum, sed & omnes totius orbis nationes in populum & Ecclesiam Dei colligendi erant, unà cum ueteri fœdere signum quoq; illius, circuncisio uidelicet carnis ad finem suum peruenit, datumq; est nouo Testamento nouum ac tale signum, quod nec gentibus esset scandalo, nec credentes ex gentibus Mosaicæ legis obseruantiæ subijceret, qua de re & Paulus dicit Gal. 5. Testificor omni homini circuncidenti se, quòd debitor sit uniuersæ legi faciendæ. Omnis illa dispensatio, politia, & Ecclesia seminis Abrahæ propter Christum est instituta, qu ex gente Israelis nasci debebat, & futurus erat finis legis, ac semen illud benedictum, in quo benedicuntur omnes gentes. Huic, tanquam fini certo, seruiuit fœdus Dei cum Abrahamo & semine eius initium, signum fœderi adiectum, lex in deserto cum omnibus ceremonijs & ritibus huic populo data, & promissiones patribus factæ. Voluit enim Deus eam gentem, unde proditurum erat semen benedictionis, mediator ac seruator totius mundi, separatam esse tantisper à reliquis omnibus, donec tempus adesset, quo cunctæ gentes ad regnũ gratiæ uocarent, & in unitatẽ fidei colligerentur. Quare plane detestabile est Iudaicum supercilium, quo sic Ecclesiæ suæ prærogatiuã extollunt, quasi soli perpetuò debeant esse populus Dei, sitq; Dominus non aliarum gentiũ, sed ipsorum tantum Deus: idecq; quam acceperunt politiã & religionis extrariæ & elementariæ dispensationem, nunq; sit de situra, sed in sempiternũ duratura. Hæc paucis perstringere uolui, ut uideant rudiores, quare nõ debuerit circuncisio durare

ultra

ultra ueteris Testamenti tempora, & separatam Israeliticæ Ecclesiæ dispensationem.

QVAESTIO IIII.

Qualis fuerit ista pœna.

Delebitur anima illa de populo suo.] Quæritur hoc loco, qualis fuerit ista pœna. An per mortem corporis, uel per mortem spiritualem delendus fuerit incircumcisus.

De morte corporis intellexit Lyranus. Sic enim scripsit: Non poterat ultrà octo dies differri, alioqui pater pueri, uel eius tutor, si mortuus esset pater, morte debebat puniri. Ipse etiam puer uenieus ad ætatem adultam, si negligeret circumcisionem accipere, puniendus erat morte. Hæc ille. R. Shlomoh intelligit de exterminatione per diuinam ultionem facta. Sic enim dicit, חולך ערירי ומתי דרדם ומבור, Abibit sterilis, & morietur ante tempus suum. Sunt qui intelligant de excommunicatione ciuili, qua incircumcisus ab omni ciuili consortio Israelis fuerit excludendus, quæ tamen excõmunicatio nihil adderit illius saluti corã Deo. Alij exponunt de excõmunicatione Ecclesiastica qua incircumcisus non solum à politia populi huius, sed & à benedictione circũcisis promissa reiectus fuerit. Burgẽsis sic: Anima illa non computabitur inter sanctos, secundum glosam. Augustinus disputans contra Pelagianos palàm exponit de perditione animæ. Verùm si consimiles locos inspexeris, qui multi sunt in scripturis, utpote Exod. 12. 30. 31. Leuit. 17. 20. &c. arbitror excisionem animæ, siue circumcisæ, siue Sabbatum uiolantis, siue de fermento tempore Phasæ comedentis, &c. nihil esse aliud, quàm exterminationem & ablationem de medio populi, qua non modò salus animæ, sed & uita corporis perditur, siue id fiat ultione diuina, siue gladio magistratus, aut lapidatione populi. De ultione diuina manifestè legitur Leuit. 17. ad hunc modum: Quicunq; è domo Israel, & de peregrinis, qui peregrinantur in medio eorum, comederit quemcunq; sanguinem, ponam faciem meam aduersus animam illam comedentem sanguinem, & excidam eam de medio populi sui. De supplicio mortis humano ministerio illato intelligendum est quod Exod. 31. legitur. Polluens sabbatum moriendo morietur. Quia omnis faciens in eo opus, excidetur anima illa de medio populorum suorum. Omnis faciens opus in die sabbati, moriendo morietur. Num. 15. mortis huius genus exprimitur. De ultione diuina pariter & mortis supplicio legitur Leuit. 20. ad hunc modum: Quicunq; dederit de semine suo ipsi Moloch moriendo morietur. Populus terræ lapidabit eum. Et ego ponam faciem meam adversus uirum istum, & excidam eum de medio populi sui. Hisce & alijs consimilibus locis satis manifestum esse puto, animam de populo suo excindi, idem esse, quod hominem huiusmodi exterminari & è medio auferri. Vox enim, anima, pro homine ipso ponitur. Quare non rectè legunt, qui legunt, Excidetur anima illius: sed legendum est, Excidetur anima illa, id est homo ille, de populo suo. Iam quod præsentem quæstionem attinet, quomodo incircumcisus excidendus fuerit de populo suo, quoniam id non est expresse positum, nihil arbitror esse periculi, si cum Shlomone de exterminatione intelligamus quæ diuina sit ultione facta.

An æquũ fuerit paruulum incircũcisum tam graui pœnæ subijcere.

Mouet hoc loco quæstionem Augustinus, quomodo iusticiæ Dei conueniens fuerit, quòd paruulus incircumcisus tam sit horribili pœna damnatus, cum nihil hac damnatione dignum propria uoluntate admiserit, sed maiorũ suorum uel negligentia, uel contemptu circumcisionẽ non acceperit, qua in re uticq; non tam ipse paruulus incircumcisus, quàm maiores illum non circuncidentes, in culpa fuerunt, adeoq; & digni qui punirentur, sicuti Exod. 4. de Mose legimus, quòd hunc in diuersorio existentem angelus Domini occidere uoluerit propter filij ipsius incircumcisi præputiũ. Respondet idem Augustinus, pœnæ huius iusticiam non esse tam referendam ad præputium contra fœdus Dei sine propria culpa retentum, quàm ad originalis peccati culpam, & massam perditionis, in qua est ex Adamo natus, ut ideo iustè damnatus fuerit paruulus incircumcisus, quòd non esset sacramento gratiæ ab originali perditione liberatus. Verùm si κατὰ λεξιν inspiciatur, quæ in comminatione huic est ad hunc modum adiecta, Quia pactum meum irritum fecit: satis opinor manifestum est, hanc esse iusticiam pœnæ huius quod in eiusmodi paruulo incircumciso pactum Dei factum sit irritum. Si quæras, quomodo conueniat id peccati imputare paruulo, per quem ne circumcideretur non stetit: respondeo, non esse nostrũ iudicia Dei in ius uocare: sed id potius curandum esse, ut omni carni confusionem, ipsi uerò gloriam iusticiæ tribuamus, coram quo nemo prorsus est innocens, ne infans quidem unius diei, cui stellæ cœlestes comparatæ, immundæ inueniuntur. Quanquam non est in litera expressum, pertinere istam excisionis comminationem ad infantem non circumcisum, sed ad incircumcisum potius adultum, pactum Dei contemnentem & irritantem referendum uidetur, quod dicit, Quia pactum meum irritum fecit. Secundum exemplum Mosis uidetur exterminationis comminatio magis ad parentem quàm ad incircumcisum pertinere infantem. Quare cauenda est lectio Græca, quæ sic habet: Præputiatus masculus, cuius caro octaua die circumcisa non fuerit, exterminabitur anima illa, &c. Nam illud, Octaua die, in Hebræo non habetur.

OBSERVATIO I.

Peculiaris cura confœderatorũ.

Et dixit Deus ad Abram: Et tu pactum meum custodias, tu & semen tuum post te, in generationibus eorum.] Obseruandũ est in eo quod dicit, Et tu, quæ peculiaris esse debeat confœderatorũ cura & diligentia. Ea uidelicet, qua utraq; pars cogitet, quid se ex obligatione fœderis facere deceat. Sic Deus cũ suas partes exprimere uellet, suprà dixit: Ego, Ecce fœdus meũ tecũ, &c. hic uerò, Abrahamũ de eo quod ipsi faciendum erat admoniturus dixit: Et tu, pactũ meũ custodies, &c. Nisi hæc cura corda cõfœderatorũ possideat, fieri non potest, ut peccatorũ uentas, salua permaneat. Audimus Deum ipsum memorẽ esse suarum partiũ: uicissim cogitandũ nobis est, ut fidei illius etsi non ex æquo, aliqua tamen cura & diligentia quæ

quæ nos concernunt facientes respondeamus. Et quod de confœderatis admoneo, accõmodari potest etiam omnibus humanæ uitæ ordinibus, quibus mortalium societas constat & continetur. Sunt coniuges, sunt patres & filij, sunt domini ac serui, sunt præceptores & discipuli, sunt magistratus & subditi. Horum ordines licet inter se sint uarij, sic tamen comparati sunt singuli, ut mutuo ueluti debito inuicem constringantur. Tolle curam hanc, qua singuli studiosè cogitent, quid se deceat: hoc est, quid maritus uxori, quid uxor marito: quid parentes liberis, quid liberi parentibus: quid domini seruis, quid serui dominis: quid præceptor discipulo, quid discipulus præceptori: quid magistratus subdito, quid subditus magistratui debeat: nihil poterit aliud consequi, quàm dissipatio ordinum ac statuum istorum. Vna hæc cura, omnium est humanæ uitæ ordinum conseruatio.

Deinde obserua quod dicit, Custodias pactum meum. Custodia pacti Dei duplex est. Vna est, ut quod promissum est seruet, ac præstetur. Altera est ut gratia, p̃mittentis ac paciscentis Dei in precio habeatur, & q̃d illius est gratia faciendũ religiosè fiat, de quo & suprà in explanatione memini. Admonemur hoc loco de custodia gratię ac promissorũ Dei. Potissima quidẽ custodia pacti Dei, est in ueritate ac certitudine promissorũ illius: nos tamen interea concernit, ut curemus, ne gratiam illius in uanũ aut frustra collocemus, sicuti et Apostolus 2. Cor. 6. fideliter admonet, Pactũ Dei per se firmũ est, per nos illi nec accedit, nec decedit quicq̃. In nobis uerò, si socordes et impij fuerimus, efficacia sua nostro uitio destituitur, quo fit, ut locum in nobis habere nequeat. Sic est comparata cœlestis gratia, ut fidem, amorem, gratitudinem, & religiosam obedientiam, qua custodiatur requirat. Tale est quod Christus dixit: Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. *Custodia pacti Dei duplex.*

Tertiò. Et semen, inquit, tuũ post te in generationib. eorũ. Considerandũ hic est, q̃ Abrahę nõ hoc solum præcipit, ut ipse pactũ Dei custodiat, sed ut et semen eius post ipsum hoc faciat. Mirum uideri potest, quõ illi præcipiat de posteris eius, quid post mortem ipsius facere debeãt. Quis paterfamilias, etiã dum adhuc uiuit, nedum post mortem suam, ita suos in manu habet, ut q̃d uult faciant? Et tamen præcipitur Abrahę, ut semen eius post ipsum pactũ Dei custodiat. Non præciperet, nisi aliqua esset curandi illius ratio. Verùm est, maiores in manu sua hoc nõ habent, ut posteri post mortẽ ipsorũ in fide ac religione Dei cõstanter permaneant. Alioquin ætera pietate ac religione nec ueteris nec noui Testamenti populi degenerassent. Illud tamen, dum adhuc in uiuis sunt, curare possunt, ut faciant q̃d infrà cap. sequenti ad ipsum est Abrahamũ ab angelo dictũ. Scio q̃ præcepturus sit filijs suis ac domui suę post se, ut custodiant uiam Dñi, & faciant iudiciũ & iusticiã. Et Deut. 4. Custodi te metipsum & animã tuam sollicitè, ne obliuiscaris uerborũ, quę uiderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus uitę tuę. Docebis ea filios ac nepotes tuos. Item: Congrega ad me populũ, ut audiant sermones meos, & discant timere me omni tempore, quo uiuent in terra, doceantq̃ filios suos. Et cap. 6. Erunt uerba hęc, quę ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis. Et eodẽ capite. Cũ interrogauerit te filius tuus, &c. Vide locũ ipsum, Et psal. 78. Quanta mandauit paterib. nostris, ut nota facerent ea filijs suis, & cognosceret generatio altera, & filij qui nascent, narrẽt filijs suis, ut ponant in Deo spem suã, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant. Hæc pertinent ad curam patrisfamilias, & præstare illa potest, dum adhuc in uiuis est, quemadmodũ illa præstiterunt patres Abraham, Isaac, Iacob, &c. Hæc domesticã institutio iam olim defijt inter Christianos, estq̃ omnis doctrina translata ad homines magis quæstum quàm Christũ spectantes: quare mirum non est, quod omnia scatẽt erroribus hypocrisi, & superstitionibus, & omnis generis corruptelis ac flagicijs. *De instituendo semine.*

OBSERVATIO II.

Hoc est pactum meum quod custodietis inter me & uos, & semen tuum post te.] Obseruandũ est hoc loco quod decircumcisione, tanquã pacti sui signo, præcepturus dicit: Hoc est pactum meum q̃d custodieris, &c. pactum uocans, quod signũ erat pacti futurũ. Ergo non est insolens in scripturis, ut nomine communicent, quæ reipsa sunt diuersa. Reipsa differunt signũ & signatũ, fœdus ipsum & circumcisio fœderis signũ & tamen sic cõmunicant nomine, ut q̃d signũ est signati nomen accipiat. Solenne est hoc in sacramentis tam noui quàm ueteris Testamenti. Vtrobiq; duo sunt sacramẽta, initiationis unũ, rememorationis alterũ. In ueteri Testamẽti circumcisio et Phasæ, in nouo baptismus & cœna Dominica. Præsenti hoc loco circumcisio, signũ pacti, ipsum pactũ uocat. Exod. 12. mysticus esus agni signũ et memoria transitus Dñi, ipse transitus appellat. Et Christus ipse hoc illũ nomine uocauit. Baptismus ab Apostolo lauacrum regenerationis uocat, cum sit illius signum. Panis cœnæ Dominicæ corpus Christi, & uinum sanguis uocatur, cum signa sint ille corporis, hoc sanguinis Christi pro nobis traditi & effusi. Nõ dubitauit Dñs dicere, inquit, alicubi Augustinus, Hoc est corpus meũ, cum daret corporis sui signum. Nec est quod ista quisquã temerè fieri putet. Signa seruiunt rebus, quarum sunt signa, res ipsæ signis suis nõ seruiunt. Sunt enim signa propter res signandas, nõ res propter signa. Cohonestatur itaq; signum hoc pacto, ut nomẽ inducat eius rei cui seruit, quo plus habeat efficaciæ ad cõmonefaciendum et cõfirmandum animos fidelium, ne in externis tantum & uisibilib. formis hæreant, sed uel ipsis illarum sacramẽtalibus nominibus ad considerationem rerum inuisibilium & spiritualium erigantur. Tale est quod in scripturis ubi angelus aliquis Domini apparuit, ipse Dominus apparuisse loquutusq; esse scribitur, sic ut ipsum etiam nomen Domini Iehouah de illo prædicetur. Exod. 2. sic legimus. Et apparuit ei angelus Domini (sic habetur in Hebræo, & Act. 7.) in flamma ignis. Et tamen paulopòst: Cernens, inquit, Iehouah quod pergeret ad uidendũ, uocauit eum de medio rubi, &c. Et: Ego sum Deus patris *Signum pacti uocat pactum.* *Quare signa nominibus rerũ significantarũ uocentur.*

tui, Deus Abrahę, Deus Isaac, & Deus Iacob, tale est etiam quod in monte Sina factum est. Atqui angelus ille qui loquebatur Mosi, nec Iehouah erat, nec Deus Abrahæ, Isaac & Iacob: sed erat minister Dñi ac Dei Abrahæ, &c. Et tamẽ & à Mose & à seipso uocatur Iehouah Deus Abrahæ. Ratio huius est, ut uerbũ Dei, quod per angelum annunciabat, nullo alio loco habeatur, q̃ pro ipsissimo uerbo Dei: sitq; illi condigna authoritas, haud secus q̃ si ab ipso Domino proferatur. Quare optandum esset, ut consuetudo ista sacrę scripturę, qua signa sacramẽtalia nominibus rerum signatarũ uocant, inter fideles citra ullam superstitionem retineretur, quo maiore religione & fide sacramentis uteremur.

OBSERVATIO III.

Circumcidatur uobis omnis masculus, & circumcidetis carnẽ præputij uestri, ut sit in signũ fœderis inter me & uos.] Principio obseruandũ est circumcidendi uerbum. Circumcisio rerum est immundarũ, quemadmodum & ablutio. Quę munda sunt, nec circumcisione, nec ablutione opus habent. Quod igitur circumcisionẽ fœderi suo annectere uoluit, Abrahæq; ac semini eius circumcisionẽ præcepit, primum admonet, etiam Abrahamũ ac posteros eius fuisse immundos, quamuis in fœdus essent à Deo assumpti. Quòd si coronas uel aliud quoddam corporis ornamentũ fœderi suo signi loco adiecisset, argumẽto esse posset, fuisse eos mũdos, ideoq; tanq̃ mundos ex omnibus alijs nationibus in fœdus electos. Verùm ubi præcepit ut circumciderent, satis innuit, nõ ideo esse eos in confœderationẽ assumptos, quòd mundiores essent reliquis, sed quòd singulari eos gratia prosequeret. Quis aũt satis pro dignitate gratiam hanc Dei prorsus stupendã deprædicarit, qua homines perinde immũdos atq; reliqui sunt, usqueadeò prosequi potest, ut eos in singularem confœderationis amicitiam & familiaritatẽ assumat?

Circumcisionẽ esse rerum immũdarum.

Deinde admonemur hac circumcisione, licet immũdos homines in fœdus assumat, nolle tamẽ eum, ut immundi maneant, sed ut repurgent. Non delectat immundicia, qui nulla est immundicia infectus. Quare alibi clamat: Lauamini, mundi estote. Item: Sancti estote, quoniã ego sanctus sum. Vtraq; admonitio, quod uidelicet immundi simus, & quod Deo non placeat immundicies, sed uelit, ut repurgemur perinde in baptismate nostro est atque in circumcisione Iudæorum.

Sed dicet hic aliquis, quod Abrahamũ concernit: Si circumcisio notam habet immũdiciæ repurgandæ, quare circumcidi oportuit Abrahamum, cum iam teste scriptura fide iustificatus, adeoq; & mundus esset. Respondeo paucis: Mundus erat Abraham pariter & immundus. Mundus propter gratuitã iusticiæ imputationẽ. Credidit, inquit, Abraham Deo, & reputatũ est illi ad iusticiam. Immundus, propter nondum satis repurgatam corruptæ naturæ immundiciã. Est enim duplex mundicia. Imputata una, realis, ut ita dicam, altera. Prima mundi sunt fideles & electi. Altera aliquousq; fidelis, perfectè solus Deus. Quod ergo circumcisus est Abraham, duabus est rationibus factum. Prima, ut obsignaculo iusticiæ fidei, quam consequutus fuerat in præputio, ut pater esset credentiũ tam ex præputio quàm ex circumcisione. Rom. 4. Altera, ut & ipse tanquam repurgandus signo repurgationis obsignaretur.

Quare Abrahamum quoq; circumcidi oportuerit.

Duplex immundicia.

Deinde considerandum est quod dicit: Et circumcidetis carnem præputij uestri. Atqui immundiciã carnis quæ uel circumcidendo uel lauando tolli potest, non auersatur Deus, auersatur autẽ eam quæ cordis est & spiritus. Quorsum attinebat igitur circumcidere carnẽ, cum nec sit in ea immundicia illa quã detestatur Deus, nec circumcisione carnis quisq̃ coram Deo repurgetur, quod illa non faciat ad repurgationem cordis immundi, id quod in circumcisis manifestè patet, non solum reprobis, sed & pijs. Etenim circumcisus utiq; erat Dauid, & tamen ad Dominũ orauit, dicens: Cor mundum crea in me Deus, & spiritũ rectum innoua in uisceribus meis. Et Moses Israeli in carne circumciso dicebat: Circumcidite præputiũ cordis uestri. Deut. 10. & Hier. ca. 9. dicit oñis domus Israel, incircũcisi sunt corde.

Quorsum attinuerit circumcisio carnis.

Respondendum est, circumcisionẽ hanc carnis non esse hoc nomine datã, quod per illam repurgaretur ulla esset naturæ humanæ immundicia, sed ut internæ repurgationis signũ esset, ad quam circumcisi adspirare debebant. Quemadmodũ & nos non mundamur externo baptismate, quo sordes corporis abluuntur, sed fide in resurrectionem Christi Iesu seruatoris nostri 1. Petr. 3.

Tertiò, & illud obseruandum est, quod membrum carnis circumcidendũ determinatum non dicit, circumcidetis carnem labiorum uestrorũ, uel aurium, uel oculorũ, uel ungues manuum, sed carnẽ præputij uestri, cum tamen non solum præputium, sed & labia, & aures, & oculi, & manus, organa sint immundiciæ nostræ. Alioqui quorsum attinet, quod Moses Exo. 6. dixit: Præputiatus sum labijs, & Hier. cap. 6. Ecce præputiati sunt auribus, & audire non possunt. Et de oculis, nequius oculo quid creatum est, inquit Sapiens Eccl. 31. & de manibus Esa. 1. Manus uestræ, inquit, sanguine plenæ sunt, lauamini, mundi estote, &c.

Quare caro præputij circumcidenda fuerit.

Admonemur hac consideratione, circumcisionẽ datam esse in signũ repurgandæ immundiciæ nõ solum eius quæ est ex immundo uisu auditu, sermone, & tactu, sed cum primis eius qua tota est humani generis natura ex ipso semine & conceptu contaminata. Eam ob causam uoluit Deus, ut organũ generationis nostræ circumcideret, ad designandam naturalem omniũ eorum immundiciam qui ex semine masculino nascuntur. De hac queritur & Dauid cum dicit: Ecce in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, Psal. 51. Et Iob: Quis potest facere mundũ, inquit, de immundo conceptũ semine? cap. 14. Et Paulus Ephe. 2. Natura eramus, inquit, filij iræ sicut & cæteri. Vnde & Christus Ioan. 3. dicit: Nisi quis renatus fuerit, non potest uidere regnum Dei. Et hæc est ratio, ob quam nõ est fœmellis imposita circumcisio, sed masculis. Nõ quod mũda sit cõceptio & natura muliebris sexus, sed

A sed ꝙ originalis naturę nostrę corruptio sit ex semine masculino, unde cõcipimur oẽs. Alioqui & mulie
bris sexus immũdus est. Circũcisio uerò data erat ad designandã non sexuũ, sed originalẽ cõmunis hu-
manę naturę deprauationẽ. Circumcidebaĩ igitur præputiũ organi genitalis nõ tam propterea ꝙ im-
mundus est masculus ex immundo semine cõceptus & natus, unde & fœminæ concipiunt & nascunt, q̃
quòd masculus generãs generat fœtũ corruptũ & immundũ. In natura masculi duo sunt. Vnũ, ꝙ est
generata ex immundo semine masculi. Alterũ, ꝙ ex se rursus per seminis sui immundiciã immundos ge
nerat. In priore cõmunicant etiam fœminę, in altero nõ ita. Quare diuino cõsilio factũ est, ut Christus
Seruator noster quo alienus esset à generis nostri nõ natura, sed corruptione & immũdicia, ex uirgine
citra masculinũ semen nasceret. faciunt ista ad intelligendã rationẽ, quare uoluerit Dñs circũcidi nõ fœ-
mellas, sed masculos, idq̃ in organo generationis nostrę. Et circũcisionis huius ratio qua cõmunis natu
ręq humanę cõtaminatio designat, non solũ masculos, sed & fœmellas complectit, quatenus non soli ma-
sculi, sed & fœmellæ de immundo sunt masculi semine concepti. Quod uerò non circunciduntur fœ-
melli sicuti masculi, ratio est, quòd immunda natiuitas non fœminino, sed masculino semini debetur.
Habent alij aliud quod hic cogitant. Iudicant ideo circumcisionem genitalis organi præceptam, &
fœderi loco signi adiectam, ut admoneret, pertinere hoc fœdus ad semen Abrahæ. Nihil habet hæc
sententia incommodi, nec aduersatur ijs quæ annotauimus. Nam utraque uera sunt. Et fœdus ad se-
men Abrahæ perrinet, & immundum est, quicquid ex semine masculino nascitur.

Quod circumcisio signum vocatur.

Insignis sacramentalibus duplicitur peccatur.

Quartò, nec illud transeundũ est, quod dicit, Vt sit in signum fœderis inter me & uos. Obseruãdum
hic est, quod circumcisionẽ, quam fœdus suum uocauit, iam uocat fœderis signũ. Quemadmodũ in eo
quod illam fœdus suum uocauit, id egit, ut honorificè ac religiosè de illa sentirẽt: ita hic, ubi eam uocat
fœderis signũ, cauet ne pro ipso fœdere usurpetur, sed intelligaĩ esse nõ fœdus, sed fœderis signũ. In si-
gnis sacramentalib. dupliciter peccaĩ. Alij superstitiosius animati signa pro rebus ipsis accipiunt. Vbi
audiũt, Hoc est fœdus q̃d custodietis inter me & uos, circũcidetis carnẽ prępurij uestri, &c. nõ intelligen
tes sacramentalẽ loquutionẽ, circumcisionem iudicant esse fœdus ipsum. Illis inculcandũ est esse circũ-
cisionem non ipsum fœdus, sed signum fœderis. Alij leuius & irreligiosius affecti, non adeò præclarè
de sacramentis sentiunt. Vbi audiunt, Et erit in signũ fœderis, signum sic à fœdere discriminant, ut pro-
cul abiecta fœderis consideratione circumcisionẽ quasi nudũ & inane signũ suscq̃ deq̃ faciant. Illis cre-
brò ingerendum est, circumcisionem esse fœdus Dei, ut admoneantur de illa sentire religiosius. Quod
de Iudæis & circumcisione annoto, locum habet etiam in ecclesia Christi. Nam in hac quoq̃ paucos re
peries qui de sacramentis fidei nostrę rectè, piè, & religiosè sentiant. In Papatu innumera eorum mul-
titudo est, qui ubi audiunt dixisse Christum, Hoc est corpus meum, &, hoc est sanguis meus, usq; ea-
deò superstitiosè affecti sunt, & literæ seruiliter addicti, ut ex loquutione sacramentali propriã faciant,
& signũ corporis ac sanguinis Dñi, panem uidelicet & uinum, pro rebus signatis corpore ac sanguine
Domini accipiant, atq̃ ita panis & uini substantiam prorsus negent. Illi admonendi sunt, ut abiecta su-
perstitione & seruitute literæ quæ sacramentaliter dicta sunt, sacramentaliter etiam intelligant, & in-
ter figura & res signatas inteligenter & competenter distinguant. Rursus reperias quàm plurimos qui
non admodum religiosè erga sacramenta Christi affecti, ubi audiunt, panem non esse corpus, & ui-
num non esse sanguinem Domini, sed esse signa corporis ac sanguinis Dñi, sic uocem signi urgent,
ut sacramentales loquutiones, quibus gratia cœlestis exprimit, & mentes fideliũ ad considerationẽ illius
erigunt, quasi impias & intolerabiles abijciant, immo quod Christus dixit: Hoc est corpus meum, q̃d
pro uobis traditur, &c. ægerrimè uel audiant uel, pferant. Quanta hinc nascaĩ leuitas erga mysticam
Dominicæ cœnæ communionẽ, res ipsa proh dolor quotidie magis ac magis declarat. Quare locus hic
diligenter est fideli Christi ministro obseruandus, in quo de re eadẽ duplicis generis loquutiones ha-
bentur, sacramentalis una, propria altera. Sacramẽtalis est, qua dicit: Hoc est fœdus meum inter me &
uos. Item: Et erit fœdus meum in carne uestra. Circũcisio nanq̃ nõ erat ipsum fœdus proprie, sed sa-
cramentaliter. Propria est præsens hæc qua dicit: Et erit in signũ fœderis inter me & uos. Nihil enim
in uerbis istis est, q̃d nõ fit, pprie dictum. Sacramentalis loquutio seruit fidei nostrę, illiq̃ rem ipsam ue-
luti coràm contemplandã & amplexandã proponit. Propria seruit intelligentiæ, & cauet superstitio-
nem, ne signum pro re signata seruiliter accipiaĩ. Habet cũ interpretationẽ sacramentalis loquutionis.
Cũ Dñs dicit, Hoc est corpus meũ, sacramentalis loquutio est & ipsa uera, sed suo modo, sacramentali-
ter uidelicet non propriè. Cum panem cœnæ Dominicę sacramentũ corporis Christi uocamus, & cum
Augustinus dicit, dedisse Dñm signum corporis sui, propria loquutio est, interpretationẽ habens eorũ
quæ Christus sacramentaliter loquutus est. Curandũ itaq̃ ministris Christi, ut utroq̃ loquutionum ge
nere uicissim in ecclesia loquantur, dum populum de sacramentis fidei nostrę instruunt. Assuefaciendæ
sunt aures fideliũ, ut sine offensione sacramentales loquutiones audiant, & rursus instruendæ sunt il-
lorum mentes loquutionibus proprijs, ueluti sacramentalium interpretationibus, ut modos loquen-
di intelligãt: & q̃uis superstitionẽ Christiano nomine indignã, pcul abijcientes, pia & cõperenti diuisio
ne inter externa signa sacramẽtalia, & res ipsas quarũ sunt signa tanq̃ spiritualiũ rerũ gnari distinguãt.
Si discretione hac uterent doctores in ecclesia, multo minus esset contentionũ, quibus hodie acerbis-
simè inter se digladiant plerique. Alius clamat, Corpus Christi, alius signũ corporis Christi, quasi utrunq̃
rectè dici nequeat. Quisnam cordatus nõ rideat Iudæos, si de circũcisione altercantes, alij uociferãtur,
Circũcisio fœdus Dñi est: alij cõtrà, Circũcisio signũ fœderis est, nõ fœdus ipsum. Et de paschate clama

Duplicis generis loquutiones de sacramentis.

rent alij, Paſcha tranſitus Dñi eſt: alij uerò, Paſcha memoria eſt tranſitus Domini, non tranſitus ipſe? Quid quæſo aliud faciunt noſtri, dum illi fortiter contendunt eſſe in cœna ipſum corpus Dñi, iſti contrà, non corpus ipſum, ſed ſacramentum corporis Dñi in cœna eſſe clamant? poſſent hanc litem facili momento dirimere, ſi inter haſce loquutiones cõpetenter diſtinguerent, & utraſq; ſano ſenſu probarent, non quaſi falſas impugnarẽt. Oro Chriſtum Seruatorem, ut noxiã hanc contentionẽ tandem è medio tollat, & de ſacramentis gratiæ ſuæ rectè nos & fideliter ſentire, credere & loqui largiatur.

De uſu ſignorũ initialium.

Præterea uidendum eſt hoc loco de uſu ſignorũ initialiũ. Et erit, inquit, in ſignum fœderis inter me & uos. Cogitandum eſt, quare uoluerit Deus non ſolum uerbo gratiæ ac doctrinę ſuę cum ijs agere ęs in fœdus aſſumpſit, ſed uerbo ſuo etiam ſignum adijcere, quo obſignarentur.

Obſignatio eſt uel propter ipſum Deum, uel propter eos qui obſignant, aut propter alios. Quòd Deum attinet, nõ eſt opus ulla externa obſignatione, qua qui ſui ſint cognoſcat, ſicuti paſtori opus eſt, ut ouiculas ſuas inter alienas paſcentes obſignet. Nã alioqui, ſicuti Apoſtolus ſcribit, abundè nouit qui ſint ſui, etiam priusq; naſcant. Nouit quos elegerit ab æterno, & ad gloriam gratiæ ſuæ prędeſtinarit, quorum nomina ſcripta habet in libro uitæ. Quare quòd uoluit Abrahamũ & ſemen eius circumciſo ne carnis tanq; ſigno fœderis obſignari, nõ ſua ipſius, ſed illorum, deinde & aliorũ gratia uoluit. Profuturum erat hoc ipſis duplici nomine. Primùm poterant hac obſignatione certificari in cõſcientijs ſuis de gratia & uolũtate Dei erga ſe. Habebat enim ſignũ hoc fœderis conteſtationẽ Dei, ꝙ agnoſceret eos pro ſuo populo. Elegerat eos in populũ ſuum, fœdus ſtatuerat inter ſe & illos, ꝙ uellet eorum ac ſeminis ipſorum eſſe Deus. fœderi huic adiecit ſignum externũ, uoluitq; ut illo obſignarenẽ. Sic teſtabatur, immo profitebatur, ꝙ aſſumpſiſſet eos in gratiã et peculiũ ſuũ, tanq; populũ ſelectũ et peculiarẽ. Horum utiq; cõſideratione poterãt fideles ex circũciſione de gratia & uoluntate Dei erga ſe in conſcientijs ſuis certificari. Deinde ſeruiebat iſta obſignatio admonitioni quoq; admodũ neceſſariæ. Admonebat primùm de originali ac naturali immundicia, qua de re ſuprà diximus. Et magna neceſsitas eſt, hanc non ignorare. Deinde admonebat, puritatem cõpetere illis qui diuini fœderis facti ſunt participes. Inde conſequi poterat ſtudiũ purioris uitæ, unde tandẽ reipſa experirent, purificationẽ cordis & uitæ nõ ſe humanarũ uirium, ſed diuinæ gratię, qua ſola mundant, qui ex immundo ſunt ſemine concepti. Hinc naſcuntur ſuſpiria et gemitus ad cœleſtem gratiã, & humani cordis hypocriſis extinguit. Tertiò, admonebat etiam obedientiæ & fidei erga Deum per oñem uitam ſeruandę, cui fœderis eſſent ſigno obſignati. huiuſmodi certificationis & admonitionis luculenta utilitas ad circumciſos fideles ex hac parte rat obſignatione redire.

Quòd uerò reliquos concernebat, habebat iſta obſignatio manifeſtam etiam profeſsionem, qua qui circumcidebantur, palàm unius ac ueri Dei religionem, fidem & cultum profitebantur, & ab omnibus ſeſe totius orbis nationibus, à uero Deo alienis, ſeiungebant. Profeſsionẽ hanc oportebat eſſe conſpicuam & manifeſtam, ut eſſet quaſi lux quædam in tenebris lucens, & omnium gentium cæcitatem & impietatem redarguens. Ipſi circumciſi ſeparatione hac admonebantur, ut à quibus religione ſepa rati erant, ab illis etiam diuerſi eſſent ſtudio pietatis & iuſticiæ, ne nomen Dei per ipſos blaſphemare tur inter gentes: ſed potius illuſtraretur, & ad cognitionem ueritatis errantes prouocarentur. Sic magna erat ratio, quare populum hunc Deus, quem ſibi in peculium ex omnibus totius orbis nationibus elegerat, ſigno fœderis externo & manifeſto obſignari uoluit: & ſicuti Apoſtolus Rom. 3. dicit, magna erat per omnem modum circumciſionis huius utilitas, licet hanc pauciſsimi ex Iudæis rectè agnouerint, & bene collocarint. Et quę de illa annotamus hoc loco, accõmodanda ſunt etiã baptiſmari noſtro, quo noui Teſtamẽti populus in nomen & peculiũ Dei patris & filij & ſpiritusſancti obſignatur.

OBSERVATIO IIII.

Quare uoluerit Deus infãtes circumcidi.

Infans octo dierum circumcidatur uobis.] Cogitandum hic eſt, quare uoluerit Deus non ſolum adultos maſculos, ſed & infantes fœderis ſigno obſignari, cum tamẽ illi nec Deum cognoſcere, nec fœderi illius accommodare ſe queant. Paulus circumciſionem ſignaculũ eſſe dicit iuſticiæ fidei Rom. 4 fidem hanc iuſtificantem nõ habent infantes, ſicut Abraham, quare mirum uideri poteſt quomodo ſignaculi illius capaces eſſe poſsint. Res ipſa docet, uoluiſſe Deum infantes populi ſui nõ ideo circumcidi, ut eo ſigno in fœdus aſſumerent, ſed ut tanq; ſemel per gratiã in uniuerſum aſſumpti, fœderisq; conſortes una cum fideli Abraham facti, ſigno fœderis, perinde atq; fideles adulti obſignarent. Non eſt hæc ſigni ratio, ut reddat gratiæ ac fœderis Dei participes, ſed ut in gratiã ac fœdus aſſumptos obſignet. Quòd aũt non ſolus Abrahã fide iuſtificatus in fœdus Dei receptus ſit, ſed unà cũ illo ſemen quoq; ipſius gratiæ huius factum ſit particeps, ex eo ſatis liquet, quòd ad illum eſt à Deo dictum: Erò Deus tuus, & Deus ſeminis tui. Et, ſtatuo pactum meũ inter me & te, & ſemen tuum poſt te. Gratiæ itaq; huius conſortes facti

Simile.

infantes, erant obſignandi ſigno gratiæ, & fœderis, licet horũ nihil dum per ætatem intelligerent. Obſignantur oues & agniculi nõ ut transferantur in ius obſignãtis, ſed quia illius ſunt, obſignatione manifeſta illius eſſe monſtrantur. Sic circumcidebantur Iudæorũ infantes, non ut obſignatione illa in fœdus Dei reciperentur, ſed ut conſortes illius eſſe monſtrarentur. Nec ipſe Abraham propterea circumciſus eſt, ut in fœdus aſſumeretur: ſed quia in fœdus Dei aſſumptus erat, fœderis ſigno obſignabatur.

Diſcernendũ eſt inter adultos et infantes.

Quòd locum Apoſtoli Rom. 4. attinet, debent cordati homines diſcernere inter adultos & infantes. fidelis adultus circumciſione tanq; ſignaculo iuſticię fidei obſignabatur, nõ iuſtificabatur, quò Paulus in exemplo Abrahæ contra Iudæorum cæcitatem reſpiciebat. Quoniã uerò circumciſio nõ ſolum iuſticiæ fidei

fidei signaculũ, sed & signum fœderis est, cõpetebat non solum adultis credentibus, sed & credentiũ liberis, quamuis per ætatẽ nondum credere ualentibus. Quare non est modica corũ inconsiderãtia, quorum alij negant baptizari posse infantes fidelũ Christianorũ, propterea q̃ fidem non habeant: alij fidem illis tribuunt, quo baptismatis participes esse possint, qnasi alienũ sit à gratia noui Testamẽti, q̃d alienũ non fuit à gratia ueteris: nequeantq̃ infantes nostri parricipes esse gratiæ & signi gratiæ, nisi perinde atq̃ adulti fide primùm sint iustificati, cum ratio obsignationis huius non tam ad fidem bapti zandorum, quàm ad gratiam diuini fœderis haud minus infantibus quàm adultis destinatã respiciat, à qua non excluduntur, nisi qui incredulitate sua seipsi excludunt. id quod de infantibus dici non potest, qui licet per ætatem nondum credant, incredeli tamen dici non possunt.

Cogitandum hic & illud est. Circumcisio in ueteri, & baptismus in nouo Testamenti duo initialia sacramenta, nõ modò gratiæ Dei professionisq̃ publicæ signa sunt, sed & de originali naturæ nostræ corruptione ac de prauatione, necessariaq̃ regeneratione testanť & admonent. Quare et hanc quoq̃ ob causam omniũ pertinentissimè circumcidebanť infantes in ueteri Testamẽto, & baptizanť in nouo. Sic testificamur, esse eos immundos ex naturali & originali corruptione, opusq̃ habere ut regenerenť. Et hoc respectu patres tam acriter contra Pelagianã hæresim dimicantes, baptismũ infantibus ad salutem neratiõis necessitatẽ obscurare. Et reuera, si tantũ adulti baptizarenť, secundũ studia Anabaptistarũ, necessariũ esse docuerunt. Sentiebant eñ illorũ hæresim utranq̃ & originalem deprauationẽ, et regeoñes ualuq̃ Pelagianorũ impietati in Ecclesia Christi aperirenť, & gloria gratiæ Christi obscuraretur.

Duo sunt initialia sacramenta.

In eo uerò, q̃d nõ simpliciter dicit, Infans circumcidať uobis: sed cũ specificatione temporis, Infans octo dierũ circumcidať uobis: primùm admonemur de philanthropia Dei, qua teneræ ætatis rationẽ habuit, longè aliter cõparatus q̃ maligni illi & misanthropi spiritus qui à cultoribus suis infantiũ cremationẽ tanq̃ gratum sacrificiũ requirebãt. Deinde admonemur, ne anxij simus propter infantes, qui sine signo fœderis statim post partũ ex hac uita auferunť, uel in partu ipso periclitanť, quasi quemadmodũ in signo non cõmunicant, ita alieni quoq̃ sint à gratia Christi. Scrupulositas ista, qua plerique sic sunt de baptizandis infantib. suis anxij, ut per obstetrices eos statim à partu, immo nonnunq̃ & in partu baptizari quomodocunq̃ uel manu uel pede uelint, aliena debet esse ab intelligẽtia Christianorum, quorũ est scire, gratiã regni ac fœderis Dei, non pendere à signo, sed à gratuita diuinæ electionis bonitate, qua dictũ est: Ero Deus tuus & seminis tui. Et à Christo ipso: Sinite paruulos uenire ad me: talium estẽ regnum cœlorum. Noluit Deus sollicitos esse Iudæos de infantibus suis, uel in partu, uel primis diebus post partum morientibus: sed fide respicere in promissionis ac fœderis sui gratiam, ideoq̃ circumcisioni diem octauum præscripsit, manifestè significans, infantium salutem pendere non à circumcisione fœderis signo, sed ab ipsius fœderis gratia. Alioqui præscripto hoc octaui diei multis infantium millibus omnium fuisset pessimè consultum.

Infans octo dierum circumcidebatur.

Tertiò, cogitare debemus etiam de mysterio loci huius. Septem dies typum habent huius seculi, q̃d continua septem dierum reuolutione absoluitur. Donec in ista septem dierum reuolutione detinemur, nõ absoluitur opus regenerationis nostrę ac plenæ perfectę repurgationis, qua ab omni prorsus immũdicia et corruptione liberemur. Vbi aũt dies octauus aderit, seculum uidelicet futurũ, tum demum plenè ac perfectè circumcidemur, hoc est, ab omni macula & contagione peccati liberabimur: et in uitã cœlestem à mortuis excitati & clarificati transferemur. Huc pertinet etiam octauus ille dies, in quo Christus resurrexit. Interea donec hæc uita durat, tempus uidelicet septem dierum, licet nondum plenè ac perfectè repurgati simus, participes tamen sumus cœlestis gratiæ, & populus diuini fœderis, Dño sanctus & peculiaris, plenam & perfectã mundationem in fide, ac spe promissionũ Dei expectantes. Iã quidẽ salui sumus, sed spe, inquit Apostolus. Iam mũdi sumus, sed fide & gratuita imputatione. Restandum est ut in fide hac, spe & patientia constanter perseueremus, donec ad octaui diei felicitatem ipsa erimus die octauo, quod in septẽ hisce præsentis uitæ diebus electione, fide ac spe sumus. Quare cu perueniamus.

De mysterio loci huius.

OBSERVATIO V.

Omnis masculus in generationibus uestris, tam uernaculus, quàm emptitius circumcidetur, &c.] Condsideratum est hoc loco quid sibi uoluerit Deus, quòd populo fœderis sui ab omnibus aliis gentibus & nationibus separato, non solum permisit, ut inter domesticos suos haberent homines à generatione ac semine ipsorum alienos, sed & expresse præcepit, ut illos perinde ac suos infantes circumciderẽt, ac fœderis signo obsignarent, cum tamen fœdus illud nominatim inter se & Abrahamum ac semen illius constituisset.

Quare Deus nõ solum Israelitas sed & alienos à semine Abrahæ circumcidi uoluerit.

Primùm factum est hoc cautione quadam, qua ferre noluit ut in eodem populo suo essent circumcisi alij, alij præputiati. Noluit eos assuefieri incircumcisis, nec permittere, ut essent cõmixtio quædam & confusio hominum in religionis professione dissidentium. Nam huiusmodi confusio populi & ecclesiæ Dei, tam rudis adhuc & imbecillis, non erat ad constantem religionis profectum & conseruationẽ factura. Quare uoluit ut omnes tam alieni quàm qui de semine Abrahæ essent, circumciderentur, & publicæ religioni coadunarentur. Quod aũt fœdus cum Abrahamo ac semine eius nominatim sanciretur, non impediebat, quo minus & alieni assumerentur. Nihil eñ ex eo Israelis prærogatiuæ decedebat. Et liberum erat authori fœderis, quemadmodum Abrahamum ac semen eius in gratiam fœderis libera gratia assumpserat, ita & de gentibus quos uolebat in eandem fœderis sui societatem colligere. Præterea, præmonstrãda erat etiam mox initio fœderis & initiationis ecclesiasticæ, uocatio gen-

tium sub Christo noui Testamenti tempore futura, qua ex Iudæis & gentibus unus fieret populus & una Ecclesia. Omnino futurum erat, ut ex omnibus totius orbis nationibus congregarentur gentes ad communicationem fidei & populi Abrahæ. qua de re Christus ipse dicebat: Venient ab Oriente & ab Occidente, & recumbent cum Abrahã, Isaac, & Iacob in regno Dei. Huius rei uoluit Deus indicia quædam in eo præcedere, quòd alienos quoque signo fœderis obsignari, & semini Abrahæ accenseri coniungíq; præcepit.

Originalis macula in hac uita re aliter nõ tollitur.

Deinde obseruandum est quod dicit: In generationibus uestris: & suprà, Custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus eorum. Quod non solus Abraham, sed & semen illius post ipsum per generationes subsequentes circumcidi iubetur, argumento est, originalem illam & catholicam humanæ naturæ corruptionem ac deprauationem, nec iusticia fidei, nec circumcisione, signaculo iusticiæ fidei, ac fœderis signo realiter tolli, donec, quemadmodũ paulo antè annotauimus, durat seprem dierum, hoc est, præsentis seculi tempus. Alioqui si originalis illa peccati labes, quæ ex Adamo contracta in omnem carnem ex semine traduce transfunditur per iusticiam fidei & circumcisionẽ organi genitalis prorsus auferretur, ablata fuisset utiq; ab ipso Abrahamo, sic ut omnis posteritas ex illo nata prorsus aliena à labe peccati originalis fuisset. Iam ubi circumcisio etiam posteris illius per generationes illorum mandatur, satis datur argumenti, durasse malum hoc originale in carne Abrahæ etiã post acceptam fidei iusticiam & circumcisionem, fuisseq; per illum transmissum & propagatum in ipsum Isaac, promissionis semen, & ex illo consequenter in posteros. Alioqui quorsum attinuisset circumcidere mundos, idq; octauo die? Et quod hìc de circumcisis annotamus, locum habet etiam in baptizatis fidelibus, qui & ipsi nec fide nec baptismate sic liberanti à macula peccati originalis, ut prorsus repurgati gignant mundos, & alienos ab hoc malo. Quare quemadmodum inter Iudæos circumcisorum fidelium infantes circumcidebantur, ita inter nos Christianos baptizatorum fidelium infantes baptizantur. quod præter rationem utiq; fieret, si labes originalis fide & baptismate ex carne credentium prorsus auferretur, & infans de semine non immũdo, sed mundo cõceptus planè alienus esset ab illius contagione. Contendunt aliqui, quomodo peccatum originale in baptismate remittatur. Res ipsa clamat, non tolli illius propagationem, qua in ipso conceptu transmittitur in posteros. Deletur malũ hoc sanguine Christi, quo mundamur ab omni peccato, non ut in carne nostra non sit amplius, sed ut nec regnet in uita nostra, nec imputetur ad condemnationem.

De seruis.

Tertiò nec illud transeundum est, quòd ratio habetur à Deo non solum liberorum, sed & seruorum. Tam seruus quàm liber uno & eodem sunt fœderis signo in gratiam Dei obsignati. Ergo conditionis humilitas non eo in loco in cœlis est, quo est in terris. Et in Christo Iesu, ficuti Paulus admonet, nõ est seruus, non est dominus: hoc est, nihil discriminis est inter seruum & dominum.

Populo sanctorũ coniunctum esse quàm sit utile.

Quartò, uidemus etiam hoc loco, quantum utilitatis sit qualicunq; ratione coniunctum esse populo sanctorum. Serui illi alieni & ethnici, quoniam domestici facti erant Abrahæ ac seminis eius, populi electi ac sancti, unà cum illo in fœderis gratiam iussu Dei obsignabantur. Itaq; hominibus ethnicis seruitus ista in populo Dei plus attulit utilitatis, quàm si fuissent inter suos liberi.

OBSERVATIO VI.

Quomodo fœdus Dei possit esse in carne.

Eritq; fœdus meum in carne uestra in fœdus perpetuum.] Obserua loquutionem. Erit fœdus meum, inquit, in carne uestra. fœdus Dei res est omnium spiritualissima. Est esse Deum Abrahæ ac seminis eius. Quomodo in carne potest esse hoc fœdus Dei? Sacramentalis loquutio est. fœdus Dei erat in carne Abrahæ ac seminis eius, cum circumcisione fœderis sacramento in fœdus Dei obsignaretur. Sic regeneratio est in carne nostra, per baptisma regenerationis sacramentum. Est autem non realiter in carne nostra, sed sacramentaliter. Sic corpus Christi carnem nostram ingreditur, dum de sacramento illius participamus. Ingreditur autem non corporaliter, sed sacramẽtaliter, & si fides in sanguinem Christi adfuerit, etiam spiritum nostrum spiritualiter & efficaciter ingreditur. Non est obiter transeundũ, quod

Carni signũ externum, spiritui uerò res signata competit.

carni destinatum est signum externum, spiritui uerò res signi. Homo caro est & spiritus. Caro, externa: spiritus, interna est hominis portio. Signum quasi caro quædam est mysterij diuini, res signi instar est spiritus. Externum itaque externo, & internum interno accommodatur, dum signum carni, res signi spiritui deputatur. Nec hominem, nec sacramentum Dei discerpimus, dum externum ab interno distinguimus, sed unicuiq; portioni quod sibi conuenit distribuimus. Et alioqui manifestum est, etiam teste Augustino, aliud esse reipsa, & aliud in sacramento spiritualium rerum fieri participem. Potuit fœdus Dei esse in carne Iudæi, & non esse in spiritu. unde & Apostolus circumcisionem spiritus & cordis à circumcisione literæ & carnis distinguit Rom. 2. Potest circumcisio esse in spiritu præputiati & non esse in carne. Sic habet etiam nostrorum sacramentorum conditio. Multi baptizantur & participantur corpore Christi in Ecclesia sacramentaliter tantum, dum citra remipsam solis utuntur sacramentis.

Rursus & illud cogitemus. Et erit fœdus meum, inquit, in carne uestra. Quoniam homo non spiritu tantum, sed spiritu simul & carne constat, totus autem immundus est & carne & spiritu & contagione originali, rectè nõ solum spiritui, sed & carni destinata est sua cuiq; mystica repurgatio; ad designandam plenam repurgationem, qua non solum spiritus, sed & caro fidelium, totus uidelicet homo, ad communicationem cœlestis uitæ repurgabitur.

Quare dixerit Deus, circũcisionem fore in fœdus perpetuum.

Præterea, in fœdus, inquit, perpetuum. Quòd circumcisionem attinet, & ipsum quoque fœdus, quatenus

temus constitutum est cum carnali semine Abrahæ, cogitandum est, qua ratione uoluerit hanc particulam inculcare Deus, fore circumcisionem hanc in carne illorum ad fœdus perpetuum, cum tamen & signum & fœdus, cum carnali Israele sancitum, suo esset fine circumscriptum diuinitus, & terminandũ, id quod noui est Testamẽti tempore factũ. Quod abrogationem circumcisionis & Iudaici fœderis concernit, non erat illa populo aperienda carnali, præsertim initio: sed inculcandum potius fore circumcisionem hanc in carne ipsorum in fœdus perpetuum, ne qua cogitatione de temeranda illa & negligenda inficerentur. Sic enim cõparati sumus, ut facile præuaricemur ab eo, quod inconstans, & haud perpetuò duraturum cognoscimus.

Quod uerò ipsum fœderis huius spiritum attinet, quò non Israel tantum, sed & omnes credentes ex gentibus comprehenduntur. Obseruandum est, quod non dicit: Et erit fœdus meum in carne uestra perpetuò: sed, Et erit fœdus meum in carne uestra, ad fœdus perpetuũ. Ergo perpetuitas datur non circumcisioni, sed fœderi ipsi. Perpetui fœderis signum absq; detrimento ueritatis & gratiæ Dei, mutari potuit, fœdus uerò ipsum in sempiternum permanet.

OBSERVATIO VII.

Et masculus præputiatus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, excidetur anima illa de populo suo: pactũ meum irritum fecit.] Principiò obseruandum est, quòd signo fœderis & gratiæ suæ Deus minas aduersum contemptores adiecit. In fœdere gratiæ diuinæ benenolentiæ relucet, in minis adiectis argumentum est indignationis. Gratia fœderis ad salutẽ parata est, indignatio Dei perditionẽ & exitiũ adfert. Cõnectio ista diligenter est obseruãda. Diuersissimi affectus pariter & effectus sunt gratia & ira, salus & exitiũ. Et tamen hoc loco coniunguntur, & perinde atq; uita & mors, proponuntur. Admonemur hoc exemplo omnium esse æquissimum, ut qui benedictionem gratiæ Dei respuunt, maledictioni subijciantur: & qui ultroneam beneuolentiæ diuinæ oblationem contemnunt, iram experiantur: & quoniam uitam amplecti nolunt, mortem incurrant. Debet ergo cœlestis gratia non simpliciter, sed cum adiunctione comminationis aduersus illius contemptores prædicari. Sic Ioannes dicebat: Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui non credit in filium, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super ipsum. Et Christus ipse: Qui crediderit, inquit, & baptisatus fuerit, saluus erit: qui non crediderit, condemnabitur.

Quòd signo gratiæ adiectæ sunt minæ.

Deinde cõsiderandum est, quod dicit: Et masculus præputiatus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, excidetur anima illa de populo suo. Ergo ne tantopere placent Deo circumcisi carne, & displicent incircumcisi? Atqui fieri potest, ut incircumcisus sit corde ac spiritu, qui circumcisus est carne. Huiusmodi circumcisus quomodo Deo probari poterit? Non probatur Deo circumcisus carne, si spiritu sit incircuncisus. Circũcisus carne erat Esau, circumcisi erant carne qui ex Aegypto educti, incredueli, & corde non rectò erant erga Deum, & tamen Deo non placuerũt, ideoq; in deserto perierunt. Consequitur ergo, nec probari Deo incircumcisos corde & spiritu, quantumuis circumcisi sint carne: nec placere illi incircumcisos, hoc est, fœderis ac gratiæ ipsius contemptores. Displicet Deo gratiæ ipsius tam abusus quàm contemptus.

Displicet Deo tam abusus, quã contemptus gratiæ ipsius.

Tertiò: de eo quoq; cogitandum est, quod dicit: Excidetur anima illa de populo suo. Sicuti beneficium est ingens, esse et manere in populo Dei: ita horrendum uicissim est exitium, excidi de populo Dei. Esse in populo Dei, est non solum humanæ societatis esse consortem, sed simul esse in fœdere, gratia, & peculio Dei, ut non modò ad populum, cui est incorporatus, sed & populi eius Deum pertineat, qui fœderis illius est particeps. Sic dicebat Noemi ad Ruth, Moabitiden nurum suam: En reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad deos suos. Vade cum ea. Vide quomodo populum, ac deos populi consam. Et Ruth: Vbicunq;, inquit, morata fueris, morabor ibi & ego. Populus tuus, populus meus: & Deus tuus, Deus meus. Quis autem explicuerit, quanta sit fœlicitas, esse in eo populo, cuius Dominus Deus est? Beatus populus, ait Dauid, cuius Dominus Deus eius. Est itaque reuera infelix, quisquis uel alienus est ab hoc populo: uel si illi incorporatus sit, suopte uitio excidatur, & tam sancto, tamq; felici consortio priuatur.

Horrendum est eijci de populo Dei.

Est autem excidium quadruplex: Corporale, spirituale, utrunq; & Ecclesiasticum.

Quadruplex excidium.

Corporale est, quo quis propter facinus aliquod morte plectitur, & è medio populi sui aufertur. Tale erat, quo excidebatur is qui ligna collegerat die Sabbati, Num. 15. Et qui de spolijs Hiericho furtim quædam abstulerat, Iosue 7. & consimiles alij.

Spirituale est, quo increduli circumcisi, licet corpore sint in populo Dei, spiritu tamen prorsus ab illo coram Deo separantur & excluduntur. Vtrunq; est, quo maledicti & corporaliter & spiritualiter exciduntur. Corporaliter, propter admissum facinus: Spiritualiter, propter incredulitatem. Sic latro sinister excidebatur. Dexter & ipse quidem exterminabatur de populo Dei, sed corporaliter tantum.

Ecclesiasticũ est, quo quis certis de causis ab Ecclesia Dei excõmunicat. Hoc genus excidij excõmunicationẽ uocãt nostri. Apud Iudæos ejiciebant de synagoga. i. cœtu populi Dei, publicani et peccatores, & qui fidẽ in Christũ profitebant. Io. 9. Qui sic excidebant, poterant per resipiscentiã ad Ecclesiã Dei reduci. Et qui apud nostros excõmunicant, nõ damnant, nisi in obstinatione impœnitentiæ prorsus impij & increduli, tanquã gratiæ Dei irrisores perseuerent. Excõmunicatio si sit iniusta, non damnat coram

Deo. Si iusta est, neq; sic tamen damnat, nisi accedat incredulitas & impœnitẽtia. Nec corporale excidium, etiam meritum, damnat, nisi adsit incredulitas. Spirituale prorsus est exitiosum, quocunq; tandem loco sis in populo Dei.

Quare curandum est, ut non solum externa communione simus de populo Dei: de qua Papistæ hodie plurimum gloriantur, sed ut spiritu quoq; participemus cum electis & fidelibus tanquã ueris mystici corporis membris. Qui non sunt uera populi Dei membra, siue in illo maneant externè, siue exeant, aut ejiciantur, non sunt uerè de populo Dei.

Aliud est simpliciter peccare, et aliud pactũ Dei irritum reddere

Quartò, nec illud transgrediendum est, quod dicit: Pactum meum irritum fecit: Non simpliciter dicit, Peccauit: sed, Pactum meum irritum fecit. Aliud est simpliciter peccare, & aliud pactum Dei irritum reddere. Pactum Dei irritum reddere, est ipsam gratiam Dei, qua peccatis delinquentium ignoscitur, proculcare. fit hoc non quouis peccato, sed singulari quodam gratiæ Dei contemptu. Peccatum per se morbus est, opus habens medico. Contemptus gratiæ Dei contemptus est medici. Qui ægrotat, curari potest, si non respuat medicum. Qui medicum respuit, unde curabitur? Exitium ægrotantium, est medicinæ contemptus. Ad hunc modum, qui simpliciter peccat, per gratiã Dei saluari potest. Gratia Dei medicina est omnis tam originalis quàm actualis, tam multorum quàm paucorum, tam magnorum quàm mediocrium peccatorum. Qui hanc contemnit, non habet præterea in quo saluetur. Qui accipit animo grato, & bene collocat, saluatur. Cõsimilis est etiam matrimonij ratio. Debet uxor uiro suo obedientiam & subiectionem. Hic frequenter delinquitur, & tamen non quouis delicto coniugij uinculum soluitur. Multa condonantur muliebri infirmitati & imprudentiæ, propter retinendam coniugij integritatem. uerùm ubi adulterio fides coniugij uiolatur, ibi coniugium irritum redditur, & meritò exciditur adultera.

Contemptus signi pro fœderis uiolatione reputatur.

Quintò, considerandum etiam est, quòd contemptus signi pro fœderis irritatione reputatur. Loquitur enim de contemptu circumcisionis. Dicit quidem: Pactum meum irritum fecit: uerùm præmittit: Masculus præputiatus, cuius caro circumcisa non fuerit, excidetur anima illa de populo suo, unde satis patet, contemptum circumcisionis reputari pro contemptu fœderis. Admonemur quid sentiendum sit de illis qui sacramentalia diuinæ gratiæ signa uel prorsus exufflant & fastidiunt, uel peruersè usurpant. Qui baptismum regenerationis signum contemnit, ipsam regenerationem irritam reddit. Qui cœnam Dominicam à Christo ad rememorationem mortis ipsius institutam fastidit, corpus & sanguinem Christi, quo redempti sumus, fastidit. Qui indignè usurpat, reus est, teste Apostolo, corporis ac sanguinis Domini. 1. Cor. 11. Non est in signis salus & uita, & tamen mors est in illorum uel contemptu uel abusu. Sicuti circumcisio carnis neminem saluabat, cuius tamen contemptus damnabat. Magna temeritas est, uiolare fœdus ac testamentum Dei. Hominis testamentum nemo reddit irritum, inquit Apostolus, & audent homines impij testamentũ gratiæ Dei, pro sua ipsorum libidine conspurcare, prophanare, inuertere, ac dilacerare. Iudæus non circumcisus irritum reddebat pactũ Dei, idecque dignus erat, qui de populo suo excideretur. Quanto quæso magis irritum reddunt testamentum Dei, qui in id non solum priuatim per se peccant, sed & totam Ecclesiam in prævaricationem ac uiolationem illius inducunt? Dixit Abrahæ Deus: Infans octo dierum circumcidatur uobis. Si Iudæorum sacerdotes dixissent, circumcidentur quidem infantes, sed non octauo die: uel, circumcidantur quidem octauo die, uerùm non omnes, sed ij tantum de quibus nos statuerimus, an non manifesta & catholica uiolatione pactum Dei reddidissent irritum? planè. Ecquid aliud nostri Cohenim faciunt, dum dicunt: Bibatur quidem de calice Domini, uerùm non ab omnibus, sed à sacerdotibus tantum. Dixit quidem Christus: Bibite ex eo omnes. At intellexit de Apostolis tantũ, non de cunctis fidelibus. Hoc nugamento uehementer impio, discerpunt & irritum reddunt, non sibi tantum, sed & Ecclesiæ Dei, testamentũ Dei per sanguinem Christi confirmatum, cuius rememorationem in Ecclesia communicatione calicis huius celebrari uoluit. Rursus, Christus dixit: Accipite, & comedite. Illi priuatim missando, quod ab Ecclesia debebat accipi & comedi, ostentui proponunt, & dicunt: Videte & adorate. Adhuc, Christus dixit: Hoc facite in mei rememorationem. Illi, hoc facimus, inquiunt, offerentes in remissionem peccatorum, pro uiuis & mortuis, unde nundinatio illa & quæstus, omnium turpissimus, in testamentũ gratiæ Dei irrepsit. Vtinam uel emendetur ista pacti Dei uiolatio, & prophanatio, uel excidantur de medio populi Dei quotquot impia hac temeritate uel ipsi hæc faciunt, uel alijs, ut hæc faciant, sunt auctores. Est hoc genus hominum aliàs mille modis pollutum, nec finis est eorum, quibus quotidie peccant impunè: uerùm prophanatio ista & uiolatio testamenti Christi superat omne genus flagitiorum, ut mirum non sit, quòd tanta passim corruptio fidei, pietatis, & bonorum morum in Ecclesia obtinuit.

Dixit quoq; Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam, non uocabis Sarai, sed Saram. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum. Eritq; in nationes, & reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciem suam, & risit in corde suo, dicens: Putásne centenario nascetur filius? Et Sara nonagenaria pariet? Dixitq; ad Dominũ, Vtinam Ismael uiuat coram te. Et ait Dominus ad Abraham: Sara uxor tua

tua pariet tibi filium, uocabisq; nomen eius Isaac. Et cõstituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. Super Ismael quoq; exaudiui te. Ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum ualde. Duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. pactum uerò meũ statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara, tempore isto, in anno altero. Cumq; finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ad Abraham.

LECTIO.

Et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum.] Ebræus sic habet: Et etiam ex ipsa dabo tibi filium. Et benedicam ei (Saræ scilicet, nam est in Ebræo ברכתיה, ut ad Isaac referri nequeat) & erit in gentes, & reges populorum erunt ex ea. Vterq; & Latinus & Græcus in masculino uerterunt. Chaldæus paraphrastes cum Ebræo consentit.

Vtinam Ismael uiuat coram te.] In Ebræo est uocula לו, id est, utinam. Græcus uertit. Ισμαὴλ οὗτος ζήτω ἐνώπιόν σου, id est, Ismael iste uiuat coram te. Pro לו legit רח, id est, pro utinam, iste.

Sara uxor tua pariet tibi filium.] Ebræus sic habet, שרה אשתך אכל, id est, uerè, Sara uxor tua, &c. Voculam affirmatiuã omisit Latinus Interpres, Chaldæus habet בקושטא, id est, in ueritate. Græcus eam reddidit per ναὶ. uerùm de suo adiecit ἰδοὺ, id est, ecce, quod in Ebræo non est.

Et semini eius post eum.] Græcus adiecit, εἶναι αὐτῷ θεὸς καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ μετ' αὐτὸν, id est, ut sim illi Deus, ac semini eius post ipsum, quæ in Ebræo non habentur.

Et augebo & multiplicabo eum ualde.] Illud, Et augebo eum: uel, crescere eum faciam, neglexit Græcus. Vocula, ualde, ingeminatur in Ebræo.

Cumq; finitus esset sermo loquentis cum eo.] In Ebræo est: Et cessauit loqui cum eo, ut tam posit intelligi cessasse Abrahamũ loqui cum Deo, quam Deum cum Abrahamo. Græcus de suo uocem, Deus, adiecit. Sic enim habet: συνετέλεσε δὲ ὁ θεὸς λαλῶν πρὸς αὐτὸν, id est, Et consummauit Deus, cum loquutus esset ad eum.

EXPLANATIO.

Tertia hac parte præsentis decimiseptimi capitis, post fœderis constitutionem & confirmationem, subijcitur promissio de semine benedictionis ex Sarah prodituro. Aliquoties promissum fuerat ad id usq; temporis, uerùm nunquam fuerat declaratum, quòd ex Sara sterili nasciturũ esset, id quod in præsenti manifestè exprimitur.

Et dixit Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam, non uocabis Sarai, sed Sarah.] Principiò, quemadmodũ propter futuri seminis benedictionem ac multiplicationem nomen Abræ mutauit, uoluitq; ut Abraham, id est, pater multitudinis, gentium non solum esset, sed & uocaretur: ita eandem ob causam Saræ quoq; nomen reformauit, iussitq; ut posthac non Sarai, sed Sarah appellaretur. Ratio mutationis huius est ista. Sarai, si interpreteris, uocatur domina mea. Sarah uerò simpliciter domina. Abiectum est iod, locum habens pro nominis possessiui, & substitutum ה, ex masculino nomine fœmininum constituens. Significabatur, fore posthac Saram non unius tantum domus matremfamilias, sed absolutè multitudinis gentium dominam & matrem, perinde atq; Abraham communis erat constitutus gentium pater. Vtrobiq; adiecta est litera לה, quæ in nomine Abrahæ multitudinis, hic uerò absolutæ matronæ ac dominæ significationem efficit.

Et benedicam ei, & ex illa quoq; dabo tibi filium, & benedicam ei, & erit in gentes, reges populorum erunt ex ea.] Habent ista mutati nominis rationem, ob quam Deus Sarai uocari noluerit Sarah. Et benedicam ei, inquit: hoc est, fructiferam eam reddam. unde subdit, Et ex illa quoq; dabo tibi filium. Non simpliciter, ex illa, sed etiam ex illa, inquit, dabo tibi filium. Q.d. Non solum ex Hagar, sed ex ipsa quoque Sara habebis filium. In Ebræo est ad uerbum: Et etiam dabo ex illa tibi filium. Transpositio est dictionum, ordinanda ad hunc modum: Et ex illa quoq; dabo tibi filium. Adijcit: Et benedicam ei, & erit in gentes, &c. Non solum hactenus benedicturus erat Saræ, ut pareret filium, & fieret mater. Sed hactenus quoq; ut fieret domina gentium ac regum. Ideo promissionem benedictionis, adiecta declaratione repetit, dicens: Et benedicam ei, & erit in gentes, reges populorum erunt ex ea. Nec Græcus nec Latinus interpres sensum hunc uerborum Dei animaduerterunt, ideoq; ne benedictionis promissio frustra repeti uideretur, repetitionem illius retulerunt non ad Saram, sed ad Isaac: uerteruntq; in genere masculino, quod in Ebræo legitur in fœminino. Quomodo gentes & reges prodierint ex Sarah, notum est ex historijs sacris, sicut & suprà de Abrahamo memini. Reges non solum ex Iacob, sed ex Esau quoq; prognati, originem suam traxerunt ex Sarah.

Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, & dixit in corde suo: Putas ne centenario nascetur filius? & an Sarah nonagenaria pariet? Dixitque ad Dominum: Vtinam Ismael uiuat coram te.] Quod in faciem cecidit, omnino admirationis erat. Quoniam autem uaria sunt admirationis genera, fit ut hic locus aliter atq; aliter exponatur. Possunt tria genera admirationis recensèri.

Primum, quod fit cum fide coniunctum citra omnem dubitationem. Secundum, quod nihil prorsus habeat

Tria genera admirationis.

sus habeat fidei, sed totum rationis iudicio ac sensu feratur. Tertium, quod fide fit & dubitatione mixtum. Ad primum genus refert Lyranus R. Solomonem sequutus, id quod & nonnulli nostrorum faciunt, qui iudicant Abrahamū plenum gaudio, perfectissima fide exultasse ac triumphasse, præsq; exuberanti affectu gaudij, admirabundū procidisse in terram, ac risisse. Si cui hoc probatur, legat ad hunc modum: Ergo centenario nascetur filius? Ergo Sarah nonagenaria pariet? ut uerba hæc sint non dubitantis, sed cum gaudio de re uehementer stupenda, & quæ sperare nequiuerit, admirantis & gestientis. Sic illud, Et risit, non derisionis & subsannationis, sed gaudij erat, & exultationis. Quòd uerò dixit, Vtinam Ismael uiuat coram te, idem erat ac si diceret: Quæso Domine, noli propterea, quòd Sarah paritura est promissum semen, Ismaelem proijcere à facie tua. Ad secundum genus admirationis refert Chrysostomus & alij, putantes, Abrahamum præ nimia consideratione ætatis, tam suæ, quàm Sarae, uerbis Dei non credidisse, sed cum præpostera admiratione, tanquam de re impossibili concepta, procidisse in terram, ac risisse. Et hoc sensu exponunt illius uerba: Putas ne centenario nascetur filius? Et num Sara nonagenaria pariet? Q.d. Quis hoc credere poterit? Et quod subdit, Vtinam Ismael uiuat coram te, intelligunt sic dictum: Non opto ulteriorem prolem. Habeo semen promissum, nec speratus aliquis filius ex Sarah uidetur, cum sit nonagenaria, & ego centenarius. Quid etiam opus est, ut filium ex Sarah accipiam, cum in Ismaele præstare poteris, quod es pollicitus, & præterea ridiculū planè futurum sit, si centenario ex nonagenaria nascatur filius? Ita diuersimode exponitur hic locus. Ipsa uerba posteriori, persona uerò Abrahæ, priori sententiæ fauere uidetur.

Videtur autem non fore absurdum, si de tertio quisquam admirationis genere exponat, sentiatque fidem & rationem in animo Abrahæ, inter se concertasse, sic ut fidei fuerit & gaudij, quòd in faciem procidit ac risit: rationis uerò, quod in corde dixit: An centenario nascetur filius? An Sarah nonagenaria pariet? Et quod subiecit, Vtinam Ismael uiuat coram te, sic dictum sit: Dedisti mihi Ismaelem, ac pollicitus es, quod multiplicare illum uelis, sic ut posteritas eius præ multitudine numerari nequeat. Obsecro, quicquid de Sarah fiat, & filio, quem ex illa promittis, ne proijcias à facie tua Ismaelem meum. Omnino diligebat illum, & animo iam pacato, quod hæredem promissum cōcernebat, in illo conquiescebat. Quare uerosimile est, quod sensu & affectu iam dicto, ad hunc modum precatus sit. Verùm si cui sententia ista non placet, priorem retineat.

Et ait Dominus ad Abrahamum: Verè Sarah uxor tua pariet tibi filium, uocabisq; nomen eius Isaac. Et constituam pactum meum illi in pactū sempiternū, & semini eius post eum. Super Ismael quoq; exaudiui te. Ecce benedicam ei, & crescere eum faciā, & multiplicabo eum ualde ualde. Duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. Pactum uerò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sarah, tempore isto, in anno altero.] Non est ista repetitio & inculcatio præcedentium otiosa. Promittebatur Saræ filius. Promittebatur fore illam in gentes, & egressuros ex ea reges populorum, filio Saræ destinabatur peculiariter instituendum fœdus. De primis duobus, parituram uidelicet esse Saram, deinde futuram in gentes & reges populorum, promiserat antequam procidisset Abram in terram. De eo autem, quod filius Saræ, non filius Hagar, semen esset benedictum ac promissum, cui deputatum esset fœdus, nihil dum meminerat. Quare ut de hoc futuro semine propediem nasciturо, plena esset Abrahæ fides & cognitio, adiecit ista, dicens: Sarah uxor tua pariet tibi filium, uocabisq; nomen eius Isaac. Et constituam pactum meum illi in pactum sempiternum, & semini eius post eum.

Assignat futuræ proli nomen Isaac, sumptum à risu Abrahæ. Significat enim יצחק, ridere & gestire. Deinde ut inter Ismaelem & Isaac discernat, subijcit: Super Ismael quoq; exaudiui te. Ecce benedicam ei, & crescere eum faciam, & multiplicabo eum ualde. Q.d. Quę promisi de illo, præstabo. Et quoniam pro illo rogas, tua gratia efficiam, ut duodecim ex eo duces generentur. uerùm pactum meum, quod constitui inter me & te, erit non cum Ismaele, sed cum Isaac, quem pariet tibi Sarah.

Qui sint illi duodecim duces, infrà 25. capite uidere licet, ubi nominatim recensentur. Sic itaq; discriminatur Isaac ab Ismaele, ut intelligat Abraham non esse filium Hagar, eum quem credebat, sed nasciturum illum ex Sarah.

Et cessauit loqui cum eo, & ascendit Deus ab Abraham.] Refer ad Deum. ubi is sufficienter instruxerat Abrahamum de filio nascituro ex Sarah, & multiplicatione Ismaelis, nec Abraham haberet, unde dubitaret, destitit loqui, & cœlum uersus ab eo ascendit. Scio quosdam ista non ad angelum Dei, sed ad Deum ipsum referre. Non est tamen ratio urgens, qua quod dicunt, certò probetur. Quicquid sit, in uisibili specie, siue Deus ipse, siue angelus apparuit. Visibiliter autem ascendit, ut liquidò constaret Abrahæ de uisione diuina.

QVAESTIO I.

Quomodo Mosi & Paulo conueniat.

Putas ne centenario nascetur filius? Et an Sarah nonagenaria pariet?] Poterit hoc loco quæri, quomodo uerum sit, quod ad Romanos quarto de fide Abrahę legimus ad hunc modum: Et nō est infirmatus fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam matricem Saræ. In promissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, ac plenissimè sciens, quod quęcunq; promisit Deus, potens est & facere. Ideo & reputatū est illi ad iustitiam: quibus uerbis utiq; prædicat de Abrahamo Apostolus, quod in promissione Dei, fide apprehenденda non considerauerit, quàm esset corpore emortuo, iam propè centenarius existens ętate, & quàm emortuus esset uterus Saræ, cum tamen hic Moses de illo testetur, quod in corde suo dixerit: Putas ne centenario

centenario nascetur filius? Et an Sarah nonagenaria pariet? quæ sanè sine consideratione ætatis, tam suæ, quàm uxoris Saræ, haudquaquam dicere potuit. Quæsierit ergo quisquam, quomodo conueniat hac in re Mosi & Paulo?

Respondeo, nulla est contradictio in uerbis Pauli, si Moses rectè intelligatur. Considerauit cũ Abraham grandæuam suam & uxoris ætatem, & non considerauit. Considerauit admirando ac glorificando diuinam potentiam, quòd homo centenarius habiturus esset filiũ ex coniuge effœta & nonagenaria. De hoc considerationis genere loquitur Moses, nec Paulus illi cõtradicit, immo & ipse cum Mose consentit, cum dicit, Cõfortatus est fide, dans gloriam Deo, ac plenissime sciens, quòd quęcunq; promisit Deus, potens sit & facere: quibus uerbis satis indicat considerasse quidẽ Abrahamũ, quã esset ipse grandæuus, & Sarah nonagenaria, uterũ habens emortuũ: uerũ hoc amplius glorificasse Deũ, quod certò crederet, immò sciret, posse Deũ præstare promissa, quantũuis naturæ uiribus impossibilia, quæ diuinæ potentiæ glorificatio sine consideratione hac fieri non potuit.

Rursus, non considerauit corpus suum emortuũ, & emortuum uterum Saræ. Quomodo? Non sic considerauit, ut fide infirmatus de promissione Dei hæsitaret diffidendo. Sic considerasse eum negat Apostolus, non contradicens Mosi. Quare non simpliciter dicit, Nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, &c. sed addit: In promissione Dei non hæsitauit diffidendo imporentiã naturæ, & hac consideratione inducitur, ut quæ supra uires naturæ credenda sunt, quasi impossibilia, non credat. Alius, licet & ipse non ignoret, quàm quæ credenda sunt, naturæ uires excedant, in defectu tamen & impotentia naturæ non hæret, sed cogitationem suam ad omnipotentiæ Dei consideratione euehit, & illius respectu confortatus, certò futura esse credit, quæ oracula Dei promittunt. Ergo qui promissis Dei credit, aliquo respectu credit. Rursus, qui non credit, & ipse aliquo respectu non credit. Qui credit, non naturæ, sed potentiæ Dei respectu credit. Qui non credit, respectu naturæ, non potentiæ Dei non credit. Abraham promissis Dei credidit. Non igitur naturæ, sed potentiæ promittentis Dei respectu credidit. Et hoc sensu uerum est, quod Apostolus fidem illius celebrans, dicit: Non considerauit corpus suum emortuum, &c. Hoc est, non respexit, quàm esset uiribus naturæ impossibile quod promittebatur. Sed considerauit Deum esse omnipotentem ad præstandum promissa. Non est impeditus consideratione naturæ, sed confortatus ad credendum consideratione & scientia potẽtiæ Dei. Adhuc: Qui promissis Dei, naturæ uires excedentibus credens, Deum glorificat, & ille hoc aliquò respectu facit. Hoc est, habet aliquid, cuius consideratione Deum, tanquam omnipotẽtem credendo glorificat. Vtpote, si considerans omnimodam corporum nostrorum corruptionem, qua in puluerem, unde sunt, rediguntur, potentiam Dei, qua illa in fine mundi excitabũtur & clarificabuntur, dum certò carnis nostræ resurrectionem futuram credis, extollas, & glorifices. Sic Abraham promissis Dei credens, potentiam Dei glorificauit, consideratione uidelicet ætatis suæ iam grandæuæ, & emortui uteri Saræ, quam considerationem cum gaudio & admiratione expresit, dicens: Ergo centenario nascetur filius? Ergo Sarah nonagenaria pariet? Quo magis corpus suum, & uterum Saræ emortuum, considerauit, hoc amplius, promissis Dei credens, potẽtiam illius glorificauit. Hoc sensu uerũ est, quod Moses de illo hic scribit, & pulchrè cum Apostolo concordat. Immo hic sensus uerborum Mosis, ab Apostolo pulchrè ac perspicuè exponitur, tam abest ut à se inuicem discrepent.

Varij respectus considerantium

Igitur Abraham credens promissis Dei, quibus ipsi filius ex utero Saræ promittebatur, credidit cõsideratione potentiæ Dei, non cõsideratione impotentis ac deficientis naturæ. Sic non considerauit corpus suum emortuum, &c. Rursus. Abraham potentiam Dei cum admiratione & gaudio glorificans, glorificauit illam, hoc amplius, quo magis cõsiderauit, quod esset iam propè centenarius, & Sarah nonagenaria, paritura sibi filiũ, prorsus emortuum haberet uterum. Sic cõsiderauit, quàm utrisq; impossibile esset, secundum naturæ uires, quod à Deo promittebatur, &c.

QVAESTIO II.

Pactum uerò meum statuam ad Isaac.] Ex eo quod inter Ismaelem Deus, & Isaacum, sic distinxit, ut licet utrumq; in immensum multiplicaturus esset, ac benedicturus, pactum tamen suum non cum utroque, sed cum Isaaco tantum constituit, genuina quæstio nascitur. Vna, quomodo conuenerit Ismaelem quoq; circumcisionis esse participem, cum pacti particeps non esset, cuius circumcisio signum erat. Altera, an sic reiecerit Ismaelem Dominus, ut nollet illius ac posterorum eius esse Deus, quandoquidem enim pacti sui consortem esse noluit, in quo promissio principalis est: Ero Deus tuus, & Deus seminis tui post te. Ad utranque quæstionem respondeo. In fœdere hoc considerandæ sunt quatuor. Primùm, quòd uolebat Dominus esse Deus Abrahæ, ac seminis eius post ipsum. Deinde, quòd benedicturus esset, ac multiplicaturus illius posteros. Tertiò, quòd daturus erat ex carne illius benedictum semen, in quo benedicerentur omnes gentes. Quartò, quòd elegerat sibi populum peculiarem de semine Abrahæ, qui nomine ipsius palàm censeretur, ac publica religione & œconomia, ab omnibus gentibus, ad tempus usque noui Testamenti separatus, exemplar quoddam esset diuinæ dispensationis in mundo, & patres contineret generationis Christi. Iam quod Ismaelem concernit, erat ille quidem à duabus posterioribus fœderis huius conditionibus excluſus, quemadmodum & Esau, uerùm duarum priorum commnicatione haudquaquam erat priuatus. Erat de domo ac semine Abrahæ, & hactenus particeps erat eius gratiæ, qua Dominus uolebat esse Deus Abrahæ, ut seminis eius, simulque bene-

Quomodo Ismael circumcisionis fuerit particeps cum fœderis nõ fuerit.

An fuerit Ismael prorsus à Deo reiectus.

benedictionis ac multiplicationis promissionem habebat. Quare non erat excludendus à signo fœderis. Pueriliter sapiunt, qui putant promissionẽ hanc, Ero Deus tuus & Deus seminis tui, ad solos pertinere Israelitas, quasi Dominus Iudæorum tantum fuerit Deus, id quod Apostolus Rom. 3. cõstanter negat. Ad Isaacum & posteros eius, duæ posteriores fœderis huius conditiones peculiariter pertinebant. Ex illo nanq;, & non ex Ismaele, nasciturus erat populus fœderis publica religione & professione nomini unius ac ueri Dei accensendus, & ad hoc sanctificatus, ut Christus seruator mundi ex illo nasceretur. Ista licet multum haberent prærogatiuæ, cuius Apostolus Rom. 9. meminit, haud impedie-bant tamen quo minus & Ismael signo fœderis obsignandus esset, & ad gratiã unius ac ueri Dei pertineret, si fidem Abrahæ patris sui non abiiceret. Neq; adimebatur Ismaeli spes salutis quæ in Christo unico mediatore expectabatur, licet ex Isaaco esset ille, & non ex ipso proditurus. Non erat Christus sic nasciturus ex Israelitis, ut illorum tantum esset seruator. Absit. Destinatus erat toti orbi cõmunis redemptor, Dominus, ac seruator. Quare tametsi generationis illius prærogatiua, secundum carnem, Iudæorum sit tantum: uita tamen, salus & redemptio per illum nouissimis temporibus parta, abæterno est omnibus hominibus destinata, si fide ab illo pependerint, & gratiam hanc non abiecerint.

OBSERVATIO I.

Infirmiori organa suus non denegatur honos.

Dixit quoq; Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non uocabis Sarai, sed Sarah.] In eo quod non Abrahæ tantum, sed & Sarai mutatum est nomen, considerandum est, uoluisse Deum eiusdem esse honoris illam cum Abrahamo participem. Sic infirmiori organo suus non denegatur honos. Adam erat humani generis pater ac fons: et tamen uxori illius hoc nominis indebatur, ut Hauah uocaretur, tanquam futura uiuentium mater. Dignus quidem est organum agens quam patiens. uerùm quoniam inter agentem & patientem coniugem communicatio quædam est coniugalium laborum, deinde & fœtuum, non immerito agentis honor cum patiente communicatur. Sic Sarah perinde atq; Abraham nominis mutatione cohonestatur à Domino, ut sicut ille pater, ita ipsa domina multitudinis gentium uocetur. Et obserua quod non dicit simpliciter, Sarai uxorem tuam non uocabunt Sarai: sed, Sarai uxorem tuam non uocabis Sarai, sed Sarah. Ipsi Abrahæ hoc iniungit, ut uxorem suam uocet Sarah, id est, dominã. Ergo non hoc tãtum agebatur, ut à domesticis & posteris, sed ut ab ipso quoq; Abrahamo appellatione hac dignitatis cohonestaretur Sarah, quæ dignitas non erat ex ipso Abrahamo, sed ex diuinæ gratiæ beneuolentia. Admonemur hoc exemplo, ut si qua nobis dignitas ac prærogatiua diuino munere contigerit, cõmunicationẽ illius impertiamur coniugibus nostris, & honore illo quo potimur ipsi, illas quoq; cohonestemus. Inuenias magni nominis uiros, à quibus uxores perinde habentur, atq; uilissima quædam mancipia. Gloriosum esse putant, si soli sint domini non modò domesticorum, sed & uxorũ. Ignorant uxorum honorem, pertinere ad gloriam maritorum.

OBSERVATIO II.

Soboles nascitur non matri, sed patri.

Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium. Et benedicam ei, & erit in gentes, & reges orientur ex ea.] De eo quod dicit, Et erit in gentes, & reges orientur ex ea, suprà sunt quædam annotata. Hic obiter considerandum est, quod nõ dicit. Et illi dabo filium: sed, Et ex illa dabo tibi filium. Sic & infrà: Sarah uxor tua pariet tibi filium. Licet uxor consors sit honoris pariter & operis genitalis, sobolem tamen non sibi, sed marito parit. Sic primas accipit hic Abraham. Illi promittitur & nascitur filius. Sarah benedicitur quidem & frugifera redditur: uerùm benedictionis huius fructus non ipsi, sed Abrahæ deputatur. At hæc de re & supra circa calcem præcedentis capitis admonui.

Imago Ecclesiæ in Sarah.

Deinde uidemus hic imaginem Ecclesiæ. Sarah ad senectam usq; sterilis tandem beneditur à Deo, ut fructificet, fiatq; gentium ac regum domina. Ecclesia Christi diu sterilis, ubi benedicitur à Deo, fœcunda redditur, & multiplicatur usq; adeo ut in gentes euadat, regumq; domina efficiatur. Dignitatẽ hanc fœcunditatis qua Ecclesia gentium est & regum Sarah, id est, domina effecta, uindicat sibi sedes Romana, cum tamen non illa, sed Hierosolymitana Ecclesia sit mater, unde Euangelium regni prodijt in orbem, si qua est priuata Ecclesia, cui titulus iste debeatur. Nos loquimur de Ecclesia Christi simpliciter, quæ in gentes excreuit, inq; toto orbe fructificauit, ac regum facta est domina.

Et illud obserua, quod Sarah quamuis constituta esset domina gentium ac regum, haud tamen sibi, sed Abrahæ marito suo peperit. Sic Ecclesia, sponsa Christi, licet domina sit gentium ac regum, mater uidelicet credentium populorum, quos tamen parit, non sibi parit, sed Christo sponso suo. Romana Ecclesia quicquid parit, sibij ipsi, non Domino parit. Perfidus ille seruus in domo Dei sic dominatur, ut sibij ipso, non Christo, cuncta subijciat, & nomine Christi ad prætextũ duntaxat dominationis suæ abuteratur. In quibus cernitur quidem signũ Domini, & auditur prætextus nominis Domini: uerùm perfidus pastor omnem sibi dominatum & iurisdictionem in illas uindicat.

OBSERVATIO III.

Pulcherrimum fidei exemplũ.

Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, ac dixit, in corde suo: An centenario nascetur filius? An Sarah nonagenaria pariet? Vtinam Ismael uiuat coram te.] Quoniam hic locus bifariam exponitur, potest etiam bifariam considerari, quid sit in illo doctrinæ gratia obseruandum. In eo sensu, quem retinendum esse diximus, uidemus pulcherrimum fidei exemplum expressum. fides promissorum Dei, si iusta sit, & omnis dubitationis expers, sic est comparata, ut exuberantiam gaudij pariat in animo credentis. Sic Abraham credens Deo filium sibi ex Sarah promittenti præ gaudio in risum soluitur. Si hoc potuit fides ista Abrahæ, qua Saram filium sibi parituram credebat, an non putamus conuenientius esse, ut gaudio nos afficiat

A afficiat fides in Christum, qua promissionem uitæ ac salutis æternæ accipimus? De hoc gaudio loquitur Apostolus Phil. 4. dicens: Gaudete in Domino semper, iterũ dico gaudete. Et Christus ipse: Si persequuti uos fuerint, inquit, &c. gaudete, & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlo. Matth. 5.

Deinde uidemus etiam hoc exemplo, non esse alienum à fide, ut qualitatem cùm eorum quæ promittuntur à Deo, tum infirmitatis, humilitatis, uanitatis, ac deprauationis nostræ considerantes in admirationem rapiamur. Abraham cõsiderando qua esset ætate ipse, & qua Sarah, deinde quale esset quod promittebatur, incidit in admirationem, ac dixit: Ergo centenario nascetur filius? Ergo Sarah nonagenaria pariet? Sic Dauid considerando diuinam Maiestatem, ac rursus humani generis uilitatem, in admirationem philanthropiæ Dei raptus, exclamauit, dicens: Domine quid est homo quòd memor es eius? & filius hominis quòd uisitas eum? Sic Christianus credens uerbum Dei pro nobis incarnatum, & pro peccatis nostris morti traditum, item ex impijs, peccatoribus ac perditis filios & hæredes Dei factos, ac tandem ex corruptibilib. corporibus, futuros nos instar angelorum Dei cœlestes, & in sempiternum felices, quomodo non summa cum admiratione dicet: Ergo Deus qui hominem condidit, homo factus est? Ergo qui mori nescit pro nobis, mortuus est? Ergo cum essemus impij & condemnatione digni, filij & hæredes Dei facti sumus? Ergo caro & puluis, cœlestem induet & angelicam gloriam? Itaq; huiusmodi gaudij & admirationis affectus, quoniam fidei, si uera sit, cohærent, diligenter sunt obseruandi, non solum in exemplis sanctorum, sed & in nobisipsis, ut probemus, quæ sit nostra fides, & Apostolo obediamus dicenti: Vosmetipsi tentate, an sitis in fide, ipsi uos probate. 2. Cor. ultimo. *Admiratio ex fide.*

In eo uerò sensu, quo arbitrantur nonnulli esse ista ab Abrahamo, per dubitationem & fidei infirmitatem facta & dicta, si quis illum sequendum putat, exemplum habet fidei infirmæ, & iudicio rationis humanæ magis, quàm authoritati uerbi Dei acquiescentis. Huiusmodi infirmitati & dubitationi subinde obnoxij redduntur etiam magni ac præclari uiri, præsertim in tentationibus constituti. Habent talia sanctorum exempla, non quod imitemur, sed in quo admirabilem bonitatem Dei agnoscamus, qua suorum infirmitatem tolerat, & subinde ad firmiora prouehit. Quod homo cum indignatione à se abijceret, hoc diuina bonitas haudquaquam respuit, sed mansuetissimè fouet ac curat. Et hoc est linum fumigantem non extinguere, & calamum quassatum non confringere. Cauendum itaq; est, ne damnemus eos qui propter fidei infirmitatem alicubi hæsitant, ac fluctuãt, præsertim in rebus quæ rationis iudicio repugnant. Quin magis curandum est, ut nutantes & infirmos fratrum animos, pro B mensura gratiæ Dei confirmemus & erigamus: & sicut Apostolus admonet, etiam atq; etiam uideamus, ne & nos, qui stare uidemur, consimili aliqua tentatione adobruamur, & ex stantibus ac firmis, nutabundi & infirmi reddamur. Gal. 6. *Exemplum fidei infirmæ.*

Deinde cõsiderandum est quod dicit: Vtinam Ismael uiuat coram te. Primùm, obserua animi paterni affectum erga filiũ. Diligebat filiũ suũ Ismaelem, ideoq; & pro illo interpellat, cupiens ei quàmoptime fore consultum. Est hic affectus cõmuniter inditus parentum animis, ut liberorum suorum cura ac sollicitudine teneantur. filij non respondent amori paterno. Rarissimus quisq; inuenitur, qui sic afficiatur erga parentes, ut curæ illorum ex æquo respondeat. forsan Ismael nunquã ex animo precatus est, ut Abraham pater ipsius coram Deo uiueret. In Euangelicis historijs parentes pro liberis Christum seruatorem interpellasse legimus, filios pro parentibus non legimus. *Affectus animi paterni.*

Præterea notandũ est exemplũ fidei. Non simpliciter dicit, Vtinã Ismael uiuat: sed addit, Corã te. Nõ orat, ut sit diues ac potens: sed ut uiuat corã Dño, hoc est, in gratia, benedictione, ac protectione Dñi. Credebat hunc demũ uerè felicem esse, qui in gratia, ueluti cõspectu Dei uiuit. Etenim qui elongant à Deo, peribũt, inquit propheta. Ad hæc, uiuẽdi q̃q; uerbũ obserua. uiuũt etiã mali, extra gratiã d. benedictionis cõstituti. uerũ uita illorũ mors potius est, q̃ uita. Hi demũ uerè uiuũt, qui in cõspectu & gratia Dei uiuunt. *Exemplum fidei* *Verbum uiuendi*

OBSERVATIO IIII.

Et ait Dominus ad Abraham: Verè Sarah uxor tua pariet tibi filium, uocabisq; nomen eius Isaac. Et cõstituam pactum meum illi in fœdus semp. & semini eius post eum.] In eo quod non simpliciter, sed cum asseueratione dicit, Verè Sarah paritura filium repetit, uidemus quàm sit opus ut in fide eorum, quæ cum admiratione credimus, confirmemur. Credebat Abraham, ridebat, & admirabatur, & tamen, ut in eo quod credebat confirmaretur, opus habebat asseueratione ista, uerè: uel, Immo Sarah uxor tua pariet tibi filium. Ad huiusmodi confirmationem fidei nostræ referendę sunt affirmationes illæ, quibus in Euangelio suo seruator frequenter usus est, dicens, Amen amen dico uobis. *Opus habemus ut in fide confirmemur.*

Deinde. Vocabisq; nomen eius Isaac. Duplex risus est. Gaudij unus, derisionis alter. Risus gaudij ad fidem, in hac causa, risus derisionis ad rationem referendus est. Iam quoniam ob id quod riserat Abraham, nascituro puero nomen est destinatum Isaac, id est, risit, doctrinę gratia spectandum est quòd risus iste referatur. Si ad fidem admirantem & exultantem, in nomine Isaac admonemur, tum apparituram quàm non frustra gaudeant ac rideant, qui diuinis promissis credunt, quando id quod promissum est adimplebitur, & puer ille, de quo nunc gaudemus, nascetur. Ipsum pueri nomen admonebat Abrahamum gaudij huius ac risus, tantum non quotidie dicens: Ecce hic est risus ille, quo in faciem prolapsus ridebas ac dicebas: Ergo centenario nascetur filius? Ergo Sarah nonagenaria pariet? Consimili modo accidet & nobis quibus dictum est à Domino, Si persequuti uos fuerint, & dixerint omne malũ aduersus uos mentientes, propter me, gaudete & exultate, quoniã merces uestra multa est in cœlo, quando in fine mundi audiemus illud: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod paratum est uobis ab *De duplici risu:*

initio mundi. Tunc uidelicet nascetur & noster Isaac. uidebimusq; palàm non fuisse uanum gaudium, quod de promissa nobis fœlicitate conceperamus in mundo. Si uerò risus Abrahæ ad rationem referatur, cogitandum est hic, futurum suo tempore, ut ratio humana promissa cœlestia tanquam uana & impossibilia ridens, confundatur. Si sic risit Abraham, per nomen pueri admonebatur quotidie, stultam ac uanam fuisse non promissionem Dei, sed rationem ea quæ promittebantur tanquam impossibilia ridentem. Mundi huius sapiẽtiæ stulta uidentur ac uana quæ nos credimus, & cum gaudio expectamus, ideoq; à sapientibus huius seculi ridemur & insani iudicamur. Verùm cum tempus adimpletionis aduenerit, risus illorum uertetur in confusionem & ignominiam sempiternam. Tunc uidelicet, cum nascetur Isaac noster puer promissus, & iam olim à sapientia carnis derisus, confundet derisores suos, ac manifestum faciet, sapientem fuisse credentium fidem, ac stultam deridentium rationem ac sapientiam.

Tertiò. Et constituam pactum meũ illi, inquit, in fœdus sempiternum. Quid hic sit considerandum, suprà dictum est in parte præcedente.

OBSERVATIO V.

Super Ismael quoq; exaudiui te. Ecce benedicam ei, & crescere eum faciam, & multiplicabo eum ualde ualde. Duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. Pactum uerò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sarah, tempore isto, in anno altero.] Principiò obserua facilitatem Dei ad exaudiendum preces piorum pro liberis suis orantium. Orabat Abraham pro Ismaele filio suo, qui coram Deo non perinde atq; Isaac electionis ac promissionis gratia commendabilis erat. Orabat paucissimis, tribus quatuor uerbis. Orabat non expresse petens, sed tantum optans. Non dicebat, Oro Domine, benedicas Ismaeli: sed optando, Vtinam, inquit, uiuat Ismael coram te, quod non erat expressis uerbis aliquid petere, sed uotum cordis duntaxat manifestare. Et tamen pro tali ac sic optantem magis quàm orantem exaudiuit Dominus, idq; tum, cum ampliora illi ac talia promitteret, quorum respectu nulla debebat de Ismaele cogitatio uersari in ipsius mente. Videmus itaq; hoc exemplo non esse alienum à philanthropia Dei, ut preces suorum etiam cum terrena & parerga petunt, clementer exaudiat.

Facilitas Dei ad exaudiendum pios.

Deinde. Ecce benedicam ei, inquit, & crescere eum faciam, & multiplicabo eum ualde ualde, &c. Vide quomodo se uotis Abrahæ accommodet. Iam antea non solum constituerat, sed & ipsi Hagar in deserto ad fontem per angelum suũ de Ismaele hoc priusquàm nasceretur promiserat, quòd uellet eum usq; adeò multiplicare, ut præ multitudine numerari nequiret. Et hic dicit: Super Ismaele quoq; exaudiui te. Ecce benedicam ei, & crescere eum faciam, & multiplicabo eum ualde ualde. Quid est benedicere & augere aliud, quàm fœcundum reddere & multiplicare? Ergo quod alioqui facturus erat, hic se propter preces Abrahæ facturum dicit, quasi aliàs id facturus non fuisset, si Abraham pro Ismaele non intercessisset? Non consequitur quod aliàs Ismaelem multiplicaturus non fuisset, nisi pro eo Abraham orasset. Et ita cõstituerat antea, & propter preces Abrahæ facere uoluit quod alioqui facturus erat. Non habent ista contradictionem. unius rei plures possunt esse causæ. Prædestinatio Dei, quæ ab æterno est, & exauditio precantium piorum, non aduersantur sibi ipsis, ut nequeant esse diuini beneficij causæ. Benefecit Deus Ismaeli cùm quia sic constituerat, tum propter Abrahamum, quia ille pro eo interuenerat. Non est ociosum & uanum quòd pro eo orauit Abraham, quòd Dominus iam antea cõstituerat & promiserat. Nec est inconstantiæ dandum, quòd Dominus propter preces Abrahæ factum se dixit, quod alioqui facturũ se receperat. Promisit Dominus regnũ suum credentibus in filium suum, & tamen Christus ipse sic nos docet orare: Adueniat regnũ tuũ. Ergo dat regnum suum Deus cùm quia sic constituit & parauit ab initio mundi, tum quia electi pro illo orant & precantur. Nec alienũ à fide piorum est, preterea orando quę ab æterno nobis sunt destinata: nec à bonitate Dei diuersum est, exaudire preces suorum, & dare quæ alioqui daturum se constituerat. uide tamen hic, quomodo se nobis diuina prouidentia accõmodet, quo in fiducia bonitatis ipsius confirmemur, persuadeamurq;, quòd preces nostras lubens exaudiat. Poterat hic ad Abrahamũ dicere: De Ismaele iam antea constitui, ac matri illius promisi, quòd uelim eum benedicere & multiplicare. uerùm nihil horum dicit, sed, Super Ismaele quoq; exaudiui te, inquit. Hisce uerbis id agebat, ut animus Abrahæ in fide bonitatis & gratiæ suæ confirmaretur, persuaderetur q; quod preces suas facilè ac promptè exaudiret. Sunt itaq; planè detestabiles, qui sic argutantur. Quod petimus à Deo, uel prædestinatum est ab eo, uel non est. Si est, quorsum attinet petere quod alioqui facturus est, etiamsi non petamus? Sin minus, frustra petimus, quod ille daturũ se non cõstituit. Et prędestinauit & promisit nobis uitam æternã, & tamen requirit, ut eam sustineamus & petamus quotidie. Promisit electis spiritũ bonũ, & Christus tamen admonet ut petamus ab eo spiritum bonum, cum dicit: Quanto magis pater uester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se? Pulcherrimè concurrunt inter se diuina bonitas prædestinans & promittens, & fides electorum quod prædestinatum promissumq; est sperans, petens, & expectans.

Tertiò. Pactũ uerò meũ, inqt, statuã ad Isaac, &c. Vide hic quid discriminis sit inter Isaac & Ismaelẽ. Si terrena spectes, deteriores nõ habet Ismael. Et ille benedicit, multiplicatur, & reges gignit. Duodecim duces, inqt, generabit. Citius illos accipit quàm Isaac, & citius multiplicat. Si uerò spiritualia cõsideres, præ Ismaele in hoc honorat Isaac ac segregatur, quòd cum omni posteritate sua particeps sit pacti ac fœderis Dei, à qua prærogatiua excludit Ismael, quantũuis multiplicatus, magnus, & potẽs. A gratia quidẽ uerę salutis, sicut & supra admonui, nõ est exclusus, modo à fide Abrahæ nõ defecerit: interea tñ in eo prçstantior fuit Isaac, q; ad ipsum œconomia populi Dei, & Christi generatio uigore fœderis, &

Discrimen inter Isaac & Ismaelem.

A ris,& non ad Ismaelem pertinebat. Honos hic in oculis carnis contemptibilis, in oculis fidei magni est momenti. fidelis homo plurimi facit, si singulari quadam gratia & prærogatiua à filijs huius seculi segregetur. Confer Ecclesiam Ismaelitarum & Israelitarum. Ismaelis nomen splendidius erat quàm Isaac. Deinde accedebat circumcisio, fœderis signũ: accedebat benedictionis diuinæ ac multiplicationis & potentiæ promissio. Splendida erant ista satis & plausibilia. Nec dubiũ est, quin Ismaelitæ causas hinc admodum contra Israelem gloriandi acceperint. At Ecclesia Israelis in hoc excellebat, quod erat populus Dei, in fœdere singulariter constitutus, & promissionem habebat seminis benedicti, ex ipsorũ carne nascituri. Quare Ecclesia Ismaelitarum non erat populus Dei, nisi accedendo ad Ecclesiam Israelitarum. Hæc est gloria populi & Ecclesiæ Dei etiamnũ. Turci quantumuis abundent numero, numerent Imperatores ac duces, insolescant amplitudine regnorum ac prouinciarũ, in hoc tamen deteriores habent, quòd non sunt populus Dei, non sunt in fœdere, nec esse possunt, nisi ad Ecclesiã Christi accedãt.

Argumentum liberæ electionis & gratiæ Dei.

Quartò, quem pariet tibi Sarah, inquit, tempore isto in anno altero. Obserua, Ismael uiuens, annorũ iam tredecim, & patri charus, reijcitur, & pactum cum eo statuitur, qui nondum erat natus. Agnosce argumentũ liberæ electionis & gratię in fœdere Dei. Quid boni fecerat Isaac nondum natus, ut reiecto Ismaele, pactũ cum ipso firmaret? Planè nihil. Hæc erat libera gratia & electio. Deinde quod semen electionis & promissionis non ex Hagar ancilla, sed ex Sarah libera nasci debebat, figuram habebat eius libertatis, cuius dignitatem Apostolus Gal. 4. celebrat, cum dicit: Dicite mihi qui sub lege esse uultis. Legem non legistis? Scriptum est enim, quòd Abraham duos filios habuerit, unum ex ancilla, alterum ex libera. Sed qui ex ancilla, secundum carnem natus est: qui autem ex libera, secundum promissionem: quæ sunt per allegoriã dicta, &c. Vide locum. Significabatur iam tum, populum Dei, populum fore liberũ, promissionis & electionis, non carnis. Et Isaac erat de carne Abrahæ, non minus quàm Ismael. uerùm ex eo non habebat hanc prærogatiuam cum posteris suis, ut esset in fœdere cum Deo, & populus Dei, sed id gratiæ habebat ex promissione & libera electione. Ismael uerò, quoniam hac electione & promissione destitutus fuit, nihil habẽs ex Abrahamo quàm carnalem generationem, dictus est ab Apostolo natus secundum carnem ex ancilla. Isaac uerò propter gratiam hanc fœderis, natus secundum promissionem ex libera. Itaq; ad liberum hunc populum pertinent, non qui ex carne tantum sunt Abrahæ, sed qui ex spiritu sunt libertatis secundum gratiam electionis ac promissionis geniti.

B

OBSERVATIO VI.

Et cessauit loqui cum eo: & ascendit Deus ab Abrahamo.] Videri poterit hæc particula ociosè esse à Mose posita. uerùm si diligenter consideretur, deprehenderur haud esse præter rationem præcedentibus adiecta. Poterat angelus Domini in forma qua apparebat, dubio procul humana, humano more, ab Abrahamo quasi in alium quempiam locum abiturus discedere, sicuti & capite sequenti factum esse uidebimus: uerùm sic ab eo discessit, ut ipso quoq; discedendi modo fidem Abrahæ in præsenti causa confirmatiorem redderet. Et cessauit, inquit, loqui cum eo, & ascendit Deus ab Abrahamo. Quod ascendit ad cœlos, ad hoc faciebat, ut re ipsa uideret Abraham, accepisse se oraculum non humanum, sed cœleste. Sic parentes Simsonis per id quod angelus, quem uirum aliquem esse arbitrabantur, ad cœlos ascendit, loquutum ipsis esse angelum Dei cognouerunt, Iudic. 13. Quòd statim, ubi cessauit loqui, ascendit, argumento erat, propterea fuisse eum cœlitus demissum, ut hisce de rebus prædiceret & præciperet. uidemus itaq; exemplum diuinæ prouidentiæ, quæ non solum instruit oraculis suis electos, sed & conscientias illorum de eo certas reddit, quòd diuinitus usitentur & instruantur. Instruebat Christus duos discipulos euntes in castellum Emaus: ut autem certi de apparitione sua redderentur, priusquam euaneſceret ex oculis illorum, reddidit eos certos, quòd ipse apparuisset, & cum ipsis loquutus esset Lucæ 24.

Exemplum diuinæ prouidentiæ.

QVARTA PARS CAPITIS DE FIDE *& obedientia Abrahæ.*

Tulit autem Abraham Ismael filium suum, & omnes uernaculos domus suæ, uniuersosq; quos emerat, & cunctos mares ex omnibus uiris domus suæ. Et circuncidit carnem præputij eorum, statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus. Abraham nonaginta & nouem erat annorum, quando circumcidit carnem præputij sui. Et Ismael filius eius, tredecim annos impleuerat tempore circumcisionis suæ. Eadem die circumcisus est Abraham & Ismael filius eius, et omnes uiri domus illius, tam uernaculi quàm emptitij, & alienigenæ pariter circumcisi sunt.

LECTIO.

Et Ismael filius eius tredecim annos impleuerat, &c.] Particulam hanc Græca uersio non habet, in exemplaribus quæ ego uidi.

Tam uernaculi quàm emptitij, & alienigenæ, &c.] Interpres sic reddidit, ut discreuerit inter emptitios & alienigenas, quasi Moses alios per emptitios, & alios per alienigenas intellexerit. Cum in Ebræo simpliciter sic habeatur, וכל זכר בבית וכסף מאת נכר, id est, & emptus argento à filio alieno. Et Græcus cum

Ebræo facit. Sic enim uertit, καὶ οἱ ἀργυρώνητοι ἐξ ἀλλογενῶν ἐθνῶν, id est, & pecunia empti ab alienigenis gentibus. A

Pariter circumcisi sunt.] Ebræus habet: Circumcisi sunt cum eo. Græcus uertit: Et circumcidit eos.

EXPLANATIO.

Tulit autem Abraham Ismael filium suum, &c.] Non requirunt ista operosam explanationem. Simpliciter obedientia Abrahæ describitur, qua quod iussus erat diligenter ac sedulò perfecit. Poterat Moses tribus quatuor uerbis post præcedentia subijcere, Et fecit Abraham quæ præceperat ipsi Dominus: uerùm ut diligentiam ac sedulitatem obedientiæ illius describeret, quod paucis comprehendi potuit, pluribus est prosequutus. Sunt autem quatuor narrationis huius partes.

Quatuor narrationis huius partes.

Primùm, commemorat Abrahamũ suos circumcidisse masculos in uniuersum omnes. Tulit, inquit, Abraham Ismael filium suum, & omnes uernaculos domus suæ, uniuersosq; quos emerat, & cunctos ex omnibus uiris domus suæ. Ergo neminem masculum omisit. Quod autem uulgata latina habet, Ex omnib. uiris domus suæ, incõmodè uersum est. Potest quæri, quomodo cunctos mares ex uiris domus suæ circũciderit? Si cũctos mares circũcidit, utiq; uiros oẽs circumcidit. Quis eñ uir est, qui non sit masculus? Si omnes uiros circumcidit, quomodo cunctos mares ex uiris circumcidit? Quare quod in Ebræo est כל זכר באנשי בית אביו uerti debebat ad hunc modum, cunctum masculum ex hominibus domus Abrahæ. Etenim אנשיה non semper uiros, sed plerunq; homines significant. ut suprà cap. 13. Homines Sodomitæ mali erant. Et infrà 32. Si aduersus Deum fortis fuisti, contra homines quoq; præuale bis. Et cap. 38. Interrogauit homines loci illius: Vbi est mulier, &c. Multi sunt huiusmodi loci, in quibus nox אנשיה non pro uiris, sed pro hominibus generaliter ponitur, ad quos etiã præsens iste referri debebat, ac uerti: Et cunctos mares ex hominibus domus suæ. Deinde dicit eum circumcidisse carnem præputij eorum, sicuti præceperat ipsi Dominus. Præceptum Dei hæc duo habebat. unum, ut circumciderentur omnes masculi domus Abrahæ. Alterum, ut caro præputij illorum circumcideretur. Horũ gratia adiecit Moses particulam hanc: Sicut præceperat ei Dominus. Tertiò, addit circumcidisse eum suos statim in ipsa die. Insertum est hoc ad commendandam diligentiam Abrahæ. Non erat à Domino præceptum, ut statim illo die circumciderentur. Quare quod dicit, Sicut præceperat ei Dominus, nõ est ad hanc particulam, sed ad id referendum quod carnem præputij omniũ masculorum domus suæ circumcidit. Quartò, propter historiam & rei gestæ seruandam memoriam, addit chronologiam, dicens: Abraham nonaginta & nouem annorum erat, quando circumcidit carnem præputij sui. Et Ismael filius eius tredecim annos impleuerat tempore circumcisionis suæ. Meminit ætatis Abrahæ & Ismaelis, propter duas gentes Israelitarum & Ismaelitarum, quæ circumcisionem retinuerunt, tametsi à se inuicem diuisæ. Quod autem Ismael tum tredecim fuerit annorum, in fine cap. præcedentis patet, ubi anno Abrahæ 86. natus scribitur: cui numero si tredecim annos addideris, habebis nonagintanouem, quo ætatis Abrahæ anno cum ipso est circumcisus. Illud, Eadem die circũcisus est Abraham & Ismael filius eius, & omnes uiri domus illius, &c. per repetitionẽ dictũ est, & ad primã & tertiã narrationis huius partes pertinet. B

QVAESTIO I.

Quis fuerit minister circuncisionis in domo Abrahæ.

Tulit autem Abraham Ismael filium suum.] Poterit quæri quisnam in domo Abrahæ circumcidendi fuerit functus officio. Circumcisio data erat in signum fœderis, & erat initiale sacramentum, pertinens ad domum & Ecclesiam Dei. Administratio sacramentorum autem non est temerè usurpanda à quolibet, ne confusio generetur in Ecclesia Dei. Credendum uerò est, non fuisse passum Abrahamum ut aliquid in causa religionis temerè & confusè gereretur. Nullum expressum ea de re mandatum acceperat à Domino. Simpliciter iussus fuerat circumcidere præputia omnium masculorum domus suæ. Potuit hoc facere suapte manu, tanquam paterfamilias, uel potuit cuipiam mandare ex domesticis. Est autem uero simile, quòd ipse hoc per se fecerit gratia authoritatis. Nec putandum est absurdum fuisse, si pater filiũ sua manu circumciderit, ac fœderi Dei sacramẽti initiationis consecrarit: quemadmodum hodie absurdum & insolens uideretur, si pater suum ipse baptizet infantem, in Ecclesia necessarijs ministerijs rite disposita. Etenim in Ecclesia domestica, qualis tum erat domus Abrahæ, quilibet paterfamilias non in secularibus duntaxat, sed & in spiritualibus Episcopatus officio fungi debet, sicuti ante Abrahamum fecerunt Adam, Seth, & Noe.

QVAESTIO II.

An non fuerint qui circuncisionẽ detrectarint.

Et omnes uernaculos domus suæ, uniuersosq; quos emerat.] Quæsierit hic quisquam, sit ne uerosimile, in tanta domesticorum multitudine, unde trecenti uernaculi ad bellum expediti fuerant, non defuisse qui circumcisionem detrectarint, quandoquidem & dolor illius grauissimus est, & difficile est pudorẽ uincere, ubi coram uiris honestis detegenda sunt pudenda: id quod omnino erat in circumcisione faciendum, præsertim cum id institutum esset recens & insolitum.

Ad hanc quæstionem facilè respondetur: Circumcisos esse cunctos, secundò commemoratur à Mose. Quare non est ratio, ut credamus fuisse hic tergiuersatores aliquos, nisi forsan tales, qui propter pudorem & reuerentiam Abrahæ parumper ad exemplum Petri restiterint, qui pedes suos Domino dare lauandos aliquandiu detrectabat.

An fuerit Abraham inuitos circumcisurus.

Dicet aliquis: Quid aũt facturus erat Abrahã, si qui contentiosius circũcisionem ferre detrectassent? An inuitos coacturus & præter illorum sententiam circumcisurus? Respondeo: Quid facturus fuerit, diuinare non possumus: quid ipsum autem in eiusmodi casu decuerit, facilius forsan pronunciari potuit. Man-

A rit. Mandatum habebat à Domino, ut circumcideret omnes domus suæ masculos. Erant adiectæ minæ, excidendum esse eum de populo suo, cuius præputij caro circumcisa non fuisset. Hoc mandato urgebatur, ut neminem masculũ domi suæ incircumcisum ferret. Circumcidere autem, hoc est, sacramento gratiæ ac fœderis Dei initiare in populum & Ecclesiam Dei, hominem inuitum ac repugnantem, adeoq; impium & gratiæ Dei contemptorem, fas illi fuisse non puto. Neq; enim id sine magna diuini fœderis prophanatione fieri poterat. Quare talem hominem aut erat uenditurus exteris, aut aliàs domo & familia sua excluſurus.

OBSERVATIO I.

Habet hic locus præclarum obedientiæ exemplum, quod pij imitẽtur. Primùm, cum accepisset mandatum Dei de circuncidẽdis domus suæ masculis, non disceptauit in corde suo, dicens: Qualenam hoc mandatum est, circumcidere præputia masculorum? Quorsum attinet hoc genus circumcisionis, quod sine pudore fieri non potest? An non aliud signum dari potuit, quod honestius sit, & non sanguinarium? Nihil horum cogitat. Sed quod in mandatis acceperat, perficit. Discamus hoc exemplo, quàm alienum esse conueniat à pijs hominibus, acceptum mandatum à Domino in ius uocare, & in rationes illius temerè inquirere. Non est hoc animi obedientis, sed curiosi & arrogantis. *Exemplum obedientiæ Dei.* *Non disceptauit*

Deinde, nõ distulit in crastinum, sed statim eo ipso die quod iussus erat, perfecit, quamuis mãdatum non esset, ut id statim eodem die faceret. Sic est comparatus animus sponte sua ad obediendum propendens. Procrastinatio obedientiæ, qua quod hodie fieri potest, in crastinum differtur, primus est inobedientiæ gradus, & plurimum de laude obedientiæ deterit. *Non distulit.*

Tertiò, circumcidit omnes, sicuri præceperat ei Dominus. Pertinet hoc ad plenitudinem obedientiæ. Non est uerè obediens, qui non omnes diuini præcepti partes studiosè adimplet. Immo qui talis est, cum Saule damnatur inobedientiæ. Erat ille iussus Amalechitas omnes trucidare, & cuncta ad illos pertinentia delere de terra. Partem huius præcepti adimpleuit, non omnia. Nam regem Amalechitarum seruauit uiuum, & de bobus quoq; & omnibus quæ uidebantur præcipua. Quare reiectus est à Domino & accusatus, quòd præceptum illius non perfecerit. Est itaq; uera obedientia, facere quod præceptum est à Domino sine ulla disceptatione, citra dilationem, & plenè. *Non dimidiauit, sed perfectè adimpleuit.*

OBSERVATIO II.

B *Tulit autem Abraham filium suum Ismaelem, & omnes uernaculos domus suæ, &c.*] Considerandum hic est, quàm simpliciter exequutus sit quod erat iussus à Domino. De Ismaele audierat, pactũ hoc, cuius signum erat circumcisio, pertinere non ad ipsum, sed ad Isaac quem Sarah erat altero anno paritura. Nihilotamen minus circumcidit eum. Scrupulosus aliquis fuisset ad hunc modum arguratus: Si pactũ hoc cõstituitur non cum Ismaele, sed cum Isaac, quorsum attineret, si illum circumciderem, & signacu lo pacti ad ipsum non pertinentis obsignarem? Nihil horum in animum duxit, sed simpliciter absq; ulla scrupulositate quod generaliter de cunctis domus suæ masculis circumcidendis præceptum erat generaliter, etiam perfecit, atq; ita Ismaelem quoq; circumcidit. Quicquid constitutum esset de fœdere, quoniam externum illius signum communiter erat omnibus domus ipsius masculis demandatum, nec manifesta erat adiecta uel Ismaelis uel alicuius alterius exceptio, incunctanter circumcidit omnes. Admonemur hoc exemplo, non esse in obseruantia mandati generalis, ubi nulla est exceptio, curiosius agendum: nec excludendos aliquos, quos Dominus ipse non excluſit. *Non esse in obseruantia mandati generalis curiosius agendum.*

Deinde & illud obserua, quòd filium suum Ismaelem primum ante alios circumcidit. Si seruasset eum usq; ad extremum, causam detrectandi ac tergiuersandi obiecisset reliquis domesticis. Vbi autem primò illum circumcidit, omnem tergiuersationis causam cæteris amputauit. Habent hic quod imitentur patresfamiliàs. Male consulit non solum filio suo, sed & domesticis reliquis, quisquis in disciplina & studio Dei filio parcit: & cum in illum sit indulgentior, in reliquam domesticam familiam seuerius incumbit. *In disciplina Dei non parcendum filio.*

OBSERVATIO III.

Et circumcidit carnem præputij eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus.] Illud obserua. Circũcidere præputij carnem iussus erat. Id fecit simpliciter. Non legitur aliquid adiecisse de suo. Posteri illius, superstitiosi magis quàm religiosi, ceremonias quasdam adiecerunt, quemadmodum à nostris quoque in baptismate & cœna Domini factũ est. Præpostera ista religio, demens & addens mandatis Dei, Ecclesiam tam ueteris quàm noui Testamenti perdidit, & noxiarum contentionum, ut de hypocrisi taceam, seminaria sparsit. Ornamentum circumcisionis erat, & nunc est baptismi & cœnæ Dominicæ, simpliciter ac fideliter facere quod præcepit ac tradidit Dominus. Summum dedecus est & prophanatio sacramentorum Dei, si quid illis uel demitur uel additur, ex humana deuotione & sapientia. Quare Moses uigilanter hic adiecit: Sicut præceperat ei Deus. *Simpliciter ut iussus erat circũcidit, nihil adiecit.* *Ornamentũ sacramentorum Dei.*

OBSERVATIO IIII.

Abraham nonaginta & nouem erat annorum, quando circumcidit carnem præputij sui.] Circumcisio ista erat sacramentum initiale. Ergo ab eo tempore quo egressus fuit Abraham de Vr Chaldæorũ, immo inde ab initio mundi, fuit Ecclesia Dei sine initiali sacramento. Consequitur, Ecclesiam Dei sacramentis non constitui. Alioquin nulla fuisset Ecclesia Dei in mundo usq; ad tempus circumcisionis. Non hoc dico, quòd contemnenda sint sacramentalia signa, si qua dantur à Domino: sed quòd cauendum esse existimem, ne pro fundamentis Ecclesiæ Dei habeantur, quasi sine illis nequeat esse Ecclesia, & salus *Ecclesia Dei sacramentis non constituitur.*

fidelium consistere. Etiam post acceptam à Deo circumcisionem annos quadraginta sine circumcisione fuit Israel domus & Ecclesia Dei. Vide Iehosua.

Patres non instituerunt sacramentalia signa.

Deinde obseruandum etiam est, quàm alieni fuerint sancti illi uiri Adam, Seth, Noe, Abraham, ab ea temeritate, qua quidam in Ecclesia Christianorum sacramentalia signa de suo instituerunt. Nemo ex illis suapte authoritate signum aliquod initiale induxit, quo Ecclesia Dei obsignaretur, sed expectarunt donec à Domino ipso ea de re præciperetur.

OBSERVATIO V.

Imago hæreticorum.

Et Ismael filius eius tredecim annos impleuerat, tempore circumcisionis suæ.] Hac ætate potuit de rebus fidei & religionis institui, & quæ tum gerebantur memoriæ seruanda tradere. Hinc est, quòd circumcisionem unà cum Abrahamo parente suo acceptam religionis gratia ad suos quoq; posteros transtulit, quamuis illi data non esset. Hanc Ismaelitæ ad hodiernum usq; diem seruant, circumcidentes masculos suos, ubi ad annum tredecimum uenerunt, ad exemplum circumcisionis Ismael. Habes imaginem hæreticorum, qui sacramenta in Ecclesia accepta transferunt ad schismaticos suos, & Ecclesias separatas, & plerunq; illis addunt aliquid, quod cum uerbo institutionis pugnat, sicuti Ismaelitæ fecerunt, circumcisionem quidem seruantes: uerùm illud, Infans octo dierum circumcidatur, reijcientes.

OBSERVATIO VI.

Quod omnes eodem die circumcidit.

Eadem die circumcisus est Abraham & Ismael filius eius, &c.] Primùm obserua quòd omnes eodem die circumcidit. Grandis dolor est circumcisionis. Poterat quosdã seruare incircumcisos tantisper, dum circumcisi curarentur, quorum opera ad ea quæ necessaria erant uteretur, ac tum demum & illos circumcidere. uerùm simul omnes circumcidit, non tam de rebus domesticis quàm de adimplendo mandato Dei sollicitus. Deinde considera ordinem. Primùm Abraham ipse, deinde Ismael filius eius, tertiò

Ordo seruatus.

domestici, uernaculi, & emptitij. In causa pietatis & obedientia præceptorum Dei præcedit paterfamilias, hunc sequitur proximè filius, postea serui & domestici.

Cogita etiam de seruis istis, quàm fuerint homines morigeri & patrisfamiliàs nõ solum cum ad prælium expedirentur, sed & hic in causa Dei obedientes.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Accipit Abrahã angelos Dei conuiuio. Saræ rursus promittitur filius, qua illa promissione audita ridet & reprehenditur. Abrahæ excidium Sodomitarum reuelatur, pro quibus ille apud Dominum intercedit.

APparuit aũt ei Dñs in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei. Cumq; eleuasset oculos, apparuerũt ei tres uiri stantes ppe eũ. Quos cũ uidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terra, & dixit: Dñe, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ & lauentur pedes uestri, & requiescite sub arbore, ponámque buccellam panis, & confortetur cor uestrum, postea transibitis. Idcirco enim declinastis ad seruum uestrum. Qui dixerũt: Fac ut loquutus es. Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitq; ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. Ipse uerò ad armentum cucurrit, & tulit inde uitulum tenerrimũ & optimum, deditq; puero, qui festinauit & coxit illum. Tulit quoq; butyrum & lac, & uitulum quem coxerat, & posuit coram eis. Ipse uerò stabat iuxta eos sub arbore. Cumq; comedissent, &c.

LECTIO.

Apparuit ei Dominus in conualle Mambre.] In Ebræo est, באלני ממרא, id est, inter quercus, uel in querceto Mamre. Græcus legit, πρὸς τῇ δρυῒ τῇ μαμβρῆ, id est, ad quercum Mambre.

Stantes prope eum.] Ebræus habet נצבים עליו quod Græcus uertit, ἐπάνω αὐτοῦ, id est, supra eum. Alij reddiderunt, iuxta eum. Germanicus interpres uertit rectius, gegen im. uox על, significat quidem suprà, iuxtà, propè: uerùm significat etiã contrà, aduersus, è regione. Si iuxta uel prope eum steterunt, quid necesse fuisset illis obuiam currere? Quare commodius uerti potuit, stantes ipsi è regione.

Et adorauit in terra.] In Ebræo est, Et incuruatus est ad terram.

Domine si inueni gratiam.] Ebræus habet: Domine, obsecro, si inueni gratiam in oculis tuis.

Ne transeas seruum tuum.] Ebræus, Ne, quæso, transeas seruum tuum.

Sed afferam pauxillum aquæ.] In Ebræo: Sumatur, quæso, pauxillum aquæ. Græcus: Sumatur sal-

Et lauentur

tem aqua.

Et lauentur pedes uestri.] Hebr. habet ורחצו רגליכם. Græcus uertit: Et lauent pedes uestros. Alij reddunt: Et lauate pedes uestros.

Ponamq; buccellam panis.] Hebræus habet, Et accipiam buccellam panis. Sic Græc. Sumam panem.

Confortetur cor uestrum.] Hebr. Confortate cor uestrum. Græcus uertit: Et comedite.

Qui festin. & coxit illum.] Hebr. est, Et festinauit ad faciendum illum. Sic & Græcus, ut tam ad Abraham quàm ad seruum referri possit.

Cumq; comedissent.] Pertinet hæc particula ad præcedentia. In Hebræo est in calce uersus, Et comede runt. Græcus uertit per transpositionẽ, Et apposuit eis, & comederũt. ipse uerò stabat iuxta eos sub arbore.

EXPLANATIO.

Apparuit ei Dominus in conualle Mamre, &c.] Trimembris est præsens hic contextus. Apparet Abrahæ Dñs per tres angelos. Deinde inuitat eos ad se Abraham, tertiò instruit illis conuiuiũ. Ad primũ membrum pertinet quod dicit Moses: Apparuit ei Dominus. Propositio hæc est: Dñs apparuit Abrahæ. Et res ipsa ut gesta est, & gestę rei narratio sic habent, ut nõnisi tres uiros Abrahæ apparuisse & conuiuio ab illo acceptos uideri possit. Quare propositionem hanc summariã præmisit Moses, qua letorem præmoneret, apparitionem hanc fuisse non hominum aliquorum, sed ipsius Domini. Idcirco dicit: Apparuit ei Iehouah.

Deinde propositionẽ explicat. Primùm, ubi apparuerit Abrahæ Dñs. In cõualle Mamre, inqt. De hoc loco uide suprà in calce capitis tredecimi. Deinde quid agenti apparuerit. Sedenti, ait, in ostio tabernaculi sui. Tertiò, quando apparuerit illi. In ipso, inquit feruore & æstu diei, qualis esse solet circa meridiẽ. Vnde & Græcus uertit, meridie. Simul rationem habet hæc particula quare Abrahã ociosus sederit in ostio tabernaculi sui, uidelicet ut æstum meridionalem declinaret. Quartò, quõ apparuerit: cum eleuasset, inquit, oculos, uidit, & ecce tres uiri stabant è regione. Tres angeli apparebant illi in specie uirorũ. Nominat eos uiros, non q̃ uiri essent, sed quòd in forma uirorum per dispensationẽ ad tempus assumpta apparerent.

Quos cum uidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio, &c.] Continẽt ista secundum membrũ, quo narratur, quõ Abrahã apparentes sibi angelos Dñi ad se inuitarit. Primùm non expectauit, donec ad se appropinquassent, sed mox ut eos conspicatus est, de ostio tabernaculi sui surrexit: & non cunctanter uel pedetentim ad eos perrexit, sed cucurrit, inquit, in occursum eorũ. Deinde haud cõtemptim eos alloquitur, sed cum reuerentia, q̃uis peregrinos homines esse putaret. Primùm sese incuruat, q̃ more gentis: deinde, Dñe, inquit, obsecro, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruũ tuum. Ex tribus iuuenia, uocans eum Dñm. In Hebræo est uerbum אדני, quæ uox paulo infrà à Sarah etiam Abrahamo accommodat, ubi dicit: Et Dñs meus senex est. Adhæc, obsecrat eos, ne se prætereant. Obsecro, inquit, ne transeas seruum tuum. Quod se seruum illius uocat, modestiæ est, & animi ad omnis generis officia parati. Addit oblationem refocillationis, qua paratus sit eos tanquam lassos ex itinere & famelicos reficere. Afferam, inquit, pauxillum aquæ, & lauentur pedes uestri, &c. Tria offert. Lotionem pedum, quietem sub arbore, & panem ad reficiendum. Nudis pedibus communiter in illis regionibus ambulabatur, quare gratissima erat uiatoribus, præsertim in æstu, pedum ablutio. Huc pertinet quod dicit, Afferam pauxillum aquę, ut lauentur pedes uestri. Fessis grata quies recubare sub arboris umbra. Ideo addit, Et requiescite sub arbore. Hebræa uox innitendi significationem habet. Corpus fessum inclinando & innitendo recreatur. Postea, quoniam non solum fessi, sed & famelici, propter laborem itineris & ipsam diei tempus, uidebantur, etiam de cibo adijcit. Ponam, inquit, buccellã panis, & confortetur cor uestrum. Vulgariter loquitur. Plura paraturus erat, & tamen buccellam dũtaxat panis offert. Addit, Et postea, ubi uidelicet refocillati fueritis, et æstus parumper remisit, trãsibitis, id est iter uestrum prosequemini. Idcirco enim declinastis ad seruum uestrum, ait. Videtur illos apparuisse nõ in ipsa uia regia quasi transituros, sed extra illam uersus tabernaculum Abrahæ stetisse, ut appareret declinasse eos ad hoc de uia, ut recreationem quærerent. Ob hanc causam dicit Abraham: Idcirco enim declinastis ad seruum uestrum. Q. d. Video uos esse fessos ex itinere, declinare æstum intensum, & quærere refocillationem. Quare obsecro, diuertite ad me, curabo ut reficiamini.

Qui dixerunt, inqt, fac ut loquutus es. Oblatã Abrahę beneuolentiã accipiũt hisce uerbis. Sinunt interim eũ hac opinione ferri, qua putabat ipsos esse homines, & opus habere humana recreatione.

Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, &c.] Hæc ad tertium membrum pertinent, quo conuiuij apparatus describitur. Primùm ad Saram in tabernaculum properauit, tanquam ad eam ad quã altera post ipsum domesticarum rerum cura pertinebat. Accelera, inquit, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. De mensura non constat, qualis tum temporis in usu fuerit: de materia constat, farina uidelicet selecta, quam similam uocant, unde panes subcinericij & placentæ fieri solebant. Iubet accelerare, ut esset quod famelicis apponerei, interea dum alia pararent. Deinde cucurrit ipse ad armentũ siue q̃ neminẽ domi haberet quẽ mitteret, siue q̃ studio id agebat, ut selectissimũ uitulũ auferret & coquendum daret. Id uidet innui in eo q̃d subdit, Et tulit inde uitulũ tenerrimũ & optimũ, deditq; puero, id est seruo. Friuolũ est, q̃d Hebręi puerũ hunc Ismaelẽ fuisse dicũt, q cũ 13. dũtaxat esset annorũ, uitulum nec portare nec coquere per ætatẽ poterat. Qui festinauit, inqt, et coxit illum. Nõ est necesse, ut intelligamus totum uitulum fuisse coctum. Quæ celeriter ex illo parari poterant, parabantur.

Tertiò. Tulit quoq; butyrũ,inquit,& lac,& uitulum quem coxerat,& posuit coram eis.Butyrum et lac forsan ante uitulinas carnes,interea dum illæ coquebãtur,apposuit, unà cum panibus subcinericijs. Omnia quidem rustica erant, uerùm pro more gentis illius lauticiem quandam habebant, cùm quòd incunctanter ac largiter proponebantur, tum quod selecta erant.

Illud quod addit, Ipse uerò stabat iuxta eos sub arbore, & comederunt, argumentũ habet officiosæ modestiæ,qua instar famuli nõ accumbebat unà cum edentibus,sed ad seruiendũ illis paratus adstabat.

QVAESTIO I.

Quare Abrahã unum duntaxat appellauerit.

Apparuerunt ei tres uiri stantes prope eum. Quos cum uidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui,& adorauit in terra & dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis.&c.] Quærunt hic, cum tres apparerent,quare Abraham unum duntaxat adorare,appellare,& ad se inuitare uoluerit. Hic aliter atq; aliter sentitur. Alij dicunt, esse hoc propterea factum, quòd in numero ternario mysterium S. Triadis & unitatis in Deo agnouerit. Iudicant illi tres apparentes personas, fuisse tres personas diuinitatis,patrem,filium & spiritum sanctum.& quoniam tres illę personæ,non tres deos, sed unum Deũ constituũt, ideo adorasse Abrahamum nõ tres, sed unum. Hinc consueuit locus iste citari in ecclesia,ubi de mysterio S. Triadis & unitatis agitur. Tres uidit,inquiunt,& unũ adorauit.Scio quosdã nostri temporis Doctores sententiam hanc non improbare. Verùm nec tres personæ istæ,quę Abrahæ apparuerunt, S. Triadis personæ fuerunt, nec Abraham eas hoc loco habuit. Vtrunq; ex ipsa est historia manifestum. Quòd apparentes personas concernit, erant illæ angeli,nõ S. Triadis personæ. Nam infrà hoc capite sic legimus: Cõuerterunt se inde uiri & abierunt Sodomã Et in principio capitis sequentis: Venerunt, inquit, duo angeli Sodomam. Item: Delebimus locum istum, eo quòd creuerit clamor eorum coram Dño, qui misit nos ut perdamus illos. Item: Cum mane esset,cogebant eum angeli dicẽtes: Surge,tolle uxorem tuã,&c. Itaq;,cum cõstet eos fuisse angelos à Dño missos,quomodo fuerũt tres S. Triadis personæ? Ne dicat aũt quisquã,alios apparuisse Abrahæ,& alios uenisse Sodomam. Sodomã quidẽ uenisse angelos à Dño missos,Abrahæ uerò apparuisse patrem, filium,& spiritum sanctũ,manifestum est ex contexu historiæ eosdem iuisse Sodomã,quos habuerat Abrahã in conuiuio. Sic enim legitur: Et surrexerunt uiri inde,& uerterunt se uersus Sodomã. Et Abraham ibat cum eis, deducens eos. Item: Et uerterũt se inde uiri,& iuerunt Sodomã,Abrahã uerò adhuc stabat coram Dño. Ergo non alij, sed duo ex tribus istis uiris,sicuti principiũ capitis sequentis memorat, uenerunt Sodomam, & angeli erant à Dño ad perdendum Sodomam missi. Deinde Apostolus Hebr.13.cum ad hunc locum respiciens,dicit: Hospitalitatis nolite obliuisci.Per hanc em̃ nescij quidã,angelos hospitio receperant: satis indicat,angelos fuisse ab Abrahamo & Loth hospitio acceptos. Quare inualidũ est,q̃d ex hoc loco quidã siue adcendum hoc faciant,siue ad arguendũ, mysterium S. Triadis asserere uolunt, q̃d alijs ex locis sacrarum scripturarum abundè satis comprobatur. Quod autem nec Abraham in tribus hisce uiris personas S. Triadis cõsiderarit,ex eo satis patet,q; officia humanitatis talia illis obtulit, quæ nemo poterit Deo, nisi prorsus insanus,offerre ac destinare. Afferam,inquit,pauxillũ aquæ,& lauentur pedes uestri,& requiescite sub abore, ponam̃q; buccellã panis, & confortetur cor uestrum: postea transibitis. Hæc sanè nõ Deo,sed hominibus cõueniunt.Quales eos esse credebat,talia obtulit etiam officia. Cũ ergo tres istæ personæ, nec fuerint personæ Trinitatis, nec ab Abrahamo pro illis sint agnitæ, quorsum attinet eas mysterio S. Triadis accõmodare? Non damno studiũ S. patrum,uerũ in doctrina sacrosanctę fidei nostræ siue cõprobanda siue ornanda,siue ad docendũ fideles,siue ad refellendũ aduersarios, certa & firma requiro,quæ & docendorũ conscientijs satisfacere, & aduersantium ora obturare ualeant.

Non apparuisse tres personas S. diuinitatis.

Idem angeli uenerũt Sodomam, qui apparuerant Abrahæ.

Nec uerbum Dei erat inter tres istos angelos.

Alij quoniam duos saltem ex tribus istis uiris, qui Abrahæ apparuerunt, absque ulla contradictione angelos fuisse uident, ut rationem reddant, quare Abraham cum tres uideret, unum adorauerit, Vnum illum,ad quem dixerit Abraham, Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, Christum filium Dei fuisse dicunt, asserentes eum uisibiliter apparuisse, etiam ante incarnationem.Sic Eusebius,citante historia Scholastica,uerbum Dei in figura humana primo prophetarum omnium Abrahæ apparuisse, & gentium uocationem pollicitum esse dicit. Vide lib.1.ca.2.Eccl. historiarum.illorum opinionẽ Augustinus libro 16.de Ciuitate Dei ca.29. refutat ad hunc modũ: Si propterea,inquit,confirmãt horũ trium aliquẽ fuisse Christũ,quia cũ tres uidisset,ad Dñm singulariter est locutus.sic em̃ scriptũ est: Et ecce tres uiri stabãt super eũ,& uidens procurrit obuiã illis ab ostio tabernaculi sui,et adorauit super terrã,et dixit: Dñe,si inueni gratiã ante te, &c. Cur nõ etiã illud aduertũt, duos ex eis uenisse ut Sodomitę delerent,cũ adhuc Abraham ad unũ loqueret, Dñm appellãs & intercedens,ne simul iustũ cũ impio in Sodomis perderet? Illos aũt duos sic suscepit Loth, ut etiã ipse in colloquio suo cũ illis singulariter Dñm appellaret. Nam cũ eis pluraliter dixisset,Ecce Domini declinate in domũ pueri uestri,et cętera quę ibi dicunt: postea tamẽ ita legit,Et tenuerũt angeli manum eius,et manum uxoris eius,et manus duarũ filiarũ eius,eo q; dñs parceret illi.Et factũ est mox,ut eduxerũt illũ foràs,dixerũt,Saluã fac animã tuã,ne respexeris retrò, nec steteris in tota regione,in monte saluũ te fac,ne quando comprehendaris. Dixit aũt Loth ad illos: Oro Dñe,quia inuenit puer tuus misericordiam ante te,& quæ sequuntur. Deinde post hæc uerba,singulariter illi respondit Dñs, cum in duobus angelis esset dicẽs: Ecce misertus sum faciẽ tuã,etc. Hæc Augustinus,negãs ex eo ,pbari posse ex trib. hisce uiris unũ fuisse Christũ Dñm,q̃d uni dixisse uidet Abrahã: Dñe,si inueni gratiã in oculis tuis,&c.et inde argumentũ sumens, q; etiã Loth ad unum ex duobus,quos angelos fuisse constat,hoc pacto singulariter loquutus

A loquutus inueniat: unde tamen colligi nequit, quòd is fuerit Christus. Apostolus alioqui multo præstantius ex eo hospitalitatem commendasset, quòd Abraham Christum filium Dei, quàm quòd angelos hospitio acceperit. Quare prorsus infirmum est, quod illi de Christo hoc loco sentiunt.

Dicet autem quispiam: Quare ergo unum ex hisce tribus adorauit Abraham, & singulariter Dominum appellauit, si neque tres S. Triadis personæ, nec Christus cum duobus angelis apparebant? Augustinus loco iam citato sic dicit: Vnde multo est credibilius quòd & Abraham in tribus, & Loth in duobus uiris Dominum agnoscebant, cui per singularem numerum loquebantur, etiam cum eos homines esse arbitrarentur. Neque enim aliam ob causam sic eos susceperunt, ut tanquam mortalibus & humana refectione indigentibus ministrarent: sed erat profectò aliquid, quo ita excellebant, licet tanquam homines, ut in eis esse Dominum, sicut esse assolet in prophetis, hi qui hospitalitatem illis exhibebant, dubitare non possent, atque ideo & ipsos aliquando pluraliter, ut Dominos: aliquando singulariter, ut in eis Dominum appellabant, &c. Hæc Augustinus. Verùm meo iudicio, quoniam omnino constat non fuisse tres hosce angelos cognitos ab Abrahamo, cum illis occurreret, sed pro tribus uiris habitos, quòd incuruatus est coram eis, & dixit in singulari, Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, &c. factum ob id est, quòd uiri honoratiores hoc pacto accipi ac Domini uocari solerent, ex hisce autẽ tribus unus cæteris honoratior appareret, sicut etiam in explanatione diximus. Simplicitatem hanc historicam retinendam esse iudico, nisi sint quæ palàm contradicant.

Rursus quærat aliquis. Si tres isti uiri angeli fuerũt, quorsum attinebat tres angelos mittere in causa quam unus poterat perficere? Et hic alius aliud comminiscitur. Iosephus dicit unum fuisse missum ut nunciaret de filio Saræ: duos uerò, ut subuerterent Sodomam. Scholastica historia, sentiens Christum fuisse unum ex tribus, duos reliquos angelos apparuisse ad designandum duos præcones Christi Mosen & Eliam, quorum alter primum aduentum præuenerit, alter præuenturus sit secundum. R. Shlomoh dicit tres esse missos, ut unus nunciaret Saræ de futura prole, secundus subuerteret Sodomam, tertius sanaret Abrahamum. Lyranus dicit Hebræos etiam nomina trium istorum angelorum ponere, ac dicere quòd primus fuerit Michael, missus ad nunciandum de conceptione Isaac: secundus Gabriel, ad subuertendum Sodomam: tertius Raphael, ad sanandum Abrahamum. R. Shlomoh dicit, non mitti unum angelum ad obeundum duas legationes. Ideo assignant unicuiq; angelorum istorum suum ministerium, cuius gratia missus fuerit. Verùm, cum huiusmodi diuisio incerta sit, nec inB ; stetum sit siue per unum angelum plura negocia, siue per plures angelos unum aliquod administrari, quod in subuersione Sodomorum ubi duo angeli fuerunt, denique in historia resurrectionis Christi & in historia Tobiæ, ubi unus angelus plura exequutus est, satis est manifestum, simplicius esse iudico ut de causis harum rerum non quæramus. Non est modesti serui, si in negocia regis sui inquirens, percontetur quare tres legatos mittat, cum unus sufficiat. Vult quisque rex hanc sibi libertatem permitti, ut mittat quos uult, & quo numero ipsi uidetur. Quanto minus in legationes Dei inquirere debemus?

Quare tres angeli missi sint.

QVAESTIO II.

Et comederunt.] Nascitur hic quæstio, cum sint angeli cœlestes spiritus, quomodo de istis scribatur, quòd comederint. Etenim usus cibi ac potus illis necessariò seruit, qui corruptioni sunt obnoxij, id quod de angelis sentire non possumus.

Quomodo comederint angeli.

Respondendũ est ad hanc quæstionẽ: Angelos istos uel comedisse in speciem tantũ, non ut ederent, sed ut edere uiderentur, uel uerè comedisse. Si in speciem tantum comederunt, sic dicit eos comedisse Moses, quamuis non comederint, sed uisi sint comedere: sicut eos uiros uocat, cum non fuerint uiri, sed angeli Dei, & spiritus cœlestes. Potuit fieri, ut quemadmodum uidebantur esse tres uiri, cum non essent tres uiri: ita uisi sint comedere, cum reuera non comederent, sed speciem edentium exprimerent.

Si uerò non in speciem tantum, sed reuera comederunt, distinguendum est inter id quod naturaliter & necessariò fit, & id quod nec naturaliter, nec necessariò, sed per dispensationem ad tempus geritur. Nec natura, nec necessitate moti comederunt angeli, sed comederunt propter susceptam apparitionis huius dispensationem. Sic angeli, cum uellent cognosci quòd non homines, sed angeli essent, detrectabant capere cibum, ut uidere est in historia Gideonis, Iudicum 6. & in historia Manuæ patris Samsonis Iudicum 13. Verùm ubi nolebant statim agnosci, comederunt & biberunt, ac nonnulla alia quæ hominum sunt ad tempus fecerunt, sicuti patet in historia Tobiæ.

Si rogas, quò peruenerit cibus, quem comederunt angeli, Scholastica historia respondet ad hunc modum: De cibo quem sumpserunt potest dici, quòd in masticando exinanitus sit, sicut aqua calore ignis. At hoc magis est apparenter quàm uerè comedere qui modus comedendi recte tribuitur illis, qui non uerè homines erant, sed esse uidebantur.

Quò peruenerit cibus quem ederunt angeli.

Secus habet quod Christus post resurrectionem cum discipulis suis comedit ac bibit, ut ueritatem resurrectionis suæ comprobaret. Est ille uerus homo, ueram habens carnis nostræ naturam: quare ut resurrectionem suam comprobaret, haud quidem necessitate compulsus, sed uoluntate inductus, uerè tamen comedit ac bibit.

Et Christus post resurrectionẽ comedit.
Lucæ 24
Act. 10

OBSERVATIO I.

Apparuit autẽ ei Dominus in conualle Mamre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei.] Si tẽpus appari-

Quàm sedu'a sit prouidentia Dei erga illos q̃ plena obedientia et religionis professione nomini ipsius accensentur.

apparitionis huius consideretur, manifestum erit factam illam esse paulo post traditam circumcisionē. A
R. Shlomoh sic scribit citans quendam Rabinum, יום שלישי למרי לתר חיח רבא חנבח רגיאל בר, id est, tertius dies erat à circumcisione illius, & uenit Dominus, & quæsiuit eum. Incertum quidem, immo parum uerosimile est, apparitionem hanc tertiam circumcisionis die factam esse, quo dolor uulneris solet esse grauissimus, infrà cap. 34. (alioqui, quomodo cucurrisset Abraham in tabernaculum, deinde ad armentum? nisi dicturi sumus factum hoc esse per miraculum) illud tamen omnino certũ est, haud diu post circumcisionē esse factam. Admonemur hic quàm sedula sit diuina prouidentia erga pios homines & obedientes, manifestatq; religionis professione ipsi coniunctos ad inuisendum eos & recreandum. Obedierat Abraham iussui Dei, circumcidens uniuersos domus suæ masculos, eaq; in re declarauerat, non dubitare se de ueritate promissorum Dei, quare confestim tam celebri apparitione Dei, qualis antea nulla in scripturis memoratur, non est abs re cohonestatus ac refocillatus. Neq; enim tam familiariter hactenus uisitatus fuit ab angelis, ut cum ipso comederent ac biberent, licet aliquoties illi apparuerint, & diuina oracula nunciarint.

Apparitiones d. animum requirunt tranquillũ.

Deinde obserua, quòd apparuit ei Dñs sedenti in ostio tabernaculi sui. Sedere quiescentium est, non occupatorum. Sedenti apparet Dominus. Innuitur diuinas apparitiones ac uisitationes animum requirere quietum ac tranquillum. Vnde & noctu plerunq; fiunt, ubi omnia conquiescũt. qui anxij sunt & occupati rebus secularibus, inepti sunt ad diuinæ uisitationis gratiam. Interea tamen non est eorum probandum ocium, immo magis desidies & ignauia, qui ut omnium laborũ humanæ uitæ expertes ociose ac delicatè uiuãt, contemplatiuã se uitam, quæ actiua sit prestantior, amplexos esse simulant. Debetur aliquid ex uita nostra sanctæ quieti: non omnis uita nostra ignauiæ ac desidiei, quæ ex alienis laboribus saginetur, à qua nequitia prorsus alienus fuit Abraham, quemadmodũ & reliqui patres. Etiã qui uitæ uel solitariæ uel cœnobiticæ authores fuerunt, sic cõtemplationibus acquieuerunt interdum, ut interea manibus suis operantes, secundum Apostolicam admonitionem, suum ipsorum panem, non aliorum sudores comederent.

Vita contemplatiua.

Tabernacularis Abrahæ uita.

Tertiò, nec illud transeundum est, quod non dicit, In ostio domus suæ: sed, In ostio tabernaculi sui. Patriarcha tam diues & potens, ut ad bellum supra trecentos uernaculos expedire potuerit: tam pius ac Deo charus, ut etiam angelos hospitio accipere meruerit: non splendida ædificia, qualia uidemus esse Episcoporum, Canonicorũ & monachorũ, sed tabernaculum peregrinãtibus accõmodum inhabitauit, uitam ducens frugalem ac tabernacularẽ. Humilitas ista & frugalitas Abrahæ damnabit nostrum splendorem & luxum in die Domini. B

Quare Abrahã in ostio tabernaculi sui sederit.

Quartò, in ipso, inquit, feruore diei. Cogita hic de ratione ob quam in ostio tabernaculi sui sederit Abraham. Quod si tantum ob id hoc fecit, ut æstum meridionalẽ uitaret, quid erat opus sedere in ostio tabernaculi, cum cõmodius refrigerari posset in medio tabernaculi? Quare nõ displicet, quod Hebræi dicũt, propterea sedisse eum in ostio tabernaculi sui, in feruore diei, ut obseruaret, nũ quis uiaror transiret, quem in æstu illo ad se inuitare & refocillare posset. Discamus hoc exemplo, quo studio uenandæ sint occasiones, quibus humanitatis nostræ beneficia erga proximos laborantes declaremus. Longè afficiuntur, qui studio quasuis occasiones, ad beneficentiam inuitantes fugiunt. Nisi propendisset Abraham ad humanitatẽ hanc erga peregrinos & uiatores declarandã, abdidisset se potius in interiora tabernaculi, & ostiũ clausisset tempore illo meridionali, quo solent uiatores refocillationẽ quietis ac refectionis expetere, q̃ in ostio tabernaculi sedisset. Multum planè discriminis est inter tabernaculũ Abrahæ & nostros domos. Illud tempore refectionis patet peregrinis ac uiatoribus, istæ etsi antea fuerunt apertæ, tum potissimum clauduntur.

OBSERVATIO II.

Quomodo appareat nobis Dominus.

Cumq; eleuasset oculos, apparuerunt ei tres uiri stantes prope eum.] Principiò obseruandũ est, quòd cum suprà dixerit, Dãm apparuisse Abrahæ, hic declaraturus, quomodo illi uisus sit, tres illi uiros apparuisse cõmemorat. Ergo apparet Dñs, quando apparent quos ille ad suos mittit. Per se non apparet, hoc est, non uidetur Dñs. Ergo uidendus est, quemadmodũ etiam audiendus, in illis, quorum nos apparitione et ministerio inuisit, siue illi sint angeli siue homines, quorum illi in specie ad tempus assumpta, isti in ueris proprijs ac naturalibus formis apparentes, quod in mandatis acceperunt sub nomine illius exequuntur. Non debemus igitur hærere in personis ac formis, quæ apparent externè: sed potius in illis considerare ac uidere apparentem nobis Deum, ac uerbũ illorum non ut humanũ, sed ut uerbum Dei sincera fide amplecti.

Non est insolens in scripturis ut aliud sit quicquam & aliud uocetur.

Deinde obiter & illud considera, quod de angelis loquens dicit: Et apparuerunt ei tres uiri, cum nõ uiri essent, sed angeli. Ergo non est insolens in scripturis, ut aliud sit quicq̃, & aliud uocetur. fit hoc bifariam. Primũ, quando nomen datur rei alicui non secundũ id quod natura est, & esse uidetur, sed secundum id quod significat. Sic agnus Paschatis Pascha, & panis cœnæ Dominicæ corpus Christi uocatur. Deinde, quando nomen rei datur secundum quod externè apparet, nõ secundũ quod natura existit. Sic angeli isti uiri nominantur à Mose non quòd uerè uiri essent, sed quòd uiri esse uiderẽtur. Sic malus ille spiritus, quoniam speciem Samuelis induerat, non quod erat, sed quod esse uidebatur, Samuel uidelicet, 1. Sam. 28. nominatur. Consimili modo spiritus Satanæ, quoniam sese in Apostolos Christi transfigurant, non quod sint, sed quod esse uidentur ab imperitioribus uocantur, & pro Christi habentur Apostolis, cum sint Apostoli Satanæ. In hisce rebus ratio frequenter fallitur, dum iudicat secundum

A dum externam apparentiam, non secundum id quod latet. Tertiò notandum & hoc est, quod tres angeli non sunt rectà ad ipsum usque tabernaculum Abrahæ progressi, sed aliquanto remotius, & è regione tantisper constiterunt, dum ab illo uiderentur & inuitarentur. Habes exemplum pudoris & uerecundiæ. Impudentis hominis est temere ad ædes ignotas irrumpere. *Exemplũ pudoris & uerecundiæ.*

Habet etiam anagogen quandam hic locus. Constiterunt angeli è regione Abrahæ sic ut ab illo uideri possent, & expectarunt, ut ab eo inuitarentur. Sic solet gratia Dei subinde nobis exponi ob oculos, ut nos alliciat ad se primùm, deinde ueluti gratissimus quidam hospes ad nos diuertat. Quid aliud est, quod Esa. 65. dicitur à Deo, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem? Qui diuertere cupit ad nos, expandit manus suas stans eminus & è regione, ut nos primùm ad se alliciat, & à nobis inuitetur. Et Abraham nihil dum sciens de angelis, leuat oculos in circuitum & circumspicit, num quem uiatorem & peregrinum uideat, quem ad se inuitet, atque ita circumspicienti apparent isti tres uiri. Sic oculos cordis leuantibus & cœlestem gratiam quærentibus offertur illius copia. Etenim qui quærunt illam, inueniunt eam, fastidientes uerò participes illius fieri non possunt. Sic Pro s. sapientia diuina dicit, Ego diligentes me diligo, & qui mane uigilauerint ad me, inuenient me. *Quomodo exponatur pijs gratia Dei.*

OBSERVATIO III.

Quos cum uidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terra, & dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam paululum aquæ, & lauentur pedes uestri, & requiescite sub arbore, ponamq; buccellam panis, & confortetur cor uestrum, postea transibitis. Idcirco enim transistis ad seruum uestrum.] Offertur hic & in sequentibus pulcherrimum hospitalitatis exemplum, quod diligenter considerandum est, cùm propter præclaram humanitatem in eo expressam, tum propter admonitionem Apostolicam, quæ ad Hebræos capite 13. sic legitur: Hospitalitatis nolite obliuisci. Per hanc enim quidam unsciȝ acceperunt angelos hospitio. quibus uerbis non simpliciter de retinenda hospitalitate admonemur, sed ad exemplum hoc Abrahæ diligenter inspiciendum & imitandum mittimur, quo nobis quoque usu ueniat, quod Abrahæ & Loth contigisse uidemus: qui cum hospitalitatis studio incumberent, nescȝ acceperunt angelos hospitio. Etenim si nihil huius sperandum nobis esset, quorsum attineret per hoc prouocari ad studium hospitalitatis quòd Abraham & Loth angelos sunt hospites adepti? Consideremus igitur exemplum Abrahæ philoxeni & angelorum hospitis.

Principiò, quòd uiris ignotis ac peregrinis, sicuti putabat, mox atque eos uidisset, in occursum cucurrit, ut eos ad se inuitaret, statim initio argumentum exprimit animi uerè philoxeni. Poterat expectare donec se accederent, & hospitium ambirent. Vel poterat eos clamore aut manu ad se uocare, aut puerum saltem mittere, per quem uocarentur. Nihil horum fecit, sed ipse conspectis peregrinis statim in occursum haud pedetentim iuit, sed cucurrit, idȝ homo centenarius, & pauloantè circumcisus. Videmus hìc, quàm auidè acceperit homines peregrinos. Hoc est uerè philoxenum esse. Hospitalitas Græcè philoxenia, id est amor & studium peregrinorum uel hospitalitatis. Aliud est, simpliciter hospitio accipere peregrinum aliquem: aliud, studio & amore hospitalitatis cupidè accipere peregrinos quoscunq. Hodie grauatim etiam per nomen Dei obsecrantes admittuntur, tam abest ut uenientibus ad exemplum Abrahæ occurratur. Id sanè non est esse hospitalem, à quo requiritur, ut peregrinos amet, auideȝ & alacriter accipiat & amanter tractet. Si saltem illi qui xenodochijs publicis præsunt, peregrinos amanter acciperent, & uel de alieno liberales essent, tolerabilius aliquanto uideri posset, quòd in cæteris refriguit hospitalitas. Iam cum illi quoque in aduenientes peregrinos barbaricam quandam inhumanitatem ostendunt, quis non uerissimè dixerit, sublatam esse hospitalitatem, quæ, si uspiam, inter Christianos potissimum uigere debebat? Audio alicubi consuetudinem esse, ut meridie ac uesperi ministri pandochiorum extra portas ciuitatum in occursum hospitũ & uiatorum excurrant, eosȝ ad diuersoria sua comiter adducant. Quod illi proprij commodi gratia faciũt, pulcherrimum esset si studio hospitalitatis ad exemplum Abrahæ fieret. *Peregrini sunt cupidè inuitandi.* *φιλοξενία*

Deinde in eo quod ante peregrines & incognitos homines incuruatus est patriarcha, documento nobis esse debet, quàm honestè ac reuerenter de peregrinis & aduenis sentire debeamus. Non est incuruatio ista profecta ex hypocrisi quæ à sancto uiro omnium fuit alienissima, sed ex reuerentia qua erga quosuis peregrinos honestè accipiendos afficiebatur. Reperias Christianos qui de quibusuis aduenis malè & sentiant & loquantur, eosȝ hoc ipso nomine auersentur, quòd sunt homines ignoti. Atqui Abraham prorsus ignorabat, qui nam essent tres illi uiri, & tamen illos in curuatione corporis senilis honestè accipiebat. Nunc peregrinos homines errones & exploratores uocamus, & ne alloquio quidem dignamur. *Honestè ac reuerenter sentiendũ de peregrinis.*

Tertiò. Domine inquit. Vide, ignotum uocat Dominum. Hæc erat ciuilitas apud priscos. Sic Magdalena Christum, quem non cognoscens hortulanum putabat, Dominum uocabat. Hunc honoris titulum Anabaptistæ damnant, quem teste scriptura, apud utriusȝ Testamenti pios in usu fuisse cõstat. Admonemur ut & gestu & uerbo inuicẽ alius aliũ honoremus. Quartò. Si inueni, inqt, gratiã in oculis tuis. Obserua, q̃ loco habuerit Abrahã, si quãdo peregrinos hospitio accipere poterat. Iudicabat sibi beneficij loco ducebat, hospitio accepisse peregrinos. Sic reuera cõparatũ est, ut q̃ benefacit, beneficiũ accipiat magis q̃ det. Plus cõmodi accepit q̃ dedit Abrahã, quotiescunq; *Titulus honoris.* *Gratiã inuenit qui alijs benefacit.*

tiescunq; peregrinos hospitio accepit. Si inueni, inquit, gratiam in oculis tuis. Non dicit: Si promerui, uel, si dignus uideor: nec dicit, Si uis uti gratia & beneficio meo. Gratiam ambit non offerti, & ambit à peregrinis & ignotis hominibus, idq; ad hoc, ut liceat illis seruire ac benefacere, opus habentibus, ut putabat, lotione pedum, quiete, & corroboratione cordis, ac postea transituris. Hæc illis præstare posse, tanti faciebat, ut gratiã se apud eos inuenisse, nõ cõtulisse, arbitraret. Omnia sunt emphatica & aptissimè dicta. Gratiã ambit. Illa sic est cõparata, ut cõtingat immeritis et indignis, absq; ullã molestia, ullo studio, labore, sumptu. Huc pulchrè facit uerbũ inuenièdi. Quæ gratuitò continguntur, inuenta esse dicunt. Quando uilissimè quid comparatũ esse iudicamus, dicimus uulgariter, es ist gefunden darumb. Si inueni, inquit, gratiam in oculis tuis. Sic angelus Mariæ dicebat: inuenisti gratiam apud Dñm. In oculis tuis, inquit. Magnatum est facere secundũ placitum oculorũ, quod illis est omnium liberrimum: & plerunq; tale ut Plus delectentur officiolo serui & inferioris, quàm beneficio superioris uel æqualis. Sic gratia & ab oculorum placito omnium liberrimo pendet, & absq; ullis meritis, laboribus ac sumptibus gratuitò inuenitur.

Conditio gratiæ.

Deprecationis emphasis.

Quintò. Ne transeas, inquit, seruum tuum. Obserua, quòd non dicit, Diuertas ad seruum tuum: sed, Ne transeas seruũ tuum. Vrgentius aliquid & obnixius habet quòd deprecaꝛ transitũ peregrinorũ, q̃ si simpliciter peteret illorũ accessum. Sic eñ, ubi ardentissimè aliquid ambimus, ea deprecari solemus, quæ uotis nostris aduersa fore iudicamus. Dauid cum gratiam clementiæ ac propiciationis Dei impensissimè expeteret, per deprecationẽ dixit: Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Et cum diuini beneplaciti ac fauoris auxilium ambiret, consimili deprecatione usus: Ne auertas, inquit, faciem tuam à me, & ne declines in ira à seruo tuo. Admonemur hac deprecatione, q̃ impensè & cupidè peregrinos & egenos fratres ad nos inuitare debeamus. Simul obserua quod sanctes precatur ne se transeant. Videbantur enim transituri, propterea quòd non progrediebant, sed stare bant. Sic & pijs uidetur declinare ac transire uelle Dominus, quando fluxus gratiæ illius sisti uidetur.

Beneficentiæ & submissionis coniunctio.

Et illud considerandum est, quod non simpliciter dicit, Ne transeas me: sed, Ne transeas seruum tuum. Parer multitudinis gentium, in fœdere Dei cõstitutus, & angelorum alloquijs assuetus, usque adeò submisso est animo, ut se seruum constituat hominum peregrinorum & ignotorum. Videspulcherrimam beneficentiæ et submissionis coniunctionem. Bonus erat in eo, quòd hospitalitati studebat. Submissus uerò in eo quòd se seruum eorum cõstituebat, quibus benefacere cupiebat. Præclarum beneficentiæ ornamentum, & suauissimum condimentum est animi submissio & humilitas. Contrà, fastus & arrogantia quicquid in beneficijs præstans & iucundum esse poterat prorsus extinguit.

Non humiliter sentiendũ de seruili humilitate.

Cauendum autem est, ne submissionem hanc propterea uilioris æstimemus, quod se seruam hominum, etiam peregrinorum & ignotorum constituit: & uicissim præclarè de arrogantia & superbia sentiamus, propterea quòd omnibus dominari cupit. Absit. Magna planè dignitas est humilitatis, quæ quo submissior est in terris, hoc altius euehitur in cœlis. Qui se humiliat, exaltabit, inquit Christus. Rursus, ingens dedecus est superbiæ: quæ sublimes coram hominibus, in cœlis reddit abiectissimos & abominabiles. Qui se exaltat, humiliabitur, inquit Seruator. Item: Quod altum est coram hominibus, abominatio est coram Deo. Adhæc, multo præclarius est seruire omnibus, quàm omnium uti seruitio: sicuti beatius est dare, quàm accipere. Beatior est Deus seruiens omnibus, & cunctane cessaria subministrans, quàm omnes in uniuersum creaturæ quibus illius prouidentia subseruit in omnibus. Et Christus multo felicius in mundum uenit, ut ministraret omnibus, quàm si uenisset, ut sibi ministraretur ab omnibus. Admonemur hac consideratione quàm sit mirabiliter comparatum, ut in humilitate sit sublimitas, & in seruitute felicitas. Seruitutis humilitatem multi hodie in speciem ciuiles magis quàm ueraces simulant, dum illud, *ewer diener*, crebrò uersant in ore, quibus tum demum credi posset, si quod uerbis iactant, opere complerent.

Præclarius est seruire omnibus quàm omniũ uti seruitio.

Quare tenuia promi, erit.

Sextò: Sed afferam, inquit, pauxillum aquæ, & lauentur pedes uestri. Primùm illud consideremus, quòd tam tenuia & frugalia offert illis quos tanta instantia, tanquam reuerenter ad se inuitat. Incuruat se, & ait: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum. Putares eum inuitare ad nescio quas epulas, quem & Dominum uocat, & seruili submissione honorat. Verùm nihil pollicetur aliud, quàm aquam ad lauandum pedes, & panem ad corroborandum cor, & quietem sub arbore. Et hæc ipsa uide quàm tenuiter promittat. Diceret saltem: Afferam aquam & panem. Afferam, inquit, pauxillum aquæ, & buccellam panis. At ubi promissa perstat, multo eos laurius accipit, quàm initiò promiserat. Est quidem in consueto cordatis hominibus, ut pauca offerant, & plura præstent: uerùm subest ratio pulcherrima, unde consuetudo illa dimanauit & obtinuit. Volebat illis persuadere ut ad se diuerterent. Solent autem homines honesti pro pudore suo cum inuitantur ad mre frugalitatem, quæ minimo constet, ideoq; facilius ad consentiendum induci, si audiant quàm minimo se sumptu fore accipiendos. Atque ita accommodauit se Abraham ingenio uirorum honestorum tenuitate ac frugalitate promissorum: postea uerò ubi multo largiora præstitit, rationem habuit decori sui: planè diuersus ab illis qui diuites sunt promittendo, parcissimi præstando. Vnde natum est illud: In uerbis quiduis, in factis nihil habebis.

Qualia promittat.

Deinde obserua rursus qualia promittat. Aquam ad lauandum pedes, umbram arboris ad quietem corporis, panem ad confirmationem cordis. Vide quàm se peregrinantibus & ex itinere lassis accommodet: fessis corporibus corporalem recreationem destinat, longè aliter animatus, quàm

A quàm phanatici spiritus, qui corpori parcendum, ac suum honorem tribuendum negant, quos Apost. Coloss. 2. perstringit. Admonemur hoc loco, ut dum fratribus seruimus, necessitatibus illorũ competen ter seruiamus. Deus ipse corporalia corporibus, & spiritualia spiritibus subministrat. Qui utraque ex larga manu Dei accepit, conuenienter & distinctè administret utraq. Apostoli spiritualia seminabant, & nicissim à fratribus corporalia necessitatibus ipsorum conuenientia auferebant. Hanc cõuenient m distinctionẽ seruant pij, qui fratribus seruiunt ex animo. Nudos uestiunt, esurientes pascunt, sitientes potant, captiuos uisitant, peregrinos hospitio accipiunt, infirmos consolantur, errantes in uiam reducunt, dejectos erigunt, peccantes corrigunt, ueritatis ignaros instruunt.

In officijs charitatis non possunt excusari tenuiores.

Tertiò. Afferam, inquit, pauxillum aquæ. Cogita hic quàm non relinquatur ulla excusatio tenuioribus, quasi officijs charitatis inseruire nequeant, propterea quòd nõ abundant opibus. Quantulũ quæso est pauxillum aquæ, & buccellam panis offerre fratri egenti? Et tamen etiam minuta ista sic locum habent in officijs charitatis, ut haud puduerit patriarcham offerre illa uiris peregrinis & incognitis. Est sua merces etiam minutis hisce officiolis. Sic Seruator Matth. 10. dicit: Quicũq dederit potum uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantũ in nomine discipuli, amen dico uobis, nõ perdet mercedẽ suam.

Pedestris maiorum humilitas.

Quartò. Et lauentur, inquit, pedes uestri. Primũ tres angeli sic apparent in specie trium uirorum, ut licet unus honoratior, reliqui uerò illius serui uideantur, pedestri tamen humilitate, & non equestri magnificentia appareant. Alioqui quorsum attinuisset, aquam pedibus illorum lauandis offerre? Hæc erat modestia & humilitas maiorum, ut pedes incederent, cui sese Christus ipse in terris constitutus, & apostoli Christum sequuti conformarunt. Posteri uerò spreta maiorum modestia & submissione, ascendebant equos, sic ut reperias, qui ne ad ecclesias quidem pedes ire sustineant. Et Romanus pont. perinde ac si esset ex apodum genere, humeris baiulorum sublatis, ad ecclesiam se portari facit. Deinde, prima recreatio destinatur pedibus, cum tamen illi sint infimi corporis serui, idq; puluerulenti. Admonemur, ut in corpore ecclesiastico consimiliter prima habeatur eorum cura, qui præ cæteris seruiendo Ecclesiæ fatigantur, etiam si aliàs ex infimorum sint ordine seruorum. Pedes eundo, & totum corpus gestando cum primis fatigantur: cum primis ergo refocillentur. Horum refocillatio non tam ipsis quàm toti corpori seruit. Hac prudentia solent qui iumentis portantur, primã illis curam in pandochæis impendere.

Prima cura impensius laborantibus debetur.

Simul & illud cogita. Si tanta est cura etiam infimis membris laborantibus & fatigatis impendẽda, quanto est necessarium magis, ut si potiora laborent studiosissimè recreentur? Qui pedum curam gerit, geret adhuc ampius ipsius capitis. Sic ueteres cum honestos uiros cõuiuio acciperent, nõ solum pedes illis lauabant, sed & capita inungebant. Sic ad Simonem pharisæum dicebat Christus, Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, osculũ mihi non dedisti, oleo caput meũ non unxisti, &c. Luc 7.

Si curanda sunt inferiora laborãtia, multo magis superiora.

B

Honorem Domino, necessariã uerò refocillationẽ et seruis & Domino obtulit.

Adhæc, non dicit, Et lauentur pedes tui: sed, Et lauentur pedes uestri. Nec dicit, Et requiesce: sed, Et requiescite sub arbore. Necq, Et confortetur cor tuum: sed, Et confortetur cor uestrum: cum tamen uni ex illis tanq potiori singulariter loqui cœpisset, dicens, Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum. Qua in re obseruandum est, quàm conuenienter quod honoris erat tribuat uni, quem iudicabat cæteris superiorem, uocans eum Dominum, & ambiens gratiam illius & assensum: quod uerò necessitatis erat, ac refocillationis, offerat non uni tantum, sed cõmuniter omnibus tribus, tam seruis quàm domino. Vnus uidebatur esse dominus: igitur unius gratiam & assensum cum reuerentia & submissione ambit. Refocillationem uerò fessorum corporum iudicabat necessariam esse tam seruis quàm domino: ideoq; hanc illis cõmuniter offert. Tam seruorũ pedes quàm domini opus habebant ablutione ac refrigeratione, tam seruorum corpora quàm domini quietem appetebant, tam seruorũ corda quàm domini confortationem debilitata requirebant. Corporalis imbecillitas & necessitas cõmunis est seruis & dominis, diuitibus & pauperibus, aduenis & indigenis, sapientibus & insipientibus: quare & necessariorum subministratio omnibus debet esse cõmunis. Itaq secundum Apostoli sententiam, Cui honorẽ, honorem: cui corporalem recreationem, corporalem recreationem exhibeamus. Nihil decedit seruis, si non poriantur prærogatiuis dominorum, modò non destituantur subsidio necessariorũ. Et Deus ipse sic constituit res humanas, ut quæ non concernunt necessitatem uitæ nostræ sustentandæ, deputet paucis quibusdam hominibus, ut sunt singularis quædam sapiẽtia, potentia, opulentia, & dignitas maiestatis: quæ uerò necessaria sunt ad uitæ nostræ conseruationem, subministret cõmuniter omnibus, ut sunt cibus, potus, uestitus, halitus quo uiuimus, quies noctis, lux diei, usus oculorum, auditus aurium, officia reliquorum membrorum corporis, & quæ alia sunt huiusmodi. Pulcherrimum prorsus est diuinæ prouidẽtiæ argumentũ, q̃d nõ necessaria paucis quibusdã: necessaria uerò cõmuniter omnib. subministranť.

De necessitate quietis.

Septimò. Et recumate, inquit, sub arbore. Locus hic est cogitandi de necessitate quietis. Corpora nostra continuo labore & motu fatigantur, quare opus est ut à labore & motu interdum quiescant. Quod enim caret aiterna requie, durabile non est. Deinde fessa corpora reclinationem appetunt. Etenim pedes fatigati pondus reliqui corporis in sublime erecti perpetuò ferre non possunt. Quare quieturi uel telluri, uel alij cuipiam sustentaculo, siue iacendo, siue sedendo, uel aliàs incuruando incumbunt. Hanc quietis necessitatẽ pulchrè attigit Abrahã, dicẽs, ורחצו תחת העץ, i. Et subnitimini, recubate, appodiate, sub arbore. Quoties igitur fessi recubamus, & corpora nostra quieti damus, cogitemus de cõstitutionis nostræ imbecillitate, consideremusq; tandem fore, ut imbecillia hæc corpora nostra uel morbo, uel senio grauata deficiant, & usq ad diem Dñi in terræ puluere quiescant. Deinde cogitemus, q̃ debeamus etiã ipsi nõ fessi fessorũ laborib. & molestiæ cõdolere, id q̃d Abrahã præ foribus tabernaculi sui sedẽs fecit.

Reclinatio corporum fessorum

Triclinium patriarchæ.

Præterea considera quòd non simpliciter dicit, Et reclinate. sed, Et reclinate sub arbore. Vide quale fuerit patriarchæ triclinium. Quos tam obnixè ad se quiescendi ac reficiendi gratia inuitat, ad arboris umbram loco triclinij uocat. Huiusmodi erant illius palatia. Vita frugalis aliena est à splendore triclinioru & palatiorum. Adhuc. Cogita de folijs arborum, quæ propè nullius uidentur esse momenti, quantum in se contineant utilitatis. Ornant arborem, protegunt illius fructus, & umbram efficiunt usibus humanis accõmodam. Quid leuius arboris folio? Et tamen tanta est illius utilitas, ut non solum arbori, sed & hominibus gratissimam præstet refocillationem. Discamus in re minuta, quanta debeamus cum gratiarum actione potioribus uti creaturis.

Etiã minuta plurium habẽt uti litatis.

Vir pius intelligẽs erat laboris peregrinantium

Octauò. Et accipiam, inquit, buccellam panis, & confortate cor uestrum. Vide obsecro, quàm fuerit uir pius, intelligens defectus & laboris peregrinantium, & ex itinere fatigatorum. Reuera prorsus inhumani sunt, qui cõmuni fratrum labore & miseria non tanguntur, & ad compassionem usq; afficiuntur. Cor ueluti radix quædam est uitæ nostræ, unde reliquum corpus sic pendet uniuersum, ut illo laborante ac deficiente omnia reliqua membra laborent ac deficiant. Cor debilitatur, quando labore & cãlore succus corporis absumitur, & stomachus euacuatus non habet quod cõcoquat, digerat, & reliquo corpori reficiendo subministret. Confortatur itaq; cibo & potu.

Natura minimis contenta.

Deinde & illud obserua, quòd non dicit, Et accipiam uitulum saginatum, butyrum & lac, & confortetur cor uestrum: sed, Et accipiam buccellam panis. Ergo sic est natura minimis contenta, ut uel buccella panis confortando cordi sufficiat. Quorsum itaq; attinet tam magnis emptibus quærere & coacerare unde uiuamus, immò potius unde natura nostra grauetur, & corporis stabilitas uarijs modis debilitetur? Natura, inquit ille, modico dimittitur, ingluuies petit immensum. Et nos Germani, Eynem *hungerigen ist eyn brotbeck eyn gůter koch.* Est itaq; uerissimum quod ille ait, Si ad naturam uiuas, nunquam eris pauper. Quantus eñ quæso sumptus est latranti stomacho frustulo panis satisfacere, & corporis constitutionem sustentare multo melius, quàm si mille uores sumptuosissima fercula, id quod uel in mendicis uidere licet, qui arido pane uiuentes multo sunt ualentiores corpore, q̃ qui quotidiè splendidissimè uiuunt. Videmus hic, quàm non sit præter rationem, quod Dauid ad præsentem locum respiciens cecinit, psal. 104. Et panis cor hominis confirmat.

Nõ sunt detinendi peregrini.

Nonò Et postea, inquit, transibitis. Quare non dicit, Et manete apud me? Inciuile est, homines peregrinos ad certum quendam locum proficiscentes contra animi illorum propositum distinere. Reperias qui præpostero benefaciendi studio molesti sint magis quàm cõmodi. Sic accipiendi sunt & reficilandi peregrini, ut contra animi sententiam à proficiscendi proposito haud impediantur.

Cõditio peregrinantium.

Considera etiam hic mispat & conditionem peregrinantium. Non sic diuertunt aliquò, dum sint in itinere, ut ibi maneant, sed ut uires corporis reficiant, & postea transeant. Habes imaginem piorum in hoc seculo peregrinantium. Mundo utuntur quasi quodam pandocheo, in quo naturæ necessitatib. ad hoc satisfaciunt, ut ad futuras mansiones, quas petunt, expeditius proficiscantur.

Necessitas fratrum colligenda ex illorum indicijs.

Decimò. Idcirco enim declinastis, inquit, ad seruum uestrum. Vide quomodo colligat Declinastis ex itinere ad seruum uestrum: unde patet, quòd refocillationem quæratis. Exemplum habemus quod imitemur. Conuenit ut & nos uoluntatem ac necessitatem fratrum, ex indicijs quæ præbent studiosè colligamus. Faciunt hoc homines ad succurrendum propensi. Alij ne rogantes quidem, & per nomen Domini obsecrantes audiunt.

Seruus seruorum Abraham esse uoluit.

Nec illud transeundum est, quod dicit, Ad seruum uestrum. Suprà in singulari dixit, Domine, si inueni gratiam in oculis tuis ne transeas seruum tuum. Hic postquam & reliquos duos ad hospitiũ suum uocauit, cum tertio, qui potior uidebatur, inuitare cœpit, illorum quoq; se seruum constituit, pluraliter dicens: Idcirco enim declinastis ad seruum uestrum, quasi non satis sese submiserit, unius se seruum confitenes, nisi paratus sit seruorum etiam illius esse seruus. Sic ergo unum prætulit reliquis, ut illius gratia etiam seruorum & comitum illius seruus esse cuperet. Eadem uera humilitas est, qua nos non modò infra heros & magnates, sed & infra illorum seruos abijcimus. Romanus pontifex ut hanc submissionem simulet magis q̃ præstet, nõ modò Dei se, sed & seruorũ Dei seruũ uocat, hoc agens, ut in speciem humiliemur reipsa omnium habeatur maximus, quasi adimpleat illud Christi, Matth. 20. Qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Verùm aliud est esse seruum seruorum Dei, & aliud, uecare se seruum seruorum Dei. Non dicit Christus, Qui uoluerit inter uos primus esse, uocetur uester seruus: sed, Erit uester seruus. Rem ipsam, non uerba & inanes titulos quærit.

OBSERVATIO IIII.

Qui dixerunt, Fac ut loquutus es.] Proponitur hic exemplum dissimulationis, cuius magna est utilitas in rebus humanis, si corde sincero ac prudẽter usurpetur. Arbitrabatur esse tres uiros, ignorans esse angelos, ideoq; humanam illis offerebat refocillationem, cuius angeli non egent. Quod igitur dicunt, Fac ut loquutus es, dissimulationis est, qua quod erant certa ratione dissimulabant. Ergo non est confestim prodendum quod uerum est, si ob causam aliquam conducibilior aliquandiu est ignorantia ueritatis quàm scientia. Plena huiusmodi exemplis est non solum uita humana, sed & sacra scriptura. Neque determinari certò potest, quàm diu dissimulatio durare, & quando ueritas abiecta dissimulatione patefieri debeat. Prudentia spiritus hominem pium docebit, quando conducat, ut ueritatem aliquandiu tectam aperiat.

Et illud uide. Quoniã uolebãt aliquãdiu uideri homines: ideoq; quę humana sunt nõ auersari, quẽad modum

modum Abrahã beneuolentiã ſuam ipſis offert ex animo, ita hanc illi ſimpliciter abſq; ulla tergiuerſatione accipiunt. Reperias homines moroſos, qui ægerrimè aliorũ beneficentiam admittant. Rurſus inuenias, qui etſi obiatam beneuolentiam corde non auerſentur, externè tamen aliquandiu reluctentur. Et hoc putant eſſe admodum ciuile.

OBSERVATIO V.

Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitq; ei, Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe uerò ad armentum cucurrit, & tulit inde uitulum tenerrimum & optimum, deditq; puero, qui feſtinauit & coxit illum. Tulit quoq; butyrum & lac, & uitulum quem coxerat, & poſuit coram eis. Ipſe uerò ſtabat iuxta eos ſub arbore. Et comederunt.] Hactenus uidimus quæ conſideranda ſint in inuitatione peregrinorum, quæ prima pars eſt hoſpitalitatis: iam conſequenter inſpicienda ſunt obiter ea quoq; quę ſecundam illius partem concernunt, quomodo uidelicet tractandi ſint & accipiendi hoſpites & peregrini.

Principiò. Feſtinauit, inquit, Abraham. Poſt impetratum conſenſum uide quanta alacritate inſtituit omnia. Feſtinauit in tabernaculum ad Saram, iuſsit hanc quoq; accelerare, cucurrit ad armentum, & feſtinauit ad faciendum uitulum, ſicuti Hebræus loquitur. Huiuſmodi feſtinantia & acceleratione homo ſeniculus animi ſui alacritatem declarabat, oſtendebatq; quanto cum gaudio peregrinos illos acciperet. Admonemur, oportere nos eſſe alacres non ſolum inuitando peregrinos, ſed & accipiendo & tractando. Reperias qui promptè quidem & alacriter beneuolẽtiam ſuam offerant uerbis: uerùm ubi aſſenſum præter ſpem inueniunt, triſtes apparent ad accipiendum inuitatos, & præſtandum promiſſa, atque ita produnt, quàm non uocarint & promiſerint ex animo.

Oportere nos eſſe alacres non ſolum inuitãdo, ſed & inuitatos accipiẽdo et tractando.

Deinde. In tabernaculum, inquit, ad Saram. Obſerua. Sarah materfamilias intus eſt in tabernaculo. Nuſpiam conuenientius reperitur honeſta matrona, quàm intra domeſticos parietes. Extrauagandi licentia ac leuitas matronali exiſtimationi & decoro deterit plurimùm, animumq; arguit uanum, ac tædio domus laborantem. Huiuſmodi uagatrices, quæ domos alienas ocioſe circueunt, reprehendi iubet Apoſtolus, 1. Timoth. quinto.

Honeſtæ matronæ eſt, manere intra domeſticos parietes.

Feſtinauit ad Saram. Et illud cogita. Socia curarum domeſticarum eſt uxor. Ad hanc ante omnia feſtinat, redditq; illam de inuitatis peregrinis conſciam, & quæ facienda ſint mandat. Debetur hic honos coniugibus. Simul tamen docendæ ſunt, ne moroſæ ſint ac difficiles, ubi intelligunt uocatos eſſe hoſpites ſicuti plerasq; uidemus, quæ rixis ac iurgijs quaſi fumo quodam uſqueadeò replent domum, ut per eas non liceat mariti aliquem hoſpitem ſiue notum ſiue ignotum domum ſecum adducere. Interea tamen probandi non ſunt, qui ſubinde homines leues in ædes ſuas inducunt, & quamuis inſtructi nõ ſint ad accipiendos hoſpites, imperioſe tñ ab uxoribus apponi multa uolunt, quæ domi ipſorũ non habẽtur.

Vxor ſocia rerũ domeſticarũ eſt.

Tertiò. Accelera, inquit, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. Primùm obſerua diſcretionem. In apparando conuiuio alia uiros, alia mulieres obire conuenit. Diſcretio igitur eſt, quando mulieribus muliebria, uiris uirilia obeunda deputantur. Placentas parare mulierum eſt. Igitur id negotij commendat Saræ. Nonagenaria erat. Verùm quod per ſe per ætatem præſtare non poterat, poterat per famulas. Cura tamen harum rerum pertinebat ad ipſam. Non cucurrit ad Hagar, ſed ad Saram. Etenim non illa, ſed iſta mater erat familias. Deinde conſiderandum eſt, quòd panes ſubcinericios: uel ſi mauis, placentas fieri iuſsit. Poterat illis de quotidiano ac menſario pane proponere, quo familiam tam grandem paſcebat: uerùm ut eos acciperet liberaliter, uoluit ut ueſcerentur placentis, quæ ſingularibus amicis ac honoratioribus hoſpitibus proponi ſolent. Ergo uſqueadeò ſingulari liberalitate accipiendi ſunt peregrini, ut etiam in ipſo pane uideatur, quàm cupiamus illis omnia præcipua & ſelecta proponere. Subeſt autem myſterium quoq; in hoc panum genere. Placentæ uel panes ſubcinericij, ſine fermento fiunt. Proponuntur ergo angelis hic & capite ſequenti panes azymi: & rurſus, 1. Regum decimonono, ab angelis proponuntur prophetæ Eliæ. Et Exod. 12. deputantur populo Dei ad paſchalis feſti celebrationem. Panis ſine fermento uictus eſt ſine malicia & nequitia fermentatæ noſtræ naturæ. Sic ueſcuntur angeli, patriarchæ, prophetæ, & reliqua piorum ac liberatorum Eccleſia, in uera iuſtitia & ſinceritate ſpiritus communicantes. Tertiò, quòd cum tres eſſent hoſpitio accepti, totidem ſata farinæ miſceri iubet, ſiue tres ſiue plures placentas fecerit Sarah: trium certè ex æquo rationem habuiſſe deprehenditur, uolens ut unicuiq; ex illis tantum placentarum pararetur, quantum ex uno ſato parari poterat. Videbatur quidem unus ex illis cæteris honoratior: uerùm quod naturæ neceſsitati parabatur, perinde ſeruis ac Domino deſtinabat. Sed ea de re & ſuprà monui.

Exemplũ diſcretionis.

Selecta proponẽda ſunt hoſpitibus.

Myſteriũ in panibus ſubcinericijs.

In neceſsitatibus naturæ perinde ſeruorũ atq; dominorum habenda eſt ratio.

Quartò. Ipſe uerò, inquit, cucurrit ad armentum, & tulit inde uitulum tenerrimũ & optimum. Videmus hic etiam priſcis ſanctis & agreſtibus ſuas eſſe quidem delicias: uerùm parabiles, nõ peregrinas & exoticas. Quòd non quemuis, ſed optimum uitulum tulit, documẽto nobis eſſe debet, ſelecta & præcipua, non deteriora proponenda eſſe peregrinis. Alius gulæ ſuæ uel auaritiæ magis quàm honeſtatis rationem habens eiuſmodi uitulum ſibi ipſi ſeruaſſet, & uiliora hoſpitibus propoſuiſſet. Tales ferè ſumus, cum damus eleemoſynas. Eſurienti Chriſto quàm poſſumus tenaciter ac ſordidè damus: uerũ iugulei noſtræ ac luxuti uix telluris ac maris opulentia ſatisfacit. Pro perdito reputamus, quicquid datur egenis, cũ ipſiſsima ſit perditio, quòd tantis ſumptibus aqualiculũ ſaginamus & inflatũ reddimus.

Quintò. Deditq; puero, qui feſtinauit ad faciendũ eum. Vide: Herus currit, ſeruus feſtinat, Sara accelerat. Omnia feſtinanter. Erat gemina cauſa feſtinationis. Vna, putabat eos eſſe feſſos ex itinere, ac gratiorem expectare refectionem. Altera, ne diutius detinerentur quàm ipſis eſſet commodum. Studebat igitur

Celeriter præſtanda eſſe promiſſa & beneficia.

Optimum beneficij condimentũ est celeritas.

igitur beneficium quod parabat, ab ciusmodi uindicare molestia. Et alioqui sic sumus cõparati, ut quis A breuis mora longa sit, ubi cupidè expectamus promissa. Vnde est illud, Qui cito dat, bis dat. Admonemur, optimum condimentum promissi beneficij esse, si quàm fieri potest celeriter præstemus.

Quomodo uerbum faciendi hic usurpetur.

Sextò. Ad faciendum eum. Sic loquitur Hebræus. Perpende hic uerbum faciendi. Debebat dicere, Ad mactandũ eum. pro mactare usurpauit uerbum faciẽdi. Atqui occidere & mactare magis est destruere quàm facere. Qui uitulum occidit & mactat, tam abesse uidetur ab eo ut uitulum faciat, ut iudicandus sit, quod factum est à Deo, destruere potius, & ad interitum perducere, quàm facere. Et tamen nõ modò scriptura uerbo faciendi pro mactare usurpat: sed & uulgatus loquendi usus, quo pisces facere dicimus eum, qui pisces ad coquendum parat.

Duplex esse facturæ genus.

Cogitandum hic est, duplex esse facturæ genus. Vnũ, undè constat essentia rei. Alterũ, quo res paratur, ut sit nobis usui. Primo fiunt res à Deo, ut sint. Altero, fiunt à nobis, ut usibus nostris prosint. Vitulum facit Deus ut sit uitulus: qui mactat, facit illum ut sit cibus. Magna est hæc gratia philanthropiæ Dei, qua nobis concessit, ut altero hoc faciendi genere creaturas ab ipso factas usibus nostris accõmodemus. Quod Deus fecit ut esset, nostra factura ducitur ad interitũ usque, quo nos in eo quod facti sumus à Deo consistamus. Sic omnia uitæ humanæ ad interitũ usque subijciunt. Vitulus à Deo factus quasi nondum sit quod esse debet, denuò fit à nobis, quando sustentandæ uitæ nostræ gratia mactatur. Haud enim propterea tantum factus est à Deo, ut fit, sed ut sit nobis usui. Quoniam igitur tum demũ rectè aliquid fit, quando ad destinatũ usum perducitur, omniũ rectissimè pisces, uitulos, &c. facere dicimur, quando illos mactamus, & ad uitæ nostræ sustentationem paramus. At quotusquisq; mactator est animalium, qui interea dum mactat, de gratia hac secundæ facturæ à Deo nobis concessa aliquid cogitet.

Quare nõ et Abrahã unà cũ hospitibus suis accubuerit.

Septimò. Et ipse, inquit, iuxta illos stabat sub arbore, & comederunt. Cogitari potest hoc loco, quare non & ipse cum illis accubuerit & comederit, sed iuxta illos instar mensarij ministri steterit. Tribuitur hoc summæ illius erga peregrinos modestiæ, reuerentiæ ac submissioni. Nos, etsi de animo illius, quare non unà cum illis accumbere, sed iuxta uescentes stare uoluerit, pronunciare nequimus, de re tamen ipsa sic cogitare possumus.

Tres mihi conuiuæ propè dissentire uidentur.

Quoniam tres erant numero in isto conuiuio, inciuile fuisset, cõmoditatem triclinij apud ueteres usitatissimi, quo uiri honestiores numero ternario accumbere solebant, accubitu quaterno interrumpere. Non erat autem præter rationem, quòd uetustas tantopere est triclinio adscendum delectata. In uno solo tædiosa solitudo est, quamuis Romano pontifici, ut audio, & alijs nonnullis principibus in consueto est, ut soli edant. In numero binario semitædiosus accubitus est propter paucitatem. Ternarius numerus, sic paucitatem conuiuarum excludit, ut interim multitudinẽ non constituat, in qua solet esse confusio. Ideo maiores triclinij admodum fuere studiosi, quòd in illo sit nec solitudo, nec paucitas, nec multitudo. Et præterea numerus iste ternarius non solum ad refectionem, sed & ad mensarias confabulationes admodum est accommodus. Quare ciuiliter factum est à patriarcha, quòd hospitum suorum triclinium accubitu suo non disturbauit.

Nondum tempestiuum est, ut cũ angelis conuiuẽtur homines.

Præterea & illud cogitari potest. Conuiuatores Abrahæ erant non homines, sed cœlestes angeli. Licet id ignoraret, pulchrè tamen factum est, quòd cum illis non accubuit. Nondum enim tempestiuum est, donec sumus in hoc seculo, ut cum angelis conuiuentur homines. In cœlis manet nos ista felicitas.

Dicat aliquis: Atqui Christus post resurrectionem cum discipulis suis iam cœlestis & immortalis conuiuatus est. Respondeo: Fecit hoc ad affirmandam ueritatem resurrectionis: qua in re cogitare debemus, post resurrectionem demum esse futurum, ut in cœlis cum Christo super mensam illius conuiuemur. Satis hic est, si uel ignari accipiamus angelos conuiuio. Sequamur exemplum Abrahæ. Studuit hospitalitati ex animo. Peregrinos homines amantissimè ac summa cum honorificentia ac libertate ad se inuitauit, & hospitio accepit. Et hoc faciens nescius accepit angelos, factusq; est cœlestium spirituum hospes, & admirandi triclinij minister. Magnum est, & stupendum, pascere angelos. Verùm omnium maximum est, pascere Curistum, angelorum Dominum. Qui dicturus est olim, Peregrinus fui, & suscepistis me. Et, Quicquid uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Quare curandum est, ut peregrinos & egenos amanter accipiamus, in quibus Christus ipse uel accipitur uel abijcitur. De angelis quoque hoc nobis sit persuasissimum, esse eos administratorios spiritus, ac mitti ad ministrandum electis, Hebr. secundo. Angeli eorum, inquit Christus, uident faciem patris qui in cœlis est: Matthæi decimonono. Quare nemo dubitet, frequẽter accidere pijs, quod accidit Abrahæ, ut uidelicet angelos hospitio ignorantes accipiant. Non destituimur angelorum præsentia, siue dormiamus, siue comedamus, siue operemur, si pij simus. Non fugiunt homines angeli, cum quibus in sempiternum gaudebunt ac deliciabuntur in cœlis, sed fugiunt impios, superbos, scelleratos, non cœli ciues, sed mancipia satanæ. Dicet aliquis: Cupidè acciperem peregrinos, si scirem in illis esse uel Christum uel angelos. Quid si satanam ipsum hospitio in homine impio accipiam? Respondeo: Nec Abraham sciebat esse angelos, sed putabat esse homines peregrinos. Satis illi erat, quòd uidebantur esse peregrini. Et nobis itaque satis sit, si sciamus nos accipere homines peregrinos, & fratres egenos beneficijs nostris iuuare. Angeli ne sint, uel mali dæmones, id quoniam conscientias nostras fugit, diuinæ dispensationi committamus. Quod nostrum est, sedulò ac diligenter faciamus: quæ secreta sunt, secretorum cognitori ac dispensari Deo dispensanda relinquamus.

Et dixe-

Et dixerunt ad eum: Vbi est Sarah uxor tua? Ille respondit, Ecce in tabernaculo est. Cui dixit: Reuertens ueniam ad te tempore isto uita comite, & habebit filium Sarah uxor tua. Quo audito Sarah risit post hostiũ tabernaculi. Erant autem ambo senes, prouectę ætatis, & desierant Sarę fieri muliebria. Quæ risit occultè, dicēs: Postq̃ consenui, & Dominus meus uetulus est, uoluptati operam dabo? Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sarah dicens, Num uerè paritura sum anus? Nũquid Deo quicq̃ est difficile? Iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore, uita comite, & habebit Sarah filiũ. Negauit Sarah dicens: Non risi, Erat enim perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita, sed risisti.

LECTIO.

Tempore isto uita comite.] In Hebr. est, בעת חיה, id est, secundum tempus uitæ. Græcus uertit, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας: id est, secundum tempus hoc in horas. Hieronymus sic annotat, Pro hora uitam legimus in Hebræo, ut sit ordo uel sensus: Reuertar ad te in tempore uitæ: quasi dixerit, si uixero, si fuerit uita comitata. Chaldæus paraphr. sic uertit, בעידן קיימין: id est, secundũ tempus, quo nos uiuentis. Tigurina uersio habet, Circiter tempus uiuentis.

Quo audito Sarah, risit post ostium tabernaculi.] Ebræus sic habet, ושרה שמעת פתח האהל והיא אחריו, id est, Et Sarah audiuit in ostio tabernaculi, & ipsum post eum. Primũ non est in Ebr. uerbum ridendi, hoc loco. Deinde non dicit Ebræus q̃ post ostium audierit Sarah: sed simpliciter, פתח האהל, id est, ostio tabernaculi. Tertiò, quod Ebræus habet והיא אחריו, id est, Et ipsum post eum, quod de ostio tabernaculi dictum est, quod fuerit angelo loquenti à tergo, uertit perinde ac si esset והיא אחריו: id est, Et ipsa post ipsum, ostium uidelicet tabernaculi. In Græco est, οὖσα ἔσπισθεν αὐτοῦ: id est, existens post ipsum, uidelicet angelum R. Shiomoh sensum hunc sic expressit, ותפתח היה אחר חבלאך: id est, Ostium fuit post angelum. Origenes nescio quem sequutus, legit: Audiebat autem Sarah stans post ostium tabernaculi sui
B post Abraham. Apparet & hunc interpretem legisse non והיא אחריו: id est, & ipsum post eum: sed והיא אחריו: id est, & ipsa post eum.

Erant aũt ambo senes.] In Ebræo exprimunt nomina. Et Abraham, inquit, & Sarah senes.

Postquam consenui, & Dominus meus uetulus est, uoluptati operam dabo.] Transpositio cõmatũ admissa est ab interprete latino. Sic enim habetur in Ebræo, אחרי בלתי היתה לי ערנה וארני זקן: id est, Postquã senui, erit mihi uoluptas, & Dominus meus consenuit: uel, senex est: aut, quod non displicet, Postquam senui, erit mihi uoluptas, ac Domino meo senio. Postremum cõmma sic transposuit, ut sit medium, & medium, ut sit postremũ. Græcus longius à uero sensu distat. Nam sic uertit, οὔπω μὲν μοὶ γέγονεν ἕως τοῦ νῦν ὁ δὲ κύριός μου πρεσβύτερος. id est, Nondum quidem mihi fuit usq̃ nunc, Dominus uerò meus senior est. Primùm uoculam אחרי, id est post quam, omisit. Deinde בלתי, id est balothi, consenui, legit bilthi, id est fine. Tertiò ערנה, uertit adhuc, cum significet hic uoluptatem. Sic reddidit ista, בלתי היתה לי ערנה, Sine esse mihi usq̃ nunc: id est, Nondum fuit mihi usq̃ nunc. Tanta erat obscuritas interpreti uertenti sacra absq̃ punctis. Hieronymus sic: Postquam attrita sum, facta est mihi uoluptas. Symmachus uerò citante Ieronymo (nam uersionem huius non habemus) Postquam uetustate consenui, facta est mihi adolescentia? Sequutus est Symmachus paraphrasten Chaldæum, qui sic uertit, בהר דסבית תחי לי עלימו: id est, Postquam consenui, erit mihi iuuentus?

Hoc eodem tempore uita comite.] Rursus simpliciter est in Ebræo, למועד בעת חיה: id est, statio tempore, secundum tempus uitæ. Apostolus tamen uersionem Septuaginta sequutus, quoniam græcè scripsit, Rom. 9. legit, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον: id est, secundum hoc tempus.

EXPLANATIO.

Capite præcedenti acceperat Abraham promissionis diuinæ de semine benedictionis perspicuam declarationem, quòd Sarah paritura esset ipsi filium ac semen toties promissum. Crediderat hoc Abraham quidem, uerùm Sarah non ita, sicut in præsenti narratione manifestè uidere licet. Erat aũt ea promissio principalis, & simul palàm uiribus naturæ repugnabat. Quare usum est prouidentiæ Dei, repetere illam, & incredulitatem Saræ producere in apertum, ac redarguere, quo & ipsa diuinis promissis crederet, & Abraham adhuc in fide illorum confirmatior redderetur. Hic est præsentis loci scopus.

Et dixerunt: Vbi est Sara uxor tua?] Quid inter uescendum siue inter se tres angeli, siue cum Abrahamo adstante loquuti sint, non meminit Moses, sed hoc tantum memorat, quod causam apparitionis huius concernit, ut proposito seruiat. Post quam comederunt, ad hunc modum Abrahæ loqui cœperunt: Et dixerunt, inquit. Quod unus dixit, tribuit & reliquis: qui & ipsi ob eandẽ causam apparebant. Quare ualde infirmũ est, q̃ unum ex tribus ad hoc apparuisse dicũt Ebræi, ut partum Saræ prædiceret. Quæ in causa cõmuni dicuntur ab uno, rectè omnibus etiam reliquis eiusdem causæ socijs tribuuntur. Alioqui si priuatim quid ab uno dicitur, non rectè tribuitur alijs, à causa illius qui loquitur alienis. Vbi est Sarah uxor tua? inquiunt. Interrogant non ut discant, quod alioqui non ignorabant, sed ut oraculo expro-

mendo uiam more humano parent, quandoquidem adhuc homines esse putabantur.

Ille respondit, Ecce in tabernaculo est.] Non prodierat ad accubitum & conuiuium hominum peregrinorum, sed manserat in tabernaculo. Erat enim mulier honesta, & ut Shlomoh rectè dicit, צניעת, id est uerecunda. Et sic aliàs erant etiam mores mulierũ, ut in conspectũ uirorũ non sine ratione prodirent.

Cui dixit, Reuertens reuertar ad te secundũ tempus uitæ, & habebit filium Sarah uxor tua.] Hoc est oraculum Dei, cuius gratia comparebant hi angeli apud Abrahamum. Promissionem hanc acceperat quidẽ Abraham & antea: uerùm dissimulant hoc angeli, & Abraham quoq; illius non meminit, siue pudore aliquo siue religione erga diuinum oraculum impeditus. Loquitur autem angelus secundum consuetudinem humanam, & hominum peregrinorum, cum dicit, Reuertens reuertar ad te secundũ tempus uitæ. uel, si mauis, uita comite. Quòd enim reuersionis meminit, quadrabat peregrinis, quasi olim reuersuris inde quò proficiscebantur. Quòd uerò addit, Vita comite, simulatio est humanæ mortalitatis, quæ plerunq; mortalium proposita irrita redduntur, & qui peregrè abeunt, à reditu impediuntur.

Et Sarah audiuit ad ostium tabernaculi, & ipsum erat post illum.] Quoniam memoraturus est de risu Saræ, præmittit de illa, quòd uerba angeli audiuerit. Et quia dixerat Abraham, esse illam in tabernaculo, ne quis percontetur quomodo in tabernaculo existens uerba audierit, ab angelo extra tabernaculum sub arbore dicta, addit, ad ostium tabernaculi, significans illam clanculũ auscultasse ad ostium tabernaculi, quænam à peregrinis istis & hospitibus suis dicerentur, & ut illa audire potuisse significet, adiungit, Et ipsum erat post illũ: id est, ostiũ ad quod auscultabat Sara erat angelo loquẽti à tergo. Vnde apparet, arborẽ sub qua accumbebant angeli, ostio tabernaculi fuisse propinquã, sic ut illud adumbraret etiam, & Abraham præ foribus tabernaculi in calore diei sedens, umbra sese arboris huius refocillarit.

Et Abraham & Sarah senes erant, & prouectæ ætatis, ac desierat Saræ fieri secundum uiam mulierum.] Narrat hoc, ut ratio præmittatur, ob quam riserit Sarah. De senectute utriusq; Abrahæ ac Saræ mentio facta est capite præcedenti in uerbis Abrahæ, cum diceret, Ergo ne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? De hoc amborum senio loquitur Moses. Quod autem dicit in Ebræo בָּאִים בַּיָּמִים, id est, uenientes ad dies, Ebraismus est, quo grauis senectus & ad terminum uitæ uergens exprimitur. Etenim uenire ad dies, idem est quod appropinquare ad constitutum à Deo terminum, ac summã dierum uitæ. Quod addit, Ac desierat Saræ fieri secundum uiam mulierum, dictum est de menstrua mulieb- B ris uteri purgatione, quæ tantisper durat in mulieribus, dum per ætatem adhuc possunt esse fœcundæ. Vbi desinunt esse fœcundæ, desinit etiam ista purgatio. Igitur ut significet impossibile esse naturæ uiribus, ut Sarah conciperet ac pareret filium, usq; adeò dicit eam fuisse ætate prouecta, ut etiam consuetudo muliebris propter senium in illa defierit.

Et risit Sarah intra se, dicens: Postquam senui, erit mihi uoluptas? Et dominus meus senex est.] Sarah ignorabat esse angelos Dei qui apparebant, & diuinam esse promissionem, qua filius ipsi promittebatur, sed quemadmodũ arbitrabatur hospites suos esse peregrinos homines, ita etiam quod ex illis audierat accipiebat non ut uerbum Dei, sed ut uerbum hominum, temerè prolatum. Ideo consideratione senectutis tam Abrahæ quàm suæ, iudicabat esse impossibile, ut fieret præguans, atq; eam ob causam intra se tacitè risit, dicens: Postquam consenui, erit ne mihi uoluptas? Et dominus meus senex est. Quasi diceret: Num & ille uoluptati operam dare poterit?

Et dixit Dominus ad Abraham: Quare risit Sarah uxor tua, dicens: Num uerè pariam, cum senuerim? Nũquid Deo difficile est quicquam? Iuxta condictum reuertar ad te secundum tempus uitæ, & habebit Sarah filium.] Angelus duo facit. Reprehendit risum Saræ, & promissionem Dei repetendo & asseuerando confirmat. Ad primum pertinet quod dicit: Quare risit Sarah uxor tua, dicens: Num uerè pariam, cum senuerim? Et ut rationem Saræ refutet, adijcit: Nunquid Deo difficile est quicquam? Quasi diceret: Etiamsi senectutis ambo, & Saræ desinant muliebria, an sic alligatus est Deus uiribus naturæ, ut quod promittit præstare nequeat, si uires naturæ repugnent? An ideo nõ poterit Deus reddere Saram præguantem, quòd propter ætatem non est appetens uoluptatis? Sic innuit angelus, promissionem suam esse non humanam, sed diuinam: & se non esse hominem peregrinum, qui casu aduenerit, sed nuncium Dei. Ad alterum referendum est quod subijcit, Iuxta condictum reuertar ad te, secundum tempus uitæ, & habebit Sarah filium. Ad uerbum prædicta repetit, quæ Saræ uidebantur esse ridicula, ut repetendo illa & asseuerando confirmet. Addit hic, Iuxta condictum, tempus uidelicet: respiciens ad id quod capite præcedenti dictum est, nempe, Tempore isto, in anno altero.

Negauit Sarah, dicens: Non risi. erat enim perterrita. Et dixit, Non: sed risisti.] Non loquebatur angelus Saræ, sed Abrahæ de Sarah, cum diceret: Sarah uxor tua habebit filium. Neq; cum risisset reprehẽdit illam in faciem, sed expostulat cum Abrahamo, illa adhuc existente in tabernaculo. Et tamen pro muliebri imprudentia non continet se, sed prorumpit in apertum, dicens: Non risi. Causam addit Moses, quòd fecerit hoc timore perculsa. Non est expressum quid timuerit, an timor hic sit positus pro pudore, uel quòd timuerit indignationem mariti, aut offensam hospitum. Angelus uerò, & negationem illius, qua dixerat, Non risi, reijcit dicens, Non: deinde & reprehensionis suæ ueritatem asserit, adijciens: Sed risisti.

QVAESTIO I.

Quæsierit quisquam, quare non prociderit Abraham in faciem suam, quum audisset ex ore angeli, fore ut filium haberet Sarah, perinde atq; in præcedenti capite, ubi cum dictũ esset ab angelo, Et ex illa dabo

A dabo tibi filium, & benedicam ei, &c. pronus in faciem cecidisse legitur, quum hic nõ minus quàm illic oraculo diuino promitteretur Saræ filius?

Breuiter responderi potest. Illic stupebat ad promissa hactenus inaudita, & licet crederet & gauderet, admiratione tamen rei insolitæ & insperatæ raptus procidit in faciẽ. Hic uerò nõ erat ratio cur sic obstupesceret, & tanta admiratione raperetur, qua in terram prosterneretur, quandoquidem eandem promissionem iam antea acceperat, ideoq; illam in præsenti sine consimili stupore audiebat. Deinde, illic sciebat loqui sibi Dominum, ob quam etiam causam cœleste ueneratus oraculum procidit in terram. Hic uerò ignorabat esse angelos quos hospitio acceperat, sed homines esse putabat. Quare cum non sic afficeretur quemadmodum illic, non sic procidit etiam in terram, sicuti prociderat illic.

QVAESTIO II.

Quare risit Sarah uxor tua?] Quæritur hoc loco, an peccarit Sarah ridendo. Respondemus: Risus in se malus non est. Nam facultas ridendi non ex originali peccato, sed à Deo est naturæ humanæ indita. Cauendum autem est, ne si damnamus ea quæ nobis non ex corruptione naturæ, sed naturaliter insunt, ipsum damnemus naturæ nostræ conditorem. Quare nemo uerè sapiens risum in se damnabit.

An peccarit Sara ridendo.

Risus in se malus non est.

Deinde, sicuti & suprà annotauimus, duplex est risus. Gaudij unus, derisionis & contemptus alter. Si quæras de risu gaudij & exultationis, sit ne damnabilis uel secus, inspicienda est qualitas gaudij, unde risus ille nascitur. Qui malè gaudet, malè quoq; ridet. Sunt qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Prouerb. 2. Sunt qui ad infortunium proximi rident ex animo, quos Germanicè uocamus *Schadenfroh*. Horum risus damnabilis utiq; est, & meritò uertitur in planctum. Qui delectantur uerbis & factis iudicris ac turpibus, aut dicteriis facetis & scurrilibus, delectando soluuntur in risum. Horum quoq; risum nemo sapiens à peccato uindicabit. Etenim si de uerbo ocioso reddituri sumus Deo rationem in die iudicij, Matthæi duodecimo, quanto magis de risu uano ac scurrili? Qui bene gaudet, bene quoq; ridet. Bene gaudebat Abraham, quare & irreprehensibilis erat risus illius.

Duplex est risus

Si quæras autem de risu derisionis, qualis fuit risus Saræ, & hic inspicienda est qualitas causæ, quæ risu huiusmodi deridetur. Si derideantur de rebus uanis, noxijs, nedum impijs exultantes ac gloriantes, planè iusta est derisio, & risus inculpabilis. Sic ridebat Daniel in historia Belis, cum rex uoce magna exclamasset. Magnus est Bel, & nõ est apud te dolus quisquam. Dan. decimoquarto. Si rideat quis ad interitum eorum, qui nullis potuerũt admonitionibus in uiam redigi, cum sapientia Dei excusatur illius

B risus, quæ Prouerb. primo sic dicit: Quia uocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoq; in interitu uestro ridebo, & subsannabo cum uobis enenerit quod timebatis. De risu Democriti Gelasij iudicare nõ possum. Ad omnem fortunæ casum ridebat, contrà Heraclitus flebat. Si uerò derideant uel quæ in hoc mundo sunt, humilia & contempta, uel quæ rectè & piè siue à Deo sine ab hominibus dicũtur ac fiunt, huiusmodi risus planè culpabilis est, & magni peccati reus, nisi per circumstantias aliquid extenuationis inueniat. Sic risus Saræ culpabilis erat, ideoq; ab angelo reprehendebatur, quod oraculum diuinum magis naturæ quàm diuinæ potentiæ uires considerans, quasi absurdum & impossibile derisisset.

QVAESTIO III.

Quoniam risus Saræ omnino incredulitatis fuit, quæritur quomodo Ebr. 11. de illa prædicet Apostolus, quòd fide uirtutem ad concipiendum semen acceperit, idq; cum sterilis esset, & præter tempus ætatis, quòd fidelem crederet esse eum qui promiserat.

Chrysostomus ad hanc quæstionem sic respondet, *ὁ μὲν οὖν γέλως ἐξ ἀπιστίας, ὁ δὲ φόβος ἀπὸ πίστεως. τὸ γὰρ ἐπεὶμ οὐκ ἐγέλασε ἀπὸ πίστεως γέγονε. τοιγαροῦν διὰ τοῦτο διενοήθησαν τῆς ἀπιστίας ἐπεισάλθειν ἡ πίστις.* Intelligit hic timuisse Saram ex eo quòd de occulto risu reprehensa intellexerit adesse non peregrinos, sed diuini oraculi interpretes, ideoq; uerbis angeli credens timere sibi cœperit. Verùm hanc sententiam rursus alia quæstio sequitur, quomodo timor ex fide natus negationem ueritatis pepererit. Quare simplicius, est ut illam ubi postea ex Abrahamo angelos Domini adfuisse intellexit, oraculo diuino credere cœpisse, atq; ita uirtutem ad concipiendum accepisse dicamus.

OBSERVATIO I.

Vbi est Sarah uxor tua?] In eo quòd non simpliciter dicunt, Vbi est uxor tua? sed expresso nomine illius, Vbi est Sarah uxor tua? Videmus quomodo opinionem illam, qua putabantur esse peregrini, animo Abrahæ eximant, priusquam oraculum diuinum de filio Saræ proponant. Haud enim peregrini est tenere nomen uxoris eius, cuius factus est hospes, sed noti, amici ac familiaris. Erant autem angeli non peregrini Abrahæ, sed admodum familiares. Habes exemplum, quomodo paulatim sit dissimulatio erga amicum soluenda, & gustus notitiæ ac familiaritatis proponendus. Postquam impleuit Abraham officium hospitalitatis & iam proponendum esset diuinum oraculum, non erat amplius ratio, ut speciem & opinionem peregrinorum retinerent, sed paululum detegenda erat illa nubecula, quo quod agendum deinceps erat efficacius ageretur.

OBSERVATIO II.

Et dixit, Ecce in tabernaculo est.] Obserua exemplum honestæ ac uerecũdæ matronæ. Toto cõuiuio nõ egressa tabernaculum, nec se in conspectum conuiuantium hospitum ingessit, sed intra tabernaculũ continuit.

Exemplũ honestæ ac uerecundæ matronæ.

continuit. Discant mulierculæ uerecundiam ac pudorem in Sarah, quæ quamuis esset mulier nonagenaria, & recens à Deo dominæ nomen consequuta, sic tamen modestiã ac uerecundiam seruauit, ut suapte sponte in conspectũ uirorum ne extra fores quidem tabernaculi sit progressa. Quàm diuersa fuit ab hoc exemplo filia Herodiadis, quæ usqueadeò fronte erat perfricta, ut in cõuiuio principum tribunorum ac primorum Galilææ non solum comparere, sed & impudica gesticulatione saltare ac lasciuire audaret, Marci 6. Decus mulierũ est pudor ac uerecundia, si sint עלמות, id est absconditæ, & amantes mansionum domesticarum, instar testudinis. Dinah filia Iacob si domi mansisset, pudicitiam seruasset. Et Beersabe si secreta domestica studiosius incoluisset, adulterium uitasset. Prodijt quidem & peccatrix illa in conuiuium uirorum in quo accumbebat Dominus: uerùm prodijt plorans ad Dominum tanquam ægrota ad medicum: prodijt non ad ineptiendum, sed ad peccata sua defiendum. Vide Lucæ 17. Hodie muliebrem sexum omni pudore prostituto conuiuijs uirorum passim admisceri uidemus, & adhuc miramur, unde nostra ætate tantum obtinuerit scortationum & adulteriorum.

A

OBSERVATIO III.

Etiam angeli pudorem ac uerecundiam hospitũ seruarunt.

Reuertens reuertar ad te, secundum tempus uitæ, & habebit filium Sarah uxor tua.] Obserua, quòd Sarам non euocauerunt angeli, ut ipsi coràm futurum partum prædicerent, sed promissionem illius Abrahæ proposuerunt. Haud indignam rem admisissent, si quæ Abrahæ dixerunt, ipsi quoq; Saræ coràm proposuissent: uerùm maluerunt & ipsi seruare decorum hospitum, & Saræ pudoris ac uerecundiæ ipsius custodiam permittere. Si hoc fecerunt angeli, discant uiri quid ipsos deceat.

Reuersio hospitum.

Deinde obseruandum est, quòd reuersurum se dicit ad Abrahamum. Reuertens, inquit, reuertar ad te. Modò parum gratus uideretur hospes, si quis gratis acceptus hospitio rediturum se diceret. Verùm ubi sincerum est hospitalitatis studium, admodum ingratũ esset, si peregrinus hospitio semel acceptus, ad alium quempiã in reditu diuerteret. Interim & illud cogita. Si angelos hospitio semel acceperis, uncq; nescius hoc feceris, illi ad te subinde redibunt, si in studio hospitalitatis ad exemplum hoc Abrahæ prseueraueris, ut sit uox ista, Reuertens reuertar ad te, non modò innocui peregrini, sed & angeli ad hospitem suum, peregrinos & egenos ex animo susципientem. Diuerterunt angeli ad Abrahamum, obnixè ne se transirent precantem. Liberaliter accepti pollicentur reditum. Cogitemus hæc non esse temerè, sed nostra gratia conscripta.

Redeunt angeli semel accepti.

Tertiò. Secundum tempus uitæ, inquit. Quoniam angelus humano more loquens hanc promissioni suæ de reditu conditionem adiscit, Si tempus uitæ permittat. Docemur utiq; nos homines, ne unquam B obliuiscamur, esse nos mortales, adeoq; incertum esse omne nostrum consilium, ac uoluntatis propositum. Proponimus & promittimus multa in futurum etiam lõginquum tempus, cum de uita nostra ne ad crastinum quidem usq; diem certi simus. Hæc est nostra incogitantia, imò temeritas, quam Iacobus apostolus capite 4. hisce uerbis perstringit: Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi annum, & mercabimur, ac lucrum faciemus, qui ignoratis quid futurũ sit die crastino. Quæ est enim uita nostra? uapor est ad modicum præsens, & deinceps exterminatur. Propterea dicatis, Si Dominus uoluerit, & si uixerimus, faciemus hoc aut illud. Hæc ibi.

Quartò, nec illud prætereundum est, quod dicit, Et habebit filium Sarah uxor tua. Particulam hanc usurpat Apostolus Ro. 6. ad doctrinæ suæ cõfirmationem, qua docet non esse eos filios Dei, nec æstimari in semine Abrahæ, qui sunt secundum carnem, sed qui sunt filij promissionis. Sic enim argumentatur: Non omnes qui ex circumcisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ: neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes sunt filij: sed in Isaac, inquit, uocabitur tibi semen. Ideo non qui filij carnis, hi sunt filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissionis enim uerbum hoc est Secundum hoc tempus ueniam, & erit Saræ filius. Hæc Apostolus: unde patet, maiorem esse promissionis quàm carnis habendam rationem, ubi de filijs Dei quæritur. Sed hac de re suprà admonui cap. præcedenti, parte tertia, obseruat. 5.

OBSERVATIO IIII.

Difficile est, muliebrẽ exuere curiositatem.

Et Sarah audiuit ad ostium tabernaculi, & ipsum erat post eum.] Obseruandũ hoc loco est, quàm sit difficile etiam pijs ac honestis matronis, muliebrem prorsus exuere curiositatem. Sarah honestissima ac uerecundissima mulier, manens constanter in tabernaculo, & curæ ad se pertinenti diligenter incumbens, non potuit curiositatis uincere tentationem, quin auscultaret ad ostium tabernaculi, quod à tergo erat loquẽtis angeli, quo quæ dicebantur intelligeret. Et hoc fecit mulier nonagenaria. Haud patrocinamur muliebri curiositati, sed in sancta ac celebri matrona ostendimus, quid sperandũ sit de reliquis, & quàm fieri nequeat, ut omnia sint in uxoribus fidelium pura ac puta quærenda. Condonandum est, quicquid nec pietati nec honestati palàm & indubitanter aduersatur.

OBSERVATIO V.

Qua diligentia sit humana imbecillitas ad laudẽ potentiæ Dei exprimenda.

Et Abraham & Sarah senes erant, & prouectæ ætatis, ac desierat Saræ fieri secundum uiam mulierum.] Vide, non erat satis Mosi, q̃d de ætate utriusq; Abrahæ ac Saræ cap. præcedẽti in uerbis ipsius Abrahæ memorat, nisi hic quoq; mentionẽ illius faciat, quo lectori inculcet, impossibile fuisse secundũ uires naturæ, ut Sarah conciperet ac pareret filium. Suprà uerba Abrahæ, hic suum ipsius testimoniũ, & mox etiã uerba Saræ idem testantia ponit. quo manifestũ faciat, q̃ Sarah tandẽ Isaacũ peperit, diuinæ potẽtiæ ac dispensationi singulari nõ naturæ uirib. esse tribuendũ. Admonemur qua diligentia exprimenda & contẽdata sit humana infirmitas, arbitriq; nostri & naturæ impossibilitas, ubi celebranda est diuinæ gratiæ operatio, uirtus & potentia. Quare detestabilis planè doctrina est, & ex Ecclesia Christi studiosissimè elimi-

A eliminanda, quæ naturæ noſtræ & arbitrij libertatem, facultatem, uires & merita extollens gratiam liberationis ac redemptionis per Chriſtum partæ obſcurat, carnem glorificat, & Deũ laude ſua priuat.

Deinde cõſiderandũ eſt, q̃ cõſilio Deus ſic diſpoſuerit generis noſtri ꝓpagationẽ, ut adhanc inepta ſit ſenectus. Tres ſunt uitę noſtræ partes. Iuuẽtus, ætas uirilis, ſenectus. Iuuẽtus à cunis ſubiecta eſt curæ, poteſtati, diſciplinæ & obediẽtiæ parentũ, ac ſic diſpoſita, ut uoluptati ac neceſsitatib. parentũ ac maiorum ſubſeruiat. Eſt em̃ nõ modò uirib. adhuc, ſed et iudicio, et cõpoſitis affectib. deſtituta: ideoq; neceſſe habet ut alaĩ, cuſtodiaĩ, inſtituaĩ, & regaĩ. Ætas nubilis & uirilis deſtinata eſt genituræ, & educationi liberorũ. Habet em̃ illa & corporis robur, & iudiciũ, & affectuũ moderationẽ. Et ſecundũ naturalẽ uitæ diuturnitatem liberi qui ex illa naſcuntur ſic educari poſſunt, ut priuſquam ſenectus parentum ueniat, robore corporis accepto, & ſibi & illis prodeſſe poſsint. Senectus uerò, quoniam imbecilla eſt, & ad finem uitæ tendit, non ſolũ ſic eſt à laboribus genituræ libera conſtituta, ut abſtinere poſsit ſi uelit, ſed & ut parere nequeat, etiamſi abſtinere nolit. Hæc eſt prouidentia Dei, qua ſenectus quieti deſtinata eſt, & ueluti fructu quodam præcedentium laborum filijs ac nepotibus oblectatur, miniſterioq; illorum fruitur.

Quare uoluerit Deus ſenectã liberà eſſe à generatione liberorũ

Tertiò. Ac deſierat, inquit, Saræ fieri ſecundum uiam mulierum. Vide q̃ uerecundo ore loquaĩ ſcriptura. Pro eo quod dicendũ erat, Deſierat Saræ fluxus mẽſtruus, dicit, Deſierat Saræ fieri ſecundũ uiam, id eſt, conſuetudinem mulierũ. Sic & Rahel ad Laban parentem ſuum infrà cap. 31. dicebat, Ne moleſtè ferat dominus meus, ꝙ coram te aſſurgere nequeo, quia iuxta uiam mulierum nũc accidit mihi. Habẽt exemplum quod imitentur tam uiri quàm mulieres, ut rem immundam ore pudico ac uerecundo circumloquaĩ. Præterea, hic quoq; conſideranda eſt diuina prouidentia. Primũ in eo quod uiam hanc & conſuetudinem Moſes uocat uiam & conſuetudinem mulierum. Quoniã mulier deſtinata eſt concipiendo ac pariendo fœtui, opus habet copia ſanguinis: unde fœtus non in utero tantum, ſed & poſt partum alatur. Abundantia huius extra neceſsitatem fœtus menſtruo tẽpore purgatur, quæ utero exiſtẽte grauido neceſsitati alendi fœtus ſubſeruit, ideoq; fluere tantiſper deſinit, dum infans ablactatur. Ab hac neceſsitate liberi ſunt uiri, cui omnis eſt muliebris ſexus ſubiectus. Deinde in eo quoq;, quòd uia hæc mulierum in ſenectute, hoc eſt, ætate ad generandum inhabili, prorſus deſinit, ut illa deſinente, manifeſtum fiat, ceſſaſſe tempus pariendi. Sic deprehenditur in re immunda manifeſtum diuinæ prouidentiæ argumentũ ab illis quib. omnia opera Dei ſacroſancta & admiranda uidentur. Non debet homo ſapientiã Dei ſuſq; deq; facere, præſertim in alimentis primordiorum noſtrorum declaratam.

Res immunda uerecundè circumloquenda eſt.

Prouidentia Dei in fluxu mẽſtruo

B *Et riſit Sarah intra ſe, dicens: Poſtquam ſenui erit mihi uoluptas? Et dominus meus ſenex eſt.*] Principiò notandum eſt, quòd non ſimpliciter dicit, Et riſit Sarah: ſed addit בקרבה, id eſt, intra ſe. Sic riſit & Abrahã. Admonemur hoc exemplo, alienum eſſe à ſanctis, ut more ſtultorum clara uoce rideant, quamcunque tandem ob cauſam ad ridendum permoueantur. Sic Eccleſiaſtici 21. legimus: Stultus exaltat uocem ſuam ridendo, uir ſapiens uix tacitè ridet. Quare probandus non eſt riſus impotentior & profuſior, quem refugit Baſilius in Aſceticis, intemperantiæ & animi ſignum eſſe dixit, cuius motus non ſint repreſsi. Placidus uerò riſus quo ſubridendo animi ſignificatur lætitia, nihil habet indecori, nihil etiam peccati, ſi fiat in cauſa nec impia nec inhoneſta.

Sancti modeſtè rident.

Deinde obſerua quòd Sarah intra ſe ridendo dicit, Poſtquam ſenui, erit mihi uoluptas? Vides quomodo pĩ & cordati homines, quid ætatem ſuam deceat uel dedeceat conſiderent, ridiculumq; iudicent, ſi quid ipſis præter ætatis ſit decorum faciendum. Dicat itaq; homo ſenex: Poſtquam conſenui, ad motum ſtultorum & adoleſcentium ineptiam? Poſtquam ſenui, inquit, erit mihi uoluptas? Admonemur ac prauo ſtudio deputandũ, ſi ſenes libidinẽtur. Voluptas naturalis carni noſtræ diuinitus indita eſt nõ ad prauam & uanam libidinem, ſed ad genituram ac generis noſtræ propagationẽ. Damnabilis igitur eſt, ſi ſit uel intẽ peſtiua ante uel poſt annos genituræ deputatos uſurpata, uel illegitima ac uaga adſcortationes & adulteria tranſlata, uel in ipſo quoq; matrimonio intemperans & immoderata.

Cogitet quælibet ætas quid ſe deceat, uel dedeceat.

Studium uoluptatis non conuenire ſenibus.

Tertiò. Et dominus meus ſenex eſt. uel, Et domino meo ſeni. Locũ hunc uſurpauit Petrus in priore ſuæ epiſt. cap. 3. ubi coniugibus præſcribit, ut doceat mulieres exemplo hoc Saræ, quieto ac modeſto ſpiritu, non extrinſecq; ornatu obedire maritis ſuis. Sic enim, inquit, aliquando ſanctæ mulieres in Deum ſperantes ſeſe ornabant proprijs maritis ſubiectæ, ſicuti Sara obediebat Abrahæ, dominũ eum uocans. Vide quomodo ex eo ꝙ Sarah Abrahamũ dominũ ſuum uocanit, argumentũ colligat obedientiæ, ſigni ficans fruſtra uocari dominũ, cui iuſta denegatur obedientia. Cogitemus quid debeamus ei, quem quotidie, idq; publica religionis profeſsione, uocamus Dominum noſtrum. Luc. 6. dicit: Quid uocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico? Et Malach. 1. Si ego Dominus, ubi eſt timor meus?

Exemplum maritatis proponendum.

OBSERVATIO VII.

Et dixit Dominus ad Abraham: Quare riſit Sarah uxor tua? dicens: Num uerè paritura ſum, quum ſenuerim? Numquid Deo difficile eſt quicquam? Iuxta conditum reuertar ad te ſecundum tempus uitæ, & habebit Sarah filium.] Primùm obſerua, quòd angelos Dei nõ latent ea quæ Sarah occultè & intra ſe fecit. Quomodo abſcõdemus à Dño ipſo cordiũ noſtrorũ ſecreta, quãdo quæ in abdito facimus & cogitamus, angelos illius nõ latẽt. Deinde uide modeſtiã in angelo. Nõ euocat Sarã, coramq; increpat, ſed parcẽs muliebri pudori, expoſtulat cũ Abrahamo, dicens: Quare riſit Sara uxor tua? Sic parcebat Saræ, & ſimul Abrahæ fidem confirmatiõrẽ reddit. Nam cauſa illa quæ agebat, non ad Saram duntaxat, ſed ad Abrahamũ quoq; pertinebat. Haud quidem prudentię fuerit, ſi quis omnia mulierũ uitia et ſecreta ad maritos illarũ

Si angelos ſecreta noſtra non latent, quanto minus Deũ ipſum?

deferre uoluerit: uerùm ubi sic peccat mulier, ut reprehensio illius prosit etiam marito, satius est, uitium non secretò, sed coram marito reprehendere.

Incredulitas nulla ratione excusatur.

Tertiò. Quare risit Sarah uxor tua, inquit, dicens: Num uerè paritura sum quum senuerim? Qui interrogat hoc pacto: Quare riserit Sara, satis indicat risum illius nulla posse ratione defendi. Atqui istatim ratio illius in uerbis Saræ expressa est, quæ angelus ipse recitauit, eaq; talis, ut uix possit firmius aliquid in mediũ adferri. Num uerè paritura sum, cum senuerim? inquit. Ipsa natura rationẽ Saræ cõprobat, quæ nõ admittit, ut mulier prouectæ ætatis, cui muliebria per ætatẽ defierunt, cõcipiat & pariat. Et hanc rationẽ humano iudicio tam firmam, cõmuniq; naturę cursu cõprobatam reijcit angelus, cũ instat & urget, Quare nam riserit Sarah. Consequi ita q;, ubi credendũ est diuinis oraculis, non esse rationem ullam tam naturalem, tamq; communi mortalium sensu comprobatam, quæ incredulitatem nostram coram angelis Dei, nedum coram ipso Domino excuset.

Plus culpæ in risu est, quàm in incredulitate.

Quartò. Obserua q non dicit, Quare nõ credit Sara uerbis meis? sed, Quare risit Sarah? Si credidisset, haudquaq; derisisset. Ergo risus ille risus erat incredulitatis. Poterat itaq; rectissimè dicere: Quare non credit Sara uerbis meis? Quod maluit dicere: Quare risit Sarah, q̃, Quare nõ credit Sara, haud est præterrationẽ factũ. Plus culpæ erat in risu, q̃ in incredulitate Saræ. Quòd si cõsideratione senectutis suæ credere nõ poterat, q esset paritura filiũ, risum tñ cohibere poterat. Culpabile est, nõ credere oraculo diuino. Verũ culpabilius adhuc est, & admodũ damnabile, si derideamus etiã, quæ credendo omniũ cupidissimè, & summa cũ gratiarũ actiõe amplecti debebamus. Magna cæcitas humani cordis est, qua homo animalis non percipit ea quæ sunt Dei. Hanc uerò superat etiam illa temeritas, qua tanquam stulta deridemus, quæ uerbo Dei proponuntur. Cauenda est ista temeritas studiosissimè. Si senserimus aliquid incredulitatis in corde nostro, clamemus ad Dominum, ac dicamus: Domine succurre incredulitati nostræ: non derideamus quæ credere uel non possumus, uel ægrè possumus.

Verba mutauit angelus, spiritum uerborũ retulit.

Quintò. Nec illud transeamus, q uerba ridentis Saræ recitaturus, non dicit: Quare risit Sarah, dicẽs, Postquam senui, erit mihi uoluptas? ad quem illa modum fuerat loquuta: sed, Quare risit Sarah dicens: Num uerè pariam, cum senuerim? Pro eo quod dixerat, Erit mihi uoluptas, substituit, Num uerè pariam? Verbum uoluptatis in uerbum pariendi mutauit. Spiritum uerborum, in quo nihil erat indecori, retinuit, uerba mutauit. Vide modestiæ & studiosæ honestatis exemplum.

Ratio rationem retundit.

Sextò. Num Deo, inquit, difficile est quicquam? Ratio ratione excluditur, humana cœlesti. Humana erat, qua Sarah dicebat, Num anus paritura sum? Cœlestis uerò: Num Deo difficile est quicquam? In omni scriptura tres sunt rationes primariæ ac summariæ, quibus prorsus excluditur, quicquid fidei uerbo Dei debitæ aduersatur. Sumuntur illæ à bonitate, ueritate, ac patientia Dei. Bonitas est, qua libere eligit, uocat, & promittit. Veritas, qua fit ut fallere nesciat. Potentia, qua fit ut nullis possit obstaculis impediri, quo minus promissa præstet. Vicissim tres sunt humano cordi rationes, quibus impedimur, ne facilè credamus. Prima est, non esse hanc uoluntatem Dei, ut uelit nobis talia. Secunda, etiamsi promittat, nõ manere illũ in sententia, sed facile mutari. Tertia, etiamsi uelit, nõ posse tñ stare promissis. In tertia hæ rebat Sarah. Quare in contrariũ infert angelus: Num difficile est Deo quicquã? Sit itaq; studiũ nostrũ, ut cõtra rationes nostras fidei aduersarias, cõtraria ex scripturis S. argumenta habeamus in promptu.

Indubitatũ esse debet, Deo nihil esse difficile.

Septimò Et illud animaduerte, q non simpliciter dicit, Deo nihil est difficile: sed cum instãtia, Num quid Deo difficile est quicquam? usurpat ergo angelus rationem hanc omnipotentię Dei pro maxima: eaq; tali, de qua nemo mortaliũ dubitare debeat. Ad hunc enim modum ea solemus instando obijcere, quæ omnium mortalium consensu pro certissimis habentur, & quibus contradicere non licear.

Nõ esse Deo difficile uerbum.

Octauò. Obserua quod in Hebræo dicit, היפלא מיי״ם דבר: id est, Nunquid difficile est à Deo uerbũ? Sumitur quidẽ uocula דבר sæpenumero pro re aliqua, causa & negotio: uerũ quoniã hic agitur de certo oraculo Dei, cum Sarah non credebat, eo q impossibile uideret, conuenientius esse arbitror, ut legamus, Nunquid difficile est à Deo uerbum? Admonemur hic potissimũ ualere argumentũ omnipotẽtiæ Dei, ubi de eo quod in uerbo Dei promittit, dubitatur. Non cõuenit ut extra uerbũ Dei de omnipotentia Dei argumentemur, & per illam quiduis affirmemus: sed hic demũ firmũ est argumentũ de illa sumptũ, ubi quod probandũ sumitur, uerbo Dei est expressum. Voluntas & potentia Dei non sunt separandæ. Vbi non est d. uoluntatis testimoniũ in illius uerbo, ibi impertinẽter omnipotẽtia illius citatur. Dñs noster in cœlo existẽs nõ quiduis, sed quicqd uoluerit facit. De uolũtate illius sine uerbo, pnũciare nõ possumus.

Exemplum clementiæ Dei.

Nonò. Iuxta condictũ, inquit, uita comite, reuertar ad te, & habebit Sara filiũ. Obserua clementiã Dei exemplũ. Poterat dicere, Non est Sara digna cœlesti gratia, quã nõ credit, sed deridet. Verũ condonans muliebri imbecillitati, quicquid id erat peccati, manens in ꝓposito, dicens: Reuertar ad te cõdicto tẽpore, & habebit Sara filiũ. Sic solet clementia Dei facile ignoscere ijs qui cæteris sunt uel sexu uel intellectu, uel uiribus inferiores.

OBSERVATIO VIII.

Honesti, ac uerecundi animi exemplum.

Negauit Sarah, dicens: Non risi. erat enim perterrita. Et dixit, Non: sed risisti,] In eo quòd perterrita fuit, honesti ac uerecundi animi uides exemplum, à quo perfrictæ frontis mulieres prorsus sunt alienæ. Vbi nõ est timor, ibi non est pudor: ubi pudor non est, ibi nulla est honestas.

Egressus pudoris excessus.

Deinde, considerandũ & illud est, q territa negauit, dicens: Nõ risi. Erat hic pudoris & uerecũdiæ excessus. Bonus pudor præsertim in muliebri sexu, uerũ excessus ille culpabilis est, quo præ impatientia pudoris & cõfusionis cõtra cõscientiã quod uerũ est negat. Pudor sit facere ac dicere q̃d nõ decet, nõnegare q̃d est factũ. Si præ pudore timebat, non debebat factũ negare, & culpam superaddere culpæ.

Tertiò

Tertiò. Non, inquit angelus, sed risisti. Obserua quid Saræ ridenti ac neganti acciderit. Probrũ negando non diluit, sed duplicauit. Quod ridendo peccauerat, & confitendo delere poterat, negando ac mentiendo cumulauit, atq; ita in mendacio deprehensa est, quę angelum Dei quasi mendacia dicentem deriserat. Admonemur præsenti exemplo, ne unquam derideamus quæ nondum intelligimus. Deinde ne sic peruersę uerecundemur, ut quod deliquimus contra conscientiã negemus, ne erga homines quidem nedum erga Deum, ne non solũ in facto culpabili, sed & in mendacio deprehensi confundamur. Tertiò, non esse tacendum, si quis in peccato deprehensus peccatum suum negando tegere uoluerit, sed friuolam negationem constanti assueratione reprimendam.

Probrum Saræ negando non diluit sed auxit.

Quartò, in eo quod nihil regessit Sarah, sed obticuit, uidemus ingenium piorum, qui etsi per infirmitatem peccant, & peccatum negando celant, ægrè tamen in eam prolabuntur pertinaciã, ut quod falso negare cœperunt, pertinaciter & deierando negent. Petrus quidem tale quid Christum negando admisit: uerùm rarum delictum amaris statim lachymis ipse est detestatus & abominatus. Reperias hodie, qui etiam in ius uocare non dubitant, & ad palinodiam adigere eum, à quo propter certum & indubitatum peccatum corripiuntur.

Ingeniũ piorum.

Cum ergo surrexissent inde uiri, direxerũt oculos contra Sodomã, & Abraham simul gradiebatur deducẽs eos. Dixitq; Dñs: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum, cum futurus sit in gẽtem magnã, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quod præcepturus sit filijs suis, ac domui suę post se, ut custodiant uiam Dñi, & faciant iudicium ac iusticiã, ut adducat Dñs propter Abrahã omnia quæ loquutus est ad eum. Dixit itaq; Dñs: Clamor Sodomorum & Gomorræ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendã & uidebo utrum clamorem qui uenit ad me, opere compleuerint, an non est ita, ut sciã. Conuerteruntq; se inde, & abierunt Sodomã.

B

LECTIO.

Contra Sodomam.] Græcus addit, λαὰ γομόῤῥας, quod in Heb. non est.

Num celare potero.] In Heb. est המכסה אני: id est, Num celans ego. Græcus, μὴ λιῤῥῶ ἐγὼ, id est, Num celabo ego. Græcus addit, Seruum meum: quod in Heb. non est.

Cũ futurus sit in gent. mag.] In Eb. est ראברה חיר יהיה לגוי גדול. i. Et Abrahã essendo erit in gen. mag.

Ac robustissimam.] In Hebræo est ועצומה, id est, Et fortem. Græcus legit, λαὰ πολὺ: id est, Et multum.

Scio enim.] Hebræus habet כי ידעתיו: id est, Quoniam noui eum.

Vt custodiant.] In Hebræo est וישמרו, id est, Et custodient, pro וישמרו. Et Græcus sic legit, λαὰ φυλάξ ῃ, id est, Et custodient.

Vt adducat Dominus propter Abraham.] Hebr. habet על אברהם, id est, super Abrahã. Sic legit & Græcus, ἐπ' ἀῤῥαάμ.

Quæ loquutus est ad eum.] In Hebræo est עליו, id est, Super eum. Vterq; interpres Græcus & latinus pro עליו, id est, Super eum: legerunt אליו, id est, Ad eum:

Clamor Sodom. & Gomorrh. multiplicatus est.] Hebræa sic habent: Clamor Sodom. & Gomorrhæ quoniam multus, & peccatum eorum quoniam graue est ualde. Græcus legit πεπλήθυνται πρός με: id est, Multiplicatus est ad me, uel coram me. πρός με, non est in Hebræo. Ordo lectiõis Hebraicæ hic est: Quoniam clamor Sodomæ & Gomorrhæ multiplicatus est, & quoniam peccatum eorum graue est ualde, descendam, &c.

Descendam.] In Hebræo est ארדה נא, quod quidam uertunt, Descendam nunc. Aliàs uocula נא obsecrandi significationem habet, quæ hic nõ quadrat. Posset reddi, Descendam tandem. Græcus uertit per εἰῶ, id est, Igitur.

Verum clamorem qui uenit ad me, etc.] Hebræa sic habent: An secundum clamorem ipsorum qui uenit ad me, fecerint consummationem, & si non, cognoscam. Chald. paraphr. sic uertit, An secundum clamorem qui uenit ad me fecerint, & faciam cum eis consummationem, uel exterminationem.

EXPLANATIO.

Tres sunt hospitalitatis partes. Prima inuitationem, secunda acceptionem ac tractationem, tertia dimissionem peregrinorum continet. De duabus prioribus hactenus egit Moses: iam tertiam subijcit, exponens quomodo angelos Abrahã post refectionẽ à se dimiserit, & quæ in ea dimissione cõtigerint.

Et surrexerunt inde uiri, inquit, & uerterunt se uersus Sodomam, &c.] Post cõuiuium accingunt se angeli ad itineris suscepti prosequutionẽ, quòd Moses surgendi ac uertendi uel tendendi uerbis expressit. Addit etiam, quo nam profecturi starent, uersus Sodamam inquit.

Et Abraham ibat cum eis ad dimittendum eos.] Non solum reficiendi sunt peregrini, sed & honorificè dimittendi, ac aliqua saltem itineris parte deducẽdi. Hæc est comitas, ad ueram pertinens hospitalitatem. Quare & hanc Abraham sedulò præstitit, non dimittens hospites suos ad fores tabernaculi, sed ambulans cum eis ac deducens eos.

Dixitq;

Dixitq; Dominus, Num celabo Abrahamum, quæ gesturus sum, &c.] Narrat ea quæ Abrahæ in deductione peregrinorum contigerunt. Habent illa reuelationem non solum causæ Sodomitarũ & Gomorrhæorum, sed & ipsorum angelorum, qua cognouit Abraham, quos peregrinos homines esse putauerat, esse angelos Domini, ad supplicium de Sodomitis sumendum missos. Sunt autem duæ reuelationis huius partes. Prima causas habet, ob quas uoluerit angelus Abrahamum non celare negocium, quod erat exequuturus. Altera negocium ipsum exprimitur ac reuelatur. Ad primam pertinent ista: Et dixit Dominus, Num celabo Abrahamum quæ facturus sum? Et Abraham essendo erit in gentem magnam, &c. Apparet ista dixisse angelum non ad Abrahamum, sed uel intra se, uel ad reliquos duos angelos, audiente Abrahamo. Non dicit, Haud celabo: sed, Num celabo Abrahamum. q.d. An sic discedam ab Abraham, ut, ne sciat quales habuerit hospites, & causam ob quam adsumus prorsus ignoret? Non faciã hoc, non potero illum celare quæ facio. Deinde confirmij huius rationes adijcit, primam ab ijs sumptam quæ Abrahamo erant singulari fauore Dei destinata: alteram ab ijs quæ ipse Abraham pro pietate sua erga Deum uicissim erat facturus. Primam sic exprimit:

Et Abraham essendo erit in gentem magnam ac robustam, & benedicentur in illo omnes gentes terræ.] Q.d. Cum tanta illum gratia ac beneuolentia prosequar, ut constituerim eum patrem multitudinis gentiũ, & usq; adeò benedicturus sim, ut in eo cunctæ nationes terræ benedictionem sint consequuturæ, quomodo potero illum celare quæ iam sum facturus? Illud, Essendo erit, idem est, atq; omnium certissimè erit. Ad alteram pertinent ista:

Quoniam noui eum quòd præcepturus sit filijs suis, ac domui suæ post se, ut custodiant uiam Domini, &c.] Q.d. Et præterea utile est, ut reddatur Abraham gnarus cor filiorum ac factorum meorum. Etenim sic mihi notus est, ut sciam eum filios ac posteros suos in uia Domini eruditurum, ut faciant iudiciũ & iustitiam, ne quæ loquutus est super ipsum Dominus, si improbè egerint, irrita reddantur.

Possunt ista etiam sic exponi: Num celabo Abrahamum quæ facio? q.d. Absit, cum sit amicus. Deinde ut præcedentia oracula de multiplicatione ac benedictione seminis illius confirmet, asseuerando dicit, Et Abraham essendo erit: id est, certò futurus est in gentem magnam & robustam. Et ut causam cerebitudinis huius exprimat, addit: Quia noui eum q̃ sit præcepturus filijs suis post se, ut custodiant uiam Domini, ad faciendum iustitiam & iudicium. Quare adducet Dominus super Abrahamum, quæ loquutus est super eum. Custodire autem uiam Domini, est seruare iustitiam & iudicium: hoc est, iustè ac recte uiuere. Hebræus satis indicat, non esse aliud custodire uiam Domini, & aliud facere iustitiam & iudicium, cum dicit: Vt custodiant uiam Domini, faciendo iustitiam & iudicium. B

Dixit itaq; Dominus, Clamor Sodomorum & Gomorrhæ quia multus, &c.] Pertinent ista ad alteram reuelationis partem, & continent negocium exequendum, quod se angelus Abrahamum non celaturum dixit. Hæc autem sic est effatus angelus, ut ad Abrahamum sese conuerterit, tanquam singularia quædã illi reuelaturus, priusquam ab eo discederet. Credibile autem est pluribus uerbis usum esse angelũ, quibus clamorem ac peccatum Sodomitarum exactius expenderit: uerùm Mosi uisum est breuẽ hanc summam ponere, propterea quòd ipsum peccatum Sodomorum unà cum supplicio in sequentibus abundè satis erat manifestum futurum.

Quod uerò dicit, Descendam & uidebo utrum secundum clamorem qui uenit ad me, cõpleuerint, an non, ut sciam: humano quidem more loquitur, uerùm sermo ẽ sic temperat, ut facilè fuerit Abrahæ, ex eo quod dicebat, uenisse ad se clamorem Sodomorum, præsentiam intelligere angelorum.

Conuerteruntq; se inde, & abierunt Sodomam.] Intellige de duobus angelis, qui capite sequenti Sodomã ad uesperam uenisse memorantur. Nam tertius, qui loquebatur post horũ discessum aliquantisper cum Abrahamo constitit, sicuti sequentia docent.

QVAESTIO I.

Num celabo Abrahamum quæ facio?] Quoniam ista demum sunt ab angelo dicta, cum essent ab Abrahamo comiter dimissi, & aliquousq; à tabernaculo illius ad iter susceptum deducti, quæsierit quisquis, quare non fiant potius dicta sub arbore statim post oraculum de semine ex Sara nascituro, ut & illa cum Ismaele ac reliquo famulitio audire posset.

Respondeo: Non est hoc temerè ac præter rationem factum. Primùm nolebant ea angeli audente Sarah & famulis proferre, unde manifestum fieret, quòd essent non homines, sed angeli cœlestes: sed seruauerant illa ad solius Abrahæ conscientiam reuelanda. Hominibus minus huiusmodi uisionib. angelorum assuetis terribile est, si præsentiam cœlestis spiritus cognoscant. Quare satius est, ut intelligãt adfuisse quidam adesse angelum Dei Gedeon, Iudic. 6. & parentes Simsonis, Iudic. 13. plurimum consternati fuerunt, ubi cognouerunt loquutum esse ipsis angelum Domini. Timebant enim, ne moriendum ipsis esset, propterea quòd uidissent angelum Dei. Quare sic dispensarunt præsentiam suam tres isti angeli, ut donec essent hospites & conuiuæ Abrahæ, pro peregrinis haberent etiam ab ipso Abrahamo.

Deinde, erat competens diuinorũ oraculorum dispensatio, ut quæ futurum Saræ partum concernebant sic proferret, ut à Sarah audirentur, quandoquidem in ea causa adhuc hæsitabat, immo incredula erat re. Aqua uerò soli Abrahæ reuelaret, qui episcopus erat, & præceptor domus suæ. Ergo, meo iudicio, duabus hisce de causis uoluerunt angeli reuelationem hanc referuare ad articulum, usquequò valedicendum erat Abrahæ, qui ipsos non ad fores tabernaculi sui dimisit, sed aliquousque comitaturus ac deducturus erat.

Nouã

QVAESTIO II.

Noui enim eum quòd præcepturus sit filijs suis ac domui suæ post se, ut custodiant uiã Domini, &c.] Nascitur hic quæstio, quare non dicat angelus: Noui enim quòd custodiat uiam Domini, faciendo iusticiã & iudiciũ, cum id uerissimè dicere posset: sed, Noui eum, quòd præcepturus sit filijs suis ac domui suæ post se, ut custodiãt uiã Domini, &c. Reperias qui satis præcipiant suis de seruanda pietate ac iusticia, ipsi uerò nihil præstent eorũ quæ præcipiũt. Quàm aũt sit facilius de custodienda uia Domini loqui ac præcipere, quàm in uia Domini ambulare, iusticiãq; & iudiciũ facere, quis adeò est stupidus qui ignoret? De uirtute loqui minimũ est, inquit ille: uirtutibus uti, hoc Samsonis opus, &c. Quare id potius in Abraamo prædicandũ fuisse uidet q̃d præstantius erat ac maius, q̃ quod omniũ est iudicio inferius ac leuius. In prõptu respondeti potest. Loquebat angelus nõ de priuata iusticia Abrahæ, sed de certitudine multiplicationis ac benedictionis seminis eius, quam illi fuerat Dominus aliquoties pollicitus. Hanc certò futurã dicebat, eo q̃ posteri eius præceptis illius admoniti iusticiã erant & iudiciũ facturi. Vnde & subiecit: Quare adducet Dominus super Abraham omnia quæ est super eum loquutus. Licet Abraham uias Domini custodierit, iusticiamq; & iudicium fecerit, haud tamen erant illius posteri promissam multiplicationis benedictionẽ consecuturi, si præcepta illius neglecta uia Domini contempsissent. Quare conuenientius erat ut diceret: Noui eum, quòd præcepturus sit filijs suis ac domui suæ post se, ut custodiant uiam Domini, &c. quàm, Noui quòd custodiat uiam Domini, &c.

Quare non dicat: Noui enim quòd custodiat uiam Domini.

OBSERVATIO I.

Et surrexerunt inde uiri, ac direxerunt oculos uersus Sodom.] Ergo subuersores Sodomæ ac Gomorrhæ è domo & conuiuio Abrahæ Sodomã contenderunt. E domo iusti exitium malorũ & impiorum profectũ est. Ea res dubio procul haud adeò bonã gratiam conciliauit Abrahæ apud uicinos eius loci incolas. Cogitemus hic quid sit esse uicinum iustis. Ex mansionibus iustorũ plurimã potest ad uicinos peruenire utilitas, si illa uoluerint uti: si uerò contempserint, & in impietate perseuerauerint, q̃ è uicino paratum erat bonum, tam est è uicino promptũ exitium. Qui uicinus est iustorũ, uicinus est angelorũ, per quos ad bonos omnis generis beneficentia, ad malos uerò maledictio ac perditio prouenire potest.

E domo iusti profectum est malorum exitum.

OBSERVATIO II.

Et Abraham ibat cum eis, ut dimitteret eos.] Tres sunt hospitalitatis partes, sicut & suprà memini. Alacriter inuitare, liberaliter accipere ac tractare, & comiter deducendo dimittere. Hæc omnia præstitit Abraham diligentissimè. Admonemur, seruandum ac præstandum esse hospitalitatis officiũ ad finem usq;, ut sit plenum & perfectũ. Quemadmodum enim ad perfectam orationis dispositionẽ pertinet, ut cum primis auditoris obtineatur beneuolentia, deinde in tractatu causæ cõpetenter edoceatur, & afficiatur, tertiò, non abruptè, sed conuenienter dimittatur, ita ad perfectam hospitalitatem tres supradictæ partes requiruntur. Quare ueteres non modò duas priores, sed & posteriorem tertiam studiosissimè hospitibus suis præstiterunt, deducentes eos, cùm propter uiarum ignorantiam, tum propter securitatem: & præterea, ut ostenderent se non abijcere eos, sed sic dimittere, ut si fieri posset, diutius eos retinere secum mallent. Sic enim animata est charitas, quæ ægrè ab amico diuellitur.

Officium hospitalitatis ad finẽ usq; præstandũ.

OBSERVATIO III.

Et dixit Dominus: Num celabo Abrahamum quæ facio?] Obserua ingeniũ amicitiæ. Nescit illa celare secretum erga cõscientiã amicorũ. Quare licet uerbum, Potero, quod interpres latinus posuit, reddens, Num celare potero Abraham quæ facturus sum, in Hebræo non sit: ipsa tamen ratio locutionis, per interrogationẽ positæ, idem in se cõtinet, ac si diceret: Num fieri potest, ut celem Abrahamũ quæ facio? Est ergo ueræ amicitiæ nota, ubi est secretorũ cõmunicatio. Sic Christus discipulos suos Ioan. 15. uocauit non seruos, sed amicos: addẽs rationẽ ac dicẽs: Quia quæcũq; audiui à patre meo, nota feci uobis. Signũ hoc ueræ amicitiæ impressum est mẽtibus fidelium, qui uerè cũ Paulo dicere possũt: Oculus nõ uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quæ præparauit Deus his qui se diligũt. Nobis aũt reuelauit Deus per spiritũ suũ. Itẽ: Quis cognouit sensum Dñi? aut quis instruxit eum? Nos uerò sensum Christi tenemus, 1. Cor. 2.

Nullum secretũ absconditum, ubi est amicitia.

OBSERVATIO IIII.

Et Abraham essendo erit in gentem magnam, & benedicentur in eo omnes gentes terræ.] De utraq; hac particula uide suprà cap. 12. circa principium capitis.

OBSERVATIO V.

Quoniã noui eum quòd præcepturus sit filijs suis post se, ut custodiant uiam Domini, faciendo iusticiam & iudicium. Quare adducet Dominus super Abraham quæ loquutus est super eum.] Principiò animaduertendũ est, refricari & cõmemorari ab angelo, quæ Abrahã aliàs & credebat & faciebat. Quod dicebat, Et Abrahã essendo erit in gentẽ magnã & benedicenẽ in eo omnes gentes terræ: aliquoties iam antea erat ipsi diuino oraculo promissum, & fide acceptũ. Quod uerò subiunxit, Quoniã noui eũ q̃d præcepturus sit filijs suis post se, &c. idipsum iam sedulò faciebat. Ergo tam nõ est præter rationẽ, si quæ iam credimus & facimus, iubinde in aures nostras repetantur ac refricenẽ, ut idẽ sit audiente Abrahamo angelica sedulitate quod & credendo & faciendo pergamus: profectò nec Abraham hac opus habebat refricatione, & planè fructũ. Si non habemus opus ut quæ credimus, subinde audiamus: & quæ facimus, frequenter inculcẽtur, fruſtranea erat angeli diligentia. Sed absit, ut uel angelus fecerit rem inutilem, uel in fide nos ac studio pietatis confirmatiores esse putemus, quàm eum qui pater erat fidelium populorum constitutus.

Vtiliter refricantur & inculcantur etiã ea quæ credimus alioqui & facimus.

Deinde obserua, quod nõ simpliciter dicit, Quoniã noui q̃ præcepturus sit filijs suis, &c. sed, Quoniã

Quales sumus, talia facimus ex animo.

noui eum, quòd præcepturus sit filijs suis. Sic non solum dicit quid illum facturum sciat, sed & unde id sciat. Multa fiunt à nobis, quæ nos angeli facturos esse sciunt. Fiunt aũt alia alias ob causas, & respectibus diuersis. Quæ tamen ex animi sententia fiunt, ob id fiunt à nobis, quod tales talia, boni bona, mali mala facimus. Si scias aliquem esse natura auarum, de illo rectè dixeris, Noui hunc hominẽ, quod nihil cuiquam daturus sit gratis. Rursus, si scias hominem esse bonum ac philadelphum, ex hac illius cognitione facilè pronunciare ac dicere poteris: Noui hunc hominẽ, quòd ex animo sit benefacturus egenis. Cognitio hominis annexam habet operum illius præscientiã. Qualis enim quisq; est, talia dicit ac facit.

Pater præceptor est filiorum suorum.

Tertiò. Quod præcepturus sit, inquit, filijs suis. Ergo sacra scriptura patrẽ constituit filiorum suorũ præceptorem, in eo quòd exemplum huius proponit ac prædicat in Abrahamo. Ad præceptorem aũt requiritur authoritas, fides & sapientia. Authoritas, cuius respectus inferiorẽ mouear ad obtemperandum: fides, qua fideliter quæ utilia sunt præcipiantur: sapientia, qua necessitas eius intelligatur cui præcipitur. Hæc omnia requiruntur in eo, cui cõpetit ut sit præceptor.

Quæ requirantur in præceptore.

Competit autem cuiuis parenti, ut sit authoritate præditus, fidelis, ac sapiens. Authoritatem illi conciliat non modò prærogatiua generationis & educationis, sed & lex Dei præcipiens filijs, ut parentes suos habeãt in honore & precio. Fidelem reddit parentẽ admiranda prouidentia Dei, quæ parentibus naturaliter hunc indit animum, ut liberis suis cupiant esse quàm consultissimum. Sapientia cum primis libero Dei dono, deinde disciplina, usu, exercitio, & experientia rerum acquiritur, ut sciat pater utrunq;, tam quid prosit quàm quid obsit filio. Quod si deficit pater in cognitione rerum ac sapientia, curandum est ut id incommodi sarciat, peritiorum magisterio subdens filium.

Affectus paternus.

Quartò, nec illud transeundum est quod dicit: Post se. Notatur hic affectus ille paternus, quo curat patri quomodo filius non modò dum ipse in uiuis est, sed & post mortẽ suam uiuat. Prædicat hoc angelus de Abrahamo. Verùm, bone Deus, quàm paucos hodie reperias, qui tam sint soliciti quomodo post se rectè & honestè uiuant filij, quàm curant, ut amplam illis hæreditatem relinquant, qua post obitum ipsorum splendidè & ociosè delicientur. Curant scilicet ut post se multa habeant filij, non curant præcipiendo & instituendo, ut opibus rectè & honestè sciant uti.

Primarium præceptum parentũ de custodienda uia Domini.

Quintò. Vt custodiant, inquit, uiam Domini. Multa sunt quæ Abrahã dubio procul filijs suis Ismaeli & Isaaco præcepit, & quisq; parẽs liberis suis rectè præcipere & potest & debet: uerùm angelus hoc unũ de Abrahamo hic prædicauit, q; præcepturus esset filijs suis, ut custodirent uiam Domini. Admonemur hic primarium esse præceptum, quod proponere debeant filijs suis parentes, ut custodiant uiam Domini. Ab hoc nanq; cætera pendent omnia. Vnde & Christus dixit: Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur uobis. At uæ nostræ socordiæ. Quod primarium est indubitatò, apud paucos uix ultimo habetur loco, à cæteris prorsus negligitur.

Metaphora uiæ.

Præterea obserua metaphoram uiæ. Vt custodiãt, inquit, uiam Dñi. Via est, qua itur de loco ad locũ, idq; crebrò ac frequenter, sic ut ex uestigijs euntiũ appareat esse uiam tritam & usitatã. Transfertur uox ista ad quotidianũ uitæ nostræ studium & exercitiũ. Sic uia Domini est, studiũ & exercitiũ nostræ secundum uoluntatẽ ac placitum Dñi institutũ. Admonemur hac metaphora, quale debeat nobis esse studium uitæ, ad uoluntatem Dei comparatæ. Tale uidelicet, ut uia uocari possit non nostra, sed Dñi.

Coniunctio uerborum custodiendi & faciendi. Iudicium & iusticia.

Sextò: Faciendo, inquit, iusticiã & iudiciũ. Perpende primũ coniunctionem uerborũ custodiendi & faciendi. Ea demũ uera est custodia, quæ adiunctũ habet faciendi studiũ, nõ quæ in sola cognitione, memoria, & sermocinatione consistat. Sic Dauid Psal. 106. Beati, inquit, qui custodiunt iudiciũ, & faciunt iusticiã omni tẽpore. Deinde obserua coniunctionẽ iudicij & iusticiæ, quæ in S. scripturis frequenter coniunguntur. משפט, quod ferè uertũt iudiciũ, significat id quod quemq; pro statu uel cõditione uel officio suo decet, rectumq; est & æquũ. Infrà 40. legit במשפט הראשון, id est secundũ consuetudinẽ, uel officiũ pristinũ. Item Exod. 21. במשפט בנות, id est secundũ morem filiarũ faciet ei צדקה. id est iusticia, est proximi bitas animi, qua nemini malè, omnibus bene uolumus, nec ulla in re nostris cõmodis magis q; proximi studemus, immò iure nostro neglecto plura damus, q; quisq; iure petere possit. uide Psal. 51. Sic facere iudiciũ & iusticiã, est facere q̃d æquũ est, & probitati ac bonitati studere in omnibus, *recht vnd fruntlich handlen* cũprimis erga Deũ tum etiã erga homines: non amicos tantũ & notos, sed & inimicos & ignotos. Tertiò considerandũ est, quod studiũ hoc faciendi iudiciũ & iusticiã uocat uiam Dñi. Vt custodiant, inquit, uiam Dñi, faciendo iudiciũ & iusticiã. Non audis hic quicq; de cultu Dei, qui ceremonijs & ritibus externis constet, quales postea sub Mose populus Israel multas accepit, sed omnis custodia uiæ Dñi uitæ rectæ ac probæ deputat. Ergo temporibus Abrahæ & postea ad Mosen usq; uerus cultus Dei fuit credere Deo, timere & obseuare Deum, diligere Deũ, ab illo non deficere, diligere proximũ, ex æquo & bono agere cũ omnibus. Etiã tempore legis hunc cultũ Dei prophetæ à populo legis cõtentiosissimè requisiuerũt, ac manifestè docuerunt, nõ ceremonias à Deo spectari, sed custodiã & studiũ iudicij & iusticiæ. Sic Micheæ 6. legimus: Quid dignũ offeram Dño? Curuabo genu Deo excelso. Nunquid offerã ei holocautomata & uitulos anniculos? Nunquid placari potest Dñs in millibus arietũ? aut in multis milibus hircorũ pinguiũ? Nunquid dabo primogenitũ meum pro scelere meo, fructũ uentris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi, ò homo, quid sit bonũ, & quid Dñs requirat à te. Vtiq; facere iudiciũ, diligere bonitatẽ, & humiliter ambulare ante Dñm Deum tuum. Ergo hic est unicus & perpetuus Dei cultus, ante legẽ, sub lege, post legem, custodire uiam Domini, faciendo iusticiã & iudicium. Quare decepti ores sunt, quotquot cultum Dei ceremonijs, sacrificijs ac ritibus externis alligant, quæ quidem si à

Via Domini est facere iudicium & iusticiam.

Vnicus est & perpetuus cultus Dei ante legem, sub lege, & post legem.

Deo

A Deo præscripta sint, exercitia quædam habent ad alendam fidem, spem, charitatem, innocentiã uitæ, iustitiam, & æquitatem, &c. in quibus uerus Dei cultus consistit, pro ipso aũt cultu Dei habenda nõ sunt.

Septimò. Quare adducet Dñs super Abrahã, quæ locutus est super eum. Vide, unde colligat angelus certitudinem eorum quę de Abrahamo prædicauit dicens: Et Abraham essendo erit in gentem magnã, & benedicẽtur in eo omnes gentes terræ. Duo recensuit: Studiũ Abrahæ, & uerbum Dñi dictum super Abrahã. Dñs promisit, Abraham credidit, & posteros suos ad custodiam uiæ Dñi post se instituit. Ex hisce duobus collegit angelus certò futurũ, ut adducat Dominus super Abrahamũ, quæ super illũ iam antea locutus erat. Ergo primum quidem locum habet uerbum diuinæ promissionis, quod prȩcedit omne nostrum studium, requirit tamen illius adimpletio etiam id quod secundarium est, & nos concernit, custodiam uidelicet uiæ Dei, sine qua compotes eorum quæ promissa sunt euadere haudquaquam poterimus. Paratam gratiam offert diuina promissio. Custodia uię Dei capaces reddit cœlestis gratiæ. Vbi hæc coniunguntur, certò affirmari potest, adducturum Deum quæ super nos est locutus.

Certitudo de promissis Dei.

Obserua etiam locutionem. Adducet, inquit, Dominus super Abraham quæ locutus est super eum. Poterat dicere, Faciet Dominus quæ promisit Abrahæ. Verùm significantius uerbum adducendi posuit. Etenim quæ in promptu sunt ac parata, rectius adduci quàm fieri dicuntur. Sunt autem corã Deo in promptu quæcunq; promittit, etiamsi non statim præstentur. Habent certi temporis dispensationẽ, quo adducuntur & implentur, ab eo ipso qui promisit. Rursus,

Adducit Dominus quæ locutus est.

Adducet Dominus, inquit, super Abraham. Atqui cũ ea adduceret Dominus, iam olim ex hac uita migrauerat Abraham. Quomodo igitur adduxit ea super Abraham? Quæ posteris Abrahæ contigerunt, ipsi Abrahæ contigisse dicuntur. Sic benefit mortuis in illorũ posteros. Quæ locutus est, inquit, super eum. Duo sunt locutionum Dei genera. Vnum, quo penes se constituit aliquid. Alterũ, quo consilium suum oraculo aliquo aperit & exprimit. Prima locutio prædestinationis certitudinẽ, altera promissionem habet qua quod prædestinatum est manifestatur. Vtraq; locutus est Deus, primùm super Abrahamum, consilia gratiæ suæ statuens: deinde ad Abrahamum, quod statuerat promittens. Igitur, quoniam abscondita sunt æterna illa decreta diuinæ Maiestatis, cauendum est, ne de illis quicquam præter secundam locutionem, hoc est, expressa promissionum illius eloquia affirmemus.

Benefit mortuis in illorum posteris.

Duo genera locutionum Dei.

OBSERVATIO VI.

B *Et dixit Dñs: Clamor Sodomæ & Gomorræ quia multiplicatus, & peccatũ eorum quia grauatum est ualde.* Quod uocẽ clamoris attinet, considerandum est duplex esse clamoris genus. Vnũ, iniquitatis, nequitiæ, & maliciæ, ubi cœpit esse enormis. Alterum, oppressorũ & afflictorum. De primo genere loquitur hic angelus. Ipsa iniquitas & enorme scelus Sodomorum clamabat ad Dominũ, hoc est, ultionẽ diuinam exposcebat. Sic sanguis Habelis ad Deum pro ultione clamauit. De altero genere multi sunt loci in scripturis. Clamant afflicti & oppressi siue pij sint siue impij. Vtrorumq; clamor uenit ad Deum tanq; iudicem omniũ. Pij clamãt ad Dominũ pro auxilio. Impij clamãt præ angustia mentis. Et licet ad Dñm, quẽ non cognoscunt, non clamẽt, sicut pij, ascendit tamen clamor illorũ ad Dñm, ad quẽ in uniuersum omnis omniũ mortalium necessitas, tanq; ad cõmunem omnium conditorẽ ac Seruatorem, reipsa pertinet. Itaq; contra tyrannos & oppressores innocentũ geminus clamor ad Deum ascendit. Ipsa illorum iniquitas clamat pro uindicta. Deinde clamant oppressi & afflicti pro liberatione.

Duplex clamoris genus.

Deinde obserua quod Sodomitis tribuit non simpliciter clamorẽ & peccatũ, sed multiplicatũ & aggrauatum. Ergo non erat peccatum illorum recens, semel atq; iterũ admissum, ac leue: sed inueteratum, usitatum, & irremissis uicibus, impudentia & impœnitentia quasi mole quadam grauatum. Qua in re duo sunt consideranda. Vnum, quanta sit patientia Dei, quæ tandiu tam impudenter & enormiter peccantes pertulit. Alterũ, quanta sit excæcati animi peruersitas, qua fit ut patientia ac lenitate Dei ad impœnitentiam abutantur impij, causasq; sumant peccatum cumulandi & aggrauandi. fuerant pauloante Sodomitarum res per reges Orientales magna calamitate uastatæ, & beneficio Dñi per Abrahamũ restitutæ: uerum nihil effecerunt ad resipiscentiam, tam calamitates ab hostibus illatæ, quàm clementia Dei per Abrahamũ in immeritos collata. Patientia Dei ad pœnitentiam inuitat peccantes Rom. 2. Verùm hanc sic contemnunt impij, ut securius peccando & pergendo mensuram nequitiæ suæ impleant, & iram Dei aduersum se cogant.

Peccatum Sodomorum inueteratũ prædicat patientiam Dei.

Tertiò, nec illud transeundũ est, quod non dicit, Et peccata eorũ in plurali: sed in singulari, Et peccatũ eorum aggrauatũ est ualde. Dubio procul nõ uno tantũ peccatorũ genere peccabant Sodomitæ, sed sceleribus flagitijs ac delictis innumeris. Verũ inter hæc omnia singulare quoddã erat peccatũ, q̃d cæteris enormius, & peculiariter ipsorũ dici poterat, eo q̃d peculiariter ab illis perpetrabaẽ. Multa sunt cõmunia peccata, quæ reperire licet passim apud omnes nationes & populos. Interea sunt cuiq; genti sua peculiaria, quæ rectè ipsorũ peccata uocanẽ. Cretenses. tribuit Apostolus ista peculiaria, q̃d semper mentiãtur, sintq; malæ bestiæ ac uentres pigri. Sic Sodomia, turpissimũ illud ac conspuendũ scelus erat Sodomitis propriũ ac peculiare. Sic Germanis nostris nõ immeritò tanq; illis propria & peculiaris tribuitur ebrietas, quæ homines transformat in bestias, & in multa flagitia cõijcit. Hoc Germaniæ nostræ peccatum sic creuit, & quotidie crescit in immensum, ut extinctus sit omnis pudor nõ uirilis modò, sed & mulieb̃ris: nihilq; restet aliud, quàm ut deploratũ malum insigni quadam ultione Dei uisitetur ac tollatur.

Peccatum Sodomitarum erat illis peculiare.

OBSERVATIO VII.

Descendã, & uidebo utrum secundum clamorẽ qui uenit ad me, fecerint consummationẽ, & si non, cognoscã.

De iudicio & ultione Dei.

Conuerteruntq; se inde, & abierunt Sodomam.] Obserua de iudicio & ultione Dei. Duo exprimũtur. Vnũ clamorẽ & peccatũ Sodomorum ualde fuisse multiplicatum & aggrauatum. Alterum, descendisse angelos, ut uiderent & cognoscerent, num Sodomitæ peccatũ suum ad consummationẽ usq; perduxissent, nec ne. Ergo non descenderũt, ut uiderent, num multus esset clamor & graue peccatũ Sodomorum, id quod iam tum anteq̃ descenderent abundè sciebant, & pronunciabant: sed ut uiderent & cognoscerent, num ad consummationem usq; peccassent. Sciebant & illud. Verùm sic loquentes docent nos, tantã esse patientiã Dei, ut etiamsi multiplicetur peccatũ & aggrauetur admodum, expectet tamen pœnitentiã,

Dupliciter consummatur peccatum.

donec peccatũ ascenderit ad ipsam usq; consummationem. Est aũt consummationis huiusmodi duplex consideratio. Vna, qua ipsius peccati in se consideratur enormitas, exuberantia, & plenitudo. Habet ista locũ tam in uno peccante q̃ in multis, quando peccatũ omni pudore amisso, gradibus suis excreuit, & circunstantijs aggrauatũ, perq; impœnitentiã sic prorsus est factũ deploratum, ut nulla sit amplius expectanda resipiscentia. Exempli gratia: Truculentia & contumacia Iudæorũ, qua semper, teste Stephano, Act. 7. spiritui sancto restiterunt, magnũ erat & enorme peccatũ. Illud tandẽ ad consummationẽ perductum est, & mensuræ suæ plenitudinem obtinuit, quando post cædes prophetarũ etiam ipsum Christũ filium Dei & Apostolos Christi occidere præsumpserunt. Antea contumelijs affecerunt, deinde occiderunt etiã seruos, tandem misso filio dicebant: Hic est hęres, uenite occidamus eum, ut maneat nobis hæreditas. Sic implebant mensurã peccati sui, & ultionẽ Dei aduersum se cogebant. Altera est, qua peccatũ aliquod in multitudine sic inualescit, ut iam non paucos aliquos, aut multos etiam, sed prorsus omnes corruperit & infecerit. Hæc est catholica peccati consummatio & plenitudo, quando uterq; uirorum ac mulierum sexus, omnis ætas, puerorum, adolescentum, iuuenum, uirorum ac senum, omnes status, magistratuum, subditorum, sacerdotum, dominorum, seruorum, maritorum, uxorum, uirginum, uiduarum, &c. denicq; omnes personæ peccato aliquo inuoluuntur, ut dici possit: Omnes declinauerunt, facti sunt inutiles, non est qui faciat bonum, ne unus quidem: quo peccatum eidololatriæ in Papatu catholicũ factum, plenitudinẽ & consummationẽ consecutũ est. Sic peccatũ Sodomorũ catholicũ & consummatũ erat. Nam ut cap. seq. legimus, uiros ciuitatis à puero ad senẽ usq;, omnem populũ inde à terminis ciuitatis uallasse domum Lot, ac clamasse, Vbi sunt uiri qui introierũt ad te nocte? Educ illos huc, ut cognoscámus eos. Vtraq; aũt peccati consummatio maturitatem adfert diuinæ ultionis.

Non esse statim iudicandum secundũ clamorẽ.

Deinde obseruandum est, quod humano more loquitur, dicẽs: Descendam & uidebo & cognoscam, utrum secundũ clamorem qui uenit ad me, fecerint, nec ne. Descendere, uidere, cognoscere, argumentũ habet, non esse iudicandũ secundum clamorẽ, sed secundũ certam cognitionẽ & experientiã causæ. Qui nouit omnia, dicit se descendere ad uidendum & cognoscendum. Quid quæso faciendum non est illis nescientibus? fallantur qui ut homines sunt, ita per ignorantiã & intempestiuã credulitatẽ frequenter falli possunt.

Quid sit uidere & cognoscere Dei.

Tertiò, possumus etiã hoc loco uidere, quid sit uidere & cognoscere Dei. Si homo descenderit ad uidendum & cognoscendum, ad hoc fit, ut certam causæ cognitionẽ ipse acquirat, ne finistrè de re incomperta iudicet. Vbi Deus descẽdere, uidere & cognoscere dicit, intelligendũ est, idem esse atq; manifestare ac cõpertũ facere alijs, quod ipsi omniũ est iam antea cognitissimũ. Angeli isti sciebãt, q̃ essent Sodomitę corrupti ac deploratũ uerũ ad hoc missi erãt à Deo, ut certissimo ac manifestissimo experimento cõpertum redderent omnibus, peccatũ illorũ ad summũ euasisse fastigiũ, & abundè ad suppliciũ & exitiũ maturuisse, quo sequutura ultio ad fines usq; mundi à nemine posset reprehendi. Neq; enim hoc tantũ agit Deus, ut iudicet iustè, sed ut iusticiam iudiciorum suorũ manifestam etiam atq; indubitatã reddat.

Abrahã uerò adhuc stabat corã Dño, & appropinquãs ait: Nunquid perdes iustũ cũ impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt ne simul, & nõ parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? Absit à te ut rem hãc facias, & occidas iustũ cũ impio, fiatq; iustus sicut impius. Nõ est hoc tuũ qui iudicas omnẽ terram. Nequaq̃ facias iudiciũ hoc. Dixitq; Dñs ad eum: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittã omni loco propter eos. Respõdit Abrahã, & ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dñm meũ, cũ sim puluis & cinis. Quid si minus quinquaginta iustis quinq; fuerint, delebis propter quadraginta quinq; uniuersam urbẽ? Et ait: Nõ delebo, si inuenero ibi quadraginta quinq;. Rursumq; locutus est ad eũ: Si aũt quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait: Non percutiã propter quadraginta. Ne quæso, inquit, indigneris Dñe, si loquar: Quid si ibi inuenti fuerint triginta? Respondit: Nõ faciã, si inuenero ibi triginta. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dñm meũ. Quid si ibi inuẽti fuerint uiginti? Ait: Non interficiã propter uiginti. Obsecro, inquit, ne irascaris Dñe, si loquar adhuc semel: Quid si inuẽti

inuenti fuerint ibi decem? Dixit: Non delebo propter decẽ. Abijt Dñs postquam ceſſauit loqui ad Abraham, & ille reuerſus eſt in locũ ſuum.

LECTIO.

Peribunt ne ſimul.] In Hebræo ſic habetur, התאף תספה, id eſt, an perdes? uel, an exterminabis? Græcus de ſuo adiecit pronomen relatiuum. Sic enim reddidit: ἀπολεῖς ἃ μετ' αὐτῶν, id eſt perdes ne eos, quinquaginta uidelicet iuſtos.

Non eſt hoc tuum.] Interpres uarietati ſtudens, uocem חללה quã reddit paulo ſuprà, Abſit, hic uertit, Non eſt hoc tuum.

Qui iudicas omnem terram. Nequaquam facias iudicium hoc.] Hebræus ſic habet: היעשה משפט חשופט כל הארץ לא, id eſt, An qui iudicat totam terram, non faciet quod æquum eſt? Latinus uerò interpres & male reddidit, & coniuncta malè diuiſit חשופט, id eſt an iudicans, uertit ſine nota interrogationis, quam habet litera he: & quod uel participialiter uel in tertia perſona reddendũ erat, reddidit in ſecunda perſona, Qui iudicas. quare coactus etiã eſt quod ſequitur לא יעשה, id eſt, nõ faciet, uertere in ſecunda perſona, Nõ facies. Deinde particulã illam, An qui iudicat omnem terrã, coniunxit præcedentibus חללה לך, id eſt abſit à te, acreddidit: Non eſt hoc tuum, qui iudicas terram. Vnde compulſus etiã eſt quæ cõnexa ſunt diuidere, & quod per interrogationem dictum eſt, per modum reddere dehortationis. Connexa ſunt iſta: An iudicans terram non faciet quod eſt æquum? Ille ſic diuiſit, ut poſteriorẽ particulam uerterit ſeperatim. Non facias iudiciũ hoc, cum pronomen Hoc non ſit in Hebræo, quod coactus eſt de ſuo adijcere: quoniã abſurdum uidebatur, ſi uerteret ſimpliciter, Ne facias iudiciũ. quæ dehortatio non modò iniquum, ſed & in uniuerſum omne iudicium auferret illi qui iudex eſt omnis terræ. Sic coguntur de ſuo adijcere, qui quod ſimpliciter ſcriptũ inueniunt, aut malè diuidunt, aut malè uertunt. Græcus quoq; uertit, ὁ κρίνων πᾶσαν τὴν γῆν οὐ ποιήσεις κρίσιν, id eſt qui iudicas omnẽ terrã, nõ facies iudicium? In eo tantũ peccauit, q; tertiã perſonã mutauit in ſecundã. Nec Germanicus interpres melius uertit q; Latinus.

Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis.] In Hebræo ſic habetur: ראנבי חחלתי לדבר אל אדני הנה נא הואלתי לדבר אל אדני, id eſt, Ecce obſecro, cuperem loqui ad Dominum meum, at ſum puluis & cinis. Interpres uertit uerbum תואלבי quod ſignificat חפץ uel רצה, id eſt cuperem uel uellem, per uerbũ incipiendi, quaſi ſit תחלבי: & addidit uoculam, Semel, quæ in Hebræo nõ eſt: & לדבר, id eſt loqui, per, Loquar. Græcus ſic uertit, νῦν ἠρξάμην λαλῆσαι πρὸς τὸν κύριόν μου.

Delebis propter quadraginta quinq;, &c.] Hebræus habet התשחית בחמשה, id eſt num delebis propter quinq;. Beth litera poſita eſt pro בעבור, id eſt propter. Quadraginta non ſunt in Hebræo, ſicuti nec in Græco, nec in pleriſq; latinis exemplaribus.

Si aũt quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies?] Illud, Quid facies, nec in Hebræo eſt, nec in Græco.

Non percutiam.] Hebræus habet לא אעשה, id eſt nõ faciã. Græcus reddidit: οὐκ ἀπολῶ, id eſt nõ perdã.

Ne quæſo indigneris Dñe ſi loquar.] In Hebræo eſt: Ne quæſo indignetur Dñs meus, uel, ne moleſtum ſit Domino meo, & loquar. Græcus ſit uertit: Μή τι κύριε ἐὰν λαλήσω: Num quid eſt Dñe, ſi loquar.

Quia ſemel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum.] In Hebræo perinde hic eſt, ut ſuprà. Græcus uariauit. Reddidit enim, Ἐπειδὴ ἔχω λαλῆσαι πρὸς τὸν κύριον, id eſt, Quoniam habeo loqui ad Dominum: pro, quoniam facultas data eſt ut poſsim loqui ad Dominum.

Non interficiã propter uiginti.] In Hebræo eſt: לא אשחית, id eſt, nõ perdã. Sic & Græcus, οὐμὴ ἀπολέσω.

EXPLANATIO.

Hactenus expoſuit Moſes, quomodo dimiſerit Abraham hoſpites ſuos angelos, & aliquouſq; comitando deduxerit: deniq; quomodo in ipſo ueluti articulo ualedictionis cauſam Sodomitarũ ex reuelatione angeli cognouerit: iam cõſequenter, quoniam diligens lector deſiderare poterat, quid nam Abraham ad reuelationem cauſæ Sodomiticæ reſponderit, etiam hac dere ſubijcit dicens.

Abraham uerò adhuc ſtabat coram Dño, & appropinquans ait, &c.] Cũ audiſſet de Sodomitis ex angelo, intelexiſſetq;, pro ſpiritus ſui prudentia, imminere illis catholicũ & omnimodum exitium, conſtitit primùm tanquam cogitabundus & nonnihil attonitus: tandem uerò concepto intercedendi pro Sodomitis conſilio, acceſsit propius, ac dixit:

Num perdes iuſtum cum impio?] Propoſitũ Abrahæ erat, multitudini Sodomorũ miſericordiã & ſalutẽ impetrare à Dño. Iam quia peccatũ illorũ nec in dubiũ uocare, nec extenuare, multo minus defendere poterat, ac dicere, Forſan non eſt uerus clamor qui ad te uenit: uel peccatũ eorum tam enorme non eſt, uideſicet. Quoniã intelligebat uniuerſalem & omnimodam exterminationẽ imminere Sodomitis, cogitat haud eſſe credibile, nõ inueniri in tanta multitudine hominũ aliquot iuſtos, præſertim cũ inter eos habitaret Lot. Horum prætextu interpellationem ſuam ſic orditur: Num perdes iuſtum cum impio? Q.d. Non puto. Atqui futurum hoc eſt, ſi omnes indiſcriminatim perdantur, modò nulli prorſus in tota ciuitate ſint iuſti. Sic argumentari incipit ab eo quod cõmuni ſenſu uidetur eſſe iniuſtum, exordiũ ſumens à norma iuſticiæ, quæ ferre non poteſt ut iuſti puniantur ac perdantur cum impijs. Deinde ſubdit:

Si fuerint 50. iuſti in ciuitate, an exterminabis, & non parces loco illi propter quinquaginta iuſtos, ſi fuerint in eo?] Duæ ſunt uiæ, quibus caueri poteſt, ne perdantur iuſti cum impijs. Vna eſt, ſi pereuntibus impijs à perditione illorum iuſti eximantur & conſeruentur, ſicut accidit Noe & Lot. Hæc eſt uia iuſticiæ,

quæ sic punit ac perdit reprobos, ut seruet iustos. Altera est, quãdo propter iustos sic parcitur impijs, ut nec illi, nec isti perdantur, sed cõmuniter omnes seruentur. Ea uia misericordiæ est. A priore quidem cœpit Abraham, dicens: Num perdes iustum cum impio? ad posteriorem uerò intercessionẽ suam collimauit, nõ hoc duntaxat agens ut nepotem suum Lot, sicuti nonnulli putant, cum reliquis iustis, si qui inter Sodomitas essent, ab imminenti exitio eriperet, sed ut uniuersæ multitudini misericordiã à Deo impetraret. Ideo non dicit, Si fuerint 50. iusti in ciuitate, an exterminabis illos cum reliquis? sed, An exterminabis, & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo. Atqui poterant iusti educi, sicut Lot. Verũ dissimulat illud, & uniuersalem exterminationem hoc nomine deprecatur, ne unà cũ impijs perdant & iusti, si qui in ciuitate essent, quo propter iustos reliquæ multitudini misericordiã impetret.

Absit à te, ut rem hanc facias, & occidas iustũ cũ impio, fiatq; iustus sicut impius. Absit hoc à te. An qui iudicat omnẽ terrã, non faciet quod æquũ est?] Vrget argumento iusticiæ & æquitatis, deinde & officio iusti iudicis. Alienum est, inquit, ab officio iusti iudicis, præsertim eius cuius est omnẽ iudicare terram, ut perdat iustũ cum impio. Tu uerò iudex ille es totius terræ. Quare absit à te ut hoc facias. Et præterea in se quoq; iniustum est, si non alia habeatur ratio iusti, quàm impij. Hisce uerbis non discedit à proposito, sed in id incumbit, ne tota multitudo generaliter perdatur, sed iustorũ habeatur ratio, si qui in illa ciuitate essent, quo propter iustos parcatur & reliquis. Et hoc uocat iusti iudicis משפט, uidelicet, sic habere rationem iustorum, ut tam non perdat iustos cum impijs, ut potius parcat impijs propter iustos.

Dixitq; Dñs ad eũ: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, remittã omni loco propter eos.] Annuit quidem angelus petitioni Abrahæ, uerùm secundum conditionem ab illo propositam. *Si inuenero*, inquit, Sodomis quinquaginta iustos, &c. Loquitur humano more. Abundè sciebat non esse Sodomis iustos præter unicũ Lot. Verùm ne argumento æquitatis, quod urgebatur ab Abrahamo, & petitioni misericordiæ propter iustos impijs impertiendæ, reluctari uideretur, ad hũc modũ annuere uoluit.

Ecce obsecro, uellem loqui ad Dominum meum, at sum puluis & cinis. Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint, delebis ne propter quinq; unuersam urbem.] Quoniam inueniebat non audiendi tantum, sed & exaudiendi ac consentiendi beneuolentiam, sumpta fiducia pergit adhuc plusculum gratiæ pro perituris Sodomitis petere. Timebat, ne fortè non inuenirentur inter Sodomitas 50. iusti, ideo descendit ad minorem numerum, uidelicet 45. facit autem hoc non sine modestia & uerecundia, metuens ne fortè temerarium uideatur, si homo puluis ac cinis non simpliciter loqui cum Domino, sed post impetratum semel beneuolentiæ assensum adhuc plura petere ausit. Ideo, ut quicquid hic temeritatis admitti uidebatur obsecrando, sedeq; corã Domino humiliando mitigat, dicit: Ecce, obsecro, cuperẽ loqui ad Dominum meum, at sum puluis ac cinis. Q.d. Noui hmilitatem ac tenuitatem meam, ac cõtrà, tuam mãiestatem considero. Sentio quàm possit uideri temerarium, si adhuc plura petam à Domino meo. Vellem tamen adhuc aliquid loqui cũ Domino meo. Etenim metuo, ne fortè non inueniantur in ciuitate 50. iusti, sitq; adeò pereundum omnibus tam iustis quàm impijs, si nolis pauciorum iustorum quàm 50. habere rationem. Quare, dic quæso, si desiderabuntur quinq; iusti ad quinquagenarij numeri perfectionem, es ne propter defectum quinq; iustorum uniuersam perditurus urbem? Vide, non immediatè descendit ad numerum quadragenarium, sed tentat primùm in numero quinario, ut modestiam ac uerecundiam quam uerbis expresit, etiam petendo prę se ferat. Habent Hebræi hoc loco suas cogitationes, quas Lyranus citat ex Shlomone, uerùm non probat.

Et ait: Non delebo si inuenero ibi 45.] Non delebo, inquit, intellige, uniuersam urbẽ, de qua uidelicet instabat Abraham, dicens: Delebis ne propter quinq; uniuersam urbem?

Rursum locutus est: Si aũt quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait: Nõ percutiã propter quadraginta.] Adhuc subuerecundus, quinq; duntaxat numero præcedenti detrahit. Respondet angelus: Nõ percutiam propter quadraginta. Hoc est: Non percutiã uniuersam multitudinẽ, sed parcam propter quadraginta. Duo sunt, percutere multitudinẽ, & ppter aliquos percutere. Negat angelus prius, nõ posterius. Hoc est, negat se percũssurũ multitudinem, & addit rationẽ, propter quadraginta, inquit, iustos, non negat se propter quadraginta iustos percussurum. Nam si hoc negaret, nõ responderet petitioni Abrahæ, neq; enim promitteret se nolle simpliciter percutere, quũ hoc tantũ promitteret, & nollet propter iustos percutere. Quare sic distinguenda sunt hæc uerba: Non percutiam, sed parcam propter quadraginta.

Ne quæso, inquit, indigneris, Dñe, si loquar. Quid si ibi inuenti fuerint triginta? Respondit: Non faciã, si inuenero ibi triginta. Vellem, inquit, loqui ad Dñm meũ: Quid si ibi inuenti fuerint uiginti? Ait, non interficiã, propter uiginti. Obsecro, inquit, ne irascaris Dñe, si loquar adhuc semel. Quid si inuenti fuerint ibi decem? Dixit: Non delebo propter decẽ.] Postquã tertiò consensum reperit, timens ne in tanta populi malicia non inueniantur 40. iusti, descendit usq; ad triginta, deinde ad uiginti, tandem ad decem. Vbiq; autem iram Domini deprecatur, & petitionem suam qua iam per denarium numerũ descendere incipit, humili obsecratione acceptabilem reddit, dicens: Ne, quæso, indigneris Domine, si loquar. Item: Vellem adhuc loqui ad Dominum meum. Q.d si citra illius indignationem fieri possit. Et obsecro ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel. Q.d. Si annueris etiam hac uice, non petam amplius, sed quiescam.

Abijt Dñs postq; cessauit loqui ad Abrahamũ, & Abrahã reuersus est ad locum suum.] Quò angelus iste abierit, non memoratur à Mose. Reliquos duos uenisse Sodomã, in principio cap. sequentis uidebimus.

QVAESTIO I.

Vnde collegerit Abraham imminere Sodomitis exitium.

Nunquid perdes iustum cum impio?] Poterit hic quæri, unde collegerit Abraham, imminere Sodomitis exitium

exitium, cum de illo nihil meminerit Dominus, sed duntaxat ad uidendum se descendere dixerit, num secundum clamorem qui ad se uenerat, fecerint, nec ne.

Respondendum est, etiamsi nulla facta sit expressa futuri exitij mentio, potuisse tamen Abrahamum ex eo quod intelligebat, adesse Sodomitis uisitationis tempus, simul intelligere, adesse illis etiam tempus diuinæ ultionis. Neq; enim uisitat & inquirit Deus more hominum ut cognoscat, sed ut uel suos liberet, uel impios impleta iam mensura malitiæ puniat ac perdat. Quare uisitationis diuinę tempus pijs est liberatio, impijs uerò perditio. Sciebat hoc Abraham, nec ignorare poterat, peccatum Sodomorum excreuisse in immensum, nec fieri posse ut uisitante illos Domino impunè euaderent, quare facillimum fuit colligere quid futurum ipsis esset. Quòd si rex quispiam regni sui ciuitatem, quæ diu deplorate in maiestatem ipsius peccarit, inuisurum se, & omnia illius facinora cogniturum dicat, quis non ciuitati illi exitium imminere intelligat, præsertim si & regis animum in rebelles, & ciuitatis eiusmodi incorrigibilem rebellionem non ignoret? Consimili modo fine ullo negocio intelligunt fideles, toti mundo extremum imminere exitium in die uisitationis, quæ futura tandem est, ubi Christus cœlitus descenderit, ut orbem iusto iudicio iudicet.

QVAESTIO II.

Si fuerint 50 iusti in ciuitate, perdes ne, &c.] Quæsierit hic quis q̃, quare interpellationẽ suã Abrahã ad certos iustorũ numeros, uidelicet 50. 45. 40. 30. 20. & decem composuerit, cũ simpliciter dicere posset: Si fuerint iusti aliqui in ciuitate, perdes ne, & non parces loco illi propter aliquos iustos? Videtur eñ uoluisse præscribere Deo, cui, dubio procul, maior est cognitio & cura iustorum q̃ ulli mortalium. *Quare certos numeros iustorum proposuerit Abraham.*

Respondeo: Alienus erat Abraham ab ea temeritate, ut Dño prescriberet. Quòd aũt certos quosdã iustorũ numeros proposuit, factum est sollicitudine quadã pro liberandis Sodomitis, quos arbitrabat nõ dum sic esse deploratos uniuersos, quin aliquis inter illos reperiretur adhuc iustorum numerus, propter quẽ clementia diuina omni reliquæ multitudini parcere posset. Et quia probabilius est, propter plures q̃ propter paucos iustos eam obtineri posse misericordiam, orsus est à pluribus, & paulatim ad paucíores descendit: eoq; petitionem suam deduxit, ut sciret, si decem iusti reperirentur Sodomis, propter illos reliquæ multitudini fore parcendum. Poterat quidem uno uerbo dicere: Si pauci aliqui iusti fuerint in ciuitate, an, ppter illos nõ parces omnib. reliquis? Verùm quoniã certi aliqd obtinere cupiebat, & gratiã diuinæ misericordię cũ sollicitudine quadã & uerecũdia ambiebat, ad hũc interpellationis modũ cõfugit, q̃ quasi gradatim ac pedetẽtim ad numerũ pauciorẽ, cui prę pudore nihil adimere auderet, deueniret. Pius erat at interim etiã homo cũ esset, humana ratione ac diligẽtia cũ Deo egit: id q̃d illi facile cõdonabat. Deinde & hoc quærendũ uidet, quales nã iustos intelligat, cũ dicit: Si fuerint 50. iusti in ciuitate, per des ne, &c. an quoscũq; homines: senes, paruulos: uiros, mulieres: famulos ac famulas &c. ab eo peccato de quo loquebatur angelus alienos, uel duntaxat patresfamilias in hunc numerum referat. Si priore sensu loquutus est, mirum uideri potest qũo non sint decem iusti in tanta multitudine inuenti, in qua dubio procul haud modicus fuit numerus senum, ægrotãtium, stultorum, & paruulorũ, qui peccato illi haud quaq̃ erant obnoxij. Si propter decem iustos uoluit Dñs parcere toti Sodomæ, iusti uerò intelligendi sunt non ij qui perfectè sint iusti, ac nulli peccato obnoxij, sed qui hactenus iusti sint, ut alieni sint à grauissimo illo & enormi Sodomorum peccato, qũo non præstitit Dñs, quod Abrahæ per angelum suum promisit: Quare ad præsentem quæstionem, meo iudicio, respondendum est, aut intelligendum esse Abrahamum non de quibusuis hominibus loqui, sed de patribusfamilias tantum, iuxta consuetudinem scripturæ, quemadmodum ad Noe dixit Dñs, Ingredere in arcam tu & omnis domus tua. Te nanq; uidi iustum coram me in generatione hac, cum tamen non solus seruaretur, sed cum illo etiam uxor, filij ac nurus: nec solus iustus esset, sed & Sem filius eius dubio procul corã Deo pro iusto haberet. Sic 2. Pet. 2. Lot etiam iustus à Dño ereptus memoratur, cum quo tamen duæ filiæ & uxor Sodomam sunt eductę, ut dicente Angelo, Non delebo propter decem, intelligamus decem iustos patresfamilias, qualis fuit Lot: aut, si non de patribusfamilias tantum loquutus est Abraham, sed de quibuscunq; iustis hominibus, discriminandũ est inter eos qui timore Dei ac studio pietatis, iustitiæ & honestatis à peccato Sodomorũ & alijs grauioribus facinoribus sese cohibuerũt, & eos qui uel per ætatẽ, uel morbo, uel alio impedimento tales nõ erãt, ut cũ alijs peccare possent, quales erãt infantes, grandæui, senes, fatui, & ægroti. Illi poſſunt dici iusti, isti nequaquam. Quare nõ est respiciendũ hoc loco ad eos q̃ simpliciter alieni erant à peccato Sodomorum, sed ad eos qui cum alijs peccare quidem poterant, uerũm timore Dei, & studio pietatis, iustitiæ & honestatis prohibiti, peccare nolebant. Horum si decem in ciuitate fuissent, arbitror illorum gratia etiam reliquam multitudinem ab exitio fuisse seruatam. *Quales iustos intellexerit Abraham.*

QVAESTIO III.

Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis.] Potest hic quæri, quare nõ dicat angelus, Si inuenero in regione Sodomorũ. sed, Si inuenero qnquaginta iustos in medio ciuitatis. Quid refert corã Deo, ubi locorũ sit iustus? q̃ idẽ est tã corã Deo q̃ in se, siue sit extra, siue intra ciuitatẽ. Potuit Sodomitis parci ppter qnquaginta iustos, in medio ciuitatis existẽtes, qũo nõ potuit, ppter cõmorãtes in agro? An ciuiũ tũ, & nõ etiã agrestiũ rationẽ habet? Respondeo: Absit. Charus est Deo iustus, siue cũ Abrahamo ex tra, siue cũ Lot intra ciuitatẽ habitet. Ciuitatis Sodomorũ meminit Abrahã dicẽs: Si fuerint qnquaginta iusti in ciuitate, nõ excludens reliquas quatuor cũ omni illa regione, sed eã loco illarũ ponẽs quæ erat nominatior metropolis. Et angelus cũ dicit, Si inuenero Sodomis qnquaginta iustos in medio ciuitatis,

primùm non excludit reliquas ciuitates & regionem illarum: deinde nõ sic loquitur, quòd iusti in agro non sint Deo curæ, sed hic est sensus: Si quinquaginta iusti fuerint in medio eius loci, qui extirpandus est, sic ut procedenti generali ultione etiam ipsi cum impijs exitio sint inuoluendi, propterea quòd in medio illorum inueniuntur, parcam potius toti illi loco, quàm ut eos unà cum multitudine impiorum perdam. Hoc sensu loquens significanter dixit: Si inuenero in medio ciuitatis quinquaginta iustos, &c. Si extra ciuitatem loco non subuertendo tot iustos reperisset, non fuisset propter illos parcendum impiorum multitudini, quæ sine iustorum perditione deleri poterat. Perinde ac si quis domum aliquam scelestam quamuis dignã exterminatione & incendio nolit incendere propter paucos aliquos innoxios in medio illius existentes, ne & illos unà cum sceleratis perdat: secus facturus, si innoxij illi extra eam domum agerent.

QVAESTIO IIII.

Quare non descenderit Abraham infra numerum denarium.

Quid si inuenti fuerint ibi decem.] Quæritur hoc loco, quam ob causam factum sit, quòd Abraham infra numerum denarium nõ descenderit, ut diceret: Quid si inuenti fuerint ibi octo? uel quinq; An alligatum putabat esse Deum numero denario, & clementiam illius angustiorem esse, quàm quæ queat propter pauciores multitudini alicui parcere?

Respondeo. Ad hanc quæstionem nõ tam quid certò mouerit Abrahamum, ne pauciores iustos ponderet, quàm unde uerosimiliter sit motus, responderi potest. Possunt autem esse uariæ causæ unde sit motus.

Primùm, uideri potest impeditum fuisse modestia, uerecundia, & pusillanimitate, ne pauciores ponderet quàm decem. Et huius rei specimen in eo satis relucet, quòd priusquàm ad numerum denarium uenisset, tertiò indignationem Dei deprecatus est: ac tandem, cum decem propositurus esset, se adhuc sermel loquuturum esse dixit.

Deinde forsan iudicauit, ubi assensum esset ab angelo ad numerum denarium, nihil amplius superesse periculi, quod arbitraretur Sodomitas non esse usqueadeò cunctos deperditos ac deprauatos, ut in omni illorum multitudine non possent decem inueniri iusti.

Tertiò: potuit etiam indignos iudicare misericordia, qui sic essent uniuersi impij, ut decem iusti homines in medio illorum haud reperirentur.

Quartò, fieri potuit ut exemplo Noe absterreretur, ne ad numerum octonarium, nedum ad pauciorem descenderet. Etenim cum Noe numero octonario non profuisset orbi periclitanti, forsan cogitabat, neq; Lot periclitantibus posse Sodomitis succurrere, etiamsi numerũ octonarium domi suæ adimpleret. Vtra ex hisce causis, uel an simul omnes Abrahamum mouerint, ut in numero denario conquiesceret ac cessaret, certò statui nõ potest. Neq; opus est, ut quicq̃ hic determinemus, cũ uideamus etsi nihil sit in scriptura expressũ, uarijs tñ de causis fieri potuisse, ut nõ descẽderet Abrahã infra numerũ denarũ.

OBSERVATIO I.

Philanthropia sanctorum.

Abraham uerò adhuc stabat coram Domino.] Obiter notandũ est quãti fecerit Abrahã reuelationẽ de Sodomitarũ causa ab angelo acceptã. Haud statim à Dño sese auellit, sed cõstitit corã illo, cũ audisset de peccato Sodomorũ, & duos angelos Sodomã uersus ꝓficisci uideret. Videmus hoc exẽplo quãta sit sanctorũ philãthropia. Sũt humani & philãthropi, mouenť aliorũ periculis, etiã malorũ, haud minus quàm propriorũ. Hodie sic Christiani sumus, ut etiãsi totus orbis extra nostra pomeria ruat ac pereat, ne tantillo quidem compassionis sensu tangamur, modò res nostræ sint saluæ & integræ.

OBSERVATIO II.

De intercessione sanctorum.

Et appropinquauit Abraham, & dixit: An perdes iustum cum impio.] Appropinquauit Abrahã Dño ad intercedendũ ꝓ Sodomitis. Multæ cõsiderationis est hoc factũ Abrahæ. Primùm, nihil pertinebãt ad ipsum Sodomitæ. Deinde audiebat peccatũ illorũ aggrauatũ esse ualde. Tertiò, beneficiũ liberationis antea in ipsos collatũ uidebat malè esse collocatũ. Quartò, audiebat tẽpus uisitationis illorũ esse prę foribus, & tñ usq; adeò cõdolet perituris, ut nõ dubitet ꝓ illis intercedere, & imminẽs exitiũ ab ipsorũ ueluti ceruicib quantũ in ipso erat, auertere. Insignis est hic locus de intercessione sanctorũ, quã nos aduersarij falso negare dicũt. Insanus sit oportet, qsqs hũc affectũ intercedẽdi sanctis, & utilitatẽ periclitãtib. adimit, cũ & cõsimiles alios: id q̃d rectè facerẽt, si docerẽt de intercessione sanctorũ, adhuc in uita ista existentiũ: & q̃ uiui sancti fecerũt in terris, nõ trãsferrent ad eos quorũ ipũs sunt in cœlis. Abrahã adhuc in carne cõstitutus intercessit ꝓ Sodomitis, Moses ac ꝓphetæ frequẽter ꝓ Israele, sicut & Samuel: Paulus apostolus ꝓ Ecclesiis Christi: & adhuc hodie secundũ doctrinã apostolicã faciũt hoc sancti, ut ꝓ periclitãtibus intercedãt, quatenus oratio ꝓ alijs ad Dñm facta intercessio uocari potest. Sic sentiẽtes nõ negamus intercessionẽ sanctorũ, negamus uerò diuorũ, ut quæ nullis euidentib. S. scripturę testimonijs comprobat.

Exemplũ ueræ philanthropiæ.

Vocem, Sãctos, ademerũt uiuis fidelibus, & trãstulerũt ad diuos, quasi nõ habeat sanctos Ecclesia Christi in terris, ut diuos ꝓ sanctis habere cogatur. Deinde, præclaræ philãthropiæ exemplum est, quòd ꝓ Sodomitis, tã sceleste & enormiter peccantibus, ac nondũ resipiscentibus apud Dñm intercedit, quorũ turpissimo facinore magis poterat ad detestãdũ & abominandũ, q̃ ad intercedendũ permoueri. Quã sumus diuersi ab ista philãthropia? Leuissimo quopiam peccato sic offendimur ac nauseam fratrũ contrahimus, ut ad omnes illorũ calamitates haud magis affectu cõmiserationis tangamur, q̃ si illi deplorati dæmones, nos uerò lapides simus insensati. Et istã inhumanitatẽ erga periclitantes prætextu iustitiæ palliamus.

palliamus. O frater, infinito facilius est carni nostræ pharisaicam induere seueritatem, & quosuis pecca tores fastidire ac detestari, quàm exemplo Abrahæ calamitate & interitu illorum ad compassionem & intercessionem commoueri.

Tertiò, animaduertendum etiam est, quòd nõ simpliciter dicit, An perdes uniuersam multitudinem? sed, An perdes iustũ cũ impio? Ergo cogitauit uir optimus, esse adhuc aliquot iustos inter Sodomitas. Arbitrabatur fieri non posse, ut in tanta hominum multitudine quantumuis corrupta, peccatrice & impia, non sint aliqui boni ac iusti homines, quorum habenda sit ratio. Vides animum moderatum & sic humanum, ut non facile spem omnem de mortalibus abijciat. Qui sic animati sunt, ægrè de quoq; mortalium propter quamuis multos malos prorsus damnandam iudicent. Speraut enim perpetuò meliora. Nos uerò unius delicti gratia fratrem prorsus abijcimus, & propter paucos malos uniuersam subinde multitudinem & Ecclesiam quoq; reprobamus. *Sancti non facile desperãt de mortalibus.*

Quartò, nec illud transeundum est, quod non dicit, An perdes nepotem meũ Lot cum Sodomitis? sed, An perdes iustum cum impio? Vir sanctus, quantumuis humanus non tam carnalis cognationis quàm iustitiæ rationẽ coram Deo habenda esse sensit. Venit illi in mentem citius quæ iustorũ quàm quę Lot nepotis sui futura sit calamitas, si tota subuertatur ciuitas. Sic homo iustus cumprimis iustorum, deinde & aliorum rationem habeat. Ordo est affectuum compassionis in ipsa natura, quo fit ut prius misereamur affinium quàm reliquorum hominum tangamur. Habet suum ordinem & pietas, quæ cumprimis afflictionibus iustorum, deinde cognatorum, tertiò etiam alienorum condolet.

OBSERVATIO III.

Si fuerint 50. iusti in ciuitate, an perdes, & non parces loco illi propter 50. iustos?] Obserua, quòd pro miseri cordia perituris Sodomitis impetranda iustos adducit in medium, quorum gratia omni reliquæ parcatur multitudini. Videmus quo loco esse apud Deum censendi sint iusti. Primùm, cum dicit, An perdes iustum cum impio: satis innuit ubi pereundum est impijs, non perdere Deum iustos cum impijs. Deinde subijciens, An perdes & non parces loco illi propter quinquaginta iustos? admonet tanti esse iustos homines coram Deo, ut potius parcat multitudini impiorum propter eos, quàm ut eos unà cum impijs perdat. Nisi hoc loco iustos esse apud Deum credidisset Abraham, haud ista coram angelo protulisset: idq; hoc percontandi, immo magis instandi modo, quo in rebus nostro iudicio certissimis uti solemus. Hac fide præditus erat uir iustus iustitiæ studiosissimus. *Quo loco esse apud Deum censendi sint iusti.*

Deinde, uide ingenium ueræ modestiæ. Erat Abraham utiq; iustus, erat amicus Dei, erat in fœdere cum Deo, erat hospes angelorum, idq; eorum ipsorum cum quibus loquebatur, poteratq; huiusmodi magna ac multiplici prærogatiua fretus pro Sodomitis uicinis suis non aliorum iustorum prætextu, sed suoipsius interuentu ac nomine intercedere ac dicere: Obsecro ignoscas Domine multitudini Sodomitarum mea gratia. Sum illorum uicinus, habeo inter illos nepotem, parce igitur illis meo interuentu. Si te uerè colo, si sum tibi charus, ne deneges quod peto, &c. Verùm nihil horum sumit in animum, sed obijcit Domino iustos homines, si qui adhuc inter Sodomitas agerent, arbitraturq; illorum gratia parcendum esse peccantibus. *Ingeniũ ueræ modestiæ.*

Tertiò consideremus etiam, quales nam iustos obijciat Domino, quorum gratia toti Sodomitarum multitudini parcat. Si fuerint inquit 50. iusti in ciuitate. Qua nam? Sodomorum. Et Dominus ipse: Si inuenero Sodomis, inquit, quinquaginta iustos in medio ciuitatis. At, quæso, quales nam fuissent illi iusti, si qui in medio Sodomorum habitassent? fuissent incircumcisi, alieni à fœdere Dei ac populo sanctorum. Et hoc quoq; iustorum genus Abraham iustus, circumcisus, confœderatus Deo, pater populi sancti, usqueadeò præ se nõ fastidit, ut iudicet eos tanti fieri coram Domino, ut illorum gratia toti impiorum multitudini parci & ignosci possit. Talis iustus erat Cornelius, homo ethnicus, cuius gratia dicebat Petrus Apostolus Act. 10. In ueritate comperi, quòd non sit Deus acceptor personarum, sed in omni gente quisquis Deum timet, & iustitiam operatur, acceptus sit illi. Reperias hodie Christianos, qui putent neminem iustum Deo curæ esse, nisi uiuat in ipsorum Ecclesia. Sic Iudæi ethnicos etiam multo ipsis iustiores, propterea abominantur, quòd non sunt de Ecclesia circumcisorum, quasi non sit maioris coram Deo momenti, esse iustum ac timentem Dei, quàm esse circumcisum carne. Quòd si hoc genus iustorum, qui in medio Sodomæ uiuentes studium iustitiæ & pietatis seruant, rectè inspiciatur, deprehendetur multo pluris esse faciendum, quàm eos qui in medio populi Dei agentes, iudicium & iustitiam faciunt. *Quales Domino iustos obiecerit Abraham.*

Quartò, obseruandũ etiã est, quo numero obijciat Domino iustos. Non dicit, Si numerus iustorũ superet, immo non dicit, Si adæquet numerum impiorum, utpote si in centum Sodomitis sexaginta sint, uel saltem quinquaginta iusti: sed, Si fuerint inquit, quinquaginta iusti in ciuitate. Quantulus uerò numerus est quinquaginta iustorum uniuersæ Sodomorum multitudini collatus, quam credibile est multis aliquot millibus hominum constitisse. Si omnis illa Pentapolitana regio quinquaginta millia hominum complexa est, immo si una duntaxat myriade constitit, propter unum iustum ignotum fuisset mille malis & impijs hominibus, si decem duntaxat iusti in medio Sodomorum fuissent inuenti. Magnum est, si homini propter hominem, uni propter unum, maius si pluribus propter paucos, maximum uerò quòd toti orbi propter unicum Iesum Christum parcitur & ignoscitur, modò in illum tanquam Seruatorem ac mediatorem unicum credamus.

Quintò,

Etiam pro incognitis immo non existentibus orauit Abraham.

Quintò, etiam illud obserua, quòd non dicit: Sunt quinquaginta iusti, sunt 40. sunt 30. sunt 20, sunt decem: sed, si fuerint 50. iusti, si fuerint 40. si fuerint 30. 20. 10. in ciuitate, &c. Ignorabat esse iustos aliquos in ciuitate Sodomorum extra nepotem suum Lot. Quomodo enim sciuisset rem non existentem? Qui non sunt, sciri non possunt. Ergo numeros iustorum proposuit Domino, de quibus nihil habebat certi. Quid putamus fecisset uir sanctus, si certos aliquos iustos in ciuitate Sodomorum cognouisset? Etenim qui sic afficiebatur erga incognitos, immo non existentes, multo ardentius pro notis ac certis intercessisset. Nos uerò sic frigemus, ut ne pro certis quidem & cognitis iustis solliciti simus.

OBSERVATIO IIII.

Abſit à te ut ſecundum hanc rem facias, occidendo iuſtum cum impio, fiatq; iuſtus ſicut impius, abſit hoc à te, An qui iudicat totam terram, non faciet quod æquum eſt?] Principiò conſiderandum eſt, quod ſecundò dicit: Abſit à te. Opera Dei omnium ſunt liberrima, nec eſt ulla noſtra temeritate determinandum quid faciendū illi ſit, quid non ſit. Et tamen niſi eſſent quædam ſic aliena à Deo, ut ſine ulla temeritate uir pius confidenter dicere poſsit, Abſit hoc à Deo, non poſſet excuſari ac defendi Abraham, quòd tam conſtanter dicit: Abſit à te ut ſecundum hanc rem facias. Sunt ergo quædam, quæ Deo uſq; adeò non competunt, ut cōfidenter ſentire ac pronunciare poſsimus, Abſit à Domino Deo noſtro ut hoc faciat. Ea uerò ſunt, quæ iuſtitiæ, ſapientiæ, prouidentiæ, bonitati, ac potentiæ illius palàm repugnant. Vtpote, ſi uideatur facturus aliquid, quod manifeſtā habeat iniquitātē, ſecura fiducia dicere poſſumus cū Abrahamo, Abſit à Deo, ut perdat iuſtum cum impio. Et cum Paulo Rom. 9. An iniquitas eſt apud Deū? Abſit. Et cap. 3. An iniquus eſt Deus qui infert iram? Abſit. Conſimili modo ſi obijciatur de ſapientia, prouidentia ac bonitate Dei, eſſe Deum ſtultum, improuidum ac malum, dicamus conſtātiſsima apagoreuſi, Abſit. Ad uerſum Manichæos dicamus, Abſit, ut author peccati ſit Deus. Huiuſmodi apagoreuſis animum declarat non modò cognitione Dei præditum, ſed & ſyncerè & candidè erga gloriam nominis illius affectum.

Sūt quædā quæ ſcire poſſumus quòd Deo nō cōpetant.

Iuſtitia Dei ferre non poteſt ut ſit iuſtus ſicut impius.

Deinde obſerua quod dicit: Fiatq; iuſtus ſicut impius. Ergo iuſtitiæ Dei repugnat, ſi fiat iuſtus ſicut impius. Non dicit: Abſit à iuſto, ut ſit ſicut impius. Differunt quidem inter ſe iuſtus & impius, ſi conſideres utrorūq; ſenſus, mentem, affectus, ſtudia & opera, non minus q̄ inter ſe diſtant lux & tenebræ, nox & dies, bonum & malum. Et ſecundum hanc differentiam rectè dixeris, Abſit à iuſto ut ſit ſicut impius. Verùm quoniam non de hac differentia iuſti & impij loquitur Abraham, ſed de ea qua aliter tractandus eſt iuſtus à Deo q̄ impius, rectè ad Dominum dixit: Abſit à te, ut fiat iuſtus ſicut impius: uel, ſi magis, ut fiat iuſto, id eſt, facias iuſto, ſicut impio. Differunt ergo iuſti & impij non ſolum inter ſe, tanquam diuerſimodè animati, ſed & corā Deo, tanquàm aliter atq; aliter tractandi, ut conſtet norma iuſtitiæ.

Obijcitur locus Eccleſiaſt. 9.

Sed obiecerit hic quis q̄ illud Eccleſiaſt. 9. Euētus unus eſt iuſti & impij, puri & impuri, ſacrificātis & nō ſacrificātis. Si eadē accidūt iuſto & impio, qūo dicit hic Abrahā ad Dñm, Abſit à te, ut fiat iuſto ſicut impio? Rñdeo: Salomon loquit̄ de conditionib. humanæ uitæ, quibus æquè ſubiecti ſunt iuſti atq; impij. cōſimiliter naſcunt̄, conſimiliter fami, ſiti, morbis, ac morti ſubijciunt̄, ad quē modū homo perinde habet atq; iumentū, ſapiēs ut ſtultus, doctus ut indoctus, iuſtus ut impius. Verùm Abrahā loquit̄ de iudicio, q̄ impios ſine pœnitētia peccātes uiſitat ac perdit. Illud ſingularis eſt prouidentiæ Dei, qua fit, ut impij in hoc ſeculo feliciter, & iuſti infeliciter, iudicio carnis, uiuant, cuius differentiæ meminit Salomon Eccleſiaſt. 8. cū dicit: Sunt iuſti quibus mala eueniunt, quaſi opera egerint impiorū: & ſunt impij, quib. euenit perinde ac ſi habeant facta iuſtorū. Magna hinc tentatio naſcit̄ infirmis mentibus, quā uide Pſal. 73. & hinc occaſionē ſumūt impij, ut uanū eſſe dicāt, ſi qs ſeruiat Domino, Malachiæ 3. Verùm inde colligendū eſt argumēto omniū certiſsimo, fore aliquādo diē q̄ iudicaturus ſit Deus iuſtū & impiū, Eccleſiaſt. 3. Abſit enim prorſus à Deo, ut fiat iuſto ſicut impio.

Officium iuſti iudicis.

Tertiò, neq; illud prętereundū eſt quod dicit: An qui iudicat omnē terrā: uel, an iudex omnis terrę, nō faciet q̄d æquū eſt? Argumentat̄ ab officio iuſti iudicis, unde & nobis colligendū eſſe admonemur, tam nō poſſe fieri, ut corā Deo nihil referat iuſti ne ſimus uel impij, q̄ fieri nō poteſt, ut iuſti iudicis officium nō faciat q. iudex eſt omniū. Poterat dicere, An Deus nō faciet q̄d æquū eſt? Verùm ut argumēto omniū fortiſsimo nō urgeat Dominū, ſed fiduciā interceſsionis ſuæ confirmet, maluit diſertè dicere: An iudex omnis terræ nō faciet q̄d æquū eſt? Deus eſt iudex omnis terræ. Qui omnis terræ iudex eſt, iniquus eſſe nō poteſt. Ergo iniquitas apud Deum reperiri non poteſt. Sic argumentatur Apoſtolus ad præſentem hunc locum diligentiſsimus ſacræ ſcripturæ interpres reſpiciens, cum Rom. 3. dicit: Nunquid iniquus eſt Deus qui infert iram? (ſecundum hominem loquor) Abſit. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum?

Res humanæ iudicio ſunt obnoxiæ.

Ex hoc quaſi fonte iſta colliget diligens lector. Primùm, res humanas eſſe iudicio ſubiectas, idq; non uno & altero terræ loco, ſed per terram uniuerſam. An iudex omnis terræ, inquit? Suum iudicem habēt omnia omnium mortalium facta. Quare curandum eſt omnibus ut cautè ac iuſtè uiuant. Reperias diuerſiones, regiones, prouincias, ciuitates, quæ admodū neſcio qua de libertate gloriantur, ac ſibi pulchre placent quòd in hoc mundo reliquis aliquanto poſſunt uiuere liberius. Quæſo quid eſt illorū liberius? Etiamſi non à mundo, ab eo tamen uocabuntur in iudicium, qui iudex eſt omnis terræ, cuius nolint uel nolint aliqua ſunt portio. Si autem eſſe nolint, per me liberum illis eſto, ut excedant de terra, ne ſubditi ſint omnis terræ iudici.

Vnus tantus eſt totius terræ iudex.

Deiñ, nō multos eſſe terrę uniuerſę iudices, ſed unū. Nō dicit, An q̄ iudicāt oēm terrā: ſed in ſingul. An q̄ iudicat

iudicat omnem terram. Sunt igitur omnes principes ac iudices terræ, non domini suæ quisq; ditionis, sicuti putant, sed serui unius illius iudicis, qui iudicat omnem terrã. Illud ipse cogites, pie lector, quàm necesse sit ut omnis terra uni sit iudici, non multis subiecta. Vbi multitudo est iudicum, ibi dubio procul cõfusio est sententiarũ, qua mundus regi nõ potest, perdi potest. Vbi alius dãnat, alius absoluit, id quod in multitudine iudicum usuenire necesse est, non reguntur res mortaliũ, sed confunduntur ac perduntur.

Vnam totius terræ iudicem non esse aliam præter Deum.

Tertiò. Vnum illum totius terræ iudicem non esse alium quempiam quàm Deum. A iudice requiritur scientia eorum de quibus est iudicaturus, requiritur studium iustitiæ, requiritur potestas iudicandi, requiritur potentia tam puniendi reprobos quàm asserendi iustos. Ista si uniuersaliter reperiuntur ex Deum in alio quopiam, cui omnia soli sint manifesta, qui solus perfectè iustus, solus potestatem habet in omnia, & solus sit omnipotens ultor malorum, & liberator iustorum, cedat Deus, & iudex omnium fit alius ille, apud quem ista reperiuntur. Si autem præter Deum non est talis quisquam, nec in cœlo, nec in terra, necesse est uni Deo omnis terræ iudici cuncta subiaceant.

Conuenienter non dixit, An qui Dominus est: sed, An qui iudex est omnis terræ.

Quartò, & illud considerandum est quod non dicit, An qui Dominus est omnis terræ: sed, An qui iudex est omnis terræ, non faciet quod æquum est? Est quidem Deus non modò iudex, sed & Dominus omnis terræ, & Deus, & pater: uerùm quoniam instabat pro liberandis Sodomitis respectu iustorum, si qui inter illos essent, ideoq; argumentum ab æquitate sumptum inducebat, secundùm quam citius est parcendum reprobis propter iustos, quàm committendum ut iusti perdantur cum reprobis: conuenientius erat, ut id commemoraret de Deo secundum quod uelut ex officio ad faciendum quod æquum est adstringitur. Id autem est magis quòd iudex est quàm quòd Dominus est uniuersæ terræ. Dominatus enim includit in se arbitrij libertatem: iudicis uerò officium ad ea quæ iusta sunt & æqua quod libertum est in dominatu restringit. Docemur hac prudentia & circumspectione Abrahæ, quàm debeamus ea in Deo siue pro nobis, siue pro alijs oremus, producere in medium, quæ causæ nostræ sunt conuenientia, ut uel ex eo quòd Dominus est, uel quòd Deus est, siue quòd pater est, aut quòd iudex est, argumentum fulciendæ nostræ fiduciæ petamus. Oportet autem nos aliter sentire de Deo quàm de hominib. dominis, iudicibus, principibus, patribus, episcopis, pastoribus, &c. quibus, nostra præsertim ætate, solenne est, ut non faciant secundum officij sui mispat. Non sequitur, si de illis dicas, Hic est iudex, ergo non poterit facere quod non sit æquum. hic est Princeps, ergo faciet quod decet principem: hic est Episcopus & pastor in Ecclesia Christi, ergo uigilabit ad pascendum gregem Domini sequitur uerò ir refragabiliter, si de Deo ad hunc modum cum Abrahamo colligas, Deus est iudex omnis terræ, ergo non faciet rem iniquam. Pater est omnium, ergo fidelis ac clemens est erga omnes. &c. Etenim secundum id quod est facit, & secundum ea quæ facit consequutus est hosce titulos, ut uocetur Dominus, Deus, iudex, pater, &c. Non quia sic uocatur, sic facit: sed quia secundum id quod est indesinenter facit, ostendens se iudicem esse, Dominum, Deum, & patrem omnium, secundum ea quæ facit omnium rectissimè nominatur. Homines uerò aliud faciunt, & aliud uocantur.

OBSERVATIO V.

Inueniuntur iusti à Domino ubicunq; fuerint.

Dixitq; Dominus ad eum: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, parcam omni loco propter eos.] Vide quàm pulchrè sit hic uerbum inueniendi usurpatum ab angelo. Si inuenero Sodomis, inquit, quinquaginta iustos. Inueniuntur iusti à Domino, ubi tempus fuerit uisitationis, ubicunque locorum etiam Sodomis, & quantumuis numero fuerint pauci, & existimatione humiles & abiecti. Promittit nobis Christus Seruator, missurum se angelos in die iudicij, qui congregent electos à quatuor uentis, &c. Curemus igitur ut studium iustitiæ seruemus in seculo hoc prauo & peruerso, nec impediat nos quòd paucissimi sunt iusti. Etiamsi unus duntaxat fuerit iustus in uniuersa terra, inuenietur ab angelis Christi, & seruabitur.

Varijs modis parcitur reprobis propter iustos.

Deinde obseruandum est quod dicit: Si inuenero 50. iustos in medio ciuitatis, parcam omni loco propter eos. Admonet hic locus, ut annotemus, quàm uarijs modis parcatur reprobis propter iustos. Generalis est causa, quòd coniuncti sunt iusti multitudini reproborum. Illa uerò coniunctio uaria. Aut enim coniuncti sunt sanguine ac posteritate, aut cohabitatione loci: uel participatione causæ, uel spiritu philanthropiæ & commiserationis. Quod sanguinis ac posteritatis coniunctionem attinet, exemplum est in Abrahamo, cuius gratia sæpenumero ignotum est Israelitis peccatoribus, quemadmodum & propter Iacob & Dauidem. Vide Es. 37. & 45. Propter cohabitationem loci pepercisset Dominus Sodomitis, si uel decem iusti in medio ciuitatis fuissent inuenti. Cũ Paulus Romam nauigio abduceretur, quotquot erant cum eo in naui homines 236. illi condonabantur à Deo, ne tempestate quisquam illorum periret, Act. 27. Et Samuel commiseratus Israelem orauit pro eo ad Dominum, & obtinuit, ut ipsius gratia parceretur uniuersæ multitudini. Idem aliquoties fecit & Moses. Admonemur quanti faciendum sit, si quocunq; pacto coniungamur iustis.

OBSERVATIO VI.

Colluctatio charitatis & propriæ humilitatis

Et respondit Abrahã, & dixit: Ecce, quæso, cuperem loqui ad Dominũ meũ, at sum puluis & cinis. Quid si minus quinquaginta iustis quinq; fuerint, delebis ne propter quinq; uniuersam urbẽ? Et ait: Nõ delebo, si inuenero ibi quadraginta quinq;. Rursumq; locutus est ad eũ: Si aũt 40. ibi inuẽti fuerint? Et ait: Nõ faciã propter quadraginta.] Reuniam, animaduertendũ est, qũo in animo pij ac sancti hominis colluctent inter se charitas interpellãdi, p posito humilitatis, ab opere charitatis & interpellãdi, p priæ humilitatis specie. Suadebat, immo urgebat charitas, ut p Sodomitis intercederet apud Dñm Cœperat hoc facere cupiens pro periclitãbus, & sensus, p uocãs.

re. Cœptam intercessionem prosequuturo occinebat propriæ humilitatis sensus, Quid facis? Puluis es & cinis, & loqui audes Domino tuo? uterq; affectus bonus est in sanctis, modò caueatur, ne alter alterum impediat. Bonus est affectus charitatis, cõdolentis periclitantibus etiam malis, & coram Domino intercedere cupientis. Hunc exprimit Abraham cum dicit: Ecce, quæso, cuperem loqui ad Dominum meum. Bonus est inquam, & præclarus hic affectus, modò propriæ humilitatis sensum & cõfessionem non abijciat. Rursus, bonus est ac Deo gratus propriæ uilitatis sensus, quem expressit Abraham dicens, At sum puluis & cinis, modò propositum ac studiũ interpellandi ad Dominũ nõ impediat. Quare omniũ pulcherrimè sic est humilitatem conditionis humanæ confessus Abrahã, ut tamen propositũ intercedendi apud Dominũ non abiecerit. Mox enim subiecit: Quid si minus quinquaginta iustis quinq; fuerint, delebis ne propter quinq; uniuersam urbem? Adsit ergo orãtibus ad Dominũ propriæ uilitatis sensus, nõ ut nõ orent, sed ne præfractè & temerè orent. Et huiusmodi oratio sese humiliantis nubes penetrat. Ecclesia. 35. Quare peruersa planè doctrina est qua docent uulgo Christiani, confugiendũ ipsis esse ad intercessionem diuorũ, monachorũ & sacrificũ, eo quod sint peccatores & humiles, quibus accessus ad Deũ sine potiorũ intercessione nõ pateat. Quin potius admoneant hoc loco monachi & sacrifices, q; sibij ipsis uindicãt officiũ intercedendi & orãdi ad Dominũ pro populo, quantã reuerentiã diuinę Maiestatis requirat hoc officiũ. Abrahã uir sanctus, diuinis oraculis assuetus, Deo confœderatus, & angelorũ hospes, sentit & fatetur se esse puluerem ac cinerẽ. Hoc sumus omnes. Verùm uiderint isti intercessores, an nõ uerius dicerent: Loquimur nos ad Dominũ, cũ simus scortatores, adulteri, simoniaci, sacrilegi, &c. Corã Deo abominabilis nõ est puluis ac cinis quẽ ipse fecit, & ad imaginẽ suã cõdidit: abominabilis uerò est scortator, adulter, symoniacus, sacrilegus, simulacrorũ cultor, hypocrita &c. Denique & hoc cogitent: Abrahã tenebat studio & affectu intercedendi. Cuperẽ, inquit, loqui ad Dominũ meũ. Isti intercessores quid uelint & cupiãt, dũ intercessiones suas ad quæstũ omniũ turpissimũ prostituũt, lapides clamant, nedum homines. Non possunt dicere ex animo, Cupimus loqui ad Dominũ nostrum: sed, Cupimus seruire uentri.

Psalmista dicit: Recordatur q; puluis sumus, ubi misericordiã Dei celebrat Psalm. 104.

De eo uerò q; puluis sumus & cinis, uide suprà cap. 3. ibi, Quoniam puluis es, & in puluerẽ reuerteris.

Debemus cum pudore & uere cũdia petere.

Deinde obserua quod dicit: Quid si minus quinquaginta iustis quinq; fuerint? Quod tam timidè ac parcè ad pauciorem iustorũ numerũ descendit, documento nobis esse debet, q̃ non debeamus impudentes esse ad petendũ quidlibet, sed pudorẽ seruare & uerecundiã. Deo nõ erat multũ ignoscere multitudini peccatorũ propter quadrigintaquinq; iustos, quibus iam propter quinquaginta remissionem proferat: uerùm Abrahæ sic uidebatur esse multũ, ut timidè plusculũ adhuc gratię peteret, & de numero quinquagenario quinq;, hoc est, decimã partẽ adimeret. Est quidẽ gratia Dei inexhausta, & misericordes eius super omnia opera eius: uerùm, siue pro nobis illam, siue pro alijs petamus, modestię nostræ est pudorem & uerecundiam seruare petendo.

Duo causarũ genera.

Tertiò nec illud transeundũ est, quod dicit: Delebis ne propter quinq;, iustos uidelicet, uniuersam urbem? Atqui deleta est Sodoma nõ propter iustos, sed propter impios: nec timendũ erat Abrahæ, ne deleretur ,,pter quinq; iustos. Quomodo ergo dicit: Delebis ne ,,pter quinq; uniuersam urbẽ? Sunt hic duo causarũ genera consideranda. Vnũ, propter quod quia est: Alterũ, propter quod quia nõ est. Sodoma deleta est propter impios, quibus erat referta. Impij ergo causa erant perditionis Sodomæ, quia erant & abundabant in illa. Rursus, Sodoma deleta est propter decẽ iustos, quia in illa non inueniebantur decem iusti. Ergo decem iusti causa fuerũt perdendæ Sodomæ, nõ quia illic erant, sed quia nõ erant. Perinde est ac si dicas: Quid si inueniãt in nobis fides, desit uerò charitas, perdes ne nos Domine, propter charitatẽ? Propter charitatẽ perdemur, si illa ,,prsus defuerit. Rursus propter charitatẽ nõ perdemur, si fidei coniũcta fuerit. Sic nonnulli exponunt illud Christi: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato & de iustitia. De peccato quod habet, de iustitia quam non habet.

OBSERVATIO VII.

Et ait: *Ne, quæso, indigneris Domine, si loquar: Quid si ibi inuenti fuerint 30. Respondit: Non faciam, si inuenero ibi 30. Et ait: Ecce, quæso, uellem loqui ad Dominum meum: Quid si ibi inuenti fuerint 20. Ait: Non interficiam propter uiginti. Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inuenti fuerint ibi decem? dixit: Non delebo propter 10.*]Quod ulteriora petiturus, secundò iram Domini deprecat in causa nec Domino ingrata, nec à pietate sanctorũ aliena, documento nobis esse debet, quàm dedeceat corã diuina maiestate multiloquiũ, ac superstitiosa oratio. Sentiebat hoc Abraham, ideoq; nõ sine deprecatione indigna tionis, cũ hactenus assensum assequutus esset, adhuc instando porrexit. Orandũ quidẽ est bona cũ fiducia, in causa Deo nõ ingrata: uerùm corã diuina Maiestate timendũ est, ne curiosis ac superstitiosis ambagibus determinationibusq; patientiã Dei offendamus: & dũ misericordiã improbius ambimus, indigna tionẽ incurramus. Deinde obserua, quod ubi secũdò per quinariũ numerũ descendens beneuolũ sensit esse Dominũ ad consentiendũ, sumpta fiducia iã nõ amplius per quinq;, sed per decem descendit. Admonemur hoc loco, hinc potissimũ augeri fiducią orãdi ad Dominũ, quod subinde beneuolentiã illius certis experimentis cognouimus. Attrahit nos ad se Deus consentiendo peritis nostris. Et hæc potissima est ratio, cur se uelit in necessitatibus compellari & inuocari. Tertiò. Et illud animaduertendũ est, q; ubiq; sine ulla cõtradictione annuit Dominus, quantũuis uerecũdè, subtimidè, ac parcè intercederet Abrahã. Sciebat Dñs, ne decẽ quidẽ, immo nec quinq;, nedũ quinquaginta iustos esse in ciuitate Sodomorũ, & tamen nusquam dixit, Frustra laboras, non sunt tot iusti in ciuitate: sed simpliciter petitionibus

Multiloquium uitandum in oratione.

Sensus beneuolentiæ Dei confirmat petendi fiduciam.

Beneuolẽtia Dei ad exaudiendũ iustos.

Abrahæ

A Abrahæ consensit: & id quod uerbis non exprimebat, postea reipsa, cum Sodomam exterminaret, declarauit unde satis poterat intelligere Abraham, non fuisse 10. iustos in uniuersa Sodomitarum multitudine, alioqui fuisse eos seruatos. Admiranda est prorsus diuina beneuolentia, quæ usqadeò sanctis ac pijs hominibus est parata, ut uix possit precibus illorum reluctari, aut ulla quamuis improba instantia offendi.

OBSERVATIO VIII.

Abijt Dominus postquàm cessauit loqui ad Abraham, & ille reuersus est in locum suum.] Obserua. Dicit Dominum abijsse cum cessasset loqui ad Abrahamum. Quando autem loqui cessauit? Cum Abraham dixisset: Ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel, & postea quieuisset, tum & ipse cessauit loqui ad Abrahamum. Ergo Abraham prior cessauit, & Domino cessandi causam præstitit. Prius cessauit Abraham petendo quàm Dominus annuendo. Non possumus beneuolentiã Domini superare petendo, si ex fide & competenter orauerimus.

Prius cessauit Abraham petendo quàm Dominus annuendo.

CAPVT XIX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Continet caput hoc decimumnonum peccatum & subuersionem Sodomorum, deinde liberationem Lot, & originem duorum populorum Ammonitarum & Moabitarum.

VEneruntq; duo angeli Sodomam uespere, sedente Lot in foribus ciuitatis. Qui cum uidisset eos, surrexit & iuit obuiam eis, adorauitq; pronus in terram, & dixit: Obsecro Domini, declinate in domum pueri uestri, & manete ibi. Lauate pedes uestros, & mane proficiscemini in uiam uestram. Qui dixerunt: Minimè, sed in platea manebimus. Compulit illos oppidò, ut diuerterent ad eum. Ingressisq; domum illius fecit conuiuium, coxit azyma, & comederunt.

LECTIO.

B *Sedente Lot in foribus ciuitatis.* Græcus habet: παρὰ τὴν πόλιν σοδόμων, id est, iuxta ciuitatem Sodomorum. Ebræus uerò in porta inquit Sodomæ.

Declinate in domum pueri uestri.]Ebr. חנה נא ארני סורו נא אל בית עבדכם, id est, Ecce quæso Domine mei, declinate, quæso, in domum serui uestri. Græcus interiectionem obsecrandi utrobiq; omisit.

Et manete ibi.]Ebr. & pernoctate.

Vt diuerterent ad eum.]Ebr. ויסורו אליו, id est, & declinarunt ad eum. Sic & Græc. καὶ ἐξέκλιναν πρὸς αὐτόν.

EXPLANATIO.

Venerunt; duo angeli Sodomam uespere.] Trimembris est hic textus. Habet enim aduentũ angelorũ ad Sodomitas, inuitationem, & acceptionẽ. De aduentu: Venerunt, inquit, duo angeli Sodomam uespere. Exprimit paucis & numerũ angelorũ, & tempus & locũ aduentus illorũ. Duo angeli, uespere, uenerũt Sodomã. Tertius, cum quo loquutus est Abrahã, Sodomã non uenit. R. Shlomoh dicit tertiũ missum fuisse ad nunciandũ fœturam Saræ, ideoq; cũ ministeriũ suũ expediuisset, redijsse ad superos. Duos ideo Sodomã uenisse tradunt, ut alter Lotũ liberaret, alter Sodomã subuerteret. Habent ista uerosimiles quidẽ, sed incertas cogitationes. Vespere uenerũt Sodomã. Venerũt uespere, non q; iuxta itineris proportionẽ nequiuerint citius, sed q; ad ꝓpositũ ipsorũ id tẽporis cõduceret. Volebãt uideri peregrini, sicq; uesp; ad uesperã, ut uiderẽt, nũ uellet Dñs precibus Abrahę motus ciuitati Sodomorũ parcere, uel secus.

Et Lot sedebat in porta Sodomæ.] Non est hoc fortuitò, sed ex diuina dispositione factum. R. Shlomoh dicit quòd eo ipso die constituerint Lotum Sodomitæ iudicem super se, & eam ob causam putat eum sedisse in porta. Verùm nec tempus uespertinũ, nec sequentia, sicuti uidebimus, isti sententię fauent. Neq; licuisset ipsi relicto iudicandi officio, ac desertis assessoribus occurrere peregrinis. Quin potius ob id in porta sedit uespere, ut si qui peregrini ciuitatẽ ingrederẽt, inuitaret eos in domum suam, ne in malitiam ac nequitiam ciuium inciderent, si uel ad alios diuerterent, uel in platea manerent.

Et uidit Lot, & surrexit in occursum eorum, &c.] Pertinent ista ad inuitationem angelorum. Arbitrabatur eos esse homines peregrinos, nesciens esse angelos. Mox ubi aduentãtes uidit, surrexit, & egressus est in occursum illorũ, ut præueniret, ne aliò diuerterent. Deinde & animi sui promptitudinem occursu isto ostendit. Inuitauit aũt eos non obiter, sed cum reuerentia, & magno serio. Reuerentiã & gestu & uerbis expressit. Gestu, incuruando se ad terrã: uerbis, uocans eos dominos suos, ac se seruũ eorũ constituens. Quòd eos magno serio inuitarit, ex eo primùm patet, q; secundò obsecrandi interiectione usus est, dicens, Ecce obsecro domini mei, declinate quæso in domum serui uestri: deinde ex eo quoq; quòd recusantes & in platea ciuitatis manere uolentes coegit ut ad se diuerterent. Et coegit eos ualde, inquit. Non ui coegit, sed instanter obsecrando.

Lauate, inquit, pedes uestros & mane proficiscemini.]Sic & Abraham suprà. Modica offert, ac peregrinis

grinis grata. Qui dixerunt: Non, sed in platea pernoctabimus. Sic negantes magis accendunt stu- A
um Lot, dum ignorare uidentur qualis sit populus Sodomæ.

Et declinauerunt ad ipsum, & uenerunt in domum eius, & fecit eis conuiuium, & coxit placentas, & comede runt.] Hoc tertio membro exponitur paucis, quomodo acceperit Lot hospites suos. fecit eis conuiuiũ, inquit, & coxit placentas. Vox conuiuij in Ebræo est משתה, quod à uerbo שתה, id est, bibit deductum, idem sonat quod symposium. Græcus uertit πότον, id est, potum. Vsum esse Lot uino, patebit in sequentibus. Dubio procul nõ solũ placentas parauit, sed & alia, Moses uerò unico uerbo complexus est omnia, dicens: Et fecit illis conuiuium uel symposium. Placentas solebant hospitibus proponere, quòd & delicatiores essent & citò parari possent. Meo iudicio rectè Lyranus hoc loco opinionem Iudæorum de azymis & festo Paschatis, quòd ante legem quoq; in usu fuerint, refutat.

QVAESTIO.

An mentiti sint angeli.

Et dixerunt: Non, sed in platea pernoctabimus.] Quærunt hic, quare negauerint angeli dicẽtes se nõ declinaturos ad domũ Lot, cũ tamẽ id dubio, pcul haberẽt in animo, sicut etiã postea ad illũ diuerterunt. Qui dicit, Nõ faciã, & postea quod facturũ se negauerat, facit, uidet seipsum cõstituere mendacij reũ. Ergo angeli deprehenduntur in mendacio? Respondeo: Si fuissent homines, non possent ob id de mendacio conuinci, quod intercedente coactione, hoc est, improba instantia, fecissent quod antea facere noluissent ac detrectassent. Liberarentur nanq; à mendacio per instantiã & coactionem urgentis Lot. Qui dicit, Non eo tecum, sed permanebo in platea: non quid facturus sit prædicit, sed quid facere uelit, significat. Vbi autem ab ea uoluntate per improbitatem & instantiam cogentis & urgentis amici abducitur, ut faciat quod facere noluit, mutatio est propositi, nõ mendaciũ uerbi. Sic inquam possent duo angeli excusari, si homines fuissent. Iam quoniã uideri uolebãt homines, accõmodarunt se moribus hominũ, simularuntq; se nolle facere quod tamen postea erant facturi. Qua in re nihilo plus peccarũt, quàm quòd homines esse se simularunt, cũ essent nõ homines, sed angeli. Si damus hoc dispensationi angelicæ, ut simulent quod nõ sunt, ac dissimulãt quod sunt absq; ulla culpa, non poterimus eos propterea in ius uocare, si se facere simulauerint, quod reuera nõ faciũt. Christus ipse Lucæ 24 usus est huiusmodi simulatione sine ullo delicto. Sic enim ibi legimus: Et appropinquauerũt castello, quò ibant, & ipse finxit se longius ire. Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscũ Domine, quoniã aduesperascit, & inclinata est iam dies, & intrauit cũ illis, &c. Si non culpas in Christo, q se peregrinũ esse finxit apud eos quorũ erat Dominus ac præceptor, non poteris culpare quòd se longius ire finxit, adeoq; diuersoriũ cum illis ingredi detrectauit, cum tamen aliud ageret animo. Idem sentiendum est planè de ista simulatione angelorum. B

OBSERVATIO I.

Quòd angelos uocat, quos hactenus uocauit uiros.

Venerunt q; duo angeli Sodomam uespere, & Lot sedebat in porta Sodomæ.] Principiò illud consideremus q iam Moses manifestè uocat angelos, quos hactenus uocauit uiros. qua in re obseruanda uenit sacræ scripturæ uigilantia, quæ locis obscurioribus aperta subinde ueritate lucẽ adijcere solet. Nisi semel atq; iterũ angelos uocaret quos uiros uocauit, nec illorũ opinionibus refisti posset, qui tres S. Triadis personas Abrahæ apparuisse comminiscunt: nec facile refellerent illi qui magicis artibus tempestates, fulminas Abrahæ apparuisse comminiscunt: nec facile refellerent illi qui magicis artibus tempestates, fulmina, & grandines excitari posse iudicant. Nam illi quod contigit Sodomitis, per duos uiros magicæ ãrtis peritos ultionis gratia factum esse clamarent.

Quòd angeli meridie ad Abrah. uespere uerò Sodomã uenerunt.

Deinde non est ociosum q angeli meridie ad Abrahamũ, uespere uerò ad Sodomitas uenerũt. Duplex genus cœlestis est uisitationis. Gratiæ unũ, ultionis alterũ. Illud pijs, istud impijs deputat. Pij rectè uisitantur meridie, die adhuc current: impij uerò uespere, quãdo terminus adest diei & nocturnæ imminẽt tenebræ. Finis diei finis est malitiæ impiorũ. Sic uisitabuntur in fine mundi ueluti uespere omnes in uniuersum impij, quorũ figura præcessit in Sodomitis. Totus enim impiorũ mundus igne cœlesti ad uespe rã conflagrabit. Tertiò. Et Lot, inquit, sedebat in porta Sodomæ. Vespere sedit in porta, crastino egressurus portã interituræ Sodomæ. Et nos portã sumus interituri mundi egressuri. Conuenit igitur ut uespertino hoc tempore, interea dum in morẽ Sodomitarũ edunt impij & bibunt, Lucæ 17. in porta sedeamus & nos, & cum Loto studeamus hospitalitati, ad excipiendum peregrinos & egenos. Hoc enim studio præditus Lot, uespere sedebat in porta.

Quòd Lot uespere sedit in porta perituræ Sodomæ.

OBSERVATIO II.

Par studium charitatis in uiris sanctis.

Et uidit Lot, & surrexit in occursum eorum, & incuruatus est facie ad terram, & dixit: Ecce obsecro Domine mei, declinate quæso ad domum serui uestri, & pernoctate, & lauate pedes uestros, & mane surgetis & proficiscemini in uiam uestram.] Quæ hic de studio hospitalitatis annotari possunt, præcedenti sunt capite in historia Abrahæ annotata, ubi planè eadem habentur. In præsenti tamen considerandum uenit quàm sit par studium sanctorũ ad accipiendum peregrinos, par ubiq; alacritas, submissio, reuerentia, & officiosa beneuolentia erga peregrinos. Siue didicerit ista Lot ex conuictu patrui sui Abrahæ, siue suapte pietate ad hoc genus humanitatis ducebatur, planè inter se certasse uidentur, uter utrum studio hospitalitatis uinceret. Idem piorum spiritus eodem cursu ad studia beneficentiæ fertur.

OBSERVATIO III.

Indicium ciuitatis impiæ.

Qui dixerunt: Non, sed in platea pernoctabimus. Et coegit eos ualde. Et declinauerunt ad ipsum, & uenerunt in domum eius, & fecit eis conuiuium, & coxit placentas, & comederunt.] Quod angeli in platea se pernoctare uelle dicebãt, indiciũ erat ciuitatis impiæ. Dubio procul non solũ Lot habuerãt obuiã, sed multos etiã alios ex Sodomitis, quorũ tamẽ nemo ipsos ad domũ suam inuitauerãt. Vnus Lot iustus erat in ea ciuitate.

A bant. Nos admonemur, primũ esse argumentũ imminẽtis exitij, si usq; adeò inualuerit inhumanitas er
ga peregrinos, ut in plateis pernoctare coganẽ, ꝓpterea ꝙ à nemine hospitio accipiuñ. Talis, uno dem
pto Lot, erat status, immo corruptio Sodomæ. Peregrinos nõ recipiebãt, nec pauperib. & egenis manũ
porrigebãt. Ezec. 16. Cogebanẽ ergo peregrini homines in plateis pernoctare. Talis erat etiã Gabaah
ciuitas Beniamitarũ, qua de Iudic. 19. sic legimus: Iãq; erãt iuxta Iebus, & dies mutabaẽ in noctẽ. Dixitq;
puer ad dñm suũ: Veni, obsecro, declinemus ad urbẽ Iebuseorũ, & maneamus in ea. Cui respõdit Dñs:
Nõ ingrediar oppidũ gẽtis alienę, quę nõ est de filijs Israel: sed trãsibo usq; Gabaa: & cũ illuc peruenero,
manebimus in ea, aut certè in urbe Rama. Transierũt ergo Iebus, occubuitq; eis sol iuxta Gabaa, quæ
est in tribu Beniamin, diuerterũtq; ad eã, ut manerẽt ibi. Quò cũ intrassent, sedebãt in platea ciuitatis, &
nullus eos recipere uolebat hospitio. Sic cõparati erãt ciues Gabaa, ut præ inhumanitate nõ reciperent
peregrinos hospitio, sed in plateis pernoctare sinerent, quãuis essent Israelitæ ac de populo Dei. Paulo
pòst sequutũ est illorũ exitiũ. Deinde considerandũ est q̃d dicit. Et coegit eos ualde. Nõ cogitabat: Fe
ci q̃d meũ erat. Occurri, inuitaui, obsecraui. Nolũt ad me diuertere, sed in platea pernoctare. Si quid ma
li passi fuerint, ipsorũ culpæ adscribeẽ. Nihil horũ cogitauit, q̃a nõ obiter & perfunctoriè, sed seriò & ex
animo hospitalitati studuit: totusq; in eo fuit, ut peregrinos à neq̃tia Sodomitarũ cõseruaret, quã incur
suros eos sciebat, si in platea pernoctarẽt. Quare, sicuti Moses testaẽ, recusantes compulit, hoc est, instã-
do, urgẽdo & obsecrãdo cœgit, ut non in platea manerẽt, sed ad se diuerterẽt. Ad eũ modũ & ab eo fa-
ctum est, q̃ Leuitẽ Ephrateũ in ciuitate Gabea hospitio accepit, ne in platea maneret, & libidini repro-
borũ obnoxius fieret, Iudic. 19. Nec Lot, nec ille cogitarũt, Quid facio? Ego ne solus in ciuitate satisfa-
cere potero suscipiẽdis peregrinis? Excludunẽ ab omnib. ergo ad me diuertẽt omnes. Define tandẽ & si
ne ut in plateis maneant peregrini. Admonemur, non esse abijciendũ beneficẽtiæ studiũ, etiamsi aliàs de
seraẽ ab omnib. immo si cũ discrimine sit conuinctũ, sicuti accidit Loto. Tertiò. Et declinauerũt, inq̃t, *Quomodo cogi*
ad ipsum, & uenerũt in domũ eius. Duobus scripturæ locis (quatenus in præsenti occurrit) angelos ab *queant angeli.*
hominib. coactos fuisse legimus. Hoc præsenti uidelicet, & infrà ca. 32. Quòd humanas uires attinet, in
superabiles sunt angeli, cœlestes spiritus: uerùm est genus quoddã coactionis, cui haud illibẽter acquie
scũt. Est illud, integri, pij, & fidelis animi sedulitas & instãtia, qua non angeli modò, sed & Deus ipse nõ
inuitus, sed uolẽs superaẽ. Coactio huiusmodi omniũ est gratissima. Per hãc trahũt angeli in domum
Lot. Vtinã simus hoc genere coactionis fortes ac potẽtes. Quartò. Et fecit eis conuiuiũ, & coxit pla *Consuetudo cœ-*
B centas, & comederũt. De placẽtis, & eo ꝙ angelos dicit comedisse, uide cap. præcedẽti. Illud hic obser- *nandi apud uete*
ua q̃d dicit: Et fecit eis משתה, id est, symposion Abrahã dicebat. Afferã buccellã panis, & confortẽ cor *res.*
uestrũ. de potu nulla mẽtio. Erat enim meridies. Hic uerò, quoniã uespera aderat, parabaẽ cœna & sym
posion. Qua in re uides consuetudinẽ ueterũ. Interdiu cibo parũper corda sua confortabãt, uespere uerò
cœnas & conuiuia parabãt, & potu sese liberius exhilarabãt. Vulgarẽ hãc consuetudinẽ etiã sancti con
seruarũt. Erat enim rebus agendis commodior. q̃ qua nũc conuiuia etiã ante meridiẽ inchoantur, quibus
omnis cursus laborum & negociorum sic dissoluitur, ut integri dies ocioſi & inutiles abiumantur.

Priusquàm autem irent cubitum, uiri ciuitatis uallauerunt domum il-
lius à puero usq; ad senem, omnis populus simul. Vocauerũtq; Lot, &
dixerunt ei: Vbi sunt uiri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, ut
cognoscamus eos. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium,
ait: Nolite, quæso, fratres mei, nolite malũ hoc facere. Habeo duas filias,
quæ nondũ cognouerunt uirum: educã eas ad uos, & abutimini eis sicut
uobis placuerit, dũmodo uiris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt
sub umbra culminis mei. At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursus: Ingres
sus es ut aduena, nunquid ut iudices? Te ergo ipsum magis quàm hos af-
fligemus. Vimq; faciebant Lot uehementissimè. Iamq; propè erat ut ef-
fringerent fores, & ecce miserunt manũ uiri, & introduxerũt ad se Lot,
clauserũtq; ostium, & eos qui foris erant percusserunt cæcitate à mini-
mo usq; ad maximum, ita ut ostium inuenire non possent.

LECTIO.

Priusquàm autem irent cubitum.] Græcus malè coniunxit. Sic eñ habet: πρὶν ἐφαγον πρὸ τῦ κοιμηθῆναι, id est, & comederunt priusquàm cubitũ irent. Moses non dicit eos comedisse priusquàm cubitum irent, sed priusquàm cubitum se contulissent, uiros ciuitatis domum Lot uallasse.

Viri ciuitatis.] Ebræus addit אנשי סדם, id est, uiri Sedom. Hãc particulam Lat. interpres omisit. Grę cus legit οἱ ἀνδρες πολιτικοι.

Omnis populus simul.] Sic habet & Græcus. In Ebrę o est כל העם מקצה, id est omnis populus à fine uel ab extremo eius, ciuitatis uidelicet.

Vt cognoscamus eos.] Græcus habet, ἵνα συγγενώμεθα αὐτοις, id est, ut congrediamur cum eis. Oris sacri uerecundiam neglexit.

Egressus ad eos Lot post tergũ occludens ostiũ.]Ebrꝛa sic habẽt ויצא אליהם לוט פתחה וסגר אחריו id est, Et egressus est ad eos Lot foràs, & ianuã clausit retro se. Græcus sic uertit, Ἐξῆλθε δὲ λὼτ πρὸς τὸ θυρῶν, καὶ τὴν θύραν προσέωξεν ὀπίσω αὐτοῦ, id est, Egressus est aũt Lot ad uestibulũ, ianuã uerò occlusit post se, uel retro se. Interpres Chrysostomi uerbũ προσαύξει uertit ac si esset simpliciter ἔωξεν uel ἀνέῳξεν, id est, aperuit, sensum reddẽs planè contrariũ. Arbitror προσέωξεν hoc loco positũ pro occlusit, nõ pro aperuit, ut Græcis uulgari locutione idẽ sit q̃d Germanis, *hat zůgeschlossen*: & ἀνέῳξεν *hat vfgeschlossen*.

Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere.] In Ebræo simpliciter est: Ne, quæso, fratres mei malè agatis.

Habeo duas filias.]Ebr. חנה נא לי שתי בנות, id est, Ecce, obsecro, sunt mihi duæ filiæ. Græcus nec obsecrandi interiectionem, nec numerum filiarum Lot expressit.

Educam eam ad uos.]Ebr. Quæso educam eas ad uos.

Dummodo uiris istis nihil mali &c.] Ebr. רק לאנשים האל quod aliqui uertunt, Tamen uiris Dei nihil mali faciatis, aliqui sic uertendum esse negant. Quòd uoces Ebræas attinet, tam uerti potest, modò uiris Dei, quàm, modò uiris istis. Verùm poni האל pro illis, etiam infrà patet ubi legitur, Et subuertit ciuitates האל, id est, illas. Illud, Nihil mali faciatis, in Ebræo est, non faciatis דבר, id est, aliquid.

Quia ingressi sunt sub umbram culminis mei.]Ebr. sic: Quia propterea uenerunt sub umbram ligni mei, id est, tecti mei. Vt sit pars posita pro toto. Græcus uertit, sub tectum lignorum meorum.

Et rursus: Ingressus es ut aduena, nunquid ut iudices?] In Ebræo est in tertia persona ad hunc modum, לגור בא האחד ויאמרו שפוט ישפט עתה הגר ויהי לשפט, id est, Et dixerunt, Vnus hic uenit ad peregrinandum, & nunc iudicando iudicat? Voculam עתה, id est, nunc, aliqui coniungunt cum sequentibus, ac legunt, Nũc te affligemus præ illis.

Iamq; propè erat.]In Ebræo est, Et accesserunt. Sic & Græcus habet.

Et ecce miserunt manum uiri.] Vocula, Ecce, non est in Ebræo, neq; in Græco.

Et introduxerunt ad se Lot.] In Ebræo & Græco additur, In domum.

Et eos qui foris erant.]Ebr. & Gr. Viros autem qui ad ostium domus erant.

Ita ut ostium inuenire non possent.]Ebr. וילאו למצא הפתח, id est, & fatigabantur ad inueniendum ostium. Græc. καὶ παρελύθησαν ἥντινες τὴν θύραν, id est, defecerunt, dissoluti sunt, fatigati, & dispersi quærentes ianuam.

EXPLANATIO.

Quoniã præcedẽti capite dixerat Dñs uenisse ad se clamorẽ ac peccatũ Sodomorũ multiplicatũ & aggranatũ ualde, eáq; ob causam descendere se, ut experimentũ de peccati illorũ cõsummatione caperet, ordine cõuenienti Moses primùm uenisse dicit angelos Sodomã, & ad Lotũ diuertisse: deinde scelus Sodomitarũ exponit, q̃d in ipsos angelos Dñi perpetrare conati sint. Vnde manifestè cõstare potuit, nõ modò q̃dnã esset illorũ peccatũ, sed & q; uenisset illud iã ad summũ, impletaq; mẽsura sua maturuisset ad uindictã. Habet itaq; præsens hic contextus certũ experimentũ de peccato Sodomorũ. Dispositio aũt illius tripartita est. Primùm eñ q̃d Sodomitæ, deinde quid Lot, tertio quid angeli fecerint commemoratur.

Priusquàm aũt irent cubitũ, uiri ciuitatis uiri Sedom uallauerunt domum à puero usq; ad senẽ, omnis populus à terminis, uocaueruntq; Lot, & dixerũt ei: Vbi sunt uiri, qui introierunt ad te nocte? educ eos ad nos ut cognoscamus eos.]Hisce uerbis facinus ac scelus Sodomitarũ exponit. Priusq; aũt cubitũ irent, inquit, uiri ciuitatis uiri Sedom uallauerũt domũ. Sũma est: Sodomitæ postularũt dari sibi peregrinos ad cognoscendũ. Hãc amplificat Moses. Primùm, qñ hoc fecerint. priusq; irẽt cubitũ, ingt. Lot uidelicet cũ domesticis & hospitibus suis. factum est ergo post cœnam, cum comedissent & bibissent, essentq; iam saturi, & ad libidinẽ accensi. Deinde qui nam facinus hoc ausi fuerint. Viri ciuitatis, inquit, uiri Sedom, ciues, uidelicet & incolæ ciuitatis Sodomæ. Non caret emphasi, quòd postquàm dixisset, Viri ciuitatis, adiecit, Viri Sedom. Quasi dicat: Ciues ipsi ac populus Sedom ciuitatis illius quæ in ea regione metropolis erat. Et ne putes hoc à paucis quibusdam esse factum, addit, A puero usq; ad senem, omnis populus à terminis ciuitatis. Vsq; adeò erat tota Sodoma corrupta ac perdita, & inualuerat peccatum illorũ, ut iam esset catholicũ. Videnť cõclamasse, & quosuis ad scelus ex ipsis terminis & angulis ciuitatis excitasse, perinde ac si præda quædã esset inuadẽda. Tertiò qũo p̃positũ facinus sint aggressi. Vallauerunt, inqt, domũ. Circũfusi sunt circa domũ, ne qua illius parte pateret euadẽdi copia. Deiñ euocarũt ad se Lotũ, & dixerũt: Vbi sunt uiri q introierũt ad te nocte? id est, sub noctẽ. Educ eos ad nos, ut cognoscamus eos. Vsq; adeo scilicet abiecerãt omnẽ pudorem, ut absq; ulla dissimulatione ore prorsus impudenti edicerẽt, ad quid nam peregrinos ad se educi uellent. Apparet aũt, q̃d dicũt, qui ad te introierũt nocte, sic esse ab illis dictũ, quasi insimularint Lotũ q; eiusdẽ libidinis causa, qua ipsi ferebanť, introduxerit iuuenes noctu in domũ suã. *Et egressus est ad eos Lot foràs, & clausit ianuã retro se, ac dixit: Ne, quæso, fratres, malè agatis. Ecce quæso, sunt mihi duæ filiæ quæ uirũ nõ cognouerũt, educam eas ad uos, quæso, & faciatis eis, sicuti bonũ est in oculis uestris, dũmodo uiris istis nõ faciatis quicquã. Nã eam ob causam uenerũt sub umbrã tecti mei.*] Exponit quõ se Lot gesserit, ubi ab impijs esset circũuallatus, & hospites suos ad ipsos educere iussus. Primùm, egressus est ad eos foràs. Deinde clausit retro se ostiũ. Vtrũq; ad hoc fecit, ne uel exacerbari, uel aliàs facultate accepta intrò in domũ suã irrũperent. Tertiò, egressus ad eos usus est uerbis blandis, uocans eos fratres suos: deinde obsecrãs etiã, ne malè quid agerẽt. Videbat eos esse inimanos, nec ullã iudicabat recepturos dehortationẽ, nisi admodũ mitẽ ac blandã. Quartò quoniã uidebat furorẽ esse uehementiorem

A tiorẽ q̃ ut huiuſmodi dehortatione q̃uis blãda cœpto auocari poſſent, adiecit de filiabus ſuis, quas uellet libidini ipſorũ permittere, modò hoſpites ſuos relinquerent intactos. Et cauſam adiecit, Quoniam, inq̃t, ꝓpterea uenerũt ſub umbrã tecti mei. Hoc eſt, ꝓpterea ad me diuerterũt, nõ ut libidini alicuius exponant, ſed ut q̃eſcãt, & cras iter ſuũ ꝓſequant. Quòd uerò filias ſuas uirũ nondũ cognouiſſe dixit, attẽperanter factũ eſt. Sciebat enim illos nõ teneri cupidine, ſed faſtidio potius mulierũ. ideo dixit eas eſſe ad huc uirgines, ut perſuaderet citius. *At illi dixerunt: Recede illuc. Et dixerunt: Vnus uenit hic ad peregrinandum, & nunc iudicando iudicat? Te magis quàm illos affligemus. Et uim fecerunt uiro Lot, ualde, & appropinquarunt ad effringendum ianuam.*] Commemorant iſta ad exponendũ ſcelerati populi furias. Primùm de illuc. Germanicè dicimus, *heb dich dannen.* Deinde addũt cõtumelioſam peregrinationis exprobratio nẽ. Hic unus, inquiũt, uenit ad peregrinandũ, & nũc iudicãdo iudicat? Quaſi dicãt: Inſinuauit ſe hoc nomine ꝙ eſſet peregrinus, nec aliter hic q̃ in morẽ peregrini uiuere uellet, & iã audet nobis reſiſtere perinde ac ſi ſit iudex noſter. Tertiò, & minas ſubijciũt, dicẽtes: Te magis q̃ illos affligemus, intellige niſi cedas. Quartò, uerbis addũt factum. Et uim fecerũt uiro Lot, inquit, ualde, & ap,ꝓpinquarũt ad effringendũ ianuã. Vim intulerũt Loto, nõ ut illo abuterent, ſed ut eũ repellerẽt. Ianuã effringere moliti ſunt, ut ad ipſos hoſpites eripiendos pertingerẽt. *Et miſerũt uiri manũ ſuã, & introduxerũt Lot ad ſe intra domũ, & ianuam clauſerũt. Et uiros qui erãt ad oſtiũ domus percuſſerũt cæcitate à paruo uſq; ad magnũ, & fatigabantur ad inueniendum oſtium.*] Docent iſta quid fecerint angeli, cũ Lot extra domũ cõſtitutus uim ſuã miſerũt uiri, inquit, & introduxerũt Lot ad ſe intra domũ, & ianuã clauſerunt. Deinde ſceleſtos omnes q̃t irrũpere conabant, cæcitate percuſſerũt, ne oſtiũ inuenire, nedũ effringere poſſent. Et uiros, inquit, qui erãt ad oſtiũ domus percuſſerũt cæcitate à paruo uſq; ad magnũ. Vt aũt irremiſſam illorũ nequitiã perſtringat, non dicit, Ne oſtium inuenirent: ſed, Et fatigabant ad inueniendum oſtium. Quamuis obcæcati eſſent, oſtium tamen ad fatigationem uſq; fruſtra quærebant.

1 *Abijciunt.*
2 *Exprobrant.*
3 *Minantur.*
4 *Vim inferunt.*

QVAESTIO.

Ecce, quæſo, ſunt mihi duæ filiæ, quæ uirũ nõ cognouerũt educam, quæſo, eas ad uos, & facite eis ſicut placet in oculis neſtris.] Mouẽt hic quæſtionẽ, excuſari ne poſſit, ꝙ Lot filias ſuas uirgines Sodomitis ad ſtuprã
B dũ obtulit. Alij aliter ſentiunt. Sũt qui excuſent, ſunt qui laudẽt etiã, ſunt qui reprobẽt. Qui excuſant, reſpiciũt ad enormitatẽ & abominationẽ peccati Sodomitici, q̃ cõtra naturã peccat, putãt; q̃ Lotũ licitè potuiſſe filias ſuas ad ſtuprandũ offerre Sodomitis, quo eos à tã enormi peccato auocaret, & conceſsio ne minoris mali q̃d maius fuiſſet impediret. Addũt potuiſſe eũ hoc ob id q̃ facere, ut hoſpites ſuos, q̃s ſi, cõſeruare hoſpites cõtra uim iniuſtã, quocũq; id modo fieri poſsit. Qui laudãt factũ Lot, prædicãt in illo fidẽ ac ſtudiũ erga peregrinos hoſpites. Sic ſenſit Chryſoſtomus. Quãta, inquit, erat iuſti huius uirtus? Omnẽ uirtutẽ hoſpitalitatis ſuperauit. Quid em̃ q̃s iuſti huius benignitate ſat dignũ attulerit, q̃ neque filiab. parcere uoluit, ut ſeruaret hoſpitib. honorẽ, & liberaret eos à peruerſitate Sodomitarũ? Hæc ille. Qui reprobãt, licet fateant enormius eſſe peccatũ Sodomiæ, q̃ uirginũ cõſtuprationẽ, fuiſſe; q̃ egrẽ giũ ſtudiũ Lot, q̃d & Sodomitas à tã immani ſcelere auocare, & hoſpites ſuos illæſos cõſeruare conatus eſt, dicũt tñ nõ licuiſſe illi rẽ planè malã ultrò ad maius malũ euitandũ offerre, eò q̃ nõ ſunt faciẽda mala, ut eueniãt bona, ſecundũ ſententiã Apoſtoli. In rebus corporalibus fieri poſſe ut prudẽter ferat minus malũ, q̃ maius uitet, in peccatis uerò nò ita. Meo iudicio, poſtremi iſti rectius ſentiũt. Licet em̃ leuius peccatũ admittat cõſtupratione uirginũ q̃ Sodomia, inde tñ nõ conſequit licere parẽti, ut filias ſuas, prę ſertim deſpõſatas, quales iſtas fuiſſe uolũt ad uitandũ Sodomiã, ipſe impuriſsimis nebulonib. ſtuprãdas & cuſtodiæ filiabus ſuis, q̃ hoſpitibus. In filias id poteſtatis non habet pater, ut elocet eas ad ſtuprandũ. Nec illæ patri tale quid iubẽti obedire tenent. Quare Auguſtinus factũ hoc Lot magis perturbationi mẽtis q̃ recto iudicio tribuit. Magnitudo & enormitas peccati, deniq; immanis illa impudentia irrum pentiũ impiorũ, & ſtudiũ cuſtodiẽdi hoſpites animũ illius perturbarũt, & quaſi nebula quadã confuderunt, ut parũ cõſideraret, licite ne uel illicitè filias ſuas ad ſtuprandũ Sodomitis offerret. Etiã ſi illas acceptaſſent, uſq; adeò faſtidio naturalis cõgreſſus tenebãt, & in angelos, q̃s iuuenes eſſe putabãt, exardeſcebãt, ut & uirginibus abuſi fuiſſent modis à natura alienis, & nihilo ſecius hoſpites ſibi dari poſtulaſſent, atq; ita neq; malum impediuiſſet, neq; hoſpites ſuos tutatus fuiſſet.

Vide Auguſtinũ libro contra Mẽdacium ad Conſent. cap. 9.

OBSERVATIO I.

Priuſquàm irent cubitũ uiri ciuitatis uiri Sodom uallauerũt domũ à puero uſq; ad ſenem, &c.] Quoniã hic locus experimentũ quoddã de peccato Sodomitarũ cõtinet, inſpiciẽdus eſſe uidet ad hoc, ut enormitatem ſceleris huius intelligamus, & ex illa iuſtitiã diuini iudicij, quo tota illa impiorũ hominũ colluuies interijt, cognoſcamus. Primũ, alieniſsimũ eſt à bonis moribus, domui uiri iuſti inſidias ſtruere. Sodomitæ nõ modò inſidiati ſunt domui iuſti Lot, ſed totã etiã hoſtiliter circũdederũt, ne q̃s locus eſſet elabendi. Et hoc factũ eſt nõ à magiſtratu, poteſtate publica, ſed à conciuibus, propria malitia & temeritate, idq; im punè, nemine prohibẽte. Deinde, ſi tale quid interdiu fiat, graue facinus eſt. Sodomitæ uerò nõ interdiu, ſed nocturno tẽpore, q̃d omniũ mortaliũ ſeriſsu quieti conſecratũ eſt, domum uiri iuſti cinxerunt, id quod multo eſt grauius, quàm ſi tale quid moliti fuiſſent interdiu.

Domum iuſti circumallarunt.

Tertio, fecerunt hoc Sodomitæ, nõ aliquot pauci, sed simul uniuersi, à puero usq; ad senem, omnis populus à terminis & angulis ciuitatis excitatus. Qua in re uidere licet, peccatum hoc apud Sodomitas nõ solũ pondere grauitatis suæ, sed & ex eo euasisse ad fastigium, q; populum hunc uniuersum catholicè infecerat. A puero, inquit, usq; ad senem. Inferior gradus puerorũ est, superior senum. Ergo ab imo usq; ad summum occupauerat peccatũ hoc perditissimum illum populum. Senes assuetudine peccandi, uiri furore, pueri exemplis, omnes impunitate, in hanc conspuendi sceleris colluuiem confluxerant. Quare nemo miretur quòd tam sunt horrendo exemplo deleti. Præterea obseruandum est quomodo malum hoc creuerit. Vel nullus erat amplius magistratus inter Sodomitas, qui in malos animaduerteret: uel si erat, erat & ipse catholico malo corruptus. Necesse est enim necesse est prorsus, hanc catholicam nequitiam impunitate creuisse peccandi. Fieri non potest, ut scelera excrescant in immensum, ubi parata sunt sua sceleratis supplicia. Vnde est q; à diacono ad Episcopum usq; omnes sunt catholica uitæ impunitate delinquendi? Si qui alieni sunt ab hac ia[illegible] seruantur non suapte uirtute, sed uel singulari miraculo, uel naturæ defectu, uel penuria occasionum. Catholico huic malo apud Sodomitas fomentũ præbuit & illud, q; uiuebant ex fertilitate loci in abundantia, saturitate, & ocio: Ezech. 16. Abundantia opũ ait, dant uitia. Confer huc Papistas Ecclesiasticos, & uide, an nõ hęc ipsa, opes, saturitas, & ocium, haud minus apud eos quàm apud Sodomitas, immo adhuc copiosius, inueniantur.

De temporibus extremis Lucæ 17. Matth. 24.

Simul & illud cogita. Prædixit Christus ipse Lucæ 17. ante secundũ aduentũ suũ, & extremum mũdi exitiũ, fore ut edaĩ & bibaĩ perinde atq; factum est in diebus Noe & Lot. Item fore ut abũdet iniquitas. Matth. 24. Inspice præsens hoc nostrũ seculũ, & uide, an nõ reipsa comprobeĩ catholicũ factũ esse luxũ, à puero usq; ad senẽ? an nõ, ppter peccãdi impunitatẽ passim incipiat abũdare iniquitas, & refrigescere charitas. Duo potẽtissimi fontes sunt, unde catholica profluit uitæ nostræ corruptio, saturitas ociosa, & delinquendi impunitas. Inuenias ubi adhuc aliqua uideaĩ esse castigatio uitiorũ. Vis illius capere experimentũ? Vide q; leuiter & ridiculè etiã enormia uitia castigeni, ut agnoscas licẽtiosæ impunitatis iacta esse primordia, immo à primordijs magnos factos esse, pgressus.

Quàm falsus fuerit Abraham.

Denicq; & illud apparet hoc loco, q; falsus fuerit Abrahã q putabat uel decẽ iustos reperiri posse in medio Sodomitarũ, & q; nõ defuerit promissioni suæ Dñs, qua dixerat: Nõ delebo, ppter decẽ. Etem qũo decẽ iusti homines inueniri potuissent in ea ciuitate, in qua populus omnis à puero usq; ad senem, & ab angulis & finibus ciuitatis ad tam enorme facinus absq; ullo pudore confluxit?

Hospites peregrinorum à mi-soxenis affligũtur.

Quartò, cinxerunt domũ iusti propter duos peregrinos, quos habebat hospites. Vbi sunt uiri, inq̃ũt, qui ingressi sunt ad te nocte? Quos ipsi tanq; peregrinos hospitio debuerãt accipere, nõ solũ nõ acceperũt, sed & à Loto acceptos infestare conant, illorũq; gratia molesti sunt iusto. Tales erãt etiã Gabaitæ Iudic. 19. Virũ Ephrateũ cũ uxore ac puero, nemo illorũ sub tectũ recipere uolebat, sic ut in platea mansurus fuerit, nisi à sene quodã uespere de agro reuerso hospitio fuisset acceptus. Huius domũ noctu perin de atq; Sodomitæ, ppter peregrinũ hospitem cinxerunt, optimoq; seni grandẽ molestiã intulerũt. Hoc hominũ genus non solũ alienum est ab hospitalitate, sed & contra ius gentiũ iniquũ est tã peregrinis q; peregrinorũ hospitibus. Vbi studium hospitalitatis erga peregrinos definit, proximus gradus est, ut affligantur ac molestentur, si qui adhuc sunt peregrinorum hospites.

Deplorata Sodomitarũ impudentia.

Quintò. Postularunt educi ad se peregrinos, ut turpissimã & monstrosam in illos libidinẽ exercerẽt, idq; ore impudẽtissimo edixerũt. Educ eos, inqũt, ad nos, ut cognoscamus eos. Vide deploratissimã impudentiam. Quod absurdũ est cogitatu, nõ solũ actu perpetrare uolũt, sed & palàm, absq; ulla dissimulatione, facturos se dicũt. Vsq; adeò omnẽ pudorẽ abiecerũt, ut scelus execrandũ, ipsiq; naturæ inimicũ, in contumeliã humanæ naturæ nõ iam occultè ac dissimulàter, sed palàm & citra omnẽ dissimulationẽ haud secus mohant, q; si rem facturi sint cõmuni sensu honestã. Nullũ scortũ adeò est, pstitutũ quin plus pudoris naturali congressui adhibeat, quàm Sodomitæ isti peccato suo omnium spurcissimo & naturæ humanæ inimicissimo.

Impudentia peccandi quid portendat.

Hæc est illa impudentia, quæ tantum non clamabat, uenisse peccatum Sodomorum ad summum plenæ cõsummationis fastigiũ, de q̃ dicebat angelus ad Abrahamũ: Descendã & uidebo, utrum secundum clamorẽ q uenit ad me, fecerint consummationẽ, uel secus ut sciã. Donec in latebris peccaĩ, donec pudor est peccasse uideri, donec peccata negant & absconduntur, nondũ maturuit malũ. Verùm ubi omni pudore extincto peccaĩ impudẽter, nec ullius cõscientia fugit, immo peccatũ palàm prædicaĩ ac uelut ebucnat, tũ demũ impleta est mali mẽsura, nec restat aliud q; ut diuina ultione uisitei. Huc respexit Esaias ca. 3. corripiẽs istã peccãdi impudentiã in Iudæis. Peccatũ suũ, inqt, sicut Sodoma prædicãt, nec absconditur. Et addit: Væ animæ illorũ. Sic accidit & Gabaitis, q & ipsi peccatũ suũ palàm prædicabãt, dicẽtes, Educ uirum qui ingressus est domum tuam ut abutamur illo. Et horum peccatum uenerat ad consummationem, & ad diuinam ultionem maturuerat.

Impudentia alia aliam superat.

Omne peccatum graue est in se, uerùm ipso peccato grauior est impudentia peccandi. Impudentia uerò alia aliam superat, iuxta uarietatem peccatorum. Sunt quædam peccata sic comparata, ut ueluti natura sua pudorem adferant. Qualia sunt, scortatio, adulterium, incæstus, stuprum, & cumprimis monstrosa illa Sodomia. Hic esse impudentem, omne genus impudentiæ superat, ac manifestum est deplorati mali indicium, Qui hanc induerunt impudentiam, plane testantur ridere se,

se,immò prouocare contra se Deum & homines. Horum peccata non iam in angulis ac cubiculis sunt inquirenda,sed ex ipsorum ore,uultu,gestu, & irremisso studio nō sine nausea & detestatione percipien da.Huiusmodi Sodomitica impudentia utinam non regnet in conuiuijs & consessibus præsidum Babyloniæ,qui & ipsi peccata sua sicut Sodoma prædicant,& præderastiam suam iactant.

OBSERVATIO II.

Et egressus est ad eos Lot foras, & clausit ostium retro se,ac dixit:Ne,quæso,fratres malè agatis.Ecce quæso, sunt mihi duæ filiæ,&c.] Sicuti considerauimus impudentiam Sodomitarum, ita considerāda sunt etiā quæ Lot ad hoc fecit,ut hospites suos illæsos seruaret.Egressus est,inquit,ad eos foràs. Qua in re notanda est prudentia uiri iusti.Conabatur furorē Sodomitarū compescere & auertere. Hucprimū opus esse iudicabat,ut ad eos egrederetur,ne se cōtemni putarent,ideoq; ad maiorem insaniam inflammarentur. Enim hoc genus hominū nulla re magis q̄ contemptu exacerbatur. Indigni erant ad quos uir iustus egrederetur. Verùm de eo non cogitauit Lot,sed satagebat potius,quomodo furorem illorum sedaret. Admonemur quid uir cordatus in huiusmodi casu faciat, quomodo caueat ne quid occasionis obijciat insanis,ne adhuc insaniores reddantur.

Prudēter cauendum est, ne irritentur insani ac furiosi.

Deinde,cum egressus esset foràs, clausit post se ianuā. Sicut prudentiæ erat,q̄ egressu suo cauebat,ne adhuc magis insanirēt:ita circunspectionis erat, q̄ illis ansam interea introrumpendi amputaturus ianuam post se clausit. Admonemur,sic esse furorē impiorum sedandū,ut interim caueatur,ne qua illis occasio ad perficiendā maliciā relinquatur. Qui cauet,ne se putent impij cōtemni, simul circumspiciat,ne dum ad illos egredit,ualuas, quibus irrumpant, apertas relinquat. Inutiliter cautus est, qui una duntaxat parte cautus, altera negligēs & incircūspectus, malū quod auertere uolebat, apertis foribus intromittit. Egreditur Lot ad impios,quasi illos honoret,uocat fratres, blandè deprecatur,offert filias uirgines,faciens omnia,ut furorem illorum à peregrinis auertat:at interea nihil illis fidit,sed ianuam domus in qua erant peregrini,uigilanter post se claudit. Sic prudenti cautioni adiunxit circunspectionem.

Prudenti cautioni adiūgenda est circunspectio.

Tertiò. Ne,quæso,fratres,malè agatis. Vocandi erāt impij,scelerati,spurci,immò incarnati diaboli, humanæ naturæ illusores:uerū ut blanditiæ uerborū,insaniam illorū emolliret,uocat eos fratres,& obsecrando à cœpto dehortatur. Docemur hoc exemplo,qūo agendū sit cū furiosis impijs,cum uiolenter cohiberi nō possunt.Non peccat iustus,si eos uocet fratres suos,quos etsi non pietatis & iusticiæ,naturę tamen habet cōsortes. Nō peccat,si neglecta seueritate obsecrat,quos gladio magistratus coerceri oportebat. Interea tamen non est dissimulandū q̄ malè agunt:sic non simpliciter uocat eos fratres,sed simul addit, Obsecro ne malè agatis. Consimili modo & Gabaites ille iustus Iudicum 19. dicebat: Nolite quæso fratres,nolite malum hoc facere:&, Cessate ab hac stultitia.

Vocat Lot impios Sodomitas fratres suos.

Quartò.Ecce quæso,inquit,sunt mihi duę filiæ,quæ uirū non cognouerunt,educā eas ad uos quæso, modò uiris ne quid faciatis. Primùm obserua, q̄ Lot in medio Sodomæ duas filias uirgines ac nubiles habuit.Qua in re exemplum proponitur diligentis ac sedulæ custodiæ,qua uir iustus in medio spurcissimorū hominū filias nubiles illibatas conseruauit, usqueadeò ut testari de illis posset,q̄ uirū non cognouissent, hoc est, expertæ non essent. Vel certè cogitari potest hoc loco, sic inualuisse apud Sodomitas peccatū hoc monstrosum,& humanæ naturæ inimicū,ut facillimū fuerit in medio Sodomę filias uirgines educare,propter nauseā & fastidiū muliebris cōgressus. Deinde,q̄ eas Sodomitis hac lege stuprandas obtulit,ut nihil mali inferrent peregrinis ipsius hospitibus, etsi non habeat exemplum quod sit imitandum,duorū tamen admonet. Primum est,qua fide fuerit erga peregrinos hospitio acceptos. Ius hospitium apud ueteres erat sacrosanctū.Quare detestabiles & communi odio digni habebantur, si qui perfidam in hospites suos exercuissent. Alterum est, quàm abominabile fuerit iudicio hominū piorū, peccatum illud Sodomiticum,scelus contra naturam. Vsqueadeò uidelicet,ut parati essent filias suas ad stuprandum dare citius,quàm tam enormi nequitiæ locum permittere. Sic erat & Gabaites ille iustus animatus,qui & ipse filiam suam uirginem,& præterea hospitis sui concubinam impijs obtulit,modò à nefando Sodomiæ scelere abstinerent.

Diligens filiarū custodia.

De iure hospitū apud ueteres.

Detestandū peccatum Sodomitarum.

Quintò. Nam eam ob causam uenerunt, inquit, sub umbrā tecti mei. Non uenerant angeli eam ob causam sub umbrā tecti Lot,ut securi essent à uiolentia Sodomitarū, sed ea ratione adegerat eos uir iustus ut ad se diuerterēt, ne malitię impiorū in platea pernoctantes redderentur expositi. Putabat enim eos esse uiros.Et tamen ista dicens exemplū proponit omnibus,ut considerēt qua de causa accipiant ad se peregrinos,& quid illis debeant. Vulgò dicit, *Ain &wirt sol seines gasts vatter sein.* Venire sub tectū alterius,est uenire sub illius fidē & protectionē.Huiusmodi fidei magna semper fuit ratio apud ueteres.

Cogitet quisque qua de causa cō iūctus sit sibi proximus.

OBSERVATIO III.

At illi dixerunt:Recede illuc.Et dixerunt: Vnus hic ad pegrinandum uenit,& nunc iudicando iudicat:te magis quàm illos affligemus. Et uim fecerunt uiro Lot ualde, & appropin.ad effringendum ianuam.] Cōsiderandum est principiò,q̄ dicentes, Recede hinc,respuunt omnia quæ ex Loto audierant. Nec facies uiri iusti,nec fraterna appellatio & blanda deprecatio,neq; oblata duarum uirginum copia, neq; fides hospitibus in regentium debita, quicquam effecit, nisi quòd insanos adhuc reddidit insaniores.Quid enim insanius, quàm uirum iustum quem habebant unicum, à se reijcere, iubereq; ut illinc recedat? Erat sanè crastino die recessurus,uerùm ipsorum extremo exitio.

Exemplum magnæ cæcitatis et obdurationis.

Deinde.Et dixerūt,inqt: Vnus hic ad peregrinandū uenit,& nūc iudicādo iudicat? Vide qūo insania illorum crescat. Adijciunt etiā exprobrationē peregrini incolatus.Arqui hoc nomine magis illi erat parcendum

Occasio humanitatis exercendæ uertitur in occasionem inhumanitatis.

cendum, ꝙ peregrinus erat. Et hodie inuenias Christianos, qui peregrinos nullo alio nomine probris proscindant, quàm ꝙ peregrini sunt. Sic occasionem exercendæ humanitatis uertunt in occasionẽ pro-

Impatientia admonitionum.

bri & contumeliæ. Et illud obserua quod dicunt, Et nunc iudicando iudicat. Videmus hic quàm impatiens admonitionum sit hoc hominum genus, quod omnẽ honestatis sensum exuit. Illis blanda obse cratio & fraterna appellatio, iudicij uidetur habere seueritatẽ. Idem usuuenit hodie ministris uerbi qui propter leuem correctionẽ audire coguntur, *Si wöllend vnsere herren sein, wöllend die stat regieren.*

Patroni innocentum incidunt in discrimen quod illis auertere uolunt.

Tertiò. Te magis, inquiunt, quàm illos affligemus. Et uim fecerunt uiro Lot ualde. Hæc est sors eorũ qui pro innocentibus aduersus uim impiorum intercedunt, quantumuis id blandè & moderatè faciãt, ut incidant in discrimen, quod alijs auertere uolebant.

Colophon maliciæ Sodomiticæ.

Quartò. Et appropinquauerunt ad effringendum ianuam. Post contemptum deprecationis, oblata rumꝙ uirginum, & contumeliam & minas, tandem addunt colophonem maliciæ, uiolentam ostij effractionem, quo peregrinos ui possent eripere.

Diuina dispositione fit ut reprobis omnis excusatio adimatur.

Horum omnium cõsideratione admonemur, singulari quadam dispositione Dei factum esse, quòd Lot foràs est ad impios ac deploratos Sodomitas egressus. Poterat, ne id faceret, prohiberi ab angelis, poterantꝙ scelesti statim cæcitate percuti: uerùm ita uoluit Dominus, quo manifestũ fieret, uenisse peccatum Sodomorum ad supremum usꝙ fastigium, ac prorsus maturisse ad exitiũ, ut exiret ad illos Lot, blandè & fraternè alloqueretur, à peccato tam grandi obsecrando dehortaretur, filias uirgines libidini eorũ offerret, modò in peregrinos nihil tentarẽt. Dñs inquã, suo spiritu Lotũ ad ista impulit, quo malicia nequissimorum hominũ magis ac magis erumperet, & omni prorsus excusatione priuaretur. Iam non est ut dicat quicq̃: Nemo uæsanos allocutus est, & à cœpto dehortatus. Forsan obtemperassent, si cõmodus monitor, uir aliquis ætate & honestate grauis intercessisset. Solenne est Dño, ut ad hũc modũ impijs ac deploratis hominibus omnẽ excusationẽ adimat, & maliciã illorũ cõsummatã esse declaret.

Sodomia non oritur ex inopia muliebris commercij.

Et illud consideremus, ꝙ oblatas uirgines respuerunt. Qua in re manifestè uidemus, insaniã illam Sodomiticã non oriri ex penuria muliebris cõmercij, sed ex illius nauseæ & fastidio. Nausea uerò & fastidiũ inde cõcipit, ꝙ præ nimia licentia, stuprandi, scortãdi & adulterandi uilescũt ac sordent nõ modò uiduæ, & maritatæ, sed & nubiles uirgines. Tale fastigiũ illis potissimũ locis obtinet, ubi sine ullo pudore omnis generis libido in fœminas exercet impunè, sicuti in prostibulis meretricijs fieri solet. Quare omniũ stolidissimi sunt, qui putant lupanaria publica ad hoc cõducere, ut in reliqua plebe seruari possit castitas & honestas, cũ nihil sit pestilentius, & ad alendam omnis generis libidinem & impudicitiã efficacius.

Nocuit Sodomitis quòd unũ tantum peregrinum habuerunt.

Nec illud transeundum est quod dicunt: Vnus hic ad peregrinandum uenit. Colligimus ex eo, neminem fuisse peregrinũ in ciuitate Sodomorum, nisi Lot unicum. Reliqui omnes erant indigenæ. At unus hic peregrinus & extraneus solus erat iustus, & solus ex ipsorum perditione liberatus est. Non est bona gloriatio, si qui sunt ciues indigenæ, glorientur se omnes esse indigenas, & paucos habere peregrinos. Paucitas peregrinorum inhumanitatis suspicione non caret. Satius fuisset Sodomitis, si decem peregrinos, qualis Lot erat, inter se habuissent, quàm unũ duntaxat. Gratia illorũ fuissent seruati, qui proprio scelere paulopòst perierunt. Denicq animaduerte, qua de causa peregrinum illi incolatum exprobrẽt.

Obsequium amicos, ueritas odiũ parit.

Si se sceleris ipsorum consortem fecisset, haudquaquam dixissent, Vnus hic ad peregrinandum uenit: uerùm ubi conatus est eos à proposito nequitiæ auocare, tum dignus uisus est, cui obijceretur ꝙ ad peregrinandum uenisset. Sic obsequium & iniquitatis consortium parit amicos, ueritas odium.

OBSERVATIO IIII.

Et miserunt uiri manũ suam, & introduxerunt Lot ad se intra domũ, & ianuã clauserunt. Et uiros qui erant ad ostium domus percusserunt cæcitate à paruo usq; ad magnũ, & fatigabantur ad inueniendum ostiũ.] In eo quod angeli hospitẽ suũ Lot de manibus impiorũ eripuerunt à quibus arrabat, impios uerò cæcitate percusserunt, admonemur manum Dei esse geminam, hoc est, geminum esse opus angelorũ, qui ueluti manus quædam diuinæ uoluntati seruiunt. una est, qua eripiunt & conseruant iustos à uiolentia reproborum: altera, qua reprobos puniunt ac percutiunt. Huc respexit apostolus Petrus in posteriore Epistola cap. 2. ubi sic scribit: Et iustum Lot oppressum à nephandorum iniuria & luxuriosa conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos qui de die in diem animã iustã iniquis operibus cruciabant. Nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos uerò in diem iudicij reseruare cruciandos.

Manus Dei geminа.

Diuina uirtus externis laruis palliata.

Deinde considerandum est, quòd Lotum angeli more humano de manibus impiorũ eripuerunt. Miserunt, inquit, uiri manum suam, & introduxerunt Lot ad se intra domum, & clauserunt ianuam. Perinde fecerunt ista ac si homines essent. Poterant illum etiam foris in medio impiorum constitutum seruare à uiolentia impiorum, & efficere ut nemo illorum ad ipsum usq; pertingere posset, quemadmodum fecerunt, ut ianuam inuenire nequirent. Verùm ut adhuc se homines esse simularent, humano more hospitem suum de manibus impiorum eripuerunt, intra domum duxerunt, & ianuam clauserunt. Sic abscondit & palliat se subinde diuina uirtus sub huiusmodi laruis externis, propter nostram imbecillitatem, dum nos è malis eripit per externa media, siue id hominum, siue angelorum ministerio faciat.

Quo genere cæcitatis percutiantur impij.

Tertiò, nec illud transeundum est, ꝙ impios angeli cæcitate percusserunt, sic ut ianuam, quam effringere uolebant, inuenire non possent. Cæci erant corde, propria uidelicet malitia excæcati, ut nec peccati sui enormitatẽ, nec imminens exitium intelligerent. Iam etiã oculis cæci redduntur, ut prorsus sint cæci. Vide aũt quo genere cæcitatis percussi sint. Et eos, inquit, qui ad ianuã erant percusserunt מבגדול ועד קטן, id uertunt, cæcitate. Sunt autem Sanuerim cõfusi oculorum radij, quibus turbatis fit ut nihil perspicuè ut in se

A in se est uideatur. Quod simplex est, putatur esse geminũ: quod propinquũ, remotũ: quod rectũ, distortum: quod infernũ, supernum: quod dextrum, sinistrum: quod sinistrũ, dextrum. Huiusmodi confusione radiorum percussi Sodomitæ, ianuã, etsi uidebant, neq; tamen qualis erat, neq; eo loco quo erat uidebant. Quare, inquit, fatigabãtur, uel, si mauis, laborabant ad inueniendũ eam. Hoc genus cæcitatis prorsus est mirabile, & impijs hominibus conuenientissimũ. Vident, & non uident: quærunt cum labore, & non inueniunt. Quòd si prorsus cæci fuissent, à labore quærendi cessassent. Hac imagine cæcitatẽ mentium depictã uidemus, qua impij percussi uias quærunt ad perdendũ pios, sed non inueniunt. Sapiunt, iudicant, consultant, ratiocinantur, & sunt admodum prudentes & astuti: uerùm quod Sodomitarũ oculis accidit, id accidit illorũ mentibus. Cõfusione mentis percussi sunt, ut nihil rectè intelligant, sed uelut ebrij errore iudiciorũ & consiliorũ uacillent, & quod uolunt efficere nequeant. Poterant angeli efficere, ut etsi ianuam inuenissent, effringere tamen non possent. Verùm id erat præclarius, ut ne inuenire quidem possent quã effringere uolebant, quantumuis ad illam appropinquassent. Sic posset efficere Deus ut conatus impiorũ inefficaces essent, etiamsi manus admouerẽt ad ea quæ moliuntur: uerùm ad maiorem confusionem facit ut ne inuenire quidem, nedum perficere possint quod uolunt.

Quid sentiendũ sit de studio impiorum contra pios.

Quare, si quæras, quid sentiendum sit de uniuerso impiorum hominum studio quo ueritatem Christi pessundare moliuntur, non poterit responderi conuenientius ac uerius, quàm esse molestum & ineffacem laborem ad inueniendum ostiũ domus Dei in qua sunt iusti cum angelis Dei. Hoc inani labore ad inueniendum & effringendum ostium domus Dei in hunc usq; diem frustra laborat mundus, cæcitate & amentia percussus: nec cessabit, ad exemplum Sodomitarum, donec ueniet cœlestis ille & igneus imber, quo catholica hæc Sodoma catholico deleatur exitio.

Dixerunt autem ad Lot: Habes hic quempiam tuorum, generum aut filios, aut filias? Omnes qui tui sunt, educ de urbe hac. Delebimus enim locum istum, eo quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, ut perdamus illos. Egressus itaq; Lot, loquutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et uisus est eis quasi ludens loqui. Cumq; esset manè, cogebant eum angeli dicentes: Surge, tolle uxorẽ tuã, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Dissimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum uxoris, & duarum filiarum eius, eo quòd parceret Dominus illi, eduxeruntq; eum, & posuerunt extra ciuitatem, ibiq; locuti sunt ad eum dicentes: Salua animã tuam: Noli respicere post tergum, nec stes in omni regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.

B

LECTIO.

Dixerunt aũt ad Lot.] In Hebræo est: Et dixerunt uiri ad Lot.

Habes hic quempiam tuorũ.] Hebræus habet, עד מי לך פה, id est, Præterea quenquam hic habes. Sic uertit & Græcus. Latinus interpres uoculam עד, id est adhuc, præterea, neglexit, ideoq; sensum uerborum non expresit. Non interrogabant angeli, num quempiam illic, id est in domo, haberet: sed, num præter uxorem & filias quas uidebant in ipsius esse domo, in ciuitate quisquam esset ad eum pertinens, gener, filij, filiæ, &c. Ideo dicebant, Omnes qui tui sunt in ciuitate, sicut est in Hebræo.

Vt perdamus illos.] In Hebr. est, ut deleamus eã, ciuitatẽ uidelicet. Sic habet & Græcus συντρίψαι αὐτήν.

Locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filios eius.] In Hebræo est לקחי בנתיו, id est accipientes filias ipsius, quod tam poterat uerti, Qui acceperant: quàm, Qui accepturi erant filias eius. Et Græcus uertit, ἀληψόμενος, id est qui acceperant. Sic reddidit etiam Pagninus.

Cumq; esset manè.] Hebræus sic, Et cum aurora ascendisset, uel, ascenderet. Dictio Manè generalior est ac largior quàm uox auroræ.

Et duas filias quas habes.] Hebr. ראת שתי בנותיך הנמצאות, id est, Et duas filias tuas, quę inueniuntur. sic reddidit & Pagninus. Munsterus uertit, & duas filias tuas præsentes. Chaldæus Paraphrastes: Et duas filias tuas quæ inueniuntur fideles tecum.

Dissimulante illo.] In Hebræo est, ויתמהמה, id est, Et cunctabat, tardabat, moras nectebat, hæsitabat. uerbum est מהמה quod idem est atq;, quid? quid? Nam מה significat quid. Quoniã cunctatores perpetuò habent aliquid quod causentur, & cuius gratia moras nectant. ponitur hoc uerbum מהמה pro tardare & hæsitare. Græcus pluraliter uertit, καὶ ἐταράχθησαν, id est, & turbati sunt.

Ibiq; locuti sunt ad eum dicentes, Salua animam tuam, &c.] Sic habet Hebræus: Et factum est, cum illi educerent eos foràs, dixit: Eripere, euade, effuge, super anima tua, ne respicias post te, & ne stes in omni planitie hac, ad montem eripere, uel euade.

Ne & tu simul pereas.] Hebræus simpliciter habet פן תספה, id est ne exterminer is. Græc. μήποτε συμπαραλημφθῇς, id est ne fortè simul comprehendare.

Explana-

EXPLANATIO.

Poſtquã manifeſtiſsimo exemplo declaratũ iam eratpeccatũ Sodomitarũ ueniſſe ad cõſummationẽ, tempeſtiuũ uiſum eſt angelis Dei, hoſpitẽ ipſorum de eo quod futurũ erat inſtruere, & unà cũ domeſticis ipſius de futuro exitio eripere, qua de re iam conſequenter cõmemorat Moſes. Eſt autem præſens contextus trimembris. Continet enim primùm adhortationem angelorum factam ad Lot. Deinde adhortationem Lot factam ad ipſius generos. Tertiò, eductionem Lot è ciuitate Sodomorum.

Et dixerunt uiri ad Lot: Præterea quempiam hic habes generũ, & filios, & filias, &c.] Pertinent iſta ad primum membrũ. Habent adhortationem angelorum, qua hortantur Lotũ, ut urbem egrediatur, & ſecũ educat ſuos omnes. Deinde adhortationis huius rationẽ adijciunt, dicentes: Delebimus eñ locũ iſtum, &c. quę particula trinam habet rationem. Vnam, quare debeat Lot exire Sodomã cũ ſuis omnibus. ob id uidelicet, quòd deleturi ſint Sodomã. Alteram, qua delenda ſit Sodoma. Eo, inquit, ꝙ increuit clamor eorum coram Dño. Tertia, quare ipſi Sodomã in prçſenti delere uelint. Et miſit nos Dñs, inquit, ad perdendum eam. Significabant iam inſtare exitiũ Sodomorum. Non dicũt, Delebitur enim locus iſte: ſed, Nos enim delebimus locũ iſtum. Et miſit nos Dñs ad perdendũ eum. Q. d. Iamiam perdetur Sodoma, ad hoc enim adſumus, miſsi à Dño, ut perdamus eam.

Egreſſus itaq; Lot, locutus eſt ad generos ſuos, qui acceperant filias ipſius, & dixit: Surgite, egredimini de loco iſto, quia delebit Dñs ciuitatẽ hanc. Et uiſus eſt eis quaſi ludẽs loqui.] Habẽt iſta ſecundũ narrationis huius membrũ, quo de Lot cõmemorat, quod ad ſe pertinentes è ciuitate educere inſtitit generos ſuos conuenerit, exhortatusq; ſit, ut ciuitatem egrederentur, eo quòd deleturus eſſet illam Dominus. Sicut audierat ex angelis, ſic fore credebat: ideoq; ficut ab illis erat admonitus, ſic etiã faciebat. Verùm propter rei nouitatem & inſolentiam uerbis ipſius non credebatur, immò uidebatur generis ſuis ridiculus ac delirus, dicendo: Surgite egredimini de loco iſto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Sic dicit Moſes: Viſus eſt eis quaſi ludens loqui.

Et cũ aurora aſcenderet, cogebãt Lot angeli dicẽtes, Surge, accipe uxorẽ tuã & duas filias tuas, quas inuenis, ne pereas in ſcelere ciuitatis, &c.] Referenda ſunt iſta ad tertium membrũ, quo narratur, qũo ſit Lot cum ſuis è Sodoma eductus. Cum aurora, inquit, aſcenderet, cogebant Lot angeli dicentes, Surge, &c. Quã ob cauſam Lot uſqueadeò tardauerit, ac cunctabundum ſeſe ad egrediendum præſtiterit, ut oportuerit eum ab angelis cogi, non eſt expreſſum à Moſe. Verùm, quoniam homo erat, dubium non eſt, quin humanis etiã affectibus fuerit obnoxius. Fieri potuit, ut propter generos moras necteret, expectans num ſecum egredi uellent, aut uxoris & filiarum tergiuerſatione aliquandiu fuerit detentus. Interea aurora prodibat, & tẽpus euerſionis approquinquabat. Quare cogebant eum angeli, ut egreſſum maturaret, niſi in ſcelere ciuitatis, hoc eſt, in ſupplicio ciuitatis, quod propter ſcelus ipſius imminebat, perire uellet. Cogebant autem eum nõ manu primùm, ſed uerbis inſtando, monendo & urgendo. Hebræa uox תעתר coactionem quæ feſtinantiam requirat ſignificat. Non ſimpliciter ut egrederetur cogebant, ſed ut acceleraret ac feſtinaret ad egrediendum, ſignificantes in propinquo eſſe exitium. Rurſus autem monent, ut ſuos ſecum educat, quos domi habebat, quandoquidem reliqui oblatam gratiam reſpuerent. Notanter dicit, Et duas filias quas inuenis, id eſt quas domi præſentes habes & paratas.

Et cũctabatur, & apprehenderũt uiri manũ eius, & manũ uxoris et duarũ filiarũ eius, eo quòd parceret Dñs illi, eduxerunq; eum, & poſuerunt extra ciuitatẽ.] Quoniã uerbis, quibus ad egrediendũ urgebat, nõ acquieſcebat, ſed perpetuò aliud atq; aliud cauſabatur, tandem etiam manu cogunt eum angeli, & egredi detrectantes educunt. Duo erant angeli, unus Lotum & uxorem illius, alter duas filias, eduxit. Additur ratio, quare angeli tantopere fuerint ad educendum detrectantes occupati. Eo, inquit, quòd parceret Dominus illi. Nolebat, ut cum alijs periret. Diuinæ huic uoluntati ſeruiebant angeli.

Et factũ eſt, cũ illi eduxiſſent eos foràs dixit, Eripere, ſuper animam tuam, ne retroſpicias, et ne ſtes in omni hac planicie, ad montẽ eripere, ne extermineris.] Eductos è ciuitate hortantur ad fugam uerſus montata, quoniã tota illa planicies erat euertenda. Ideo dicunt, Ne ſtes in omni hac planicie, ad montem eripere, ne exterminaris. Significabant autem opus eſſe celeri fuga. Hac de cauſa dicũt: Ne retroſpicias, nec ſtes, &c. Sciebant animos illorum nondum ſatis eſſe ad fugiendum obfirmatos, ideo monent ne retroſpicientes cogitarent de reditu ad ciuitatẽ, uel moras in ea planitie necterent, niſi perire uellent. Verbum הלט ſignificat non ſolũ eripere, ſed & ad locum aliquẽ euadere, effugere, & ſaluũ peruenire, etiã ſimpliciter abire, ſicuti uidere eſt 1. Sam. 20. 22. 27. Quare uerti poterat, Fuge ſuper omnia tua, fuge ad montem.

QVAESTIO I.

Quare monuerunt angeli de illis quos ſciebant ciuitatẽ non eſſe egreſſuros.

Habes præterea quempiã hic generũ, uel filios, uel filias.] Poterit hic quæri, quare uoluerint angeli Lotum admonere de generis, filijs, & filiabus in ciuitate exiſtentibus, ut eos ſecum educeret, cum ſcirent non egreſſurum eum niſi cum uxore tantum & duabus filiabus, quas domi ſecum adhuc habebat, ut huiuſmodi admonitio planè uideatur fuiſſe inanis.

Reſpondeo: Sciebant quidem angeli quid futurum eſſet: uerùm ut oſtenderẽt, uelle Dñm & Loto & omnibus qui ad ipſum pertinebant parcere, modò gratiam liberationis non aſpernarentur, non ſimpliciter dixerunt, Egredere ciuitatẽ: ſed, Educ omnes quos habes in ciuitate. Sic fecerũt etiã, educentes uxorem Lot, quam ſciebant tamen retroſpecturam, & in ſtatuam ſalis eſſe conuertendam. Miſsi erant non ſolum ad ſubuertendum Sodomam, ſed & ad liberandum Lot, cum ſuis, ſi qui non reluctarentur. Ideo generalem hanc gratiam Dei Loto offerunt, nec impediuntur præſcientia illa, qua ſciebant ex ciuitate neminem

neminem egressurum cum Lot. Sic declaranda erat gratia & bonitas Dei, ut manifestum fieret, proprio eos perisse uitio, qui ad salutem uocati, obtemperare noluerunt. Sic misit Dominus prophetas suos ad Israelem, cũ tamen sciret, immò prædiceret fore contemnendos, & non audiendos. Vide Ezech. 1. & 33.

QVAESTIO II.

Loquutus est ad generos suos, qui acceperant filias ipsius.] Mouet hic quæstio, quas filias Lot generi isti acceperint, an eas quas adhuc domi habebat uirgines, uel alias, quæ tũ cũ ipsis in ciuitate habitauerint. *Quas filias Lot acceperint generi isti, quibus est de egressu ciuitatis loquutus.*

Variant hic sententiæ. Aliquot Hebræi, præsertim Aben Ezra, iudicant Lotum habuisse adhuc alias quasdã filias, præter duas illas quas tum domi habebat uirgines, & ad horũ maritos locutũ esse eum ac dixisse, Surgite, egredimini. Horũ sententiæ fauere uidet, q̃ angeli non simpliciter dixerunt, Accipe duas filias tuas: sed adiecerũt, Quas habes, quas inuenis, quæ adsunt præsentes & in prõptu. q̃d adiectũ uidet specificandi gratia ac discernẽdi inter eas filias quas domi habebat, & eas quæ cũ maritis suis in ciuitate habitabãt & egredi nolebãt, sed cum illis manebant. Apparet aũt Lotum propter illas admodum fuisse anxium, ideoq̃ distulisse egressum, quòd expectaret num & ipsæ cum maritis suis egrederentur, & hoc innuisse angelos dicentes, Surge, & accipe uxorẽ & duas filias tuas quas inuenis, &c. Q.d. Quid fruſtrà expectas filias cum maritis suis hærentes? Accipe eas quas tecũ habes & uxorem, & egredere.

Verùm R. Shlomoh, Hieron. Chrysost. & Lyranus, sentiunt generos Lot fuisse sponsos adhuc earũ filiarum, quas domi habebat. Alteram sententiam impugnant, eo q̃ scriptum sit, Et locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ipsius. Ergo, inquit Hieron. nondum erant illis matrimonio copulatæ. Lyranus dicit: Si habuisset Lot filias maritatas in ciuitate & nepotes, multo citius iuisset ad saluandũ illos. Mea sententia est, non esse disceptandum in hac causa, in qua nihil est discriminis, utram sententiã teneamus. Rationes Hieronymi & Lyrani nõ sunt firmæ. Neq̃ enim habetur in Hebræo, Qui acceptu rierãt, sed quod habetur cum Græcis uerti potest, Qui acceperant filias ipsius. Neq̃ conueniebat, ut ad filias urbe educendas citra conscientiam maritorum iret Lot. Quare hoc ipso q̃ ad generos iuit, etiã ad filias egressus est. Arbitror planè non esse prorsus alienum à uero, si dicamus fuisse Loto adhuc alias filias præter duas quas domi habebat, & ad illarũ eum egressum fuisse maritos, ut eos cũ filiabus suis ab exitio eriperet. Quod dicũt duas illas domesticas, adhuc uirgines, fuisse desponsatas, & ad illarũ sponsos exiuisse Lotũ, uidetur non satis esse firmũ. Primùm enim, qũo obtulisset eas Sodomitis stuprandas, tam quam suas filias, in potestate ipsius constitutas, si iam eas desponsasset? facta desponsatione non habet pater in filiam id potestatis, ut tradat eam alijs quibus uoluerit. Deinde qua fronte cõuenisset generos suos tanq̃ generos, quorum sponsas ea ipsa nocte multitudini Sodomitarum obtulisset abutendas? Nec est, ut putemus factum illud potuisse latere sponsos, cum factum sit sub conscientia totius multitudinis, in qua forsan etiam illi ipsi generi præsentes fuerunt? Præterea quomodo non credibilius est sponsos nõ fuisse deserturos sponsas suas, quæ solent arctius amari initio, q̃ ut facilè deserãtur? Sicut gaudet, inquit propheta, sponsus super sponsa sua, sic gaudet super te Dominus Deus tuus. Amor sponsalis traxisset iuuenes ad sequendũ sponsas suas. Hæc & alia consimilia considerando conuenientius uideri potest, ut cum Aben Ezra sentiamus, quàm cum Shlomone & Hieronymo & Chrysostomo. Rursus istis fauere uidetur, quòd infrà inter duas hasce filias una uocatur in Hebræo primogenita, ut uerosimile sit nullam fuisse Loto filiam maritatam, quum primogenita adhuc uirgo esset.

QVAESTIO III.

Tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes. Item, Apprehenderunt uiri manũ eius, & manũ uxoris, & duarũ filiarum eius, eo quòd parceret Dominus illi, &c.] Quæsierit hic quisquam, quare nullam fecerint angeli mentionem seruorum & ancillarum in domo Lot existentium, sed tantum de uxore & filiabus admonuerint, illasq̃ eduxerint. Durum est dicere excluſisse Dominum iusti hominis famulitium, cuius uxorem & filias seruare uoluit. Si non excluſit, quæstio est, quare nulla sit illorum facta mentio. *Quare nulla fit facta seruorũ & ancillarum mentio.*

Respondeti potest, uel non fuisse tam temporis aliquod Loto famulitium, & sublata est quæstio: uel si seruos adhuc habuit, quorum suprà cap. 13. fit mentio, fuisse illos nõ in ciuitate, sed in agro cum gregibus ouium & armentis. Sed dicet quisq̃: Si in agro erãt serui, debebat saltem Lot illorũ habere rationem, & impetrare ab angelis, ut uocarentur ac liberarentur, quandoquidẽ ad ipsum pertinebant, & dixerant angeli, Quicunq̃ tui sunt, educ tecũ. Duo responderi possunt. Aut erant ipsi quoq̃ impij, ac meritò deserti, quemadmodum & generi, tam non credentes uerbis angelorum, ut riderent etiam: aut quoniam non erant in ciuitate, sed in agro, putauit Lot nihil illis fore periculi. Dixerant enim angeli: Quoscunq̃ habes in ciuitate, educ de loco isto, nos enim delebimus hunc locum.

Ista possunt probabilius dici, quàm si dicamus fuisse seruos in domo Lot, ab angelis præterea exclusos, q̃ non essent illius affines uel cognati, aut homines liberi. Absit. Qui seruos Abrahæ non spreuit, sed in ecclesiam suam signo fœderis obsignari iussit, seruos Lot quoq̃ non excluſisset à gratia liberationis, si quos secum habuisset, illiq̃ scelere ciuitatis commaculati non fuissent. Consimili modo cogitandum etiam est de eo, quod Noe quoq̃ cum uxore, filijs & uxoribus filiorũ absq̃ ullo famulitio arcam est ingressus, & à communi totius orbis exitio per gratiam Domini liberatus.

OBSERVATIO I.

Et dixerũt uiri ad Lot: Præterea quempiã hic habes generũ, & filios, & filias: quoscũq̃ habes in ciuitate, educ de loco isto.] Obserua. Nõ simpliciter dicũt, Surge egredere ciuitatẽ cũ uxore & filiab. sed, Præterea quẽ piã hic habes generũ, & filios & filias, quoscũq̃ habes in ciuitate, educ, &c. Quod Lot impensè debebat *Larga est liberationis gratia.*

petere,

petere, id angeli ultrò nõ rogati obtulerunt, & gratiã liberationis ad omnes illius cognatos & affines extendunt. Qua in re uidemus exemplũ diuinæ bonitatis, ꝙd illa nõ solũ ad liberandũ de perditione iustũ, sed & ad hoc propendeat ultrò, ut eos quoq; liberet, qui iusto sunt aliqua ratione coniuncti, modò gratiam liberationis non respuant. Larga est hæc gratia, non restricta. Non discriminãt angeli inter cognatos & affines Lot: nec quempiã specialiter nominant, nec excludunt aliquẽ, sed in genere: Quoscunq; inquiũt, habes in ciuitate, educ de loco isto. Non addunt, Si non sint iniusti: sed condonãt omnibus propter ipsum Lot, faciuntq; liberationis copiã, si hanc nõ aspernentur. Vide, qui liberat iustũ, sua bonitate sic eum liberat, ut de libertate sua plenè gaudere possit. Non est plenũ gaudiũ, ubi nõ est plena liberatio. Plena liberatio non est, ubi capite liberato pereunt illius aliquot membra, atq; ita gaudium de liberatione tristitia propter pereuntes concepta turbatur. Igitur quantũ gratiam diuinæ bonitatis concernebat, plena offerebatur Loto liberatio, ut plenum esset illius gaudium. Quod autem non est plenitudine liberationis potitus, uitio & culpa generorum est factum, qui monentem contempserunt.

Plenũ liberatiõis gaudium est, ubi est plena liberatio.

Simul admonemur hoc loco, quanti sit facienda cognatio & coniunctio sanctorũ. Poterant per hanc non solum filiæ, sed & generi Lot ab horribili liberari exitio, si gratiam oblatam non contempsissent.

Magnifacienda est cognatio sanctorum.

Deinde obseruandũ est, quod nõ dicunt Angeli: Nosti ne adhuc iustum aliq̃ in ciuitate? Voca & educ illum tecũ. Cum solo Loto de liberatione agunt. Ergo nõ erat præterea quisquã iustus in omni illa Sodomitarũ multitudine. id ꝙd argumentũ est uniuersos fuisse corruptos & impios. Credibile nõ est fuisse angelos unũ iustum neglecturos, si quẽ in ciuitate præter Lotũ cognouissent. Etenim qui malis quoq; propter affinitatẽ iusti parcere uolebant, qũo iustũ aliquẽ neglexissent, & unà cum impijs perdidissent?

Non fuit iustus alteruis Sodomis præter Lotum.

OBSERVATIO II.

Delebimus enim locũ istũ, quoniã magnus est clamor eorũ coram Dño, & misit nos Dñs ad delendũ eam.] Primùm obserua q; se locũ illum deleturos dicunt. Poterant dicere: Delebimus impios Sodomitas. Locus certè non peccauerat, sed illius inhabitatores. Vnde & addunt: Quoniã magnus est clamor eorũ coram Dño. Locus per se erat iucundissimus ac fertilissimus, instar paradisi, suprà 13. quare non merebatur uastationem. Verùm ob id erat Deo factus abominabilis, q; habitatores illius essent mortalium omnium pessimi & prorsus execrabiles facti. Quare ubi uidemus uastari ac deleri regiones & loca urbiũ, agnoscamus abundantiã maliciæ inhabitatorũ, propter quã loca ipsa Deo reddunt inuisa & execrãda. Psal. 107. Qui ponit, inquit, terrã frugiferã in salsuginẽ, propter maliciã inhabitantiũ in ea. Visitat Dñs subin de peccata mortaliũ flagello castigationis ad resipiscentiã. Dum id facit, loca habitationũ illorũ nõ delet, sicuti & Sodomitarũ ciuitatem nõ deleuit cũ eos gladio regũ Orientaliũ inuiserat. Verũ ubi omni castigatione cõtempta implerunt impij mensurã maliciæ suæ, ut prorsus sint extirpandi, tum demũ ipsa etiam loca habitationum ipsorum execratur & delet. Nec caret hoc genus uindictæ iusto iudicio. Quid enim iustius esse poterit, quàm ut locus, qui elegantia & fertilitate sua malorum delicijs & nephandis scelebris seruiuit, illorum etiam perditioni uastatione ac subuersione sui seruiat?

Locorum uastatio quid innuat.

Deinde considerandum est quod dicunt: Et misit nos Dñs ad delendum eam. Ergo angeli Dei boni, quales isti fuerunt, mittuntur à Deo nõ solum ad liberandos pios, sed & ad perdendũ impios. Est hæc libera diuinæ Maiestatis potentia & gubernatio, ut tam bonis quàm malis angelis ad iusticiæ suæ pariter & gratiæ exequutionem utatur. Quare non est indigna res, si homo quoq; non solum gratiæ, sed & iusticiæ Dei seruiat, modò utrunq; non sine legitima uocatione faciat.

Angelos non solum gratiæ, sed & iræ Dei seruire.

Tertiò nec illud trãseundũ est, quod cũ suprà præcedendi capite dixerit ad Abrahamũ angelus: Descendam & uidebo, an secundũ clamorem qui uenit ad me fecerint consummationẽ, uel secus, ut sciam: iam ad Lot dicunt, Et Dominus misit nos ad perdendum eam. Videntur hæc parum esse consona. Verũ si rectè considerentur, manifestè ostendunt, descendere Deum & uidere hactenus diuersum esse à descensu & inspectione hominum, quod illi ad cognoscendum incognita, ipse uerò non ad cognoscendũ, sed ad uindicandum usitat. Quare ad Abrahamum humano more, hic uerò propriè sunt loquuti angeli.

Quid sit descendere Deum, & uidere malos.

OBSERVATIO III.

Et egressus est Lot, & loquutus est ad generos suos, qui acceperant ipsius filias, & dixit: Surgite, exite de loco isto, quoniam delebit Dominus ciuitatẽ. Et fuit quasi ridiculus in oculis generorũ suorum.] Obiter obserua exemplum philotecniæ in Loto. Generi ipsius erant impij, sicut res ipsa declarauit. Debebant post contumeliam domui soceri illatam adesse, & tristem senem cum hospitibus suis consolari. Id si fecissent, nõ fuisset opus socero in discrimine illo domũ noctu pro ipsorũ salute egredi. Verùm bonus senex quantũuis in oculis illorum contemptus cum magno uitæ suæ periculo domum, quam occluserant angeli, egredi tutur, cura uidelicet & solicitudine liberandorum suorum tractus. Hunc affectum parentibus indit philotecnia multarum curarum ac sollicitudinum mater.

Exemplum philotecniæ.

Deinde. Qui acceperant, inquit, ipsius filias. Ergo Sodomitæ quãuis deploratè & catholicè cõtrà naturã & mispat cõiugij peccabant, nuptias tamen adhuc & publicũ coniugij statũ retinebant. Habebant uxores, sed fastidiebãt: & interea uiri in uiros, & fœminæ in fœminas scelerato furore exardescebãt. Qua in re uidemus spiritũ Sodomiæ nasci in cordibus impiorũ non ex penuria, sed ex fastidio mulierũ, sicut & suprà annotauimus. Videmus etiam homines impios, & ad summũ usq; corruptos speciem potuisse retinere honestatis publicæ, cuius tamen uirtutem pleno impetu proiecerant. Quid alienius à coniugio legitimo, q̃ scelus Sodomiæ? Et tamen coniugiorũ speciem nondum abiecerant Sodomitæ. Verùm Babylonicæ factionis mystæ non modò uirtutem cõiugalis honestatis, sed & ipsam externam speciem & profes-

Statum coniugij Sodomitæ retinuerant.

professionem prorsus abiecerunt, quo liberius in omne genus spurcæ libidinis excurrant.

Tertiò. Surgite, inquit, exite de loco isto, quoniã delebit Dñs ciuitatẽ. Si ex uerbis & factis de fide ali cuius iudicari potest, quæ Lot hic fecit ac dixit, satis testantur credidisse ipsum uerbis angelorũ. Si dubitasset, haudquaq; generos suos tam urgenter esset adhortatus, ut surgerẽt, & ciuitatẽ exirẽt, eo q; deletu rus esset illã Dñs. Dixisset potius: Hospites mei minãtur ciuitati huic excidiũ, & monẽt ut egrediamur, ne pereamus. Si placet, egrediamur. Quod si uera dicũt, seruabimur extrà cõstituti. Sin minus, licebit ubi uidebit redire. Nihil horũ dicit, sed asseueranter & urgenter: Surgite, inquit, exite de loco isto, quia delebit Dñs ciuitatẽ. Ergo sicuti audierat ex angelis, credebat: & sicuti credebat, sic asseueranter loquebat: & sicut suos amabat, sic ardenter & urgẽter ad egressũ ciuitatis, ne perirẽt hortabat. Habes exemplũ fidei. *Exemplũ fidei.*

Quartò. Et fuit quasi ridiculus in oculis generorũ suorũ. Obserua hic exemplum hominũ impiorũ. Audiebant urgentẽ ac seriam admonitionẽ soceri, uerùm non credebãt uerũ esse quod dicebat. Immò nec eò permouebant, ut hæsitarent saltẽ ac fluctuarent, sed securi contemnebant. Si hæsitassent, cũ socero angelos accessissent, exq; illorũ ore ueritatẽ percepissent. Securi manent, qui & sermonẽ soceri pro ridiculo habẽt. Ea erat illis reuerentia erga socerũ, hominem senem & iustũ, cuius authoritate saltẽ ad dubitandum ac metuendũ premoueri debebant. Quàm sunt aũt procul à fide, quibus etiã ridicula uidẽt ea quæ sunt credenda? Si considerassent enormitatẽ sceleris Sodomitici, & iusticiã Dei iudicis omnium, haudquaq; subuertendæ ciuitatis minas securi cõtempsissent. Habes exemplũ eorũ qui absq; timore Dei uiuentes, quascũq; diuinæ ultionis minas derident. Ridiculũ illis est, ubi de aduentu Christi iudicis, fine mundi, iudicio extremo, & catholico totius orbis incendio præmonentur. Obserua simul quæ sit sors sanctorũ in medio impiorũ commorantiũ. habebat Lot filias. Dubio procul optabat dari sibi generos pios & honestos. Sed quid faceret? Quibus dedisset melioribus, quando omnes deprauati erant? Multa coguntur facere iusti præter animi sententiã, ubi malitia cõmorantium malorũ & impiorũ uincuntur. *Exemplum hominum impiorũ ac securorum.*

OBSERVATIO IIII.

Et cũ aurora ascenderet, cogebant Lot angeli dicentes: Surge, accipe uxorẽ tuã & duas filias tuas quas inuenis, ne pereas in scelere ciuitatis. Et cunctabatur, & apprehenderunt uiri manũ eius, & manum uxoris eius, & filiarum eius, eo quòd parceret illi Dñs, eduxeruntq; eum, & posuerunt extra ciuitatẽ.] Sunt quæ in cunctatione Lot, sunt quę in facto angelorũ utiliter considerenẽ Quod cunctationẽ Lot cõcernit, exemplũ uidemus fidei & carnalis affectus inter se colluctantũ. Suprà ostendimus facta fidei, qua uerbis angelorũ credebat. In præsenti apparet carnis affectus, qui morã nectebat, & efficaciã fidei aliquantisper remorabat, quã in eo ostenderat, & generos suos tam urgenter ad exitũ hortabatur, & ciuitatis subuersionẽ tam affectu & solitudine impeditus egredi cunctabatur. Sic accidit iustis hominibus, ut credant quidem uerbo Dei, & alios ad credendũ & obtemperandum hortentur, ipsi uerò cunctanter faciãt quæ alijs suadent. *Fides et affectus carnis luctantur inter se.*

Quod factũ angelorũ cõcernit, cõsidera ordinẽ. Primũ reuelarũt Loto imminentẽ Sodomorũ subuersionem, & qũo cum suis euaderet docuerunt. Deinde cunctantẽ uerbis ad maturandum egressum urserunt. Tertiò, adhuc tardantem manu etiam apprehenderunt & eduxerunt. Qua in re uidemus non modò fidem ac sedulitatem, sed & macrothymiã angelorum. Habes exemplum ueræ beneuolentiæ & amicitiæ. Qui ex animo salutem proximi quærunt, non simpliciter quid faciendũ sit docent, sed & seriò hortantur & urgendo instant, immò inuitos etiam cogunt, & ne pereant periculo educunt. Qui beneficentiam duntaxat simulant, hoc est, non ex animo benefaciunt, obiter ac semel officium faciunt, ac statim tergiuersantes deserunt. *Exemplum ueræ beneuolẽtiæ.*

Deinde & reliqua consideremus. Cum aurora, inquit, ascenderet. Principiũ diei adfert aurora. Dies ille, dies erat iudicij diuini, & meritæ perditionis. Cum aurora ascenderet, unà cum illa ascendebat Sodomorũ perditio. Quare urgebãt angeli ad ascensum auroræ, ut Lot exitũ de ciuitate peritura maturaret, ne in scelere ciuitatis periret. Dies Dñi qui catholicæ Sodomæ imminet, habet & ipse suam aurorã, quæ iamiam dubio procul ascendit. Facies illius manifestè oculos fideliũ perstringit, à Sodomitis nec obseruatur, nec agnoscitur. Misit Dñs angelos suos, præcones uidelicet & ministros, qui ad auroræ huius ascensum excitent & urgeant ad egressum fideles. Verè felices sunt, qui auroram hanc agnoscunt, & Sodomam catholicam relinquere festinant. *Extremi diei aurora iam ascendit.*

Cogebant Lot angeli, inquit. Obserua duplicẽ coactionem. Coegerat Lot angelos, ut ad se diuerterent. Coegerunt angeli Lotum, ut de Sodoma egrederetur, & hospitiũ illud, in quod ipsos induxerat, relinqueret. Bona utraq; coactio: prior tamen humana, posterior angelica. Cogamus itaq; angelos in peregrinis, ut ad nos diuertant, & futurũ est ut imminente periculo uicissim cogamur ab angelis, ut Sodomam subuertendam egrediamur. *Duplex coactio.*

Cogitemus etiam, quæ uis sit sedulæ & instantis adhortationis, quam hic uocat Moses coactionem. Est illi locus etiam in Ecclesia Dei, in qua tamen requiritur, ut populus sit spontaneus ac uoluntarius. Non est ingratum Deo, si ministri uerbi sedulis & instantibus adhortationibus auditores urgeant, siue id opportunè fiat, siue importunè. Qua de re uide Apostolum 2. Timot. 4. *Vis sedulæ adhortationis.*

Surge, inquit, accipe uxorem tuam, & duas filias tuas quas inuenis. Quod admonetur Lot, ut saltẽ cum ijs quas domi habebat, quicquid cum reliquis fieret, quando sequi nollent, ad egrediendũ Sodomã sese accingeret, documento nobis esse debet, ut si non cũ omnibus nostris seruari poterimus, eo q; aliqui ex illis gratiam liberationis respuant, cũ ijs saltẽ qui ad manũ sunt Sodomã egrediamur. Dolet quidem *Quando non omnes, saltem quod possumus liberare debemus.*

iusto,quòd sine charis liberis, fratribus, sororibus,amicis,nonnunquam & parentibus,Sodomam exire,inq; illa relinquere perituros cogitur,quos impensissimè uellet esse saluos: uerũ quando Seruari non sustinent, satius est relictis illis euadere perniciem, quàm unà cum pereuntibus subire exitium.

Quòd ultio uocatur scelus.

Et illud obseruandum est quod dicunt: Ne pereas in scelere ciuitatis. Vbi obseruandum est primùm, quòd ultionem propter scelus Sodomitarum imminentem uocat scelus. Sic causa sumitur pro causato. Fit hoc non sine ratione. Admonemur huiusmodi locutione,quò referẽdæ sint plagæ diuinitus immissæ. Non potest manifestius ac luculentius significari, percuti nos propter peccata nostra, quàm si plagas diuinitus illatas peccata nostra uocemus. Si dicas homini podagrico, Ecce intemperantiã tuã, satis apertè admones causam podagræ illius esse uitæ intemperantiam.

Triplex perditio est in scelere.

Deinde & illud considerandum est quòd perditionem adscribit sceleri. Ne pereas,inquit,in scelere ciuitatis. Perditio triplex est in scelere. Prima est in ipso scelerato peccandi studio. Secunda in pœnis rẽporarijs,tertia in igne æterno. Prima perditur homo interior,dum omnem integritatem mentis & honestatis amittit. Secunda ipsum etiam corpus uel uitam, uel incolumitatẽ per flagellum Dei amittit. Tertia & anima & corpus pereunt in sempiternum. Quare omnium sunt insipientissimi, qui se felices esse putant,si cursus scelerum cedat ipsis ex animi sententia.

Scelera catholica innuũt adesse tempus ultionis.

Tertiò animaduerte q; non simpliciter dicit, Ne pereas in scelere malorũ & impiorũ:sed, Ne pereas in scelere ciuitatis. Multa peccabantur priuatim à multis,quorũ tamen scelera nõ poterãt uocari scelera ciuitatis. Verùm scelus illud quod factũ erat catholicum, cuius clamor ascenderat ad Dñm,& cuius publicum experimentũ editum fuerat ea nocte,rectè uocabatur scelus ciuitatis. Admonemur,ut obseruemus cursum scelerũ, sciamusq; ubi sic peccatur catholicè,ut peccatũ aliquod, peccatũ ac scelus ciuitatis dici queat,tempus adesse diuinæ ultionis,qua ciuitas in scelere suo pereat. Quare de ordine Ecclesiastico non possum diuinare aliud, quàm præ foribus esse ut pereat in sceleribus catholicis, quæ rectè possunt scelera ordinis Ecclesiastici uocari,qualia sunt Simonia,scortatio,impij cultus,&c.

Quàm sit difficile relinquere Sodomam.

Et cunctabatur,& apprehenderũt uiri manũ eius,inquit,&c.& eduxerũt eum & posuerũt extra ciuitatẽ.] Admonemur hoc loco quàm sit difficile etiam homini iusto relinquere Sodomã. Opus est angelico ministerio. Lot prorsus perisset cum suis,nisi angelorum manibus fuisset ueluti extractus. Quare orandus est Dominus,ut animalem nostrum hominem cunctantem & tergiuersantem uirtute spiritus sui ex prisina Sodomæ nostræ consuetudine extrahat.

Parcit Dominus,angeli educunt.

Obseruemus etiam adiectam rationẽ: Eo quòd parceret illi Dominus,inquit. Non dicit, Eo quòd illi parcerent:sed, Quòd parceret illi Dñs. Parcere,non est angelorũ, sed Domini. eripere eos periculis, quibus parcit Dñs,id demũ est angelorũ,qui ministri sunt pariter & iusticiæ & misericordiæ Dei. Non possunt deserere quẽ pro sua misericordia saluum esse uult Dñs, etiamsi manuprehensa fit liberandus.

Liberatus est Lot non tam propter suam iusticiam quàm propter gratiã Dei.

Simul tamen & illud obserua. Cum dicit,Eo q; parceret illi Dñs, innuit liberatũ esse Lot tardantẽ ac cunctabundum non tam propter illius iusticiam,q̃ propter misericordiã & propitiationẽ Dei, quæ in uerbo parcendi significatur. Iustus quidem erat,uerùm quoniã admonitioni angelorum usqueadeò nõ obtemperabat,ut quasi ui esset educendus,huiusmodi cunctatione merebatur, ut dignus esset,qui cum alijs in ciuitate execranda,quã exire detrectabat,periret. Quare quod ereptus est & liberatus, rectè bonitati Dei tribuitur,qui illi parcebat. Itaq; quòd 2. Pet.2. legimus, quòd Dominus iustũ Lot eripuerit, cum hac est moderatione intelligendum, quòd ereptus sit permisericordiã Dei magis quàm propter ipsius iusticiam, quæ sic erat imbecillis,ut pereundum ipsi fuisset,nisi pepercisset Dominus.

OBSERVATIO V.

Non est satis, egredi Sodomam, nisi etiam planities illius deseratur:

Et factũ est,cũ illi eduxissẽt eos foràs,dixit,Eripere super anima tua,ne retrospicias,& ne stes in omni hac planitie: ad montẽ eripere,ne extermineris.] Obseruа:non erat satis,eductũ esse de Sodoma,nisi etiam ex ipsa planitie Sodomæ euaderet. Nam & illa subuersioni erat obnoxia. Quod igitur educto de Sodoma dicunt angeli,המלט,id est euade,item, Ad montem euade,admonet nos,haud satis liberatos esse eos qui de Babylone sunt egressi,nisi etiam adhærentẽ illi planitiem euadant. Planities aũt Babylonis est,quicquid ad Babylonem pertinet,& illi subseruit:sicuti planities Sodomæ ad Sodomã pertinebat,& fertilitate sua sceleribus illius subseruiebat. Cordatus homo, cui nota est Babylon, sine ullo negocio intelliget,quæ sit planities illa,unde Babylonis nequitia fouetur.

Quid à liberatis requiratur.

Deinde,q̃d Lotũ iam è Sodoma eductũ non ducunt ad montẽ ipsi angeli,sed iubent ut ipse per planitiem ad montẽ usq; euadat,documẽto nobis esse debet, q̃ iustè requirat à liberatis, ut quod adhuc restat ad plenã liberationẽ,studiosissimè perrũpant,& ad montẽ usq; euadãt. Perinde ac si captiuo de custodia iam educto dicas:Ecce constitutus es iam extra custodiã,liber à uinculis,uide ut ad tutiora loca euadas. Sic liberatio de Babylone hæc duo requirit: unũ,ut educamur ex illa. Alterũ, ut educti ad montẽ securitatis euadamus. Babylon regnũ cõfusionis est & tenebrarũ. Mons securitatis ad quẽ euadendũ est,regnũ est Christi & ueritatis,in quo secura libertas apprehendit. Non erat satis Israeli ad plenã liberationẽ,q̃d ex Aegypto erat manuprehensa eductus,sed per desertum illi erat ad terram Chanaan euadendum.

Non est alienum à uiro iusto ut uitæ suæ rationem habeat.

Tertiò,nec illud prætereundum est,quod dicunt:Super anima tua,id est,by deim leben,so lieb dir dein leben ist. Ergo non est alienum à uiro iusto,ut in discrimine constitutus uitæ suæ rationẽ habeat,& conseruandæ illius gratia,si quo pacto poterit,ad tutiora loca euadat.

Properanter fugiendum.

Quartò,quod dicũt,Ne retrospicias, nec stes in omni hac planitie,admonemur q̃ properãter & quo serio fugiendum sit liberatis è Babylone. Qui respicit, uel moras nectit in planitie Babylonis, nondum animo

animo est à meretrice purpurata per omnia auulso, nondum intelligit quàm magnũ discrimen fugiat, nec dum satis gaudet gratusq; est Domino, quòd gratiã est liberationis adeptus. At bone Deus, quàm magnus hodie numerus illorũ est, qui cũ Loto de Sodoma educti, stant in illius planitie, & retrospiciũt.

Dixitq; Lot ad eos: Quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti gloriam & misericordiã tuam quã fecisti mecũ, ut saluares animã meam, nec possum in monte saluari, ne fortè apprehendat me malũ, & moriar. Est ciuitas hic iuxtà, ad quã possum fugere, parua, & saluabor in ea. Nunquid nõ modica est? & uiuet anima mea. Dixitq; ad eũ: Ecce etiã in hoc suscepi preces tuas, ut nõ subuertã urbem pro qua locutus es. Festina & saluare ibi, quia nõ potero facere quicquã, donec ingrediaris illuc. Idcirco uocatum est nomen urbis illius Segor.

LECTIO.

Quæso Dñe mi.] Hebr. est אל תגח גא מצא עבם, id est Ne, quæso Dñe mi. Ecce quæso inuenit seruus tuus, etc. Græcus sic: *Λέομαι νύμφιε, ἐπειδὴ εὗρον ὁ παῖς σου*, id est, Obsecro Dñe, qm̃ inuenit seruus tuus, etc.

Et magnificasti gloriam & misericordiam tuam.] In Hebr. simpliciter est: ותגדל חסדך, id est, Et magnificasti benignitatem tuam. Græcus legit *τὸ δικαιοσύνην σου*, id est iusticiã tuam, uel magis probitatẽ tuã.

Vt saluares animam meam.] Hebraicè est: להחיות את נפשי, id est uiuificando animam meam.

Nec possum in monte saluari.] Hebr. ראנכי לא אוכל להמלט החרה, id est, Et ego nõ potero euadere ad montem. Græcus melius uertit quàm latinus, *ἐγὼ δὲ οὐ δυνήσομαι διασωθῆναι εἰς τὸ ὄρος*, id est ego uerò non potero peruenire saluus ad montem.

Est ciuitas hic iuxtà, &c.] Hebræus sic habet: Ecce quæso ciuitas hæc propinqua est ad fugiendum illò, & est parua. Euadam quæso illuc.

Et uiuet anima mea.] Græcus addit, *ἕνεκέν σου*, id est propter te, quod in Hebræo non est.

Ecce etiã in hoc suscepi preces tuas.] In Heb. est, suscepi faciẽ tuã. Græcus habet, Admiratus sum faciẽ tuã.

Festina, & saluare ibi.] Hebr. Festina euadendo illò, id est ut euadas ad eam ciuitatem.

EXPLANATIO.

Dixitq; Lot ad eos: Ne quæso Domine mi, &c.] Sunt huius cõtextus duæ partes. Vna petitionẽ Lot, altera cõsensum angeli habet. Petit Lot, ut concedat sibi ciuitatem uicinã cum suis ingredi ut in illa seruet. Petitionis huius rationẽ per modũ deprecationis præmittit, dicẽs: Ne quæso Dñe mi. Dixerat angelus, Effuge, super animã tuã, ne retrospicias, & ne stes in omni hac planitie: ad montẽ aufuge: ne extermineris. Timens aũt Lot nõ posse se ad montẽ tam citò per planitiẽ eluctari, ut imminens exitiũ euadat, deprecatur eam euasionis conditionẽ, dicens: Ne quæso Dñe mi. Q.d. Obsecro Dñe, ne statuas mihi terminum, quo fugiã, in mõte. Deinde rationẽ additurus, præmittit deprædicationẽ acceptę gratiæ, ut animi sui gratitudinẽ testãdo fiducialius petitionẽ subijciat. Ecce, inquit, obsecro, inuenit seruus tuus gratiã in oculis tuis, & magnificasti benignitatẽ tuam quã fecisti mecũ uiuificando animã meam, id est uitã meã conseruando, ne cũ Sodomitis intereã: ego uerò nõ potero euadere ad montẽ, ne fortè apprehendat me malum, & moriar. Q.d. Quoniã uoluisti secundũ amplitudinẽ bonitatis tuæ seruũ tuum ab imminenti exitio liberare, quæso ne adigas me ad montẽ. Neq; enim potero sic contendere ad montana, ut seruer. Pereundũ mihi erit anteq; per planitiẽ hanc omnẽ effugiã, & ad montem pertingã. Apprehendet enim me malũ & moriar, atq; ita fruſtranea erit gratia hæc quã seruo tuo magnificè ad hoc ostendisti, ut animam meã uiuificares. Hactenus fugã ad montem deprecatus est. Subdit petitionẽ: Ecce quæso, inquit, ciuitas hæc propinqua est, ut fugiã illò, & est parua, euadam quæso illò. An nõ parua est? & uiuet anima mea. Petit ut donẽ sibi ciuitas quæ erat in planitie, in qua seruari possit. Et prædicat de illa, q̃ sit in propinquo, deinde q̃ sit parua. Propinquã esse dicit, significans citò se in illam posse recipi & seruari. quod fieri non posset, si cõnitendũ sit per totã illam planitiẽ ad montem. Parua esse secundò cõmemorat, quo facilius illam impetret. Solent enim minuta citius q̃ magna donari, & citius parcitur paruis q̃ magnis. Et dixit ad eum, uidelicet angelus: Ecce suscepi faciẽ tuam etiã hac in re. Hoc est: Ecce petitionẽ tuam admitto etiã in hac causa, cõsentio ad id quod petis. Nam susciperе faciẽ petentis, est nõ auersari ac respuere, sed clementer exaudire. Perditioni erat obnoxia ciuitas illa, q̃ attinebat illius peccata: uerũ quoniam Lot pro illa intercedebat, ut sibi in illam fugere liceret, ibiq; seruari, consensit angelus, dicens: Faciẽ tuam, id est intercessionẽ ac petitionem tuam suscipio, & propter te non subuertam ciuitatem istam, de qua loqueris. Modò illò festines. Et addidit festinationis iniunctæ rationẽ. Quoniã, inquit, non possum facere quicq̃, donec uenias illò. Hoc dicens simul turbatũ & anxiũ uirũ confirmauit ac securũ reddidit.

Petitio Lot.

Ratio petitionis.

Addit Moses de nomine ciuitatis huius, dicẽs: Et hinc est quod uocatũ est nomẽ ciuitatis illius Zoar. Antea uocabatur Bela. Sonat uox Zoar modicũ, paruum, humile & ignobile. Græcus legit Segor. Zain & literã ain per gain, & quoniam sine punctis Biblia legebant, accidit ut uocales diuersimodè proferrent, atq; ita pro Zoar legerent Segor, qua de re & suprà cap. 14. admonui.

Expositionẽ hanc præsentis loci arbitror esse simplicẽ & germanã. Alij tamen aliter exponunt. Quo niam legunt, Non possum in monte saluari, ne fortè apprehendat me malũ, & moriar, sentiũt timuisse

Aliorum expositio.

Lot,ne in monte constitutus periret, & eam ob causam deprecatum esse in fugam in montem. Deinde quia proximum est,ut quęratur, quare timuerit Lot ne periret in monte,cum ad hunc iussus esset fugere,ut in illo seruaretur, commiscuntur rationes alij alias. Sunt qui dicãt: Timuit Lot ne labore uiæ conficeretur, & in monte frigoribus enecaretur. Alij,timuit, inquiunt, ne deficeret necessarius uictus in montanis. R. Shlomoh, quem Lyranus & nõnulli ex recentioribus sequuntur, dicit timuisse Lotum, ne si in monte Abrahamo esset uicinus, respectu hominis iustioris se perderetur, quemadmodum respectu impiorum Sodomitarum habitus esset pro iusto ac liberatus:ideoq; fugam ad montem esse deprecatum,quòd in illo habitaret Abraham. Huiusmodi rationes non sunt ex scripturis desumptæ, immò manifestum est, si quis Hebræum contextum diligenter inspiciat,ortas illas esse & ignorantia,uel certè parum diligenti inspectione uerborum Lot.

QVAESTIO.

Quomodo licuerit angelis parcere ciuitati quæ cũ alijs erat subuertenda.

Ecce suscepi faciem tuã etiam hac in re, ut non subuertã ciuitatem pro qua es locutus.] Potuerit hic quæri, quõ fuerit in potestate angelorũ, ut propter petitionẽ Lot ciuitatẽ in planitie Sodomorũ sitã illæsam relinquerẽt. Aut eñ una erat ex subuertẽdis,aut nõ erat. *Si* erat,quõ illis licuit numerũ delendarũ ciuitatũ infringere,ac seruare ciuitatẽ quã secundũ mandatũ Dei debebãt subuertere? *Si* nõ erat,quõ dixit angelus se illam nolle subuertere propter petitionẽ Lot? cũ dicendum magis fuisse uideatur: Non est opus ut pro ciuitate hac ores. Non enim missi sumus à Domino ut eam perdamus, quare securus illã ingredere.

Respondeo: *Si* potuit angelus cõsentire Abrahæ, ut nõ deleret ciuitatẽ Sodomorũ, si in illa decẽ iustos inuenisset, potuit multo magis parcere ciuitati huic paruulæ, ꝓpter Lotũ iustũ, cui parcebat Dñs. Dixit de Sodomitis: Misit nos Dñs ut deleamus eos. Et tamen ad Abrahamũ dixerat: Nõ delebo ꝓpter decẽ. Posset & hic quæri: Si misi erãt angeli isti, ut delerent Sodomitas, quõ licuit illis parcere toti ciuitati Sodomorũ ꝓpter decẽ iustos, cũ & illos posset saluos educere, & ciuitatẽ secũdũ mãdatũ à Dño acceptũ delere? Dicendũ est, tenuisse angelos mentẽ Dei, quouisq; parcendũ esset in gratiã iustorũ. *Si* præcise mãdatũ illis fuisset à Dño, ut quinq; ciuitates illas delerẽt, nec ullius iusti respectũ reciperẽt, utiq; peccassent. Quod uerò nõ peccarint, res ipsa declarauit, quã non sua, sed diuina uirtute perfecerũt. Vnde manifestũ est ꝙ nihil admiserint diuersum à mente Dei. Immò sic cõparati sunt angeli, ut nihil queãt, nec uelint etiã admittere q̃d à uoluntate Dei discrepet, cuius sunt ministri. Voluntas illorũ nõ est diuersa à uolũtate Dei. Quare quicquid illi faciunt, diuinæ uoluntatis pariter & uirtutis opus esse censendũ est. Secus habet cõditio mortaliũ, qui q̃uis sancti sint & pij, errare tamẽ & facere possunt q̃d alienũ sit à uoluntate Dei.

OBSERVATIO I.

Exemplum animi grati.

Amplitudo beneficij bifariam agnoscitur.

Dixitq; Lot ad eos: Ne quæso Dñe mi: Ecce quæso inuenit seruus tuus gratiã in oculis tuis, et magnificasti benignitatem tuã quam fecisti mecũ, uiuificando animã meam: nõ potero aũt euadere ad montẽ, ne corripiat me malũ, & moriar.] De eo quod dicit, Ecce quæso inuenit seruus tuus gratiã in oculis tuis, uide supra cap. præcedenti in uerbis Abrahæ ubi dicit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruũ tuum, &c.

Deinde in eo quod dicit, Et magnificasti benignitatẽ tuam quã fecisti mecum, exemplum uidere licet animi grati, cuius est nõ solum agnoscere beneficiũ, sed illud etiã plurimi facere, ac deprędicare. Non simpliciter dicit, Benignè mecũ egisti: sed, Magnificasti benignitatẽ tuam, quam fecisti mecum. Amplitudo aũt beneficij bifariã agnoscitur. Primũ ex illius magnitudine, deinde ex cõsideratione propriæ utilitatis, quãdo iudicamus indignis & immeritis, immò malè etiã meritis magnopere esse benefactũ. Sic utroq; nomine agnoscebat Lot ac prædicabat diuinæ benignitatis amplitudinẽ, ꝙ in se magna esset, id quod exprimit dicens, Viuificando animã meam, & quod præter omne meritum gratuitò obuenisset. quod fatetur, cum se seruum nominat, & gratiã in oculis Domini inuenisse dicit. Ad hunc modum & Iacob infrà gratiã à Domino acceptam amplificat, dicens: Minor sum cunctis miserationibus tuis & fide quã implesti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.

Infrà cap. 32.

Qui in præsenti difficulter eripi se patiuntur, tandem beneficium agnoscunt.

Magnificasti, inquit, benignitatẽ tuam quã fecisti mecum, uiuificando animã meam. Vide posteã esset manu angelorũ prehensus, & extra Sodomam cõstitutus, agnouit admodũ benignè secũ esse factũ, cum tamẽ antea cunctatus esset usqueadeò, ut oporteret ipsum quasi ui educi, & periculo eripi. Sic etiamnũ multis accidit, qui ꝙ coacti fuerunt ad ea quæ salutem ipsorum cõcernunt, tandem sic agnoscunt ut fateantur factũ esse secum benignissimè, cum tamen antea reluctati essent: & nisi coacti fuissent, propriæ saluti restitissent. Quare admonemur hoc exemplo, quàm non debeamus impediri à proposito beneficiendi proximo, etiamsi reluctentur, nequeantq; hortationibus ac monitis lucrifieri, sed cogendi sint, ac quasi uiolenter ex ipsorum perditione eripiendi. Erit olim ut cognoscant & grati deprædicent.

Gratitudo de acceptis, uiam aperit accipiendis.

Et illud obserua, ad quẽ finẽ accepti beneficij gratiã amplificet ac deprædicet. Petiturus erat, ut daret sibi ciuitas propinqua ad quã fugeret. Petitioni huic agnitionẽ ac deprædicationẽ accepti iam beneficij præmittit, ne uideat impudens esse, & improbus petitor, qui accepta beneficia uel nõ agnoscat, uel parui ducat. Sic faciebat & Iacob, cũ loco supra citato petiturus esset à Dño, ut se de manu fratris sui Esau eriperet. Et reuera indignus est qui plura quantumuis sit petax accipiat, qui sic plura petit, ut acceptã gratiam dissimulet, & minoris faciat. Gratitudo de acceptis uiam aperit accipiendis, ingratitudo claudit.

Lucta animi inter fidem & fiduciam fluctuantis.

Non potero, inquit, effugere ad montẽ, ne apprehendat me malũ, & moriar. Habes exemplũ mirabile animi angustiati inter fidẽ & fiduciã, propter periculi magnitudinẽ, fluctuãtis. Credebat Lot, alioqui nec generos suos adhortatus fuisset ut exirent ciuitatẽ, quam Dñs esset subuersurus: nec agnouisset amplã sibi cotigisse gratiã, ꝙ eductus esset ex Sodoma, ne periret. Hæc omnino erant testimonia animi

non

non increduli, sed credentis. Deinde anxius erat, fluctuans, & timens, ne sic quoq; periret, si eluctandum ipsi esset ad montem. Ista anxietas testabatur de fiduciæ defectu, non de incredulitate. Quamuis crederet uerbis angelorum, haud satis tamen fidebat, posse se euadere. Et hic defectus fiduciæ generabat timorem, faciebatq; ut fides esset non secura, sed contremiscens. Ergo uidemus hoc exemplo, non esse alienũ à credentibus, ut in ipsa fide propter fiduciæ imbecillitatem timeant & contremiscant, sic ut timor ipse manifestè testetur de fide: tamq; absit ut ex eo iudicandi sint esse infideles, ut nisi crederent, sic timere nõ possent. Non timebant generi Lot, quia uerbis angeli, quæ audierant ex ipso, non credebant. Si crederent, si fiduciam fidei coniunxisset. Quòd non coniunxit, infirmitas erat fidei. Sic Christus Petro credenti quidem, simul tamẽ & dubitanti & timenti dicebat: Modicæ fidei, quare dubitasti? Matth. 14. Huiusmodi exempla diligentissimè sunt obseruanda cùm ad nostram ipsorũ consolationẽ, tum cautionis gratia, ne temerè iudicemus ac damnemus homines fluctuantes in periculis ac timentes.

OBSERVATIO II.

Ecce quæso ciuitas ista propinqua est ad fugiendum illò, & est parua, fugiam quæso ad illam. An non est parua? & uiuificabitur anima mea.] Obseruandum est hoc loco, quid profuerit ciuitati huic Belæ, ut pereuntibus cæteris quatuor, ipsa seruaretur. Duo cõmemorat de illa Lot. Vnũ, q̃ esset propinqua, hoc est, accõmoda ipsi ut ad eam festinanter posset effugere, propter uicinitatẽ. Alterũ, quòd esset parua, ideoq; magis capax diuinæ misericordiæ q̃ Sodoma ampla illa & prorsus corrupta. Ergo in discrimine rerũ utile est, propinquũ & accõmodum esse sanctis angustiatis & trepidãtibus, ut effugiũ & latibulum inuenire queant: deinde & humile esse & modicũ, eo q̃ ijs quę parua sunt & humilia, citius parcatur à Domino.

Quàm sit utile esse paruũ & propinquum sanctis periclitantibus.

OBSERVATIO III.

Et dixit ad eum: Ecce suscepi faciem tuam etiam hac in re, ut non subuertam ciuitatem de qua locutus es.] Videmus etiã hoc loco, perinde atq; in capite præcedenti, propè nihil esse quod sanctis & uel mediocriter pijs hominibus in rebus seriijs ac necessarijs negetur. Qua in re cogitandum est, infinitã esse bonitatẽ & gratiã Dei erga eos qui se timent & obseruant. Multæ efficaciæ est oratio iustorũ, siue pro alijs, ut Abraham: siue pro se ac suis, ut Lot, orent ad Dñm. Verùm studiosissimè cauendũ est, ne id referatur ad meritum iustitiæ sanctorum, sed potius ad naturã diuinæ bonitatis. Suscepi, inquit, faciem tuã etiam hac in re. Quæso quæ est hominis facies ac dignitas corã Domino, ut accipi & honorari mereatur? Tolle bonitatem Dei, quem dabis hominem sic iustum ac pium, ut facies ipsius in iudicio Dei subsistere possit?

Quàm sit efficax oratio sanctorum.

Vt non subuertam, inquit, ciuitatem de qua locutus es. Ergo propter faciem & uerba Lot parcebatur huic ciuitati. Si propter Lotum trepidantem ac fluctuantem parcebatur ciuitati isti, profuit igitur illi imbecillitas fidei, qua fluctuabat Lot. Quid igitur faciet firma sanctorum fides intercedens pro periclitantibus, si tam efficax est infirma & uacillans?

Si tam est efficax fides infirma, quãto magis firma & ualida.

OBSERVATIO IIII.

Festina, effuge illò, quoniam non potero facere quicquam, donec ueniàs illò.] In eo quod iubet festinare Lotum, documentum datur, requiri ab ijs qui è periculo eximuntur, ut properent. Odit enim Dominus ignauos, desides, cunctabundos, pigros, remissos & hæsitãtes. Quid enim huiusmodi ignauia & remissio aliud spirat, quàm cœlestis gratiæ pariter & urgentis periculi contemptum?

Properandũ esse liberatis.

Deinde & illud est obseruandum, quod addit dicens: Quia non potero facere quicq̃ donec perueniàs illò. Non dicit, Nolo facere quicq̃: sed, Non potero facere quicq̃, donec perueniàs illò. Habet hæc parcula magnã & insignem consolationẽ fidelium, quibus in periculis ac discriminibus rerum parcit Dns. Non potuerunt angeli sic perdere impios, ut simul perderent Lotum. Quare? Quia parcebat illi Dñs. Est igitur impossibile etiam angelicæ uirtuti, ut faciant quicquam contra salutem fidelium, etiam timidorum & fluctuantium, nedum humanæ siue maliciæ siue potentiæ. Si Deus pro nobis, inquit Apostolus, quis contra nos? Ne angeli quidem, nedum inferiores potentiæ. Vide Rom. 8. circa calcem capitis.

Contra salutem eorum quos saluat Dominus nihil possunt ne angeli quidem cœlestes, nedũ inferorum portæ.

OBSERVATIO V.

Ideirco uocatum est nomen ciuitis illius Zoar.] Non debemus cogitare factũ esse hoc temerè, quòd ciuitas seruata, mutato nomine pristino, à causa conseruationis nominata est Zoar. Antea uocabatur Bela, id est corruptio & perditio. Postea dicta est Zoar, id est parua, eo quòd Lot hoc nomine pro illa ostas etiam ipso nomine corrupta ac perdita sic seruata est, ut uocaretur pro perdita paruula & exigua, quo ipso admoneretur nomine, diuinæ hoc deberi gratiæ, quòd humilitati ipsius orante Lot pepercisset Dominus, essetq; monumentũ ad oculum cunctis spectantibus euidens. Vnde admonerentur, parcere Dominum, dum exitium infert magnis & superbis.

Consilium mutati nominis ciuitatis Belæ.

Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor. Igitur Dñs pluit super Sodomã & Gomorram sulphur & ignem à Dño de cœlo, & subuertit ciuitates has, & omnẽ circa regionẽ, uniuersos habitatores urbiũ, & cuncta terræ uirentia. Respiciensq; uxor eius post se, uersa est in statuã salis. Abraham aũt consurgens manè, ubi steterat prius cũ Dominо, intuitus est Sodomã & Gomorram, uniuersam terrã regionis illius,

uiditq; ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum. Cum enim subuerteret Dominus ciuitates regionis illius, recordatus est Abrahæ, & liberauit Lot de subuersione urbium, in quibus habitauerat.

LECTIO.

Viditq; ascendentē fauillā.] Hebraicē sic habet: Et uidit, & ecce ascendit fumus terræ sicuti fumus fornacis, aut camini. Græcus uertit: Et uidit, & ecce flāma ascendit de terra, sicuti uapor camini. At in Hebræo non sunt diuersæ uoces, quæ significent alia fauillam, alia fumum: uel alia flammam, alia uaporem. sed uox unica כִּיטֹר, id est fumus, bis ponitur.

Cum enim subuerteret Dñs] Hebr. sic: Et factū est cum perderet Deus ciuitates planiciei, recordatus est Deus Abrahæ, & emisit Lotū de medio subuersionis, cū subuerteret ciuitates in quibus habitauit Lot.

EXPLANATIO.

Sol egressus est super terrā, & Lot ingressus est Zoarā.] Historiā incendij Sodomæ & Gomorrhæ Moses breuiter cōplectitur. Quòd solē super terrā egressum esse dicit, παιρολογίαν habet, quo scilicet articulo diei cœperit hoc incendiū. Ad solis uidelicet exortū. De Lot, quòd Zoarā tum sit ingressus, ideo scribit, quòd angelus anteà dixerat, nihil se facere posse, priusq; ille ciuitatē, pro qua rogauerat, esset ingressus.

Et Dñs pluit super Sodomā & Gomorrā sulphur & ignē à Dño de cœlo.] Describit ipsum incendiū. Primùm, quis operatus sit hoc incendiū. Dñs, inquit. Deinde, quō. Pluit, inquit, super Sodomā & Gomorrhā sulphur & ignē. Verbo pluendi copiā & abundantiā, uocibus sulphuris & ignis materiā instrumentalem & cōsumtricē expressit. Tertiò, unde. A Dño, inquit, de cœlo. Sic ultionē hanc cœlestē ac diuinā fuisse significat. Dñs, id est angelus ille, quē & aliàs uocat Dnm̄, pluit super Sodom. & Gomorrā sulphur & ignē nō magicis artibus, sed à Dño de cœlo, id est ab ipso Deo cœlitus. Non est putandū, quòd de duobus dominis loquatur Moses, perinde atq; nec Paulus cum 2. Tim. 1. dicit: Det illi Dominus misericordiam inuenire à Domino in illa die. Vide Chrysost. & Theophyl.

Et subuertit ciuitates has & omnē planiciem & cunctos habitatores urbiū & uirentia terræ.] Opus incendij quarto loco ponit. Subuersio uidelicet ciuitatū & totius planiciei illius. Per subuersionē intellige omnimodā uastationē & excidiū. Et nos Germani uoce hac sic utimur, ut subuerti dicamus, quæ prorsus uastantur. Subuertit, inquit, ciuitates has. Sodomā uidelicet & Gomorrhā, super quas Dñs imbrē igneum demisit. Et omnem planiciem, Iordanis scilicet, in qua ciuitates istæ sitæ erāt. Addit, Et cunctos habitatores urbium, & uirentia terræ. Sic uoluit Moses plenam & perfectam uastationem exprimere, ut intelligamus omnia esse subuersa, ciuitates, & quicquid in illis erat, planiciem omnem cum omnibus arboribus & quicquid præterea in illa extiterat.

Et respexit uxor eius post ipsum, & facta est in statuā salis.] Post incēdij huius descriptionē etiā ea subiungit, quæ unà cum illo contigerunt, uidelicet, de uxore Lot, & de Abrahamo. De uxore Lot, quòd uersa sit in statuam salis, quod illi accidit per imbrem illum igneum, & sulphuraceū, dum retrospiciendo moras in planicie necteret, & uiro ad Segor cōtendenti nō adhæreret. quod Moses sic expressit. Et uxor eius respexit מֵאַחֲרָיו, id est de post ipsum. Debebat uirū suū euestigio subsequi, uerū à tergo illius ad ciuitatē respiciebat, atq; ita dum in itinere tardat, exitio Sodomitarū corripit, & in salis statuā exusta mutat.

Et Abrahā manè surrexit ad locū ubi steterat coràm Dño, & prospexit uersus Sod. & Gomor. & uersus terrā planiciei, &c.] Non potuit Abrahā curā pro Sodomitis ponere, qua præcedenti die pro illis coràm Dño intercesserat, ideoq; manè surgit, egredit, & regionē Sodomorū contuetur, expectaturus quid nam illis esset euenturū. Non diffidebat, si decem iusti in illis essent, nihil mali passuram ciuitatē, sed saluam futuram propter iustos secundum promissionē à Dño acceptam: uerū quoniā ignorabat quot in illa essent iusti, anidus cognoscendi exitus, in locum illum sese recipit, unde planiciē Sodomorū prospiceret. Locū hunc Hieron. in Epitaphio Paulæ uocat Caphar Barucha, id est uillam benedictionis: sic opinor dictā, quòd eousq; Dñm prosecutus Abrahā accepta benedictione loco ualedictionis post colloquiū ad suos reuersus sit. Et tribuit illi supercilium, unde & amplissima solitudo & regio Sodomorum prospiciuntur. Videbit autem indicium incendij, fumum uidelicet de terra ascendentem, sicut fumum camini incensi: unde satis intelligere poterat, non fuisse 10. iustos in ciuitate.

Et factū est, cū perderet Deus ciuitates planiciei, recordatus est Deus Abrahæ, & emisit Lot de medio subuersionis, &c.] Adijciūtur ista propter præmissam intercessionem Abrahæ, ad significandū non esse Dñm illius oblitū, cū subuerteret Sodom. & Gomor. sed memorē huius in eo se declarasse, & Lotū de medio subuersionis eripuit.

QVAESTIO I.

Quare igni sit adiectū sulphur.

Et Dñs pluit super Sodomā & Gomorrhā sulphur & ignē.] Quæsierit hic quis q̄, ad quid Dñs igni uoluerit adijcere materiā sulphuris. Neq; enim temerè factum esse credendum est. Sunt qui hanc reddant rationem. Quoniā ultio illa immittebatur Sodomitis propter abominabile scelus, quo fœdè in naturā ipsam peccabāt, cōueniebat ut & igne & sulphure punirent. Igne, quo, ppter ardorē illicitæ libidinis arderēt, sulphure, cuius fœtore, ppter fœditatē sceleris cōficerent. Habēt isti suas cogitationes. Arbitror aūt haud alienū esse à uero, si dicamus igni adiectū esse sulphur, quo incendiū reddereť nō solū graueolens, sed & ignis ille cœlitus demissus per materiam sulphuris omnia passim, facilè, ac subitò corriperet, & nusquā extingui posset.

QVAESTIO II.

De numero ciuitatum quæ interierunt.

Et subuertit Dñs ciuitates illas & cunctā planiciē.] Quærēdū hic est de numero ciuitatū, quas Dñs subuer-

tisse

tisse commemoraſ. Si de incendio iſto nulla alia ſcriptura extaret q̃ hæc præſens, putare poſſemus duas haſce dũtaxat ſubuerſas eſſe ciuitates, quas hic Moſes recẽſet, Sodomã uidelicet & Gomorrã: uerũ ſi ex unico S. ſcripturæ loco ad hãc eſſet quęſtionẽ reſpondendũ, cõtradicerent reliq. Nã Deu. 29. manifeſtè ad numeranſ adhuc aliæ duæ ciuitates, Adama uidelicet & Zeboym, quæ & Oſeæ 11. commemoranſ, ut appareat quatuor fuiſſe ciuitates iſto cœleſti incendio correptas ac ſubuerſas. Quare manifeſtũ eſt, nõ duas tm̃ eſſe ſubuerſas, ſed quatuor. Quid aũt dicemus de eo, ꝙ cõmuniter q̃q; ciuitates deletæ dicunſ? Et ne q̃s errorẽ uulgi S. ſcripturã ignorãtis cauſeſ, ipſi hiſtoriographi q̃q; ciuitatũ mentionẽ faciũt, id ꝙ nõ ij tantũ, q̃ poſtremis hiſce tẽporib. de reb. antiq̃s, remotis ac nõ uſis ſcripſerũt, ſed & ipſe Ioſephus, q̃ ſcribit ſuperesſe etiãnum ac uideri diuini ignis reliqas, & q̃q; ciuitatũ umbras, ſicut & ſtatuã ſalis, in quam uerſa eſt uxor Lot, quã ſe uidiſſe dicit. Strabo ponit ciuitates tredecim. Gloſſator canonũ de pœnit. diſt. 1. ca. Sed & cõtinuo, ſic dicit: Sex fuerũt ciuitates quas deſtruxit Dñs iuxta Iordanẽ, Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim, Segor, Eleale, quæ eſt Bale. Hæc ille. Error eſt in eo ꝙ Elealẽ dicit fuiſſe Bale, cũ teſte ſcriptura Bale ſit eadẽ quæ Segor. Sũt ex noſtris q̃ exiſtimãt fuiſſe circiter 25. Cogitari poteſt, ſi uera ſcripſit Ioſephus, ciuitatulã Zoarã, poſtq̃ egreſſus eſſet ex ea Lot, unà fuiſſe cũ reliq̃s 4. cõmuni exitio inuolutã. id q̃d & Lyranus ſenſit. Quòd eñ uoluit illi parcere Dñs, uoluit ꝓpter Lotũ. Illo egreſſo, nõ fuit ratio cur amplius ſeruareſ. Quòd alij plures ciuitates in ea regione perijſſe iudicãt, nõ eſt ex hac Sodomorũ ſtoria ſumptũ, ſed potius de toto lacu, quẽ Aſphaltitidẽ uocãt, & plures ciuitates toto illo ſinu ſuo inuoluiſſe exiſtimãt. Scribit eñ de illo Ioſephus, ꝙ lõgitudine ſua quingenta & octoginta ſtadia continẽs ad Zoarã Arabiæ uſq̃ extendaſ. Significare aũt uideſ Zoarã hãc quã Arabiç accẽſet, aliã fuiſſe ab ea quę Sodomæ uicina fuit, & poſtea cũ reliquis quatuor ſubuerſa eſt: modò certũ ſit ꝙ adhuc q̃q; ſubuerſarũ ciuitatũ umbræ & reliquiç uiſanſ. Hęc, ꝓpter uerba Ioſephi dixerim, uerùm placet magis, ut Hieronymo credamus, qui de Segor ſcribit, ꝙ ſola de quinq; ciuitatibus Sodomorũ precib. Lot reſeruata, mari mortuo immineat, fueritq̃ tũ in ea præſidium Romanorum, & gignatur apud eam balſamum.

QVAESTIO III.

Et uniuerſos habitatores urbium.] Quærunt hic de infantibus Sodomitarum, quorum dubio procul magnus in ciuitatibus iſtis & planitie intermedia fuit numerus, qua nam iuſtitia illi quoq; cum reliquis perditioni fuerint traditi, cũ participes ſceleris nec eſſent, nec eſſe poſſent. Ambroſius libro 1. de Abrahamo patriarcha cap. 6. quoniã quod in Ebræo eſt, מִנַּעַר וְעַד זָקֵן, id eſt, à puero, uel adoleſcente, iuuene, &c. uſq̃ ad ſenẽ, legit, Ab infante uſq̃ ad ſenẽ totus populus pariter circundederũt domũ, &c. ad hũc modũ annotat: Nulla ætas erat culpæ immunis, ideo nullus immunis exitij fuit. Et qui poſsibilitatẽ peccãdi criminis nõ habuit, habuit affectũ. Effœtę uires ſenũ, ſed mens plena libidinis. Hæc ille. Et maleſ legit, quod ſcriptura nõ habet: & infantibus tribuit, quod illis ineſſe nõ potuit. Et eñ nõ modò poſsibilitatem, ſed nec affectũ perpetrãdi criminis per ætatem dũ habere potuerunt infantes, de quibus quæritur. Quare nõ ſatisfacit quæſtioni. Auguſtinus in quæſtionibus ex ueteri Teſtamento, quæſt. 13. ſic habet: Si iudiciũ Dei iuſtũ eſt, quare infantes ſimul cũ infantibus cremati ſunt? ut nimis impiũ facinus Sodomitarum poſsit aduerti, peccatũ eorũ peruenit uſq̃ ad necẽ filiorũ ipſorũ, ne de origine illorũ ſignũ aliquod remaneret: Nonne prouiſum eſt illis, ne diu uiuentes exempla ſequerenſ patrũ? A gehenna enim liberi ſunt in aliena cauſa occiſi. Parentes enim tam pro ſe q̃ pro his rei ſunt. Quia ut eorũ opera oblitterarenſ, omnis ꝓgenies ipſorũ eraſa eſt. Hęc Auguſtinus, qui quidẽ nõ inſcitè admonet quare Deus infantes Sodomitarum cũ parentibus ipſorũ delere noluerit, & q̃ fuerit hoc illis melius, q̃ ſi in uita hac ſeruati fuiſſent: uerùm nõ oſtendit rationẽ, qua iuſtitia Dei in hoc & conſimilib. alijs factis defendaſ. Aliud eſt docere quare quid, & aliud q̃ iuſtè ſit factũ. Meo iudicio cõfidenter dicendũ eſt, quotieſcũq; iuſtitia operũ Dei in quæſtionẽ rapit, nõ eſſe uocanda in ius quæ Deus facit: de q̃ illius iuſtitia non ſic ſentiendũ, ſicuti de iuſtitia hominũ. Homo ſi facit quod iuſtũ eſt, non ideo iuſtum eſt, quia ipſe hoc facit: ſed quia iuſtũ eſt, ideo ab ipſo fieri debuit. De operibus uerò Dei nemo rectè ſenſerit, ſi dicat ea ideo fieri ab illo, quòd iuſta ſint: & non magis ob id eſſe iuſta, quòd ab illo fiant. Iuſtus Deus eſt in omnibus operibus ſuis, cuius iuſtitia non eſt ad rationis noſtræ cæcutientis, immo cæcæ tenebras exigenda & examinanda, ſed ex illius factis & uerbis diſcenda, agnoſcenda, & exoſculãda. Sic dico in eo quòd infantes Sodomitarũ quamuis ſceleris nec facto nec affectu participes eſſent, unà tamen cum parentibus impijs ac ſceleratis exterminati ſunt, non tam eſſe conſiderandũ quid, quàm à quo ſit factũ. Si homo ſic puniat ſceleratos parentes, ut unà cũ illis occidat etiam infantes, ex ipſo facto de qualitate facti iudicandũ eſſe probariq̃ non poſſe cenſuerim, quòd iuſtè occiderit infantes, in quib. nulla criminis ab homine iudice puniendi culpa reperiſ. Vbi uerò Deus infantes prioris mundi diluuio, Sodomitarũ incendio, Chore, Dathan, & Abyron, terræ hiatu, unà cũ ſceleratis parentibus exterminat, non eſt de hoc illius facto tam ex qualitate facti, quàm ex qualitate facientis iudicandũ, qui quemadmodũ quòd nõ ſtatim uniuerſum hunc mundũ prorſus delet, non ideo id facere cenſendus eſt quòd iuſtè hunc mundũ delere non poſsit, ſed q̃ per patientiã deſtinati finis tẽpus expectat: & interea, quæ iuſtè punire poterat, clemẽter tolerat: ata nõ peccat dũ, ꝓpter impœnitentiã pariter & extremã malitiã, extremã q̃q; perditionẽ ſic inducit, ut nõ ſolũ impios, ſed & ſemẽ illorũ, ꝓrſus exterminet. Quicq̃d huiuſmodi cũ genere mortaliũ facit, facit tanq̃ Dñs in ſuo ac de ſuo q̃d uult, & tãq̃ iudex de perdito ac corrupto q̃d ipſe nouit eſſe iuſtũ & æquũ. 40. Diſt. Si Papa, tribuit Romano pontifici, ꝙ à nemine debeat iudicari, ꝓpterea ꝙ ipſe iudicet oẽs. Ob ſecro, an nõ magna blaſphemia eſt & ſingularis quędã impietas, huiuſmodi prærogatiuã tribuere homi-

De infantibus Sodomitarum.

40. diſt. Si Papa.

ni peccatori,ut quicquid faciat etiamsi innumera animarum millia non ad terrenam aliquam perditionem,sed ad infernalem ac sempiternã secũ trahat,à nemine sit iudicandus,& in quæstionem iustitiæ uel iniustitiæ rapiendus,eo quòd ipse iudicet de omnibus, & interea iudicia Dei iudicis omnium, qui solus iudicat omnem terram quibus ille pœnas de reprobis sumit,in ius uocare, & quærere sit ne iustũ quod facit uel iniustũ? Absit hæc impietas à mentibus piorum, ut plus reuerentiæ ac religionis erga hominis peccatoris facta quàm erga iudicia Dei declarent. Quin potius quod impiè tribuitur Romano eidolo, nos piè Domino Deo nostro tribuamus.

QVAESTIO IIII.

Quid sentiendũ sit de salute Sodomitarum.

Quæritur etiam hoc loco,quid sentiendum sit de salute uel condemnatione Sodomitarum,an sic deleti sint temporaliter,ut æternę quoq; sint condemnationi subiecti. Trina potest hic consideratio nasci. Prima,an omnes sint saluandi in extremo iudicio,qui in hac uita propter peccata sua temporaliter exterminantur. Secũda,an sentiendum sit omnes esse in sempiternũ condemnatos. Tertia, an non omnes sint æternæ condemnationi obnoxij, sed aliqui ex illis salui futuri. Potest nanq; de illis dici, q; uel omnes uel nemo,uel aliq tantum salutem sint consequuturi. Quod primam considerationem attinet, uide quæ suprà cap.7.ibi, Consumpta est omnis caro &c.secunda sunt quæstione annotata. In secunda consideratione durum est,si dicamus omnes eos damnari in sempiternũ, qui singularibus exemplis temporaliter ex hac uita diuina ultione delentur,quasi temporalis ultio æternæ habeat perditionis argumentum,quod falsum esse uel in illis qui diluuio catholico exterminati sunt,1.Pet.3. uideri licet. Quare securius est, ut secundũ tertiam cõsiderationem sentiamus in huiusmodi plagis & exitijs catholicis aliquos esse qui sic temporaliter puniant,ut tamen in die iudicij saluentur. In horum classem reijcit Augustinus infantes Sodomitarũ. Arbitror non esse impiũ si etiã de adultis aliquot,sembus,ægrotis,fatuis,& uxore Lot idem sentiamus. Illud tamen admonuerim,securius ac modestius esse,ut de talium hominum salute uel damnatione ęterna sententiam nostram reuelationi iusti iudicij Dei subijciamus,quod in die est extremo futurũ,cuius Apostolus Paulus in Epistola ad Romanos cap.2. mentionem facit.

QVAESTIO V.

Quomodo uxor Lot incendio correpta sit.

Et respexit uxor eius depost ipsum,& facta est in statuam salis.] Poterit hic quæri,qũo uxor Lot incendio Sodomorũ correpta sit,cum unà cum illo extra ciuitatem educta simul etiam in itinere illi fuerit cõiuncta. Quod facta est in statuam salis, non est singulari aliqua plaga, sed cœlesti & sulphureo factum incendio,quo Sodoma exterminabatur. Et factum est propterea q; deposit uirum suum retrospexisset. Quæritur igitur quomodo illæso Lot,ipsa sit imbre igneo correpta.

Facilis est responsio. Non simpliciter obuersa facie à tergo mariti respexit, quod etiam uestigio illũ subsequens facere poterat: sed deserto illo subtitit in itinere,& tantisper ciuitatem respiciens hæsit,dum imber igneus cœlo demitti cœpit: id quod non est factum Loto adhuc in itinere cõstituto,sed iam Zoaram fine illa cum filiabus ingresso. Dixit enim angelus: Festina euadendo illò, quia non potero facere quicq̃ donec ingrediaris illuc. Deiñ subiecit Moses,Sol egressus est super terrã,& Lot ingressus est Zoarã. Et pluit Dñs sulphur & ignẽ,&c. Vnde satis est perspicuũ, imbrẽ sulphureũ tãtisper fuisse dilatum, dũ Lot Zoarà esset ingressus,ac postea demũ demissũ uxorẽ illius in itinere adhuc constiturã corripuisse,q; respiciẽdo, & forsan ad Sodomã redeũdo. Lotũ & filias deseruisset, atq; ita inter utrasq; ciuitates moras traxisset. Deinde quæfierit quisq̃,qũo facta sit in statuã salis,cũ nulla præterea salis mẽtio fiat in historia. Respondendũ est,fuisse sulphuri adiectã uim salis, ꝓpter perpetuã ei regioni inferendã sterilitatẽ. Id licet nõ sit expressũ hoc loco,satis tñ ꝓbabiliter ex ijs colligi potest,quę Deu.29.ad hũc modũ legimus: Dicetq; sequẽs generatio, & filij q nascent deinceps & peregrini,q delongè uenient uidẽtes plagas terræ illius & infirmitates quib.eã afflixit Dñs sulphure & salis ardore cõburẽs,ita ut ultrà nõ seratur,nec uirẽs quicq̃ germinet in exemplũ subuersionis Sodomę & Gomorrę,Seboim & Adamę,quas subuertit Dñs,&c. Et Zephaniæ cap.2. Viuo ego, dicit Dñs exercituũ Deus Israel,Moab ut Sodoma erit,& filij Ammõ quasi Gomorra. Siccitas spinarũ & acerui salis,& desertũ usq; inæternũ,&c. Vtrobiq; minę sunt plagarũ excidio Sodomę & Gomorrę similiũ: & utrobiq; mẽtio fit salis, ꝓpter sterilitatẽ inferẽdã. Quare arbitror esse factũ ut uxor Lot in statuã salis fieret, ꝓpter uim salis quæ imbri illi sulphureo fuit immixta. Tertiò poterit etiã quęri,an in uxore Lot substãtia carnis & ossiũ sit, prius extincta,& in locũ illius materia salis substituta. Respõdeo: Deo nihil est impossibile. potest ex nihilo facere qdlibet, nedũ aliud ex alio. Verũ ut substãtiã carnis & ossiũ in uxore Lot, prius extinctã,& in materiã salis mutarã esse dicamus, nec litera historicæ narrationis cogit, nec articulus resurrectionis recipit. Dicit uxorẽ Lot fãctã esse in statuã salis. Caro hominis fit in puluerẽ,& tñ substantiã suã nõ amittit. Sic caro uxoris Lot natiuã suã substantiã nõ amisit,qũocũq; facta sit in statuã salis, siue formã tm statuę salinę, siue crustã quoq; de materia salis superficie tenus induerit. Nõ puto cẽuenire fidei nostræ, ut hominis alicuius substantiã uel in nihilũ redigi, uel in aliã quampiã materia ab ea unde cõstat mutari dicamus. Alioq; qũo impleret resurrectio carnis in eiusmodi homine,in quo nulla supereesset amplius carnis substãtia, quæ de puluere terræ excitari possit? Dicit autem Apostolus, esse in uniuersum resurrecturos omnes. Necesse igitur est, ut in nullo mortalium carnis substantia redigatur in nihilum, aut in aliam præter natiuam suam substantiam mutetur. Propter hanc ueram & catholicam carnis nostræ resurrectionem, quæstionem hanc de uxore Lot, in statuam salis facta, in medium adducere uolui, non ut curiositati otiorum hominum materiam contendendi suggeram, sed ut fidei nostræ certitudini pro mea tenuitate seruiam.

Quæstio

QVAESTIO VI.

Et uidit. Et ecce, ascendit fumus terræ sicuti fumus camini.] Cum tota regio illa unà cum ciuitatibus cœlesti igne exureretur, poterit hic quæri, quare non dicatur Abraham flammas potius in altum exurgentes quàm fumũ terræ uidisse. Respondendũ esse existimo, ignẽ hunc nõ fuisse talẽ q flãmas liberas & conspicuas in aerem eiacularetur: sed obscurum, fumigantem, & propter sulphur fœtore omnium graueolentissimo. Quare uerisimile est, non potuisse Abrahamum de loco suo in quo stabat uidere aliud incendij huius indicium, quàm fumum de terra ascendentem, qualis de camino uel rogo carbonario solet exurgere. Fiebant ista claro sole, quod & ipsum efficiebat, ne sulphureum incendium flammas aliquas emittere uideretur. Exterminabantur ergo Sodomitæ ardore, fœtore, & fumo.

Quare Abrah: non flammas potius quàm fumũ uiderit.

QVAESTIO VII.

Recordatus est Deus Abrahæ, & emisit Lotum de medio subuersionis.] Quoniã ex hisce uerbis innui uidet, seruatum esse Lotũ non propria, sed aliena iustitia, Abrahæ uidelicet, in cuius gratiã de medio fuerit subuersionis ereptus, quæstio nascitur, quomodo concordãt ista uerbis Apostoli Petri, quæ in Epistola posteriore cap. 2. legimus ad hunc modum: Et iustum Lot oppressum à nephandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Si iustus fuit Lot, & tanq̃ iustus de Sodomitarum subuersione liberatus est, quomodo in gratiam Abrahæ liberatus dicitur, & non magis propria quàm aliena iustitia seruatus, cum scriptum sit, Iustus in iustitia sua seruabitur? Ezech. 18.

Sentiunt hic nonnulli seruatum esse Lot haud planè propter suam iustitiam, ꝙ illa fuerit imperfecta & infirma, sed principaliter propter preces Abrahæ. Verùm, meo iudicio, satius est ut cum Apostolo dicamus, liberatum eum esse tanq̃ iustum ac piũ: & quod hic Moses Dñm recordatũ esse Abrahæ, & Lotum de medio subuersionis emisisse dicit, nõ sic esse intelligendum, ꝙ id factum sit propter preces Abrahæ, sed ꝙ Dominus, cum Lotum de medio subuersionis tanq̃ hominem iustum & alienum à scelere Sodomitarum educeret, declararit se non esse oblitũ eorum quæ præcedenti die dixerat Abraham, uidelicet: An perdes iustũ cum impio? item, Absit à te, ut sit iustus sicut impius. Et, An qui iudicat omnẽ terrã non faciet quod æquum est? Quare uerba Mosis, si rectè intelligantur, pulchrè cum uerbis Apostoli concordant, tam abest ut aliqua sit hic discrepantia. Nam uterq̃ satis declarat, esse Lotum ideo liberatum de subuersione impiorum, ꝙ noluerit Dominus iustum perdere cum impio, sed potius de perditione impiorum liberare. Etenim Abraham non pro Loto nepote suo, sed pro Sodomitis respectu iustorum, si qui in ciuitate essent, intercesserat: iniquum fore prætexens, si iustus perdatur cum impio. Cum ergo Dominus Lotum eriperet de subuersione impiorum, & iustum, secundum sententiam Apostoli, eripuit, & ostendit se memorem esse eorum quæ ad ipsum dixerat Abraham. Vsqueadeò igitur uerum esse oportet quod scribitur ab Apostolo, ut nisi iustus fuisset Lot, non rectè à Mose Dominus Abrahæ recordatus esse diceretur, cum illum de medio subuersionis impiorum eriperet.

OBSERVATIO I.

Sol egressus est super terram.] Primùm illud obserua. Sol inde ab initio creationis quasi perpetuũ quoddam lumen terram illuminat perpetuò, adeoq̃ semper est super terram, quam cursu suo spacio uiginti quatuor horarum, quæ dies naturalem constituunt, quotidie inuisit. Et hactenus nunquam alicunde uelut ex carceribus super terram egreditur. Vnde nanq̃ egrederetur, qui nusquam clauditur, sed perpetuus est super terram? Quod uerò hic à Mose super terram egressus, & à Dauide Psal. 19. tanquam sponsus de thalamo suo prodire, & communiter oriri quotidie & occidere dicitur, referendum est ad id q̃d omnia quæq̃ regio in suo hemisphærio quotidie uidet. Etenim quando nostrum hemisphærium ingreditur, super nostram terram egredi, oriri & prodire: & cum illud uesperi egreditur, occidere uideretur in se, qui non in se, sed nobis oritur & occidit. Qua in re pulcherrimam habemus diuinæ prouidentiæ imaginem, cuius sol quasi oculus quidam existit. Prouidentia Dei perpetua est, & terram uniuersam modera tur. Nunquam reconditur, nunquam occidit, nunquam ingreditur super terram, nunquam exoritur. Et tamen tum egredi super terram uidetur, quando radios operationis suæ opere aliquo luculento quasi oculis nostris infundit, & uel pios eripit, uel impios iusto iudicio subuertit. Sic eodem ueluti tempore articulo super terram Sodomorum & sol ille uisibilis, & iudicium Dei egrediebantur.

Quomodo Sol super terram egredi dicatur.

Imago diuinæ prouidẽtiæ in sole.

Deinde etiam hoc considerandum est. Magna Dei bonitas in eo nobis & obseruanda & imitanda proponitur à Christo Domino, ꝙ solem suum producit super bonos & malos, & pluit super gratos & ingratos, Matth. 5. Verùm admonemur hoc loco, quàm non sit propterea negligendum studium iustitiæ, quòd sol perinde super malos atq̃ super bonos producitur, quasi nullum sit coram Deo discrimẽ inter bonos & malos, gratos & ingratos, iustos & impios. Etenim, licet hoc ipso quoq̃ die, quo subuersi sunt Sodomitæ, super terram tam illorum quàm aliorum egressus sit sol, & uniuersalis illa bonitas Dei pro consuetudine quotidiana declarata: simul tamen cum exortu solis cœlestis ultio super impios, malos, & ingratos homines descendit. Quo exemplo omnium manifestissimè declaratur, sic esse Deum bonum erga omnes, ut tamẽ & iudicium subinde exerceat in reprobos, ubi fine resipiscentia perseuerant in malo: & sic punire reprobos, ut interea generalis suæ bonitatis non obliuiscatur.

Et illud obiter cogita. Subuersio Sodomorũ ad exortũ solis cœpit. Ergo, q̃d noctu peccabat, luce diurna punitũ est. Lux est iudiciũ Dei, nox uerò scelerũ perpetratio. Dies ille iudicij dei exẽplũ habet extremi iudicij,

Quod noctu peccatur, luce diurna punitur.

iudicij, in quo manifesta erunt omnia, & iudicabuntur quæ in Sodoma mundi huius ueluti sub tenebris impiè ac malitioſe perpetrantur.

OBSERVATIO II.

Quàm fideliter eripiat ſuos Deus.

Et Lot ingreſſus eſt Zoaram.] Obſerua quòd particulam hanc Moſes tam uigilanter cærologiç huic interſerit. Poterat ſimpliciter dicere, Sol egreſſus eſt ſuper terram, & pluit Dñs ſuper Sodomã ſulphur & ignẽ, ſi hoc tantũ egiſſet, ut quo tempore ſubuerſio iſta cœperit, exponeret. Verùm quoniam nõ id tantũ agebat, ut ſciremus quando cœperit ſupplicium impiorũ, ſed & ut intelligeremus quàm fideliter egerit Dñs cũ iuſto, cui parcebat, qũo ſuppliciũ impiorũ tandiu diſtulerit, dum ille Zoarã ſecuritatis gratiã ingreſſus eſſet, Sol, inquit, egreſſus eſt ſuper terrã, & Lot ingreſſus eſt Zoarã, & pluit Dñs, &c. Iraq; ad monemur hac in re, quanta ſit fides, ueritas, & bonitas Dei ad eripiendum pios, qua ſupplicia impiorum ſic diſpenſantur, ut prius conſultum ſit pijs, quàm ſubuertantur impij, ne quid mali ex ſupplicio malorum ad iuſtos pertingere poſsit.

OBSERVATIO III.

Grauitas ſupplicij arguit grauitatem ſceleris.

Et Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorram ſulphur & ignem à Domino de cœlo, & ſubuertit ciuitates illas, & omnem planitiem, & cunctos habitatores ciuitatum, & uirentia terræ.] Paucis uerbis horrendam hiſtoriam complectitur Moſes, in qua principiò obſeruandũ uenit, q̃ graue ſit corã Dño & q̃ deteſtabile ſcelus Sodomiticũ. Etenim ex grauitate ſupplicij colligẽda eſt grauitas ſceleris. Singulare peccatum ſingulari ultione, & abominandum ſcelus graui & horrendo ſupplicio punitum eſt, ut apud poſteros grauitas pœnæ grauem ſceleris huius abominationem & horrorem gigneret.

Qualitas ſupplicij.

Deinde perpẽdamus etiã ſupplicij huius qualitatẽ. Dominus, inqt, pluit ſuper Sodomam ſulphur & ignẽ. Pluuiæ finis, eſt fertilitas terræ. Fertilitatẽ terræ Sodomorũ uerterũt impij in occaſionẽ abominãdæ libidinis, & multorũ aliorũ peccatorũ. Vide Ezech. 16. Cũ eſſet illa peruerſitas puniẽda, punita eſt nõ uulgari aliqua pœna, famis, peſtis, aut gladij: ſed ut cũ peruerſis peruerteret Dominus, peruerſa eſt ratio pluendi, in eã pluuiã, quæ nõ ad fœcunditatẽ, ſed potius ad ſubuerſionẽ & ſterilitatẽ terræ: nõ ad alimoniã, ſed ad exterminationẽ impiorũ faceret. Sic digni ſunt pluuia nõ aquæ, ſed ignis, ſulphure non rore, q̃ fertilitate terræ in occaſionem rapiunt libidinis execrandæ: & omniũ conuenientiſsimũ eſt, ut ipſa pluendi natura aduerſum eos peruertat, q̃ peccato cõtra naturã delectant. Tertiò, nec illud tranſeundum eſt, q̃ nõ dicit, Et exortũ eſt incendiũ, ſulphure & igne mixtũ: ſed, & Dñs pluit ſuper Sodomã & Gomorã ſulphur & ignẽ à Domino de cœlo. Singula ferè uerba tm̃ nõ clamãt incendiũ Sodomitarũ nõ euenſſe fortuitò, ſed à Domino cœlitus eſſe demiſſum ſuper impios: id q̃d nõ ſine ſingulari ſtudio factũ eſt à ſpiritu ſancto, ne locus eſſet illis q̃ regionis huius ſubuerſionẽ phyſicis rationib. metiunt, quorũ demero & Græci ſcriptores ſunt, q̃ Sodomã cũ uicinis alijs ciuitatib. eã ob cauſam incendio periſſe ſentiũt, q̃ regio illa cauernoſa eſſet & ſulphurea, atq; ita huiuſmodi exitio obnoxia. Nõ agnouerũt diuinã ultionẽ, ideo quæ poſt illã ad hũc uſq; diẽ in illis locis uiſunt, cauſis naturalib. tribuũt. Strabo lib. 16. ſic ſcribit: Quòd regio ſit ignea, permulta alia ſigna afferũt. Nã & petras aſperas exuſtas circa Moſadaſoſtendũt, & multis in locis prçruptã terrã cinerulentã, & picis guttas ex petris diſtillãtes, ac flumina fœtido odore efferuentia, & habitationes paſsim euerſas, ut ijs fidẽ habeãt quæ ab indigenis prędicant q̃ in hoc loco 13. urbes olim habitarent, quarũ metropolis Sodoma adhuc 60. ſtadiorũ ambitũ ſeruet, & q̃ ex terrçmotibus, ignis afflatu, aquis calidis & bituminoſis & ſulphuris lacus eruperit, & q̃ petræ igniferæ factæ ſint, & urbiũ aliæ abſorptæ, aliæ ab ijs quicũq; fugere potuerũt, derelictæ. Hæc Strabo. Quod iſta regio ni Sodomorũ euenerint, res ipſa declarat: unde uerò & quib. de cauſis euenerint, & Strabo ſcire poterat, ſi Moſis libros pari diligentia qua alios inſpexiſſet: q̃s inſpicere poterat, quandoq; dẽ Moſis mentionem faciẽs, dicit: Talis erat Moſes & ſucceſſores eius, q̃ cũ initia nõ mala habuiſſent, poſtea in deterius delapſi ſunt. Homini aũt pio non tã curandũ eſt q̃d, q̃ unde & quã ob cauſam acciderit Sodomitis. Quid acciderit, norunt & ethnici ſcriptores: unde uerò & quibus de cauſis acciderit, magis ingenij ſubtilitate inquirere, quàm q̃d uerum eſt certò cognoſcere uoluerunt. Quare ſtudioſiſsimè factum eſt à Moſe, quòd hiſtoriam hanc non ſic ethnico more conſcripſit, ut doceret quid tantum factum ſit: ſed ſimul inculcaret etiam cauſas tantæ ſubuerſionis, & iudici Deo ultionem hanc aſsignaret.

Quartò, obſeruandum etiã eſt quod non ſimpliciter dicit, Et Dominus demiſit ſuper Sodomã & Gomorrã: ſed, Et Dominus pluit ſuper Sodomã & Gomorrã ſulphur & ignẽ à Domino de cœlo. Dixi in explanatione, uerbo pluẽdi ſignificari copiam & abundantiam. Admonemur quantus ſit theſaurus in cœlis earũ rerũ quibus ultio de re, pbis in terra ſumi poteſt. Deu. 32. dicit: Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? Mea eſt ultio, & ego retribuam. Quare non debet incredibile uideri, q̃ totus mũdus à ſacris literis olim igne cõflagraturus prędicit. Dicũt impij, Cœlũ cœli Domino, terram uerò dedit filijs hominũ. Dederat & planitiẽ illam omniũ fœcundiſsimã filijs hominũ: uerũm cũ illa aburerentur, ex theſauro ſuo cœlitus ſulphur miſit & ignem, perinde ac ſi pluuiam demitteret omniũ uberrimam. Quintò. Et ſubuertit, inquit, ciuitates illas, & omnem planitiem, & uniuerſos habitatores ciuitatum, & uirentia terræ. Vltionis huius grauitatẽ ſuprà expendimus in materia cœlitus depluenda, ſulphure uidelicet & igni, quæ hic quoque per uerbum ſubuertendi, & uoces uniuerſales conſideranda proponitur. Sunt autem duo ſubuerſionis ac uaſtationis genera. Vnum, quo ſic uaſtantur ac ſubuertuntur ciuitates & agri, ut reddita pace poſsint reſtitui. Huiuſmodi ſubuerſiones temporarium habent flagellum ad caſtigandum reprobos. Alterum, quo perpetua uaſtatione & ciuitates, & incolæ,

Duo ſunt ſubuerſionis genera.

& agri irrecuperabiliter exterminantur. Sic uastatæ sunt Sodoma & Gomorra cum omnibus habitatoribus, omniq; planitie & uirentibus in illa arboribus, herbis, & plãtis. Et uastationis huius monumenta ad hodiernum usq; diem omniũ oculis uisenda prostant. ciuitatum umbræ, petræ exustæ, terra cinerea, salis acerui, tetrus odor, aspectus horrendus, lacus fœdus. Quæso quid huius generis uastatio quam, quo tanta est tamq; singularis ultio cœlitus prouocata? Cogitet homo pius, si tantam iram Dei prouocarunt aduersum se Sodomitæ, quod in naturam peccarunt, cum tamen nulla nisi naturæ lege scelus illud esset expresse prohibitum, quanto detestabilius peccent, & iram Dei grauius exacerbent, qui post acceptam legem diuinam, qua maledicitur quisquis hoc peccatum admittit, & post tam horrendã ultionem non uerentur Sodomitarum imitari exemplum, præsertim si id faciant Christiani.

Addam & illud: Omnino graue ac detestandum est Sodomitarum peccatum. Et tamen grauius peccant illi, qui oblatam Euangelij gratiam respuunt, id quod ex uerbis Christi Seruatoris Matth. 10. palàm uidere licet, ubi sic dicit: Quicunq; non receperit uos, neq; audierit sermones nestros, egressi foràs de domo uel ciuitate excutite puluerem de pedibus uestris. Amen dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrẽorum in die iudicij, q̃ illi ciuitati. Poterat dicere, Grauiter punientur in die iudicij. Verùm ut enormitatem peccati huius quo cœlestis gratia contemnitur exprimeret, Sodomitarũ mentionem induxit, ut illorum comparatione admoneret, q̃ sit horrendum peccati genus, quod grauius in die iudicij punietur, q̃ scelus Sodomitarum. Quid autem de illis, obsecro, censendum est, qui in Ecclesia Dei & Sodomiam in delicijs habent, & simul Euangelij Christi gratiam pedibus proculcant.

OBSERVATIO IIII.

Et respexit uxor eius post ipsum, & facta est in statuam salis.] De uxore Lot duo prædicantur. Vnum, quid fecerit: alterum, quid passa sit. Respexit ad Sodomam, & passa est exitium. Vtrobiq; est quod utiliter obseruetur. In eo quod respexit ad Sodomam, unde angelico fuerat educta ministerio, exemplum uidemus eorum qui corde adhuc ad consortium peccantium impiorũ ac breui pereuntiũ, unde fuerant per gratiam uocantis Dei educti, propendẽt, ideoq; ad illos respiciunt, & regressum meditantur. Si mulier ista scelus Sodomitarum detestata fuisset ex animo, nec dubitasset iamiam illis extremam imminere subuersionem, dubio procul magni duxisset, quòd unà cum marito & filiabus erat educta, atq; ita properanter ad concessam Zoaram cum suis contendisset. Verùm quoniam uel non credebat angelis, uel dubitabat euenturũ ne esset q̃d illi dixerãt uel secus, aut aliàs curiositate uidẽdi uel carnis affectu erga filias & generos, qui egredi nolebant, uel erga reliquos quorum usa fuerat consuetudine, aut erga remansuram miliarem in ciuitate relictam, usq; adeò deuicta fuit, ut deserto marito ad ciuitatem impiorum respiceret, moras in itinere necteret, & uel reditum pararet, uel tantisper subsisteret, dũ igne cœlesti correpta periret. Exemplum hoc proponendum est illis omnibus qui ad salutem diuinitus sunt uocati. & è consortio impiorum educti, non ut imitentur, sed ut fugiant. Qui de hoc seculo ad regnũ Dei uocati sunt, uocati sunt uelut è Sodoma, impia, scelesta, & breui peritura. Qui ad seculum respiciunt, unde sunt per uocationem cœlestem educti, respiciunt cum uxore Lot ad Sodomam. Faciũt hoc alij amore cognatorum, parentum, filiorum, &c. qualis erat qui dicebat ad Christum Lucæ 9. Dñe permitte ut primùm abeam & sepeliã patrẽ meũ. Alij amore peccandi, quibus competit illud, Canis ad uomitum: item, Sus lota ad uolutabrum luti, 2. Pet. 2. alij per incredulitatem qua deficiunt à sancto proposito, & gratiæ Dei contumeliam inferunt. Omnes isti corde primùm ad Sodomam respiciunt, à qua nunquam ex animo defecerant, deinde ad illam redeunt.

Exemplum retrolabentium.

Consideremus etiam alterum prædicatum, quod de uxore Lot ponitur. Et facta est, inquit, in statuã salis. Tria obseruabit hic diligens lector quæ in eo spectanda sunt, quod mulieri respectatrici contigit. Primũ ipsam, secundũ alios, tertiũ ipsum illius exitiũ concernit. Quod ipsam cõcernit, est interitus q̃ miserа & infelix sibij psi extincta perijt. Habet hoc cõmune cũ omnib. q̃ suopte uitio diuinitus percussi uel temporaliter tm̃, uel simul etiã æternaliter pereũt. Perditionis huius genus est mors quocũq; modo peccatoribus illata. Species sunt, quibus alius igne, alius aquis, alius gladio, alius peste, alius fame, alius fulmine, uel quocũq; alio cõsimili modo perdit. Quocũq; modo perit peccator, sibij psi perit. Et hæc cõsideramus, atq; ita nostro ipsorũ exitio mali simus. Multũ interest, cui qs pereat. Qui, ppter impietatẽ suã pereat, sibij psi perit. Qui uerò uiuũt in Christo, moriunt̃ qdẽ & ipsi, uerũ nõ sibi, sed Domino moriunt cui etiã uiuũt. Sic Apostolus Rom. 14. Nemo nostrũ, inqt, sibi uiuit, & nemo sibi morit. Siue eñ uiuimus, Domino uiuimus: siue morimur, Domino morimur. Siue ergo uiuimus, siue morimur, Dñi sumus. Nõ dicit simpliciter, Nemo sibi uiuit, & nemo sibi moritur: sed, Nemo nostrũ, inqt, ut intelligas ipsum loq; de Christianis. Et addit rationẽ, qa Dñi sumus. Est itaq; summo studio curandum, ut in gratia hac, qua sis cũ impijs pereamus. Omniũ stultissimum est, nobis ipsis uelle uiuere, & non Domino. Consequitur enim, ut nobis ipsis quoq; morituri, adeoq; & perituri simus. Magno cum lucro uiuit, qui sic uiuit & moritur, ut sibij psi siue uiuat siue moriat, perire nequeat. Alios in isto exitio uxoris Lot concernit, q nõ simpliciter est igne ac sulphure cũ Sodomitis extincta, & in cinerẽ redacta, sed singulari mortis genere in statuam salis facta, quæ oculis posterorũ spectãda seruaret. Qua in re cõsiderandũ est diuinę ultionis monumentũ ad cautionẽ posterorũ positũ. Sic mulier suopte uitio perdita exitij sui qualitate seruit

Interitus uxoris Lot.

Multum interest cui quis pereat.

Monumentum diuinæ ultionis.

aliis,

alijs,tantum non quoſuis inclamans & mouens,ut ipſius malo edocti,Sodomã peritura fugiamus,occaſiones ſalutis noſtræ non negligamus,nec ſalubres admonitiones contemnamus. Tale eſt etiã q non ſunt ſimpliciter extincti Sodomitæ, ſed & ciuitatibus illorũ ac toti planitiei talis illata ſubuerſio, quæ duret ad finem uſq; mundi,cunctisq; uiſentibns & audientibus monumento ſit, unde ad ſalubriora animẽ. Huc reſpicit Apoſtolus Petrus in poſteriore cap.2.dicens: Ciuitates Sodomorũ & Gomorrhęorũ in cinerem redigens euerſione dãnauit,exemplũ eorũ qui impiè acturi ſunt ponens. Aliud eſt ſimpliciter,aliud ſingulari exẽplo puniri ac perdi. Illud,ut det impius pœnas:hoc,ut exemplo ſit alijs,ne ſimili modo peccẽt & pereãt. Poterãt Sodomitæ ſimpliciter puniri,& pœnas dare impietatis ſuę. Verũ, quæ eſt philanthropia Dei,ſic illos exterminauit,ut perpetuo ſint exẽplo cũctis,ne in idem barathrum perditionis incidãt. Quod momentaneũ erat,ſic diſpoſuit, ut accepta diuturnitate omnibus ſeculis cautionis ſubminiſtret occaſionẽ. Sic qui publicè propter ſcelera ſua puniuntur, cum poſsint tolli ac perdi clanculum,plectuntur palàm,& ſuſpenduntur patibulis, uel rotis imponuntur,aut capita illorum in ſublime eriguntur,uel diſſecti iuxta uias regias palis affigũtur, quo cunctos ſuo admoneant exemplo, ut ſceleribus abſtineant,ne conſimiles pœnas dare cogantur. Et hæc potiſsima ratio eſt,quare Deus impios ſubinde meritis pœnis luculenter perdat. Paratũ eſt omnibus iudicium in fine mundi, ut recipiat unuſquiſq; iuxta quod geſsit in hac uita. Verùm ne interea uel nimis inualeſcant impij, & iuſtos prorſus opprimant,uel ſuſpicio obtineat, nullum eſſe diſcrimen coram Deo inter iuſtum & impium,etiam temporarijs ſupplicijs in peccata reproborum animaduertit,ut ſuo exemplo tantum non uociferantur extincti ac perditi,eſſe iuſtum iudicem in cœlis,qui tandem pœnas ſumat de reprobis.

Quare Deus impios puniat in hoc ſeculo.

Tertio loco,quòd attinet ipſum mulieris exitium, conſiderandum eſt quàm fuerit iuſtũ & æquum, ut ad eum modum periret. Primùm, erat cum marito ſuo & filiabus de Sodomis angelica manu educta. Deinde,præmonita erat, ne reſpiceret, nec in omni illa planitie ſtaret,niſi perire ueller. Tertiò, erat in propinquo ciuitas, ad quam expedito ac breui itinere fugere poterat. Quartò, habebat præeuntes maritũ & filias,quib.conſtanter adhærere non ſolũ diuino permiſſu poterat,ſed & cùm ſeruandæ ſalutis ſuæ ſtudio,tum coniugali maternoq; affectu debebat. Magnam habebant iſta commoditatem ad euadendum exitium,in quod incidit. Igitur quòd perijt,nullius niſi ſuopte uitio perijt, dum hæc omnia contempſit,& monitis angeli non acquieuit. Conſimili modo & Sodomitæ ſua ipſorum culpa perierunt. Caſtigauerat eos Dominus per reges Orientales. Deinde per Abrahamum liberauerat ac reſtituerat. Tertiò per Lotum à ſcelere auocauit,& ad ſtudium iuſtitiæ adhortatus eſt. Hoc enim conſilio factũ erat,ut Lot inter eos habitaret cuius non modò uerbis, ſed & uitæ conuerſatione ad ſaniorem mentem prouocarentur. Verùm hæc omnia contempſerant, & non ſolum in ſcelere perrexerunt, ſed & iuſtum contumelia & iniurijs afflixerunt, ſicuti 2.Pet 2. legimus. Quare prorſus æquiſsimum erat, ut perirent, quandoquidem ſuo ipſorum uitio cœleſtem ſuper ſe ultionem incorrigibiliter prouocarunt. Sic perierunt etiam Iſraelitæ tam in terra Canaan quàm in deſerto, dum ſibi ipſis perditionis fuerunt authores. Vnde illud propheticum: Perditio tua ex te eſt,ò Iſrael. Sic Hieruſalem perijt,ad quam Seruator Hieruſalẽ, inquit, quoties uolui congregare filios tuos ſicuti gallina colligit pullos ſuos ſub alas, ſed noluiſti. Matth. 23. Sic mundus ſuapte culpa perit, dum nullis ſuſtinet rationibus ſeruari. De nobis quid dicam qui Chriſtianiſmum profitemur? Incidimus in extrema tempora & fines ſeculorum. Data lux eſt uerbi Dñi,qua ueluti præeunte tenebras errorũ euadamus,& greſſus noſtros ab omnis generis impactione ſeruemus. Ipſe Seruator ex hac Sodomitarũ hiſtoria exemplũ deſumpſit,q̃ admoniti cautè ac uigilanter uiuamus. Sicut factũ eſt,inqt,in diebus Lot,edebant & bibebant, emebãt & uendebant, plantabant & ædificabant. Qua die aũt exijt Lot de Sodomis,pluit ignẽ & ſulphur de cœlo, & omnes perdidit. Secundũ hæc erit, qua die filius hominis reuelabit. In illa hora q̃ fuerit in tecto,& uaſa eius in domo,ne deſcendat tollere illa:& qui in agro,ſimiliter non redeat retrò. Memẽtote uxoris Lot. Hæc ſcimus,& iuxtà uidemus hũc mundũ ſecuriſsimè in malo pergere,edere,bibere,emere, uendere, plantare, ædificare, nubere, perinde ac ſi nullũ præ foribus ſit exitiũ. Quòd ſi contemptis Chriſti monitis ſeculo perituro adhæſerimus,quid aliud futurũ eſſe poterit, q̃ ut & ipſi noſtro ipſorũ uitio omnium iuſtiſsimè pereamus? Hęc de uxore Lot in ſtatuã ſalis mutata breuiter admonere uolui:quæ ſi bene fuerint & utiliter conſiderata,fieri poteſt ut ſal huius ſtatuæ cedat in condimentum noſtræ uitæ.

Perditio iuſta et æqua.

OBSERVATIO V.

Et Abraham mane ſurrexit ad locum ubi ſteterat coram Domino,& proſpexit uerſus Sodomam & Gomorrã & uerſus omnem terram planitiei,& uidit,& ecce aſcendit,&c.] Primùm illud obſerua, quòd Abrahamũ non ſimpliciter altero die ad uidendũ Sodomitarũ regionẽ ꝓfectũ,ſed manè ad locũ ubi ſteterat coram Domino ſurrexiſſe dicit. Habes exemplum animi in aliena quoq; cauſa conſtanter ſolliciti, nec mane obliuiſcentis eorum quæ ueſpere egit. Sic animati ſunt ſancti. Nihil agunt obiter & perfunctoriè, præſertim ubi ſpiritu charitatis feruiunt ꝓximo. Longè ſecus comparati ſunt hypocritæ,q̃ nihil agunt ex animo,quantumuis multa ſimulẽt. Quare præter rationẽ nõ eſt,q̃ hortat Apoſtolus Rom. 12. ut ſimus ſolicitudine non pigri,nec remiſsi ſpiritu,ſed feruentes.

Exemplũ animi conſtanter ſolliciti.

Deinde de eo quoq; cogitandum eſt q̃d dicit, Ad locum,ubi ſteterat coram Dño,& ꝓſpexit uerſus Sodomam & Gomorram,& omnẽ terram planitiei. Si Hieronymo credimus, habebat is locus ſuperciliũ, unde omnis illa Sodomorũ regio ꝓſpici poterat. Ibi ſteterat coram Dño. Ergo hoſpites ſuos, q̃s peregrinos homines eſſe putabat, illuc uſq; fuerat comitatus, ut quoniam Sodomam ibant, inde illis eam poſſet

Deductio peregrinorum.

posset regionem ostendere. Qua in re uidemus exemplum animi officio humanitatis dediti. Humanum est, non solum amanter complecti peregrinos, sed & locorum ignaros comiter deducere, & hactenus comitari, donec certis indicijs, ne oberrent, dirigi queant.

Tertiò. Et uidit, inquit, & ecce ascendit fumus terræ, quasi fumus camini. Indicium incendij, fumus est. De incendio Sodomitarum ascendit fumus ad cœlum. Non uidit Abraham sulphuris & ignis imbrem, quantumuis manè surrexerat, sed fumum uidit. unde colligimus subitaneum fuisse imbrem illũ acterram Sodomorũ illo, mox atq; tacta esset, subito incensam. Admonemur hoc exemplo, quàm nullo negocio possit Deus terrã uniuersam catholico tradere incẽdio, id q̃d & facturus est in fine mundi. Simul & illud animaduertamus. Suprà dixit angelus, Clamorem Sodomorum increuisse coram Domino. Deinde subiecit Moses: Et pluit Dominus sulphur & ignẽ à Domino de cœlo. Et hic: Ecce ascendit fumus terræ. Vides ordinem diuinæ ultionis, Clamor impiorum ascendit ad cœlos. Cœlitus demittitur ultio. Mox fumus ultionis index ascendit ad cœlos, quò antea ascenderat clamor. Admonemur, quid expectandum sit ubi scelera inualescentia ad cœlos ascendunt, & ad Dñm iustum iudicẽ clamant.

Subitanea diuina ultio.

Ordo diuinæ ultionis.

Et uidit, & ecce fumus ascendit, quasi fumus camini. Cogitemus hic de uanitate rerum terrenarum & fluxarum. Regio Sodomorum erat instar paradisi Domini. Sodomitæ erant opulenti & superbi, delicati & saturi. Iam quæso, quid erat omnis illorum splendor? quid opes? quid superbia? Quid regionis amœnitas & fertilitas? An non hæc omnia in fumum abierunt & euanuerunt? Idem multis amplissimis, potentissimis, & splendidissimis urbibus accidit, & eueniet etiam Babyloni, quæ & ipsa destinata est incendio, uide Apoc. 18. In summa, peccatores deficient à terra sicuti fumus deficit & euanescit.

Vanitas rerum terrenarum.

OBSERVATIO VI.

Et factum est, cum perderet Dominus ciuitates planitiei, recordatus est Deus Abrahæ, & emisit Lot de medio subuersionis, &c.] Obserua uerbum recordandi Deo tributum. Quanta sit hac in re consideranda philanthropia Dei, suprà admonui cap. 8. ibi, Et recordatus est Deus Noe & cunctorum animantium. Deinde cogitemus, quod non dicit, Recordatus est Deus Lot: sed, Recordatus est Deus Abrahæ, & emisit Lot. Non orauerat Abraham pro Lot, sed urserat iniquum esse, si iustus perdatur cum impio. Huius non est oblitus Deus, idq; in eo declarauit, quòd iustum Lot liberauit. Admonemur duorum: unum est, ut simus iusti. Hoc si fuerimus, proderunt nobis intercessiones sanctorum, qui iustorum plurimam habent rationem. Alterum, non esse opus ut Deo curiosius præscribamus, quos seruare debeat. Oremus pro fidelibus hominibus in genere, & indiuidua ipsius prouidentiæ cõmittamus. Non hoc dico, quòd peccatum sit, si quis nominatim intercedat pro certis quibusdam fidelibus. Absit, sed curiositatem illam reijcio, qua nonnulli sic inter orandum specificant, ut putent non facturum Deum quicquam nisi secundum ipsorum præscriptum.

De intercessione sanctorum.

Tertiò, nec illud transeundum est. Suprà dixit de Abrahamo, quòd mane surrexerit ad locum in quo steterat coram Domino. Hic subijcit, Deum esse recordatum Abrahæ. Sic uides mutuum consensum inter Deum & sanctos. Non potest illorum obliuisci Deus, nec ipsi illius obliuiscuntur.

Mutuus consensus inter Deum & homines.

Quartò, & illud considera quod dicit: Et emisit Lotum de medio subuersionis qua subuertit ciuitates in quibus habitauerat. Manserat inter Sodomitas impios, usq; ad ipsum subuersionis tempus, ideoque uidebatur cum illis exitio obnoxius: uerùm Dominus, inquit, emisit illum. Similes erant Sodomitæ captiuis & iamiam plectendis. Inter hos erat adhuc Lot. Igitur quod liberatus est, uelut è medio plectendorum dimissus est. Hæc est iusti iudicis æquitas, qua inter multa plectendorum impiorum millia unum inuentum iustum segregat & liberat.

Lot de medio Sodomæ emissus à Domino.

Ascenditq; Lot de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo. Timuerat enim manere in Segor. Et mansit in spelunca ipse & duæ filiæ eius. Dixitque maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus uirorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxta morem uniuersæ terræ. Veni inebriemus eum uino, dormiamúsque cum eo, ut seruare possimus ex patre nostro semen. Dederunt itaque patri suo bibere uinum nocte illa. Et ingressa est maior, dormiuitq; cum patre. At ille non sensit nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. Altera quoque die dixit maior ad minorem: Ecce dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere uinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, ut saluemus semen de patre nostro. Dederunt & illa nocte patri suo bibere uinum, ingressaque minor filia, dormiuit cum eo, & ne tunc quidem sensit quando concubuit, uel quando illa surrexit. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo, peperitq; maior filium, & uocauit nomen eius Moab. Ipse est pater Moabitarum usq; in præsentem diem. Minor quoque peperit

filium,& uocauit nomen eius Ammon, id est, filius populi mei. Ipse est A
pater Ammonitarum usq; hodie.

LECTIO.

Dixitq; maior ad minorem.] In Ebræo est: Et dixit primogenita ad minorem. Græcus uertit, Dixit autem senior ad iuniorem. Poterit autem diligens lector facile cogitare quid discriminis sit inter primogenitam & maiorem. Est quidem omnis primogenita maior inter sorores: uerùm non mox omnis maior est primogenita. Etenim mortua primogenita, quæ secunda post illã est, rectè reliquis uocat maior.

Veni inebriemus eam uino.] Ebræus habet, Veni poremus patrem nostrum uino.

Vt seruare possimus.] In Ebræo est: Et uiuificemus. Græcus habet *καὶ ἐξαναστήσωμεν*, i. Et excitemus.

Ingressaq; minor filia dormiuit cum eo.] Ebræus, Et surrexit minor & dormiuit cum eo.

Et uocauit nomen eius Moab.] Græcus addit, *λέγουσα, ἐκ τοῦ πατρός μου*, id est, dicẽs, ex patre meo, quod in Ebræo non est.

Et uocauit nomen eius Ammon, id est filius populi mei.] In Ebræo simpliciter legitur ad hunc modum: ברקרא שלר בן עלי, id est, Et uocauit nomen eius Benammi. Sonat autem Benammi filium populi mei. Sic interpres uocem quæ in Ebræo non est, posuit, & Ebraicæ uocis interpretationem de suo adiecit.

EXPLANATIO.

Absoluit Moses historiam Sodomitarum, iam consequenter de primordijs duorum notissimorũ populorum, Ammonitarum uidelicet & Moabitarum, per occasionem præcedentium subiungit. Erat enim commemorandum adhuc de Loto, quid illi post Sodomorum subuersionem acciderit. Hac de re ad finem usq; capitis quædam exponit. Est autem textus bimembris. Primùm narrat, quid fecerit Lot, postquam Zoaram esset ingressus. Deinde quid egerint illius filiæ.

Ascenditq; Lot de Zoar, &c.] Tria prædicat de Loto. Primum quòd in Zoara, quæ ipsius erat securitati per Dominum concessa, non manserit, sed illam reliquerit. Secundum, quòd ascenderit in montem, Zoaræ forsan uicinum. Tertium, quòd manserit in spelunca cum filiabus suis. Et ratio horum additur: Timuerat enim, inquit, manere in Zoara. Quare timuerit, non exprimitur.

Dixitq; primogenita ad minorem, Pater noster senex est, &c.] Quoniam omnem illam planiciem Pentapolitanam igne cœlesti subuersam esse uidebant, & ipsam quoq; Zoaram postquã illam reliquissent, unà cum alijs ciuitatibus perijsse putabant, arbitrabantur catholicam esse totius orbis subuersionem, et uniuersi generis humani factam deletionem, adeoque duntaxat se cum patre adhuc superesse, unde conseruanda esset posteritas. Quid ex hac opinione consilij cæperint, & quomodo successerit, ex ordine narratur. B

Primogenita, quam potissimum hæc cura sollicitabat, consilium cæpit ex ipsa rei necessitate, sicuti putabat, de q; illo cum sorore communicauit. Pater noster, inquit, senex est, & nullus uirorum remanet in terra, qui ingrediatur ad nos iuxta morem uniuersæ terræ, hoc est, qui nos impregnet. Q.d. deficiet in nobis posteritas. Pater non poterit diu uiuere, quia senex est. Ex solis nobis nequit haberi soboles. Non est reliquus quisquam uirorum, à quo cognoscamur & impregnemur. Quid faciemus? Patiemurne ut in nobis deficiat omnis posteritas? Quoniam igitur solus pater supereſt, uidendum est quomodo uel ab illo impregnemur. Hæc erat cura & sollicitudo primogenitæ Lot.

Quoniam uerò omnino turpissimum erat, concumbere filias cum patre, nec sperandum ut scienter ac prudenter à patre cognoscerentur, pro muliebri astutia consilium capit, quo inscio illo possint furtiuari concubitum, & posteritatis concipere semen. Quomodo id fieri possit, exponit sorori, dicens: Veni inebriemus patrem nostrum uino, dormiamusq; cum eo, ut uiuificare possimus semen. Consilium hoc tria habet. Primum, dormiendum esse cum patre. Secundum, ne pudor, honestas, & naturalis religio impediant, dandum esse patri uinum, quod ad ebrietatem usq; sumptum grauem obsoporationem seni inferat, quo facilius falli possit. Tertiũ, quo id sit faciendum fine. ut uiuificemus, inquit, de patre nostro semen: quod uidelicet in illo prorsus emori & perire uidebatur. Intelligunt autem per semen posteritatem generis.

Et potauerunt patrem suum uino nocte illa, &c.] Hactenus quid consultarint filiæ Lot, iam cœpti consilij subijcitur effectus. Potauerunt, inquit, patrem suum uino. unde uinum in tanta rerum perturbatione ac uastatione acceperint, non exprimitur: forsan è Sodoma secum unà cum alijs ad qualemcunque uictum, necessarijs uinum quoq; exportarunt. Addit, nocte illa. Non dederunt illi uinum mane, sed nocte. Accommodarũt se proposito. Et ingressa est primogenita, inquit, dormiuitq; cum patre. Hæc quia non solum maior ætate, sed & consilij & instituti huius author erat, quod faciendum esse suaserat, prima tentauit. At ille non sensit, &c. Tam uidelicet erat grauiter obsoporatus uino. Memoratur hoc, ad excusandum Lot, ne putetur scienter concubuisse cum filiabus. Et memoratur secundò, eandem uidelicet ob causam.

Altera quoq; die dixit primogenita ad minorem, Ecce dormiui heri cum patre meo, &c. Hinc apparet, puellas istas non esse sequutas illicitam libidinem, sed generis conseruationem. Primogenita non quæsiuit concumbendi iterationem, sed sororem ad hoc induxit, ut & ipsa impregnaretur. Et illa quod fecit, non nisi de consilio sororis fecit.

Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo, &c.] Sic uoti sunt factæ compotes, ut bipartito concubitu sin-

A bitu singulæ sint impręgnatæ. Et quoniam duæ gentes istæ Ammonitarum & Moabitarum Israelitis erant & uicinæ futurę & aduersariæ, uoluit Moses nomina authorum ac principum illarum exprimere ac manifestare, unde traxerint originem, ideoq; de nominibus filiorum quos filiæ Lot ex ipso concepe-rant, adiecit. Reliqua tacet, uidelicet quando sint ista facta, an statim post egressum Zoaræ, quandiu pa ter & filiæ cohabitarint in spelunca montana, unde uictum sumpserint, quamdiu Lot postea uixerit, u-bi & quomodo mortuus sit, ubi filiæ eius pepererint, & nutrierint infantes, & quæ alia sunt huiusmo-di. Quidam ex nostris arbitrantur Lotum quæsitum fuisse ab Abrahamo, & apud illum una cum filia-bus imprægnatis aliquandiu in dolore & luctu uixisse. Sunt ista probabilia quidem, uerùm tacente scri ptura non est ut quicquam illorum affirmemus.

QVAESTIO I.

Timebat enim manere in Zoara.] Nascitur hic quæstio, unde sibi timuerit Lot, & cuius nam periculi metu egressus sit Zoaram. Illud quidem dici potest in genere, quòd timuerit ne fortè non satis tutus esset in ea ciuitatula: uerùm qua de causa timore illo fuerit perculsus, certò definiri non poterit. uide-tur timuisse ne fortè quatuor ciuitatibus cum omni planitie subuersis, subuerteretur etiam quinta, pro pterea quòd esset illis admodum uicina, sicuti & suprà dixit, Est ciuitas in propinquo, &c. Hieronymus dicit metum hunc ex eo quoq; auctum esse, quòd Zoar frequenter antea terræ motu esset subruta, eoq; primùm Bale, & postea Salissa appellata, & hanc ob causam dixisse Lotum: Si cum cæteræ adhuc ur-bes starent, ipsa sæpe subuersa est, quanto magis nunc in communi ruina non poterit liberari?

Deinde & illud dici potest, quod uiderit illius quoq; ciuitatis tantam esse nequitiam & malitiam, ut timendum sibi duceret, fieri non posse, ut Sodomitarum pœnas & exitium euaderent, qui pares illis essent in scelere. Et hæc cogitatio certi aliquid habere posset, si ciuitatẽ hanc postea subuersam esse con-staret. Potest etiam cogitari nõ fuisse illi admodum tutum manere in ciuitate Sodomitis iam subuersis uicina, propter malitiam ciuium, qui uicinorum subuersionem ipsi essent imputaturi, propterea quòd peregrinus illic habitasset, & eo temporis esset articulo Sodomam egressus, post quod statim cœpisset subuerti: unde coniectura esset, fuisse ipsum mali huius conscium. Sunt hæc admodum probabilia, ue-rùm affirmari non potest nisi hoc unum, quòd timore impulsus exierit Zoaram.

QVAESTIO II.

B *At ille non cognouit nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.*] Quęrunt hoc loco, quomodo fieri po tuerit ut congrederetur Lot cum filiabus, non sentiens quid faceret.

Hieronymus dicit Iudęos, quod in Ebræo est בקומה, id est, cum surgeret, propterea sic scribere, ut lite ra uau supernè punctetur, quasi incredibile sit, & rerum natura nõ capiat, coire quempiam nescientem. uerùm nulla est hic difficultas, si uerba rectè inspiciantur. Non dicit Moses, non cognouisse Lot, quod cum muliere congrederetur, sed non cognouisse, hoc est, non sensisse cum filiæ ipsius sibi accumberent, neq; cum de stratu ipsius surgerent. Siquidem sic erat obsoporatus, ut neutrum horum sentiret. Nam illæ inter dormiendum sese illi adiungebant, & rursus peracto concubitu, cum more bene poti homi-nis iterum obsoporaretur, cautè surgentes discedebant. Hinc ineptum fuerit colligere, quod cognoue-rit eas dormiens & ἀναισθητως. Cognouit quidem eas uigilans, sed quemadmodum solent bene poti, putabat se rem habere cum uxore, oblitus eorum quæ acciderant, si tamen obliuio uocari potest, quod per ebriam obsoporationem accidit.

QVAESTIO III.

Quæritur etiam de concubitu Lot, quo filias suas cognouit, sit ne pro peccato incæstus habendus. Respondemus, triplicem esse considerationem huius concubitus. Prima est facti in se, Secunda, scientię uel ignorantiæ. Tertia intentionis. Si qualitas facti consideretur, admisit Lot non solum constupratio-nem uirginum, sed & incæstum, non modò duas cognoscendo sorores, sed & cum filiabus congredien-do, quo turpius facinus admitti non potest, nisi quis etiam matrem suam cognoscat. Factum hoc in se consideratum planè culpabile est, & communi sensu abominabile. uerùm si considerentur circumstan-tiæ, annexa sint quædam huic facto, quæ licet non excusent prorsus, haud tamen permittunt, ut quod admissum est, simpliciter de incæstu accusari damnarię; possit. Si consideretur ipse Lot, is prorsus igno rauit se rem habere cum filiabus, uxorem sibi adhuc adesse ratus. Et hoc est, quod scriptura dicit: Non cognouit, neq; cum accumberent, neq; cum surgerent filiæ. Ergo quod cum illis congressus est, igno-rans fecit. Et hactenus excusatur à flagitio incæstus. Item, si intentum filiarum consideretur, nec illæ quod fecerunt ardore libidinis detestandæ, sed consilio seruandi generis fecerunt, propterea quòd alio-qui, nisi hoc facerent, generis posteritatem interituram esse putabant, cuius consilij scriptura meminit, dum non simpliciter factum puellarum, sed & uerba commemorat. Itaq; nec illæ de flagitio incæstus accusari poterunt, immò ne de scortatione quidem, quæ minoris est peccati, quandoquidem nihil aliud spectarunt, quàm ut generis posteritatem uel de patre seruarent, cum nulla ratio superesset alia.

Simul tamen fatendum est, non posse factum hoc tam Lot quàm filiarum prorsus defendi, quin ali-quid habeat culpabile. Etenim ebrietas Lotum non sic excusat, ut nequeat intemperantiæ accusari. Est quidem senibus insidiosa ebrietas, uerùm quod ex naturæ nascitur defectu, studio temperantiæ caueri poterat. Crediderim eum uel ad mitigandum filiarum mœstitiam, qua propter amissam matrem affi-ciebantur, uel ut suæ quoq; tristitię parumper obliuisci posset, liberiorem uini usum admisisse: attamen non debebat uiq; adeò uino inebriari, ut ad Venerem usq; homo senex instigaretur, & præ mentis ob-

soporatione cum qua fœmina congrederetur, nesciret. Deinde, nec intentum filiarum tale est, ut sicut A
tas à crimine incæstus purgat, purget simul ab uniuerso delicto. Debebant enim, sicut & Augustinus
sensit, potius nunquam fieri matres, quàm sic miscere patri. Quare possunt Lot & filiæ ipsius in hac
causa à tanto quidem excusari peccato, uerùm non à toto, sicut aliqui loquuntur: hoc est, incæstus qui-
dem damnari non possunt, uerùm quod fecerunt, non est omnino à culpa alienum. Vide Augustinum
lib. 22. contra Faustum Manich. cap. 41.

OBSERVATIO I.

Ascenditq; Lot de Zoara, & mansit in monte, duæ quoq; filiæ eius cum eo. Timuerat enim manere in Zoara.
Et mansit in spelunca ipse & duæ filiæ eius.] Quod Lot relicta Zoara ascendit in montem, exemplum ha
Fructus proprij consilij. bet, in quo proprij consilij fructus apparet. Iussus erat effugere ad montem, uerùm consultius puta-
bat, ut euaderet in ciuitatem Zoaram, ibiq; seruaretur. Sic consilio Domini suum ipsius prætulerat. Et
concesserat hoc illi Dominus, ut reipsa imprudentiam suam experiretur, & per resipiscentiam tandem
ad locum à Domino præscriptum sese reciperet. Pro securitate quam suo ipsius consilio quæsierat, in-
cidit in metum & angustias.

Exemplum modicæ fidei. Deinde, in eo quod dicit, Timuerat enim manere in Zoara: si timuit, ne ciuitas illa quoq; subuerte-
retur, exemplum est fidei modicæ, infirmæ, ac uacillantis. Dixerat angelus, Non delebo ciuitatem pro
qua loquutus es. Promissioni huic si constanter credidisset, poterat securus in ea ciuitate manere. fi-
dei erat quòd illam permissu Domini fuerat ingressus: infirmæ fidei, quòd in ea manere, præ timore,
noluit. Huiusmodi fidei infirmitas non est aliena à sanctis. Petro timenti ne fluctibus maris ac uento
subuerteretur, dicebat Christus, Modicæ fidei, quare dubitasti?

Quid faciat experiẽtia malorũ Si timuit, ne ciuitas illa propter malitiam inhabitantium, perinde atq; reliquæ quatuor subuerte-
retur, uel, ne ab illis propter subuersionem Sodomorum in discrimen raperetur, uidemus quid faciat ex
perientia malorum. Diu habitauerat inter Sodomitas, tandem reipsa cognouit & illorum erga se quo
que malitiam, & diuinæ ultionis animaduersionem. Hinc cautior factus, ubi ciues Zoaræ perinde atq;
Sodomitas malos esse uidit, ne illic in discrimen raperetur, relicta illorum ciuitate ascendit cum filia-
bus in montem. Sic malorum experientia cautionem parit. Id nos Germanico prouerbio significamus
cum dicimus. *gebrandtes kind förchtet das feür.*

Sancti malunt uiuere in speluncis quàm periclitari cum impijs. Tertiò. Et mansit in spelunca, inquit. Miserum sanè uiuendi genus est, manere ac uiuere in spelunca, B
hominem paulo antè uersatum in paradiso deliciarum, & iam senem, omnibusq; bonis exutum. uerùm
sic comparati sunt sancti. Malunt uiuere speluncarij, quàm periclitari cum impijs. Hanc sortem experi-
ti sunt multi pij uiri, Dauid, Elias, prophetæ, ut uideatur Dominus in gratiam illorum copiam spelun
carum in terra Israelis parasse ac sanctificasse. De sanctis illis speluncarijs uide Ebr. 11. Et hodie multæ
sunt causæ, propter quas pij homines mallent manere in cauernis petrarum ac speluncis, si harum da-
rerur opportunitas, quàm in Ecclesijs & urbibus partim miserè afflictis, partim deploratè corruptis.
Hoc affectu Hieremias quoq; dicebat: Quis dabit me in solitudinem, & derelinquam populum meum,
ac recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt ac cœtus præuaricatorum, &c. cap. 9.

Exemplum pietatis erga parentes. Quartò. In eo quòd secundò de filiabus Lot prædicat, quòd patri adhæserint, exemplum est pie-
tatis, qua morigeræ puellæ parentem suum primùm è Sodoma, deinde de Zoara egredientem, & ad
montem in speluncam ascendentem, constanter sequutæ sunt: & incommoditatem uitæ speluncariæ il-
lius gratia subire sustinuerunt. Dubio procul miserabantur senem omni iam solatio destitutum, illius-
que magis quàm iuuentutis suæ rationem habebant. Et hunc animum indidit illis diuina prouidentia,
ne senex optimus dolore ac luctu prorsus conficeretur. Habent liberi pij ac timẽtes Dei, quod imitenẽ,
& unde ἀντιπελαργεῖν discant. OBSERVATIO II.

Et dixit primogenita ad minorem: Pater noster senex est, & nullus uirorum remansit in terra, qui possit in-
gredi ad nos iuxta morem uniuersæ terræ: uenì inebriemus eum uino, dormiamusq; cum eo, ut uiuificemus ex pa-
tre nostro semen. Dederunt itaq; patri suo bibere uinum nocte illa, & ingressa est maior, dormiuitq; cum patre,
at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quomodo surrexit. Altera quoq; die dixit primogenita, &c.] Ad
Duplex genus erroris. monet hic locus, ut de errore & seductione uideamus. Primogenita filia Lot errauit, errandoq; & sei-
psam & sororem ad turpissimi facinoris perpetrationem usq; seduxit. Duplex genus erroris est. unum
quo esse existimatur aliquid, quod simpliciter ac prorsus non est. talis erat error, quo Hauah serpen-
tem putabat sibi quod uerũ esset dicere, & fideliter consulere. item, quo Saul à Dauide sibi insidias frui
existimabat: & Papistæ substantiam panis ac uini in cœna Dominica, in corpus & sanguinem Domi-
ni mutari, & animas defunctorum fidelium post mortem in igne purgatorio torqueri credunt. Hoc ge
nere erroris simpliciter falsa pro ueris recipiuntur.

Alterum genus est, quando id quod uerum est, existimatur esse uel minus, uel maius, uel aliter com-
paratum, quàm in se existit. Huiusmodi error erat, cum cæcus à Christo illuminatus putabat se uidere
homines ambulantes quasi arbores. Homines uidebat ambulantes, id erat uerum. Quod autem uide-
bat eos statura similes arboribus, error erat ex debilitate uisus. Sic errabat Elias propheta, cum di-
ceret primo Regum decimooctauo: Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, &
remansi ego solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam. uerum erat quod dicebat, Altaria tua
destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt, & quærunt animam meam ut auferant eam. Id autem ue-
rum non erat quod addebat, Et remansi ego solus. Nam Abdias dispensator domus Achab, centum

prophetas

A prophetas Domini abſconderat, & ſeruauerat, ne occiderentur. Quare errabat Elias in eo, quòd malum perſequutionis latius peruagatũ eſſe iudicabat, quàm reipſa erat. Conſimili errore errauit etiam primogenita Lot, cum diceret: Nullus uirorum remanſit in terra, qui ingrediatur ad nos iuxta morem uniuerſæ terræ. Interierant quidem omnes regionis illius uiri: uerùm id mali iudicabat progreſſum eſſe latius quàm fuerat progreſſum, dum putabat totum orbem illo fuiſſe correptum, nec ſupereſſe iam aliquem uirum, præter unum ipſarum patrem.

Deinde conſiderandum eſt & illud, quòd non errauit tantum, ſed errori ſeductionem quoq; adiecit, qua & ſeipſam, & ſororem, poſtea & parentem ſeduxit. Aliud eſt ſimpliciter errare, ſic ut omnis error in opinione aliqua falſa conſiſtat, unde tamen nulla naſcatur aliorum ſeductio: & aliud, ex errore conſilium gerendarum rerum capere, alijſq; proponere. Sic primogenita iſta errorem ſuum non retinuit ſibi, ſed cum ſorore communicauit, & ex eo perinde ac ſi uera ſenſiſſet, conſilium ſeminis ex parente nephario cõcubitu ſuffurandi produxit. Admonemur quàm cautè ac uigilanter inſpiciendæ ſunt omnes illæ opiniones, ex quibus gerendarum rerum conſilia producuntur. Nequit enim fieri, ut ſi quid conſilij ex falſis opinionibus, quaſi quibuſdam fontibus, capitur, non ſit falſum, & uel inutile, uel noxium.

Aliud eſt ſimpliciter errare, & aliud etiã alios in errorem inducere.

Tertiò, & illud animaduertamus, unde errori naſcatur efficacia ad ſeducendum. Sumus quidem ex ueneno primæ ſeductionis ſic comparati, ut falſa pro ueris omnium facillimè captemus. unde fit, ut nullus unquam proferatur error, quantumuis portentoſus & noxius, qui non à plurimis pro uero accipiatur: uerùm etiam ex circumſtantijs multum efficaciæ accidit erroribus. Primùm, proponebantur iſta à ſorore: deinde, à primogenita: tertiò, à ſocia quoq; conſilij tentandi, & in effectum perducendi: quartò, accedebat probabilitas, qua uerum eſſe uidebatur, quòd omnes uiros deletos eſſe dicebat: quintò, locus etiam ipſe hactenus ſeductioni ſeruiebat, quòd in ſolitudine ſpeluncaria degentes experiri non poterant, quouſq; peruagatũ eſſet incendiũ. Sextò, accedebat etiam ſpecies neceſſitatis pariter & utilitatis in hoc conſilio de ſeruanda generis poſteritate concepto. Septimò propoſitum iuuabat etiam ſolitudo & obſcuritas loci, in quo cum ſene parente extra mortalium conſcientiam uiuebant. Hæc acceſſoria errorem pariter & conſilium ex illo natum adeò reddiderunt ualidum, ut minorem filiam primogenita ad tam turpe facinus tentandum inducere potuerit. Etenim quicquid minor hac in re fecit, ſenioris perſuaſu fecit. Ergo efficaciſsimus ad ſeducendum error eſt, cuius conſilia cognatione, ætatis prærogatiua, gerendæ rei ſocietate, probabilitate, ſpecie neceſſitatis & utilitatis, & opportunitate man

Vnde errori naſcatur efficacia ad ſeducendum.

B fionis commendantur.

Quartò, nec illud tranſeundum eſt, quod non ſimpliciter dicit, Veni dormiamus cum eo: ſed præmittit, dicens, Potemus eum uino: ac tum ſubijcit, Dormiamuſq; cum eo. Agnouit ipſa primogenita turpitudinem ſui conſilij, nec ignorauit parentis ſui animum ad tam nepharium facinus, niſi uino conſopitum, nulla poſſe ratione perduci. Itaq; conſilium de inebriando parente cœpit, ut quod ſobrius nullo modo facturus erat, faceret ebrius: id quod & fecit. Admonemur quid faciat uinum liberius & incautius hauſtum. Optimus ſenex arbitrabatur ad hoc ſe bibere uinum, ut & animi mœſticiam nonnihil mitigaret, & ſpeluncæ ſqualorem leuius ferret, non ut ebrius cum filiabus incæſtũ admitteret. Quare ſummo ſtudio cauendum eſt omnibus honeſtatis ac ſanctimoniæ ſtudioſis, ne uino largius indulgeant, & per ebrietatem admittant cuius ipſos poſtea grauiſsimè pudeat.

Vis uini incautius ſumpti.

Simul & illud cogitemus. Nouerunt iſtæ uirgines, quæ ſatius fuerat, & uirginitati quoq; conuenientius, ignorare quàm ſcire. Norunt uim & efficaciam uini liberius hauſti, norũt mores ebrioſorum, norunt modum concumbendi, & ſeminis ad poſteritatis propagationem concipiendi. Iſta ſi ignoraſſent, haudquaquam de inebriando parente conſultaſſent. Videmus hic, quàm difficile ſit ignorare turpia, eos qui Sodomis uixerunt. Etiam uiri iuſti ac ſanctæ filiæ non ſic potuerunt cautè & honeſtè educari, ut conſcientiæ illarum corruptione publica non aliquouſq; inficerentur.

Difficile eſt ignorare turpia eos qui Sodomis uixerunt.

Quintò. Vt uiuificemus, inquit, ex patre noſtro ſemen. Obſerua quem finem ſtatuerint quæſiti conjugij, non dicit, Vt uel ex patre uoluptatem concubitus quæramus, quandoquidem aliàs non datur: ſed, Vt uiuificemus ſemen ex patre noſtro. Hic finis eſt copulæ carnalis, qua mulier uiro coniungitur. Illi Sodomitica libido prorſus aduerſatur. Igitur credibile eſt filias Lot frequenter ex ipſo audiuiſſe, quàm enorme facinus eſſet Sodomitarum, quo leges ac fines naturæ corrumpebant & peruertebant, quorſumq; deſtinata eſſet à Deo uiri ac fœminæ coniunctio. Et alias quoq; ſanctas fœminas ad hunc modum inſtitutas fuiſſe, patet in Sara, & uxoribus Iacob.

Quis ſit finis copulæ carnalis.

OBSERVATIO III.

Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre ſuo, peperitq; maior filium, & uocauit nomen eius Moab. Ipſe eſt pater Moabitarum uſq; in præſentem diem. Minor quoq; peperit filium, & uocauit nomen eius Benammi. Ipſe eſt pater Ammonitarum uſq; hodie.] Primùm conſidera quàm mirabilis ſit prouidentia Dei, qua cuncta miſabiliter diſpenſantur. Conceperunt duæ filiæ Lot de patre ſuo incæſtuoſo concubitu. Virgines erant, & ſtatim primo concubitu defloratæ conceperunt, quod impoſsibile eſſe iudicant phyſici. Sæpenumero accidit, ut quæ legitimè cum maritis ſuis congrediuntur, etiamſi maximè cupiant, concipere tamen nequeant, ſicut accidit Saræ, Rebeccæ, Racheli, Annæ matri Samuelis, & Elizabetæ, ut putes Deum facere inordinatæ & illicitæ copulæ, & licitam auerſari. Quoties accidit, ut ſcortantes puellæ contra animi ſententiam & propoſitum concipiant? Nihil præter rationem: omnia ſecundum diuinam diſpen-

Mirabilis diſpenſatio concipiendorum fœtuum.

sationem. Quod hanc causam attinet, iaciebantur duorum magnorum populorum primordia. Quare non est mirum, si conceptus isti disponente Deo statim successerunt. Quod scortantes concernit, aliquando iusto iudicio Dei fit, ut proles arguat occultam & illicitam libidinem: aliquando per prouidentiam dei datur proles, ut uel amore & uinculo prolis ex illicita cõiunctione fiãt legitimi coniuges.

Abominatio sanguinis Sodomitici.

Deinde, quod nomenclaturam genitorum attinet, considerandum est, quo studio puellæ istæ suspicionem Sodomitici sanguinis ac generis à liberis suis auertere uoluerint, dum illa filium suum omni pudore abiecto, Moab, id est, de patre, ista suum Benammi, id est, filium populi mei, uocarunt. Tantum non proclamarunt, multo tolerabilius & minus pudendum esse, uel de patre concipere generis pollutionem, quàm cum Sodomitis leges peruertere naturæ, & concubitũ humano generi inimicũ amplecti.

Studium Mosis erga historias Abrahæ.

Tertiò, in eo quod Moses Lotum hic cum filiabus suis prorsus sepelit, nullamque amplius mentionem facit, quandiu, quomodo, & ubi uixerint, & quæ illis alia acciderint, notãdum est, quo studio præditus fuerit ad prosequendam historiam & posteritatem Abrahæ, propter diuinas promissiones, & benedictionem electi seminis. Tanto uidelicet, ut etiam insignes historias, in quas obiter incidit, truncatim ac breuiter absoluat, quo expeditius ad propositum redeat. Seruiat hæc considerario ad hoc, ut & ipsi scopum sanctæ historiæ diligentius ac uigilantius retineamus, intentionemq; animi inter legendũ ab illo nequaquam auerti sinamus.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

NArratur hoc capite, quomodo peregrinatus sit Abraham in Geraris, ibiq; illi à rege ablata sit Sarah, & cum honore restituta.

ROfectus inde Abraham in terram Australem, habitauit inter Cades & Sur, & peregrinatus est in Geraris, dixitq; de Sara uxore sua, soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti, Habet enim uirum. Abimelech uerò non tetigerat eam, & ait: Domine, ne gentem ignorantem & iustam interficies? Nonne ipse dixit mihi, Soror mea est, & ipsa ait, frater meus est? In simplicitate cordis mei & mundicia manuum mearum feci hoc. Dixitq; ad eũ Deus: Et ego scio quod simplici corde feceris, & ideò custodiui te ne peccares in me, & non dimisi ut tangeres eam. Nunc ergo redde uiro uxorem, & orabit pro te, quia propheta est, et uiues. Si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt.

LECTIO.

Dixitq; de Sarah uxore sua.] In Ebræo est, אבגחם אל שרה אשתו, id est, Et dixit Abraham ad Saram uxorem suam. Vbi notandum est Ebreæ linguæ studiosis אל, id est, ad, positum esse pro על, id est, super, sicut & Chaldæus habet, ut legendum sit: Et dixit Araham super uxore sua, soror mea est. Cum interrogaretur super uxore sua, dicebat eam esse sororem suam. Addidit hic Græcus interpres de suo quædam, quæ in Ebræo non habentur. Nempe, ἐφοβήθη γὰρ εἰπεῖν γυνὴ μῦ ἐστιν, μήποτε ἀποκτείνωσιν αὐτὸν οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως δι' αὐτήν.

En morieris.] Ebræus habet חנך בית, id est, ecce tu mortuus. Germanicè melius exprimimus hanc phrasim cum dicimus: *dubist des tods.*

Habet enim uirum.] Ebræus בעלת בעל תראי, id est, & ipsa maritata marito.

Domine, ne gentem ignorantem & iustam interficies?] Sic legit & Græcus. uerùm in Ebræo simpliciter habetur התהגג גם צדיק תהרוג אדוני, id est, Domine, an gentem etiam iustam interficies, id est, An gentem, etiam quæ iusta est, interficies.

Et ipsa ait: frater meus est.] In Ebræo est, גם היא אמרה אחי הוא ותיא, id est, & ipsa, etiam ipsa dixit, frater meus est.

In simplicitate cordis mei, &c.] In Ebræo legitur בתם לבבי ובנקין כפי, id est, in integritate cordis mei, & innocentia manuum mearũ. Græcus sic, ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ καὶ ἐν δικαιοσύνῃ χειρῶν, id est, in puro corde & in iusticia manuum.

Dixitq; ad eum Deus.] In Ebræo additur, in somnio. Sic legit & Græcus, διὰ ὕπνου.

Et ideo custodiui te.] Ebræus habet, Et prohibui te. Græcus sic, ἐφεισάμην ἐγὼ σε. i. peperci ego tibi.

Et non dimisi ut tangeres eam.] In Ebræo est: ולכן לא נתתיך לנגע אליה, id est, propterea non dedi tibi ut accederes ad eam.

EXPLANATIO.

Redit Moses post historiam Sodomitarum, & Lot ad prosequendam historiam Abrahæ. Illã quasi parenthesis uice narrationi suæ, propter singulare cùm facinus Sodomitarũ, tũ iudiciũ Dei immiscuerat, hanc

A hanc uerò ex destinato ac primario proposito prosequitur. Quod præsentem autem contextũ attinet, tria commemorat. Primum, quid fecerat Abraham, secundum quid Abimelech, tertium quid Deus. De Abrahamo sic narrat.

Et profectus est inde Abraham ad terram Meridionalem, &c. Non simpliciter dicit: Et profectus est Abraham, sed addit משם, id est, inde, ex eo loco, ubi annos non paucos manserat, ex querceto uidelicet Mamre. Sic unde profectus sit expressit. Addit etiam quò se receperit. Ad terram, inquit, meridionalem. Respectu scilicet quercetι Mamre. subiungit specificationẽ dicens, Et mansit inter Cades & Sur, & peregrinatus est in Geraris. De Cades & Sur dictũ est suprà cap 16. De Gerara scribit Hiero. ad hunc modum. Gerara, ex cuius nomine nunc Geraritica uocatur, regio trans Daroma, procul ab Eleutheropoli uinginti millibus & quinq; ad meridiem. Erat autem olim terminus Chananæorum ad australem plagam, & ciuitas metropolis Palæstinæ. Scriptura commemorat fuisse eam inter Cades & Sur, hoc est, inter duas solitudines, quarum una Aegypto iungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris peruenit. Altera uerò Cades usque ad Saracenorum eremum extenditur. Hæc ille. Ergo inde ab Hebron profectus est Abraham meridiem uersus ad terminos usq; terræ Cananæorum. *Gerara.*

Dixitq; de Sarah uxore sua, soror mea est. Quo fecerit hoc consilio, ex ipsius ad Abimelech uerbis infrà uidebimus.

Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.] Hisce uerbis breuiter cõmemorat, quid fecerit Abimelech rex Gerarę. Quia putabat Sarã non esse uxorẽ, sed sororem Abrahæ, tulit eam in domũ suã, ut esset ipsi uxor. Quoniã aũt infrà cap. 26. in historia Isaac, iterũ de Abimelech rege Gerarę legit, ac uerosimile est nõ fuisse eundẽ de quo hic scribit, coniectura datur, reges Geraræ fuisse oẽs hoc nomine Abimelech uocatos, quemadmodũ reges Aegyptiorum Pharaones appellabãtur. Sonat aũt Abimelech, pater meus rex. Quare autem mulierem nonagenariam ad se tulerit, uidebimus in quæstionibus.

Venit aũt Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi, &c.] Quam curam Deus gesserit, & quid fecerit pro Abrahamo suo, cum rursus esset illi adempta uxor, diligenter ac perspicuè exponitur. Venit, inquit, Deus ad Abimelech in somnio, בחלום, id est, Apparuit ei dormiẽti nocte per uisionem somnij. Et ait illi: Ecce morieris propter mulierem quã tulisti. Habet enim uirum. Denunciat illi mortis sententiam, & causam addit, uidelicet, propter ablatam uxorẽ Abrahæ. Apparet autem fuisse Abimelech
B grauι morbo percussum, sicut infrà quoq; memoratur, quòd orante Abrahamo fuerit sanitati restitutus, atq; ita Dñm apparuisse ægrotanti, causamq; morbi exposuisse ignoranti. Iosephus de suo dicit, quòd propter conscupiscentiam corrumpendi Saram uoluntate Dei inciderit in ægritudinem, ac tandem desperantibus medicis obsoporatus causam morbi cognouerit.

Abimelech uerò non tetigerat eam.] Commemoratur hoc propter illibatam pudicitiam Saræ, ne quis illam uiolatam esse putet.

Et ait: *Domine, an gentem etiam iustam interficies?*] Obijcit Dño innocentiam suam. Quod autem nõ dicit: An me iustũ, sed an gentẽ etiã iustã interficies? ob id factũ esse apparet, q̃d nõ ipse tantũ, sed tota ipsius domus flagellaret à Dño. Vsurpata est autẽ uox גוי id est gens, pro integra familia ac domo, quo sensu & nos Germani de domo ac familia solemus dicere, *es ist eyn gůts volck*. Videtur autem admisceri hic esse dictionum transpositionẽ, ut legendum sit, an etiam iustam gentem interficies, sicuti perdidisti nuper gentem impiam ac sceleratam? Tuetur uerò salutem suam huiusmodi argumento. Domine, non interficies homines iustos perinde atque iniustos. Huic maiori subijcienda erat minor: At ego iustus sum in hac causa. Loco huius comprobationem iusticiæ suæ ponit. Conclusionem non expressit: Ergo me non interficies, sed tanquam ultro relucentem cognitioni Dei reliquit.

Nonne ipse dixit mihi, Soror mea est, &c.] Comprobat innocentiam suam, etiam ipso Domino teste. Neque enim simpliciter dicit, Ipse dixit mihi: sed, Nonne ipse dixit mihi. Atque ita culpam rei gestæ reijcit in utrosque, Abraham uidelicet & Saram, qui dissimulando coniugium, fraternam ac sororiam cognationem prætexuerant. Vnde & infert: In integritate cordis mei, & innocentia manuum mearum feci hoc. Id est, quicquid huius à me factum est, alienum est à malicia adulterandi. Nec corde nec facto adulterium admisi.

Dixitq; ad eum Deus: Et ego scio, quòd integro corde feceris, & custodiui te, ne peccares in me, &c.] Quatuor dicit ad Abimelech: Primũ, quoniã dixerat, Integro corde feci hoc, assentitur illi dicens: Et ego scio, quòd integro corde feceris. Deinde, adijcit causam, quare Sarã non tetigisset. Ego, inquit, prohibui, ne peccares in me, per id, quòd non permisi, ut tangeres eam. Loquitur de morbo, quo fuerat Abimelech impeditus, ne tangeret Saram. Tertiò, iubet ut mulierem uiro suo restituat, simulq; salutem, si id fecerit, promittit, idq; per intercessionem Abrahæ. Quia propheta est, inquit, & orabit pro te. Lyranus hanc particulam, Quia propheta est, refert ad præcedentia. Vt sit sensus, Redde uiro uxorem, quia propheta est, ideoq; recipiet illam benευolo animo, sciens quod eam non tetigeris. Et uiues, inquit, id est, sanaberis ac liberaberis à sententia mortis. Quartò, adijcit minas, si restituere nolit, idq; per affirmationem dicens, Scito quod morte morieris tu & omnia quæ tua sunt, si reddere nolueris.

QVAESTIO I.

Profectus inde Abraham in terram Australem habitauit inter Cades & Sur.] Quærunt hic, qua nam de causa mutarit Abraham sedem suam, migrarit; de loco, in quo manserat annos circiter decem *Quare mutauerit Abraham sedem suam.*

decem & octo, ubi etiam tam fidos ac beneuolos habebat amicos, tres uidelicet fratres Amorræos, cũ quibus fœdus inierat. Rabi Shlomoh arbitratur hoc esse factum propter defectum uiatorum, quorum post subuersam Pentapolim nulla fuerit amplius frequentia, sicut antea, quando euntium ac redeuntium copia subinde occasionem Abrahæ hospitalitatem exercendi dabat. Iudicat noluisse Abrahamũ amplius in eo manere loco, ubi non posset pro suo more peregrinos homines hospitio accipere. Et hùc sententiam Shlomonis recitat Lyranus. Addit Shlomoh aliam quoq; rationẽ. Vt procul, inquit, discederet à Loto, propterea quòd ille malè audire cœperat, ob inceſtum cum filiabus admissum. At sunt ex nostris, qui tradunt Abrahamũ post subuersionem Sodomorũ studiosè quæsisse & adse transtulisse Lotum cum filiabus impręgnatis, illorumq; mœsticiã & calamitatẽ blandis consolationibus mitigasse. Alij existimant migrationem hanc Abrahæ fuisse factam, uel quòd tres illius hospites amici & confœderati, ex hac uita sublati, terrę illius dominiũ maleuolis hæredibus reliquissent, uel quòd nollet amplius uicinus esse terræ Sodomorum. Quicquid sit, haud dissimule uero existimauerim, si sentiamus Abrahamum etiam hac de causa mutasse locum Sodomis uicinum, quòd propter regionis illius subuersionẽ publico uicinorum odio factus esset obnoxius, quemadmodum & suprà cap. 18. monui, ubi angeli de conuiuio Abrahæ surrexisse, & Sodomam uersus tetendisse memorantur. Nemo dubiter, plurimum fuisse contristatos uicinos Sodomitarum, propter amissam eius planiciei fertilitatẽ, qua bene consuetudinem uti. Quare crediderim illos malè fuisse erga Abrahamum animatos quòd innotuerit forsan omnem id malum è domo illius per quosdam peregrinos homines ipsius hospites fuisse profectum.

QVAESTIO II.

Quomodo potuerit Sarah mulier nonagenaria formæ suæ retinere decorem.

Dixit de Sarah uxore sua, Soror mea est. & misit Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.] Quærunt quomodo Sarah, mulier nonagenaria, ea potuerit ætate, qua iam ipsi muliebria defierant, tantum pristinæ uenustatis retinere uigorem, ut & Abraham perinde atq; olim in Aegypto, uitæ suæ propter illam metueret, & rex Geraræ eam concupisceret, inq; domum suam uxoris loco transferret.

Sunt qui arbitrantur Mosen ista neglecto rerum gestarũ ordine assignasse, & hic demum post subuersionem Sodomorũ commemorasse, cum antea essent facta. Verùm & series eorum quæ de migrationibus Abrahæ præmissa sunt, sententiam hanc ferre nõ potest: & illud quoq; repugnat fortiter, quòd nõ simpliciter dicit, Et profectus fuerat Abraham in terram Australem: sed, Et profectus est inde Abraham. Vnde quæso, nisi ex eo loco, in quo suprà mansisse commemorat, uidelicet de querceto Mamre. Hic manserat usque ad subuersionem Sodomorum, quo tempore Sara iam annos erat nonaginta nata. Et præterea, quæ fuisset Mosi ratio ut ad præcedentia relaberetur, cum hactenus peregrinationem & historiam Abrahæ competenti serie prosequutus esset?

Alij adferunt, reperiri quosdam uiros sic comparatos, ut maturam, grauem, honestam & castã matronarum conuersationem ament ac probent magis quàm faciei uenustatem, atque ex illorum numero iudicant hunc fuisse Abimelech.

Quid autem uetat, quo minus utranq; & honestatem & uenustatem adhuc talem fuisse in Sarah sentiamus, ut nulla illi esset regionis illius mulier conferenda, ideoq; uiros Geraræ pulchritudinem peregrinæ fœminæ admiratos, de illa ad regem suum detulisse? Arbitror non tam esse respiciendum ad annos illos nonaginta, quàm ad integrã illius ætatem, quæ usqueadeò erat adhuc negeta, ut ab eo tempore uixerit adhuc annos triginta septem. Quare cum Augustino magis uim formæ illius admiramur, quàm ut quæstionem hanc difficilem esse putemus.

QVAESTIO III.

Quomodo fuerit Abrahã propheta.

Quia propheta est.] Quæsierit hic quisquam, quomodo fuerit Abraham propheta, cum nulla uspiã legat illius prophetia. Respondendũ est, uel Mosen, uel Deũ ipsum fuisse mẽtitum, uel prophetam omnino fuisse Abrahamum, etiam si de prophetijs illius nihil tradatur in scripturis. Fuit autem dubio procul duplici nomine propheta. Primùm, quia mysteria regni Dei olim orbi reuelanda in spiritu prędidit. Vnde & Christus dixit, Abraham uidit diem meum, & gauisus est, Ioan. 8. Sunt autem eiusmodi prophetæ olim Videntes in scripturis appellati. Deinde, quia oraculorum ac uerbi Dei minister inter eos fuit, cum quibus uixit, quemadmodum & Noe. Sic de Aarone dicebat ad Mosen Deus Exod. 7. Et Aaron frater tuus erit נביאך, id est propheta tuus. Tu loqueris quæcunq; tibi præcepero, & Aaron frater tuus loquetur ad Pharaonem. Erat ergo & Aaron propheta, propterea quòd uerborum Dei interpres esset ad Pharaonem constitutus, quamuis nullum extet illius de rebus futuris uaticinium. Hoc pacto & Abraham rectè propheta uocatur, cùm quòd doctrinæ Dei ad homines, tum quòd necessitatum hominum ad ipsum Deum esset fidelissimus interpres & orator.

OBSERVATIO I.

Sancti & peregrinãtur et certis locis habitãt iuxta quod ratio postulat.

Profectus inde Abrahã in terrã Australẽ, habitauit inter Cades & Sur, et peregrinatus est in Geraris.] In eo q; Abrahã aliquoties sedes suas mutasse, ac rursus nõnunq; annos aliq; t certis locis habitasse cõmemoratur, obseruandũ est, nõ esse alienũ à libera sanctorũ uita, ut q̃uis peregrini sint in hac terra, certis tamen sedib. aliquãdiu cõsistãt: ac rursus ubi uel necessitas uel cõmoditatis ratio postulauerit, alio migrẽt. Nulli certo loco seruiliter sunt addicti. Honestè ac liberè uiuũt, siue peregrineñ, siue certis mansionibus alicubi consistant. Si uir bonus hodie sedem toties mutaret, quoties Abraham hactenus mutasse scribitur, pro errone & homine inquieto haberetur. Non sunt affectandæ migrationes, locorumq; mutationes. Esset id animi inconstantis. Verùm rursus non sunt fugiendæ, si qua illas ratio popoſcerit.

Deinde,

Deinde, quòd loca Sodomis uicina in quibus annos plus minus decem & octo cõstiterat, post Pentapolitanæ regionis subuersionem reliquit, documento nobis esse debet, fugienda esse loca non modò ob præcipua quædam scelera, sed & propter singularem diuinam ultionem detestãda, qua declaratur quòd Deo displiceant. Sic fecit Hieronymus, qui relicta Tarpeia rupe, quam certo argumento Deo displicere intelligebat, Bethlehem profectus est. Et hic puto locus, inquit, sanctior est Tarpeia rupe, quæ sæpius fulminata, ostendit quòd Deo displiceat. Ad Marcellam de laudibus Bethlehem. *Loca Deo inuisa fugienda sunt*

Tertiò, de eo quod dicit, In terram Australem, uel meridionalem, uide supra cap. 12.

Quartò, in eo quod dicit, Habitauit inter Cades & Sur, & peregrinatus est in Geraris, obseruanda est locorum & personæ conueniẽtia. Peregrinatus est Abraham in Gerara, inter Cades et Sur. Gerara Hebræis, si Hieronymo credimus, incolatum & peregrinationem sonat, siue natũ sit id nominis ex peregrinatione Abrahæ, siue ante illã sic dictus sit is locus. Cades & Sur duæ sunt solitudines, inter quas sita est regio Gerara. Cades sanctum, Sur murum significat Hebræis. Sunt hæc non prætereunda, sed ueluti magnarum rerum imagines inspicienda. *Locorum et personæ conueniẽtia.*

In Abrahamo habes imaginẽ electorũ in hac terra peregrinantiũ. Abraham pater credentiũ non est sine singulari consilio Dei eiusmodi uitæ genus sortitus, ut è patria terrena euocatus, in ea quoq; terra peregrinus esset, cuius promissionem acceperat à Dño. Credentium, hoc est, in fide uerbi Dei uiuentium, non est fixas habere sedes in hac terra, cuius tamen tanq̃ filij Dei sunt hæredes. Neque enim fides, qua hic uiuunt, sic est comparata, ut rerum sit præsentium, sed ut futurarum, ita & absentium, quæ ubi in patria erimus, locum in nobis non habebit amplius. Sic Apostolus 2. Cor. 5. dicit: Donec sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Loquitur ista homo fidelis, fide filius Abrahæ, ac peregrinus in terra, ministerio Christi apostolus, non suam priuatam, sed communem fidelium & filiorum Abrahæ sortem exprimens. *Abraham exemplar peregrinantium electorum.*

Deinde in Gerara proposita est imago totius terræ, quatenus illa incolitur ab electis. Licet enim terrenis hominibus sit patria, habeatq; suos indigenas, regna, magistratus, ordines, religiones & cultus, electis tamen & fidelibus non est patria, sed Gerara, id est, peregrinationis regio. Neq; enim habent in illa permanentem ciuitatem, sed futuram inquirunt, quam Deus ipsis parauit in cœlis. Sic Gerara Abimelecho quidem ac reliquis indigenis erat patria terra: Abrahæ uerò & ipsius familiæ patria non erat, sed uerè Gerara, id est peregrinatio. *Gerara imago totius terræ.*

OBSERVATIO II.

Dixitq; de Sarah uxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.] De eo q̃ Saram uxorem suam Abrahamus sororem suam esse dixit, annotatum est supra cap. 12. quemadmodum et de eo quòd in domum regis est sublata. In præsenti considerandũ est, quòd ista iam secundò fiunt. Quo tutiam in Aegypto bene cesserat hoc commentum, quo Saram sororem suam esse dixerat, utitur illo iam securius, quasi certus de diuino auxilio, quo sit uxorem saluam & illibatam receperurus. sic solemus res periculosas, etiam parũ licitas, confidentius tentare, postq̃ semel auxilio Dei non infeliciter successerũt. Nemini suasero exempli huius imitationem. Multa temerè molimur, quæ nonnunq̃ Dominus ignorantiæ et infirmitati nostrę parcens bene uertit, non ut illa denuò tentemus, sed ut gratiam curæ illius agnoscentes, cautius agamus in posterum. Non est bona consequentia: Hoc antea beneficio Domini bene cessit, ergo nihil habet peccati. Tentemus itaque denuò. *Successus præcedens inuitat ad iterationẽ facti.*

Obserua etiam regis huius nomen. Dictus est Abimelech, id est pater meus rex. Compositum nomen est ex אבי, id est pater meus, & מלך, id est rex. Admonebantur reges hoc nomine, quid esse deberent suis subditis: ac rursus admonebant subditi, quo animo erga regem suũ esse deberent. Admodum antiquũ est, ꝙ reges subditis suis patrũ uice fuerunt. Nunc παλαιὸν est & obsoletũ. Ipsa regũ tyrannis clamat, esse eos nõ אבימלכים sed אבירמלכים. sonat aũt אבירמלך, id est Abiebimelech, hostis meus rex. Hinc crebrę subditorum oppressiones, ac rursus seditiones populorũ aduersus reges suos ac magistratus rebellantiũ. Verùm debentur ista magis subditorum maliciæ & peccatis, quàm regum improbitati. Dat enim Dominus populo peccatori regem in ira & furore suo Osee 13. quẽ uerius uocet אבירמלך quàm Abimelech. *Nomen Abimelech.*

OBSERVATIO III.

Venit aũt Deus ad Abimelech per somniũ nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti. Est enim maritata marito.] Obserua hic quædam de aduentu Dei ad homines. Venit Deus, inquit. Præsens est Deus ubiq;, adimplens oñia quæ in cœlo sunt & in terra. Quare non sic uenit aliquò, ut de loco ad locum proficiscatur, quemadmodũ nos relictis locis unde proficiscimur, uenimus ad ea in quibus antea non fuimus. Et tamen non mentitur scriptura, quando Deo tribuit, quod aliquò uenerit. Sciendum igitur, uenire Deum aliquò, quando singulari quadam operatione siue gratiæ siue iræ præsentiam suam declarat, quemadmodum hic apud Abimelech est factum, cui sese singulari reuelatione præsentem exhibuit, cum tamen ab illo nunquam discesserit. Si dicas, Venit ad me spiritus meus & monuit ut mihi caueam, quæso, quomodo uenit ad te spiritus tuus, qui te nũquam deseruit, nisi hoc pacto quòd monendo præsentiam suam singulari ratione declarauit? Sic uenit Deus ad homines, in quo tamen uimus, mouemur & sumus. *De aduentu Dei ad homines.* *Simile.*

Deinde, uenit Deus, inquit, ad Abimelech. Venit ergo ad regem. Non est personarum acceptor Deus ex eo iudicandus, quòd subinde ad reges uenisse scribitur. Venit ad reges Gerarę hic & infrà capite 26. *Quare frequenter apparuerit Deus regibus.*

Venit

Venit ad reges Aegyptios, suprà cap. 12. & infrà cap. 41. Venit ad reges Babylonios, Dan. 2. 4. 5. 7. Venit ad Salomonẽ, 1. Reg. 3. & 9. & ad reges Iehudah & Israelis frequenter per prophetas suos uenit. Si ad solos reges ueniret, uideretur esse personæ regiæ acceptio. Venit aũt non ad solos reges, sed ad inferioris quoq; fortunæ homines, præsertim miseros & afflictos. Non est uerò præter rationem, quòd subinde uenit ad reges. Quid sunt reges aliud, quàm præcipui quidam serui Dei? Etenim ipsius est regnum, qui rex est regum, & Dominus dominantium. Ad seruos itaq; suos uenit Deus, quando uenit ad reges, & magistratus & iudices, ut uel corrigat eos & in officio retineat, ne quid contra se peccent, sicut hoc loco uidere est, & psal. 82. uel ultionem de illis sumat, uel de rebus futris præmoneat.

Quare plerũq; apparitiones d. dormientib. contigerint.

Tertiò. Quomodo uenit Deus ad regem Abimelech? Per somnium, inquit, nocte. Vigiliæ sanorũ, præcipuè regum, plenæ sunt terrenarum occupationum, ægrotorum refertæ sunt doloribus & angustijs. Aegrotabat Abimelech, percussus à Domino. Igitur commodùm uenit Deus ad dormientem. Cũ dormiente non potest agi nisi per somnium. Corpus dormientium obsoporatum est, & parum distat à mortuo. Spiritus uerò eo est uigilantior, quo minus corporalibus est occupationibus detentus, adeoq; accommodatior est cœlestibus ac diuinis uisitationibus. Interea tamen cauendum est, ne quæuis somnia pro diuinis reuelationibus amplectamur, incidamusq; in errores ac ludibria fatanæ. Probanda sunt somnia non modò ex ipsorum qualitate, sed ex circumstantijs quoque ac causis. Quæ diuinitus immittuntur, & pia sunt in se, & immittuntur non temerè, sed grauibus de causis: nec quibuslibet, sed hominibus Dei timentibus: & simul adferunt certitudinem quandam qua mentes de ueritate persuadeantur & confirmentur.

Homini bifariã dici potest quòd sit moriturus.

Quartò. Et ait illi, inquit, En morieris propter mulierẽ, quã tulisti. Est enim maritata marito. Erat Abimelech homo, adeoq; & mortalis, & suo tempore moriturus, id quod dubio procul non ignorabat. Neq; eñ hanc mortalitatis legem oñibus hominibus impositam regia dignitas irritã redderet potest: nec ipse hoc, q̃uis rex esset, ignorabat. Quid ergo necesse erat ut, quòd moriturus esset, diuino illi oraculo denunciaretur? Bifariam fieri potest, ut homini dicatur quòd sit moriturus. Primùm, in genere & indefinitè, ut mortalem se & aliquando moriturum esse agnoscat, atq; ita cautius uiuat. Aq; utinam mortalitatis suæ reges ac principes, opulenti & potentes, ac quotq̃t feliciter in hoc seculo uiuunt, nunquã obliuiscantur, immo patiantur saltem sine stomacho, si quando illius admonentur. Deinde potest dici definitè, per mortis iam instantis denunciationem. Posterior hic modus omniũ est tristissimus, præcipuè regibus ac magnatibus. uide 1. Sam. 15. & 2. Reg. 20. Vsurpat aut̃ autem diuersimodè. Aliquando propter singularem dispositionẽ, citra iram & indignationẽ Dei. Sic Aharoni Num. 20. & Mosi Deut. 32. Et Ezechiæ regi 2. Reg. 20. prædicabat quòd morituri essent. Aliquãdo ex singulari gratia loco consolationis ac recreationis, id quod multis accidit sanctis uiris in afflictionibus cõstitutis, quorum nonnulli certò potuerunt horam mortis suæ prædicere. Aliquando per modũ sententiæ, qua merita pœna sceleratis denunciatur. fit hoc bifariã. Aut reuocabiliter per condtitionem. Sic accidit hic Abimelecho, cui denunciatur, quòd moriturus sit, nisi mulierem quam tulerat uiro suo restituat. Vel irreuocabiliter sine aliqua emendationis conditione. Sic 2. Reg. 1. Ochoziæ regi per Eliam dicebat: Quia misisti nuncios ad consulendũ Baalzebub Deum Accaron, quasi non sit Deus in Israel, à quo possis interrogare, ideo de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Adhunc modum maleficis ac sceleratis hominibus, dum pœnas exiguntur, mortis sententia proponitur, non ut resipiscant, sed ut meritis supplicijs ad exemplum aliorum plectantur. Pio homini curandum est primùm, ut nunq̃ moriturum esse se obliuiscatur: deinde ut sic uiuat, ne uiolentiæ ac meritæ mortis sententiam incurrat.

Plena forma capitalis sententiæ

Quintò propter mulierem, inquit, quam tulisti, maritata est enim marito. Obserua q̃ sententiæ mortis adijcitur causa propter quam, peccatum uidelicet admissum. Et hæc est plena forma capitalis sententiæ, ut non solum supplicium denuncietur, sed & culpa exprimatur. Tyrannidis speciem habet non indicata causa mortis pronunciare sententiam. Qui potestatem habet & uitæ & mortis in omnes mortales, non grauatur causam exprimere propter quam mortis supplicium inferat, & homines inueniuntur qui sic morti adiudicent hominem, ut non edicant qua nam id causa faciant?

Peccatum adulterij capitale.

Simul considerandũ est, q̃ sit graue peccatũ, alienã interuertere uxorẽ. Non dicit, Propter mulierem quã occidisti, sed quã tulisti. Maritata est eñ marito. Ergo capitale erat adulterij peccatũ, etiã ante legẽ. Ea pœna apud ueteres erat cõmuni sensu iusta & æqua: nũc ridiculum est, etiamsi quis in ipso adulterio deprehendat. Adhæc obserua hic, parib. legibus corã Dño obnoxios esse reges cũ subditis. Rex erat, cui mortis sententia propter oblatam alienam uxorem denunciabatur. Hodie putatur nihil minus competere regibus, quàm ut legibus æquè ac alij sint subiecti. Cum olim Alexandro Magno multa nocte adducta esset puella, rogataq; ubi fuisset tamdiu, respondisset, expectandum sibi fuisse, dum maritus iisset cubitum, ministros admodum obiurgauit dicens, Reducite hanc. Parum enim abfuit quin ue-

Alexander Magnus.

stra culpa fuerim factus adulter. Tantum sibi licentiæ non permisit rex ille domitor orbis futurus, ut scienter peccatum admitteret, quod capitali esset sententiæ obnoxium.

Sextò, & illud obserua, q̃d in Hebræo est רחיא בגרלת בעל, q̃d uertũt. Habet eñ uirũ, uel, est eñ maritata marito. Vox בעל non significat propriè uirũ aut maritũ, sed magistrũ ac Dñm. Sic Ioseph̃ fratres ipsius uocabãt בעל חחלמיח, id est magistrũ somniorũ Gen. 37. Et infrà 49. sagittarij uocant בעלי חצים. i. magistri sagittarũ. Sic Exo. 21. legimus בעי חשור. i. Dñs bouis, et בעל חבור. i. Dñs putei. Et Deut. 15. בעל משח dñs mutui, ꝑ creditore. Taliafrequẽter occurrũt in scripturis. unde manifestũ est eã ob

ob causam בגלל aliquando sumi pro marito, & בגלל pro maritata, & maritus iure coniugij magister ac dominus est uxoris suæ. Sic Sarah Abrahamũ uocabat dominum suum. Ergo qui marito admittit uxorem, non solum uitæ illius sociam & coniugem, sed & lege matrimonij propriam & subditã aufert, dignus qui proprio sanguine propter alieni sanguinis uiolationem pœnas luat. Cauendum tamen est, ne occasionem hinc sumant uiri duri & inhumani, perinde uxoribus atque seruis & mancipijs dominandi. Habet quidem uir potestatem ac dominium in uxorem. Verùm uicissim habet uxor potestatem in corpus uiri. 1. Cor. 7. estq; illi inseparabiliter tanquam ipsius caro coadunata. Nemo autem suam ipsius carnem odio prosequitur, & dominio inhumano conficit.

OBSERVATIO IIII.

Abimelech uerò non tetigerat eam.] Obserua hic Hebrçam loquutionẽ. ראפרימלך לא קרב אדירי id est, Et Abimelech non accesserat ad eam. Multi sunt modi accedendi ad mulierẽ, uisitando, salutando, consolando, medendo, &c. Et dubio procul accesserat ad eã Abimelech, cũ eam ad se adductã salutaret, uel pro more gentis acciperet. Verùm scriptura uerbo accedendi utitur aliquoties pro uerbo cognoscendi ac congrediendi: ut accedere ad mulierem, idem sit quod rem habere cum muliere. Hæc autem loquutio nata est ex consuetudine ueterum, qui separatim ab uxoribus cubabant, & uel illarum cubilia dormituri cum ipsis ingrediebantur, uel eas ad se uocabant. Sic infrà 30. Lia redeunti Jacobo ex agro occurrens dicebat: Ad me intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei. Et subditur: Dormiuitq; cum ea nocte illa. Et suprà cap. 16. Ingredere ad ancillam meam.

Accedere ad mulierem.

Simul obserua diligentiam Mosis. Vigilanter admonet, nõ esse Saram ab Abimelecho cognitã, immo prohibitum illum esse à Deo, ne tangeret eam. Considerandũ est, quomodo cauerit spiritus sanctus ne suspicio nasceretur de conceptione Isaac, quasi ille non ex Abrahamo, sed ex Abimelecho conceptus fuerit, quandoquidem confestim erat de conceptione illius, anno ille facta memorandum. Promiserat Abrahæ Deus semen ex ipsius lumbis, idq; ex Sarah. Ne promissio illa benedicti seminis sinistra suspicione per id grauaretur, quòd Saram rex Abimelech paulo ante conceptum Isaac in domũ suam loco contactam, sed singulari cura Dei custoditam & conseruatam. Cautio hæc summopere necessaria erat, ne Seruatoris nostri Christi Iesu generatio inde à semine Abrahæ deducta in suspicionem degenerationis raperetur, & fidei nostræ basis infirma redderetur.

Diligentia Mosis in re necessaria.

OBSERVATIO V.

Et ait: Domine, an gentem etiam iustam interficies? Nónne ipse dixit mihi, Soror mea est? Et ipsa, Etiã ipsa dixit, frater meus est? In simplicitate cordis mei, & innocentia manuum mearũ feci hoc?] Principiò obseruandum est, quod dicit אדני id est Domine mi. Rex ethnicus nõ sic de regia sua maiestate præsumebat, ut diceret: Quis est Dñs? sed Deum agnoscebat non minus in se quàm in reliquos mortales iustum ac plenum habere dominium. utinam exemplum hoc regis ethnici imitentur reges ac principes Christiani. Si hoc facerent, sublata esset omnis tyrannis unà cum uniuersa insolentia & arrogantia, qua hodie domini esse malunt quàm serui Dei: & magis hoc agunt, ut imperent hominibus, quàm ut iussis diuinæ maiestatis obtemperent. Obserua etiam quod dicit: An iustam quoque gentem interficies? primùm, de Deo sentit perinde atq; Abraham: non conuenire illius iusticiæ, ut iustos homines perde atq; iniustos interficiat. Hac de re suprà cap. 18. quædam sunt annotata.

Rex ethnicus agnoscit Deũ esse Dominũ suũ.

Iusticiam Dei agnouit Abimelech.

Deinde, considerandum est, quod non maiestatem suam, sed innocentiam obijcit. Non dicit, An regem interficias propter peregrinam mulierculam? An non habeo potestatem in regno meo quamlibet mulierculam meo usui uindicare? sed, An gentem iustam interficies? Agnoscit nihil esse sibi nec suis præsidij in maiestate ac prærogatiua regia, sed perinde se atque alios, si quid deliquisset, iudicio ac condemnationi esse obnoxium.

Nõ obijcit maiestatem suam Abimelech.

Tertiò obseruandũ est etiam q̃ innocentiam suam coram Deo proponit: qua in re exemplum habes animi de innocentia sibi cõscij. Qui sibij ipsi conscius est de peccato, quicquid corã hominib. uel simulet, uel dissimulet, corã Deo non poterit ad iusticiæ patrocinium cõfugere, sed magis misericordiã implorabit. Nõ est aũt putandũ q̃ de plena totius uitæ suæ iusticia loquutus sit Abimelech, sed de ea tantũ, quæ causam Abrahę & uxoris illius concernebat. Sic intelligendũ est, quoties sanctos homines iusticiã suam corã Deo obtẽdisse legimus, quale est illud Dauidis: Iudica me Dñe secundũ iusticiã meã. psal. 7. Alioqui dicit idem propheta: Ne intres in iudicium cũ seruo tuo Dñe, quia nõ iustificabit in cõspectu tuo ullus uiuens. psal. 143. Quartò, nec illud transeundũ est, q̃ innocentiã suã uocat iusticiã. Duæ sunt iusticiæ partes. Vna, qua abstinemus à malo: altera, qua q̃d bonũ est facimus. Prior cõstat innocentia, qua fit ut nemini noceamus. Altera cõstat bonitate ac beneficẽtia qua, proximis benefacere studemus. Ergo innocẽtia non est plena, sed dimidiata iusticia. Vocatur autem iusticia respectu oppositi, quod est esse noxiũ proximo. Quemadmodum enim iniusticia est, si quis noceat proximo: sic iusticia est, nemini incõmodare, neminem lædere, in neminem peccare.

Exemplum animi sibi bene conscij.

Quomodo innocentia sit iusticia

Quintò. Nonne ipse dixit mihi, Soror mea est, &c. Obseruandũ est, q̃ nõ nuda affirmatione iusticiã suã prætendit, sed argumentationis suæ minorẽ se concernentẽ argumento omniũ ualidissimo confirmat. Maiori uerò de iusticia dei posito nihil cõfirmationis adiecit, sed illã simpliciter tanq̃ irrefragabilẽ posuit. Hoc itaq; discriminis est inter iusticiã Dei et nostrã, idq; nostri ipsorũ conscientię testimonio, q̃ iusticia Dei tam est firma & indubitata, ut nulla opus habeat cõprobatione: fitq; prorsus impiũ, si quis illã

Discrimen inter iusticiam Dei et nostram.

in

in dubium uocare uoluerit, noſtra uerò tam incerta & fallax, ut nemini mortalium iuſticiam ſuam iactanti ſine certo & euidenti teſtimonio fides utrò poſsit haberi.

Quomodo innocentiam ſuã comprobet Abimelech.

Sextò. Conſiderandum etiam eſt quomodo innocentiam ſuam comprobet Abimelech. Magnũ eſt indubitatis argumentis, etiam in conſpectu Dñi propriam innocentiã poſſe tueri. Omnis accuſatio uel eſt ab eo in quẽ peccatũ eſt, uel ab ipſo Deo, ſupremo omniũ iudice. Itaq; fieri nõ poteſt, ut fortius quisq; innocentiã ſuam cõprobet, q̃ ſi id faciat teſtibus iudice pariter & actore. Sic Abimelech uerba Abrahæ ac Saræ pro innocentia ſua citat. Si peccaſſet tollendo uxorem Abrahæ, accuſatio ſpectaſſet ad ipſum Abrahamum. Verùm id facultatis ac iuris adimit Abrahæ, citans ipſius uerba: Nonne ipſe dixit mihi, ſoror mea eſt? Et ipſa etiam dixit, Frater meus eſt? Q. d. Si peccatũ eſt in eo q̃ mulierẽ hanc accepi, peccatũ eſt nõ à me, ſed ab ipſo Abrahamo, qui mihi uerbis ſuis facti huius cauſam obiecit. Noram dum eſt hic nõ poſſe conqueri de iniuria eum, cũ quo agitur ſecundũ id q̃d de ſeipſe profitet. Si rex quiſquã ſimulet ſe eſſe priuatũ ac uulgarẽ hominẽ, nemo peccabit, ſi regali eum hõnore nõ afficiat, ſed uulgariter tractet. Deinde ipſius conſcientiã iudicis, Dei uidelicet, appellat cũ nõ ſimpliciter dicit, Ipſe dixit mihi: ſed, Nonne ipſe dixit mihi, ſoror mea eſt. q. d. Tu ipſe noſti, q̃d hæc ad me dixerint utriq;. Videmus itaq; hoc exemplo, q̃ ſit firma comprobatio innocentiæ, quæ et actoris & iudicis poteſt teſtimonijs obtineri. Septimò, & illud obſeruandũ eſt, q̃ Deũ Abimelech nõ ſolum agnouit eſſe Dñm ſuum, ſed & credidit eum nihil latere eorũ quæ inter mortales gerunt. Alioqui nunq̃ dixiſſet ad eũ: Nonne ipſe dixit mihi, Soror mea eſt, niſi certò credidiſſet, notiſsimũ ipſius eſſe conſcientiç, q̃d Abrahã de Sarah prædicaſſet, nõ q̃ eſſet uxor, ſed q̃ eſſet ſoror, illoq; prætextu cauſam ſibi obieciſſet, de accipienda illa cogitandi: id quod facturus non fuerat, ſi uxorem eſſe cõgnouiſſet. Incredibile eſt, quàm faciat ad relegendas conſcientias de innocentia ſibi conſcias, quod certò creditur eſſe Deum omnium noſtrorũ cordium, uerborum & factorum conſcium.

Agnouit Abimelech Deũ eſſe omnium eorũ quæ geruntur conſciũ

Innocentiæ & integritatis conuinctio.

Octauò, In integritate cordis mei, inquit, & innocẽtia manuũ mearũ feci hoc. Primũ illud obſeruandum, quod integritatẽ & innocentiã coniungit, idq; hoc ordine, ut prior ſit integritas, deinde illã conſequatur innocentia. Nemo uerè innocens eſt, niſi ſit uir integer & rectus. Deinde uide, quomodo cordi tribuat integritatẽ, innocentiã uerò manibus. Quemadmodũ cordi ſubſeruit manus, ita cordi integro manus innoxia, & econtrà cordi peruerſo ac prauo manus noxia famulatur. Tertiò conſiderandum eſt, q̃ homo ethnicus iudicauit integritatẽ cordis & innocentiã manum uſqueadeò probari Deo, ut ualeant ad excuſandum etiam quod per errorem malè eſt admiſſum. Tulerat Abrahæ uxorem, ut eam ſibi copularet. factum erat in ſe malum. Verùm quoniã per ignorantiã erat admiſſum, excuſabat per cordis integritatẽ & innocentiã manuũ, qua ſic erat utraq; præditus, ut nunq̃ ſcienter alicuius uxorẽ cõtingere ſuſtinuiſſet. Cogita igitur, ſi tanti eſt eſſe corde & manu inſontem, ut etiã in malo facto nõ ſinat haberi noxium, quanto præſtantius ſit in benefactis corde integro & manu innoxia uerſari coram Domino.

OBSERVATIO VI.

Dixitq; ad eum Deus: Et ego ſcio quòd ſimplici corde feceris, & ideo cuſtodiui te ne peccares in me, & non permiſi, ut tangeres eam.] Obſerua quod dicit: Et ego ſcio quòd integro corde feceris. Fortiſsima conſolatio eſt in tẽtatione, q̃ nõ diffitetur Deus eſſe ſe innocẽtiç noſtrç conſciũ. Et eã ob cauſam, quæ ad Abimelechũ à deo ſunt dicta, ſcripturis inſeri uoluit ſpũs S. ut in ſempiternũ cõſolandis fideliũ cõſcientijs ſeruirẽt, iuxta illud Apoſtoli: Quęcũq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinã ſcripta ſunt, ut per patientiã & conſolationẽ ſcripturarũ ſpem habeamus. Rom. 15. Qui nouit quo corde Abimelech Saram uxorẽ Abrahæ ad ſe acceperit, & id ſe clàm nõ eſſe confeſſus eſt, etiam noſtri cordis conſilia intelligit, nec diffitetur eorũ ſe eſſe conſciũ. Simul & illud obſeruandũ eſt, quòd q̃uis Abimelech malè collegerit ex uerbis Abrahæ, Saram non eſſe illius uxorem, eo quòd ſoror eſſe diceretur, nihilo tamen minus nihil à Deo ipſo integritati & innocentiæ illius derogatur. Poterat illi obijci, cum Abraham de Sarah diceret, Soror mea eſt: non debebas ſtatim colligere, Ergo uxor illius non eſt. Non enim mox ſequitur, Soror eſt, igitur coniunx non eſt: uel, Coniunx eſt, ergo ſoror non eſt. Siquidem fieri poteſt, ut eadem ſit & ſoror & coniunx, hoc eſt, ita ſit ſoror, ut tamen & coniunx eſſe poſsit. Hæc inquam Abimelecho regeri poterant à Deo. Verùm tanti eſt in oculis d. clementiæ qualiſcunq; cordis nõ mali integritas & innocentia, ut quicquid eſt huiuſmodi incogitantiæ & erroris facillimè condonet. Ergo prærogatiua integritatis & innocentiæ non tollitur errore & incogitantia, ſed ſtudio tantum maliciæ & nequitiæ.

Fatetur Deus cõſcium eſſe ſe innocentiæ hominis iuſti.

De cuſtodia Dei qua prohibemur ne peccemus.

Deinde obſeruandum eſt q̃d dicit: Et ego quoq; prohibui te ne peccares in me, propterea non dedi tibi ut accederes ad eam. Primùm illud conſiderandũ eſt, q̃ non ſimpliciter dicit, Et ego ſcio, q̃ non retegeris eam: ſed, Et ego quoq; prohibui te, nec dedi tibi ut accederes ad eam. Pulcherrimus eſt hic locus de cuſtodia Dei qua prohibemur, ne per ignorantiam & errorẽ, uel ſiniſtros etiã affectus abrepti peccemus. Pro hac cuſtodia Dei orandum eſt ac dicendũ quotidie: Cuſtodi nos Dñe, ne peccemus in te. Niſi cũ ille nos cuſtodierit, fieri non poteſt, ut nõ ſubinde in peccata prolabamur, propter carnis noſtræ nõ modò ignorantiam, ſed & procliuitatem, qua proni ſumus ad quæuis mala perpetranda.

Verbum prohibendi.

Quare pulchrè uſurpatũ eſt uerbũ prohibendi. Nemo rectè dixerit prohiberi eum à peccato, qui aliàs non eſt animatus ad peccandũ: ſed is demũ prohibetur ne peccet, qui niſi prohiberetur, omnino peccaturus eſſet. Homines prohiberi poſſunt, ne peccent: de angelis nemo hoc rectè dixerit.

Varij ſunt diuinæ prohibitionis modi.

Prohibemur aũt uarijs modis, uel occulto & interno ſpiritus ſancti inſtinctu, uel uerbi Dei oraculo, uel angelica cuſtodia, qua Iudæi Abimelechum iſtum prohibitum fuiſſe putant, uel morbis & afflictionibus

A ctionibus quibus facultas tollitur: uel remotis occasionibus, quæ ad peccandum inuitant: uel humano quoq; ministerio, parentum, maiorum, præceptorum, magistratuum, &c. aut aliàs bonorum hominũ interuentu: qualis erat, quo Dauid 1. Sam. 25. per Abigail ab effusione sanguinis innoxij prohibebatur.

Posteà & illud obserua, quod dicit, Ne peccares in me. Ergo peccasset Abimelech, si retigisset Saram, quamuis ignorabat illam esse uxorem Abrahæ. Non excusat igitur ignorantia prorsus per omnia, licet aliquousq; quod integro corde & manu factum est innoxia excuserur. Nec illud transeundum est, quòd non dicit, Ne peccares in Abrahamum: sed, Ne peccares in me. Ergo quod aduersus proximũ admittitur peccatum, aduersus Deum admittitur. Sic Dauid cum peccasset in Vriam, dicebat ad Dominũ: Tibi, tibi inquam soli peccaui, & malum coram te feci.

Nõ excusat ignorantia prorsus.

In Deum peccat qui in proximũ peccat.

OBSERVATIO VII.

Nunc redde uiro uxorem. Quoniam propheta est, & orabit pro te, & uiues. Si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris tu & omnia quæ tua sunt.] Primùm in eo quod iubet reddere uiro uxorem, admonemur corrigendum esse scienter, quod admissum est ignoranter. Si quid ablatum est per errorem, cognita est ueritate reddendum. Atq; ea uera demum est innocentiæ & integritatis declaratio, si quod errando peccatũ est, post cognitam ueritatem emendatur. Qui hoc facere detrectant, manifestè cordis sui prauitatem produnt, ac declarant se non modò ignoranter, sed & scienter peccaturos, si peccandi offeratur occasio. Abimelech, si restitutionem hãc uxoris alienæ detrectasset, mendacem se ac nihil minus quàm innocentem & integrum esse declarasset.

Scientia corrigat, quod malè admissit error.

Simul tamen cogitandum est, quando locum habeat ablatę rei restitutio. Si reddenda est aliena uxor, reddenda est illæsa & intacta, qualis erat Sarah, non polluta & uitiata. Alioqui maritus eius iure illam recipere detrectabit, quam alieno concubitu pollutam esse nouit. Si præterea quid ablatum est sic restituatur, ut nec ei qui abstulit aliquid inde emolumenti, nec domino illius aliquid damni proueniat.

De recta restitutione rei ablatæ

Deinde & illud obserua. Non dicit, Nunc abijce uel dimitte mulierem quam ruliisti: sed, Nunc redde uiro uxorem. Gemina erat admissa iniustitia, quare & gemina erat facienda correctio. Iniustum erat, quòd Abimelech mulierem habebat nõ suam: iniustum itẽ erat, q̃ Abraham uxore sua carebat. Quare ut utrumq; emendaretur, non erat satis abijcere alienam, sed simul erat uiro suo restituenda, ut nec Abimelech haberet alienam, nec Abraham careret sua.

Nõ est satis abijcere rem alienam, sed restitui debet suo dño.

Tertiò. Quoniam propheta est, inquit, & orabit pro te, & uiues. Obseruandum est hoc loco, quæ sit sanctorum uirorum humanitas, non solum erga eos qui præter meritum suum afflicti sunt, & miseri, sed & in eos, qui suopte merito flagellantur à Domino, immò in eos quoq;, à quibus sunt læsi. Non dicit simpliciter, Et orabit pro te: sed præmittit, Quoniam propheta est. Quo quisq; sanctior est, hoc magis ingenio est ad cõmiserationem & humanitatem propenso. Non impediebatur Abraham ablatione uxoris suæ, quo minus oraret pro rege ægrotante, & à Dño percusso. Tanta erat uiri bonitas & humanitas. Nec illud transeundum est, quòd uitam non simpliciter reddenti uxorem promittit, sed precationem quoq; requirit. Planè significatur opus esse, ut etiam quod per ignorantiam peccatum est, interuentu gratiæ Dei remittatur, quamuis ablatum restituaũ. Ergo restitutio rei alienæ sic est necessaria ad emendationem peccati, ut sit causa illius non per quam, sed sine qua non. Causa per quam est gratia Dei condonans quod per errorem malè est admissum. Hæc est non solum restitutione ablati, sed precibus quoque ambienda & obtinenda.

Sanctorum uirorum humanitas.

Etiam quod per ignorantiã ablatum restituitur, opus habet gratia Dei, qua remittatur.

Simul & illud obserua, quòd nõ dicit, Et orabis me, & uiues: sed, Et orabit pro te, & uiues. Pro seipso orauit Ezechias, & uixit. Non respuit Deus preces afflictorum, ad se clamantiũ, sed clementissimè exaudit, quod multis potest exemplis comprobari. Verùm quod hic de oratione Abrahæ ad Abimelech loquutus est, peculiarem quendam scopum habet, ad quem adhortatiõe ista collimabatur. Primùm, persuadendum erat Abimelecho, tam non fore sibi offensum Abrahamum propter uxorẽ ablatam, si hanc restitueret, ut etiam esset pro ipso oraturus, & uxorem placidè recepturus. Deinde, sic edocebatur Abimelech, quàm esset Deo acceptus peregrinus ille Abraham, quo caueret in posterũ, ne quid in illum peccaret amplius. Tertiò, inducebatur etiam ad agnoscendam beneficentiam Abrahæ, qua & ipsi & domui suæ sanitatem precibus conciliasset. Præterea cogitandum etiam est, q̃ singulariter hoc genus orationis Deo placeat, quando læsus ac reconciliatus pro eo intercedit & orat, à quo fuerat læsus. Etenim ubi locum habet eiusmodi oratio, ibi locum habere nequeunt ullæ rancoris reliquiæ, sed piena ac sincera obtinet reconciliatio, qua Deo nihil potest esse acceptius. Sic iubemur alius alij fateri quod peccatũ est, redire in gratiam, & mutuis precibus salutem ambire in conspectu Domini. Videmus etiamnum, q̃ nemini cordato non probetur, si læsus quispiam intercedat pro eo, qui propter peccatum in se admissum ad iudicis tribunal raptus periclitatur. Habent etiam eiusmodi intercessiones singularem quandam efficaciam ad impetrandam reo misericordiam, qua uel prorsus absoluatur, uel mitius puniatur.

Quòd expectandum sit, resipiscere nolentibus.

Quartò. Si uerò nolueris reddere, inquit, scito quòd morte morieris tu & omnia quæ tua sunt. Admonemur hac cõminatione, quid expectandum nobis sit, si admoniti de eo quòd peccauimus resipiscere, & quæ ablata sunt restituere noluerimus. Ignoranter peccauerat Abimelech, & tamẽ mors illi ac suis omnibus intentatur, nisi restituat quod ignoranter malè abstulerat. Quòd si nec in illis locum habet remissio peccati, fideliumq; oratio, qui ignoranter deliquerunt, si admoniti resipiscere & emendare noluerint, quæso quid de illis sentiendũ est, qui & peccant scienter, quæ sua non esse sciunt auferentes, & quòd scienter peccarũt, quantumuis admoniti, emendare nolunt? Poterat Abimelech in speciem reluctari ac

T dicere:

dicere: Quare redderem Abrahæ mulierem, quam ipse sororem suam esse dixit? Si mentitus est, sibi fit ipsi, non mihi mentitus. Si uxorem suam esse dixisset, nunquam illam per me amisisset. Iam quoniam sororem suam esse dixit, atq; ita mihi tollendi eam factus est autor, nolo reddere, sed mihi seruare mulierē. Verùm omnis huiusmodi tergiuersatio iusta hac mortis cōminatione semel amputaī, ut sciamus nōra linqui ullā excusationē illis, qui cognitū malū emendare nolunt, quocūq; tandē prætextu elabi conenā.

Et illud obseruandum est omnibus patribusfamilias, quòd non simpliciter dicit, Scito & morte mo rieris tu. sed addit, Et omnia quæ tua sunt. Tam enormis est illa corā Deo iniquitas, qua res aliena scien ter domi retinetur, & restitutio detrectatur, ut nō modò caput mali huius, sed simul omnia etiam illius membra condemnationi fiant obnoxia. Cogitemus hic ex oppositio. Si tantum ualet in suo gradu peccatum patrisfamilias, ut toti ipsius domui noceat, quomodo non magis gratia Dei per Christum parta tanti est, ut fides ac pietas patrisfamilias domesticis ipsius omnibus prosit, iuxta illud de Zacheo à Domino dictum: Hodie salus domui huic facta est, eo quòd ipse sit filius Abrahæ?

Statimq; de nocte consurgens Abimelech, uocauit omnes seruos suos, & loquutus est uniuersa uerba hæc in auribus eorum. Timueruntq; omnes uiri ualde. Vocauit aūt Abimelech etiam Abrahā, & dixit ei: Quid fecisti nobis? Quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande? Quæ non debuisti facere, fecisti nobis. Rursumq; expostulans ait: Quid uidisti ut hoc faceres? Respōdit Abraham, Cogitaui mecū dicens, Forsitā nō est timor Dei in loco isto, & interficiēt me propter uxorē meā. Aliàs aūt uere soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem. Postq; autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hāc misericordiam facies mecū: In omni loco ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim.

LECTIO.

Statimq; de nocte consurgens Abim.] Hebræus habet, Et euigilauit Abimelech mane, ne quis illum noctu surrexisse putet. B

Timueruntq; omnes uiri.] In Heb. non est, Omnes uiri: sed simpliciter, Et timuerunt uiri ualde.

Quæ non debuisti facere, fecisti nobis.] Hebræus sic habet, מעשים אשר לא יעשו עשית עמדי: id est, Opera quæ non sunt facta, uel quæ non fiunt, fecisti mecum. Græcus propius accessit ad ueritatem Hebraicam. Sic enī uertit: ἔργον ὃ οὐδεὶς ποιήσει πεποίηκάς μοι: id est, Opus quod facturus est nemo, fecisti mihi.

Rursumq; expostulans ait.] Hebræus sic, Et dixit Abimelech ad Abraham. Verbum expostulādi de suo posuit interpres.

Filia patris mei, & non filia matris meæ.] Sic habetur etiam in Hebræo. At Græcus negligentius uertit, ἐκ πατρὸς ἀλλ' οὐκ ἐκ μητρός: id est, De patre, sed non de matre.

Postquam autem eduxit me Deus.] In Hebræo est, ויהי באשר התעו אתי אלהים. id est, Et factū est, cum me errare fecissent dij. Non est insolens, ut uox אלהים pluralis numeri de Deo accipiatur, & uerbū singulare habeat adiunctū. Quod uerò hic uerbū illi pluralis numeri addit, rarū est. Quare, meo iudicio, uel ת, התעו, legendū est התעה errare fecit, uel uox Elohim nō est ad Deū, sed ad magistratus referēda: quorū improbitate factū est, ut patriā, iubēte Deo, deserere cogerer. Abrahā: ut legendū sit, Postq; errare me fecerūt potētes de domo patris mei, &c. Chaldæus paraphrastes sic habet: Et accidit quādo errauerunt populi post opera manuū suarum, applicuisseq; me Dominus ad cultum suum, de domo patris mei, &c. Interea tamen si ad Deū, non ad potentes uox Elohim referenda est, locum habemus ad diuinæ Trinitatis mysterium pertinentem: quales pauci quidē, aliquot tamen reperiuntur, ubi prædicata pluralis numeri uoci Elohim sic iunguntur, ut nequeant aliò quàm ad Deum referri.

Hanc misericordiam facies mecum.] Græcus uertit τὴν ἐλεημοσύνην: id est, hanc iustitiam. In Hebræo est, חסד. Vox חסד, meo iudicio, uerteretur non incōmodè per uocem fidei, quam nos Germanicè uocamus *treüw*, ut legatur hic, Hæc sit fides tua quam facis mecum. *Das soll dein treüw sein, die du mir erzeygest.* Sunt qui reddant: Hoc beneficium in me colloca.

EXPLANATIO.

Statimq; manè consurgens Abimelech, &c.] Post correptionem diuinam, qua fuerat Abimelech insomnis correptus, & Abrahæ uxorem suam reddere iussus, subijcitur hac narratione quid fecerit, antequā Saram restitueret. Statim, inquit, manè surrexit Abimelech, &c. An præ morbo de lecto surgere potuerit, affirmari non potest, neq; id uox שכם euincit. Quare uerti potuit ad hunc modum: Et euigilauit Abimelech manè, & uocauit, &c. Mox atq; euigilasset, in ipso diluculo, quod iussus erat à Domino facere cœpit. Iussus erat reddere uiro uxorem. Vt illud debita cum grauitate ac competenti cura perficeret, nō uocauit ad se Saram, neq; iussit ut ad maritum suum abiret: sed principiò uocauit ad se quos secum habebat seruos suos omnes, & illis oraculum Dei in somnis acceptum exposuit. Volebat illos harum esse rerum

A rerum conscios, ne quid sinistri de restitutione Saræ suspicarentur, & ut timore Dei percellerentur, id q̃d factum quoq; est. Vnde & adiecit Moses, Et timuerunt uiri ualde.

Vocauit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei, Quid fecisti nobis? &c.] Post quã seruis suis causam Saræ, & diuinum oraculum exposuit, uoluit coram illis expostulare cum Abrahamo, non tam expostulandi studio, q̃ innocẽtiam suam in præsentia seruorũ suorum omniũ comprobandi. Quare arbitror ista cum Abrahamo in cõuentu seruorũ Abimelech esse gesta. Quid fecisti, inquit, nobis? Sciebat planè quid factum esset, uerũ sic illum est initio adorsus, quemadmodũ & ipsi solemus eos qui peccarunt statim in principio compellare ac dicere, Quid fecistis? Deinde subdit de enormitate facti, & simul in causam illius inquirit. Induxisti, inquit, super me & super regnũ meum peccatũ grande. Et, Fecisti nobis, qualia hactenus non sunt facta. Duo opprobrat. Vnum, q̃ obiecerit ipsi causam magni peccati, nõ in sinũ dum taxat, sed & regni sui malũ. Intelligit aũt de peccato adulterij, quòd nisi custoditus fuisset à Deo, per imprudentiam incurrisset. Alterũ, quòd id fecerit nouo quodam simulandi modo, cuius antea nullũ præcesserit exemplũ, quo uidelicet uxorem suam simulauerat esse sororẽ. De causis facti huius inquirit ad hunc modum: Quid peccauimus in te? Q.d. Est ne quisquã in regno meo, qui te aliqua offenderit iniuria, unde motus sis, ut tam grande malũ super nos induceres? Et addit secundò: Quid uidisti, ut hoc faceres? Innuit hoc Moses, cum dicit: Et ait Abimelech ad Abraham: Quid uidisti? Id est: Quo consilio, quo fine, quo proposito hoc fecisti? Sunt qui uerbum uidendi hoc loco de uisione prophetica exponant, eo quòd suprà sit Abraham à Domino propheta uocatus. q.d. Abimelech: Scio te esse propheta. Age dic igit, habuisti ne reuelationem aliquam de hoc tuo consilio? uel certo aliquo mandato Dei iussus es, ut uxorem tuam diceres esse sororem?

Respondit Abraham: Quoniã cogitabam, forsan non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter uxorem meam.] Pertinẽt ista & quæ sequunt ad ætiologiam Abrahæ, qua regi instanti & causas facti sui exposcẽti respõdet. Est aũt ætiologia ista trimembris. Nam primò declarat, quo cõsilio Saram sororẽ suam esse dixerit. Eo uidelicet, ne propter illam, si uxorẽ esse fateretur, in discrimen uitæ incideret. Metus huius causam exprimit, cum dicit: Cogitabam, forsan non est timor Dei in loco isto. Sic consilium suum et simul consilij causam aperit. Deinde, quoniam uiro graui turpe est mentiri, ut ab eo se probro liberet, exponit quomodo Sarah sit ipsius uxor, ut simul tamen reuera sit & soror, atq; ita se nihil esse mentitum comprobat. Sic dicit, Aliàs etiam uerè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, &
B facta est mihi in uxorem. Tertiò, ne singulari suspicione Palæstinos grauare, quòd timore Dei careant, ideoq; inter ipsos tantum simulatione hac usus esse uideat, aperit de suo consilio, esse hoc pristinũ & antiquum, non de Palæstina duntaxat, sed & de omnibus aliis peregrinationis suæ locis præstitutum, ut quocunq; uenturi essent, diceret se Sarah sororẽ suam esse, & ipse uicissim id confirmaret. Hac, opinor ratione adiecit, dicens: Postquam autem errare me fecit Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc fidem mihi imperties, ut quocũq; uenerimus, esse me fratrem tuum dicas. Et hac ætiologia satis sufficienter factum suum coram Abimelecho & aulicis illius purgat & excusat.

QVAESTIO I.

Et etiam uerè soror mea est filia patris mei, uerũ non filia matris meæ.] Nascit hic quæstio, quomodo Sarah soror fuerit Abrahæ. Variant hac in re doctorũ sententiæ. Qui græcam uersionẽ sequunt, ac legunt, Soror mea est de patre, sed non de matre, sentiunt Saram fuisse filiam Haran fratris Abrahæ. Sic Hieronymus: Id est, fratris eius Haran filia est, inquit, non sororis. In ea sententia est & August. & Lyranus, & Scholastica historia: deniq; & nõnulli recentiorum. Quemadmodũ enim Loth frater est ab Abrahamo uocatus, cum esset illi nepos ex fratre Haran, sic uolunt & Saram, neptem ex fratre Haran, sororẽ esse ab illo uocatam. Seducunt isti per græcam uersionẽ, quam sic intelligunt, ut illud, Soror mea est de patre, intelligant Abrahamũ non de suo patre Therah, sed de patre Saræ dixisse, Haran uidelicet fratre. Verũ Hebræus nõ habet simpliciter, Soror mea est de patre, & nõ de matre: sed, Verè soror mea est, filia patris mei, uerũ non filia matris meæ: quæ uerba conuincunt, Saram fuisse filiam nõ Haran fratris, sed Therah patris Abrahæ, ex diuersa matre, ut necesse sit, sustulisse Therah ex alia uxore Abrahamũ filiũ, & ex alia Saram filiam. Hinc est quod Hieron. priori expositioni subiecit ad hunc modũ: Sed quia in Hebræo habet, Verè soror mea est filia patris mei, & non filia matris meæ, magis sonat q̃ soror Abrahæ fuerit, &c. Quare friuolum est, quod nõnulli uerterunt: Soror mea est à patre suo, & non à matre: quemadmodum & illud quod Scholastica historia dicit. Fratrem Haran patrẽ suum uocauit, quia senior eo fuerat, secundum usum loquẽdi, quo maiores natu patres uocamus, minores filios: uel, Finxit eam filiam patris esse, &c. Et illud, quod quidã dicũt, duxisse Therah post mortẽ matris Abrahæ uxorẽ Haran filij sui demortui, & ex illa sustulisse filiam Saram. Aliqui ex recentioribus cõminiscuni Saram fuisse priuignam Haran, & post mortẽ illius in domũ Thare introductam. Omnia hæc cõmenta simplicitas Ebraica respuit. Quid est enim necesse, admodũ torqueri in re tam claræ expressa? Verè, inquit, soror mea est, filia patris mei: & ne uerecunda putetur, addit, Et non matris meæ, ut manifestum sit, natam esse Saram Therah patri Abrahæ ex alia uxore, quàm ea unde sustulit Abrahamum.

Quomodo Sara soror fuerit Abrahæ.

QVAESTIO II.

Et facta est mihi in uxorem.] Quærunt hic, si eodem patre nati sunt Abraham & Sarah, quomodo illis matrimonio coniungi licuerit, cum lex Dei eiusmodi coniugia damnet, Leuit. 18. 20. ubi manifestè prohibetur,

Quomodo Sara potuerit esse uxor Abrahæ cũ uerè esset soror.

hibetur,ne quis sororem suam,siue ex patre,siue ex matre natam contingat. Hieronymus sic respon- A
det: In excusationem huius dicimus,necdum illo fuisse tempore tales nuptias lege prohibitas. Quæ mi
hi ratio abundè satisfacit. Nam ætate Abrahæ lex multis pòst seculis lata neminẽ ligare potuit. Quòd
2. Sam.13. uerò Thamar filia Dauidis,utiq; sub tempore legis,ad Ammon fratrem suum ex patre,sed non ex ma-
tre dicebat:Quin potius loquere ad regem,& non negabit me tibi,non sic est accipiendum, quasi dicti
puellæ fratrem suum à nephario scelere auocare cupiẽtis,pro authentico sit habendum. Neq; enim per
Quatuor genera sororum. legem licebat illis connubio iungi,etiamsi Dauid consensisset. Quatuor sunt sororum genera. Primum
est ex utroq; parente. Talibus neq; ante legem,neq; in lege,neq; post legem coniungi licet. Initio gene-
ris humani licitum faciebat necessitas. Secundum est ex patre tantum. Licuisse illis matrimonio ante le
gem iungi,præsens Abrahæ declarat exemplum. Tertium est ex matre tantum. Quòd cum illis quoq; li
cita fuerit fratribus uterinis coniugij copula,legere me non memini. Quartum est,neq; ex patre,neque
ex matre,quo genere affinitatis soror mihi redditur, cuius mater patri meo, uel cuius pater matri meæ
matrimonio sic iungitur,ut mihi mater ipsius sit nouerca: ipsi uerò meus pater uitricus, uel conuerso
pater ipsius mihi uitricus, ac mater mea ipsi sit nouerca. Huiusmodi fratres ac sorores hodie quoque
coniugio licitè iungi possunt.

OBSERVATIO I.

Sedulitas sanctorum. *Et manè surrexit Abimelech, & uocauit omnes seruos suos, ac loquutus est omnia uerba hæc ad aures eorum, & timuerunt uiri ualde.*] Obserua in rege pio diligentiam ac maturitatẽ perficiendi ea quæ ex oraculo diuino didicerat. Perpetuũ est hoc sanctis uiris,ut quæ ex oraculis diuinis cognouerunt, omni ostentatione ac procrastinatione reiecta,confestim ac sedulò exequantur. Aliena est omnis cunctatio ac tergiuersatio ab animis eorum qui diuinitus imbuuntur & aguntur.

Prudentia et pietas regia. Deinde & illud obseruandum est in hoc rege,quòd statim omnes ad se seruos suos uocauit, illisq; omnia quę per somnium cognouerat cõmunicauit. Qua in re consideranda est prudentia pariter & pietas regia. Prudentia in eo, quòd omnem hanc causam ablatæ & reddendæ Sarę ex oraculo Dei cognitam,notam esse uoluit seruis suis omnibus,ne quam in animis illorum sinistram suspicionẽ uel de se uel de Sarah relinqueret. Etenim q̃ illam ad se uxoris loco transtulerat,propterea quòd se sororem esse Abrahæ dixerat,notum erat illis omnibus & manifestum. Quòd uerò uxor esset Abrahæ, ideoq; illi reddenda,nemini ex illis erat cognitum. Quare prudẽter uoluit eos etiam eorũ quæ ex oraculo diuino acceperat,esse conscios,ne uel offenderentur,uel suspicionem aliquam sinistram, cùm ipso tum Sarah in- B
dignam ex restitutione,uel,ut uideri poterat, repudiatione tam repentina conciperent. Admonemur,
quàm conueniat regibus & principibus huiusmodi prudentia, qua caueant ne quam suis occasionem
obijciant,sinistrè aliquid de factis ipsorum cogitandi. Pietas regia in eo consideranda est,quòd omni-
bus seruis suis timorem Dei incusserit,ne quis in posterum uel cum Sarah uel alia quapiam aliena contu-
gem esse uel tale quid tentaret. Multum habet momenti,si rex aulam habeat timentem Dei. Neq; enim satis est,re
noceant. Nequit autem efficacior esse custodia,ad uitandam peccandi licentiam, quàm si omnes aulici
ad exemplum regis sui timore Dei sint imbuti. Verùm,bone Deus, quàm sunt hodie ab hac custodia ri
moris Dei alienæ regum ac principum,imò & pontificum aulæ?

Pij regis pia aula. Tertiò,in eo quod dicit: Timueruntq; uiri ualde,uidere licet, quàm similes habuerint labra lactucas,
Rex timens Dei tales reperit suos aulicos,qui non essent alieni à sensu Dei: sed sic comparati, ut facilè ti
more Dei percellerent. Vnica concione regis sic perculsi sunt,ut non simpliciter ac leuiter, sed ualde co-
perint timere Deum. Tantæ efficaciæ est pietas regis, si suo pariter exẽplo & uerbo cõcionari cœperit.

OBSERVATIO II.

Et uocauit Abimelech Abrahamum. Et dixit ei: Quid fecisti nobis? Quid peccauimus in te, ut induceres super
me & super regnũ meum peccatum grande? Quæ hactenus facta non sunt, fecisti mecum. Et dixit Abimelech ad
Exẽplũ cãdoris. *Abraham: Quid uidisti, ut faceres rem hanc?*] Primùm illud obserua, quòd Abrahamum ad se uocauit Abi-
melech coràm cum illo, præsentibus aulicis suis expostulaturus. Qua in re uides exemplum candoris.
Non discerpsit nomen hominis peregrini in illius absentia, neq; aulicorum suorum animos contra illũ
Consilium diuinæ prouidentiæ: exacerbauit,sed coràm cum illo expostulare,& causam facti illius cognoscere uoluit. Simul conside-
ra diuinæ prouidentiæ consilium. Proderat & Abrahæ & Abimelecho, aulicisq; illius, ut & ille curam
pro se Domini Dei sui ex ijs quæ audiebat,ex Abimelecho intelligeret,inq; fide prouidentiæ & custodię
Dei confirmatior redderetur, & isti ex ætiologia huius occasionem acciperent de peregrinatione ipsius
religiosius sentiendi,& gradibus aliquot in cognitione Dei promouendi.

Quid fecisti? Deinde obseruandum est quod dicit, Quid fecisti nobis? Est quidem modus iste uel expostulandi uel
corripiendi uulgaris,uerùm rationem habet,si obserues,admodum utilem. Interea dum peccamus,haud
quaquam perpendimus quid sit qnod facimus,q̃ sit iniquũ,quàm sit noxiũ, quàm sit enorme, quàm sit
inexcusabile, propterea quòd omnis cogitatio inter peccandum corruptis est affectib. occupata & ab-
sorpta. Rectissimè ergo statim initio obiurgationis & correptionis illud, Quid fecisti? audimus,audien
tes percellimur,& ad cogitandum quàm peccauerimus impellimur. Nisi enim hoc fiat, planè inanis est
omnis correptio. Est autem huiusmodi compellatio: Quid fecisti? tam ualida & urgens,ut etiam inno-
centis animus si ad eum modum compelletur,initiò nonnihil percellatur,timens ne quid per imprudẽ
tiam,quod culpabile sit,admiserit: nedum ille,qui sibi ipse malè est conscius.

Tertiò

Tertiò, Quid peccauimus in te? inquit. Vide hic ingenium carnis. Quòd uxorẽ suam Abraham sororem esse dixit, neq; nocendi neq; uindicandi se studio, sed meru periculi fecit. At Abimelech suspicatur id eam esse ob causam factum, quòd malè sibi ac regno eius uellet Abraham, ideo interrogat de causa odij ac maleuolentiæ, dicens: Quid peccauimus in te? Non sunt hoc ingenio sancti, ut etiamsi quis in ipsos peccet, de uindicta cogitent. Caro sic est animata. Quare qui adhuc carnis feruntur ingenio, quẽadmodum ipsi sunt affecti, sic de alijs quoq; iudicant. *Ingenium carnis*

Et illud obserua. Nõ simpliciter dicit, Quid peccaui in te: sed in cõmuni omniũ seruorũ suorũ, qui adhibebant nomine, Quid peccauimus in te? Magnum planè est, quòd tam confidenter potuit rex ad hominem peregrinum de se ac seruis suis dicere: Quid peccauimus in te? Vides exemplum regni sic comparati & instituti, ut licuerit homini peregrino uiuere in illo sine ulla læsione & offensione. Nam quòd Sarah fuerat Abrahæ adempta, per ignorantiã erat factũ, cui ipse causam præbuerat, cũ sororẽ esse diceret. *Exemplũ regni bene constituti.*

Quartò, Vt induceres super me, inquit, et super regnũ meum peccatum grande. Primũ obserua quòd non dicit, Vt induceres super me malũ, uel periculũ: sed, Vt induceres super me peccatũ. Intellexit pius rex, quantum mali sit ex peccato. Hodie uel nullus, uel certè admodum modicus est peccati sensus in aulis principũ. Mala forsan, ex peccatis prouenientia, utcunq; sentiuntur, de peccatis uerò nulla est cogitatio. Deinde obseruandum est, quòd non simpliciter dicit, Vt induceres super me peccatum: sed addit, Grande. Loquitur autem de eo quòd uxorem ipsius per ignorantiam abstulerat, unde in peccatũ adulterij incidere potuisset, nisi Dominus prohibuisset. Qua in re cõsiderandum est, quàm diuersi sint hodie à pietate regis huius, qui suq; deq; faciunt, si alienas uxores scienter ac prudenter polluant, ac maritis, nonnunquam etiam uiolenter, auferant: quorum peccatum quàm sit enorme, ex eo facilè intelligitur, quòd Abimelech grande peccatum esse iudicat, quòd mulierem maritatam uiro suo, cuius sororem esse credebat, per ignorantiam abstulerat: quam tamen non scorti, sed legitimę uxoris loco habere uolebat. *Peccatũ malorum causa.* *Grauitas adulterij:*

Præterea nec illud transeundum est quod dicit, Super me & super regnum meum. Agnouit hanc esse conditionem regis ac regni, ut peccata regum non in personis ipsorum tantũ, sed & in subditis punian tur. Nihil nocentius regno, quàm peccatũ regis. Dolebat igitur rex pius, & regni sui curam gerens, non suo duntaxat, sed & regni sui nomine, quòd inductus esset in peccarum tam grande. Videmus hac in re exemplum boni principis, cuius est non sua tantum, sed & regni, id est subditorum suorum salutem irremisso iustitiæ studio quærere. Quin & inducendi uerbum perpende, quid sit peccatum super aliquẽ inducere. *Cõditio regis ac regni.*

B Quid fecerat Abraham? Vxorẽ suam Saram sororẽ suam esse dixerat. Nõ suaserat regi, ut eam in uxorem acciperet. Et tamen peccatum super regem ac regnum eius induxisse accusatur. Ergo peccatũ inducere, est non solum facultatem, uel necessitatem, sed & occasionem peccandi qualemcũq;, nõ modò prudenter ac studio, sed & imprudenter absq; studio cuiquam obijcere. Quod si ita est, obsecro, quis satis perpenderit, quàm conueniat nos summo cauere studio, ne per uitæ nostræ negligentiam nedum malitiam alius alij peccandi occasionem obijciamus? *Inducere peccatum.*

Quintò, Quæ facta non sunt, inquit, fecisti mecum. Cogitandum hic est, quantum aggrauationis accedat peccatis nostris, si sint noua & insolita. Sunt quidem & illa peccata grauia ac condemnatione digna, quæ nec primi, nec soli, sed post alios ac cũ alijs multis admittimus. Verùm quis non intelligit meritò censeri grauius, si quis nouo peccati genere ac modo deliquerit, uel alios ad peccandum induxerit. Omnino rarũ est, de uxore prædicare quòd sit soror, atq; ita causam ignoranti regi tollendi illam obijcere: deniq; tollenti ne uerbo quidem resistere, sed conniuere ac tacere. Tale quid iudicabat Abimelech antea non esse factum à quopiam. Vides etiam sanctis uiris accidere, ut tentationibus uicti, uel periculi meru perculsi, noua quædam & insolita admittant? *Peccatum insolitũ solito grauius*

Sextò, Et ait Abimelech, inquit, ad Abraham: Quid uidisti, ut faceres rem hanc? Obserua q; expostulationi nihil subijcit aliud, quàm inquisitionem causæ, ob quam uxorem suam sororem uocare uoluerit. Quoniam factum insolens erat, iudicabat singularem illius fuisse causam. Videbat Abrahamum uirum grauem & honestum, & præterea ex oraculo Dei audierat in somnis esse eum prophetam, quare cogitabat motũ illum fuisse causa aliqua non leui & uulgari, sed singulari & & graui. Igitur de hac quærit. Vir prudens sciebat ex causis iudicandũ esse de factis. Admonemur, non esse cordati hominis, usque adeò succensere ob factum aliquod insolitum, ut præter omnem causæ illius inspectionem ad condemnationem proximi feratur. *Expostulationi nihil aliud subiungit quàm inquisitionem causæ.*

OBSERVATIO III.

Periculosa est cohabitatio eorũ qui timore Dei uacant.

Et dixit Abraham: Quoniam dicebam, forsan non est timor Dei in loco isto, & occident me propter uxorem meam. Vide quid quærat uir sanctus in illis cum quib. est habitandum. Nec opes quærit, nec honores, nec reliqua temporalis uitæ cõmoda, sed timorem Dei. Vbi non est timor Dei, ibi sanè omnis sunt generis timẽda pericula. Nec dicit, Forsan non est cognitio Dei in loco isto: sed, Forsan non est timor Dei in loco isto. Reperias quidem plerisq; in locis haud parum cognitionis Dei, uerùm quoniam deest timor Dei, nihilo illic uiuitur securius, quàm si uiuatur inter eos qui prorsus ignari sint numinis. Lot cum uidisset terræ Sodomorũ iucunditatem & fertilitatem, elegit eam sibi ad habitandum, parũ sollicitus, esset ne ibi timor Dei uel secus, quare nõ immerito in plurimũ illic discriminis incidit. Quamobrẽ Apostolus Rom. 3. cum dixisset de impijs: Sepulchrum patens est guttur eorũ, linguis suis dolosè agunt, uenenum aspidum sub labijs eorum, quorũ os maledictione & amaritudine plenũ est, ueloces pedes eorũ ad effundendum sanguinem: Cõtritio & infelicitas in uijs eorũ, & uiam pacis non cognouerunt. Post hæc omnia

quasi causam tantorũ malorũ subiecturus addit, Nõ est timor Dei ante oculos eorũ, Inter tales quomodo securus aget quisquã uir bonus, præsertim peregrinus? De eo quod dicit, Et occident me propter uxorem meam, quid sit obseruandum, uide supra cap. 12. ibi, Interficient me, & te reseruabunt. A

OBSERVATIO IIII.

Viro graui non esse ferendã mẽdacij suspicionẽ.

Et alioqui uerè soror mea est filia patris mei, sed non filia matris meæ, & facta est mihi in uxorem.] Obserua quomodo non ferat Abraham suspicionẽ mendacij. Turpissimũ namq; est uiro graui, si scienter mentitus esse deprehendatur. Supra cap. 12. tria mendaciorum genera annotauimus, quorum primum sit falsum dicere scienter: secundum, tacere quod uerum est: tertium, negare quod uerum esse scitur. Nec primum nec tertium mendacij genus agnoscit Abraham. Vtrumq; enim cum turpitudine coniunctũ est, à sanctis ac grauibus uiris aliena.

Etiã id uerè est quod non ex toto, sed ex parte est.

Deinde consideranda est uocula אמנה: id est reuera, certè. Et alioqui uerè, inquit, soror mea est, filia patris mei, sed non filia matris meæ. Erat Sarah soror Abrahæ nõ ex toto, sed ex parte. Ex toto ac perfectè soror est, quæ ex utroq; parente soror est. Et tamen testificatur de illa Abrahã, quòd uerè sit ipsius soror. Ergo etiã id uerè est, quòd non ex toto, sed ex parte est. Sic reuera filij Dei sumus, licet spiritu renati, & non carne: ideoq; ex parte tantum, & non ex toto ex illo nati sumus, quotquot in Christum credimus. Sic reuera fratres sumus, qui spiritu regeneratiõis iungimur, licet carne admodũ simus diuersi.

Typus Christi in Abrahami et Saræ coniugio.

Vide Eph. 5.

Tertiò obserua quod dicit, Et facta est mihi in uxorem. Erat igitur Abrahæ Sara & soror & cõiunx, unde semen constitit electionis & benedictionis. Agnosce typum Christi & Ecclesiæ. Ecclesia Christo filio Dei & soror est & cõiunx. Soror ex patre Deo, coniunx per mysteriũ incarnationis, ac fidẽ desponsationis, qua facta est una cum illa caro. Et hæc soror & coniunx Christi mater est filiorũ electionis ac benedictionis, olim sterilis, postea uerò spiritu ac uirtute Christi sponsi sui admodum fœcunda.

OBSERVATIO V.

Exemplum magistratus impij.

Postquam aũt errare me fecit Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc fidem tuam facias mecum: in omni loco ad quem ingrediemur, dices quòd frater tuus sim.] Si legeris: Postquam errare me fecerunt dij, uel parentes, ut de magistratu in Vr Chaldæorum sit intelligendum, exemplum habes magistratus impij, qui falsis cultribus excæcatus pios homines fugat, & de paternis cædibus proscribit, quæ tyrannis omnino nõ recens, sed antiquissima est. Quòd si quis ab huiusmodi Elohim propter ueram pietatẽ proscribitur, respiciat ad exẽpla Abrahæ, Prophetarũ, Christi, & Apostolorũ. Si legeris: Postquã errare me fecit Deus, cogitandũ est, cui Abrahã peregrinationẽ suam adscribat, & quid eam uocet. Adscribit eam Deo, à quo fuerat de domo patris euocatus, & uocat eam errorem. Euocauerat eum ad terram Chanaan, hæreditariò possidendã, & nihilominus usqueadeò nihil illi proprietatis in ea cõtulit, ut instar erronis subinde de loco ad locũ migrare cogeret. Typũ habes electorum & fidelium in hoc seculo, de quo & aliàs annotauimus. B

Prudentia peregrinãtis Abrahæ

Deinde obserua prudentiã Abrahæ peregrinantis. Non dixit, Deus euocauit me de domo patris, & in peregrinas terras emigrare iussit, nihil igitur erit periculi, quocunq; uenero: sed quauis perderet fide à prouidentia Dei, noluit tamen temerariè fine ulla cura et prouidentia quolibet oberrare, sed quoad potuit pericula præcauere.

Mansuetudo seruanda erga uxorem.

Tertiò, obserua q̃ non simpliciter iusserit coniugi, ut sororẽ suã esse se diceret, sed de fide coniugali admonuerit, dicens: Hæc est fides tua: uel, si mauis, beneficentia tua, quam facies mecum. Admonentur coniuges, quam fidem alter alteri debeat, & quàm nõ sint omnia imperiose exigenda ab uxoribus.

Sancta sanctorũ cõiugium conuersatio.

Simul considerandum est, quàm oportuerit sanctam esse conuersationem talium coniugum, qui fratres se ac sorores simulare, ac coniugium dissimulare potuerunt, quocunque uenissent. Nostro seculo rarissimè talis coniugum conuersatio reperiri poterit. Secundũ dictum Apostoli, Sic coniuges erant quasi non essent.

Moderationis exemplum.

Simul & illud considerandum est, quòd non solum hac est prudentia Abraham initio peregrinationis suæ usus, sed hoc suum consilium etiam Abimelecho, ad hoc manifestare uoluit, ut quod dixerat: Cogitasse se ne fortè non esset timor Dei in eo loco, mitigaret, & causas offensionis amputaret. Pij hominis est, quoad eius fieri potest, omnes non necessariæ offensionis causas tollere, & si quod odiosius dictũ uel factum est, commoda ratione & expositione mitigare.

Tulit igitur Abimelech oues & boues, & seruos & ancillas, & dedit Abraham. Reddiditq; illi Saram uxorem suam, & ait: Terra coram uobis est, ubicunq; tibi placuerit habita. Saræ autem dixit, Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in uelamen oculorũ ad omnes qui tecum sunt, & quocunq; perrexeris memento te deprehensam. Oranteaũt Abrahã sanauit Deus Abimelech, & uxorem ancillasq; eius & pepererunt. Conclauserat enim Deus omnem uuluam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.

LECTIO.

Tulit igitur Abimelech, &c.] Græcus hic primo loco ponit χίλια ἀργύρια χαλκᾶ: id est, mille argẽteos. Verũm in Hebræo legitur sicuti habet latina uersio.

Et ait: Terra coram uobis est.] Hebraicè sic: Et ait Abimelech, Ecce terra mea corã te est. Sic legit & Græcus, nisi quòd pronomen Mea omisit. Et

Et Saræ dixit, Ecce dedi fratri tuo mille argenteos, etc.] Locus hic obscurus est admodũ. In Heb. sic habet, הנה נתתי אלף בסף אחיך הנה הוא לך כסות עינים לכל אשר אתך ואת כל רגבחה, quæ propter obscuritatem non uocum, sed loquutionis uariè redduntur. Chaldæus paraphrastes sic uertit: Ecce dedi mille siclos argenti fratri tuo, ecce ipsum est tibi uelamen honoris, pro eo quòd misi & tuli te, uidisq; te, omnesq; qui tecum sunt, & in omni eo quod loquuta es, uerax inuenta es. Græcus sic: ἰδὺ δέδωκα χίλια δίδραχμα τῷ ἀδελφῷ σου. ταῦτά σοι ἔστω τιμὴν τῷ προσώπῳ σου ἐναντίον πάντων τῶν μετὰ σοῦ, καὶ πάντα ἀληθεύοντα. Id est, Ecce dedi mille didrachmas fratri tuo. Hæ erunt tibi in honorem faciei tuæ, & omnib. quæ tecum sunt, & omnia dic uerè. Sanctes Pag. ad hunc modum: Ecce dedi mille argẽteos fratri tuo. Ecce est tibi operimentum oculorũ omnibus qui tecum sunt, & in omnibus erudiunt se. Tigurina sic: Ecce dedi fratri tuo mille argenteos: idq; pro uelamento erit oculis tuis, & euidens argumentum coram omnibus qui tecum sunt. Lutherus ita habet in Cõment. in Genesim: Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, ecce est tibi in uelamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & alios omnes. Sic reprehensa est. Germanicè uerò sic uertit: *Sihe da ich hab deinem brůder tausent silberling geben, Sihe der soll dir eyn decke der augen seyn, für allen die bei dir seind, vnd allenthalben, vnd eyn verantworter.* Varietas ista nascitur primùm ex uocula הנה, quam alij referunt ad munus mille argenteorum, alij ad Abrahamum, alij reddunt per Est. Deinde ex eo quòd quidam pro עינים reddunt, oculorũ tuorum, uel, faciei tuæ: quasi sit עיניך. Tertiò, ex eo quoq; quod dicit, לכל אשר אתך, id est, Omnibus qui tecum sunt: quod alij in masculino legũt, alij in fœminino, referentes ad ancillas quas secum habebat Sarah. Sic græca uersio habet: καὶ πάσαις ταῖς μετὰ σοῦ. Quartò, ex eo quod addit כל ראת, quod nonnulli omittunt: alij reddunt in masculino, Et alios omnes, ad discernendum inter domesticos & extraneos: alij uertunt aduerbialiter per ubicunq;, ubilibet: uel, Quocunq; ueneris: alij reddunt neutraliter, & coniungunt sequenti רגבחה, expuncta coniunctione naf. Sic Chald. Et in omni eo quod loquuta es, uerax inuenta es. Et Græc. καὶ πάντα ἀληθεύοντα: id est, Et dic omnia uerè. Quintò, ex eo quoq; quòd uocula רגבחה obscurè posita, ab alijs uertitur, deprehensa: ab alijs reprehensa: ab alijs, Argumentum euidens: rursus ab alijs, Verax inuenta es: ab alijs, Dic uerè: à Sancte, Eruditi se: à Germanico interprete, *verantworter*: à nonnullis non uerbis Abimelech, sed Mosis tribuitur, ac uertitur: Sic cum omnibus reprehensa est, quam lectionem sequitur Munsterus. Vox illa רגבחה à uerbo רגם deducta est, quod uariè sumitur in scripturis. Infrà 21. cap. accipitur, p reprehendere, capite 31. pro declarare, decernere, ac dijudicare, ריבריחו בין שבינו inquit Iacob. id est, Decernent cognita causa inter nos utroq;. Et cap. 24., p præparare. Sic dicebat seruus Abrahæ, אתה חכחת לעבדך ליצחק: id est, Illam præparasti uel decreuisti seruo tuo Isaac. Et 2. Sam. 15. pro, recta est. Sic dicebat Absbalom, דבריך טובים ורגבחים. id est, Verba tua bona sunt & recta. Deinde alius legit uerbaliter sine punctis, alius nominaliter secundum formam punctorum. Hinc tanta est uarietas uersionum, & obscuritas sensus. Quid mihi uideatur, dicam in Explanatione. Illud manifestum est, quod uulgata latina habet, Quocunq; perrexeris, memento te, non esse in Hebræo.

Vnde sit ista uarietas:

Orante aũt Abraham.] In Heb. est, Et orauit autem Abraham ad Deum.

Conclauserat enim Dominus omnem uuluam.] Heb. sic: Quoniã claudendo clauserat Dñs circa omnẽ uterũ domus Abim. Græc. sic habet: Qm̃ concludendo cõclusérat Dñs extrinsecus omnẽ matricẽ in do. Abim.

EXPLANATIO.

Tulit igitur Abimelech oues, &c.] Hactenus exposuit Moses, quomodo Abimelech seruis suis diuinum oraculũ exposuerit, & cum Abrahamo coram illis expostularit: simulq; ex illo causam audierit eorum quæ fecerat: iam consequenter subijcit, quomodo Saram uxorẽ illi restituerit, & post restitutionẽ ad pedes eius cũ omni domo suo à plaga Dei curatus sit. Ad restitutionẽ Saræ pertinẽt ista: Tulit igit Abim. oues & boues, &c. Nec grauatim nec contemptim & abiectè, sed honorificè, ac cum regia munificẽtia restituit Abimelech uxorẽ Abrahæ. Erat aũt munificentia illa quadriparita. Dedit enim illi oues & boues, deinde seruos & ancillas, tertiò magnã argẽti summã, quartò libertatẽ ac potestatẽ quocũq; uellet regni sui loco habitandi. Terra mea, inquit, coram te est. Hoc est, patet tibi, & exposita est omnis mea terra, aut habites in illa non certo aliquo ac præscripto loco, sed ubicunq; tibi commodum uidebitur.

Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo.] Abrahæ uidelicet, quem uocat illius fratrem, quo nam ipsa dixerat, Frater meus est. Postquam eam Abrahæ unà cum muneribus reddidisset, ne nullo eam munere peculiariter honorasse uideretur, exponit illi, quid ipsius nomine Abrahæ dederit.

Ecce hoc tibi in uelamen oculorum omnibus tecum existentibus, & cum omnibus, & rectitudo.] Quàm obscurus sit hic locus, suprà in Lectione annotauimus. Nõ recitabo aliorum expositiones, ne rem obscuram magis inuoluam caligine, quàm explicem, sed simpliciter dicam quæ mihi sententia cõmodior esse uideatur. Hoc constat in summa, uoluisse Abimelechum mulierem honestam malè à se per errorem ablatam uiro suo restituere non uacuam, quasi contemptam, sed cum honore ac munere regio cumulatam, quo conspicuum daret argumentum, se illam non proijcere ac repudiare, quasi ignominia affectam, & regio coniugio indignam, sed uiro suo reddere, sicuti dicebat, castam, honestam, & maritatam à rege innocentiæ & iustitiæ studioso restitui. Hoc nomine dedit in illius usus mille argenteos. Dedit illos autem in manus non ipsius Saræ, sed Abrahæ, ad uitandam quamuis sinistram suspicionem. Sic dicit ad Saram, Ecce dedi mille argenteos (alij reddunt siclos, alij drachmas) fratri tuo. Et ut significet datos illos esse in ipsius usus, addit: Ecce hoc tibi, id est, Ecce pecuniam hanc dedi tibi, tua est, honorarium tuum est, ne à me uacua discedas.

Deinde exponit etiam in quos usus data sit hæc pecunia, ac dicit: In uelamen oculorum omnibus qui cum exiſtentibus. Hoc eſt, In ornamentum faciei (nam oculos pro facie, partem præcipuam pro toto posuit) omnibus tuis ancillis quas tecum habes. Sic etiam LXX uerterunt. Conſtat Saram non fuiſſe solam, ſed habuiſſe ſuas ancillas, quas unà cum illa ornamento ac mundo muliebri uoluit de ſuo munere ornari Abimelech. Quòd autem de illis regem loqui iudico, & non de reliquis domeſticis, in cauſa eſt, quòd ſignificanter non dicit, Omnibus qui ſunt cum fratre tuo: ſed, Omnibus tecũ exiſtẽtibus. Et hactenus arbitror nihil eſſe obſcuri & intricati. Quę uerò ſequuntur, ut ingenuè fatear, ſic ſunt obſcura, ut haud uideam quæ nam certa ſatis poſsit ſententia tradi. Quare ne in nullam prorſus inclinare uideamur, apparet, mea ſuſpicione, primũ coniunctionem uaf, id eſt Et, in eo quod dicit רגבחת abũdare, & deſiderari in præcedentibus, ubi dixit, לכל אשר אתך, ut legendum ſit ורלכל אשר אתך: id eſt, Et omnibus tecum exiſtentibus, ne ornamentũ illud faciei ſolis ancillis & non etiam ipſi Saræ deputatum uideatur. Deinde illud ראת כל נכחת, ſeparatim à præcedentibus ſic eſſe legendum, Et omnia rectitudo: id eſt, Et ſic omnia rectè habent: uel, Rectè diſpoſita aut correcta ſunt, ſiue Moſi tribuatur hæc particula, ſiue Abimelecho. Nemini autem mirum uideatur, quòd coniunctionem uaf non ſuo loco poſitam eſſe ſuſpicor. Negq; enim rarum eſſe uel ex eo conuincitur, quod ſuprà capite præcedenti, uerſu quarto ad hunc modum in Hebræo legitur: טרם ישכבו ראנשי תעיר אנשי סדם נסבו על חבית: id eſt, Priuſquam cubitum irent, & uiri ciuitatis, uiri Sedom circumdederunt domum. Vbi manifeſtum eſt coniunctionem uaf eſſe tranſpoſitã, ut legendum ſit ויטרם ישכבו אנשי תעיר: id eſt, Et priuſquam cubitum irent, uiri ciuitatis, &c. circumdederunt domum. Sic uaf deſideratur in principio uerſus, & poſtea nõ ſuo loco ponitur. Quòd ſi quis cognitiora attulerit, rem fecerit & mihi & bonis omnibus gratiſsimam. Si cui etiam aliorũ ſententias cognoſcere placuerit, extant illorũ cõmentarij, quos uidere licet, quib. hac mea opinione nihil derogatũ uolo.

Et orauit Abraham ad Deum, & ſanauit Deus Abimelech, & uxorem, &c.] Pertinent iſta ad alterũ membrum præſentis contextus. Percuſſerat Deus domum Abimelech, propter cauſam Saræ. Dixit ad illũ in ſomnis: Nunc igitur redde uiro uxorem, quoniam propheta eſt, & orabit pro te, & uiues. Harũ adimpletio deſcribitur hiſce uerbis: Recepit Abraham uxorem ſuam Saram, orauit pro Abimelecho ad Deũ, & Deus illum ac domum eius ſanitati reſtituit. Quis illius morbus fuerit, non exprimitur: de uxore uerò & ancillis commemoratur, quòd uteri illarum fuerint à Domino concluſi, propter cauſam Saræ, & poſtea reddita Sara propter preces Abrahæ ad pariendum aperti.

QVAESTIONES IIII.

Et ſanauit Deus Abimelech & uxorem, ancillaſq; eius, & pepererunt. Claudendo enim clauſerat Dominus omnem uterum domus Abimelech.] Sunt hoc loco nonnulla quæ in quæſtionem ueniunt. Primũ, an rex ipſe ęq; eadem fuerit domus ſuæ plaga percuſſus. Deinde, qualis fuerit illa matricum clauſura. Tertiò, An ſolæ mulieres, & non etiam animalia concluſa fuerint. Quartò, An ſolæ domeſticæ mulieres domus Abimelech clauſæ fuerint, & non etiã reliquæ Gerarenſes. Si textus ſimplicitas aliquid habet ponderis, præſertim ubi aliàs nulla certitudo eorũ haberi poteſt, de quibus quęrit, facilè ad iſta reſpõderi poſſe iudico.

Principiò de rege ipſo contendit Abenezra, non eſſe illum ullo morbo percuſſum, ſed quæ de curatione illius in textu leguntur, referenda eſſe ad mulieres curatas. Hunc ſequuntur etiam noſtri ſeculi doctores aliqui, qui iudicant nihil illi accidiſſe incõmodi, niſi quòd aliquid imbecillitatis ex ſomnij grauitate & contriſtatione domeſticorum malorum contraxerit. Gerundenſis uerò, etiam ipſum morbo ſic iudicat fuiſſe correptum, ut Saram ad ſe translatam contingere non poſſet. Et huius ſententiam ſequendam eſſe iudico magis, quàm diuerſam, propterea quòd textus diſertè dicit: Et ſanauit Deus Abimelech. Ergo & hunc percuſſerat. Quòd ſi ſcriptum eſſet, Et ſanauit Deus domum Abimelech, uxorem eius, et ancillas eius, locum haberet expoſitio Abenezræ. Verùm cũ dicat Moſes, Et ſanauit Deus Abimelech, & uxorem eius, & ancillas eius, palàm eſt, infirmum eſſe illius cõmentum.

Deinde, quod de plaga domus Abimelech quæritur, qualis illa fuerit, non eſt eadem omnium ſententia. Textus dicit, Claudendo clauſiſſe Dominum omnem uterũ domus Abimelech. Intelligũt hoc biſariam. Alij dicunt hic fuiſſe clauſos uteros, ut mulieres grauidæ propter impoſsibilitatem pariendi in partu periclitatæ fuerint, uel certè parere nequiuerint, propter occluſionem matricum. Horum ſententia ex eo naſcitur, quod textus dicit, Et ſanauit Deus Abimelech, & uxorem eius, & ancillas eius, & pepererunt. Verbum enim pariendi ſimpliciter de parturitione accipiunt, excluſa conceptione. Et hoc ſenſu conſequitur plaga iſta percuſſas fuiſſe non niſi grauidas & prægnantes. At textus diſertè dicit: Claudendo enim clauſerat Dominus omnem uterum domus Abimelech. Non dicit, Omnẽ grauidam & prægnantem: ſed, Omnem uterũ. Quis aũt credat omnes uteros domus Abimelech illo fuiſſe tempore grauidos? Ergo & horũ eſt ſententia infirma. Alij, meo iudicio, rectius dicunt, clauſas fuiſſe omnes matrices domus Abimelech, ſic ut concipere non poſſent, imò ne congreſſum quidem uirorum pati. Hoc ſenſu fuit autor hiſtoriæ Scholaſticæ. Sic ſentio ipſum quoq; Abimelech fuiſſe à Deo percuſſum, ut Saram cognoſcere non poſſet. Saræ nihil accidit: uerùm rex plaga Dei tactus, & ne illam cognoſceret impeditus fuit. Quare quod dicit, Et pepererunt, non ſic intelligendum eſt, quaſi ſtatim poſtquam ſanatæ eſſent pepererint. Sed quod ſanatæ facultatem & aptitudinem ad concipiendum & pariendum acceperint.

Ad tertiam quæſtionem, an homines tantũ & nõ etiã animalia domus Abimelech plagã hanc pertulerint, reſpondent nonnulli peruenisſe hoc incommodum etiam ad animalia. Arbitror illos ex eo mouerí quod

quod textus in genere dicit: Claudendo enim clauserat Dominus omnem uterum domus Abimelech ut in speciem ac generalitate etiam animalia domus Abimelech comprehẽdi uideantur. Verùm simpl eius est, ut specificationem præcedentem sequamur, qua ipse Abimelech, uxor eius, & ancillæ sanatæ cõ memoranť. Si uis scire, qui fuerint uteri clausi in domo Abimelechí? Disce hoc ex specificatione sanatorũ.

An non et omnes Gerarenses mulieres plaga hac percussæ fuerin

Quartò, ad id quod quæritur, an in mulieribus domus Abimelech comprehendantur omnes Gerarẽ fes, uel domesticæ tantum, respondent nõnulli percussas fuisse hac plaga etiam Gerarensium mulieres. Parũ hic est periculi, attamen simplicius est, ut de domesticis Abimelech duntaxat intelligamus. Quid eñ intelligẽdum sit per domum Abimelech, ex præcedentibus satis patet, ubi mentio fit uxoris Abimelech, & ,,,,,,,,, id est, ancillarum eius. Siue enim de concubinis illius loquatur, siue de uxorib. seruorum ac domesticorum, arbitror simplicius esse, ut nec sentiamus uxores ciuium Gerarensium famulas esse Abimelech uocatas, nec factum esse dicamus quicq̃ quod ipsa scriptura expresse non habet.

OBSERVATIO I.

Tulit igitur Abimelech oues & boues, & seruos & ancillas, & dedit Abrahæ, reddiditq; illi Saram uxorem suam, & ait: Terra mea coram te est, ubicunq; tibi placuerit habita.] Principiò obseruanda est modestia regis Abimelech, in eo declarata, quòd audita ratione, qua motus Abraham Saram sororem suam esse dixerat, sit sfactionem accepit, & bene contentus, nihil expostulationis uel inquisitionis ultrà adiecit, à qua moderatione ac placiditate multos uidere licet principes ac magnates, eosq; Christianos admodũ esse alienos, quibus, si qua in re offensi fuerint, præsertim ab extranco & peregrino aliquo, nullis potest satisfieri rationibus.

Modestia Abimelech.

Deinde consideranda est etiam liberalitas & munificentia regis huius in eo quòd cum diuinitus iussus redderet uxorem Abrahæ, reddidit eam non contemptim, sed cum honore & liberali munificentia. Docemur hoc exemplo, primùm, si quid iussu Dei, uel propter iustitiam & æquitatem faciundum est, ut id faciamus non grauatim, non tergiuersanter, non abiectè, sed ex animo & alacriter. Deiude, ut cumulatè & cum lucro reddamus, si quid uel per errorem, uel scienter etiam, alijs ablatum reddendum fuerit. Sic Zachæus dicebat: Si quem defraudaui, reddo quadruplum. Nec excusatione hac utatur quisquã, ut dicat, Quod abstuli, nihil accepit incommodi, illæsum adhuc est, & integrum, nõ sum illo usus, quare satis est, si restituero simpliciter. Nec enim Abimelecho satis fuit, simpliciter reddere Abrahæ uxorem, quamuis illam haudquaquam attigisset: sed mundam & illæsam redderet. Pro sua liberalitate adiecit etiam munera, id quod illi cessit honori ac laudi. Qui honestus esse & haberi cupit, quicquid faciendum B est, honestè faciat: magisq; uideat, quid honestatẽ suam deceat, quàm quid in speciem iure facere possit.

Liberalitas & munificentia Abimelech.

Tertiò, obserua qualia munera dederit rex Abrahæ. Tulit, inquit, Abimelech oues & boues, & seruos & ancillas, & dedit Abrahæ. Apparet hic, quales tum fuerint regum opes. Studebant pastui pecudũ & armentorum. Hodie equi & canes uenatici dona sunt regum ac principum.

Munera priscorum regum.

Quartò, in eo quòd ouibus ac bobus coniunxit seruos & ancillas, de miserabili seruitutis cõditione admonemur, qua homo in hominis potestatem ac dominiũ sic transfertur, ut perinde atq; iumentum, cui ille uoluerit, uel uendi, uel dono dari queat. Sic uel traduntur uel uenduntur homines ab hominibus, & emuntur, uel dono accipiuntur ab hominibus: sic inquam tractanť & habentur homines ab hominibus, ut uel nihil, uel certè admodum parum discriminis sit inter iumentum et hominem seruum, in potestate hominis eadem natura præditi cõstitutum. Stupenda facies in oculis hominis humanitus affecti, & planè miserabilis sors & conditio generis humani. Si bos boui uenderetur uel traderetur à boue, quis non obstupesceret, causamq; inquireret, quare bos boui usqueadeò subesse cogeretur, ut ab illo cui uellet uendi aut tradi posset? Iam cum id fiat inter homines, inquirendum est de causa. Hanc reijciendam esse censeo, in peccatum illud, quo natura nostra corrupta est, atque ita factum, ut homo similis sit iumentis & pecudibus.

Miserabilis conditio seruitutis.

Quintò, quòd seruos illos & ancillas Abrahæ ab Abimelecho traditos concernit, obseruanda est diuina dispositio, qua nonnunquam accidit, ut melior fiat ac saluti uicinior conditio seruorũ, quàm liberorum & ingenuorum. Seruis istis & ancillis melius consultum erat in causa pietatis ac salutis cũ in posterum Abrahæ uenissent, quàm filijs ac filiabus Abimelech, & reliquis liberis ingenuisq; hominibus. Sic hodie quoq; multis seruitutem causam salutis esse uidemus.

Aliquando melior est conditio seruorum, quàm liberorum.

Sextò. Terra mea, inquit, coram te est, ubicũq; tibi placuerit habita. Habet & hæc particula quod obseruemus. Reperias qui dent munera non alio proposito quàm ut per illa sese prorsus liberent, ac uelut exonerent ab eo, quem sibi grauem & onerosum futurum putant. longe alius fuis animus Abimelech erga Abrahamum. Dedit oues, boues, seruos, ancillas, & argentum, non hoc animo, ut sic se prorsus ab omni consortio ac necessitudine Abrahæ absolueret, & illũ è ditione sua ablegaret. Qui sic largiuntur munera, nõ amici cõmoditatẽ quærunt, sed hoc potius agunt, ut hisce mediis amicitiæ renuncient.

Multum refert, quo animo dantur munera.

Septimò considerandum est etiam, quæ sit sors sanctorum in hac terra. Dicit Abimelech ad Abrahamum: Terra mea coram te est. Atqui terra illa hæreditariò secundum promissiones Dei ad Abrahamum pertinebat. Verùm quoniam in illa peregrinabatur, satis erat quòd potestatem gratuitò acciperet habitandi in ea ubicunq; uellet. Et hac gratia uir sanctus optimè contentus erat. Sciebat illam dispensari à Dño, cuius ,,uidentia gerebanť hæc omnia. Sic sanctis accidit in hoc seculo. Domini sunt terrã omniũ. Omnia namq; sunt illorũ, quia filij sunt & hæredes Dei, ac cohæredes Christi. Interea tñ nõ hi possidẽt, sed per ,,uidentiã Dei oblata grato animo accipiũt, & futurã felicitatẽ spe firma expectãt,

Quæ sit sors sanctorũ in hac terra.

OBSER-

OBSERVATIO II.

Quod Abimelech nõ expoſtulaut eũ Sarah.

Et Saræ dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo: Ecce hoc tibi in uelamen oculorum omnibus tecum exiſtentibus, & cum omnibus, & rectitudo.] Principiò obſerua q̃ nihil expoſtulat Abimelech cum Sarah, ſicuti ſe cerat cum Abrahamo. Erat Sarah in poteſtate Abrahæ, cuius uoluntati ſe ſe tanquam uxor accõmoda uerat, cum ſe ſororem illius eſſe diceret. Si quid erat ea in re imprudentius admiſſum, Abrahæ, non ipſi erat improperandũ. Admonemur hoc exẽplo, non eſſe diuexandos eos qui ſub aliorum poteſtate conſtituti, alienæq̃ non ſuæ uoluntati ſubditi, quod facere iubentur faciunt: ſed ſi quid per eos peccatur, illis potius imputandum eſſe, qui horum ſunt domini, & quibus iſti iubentibus obtemperant.

Non beneuolumus illis, quorũ gratia affligimur

Deinde & illud conſiderandum eſt, q̃ non ſolum non expoſtulat cum Sarah, ſed illi quoq̃ honorariũ munus deputat, mille uidelicet argenteos, uſqueadeò nihil aduerſus eam rancoris habens in corde, præter quam erat cum omni domo ſua percuſſus à Deo, ut honorandam etiam ducat. Longè aliter comparati ſumus, quando malè uolumus illis, quorum gratia modico aliquo incõmodo afficimur, etiamſi id non ipſorum, ſed noſtra culpa fiat.

Honeſta munera amant lucem.

Tertiò, nec illud tranſeundum eſt, q̃ munus Saræ deputatũ non illi dedit in manus clanculum & præter conſcientiam Abrahæ, ſicuti amatoria munuſcula mulierculis inſinuari ſolẽt, ſed palàm, ipſiq̃ Abrahæ, quemadmodũ decebat regem honeſtatis amantem. Ornamentũ liberalitatis & munificentiæ eſt, ut quod datur, detur palàm & honeſtè, ne qua ſiniſtræ ſuſpicioni permittatur occaſio. Sciat maritus quid detur uxori: neq̃ ſciat tantum, ſed & in poteſtatem ſuam accipiat, ut ex ipſius ueluti manu in uſus uxoris cedat. Sic dicit Abimelech, Ecce dedi fratri tuo mille argenteos.

Munera cum cõditione data.

Quartò. Ad uelamen, inquit, oculorũ, id eſt faciei. Conſiderandũ eſt hic, q̃ mille hoſce argenteos Abimelech non ſimpliciter dedit Abrahæ, ſed cum conditione, in quem eſſent uſum collocandi. Permittendum hoc eſt largitori liberali ac munifico, ut quod largitur, non ſic largiatur in poteſtatem eius cui largitur, ut ex eo ille liberè quod uult faciat: ſed muneri ſuo conditionem adijciat, ac præſcribat, in quos uſus conuerti uelit. Cui etiam præſcripto acquieſcendum eſt ei qui munus accipit, niſi ingratitudinis notam incurrere uelit, & facere quod non licet. Quòd ſi præſcripto non uult obſequi, poteſt oblatum munus recuſare. Si uerò non recuſat, ſed accipit, unà cum munere adiectam etiam conditionem accepiſſe ſciat. Si des pauperi tres florenos, dicasq̃: Ecce hæc pecunia ſit tibi uelamento nuditatis, ne ſic nudus incedas: ſi hanc accipit, nõ licebit ut in alios eam uſus conuertat, quàm ad quos accepit, niſi cum conſenſu tuo, qui dediſti. Alia eſt ratio accepti debiti. Qui debitum dat, dat illud in liberam poteſtatẽ creditoris, nihil iuris habens, ut aliquid illi conditionis adijciat: & qui debitum accipit, liberè quod ſuum eſt accipit, poteſtatem illius habens liberam ac plenam. Cogitemus hoc exemplo, quàm ſit nobis illicitum, donis Dei, quæ ex illius liberalitate quotidie accipimus, pro noſtro arbitratu, carnisq̃ libidine contra uoluntatem ipſius præſcriptum abuti.

Ad quẽ uſum dederit Abimelech mille argenteos.

Quintò. Conſequenter animaduerte, quem uſum muneri ſuo præſcripſerit Abimelech. Non dicit, Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, ut hos tibi theſauri loco recondat: ſed, Ad uelamen, inquit, oculorum. Poterat Abraham de ſuo dare Saræ unde uelaret ſuos & ancillarum oculos: uerùm quoniã ſemel in domum regis hoc nomine ſumpta fuerat, ut eſſet illius uxor, quamuis per errorem id eſſet factum, ideoq̃ iuſſu Dei emendaretur, uoluit tamen honeſtiſsimus rex, ut aliqua ſaltem regij decoris facies in hac muliere maneret, quòd eam dignam eiuſmodi ornatu exiſtimaret, ſibiq̃ ingloriũ fore iudicaret, ſi uulgariter ueſtita incederet. Quo loco regem hunc coniuges ſuas habuiſſe putabimus, qui ad hunc modum in ornanda Sarah animatus fuit, quam neq̃ cognouerat, neq̃ retinere poterat, ſed marito ſuo reddebat? quæ nihil, inquam, ad ipſum pertinebat, niſi hoc tantum nomine, quòd per errorẽ loco conſtituta fuerat, eamq̃ ob cauſam inglorium ſibi iudicabat, ſi poſthac uulgariter iugis in domum ipſius traducta fuerat, eamq̃ ob cauſam inglorium ſibi iudicabat, ſi poſthac uulgariter incederet. Cogitemus de rege noſtro Chriſto, uero Abimelech, cui per fidem deſponſati, inq̃ domum illius ſic traducti ſumus, ut in illa perpetuò maneamus. Quàm putamus inglorium illi eſſe, ſi more ſeculi ac uulgariter incedamus? Decet nos ornatus regius. Hunc nobis ſanguine ſuo ac ſpiritu comparauit. De illius magnificentia ueſtimur fide, ſpe, charitate, ac reliquis eiuſmodi chariſmatis, dum ſumus in hac uita: immortalitatis uerò gloria ueſtiemur, ubi hinc emigrauerimus. Vide pſal. 45. ibi, Filiæ regũ in magnificentijs tuis, &c. Et huc illud quoq̃ pertinet, quòd non Saræ duntaxat ornatus iſte regius, ſed & famulabus illius decernitur. Omnibus, inquit, quæ tecum ſunt. Habuit Sara ſuas pediſſequas famulas. Ecclеſia ſuas uirgines habet, quæ & ipſæ regio mundo ornantur. Sic pſalm. quadrageſimoquinto: Virgines poſt eam, propinquæ illius unà tibi adducuntur. Eccleſia non eſt ſola, non eſt unica, ſed multis perſonis comprehenſa: quæ omnes uirgines ſunt, propter fidei ſinceritatem, ne quis de uirginitate corporis, uel fœmineo tantum ſexu cogitet.

OBSERVATIO III.

Et orauit Abraham ad Deum, & ſanauit Deus Abimelech, & uxorem eius, & ancillas eius, & pepererunt: Quoniam claudendo clauſerat Dominus omnem uterum domus Abimelech, propter Saram uxorem Abrahæ.] De eo quòd ad Deum pro Abimelech orauit Abraham, uide ſuprà, ibi, Propheta eſt, & orabit pro te. Et ſanauit, inquit, Deus Abimelech. Orat Abraham, ſanat Deus, ſanatur emendatus. Hic locum habet interceſsio ſanctorum, ubi uiui pro uiuis peccatum ſuum agnoſcentibus, uel quod per errorem malè admiſſum eſt corrigentibus, ad Deum orant.

Interceſsio ſanctorum.

Deus ſanat, non Abraham.

Deinde obſerua quòd opus ſanationis non Abrahæ, ſed Deo adſcribit. Non dicit, Et orauit Abraham ad Deum, & ſanauit Abimelech: ſed, Et Deus ſanauit Abimelech.

Tertiò

Tertiò, considerandũ & illud est, quod addit Et uxorem eius, & ancillas eius. Quemadmodũ non solus fuerat à Deo percussus Abimelech, sed cum eo & uxor, & ancillæ, ita emendato peccato non solus sanatur, sed sanitatẽ cum eo recipiunt & uxor & ancillæ. Sic qui causam plagæ domui suæ dederat, tollendo Saram, admonitus à Deo causam sanitatis etiã domui suæ Saram restituendo, & quod malè admiserat emendando dedit. Habent hic patresfamilias quod obseruent. *Qui suis factus est causa iræ, fiat etiam gratiæ.*

Quartò: in eo quod dicit, Et pepererunt, quoniam claudendo clauserat Dominus omnem uterũ domus Abimelech, animaduertendũ est, quo loco haberi debeat, si illæsa sit muliebris uteri fœcunditas. Reperias qui sanitatem hanc non admodũ magni momenti ducant, quod genus hominum inhumanũ esse i. dico, & indignum quòd natum aliquando inter homines uiuat. *Quo loco habẽda sit muliebris uteri fœcunditas*

Quintò, nec illud prætereundum est, quod dicit: Quoniam claudendo clauserat Dominus omnem uterum, &c. Vides hic eundem esse, qui percutiat & sanet, claudat & aperiat. Sic per Prophetã dicit, Ego percutiam, ego sanabo. Quare cauendũ est, ne plagas quibus subinde castigamur aliò referamus, quàm ad manum Dei. ne ue aliunde sanitatem quæramus, quàm ex illa ipsa. *Dominus claudit & aperit.*

Sextò. Propter Saram, inquit, uxorem Abrahæ. Considera causam hanc, propter quam clausit Dominus omnem uterum domus Abimelech. Tulerat Abimelech ac domui suæ induxerat mulierem non suam, sed alterius uxorem. Antea habuerat uxorem & ancillas fœcundas, & sanas, & ipse quoq; sanus. Post ablatam alienam uxorem, fœcunditatem earum amisit, quas legitimè habebat, & interea in Sarah quoq; nihil adeptus est quod ad amissæ fœcunditatis solatium facere posset. Erat hæc pœna omniũ conuenientissima. Quid enim conuenientius esse poterit, quàm ut amittat propria, qui ad se rapit aliena? Vtinam pœnam hanc sentiant omnes, qui ad se rapiunt quæ ipsorum nõ sunt, ut aliena bona domibus ipsorũ illata, quæ antea habuerant prorsus absumant, impleaturq; illud Prouerb. 11. Alij rapiunt nõ sua, & semper in egestate sunt. *Rectè amittit propria, qui aufert aliena.*

CAPVT XXI.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Narratur hoc capite de conceptione, natalibus, circumcisione, & ablactatione Isaac. Deinde quomodo Agar de domo Abrahæ dimissa filium suum Ismaelem iussu Dei reiectum in solitudine educauerit. Tertio de fœdere Abimelech regis Geraræ cum Isaac inito.

VIsitauit autem Deus Saran sicut promiserat, & impleuit quæ locutus est. Concepitq; & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. Vocauitq; Abrahã nomen filij sui, quem genuit ei Sarach, Isaac, & circuncidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus, cum centũ esset annorum. Hac quippe ætate patris natus est Isaac. Dixit Sarach, Risum fecit mihi Deus, quicunq; audierit corridebit mihi. Rursumq; ait. Quis auditurus crederet Abraham, quod Sarach lactaret filiũ, quem peperit ei, iam seni. Creuit igitur puer, & ablactatus est, fecitq; Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.

LECTIO.

Sicut promiserat, & impleuit, &c.] Nec promittendi nec implendi uerbum in Hebræo est, sed simpliciter ad hunc modũ: Et uisitauit Deus Saram sicuti dixerat, & fecit Dominus Saræ sicuti loquutus fuerat. Sic Græcus quoq; uertit.

Concepit & peperit filium in senectute sua.] Hebraicè sic, Et concepit & peperit Sarah Abrahæ filium לזקניו, id est, in senectute eius, Abrahæ uidelicet. Latinus uerò, quoniam uertit, In senectute sua, ad senectutem Saræ magis quàm Abrahæ respexisse uidetur: præsertim, quia nomen Abrahæ omisit. Græcus pronomen Eius omisit. Reddidit enim simpliciter εἰς τὸ γῆρας: id est, in senectute.

Vocauitq; Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sarah.] In Hebræo legit ad hunc modum: Et uocauit Abraham nomen filij sui הנולד לו, id est, qui natus est ipsi, quem genuit ipsi Sarah, Isaac. Illud, Qui natus est ipsi, omisit latinus interpres.

Et circuncidit eũ.] Hebraicè sic, Et circuncidit Abraham Isaac filium suum octo dies natum.

Cum centũ esset annorũ, hac quippe ætate patris natus est Isaac.] Alia est particulę huius forma in Hebræo. Sic enim ibi ibi legitur: Et Abraham nasus erat annos centũ, cum nasceretur & ei Isaac filius ipsius.

Risum fecit mihi Deus, quisquis audierit, corridebit mihi.] Sic habetur in Heb. nisi q, ibi non est, Corridebit mihi: sed simpliciter, יצחק לי : id est, Ridebit me, *würt mein lachen.* Chaldæus paraphrastes reddidit, Gaudium fecit mihi Deus, quisquis audierit, gaudebit mecũ. Græcus unius uocis significationem uariè reddidit. Sic enim habet: Risum fecit mihi Dñs, quisquis audierit, cõgaudebit mihi. Vocẽ צחק incõstanter primũ risum, deinde per uerbum congaudendi uertit. Et recentiores uariè uerterunt.

Quis auditurus crederet Abr.] In Hebræo neq; audiendi neq; credendi uerbum habetur, sed sic legitur: מי מלל לאברהם. Vox מלל loqui ac dicere significat. Alij reddunt, Quis diceret: alij, Quis dixit: rursus alij, Quis dicet Abrahæ. Græcus uertit: Quis annunciabit Adrahæ. Chaldæus paraphr ad præcedentes promissiones Dei respiciens, uertit ad hunc modũ: Fidelis est, qui dixit Abrahæ, & confirmauit,

Quòd Sarah lactaret filium.] Hebræus sic habet, ותניק שרה בנים: id est, Lactat filios Sarah. Monsterus reddidit, Lactauit Sarah filios. Pagninus, Lactare fecit Sarah filios. Chaldæus paraphrastes: Quòd lactatura esset Sarah filios. A

Quem peperit ei iam seni.] Heb. sic: בן לזקניו, id est, Quoniã peperi filium in senectute eius. Græcus reddidit: Quoniã peperi filium in senectute mea. Chald. sic: Quia peperit filiũ in senectute eius.

In die ablactationis eius.] Hebraicè: In die quo ablactatus est Isaac. Sic & Græcus: qui tamen addidit, Filius eius.

EXPLANATIO.

Summa contextus huius est, uisitasse Dominũ Saram uxorem Abrahæ, hactenus sterilem, dedisseq; illi concipiendi, pariendi ac lactandi uirtutem, ut semen illud benedictum antea aliquoties promissum tandem pareret & educaret.

Et Dominus uisitauit Saram quemadmodum dixerat, & fecit Dominus Saræ sicuti loquutus fuerat.] Rem eandem bis uidetur dicere. Apparet enim idem esse quod dicit: Et fecit Dominus Saræ sicuti loquutus fuerat cum eo, quod præmisit, dicens: Et Dominus uisitauit Saram, quemadmodum dixerat. Aliàs, q̃d dicit, Et Dominus uisitauit Saram, quemadmodum dixerat, de ea uisitatione intelligendum uideri posset, quam suprà capite 18. pollicitus fuerat angelus, ad Abrahamum dicens: Reuertens ueniam ad te certo tempore, uita comite, & erit Saræ filius: id quod secundò etiam facturũ se recepit. Atq; ita cum tempus cõcipiendi Isaac & implendæ promissionis aduenisset, reuersum ad Abrahamum angelum uisitasse Saram sicuti promiserat. Verùm quod dictum est ab angelo, Stato tempore reuertar, & erit Saræ filius, referendum est ad tempus natiuitatis, non conceptionis: secundum supputationem eius quod cap. 17. legitur, Quem pariet tibi Sarah, secundum hoc tempus, anno altero.

Concepitq; & peperit Sarah filium Abrahæ in senectute eius, constituto tempore, quo dixerat ei Deus.] Hæc habent ista expositionem præcedentis particulæ, qua dixit, Et fecit Dominus Saræ sicuti loquutus fuerat. Exponunt enim quid & quando fecerit Dominus Saræ. Hoc uidelicet, ut conciperet & pareret filium. Quando? Constituto, inquit, tempore, quo dixerat ei (Abrahæ scilicet) Deus. Loquitur de promissione suprà cap. 18. facta, Reuertens reuertar ad te certo tempore, uita comite, & erit Saræ filius.

Et uocauit Abraham nomen filij sui, qui natus est ei, quem genuit ipsi Sarah, Isaac, & circuncidit Abraham Isaac filium suum, octo dies natum, sicut præceperat ei Deus.] Hoc nominis imposuit Abraham filio suo non suopte arbitratu, sed ex oraculo Dei, quod suprà cap. 17. hisce uerbis audierat: Sarah uxor tua pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Isaac. Eodem capite circuncisionem tanquam fœderis signum hac lege B accepisse legitur, ut masculos infantes domus suæ octauo die circumcideret. Quare Isaacum suum octauo die circumcidit, sicuti præceperat ei Deus. Igitur quod adiecit, Sicut præceperat ei Deus, non est ad circumcisionem duntaxat, sed & ad impositionem nominis Isaac referendum. Quamuis autem narratio ista de nominis impositione & circumcisione sic uidetur esse distincta, ut suspicari quisquam possit diuerso utramq; esse factam tempore, tamen credibilius est, uocasse eum filium suum Isaac tum primùm, cum eum circumcidere uellet.

Et Abraham natus erat annos centum, cum naseceretur ipsi Isaac filius eius.] Quoniam dixerat peperisse Saram filium Abrahæ in illius senectute, uisum est annum ætatis eius asignare, unde cognoscerei, quàm fuerit senex, cum gigneretur ipsi ex Sarah filius iste Isaac.

Et dixit Sarah, Risum fecit mihi Deus, quisquis audierit, ridebit me. Rursumq; ait: Quis narrabit Abrahæ, lactat filios Sarah, quoniam peperi filium in senectute eius.] Diuersimodè expouuntur ista. Alij de gaudiò, alij de risu secundum consuetam uocis צחק significationem exponunt, quod dicit: Risum fecit mihi Deus. Qui de gaudio exponunt, non eodem respiciunt. Alij ad gaudium spirituale, quod pij de incarnatione Christi sentiunt. Alij ad congratulationem uicinorum referunt. R. Shlomoh dicit hinc natum fuisse cõmune gaudium, quòd eodem tempore multæ steriles unà cum Sarah parere cœperint, & multæ ægrotæ sanatę fuerint. Verùm si rem ipsam consideres, & uerba quæ Sarah suprà cap. 18. ridẽdo dixit: uidelicet, Postq; senui, & dñs meus uetulus est, uoluptati operã dabo? meo iudicio satis apparet, nihil hic aliud dixisse Saram, q̃ factam esse sibi rem à Dño & ridiculã & incredibilẽ. Ridiculam, quòd duo senes & effœti uoluptati operã dedisse uideantur. Incredibilem, quòd naturæ sit impossibile, mulierem nonagenariam, & præterea perpetuò sterilem, de uiro centenario concipere, gignere, & lactare filios. Ad prius pertinet quod dixit, Risum fecit mihi Deus, & quisquis audierit, ridebit me. Ad posterius, q̃d subiunxit: Quis narrabit Abrahæ, lactat Sarah filios: quæ particula bifariam legi potest. Primò sic: Quis narrabit Abrahæ, id est, Quis rem hanc insolitam nunciabit Abrahæ, quòd Sarah non solum pepererit ipsi, sed & lactet filium. Huic sententiæ magis cõueniet, ut secundum græcam uersionem legamus, Quoniam peperi filium in senectute mea, q̃àm in senectute eius, ut litera uaf aliundè adiecta esse uideatur. Deinde ad hunc modum: Quis dixisset, Sarah lactabit Abrahæ filios? Quoniam (ecce) peperi filium in senectute eius. Quoniam admodum mirum & incredibile uidebatur, mulierem nonagenariam, cui defierant fieri muliebria, non gignere modò, sed & lactis habere copiam ad lactandum fœtum, quod tamen nonnunquam adolescentibus & fœcundis mulieribus negatur, eam ob causam ad exaggerationem rei insuetæ & impossibilis naturæ, lactationis meminit, & senectutis. Atq; hæc mihi uidetur esse loci præsentis simplicitas, prolataq; hæc esse à Sarah statim à partu, cum inciperet lactare filium. R. Shlomoh cõmemorat de uicinis mulierculis, quòd infantes suos ad Saram lactantem attulerint, ut experimentum caperent, num

num uerè peperisset, ideoq; in plurali dixisse Saram, quod Sarah lactet filios. Sunt hæc incerta. Communi more loquuta est Sarah.

Et creuit puer, & ablactatus est, & fecit Abraham conuiuiũ magnum in die quo ablactatus est Isaac.] Quousq; lactatus fuerit Isaac, Moses non exprimit. unde R. Shlomoh collegerit, ablactationem illius factã esse post finem uigintiquatuor mensium, non uideo. Moysi satis fuit significasse hæc duo. Vnum, quòd puer non statim post partum, sed tum demum ablactatus sit, cum creuisset, ne quis propter penuriam lactis, anilia Saræ ubera destituentis citius illum solito ablactatum fuisse suspicetur. Sic dicit: Et creuit puer & ablactatus est, ut uirtutem Dei in Sara nonagenaria, non solum generante, sed & ad iustum usq; filij sui incrementum abundè satis lactante, commendet. Alterum, quòd Abraham grande cõuiuium fecerit in die quo ablactatus est Isaac. Gaudium quod ex prospero filij sui incremento, deinde & ex eo concepit, quòd Sarah tam insigni miraculo lactando puero sufficisset, uoluit uicinis esse cõmune. Ideo conuiuium grande instruxit. R. Shlomoh dicit in eo conuiuio fuisse maiores de generatione Sem & Eber, deinde ipsum quoq; regem Abimelech. De rege uerosimile est quod dicit: de maioribus uerò generationis Sem & Eber nulla coniectura est, propterea quòd nulla illorum neq; in præcedentibus, neq; sequentibus fit mentio.

QVAESTIO I.

Et Dominus uisitauit Saram, quemadmodum dixerat, &c. Quæritur hic, quonã tempore uisitauerit Dominus Saram, fecerit q; ut Isaacum conciperet. Ociosa non est hæc quæstio, sed facit haud parum ad intelligentiam narrationis huius Mosaicæ. Sunt qui dicant Isaacum natum esse sub eumipsum diem quo ante annum subuersa fuit Sodoma. Secundum horum sententiam uisitauit Dominus Saram tertio mense post deletam Sodomam. Qui illud suprà cap. 18. לִמְעֹר רַעַת חַיָּה אֲשֶׁר אִתְּךָ, id est, certo tempore secundum tempus uitæ reuertar ad te, sic legunt, hoc eodem tempore uita comite reuertar ad te, & exponunt de reuolutione anni, quasi anno elapso reuersurum se dixit angelus, ac tum habituram Saram filium, dictam iam sententiam probabilẽ esse putant. uerùm meo iudicio certius est, ut à tempore circumcisionis acceptæ supputantes natales Isaac ei tempori deputemus, in quod elapsi anni terminus incidebat, atq; ita Saram à Domino uisitatam esse ac concepisse Isaacum sentiamus, mense tertio post acceptam circumcisionem. Etenim cum circumcideret Abraham annos 99. natus erat: cum uerò nasceretur ipsi Isaac, centum erat annorum, sicuti Moses testatur. Spacio trium istorum mensium, qui circumcisionem acceptam proximè subsequuti sunt, tres angelos accepit hospites, deleta est Sodoma, peregrinari cœpit in Geraris, Saram amisit ac recepit, pro Abimelecho & domo eius orauit, ut sanarentur & concipiendi generandiq; facultatem reciperent. Post ista uisitauit Dominus Saram, deditq; ut Isaacum conciperet. Quare, meo iudicio, non inconsultè scribit Shlomoh, quòd tum temporis cum Abraham reciperet iam Sarah pro Abimelecho oraret, cumprimis ad impetrandam Saræ fœcunditatem exauditus sit à Domino, atq; ita Sarah uisitata diuinitus conceperit. Quamuis enim certum non sit, quod concepit Sarah antequam Abimelech & uxor eius cum ancillis sanarentur: id tamen necessariò constat, nõ fuisse Saram impregnatam priusquam Abrahæ marito suo ab Abimelecho restitueretur, ne qua suspicio de puero nascituro oriretur, & diuinis promissionibus nebulæ dubitationum offunderentur, quasi non de Abrahamo, sed de Abimelecho esset conceptus. Quare uigilanter Moses narrationem hanc de conceptione & natalibus Isaac sic disposuit, ut eam præcedenti historiæ de reddita Sarah subijceret, atq; ita exponeret fusè ac diligenter, ut omnem huiusmodi suspicionẽ amputaret. Eam ob causam tam multis ista inculcat: Dominus uisitauit Saram, sicuti dixerat: Dominus fecit Saræ, quemadmodum loquutus fuerat. Item: Concepit & peperit Sarah filium Abrahæ, in senectute eius. Et uocauit nomen filij sui, qui natus est ipsi, quem peperit ipsi Sarah, ne quisquam suspicetur Isaacum hunc uel non esse natum ex Sarah, sed aliunde in odium ancillæ, & filiæ eius sumptum, & Abrahæ quasi ex ipsa natum, fuisse obtrusum: uel, etiamsi Sara eum genuerit, conceptũ tamen fuisse non de Abrahamo, sed de Abimelecho. Ad rejiciendum hasce suspiciones affirmat Saram secundum promissionem Dei diuinitus uisitatam concepisse, ac genuisse Isaacum, idq; non Abimelecho, sed Abrahæ iam seni.

Quando uisitauerit Dominus Saram.

Vigilantia Moysis.

QVAESTIO II.

Et fecit Abraham conuiuium magnum in die quo ablactatus est Isaac.] Mouet hic Augustinus quæstionem, quare Abraham nec die quo natus est ei filius, nec die quo circumcisus, sed die quo ablactatus est epulum fecerit: & putat hoc meritò quæri, nec ullam esse quæstionis huius solutionem, nisi ad spiritualem aliquam sententiam referatur. Cum bona pace uiri sancti, neq; necessaria est hæc quæstio, neq; sic est factum Abrahæ absurdum & arduum, ut nulla illius historica ratio cogitari possit, sed spiritualem duntaxat sensum inquirere oporteat. Sunt qui dicant noluisse Abrahamum conuiuium facere die natali Isaac, ne mores gentium imitaretur: deinde diem circumcisionis non fuisse ad eam rem commodum, propter dolores circumcisi ac sedulò curandi infantis: ideoq; commodius fuisse, ut conuiuium in diem ablactationis differretur. Meo iudicio, probabile est fuisse hunc morem regionibus illis in quibus peregrinabatur Abraham, ut die ablactationis conuiuia facerent, amicosq; & uicinos congratulationis gratia ad illa uocarent, & hanc consuetudinem, tanquam nec impiam, nec inhumanam noluisse Abrahamum cõtemnere, ne se gentibus illis, cum quibus commorabatur, odiosum redderet, causamq; offensaculi sine ulla necessitate obijceret.

Quare Abrahã conuiuium fecerit natiuitatis neque circumcisionis, sed ablactationis die.

OBSERVATIO I.

Et uisitauit Dominus Saram quemadmodum dixerat, & fecit Dominus Saræ sicuti loquutus fuerat.] Cum

primis obserua uisitãdi uerbũ Domino tributũ. Duo sunt præcipua uisitationis genera. Amicitiæ unũ, præposituræ alterũ. Visitat amicus amicũ, nihil agens aliud q̃ ut uel mutuo alloquio amicitiæ fructum capiat, uel miserè affectũ soletur. de quo uisitationis genere Dñs dicit Matth. 25. Infirmus fui, & uisitastis me. Visitat princeps populũ suũ, episcopus ecclesias sibi cõmissas, medicus ęgrotos, pastor ouiculas suas. Hoc genus uisitationis curæ est & præfecturæ, ad hoc faciens, ut si quid aliquo pacto laboratæ deficit, curetur & conseruetur. Posterior uisitatio Deo cõpetit generaliter. Illius enim & cura & uisitatione sic opus habent omnia, ut sine illa consistere nequeant. Prior uerò specialis est, quã prædicat & cum admiratione extollit propheta, dicens: Dñe quid est homo quòd memor es eius? et filius hominis, quòd uisitas eum? Specialem hanc uoco, quòd specialiter à Deo sic inuisuntur homines, ut declaret sin gularis quædam dilectio Dei erga genus humanum, quam Apostolus conuenientissima uoce, philanthropiam nominat. Adhuc specialior uisitatio est, qua electi præ reliquis hominibus à Deo uisitantur, cuius non hic tantum, sed passim etiã alijs scripturæ locis exempla proponũtur. Quoties de uisitatione Dei admonemur, quod uel nos uel alios homines uisitauerit, cogitemus semper cum propheta, dicamusq; ex animo: Domine, quid est homo quòd memor es eius, & filius hominis quòd uisitas eum?

Visitatio Dei otiosa non est.

Deinde obserua, quod non simpliciter dicit, Et uisitauit Dñs Sarã: sed addit, Et fecit Dñs Saræ. Non est otiosa diuina uisitatio. Visitat nos ut faciat, hoc est, ut opus suũ in nobis perficiat. Visitauit Sarã, ut fieret pręgnans. Non solũ uisitatio, sed & imprægnatio Saræ, opus erat Dei. Opus Dei est quæcũq; & cuiuscũq; mulieris non minus q̃ Saræ impręgnatio: uerùm in Sarah impręgnata magis erat conspicuũ diuinæ operationis argumentũ, propter naturæ impossibilitatẽ, & operis insolentiã. unde Apost. Ro. 9. Isaacũ hoc nomine à reliquis Abrahæ secundũ carnẽ filijs separat, q̃ promissionis uerius q̃ carnis filius semen illud fuerit, ad quod ueri Abrahæ filij, ad numerũ electorũ & filiorũ Dei pertinentes referant. Sed hac de re suprà quoq; dictũ est ca. 18. ibi, Reuertẽs reuertar ad te, & ca. 17. parte 3. obseruatione 5.

Quod uerbi Dei secundò meminit.

Tertiò, & illud considerandũ est, quòd secundò uerbi Dei meminit, dicens, Quemadmodũ dixerat: item, Sicuti loquutus fuerat. Duo prædicant de Deo. Vnũ, quòd prædixerit Abrahę quæ facturus esset ac præstiturus. uocat hoc Paulus uerbũ promissionis. Alterũ, q̃ fecerit & impleuerit ea quæ promiserat. In uerbo promissionis animaduertendũ est cõsilium Dei, quo non solum benefacere uolebat, ut fidelis,

De uerbo promissionis.

sed & priusquã tempus adesset faciendi, quæ facturus erat prædicere ac promittere uoluit. Abrahæ à se penderet, & per fidem quæ futura erant expectaret, illisq; fide prius quàm reipsa potiretur. Vius hic oraculorũ Dei magnus ac præclarus est. Quoniam non statim exhibenda sunt quæ electis suis destinauit Deus, ne interea temporis rerum omnium & gratiæ cœlestis ignari sine ulla fide ac spe quasi in tenebris quibusdã degamus, præmisit promissiones rerũ futurarum, quarũ certitudine ac fide per spem ac patientiam consolationem habeamus, donec tempus adueniat, quo promissis reipsa fruamur.

De ueritate uerbi Dei.

In eo uerò quòd promissa pręstitit, & adimpleuit, admonemur de ueritate uerbi Dei. fidelis est Deus & uerax, ut quæ promittit uerbo, impleat etiã opere. Veritatis huius certitudo tanta est, ut citius ruitura sit omnis illa cœli terræq; machina, quàm uel minutissima aliqua promissorũ Dei portio in uentum abitura. Et hęc promissionũ Dei ueritas firmissimũ est fidei nostrę fundamentũ: quo nixi sunt perpetuò omnes electi ac fideles. Sic de Abrahamo prædicat Apostolus Rom. 4. dicẽs: In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriã Deo, ac plenissimè sciens quòd quæcunq; promisit Deus, potens sit & facere. Et de Sarah ca. 11. ad Ebræos, quòd fidelẽ crediderit esse eũ q̃ promiserat.

OBSERVATIO II.

Præcedentia iungenda sunt sequentibus.

Concepitq; & peperit Sarah filium Abrahæ in senectute eius, stato tempore, quo dixerat illi Deus.] Vt diligentia sacræ scripturæ reluceat, qua cauet, ne qua errorũ causa in uerbis relinquat, coniungenda sunt præcedentia sequentibus: cauendumq; ne uel illa uel ista separatim inspicientes de opere hoc Dei iudicemus. Præcedentia, quicquid hic factũ est cum Sarah, diuinæ uisitationis uirtuti & operationi, ueritatiq; uerbi Dei tribuunt, cum dicitur: Visitauit Dñs Saram, sicuti dixerat, & fecit Dñs Saræ quemadmodũ loquutus fuerat: sic ut Apostolus hoc respectu Isaacũ nobis nõ ut filiũ carnis Abrahæ, sed ut filiũ promissionis, ideoq; & Dei, proponat. Sequentia uerò carnalem nobis natiuitatẽ Isaac sic describunt, ut ne gari nequeat, esse eum uerè de Abrahamo in utero Saræ cõceptum, uereq; ex Sarah natũ secundum communẽ modũ, quo filij carnis nostræ concipiunt & nascunt, uno hoc dempto, quòd id est factum tempore senectutis utriusq;, quo uires naturæ impares erant in Sarah & inefficaces ad concipiendũ, generandum & lactandũ. unde & Moses particulã hanc diligenter expressit, quòd natus sit Isaac in senectute parentũ. Si præcedẽtia tm̃ inspexeris, carnalẽ conceptionẽ & natiuitatẽ Isaac negabis: si secundũ sequentia dũtaxat pronũciare uolueris, peccabis in uirtutẽ singularis & miraculosæ operationis Dei, errabisq; à scopo electionis gratuitæ, secundũ quã electi filij Dei censent. Quare consultissimè factũ est, ut sic cõmoreret opus electionis ac promissionis Dei, ut generatio carnis non excludatur: rursus sic ista ponantur, ut tamen operi Dei primæ partes non adimantur. hoc est, sic Isaac censeatur filius promissionis, ut nihilo secius uerus & germanus agnoscat esse filius Abrahæ ac Saræ. Secundũ hoc exemplũ iudicandum etiã

Ioan. 1.

est de uniuerso reliquo semine Abrahæ. Illud igit quod Ioan. 1. legimus, Dedit eis potestatẽ, ut filij Dei fiant, qui credũt in nomen eius, qui nõ ex sanguinib. neq; ex uolũtate carnis, neq; ex uolũtate uiri, sed ex Deo nati sunt, non est sic intelligendũ q̃ neganda sit in filijs Dei generatio carnis, sed q̃ non sint secundum illam censendi filij Dei, hoc est, quòd illa non procreet filios Dei, sed cœlesti opus sit generatione ad hoc, ut filij Dei fiant, qui aliàs cum reliquis Adæ filijs, & ipsi sunt filij carnis.

Deinde

Deinde nec illud prætereundũ est, quod addit, statо tempore, quo duxerat illi Deus. Ergo promissiones Dei omniũ liberrimæ, hæc tria in se continent, ut promittat nobis Deus gratuitò, quicquid ipsi secundũ propositũ gratiæ ipsius uidetur, deinde modũ quoq; implendi promissa, tertiò & tempus suo ipsius arbitratui reseruet. Admonemur, ubi per uerbum Dei de promissis illius constat, ne de modis & tempore adimpletionis eorum solliciti simus: sed perpetuò cogitemus, æquissimũ esse, ut promittentis uoluntati relinquamus integrũ, quomodo & quando promissa præstare uelit. Incredibile est, quàm sit hæc admonitio necessaria fidelibus.

Promissiones Dei tria in se cõtinent.

OBSERVATIO III.

Et uocauit Abrahã nomen filij sui, qui natus est ipsi, quem genuit ipsi Sarah, Izaack, & circumcidit Abraham Izaak filium suum octo dies natum, sicut præceperat ipsi Deus.] Quæ notanda sint de utraq; tam circũcisione q̃ nominis impositione, deniq; de obedientia Abrahæ, qua cuncta hæc ad uerbi Dei præscriptum gessit, uide suprà cap. 17. In præsenti uerò cogitandum de eo est, q̃ sint hæc duo cõuenienter coniuncta, nominis uidelicet impositio, et fœderis symbolum, circumcisio. Multũ refert cui demus nomen, mundo ne uel Deo, primæne, quę carnalis: uel secundæ, quæ cœlestis est, generationi. Illi nanq; oẽm nostram uitam accõmodare decet, cui nomen dedimus: In symbolis initialibus circũcisione uidelicet & baptismate qui initiantur nomina sua accipiunt infantes, dant adulti, ut per omnẽ uitã suã ex ipsis nominibus admoneantur, quo sint initiati, ad quẽ pertineant, cui nomen dederint, in quẽ sint catalogum ascripti & accensiti. Quare admodũ conueniens est rei quæ agit, ut nomen solenniter imponat infanti non statim ubi natus est ex carne, sed tum demũ quãdo regenerationis est symbolo in fœdus Dei assumendus & initiandus. Solemus hanc ob causam, quod latini uocant nomen propriũ, uocare tauffnammen. Respondeat igitur uita nostra symbolo & professioni, in quam sumus uel nominis nostri testimonio initiati, ut sit conuersatio nostra nõ carnalis & terrena, sed spiritualis & cœlestis. Turpissima discrepantia ac prævaricatio est, si initiatorũ uita addicat carni, mundo, & Satanæ, & nuda nominis professio relinquatur Deo. Quis ferat eam mulierem quæ cum agnomine marito suo accenseatur, uitam & corpus suum addicat adultero? Quis non meritò execretur eum, qui nomine & symbolo Christianus, cæterùm fide & religione faciat cum Iudæis uel Turcis, uel aliàs ethnicis? Quid quæso facimus aliud, quando nomine & symbolis Christiani uniuersum uitæ nostræ studium consecramus carni, mundo & Satanæ?

Quod nominis impositio, et circumcisio iungun tur.

OBSERVATIO IIII.

Et Abraham natus erat annos centum cum nasceretur ipsi Isaac filius eius.] Cogitemus hic de ratione, ob quã Moses annũ ætatis Abrahæ, quo natus ipsi est Isaac, magis q̃ annũ ętatis Sarę, quo Isaacũ peperit, assignare uoluit, cum tũ miraculosi partus huius uis nõ in eo sit, quòd Abrahę centenario natus est filius, qui postea cũ multo adhuc esset senior, ex Kethura sex filios sustulit: sed magis in eo quòd Sarah nonagenaria, per omnem uiridem ætatẽ sterilis postquã cõsenuisset, muliebriaq; pati desijsset, pręter uires & consuetudinẽ naturæ concepit & peperit: atq; ita ad celebrationem operationis diuinæ plus momenti habiturũ fuisse uideat, si Saræ ætatẽ quàm Abrahę cõmemorasset. Sentiendũ est, uoluisse Mosen rationem habere diuinæ ueritatis in seruandis promissis declaratæ, quibus suprà cap. 17. & 18. nõ modò par tus iste, sed & tempus eius expressum fuit, quòd in annũ Abrahæ centenariũ incidebat. Cum enim dixisset ad illũ esset, Tempore isto in anno altero pariet tibi Sara filiũ, annorũ erat nonagintanouẽ, ideoq; necesse erat ut secundũ promissionis huius ueritatẽ nasceret Isaac anno patris sui centesimo. Id ita factũ esse admonuit Moses, cũ dixit: Et Abrahã natus erat annos centũ, cum nasceretur ipsi filius eius Isaac. Deinde seruiendum erat consuetudini scripturæ, quæ patrũ magis q̃ matrũ ætates in huiusmodi præcipuis genealogijs assignat, rationemq; habet chronologiæ, cuius series per generationũ sequentiũ cursum inde ab Abrahamo ad possessionẽ usq; terræ promissæ, & cõsequenter ad ipsum Christũ deducenda erat. Quare prudẽter à Mose factum est, quod de ætate Abrahæ potius q̃ Saræ hoc loco cõmemorare uoluit. Quod uerò miraculũ partus huius concernit, de illo ex præcedentibus satis habetur argumenti, ubi Abrahã dixisse legit: Ergo ne cẽtenario nascet filius? Et Sarah nonagenaria pariet? ca. 17. Deinde & cap. 18. Desierant Sarę fieri muliebria: ut ea tacẽa quæ hic de uisitatione & operatione Dei commemorantur. Præterea diligenter considerandũ est hoc loco, q̃ graui tentationum mole pressa fuerit fides Abrahæ, eo potissimũ tempore, cum cõceptio promissi filij iuxta rationẽ termini prædicti præsto esset. Etenim accidit tum, ut nõ solũ peregrinationis molestijs subijceret, sed & Sarã uxorẽ suã, unde futura proles expectabat, ab Abimelecho rege uxoris loco ablatam amitteret. Credibile est uarias tum temporis fuisse sancto uiro cogitationes, quas illi caro dubitatrix suggesserit. uerùm diuinis consolationibus adiutus perstitit in fide promissionũ Dei, quarũ ubi tempestiuũ erat, tandem est ueritatẽ expertus. Admonemur hoc exemplo, non modò q̃ soleat Dominus sanctos suos grauibus exercere tentationibus, quæ longè aliud præferant, quàm habeat promissorum ipsius ueritas, sed & quomodo suos non deserat, sed per medias tentationum tenebras, tandem ad ueritatis lucem perducat.

Quare Moses annos ætatis Abrahæ assignauerit.

Tentata fides Abrahæ.

OBSERVATIO V.

Et dixit Sarah: Risum fecit mihi Deus, quisquis audierit ridebit me. Rursumq; ait: Quis narrabit Abrahæ? Lactat filios Sarah, quoniam peperi filiũ in senectute eius.] Obserua, quod nõ dicit, Rem mirã fecit mihi Deus, quisquis audierit, stupebit & mirabit: sed, Risum fecit mihi Deus, quisquis audierit, ridebit me. Considerandũ hic est de ingenio ac uanitate uulgi. Quæ mira sunt, & euidens habẽt diuinæ operationis argumentũ, pro ridiculo habet, ridens, ubi prædicanda est diuinæ uirtutis gloria. Nec mirũ est, quod ridiculus mun-

De ingenio ac uanitate uulgi.

lus mundus opera Dei ridet. Sciebat mores uulgi, mulier honestissima: ideoq; statim ubi peperisset, futurum hoc diuinabat ut rideret & fabula uulgi fieret. Sancti, quãuis non ignorent quàm sit mundus hic uanus & ridiculus, mallent tñ sic in medio illius cõuersari, ut à nemine riderent, nec uita ipsorũ fabula uulgi fieret. Simul & illud obserua, q̃ non dicit, Risum fecit Abrahæ Deus, & quisquis audierit ridebit eum: sed, Risum fecit mihi Deus, quisquis audierit, ridebit me. Non tam est ridiculũ iudicio seculi, si uir centenarius, quàm est si mulier nonagenaria certo experimento operi genituræ uacasse deprehẽdatur, quod tam est ridiculum, ut ipsi quoq; Saræ, auditis angeli uerbis, risum mouerit, suprà cap. 18.

Affectus animi coniugalis.

Rursumq; ait, Quis narrabit Abrahæ, lactat filios Sarah, quoniã peperi filium in senectute eius. Obserua hic coniugalis animi affectũ. Quamuis ridiculũ uidebat, quòd nonagenaria genituræ operã dedisset, haud tamen obliuiscitur gaudij, quod Abrahæ ac sibi propter acceptã diuinitus prolem sciebat esse commune: sed confestim curat & mandat, ut Abrahæ nuncietur, factã se esse puerperã aç lactatricẽ filiorum. Pulcherrimo exemplo admonemur, ne sic contristemur derisione hominũ uanorũ, ut gaudium ex operatione gratiæ Dei natũ in uentũ abire finamus. Deinde, ut gaudiũ nostrũ cupidè cõmunicemus illis qui fidei ac spei nostræ sunt participes. Qui nobiscũ cõmunicant sperando, dolendo, ferendo, optando & expectando, id quod Abrahæ contigit & Saræ, meritò cõmunicant nobiscũ etiã speratis, optatis, et expectatis cum gaudio fruendo. Multorum annorũ desiderijs, precibus, uotis, dolore ac suspirijs duo isti coniuges Abrahã & Sarah propter pertinacẽ sterilitatẽ pariter confecti fuerant: tandẽ darũ est, ut optato partu omnis pristina mœstitia desineret in gaudiũ. Quare conuenientissimum erat, ut cõmunis gaudij cõsortio utriq; pariformiter exhilararent. Præterea de eo q̃q; cogitandũ est, quod dicit: Lactat filios Sarah. Honestissimę ac pientissimę matronæ nõ erat satis peperisse, nisi etiã q̃d pepererat, suis ipsa uberibus lactaret: tanq̃ nõ duceret esse molestũ lactare suũ filiũ, ut gloriaret etiã de facultate lactandi: agnoscẽs in illa q̃q; d. operationis beneficentiã. Ad hoc exemplũ Saræ respiciant illi, qui fœtus suos alieno magis q̃ ,pprio lacti præter necessitatẽ alendos tradũt. Sed ea de re uide in cõmentarijs nostris super psalmũ 22. uersu 9.

Eiusdem est parere, & quod peperit lactare.

Beneficium lactationis.

OBSERVATIO VI.

Creuit puer & ablactatus est, & fecit Abraham conuiuium magnum in die quo ablactatus est Isaac.] Videntur modica in oculis eorum qui allegoriarum speculationib. sunt assueti, quæ hic à Mose cõmorantur, si ad literã considerentur. Quid enim magni est, inquiunt, q̃ puer creuit, & ablactatus est, & Abraham grande cõuiuium instruxit, cum ista sint cõmunia & uulgaria? Nam ubiq; terrarum crescunt pueri lactentes: & ubi nõnihil creuerunt, ablactantur. neq; adeò rarum est, quòd conuiuia gratulatoria parantur, ab alijs ubi ablactantur pueri, ab alijs quo die nascuntur. Verùm ne nobis quoq; ieiunus & inanis uideat hic locus, consideremus admirabilẽ illã diuinæ prouidentiæ dispositionem, qua recenti ac teneræ ætati cõueniens alimonia ex ipsis maternis uberibus paratur, nutrimentum uidelicet lactis, albi, mollis, suauis ac delicati, quo nutritus infans crescat, ac de die in diem uegetior fiat. Sic se diuina uirtus omnia conseruans infirmæ ac teneræ ætati attemperat, & mollibus alimentis mollia corpuscula nutrit ac prouehit, quandoquidẽ solidioris cibi capacia non sunt. Generalis quidem hęc est prouidentia Dei, uerùm nõ ideo cõtemnenda: sed in quocunq; singulariter proposita fuerit, diligentissimè & magna cũ gratiarum actione agnoscenda & deprædicanda. Perpetua est ista in Deo prudentia pariter & temperantia, qua non infantium modò, sed & quorumcunq; aliorum imbecillitati non extinguenda, sed confouendæ competenti subsidio succurrit. Qui creat omnia, conseruat etiam omnia. uirtus illa conseruatrix omnium potens quidem est, & generaliter uniuersa creata complectens: uerùm iuxtà etiã prouida est, discreta, & singulorum constitutioni attemperata. Prudentiæ ac discretionis huius exemplũ, in alendis infantibus usitatissimum, utinam imitemur omnes, ut consimili studio omnia nostra prudenter ac discretè dispensantes, imbecillibus nos pariter & firmioribus competenti uerborum, rerum, & operum temperamento accommodemus: ne dum tractamus imbecilles durius quàm ferre queant, fortes uerò mollius quam soliditas illorum exposcat, utrisq; incommodemus magis, quàm prosimus.

Perpetua diuinæ prouidentiæ discretio.

Prudentia & discretio ministrorum Christi.

Et huiusmodi prouida discretione opus illi potissimum habent, quibus Ecclesiæ Dei dispensatio cõcredita est. usus est illa Apostolus prudens & fidelis mysteriorum Dei dispensator. Sic enim 1. Cor. 3. scribit: Et ego, fratres, non potui uobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalib. Tanquã parunlis in Christo lac uobis potũ dedi, nõ escã. Nondũ eñ poteratis, sed ne nunc quidẽ potestis, adhuc eñ carnales estis. Et Ebr. 5. Cum deberetis, inqt, magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut doceamini quæ sint elementa exordij sermonũ Dei, & facti estis quibus lacte opus sit, nõ solido cibo. Quisquis eñ particeps est lactis, expers est sermonis iustitiæ. Hæc Apostolus. Isaac noster, filius electionis & promissionis, in domo Dei enutriendus, distincta habet incrementa, quib. ad uirilẽ ætatem prouehitur. uerbo Dei concipit, uerbo Dei nascit, uerbo Dei alitur, crescit ac uegetat. Verbum Dei genitura est et alimonia electorum. In Isaaco aliud est tẽpus lactationis, aliud ablactationis. Dum adhuc tener est et infans, alendus est lacte. ubi creuit, succedit tẽpus ablactationis, qua de lacte ad solidiorẽ cibũ prouehat. In uerbo Dei discreta est alimonia. Sunt in illo elementa & exordia ad instituendũ rudes ac teneros, nondũ exercitatos spiritualiũ rerũ sensus habentes: sunt postea solidiora dogmata, ijs qui ad tẽpus ablactationis crescendo peruenerũt cõpetenter proponẽda. Prudens Christi minister pabulũ Dñici gregis attemperanter & fideliter dispensabit, ne paruulis panem, adultis lac proponat. Non est præcipitanda ablactatio, sed spectanda sunt incrementa, quo utiliter ad solidiora transitus fieri possit.

Distincta incrementa noui hominis.

Quòd uerò Abrahã magnum cõuiuium in die ablactationis instruxit, documentum habet, ne esse alienum

alienum à ſanctis, honeſta & amica conuiuia nõ modò accedere, ſed & inſtruere, ſiue id pro more gentis, ſiue proprio inſtituto fiat. Aliena eſt à pijs auſtera illa, Stoica, & inhumana ſeueritas, qua cuncta humanitatis & honeſti gaudij officia damnantur. Moroſi, immo portentoſi homines ſunt, qui nec lætis ac proſperis rebus exhilarantur, nec triſtibus ad luctum mouentur. *Honeſta cõuiuia non eſſe aliena à ſanctis.*

Videmus etiã hic, quomodo afficiantur animi ſpiritualiũ parentũ, quando paruuli in Dño ad ubera diuini uerbi uſq; adeò creuerunt ac profecerunt, ut incrementa illorũ ablactationem & progreſſum ad ſolidiora requirant. Suauiſsimo ſpiritus gaudio afficiuntur paſtores Eccleſiæ Chriſti, ubi animaduertunt proſperè ceſsiſſe paruulorũ ſuorũ lactationem, ac iuſti incrementi manifeſta in illis ſpecimina deprehendunt. Deniq; ueluti congratulatorium conuiuium inſtruunt, dum adultioribus ac robuſtioribus in Eccleſia fidelibus paruulorum ſuorum profectus ad hoc deprædicant, ut uerbi Dei uirtutem agnoſcant, cœleſtem patrem in cœlis laudibus extollant, ac pro ablactandis uota faciant. *Gaudium paſtorum Eccleſiæ de incrementis fidelium.*

Cumq; uidiſſet Sarah filiũ Agar Aegyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Durè accepit hoc Abrahã pro filio ſuo. Cui dixit Deus: Non tibi uideatur aſperũ ſuper puero & ſuper ancilla tua. Omnia quæ dixerit tibi Sarah, audi uocem eius, quia in Iſaac uocabitur tibi ſemen. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia ſemen tuum eſt.

LECTIO.

Filium Agar Aegyptiæ.] In Hebræo additur, Quem peperit Abrahæ. Græcus habet, ὃν ἐγέννησε Ἀβραάμ, id eſt, qui fuit Abrahæ.

Ludentem cum Iſaac filio ſuo.] In Hebræo non eſt, Cũ Iſaac filio ſuo: ſed ſimpliciter unica uoce מְצַחֵק, id eſt, deridentem, quemadmodum & Chaldæus paraphraſtes uertit מְחַיַּיךְ.

Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.] Hebraicè ſic: Non enim erit hæres filius ancillæ הַזֹּאת, id eſt huius cum filio meo, עִם יִצְחָק, id eſt, cum Iſaac.

Durè accepit hoc Abraham pro filio ſuo.] In Ebræo eſt, וַיֵּרַע מְאֹד בְּעֵינֵי אַבְרָהָם עַל אֹדוֹת בְּנוֹ, id eſt, Et diſplicuit uerbũ hoc ualde in oculis Abrahæ propter filium ipſius. Græcus habet, περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, id eſt, de filio ipſius Iſmael.

In gentem magnam.] In Hebræo ſimpliciter eſt, לְגוֹי, id eſt, in gentem.

EXPLANATIO.

Exponit præſens hæc narratio cum ea quæ ſequitur, hiſtoriam eiectionis Iſmaelis. Eſt aũt illa quadrimembris. Primùm cõmemoratur qui fuerint illius authores, deinde quæ cauſæ. Atq; hæc duo præſenti iſto contextu docent. Tertiò factũ ipſum, quartò accidentia quædam in ſequentibus exponuntur.

Et uidit Sarah filiũ Hagar Aegyptiæ, quem peperit Abrahæ deridentem, &c.] Authores Abrahæ, ut Iſmaelẽ ac matrẽ illius eijceret, fuerũt Sarah ac Deus. De Sara primũ cõmemorat Moſes, deinde oraculũ Dei ſubijcit. Sarah hac de re cõuenit Abrahamũ, dicẽs: Eijce ancillã hãc & filiũ eius. Apparet iſta loquutã eſſe in præſentia Hagar. Neq; enim ſimpliciter dicit, Eijce ancillã & filiũ eius: ſed, Eijce ancillã hãc, & filiũ eius. Erãt in domo Abrahę & aliæ ancillæ cum filijs, habuit enim quãplurimos uernaculos, i. domiuos. Quare ne de alia quapiã intelligeret, loquuta eſt ἀφωρισμῶς de Hagar Aegyptia præſente, Eijce ancillam hanc & filium eius.

Cauſæ geminæ ſunt. Aliæ ſunt q̃bus mota eſt Sarah, aliæ quas corã Abrahamo prætexuit. Mota eſt primũ nequitia Iſmaelis, quem animaduertebat eſſe deriſorẽ, & præſumptionẽ ſpirare quaſi ad ipſum tanq; primogenitũ pertineret hæreditas, fortè à matre, ſicuti uerſimile eſt, ſic inſtitutũ. Zelo itaq; filij ſui affecta cœpit cogitare de eijcienda ancilla et illius filio, eaq; de re cõpellare maritũ. Illi prętexuit causam, q̃ ancillæ filius nõ eſſet futurus hęres cũ filio ſuo Iſaac. q. d. Nõ eſt q̃uũ, ut ferã domi meę æmulum filij mei, quem hoc iuſtius eijcies, quòd non eſt conſors hæreditatis cum filio meo. Noluit Dominus, ut illum haberemus hæredem: ideoq; germanum nobis dedit hæredem, cui meritò cedet ancillæ filius.

Diſplicuit uerbum hoc ualde in oculis Abrahæ propter filium ipſius.] Diligebat Abraham filium ſuum Iſmaelem tanquam primogenitum ſuum, & iam aliquouſq; adultum, deniq; & promiſsionem multiplicationis habentem. Quare fieri non potuit, quin uerbũ Saræ de eijciendo illo admodum moleſtè ferret. De ancilla non ita curabat, quam iam olim in poteſtatem Saræ reſtituerat, ut rectè Moſes non dicat, Propter ancillã: ſed, Propter filiũ ipſius.

Et dixit Deus ad Abraham: Ne diſpliceat tibi ſuper puero & ſuper ancilla tua. Omne quod ad te dixit Sarah, audi uocem eius, quoniã in Iſaac uocabitur tibi ſemen.] Apparet paroxyſmũ hunc inter Abrahamũ & Sarã nõ unius duntaxat fuiſſe diei, ſed illã frequẽtius inſtetiſſe, ut ancillã & filiũ eius eijceret: hunc uerò nolu iſſe uerbis illius acquieſcere, tanq; in re quæ ipſi uehementer diſpliceret. Interea pergebat ancilla inſole ſcendo, & filius eius partũ uetulæ irridendo. Quare ut litem hanc dirimeret Dñs, authoritatẽ ſuã pro Sarah interpoſuit, ac ſtudiũ illius cõfirmauit. Primũ aũt iubet Abrahæ, ut rancorẽ cordis remittat, ac zelũ pro filio ſuo Iſmaele conceptũ ponat. Deinde ut uocẽ Saræ audiat in omni eo q̃d illa dixerat. Ratio nẽ huius ſubiũgit, dicẽs: Qm̃ in Iſaac uocabit tibi ſemen. Semen Abrahæ erat & Iſmael, & futura quoq;

erat ex illo posteritas: uerùm legitima & hæreditaria posteritas Abrahæ, quæ nomine ipsius censeretur, non erat ex Ismaele, sed ex Isaaco futura: ut idem sit quod Dominus hic dicit cum eo quod Sarah dixerat, quòd non esset Ismael futurus hæres cum Isaaco. Sic Dominus & propositum & rationem Sarę confirmauit, Ismaelem authoritate sua à nomine & hæreditate Abrahæ alienum esse pronunciauit, & paroxysmum inter Abraham & Saram propter ancillæ filium exortum interuentu suo sustulit.

Sed & filium ancillæ faciam in gentem, quia semen tuum est.] Simul confirmat ea quæ de Ismaele supra cap. 16. & 17. promiserat, & curas Abrahę, quibus propter illum afficiebatur, mitigat & mollit, quo facilius eum domo sua excludat. Sed & filium ancillę faciam in gentem, inquit, quia semen tuum est. Q. d. Non est quòd anxius cogites: Ergo Ismael, semen meum, abijcitur, deseritur, & perit, quia filius ancillæ est. Et ipsum, quamuis ancillæ filium, non deseram, sed benedicam, & quemadmodum promisi, in gentem magnam faciam, tam abest ut sit periturus: & hoc faciam propter te, quia semen tuum est. Quare pone has curas, & uerbis Saræ acquiesce.

QVAESTIO I.

Quare uerbum Saræ displicuerit Abrahæ.

Displicuit uerbum hoc admodum in oculis Abrahæ propter filiũ ipsius.] Mouet Augustinus hoc loco quæstionem, quare displicuerit uerbum hoc Abrahæ, cum esset in illo prophetia, quam ipse melius debuerit intelligere quàm Sarah. Et respondet, uel dixisse Saram hoc ex reuelatione, quod illi prius fuerit reuelatum, Abrahamum uerò paterno fuisse affectu propter filium commotum, ac postea demum à Domino instructum: uel ambos prius nescisse, quid nam illud esset: & per Saram nescientem hoc prophetice dictum esse, cum illa mota esset muliebri animo propter ancillæ superbiam. Hæc Augustinus. Meo iudicio posterior sententia uerosimilior est. Nec Sarah nec Arraham discrimen hoc quod erat inter Ismaelem & Isaacum diuinitus constitutum satis intellexerunt: sed Sarah muliebri quodam zelo aduersum ancillæ arrogantiam, & Ismaelis malè instituti nequitiam pro filio suo Isaac impotentius ferebatur, & Abraham erga Ismaelem primogenitum suum impensius afficiebatur. Dominus uerò uoluntatem Saræ approbauit, quòd esset diuinæ constitutioni conformis.

QVAESTIO II.

Quomodo æquũ fuerit, quod Abrahã iussus est audire uocẽ Saræ

Omne quod ad te dixit Sarah, audi uocem eius.] Qui cum uulgata uersione legunt: Omnia quæ dixerit tibi Sarah, audi uocem eius, locum dant quæstioni, qua quæratur quomodo conuenerit hoc legi coniugij, quod Abraham iubetur audire uocem Sarę, in omnibus quæ illa dixerit, cum potius decuerit Saram audire uocem heri sui Abrahæ, illiq; sese in omnibus accommodare. Quid enim magis contrarium est legi matrimonij, quàm si uir uolũtati uxoris in omnibus quæ illa dixerit subijciatur? Verùm quæstionis huius nodus, quemadmodum ex incircumspecta uersione natus est, ita competenti uersione facillimè soluitur, utpote si non legamus, Omne quod dixerit: sed, Omne quod dixit ad te Sarah, audi uocem eius. Loquitur enim Dominus, non in uniuersum de omni œconomia, quam Abrahæ saluam relinquit: neq; subijcit Abrahamum uoluntati uxoris generaliter in omnibus, sed iubet ut uocẽ eius in eo audiat, quod de ancilla cum filio eijcienda, & hæreditate Isaaco filio suo reseruanda dixerat. Quare incommodè uersum est, Omnia quæ dixerit tibi Sarah, audi uocem eius: sed legendum est, in præterito, Quæ dixit tibi Sarah. quo possit intelligi de eò quod illa dixerat: Eijce ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ, cum filio meo Isaac, & non de reliquis omnibus, quæ postea dictura erat.

QVAESTIO III.

Quid necesse fuerit eijcere Ismaelem.

Quia in Isaac uocabitur tibi semen.] Quæri poterit hoc loco, quid necesse fuerit Ismaelem, etsi non futurum hæredem cum Isaaco, filium tamen ac semen Abrahæ propterea eijcere cum matre ancilla, quòd posteritas non in ipso, sed in Isaaco accensenda erat Abrahę. Poterat enim Hagar cum Ismaele in domo Abrahę saluo iure Isaac retineri, quemadmodum in aulis principum ethnicorum fieri consueuit, ubi filij concubinarum propterea non abijciũtur, quod hæreditas regni primogenito ex libera legitimè nato reseruatur. Quare non satis firma uidetur ista fuisse consequentia. Audi uocem Saræ, & eijce ancillã & filiũ eius, quia nõ erit filius ancillę hæres cũ filio liberę, nec semẽ tibi uocabit in Ismaele, sed in Isaaco.

Respondeo: Primùm, consulendum erat paci domesticę, quæ per insolentiam ancillæ ac filij eius turbabatur. Satius enim erat ut cederet ancilla cum suo filio, quàm ut Sarah domina domus irremissa arrogãtia cùm matris tum filij diuexaretur, ac Abraham quoq; quotidianis rixis perturbaretur. Deinde quoniam animus Abrahæ impensius erat Ismaeli addictus, ideoq; minus curabat opus illud diuinæ promissionis quod præstitum erat in Isaaco, consultius erat, ut reiecto Ismaele, intenderet in ea quæ futura erant in Isaaco, quàm ut retento illo, ista negligeret.

Tertiò, noluit Dominus, ut duo isti filij Abrahæ, carnis unus, promissionis alter, in una eademq; domo & Ecclesia conuiuerent, & coadolescerent, sed inscrutabili suo consilio uoluit ut posteros illorum, mo & Ecclesia conuiuerent, & coadolescerent, sed inscrutabili suo consilio uoluit ut posteros illorum, ita & ipsos esse à seinuicem separatos. Ea uerò separatio commodius fieri poterat, priusquàm ad uirilẽ ætatem peruenissent quàm postea. Et hæ sunt, meo iudicio, uerę causæ, quare iusserit Dominus Abrahę, ut ad uocem Saræ sese accommodaret, & ancillam cum filio reijceret. Quod autem adiectum est, Quia non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac: item, Quoniam in Isaac uocabitur ibi semen: non sic adiectum esse uidetur, quòd ex eo irrefragabili consequentia necessariò sequeretur, eijciendam esse ancillam cum filio, sed ut cogitationi Abrahæ occurreretur, cui durum uidebatur filium, & hæredem suũ, ac spẽ futuræ posteritatis unà cũ matre quasi alienũ & inutilem surculum de domo sua amputare, & pro-

& prorsus abijcere. Huiusmodi cogitationibus obijciebantur ista, Non erit ancillæ filius hæres cum filio meo Isaac: Et, In Isaac, non in Ismale uocabitur tibi semen, quo intelligeret Abraham, & hæreditatem & nominis posteritatem deputatam esse non Ismaeli, sed Isaaco: ideoq; non esse cogitãdum, abijci hæredem, & spem posteritatis, si Ismael domo cum matre eijceretur, quo pax & tranquillitas domestica retineretur, & maior in posterum Isaaci cura haberetur. Quare habent hæc non causam electionis, sed solutionem eorum quæ animum Abrahæ, ne Saræ obsequeretur, aliquandiu detinebant ac remorabantur.

OBSERVATIO I.

Et uidit Sarah filium Hagar Aegyptiæ, quẽ peperit Abrahæ, deridentẽ, & dixit ad Abraham: Eijce ancillã hanc & filium eius, quoniam non erit hæres filius ancillæ huius, cum filio meo cum Isaac.] Principiò, in Hagar & Ismaele filio eius quem Moses derisorem fuisse dicit, obserua ingenium carnis, quæ hoc peculiare habet, ut sit arrogans, seipsam plurimi faciat, originis suæ humilitatem & seruilem conditionẽ non agnoscat, sublimia appetat, diuinas operationes derideat, & generationem filiorum Dei præ se contemnat, ac si queat, persequatur etiam: & sicut Cain fecit, occidat. Huiusmodi spiritus erat in Hagar ancilla & filio illius, filio non promissionis, sed carnis. Ex hoc fonte est, quod Apostolus ad Galatas quarto ex Sara & Hagar ancilla cum filijs illarum duo testamẽta, id est duorum testamentorũ typos facit, dicens: Scriptum est habuisse Abrahamũ duos filios, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, secũdum promissionem, quæ sunt per allegoriã dicta. Hæc enim sunt duo testamenta: Vnũ quidem in monte Sina, in seruitutem generãs, quæ est Hagar, &c. Nos aũt fratres secundum Isaac promissionis filij sumus. Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebaẽ eum qui secundum spiritum, ita & nunc. Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam, & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberç. Itaq; fratres, nõ sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberauit. Hæc Apostolus, quibus pulchrè imaginẽ hanc filiorũ carnis in Hagar & Ismaele considerandã proponit. Seruiebat hoc fidelib. illorũ temporũ, præsertim Israelitis, qui à fratrib. suis secundũ carnẽ, carnalib. Abrahæ filijs ex lege nõ ex gratia natis, deridebantur, & persequutione infensissima profligabanẽ. Et nostro seculo plurimũ prodest electis, ut secundum imaginẽ istam cognoscant qui sint illi à quibus propter gratiam promissionis cui inhærẽt, contemnuntur, irridenẽ, probris lacerantur, bonis suis spoliantur, persequutionibus grauissimis exagitanẽ, & crudelissimè necantur. Ancillæ filij sunt, non liberæ: semen carnis, non promissionis, quãtumuis de uera & antiqua Christi religione, catholicaq; & Apostolica Ecclesia glorientur.

Ingenium carnis in Hagar et Ismaele.

Sed dicunt persequutores illi fidelium, An nõ Sarah iussit ut ancilla & filius eius derisor eijcerenẽ & excommunicarentur? Quare ergo non conueniret Ecclesiç, ut degeneres filios, à quibus contemnitur & deridetur, eijciat & excommunicet? Respondemus, non esse nouum quòd generatio carnis tuitum sibi uindicat Ecclesiæ, & sub illo tyrannidem in filios promissionis exercet, quemadmodum in populo Israelis & ante & post Christi tempora factum est. Verùm iudex in cœlo est, qui tandem hœdos separabit ab agnis. Quanquã satis manifestus est carnalis huius Ecclesiæ spiritus, non solum damnans uerbi Dei doctrinam, sed & crudelissimè mactans eos, qui illi nomen uel in speciem dedisse uidentur. Si uiri uolunt exemplo Saræ, quare non sunt eiectione & excommunicatione contenti, sed ad sanguinem usq; sæuiunt, & horrendis cruciatibus immannem crudelitatem exercent? Sarah non dixit, Macta & occide ancillam cum filio ipsius: sed, Eijce. Potest uox esse liberæ ecclesiæ ad Christum, Domine, eijce ancillam cum filijs suis. Non enim hæredes erunt filij ancillæ cum filijs meis quos tu mihi dedisti. Verũm, mactare & occidere, gladio, igne, laqueo, & alijs mortis generibus sauitiem exercere, uel ad Christianos principes dicere, Trucidate & comburite quos nos excommunicamus & eijcimus: uox ista nõ est liberæ Ecclesiæ, sed seruilis & carnalis: nec fertur spiritu eius qui dixit, Nescitis cuius spiritus sitis. Filius hominis nõ uenit perdere animas, sed seruare, Luc. 9. Sed redeamus ad historicas considerationes.

Obiectũ põtificiorum.

Secundo loco considerandum & illud est, quòd Sarah filium ancillæ derisorem esse uidit. Et uidit, inquit, Sarah filium Hagar, &c. deridentem. Quid erat in causa, quòd hoc in filio suo non uidit Abraham, uidit uerò Sarah? possunt hic duo cogitari. Vnum in Sarah, alterum in Abrahamo. In Sarah, quòd illa iam inde à tempore concepti Ismaelis animo ergo ancillam Hagar superbientem & insolescentem cœperat esse non beneuolo, sed exulcerato, ideoq; & curiosius omnia illius ac filij eius dicta, facta, & studia obseruauit quàm Abraham. In Abrahamo, quòd is impensius Ismaelem, tanquam filium suum dilexit, quàm ut ingenium eius de nequitia aliqua suspectum habere posset. Sic enim solent qui uehementius diligunt, quibus hoc ferè omnibus usuuenit, ut ad uitia eorum quos diligunt, nec oculos uidendi, nec aures audiendi, neque cor habeant intelligendi. De diuerso hoc utriusq; affectu & studio satis testimonij peti potest ex præcedentibus, & præsenti quoq; hac historia. Quare mirũm uideri non debet, quòd Sarah in Ismaele obseruauit & uidit, esse eum derisorem, Abraham uerò non uidit. Videmus hoc exemplo, unde fit quòd quidam tam sunt uehementer oculati ad uidendũ in proximis quæ ab alijs æquè uicinis & coniunctis non uidentur: & quàm contrà cæcus sit filiorum amor, etiam in bonis, nonnunquam & pijs parentibus.

Quare Sarah et non Abrahã uiderit Ismaelem esse derisorem.

Tertiò. Et dixit ad Abraham: Eijce ancillã hanc & filium eius. Obserua, q̃d nõ dicit Moses, Et eiecit ancillam & filium eius: sed, Et dixit ad Abraham, Eijce ancillã hanc, & filiũ eius. Noluit mariti & heri sui potestati quicquam derogare. Nõ ad ipsam, sed ad illum pertinebat potestas eijciendi. Non conue-

Sarah nõ eiecit ancillam et filiũ eius suapte potestate.

niebat igitur,ut ſuopte arbitratu quenquã domo Abrahæ excluderet. Vtinam Chriſto Seruatori Dño domus ſuæ, quæ eſt eccleſia,hanc ſaltem poteſtatem ſaluam & integrã relinquerent,qui prætextu poteſtatis Eccleſiaſticæ eijciũt & excommunicant quos ipſe non eiecit: neq; pro eiectis habiturus eſt, ubi ad iudicandũ redierit. Poteſtatem hanc, inquiunt, dedit Eccleſiæ ſuæ.Deinde Eccleſia nõ eijcit niſi eos qui ad ſe non pertinent, ideoq; & alieni ſunt à Chriſto. Reſpondeo: Diſtingue inter eccleſiam Chriſti & curiam Romanam, quæ non petit ouem præter lanam. Excõmunicationis poteſtatem dedit Chriſtus eccleſiæ,non curiæ Romanæ: & dedit ſuæ ac ueræ eccleſiæ,non eccleſiæ malignantiũ. Vera Chriſti eccleſia non eijcit ad Chriſtum pertinentes,non eijcit quenquã ſine ſententia Chriſti. Et Saræ dictũ erat ab Abrahamo: Ecce ancilla in manu tua eſt, fac illi quod bonum eſt in oculis tuis. Neq; ſic tamen poteſtate ac ſuopte arbitratu uti uoluit,ſed cauſam hanc ad maritũ & herum ſuum detulit. Ergo uera Chriſti eccleſia non eſt, quæ eijcit temerè quos Chriſtus ſententia ſua nunquam eiecit.

Non dicit, Corrige ancillam & filium eius.

Quartò conſiderandum & hoc eſt, quòd non dicit, Corrige ancillam hanc & filium eius: ſed,Eijce. Duo erant in cauſa. Vnum, quòd ſpes emendationis non erat, præſertim in matre. Alterum,quòd zeli & æmulationis hæc eſt quaſi perpetua quædam natura,ut non emendationem, ſed eiectionem quærat eorum aduerſum quos contendit. Erat in Sarah gemina æmulatio. Vna,aduerſus ancillam,propter herum ſuum Abrahamum: altera contra filium ancillæ, propter ſuum filium Iſaacum. Vtranq; hanc æmulationem inſolentia ancillæ ac filij eius exaſperauerat. Quare non emendationem, ſed eiectionem utriuſq; urgebat.

Quare nõ Iſmaelẽ tantum, ſed & matrem eius eijci uoluerit Sara.

Quintò, neq; illud prætereundum eſt, quòd non Iſmaelem tantum,ſed & ancillam matrem eius eijci uoluit, cum tamen nõ memoretur cauſa offenſionis alia, q̃ quòd Iſmaelem deriſorem eſſe uidiſſet. Innuitur ergo matrem fuiſſe in culpa quòd filium ſuũ ſpe potiundæ hæreditatis quòd ſenes eſſent Abraham & Sarah,nec putaret fore ut aliũ quem piam filium acquirerent: deinde & prætextu diuinæ promiſſionis,quã ex ore angeli audierat,arrogãtem & deriſorem effecerat. Admonemur, ne prærogatiuã donorum Dei in occaſionem arrogantiæ rapiamus. Conceperat Hagar ancilla ex ipſo patriarcha hero ſuo Abrahamo, idq; ſic inſtituente Sarah, ut uel ex ancilla ædificaretur. Acceperat de puero ſuo præclaras promiſsiones Dei,erat Iſmael primogenitus Abrahæ,& unigenitus quoq; uſq; ad natum Iſaac. Videbat illum charum eſſe patri. Erant iſta admodum præclara. Verùm nihil profuerunt arroganti, & humilitatis ſuæ oblitæ.

Sarah ancillam non clanculum, ſed palàm corã Abrahamo accuſat.

Sextò. De eo quoq; cogitandum eſt, quòd eiectionem ancillæ coram Abrahamo nõ clanculũ citra illius conſcientiã occultis delationibus molitur,ſed palàm accuſat preſentem,dicens:Eijce ancillã hanc, & filium eius. Candor iſte decet honeſtos ac ſynceros homines. Aliter animata erat uxor Putipharis, quæ Ioſephum non præſentem, ſed abſentem coram marito ſuo accuſauit, infrà cap. 39.

Et ſancti affectibus ſuis indulgẽt

Septimò, obſerua etiam quomodo loquatur. Non dicit, Eijce Hagar hanc concubinam tuam: ſed, Eijce ancillam hanc. nec dicit,Et Iſmaelem filium tuum: ſed, Et filium eius. Dedignatur eos ſuis uocare nominibus, ſed appellat illam ancillam, per tapinoſim: & hunc,filium ancillæ. Vides etiam in ſanctis fieri poſſe, ut affectibus indulgeant? Interea tamen non erat iniquum, ut audiret Hagar coràm, quænam ipſa, & quis filius ipſius eſſet: quandoquidem oblita erat quòd ſerua eſſet, & filius ipſius nõ liberæ, ſed ancillæ filius nullo iure ad hæreditatem adſpiraret.

Prudentia Saræ.

Octauò, quoniam,inquit, non erit hæres filius ancillæ huius cum filio meo,cum Iſaac. Vide prudentiam mulieris. Non dicit, Eſt eñ irriſor. Iactat primogenituram,& me cum filio meo contemnit.Etenim querimonia iſta muliebris uiſa fuiſſet. Quamuis animum ipſius iſta Iſmaelis nequitia morderet,tacet tamen de illa, & rem ſeriam proponit, nempe non conuenire ut filius ancillæ hæres ex æquo fiat cũ filio liberæ,nedum ut reiecto filio liberæ uniuerſam ſibi uindicet hæreditatem,quem animum ancillam cum filio ſuo ſpirare uidebat. Hæreditatem uidelicet filio ſuo ſaluam eſſe uolebat, quandoquidem ſenes erant ambo ipſa & Abraham, ideoq; hoc molitur, ut iecta ancilla cum filio ſuo uiuentibus adhuc utriſq; occaſio illis hæreditatem poſt mortem ipſorum inuadendi amputaretur. Cura hęc grauis erat, & digna quam Abraham ipſe plurimi faceret. Videmus igitur hoc loco non eſſe alienum à ſanctis, ut

Non eſſe alienũ à ſanctis, ut rationem habeant hæreditatis filiorum ſuorum.

rationem habeant hæreditatis filijs ſuis relinquendæ, ne illa in manus ueniat alienorum, & germanis liberis adimatur.

Myſterium loci huius Gal.4.

Simul cogitandũ eſt de myſterio loci huius, q̃d Apoſtolus Gal.4. attigit. Filij ancillæ, ſunt filij legis, ſpiritũ habentes ſeruitutis,ac literæ legis ſeruiliter addictũ.Qui huiuſmodi ſunt, niſi regenerentur,hæredes promiſsionũ Dei cũ filijs liberę,id eſt gratię,eſſe nõ poterũt.Quare diſertè dixit Chriſtus ad Nicodemũ, Niſi quis regeneratus fuerit de ſupernis,regnũ Dei uidere nõ poterit. Et propter hanc regenerationem,quę eſt per ſpiritũ Chriſti, dicit Apoſtolus,eſſe nos tanq; uerè Chriſtianos,nõ ancillę, ſed liberæ filios,per Chriſtũ in libertatẽ aſſertos. Si filij autem ſumus, utiq; & hæredes.

OBSERVATIO II.

Diſſplicuit uerbũ hoc ualde in oculis Abrahæ, propter filiũ ipſius.] Ergo q̃d placebat Saræ, diſplicebat Abrahæ, idq; uehemẽter. Vides hoc exemplo etiã inter ſanctiſsimos coniuges nonnunq; oriri diſcordiã, quorũ tamẽ eſt in omnib. idem uelle,& idem nolle,ne ſancta turbeẽ amicitia. Non eſt igitur ſperandũ, quantumuis ſit optabile, ut perpetua ſit & continua coniugum, amicorum, & fratrum concordia.

Diſcordiam non nunq; etiã inter ſanctiſsimos coniuges oriri.

Diſcordia cõiugũ ppter filios etiam in ſanctis locum habet.

Deinde,quare diſplicuit uerbũ hoc Abrahę? Propter filiũ ipſius,inqt. Nõ dicit,Propter preſumptionem Sarę. Poterat eñ preſumptioni dari, q̃ Sarah de hęreditate ſtatuebat. Licet quippe coniunx eſſet, conue-

A conueniebat tamen cura hæreditatis Abrahæ potius quàm ipsi. Inuenias uirum, qui in uxore nihil minus ferre queat, quàm si curam ad se non pertinentem sibi uindicet ipsa, deq; facultatum & hæreditatis dispensatione præscribat. Verùm ea res nõ admodum turbauit Abrahamum, cui satis notum erat, alicnam esse Saram à spiritu arrogãtiæ & præsumptionis: sed id displicebat, quòd Ismaelem ejici uolebat, quem ipse tanquam filium impense diligebat. Ergo discordabant Abraham & Sarah non in causa aliqua uel leuicula, uel inhonesta, sed propter duos filios, quorum alterum ipse, alterum uerò ipsa, uterq; suum admodum diligebant. Sic diuersitas affectuum erga liberos discordiam parit inter parentes. In utroq; tam Sarah quàm Abrahamo uides exemplum carnis, quæ fœturam suam admodum diligit. Diligebat Sarah Isaacum, quia genuerat eum, Ismaelẽ tanquã aliunde natum fastidiebat. Ismaelẽ diligebat Abrahã, quòd esset caro de carne, & os de ossibus ipsius. Erat ipsius filius etiam Isaac, uerùm præuenerat hunc Ismael, & patris animum ad se traxerat. Sunt ista naturalia, adeoq; non aliena à sanctis. Quare & illi sic sunt comparati, ut quod suum est quisq; diligant, donec diuinitus dirigantur.

OBSERVATIO III.

Et dixit Deus ad Abraham: Ne displiceat tibi super puero & super ancilla tua. Omne quod ad te dixit Sarah, audi uocem eius, quoniam in Isaac uocabitur tibi semen.] Primùm illud obserua, quòd discordiã Deus inter sanctos coniuges ortam oraculo suo tollit. Vides hoc exemplo, quàm uerum sit illud Apostoli: Non est dissensionis Deus, sed pacis 1. Cor. 14. Et 1. Cor. 7. In pace uocauit nos Deus. Satanas cõtrà ut dissidijs gaudet, ita etiam concordes ad dissidia sollicitat. *Discordiam sanctorum tollit Deus.*

Deinde animaduertẽdum est, quõ dissidentes coniuges cõponat Deus. Nõ dicit ad Saram, Quiesce, nec mentionem posthac facias de ejiciẽdo Ismaele, ne Abrahamum uirum tuum reddas tibi adhuc infensiorem: sed loquitur Abrahæ, illiq; quid faciendum sit præcipit. Sic instituit concordiam, ut interea partes Saræ tueatur, & causam iustam patrocinio suo prouehat. Non est uera concordia, quæ per oppressionem ueri & æqui instituitur, per quã pars infirma potentiori subijcitur, & propter suppressionem iusticiæ ad suspiria adigitur. *Rectus cõcordandi modus.*

Tertiò, de eo quoq; cogitandum est, quòd non simpliciter dicit, Ejice ancillam & filium eius: sed, Ne displiceat tibi super puero & super ancilla eius: ac tum subijcit, Omne quod dixit ad te Sarah, audi uocem eius. Cum primis eximit illi offensam quam ex uerbis Saræ conceperat, requiritq; ab eo ut approbet ea quæ illa dixerat: deinde præcipit, ut uocem eus audiat, id est ancillã cum filio ejiciat. Duorum admonemur. Vnum est, non esse contemnendum, si, qui inferiores sunt, rectè moneant. Alterum, ut cum primis, si quid offensæ conceptũ est animo, abijciatur. Coram Deo non est satis, si opere quæ facienda sunt, facias, nisi facias ex animo. Multa facimus prꝛter animi sententiã, quę quantumuis in se bona sint, Domino tamen probari non possunt. Peculiariter sic comparata sunt, quæ ad concordiam requiruntur, ut non manu tantum, sed & animo sint beneuolo & pacato facienda. *Primùm offensa tollitur deinde obsequium præcipitur.*

Quartò. In Isaac, inquit, uocabitur tibi semen. Quomodo Apostolus ex hac particula & consimilib. alijs Rom. 9. arguat nõ filios carnis, sed filios promissionis pertinere ad semẽ Abrahę et esse filios Dei, suprà semel atq; iterum admonui. *In* præsenti animaduertendũ est quàm ægrè ac tardè agnouerit Abraham filios & hæredes suos fore nõ qui secundũ carnem simpliciter, sed qui secundum promissionẽ ipsi nascerent. Cum initiò propter sterilitatẽ Saræ turbatus esset & sollicitus quẽ nam habiturus esset hæredẽ, audiuit à Dño, habiturũ se hæredẽ ex suis ipsius lumbis, suprà cap. 15. Postea cum Sara pergeret esse sterilis anno ætatis ipsius 86. inducit ab illa ut ingressus ad ancillã excitaret uel ex illa semen. Vbi ex illa filium Ismaelem sustulit, quoniam is erat ex ipsius lumbis, putabat se nactum esse semen & hæredem promissum. Hunc errorem uir pius non obseruauit, ne tum quidẽ cum ex Sarah promitteret semen benedictum, illaq; filium cõcepisset & peperisset. Erat quidẽ Ismael ex ipsius lumbis, uerùm non erat secundum spiritum promissionis natus. Nusquã dixerat Deus, Ex ancilla dabo tibi filium, sed pro miserat ipsi filium ex Sarah. Ex illa, inquit, dabo tibi filium. Is erat demum filius promissionis, & uerus hæres. Id ignorabat Abraham ad id usq; temporis, quo audiuit à Deo, semen ipsi uocandum esse ex Isaac, non ex Ismaele: quare ejici oportere Ismaelẽ cum matre ancilla, & retineri Isaacum tanquã uerum & unicum hæredẽ. Ergo promissiones Dei neq; toto illo tempore quo fiebant, neq; cum per partum Saræ adimpletę essent, plenè intellexit Abraham, donec de illis oraculo Dei perfectius instrueretur. Interea per errorem hæsit in filio carnis, & filium promissionis non agnouit. Qui hæres non erat, habebatur ipsi pro hærede, & minus curauit eum quem unicum erat habiturus hæredem. Admonemur hoc exemplo, quàm fieri nequeat, ut promissiones Dei solo auditu perceptas intelligamus, sed opus sit, ut diuinis reuelationib. aperiant. Deinde quàm nõ sit nouũ, quod à sanctis quoq; uiris pro filijs Dei habentur in ecclesia qui filij Dei nõ sunt, & ad semen electionis non pertinent, & interea ueri filij Dei negliguntur. *Mysterium seminis sui Abraham non statim agnouit.*

OBSERVATIO IIII.

Sed & filium ancillæ faciam in gentem, quia semen tuum est.] Obserua mirabilẽ & exosculandã benignitatem Dei. Tam abest ut errantem Abrahamũ increpet, ut dolorem etiam illius, quem de abijciendo Ismaele conceperat, confirmatione præcedentium promissorum mitiget. Infuderat cordi illius uinum, dicens: Omne quod dixit Sarah, audi uocem eius. Etenim in Isaac uocabitur tibi semen. Quod uinum est uulneri, hoc erat uerbum illud cordi Abrahæ. Verùm uino huic adiecit confestim oleum, ad mitigandum cordis dolorem. Quod nanq; oleum est uulneri, id erat cordi Abrahæ uerbum hoc promissionis Dei: sed & filium ancillæ faciam in gentem, quia semen tuum est.

De

Pluris est prærogatiua gratiæ Dei quàm dignitas creationis.

Duplices filij Abrahæ.

Esa. 1

De eo aũt quod dicit, Faciã in gentem, suprà cap. 17. quædam sunt annotata. Illud hic considerandum est, quod dicit: Quia semen tuum est. Atqui potius ac maius erat in Ismaele, quod opus erat manuum Dei, quàm quod semen erat Abrahæ. Si quo dignus erat honore, ob id sanè magis erat ꝓ creatura Dei q̃ quòd semen Abrahæ erat. Verùm non hic dignitas creationis, sed gratiæ Dei prærogatiua cõmendat, qua beneuolebat Abrahæ, & omnib. ad illũ quocunq; pacto pertinentibus. Pluris faciebat Deus, quòd semen Abrahæ, uel ex ancilla, erat Ismael, q̃ ꝓ ab ipso creatus erat. Tanta uis est gratiæ illius erga pios. Quia semen tuũ est: Iam dixerat, In Isaac uocabit tibi semen. Hic dicit, sed & filiũ ancillę faciam in gentẽ, quia semẽ tuũ est. Ergo duplices erãt Abrahæ filij. Vnus Ismael, alter Isaac. Ille semen tantum erat, quia ex Abrahã erat secundũ carnem. Hic uerò non modò semen erat, sed & futuræ posteritatis filiorũ uidelicet promissionis seminariũ. Habes in Isaac imaginem Christi. Israelitæ secundũ carnem semen sunt Abrahæ, quemadmodũ fuit Ismael. Vocantur & illi quidem filij Dei, uerùm simul conqueritur de illis, ꝓ sint filij degeneres. Filios, inquit, enutriui, & ipsi spreuerunt me. Non sunt illi seminarium sanctæ posteritatis. Alioqui malè nobiscum ageretur, qui sumus ex gentibus. Christus uerò & semen Dei est, & seminarium seminis electi. In illo siquidem ueri uocantur Deo filij. Ipse est uera uitis, unde prodeunt filij Dei instar palmitum. Ioan. 15. Huc respexit Apostolus dicens: Si uos Christi estis, ergo semem Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes. Gal. 3.

Surrexit itaq; Abrahã manè, & tollens panẽ & utrem aquæ imposuit scapulæ eius, tradiditq; puerũ, et dimisit eum. Quæ cũ abijsset, errabat in solitudine Bersabee: cumq; consumpta esset aqua in utre, abiecit puerũ subter unam arborẽ quæ ibi erat, & abijt, sedítq; è regione procul quantum potest arcus iacere. Dixit enim: Non uidebo morientẽ puerum. Et sedens cõtrà leuauit uocẽ suam & fleuit. Exaudiuit aũt Deus uocem pueri, uocauitq; angelus Dñi Agar de cœlo dicens: Quid agis Agar? Noli timere. Exaudiuit.n. Deus uocẽ pueri de loco in quo est: Surge tolle puerum et tene manũ illius, q̃a in gentem magnam faciam eum. Aperuitq; oculos eius Deus, quę uidens puteũ aquæ abijt & impleuit utrẽ, deditq; puero bibere, & fuit cum eo. Qui creuit & moratus est in solitudine, factus ́q; est iuuenis sagittarius. Habitauitq; in deserto Pharan, & accepit illi mater sua uxorem de terra Aegypti.

LECTIO.

Imposuit scapulæ eius, tradiditq; puerũ, & dimisit eum.] Ebr. sic habet, ויתן אל הגר שם על שכמה ואת הילד וישלחה, id est, & dedit ad Hagar ponens super humerum eius, & puerum, & dimisit eam.

Subter unam arborẽ quæ ibi erat.] In Hebræo non est, quæ ibi erat. Sic emẽ ibi legit. ותשם אחד משיחים, id est subter unum ex uirgultis. Significat emẽ, שיחים uirgulta, & frutices. Græcus uertit, ὑποκάτω μιᾶς ἐλάτης, id est subter unã abietem. Chaldæus paraphrastes habet, sub unam ex arboribus. Sic reddidit & Sanctes Pagninus.

Et sedens contrà leuauit uocem suã, et fleuit.] Græca lectio sic habet, καὶ ἐκάθισεν ἀπέναντι αὐτῆ μακρόθεν. Ἀναβοῶσαν δὲ τὸ παιδίον ἔκλαυσεν. i. & sedit è regione eius procul, puer uerò leuata uoce plorauit. Illud procul in Hebræo nõ est hoc loco. Deinde Hebr. nõ dicũt puerũ uocẽ leuasse, ac fleuisse, sed matrẽ. Quare Græcus interpres periodum hanc disrupit, et uoces immiscuit, quæ in Hebræo non habentur, atque ita sensum corrupit.

Quid agis Agar?] Hebraicè est: מה לך הגר id est, quid tibi Hagar? Græcus habet. τί ἔστιν Ἁγάρ, id est, Quid est Agar?

Et tene manum illius.] Hebræus sic habet, והחזיקי את ידך בו quod quidam uertunt, & apprehende manu tua eum. Potest reddi, Et conforta manum tuam in eo.

Et fuit cum eo.] In Hebræo est, & fuit Deus cum puero.

Factusq; est iuuenis sagittarius.] Ebr. ויהי רבה קשת, id est, & factus est magister arcus, uel frequentãs arcum, multus in exercitio arcus. Est enim רבה participium idem sonans quod multiplicans.

EXPLANATIO.

Surrexit itaq; Abraham manè.] Pertinet hic quoq; cõtextus ad historiã eiecti Ismaelis. Suprà diximus esse illam quadripartitã. Narrat emẽ primùm quo authore, deinde quibus de causis eiecti sint Ismael & Hagar, de quibus in præcedentibus, tertiò & ipsum eiectionis factũ, & quid eiectis euenerit in præsenti narratione exponit, quę satis est aperta & luculenta. De facto sic dicit: Surrexit itaq; Abraham manè, &c. Apparet ea nocte oraculo Dei, de quo in præcedentibus, fuisse eũ admonitũ, ut uocẽ Saræ audiret, & ancillã cum filio eijceret. Hoc itaq; responso accepto, non distulit imperatũ opus, sed statim diluculo perfecit. Surrexit, inquit, Abrahã manè, & acceptum panẽ & utrem aquę dedit Hagar, imponens super humerũ eius, & puerũ, & dimisit eam. Propter solitudinẽ inde ad Aegyptũ usq; porrectã, in qua magna est cibi ac potus penuria, noluit eos uacuos dimittere, sed uiatico necessario instructos. Erat emẽ

Hagar

Hagar Aegyptia, ob quã causam iter solitudinis Aegyptũ uersus ingressurã pane et aqua onustã dimisit.

Et abijt & errauit in solitudine Beersabe, & defecerunt aquæ, &c.] Exponit iam consequenter quæ euenerint Hagar ancillæ ac filio eius Ismaeli ab Abrahamo dimissis. Sunt aũt illa triplicis generis. Primũ genus periclitationẽ habet: secundũ consolationẽ, ac liberationẽ: tertiũ prouectionẽ, educationemq; & genus uitæ quo Ismael et ubi locorũ uixerit. De periclitatione sic narrat. Et abijt et errauit in solitudine Beersabe, & defecerunt aquę de utre, & proiecit puerũ subter unum ex uirgultis, & abijt & sedit è regione procul quantũ potest arcus iacere. Dixit enim, Nõ uidebo mortẽ pueri. & sedit è regione, et leuauit uocẽ suam ac fleuit. Ergo periclitabatur misera de filio suo oberrãdi molestia & ardore sitis, qui in locis illis desertis & arenosis uehemẽtissimus esse solet, propè ad mortẽ usq; laborante & confecto. R. Shlomoh dicit eum, propterea q̃ infirmus esset, secundum morẽ ægrotantiũ multũ bibisse. Sic confectũ puerũ proiecit, id est reliquit, sub uirgulto quodã, qualia sparsim in locis desertis uisunt. id q̃d eam ob causam fecit, ut aliquid saltẽ refrigerij cõtra solis æstũ ex umbra uirgulti haberet. Deinde abijt & sedit è regione procul quantũ arcus iacere potest. Ne putet aũt factũ hoc esse inhumanius q̃ matri cõueniat, rationẽ immiscet, dicens: Dixit enim, Nõ uidebo mortẽ pueri: & addit, Sedit q; è regione, & leuauit uocem suã ac fleuit. Ergo q̃ puerum abiecit, nõ est duritie inhumanitatis, sed infirmitate materni affectus factũ, id quod et ploratus subsequutus testatur. Non abijt prorsus puero relicto, sed è regione illius sedit, finem expectans, ut mortuũ postea defleret ac sepeliret. Sedit aũt, inquit, procul quantũ arcus possit iacere. In Hebrẽo est כמטחוי קשת, id est instar iacientiũ arcu, quemadmodũ uidelicet sagittarij ad scopum præfixum collimant, sic illa ad locum, in quo puer iacebat, è regione sedens intentissimè spectabat & plorabat. Hactenus de periclitatione. iam de consolatione & liberatione subiungitur.

Et audiuit Deus uocem pueri, & clamauit angelus Dei ad Hagar de cœlo, & dixit ei: Quid est tibi Hagar? Ne timeas. Quoniã auscultauit Deus ad uocem pueri, in loco ubi est. Surge, leua puerum, & apprehende illum manu tua, quoniã in gentẽ magnam faciam eum. Et aperuit Deus oculos eius, & uidit puteũ aquarum, et abijt et impleuit utrem aquis, & potauit puerum.] Neq; erat, neq; esse poterat aliquid alicunde consolationis, auxilij, & liberationis nisi à solo Deo, qui rebus desperatis auxilium tulit. Quomodo id fit factũ, pulchrè exponitur. Non mirũ tantum, sed & puer plorabat. Ploratum pueri de uita periclitantis audiuit Deus: Mox adest angelus, deiectam et eiulantẽ de cœlo inclamans. Tria aũt fiunt. Primùm consolat illam angelus uerbis ad consolandũ efficacibus. Quid est tibi Hagar? inquit. Vocat eam ex nomine, ut indiciũ esset familiaritatis: & humano more plorãntem rogat, quidnam incõmodi acciderit, quòd sic ploret. Sic solemus flentes & eiulantes appellare, ut significemus paratos nos esse ad succurrendũ, modò sciamus quid eos premat. Sciebat angelus utiq; quid ipsi esset: uerùm sic eam initiò appellabat, ut morem consolantiũ exprimeret. Deinde addit, Ne timeas. Adimit illi metum, quo timebat breui moriturum puerum. Non erat ille moriturus tum temporis. Id ignorabat autem, ideoq; metu illo frustrà cruciabatur. Quare confestim dicit Angelus: Ne timeas. Q. d. Salua res est. Nihil est periculi. Futurum non est quod times. Causam annectit, dicens: Quoniã auscultauit Deus ad uocem pueri in loco ubi est. Q. d. Misertus est Deus pueri periclitantis & proiecti, missitq; me in auxilium illius. Quare bono animo esto. Ad consolationi secundo loco adijcit excitationem deiectę, & præceptũ de erigendo & abducendo puero. Surge, inquit, leua puerũ, iacentẽ uidelicet, & apprehende illũ manu tua, ad deducendũ nimirũ, tanq; admodum debilẽ & deiectũ. Etiã hic addit rationẽ. Quoniã, inquit, in gentem magnã faciã eum. Non erat hoc illi inauditũ. Nam & antea cum grauida aufugisset, promissionẽ ea de re acceperat: & uerosimile est, Abrahamũ quoq; promissionẽ hanc de filio ipsius illam nõ celasse, uerùm res aduersæ fidẽ ac memoriã illius obnubilauerant. Tertiò tulit illi Deus opem, ad refocillandũ puerũ. Ea de re sic narrat Moses: Et aperuit Deus oculos eius, Hagar uidelicet, & uidit puteum aquarum, & abijt, & impleuit utrem aquis, & potauit puerum. Præ insigni mœsticia & animi consternatione nõ uiderat puteum, unde puerum refocillare poterat. Itaq; oculos eius aperuit Deus, ut puteum uideret, unde puerum potare, utremq; implere posset. Quoniam ex defectu aquę inciderat puer in discrimen mortis propter intolerabilem sitis ardorem, demonstratus est puteus aquarum, unde ei malo mederetur.

Et fuit Deus cum puero, & creuit, & habitauit in deserto, & factus est magister arcus. Et habitauit in deserto Pharan, & accepit illi mater eius uxorem de terra Aegypti.] Pertinent ista ad tertium mẽbrum narrationis huius, quo exponit admodum paucis, q̃ felici prouectu creuerit Ismael, ubi manserit, quod genus uitæ exercuerit, & unde uxorẽ duxerit. Et fuit Deus, inqt, cum puero, hoc est, per gratiã ac benedictionem Dei prosperè adoleuit. Et habitauit in deserto. Illis uidelicet deserti locis, in quibus aliqua saltem erat habitandi cõmoditas. Sunt enim solitudines interiores sic uastæ ac steriles, ut humanis usibus prorsus sint incommodæ. Et factus est magister arcus. Hoc est, peritissimus sagittarius, exercens usum & studium iaculandi, in uenationib. uidelicet ferarum, quẽadmodum & de Esau infrà 25. & 27. legimus. Ergo uenationibus ferarum se ac matrẽ in deserto sustẽtauit. R. Shlomoh dicit q̃ fuerit פלסים, id est, latro ac deprędator transeuntium. Et habitauit in deserto Pharan. Repetit hoc propter mansionis specificationẽ, quã in præcedenti particula omiserat. De Pharan mentio facta est suprà ca. 14. Et accepit illi mater eius uxorẽ de terra Aegypti. Erat enim illa Aegyptia. Quare de patria sua uxorem sumpsit filio.

QVAESTIONES II.

Et tollens panẽ et utrẽ aquæ dedit Agar, imposuitq; scapulæ eius, et puerũ, et dimisit eam.] Quæri poterit hoc loco, primũ, quę fuerit ista inhumanitas Abrahę erga filiũ et matrẽ eius, q̃ eos tã leuiter et tenuiter,

ne

Quare Abrahã filium ac matrẽ eius tam neglectim à se dimiserit.

nẽ dicam contemptim ac neglectim ad iter instructos domo eiecit. Panem & utrem aquæ dedit, & scapulæ Hagar, licet ancillæ, simul tamen & coniugis & filij sui matris imposuit. Habebat seruorũ & asinorum copiam. Poterat illis addere seruos aliquot, propter comitatum, poterat dare asinos, quibus ueherent & ipsi, & datum uiaticum: poterat aliquid adijcere pecuniarũ. Neq; enim petierat hoc Sarah, ut eos tam contemptim eijceret, neq; quicq̃ ea de re mandauerat Dñs. Homines peregrinos maiore gratia ac beneuolentia dimisit à se, abeuntesq; prosequutus est, & comitatus quàm Ismaelem filium suum & matrem illius. Et in lege postea cautum est Deut. 15. ne quis seruum, libertate donatũ à se dimittat uacuum, sed det illi de gregibus suis de area, & de torculari. At Abraham coniugem ac filium primogenitum uilius & contemptius à se dimisit.

Respondeo: Quòd Abraham primogenitum suum unà cum matre domo eiecit, quare id sit factũ, patet ex præcedentibus. Non eiecisset eos, nisi sic placere Dño intellexisset. Quod uerò id fecit tam properanter & urgenter, manè cõfestim ubi surrexisset, quodq; nihil dedit abeuntibus quàm panem & aquam, neq; adiecit ullum uel seruorum uel asinorum adiumentum, quamuis præter rationem factum esse credibile non sit: nix tamen, tacente scriptura, adferri potest rationis loco, quod certum sit, & nõ resipiat uerosimiles coniecturas magis quàm ueras causas. Dicam tamen, saluo aliorum iudicio, quid mihi uideatur. Si respexeris animum Abrahæ, apparet hunc usqueadeò fuisse oraculo diuino nocte illa perculsum & consternatum, ut expergefactus subitam ancillæ ac filij eius eiectionem ad hunc modum instituerit. Scimus quid accidat turbatis & consternatis, ubi ad gerendum aliquid subitò sine ulla circumspectione ac præmeditatione feruntur. Et sancti homines sunt, ut mirum non sit, si quod hominibus usuuenit, accidat & ipsis. Tale quid apparet accidisse Abrahæ. Quòd si coniectura hæc non placet, quòd uerosimilius sit fecisse patriarchã cum iudicio quod in dimissione filij sui fecit, quàm ex consternatione animi, cogitare poteris, uoluisse eum singulari studio sic à se dimittere filium, ut testatũ faceret omnibus, obedisse se diuino oraculo non modò promptè, sed & ex animo: neq; sic pependisse à filio carnis suæ ac matre illius, ut nequiret eos iubente Domino alacriter non minus quàm si prorsus alieni essent abijcere. Quare apparet eum nihil illis uoluisse de bonis suis adijcere, ne aliquid beneuolentiæ paternæ declarando, grauatim eos eijcere uideretur. Videntur aũt huiusmodi coniecturæ probabiliores esse, quàm quod R. Shlomoh dicit, Nec aurum nec argentũ dedit, eo quòd odio illum prosequeretur. Si uerò consilium diuinæ prouidentiæ respexeris, qua omnia sanctorum facta mirabiliter disponuntur, cogitandum esse puto, eiectionem hanc ancillæ ac filij eius sic esse diuinitus dispensatam, ut exemplum ueræ, promptæ ac plenæ obedientiæ in Abrahamo patre credentiũ extaret: deinde ipsa ostenderet, quàm alieni sint à bonis promissionis, qui illa sibi iure aliquo uel carnis, uel propriæ iustitiæ uendicare præsumunt. Hagar & Ismael iure carnis gloriabantur de hæreditate filiorũ Abrahæ: uerùm ubi nudi sunt cum pane & aqua eiecti, satis documenti præbuerunt, constare hæreditatem hanc non priuilegio carnis, sed gratia ac promissione diuina. Sic Abrahamũ spiritu Dei actum esse arbitror, ut ancillæ ac filio suo nihil de omnibus bonis suis largiretur, cum eijceret eos, præter panem & aquam: neq; seruulũ aliquem uel asinum comitandi ac deportandi gratia adijceret, sed causam hanc non aliter exequeretur, quàm si homines à se prorsus alienos & omni solatio indignos dimitteret.

Quomodo dicat Moses Ismaelẽ maternis humeris fuisse impositum.

Deinde quærunt nõnulli, quomodo dicat Moses impositum esse puerum Ismaelem scapulæ matris unà cum pane & utre aquæ, cum tempore eiectionis huius esset adolescens annorũ plus minus decem & octo, atq; ita eiusmodi oneri inater prorsus esset impar, neq; opus haberet puer tot annos natus, ut humero materno gestaretur. Et tollens, inquit, panẽ & utrem aquæ dedit Hagar, ponens super scapulam eius, & puerum, & dimisit eam. Sic tam in Græco quàm Hebræo legitur, unde quæstio ista mouetur. Verùm facillimè respondetur. Quemadmodum ex incommoda dispositione lectionis nascitur hæc quæstio, ita per cõmodam dispositionẽ soluitur. Incõmodè legunt qui illud, Et puerum coniungũt cum proximè præcedenti, Ponens super scapulam eius, quasi Abraham non solum panem & utrem aquæ, sed & puerum humeris Hagar imposuerit: cum referenda sit ea particula ad uerbum Dedit, non ad participium Ponẽs: legendumq; , Et tollens panem & utrem aquæ dedit Hagar ponens super scapulam eius. Hactenus de pane & aqua, subdit iam de puero quoq; dicens, Et puerum, intellige dedit Hagar matri. Verbum dandi non erat necesse hic ponere, cum esset præmissum. Itaq; non dicit Moses quòd puerum imposuerit Abraham scapulæ matris, sed quòd tradiderit hunc illi abducendum, panem uerò & utrem aquæ scapulæ illius loco uiatici imposuerit. Quare admodum ridiculum est, quod R. Shlomoh dicit, אף תינוק שם על שכמה, id est etiam puerum posuit super humerum eius, & ratio quam adijcit, nihil est nisi cõmentum friuolum & inane. Quoniam Sarah, inquit, maligne illum inspexit, apprehendit eum furor, ut pedes incedere nequiret. Sic sensum à mente Mosis alienum friuolo commento firmare nititur.

OBSERVATIO I.

Veræ obedientiæ exemplum.

Surrexit itaq; Abraham mane, & tollens panem & utrem aquæ dedit Hagar, imponens scapulæ eius, & puerum, & dimisit eam.] Occurrit hic pulcherrimum ueræ obedientiæ exemplum. Abraham, mox atq; uoluntatem Dei intellexit, fine ulla disceptatione obtemperat. Non obmurmurat, dicens: Et quæ nam est ista iniquitas, ut fiam seruus uxoris, & quicquid illa dixerit audiam, ancillam uxoris loco datã, unà cum filio meo primogenito eijciam? Non erit hæres filius ancillæ, inquit, cum filio meo Isaac. Patiar ergo, ut sit hæres meus quem præscribit uxor, non quem ego hæredem habere uolo? Sed esto, sit hæres noster

hoster Isaac, cogar ne propterea domo eijcere primogenitum cum uxore matre illius, unde non facilè seruulum aliquem eiecero? Ancilla est Hagar? At simul uxor quoq; est. Denicq; multæ sunt ancillæ domi meæ, quarum tamen nullam eijcio. Quur hanc eijciam solam? Ismael filius ancillæ est. At non ex seruo aliquo domus meæ, sed ex me conceptus, ideoq; simul & meus est filius, & præterea primogenitus. Et ultra hæc omnia quicquid actum est cum Hagar, instigante ipsa Sarah, ac sic uolente factũ est, ut Ismael uerius ipsius quàm meus & ancillæ sit filius. Nihil horum cogitauit nedum dixit Abraham, postquam uocem Domini de eijciendo Ismaele audiuit. Omnia hæc, quæ ratio tergiuersatrix obijcere poterat, ex animo fidelis hominis ac timentis Dei spiritus ueræ obedientiæ prorsus exclusit. Quare absq; ulla hæsitatione ad ipsam, ut sic dicam, uerbi Dei uocem expergefactus surrexit mane, & quod iussus erat perfectissim obedire. Ingrata est obedientia, quæ diu in animo deliberantis hæsit. Quemadmodum enim in beneficio, sic in obedientia quoq; iucundissima est promptæ uoluntatis alacritas.

Nõ externo tantũ opere, sed & tenerrime affectius abnegatione obediuit.

Deinde in eo cõmendatur obedientia Abrahæ, quòd uerbo Dei non externo tantum opere, sed & teneriorum affectuum abnegatione obediuit. Duo dixerat ad eum Dominus. Vnum, Ne displiceat tibi super puero, inquit, & super ancilla tua. Alterum, Omne quod dixit ad te Sarah audi uocem eius. Primò, iubebat displicentiam illam, quam ex uecbis Saeæ propter filiũ suum in animo conceperat, mutare in beneplacitum, ut quod antea molestum & acerbum uidebatur, eijcere uidelicet filium, iam acceptum esset & luberet. Altero, mandabat ut uerbis Saræ obtemperans eijceret filium & ancillam illius matrem. Posterius poterat facere sine priore. Verùm usqueadeò erat addictus uerbo Domini, ut nõ in posteriori tantum, sed & priori obediens affectum illum quo præditus fuerat erga Ismaelem tanquam primogenitum, & Hagar, tanquam uxorem abnegaret. Hanc autem maritalis & paterni affectus abnegationem in eo luculentissimè declarauit, quòd filium antea charissimum accepto oraculo Dei unà cum matre ilsius, usqueadeò neglectim & tenuiter à se dimisit, & ab omnib. bonis suis abdicauit, ut nihil illis præter panem & utrem aquæ uia ici gratia daret. Quàm difficile sit exuere patrem erga filiũ, maximè primogenitum, adeoq; duplici nomine charum, norunt qui uim amoris paterni sunt experti. Verùm nisi hoc iubente Deo fecerimus, haudquaquam ad fastigium plenæ obedientiæ peruenire poterimus. Est autem plena obedientia abnegare propter Dominum non solum externa illa & terrena bona, deinde uxorem & liberos, patrem, matrem, fratres, sorores, amicos, &c. sed & eos ipsos. Qui hoc non facit, non est Domini totus. Etenim quod habet optimum & charissimum seipsum uidelicet, Domino negat, ac sibijpsi seruat. Plenè autem ac totus Domini est, qui nihil sibi, sed Domino omnia ac seipsum consecrat. Ad plenæ obedientiæ huius fastigium proximè accedit, qui non solum uxorem ac filios externo opere propter uerbum Domini relinquere, sed & affectum propẽsi cordis, quo eos tenerrimè diligit, abnegare potest, ut quod opere facit, animo quoq; faciat, nõ grauatim, sed promptè & alacriter. Hoc genus abnegationis carni est impossibile. Loquor autem de abnegatione quę fiat respectu diuinę uoluntatis. Aliàs reperies innumeros, qui nec uxorem nec liberos diligant, quibus nimium facile est abnegare ac negligere quos nunquam uerè dilexerunt. Hosce dicit Apostolus fidem abnegasse, & deteriores esse infidelibus. Et hinc est quòd mundus inhumanos & crudeles esse iudicat eos, qui propter Christum abnegant parentes, uxores, liberos, & seipsos quoq;. Vim obedientiæ ac dilectionis Domino debitæ non intelligunt homines carnales & mundani, ideoq; de abnegatione sanctorum non nisi secundum externam faciem iudicant. Consimili modo & de facto hoc Abrahæ sentiunt. Nostrum autem est in huiusmodi exemplis, non hærere in eo quod patet uculis, sed ad uirtutem & efficaciam fidei, tanquam factorum causam penetrare ac discere quàm debeamus Deo omnia, nobis uecò nihil, quamq; procul simus à uera & plena fide & obedientia sanctorũ, qui uix pecuniolam aliquã propter Dominũ nedũ nos ipsos abnegaremus.

Plena obedientia quæ sit.

OBSERVATIO II.

Et abijt, & errauit in solitudine Beersabe, & defecerunt aquæ de utre, & proiecit puerum sub unum ex uirgultis, & abijt ac sedit è regione procul in morem iaculantium arcu, quoniam dicebat, Non uidebo mortem pueri, & sedit è regione, leuauitq; uocem suam ac fleuit.] Primùm illud obserua quod dicit, Et abijt. Abraham dimittit, illa dimissa abit, dat Abraham puerũ, illa accipit puerum ad se, nihil addit Abraham loco uiatici nisi panem & utrem aquæ, bidui forsan uel tridui, ad summum, qualemcunq; sustentationem, illa quod datum accipit. Imponit ista scapulæ abituræ, illa quicquid id oneris erat, humeris suis imponi permittit. Nihil obmurmurat. Poterat tergiuersari ac dicere, Ergo ne eijcior præter meritum? & eijcior uacua, cunctisq; necessarijs destituta? Ergo Ismael primogenitus tuus proijcitur in exilium? Quid mali fecit? Nihil illum alendum tradis? Atqui tuus magis est quàm meus. Quare uniuersam illius curam in meos humeros abijcis? Vnde ego proiecta ac uacuis manibus dimissa educabo filium qui tuus est? Quò illum abducam? Si me eijcis, serua saltem filium. Quòd si mulier proterua fuisset, quales solent esse seruæ, confidenter dixisset: Serua tibi tuum filium, non recipio eum, quem non mihi, sed tibi genui. Vel, Si illum mihi alendum tradis, adijce patrimonium, unde uiuere possit. Nihil horum regessit, sed patienter fert eiectionem & tam nudam dimissionem. Non est putandum, quòd ista acciderint sine lacrymis, & graui mœstitia. Verùm quoniam sic uisum erat Domino, cohibet se mulier in domo sancta annos aliquot conuersata, & patienter exilium ingreditur. Quare non in Abrahamo tantum, sed & in Hagar pulcherrimũ est obedientiæ exemplum. Habuit quidẽ & illa sua uitia, quemadmodũ nemo uitijs sine nascitur, exemplum tamen præbuit mulieris obsequentis & morigeræ, eiectionẽq; tam impuisam cõmodè ferentis.

Placiditas & obedientia Hagæ

Accumulatio miseriæ.

Deinde in eo quod dicit, Et errauit in solitudine Beersabe, & defecerunt aquæ de utre, proiecitq; puerum, &c. obseruanda est accumulatio miseriæ & calamitatis, in quam cum filio suo incidit misera & ejecta. Triste satis erat per se, ejectam esse cum filio herili, & ab omnibus non modò bonis, sed & ipso conuictu heri ac parentis totiusq; domus exclusam. Accesserũt huic miseriæ adhuc alia grauiora incõmoda. Primùm, quòd mulier tristis & mœsta sine ullo comitatu solitudinem cum puero abdicato ingrediatur, in qua nihil erat habitura solatij, unde cordis ipsius mœstitia leniretur. Deinde, quòd non solũ ingressa est solitudinem, sed in illa errauit etiam. Si quis extra solitudinem errauerit, facilè inuenit unde in uiam rectam reducatur: deinde etiamsi aliquandiu errat, in promptu tamẽ est ad loca habitata, ciuitates, uicos, pagos, etc. sese recipere, ubi recreetur, & quò eundum sit discat. In solitudine uerò nihil horum obtingit. Hic uia arenæ cumulis obducta, nec inuenitur facilè, nec inuenta retineri potest. Hic errantibus nõ occurrit uiæ monstrator, sed errandi nullus uidetur fore finis, quæ angustia mentis omnium est maxima. Hic etiam rectum iter tenentibus, nedum oberrantibus ingens est à bestijs timendum periculum. Cogita, quæso, quanta fuerit ista miseria, quantumq; & quàm miserabile discrimen, oberrare in solitudine mulierculam cum filiolo alioqui mœstam & proiectam, ubi ne uiris quidem leue est ex errore periculum. Tertiò, non errauit tantum in solitudine, sed & errantem uter aquæ destituit, unde sitis erat restinguendus ardor. Leue incommodũ, si uter aliunde impleri potuisset. Verũ in solitudine non occurrebat fons ullus unde uter impleretur. Quartò, errando delassatus puer acsiti confectus impar reddit incertis istis erroribus, adeoq; tandem eò deducitur, ut spiritum quoq; in corpusculo eneruato, proiecto & arefacto haud diu retenturus appareat. Quare misera, ut saltem mortis articulum quietum illi relinqueret, ne retrahendo inter manus expiraret, sub uirgultum aliquod de uita periclitantem collocat: & ne mortẽ illius coràm cernere cogeretur, abiens sedit è regione, & sublato clamore suam ac filij calamitatem deplorat. Quid potuit accidere miserabilius? Sic spacio duorum uel trium dierũ mulier quæ fuerat coniunx Abrahæ, & puer Abrahæ primogenitus patri admodũ charus, domo opulenta & paterna ejecti in extrema pericula inciderunt. Videmus hoc exemplo, quàm uerum sit illud uulgo dictum, Nulla calamitas sola: & quàm sit facile florentem fortunam extremo commutare discrimine. Admonemur ne propter carnis prærogatiuam, cum Hagar & Ismaele insolescamus, nisi expectare uelimus, ut perinde atq; illi proiecti humiliemur. Cogitemus hic, quàm multis calamitatibus opus habeat caro superbiens & insolescens, quibus frangatur & humilietur, ut non sit præter rationem diuini consilij, quòd sic subinde affligimur, ut calamitas calamitatẽ excipiat & accumulet, donec prsus humiliati ac depressi, p offensa Dei, quam superbiendo incurreramus misericordiam miserabiles facti inueniamus.

Diuersum ingenium amoris.

Tertiò, obseruemus & illud, q puero sub uirgulto relicto abijt, proculq; è regione sedit, ne morientẽ illum cerneret. Videmus hoc exemplo, quàm non sit in omnibus pariformiter comparatũ amoris ingenium. Hagar præ amoris impotentia qua erga filiũ uteri sui erat affecta, moriẽti assistere, mortẽq; illius cernere non poterat. Contrà inuenias, quæ à moriẽtibus liberis suis auelli nequeant propter hoc ipsum quòd eos impensè diligunt. Istæ clamant, Absit, absit, ut pignus uteri mei in mortis articulo deserã. Aliæ ad exemplum Hagar præ nimio dolore cordis morientibus, quos diligunt, maritis ac liberis adesse nequeunt: factum diuersum est, at fons unus. Vtrobiq; in causa est dilectionis uehementia. Quare cauendum est ne temerario iudicio dicamus, Hic si diligeret, morienti adesset uxori, fratri, filio, parenti, amico, &c. Vel, Si esset hiç amoris affectu præditus, quomodo uxorem, parentem, liberos, &c. coràm posset cernere morientes? Idem enim amor facit, ut alius morienti amico adesse, alius abesse nequeat.

Quòd tandem fleuit Hagar.

Quartò. Leuauitq; uocem suam, inquit, & fleuit. Considerandum hic est, quòd tandem, & quòd exerta uoce fleuit. Hactenus pertulerat omnia patienter, ignara futurum ut de filio periclitaretur. Iam uerò in extremis angustijs constituta, ac magnitudine doloris superata erumpit in eiulatum ac ploratum. Accidit hoc patientiæ sanctorum. Quantumuis enim patientes sint malorum, homines tamen sunt, &

Quòd leuata uoce fleuit.

haud alieni à sensu dolorum & angustiæ. Fleuit autẽ leuata uoce. In eiusmodi eiulatu duo sunt. Deploratio prementis calamitatis, & auxilij imploratio. Hæc aguntur ploratu per uehementem cordis angustiam expresso, etiamsi plorans animo consternato ne uerbum quidem quod intelligibile sit proferat. Quare ad eiusmodi eiulatus auditum quotquot humanitus affecti sunt, confestim ad cõmiserationẽ permouentur, & si fieri potest, succurrere, opemq; ploranti ferre satagunt. Id autem admodum miserabile est, quando ploranti & eiulanti nulla spes esse potest ullius auxilij, nisi cœlitus demissi: quale est quod in mari, deinde & locis desertis periclitantibus accidit.

Nemini maledixit Hagar.

Præterea & illud obseruandum est, quòd in extremis angustijs cõstituta nemini nec Saræ, nec Isaaco, nec Abrahæ maledixisse, sed plorasse tantum scribitur. Solẽt in eiusmodi angustijs qui impatientius afflicti sunt, non simpliciter propriam deplorare miseriam, sed & incusare, ac maledictis incessere eos quorũ se culpa miseros esse factos iudicant. Horũ nihil de Hagar ista memoratur. Sancti ploratus sunt, qui simpliciter propriæ miseriæ sensum, & auxilij implorationem exprimunt. Cauendum tamen est, ne temerè damnemus eos, qui ploratibus & eiulatibus suis aliquid incusationis & querimoniæ immiscent. Neque enim statim impietati dandum est, si tale quid fiat, sed potius infirmitati carnis uehementia doloris superatæ. Non damnat scriptura Iobum propterea quod in angustia constitutus, dixit: Pereat dies in qua natus sum, etc. Iob 2. nec Ieremiam, qui consimili modo animo perturbatiore impulsus exclamauit: Maledicta dies in qua natus sum, &c. cap. 20. multo minus Christum seruatorem, qui in cruce exclamans dixit, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?

OBSER-

OBSERVATIO III.

Et audiuit Deus uocem pueri, & clamauit angelus Dei ad Hagar de cœlo, & dixit ei: Quid est tibi Hagar? Ne timeas, &c.] Principiò in eo quod dicit, Et audiuit Deus uocem pueri, conſpicuo uidemus exemplo, non eſſe Deum ſurdum ad clamorem afflictorum ac periclitantium. Erat Iſmael in extrema neceſſitate conſtitutus. Nullum aderat humanũ auxilium. Deplorata erant omnia. A patre erat eiectus, ac iam à matre quoq; per deſperationẽ deſertus. Nihil reſtabat aliud, quàm certus interitus. Verùm ſic extrema periclitantis uocem audiuit Deus, quam mater & ipſa quidem audiebat, ſed fruſtra, Abraham pater audire non poterat. Ergo ubi humanum ceſſauit, ibi diuinũ incepit auxilium. Poterat Iſmael quoq; dicere, Pater meus & mater mea deliquerunt me, Dominus uerò aſſumpſit me. Admonemur hac conſideratione, Deum eſſe uerum & unicum ſeruatorem in neceſſitatibus, hunc audire uoces periclitantiũ, ubi nemo mortalium apparet, qui opem ferat.

Nõ eſt Deus ſurdus ad clamorẽ afflictorum.

Deiñde obſerua. Dicit Deum audiſſe uocẽ pueri, cum tamẽ neq; mater, neq; puer ad Deum clamaſſe legantur. Leuauit, inquit, uocem ſuam, & fleuit. Non dicit quòd Deum inuocauerãt. Verùm ſciendũ eſt, ipſum periclitantium ploratum, clamorem, & eiulatum eſſe in auribus Dei ueram auxilij implorationem, & miſericordiæ conciliationẽ. Sic de Deo prædicat Dauid, q̃ eſcã det pullis coruorũ inuocantib. ipſum. Tertiò, nec illud tranſeundum eſt, quòd non dicit, Et audiuit Deus uocem Hagar: ſed, Et audiuit Deus uocẽ pueri. Puer erat in diſcrimine uitæ. Igitur illius ploratum, gemitus & ſuſpiria audiuit. Admonemur hoc loco, citius penetrare in aures Dei clamores periclitantium, quàm eorum qui pro periclitantibus orant, ut rectè dixerit hic R. Shlomoh, orationem ægrotantis placere Deo, citiusq; admitti, quàm aliorum pro illo orantium.

Clamor periclitantium ad Deũ tendit.

Citius audiuntur ipſi periclitãtes quàm alij pro illis orantes.

Quartò, conſideremus & illud. Puer iſte, cuius uocem Deus audiſſe cõmemoratur, erat nõ humana aliqua iniquitate uel temeritate, ſed uoluntate & autoritate diuina è domo Abrahæ patris ſui eiectus, & tamen uox illius ab ipſo Domino non negligitur. Hæc eſt amplitudo bonitatis eius, qua non ſolum eorum miſeretur, qui per iniuriam & uim iniquam afflicti periclitantur, ſed & eorum qui cum ipſius uoluntate abiecti in diſcrimina uitæ incidunt. Erat igitur Iſmael iſte non ſic domo Abrahæ iuſſu Dei eiectus, & ab illius fœdere abalienatus, ut ſimul eſſet cura diuinæ prouidentiæ & bonitatis deſtitutus.

Etiam eos audit Deus, quos ipſe in diſcrimina cõijcit.

Quintò. Et clamauit, inquit, angelus Dei ad Hagar. Conſidera, quàm competenter non angelo, ſed Deo tribuatur, quòd uocem pueri audierit. Deus, inquit, audiuit uocẽ pueri, & angelus clamauit ad Hagar. Ergo clamandum nobis eſt non ad angelos, ſed ad Deum, uoces periclitantium audientem. Angelus clamat ad Hagar: hoc eſt, facit officiũ ſuum, miniſter conſolationis à Deo miſſus. Verè Euangelicus clamor eſt, clamor conſolationis & gratiæ Dei ad afflictos & laborantes factus.

Non angelus ſed Deus audiuit uocem pueri.

Simul celerem obſerua diuinæ miſericordiæ efficaciam. Mox atq; uocem pueri Deus audiuit, adeſt angelus conſolationis & auxilij miniſter, clamori periclitantium reſpondens. Sic otioſus non eſt auditus Dei, ſed efficax: nec tarda ſunt diuinæ miſericordiæ molimina, ſed ſubita & celerrima. Et hanc celeritatẽ neceſsitas periclitantium requirit. Alibi dicit: Antequam clament, ego audiam ac dicam, Adſum.

Non eſt tarda diuinæ miſericordiæ efficacia.

Sextò. De cœlo, inquit. Poterat angelus in forma humana ad lugentem accedere, & conſolationẽ adferre, uerùm uoluit eam de cœlo clamando certam reddere de auxilio cœleſti. Sic non erat ſatis cõſolari deiectam, ſed fides illi facienda erat, q̃ cœleſti eſſet auxilio iuuanda. Admonemur, potiſsimam hanc eſſe omnium conſolationum partem, ſcire diuinitus nos, non humanitus iuuari.

Quid ſit potiſsimum in conſolationibus.

Septimò. Quid eſt tibi Hagar? inquit. Obſerua cõſolationis exordium, ad hhmanũ morem formatũ. Qui miſeria afflictorum tanguntur, hoc ſunt cõmiſerationis ingenio prædditi, ut parati ſint ad conſolandum, ac ſi fieri poterit, etiam ad ſuccurrendum, modò neceſsitatem prementem intelligant. Et qui in neceſsitatibus conſtituti ſunt, hoc cumprimis in uotis habent, ut detur aliquis, cui malum quo premuntur innoteſcat. Sperant enim fore, ut opem ferat, quiſquis neceſsitatis ipſorum fuerit factus conſcius. Eccquidem inſitum hoc eſt mortalium omnium cordibus, non eſſe hominem extrema periclitantem in neceſsitatibus deſerendum ab homine, qui uideat & ſciat quomodo periclitetur cõmunis naturæ conſors, ut meritò pro cõmunis generis noſtri hoſte habeatur, quiſquis adeò inhumanus eſt ac durus, ut hominem ſcienter perire ſinat, cum pereuntem auxilio ſuo ſeruare queat. Quare præter rationẽ non eſt, q̃ periclitantes cumprimis ad hunc modum acclamamus, ut percontemur quidnam illis acciderit mali, quo ſignificemus eſſe nos paratos ad ſuccurrendũ, eamq; ob cauſam deſiderio cognoſcendæ neceſsitatis eorum teneri. Iſta humanitas decet eos præcipuè, qui diuinæ bonitatis imitationem chriſtianiſmi profeſſione præ ſe ferunt. Angelicum planè eſt, ſic eſſe animatum, ut neminem lugentem ac triſtem, nedum extrema periclitantem tranſeas, quin ſcire cupias, qua nam neceſsitate prematur, & ſimul ad ſuccurrendũ, uel ſaltem ad conſolandum propendeas.

Exordium conſolationis.

Octauo. Ne timeas, inquit. Cogitemus etiam de iſta conſolationis parte, qua ſtatim hortamur in periculis conſtitutos, ut metum abijciant. Neq; hoc præter rationem facimus. Tanta uis eſt timoris in corde periclitantis, ut ipſa periclitatio non adferat tantum doloris, quantum incutit timor. Timor primus urget, auget, premit, conficit, & tantum nõ enecat. Si abſtuleris timorem periclitantibus, maximam mali partẽ abſtuliſti. Rectè igitur prima hæc eſt conſolationis portio, qua timorẽ periculi deiectis & anxijs mentibus ſtatim initio eximimus. Sic Moſes Exod. 14. ad Iſraelitas propter exercitũ Pharaonis à tergo imminentem admodum anxios & conſternatos, primo loco dicebat, Ne timeatis. Et Chriſtus diſcipulis ſuis metu ſpectri perculſis acclamabat, dicens: Nolite timere, ego ſum.

Timor cruciat periclitantes.

Non est timendũ illis, quibus paratum est diuinũ auxilium.

Nonò. Quoniam auscultauit Deus ad uocẽ pueri, inquit. Obserua ꝙ non simpliciter dixit, Ne timeas: A sed confestim rationẽ adiecit, quare timere non deberet amplius. Quoniam Deus, inquit, auscultauit ad uocem pueri. Ergo nõ conuenit, ut locum habeat timor in illis, quibus diuinum est paratum auxilium. Timeant illi, quos gratia Dei omni auxilio destituit. Fides gratiæ Dei animos afflictorum quantumuis antea deiectos, in medijs adhuc tribulationibus erigit & alacres reddit.

Vbicunq; fuerimus, exaudimur à Domino.

Decimò. Neq; illud transeundũ est, quòd non simpliciter dicit, Quoniam auscultauit Deus ad uocem pueri: sed addit, In loco ubi est. Non refert quo loco simus in hac terra. Vbicunq; fuerimus, uoces afflictorum exaudit, qui nullo nec cœli nec terræ loco includitur: sed omnia adimplet, & periclitantibus ubique succurrere potest, in mari, in solitudine, in carceribus, &c. Quare omniũ stultissimi sunt, qui gratiã auxiliatricem certis quibusdam locis affixã esse putant: id quod faciunt inuocatores & cultores sanctorum.

Quòd non angelus ipse leuauit Ismaelem.

Vndecimò. Surge, inquit, leua puerum, & apprehende illum manu tua, quoniam in gentẽ magnam faciam eum. Poterat angelus puerũ erigere, tamq; firmũ & alacrem reddere, ut de loco in quo iacebat, ultrò ad matrẽ plorantem accurreret. Poterat sanè. Verùm uoluit ut Hagar fide promissionis Dei abiecta desperatione surgeret, puerum proiectũ leuaret, manuq; prehensum abduceret: hoc est, maternũ officium per desperationem intermissum, fide confirmata rursus obiret. Neq; hoc tantũ quærebat, ut præsens malum tolleretur, sed ut Hagar promissioni Dei de puero factæ fidem habens, animatior in posterum ad educationem illius redderetur. Videmus hoc exemplo, nõ esse præter rationẽ, quod per ministerium nostrũ fieri uult Dñs, quę ipse multo melius, & nos sine ipsius auxilio omniũ minimè obire possumus. Sic exercenda est fides nostra, sine qua peccatum est, teste Apostolo, quicquid fecerimus.

Nomunquã usurpat sibi minister qd' solius est Dei

Duodecimò. Quoniam in gentẽ magnam, inquit, faciam eum. Iam dixerat, Auscultauit Deus ad uocem pueri, loquẽs tanq; minister ac nuncius Dei. Hic uerò, cum dicendũ esset, Quoniam in gentẽ magnã faciet eum Deus: dicit, Quoniam in gentẽ magnam faciam eum. Atqui nõ est hoc in potestate angeli, sed solius Dei. Videmus igit nõ esse absurdũ, si minister Dei se dicat uel facturũ, uel facturũ, quod nõ ipsius, sed Dei potestate perfici potest. Sic Paul. dicit: In Christo Iesu ego uos genui. Erat tanq; minister ad eam rẽ deputatus, quẽadmodũ & angelũ hũc crediderim custodiæ Ismaelis singulariter assignatũ. Si quæras de autoritate, potẽtia, uirtute & efficacia operis, Dei est: si de ministerio, angeli erat, ad hoc deputati.

Consolationi adiunctum auxiliũ

Tredecimò. Et aperuit Deus, inquit, oculos eius, & uidit puteum aquarũ, & abijt, & impleuit utrem aquis, & potauit puerum. Obseruandum hic est, quomodo consolationi subiunctum fuerit auxilium. Plenum opus misericordiæ consolatione constat, & auxilio. Neminem consolatur Deus nudis uerbis, sed cõsolationi adijcit etiã auxiliũ. Aperuit, inquit, oculos eius, & uidit puteũ aquarũ. Vides exemplũ B

Exemplũ animi consternati.

animi consternati, per quem multorũ oculi sic detinentur occlusi, ut quæ coràm sunt, unde consolari poterant, non uideant. Discipuli Dominũ in Emaus nõ cognoscebant, donec aperirentur ipsorũ oculi. Superare mare ambulantẽ timebant etiam, spectrũ esse putantes. Et Hagar ista non erat cæca. Alioqui nõ reliquisset puerũ, dicens, Non uidebo mortem pueri. Erat uerò animo cõsternata, sic ut oculis quoq; detenta non uideret puteum, donec abiecta consternatione aperirentur ipsius oculi.

Vnde sit quòd externis medijs nobiscum agit Deus.

Et uidit puteum aquarum, & abijt, & impleuit utrem aquis, & potauit puerum. Poterat Deus sitim adimere puero sine aquis. Verùm uisibili uoluit uti elemento, quo Hagar beneficentiam suam nõ solum fide intelligeret, sed & manibus palparet, imò ministra quoq; & cooperatrix illius fieret. Sic cogitandũ nobis est, nostro fieri bono pariter & honore, ꝙ externis medijs pascimur, potamur, uestimur, & sustentamur, inq; illis cooperarij ac ministri Dei assumimur.

MYSTERIVM HVIVS LOCI.

Quoniã in Ismaele & Hagar populus legis, seruilis & carnalis: in Isaac uero & Sarah populus electionis & ꝓmissionis, teste Apostolo, præfiguratus fuit, obseruanda uenit hoc loco uelut in tabella quadã depicta eorũ imago, quæ carnali erant Israeli obuentura. Breui transcursu singula perstringemus.

Principiò. Hagar & Ismael aliquandiu in domo Abrahæ quasi domestici fuerunt, quum tamen serui essent, & aliquando eijciendi. Seruus, inquit Christus, non manet in domo in æternum. Sic carnalis ille & seruilis Israel domui Dei aliquandiu adnumerandus erat, perinde ac si ad ius filiorũ pertineret, cum tamen suo tempore esset excludendus.

Deinde. Fuerunt Hagar & Ismael in domo Abrahę usq; ad natales & ablactationẽ Isaac filij ꝓmissionis ac seminis electi. Sic & carnalis Israel hæsurus erat in domo Dei usq; ad Christũ semen benedictũ.

Tertiò. Ismael irrisit, & sicuti Paulus dicit, persequutus est Isaacum: quo facto reiectus est unà cũ matre. Carnalis Israel irrisurus erat & ipse ac persequuturus Christum semen promissionis, qua impietate promeriturus erat ut è domo Dei eijceretur.

Quartò. Eiectio Ismaelis admodum displicuit Abrahæ, donec oraculo Dei instrueretur. Sic reprobationem carnalis Israelis molestè laturi erant multi fideles homines, donec per apostolos declararet. Qua de re uidere licet in Actis, & epistolis Pauli.

Quintò. Hagar & Ismael nudi è domo Abrahæ, sine ductore ac moderatore, cum pane tantum et utre aquæ eijciuntur. Sic carnalis quoq; Israel omnib. charismatis Dei spoliatus, nudus erat sine sacerdote, sine propheta, sine rege, &c. cum litera legis & fiducia legalium operum ueluti cum utre aquæ eijciendus.

Sextò. Hagar & Ismael dimissi è domo Abrahæ, ingressi sunt solitudinẽ. Carnalis Israel è domo Dei reprobatus, dispergendus erat in hunc mundum tanquã solitudinem sterilem ac uastam.

VII. Hagar & Ismael solitudinẽ ingressi cœperunt miserè errare. Cõsimili modo carnalis Israel eiectus è domo Dei multis erat erroribꝫ, inter gentes futurus obnoxius, q̃d multorũ seculorũ cursu declaratũ est.

Octauò, Errantibus in deserto defecerunt aquæ de utre. Erranti carnali Israeli in hoc mundo defectura erat legalium operum fiducia, eratq; uacua litera legis quasi inani utre oberraturus.

Nonò. Post defectum aquæ periclitari cepit Ismael, ac per desperationem sub unum ex uirgultis abiectus est. Carnalis Israel & ipse futurus erat desperationi obnoxius. Gloriantur ex illis pleriq; de spere demptionis, quam expectare se simulant. Verùm spes illorum inanis est uirgulti umbra.

Decimò. Hagar & Ismael desperantes eiulantes clamant, ac tum demũ exaudiuntur ac liberant à Domino. Carnalis Israel & ipse tandem uociferabitur ad Dominum, exaudietur ac liberabitur. Sic Deut. 4. legimus: Nõ habitabitis in ea longo tempore, sed delebit uos Dominus atq; dispergetin omnes gentes, et remanebitis pauci in nationibus ad quas ducturus est uos Dñs, ibiq; seruietis dijs, qui hominũ manu fabricati sunt, &c. Cumq; quæsieris ibi Dominũ Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quęsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ, postquã te inuenerint omnia quæ prædicta sunt. Nouissimo autẽ tẽpore reuertens ad Dominũ Deum tuũ, & audies uocẽ eius, quia Deus misericors est Dñs Deus tuus.

Vndecimò. Aperiunt Hagar oculi, ut uideat puteum, indeq; hauriat aquas recreationis. Et carnalis Israel obcæcandus erat, ut aquas salutis non uideret, donec oculos acciperet apertos. Id quomodo futurum sit, definire nõ potero: exoptare potero ut impleatur mysterium illud illuminandi tandem Israelis, de quo Apostolus ad Rom. 11. pauca quædam meminit.

Duodecimò. Hagar & Ismael ad domum Abrahæ non sunt reuersi corpore, sed in solitudine cũ gratia Dei habitarunt. Sic neq; carnalis Israel ad terram Abrahæ promissam corpore redibit, sed in mũdo manebit usq; ad tempus liberationis, quam adferet secundus Christi aduentus.

OBSERVATIO IIII.

Et fuit Deus cum puero, & creuit, & habitauit in deserto, & factus est magister arcus. Et habitauit in deserto Pharan: & accepit illi mater eius uxorem de terra Aegypti.] Principiò consideret diligens lector, quomodo dicatur Deus esse cum aliquo peculiariter, qui tamen ubiq; præstò est, nusquam abest. Bifariam cum aliquo esse dicitur. Cõmuniter, quemadmodũ cum hominibus, cum bestijs, & creatis omnibus, cuncta prouehens, gubernans & conseruans. Singulariter, cum nõnullis per temporariã gratiam est, qua reddit eos prosperos & felices iuxta seculum: cum electis uerò benedictione spirituali ad uitam æternam. Verùm hac de re si cui libet, inspiciat Cõmentarios nostros super psal. 23. ibi: Quoniam tu mecum es. *Quomodo Deus dicatur esse cum aliquo.*

Simul hic cogita, quàm non deserat eos Deus quos in periculis constitutos oculis misericordiæ suæ respexit & liberauit, nisi per impietatem ab illo deficiant. Sic puerum Ismaelem, cuius periclitantis uocem audierat, à gratia sua non abiecit. *Nõ deserit Deus quos liberauit.*

Deinde obserua quod dicit, Et habitauit in deserto. Et iterum, Et habitauit in deserto Pharan. Vides hoc exemplo elucere specimen quoddam pietatis in Hagar, quòd cum Aegyptia esset, & è domo Abrahæ cum filio suo excluſa, noluit tamen puerum ducere in Aegyptum, ibiq; cum illo inter impios & idolatras uiuere, sed hæsit potius in deserto, ne & Deũ & Abrahamũ impijs Aegyptiorũ superstitionibus offenderet. *Specimen pietatis in Hagar.*

Tertiò. Et factus est, inquit, magister arcus, uenator uidelicet. Ergo & cum uenatoribus est Deus, modò nõ sint aliàs impij. Cogita simul, quàm fuerit alimonia Ismaelis loco mansionis accommoda. Viuebat cum matre ex præda ferarum, quas offerebat illi solitudo. Ergo studiũ uenandi non fuit illi uoluptuarium, quale est hodie multorum magnatum, sed necessarium. *Et cũ uenatoribus est Deus.*

Quartò. Et accepit illi mater eius uxorem, inquit. Vide honestatem illorum temporũ. Nostro seculo non est opus ut parentes filijs suis de uxoribus prouideant, cum permittat iuuentuti, consuetudine omnium pessima, ut ipsi uxores inscijs parentibus accipiant, & eiusmodi nuptiæ in consistorijs, ut uocant, pontificum confirmentur. *Contra clandestinas nuptias.*

Et illud considerandum est, quod addit, De terra Aegypti. Quare non ex Chananæis? Quare nõ de filiabus Lot, uel Nahor, quorũ alius nepos, alius frater fuit Abrahæ? Quemadmodũ initiò ex Abrahamo & ancilla Aegyptia genitus est Ismael, ita uisum est Domino, ut & poste ritas Ismaelis utriusq; sanguinis cõmixtione constaret. In Ismaele erat semen Abrahę, in uxore illius quã ex Aegypto accepit, erat semen Aegyptium, unde nati sunt duodecim illi duces & maiores Ismaelitarũ. Sic uoluit Dominus maternam Ismaelis originẽ in posteris illius seruari, ne qua Ismaelitis portio esset in Cananæis, Abrahæ in possessionem datis, uel in cognatione generis Abrahæ. *Quare de terra Aegypti sumpta sit Ismaeli uxor.*

Qui nubunt contra conscientiã parentum, peccant.

1. Contra primordialem coniugij institutionem. Vide suprà cap. 2. ibi, Et adduxit eam ad Adam.
2. Contra præceptum Dei, Honora patrem & matrem.
3. Contra legem naturæ: Quod tibi non uis fieri, ne facias alteri.
4. Contra honestatem publicam, & bonos mores.
5. Contra leges ciuiles, quæ clandestina matrimonia damnant.
6. Contra sanctimoniam matrimonij, cuius principia fœdantur.
7. Contra exempla maiorum. Hic, capite sequenti, infrà capite uicesimooctauo. Et Iacob quamuis amaret Rachelem, haud tamen clanculum eam rapiebat, sed pro uoluntate patris propter eam seruiebat, donec eam legitimè traditam acciperet.
8. Contra ipsam iuuentutem, quæ sibi temeritate ista plurimùm incommodat.

Irrita esse clandestina connubia, si pater non consentiat:
Exod. 22. Etiam si seducta fuerit uirgo, nolente patre, non iungetur seductori.
Et Sichem princeps Salem non iudicauit obtenturũ se coniugiũ Dinæ inuitis parẽtibus, infr. 34.

Eodẽ tẽpore dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham: Deus tecum est in uniuersis quæ agis. Iura ergo per Deum ne noceas mihi, te posteris meis, stirpiq; meæ: sed iuxta misericordiam quam feci tibi, facias mihi, & terræ in qua uersatus es aduena. Dixitq; Abraham: Ego iurabo. Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ, quem ui abstulerant serui eius. Respondit q; Abimelech: Nesciui quis fecerit hanc rem, sed & tu non indicasti mihi, et ego non audiui præter hodie. Tulit itaque Abrahã oues, & boues, & dedit Abimelech. Percusserunt q; ambo fœdus. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. Cui dixit Abimelech: Quid sibi uolunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum? At ille: Septem inquit agnas accipies de manu mea, ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum. Idcirco uocatus est locus iste Beersabe, quia ibi uterq; iurauit, & inierunt fœdus pro puteo iuramenti. Surrexit autem Abimelech & Phicol princeps exercitus eius, reuersiq; sunt in terram Palæstinorum. Abraham uerò plantauit nemus in Beersabe, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

LECTIO.

Eodem tempore.] In Ebræo non est, eodem tempore, neq; in Græco, sed simpliciter, & factum est tempore illo. quod idem est atq; circa id temporis, ne quis uno eodemq; tempore & Ismaelẽ eiectum, & fœdus inter Abimelech & Abrahamum erectum esse putet.

Dixit Abimelech & Phicol, &c.] Græcus sic habet. Καὶ εἶπεν Ἀβιμέλεχ καὶ ὁ χοζὰθ, ὁ νυμφάγωγος αὐτοῦ, καὶ ὁ φιλὸχ ὁ ἀρχιστράτηγος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ id est. Et dixit Abimelech, & Chozath pronub. eius (sic uertit Hieron. alij reddiderũt præf. ctũ gynæcæi) & Philoch archidux exercitus eius. Manifestum est, neque in Ebræo, neque in paraphrasi Chaldaica esse, quod Græci hic de Chozath pronubo Abimelech legunt. infrà capite uicesimosexto sit illius mentio, ubi tamen simpliciter de amicis Abimelech fuisse memoratur. Et illudquod legunt, Philoch pro Phicol transpositionem habet literarum ב, & ל, id est Caph, & lamed. Ebræus habet פיכל. Græci legunt תיכל

Iura ergo, &c.] Ebr. Et nunc iura mihi. Et Græcus: Nunc igitur iura. In Ebræo additur, הנה, id est huc. Et nunc, inquit, iura mihi per Deum huc. Ebraismus est, nostro Germanismo respondens, quo dicimus, *schwòr mir her bei Got.*

Ne noceas mihi & posteris meis stirpiq; meæ.] In Ebræo est אם תשקר לי וגיני ולנכדי, id est, si fallaciter mecum egeris, & cum filio meo, & cum nepote meo. Pagninus reddidit: Si mentitus fueris mihi. Tigurina, ne dolo malo mecum agas. Græcus sic, μὴ ἀδικήσεις με μηδὲ τὸ σπέρμα μου, μηδὲ τὸ ὄνομά μου, id est ne me iniuria afficias, neque semen meum, neque nomen meum. Apparet hunc interpretẽ pro לנכדי id est lenecdi, legisse לנכרי, id est lenecri, quod sonat, cognitionem meam, uel noticiam meam, atq; ita reddidisse, nomen meum. Sic error admissus esset in littera daleth, pro qua interpres legit ר, uel, legit, לכבדי, id est, gloriam meam, atque ita reddidit, nomen meum. Sic admissus esset geminus error in literis. Legisset enim caph pro num, & beth pro caph. Formæ literarum Ebr. sic sunt, ut facile sit in eiusmodi incidere errorem, si non attentè ac diligenter scribantur, & legantur.

Propter puteum aquæ.] Græcus legit pluraliter περὶ τῶν φρεάτων id est de puteis, cũ ramẽ de unico dũtaxat puteo sit hic actum.

Quid sibi uolunt septem agnæ istæ.] In Ebræo habetur, מה חגת שבע כבשות האלה, id est, quid huc septem agnæ illæ? Was sollent die siben lemlin hieher? Interrogat quid agnæ illæ facerent ad fœderis rationẽ.

Surexit autem Abimelech, & Phicol &c.] Hic quoque addit Græcus, & Chozath pronubus eius, cum non legitur in Ebræo.

Abraham uerò plantauit nemus.] Ebr. est אשל, quæ uox communiter significat quoduis arborũ genus. Et Chaldæus uertit אילנא, id est arbores. Græcus uerò reddidit ἄγρωστιν, id est aruum uel agrum.

EXPLANATIO.

Et factum est in tempore illo.] Propositum Mosis est, exponere quomodo Abraham etiam in illa peregrinationis suæ regione non solum temporarijs bonis, sed & præclara nominis existimatione sic sit à Deo cumulatus, ut regibus quoq; factus sit uerendus. Ad hunc scopum collimans inducit historiam hanc de Abimelecho. Et factum est, inquit, in tempore illo. Intellige non præcisse de eiecti Ismaelis, sed simpliciter de peregrinationis Abrahæ tempore quo peregrinatus est in regione Gerarensi.

Dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham, Deus tecum est, &c.] Verba regis Abimelech adfert in medium, ut ex illis intelligamus, quid mouerit regem hunc ad quærendam amiticiam Abrahæ. Perspicuum erat, esse Abrahamum insignem amicum Dei, propterea quòd prosperè illi succedebant omnia. Hoc ubi certissimis argumentis cognouit Abimelech, cœpit eum reuereri, metuens ne potentior ipso factus, regnum ad se raperet. Inito itaq; consilio unà cum principe exercitus eius ad illũ uenit, & securitatem ab illo lege fœderis obtinere nititur. Sic igitur subiungit exordio suo.

Et nunc iura mihi per Deum huc, si fallaciter mecum egeris, & cum filio meo, & cũ nepote meo, &c.] Quòd iusiurandum ab Abrahamo requirit, ad hoc facit, ut certus sit, nihil esse sibi incõmodi ab illo metuendũ. Si fallaciter, inquit, mecum egeris, uel, si mauis, si mentitus fueris mihi & filio meo & nepoti meo. Intelliges, si promissam benenolentiam non seruaueris, tam erga nepotes meos, quàm me ac filium meũ, quod sis ultioni diuinæ factus obnoxius. Addit: Secundum fidem ac beneficentiam quam feci tecũ, facies mecum, & cum terra, in qua es peregrinatus. Vt indicet se non præter rationem hoc petere, utitur prętextu æquitatis. Q. d. Benefeci tibi homini peregrino, par est ut uicem reddas. Benefactum est tibi in terra hac peregrinationis tuę, quare æquum est, ut illi uicissim benenelis. Illud, In qua es peregrinatus, legi potest, In qua peregrinaris. Apparet enim Abraham tum adhuc fuisse in ditione regis huius peregrinum.

Dixitq; Abraham, Ego iurabo.] Assensus est. Nihil enim perebatur iniqui.

Et increpauit Abraham Abimelechum propter puteum aquæ, &c.] Greges ouium ac boum habebat Abimelech, habebat item Abraham. Ad gregum suorum adaquationem foderat Abraham puteum. Hunc serui Abimelech, propter regiam domini sui maiestatem insolescentes uiolẽter in suos usus abripuerãt. Tulerat hoc Abraham patienter ad occasionem hanc usq; quæsiti fœderis. Priusquàm igitur regi iuret, ac fœdus cum eo ineat, increpat illum propter uim iniustam à seruis illius illatam, quo sincera posit cõ cordia statui, omni offensa è medio sublata.

Respondítq; Abimelech, Nescíui quis fecerit hanc rem, &c.] Purgat se Abimelech prętextu ignorantiæ, significans se laturum non fuisse, si quid rei huius cognouisset. Nõn negat factum, sed sibi innotuisse negat. Et addit: Neq; tu indicasti mihi, neq; à quopiã alio quicquam huius audiui. Q. d. undè cognouissem cum à nemine perceperim? Quomodò autem prohibuissem quod hactenus ignorani?

Tulítq; Abraham oues & boues, & dedit Abimelech & percussérunt ambo fœdus.] Poterant solo iureiurãdo stabilire fœdus, uerùm additæ sunt ceremoniæ solennes pro more regionis. Huc arbitror facere, quòd Abrahã oues, & boues Abimelecho dedisse memorat. Huiusmodi ritus cõfirmationis gratia adhibebant.

Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum, &c.] Seorsum, inquit, ut significet fuisse illas extra numerum ouium, ac boum, quorum in constitutione fœderis iam facta est mentio.

Cui dixit Abimelech: Quid sibi uolunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum.] Quoniam uidebat illas à reliquis stare separatas, facile conijciebat esse separatam quandam illarum rationem. Ideo sic percontatur.

Et ait: Septem agnas accipies de manu mea, ut sint mihi in testimonium, quod ego foderim puteum istum.] Perspicuo iam fœdere suis etiam rebus consulit Abraham, omnem occasionem futuræ contentionis auertẽs. Hoc propositò dat regi septem agnas, quæ ab illo acceptæ testimonio essent in posterum super puteo isto, quod ius illius ad ipsum pertineret, nõ ad regem. Hoc nomine dat agnas istas regi. Rex acceptas hoc nomine testimonium constituit super se, quòd agnoscat puteum hunc pertinere non ad se, sed ad Abrahamum. Quod si id agnoscere noluisset, agnas hasce nomine hoc quo dabantur non accepisset.

Ideireo uocatus est locus iste Beersabe, quia ibi uterq; iurauit, & inierunt fœdus pro puteo iuramenti.] Quoniam nomen huius loci Beersabe notum erat tempore illo quo Israel in terram Chanaan ducebatur, uoluit Moses populo Dei rationem & originem illius constare, ideoq; non solum historiam hanc exposuit, sed & particulam istam de nomine Beersabe adiecit. Sonat autem Beersabe puteum iuramenti. Potest etiam reddi, puteus septenarij. Nam שבע æquè septenarij ac iuramenti significationem habet. Verùm quoniam in adiecta ratione Moses non dicit, Quia ibi dedit Abraham septem agnas sed, Quia ibi uterq; iurauit: satius est ut puteũ iuramẽti uertamus. Illud, pro puteo iuramenti, uerti potest, in Beersabe. Sic est in Ebræo בבאר שבע, ne quis fœdus hoc, inter Abradam & Abimelech pro puteo tantum instituum fuisse putet.

Surrexit autem Abimelech & Phicol princeps exercitus eius, reuersíq; sunt in terram Palæstinorũ.] Reperta redierunt in eum Palæstinæ locum, in quo habitabant. Alioqui & Beersabe ubi fœdus cum Abrahã inierant ad terram Palæstinam pertinet, unde & infrà subditur: Et fuit colonus terræ Palæstinæ diebus multis habitans uidelicet in Beersabe.

Abraham uerò plantauit nemus in Beersabe, & inuocauit nomen Domini Dei æterni.] Locum parauit cultui Dei consecrandum, in quo uerbum Domini prædicaret, Ecclesiam colligeret, ac sacrificia Domino offerret. Illud, Et inuocauit nomen Domini Dei æterni, duplici sensu legi potest. Primùm sic, Et uocauit ibi in nomine Domini Dei æterni, id est, congregauit illuc ecclesiam in nomine Domini Dei æterni. Deinde sicuti uersum est, Et inuocauit ibi nomen Domini. Quod addit Dei æterni, אלעלם, est in Ebræo, quod uerti potest, Dei seculi ac mundi huius.

Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.] Significat Moses Abrahamum eo loci diu admodum prosperè ac quietè uixisse. Lyranus diuturnitatem mansionis huius annorum uigintiquinque fuisse annorat.

QVAESTIO.

Idcirco uocatus est locus iste Beersabe, quia ibi uterq; iurauit.] Nascitur hic quæstio, quomodo locus iste tum primùm Beersabe dici cœperit, postquam ibi Abraham & Abimelech ad statuendum inter se fœdus iurarunt, cum suprà dictum sit de Hagar, quòd domo Abrahę excluſa errauerit in solitudine Beersabe. Si tum Beersabe uocabatur, cum in illis locis oberraret Hagar, quomodo uerũ est quòd hic Moses locũ hunc idcirco uocatum esse Beersabe dicit, quòd ibi iurarint Abraham & Abimelech, cum iuramentum illud sequutum sit eiectionem Ismaelis.

Dicẽdum est quod suprà memoratum est de Hagar, quòd in solitudine Beersabe errauerit, esse eum locum sic uocatum à Mose per anticipationem, non quòd tum temporis cum ibi erraret Hagar sic uocatus sit, sed quòd usum sit Mosi, uocare hunc locum non nomine pristino & abrogato, sed nomine ab Abrahamo imposito, quo tum cum ista scribebantur incolæ loci illius uulgariter utebantur.

Augustinus putat quæstioni huic satisfieri, si per recapitulationem historiam hanc à Mose positã esse dicamus, quasi fœdus hoc Abrahæ & Abimelech eiectione Ismaelis præcesserit, atq; iam tum locus iste cum oberraret Hagar, Beersabe uocari cœperit. Verũ, meo iudicio, nõ est temerè cõfundenda series narrationũ Mosaicarũ, sed tolerabilius est, ut priorẽ sententiã retineamus, quã ipse ǫq; August. nõ improbat.

OBSERVATIO I.

Et factum est in tempore illo dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham: Deus tecum est in uniuersis quæ agis, iura ergo mihi per Deum huc, &c.] Principiò illud obiter intuendum est quod dicit, In tempore illo dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus eius. Rex Abimelech habuit exercitum, Ipse uocabatur pater meus rex. Talis debebat esse subditis, pater uidelicet uniuscuiusuis. Simul tamen alebat exercitum propter tuenda regni pomœria, & reprimendos hostes. Sic idem rex rogatus subditis, armatus hostib illis pater, istis est hostis: illos gubernat in pace, & affectu paterno prosequitur, istos uerò impugnat & reprimit armis. Et ut minus isti, puinciæ desit, qua cura geritur exercitus, habet rex prudens principem exercitus, in quem omnis ista solicitudo incumbat. Nequit enim fieri, ut quoniam ipse quoq; rex homo est, unus sufficiat uniuersæ administrationi negotiorum regni. Vocatur hic princeps Phicol, quod idem est si interpreteris, atq; os totius: uel, os omniũ. Intelligę principem exercitus, os esse totius exercitus, quod idem est, atq; imperatorem esse. Os talis principis imperatorium est, à quo pendere debet totus exercitus. Principem hunc exercitus sui secum ad Abrahamum ducit. Siue usus est illius consilio, siue uoluit cum conscium esse eorũ quę gerenda erant cum Abrahamo, uides prudentiæ regiæ exemplum, qua quamuis rex esset, & caput suorum omnium, seruos tamen suos quibus res grandes concredebat, habebat in precio. Sic apparet regiæ gubernationis exemplum satis elegans. Nec est ut contemnamus ista quasi minuta & ethnica. Magna sunt, sancta, ac plurimi facienda. Admodum cæci sunt, qui nõ animaduertunt, quàm sit res sacrosancta, recta & legitima regnorum administratio, non solum quarenus iudicio & iustitia reguntur subiecti populi, sed & quatenus robore exercitus reprimuntur hostium irruptiones. Deinde obseruandum est quod Abimelech ad Abrahamum dicit, Deus tecum est in omnibus quæ agis. Quoniã pius fuit Abrahã, & amicus Dei, occasione præsentis loci uidendum est, quomodo sit cum pijs Deus in omnibus quæ agunt. Considerationis huius duplex est respectus. Vnus pij hominis, alter Dei. Si cor pij, fidelis & electi hominis inspicias, deprehendes illum in omnibus quæ aggit, fide, spe, dilectione, cogitatione, proposito, cultu & obseruantia pendere à gratia, promissione, uerbo ac uoluntate Dei. Deum credit, sperat, diligit, intendit, meditatur, colit & obseruat dies ac nectes, & oculos habet in omnibus quæ agit ad illum intentos. Hactenus planè uerum est, si dicas Deũ cum eiusmodi homine in omnibus esse quæ agit, quemadmodum amatus est cum amante, & amicus cum eo, qui ipsius in mensa, in lecto, in consortijs hominum, & nusquam non recordatur. Rursus si fidem, gratiã & prouidentiam Dei consideres, deprehendes illum nusquam deesse talibus fidelibus & electis hominib. sed spiritu suo moderari omnia illorum consilia, dicta & facta, ut impleatur in illis quod psalmo primo canitur, Et quicquid facit prosperatur: Ergo & hactenus rectè dicitur Deus esse cum electis in omnibus quæ agunt, quatenus eos in omnibus dirigit, & gratia sua nusquam non prosequitur.

Tertiò, nec illud transeundum est, quòd non simpliciter dicit, Deus tecum est in omnibus: sed addit, Quæ facis. Ergo ex ijs quæ faciebat Abraham, colligebat Abimelech esse Deum cum illo. Vidit illi pro sperè cedere omnia, idq; iudicauit argumentum esse diuinæ gratiæ. Ea erat regis huius uigilantia in obseruando, & pietas in censendo. pium est, sic sentire de Deo, primũ, quòd adsit ille fidelibus suis in omnibus quæ faciunt: deinde, quòd ex illius gratia & fauore sit omnis prosperitas.

Quartò, de eo quoq; cogitemus, quòd non dicit, Deus tecũ est in omnibus quæ facit: sed, In omnib. quæ facis. Opera erant Abrahæ. Ille faciebat, pro sua sedulitate, quæ facienda erant uiro grauti, honesto, pio, & fideli patrifamilias. Prosperitas uerò & successus operum non erat Abrahæ, sed Dei. Potest Deus alere suos in ocio. Verùm non uult adesse ociosis, sed operantibus, utq; illorum operibus suæ gratiæ ac uirtutis ostendere præsentiam. Quare putidum genus hominum est, & alienum ab hac cœlestis gratiæ declaratione, quòd perpetuò sectatur ocia & ignauas delicias.

Simul tamen cogitandum est, plurimùm referre qualia sint facta eorum quibus sperandum est diuinã adesse gratiam & uirtutem. Et sancti sunt homines, nec ubiq; talia sunt illorum facta, quæ cœlestem gratiam promereantur. Errant & ipsi subinde, & magis quæ carnis quàm quæ spiritus sunt instituunt. Nec debemus sic de Deo sentire, quòd successum largiatur operibus tenebrarum perinde atq; lucis. Quare si cui

Rex, & pater esse debet subditorũ, & oppressor hostium.

Princeps exercitus Phicol est, id est, os omnium. Exemplum prudentiæ regiæ.

Sacrosancta est recta regnorum gubernatio.

Quomodo sit cũ pijs Deus.

Obseruauit Abimelech opera Abrahæ.

Abraham faciebat, Deus successum dabat.

Plurimũ refert, qualia sint nostra opera.

A Nec debemus sic de Deo sentire, quòd successum largiatur operibus tenebrarũ, perinde atq; lucis. Quarè si cui cordi est, Deum in omnibus quæ facit habere præsentẽ, etiam atq; etiam uideat ut faciat quæ sunt pia, honesta, utilia, necessaria, quorum prosperitas esse possit ex Deo, & ad gloriam gratiæ Dei faciat.

Quintò, consideremus & illud quod dicit: Iura ergo mihi per Deum, si fallaciter mecum egeris, &c. Hactenus Abimelech oculos habuit uidendi & cognoscendi: hic uerò admodum stultescit & errat. Timet sibi ac regno ab eo homine qui Deum in omnibus factis suis habebat præsentem. Deus, inquit, tecũ est in omnibus quæ facis. Iura ergo mihi, &c. At qui ab eiusmodi homine nihil tibi, ò Abimelech, nec regno tuo timendum erat periculi, sed omnis generis bona speranda & expectanda. Etenim non possunt esse fallacia, subdola & iniqua eorum consilia, quibus adest Deus in omnibus quæ faciunt. Et Deus ipse ad hunc modum comparatus non est, ut adsit suis mala pro bonis rependentibus. Quare metus hic tuus Abimelech non ex ipsa re natus est, sed ex inani cordis tui diffidentia.

Stulteſcit & errat Abimelech.

Interea uidemus exemplum eius ingenij, quod ferè in omnib. deprehenditur principibus. Vbi uidẽt singularem aliquam uel potentiam, uel rerum gerendarum dexteritatem subnasci in quopiam, cõfestim rebus suis subtimere incipiunt, etiamsi manifestum sit, non esse maleuolum hominem, sed bonũ ac pium, à quo sibi timent. Metus iste tam ineſt cordibus principum & in sublimitate constitutorum hominum, ut quemadmodum omnia humilia & infirma floccifaciunt, ita ab omni eo quod eximium & egregium esse incipit miserè sibi timeant. Sic Saul mox ubi Dauidem per gratiam cooperantis Dei in omnib. pro sperè agere animaduertit, cœpit illum timere. 1. Sam. 18.

Ingenium principum.

Accedit & illud. Metuebat Abimelech, ne fortè Abraham robustior ac potentior factus, non satis bo ni consulturus esset, quòd uxorem ipsi abstulisset. Videmus ea in re exemplum animi de læsione proximi, & conscij sibi, & ultionem metuentis. Difficile est, eiusmodi conscientiæ stimulũ non sentire, etiamsi quod factum est, per ignorantiam, & sine ullo nocendi studio accidit.

Exemplũ animi non bene sibi conscij.

Sextò & illud obseruemus, q̃d addit de posteris ipsius, dicens: Et cum filio meo, & cum nepote meo. Ergo non sibi tantum, sed & posteris suis à potentia Abrahæ timebat. Erat omnino in fatis, ut posteris Abrahæ cederet omnis illa Chananæorũ ac Philistæorũ terra. Quare etsi hoc regẽ istũ latebat, uidemus tñ in timore hoc illius aliq̃d fuisse ominis. Sic uulgò dicimus, *Nach böſem ahnen kumpt ſelten etwas gůts.*

In timore Abimelech fuit aliquid omnis.

Septimò. Considerandum etiam est, quomodo in timore isto constitutus securitatem quærat. Tres sunt uiæ, quibus in huiusmodi metu constituti principes securitatẽ quærere consueuerunt. Prima est extinctionis omnimodæ, secunda oppressionis, tertia cohibitionis. Extinctionis est, qua prorsus è medio tolluntur, qui quacunq; ratione metuuntur, nec ulla initur consideratio causæ, sit ne iustum uel iniustum occidere hominem, qui nonnunquàm frustra, uel certè non sine iusta ratione timetur. Oppressionis est, qua qui timetur, grauibus exactionibus & oneribus sic premitur, ut etiamsi uelit, non possit tamen negocium facere regno. Cohibitionis uerò, qua non intenduntur insidiæ sanguini, sed medijs quibusdam uel in speciem saltem honestis certa quæritur securitas. Priores duas uias sequuntur tyranni, homines impij ac truculenti. Exemplum primæ est in Saule sanguini Dauidis improbissimè insidiante: deinde & in Herode primùm subdolè, deinde manifesta crudelitate necem Christo recens nato intẽtante. Secundam uiam secutus est Pharao, cum opprimeret Israelem. Exod. 1. Non ingredior nebulas illas ethnicorum exemplorum, quorum copia gentiles historias legentibus passim occurrit. Tertiam amplexus est Abimelech, non quærens Abrahæ extinctionem uel oppressionem: sed rationem sequens placito medio securitatem obtinendi. Hactenus in illo exemplum uides regis minimè impij ac truculenti.

Quomodo Abimelech securitatem quærat.

Octauò. Diligenter obseruandum est, q̃ cum multæ sint rationes quibus securitas placidè quæri ob tineriq; potest. Placuit ista Abimelecho, quæ est per religionem iurisiurandi. Est ista pijs hominibus conuenientissima, & omniũ efficacissima. Iura mihi, inquit, per Deum. Sensit rex iste, tantam esse numinis religionem in corde Abrahæ, ut nullo robustiori uinculo à consilijs infestandi regni cohiberi possit, q̃ si se iureiurando seruandæ paci reddat obstrictum. Quod Abrahamum concernebat, nulla erat consilij huius necessitas. Nam sancti etiam iniurati faciunt quod æquum est, & bonos uiros decet. Interea tamen probandum est in Abimelech, quòd tantum tribuit diuini nominis religioni.

Securitas per religionẽ iuramenti quæsita.

Nonò. Et illud obserua, quòd non dicit: Iura mihi per deos, uel per salutem meam: sed simpliciter, Iura mihi per Deum, intelligens non alium quàm de quo dixerat: Deus tecum est in omoibus quæ agis. Vide quàm maior fuerit modestia ethnici huius regis, quàm sit Papistarum. Non exterſit ab Abrahamo iusiurandum quod à fide ac religione ipsius esset alienum, sed quod cum illa planè esset consonum. Isti uerò dicunt, Iura nobis per Deum, beatam uirginem, & omnes sanctos: & dicunt illis, quos sciunt non credere in beatam uirginem & sanctos. Quare non cogitant, metũ numinis neruum esse iuramẽti? Quis seruans erit iuramenti sub nomine eius præstiti, quem nec Dei loco habet, nec ut Deum timet?

Duo obseruãda in uerbis Abimelech.

Decimò. Sed iuxta fidem ac beneficẽtiam, inquit, quam feci tibi, facies mecũ, & cum terra in qua peregrinaris. Duo sunt hic consideranda in Abimelecho. Vnum est, quod Abrahæ homini peregrino beneficerat, copiamq; in terra sua quo uellet loco habitandi obtulerat. Alterum est, quòd eam illi beneficentiam rememorando reuocat in memoriam, & gratitudinis uices ab eo requirit. Prius boni operis habet exemplum, quod imitemur omnes, posterius non ita. Bonum est, benefacere peregrino: denique par est & æquum, ut cui benefactum est, memor accepti beneficij, si non copiosius, ex æquo saltem benefactori suo respondeat. Id uerò non ita laudabile est, si quis, nisi forsan ratione necessitatis adactus, ei cui benefecit, dicat: Beneſeci tibi, quare uide ut uicissim benefacias & mihi. Quid enim hoc aliud est, quàm

quàm metuere ne nõ satis gratus futurus sit cui benefactum est: deinde & beneficium, quod oportebat esse liberum & alienum à proprij cõmodi studio, ueluti in sinum nostrum reuocare? A uiro bono nõ est opus ut uices beneficentiæ quæramus, ad quas ille etiam non admonitus sponte sua propendet. Abraham alioqui non erat mala redditurus pro bono, neq; defuturus erat officio boni uiri, ubicunque præstandi illius esset ratio.

Terræ peregrinatiõis fauendũ.

De eo quoq; cogitandum est, quod dicit: Et cum terra in qua peregrinaris. Peregrinum esse, miserũ est esse, & uitam uiuere multis molestijs obnoxiam. Si id incidat in hominem alienum à pietate & animi bonitate, uidebis eum non solum imparientius ferre peregrinationis incõmoda, sed & terræ peregrinationis ipsius non bene uelle ex animo, quasi illa sit in culpa, quòd non licet uiuere in patria. Pius contrà & patienter feret quicquid occurrit molestiæ, & erga terram peregrinationis suæ cum omnibus illius indigenis amanter ac beneuolè afficietur, gaudenti congaudebit, dolenti condolebit, pro pace ac tranquillitate illius ad Dominum orabit, quemadmodum & Hieremiæ 29. Israeli in Babylone constituto à propheta præcipitur.

OBSERVATIO II.

Facilitas assentiendi in reb. honestis.

Dixitq; Abraham, Ego iurabo.] Facilitate hac assentiendi admonemur de ingenio sanctorũ, quàm sint illi faciles ac parati ad omnia ea petita, quæ quouis modo ad pacem, rerum tranquillitatem, & gratificandum amicis facere possunt. Nemini malè uolunt, nemini insidias tendunt, non delectantur rerũ perturbatione: quare absq; ullo negocio impetratur ab illis, ut fœdera pacis ac mutuæ beneuolentiæ cũ uicinis ineant. De eo quòd paratus est ad iurandũ, ac de iureiurando quàm non sit illud illicitum in se, si cui lubet, uideat in calce Cõmentariorum nostrorum in psalmos appendicem de iuramento.

OBSERVATIO III.

Vera & cordata patientia.

Et increpauit Abraham Abimelechum propter puteum aquæ, quem ui abstulerant serui eius.] Primùm obserua exemplum ueræ ac cordatæ patientiæ. Violentiam & iniuriam seruorum Abimelech patienter tulerat, & silentio presserat Abraham, non ex pusillanimitate, sed ex tranquillitate cordati spiritus, patienter expectans donec occasio de illa cum rege expostulandi daretur. Ea demum uera patientia est, qua mala æquo animo non imbecillitate spiritus, sed uel prudenti consilio, uel respectu diuinæ uoluntatis tolerantur. Qui mala ferunt, propterea quòd uel non audent, uel non possunt illis reluctari, nõ laturi, si resistere auderent & possent, non spiritu ueræ & cordatæ patientiæ feruntur, sed uel metu maioris mali, uel insuperabili potentia uincuntur.

Quomodo prudenter sint increpandi amici.

Deinde & illud animaduertendũ est, q; increpationem hanc Abrahã sic instituit, ut institutũ concordiæ ac fœderis non impediret, sed dirigeret, & confirmatius redderet. Non increpauit regem statim initio, sed primùm petitioni illius cõsentiens, dixit, Ego iurabo: ac tum demum increpationem subiecit, ut tolerabilius aiciperetur à consentiente ac beneuolo. Deinde & huc conducebat, ut nullam nubeculam rancoris in corde relinqueret. Faciebat hoc ad sinceritatem concordiæ. Discimus hoc exemplo, quomodo ineundæ sint societates & fœdera. Quemadmodum uidelicet ubi caro inflicto uulnere diuisa opera chirurgi redintegratur, diligenter curandũ est, ut cumprimis pus omne repurgetur, antequam intercisa cutis coaduncetur: sic planè curandum & hic est, ut ubi fœdera sumus inituri, statim initio si quid rancoris latuit in cordibus, moderatis expostulationibus eijciamus.

Quomodo ineũdæ sint societates.

Ingenium seruorum.

Tertiò, expressum etiam hic est ingenium seruorum de potentia dominorũ suorum præsumentium, & uim iniustam aduersus inferiores & impotentiores exercentium. Reperias in isto hominũ genere, qui ius dominorũ suorum sic ultra legitimos limites extendant, ut absq; ulla peccati conscientia alienos etiã labores inuadant, ac dominis suis uindicent. Et dum aliena inuadunt, arbitrant se fideles esse heris suis. Vtinam in aulis Christianorum regum ac principum hoc genus seruorum nihil haberet loci.

OBSERVATIO IIII.

Ignorãtia ueniã meretur.

Respondítq; Abimelech: Ignoro quis fecerit hanc rem, sed & tu non indicasti mihi, & ego non audiui præter hodie.] Obserua hoc genus excusationis. Primùm, habet ignorantia ueniam & excusationem. Etenim qui ignorat ea quæ fiunt, utiq; quæ ignorat, emendare non potest. Deinde is demũ ignorantiam rectè obtendere potest, qui non solum quæ facta sunt non uidit, sed ne audiuit quidem de illis quicquam, ut confidenter dicere possit: Neq; tu indicasti mihi, neq; ex alio quopiam audiui præter hodie.

Mala domestica tardissimè ad patresfamilias deferuntur.

Simul obserua singulare hoc malum, quod omnibus ferè patribusfamilias & principib. euenire consueuit. Peccant domestici præter illorum conscientiam, & faciunt sub ipsorũ nomine, quæ si scirent, haud quaquam ferrent. Interea nemo est qui quæ malè fiunt, ad aures illorum perferat. Qui lædũtur, læsi silent, ne animos improborum contra se incitent. Qui lædunt innoxios, & ipsi quod faciũt, altissimè dissimulant. Spectatores malorum cogitant, Quid ad nos quid isti faciant? Nolumus iritare crabrones. *Was dich nitt brennet, das blaß nitt.* Sic accidit, ut mala domestica citius ad quorumuis, quàm ad patrisfamilias ac principis conscientiam perferantur: fitq; ut ipsi postremi peccata seruorum ac filiorũ nostrorum cognoscamus, quorum tamen omnem uitam conscientiæ nostræ subiectam esse oportebat.

Peccata non semper latent.

Præterea etiam hoc animaduertendum est. Licet serò peccatum seruorum suorum cognouerit Abimelech, tamen cognouit tandem, factumq; est, ut qui presserat illud aliquandiu silentio, tandem ruptro silentio, ad cognitionem eius cuius intererat detulerit. Obseruent hoc exemplum, qui putant perpetuò sibi fore impunè, quòd extra conscientiam herorum suorum delinquunt, quasi fieri possit, ut illam in finem usque fallant. Cogitent horam quandam esse in fatis, quæ quasi luce quadam proditura sit, ac

A sirac manifestatura, quæ ipsi in tenebris delinquunt. Bonus Abraham, iniuriæ patiens Abraham, silens Abraham: nerùm tandem aperto ore quod malefactum est, confidenter redarguit.

OBSERVATIO V.

Mansuetudo Abrahæ.

Tulitq; Abraham oues & boues, & dedit Abimelecho, & percusserunt ambo fœdus.] Obserua mansuetudinem spiritus in Abrahamo, quàm placidè purgationem Abimelech acceperit. Non petit ab illo, ut pœnas de seruis iniquis sumat, sed accepta excusatione contentus percutit cum eo fœdus.

Quomodo sancti etiam sumptibus suis alàt concordiam.

Deinde & illud obserua. Fœdus hoc petebat non Abraham, sed Abimelech. Deinde non fuerat Abimelech læsus, ut aliquo esset munere placandus, sed Abraham. Et tamen qui non ambibat fœdus, sed petenti consentiebat: neq; læserat, sed læsus fuerat, ad confirmationem fœderis munera sua cõfert oues & boues, quæ accipere potius à rege quàm dare debebat. Sic animati sunt sancti, ut ubi seruiendũ est paci, concordiæ & amicitiæ, non parcant sumptibus etiam ad se non pertinentibus, parati ad dandum à quibus debebant accipere. Et hoc quoq; nomine felices sunt. Beatius enim est dare quàm accipere.

Tertiò, an licuerit Abrahæ fœdus inire primũ cum homine ethnico, deinde & cum posteris eius, in ea terra quam semini ipsius hæreditariò possidendam promiserat Dominus, uide quæ annotata sint suprà cap. 24. ubi Abraham cum Amorrhæis fœdus iniisse memoratur.

OBSERVATIO VI.

Multũ referre, à quo nobis fiat iniuria.

Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum: cui dixit Abimelech, Quid sibi uolunt septem agnæ istæ quas stare fecisti seorsum? Et ait: Septem agnas accipies de manu mea, ut sint mihi in testimonium, quod ego foderim puteum istum.] Obseruandum est, quid sibi uelit factum hoc Abrahæ. Priusquam fœdus inter ipsum & Abimelech sanctum esset, usqueadeò patiẽter tulit, cum puteus ipsi uiolenter per seruos Abimelech adimeretur, ut ne uerbo quidem id illi indicaret, mox uerò atq; fœdus cum illo pepigit, non permisit amplius ut puteus esset in potestate seruorum Abimelech, sed ius ac possessionem illius sibi uindicat. Admonemur hac consideratione, multum referre, à quo nobis fiat iniuria. Vim à seruis regis illatam, rectè cũ patientia pertulit Abraham: uerùm ut id sibi fieret non iam simpliciter à rege, sed à confœderato quoq; ferre non debuit. Multa potest Christianus per patientiam ferre incõmoda ab exteris dominis & magistratibus illata, & iniuriam ab illis acceptam alto silentio premere: quorum gratia, si à fratribus euenirent, rectè expostulare ac ius suum repetere posset. Aliud omnino est iniuriæ genus quod ab exteris, & aliud quod à fratribus & confœderatis infertur: & aliter agendum est cum exteris, aliter cum fratrib. & coniunctis, quorum coniunctio stare non potest, nisi omne genus iniuriæ ac uiolentię repellatur, suumq; cuilibet ius illęsum seruetur.

Exemplum prudentiæ.

Deinde obseruandum etiam est prudentię exemplum. Erat iam confœderatus Abimelecho, expostulauerat cum illo super ablato per uim puteo, receperatq; illum in suam potestatem, & tamen ultra institutam confœderationem adhuc septem agnas de grege suo separat, & Abimelecho testimonij gratia tribuit, quòd puteum hunc ipse fodisset. Videmus sanctum uirum singulari prudentia & cautione futuræ tranquillitati prospexisse, & causas dissidiorum futurorum amputare uoluisse. Admonemur hoc exemplo, non esse alienum à prudentia sanctorum, ut dum rebus præsenti tranquillitate consulunt, de futura quoq; securitate & pace cauti prospiciant. Non est enim ulla tam firma societas, etiã inter bonos & cordatos uiros instituta, quam non futurum aliquod dissidium labefactare ac diuellere possit. Quare admodum operæ precium est, ut dum præsentem inimus amicitiam, quicquid ad futuram discordiam ullo pacto facere potest, statim initio bipenni prudentiæ amputemus.

Tertiò, nec illud transeundum est, quòd septem agnas statuit Abraham, quæ testimonij uicem gererent. Hebræa uox שבע & septem significat, & iuramentum. Videmus hic quàm sit antiquum septenarij numeri sacramentum, non in scripturis modò, & rebus sacris, sed ciuilibus. Hodie quoq; in usu est, ut ad confirmationem instrumentorum septem agnæ, id est, homines innocui ac fide digni testimonij gratia adhibeantur. Meo iudicio, consuetudo hæc apud priscos Hebræos fecit, ut uox שבע pro iuramẽto usurparetur. Et aliòqui septem sunt præcipua in iurameato: Iuramentum ipsum, causa propter quam iurat, iurans ipse, cui iuratur, nomen Dei per quod iuratur, obligatio fidei, & ultio periurij.

OBSERVATIO VII.

Consilium Abrahæ.

Idcirco uocatus est locus iste Beersabe, quia ibi uterq; iurauit, & inierunt fœdus pro puteo iuramenti.] Obseruandum est hic consilium Abrahę. Dedit Abimelech septem agnas, ut essent testimonium, quòd ipse puteum fodisset. Deinde loco isti, in quo fœdus iureiurando uterq; ipse & Abimelech inierant, imposuit nomen à re gesta, ut iurisiurandi ac fœderis huius memoriam seruaret diuturnam, & ad posteros transferret. Quare uoluit ut hic locus Beersabe, id est, puteus iuramenti uocaretur. Consilium eius fuit, caueret ne quod inter ipsum & Abimelech gestum erat, obliuioni traderetur. Admonemur quæ fuerit religio iurisiurandi cc fœderum apud sanctos. Qui irreligiosè afficiuntur iuramento, parum de seruanda illius memoria sunt solliciti. Atqui si abstuleris memoriam iuramentis, in propinquo est ut uiolentur. Memoria iurisiurandi neruus est custodiæ illius. Quare improperare solemus periuris, quòd iuramenti sui sint obliti, & de seruantibus iurisiurandi prædicamus, quòd memores sint præstiti sacramenti.

Duo genera iuramentorum.

Deinde obserua quod dicit: Quia ibi uterq; iurauit, & inierũt fœdus. Duo sunt iuramentorũ genera. Vnum, quo iurati subiecti redduntur dominis ac magistratibus, & aliquando etiam uictoribus, sicuti in bellis fieri uidemus. Hic non iurat uterq; dominus & subditus, sed subditus tantũ, inferior uidelicet superiori, cui ad obediendum iureiurando obligat. Alterum, quo non inferior superioris imperio subijcitur, sed

sed quo amicus amico mutua fide ac societate confœderati. Hic utrinq; inuicem iuratur. Hoc genus iurisiurandi eorum est qui libri sunt, ut fœdera cum quibus placuerit inire queant. Datur hic & accipitur iuramentum utrinq;, quia utramq; partem conuenit obseruantem esse fœderis, ac sic iuramento inuicem obstrictam, ut tamen neutra sit alterius dominio seruiliter subiecta. Prius iuramenti genus placuit pontificibus in Ecclesia, quo populum Christi non habeant coniunctum, tanquam fratres, sed subiectum, ueluti seruos.

Non legitur Abrahã deduxisse regem.

OBSERVATIO VIII

Surrexit autem Abimelech & Phicol princeps exercitus eius, reuersiq; sunt in terram Palæstinorum.] Obseruet hic diligens lector, quòd nulla fit mentio de comitatu ac deductione Abrahæ, qua sit regem ac principem eius à se discedentes comitatus, cum tamen in consueto haberet peregrinos homines non modò hospitio accipere, sed & abeũtes comitari ac deducere, sicuti suprà cap. 18. uidimus. Simpliciter hic memoratur quòd surrexerint Abimelech & Phicol. reuersiq; sint in terram Palæstinorum. Non additur, quòd comitatus sit eos Abraham. Nolim affirmare, non esse Abrahamum regem hunc abeuntem comitatus. Siue comitatus sit illum, siue minus, nihil de illo meminit Moses: meminit autem de comitatu illo quo peregrinos aliqua itineris parte deduxit. Admonemur non esse tanti, si quis officij & honoris gratia potentes huius seculi comitet, quanti censeri debet, si quis peregrinos homines humanitatis officio ac philoxeniq; studio locorum ignaros deducat & comitetur. Non damnamus honorem uiris huius seculi exhibitum, sed officia humanitatis ac ueræ charitatis in peregrinos declarata præferimus.

OBSERVATIO IX.

Qualia oratoria ædific. Abraham.

Abraham uerò plantauit nemus in Beersabe, & inuocauit ibi nomen Domini Dei seculi, & fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.] Siue legas, Plantauit Abraham arbores: uel, Plantauit Abraham nemus, obseruandum nobis est, non ædificasse illum Deo templum aliquod lapideum operosum ac sumptuosum, in quo nomen illius inuocaret, sed locum orationis & Ecclesiæ suæ constituit inter arbores, in quib. & supernè patebat cœli aspectus, & circumcirca opera manuum Dei oculos orantium incurrebant. Huiusmodi oratoria nihil habebant superstitionis, nihil luxus, nihil humani splendoris, & interim obiectis ad alendam fidem accõmodis precantium ac nomen Dei inuocantium mentibus pulcherrimè seruiebant. Hodie audimus Christianos sic animatos, ut nisi in templis lapideis ante aras & statuas procumbant, prorsus indispositi sint ad orandũ. Hi si tempore Abrahæ uixissent, membra Ecclesiæ illius esse nequiuissent.

Locus iuramenti religionem postulat.

Deinde obserua quòd dicit Abrahamum sacrum nemus plantasse in Beersabe: id est, ad puteum iuramenti. Et hoc conuenienter. Locus enim iuramenti religionem postulat. Nam pars diuini cultus est iusiurandũ sub nomine Dei præstitum. Quare & prisca gentilitas etiam apud Romanos ad aras deorum sacramenta præstare solebat. Non conuenit ut prophanus sit locus, in quo nomen Dei ad piẽstandum sacramentum est usurpatum.

Quomodo Dominum uocet Abraham Deum seculi.

Tertiò, nec illud transeundum est, quod dicit: Et inuocauit ibi nomen Domini Dei seculi. Non caret emphasi, quòd Dominum Deum suum homo peregrinus in terra peregrinationis suę uocauit Deum seculi uel mundi. Plurimum consolationis adfert exulibus & peregrinis, si perpetuò cogitent unicum illum Deũ nostrũ esse totius mundi Deum, & gubernare conseruareq; toto terrarum orbe omnia, etiamsi cæcus mundus illum non agnoscat, sed falsis dijs adhæreat. Nõ debemus autem elogium hoc Dei, quo אל עלם, id est, Deus seculi uocatur, ad latitudinẽ duntaxat uniuersi orbis, sed etiam ad perpetuam illam omnium seculorum, temporum & ætatum seriem referre, ut quemadmodum totius terræ, ita & perpetuum omnium seculorum Deum illum esse sentiamus, quo excludantur à fide & obseruantia ueræ diuinitatis quorumcunq; temporum pariter & regionum dij quantumuis illi sint uel prisci uel recentes.

Diutius mansit Abrahã eo loco, in quo prosperè agebat.

Quartò, & illud obserua, quod dicit, Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis. Ergo Abraham eo loco ubi prospero utebatur per gratiam Dei rerum successu, diebus multis mansit. Non est igitur alienum à sanctis ibi morari diutius, ubi & cœlestem sibi & humanam quoq; gratiam benignè ac feliciter adspirare sentiunt. Huius ob id admoneo, ne quis diuturnam huiusmodi mansionem pij hominis damnet, qua illic hæret diutius, ubi commodius agit, quàm ubi diuersum experitur. Nonnulli ex illis qui se seculo huic renunciasse profitebantur, sicuti benignius ac commodius tractarentur, atq; in precio haberi se experirentur, confestim perinde ac si de salute animæ suæ periclitarentur, migrationem instituebant, & ad loca asperiora sese conferebant. Erat hæc in illis animi infirmi conscientia. Alioqui in se non est illicitum sanctis hominibus ibi cõmorari, ubi minus experiuntur incõmodi.

In ipso rerum successu mansit Abraham peregrinus.

Simul tñ obserua, q; nõ simpliciter dicit Moses: Et mansit Abraham: sed, Et יגר, id est, peregrinatus est Abraham in terra Philistijm diebus multis. Quamuis illi prosperè succedebant omnia, & iam nõ simpliciter amicum, sed & confœderatum habebat regem, haud tamen oblitus est, esse se in illa terra peregrinum, ideoq; non coemit sibi partem aliquam terræ illius, quam proprio iure possideret, cuiusq; respectu peregrinus esse desineret, sed mansit in illis locis peregrinus, de quorum tamen hæreditate diuinas habebat promissiones. Cõsimili modo sancti, etiamsi certis quibusdam locis propter successum rerum diutius consistant, perpetuò tamen recordantur peregrinos esse se in hac terra, ideoq; animum nullis terrenis sedibus quantumuis felicibus & amœnis addicunt, sed ad cœlestes mansiones quotidianis gemitibus suspirant.

CAPVT

CAPVT XXII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Abraham oraculo Dei iussus, immolare satagit filium suum Isaac. In ipso articulo operis prohibitus ab angelo, inuenit arietem, quem filij loco offert Domino. Quo facto confirmantur illi promissa diuina de Isaaco facta. Deinde audit de Nahor fratre, quàm ille cumulatus esset fœcunditate sobolis.

Væ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham Abrahã. At ille respondit, Adsum. Ait illi, Tolle filium tuum unigenitum quem diligis, Isaac, & uade in terram uisionis, atq; ibi offeres eum in holocaustũ, super unum montium quem monstrauero tibi.

LECTIO.

Quæ postquam gesta sunt.] In Ebræo est, Et factum est post uerba illa. Sic & Græcus uertit. Verũ uox דברים Ebræis frequenter pro rebus gestis sumitur. Vt rectè uerterit latinus interpres.

Abraham Abraham.] Et Græcus uocẽ, Abrahã ingeminat. Verùm in Ebræo simpliciter est Abraham.

Adsum.] In Ebræo est, הנני, id est, Ecce ego. Sic uertit & Græcus.

Tolle filium tuum.] Ebraicè est קח נא את בנך, id est, accipe quæso filium tuum. Et Græcus uoculam נא omisit.

Vnigenitum.] In Ebræo non est, unigenitũ, sed יחיך, id est, unicum. Græcus uertit τὸν ἀγαπωτὸν. Apparet hunc pro יחיד legisse רדיד, id est, dilectum.

Et uade.] Ebræus habet ולך לך, id est, Et uade tibi.

In terram uisionis.] Ebr. אל ארץ המריה, id est, ad terram Moriah. Alij retinent Ebræam uocem, & legunt, ad terram Moriah. Alij reddunt eam, idq; uariè. Græcus uertit, εἰς τὴν γῆν, τὴν ὑψηλὴν, id est, ad terram sublimem. Aquila habet τὴν καταφανῆ, id est lucidam, uel illustrem. Symmachus uerò τῆς ὀπτασίας; id est uisionis, quam uersionem latinus interpres sequutus est. Vnus & idem respectus est Græcis interpretibus. Verbum ראה significat uidere. Hinc deduxerunt uocem מריה, quasi terra illa sublimutatis gratia sic dicta sit, quòd non modò spectabilis sit, sed & ex illa circuniacens terra uideri possit. Ebræi uerò deflectunt hanc uocem מריה aliunde. Alij à ירא, quod est timuit, coluit, reueritus est. Sic Chaldæus paraphrastes habet לארעא מרלחך, id est, ad terram cultus diuini. Alij à uoce מרר, quæ myrrham significat. Adhuc alij à uerbo ירה, quod significat docere, uocẽ hãc מריה deriuãt, ut terra מריה sit terra doctrinæ. Varietas ista mouit Pagninum, Tigurinos, Mõsterum, & Germanicum interpretem, ut Ebræam uocem מריה retinuerint.

Quem monstrauero tibi.] Ebr. est אשר אמר אליך, id est, quem dixero ad te.

EXPLANATIO.

Subijcit præcedentibus Moses historiam præclaram, admodum insignem, mirabilẽ prorsus & stupẽdam, siue Deum præcipientem, siue Abrahamum obedientem respicias, qualem præterea non habet uniuersa ueteris instrumenti scriptura. Textus satis clarus est, non habens opus operosa explanatione.

Quæ postquam gesta sunt.] Chronologia est, qua significatur præsentem historiam tum esse gestam, cum Abrahã magno iam rerum successu floreret, & Ismaele eiecto in uno Isaaco tanquam semine promisso & iam adulto conquiesceret, deniq; propter regium quoq; fœdus admodum factus esset spectabilis ac clarus, iamq; per omnia securus tantum non regnaret.

Tentauit Deus Abraham.] Præmonitio est, quam eam ob causam præmittit, ut intelligat lector mandatum Dei quod statim lecturus est, non fuisse uerum ac serium mandatum, sed tentationẽ: hoc est, non ideo mandasse Dominum Abrahæ de immolando sibi Isaaco, quòd id sacrificium seriò exposceret, sed quòd illum tentaret. Aliud enim est tentando, & aliud seriò quid poscere.

Et dixit ad eum: Abraham.] *Et respondit illi: Ecce ego.*] Priusquàm illi præcipiat, quid facere debeat, nota acclamatione animum eius excitat, ut se ad audiendum & obtemperandum componat. Id quod & factum esse ex eo significatur, quod statim respondit: Ecce ego, quod idem est atq;, ecce præstò sum, quid uis ut faciam?

Ait illi: Tolle filium tuum unicum, quem diligis, Isaac, & uade tibi in terram Moriah, atq; ibi offer eum in holocaustum, super unum montium quem dixero tibi.] Hæc est tentatio illa, qua Deus Abrahamum tentare uoluit. Sub specie serij & urgentis mandati proposita est res ipsa, quæ præcipitur, speciem habet crudelitatis ipso auditu, nedum factu admodum horrendæ & execrandæ. Quid enim crudelius excogitari potest, quàm præcipere patri ut proprium filium mactet, & in cineres comburat, etiamsi id fiat per modum sacrificij, & Deo destinetur. At Moses horrorem crudelitatis per id repressit quod præmisit. Tentauit Deus Abraham. Verba tentationis huius modica quidem sunt, uerùm uehementer acuta, & omnes paterni pectoris neruos non modò pungentia, sed & prorsus penetrantia. Deinde & sic proposita est hæc tentatio, ut plurimum aggrauationis ex circumstantijs temporis ac modi acceperit. Sed de illis in consideratione uidebimus.

QVAESTIONES.

Tentauit Deus Abraham.] Iacobi primo sic legimus: Deus neminem tentat. Hic dicit Moses: Tentauit Deus Abraham. Neminem tentare, & Abrahamum tentare, hæc duo prædicata de Deo contradictio

nẽ habere uidentur. Quæritur ergo, quomodo defendi possit utriusq; Mosis & Iacobi authoritas, ne uel iste qui dicit, Tentauit Deus Abraham: uel ille, qui post multa secula subsequutus, scripsit, Deus neminem tentat, mentitus esse uideatur. Etenim si tentauit Deus Abrahamũ, rectè dicit Moses, Tẽtauit Deus Abrahamum: & falsum est quod Iacobus dicit, Deus neminem tentat. Rursum si Iacobi dictũ uerum est, quo Deum neminem tentare dicit, falsum est quod Moses de Deo prædicat, dicens: Tentauit Deus Abraham.

Respondendum est, uaria esse tentationis genera. Aliud est, tentando probare, uel probatum reddere: & aliud, tentando ad peccandũ inducere. Prius genus dat Deo, posterius nequaquam. Ergo de priore tentatione loquitur Moses, de posteriore Iacobus, quod & contextus uerborum illius conuincit. Verum enim est non tentare Deum ad peccandum quẽquã. Hoc genus tentationis non Deo, sed satanæ & nostræ ipsorum est tribuendum concupiscentiæ.

Quæst. 2. Quæ fuerit terra illa Moriah. Sarraceni:

Et uade tibi in terram Moriah, atq; ibi offer eum in holocaustum super unum montium, quem dixero tibi.] Quæritur hoc loco, quæ fuerit illa terra Moriah, & quis in illa mõs, in quẽ Abraãh cũ filio suo immolandi gratia ascendere iussus est. Hagareni & Ismaelitæ, quos Saracenos uocant, Maometica impietate seducti, omnibus peregrinis ad ciuitatem Mecha propter uisendum Maometis sepulchrum uenientib. audacter affirmant, terram istam Moriah esse regionem ciuitatis Mechæ, & è uicino monticulum ostendunt, in quo Abraham filium suum Isaac immolare iussus sit. Sic gens impia defectionem suam à fide Christi authoritate ac religione Abrahæ palliare, & quosuis ad se attrahere nitit. Verùm textus historiæ huius manifestè reclamat, ubi commemorat montem hunc Abrahæ tertio die apparere cœpisse, ut à Beersabe haud ultra triduani itineris spacimu distare conuincatur, cum Mecham usq; à Damasco uix quadraginta dierum itinere per camelos etiam pertingere liceat, ut de itinere taceam quo Damascus à Beersabe distat.

Ebræi & nostri.

Ebræi & nostri ferè omnes iudicant regionẽ Hierosolymitanã dictã hic esse terrã Moriah, propter montẽ ei ciuitati uicinũ, qui 2. Paral. 3. in principio capitis הר המוריה, id est mõs Moriah uocat. Et asserunt in illo sacrificasse Adamã, Cain & Abel & Noe ante diluuiũ, circaq; illum fuisse paradisum, & Adamum à paradiso electum ibi habitasse, post diluuiũ uerò mansisse ei loco suam celebritatem, propter sacrificium Abrahę: deinde propter templum Dei illic à Dauide institutum, à Salomone constructum: deniq; propter Christum ibi crucifixum. Plausibilia sunt ista. Non improbo bonorum uirorum cogitationes, neq; enim certi quicquam habeo quod illis opponam. Id sanè satis conuenit, ciuitatem Hierusalem à Beersabe distare itinere circiter dierum trium. Posset id spacij forsan biduo confici, uerùm homo senex cum asino & lignis non adeò properanter profectus est, quin ab alijs expeditioribus quicquid hoc est itineris citius confici potuerit. Neq; textus habet, quòd totum triduum in hoc iter insumpserit. Tertio die leuatis oculis, uidit locum, inquit, procul. Non est expressum, quo articulo tertij diei ad illũ peruenerit. Deinde manifestum est, montem hunc ciuitatis Hierosolymorum, cui impositum est templũ eo tempore cum historia Regum conscriberetur, uocatum esse montem Moriah. De ratione uerò nominis huius non constat, quod alij à docendo, alij à myrrha, alij à timore & cultu Dei deriuant. Apparet uerosimilius esse, accepisse montem illum id nominis ab eo quòd uel imposita esset illi specula religionis custodiendę, unde & Zyon dictus est, uel quòd Dauidi à propheta Gad propter aram ibi struendam monstratus esset. 1. Paral. 21. & 2. Paral. 3. Nam ראה uidendi significationem habet, unde ucx Moriah, expuncta litera aleph deducta uideri potest. Sic enim 2. Paral. 3. legitur: Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Hierusalem אשר נראה לדויד אביהו, id est in monte Moriah qui monstratus fuit Dauidi patri eius. Quòd si propter historiam Dauidis Moriah dici cœpit, parum firmum est quod idem esse putatur in quo Abraham filium suum immolauerit, cum mons Abrahæ mõstratus uel dictus fuerit Moriah, priusquam Abraham à Domino tentaretur, uel id nominis ab eo acceperit, quòd eum Abraham à re gesta יהוה יראה, id est Dominus uidet, uocauit, præsertim cum Moses adijciat, Vnde hodie dicit, In monte Dominus uidet, ut appareat per anticipationem dictum esse à Domino: Vade tibi ad terram Moriah. Ista possunt probabiliter cogitari, uerùm cum non succurrat certi aliquid, arbitror fine ullo piaculo in ea nos posse conquiescere sententia, qua potissima pars doctorũ per montem Moriah montem templi Hierosolymitani intelligunt, nisi magis placet sententia Chrysostomi, qui super Iohannem cap. 4. montem hunc Garizin ciuitati Sichem uicinum fuisse dicit.

OBSERVATIO I.

Plurimum refert quis quẽ tentet.

Quæ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham.] Principiò obseruandum est quis quem tentauerit. Plurimum enim refert, tentet ne Deus hominem, uel homo Deum. Non dicit, Tentauit Abrahã Deus, posset ne filium suum Isaac è mortuis excitare, ideoq; duxit eum in montem, ut illic eum Domino immolaret: sed, Tentauit Deus Abraham. Tentare Deum nulli mortalium licet. Sunt enim de illo nobis omnia bona speranda, debemusq; uerbo illius fidem in omnibus, ut non liceat nobis uel potentiæ, uel sapientiæ, uel ueritatis, aut bonitatis, uel iusticiæ, siue patientiæ illius experimentum tentando captare. Quare diserte prohibetur ne tentemus Dominum Deum nostrum. Et Israel tentando Deum iram illius aduersum se grauissimè prouocauit. Quin excusari non poterit, si liberi tentent parentes suos, de quibus sibi bona fide optima quæq; polliceri debent, nedum si homo tentet Dominum Deum suum. Secus uerò habet, si parentes tentent liberos suos, præceptor discipulum, herus seruum, &c. Neq; enim sic obnoxij

obnoxij sunt parentes liberis, præceptor discipulo, herus seruo, ut nõ liceat ipsis de integritate illorũ & ingenij qualitate certum capere experimentum. Quòd si non peccat homo superior, si inferiorem sibi subiectum tentet, multo minus culpabile est si Deus tentet hominem.

Quod Abrahamum Deus iam senem tentauit.

Deinde considerandũ est, quòd non simpliciter dicit, Tentauit Deus Abraham: sed præmittit, Quæ postquàm gesta sunt, tentauit Deus Abraham. Erat iam Abraham senex. Deo hactenus bona fide & integro corde annos supra quadraginta adhæserat, patriam terram ipsius gratia reliquerat, peregrinationis molestias æquo animo pertulerat, oraculis Dei fidem dederat, Ismaelem quem diligebat iussu Dei unà cum illius matre domo eiecerat. Hunc seruum suum Deus fidelem & integrum non in iuuentute, cum ipsi primùm adhærere inciperet, sed in senectute tentauit. Quid hoc rei est? Tentat herus seruum suum statim initio seruitutis, ut cognoscat quo sit ingenio præditus, & qualẽ habiturus sit seruũ. ualde iniquum uidetur, si quis seruum senem iam & multorum annorum experimento fidelem & integrum tentauerit. Quare cum tentandus esset Abraham, initio potius uocationis ipsius, quàm post tot annorum fidem ac pietatem tentandus fuisse uidetur. Sciendum igitur est, alio fine tentare Deum, & alio hominem. Homo tentat experimenti capiendi gratia, ut quod ignorat cognoscat. Deo nihil huius necesse est. Sunt enim illi cognita omnia omnium mortalium consilia, ingenia, studia & corda, quantũuis profunda & abscondita. Quare cum tentat hominem, aut tentat eo fine, ut quod in illo præclarum est elucescat, aut ut suã ipsius imbecillitatẽ ipse homo tentatione superatus agnoscat. Posterioris tentationis exemplum habetur Deut. 8. Prioris uerò hic in Abrahamo. Quapropter non est statim initio uocationis, sed circa finem cum fide factus esset robustior, tẽtatus à Domino, ut posteris omnibus illustre esset fidei ac pietatis exemplar. Recensent Ebræi decem tentationes, quibus à Deo tentatũ fuisse Abrahamum dicunt. Vtpote cum euocaretur ex patria: deinde, cum fame coactus descenderet in Aegyptum: tertiò, cum Sarah in domum Pharaonis esset ablata: quartò, cum inuaderet reges Orientales: quintò, cũ iungeretur ipsi Hagar, eo quòd nulla amplius spes prolis esset ex Sarah: sextò, cum senex iam circuncideretur: septimò, cum Abimelech auferret ipsi Saram, octauò, cum Hagar uterum ex ipso gestans profugisset: nonò, cum Ismaelem primogenitum suum & hæreditate & domo excludere iuberetur: decimò, cum unicum filium suum Isaacum in holocaustum iussu Dei offerendum domo educeret. Verùm scriptura nihil horũ tentationem uocat, præter id quòd iussus est immolare Isaacum. Quare de ijs quæ Ebræi hic recensent, non est nobis aliter sentiendum, quàm quomodo in scripturis habetur. Quòd è patria sua euocatus fuit, non erat tentatio, sed serium mandatum, quemadmodum & Ismaelis eiectio. Reliqua exercitia fidei uocari possunt potius, quàm tentationes Dei.

Alio fine Deus, & alio homo tẽtat.

OBSERVATIO II.

Et dixit ad eum, Abraham. Et ait: Ecce ego.] In eo quòd Abrahamum Deus uocat ex nomine, nõ modò familiaritatis exemplum habetur, qua Deus illi erat coniunctus: sed & de eo admonemur, quàm nõ contemptim de suis sentiat Deus. Reperias heros qui præ fastu nunquam dignentur seruos suos propijs appellare nominibus. Tales inueniuntur etiam mariti, qui ne uxores quidẽ aliter uocent, quàm mulier, γύναι. Deinde considerandum est, quod Abraham respõdit: Ecce ego. Habes exemplum animi prompti, & ad obediendum Deo perpetuò parati. Qui secus animati sunt, auditum diuinæ uocis dissimulant, perinde atq; pigri ac socordes seruuli facere solent, quos si decies uoces, ne semel quidem respõdent. Admonemur hoc loco, quotquot Abrahæ filij sumus, ut uestigijs fidei illius inhærentes, consimili obedientia & animi alacritate uocanti nos Deo respondeamus, ac quisq; nostrum cum propheta dicat: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Poterat Deus simpliciter dicere, Tolle filiũ tuum Abraham, & offer illum mihi: uerùm uoluit primùm ut uocatus respõderet, & paratum se exhiberet. Hoc requirunt oracula & præcepta Dei. Non est autem possibile, ut uocanti se Deo ex animo respondeat, Ecce ego, quisquis adhuc uel suus ipsius, uel peccati, uel creaturæ alicuius seruus est. Etenim, te ste Christo Seruatore nostro, nemo duobus dominis seruire potest. Quapropter opus est ut omnia & cũprimis nos ipsos abnegemus. Nisi hoc fiat, nunquã uerè & ex animo dicturi sumus Deo, Ecce ego.

Quàm non contemptim sentiat de suis Deus.

Exemplum animi ad obediendũ parati.

OBSERVATIO IIII.

Ait illi, Tolle filium tuum unicum, quem diligis, Isaac, & uade tibi in terram Moriah, atq; ibi offer eum in holocaustum, super unum montium quem dixero tibi.] Quoniam singulari cõsilio Dei factum est, ut graui hac & stupenda tentatione probata sit fides Abrahæ, & omnium fidelium mentibus proposita, operæpretium arbitror illam pro nostra tenuitate uel modicè & ex parte inspicere. Pro dignitate quippe omnia illius exactè & accuratè considerare, non modò mearum uirium non est, sed confidenter dico, ne ullius quidem mortalium, quantumuis docti & acuti.

Primus tentationis huius gradus

Grauitas tentationis huius triplici gradu consurgit. Primus in eo est, quòd iubetur Abraham matare & occidere proprium filium. Occidere hominem insontem & iustum, crudele est, etiam si nulla sit peculiari ratione coniunctus: quantomagis si quis occidat cognatum aliquem, uel seruulum nihil huius meritum. Quanto quæso crudelius est, quod non dicit, Tolle seruum tuum: uel, Tolle filium domus tuæ, unum ex uernaculis: sed, Tolle filium tuum? Neq; satis erat dicere, Tolle filium tuum: sed addidit, Vnicum: deinde, Quem diligis. Etiamsi ex decem filijs unum iubeatur occidere pater, immò non occidere, sed occidendum deligere, lictoriq; tradere, quæso quàm difficile hoc est & alienum à pectore patet nos? Quanto autem grauius est unicum filium morti dare? At Abrahamo hic præcipitur, ut unicum fi-

lium non ad occidendum det lictori, sed occidat ipse. Ismaelem iussus erat una cum matre eijcere. Eiecerat, & iam non habebat filium nisi unicum Isaacum. Hunc iubetur dare neci.

Deinde additur, Quem diligis. Sciebat utique Abraham, esse Isaac filium suum, esse unicum, esse dilectum. Quorsum attinebat hæc illi occinere? Scilicet penetrandi erant hisce ueluti aculeis omnes paterni pectoris nerui. Reperias qui suapte manu occiderit filium, uerùm immorigerum, ideoque non dilectum, sed exosum. Vnicum uerò & dilectum filium occidere, omnes naturæ cùm humanæ, tum paternæ uires superat. Quare si princeps aliquis seruo suo fideli semper & integro præcipiat, dicens, Tolle filium tuum unicum quem diligis, & occide illum: quis non exclamet, Tyrannicum, inhumanum, crudele? Quis non dicat eiusmodi principem hostem esse communis naturæ? Horrendum auditu etiamnum est, quòd præfectus Ducis Austriæ *Wilhelmum Thell*, quòd arte sagittandi præstaret, eò adegit, ut charissimi filij uertici impositum pomum procul constitutus, misso iaculo feriret. Quid si iussus esset filiolum suum cruento ferro mactare? At hoc præcipiebatur Abrahæ.

Cogitet igitur diligens ac pius lector, quàm graue pondus tentationis huius primo statim gradu paterno sit pectori impositum. An ad ista ratio humana, non dico, obiecit, sed obijcere non potuit? Estne uox ista uox Dei? Si princeps aliquis tale quid præciperet, pro tyranno, omniumque mortalium odio dignus haberetur. Quis credat hoc à Deo præcipi, quod crudele est & inhumanum? Vox ista Dei non est, sed maligni spiritus. Deus cum sit philanthropus, non poterit crudele quid exigere ab homine. Absit igitur, ut obediam Satanæ misanthropo, constituamq; me omnium mortalium & ipsius Domini Dei mei odio dignum. Erat hic primus tentationis huius gradus, quem maiore cum laude superauit Abraham, quàm si nihil illius sensisset.

Secundus gradus tentationis.

Secundus gradus in eo est, quòd non simpliciter dixit, Tolle filium tuum unicum quem diligis, & occide eum: sed, Et offer eum in holocaustum. Ergo non simpliciter poposcit, ut occideretur Isaac, sed ut sibi in sacrificium holocausti, hoc est, in cultum offerretur. Atqui non est hoc ueri Dei, ut poscat sibi sanguinis humani sacrificium, sed malignorum & crudelissimorum dæmonum: qua de re uide in commentarijs nostris Psalmo centesimo sexto, uerso trigesimoseptimo. Carthaginenses olim infantes suos æneæ Saturni statuæ, intus incensæ, in sinum ponere solebant, ut uelut in complexu Dei enecarentur. Putabant hoc Saturno gratum esse, propterea quòd fabula de illo tradebat, solitum fuisse filios suos deuorare. Ea crudelitas usqueadeò immanis est, ut & plerisq; ethnicis displicuerit. Gelo Siciliæ tyrannus debellatis Carthaginẽsibus etiam hoc pacis capitibus adscripsit, ne posthac filios suos Saturno immolarent. Poterat ergo hic cogitare Abraham: Quid hoc rei est? Delectatur ne Deus sanguine humano, perinde atq; mali dæmones? Absit, absit. Neq; Adam, neq; Habel, neq; Noe, nec alius quisquam maiorum meorum iussus est à Deo sacrificare ipsi sanguine humano. Egone primus hoc facere iubeor? Absit. Vox ista non Dei est, sed dæmonis, qui me à ueri Dei cultu auocare, & impietati suæ subijcere tentat. Satan personam Dei assumpsit, ut illius me prætextu præcipitem det in exitium. Nodus hic erat admodum durus: Credere uidelicet, poscere uerum Deum sanguinem humanum in sacrificium & cultum, id quod nunquam nec antea, nec postea fecit, immo ne tum quidem, cum ista non seriò, sed tentando præciperet, id quod Abrahamo erat absconditum.

Tertius tentationis huius gradus.

Tertius ac supremus tentationis huius gradus omnium grauissimus est, quo iubetur Abraham eum ipsum filium suum Isaac, occidere & offerre in sacrificium holocausti, in quo unico promissionem ac spem habebat benedictionis, de quo Deus ipse aliquoties dixerat: In Isaac uocabitur tibi semen. Item, Ex Sarah dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo. Tentabatur hoc mandato fides promissionis. Etenim mandatum hoc & promissio mutuo sese conficere ac destruere uidebantur. Quare sic cogitare poterat Abraham: Promisit benedictionem ac multiplicationem seminis in Isaaco, dixit me illum habiturum hæredem. Iam iubet ut eum occidam, & in holocaustum offeram. Credidi hactenus promissioni: iam ubi adimpletio illius è uicino esse uidetur, abit uniuersa in spongiam. Aut igitur inconstans est Deus, mutans sententiam, & retractans promissionem, aut ego aliquo illum peccato offendi, meque & filium gratia promissa priuaui, uel quod hic iubetur non est ex Deo, sed ex Satana. Nam omnino contradictionem inter se mutuam habent mandatum hoc & promissio. Impium autem est, suspicari de Deo quòd sit inconstans, neque conscius mihi sum alicuius peccati, quod tanti sit, ut irritam possit facere promissorum Dei ueritatem. Ergo consequitur mandatum hoc non esse Dei, sed mali spiritus, hoc agentis, ut spem mihi promissionis diuinæ prorsus eripiat, occidamq; filium unicum, quem dedit mihi Deus hæredem ac futuræ posteritatis seminarium, atq; ita peccem in Deum, ac promissiones eius extinguam. Ad hunc modum periclitabatur fides promissionis, eoq; redigebatur Abraham, ut humanæ rationis iudicio necesse haberet, uel quod à uero Deo filium promissionis offerre in holocaustum iubebatur, tribuere Satanæ, & uoci Dei reluctari, uel fidem ac spem promissorum Dei prorsus abijcere. Etenim stultissimũ uidetur posteritatem aliquã, nedum tam numerosam, qualis fuerat promissa, sperare ex mortuo & in cineres redacto. & impossibile apparet, ut inter mandatum Dei & promissa illius ulla sit contradictio, hoc est, ut Deus à seipso dissideat. His itaq; tribus gradibus uehementer fuit præsens ista tentatio in seipsa grauis, & iudicio rationis insuperabilis.

Pondus

Circunstantiæ tẽtationis huius.

Pondus adijciebant tentationi circumstantiæ illæ, quòd non statim iubebatur Abraham domi suæ immolare Isaacum, sed in terram Moriah ad montem designandum cum illo ire. Poterat de immolando Isaaco tacere, donec uentum fuisset ad montem. Verùm uoluit hoc illum domi scire, & toto illo itinere paternum pectus uarijs cogitationibus pungi, ac trium dierum spacio acerbas tentationes, nõ sine acutissimo doloris sensu experire. Etenim, quod scitè dictum est à uiro graui & docto, acerbissima mora est quæ trahit pœnã, & misericordiæ genus est citò occidere morti destinatum. Quare mora illa tridui tentationis huius molestiam & grauitatem in immensum cumulabat. Deinde & illud accessit, q̃ non simpliciter immolare illum iubebatur, & postea sepelire, sed offerre in holocaustum, hoc est, post cruentatum sanguine gladium, charissimi filij corpus, unde spes prolis facta fuerat, propriis manibus imponere rogo, membra semiusta uersare, ac ui flammæ absumenda dare, inq̃ cinerem quod perinde est atq̃ in nihilũ redigere, quod spectatu saltẽ, nedum factu paterno esset pectori acerbissimũ. Tertiò, nec illud parum attulit molestiæ, quod iubebatur filium immolare loco conspicuo, in monte uidelicet. Tolerabilius fuisset in abdito, loco aliquo obscuro, & à conscientia mortalium separato. Huiusmodi circunstantijs acerbitas tentationis huius plurimum acuebatur, de quibus diligens lector haud inutiliter cogitare poterit, quo firmitudinem fidei in Abrahamo penitus consideret.

Trãsfigurat se Deus in formam à se alienam.

Hactenus singularẽ tentationis huius grauitatem breuiter & qualitercumq̃ perstrinximus: iam pauca uidendum est, quid præterea nobis in illa sit obseruandum. In qualitate tentationis huius diligentissimè considerandum est, quomodo non sit alienum à Deo, ut inducta sibi caligine in formas sese trãsfiguret non modò parum sibi conuenientes, sed & omnium alienissimas. Quid enim alienius ab illo est, quàm angelus sataneæ? Quid magis satanæ proprium est, quàm esse misanthropum, delectari sanguine humano, crudelitatem quærere in sacrificio, opus Dei opere contrario destruere, ac fidem promissorum Dei in animis credentium extinguere? At horum omnium speciem admodum luculentam præfens præferebat tentatio, sub nomine & persona Dei proposita. Grauis tentatio est, qua se satanas trãsfigurat in angelum lucis, & apostoli illius in apostolos Christi. Periculosum est agnis sub ouilla pelle ui deré, & uocem ouillam usurpantem audire lupum. Verùm multo periculosius est, si se Deus transfiguret in satanam, & à se aliena, propria uerò satanæ, proponat illis, qui toti à uerbo ipsius pendent, id q̃d perinde est, ac si se mater in aliena forma filiolo suo obijciat, & uocem consuetam mutet. Prodest ista scire, ut parati simus ad utramque cùm Dei tum satanæ tentationem istam uincendam illam firma fide sustinendam.

Tam grauem tẽtationẽ Deus nõ cuilibet, sed patriarchæ imposuit.

Deinde obseruandum est, quòd tam grauem ac omnino raram tentationem Deus non cuilibet & uulgariter fideli, sed Abrahæ patriarchæ, patri credentium obiecit. Moderatur diuina prouidentia fidelium hominum exercitia & tentationes pro sua sapientia ad illorum & ecclesiæ utilitatem. Imbecilliores modicis, præcipuos præcipuis & grauioribus exercet. Patriarchæ conueniebat non uulgaris, sed præcipua & selecta tentatio. Constituerat illum ueluti luminare quoddam, quod posteris omnibus in regræ fidei ac pietatis lucem & exemplar præferret. Sic & alios habet selecta organa, prophetas, apostolos, pastores, quos ecclesijs tanquam luminaria præcipua proposuit. Illos quoq̃ non leuibus, sed singularibus & grauioribus tentationum exemplis exercet, format, spectabiles & probatos reddit, nõ q̃ ipsi opus habeant huiusmodi tentationibus, sed ut aliorum fidei præluceant. Quod perinde est, ac si præceptor discipulorum suorum oscitantiam & ignauiam confusurus, ac studia eorum exemplo aliquo præcipuo excitaturus in medium statuat eum discipulum, quem nouit apprimè in omni disciplinarum genere instructum, illumq̃ non de leuibus & uulgaribus, sed supremis scholasticæ scientiæ articulis coram omnibus uelut in monte quodam interroget, sciens eum promptè ad omnia & expeditè responsu rum. Quare nostrum est, secundum apostoli admonitionem in exemplaria illa fidei à Deo nobis propo sita, & magnis tentationibus probata mentis nostræ aciem indesinenter intentam habere, inq̃ illis uidere quò sit collimandum, & quàm adhuc procul à scopo perfectionis distemus.

Tentamur in eo quod præ cæteris diligimus.

Tertiò consideremus & illud, quòd tentationem hanc Abrahæ proposuit Deus in eo quod omniũ habebat charissimum, in filio uidelicet unico. Quem diligis, inquit. Parum fuisset, si de sua ipsius uita tentationem fuisset expertus. Senex erat, & hęredem iam habebat, eumq̃ diu optatum & adultũ: quare facilius fuisset propriã uitam abnegare mortiq̃ exponere, quàm eius quem charius quàm seipsum fuerat complexus, & in quo iam totus ac securus conquiescebat. Cogitemus hoc loco sic esse comparatam tentationis rationem & conditionem, ut in eo tentemur, quod præ cæteris impensius complectimur. Facile refignamus, quæ leuiter amamus, ardentius uerò amata non item. Quare minus tentationibus obnoxius est, qui minus amat. Amori Dei postponenda sunt nobis omnia. Nondum Deum perfectè amat qui extra illum aliquid sic amat ardenter, ut non sit illud pro uoluntate Dei abnegaturus. Igitur in eiusmodi rebus amatis materia est tentationis, qua probetur quousq̃ in dilectione Dei profecerimus.

Quartò considerandum & hoc est, quòd Abrahamum Deus insigni hac tentatione tũ demum est aggressus, cum multis iam esset nominibus felix, multis beneficijs ab ipso cumulatus, & admodum illustris factus, adeò ut regibus quoque suspiciendus esset ac formidabilis. Curandum scilicet erat, ut nõ solum propter spectabilem rerum successum & prosperitatem, sed & propter illustrem fidei uirtutem

posterorum oculos in se conuerteret. Carni plausibilis est maiorum prosperitas, sumusq; ad hoc procliues, ut ad illius imitationem aspiremus: uerùm si qua in illis uirtus singularibus tentationibus expressa reluxit, ad illius sequelam admodum ægrè prouocamur. Iob agebat prosperrimè in omnibus, felicitatem illam excepit tentatio grandis & singularis. Si quem delectat illius prosperitas, delectet hunc etiam inuicta illius fides ac patientia.

Et præterea cogitandum est pijs omnibus, quo felicius agunt in seculo, hoc esse se imminenti alicui tentationi uicinores. Sic diuina quippe prouidentia cursum electorum suorum dispensat, ut rebus prosperis euestigio tristia uelut luci tenebræ succedant. Quapropter si quis rebus prosperis utitur in hoc seculo, caueat ne sit securus. Imminet enim ipsi tentatio uel aliqua, uel nulla. Si aliqua, sicut accidit electis & fidelibus, præstat esse uigilantem, & ad quasuis excipiendas tentationes paratum, quàm securum ac rerum prosperitati indormientem. Nam iacula præuisa minus feriunt. Quod minus ferit, minus uulnerat, adeoque & minus nocet. Periculosius uerò impetitur qui tentatione adobruitur incautus & imparatus. Si nulla, indicium est destitui huiusmodi hominem cura & disciplina Dei, timendumque, ne ad eos pertineat, de quibus Iob uigesimoprimo legitur, quòd ducant in bonis dies suos, & in puncto descendant ad inferos, & locum in eo habeat, quod Hebræorum duodecimo legitur ad hunc modum: Quis filius est, quem non corripiat pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo spurij, & non filij estis. Quem autem cordatum hominem non reddant ista sollicitum & cautum, ne prosperitate sua, id quod accidit stultis, perdatur?

Quæ diligimus, consecranda sunt Deo prorsus, sic ut nihil de illis reteneamus.

Quintò, nec illud transeundum est, quod non simpliciter dicit, Offer mihi filium quem diligis: sed addit, In holocaustum. Græca uox est holocaustum, sonans omnimodam combustionem, qua quod offertur totum igne ad cineres usq; consumitur, rebusq; huius mundi adimitur, & Deo consecratur. Admonemur sic esse Deo consecranda, quæ impensius diligimus, ut nihil nobis de illis reteneamus, sed uoluntati Dei quasi cuidam igni tota in uniuersum absumenda demus, & instar holocausti, quod Hebræi עלה ab ascendendo uocant, ad cœlestia mittamus.

Igitur Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Cumq; concidisset ligna, in holocaustum, abijt ad locum quem præceperat ei Deus. Die autem tertio eleuatis oculis uidit locum procul, dixitq; ad pueros suos: Expectate hic cum asino: ego & puer illuc usq; properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad uos. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, ipse uerò portabat in manibus ignem & gladium. Cúmque duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid uis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna, ubi est uictima holocausti? Dixit autem Abraham: Deus prouidebit sibi uictimam holocausti, fili mi.

LECTIO.

Strauit asinum suum.] Hebraicè legitur ויחבש את חמורו, id est, & cinxit asinum suum. Sic uertit Germanicus interpres, *vnd er gürtet seinen esel.* Sic & Monsterus uertit. Et Chaldæus paraphrastes reddidit ויצריך ית חמוריה, id est, & cinxit asinum suum. Septuaginta uerterunt: ἐπέσαξε τὸν ὄνον αὐτοῦ, id est, onerauit asinam suam. Pagninus & Tigurini uerbum sternendi cum uulgata latina usurparunt. Aliud autem est cingere *gürten*, aliud sternere *bedecken*, & aliud onerare *laden*. Quare satius est ut cum Hebræo legamus, cinxit asinum suum.

Ducens secum duos iuuenes.] In Hebræo est ויקח את שני נעריו, id est, & accepit duos illos iuuenes suos. Potest etiam reddi, duos illos seruos suos. Neq; enim uox נער perpetuò sonat iuuenem, sed plerunque sumitur de seruis, sicuti apud Heluetios uox *knab*, & apud Græcos παῖς. Et suprà cap. decimo quarto, uernaculos suos Abraham, quibus reges Orientales oppressit ac percussit נעריים uocauit. Denique & Orientales populi milites suos Naere uocant. Quare non potest ex hac uoce certò colligi, quòd duos iuuenes secum duxerit. Chaldæus tamen uertit עלימוהי, id est, adolescentes suos. Pagninus, Monsterus, & Tigurina uerterunt, duos pueros suos. R. Shlomoh ne quid hic audeat, quoniam in Hebræo cum determinatione quadam habetur, & accepit duos illos pueros suos, addit, Ismaelem uidelicet & Eliezerum.

Abijt ad locum.] In Hebræo est: Et surrexit, & abijt ad locum. Et Septuaginta surgendi uerbum reddiderunt.

Quem

Quem præceperat ei Deus.] Verbum præcipiendi non est in Hebræo, sed simpliciter, Quem dixerat ei Deus. Sic & Sept. reddiderunt.

Die aũt tertio eleuatis oculis uidit locũ.] Hebraicè sic habet. ביום השלישי וישא אברהם את עיניו וירא את, id est, Die tertio & leuauit Abraham oculos suos & uidit, &c. Vbi rursus manifestum est, coniunctionem uau positam esse non suo loco, uel certè abundare, sicut & suprà capite uicesimo admonui. Videtur legendum esse: Et die tertio leuauit Abraham oculos suos וביום השלישי וישא אברהם עיניו. Græci simpliciter uerterunt sicut in Hebræo legitur: *τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ, καὶ ἀναβλέψας ἀβραὰμ τοῖς ὀφθαλμοῖς εἶδε τὸν τόπον.* Deinde posteri propter ignorantiam Hebrææ lectionis uerba hæc malè diuiserunt, ut coniunctionem abundantem bene collocarent, atque ita sensum corruperunt. Sic enim iam in græco legitur: *καὶ ἦλθεν ἐπὶ τὸν τοπον ὃν εἶπεν αὐτῷ ὁ θεὸς τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ. καὶ ἀναβλέψας ὁ Αβραὰμ τοῖς ὀφθαλμοῖς εἶδε τὸν τόπον.* Secundũ hanc lectionem prædicatur de Abrahamo quòd tertio die uenerit ad locum, & cum uenisset ad locum leuatis oculis uiderit locum. At in Hebræo narratur simpliciter, quòd paratis lignis ad holocaustũ surrexerit, profectusq; sit ad locum de quo dixerat ei Deus: deinde, tertio die leuatis oculis locum à longè uiderit.

Expectate hic.] Hebraicè est: שבו לכם פה, id est sedete uobis hic. Germanicè *Setzet euch hie.* Chaldæus uertit אתריבו לכון הכא, id est, Moras hic uobis trahite. Germanicè sic loquimur, *verziehẽt allhie.*

Ipse uerò portabat in manibus ignem & gladium.] In Hebræo non est חרב, quod gladium sonat, sed מאכלת uox deducta à uerbo אכל quod comedendi ac uorandi significationem habet. Quare sunt qui iudicant Abrahamum usum esse hic non gladio militari, sed cultro laniario, quo oues à sacerdotibus immolantibus & laniis mactari solent.

Cumq; duo pergerent simul, dixit Isaac.] Particula hæc, Cum duo pergerent simul, in Hebræo postrema pars est præcedentis uersus ad hunc modum: Et accepit Abraham ligna holocausti, & posuit super Isaac filium suum, & accepit in manum suam ignem & cultrum, & profecti sunt ambo simul. Deinde sequens uersus sic habet: Et dixit Isaac ad Abraham patrem suum. Sic uerterunt etiam Septuaginta.

Dixit Isaac patri suo: Pater mi.] In Hebræo sic habetur, ויאמר יצחק אל אברהם אביו ויאמר אבי, id est, Et dixit Isaac ad Abrahamum patrem suum, & dixit, Pater mi. Apparet positum esse in principio ויאמר יצחק pro וידבר יצחק, id est, Et dixit Isaac, pro, Et loquutus est Isaac ad patrem suum, ut commodè sequatur, Et dixit.

Quid uis fili?] Hebraicè חנני בני, id est, Ecce ego fili mi. Græcus reddidit, *τί ἐστι τέκνον.* Quid est filii?

Vbi est uictima holocausti.] Hebraicè sic, ואיה שה לעלה, id est, Et ubi est pecus ad holocaustum? Græcus uertit: *ποῦ ἐστι τὸ πρόβατον τὸ εἰς ὁλοκάρπωσιν*, id est, ubi est ouis ad holocaustum? Sic reddidit etiam Germanicus interpres. Pagninus, Tigurini & Monsterus uerterunt, pecus.

Deus prouidebit sibi uictimam holocausti, fili mi.] Rursus in Hebræo est שה, id est pecus uel ouis. Potest autem & sic in præterito uerti: Deus prouidit sibi de pecore ad holocaustum, fili mi. Sic Chaldæus quoque paraphrastes uertit, קדם ייי גלי ליה אמרא לעלתא ברי, id est, Coram Domino reuelatum est ipsi pecus ad holocaustum, fili mi.

EXPLANATIO.

Igitur Abraham de nocte consurgens, &c.] Iam post præmissum mandatum Dei recto ordine de obedientia Abrahæ, subijcitur. Poterat autem Moses breui illam summa complecti: uerùm quoniam singulare pijs omnibus exemplum hac in re præscriptum est, uisum est illi singula illius diligenter exponere. Et principiò commendat illius sedulitatem, qua quod iussus erat nocte statim ubi euigilasset, sine ulla mora aggressus est.

Cinxit asinum suum.] Apparet illo usum esse ad uehendum ligna holocausti, uel ipse illi tanquam senex insidere uoluit. R. Shlomoh annotat Abrahamum cincturam hanc asini non mandasse seruo alicui, sed suapte manu perfecisse.

Et assumpsit duos pueros suos, & Isaacum filium suum.] Apparet ex uerbis habuisse Abrahamum in multitudine seruorum duos præcipuos quosdam & selectos, qui ipsi præstò essent ad manum. Hos secum assumpsit, ut si quid in itinere opus esset, paratam haberet illorum operam. Forsan unus ex illis asino ducendo, alter ipsi Abrahæ & Isaaco ministrando destinatus fuit.

Et concidit ligna in holocaustum.] Domi parauit ligna propterea, forsan quòd in illis regionibus quò pergebat, non erat ipsi ad manum futura lignorum copia, uel quòd nollet holocaustum Domino ligno offerre alieno, sed proprio & domestico: uel quod magis placet, ut haberet ligna arida & forsan odorifera ad incendendum rogum.

Et surrexit & abijt ad locum de quo dixerat ei Deus.] Paratis ad holocaustum & uiaticum necessarijs, itineri sese accinxit. Et surrexit, inquit. Germanicè dicimus, *Er hat sich vffgemacht, oder erhebt.* Illud,

De quo dixerat ei Deus, referendum est ad terram Moriah, ad quã oraculo Dei proficiſci iuſſus erat. A

Die tertio leuauit Abraham oculos ſuos, & uidit locum procul.] Intellige montẽ, in quo erat ſacrificaturus. Erat de illo iam edoctus, ut poſſet eum procul uiſu cognoſcere.

Et dixit ad pueros ſuos: Sedete uobis hic cum aſino, ego et puer illuc uſq; properantes poſtquam adorauerimus, reuertemur ad uos.] Horrendum ſpectaculum erat coràm uidere herilem filium, eumq; unicum & charisſimum manu paterna mactari & comburi. Deinde timendum erat, ne duo illi pueri tanquam robuſtiores immolationẽ hanc, ſi præſentes eſſent, prohiberent, herumq; ſuum inſanire indicarent. Quare iuſsit eos certo ac monſtrato loco ſedere cum aſino, ne cum ipſo aſcenderent in montem. Ne quid autem eius quod habebat in animo ſuſpicarentur, adiecit, uelle ſe cum puero adorandi gratia aſcendere montem, ac poſtea ad ipſos reuerti.

Et tulit ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filiũ ſuũ, ipſe uerò portabat in manibus ignẽ & gladiũ, et pergebant duo ſimul.] Ligna holocauſti portauerat antea aſinus, uel certè duo ſerui, q̃d tamen ualde uiderur fuiſſe incommodum. Iam illa Iſaaco impoſuit, quoniam utrunq; puerum cum aſino loco condicto ſubſiſtere iuſsit. Ipſe uerò, inquit, portabat in manibus ignem & gladium, uel cultrum. Ignem quomodo portauerit, nõ eſt expreſſum. Credibile eſt non in ligno accenſo, ſed ſpongia acceptũ. Quod gladium uel cultrum non femori accinctum quemadmodum noſtri ſolent, ſed manu acceptum geſtauit, pro conſuetudine factum eſt populorum regionis illius, qui ad eum modum, dempta militari expeditione, gladios geſtabant, quibus erant uſuri.

Et dixit Iſaac ad Abraham patrem ſuum, & dixit, Pater mi. At ille dixit: Ecce ego fili mi. Ecce, inquit, ignis & ligna, ubi eſt pecus ad holocauſtum?] Multa garriuntur, quæ acciderint inter Abraham & Iſaac, cum ſimul pergerent, & montem conſcenderent. Saraceni Mechæ habitantes non modò quod ſuprà memini de monte hoc, quòd ciuitati ipſorum uicinus ſit, ſed & illud comminiſcuntur. Dicunt Iſaacum in aſcenſu montis non fuiſſe patrem ueſtigio comitatum, ſed poſt illum aliquandiu ſolum aſcendiſſe, & inter aſcendendum occurriſſe illi diabolum ſub ſpecie certi cuiuſdam amici, percontatumq; eſſe, quo nam iret: & cum reſpondiſſet, Ad Abraham patrem meum, qui me in monte expectat: ſuggeſsiſſe illi, Ne aſcendas ad patrem, immolabit enim te Deo. Iſaacum reſpondiſſe. Sine illum. Si uoluntas Domini eſt, fiat. Quo reſponſo accepto, diabolum ab eo diſceſsiſſe ad tempus. Poſtea uerò, priuſquam ad Abrahamum peruenirent, ſecundò illi ad eundem modum occurriſſe, ijſdemq; uerbis, ne ad patrem aſcenderet, monuiſſe. Tum Iſaacum ira percitum, raptum lapidem in faciem diaboli iecisſe, ac tentatorem à ſe fugaſſe. Et in memoriam facti huius habent in conſueto peregrini & incolę regionis, ut quoties eum locum tranſeunt, quiſque lapidem cumulo qui illic eſt injiciat, quaſi diabolum ad exemplum Iſaac eo iactu à ſe pellat. Talia miſeri comminiſcuntur, ignorantes ſcripturas. Iſaac non eſt patrem longinquo ſequutus, ſed ſimul pergebant, inquit Moſes. Tale & illud eſt quod Iudæi in libro Ielamdenu legunt ad hunc modum: Dixit Rabbi Iohanan, cum ipſi pariter ambularent, uenit Satan, ſtetitq; ad dexteram Iſaac, & ait ei: O iniuriam patiens fili mulieris iniuriam patientis. Quot afflictionibus afflicta eſt mater tua, antequam ei aduenires? Senex iſte inſanit, & idcirco uadit ad immolandum te. Vertit ſe Izaac, & dixit patri ſuo: Pater, uide quid iſte mihi dicat. Dixit ei pater ipſius: Ne reſpicias in eum. Non enim uenit niſi ad ſubuertendum & prophanandum nos. Huiuſmodi enim eſt opus eius à ſeculo. Hæc ibi. Iſta ſunt commenta hominum ſacras hiſtorias prophanantium. Si quæras, quid nam inter eundum loquuti ſint, habes hic quæſtionem Iſaac de pecore holocauſti factam. uidebat reliqua parata eſſe ad holocauſtum, uerùm quoniam non uidebat pecus aliquod, quod immolandum eſſet, & ignarus eſſet adhuc conſilij paterni & oraculi diuini, mirabatur & quærebat, quorſum factura eſſent ignis & ligna, nullo ad manum exiſtente pecore, quod immolari poſſet. Ad iſta reſpondit pater. B

Deus prouidebit ſibi pecus ad holocauſtum, fili mi.] Quoniam nonduum tempeſtiuum uidebatur, ut aperiret illi uoluntatem Dei, de ipſo immolando, ad quæſtionem eius ſic reſpondet, ut iubeat eum animo eſſe quieto, eo quòd non ſit defutura uictima ad holocauſtũ, propterea quòd de illa ſibi prouiderit, uel prouiſurus ſit Dominus.

Si legas, Deus prouidit ſibi pecus ad holocauſtum: intelligendum eſt de mandato Dei, quo ipſe Iſaac erat holocauſto deſtinatus. Id reſponſi nõ potuit Iſaac intelligere, ignarus oraculi diuini. Si uerò legas, Deus prouidebit ſibi pecus ad holocauſtũ, nõ ſic eſt intelligendũ q̃d iam præſciuerit Abrahã fore ut Iſaacum immolare prohibitus, monſtratum arietem loco illius immolet, nam id illi cognitum nõ erat: ſed quod eiuſmodi reſponſo filium de pecore holocauſti ſollicitum, curam eam prouidentiæ Dei permittendo quietum eſſe iuberet. Interea facile intelliget lector, quàm altum uulnus quæſtio iſta filij paterno pectori inflixerit.

QVAESTIO I.

An dixerit Abrahã ſciens uel neſciens, quod cum filio de monte eſſet reuerſurus.

Et reuertemur ad uos.] Quæſierit hic quiſquam quo modo dixerit hoc Abraham, quòd unà cum Iſaaco filio eſſet ad pueros ſuos de monte reuerſurus, ſciens ne quod futurum erat, uel neſciens.

Si dixeris, ſciuiſſe illum non immolaturum ſe filium, ſed arietem, cum filio uerò reuerſurum ad pueros, falſum eſt quod de fide illius prædicat Apoſtolus Hebr. 11. dicens: Fide obtulit Abraham Iſaacum, cum tentaretur: & unigenitum offerebat, in quo acceperat repromiſsiones. Ad quem dictum eſt, In Iſaac

a Isaac uocabitur tibi semen: arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus, quibus uerbis ea da tur Abrahæ fides, quòd crediderit Deum posse etiam à mortuis excitare filium à se immolatum, & hac fide immolationem filij aggressus sit. Si hæc erat fides Abrahæ, planè ignorauit quod futurum erat, quòd uidelicet ab angelo prohibitus non esset filium, sed arietem immolaturus, atque ita cum illæso filio de monte rediturus. Si non ignorauit ista, non obtulit filium ea fide quam de illo prædicat Apostolus. Nequeunt enim præscientia ista futuri euentus, & fides de resuscitando à mortuis filio simul consistere. Accedit & illud, quod omnis in uniuersum obedientiæ huius uirtus qua Deo filium immolare iubenti paruit, prorsus euanescit, si statuas illum præscium fuisse futuri euentus. Mox enim subinferri poterit, facile fuisse educere filium quasi immolandum, cum præsciret fore, ut id prohiberetur ab angelo. Et encomium illud angeli, de quo infrà, Nunc cognoui quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me, planè extinguitur. Quid enim magni fuerit, rem in se arduam propter Deum aggredi, si scias illum non laturum ut perficias? Quare omnino statuendum est, quòd non dixerit hoc Abraham, Reuertemur ad uos, ex præscientia futuri euentus. Ergo dixit nesciens quod futurum erat.

Si hoc statuerimus, quæritur quomodo excusari queat, quod seruis diuersum promisit ab eo quod in animo habebat. Neq; enim alio proposito montem cum filio ascendebat, quàm ut ibi illũ immolaret & combureret. Ad ista bifariam responderi potest. Primùm, non esse habendum pro mendacio, quod in re tam ardua ad hoc dicebatur à patriarcha, ut propositum suum, & mandatum Dei celaret seruos. præsertim cum id dixerit nullo malo studio, neque sibi commodaturus, neque illis incommodaturus.

Deinde, si respexeris ad fidem illam qua filium suum immolare uolebat, rectè dixeris, quòd neque sciens, neque nesciens, sed credens dixerit ad seruos, Reuertemur ad uos. Etenim secundum eam fidem, qua credebat futurum, ut filium suum Deus à mortuis excitatum sibi esset redditurus, absque illo mendacio dicere potuit, quòd esset cum filio ad pueros suos reuersurus. Sic enim neque in reipsa mendacium erat (nam sunt ambo ad illos de monte reuersi) neque in animo dicentis, qui certò fore credebat, ut filium uel à mortuis excitatum reciperet, domumq; secum reduceret.

QVAESTIO II.

b *Tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum.*] Quærunt hic, quomodo potuerit Isaac onus illud portare lignorum, quod sufficeret ad holocaustum, ipsius uidelicet combustionem & incinerationem, cum uix plaustrum uehendo illi uniuerso par esse potuisset, ipse uerò puer adhuc esset, id est, נער ficuti ab ipso patre uocabatur, cum diceret: Ego & puer illò proficiscemur ad adorandum. *Quomodo potuerit Isaac tantum onus portare lignorũ, quod sufficeret ad holocaustum.*

Confugiunt nonnulli ad ætatem Isaac, quæ fuerit iam robusta & uirili par, quam Aben Ezra 13. alij Hebr. 15. alij 20. alij 25. R. Shlomoh uerò infrà capite 25. trigintaseptem annorum fuisse dicit. Quicquid sit de ætate illius, etiam uiro, nedum puero uel iuueni portabile non est tantum onus lignorum. Quare uel sperauit Abraham, fore ut cœlestis quoque flamma holocaustum illud correptura esset, & in cinerem redactura: uel, quod annotat Burgensis, tantum lignorum non imposuit Isaaco, quantum poscebat uniuersum holocaustum: sed pauca quædam sicca, quæ domi, fortè odorifera, pararauerat, quo citius accenderetur, quibus in monte addenda fuerint etiam alia, quantum holocausto sufficeret. Et hæc ratio Burgensis probabilior uidetur.

OBSERVATIO I.

Igitur Abraham mane consurgens cinxit asinum suum, & assumpsit duos pueros suos & Isaac filium suum, et concidit ligna in holocaustum, & surrexit & abijt ad locum de quo dixerat ei Deus.] Cumprimis occurrit hic præclaræ ac stupendæ obedientiæ exemplum, in quo multa non sine admiratione considerari possunt. Apparet hunc uirum Dei inde ab initio uocationis suæ animum in eo irreuocabiliter obfirmasse, quòd ut promissis Dei quantumuis ratione & uiribus naturæ reclamantibus crederet, ita & mandatis illius etiam grauissima quæq; & in speciem crudelia & impia præcipientibus obedire uellet. Hanc animum Deo semel consecrati obfirmationem ex ijs quæ hactenus de illo cõmemorata sunt diligens lector pulchrè obseruare poterit. Iussus exire patriam, exiuit: iussus peregrinari in terra Canaan, peregrinatus est in terra Canaan: famis necessitate pressus, patienter tulit: primogenitum suum Ismaelem una cum matre domo eijcere iussus, eiecit: iussus animum ad Isaacum tanquam constituturum à Deo hæredem adijcere, adiecit: illumq; non est odio propter eiectum Ismaelem, sed amore propter promissiones Dei complexus. tandem iussus eundem offerre in holocaustum, & hic non secus quàm hactenus obediuit. *Stupendæ obedientiæ exemplum.*

Admonemur hoc exemplo primùm quid ad ueram obedientiam Deo præstandam requiratur, animus uidelicet ad obediendum uerbo Dei in omnibus & semper obfirmatus. pauciss imi sunt, qui uel semel in omni uita sua de eo cogitent, quòd uerbo Dei nulla in re uelint esse immorigeri. Immo plerique sæpe deq; facimus, si mãdata Dei transgrediamur. Cogitamus, bonus est Deus, misericors & propicius est Deus, remittit peccata, non uult mortem peccatoris, &c. atque huiusmodi cogitationibus omne studium obedientiæ ac timoris Dei in nobis ipsis extinguimus. Dum ista facimus, non sumus filij Abrahæ, à cuius fide ac pietate in immensum degeneramus.

Deinde, quomodo studium obedientiæ gradibus suis à minoribus ad maxima, hoc est, ad fastigium usque perducatur. Bonum est homini, si portauerit iugum Domini ab adolescentia sua. Etenim in minoribus exercitatus, non erit inobediens in maioribus.

Secun-

Quã competenter se gesserit Abraham erga tẽtationem Dei.

Secundo loco considerandum est, quàm commodè se gesserit Abraham erga tentationẽ Dei. Quòd iubebatur immolare filium, tentatio erat, non serium mandatum. Neq; enim uoluntas Dei erat, ut immolaret filium suum. Et tamen obediendo uerbo tentationis huius quamuis tentationem esse nesciret, perinde ac si non tentatio, sed uerum mandatũ esset, diuinæ sese uoluntati approbauit, & uictor euasit. Docemur hac cõsideratione quantum sit obedientiæ bonum, quæ sola Deo siue mandanti siue tentanti sese approbat. Nititur enim uerbo Dei. Non cogitat pius, ubi uerbum Dei accipit: Quid si tentatio sit, & non serium mandatum? sed quoniam scit propositum esse sibi uerbum illius, sese præscripto accommodat, atque ita satisfacit Deo, siue reuera mandet, siue tentet. Ergo unica hæc uia est ad cauendum ne tentatione Dei uincamur, qua cauetur, ne uiolati uerbi Dei rei constituamur. Dei est, inter tentationes suas & seria mandata discernere: nostrum est, uerbo illius in omnibus obedire. Quod si mandat quæ uidenẽ esse absurda, impia, crudelia, & illicita, immo & promissionib. ipsius contraria, de hoc nõ nobis est, sed ipsi mandanti uidendũ. Nos hic nõ reddimur culpabiles obediendo, sed nõ obediendo.

Non reddimur culpabiles obediendo uerbo Dei, sed non obediendo.

Obedientia nostra, qualis qualis in speciẽ uideatur, iustificat uerbo. Quemadmodũ eñ tentanti satanæ resistendum est, non obediendum, etiam si in angelum lucis transfiguratus quæ bona sunt præceperit, ne quacunq; nos ratione seruos illius constituamus: ita Domino Deo nostro tam tentanti, quàm seriò præcipienti obediendum est, non resistendum, etiamsi absurdissima & iniquissima in speciem præciat, ne ulla in re uerbi ipsius transgressores & contemptores esse deprehendamur. Hac ratione conseruauit se Abraham in tentatione hac omnium grauissima. Quoniam certum uerbum Dei acceperat, omnes cogitationes in diuersam tendentes illi ueluti petræ cuidam illisit, omnibus modis plus abhorrens ab inobedientia quàm à proprij filij mactatione.

Sicut Satanæ nusquã, ita Deo in omnibus est obediendum.

Geminum uerbũ de Isaaco habebat Abraham

Geminum uerbum habebat de Isaaco. Promissionis unum, immolationis alterum. De utroque nihil dubitabat, esse uerbum Dei quod acceperat, quamuis magna illi contrarietas inesse uideret. Tam credidit esse uerbum Dei, quo dictum ipsi erat, Tolle filium tuum unicum quem diligis Isaac, & offer illum in holocaustum: quàm quo fuerat facta promissio, quòd in Isaaco uocãdum esset ipsi semen multitudine par stellis cœli, &c. Illi itaque inobediens esse nolebat, de isto dubitare non poterat. Si dicas,

Vnde certus fuerit Abraham de uerbo Dei.

unde certus erat, esse uerbum Dei, & non satanæ, quo filium à Deo singulari gratia toties promissum, & mirabiliter contra naturæ uires præstitum, denique benedictionis promissione sanctificatum immolare iubebatur: eadem ratione quæras, unde certò cognouerit esse uerbum Dei, quo terra Canaan ipsi hæreditariò promittebatur, cum esset in illa peregrinus: item quo semen promittebatur, cum Sarah esset sterilis, & præterea per ætatem quoque ad gignendum inepta. Spiritus Dei pectus Abrahæ gubernans, spiritus est fidei. Is occulto quodam & infallibili sensu cor illius ad credendum diuinis oraculis inducebat. Prodest plurimum fidem & obedientiam Abrahæ utranque in hoc præsenti exemplo admirabilem diligenter inspicere. Primùm credebat utrumque cùm promissionis tum immolationis uerbum, esse uerbum Dei. Deinde ut isti obedientiã, ita illi fidem ueritatis adhibebat. Credebat Deũ ueracem esse in promissis, ueritatem Dei nullis posse rationibus irritam reddi. Confugiebat ad omnipotentiam Dei, ubi ueritas promissionum illius per immolationis mandatum extingui uidebatur. Quàm ueracem Deum esse credebat & fidelem in seruandis promissis, tam credebat eum esse omnipotentem ad excitandum mortuum filium. Sic in animo illius fides omnipotentiæ Dei fidei promissionum laboranti ac periclitanti succurrebat. Et hac fidei firmitudine conseruabatur ac ducebatur, ut sine ulla tergiuersatione in obedientia uerbo Dei præstanda pergeret. Et hoc est quod Apostolus Hebr. 11. dicit, quòd fide obtulerit Abraham filium suum Isaac, arbitratus quòd à mortuis quoq; posset illum excitare Deus.

Prodest fidem et obedientiam Abrahæ inspicere

Fides omnipotẽtiæ fidei promissionum laboranti succurrit.

Respiciamus ad exemplum hoc fidei & obedientiæ. Fides, ueritate & omnipotentia Dei, ueluti duobus fulcris, toto pectore nititur. Fides ueritatis fide omnipotentiæ sustentatur, & rursus fides omnipotentiæ fide ueritatis immota seruatur. Si tentatio contra fidem ueritatis suggesserit: Quomodo uerax Deus est in promissis, cum illa mortis interuentu uideantur abire in spongiam? præstò est fides omnipotentiæ, affirmans infirmiorem esse mortẽ, quàm quę Deum mendacem constituere possit, quandoquidem à mortuis quoq; suos excitare queat Deus, & perficere in illis q̃d est pollicitus. Nihil esse, omnipotentiã Dei non uinci, quomodo mortuũ esse, uinceret? Rursus, si dubitatio de omnipotentia Dei subrepserit, succurrit fides ueritatis. Si illa dixerit, Quomodo possibile est ut à mortuis excitet Deus? ista regerat: Necesse est ut possibile sit, alioqui uana erit promissio, & deprehendetur Deus esse uanus & mendax Ve igitur dicendum est, Deum non esse Deum, si negaueris eum esse ueracem & omnipotentem: uel firmissimè tenendum est, esse eum ueracem in promissis, & omnipotentem ad seruandum ea quæ promisit.

Fides ueritate et omnipotentia Dei nititur.

Ex uirtute fidei Dei est obedientia.

Fides Abrahæ admirabilior est quàm opus fidei

Vbi hæc fides regnat in animo credentis, ibi firmissimũ quoq; obtinet obedientiæ studiũ, & inuictũ pectus hominis aduersum quascunq; tentationes Dei, satanę, carnis & mũdi. Hæc est uirtus fidei, quã soli experiunt electi, in quibus spiritus Dei operatur, quemadmodũ satan in filijs incredulitatis. Quare, meo iudicio, admirabilius est, quòd Abraham eiusmodi fide præditus fuit, quàm quòd sic credens patriam reliquit, in terra Canaan peregrinatus est, primogenitum filium Ismaelem domo eiecit, & tandem unicum & dilectũ Isaacum immolare uoluit. Sicut animatus erat, sic faciebat. Stupor non tam est in eo quod fecit, quàm in eo quòd sic animatus fuit. Sic animato, nihil erat arduum factu, quod Deus præcepisset. Nobis uidentur opera illius ardua, qui à fide illius absumus longissimè.

Qua

Qua in re perinde nobis accidit atque ægrotis qui admodum admirantur, quomodo qui sani sunt, tam sint audi ad edendum & bibendum, & alacres ad operandum. Sanis ista nõ sunt difficilia, sicut apparet ægrotis, quibus & ipsis non esset difficile & arduum, edere, bibere, & operari, si sani essent. Consimili modo quòd miramur in sanctis, quasi difficile præstitu & arduum, facile esset, & nobis si fide animati essemus perinde atque illi fuerunt. Multis controuertitur, præcipiat ne Deus impossibilia & grauia, uel possibilia & facilia. Da fidelem hominẽ, qualis fuit Abraham, dices illi Deum nihil præcipere quod sit graue & arduum. Da carnalem, & uiribus fidei destitutum, quicquid illi præceptum fuerit, quod iustum sit & æquum, clamabit esse graue & impossibile. Si præcipiat Deus laboranti spiritu odij, ut diligat proximum sicut seipsum, præceptum est præstitu impossibile: si præcipiat idem homini fideli & spiritu dilectionis prædito, nihil erit illi iucundius quàm diligere proximum. Hæc uo lui paucis perstringere de exemplo hoc fidei & obedientiæ, quod in Abrahamo nobis S. scriptura proponit. Et puto huiusmodi considerationes utiliores esse, quàm si inuestigemus duntaxat, quibus cogitationibus moleſtatus fuerit Abraham, cum mandatum hoc de immolando filio accepisset, &c. Sed pergamus ad ulteriora.

Præcipiat ne Deus impossibilia.

Tertiò, obseruandum est quod dicit, Abraham manè consurgens, cinxit asinum suũ, &c. De eo cogitandum hic est, quod de accepto mandato Dei nihil contulit cum Sarah uxore sua, matre Isaaci, præsertim cum illa filium suum tenerrimè diligeret, sed omnem hanc causam citra illius conscientiam expedire uoluit. Non cogitauit, iniquum est filium adimere matri rerum harum ignaræ. Ipsa illum genuit in utero, peperit cum dolore, lactauit & educauit sollicitè. Tibi & illi commune bonũ est Isaac. Quare citra conscientiam illius spoliares eam communi filio? Deinde neq; hoc cogitauit: Vbi domum immolato iam filio redieris, quid respõdebis Saræ filiũ suum de manu tua requirenti? Prætexes mandatum Dei? At illa queretur, non debuisse sibi oraculum Dei de filio suo abscondi. Deplorabit pluri mum, quòd filio suo clanculum sit priuata: q; nec ipsi, nec illi datum sit, ut inuicem sibi mutuo complexu ualedicerent. Dolorem hunc nunquam poterit concoquere. Filium suum ingebit ad ipsum usque sepulchrum. Nihil horum cogitauit Abraham, sed authoritate diuini præcepti exclusit in uniuersum omnes huiusmodi cogitationes. Quòd si propria temeritate uoluisset immolare filiũ ipsi & Saræ communem, non licuisset ipsi quicquam huius citra matris tentare consensum. Secus uerò habet, ubi Deus dicit: Tolle filium tuum, & offer eum, &c. Deinde timendum erat, ne si causam hanc Saræ communicaret, per illam à cursu obedientiæ Deo præstandæ impediretur. Admonemur, non esse alienum à uiro pio & cordato, si quid ardui iussu Dei aggrediendũ est, facere hoc inscia uxore, inscijs cognatis & amicis, præsertim si timendum sit, ne uoluntati Dei sese opponant, id quod & pijs nonnunquã hominibus accidit, quod in Petro Matth. 16. uidere licet, & in Sarah ista, quantumuis pia, timendũ fuit.

Quòd Abrahã nihil cum Sarah de mandato immolandi Isaac contulit.

Quartò. Nec illud prætereundum est, quòd non simpliciter dicit, Igitur Abraham manè consurgens arreptum Isaacum immolauit: sed facti huius exequutionem ueluti membratim prosequutus, cõmemorat quomodo cinxerit asinũ suum, deinde duos pueros secum unà cum filio assumpserit, tertiò ligna ad holocaustum parauerit: quartò surrexerit, & ad locum, de quo Dominus dixerat, abierit. Factũ in se uidet esse, ut crudele & immane, ita & insani furiosiq; hominis, ac mente moti. Quare prudentissimè factum est à Mose, quòd ista tam diligenter descripsit. Neq; enim furiosi hominis est, oñia tam sedulò & prudenter parare, quæ ad executionem præcepti Dei requiruntur, & nullo impetu ferri, sed competenti mora & cum ratione singula obire. Furor non diu durat, sed subitò ac temerè fertur: at obedientia diuini præcepti quoniam uerbo Dei ducit, nec impetuosa est, nec turbulenta & subita, multo minus furiosa. Abraham in obedientia ista præstanda in tertium usq; diem durauit, mentisq; compos omnia prudenter instituit. Quare furor est hominum phanaticorum, non legitima obedientia, quo inter Anabaptistas frater fratri ante oculos parentum caput ense decutit, quale facinus in agro Sangallensium nostra ætate perpetratum esse constat. Spiritus Dei bonus, spiritus electorum & fidelium, non reddit homines phanaticos, insanos, debacchantes ac furibundos, sed mandatis Dei sensatè & cum ratione obsequentes. Neque enim usum rationis extinguit, sed in obsequium fidei saluum & integrum accommodat, morigerumq; reddit.

Factum Abrahæ non fuit phanaticus furor, sed uera & sensata obedientia.

Furor Anabaptistarum.

OBSERVATIO II.

Die tertio leuauit Abraham oculos suos, & uidit locum procul, & dixit ad pueros suos: Sedete uobis hic cũ asino, ego & puer illò ibimus, & adorabimus, & reuertemur ad uos.] Die tertio, inquit. Quid in itinere biduj acciderit, quibusq; sermonibus Abraham erga filium suum Isaac usus sit, Moses non exprimit. Quis autem credat eum toto illo biduo instar melancholicorum prorsus obmutuisse? Et tamen determinari non potest, qui fuerint illi sermones cum Isaaco filio, quem ad immolandum ducebat. Quare pio & cordato lectori competit, ut pro qualitate causæ quæ gerebatur, proq; circunstantijs personæ Abrahæ secum ipse hac de re cogitet. Meo iudicio prorsus inhumanum fuisset, si filij sui animum sermonibus conuenientibus ad id quod illum latebat, & tamen breui futurum erat, non aliquousq; sensim præparasset. Quapropter uerosimile est, disseruisse illum multis de ueritate promissionum Dei, deiq; illius omnipotentia, quàm utraq; iam in ipso Isaaco luculenter esset comprobata: ueritas, quòd promissum semen præstiterit: omnipotentia, quòd præstiterit ex Sarah nonagenaria per oñem ætatẽ sterili, & per seniũ quoq; naturali gignendi uirtute destituta: deniq; quàm fieri non possit, ut reliqua pars promissorum Dei irrita fiat, etiamsi ex mortuis sit futuræ posteritatis seminariũ excitandũ.

Quid loquutus sit Abrahã filio suo in itinere.

Huiusmo-

Huiusmodi arbitror fuisse illius sermones. Neq; enim in articulo illo tentationis obliuisci potuit horũ quibus fides ipsius quasi fundamento quodã nitebaꝰ, sed sicuti credebat, ita & cum filio suo differebat: uno hoc dempto, quòd mandatum Dei illi nondum aperiebat.

Quomodo leua uerit Abrahã oculos.

Deinde nec illud ociosum est quod dicit: Leuauit Abraham oculos suos, & uidit locum procul. In eo quòd non simpliciter dicit, Vidit Abraham locum procul: sed, Leuauit Abraham oculos suos, & uidit locum procul: argumentum innuitur, locum hunc immolationi filij ipsius destinatum, ad quem itinere tridui proficiscebaꝰ, haud fortuitò & ex improuiso oculos illius incurrisse, sed ex præmeditato. Vnde colligimus, animũ illius non fuisse oscitantem, sed cogitationibus illis occupatum, quibus occupari solent nõ modò qui cum gaudio aliquo proficiscunꝰ: sed & qui ad ea loca ducunꝰ, ubi uel ipsos uel eos qui ipsis sunt charissimi, extrema fata expectãt. Ab huiusmodi affectibus non sunt corda sanctorum aliena. Quamuis Abrahã magna fide acceptũ mandatum perficiebat, erat tamen adhuc in carne, & dubio procul carnis sensibus aliquousq; obnoxius.

Capnio.

Capnio in sua Cabala libro primo sentit Abrahamum cum gaudio & lætitia properasse ad perficiendam filij sui immolationem, quòd existimaret illam facturam ad humanæ uniuersitatis salutem, edoctus uidelicet ab angelo suo Zadkiel, fore ut humanum genus per oblationẽ iusti alicuius, super ligno mortui redimereꝰ. Si sic animatus fuit Abraham, eleuatio oculorũ indicium fuit ardentis in animo desiderij. Verùm Capnionis sententia incertior est, quàm ut illa sit nitendum.

Animales ac seruiles homines nõ sunt adhibẽdi ad singularia mysteria.

Tertiò, Et dixit, inquit, ad pueros suos: Sedete hic uobis cum asino. Manifesta quidem ratio est, cur noluerit eos secum adducere in montem: uerùm simul pulchrè innuitur, animales & seruiles animos non esse adhibendos ad sublimitatẽ singularium mysteriorum. Et Christus alicubi non quosuis discipulos suos spectatores admittit.

Et sancti secreta sua commento aliquo celant.

Quartò: Ego & puer illò ibimus, inquit, & adorabimus, & reuertemur ad uos. Videmus hoc exemplo, non esse illicitum sanctis commento aliquo, modò nõ inhonesto, celare sua secreta. Deinde, quid necesse erat, inquies, eiusmodi commento uti, cum dominus esset puerorum suorum, posseti; simpliciter dicere, Sedete hic donec rediero? Verum est, nulla ad hoc necessitate adstringebaꝰ. Tu interea de

Humanitas Abrahæ.

humanitate uiri cogita, qua erga domesticos suos uti solebat, per quam fiebat, ut rationem factorum suorum etiam seruis redderet, ne quid temerè gerere uideretur.

OBSERVATIO III.

Et tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, ipse uerò portabat in manibus ignem et gladiũ, & pergebant duo simul.] Obserua spectaculum mirabile & stupẽdum. Pater imponit charissimo & unico filio ligna, quibus comburatur & in cinerem redigatur, & portat ipse gladium mactationis, & ignẽ combustionis organũ suapte manu, ad occidendum & comburẽdum filium. Filius innocens, puer, rerum ignarus, & obediens patri subit onus lignorum, unà cum ipso comburendorum. Et sic onusti & ad opus mortificationis & combustionis instructi pergunt duo simul. Quò? ad locum holocausti, ubi pater filium suum propri;s manibus iugulet & comburat, filius ista paternis manibus illata patiatur. Cogitent hic alij de corde Abrahæ, quibus illud cogitationibus cruciatum fuerit, cum ista gereret, quibus oculis filium onus lignorum subeuntem aspexerit, quo spiritu præditus lachrymas & eiulatum cohibuerit, neruosq; manuum ne inter ista ad tactum lignorum, ignis & gladij concidierent, obfirmauerit, & quæ alia consimilia cogitari possunt: nos utiliora uidebimus.

Spectaculũ mirabile.

Organa mortificationis & combustionis.

Primùm, quæ ad perficiendum holocaustum portãtur, organa sunt mortificationis & combustionis. Gladius mortificationi, ignis & ligna combustioni seruiunt, combustio uerò consumptioni. Ergo in holocausto sunt hæc duo, mortificatio & cõsumptio. Iugulandus est uetus Adam, & mortificandus gladio spiritus, uerbo uidelicet Dei ad interiora carnalium affectuum penetranti. Deinde consumendus etiam est, ac uelut in cinerem redigendus, ne qua illius uel imago aliqua remaneat. Perficiendum est hoc igne cœlesti, ardore uidelicet spiritus. Verùm mortificatio ista & consumptio ueteris hominis non absoluunꝰ ad plenum, donec in carne sumus: sed etiam atque etiam uidendum est, ne uetus homo noster gladiũ mortificationis abijciat, & de rogo combustionis holocausto adhuc imperfecto desiliat.

Et pater & filius, uterq; minister sacrificij.

Deinde, portat pater, portat filius: ille ignem & gladium, hic ligna holocausti: pater oblaturus, filius offerendus, atque ita uterque minister est sacrificij. Requiritur autem in ministerio animus uoluntarius ac paratus. Vterque & Abraham & Isaac sacrificio isti uoluntariè seruierunt. Et ista animi promptitudo & alacritas potissimum est quod in sacrificijs Deo probatur, qui aliàs sacrificia per se non moratur. Mirabilis autem promptitudo animi est, qua pater fertur ad immolandum unicum & charissimum filium. Filius non solum sacrificium est, sed & uoluntarius immolationis suæ minister, ligna portans, quibus comburatur. Ignorabat quidem ista Isaac, uerùm ut erat erga Deum pius, & patri morigerus, etiamsi cognouisset, nihilo plus reluctatus esset quàm reluctatus est in ipso immolationis articulo.

Nouus & uetus homo uterq; seruiat holocausto.

Admonemur hoc exemplo, quàm non sit satis, permittere ut uetus homo noster mortificetur & consumatur: sed requiratur simul, ut holocausti huius ministri quoque sint uterque & nouus & uetus homo. Portet uetus homo ligna holocausti, per nouum imposita, uidelicet omne genus disciplinæ, & exercitij, quo ueluti comburatur & in cinerem redigatur. Ligna seruiunt igni, & seruiendo consumuntur & ipsa. Externæ illæ disciplinæ laborandi, orandi, ieiunandi, uigilandi, quæ tristia sunt ferendi, seruiunt ardori spiritus, & tandiu seruiunt dum unà cum ueteri homine absumantur. Nouus homo

ignem

ignem habet diuini spiritus, & gladium uerbi Dei. Illa administrat iugulando & comburendo ueteri. Sic uterq; homo holocausti huius minister efficitur. Et hi duo pergunt simul, inquit. *Sic sunt coniuncti uetus & nouus homo, ut simul ipsis pergendum sit, nec à se inuicem diuelli queant, donec absoluto holocausto quod mortale est, immortalitatē: et quod corruptibile, incorruptionem induat: et unus homo, nouus uidelicet & cœlestis remaneat.* Vtinam dum in hac uita sumus, sic simul pergant hi duo, ut nec nouus mortificationem & consumptionem ueteris negligat, nec uetus studium & opus noui à se reijciat. *Nouus & uetus homo pergunt simul.*

Et illud cogita. Isaac portat ligna holocausti, rerum quæ agebantur ignarus. Abraham portat ignem & gladium, gnarus eorū quæ in mandatis accepta scienter & prudenter gerebat. Sic uetus homo onerandus est disciplinis & exercitijs quasi quibusdam lignis quibus mortificetur & extinguatur, etiam si non intelligat ea quæ geruntur: satis est, si nouus intelligat opus spiritus, cui tanquam sacerdos subministrat. *Isaac seruit holocausto ignarus.*

Ligna holocausti Isaac non accepit sponte sua, sed paternis manibus imposita obedienter portauit. Consimili modo non cōuenit ueteri homini, ut ipse sibi organa mortificationis imponat, sed ut à nouo imposita portet. *Isaac non imposuit sibijpse ligna.*

Ligna portare, onus משׂאת est asini, uel alterius iumenti. Ergo Isaac sacrificio destinatus instar iumenti lignis oneratus ascendit in montem. In iumento stulticia est. Quid autem in oculis mundi stultius est, quàm mortificari, immo organa mortificationis sponte portare? At ista stulticia induenda est, & carnis abijcienda prudentia omnibus illis qui Deo coniungi, & in montem ascendere uolunt. Et id demum uerè sapere est. Sic admonet Apostolus 1. Cor. 3. Nemo uos seducat. Si quis uidetur inter uos sapiens esse in hoc mundo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stulticia est apud Deum. Iumentis ipsis stolidiores habemur in hoc seculo, dum credimus in crucifixum, & crucem quisq; suam cum illo ferimus. Non uidet cæcus mundus hanc demum ueram esse sapientiā per crucem & afflictiones ad ueram uitam & cœlestem gloriam cum Christo filio Dei pertingere. *Ligna portare, onus est iumenti uel asini.*

OBSERVATIO IIII.

Et loquutus est Isaac ad Abraham patrem suum, & dixit: Pater mi. At ille dixit: Ecce ego, fili mi. Ecce ignis, inquit, & ligna, ubi est pecus ad holocaustum? Et dixit Abraham: Deus prouidebit sibi pecus ad holocaustum, fili mi.] Primùm illud obserua, quod Isaac dicit, Pater mi: & Abraham respondet: Ecce ego, fili mi. Vides quanta fuerit illis inuicem affectuum suauitas. Non dicit Isaac sine præmissa patris appellatione: Ecce ignis & ligna, ubi pecus ad holocaustū? Sed primùm appellat illum consueta uoce אבי, id est, pater mi. Et Abraham uicissim, Ecce ego, inquit, fili mi. Filius agnoscit patrem, & pater filium suum. Nec dicit iste simpliciter, Pater: nec ille, Fili: sed uterq; blandiusculam hanc uocem, Mi, suauiter addit. Sic sunt animi sanctorum & bonorum hominum erga eos comparati & affecti, quibus aliqua ratione iunguntur, ut non solum corde, sed & ore amanter sese illis exhibeant. Omnia illorum mutuam spirant beneuolentiam. *Affectuum suauitas in patre et filio.*

Deinde & hoc considera, quòd Abraham suauitatem paterni affectus erga Isaacum filium suum propterea non abiecit, quòd immolationi destinatum ducebat in montem, ut proprijs eum manibus mactaret & comburet. Phanaticus aliquis non agnouisset eum amplius pro filio, neque uel tantillum paterni affectus in illum declarasset, sed ad sacrificium eum haud aliter quàm pecus aliquod traxisset: at in Abrahamo uides hic suauitatem animi paterni erga filium immolandum, fide & obedientia Dei non extingui, sed ad finem usque durare. Mirabilis sanè coniunctio rerum duarum in specie diuersissimarum, in animo Abrahæ deprehenditur. uidemus enim in illo propositum mactandi filium, & simul dulcedinem paterni erga illum affectus nulla acerbitate uitiatam, sed illibatam & integram. Nec propositum mactandi dilectionem paternam, nec dilectio paterna propositum mactandi extinxit. Dilexit Deum, dilexit filium. Diligendo Deum, dilectionem filij non abiecit: ac rursus diligendo filium, à dilectione Dei non defecit. Sunt enim ista non contraria, sed subordinata. Reperias parentes, qui filios suos ne uirga quidem castigare sustineant, nisi illis admodū irascantur, & odium quoddam in eos conceperint. Non est legitima dilectio filiorum quæ uel dilectionem Dei, uel castigationem necessariam excludit. *Suauitatem paterni affectus Abrahā non abiecit.* *Duo in Abrahamo in speciem contraria.*

Ecce ego, inquit, fili mi. Illud הִנֵּנִי, id est ecce ego, Abrahæ bifariam in usu fuisse uidemus. Primùm erga Deum, deinde erga filium. Erga Deum, in principio capitis, cum mandatum illius esset acceptus: & infrà quoque, cum filium iugulaturo acclamaretur ab angelo. Erga filium hoc præsenti loco. Ergo cor illius & supernè erat erga Dominum Deum suum, & infernè erga filium suum paratum ac promptum, erga Deum ad obediendum, erga filium ad succurrendum, iuuandum, & benefaciendum. Vbi cor illius erat, ibi erat & ipse. Cor autem erat in Deo & filio, quem utrinque ex ordine diligebat. Pulcherrimum est hoc exemplum pij patrisfamilias, cuius est promptum & paratum esse primùm ad colendum Deum, ut sit illi addictissimus seruus, deinde ad præstandum officium uxori, filijs ac domesticis, ut sit uxori maritus, liberis ac domesticis pater. *Ecce ego, bifariam usurpatum.*

Tertiò: Ecce ignis, inquit, & ligna: ubi est pecus ad holocaustum? Obserua pietatem in Isaaco. Sollicitus erat de pecore holocausti, cuius forsan existimabat patrem esse oblitum. Rara est hæc cura in animis iuuenum, qui uanis potius quàm religione Dei afficiuntur. *Pietas Isaaci.*

Simul & illud considerandum est. Quærit de pecore holocausti, cum ipse holocausto esset destina-

Isaac non abiecit ligna, licet illa portaret rerum ignarus.

tus. portat ergo ligna obediens patri, & ministrans sacrificio, & quærit de pecore holocausti ignorãs: Non abijcit ligna, dicens: Quorsum hęc ligna porto, cum nõ sit ad manũ pecus q̃d offeratur? sed portat, quod erat ipsi impositum. Et quoniam ignorabat de pecore offerendo, quærebat de illo ex patre. Admonemur hoc exemplo, ut portemus & ipsi quod imponitur, hoc est, ut obedientes simus Deo & maioribus, etiamsi non intelligimus ea quorum ministerio adhibemur. Deinde uidemus non esse alienum à pijs iuuenibus, ut quæ in causa religionis non intelligunt, parentes, maiores, præpositos, ac præceptores suos interrogent. Deut. 6. præcipitur parentibus, ut si filij ipsorum de ceremonijs legalibus percontentur, parati sint ad instruendum eos ac docendum.

Iuuenũ est interrogare parentes quæ non intelligunt.

Pij parentis est filiũ in fide prouidentiæ Dei instituere.

Quartò. Et dixit Abraham: Deus prouidebit sibi pecus holocausti, fili mi. Rursus obserua paterni animi mansuetudinem. Non dicit, Quid ad te de pecore holocausti? Mea est hęc cura, non tua. Tu q̃d impositum tibi est porta, cætera curæ meæ permitte. Nihil horum dicit, sed quærentem filium ad prouidentiam Dei mittit. Deus, inquit, mi fili, prouidebit sibi, uel, prouidit sibi pecus holocausti. Admonemur, in rebus fidei ac religionis animos eorum qui adhuc per ignorantiam sunt solliciti, cum primis esse ad fidem & fiduciam prouidentiæ Dei dirigẽdos, ut in fide hac confirmentur, non esse Deum ociosum spectatorem rerum nostrarum, præsertim colentium se, sed prouidum dispensatorem ac procuratorem, à quo firma nobis sit fiducia pendendum.

Non est abutendum doctrina de prouidẽtia Dei.

Simul tamen cauendum est, ne doctrina hac de prouidentia Dei ad præposterã securitatem utamur, qua sic Deo committamus omnia, ut nos interim desides & ociosi negligamus omnia. Si dicat torpidus & ociosus, Deus prouidebit mihi de uictu & uestitu: non fidelem se, sed tentatorem Dei declarabit. Non enim consequitur, ubi aliquid prouidentiæ Dei permittendum est, ibi mox omnia ad nostram curam pertinentia, in illã esse abijcienda. Non dicebat Isaac: Si prouidebit sibi Deus de pecore holocausti, quid opus est portare hæc ligna? Potest sibi de lignis quoq; prouidere Deus ad holocaustum sufficientibus, uel certè igne cœlitus demisso holocaustum sine lignis perficere. Nihil horum Isaac ne cogitauit quidem, sed secundum responsa patris curam de pecore holocausti permisit Deo, onus lignorum humeris suis impositum seruauit sibi, & ad locum monstratum portauit. Quare quod propheta dicit, Iacta in Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non seruit desidiosis ac torpidis, sed pauperie & afflictione pressis. Quæ Dei sunt, prouidentiæ Dei committamus: quæ nostra sunt, fide bonitatis illius qua possumus sedulitate obeamus.

Pergebant ergo pariter, & uenerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus. In quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit. Cumq; colligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. Extenditq; manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum. Et ecce angelus Domini de cœlo clamauit, dicens: Abraham Abraham. Qui respondit: Adsum. Dixitq; ei. Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquã. Nunc cognoui quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.

LECTIO.

Pergebant ergo pariter.] In Hebræo est, וילכו שניהם יחדו, id est, & ibant duo illi pariter. Sic reddit Græcus. Euntes autem utrique pariter uel simul. Latinus interpres diligentiam Mosaicam non animaduertit.

In quo ædificauit altare.] In Hebræo legitur, Et ædificauit ibi Abraham altare. Sic & Græca uersio habet.

Et desuper ligna composuit.] Hebræus non habet, Desuper, sed simpliciter וירך את העצים, id est, & ordinauit uel composuit ligna. Græca lectio habet, Et imposuit ligna.

Extenditq; manum.] Hebræus habet, Et misit Abraham manum suam.

Vt immolaret filium suum.] In Hebræo est, לשחט את בנו, id est, ut iugularet filium suum. Verbum שחט non usurpatur in scripturis pro iugulare, & frequens occurrit, ubi de iugulandis ad sacrificium pecoribus agitur, ita ut & de auiculis immolandis usurpetur, Leuit. 14. Quare uerosimilius est usum esse Abrahamum hoc loco cultro quàm gladio. Quare Sabellicus prudenter scripsit ad hunc modum, Cæteris q̃ ad holocaustum paratis, iam cultrum iugulo admouerat.

Et ecce angelus Domini.] In Hebræo non est, Et ecce: sed simpliciter, Et clamauit ad eum angelus Domini de cœlo. Sic habet & græca uersio.

Quòd timeas Dominum.] Hebræus habet, Quòd timens Dei tu.

Et non pepercisti unigenito filio tuo propter me.] Hebraicè est, Et non pepercisti filio tuo, unico tuo, præ me. Græca uersio habet, Et non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Pagninus sic: Et non prohibuisti filium tuum unicum tuum à me. In Hebræo est מבני quod uerti potest uel à me, uel præ me.

EXPLA-

EXPLANATIO.

A *Et ibant duo illi pariter.*] Præsens hic contextus duo habet. Vnum, quousq; progressus sit Abraham in opere immolationis. Alterum, quando, quomodo, & unde sit ab eo prohibitus. Et ibant, inquit, duo pariter. Intellige, ut cœperant. Et suprà dixit, Pergebant duo simul. Verùm mox subiecit de eo quòd patrem suum Isaac de pecore holocausti interrogauit: pòst eam quæstionem repetit, dicens: Et ibant duo illi simul. Q. d. quemadmodum dicere cœpi.

Et uenerunt in locum de quo dixerat ei Deus.] Hoc est, in montem illum quem se Dominus monstraturum ipsi dixerat.

Et ædificauit ibi Abraham altare, & ligna composuit.] Non exprimit Moses singulatim omnia, sed summas tantum gestorum perstringit. Vnde construxerit altare Abraham, ex lapidibus ne, uel effosa tellure, uel lignis, non erat operæprecium commemorare: sed satis uisum est scribere quod consueto sacrificandi more usus altare construxerit, illiq; ligna competenter imposuerit. Dubio procul instrumentis ad constructionẽ altaris necessarijs, etiamsi nihil ea de re meminit Moses. Crediderim etiam Isaacum non fuisse ociosum spectatorem, sed esse patri in structura altaris cooperatum.

Et ligauit Isaac filium suum, & posuit eum super altare, super struem lignorum, & misit Abraham manũ suam, & accepit cultrum, ut iugularet filium suum.] Hactenus eius quod agebatur ignarus fuerat Isaac. Et ecce dum parato iam altari auidè expectat, unde adfuturum esset pecus holocausti, de quo prouisse sibi Dominum dixerat pater, præter opinionem intelligit, & uidet se esse pecus illud quod Dominus sibi prouiderit. Ligatur itaq; à patre, & altari super struem lignorum imponitur, quæ humeris suis pauloantè in eum locum apportauerat. Non reluctatur parentis manibus, sed uoluntati Dei & patris ad mortem usque obtemperat. Sic ligatum & lignis impositũ iamiam iugulaturus pater, quandoquidem nihil restabat aliud quod faceret, quàm ut mandatum à Deo acceptũ perficeret, mittit manum, & cultrum seorsim pauliſper in eum usum locatum accipit. Ad hoc usque stupendæ obedientiæ fastigium peruenerat Abraham, ut iam nihil desideraret ad perfectionem mandati, nisi unũ hoc quod Deus fieri nolebat. Cultrum iugulationis iam in manu habebat, eumq; dubio procul exertum, & ad hoc in manus acceptum, ut iugularet, inquit, filium suum.

Et clamauit ad eum angelus Domini de cœlo, dicens: Abraham Abraham. Et dixit: Ecce ego. Et ait: Ne mittas manum tuam ad puerum, & ne facias illi quicquam. Nunc enim cognoui quòd timeas Deum tu, & non pepercris filio tuo, unico tuo, præ me.] Tandem aperitur consilium Dei, declaraturq; quicquid impe-
B ratum fuerat Abrahæ, tentationem fuisse, non mandatum. Et clamauit ad eum, inquit, angelus Domini de cœlo. De cœlo, ut cœleste oraculum esse intelligeret Abraham. Abraham Abraham, inquit. hac inclamatione cum primis sistit Abrahamum, ne in eo pergat, in quo iam erat totus. Trahit ad se confestim & animum illius, & oculos, & aures, ac simul manum cultro ad iugulandum armatum cœpto auocat. Facit, ut oculis & auribus in cœlum intentus, uisurus & auditurus quid ista sibi acclamatio uelit, confestim respondeat, Ecce ego.

Et ait, inquit: Ne mittas manum tuam ad puerum, & ne facias illi quicquam. Duo facit angelus. Primò, uerat iugulationem & immolationem Isaaci. Quoniam cultrum in manu habebat, prohibet ne manum ad puerum mittat, & ne illi quicquam faciat, intellige de mactatione. Alioqui non prohibet, quo minus manum mittat ad puerum uinculis liberandum, & de altari deponendũ. R. Shlomoh sic exponit: Ne mittas manum tuam ad puerum, intellige, ad iugulandum. Et dixit Abraham: Ergo ne frustra huc ueni? Incidam eum, & producam saltem modicum sanguinis. Et dixit angelus: Ne facias illi quicquam, ne facias illi maculam. Hæc ille. Verùm quoniam certò statui nõ potest, ista respondisse Abrahamum angelo, satius est ut intelligamus præcepisse angelum hisce uerbis simpliciter, ut cœpto Abraham prorsus abstineret, & manum in puerum hactenus non mitteret, ut illi quicquã incommodaret. Sic & Germani loquimur, *thû ym nichts*, hoc est, nihil mali illi inferas.

Deinde aperit consilium Dei dicens: Quoniam nunc cognoui quòd timeas Deum, uel, quòd colas Deum. Q. d. Iam consequutus sum quod uolebam. Non hoc uolui, ut immolares mihi filium tuum, sed ut cognoscerem quàm me coleres. Illud iam abundè satis cognoui. Quare nolo ut in proposito pergas ulterius. Et addit, Et non pepercris filio tuo unico tuo, præ me. Q. d. In hoc cognoui, quàm colas me, quod mihi magis quàm filio tuo quem unicum habes, gratificari uoluisti, & illum mihi in holocaustum offerre non dubitasti.

QVAESTIONES.

Et ligauit Isaac filium suum.] Quæsierit hic quisquam, an filium suum Abraham mandati Dei ignorantem subitò & absque ulla præfatione iniecta manu corripuerit, ligauerit, & aræ imposuerit, quandoquidem Moses historiam hanc simpliciter ad eum modum exponit quasi fecerit Abraham hæc omnia mutus. *An nihil loquutus sit Abraham filio priusquam eum ligaret.*

Arbitror nemini cordato dubium esse, alloquutum esse Abrahamum aliqua præfatione filium suũ, priusquam eum ligaret. Quid autem illi loquutus sit, nõ poterit certò statui. Iosephus ista ponit. Dum ergo altare fuisset constructum, & ligna superposita, & oñia parata, dicit ad filium: O puer, quem innumeris uotis optaui à Deo mihi conferri, & dum peruenisses ad uiram, nihil est quòd pro alimento tuo non feci, neque me feliciorem magis arbitrabar, nisi cum te uiderem ad uirilem ætatem peruenisse, & moriens successorem mei principatus relinquere congaudebam, quia Dei uoluntate tuus pater *Libro antiquitatũ Iudaic. 1. c. 32.*

sum factus, deinde secundum eius placitum te repono, hanc fortiter portadicationem. Deo namque A
te cædo, qui hunc honorem à nobis dignatur accipere, eo quòd placidus mihi fuit & per omnia suffra-
gator. Natus ergo feliciter morere, non communi modo uitam hanc egrediens, sed à patre proprio ob-
latus Deo patri cunctorum ob legitimum sacrificium. Reor enim, quia te iudicauerit dignum nec æ-
gritudine, nec bello, nec alia qualibet passione, quæ solent hominibus accidere, ex hac uita liberare, sed
cum oblationibus & sacrificijs animam tuam suscipere, & apud se nihilominus continere: eritq; mei de
cætero curam habens, senectutemq; regens, qua gratia te maximè nutriebam, hæc mihi Deo scilicet
pro te præbituro. Hæc Ioseph us. Vides, lector, animum Iudaica caligine pressum, & ad id quod caput
historiæ huius est, nedum ad illius mysteria cæcutientem. Nulla mentio promissionum Dei, nulla de il-
larum certitudine, nulla de fide omnipotentiæ Dei. Deniq; repugnat etiam illud fidei Abrahæ, quòd
fingit eum dixisse: Animam tuam Deus secum retinebit, & pro te senectutis meæ curam geret, quasi
iugulari Isaac animam Deus fuisset in cœlo reseruaturus.

Quare meo iudicio, sicuti & suprà memini, sic est Isaacum alloquutus Abraham, ut cum primis in-
culcauerit illi mandatum Dei, cui sit parendum: deinde, ne promissa præcedentia uiderentur fore ir-
rita, firma illi fide affirmauit, esse Deum & ueracem & omnipotentem, ideoq; citius è morte ipsum
excitaturum, quàm promissionibus suis defuturum. Hæc uidetur fuisse basis eorũ quibus filium summ
Abrahã sic est alloquutus, ut non solum patienter mortem subiret, sed & eadem fide immolandum se
præberet, qua ipse eum iussus à Domino erat immolaturus. Et quoniã peculiare sanctis est, ut in re-
bus tam arduis nihil temerè, sed ex prudentia spiritus agant omnia, arbitror esse uerosimile, quòd stru-
cto iam altari & lignis compositis unà cum filio, quasi pecus holocausti à Domino expectans, in terræ
aliquãdiu consederit, & ad hunc modũ illi loqui cœperit. Interrogabas me, ô fili, cum in mõtem ascen-
deremus, ubi nam esset pecus holocausti: respondebam, prouidisse sibi Deum de pecore holocausti. Iam
uides omnia ad holocaustum esse parata, nec deesse quicquam, nisi ipsum pecus holocausti. Vnde pu-
tas illud dabitur? Quid si Domino sic usum sit, ut offeratur ipsi nunc non irrationale aliquod pecus,
sicuti nullum adesse uides, sed è duobus nobis unus, uel ego, uel tu? Ego sanè paratus sum, quod me
attinet. Tibi uerò quid hic est animi? Si præciperet Dominus, ut offerrem ipsi quod mihi omnium est
charissimũ & unicum, ut pote, te filium meum quem habeo unicum, & ex animo diligo, quid faceres?
Huiusmodi inductio non fuisset aliena à prudentia spiritus. Deinde affirmanti filio haud fore se immo
rigerum diuinæ uoluntati, si illi sic usum esset, ut immolaretur, commodum mandatum Dei propo- B
suit, promissiones de ipso factas repetijt, fidem sua de ueritate & omnipotentia Dei fortiter inculca-
uit, & ad eandem pariter & obedientiam Deo præstandam hortatus est: simul etiam exposuit ratio-
nem, quare mandatum Dei ad præsentem usque articulum celarit: ac tum demum consentientem ac-
uoluntarium ligauit, & aræ ligatum imposuit. Non affirmo ista sic esse gesta: sed quoniam cogitandi
hic est aliquid, arbitror huiusmodi cogitationes saniores esse aliquanto, & ad rem propius accedentes,
quàm quas Iudæi tradunt.

2. *quæstio. Quare ligatus sit Isaac.*

Deinde quæri poterit, quid necesse fuerit ligare Isaacum, si uoluntariè mortem subibat. Etenim liga-
ri non est uolentium, sed detrectantium. possunt hic duæ rationes assignari. Vna secretam dispensa-
tionem Dei, altera consilium Abrahæ concernit. Primùm diuina dispensatione factum est, ut ligare-
tur Isaac, tanquam typus Christi, qui & ipse erat passionis tempore ligandus. Deinde, quoniam hoc
erat uictimarum משפט, ut uinctæ iugularentur, uoluit illi sese Abrahã etiam in hac filij sui immola-
tione accommodare.

3. & 4. *quæstio. An Abrahã tum primùm cœperit timere Deũ.*

Nunc enim cognoui quòd timeas Deum.] Possunt hic duo quæri. Primum, an Abraham tum primùm
timere Deum cœperit. Alterum, an Deus non cognouerit illius pietatem, nisi ex indicio externi factũ.
Ad primum responderi potest, haud tum primùm cœpisse Abraham timere Deum: sed quòd timeret
Deum, eximia quadam & planè stupenda obedientia luculentius quàm antea declarasse. Nec dicit an
gelus, Nunc enim times Deum: sed, Nunc enim cognoui quòd timeas Deum. Ad alterum aliter ar-
que aliter respõdetur. Augustinus sic exponit: Nunc cognoui, id est, nunc cognoscere te feci. Sequun-
tur hunc posteriores patres. Alij, Nunc cognoui, idem esse dicunt, quod, Nunc alijs cognitum feci, a-
lijs exemplum timoris Dei in te proposui. Simplicius est, ut dicamus ista humano esse more dicta.
Sacræ scripturæ solenne est, ut humanas loquutiones transferat ad Deum. Sic dicit: Tentauit Deus A-
braham. Sic hic facit angelum loquentem ad Abrahã. Nunc cognoui, id est, nunc certò expertus sum,
quòd timeas Deum. Innumera sunt huiusmodi in scripturis, quæ passim occurrunt, quorũ ratio non
est quòd Deus sit ut homo, sed quòd nos tanquam homines nec Dei ad nos, nec sacræ scripturę de Deo
possumus capere loquutiones nisi humano more prolatas.

OBSERVATIO I.

Et ibant duo illi pariter, & uenerunt ad locum de quo dixerat ei Deus.] Considerandа hic est insignis e-
mnino & admirabilis fortitudo animi in Abrahamo, qua non modò solus cum solo filio, lignis holo-
causti onusto ad deputatum locum usque proficisci, sed & inter eundum sic se cohibere potuit, ut nullã
significationem propositi sui uel uerbis, uel gemitibus, uel lachrymis filio obijceret. Præsentibus duo-
bus pueris facilius erat omnia dissimulare: uerùm ubi solus cum solo proficisci, & ad destinatum locum
appropinquare cœpit, dubio procul ipsa solitudo aculeos cogitationũ in corde ipsius acuebat, simulq;
secreti propositi reuelationem opportunitate sua suadebat. Poterat illum præmittere in montem, uel
iubere

iubere ut procul sequeretur, ne dolorem cordis continuus ille innocentis, obedientis, & rerum ignorantis filij aspectus magis ac magis exacerbaret. Solus potuisset gemitus cordis, & uerba doloris eiaculari, quin & ubertim illachrymari, quæ omnia erant propter præsentiam filij cohibenda. Planè stupenda est inuicta ista secreti propositi dissimulatio, tanta animi fortitudine seruata, cum solus cum solo montem ascenderet.

Cogitemus hic, quanta cura, & quàm inuicta animi fortitudine obeunda sint mãdata Dei, seruanda diuini consilij secreta, ne quo pacto ab obedientia diuinæ uoluntatis abducamur.

OBSERVATIO II.

Et ædificauit ibi Abraham altare, & ligna composuit, & ligauit Isaac filium suum, & posuit eum super altare super ligna, & misit Abraham manum suam, & accepit cultrum ut iugularet filium suum.] Et ædificauit ibi, inquit, Abraham altare. Multis in locis ædificauerat Abraham altaria, sed immolandis pecudibus destinata. Hic in monte, non in nemore uel luco, in monte quem nõ ipse elegit, sed Dominus monstrauit, ædificauit altare sublimiori sacrificio: hoc est, non pecudibus, sed filio immolando consecratũ. Ad inferiora sacrificia pertinent altaria, in quibus offeruntur pecudes, & alia id genus externa. Ascendendum est cum Abrahamo in montem, sublimiori cultui deputatum, in quo spiritualis exercetur latria, ibiq; ædificandũ altare abnegationis & mortificationis, in quo Dño Deo nostro ad iussum uerbi ipsius offeramus Isaacũ, id est gaudium nostrum, quicquid nobis est charissimum, uxores, liberos, parentes, fratres & sorores, & si quid aliud est dimidium animæ nostræ, immo ipsas etiam animas nostras, propter Euangelium regni Dei. Hoc genus altarium non potest ædificari ab illis qui mundum hunc complexi, opibus, luxui, honoribus ac delicijs carnis inhiant, uentriq; seruiunt, præsertim magni illi actutum gidi ecclesiarũ prælati, quibus admodum placent altaria lapidea ad missandum & nundinandũ structa, quorum multitudo uniuersos Ecclesiarum, immo magis templorum angulos, crescente superstitione pariter & Simone repleuit. Nos uerò altare habemus Christum, in quo Isaacum nostrum & nos ipsos Domino Deo offerimus, & spirituales cultus exercemus. Et dum hoc facimus, non habemur in oculis mundi pro cultoribus Dei: habent uero qui omnẽ cultum Dei lapideis aris deputant, quamuis ne pecuinos quidem illos & crassos adhuc carnis affectus mortificare cœperint, homines prorsus carnales, & à uero cultu Dei alienissimi.

Altare immolãdi Isaaci nostri struendum est in monte.

Et ædificauit ibi, inquit, altare, & composuit uel ordinauit ligna.] Vides adhuc Abrahamum nihil agere turbulenter, nihil confuse, quod animi turbationem & confusionem spiret: sed omnia ex ordine, & competenter, idq; iam in ipsa ueluti crisi tentationis huius constitutum. Sed hac de re & suprà memini, cuius hac simus consideratione admonendi.

Nihil turbulenter egit Abrahã

Et ligauit, inquit, filium suum Isaac.] Non est obiter transeundum, quòd uictimam suam primùm ligauit Abraham. Primùm, hoc est in sacrificio. Ligatura præcedit immolationem. Non est uictimæ permittenda membrorum libertas. Speciem rei ac morti destinati sustinet. Vsus membrorum huic uictimæ deputatus est. Non competit ergo uictimis Deo destinatis. Sic ligandi sunt primùm affectus nostri, ne libertate sua seruiant carni, mundo, & Satanæ, ac tum demum mactandi. Qui illos nondum ligauit, quando mactabit? quando ad holocaustum comburet? Mactari nanque non poterunt nisi ligati. Donec liberi sunt & regnant, cultrum mactationis & mortificationis non ferunt. Ligare autẽ concupiscentias carnis nostræ, est eas cum Christo cruci affigere, ut in illa mortificent. Ligatæ sunt quando non facis quod illæ uolunt. Mortificatæ sunt prorsus, quando & uoluntas illarum extincta est. Sed sic non sunt in quoquam mortificatæ, donec uiuitur in carne: mortificant uerò in credentibus, dum mactandis illis per gratiam Dei studetur. Lenta mors est huius uictimæ.

Liganda primũ uictima.

Et posuit eum, inquit, super altare super ligna.] Vide. Non statim iugulat ligatum, sed primùm imponit altari super ligna holocausti, ac tum demum accipit cultrum ad iugulandum. Hoc uidelicet משמן est uictimæ, ut uiua imponatur altari, non mortua. In altari sacrificandum est, in altari consecranda est tota uictima. Nulla pars illius prophananda est. Viua imponitur altari, lignis holocausti superponitur, ibiq; iugulatur, ut & uita, & sanguis, & mors illius sacrificentur, id est, Deo consecrentur, & offerantur. Sanctificantur enim ista per altare. Sic Christus Matth. 23. dicit: Cæci, utrum maius est? Donum ne? uel altare, quod sanctificat donum? Sic & nobis curandum, ut Isaacum nostrum uiuum & integrum altari, quod Christus est, imponamus, ibiq; & uitam illius & mortem Deo consecremus.

Iugulanda est uictima super altari.

Et misit, inquit, Abraham manum suam, & accepit cultrum, ut iugularet filium suum.] Hic nodus aheneus erat, hic cardo tentationis uersabatur. Si hic detrectasset, frustra fuissent præcedentia oñia. Non dicit, Et misit Abraham manum suam, & accepit cultrum, ut præcideret uincula filij sui: sed, Vt iugularet filium suum, hoc est, Deo offerret & immolaret, atque ita mandatum Dei perficeret. Admonemur hoc exemplo, frustraneum esse omnium eorum studium, qui ubi iugulandi sunt affectus carnis, manum mittunt non ad cultrum iugulationis, sed ad instrumentum relaxationis, ne uetus Adam mactetur, sed potius uiuificetur, & sub specie consolationis corroboretur. Quorsum autem attinet profiteri mortificationem, concidere ligna holocausti, imponere illa ueteri homini, ascendere in montem, portare ignem & gladium, ædificare altare, componere ligna, uictimam mactandam ligare, altariq; imponere, si ubi iugulanda est relaxatur & uiuificatur? Prudentes homines intelligunt quid sibi uelit ista consideratio.

Victima ligata & aræ imposita, non est relaxanda, sed iugulanda.

Ieunia Papistarum, crapula & delicijs excipiuntur.

OBSERVATIO III.

Et clamauit ad eum angelus Domini de cœlo, dicens: Abraham Abraham. Et dixit: Ecce ego. Et ait: Ne mittas manum tuam ad puerum, & ne facias illi quicquam. Nunc enim cognoui quod timeas Deum, & non pepercetis filio tuo unico tuo præ me.] Principiò obseruandũ est, quòd noluit Deus immolari sibi Isaacũ. Potuisset secundum fidem Abrahæ potentiam suam excitando illum declarare, uerùm nolebat exemplũ relinquere posteris, quod etiam sine uerbo imitarentur, fuisset enim superstitio illa crudelis eo facto confirmata, qua putarunt aliquot gentes delectari Deum sanguine humano. Etenim cum inter Israelitas quoq; inualuerit, ut ad exemplum Abrahæ filios suos immolarẽt, quamuis fuerit Abraham cœlitus ne id faceret prohibitus, quanto magis inualuisset ea superstitio, si iugulatio Isaaci Deo non uerante fuisset perfecta? Quare paralogismo seducebantur Iudæi, & quotquot alij ad exemplum Abrahæ filios suos immolare cœperũt. Qui sacrificat Deo, inquiũt, ficut Abraham, Deo probatur. Abraham aũt sacrificauit Deo filium suum Isaac. Ergo sacrificans filium suum, Deo probatur. Error est in eo, quòd nõ immolarunt ficut Abraham. Abraham immolauit filium suum secundum uerbum Dei. Sacrificiũ illius erat opus obedientiæ. Posteri quod fecerunt, suapte temeritate & ethelothreſcia sine uerbo Dei fecerunt. Deinde uerbo Dei iussus abstinere ab immolatione filij, rursus obediuit. Illi quemadmodum sine uerbo Dei filios suos immolare cœperunt, ita contra uerbum Dei cum à prophetis prohiberentur, in ea uesania pertinaciter perrexerũt. Similitudinem sacrificij externi respexerũt, sine similitudine fidei & obedientiæ. Atque ita nihil minus fecerunt quàm quod fecit Abraham. Quin etiamsi Abraham sine uerbo immolasset filium suum, ex eo tamen non fuisset posteris trahendum exemplum. Non enim mox sequitur: Abraham hoc fecit, ergo faciendum est & nobis. Vxorem dixit esse sororem. Dicamus igitur & nos. Sunt ista admodum inconuenientia. Malè colligitur imitatio ex factis sanctorum, nisi nobis illa uerbo Dei proponantur. Ea demum uera & certa imitatio est. Abraham indubitata fide & obedientia pependit à uerbo Dei. Sic faciendum & nobis. Abraham posthabuit Deo omnia etiam charissima. Idem faciamus & nos.

Quare Deus noluerit immolari Isaacum.

In punctο & articulo adest Deus.

Deinde animaduertendum est quando prohibuerit Abrahamum angelus, ne manum mitteret in filium. Et misit, inquit, Abraham manum suam, & accepit cultrum, ut iugularet filium suũ: actum iubij cit, Et clamauit ad eum angelus Domini De cœlo. Ergo in ipso puncto & articulo, cum iamiam admouendus esset iugulo culter, hoc est, cum facturus esset iam Abraham hoc ipsum quod nolebat Deus ut fieret, adfuit angelus cohibens manum illius cultro armatam, mandansq; ne faceret puero quicquã. Habes exemplum prouidentię Dei, quàm sit illa uigilans & in tempore caueat, ne quod electis incommodum adferatur, citra ipsius dispositionem. Non est Deus à longè, sed præsens suis ubiq;. Dissimulat quidem aliquandiu præsentiam suam, uerùm haud ultra necessitatis punctum. Cum mane surgeret Abraham, ligna finderet ad holocaustum, asinum cingeret, duos pueros unà cum Isaaco assumeret, & iter ad locum designatum ingrederetur, nulla aderat uox angeli, quæ domi eum manere ac quietum esse iuberet, neq; tum iubebatur redire domum cum filio, cum tertio die ad montis conspectum separaret à se duos pueros, ligna holocausti Isaaco imponeret, ipse ignem & cultrum mactationis portaret, & sic instructus solus cum solo filio montem ascenderet. Quin ne tum quidem aliqua aderat diuinę prohibitionis significatio, cum in monte altare strueret, & ligna cõponeret, immo cum paratis ad holocaustum omnibus diuini mandati secretum filio suo reuelaret, obedientem ligaret, atque in ipso altari super ligna holocausti immolandum poneret. Hæc omnia uidere se diuina prouidentia summo silentio dissimulauit. Verùm ubi iam culter erat in manu ad iugulandum, subitò adest angelus Domini uetans extendere manum in puerum. Dubio procul nusquam illi defuit angelus diuinæ præsentiæ & custodiæ minister, uerùm præsentiam suam tum demum declarauit, cum ipsa posceret necessitas. Admonemur hoc exemplo, ne de præsentia diuinæ prouidentiæ dubitemus, sed certò credamus esse illam præstò electis, etiam ubi dissimulat, nec pati posse ut tentationes cursus ultra terminum ab ipsa præfixum extendantur, & fiat quod ipsa nõ constituerit. Parata est hæc consolatio omnibus illis qui propter uerbum Dei in discrimina & tentationes incidunt. Hanc sibi certò polliceri non possunt, qui suapte temeritate periclitantur. Cum Iepte filiam suam immolaret, nullus adfuit angelus qui prohiberet, non quòd immolatio illius Domino probaretur, sed quòd sine uerbo illius ex stulto esset iuramento præsumpta. Vide Iudic. undecimo.

Quare angelus Abrahamo exertauoce prohibuerit, ne Isaacũ immolaret.

Tertiò, & modum prohibitionis huius obserua. Poterat Abrahamũ Deus interno spiritus sui instinctu cohibere, ne manum mitteret in puerum, illiq; reuelare quæ mandata ipsi fuissent, tentationem fuisse, non mandatum. Verùm maluit ad hanc rem uti ministerio angeli, qui magna illum uoce & clamore subitò cohiberet, & de ratione tentationis huius edoceret. Primùm enim, quemadmodum de immolando Isaaco clara & audibili uoce, certisq; uerbis propositum fuerat, non conueniebat ut mandatum prohibitionis secreto fieret instinctu. Deinde & propter Isaacum melius erat ut clamore angeli prohiberetur Abraham, & ratio tentationis huius sic exprimeretur, ut de illa non solus Abraham, sed & Isaac instrueretur, simulq; manifesto angeli testimonio persuaderetur, esse se curæ Deo, nec defuturũ illum promissis suis. Tertiò, & propter posteros utile erat, ut non solum immolationis, sed & prohibitionis mandatum expressis uerbis proponeretur, & tentationis ratio declararet. Etenim plurimum occasionis præposteræ imitationi præbuisset, si mandatum Dei de immolando Isaaco, unà cum factis Abrahæ sine mandato diuinæ prohibitionis transmissum fuisset ad posteros.

Quartò

Quartò, nec illud prætereundum est, quòd tentatio Abrahæ contrario mandato aperitur, ideoque non sine specie nouæ tentationis. Mandatū immolationis tentandi gratia propositū quo præcipiebatur Abrahæ ut Isaacum filiū suū offerret in holocaustū, promissionibus Dei de Isaaco factis repugnare, adeoq; non Dei, sed satanæ esse uidebatur, qua de re suprà annotauimus. Iam prohibitionis mandatum, quia dicebatur, Ne extendas manū tuam in puerum, nec facias illi quicquam: & ipsum contradictionem habebat. Repugnabat enim priori mandato, de quo nō dubitabat Abraham, quod Dei esset. Prius mandatum præcipiebat immolationem filij, posterius prohibebat. Poterat Abraham admodum hæsitare, cui nam obediret. uerùm quemadmodum suprà diximus, quoniam non dubitabat uerbum hoc prohibitionis æquè Dei esse ac præcedens mandatum, haud aliter illi quàm priori obedire uoluit. Quòd Deus contraria præcipere, ac sententiam mutare uidebatur, in id inquirere nolebat. Deinde pulchrè intelligebat, posterius mandatum conuenire præcedentibus promissis, & simul declarare quod mandatum immolationis tentatio fuisset, non serium mandatum.

Mandatum mandato contrarium

Quintò, obseruandum etiam est quod non simpliciter dicit, Scio quòd timeas, uel, colas Deum: sed, Nunc scio quòd timeas Deum. Sciebat hoc Deus etiam antea. uerùm admonemur hac loquutione, non morari Deum speciem ac simulationem cultus sui, sed ueritatem, idq; eam, quæ non ociosa qualitas sit residens in corde, sed efficaciam suam certo experimento iuxta uerbi ipsius præscriptum comprobet. Experimentis Deus opus non habet, sed ueritate delectatur & luce manifestationis. Detestabiles sunt, qui cum Deum nec timeant, nec colant, cultores tamen ipsius uideri uolunt, & inani ostentatione ipsi & mundo fucum facere conantur. Quod de timore Dei admonemus, admonendum consimiliter est & de fide. Non amat Deus fidem nostram, nisi uera sit & efficax, aperta & manifesta. Ideo Paulus fidem requirit quæ sit per dilectionem efficax. Et Christus poscit, ut publica confessione fidem in ipsum testemur. Et Apostolus dicit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Veritatē ac manifestationē cultus sui amat Deus.

Sextò, illud quoque considerandum est, quod pro eo quod dicendum erat, Nunc scio quod Deo obedias: dixit, Nunc scio quòd Deum timeas. Commendatur nobis ueræ fons obedientiæ, timor uidelicet, cultus, & obseruantia Dei. Quàm timeamus Deum, declaremus obediendo. Nemo timens Dei indubitato illius uerbo obedire detrectat. Deinde secundum excellentiam timoris & obseruantiæ declaratur etiam excellens obedientia. Quare si præsens hoc seculum inspicias, non poteris manifestiori experimento cognoscere quòd paucissimi sint qui Deum timeant, quàm in hoc ipso quòd inobedientia aduersus uerbum Dei passim inualuit.

Timor Dei fons est ueræ obedientiæ.

Septimò. Quoniam non pepercisti filio tuo, inquit, unico tuo, præ me. Atqui nondum iugulauerat eum, nec quicquam incommodi corpori illius intulerat. uerum est, at erat illum iamiam iugulaturus: iugulasset etiam, nisi prohibuisset angelus. Quantum in ipso erat, immolabat eum & uoluntate & opere. Quod non perfecit, non ipsius uoluntate, sed diuina est prohibitione factū. Sic uidemus uoluntatem & conatum coram Deo perfecti operis esse loco.

Voluntas & conatus pro opere est coram Deo.

Dicet hic superstitiosulus aliquis: Commendat angelus in Abrahamo quòd non pepercerit filio suo propter Deū. Ergo probatur Deo si quis non parcat uel suis, uel corpori suo propter ipsum. Quare bonum opus est, esse immisericordem tam in se quàm in eos qui ad se pertinent, propter Deum, sicuti faciunt, qui corpora sua & suorum ieiunijs propter Deum macerant, & nonnunquam flagellis etiam ad sanguinem usque proscindunt. Respondeo: Bonum est ut q; propter Deum parcere nec nobis ipsi, nec pignoribus nostris etiam charissimis. uerùm adde, secundum uerbi ipsius præscriptū, ut quod ex uerbis angeli colligitur, non abludat ab exemplo Abrahæ, quod angelus tantopere commendat. Alioqui si in se crudelem esse & immisericordem Deo sine ipsius uerbo probatur, placuerunt illi sacerdotes & prophetæ Baal qui se cultris ultrò dilaniarunt, & admodum imprudenter reprehendit Apostolus traditiones illas humanas, quibus corpori non parcitur. Colos. 2.

Quando nec nobis nec nostris parcere debeamus.

Octauò, & illud obiter animaduertamus. Quoniam non pepercisti, inquit, filio tuo, unico tuo, præ me. Quis dixit ista? Angelus Domini, clamans de cœlo. Ergo Abraham propter angelum non pepercit filio suo. Quid est igitur, quod non dixit, Nunc cognoui quòd me timeas: sed, Nunc cognoui quòd timeas Deum? Si timore Dei motus Abraham immolare uoluit filium suum, quid est quod dicit angelus: Quoniam non pepercisti filio tuo propter me: cum dicendum potius esset, Propter Deum, quàm propter me? Non sunt ista ociosa. Cum dicit angelus, Nunc cognoui quod timeas Deum: loquitur ut angelus, commendans in Abrahamo luculentissimum timoris Dei experimentum. Rursus cum dicit, Quoniam non pepercisti filio tuo propter me: loquitur ut Deus, id est, in persona Dei, id quod frequens est in scripturis. Quoties eiusmodi loquutio occurrit, agnoscamus authoritatem & excellentiam ministerij.

Angelus loquitur in persona Dei quasi Deus.

Nonò. Est & hoc intentissimè considerandum. Dicit angelus ex eo se cognoscere quòd timeat Abraham Deum, quòd filio suo unico propter ipsum non pepercerit. Quæso quid nos de eo cogitabimus, quòd Deus proprio dilecto, & unico filio suo non pepercit, sed illum pro nobis omnibus ad immolandum dedit? Erat factum Abrahæ certum argumentum quòd timeret & coleret Deum, propter quem filio suo non parcebat, quomodo non est in eo certus argumentum diuinæ philanthropiæ, quòd Deus Christo filio suo unigenito non pepercit propter nos, sed sponte sua dedit in mortem, eamque omnium turpissimam? Abraham quod fecit, iussus fecit: peccaturus, si non faceret.

Ex eo quod Abraham prædicatur non pepercisse filio suo, cogitandū est de eo, quod Deus non pepcit propter nos filio suo unigenito.

At Deo nemo dixit, Tolle filium tuum unicum quem diligis, & offer illum pro ſalute generis humani. Quod fecit iniuſſus, immo ne rogatus quidem, ſed ſponte ſua fecit: non peccaturus, ſi non faceret. Quid igitur aliud hic dicemus quàm quod Apoſtolus Rom.5.dicit: Commendauit Deus dilectionem ſuam erga nos. Et Chriſtus Ioan.3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret. Et Rom.8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo nobis non etiam omnia cum illo donauit? Dicamus igitur magna fiducia, Nunc ſcimus quòd diligat nos Deus, quoniam proprio filio ſuo non pepercit, quo nos per illum ſaluaret.

Leuauit Abraham oculos ſuos, uiditq; poſt tergum arietem inter uepres hærentem cornibus. Quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. Appellauitq; nomen loci illius, Dominus uidet, unde uſq; hodie dicitur, In monte Dominus uidebit.

LECTIO.

Viditq; poſt tergum arietem.] In Hebræo eſt, וירא והנה איל אחר נאחז בסבך בקרניו, id eſt, & uidit, & ecce aries pòſt detentus in Sabech cornibus ſuis. Ergo uox, tergum, in Hebræo non eſt. Deinde uocu lam, ecce, interpres omiſit. Quod aũt in Ebræo eſt אחר, id eſt, pòſt, aliter atq; aliter intelligitur. Alij ſentiunt arietem fuiſſe à tergo Abrahæ. Sic latinus, & Germanicus quoq; interpres intellexit. Alij referũt ad arietem, quaſi ille non fuerit à tergo Abrahæ, ſed cornibus ſuis retrorſum uepreto implicitus pependerit. Symmachus intellexit pro poſtea. Sic enim reddidit: Et apparuit aries poſt hoc retentus in rete cornibus ſuis. Sic ſenſit & R. Shlomoh exponens ad hunc modũ אחרי שאבור לו חבל אל תשלך ידך, id eſt, poſtquam dixit ei angelus: Ne mittas manum tuam. Et paraphr. Chaldæus ſic uertit: Et leuauit Abraham oculos ſuos poſt illa. Repetit tamen poſtea uoculam, Pòſt, dicens: Et ecce aries pòſt uel retrò detentus, &c. Septuaginta uerterunt ad hunc modum: *καὶ ἰδοὺ κριὸς εἷς κατεχόμενος ἐν φυτῷ σαβὲκ τῷ πρεσάτῳ*, id eſt, Et ecce aries unus detẽtus in uirgulta Sabec cornibus. Primum, omnino pro אחר, id eſt, poſt, legerunt אחד, id eſt, unus. Admiſſus eſt error in litera res, pro qua legerunt daleth. Deinde uocem Sabec non uerterunt, ſed ſenſerunt eſſe genus quoddam uirgultæ. Chald. uertit arborem. Significat aũt perplexitatem, qualis eſſe ſolet uepretum, unde à nonnullis pro uepreto accipitur. Nahum 1. legitur עד סיררים סבוכים, id eſt, uſq; ad ſpinas perplexas.

Quem aſſumens obtulit.] In Hebræo habetur וילך אברהם ויקח את האיל, id eſt, & iuit Abraham, & accepit arietem. Sic uerterunt & Septuaginta.

Appellauitq; nomen loci illius, Dominus uidet.] In Hebræo eſt, Et uocauit Abrahã nomen loci illius Dominus יראה, id eſt, Dominus uidebit, ſi formam punctorum ſequimur: citra punctа tamen non incommodè uerteretur, Dominus uidit.

Vnde uſq; hodie dicitur.] In Hebræo non eſt, Vnde uſq; hodie: ſed, אשר יאמר היום, id eſt, qui uel quod hodie dicitur. Græcus habet *ἵνα εἴπωσι σήμερον*, id eſt, ut dicant hodie.

In monte Dominus uidebit.] Recentes ferè omnes uertunt, In monte Dominus uidebitur, eo quòd in Hebræo uox יראה in paſſiuo legitur יראה. Germanicus interpres uertit, *Auff dem berg da der Herr geſchawet würt*. id eſt, in monte in quo Dominus uidet. Non incõmodè uerteretur, In monte Dominus uiſus eſt. Septuaginta habent, *κύριος ὤφθη*, id eſt, Dominus apparuit, Dominus uiſus eſt. Si citra temeritatis notam auderem, iudicarẽ eos qui Biblia punctarũt, ſine neceſsitate uerbũ actiuũ mutaſſe in paſſiuũ, atq; ita nomen monti per Abraham impoſitum ab origine ſua deflexiſſe. Vtrobiq; eædem ſunt literæ יהוה יראה. Poterant utrobiq; ijſdem uti punctis, & conſtantem retinere uerborum ſignificationem, ut tam ab Abraham quàm à poſteris mons ille, Dominus uidet, uocatus legeretur. Certè Hieronymus nõ legit paſsiuè, ſed actiuè, cum dicit Hebræis eſſe in prouerbio, ut dicant: In monte Dominus uidebit.

EXPLANATIO.

Leuauit Abraham oculos ſuos.] Nihil ad uerba angeli reſpondiſſe legitur. R. Shlomoh tamen pro ſua temeritate inducit Abrahamum regeſsiſſe quædam de inconſtantia primùm promiſsionum, deinde & mandatorum Dei: & angelum ad illa reſpondiſſe non muraturum ſe quæ ſemel de labijs ſuis ſunt egreſſa. Quæ in ſpeciem dici potuiſſe uidentur, dicta eſſe iudicauit.

Abraham uerbo Dei ubiq; obediens, cum mandatum Dei audiſſet ex angelo à propoſito immolandi filium deſtitit. Oculos, inquit Moſes, leuauit. Vel omiſſa intentione immolandi, & iam iugulandi filium, qua totus fuerat occupatus, ſeſe erexit, uel cogitare ac circumſpicere cœpit, quidnam loco filij immolaret. Iudicabat enim irreligioſum eſſe, ſi holocauſtum illud prorſus redderetur irritum.

Et ecce aries retrò detentus erat in uepreto cornibus ſuis.] Quod dicit, Et ecce: indicat præſtò fuiſſe arietem iſtũ ex inſperato, & præter omnem Abrahæ opinionem & conſcientiam. De eo quòd cornibus detentus fuit in uepreto, nugatur R. Shlomoh, dicens, quòd cum ad Abrahamum curreret, auerſus fuerit à Satana, & arboribus implicatus. Non eſt aliqua in reipſa difficultas, ut neceſſe ſit ad huiuſmodi nugas confugere. Quid enim mirum eſt, ſi aries cornutus cornibus implicetur uepreto, cum Abshalom crinibus pependerit in arbore?

Et iuit Abraham, & accepit arietem, & obtulit eum in holocauſtum pro filio ſuo.] Intellexit nimirum non

non fuisse se mentitum, cum diceret ad filium: Dominus prouidebit sibi pecus ad holocaustum, fili mi: ideoq; conspectum arietem incunctanter tanquam à Domino dispositum arripuit, & immolauit. Ad dit, Pro filio suo. quod idem hic est atq; loco filij sui, quemadmodum & in Hebræo legitur, תחת בנו, R. Shlomoh dicit Abrahamum interea cum arietem immolaret, orasse, ut Deo illius immolatio perinde placeret, ac si filius ipsius immolaretur, combureretur, & in cinerem redigeretur.

Et uocauit Abraham nomen loci illius, Dominus uidet, uel Dominus uidit.] Hæc erat illius consuetudo, ut insignium gestorum locis nomen de re gesta memoriæ gratia inderet. Potest autem nominis huius ratio gemina assignari. Vna de eo quod dixerat Abraham ad filium, יראה יהוה, id est, Dominus uidebit sibi pecus holocausti. Altera de eo quòd certo experimento cognouerat fuisse Dominum immolationis suæ spectatorem. R. Shlomoh de eo exponit, quòd Dominus elegerit & prouiderit sibi locum illum, ut tabernaculum ipsius ibi esset, & ibi ipsi oblationes fierent.

Quod hodie dicitur, In monte dominus uisus est.] Significat Moses id nominis quod monti est ab Abrahamo impositum, durasse ad suam usq; ætatem. Et admonet eius populum Israelis, ut quoniam in illa loca erat introducendus, rationem intelligat quare mons iste hoc nomine uocetur. Hieronymus hac de re sic annotat: Hoc apud Hebræos exiuit in prouerbium, ut si quando in angustia constituti sunt, & Domini oprant auxilio subleuari, dicant, In monte Dominus uidebit: hoc est, sicut Abrahæ misertus est, miserebitur & nostri.

QVAESTIO.

Et ecce aries retrò detentus erat, &c.] Poterit hic quæri, unde aries iste tam in tempore & opportunè adfuerit, ut ipse liberato Isaaco immolaretur. In genere sentitur, & satis constat, adfuisse illum ex prouidentia & dispositione Dei, ad hoc destinatum, ut pro Isaaco offerretur. Quoniam autem uarij sunt diuinæ dispensationis modi, quæsierit forsan quisquam quomodo ad eum locum aries iste peruenerit, fueritne ibi priusquam Abraham in montem cum Isaaco uenisset: uel tum demum illò deportatus fuerit, cum angelus immolationem Isaaci prohibuisset: uel quasi casu in uepretũ illud, cum in monte à reliquo grege aberraret, inciderit, aut recens ex uepreto illo creatus fuerit & productus. R. Shlomoh dicit illum in principio mundi, sexto die, cum prima animalia de terra producerẽtur, ad hanc rem fuisse eo loci paratum. Non est impossibile Deo arietem inde ab initio mundi ad finem usq; eadem potentia conseruare, qua Solem, lunam, stellas, cœlum, mare, &c. conseruat. uerùm quoniam id nullo scripturæ testimonio, uel certo experimento comprobatur, eadem facilitate qua dicitur contemni potest, fide creationis & conseruationis arietis huius est, & non de prædestinatione dictum. Lyranus sentit arietem hunc angelico fuisse ministerio adductum. Lutherus dicit se id quidem non reprehendere, uerùm magis credendum esse iudicat, fuisse eum per potentiam Dei, iubente angelo, ex uepreto illo productum. Et Iosephus idem posset sensisse uideri, ubi secundum latinam uersionem dicit, produxit illis Deus arietem ex improuiso. uerùm quoniam in Græco codice habetur, κριὸν ἐξ ἀφανοῦς παρηγαγεν αὐτοῖς εἰς τὴν ἱερουργίαν, id est, arietem ex improuiso adduxit eis in sacrificium, sitq; non necessarium, ut uerbum παράγω idem hic sit quod in esse producere, arbitror Lutheri sententiam nihil occasionis habere ex uerbis Iosephi. Haud absurdum fuerit, si dicas arietem hunc, fic Deo disponente, oberrando in monte in uepretũ illud in ipso opportunitatis articulo incidisse. Mihi tamen magis placet, ut quoniam nihil certi potest hac de re determinari, sentiamus non esse sine singulari consilio Dei factum, quod statui certò non potest, unde & quomodo aries iste in uepres illas peruenerit. Neq; enim ea res mysterio uacat. Quare respondendum est ad hanc quæstionem, credendum quidem esse, quòd peruerit aries iste per diuinam potentiam subitò creari & produci, uel iam antea creatus angelico ministerio, aut aliàs in uepretum illud adduci: certò uerò aliquid ex istis statuendum non esse, sed diuinæ prouidentiæ committendum, quod illa nobis uoluit esse absconditum.

Vnde aries iste tam in tempore & opportunè adfuerit.

OBSERVATIO I.

Leuauit Abraham oculos suos, & uidit, & ecce aries.] Duo hic cõcurrisse notandũ est. studiũ uidelicet diuinæ prouidentiæ, & studiũ Abrahæ. Studio diuinæ prouidentiæ paratus erat aries, studio circũspicientis Abrahæ uisus est in uepretò. Sic non simpliciter dicit Moses, Vidit Abraham: sed, Leuauit oculos suos Abraham, & uidit: ut intentionem & curam animi illius exprimat. Deinde non simpliciter dicit, Et uidit arietem: sed, Et ecce aries, ut ex eo quod aries iste adfuit ex improuiso, quod per uoculam admirationis, Ecce, notat, diuina id prouidentia factum esse significet. Admonemur, nec satis esse ad acquirendum necessaria, si quamuis sedulò circumspiciamus, nisi illa nobis à Deo parentur ac disponantur, nec conuenire ut disponente Deo simus ocioſi, desides, ignaui ac negligentes: sed requiri, ut uigiles simus & studiosè quæ à Deo parata sunt quæramus. Tenebatur Abraham proposito offerendi Deo gratum & acceptum holocaustum. Sic animato, deq; eo cogitanti & circumspicienti monstratur aries à Deo paratus. Qua in re utiq; uidemus non deesse Deum studijs illorum qui se ex animo colunt. Simus cum Abrahamo parati ad colendum Deum, nec dubitemus illum nobis perinde atq; Abrahamo quæ ad colendum ipsum necessaria sunt subministraturum.

Concurrunt prouidentia Dei & studium piorum

OBSERVATIO II.

Et ecce aries retrò detentus erat in uepreto cornibus suis.] Detentus erat aries cornibus in uepreto. Ad quid? Vt expositus esset Abrahamo ad capiendum & immolandum. Poterat inuisibili uirtute in manus Abrahæ sisti, ut opus non esset detineri eum cornibus in uepreto. Nihil erat insoliti, detineri

Non facit Deus miracula sine grandi ratione

arietem

arietem cornibus ſuis incuruis in uepreto, hoc eſt, in perplexitate ueprium ac ſpinarum ſine certa lege & ordine quolibet ſurſum deorſum, per obliquum & in tranſuerſum liberè uagantium & luxuriantium. Ratio humana non agnoſcit hic aliquid quod diuinæ uirtutis ac diſpoſitionis ſpecimen habeat. Interea tamen nec Abraham, nec quiſquam mortalium alius, arietem hunc uepribus implicuit, ſed diuinæ prouidentiæ diſpenſatio. Admonemur ſic comparatam eſſe prouidentiam Dei, ut non ſine grandi neceſsitate naturæ curſum deſerat, & miraculoſè quod inſtituit perficiat. Quare & in conſuetis ac naturalibus agnoſcenda eſt diuinæ prouidentiæ operatio.

OBSERVATIO III.

Non ſunt ſancti ſcrupuloſi in uſu rerum, ubi certi ſunt de uoluntate Domini.

Et iuit Abraham, & accepit arietem.] Obſerua. Non cogitauit, Forſan ad ius alicuius pertinet, & de grege heri ſui aberrauit, quare non licet ut eum auferas & immoles, ne ſacrificium tuum ſit non de tuo, ſed de alieno. Nihil hic hæſitauit, ſed iuit, accepit & immolauit arietem, quem ipſe nec emerat, nec dono à quoquam acceperat, neq; domo ſecum attulerat. Admonemur, non eſſe ſanctos ſcrupuloſos in uſu rerum, ubi uoluntatem ac diſpoſitionem Dei intelligunt. Abraham ſecura conſcientia uſurpauit arietem iſtum, quoniam intelligebat eum ſingulari diſpoſitione Dei ad hoc ſubitò oblatum, ut pro filio ipſius immolaretur. Vbi manifeſtum eſt diuinæ prouidentiæ opus, ibi non quærit Elias unde corui panes & carnes accipiant, quibus onuſti manè ac ueſperi ad ipſum ueniunt, ſed allatis incunctanter ueſcitur, ſciens ad ius Domini pertinere omnia quæ in cœlo ſunt & in terra: quemadmodum nec populus Samariæ hæſitabat, dicens: Vnde tanta frumenti copia hoſtibus noſtris contigit, niſi ex rapto ac depræ-

1.Reg.17.

2.Reg.7.

datione? Quare non licet ut frumentum in caſtris ipſorum inuentum in uſus noſtros uertamus, nec rapinæ illorum ſint in ædibus noſtris. Nihil horum cogitabant, ſed auxilium Domini intelligentes abiecta ulla ſcrupuloſitate frumentum & ſpolia hoſtium in ſuos uſus uindicabant.

OBSERVATIO IIII.

Offerunt Deo ſancti, quæ ab illo accipiunt.

Et obtulit eum in holocauſtum pro filio ſuo.] Vide. Arietem à Domino acceptum offert Domino. Ergo Dominum ſuo ipſius dono honorat. Talia ſunt omnia noſtra ſacrificia. Quicquid offerimus Domino, de ipſius munificentia offerimus. Quid enim habemus quod ab illo non acceperimus?

Aries pro Iſaaco immolatus.

Deinde obſerua quòd non ſimpliciter dicit, Et obtulit eum in holocauſtum: ſed addit, Pro filio ſuo. Ergo arietem obtulit Domino non tanquam arietem, ſed tanquam filium ſuum. Aries ille locum & uices ſuſtinuit ipſius Iſaac. Meum eſt, quicquid pro me geritur. Redimebatur Iſaac holocauſto arietis. Et in lege primogeniti certis pecudibus redimebantur. Sic Iſaac Domino eſt per holocauſtum arietis conſecratus, & ſimul à mactatione liberatus. Etenim conſecratio per holocauſtum facta non ad arietem, ſed ad Iſaacum pertinebat: mactatio uerò non Iſaaco, ſed arieti deſtinata fuit. Non carent iſta myſterio.

OBSERVATIO V.

Non ſuorum geſtorum Abraham, ſed prouidentiæ Dei memoriam ſtatuit.

Et uocauit Abraham nomen loci illius: Dominus uidet.] Obſerua hic, quòd loco iſti Abraham nomen indidit non de eo quod fecerat ipſe, ſed quod fecerat Dominus. Noluit geſtorum ſuorum conſecrare memoriam, ſed diuinæ prouidentiæ celebrare & publicare experimentum. Aliàs poterat hunc locum uocare עירת בבני, id eſt, holocauſtum filij mei, uel עירת האיל, id eſt, holocauſtum arietis. Maluit oſtendere quanti prouidentiam & curam Dei faciat, ideo appelllauit hunc montem ab eo, quòd Dominus ſibi in illo apparuerat, & facti ſui ſpectator fuerat.

Admonemur hoc exemplo quam debeat & nobis maximi eſſe momenti, ſicubi certo experimento cognouerimus adfuiſſe nobis Dominum in anguſtijs ſpectatorem & adiutorem.

OBSERVATIO VI.

Dominus & uidet & uidetur.

Quod hodie dicitur in monte: Dominus uiſus eſt.] Conferamus iſta. Abraham uocauit hunc montem, Dominus uidit uel uidet. Poſteri appellarunt eum, Dominus uiſus eſt, uel, Dominus apparuit. Ergo utrunque de Deo prædicatur, quòd uideat, & quòd uideatur. utrunq; etiam magnæ eſt conſolationis pijs hominibus, quòd ſciunt ſe Deum habere & uidentem & uiſibilem, qui & uideat, hoc eſt, curam gerat, & prouideat ipſis, nihil minus quàm cæcus, qualem ſibi fingunt impij, dicentes: Deus non uidet: & uideatur, id eſt, appareat ipſis, ac certis argumentis uel de uoluntate ſua doceat, uel gratiam ipſis curæ ac prouidentiæ ſuæ declaret.

Ex eo quod priuatim accidit, natum eſt prouerbium publicum.

Quod ſi cum Hieronymo legerimus, In monte Dominus uidebit, uel quemadmodum Burgenſi placet, In monte Dominus uideat, conſiderandum eſt, quampulchrè ab eo quod Abrahę priuatim accidit, natum ſit prouerbium publicum & catholicum, quo ſignificare uolebant ſic eſſe Dominum comparatum, ut non ſolum Abrahæ, ſed & omnium rationem habeat, & curam eorum gerat qui ſe colunt & quærunt. Sic Hebræi, teſte Hieronymo, colligebant ex hoc Abrahæ exemplo, ac dicebant, Cum in tribulationibus eſſent & tentationibus conſtituti, In monte Dominus uidebit, hoc eſt, ſicuti miſertus eſt Abrahæ, ſic miſerebitur & noſtri. uerè pius ac felix eſt, qui bona fiducia pendet ab oculis Domini, & ex animo dicit: Dominus uidet, Dominus uidebit, Dominus uideat.

DE MYSTERIO PRAESENTIS HISTORIAE.

Tametſi ex hac hiſtoria nullo noui Teſtamenti loco aliquid ſit uel myſticum uel allegoricum, aut typicum deſumptum, quoniam tamen patribus placuit myſterium in illa ac typum notare Chriſti ſeruatoris unici filij Dei pro nobis immolati, uiſum eſt de illo pauca poſt hiſtoricam tractationem ſubiſcere,

cere. Christum in Isaaco præfiguratum fuisse, communiter sentiũt. Hoc sensu ista obseruanda ueniunt. *Isaac typus Christi.*
Abraham obtulit filium suum unicum & dilectum, obediens Deo. Deus pater erat filium suum dilectũ & unigenitum in mortem daturus, ut nos per illum redimeret.

Abraham cum filio suo tertia die uenit ad locum immolationis. Deus pater misit filium suũ in mundum tertia seculorum ætate, secundum propheticam supputationem quam Eliæ tribuunt, qua ille duo millia uani, duo millia legi, duo millia Christo tribuisse fertur. Ligna immolationis suæ portauit Isaac in montem ubi erat immolandus. lignum crucis, in quo erat Deo patri immolandus, Christus erat portaturus. Isaac immolandus ligatus fuit à patre. ligandus erat & Christus. Isaac cum ligaretur, & lignis holocausti imponeretur, nihil contradixisse legitur, sed omnia in patientia & silentio, tanquam Deo & patri obediens sustinuit. Et Christus erat instar ouis ad uictimam ducendus, nec os suum aperturus. Isaac non fuit immolatus, sed aries. Origenes illum hac in re typum Christi secundum diuinitatem, arietem uerò secundum carnem gessisse dicit. Christus enim & immolandus erat, & non immolandus. Immolandus secundum humanitatem, non immolandus secundum diuinitatem. In Christo sunt duæ naturæ, uerbi & carnis. Verbi Isaac non immolatus, carnis aries immolatus typum habuit. Hæc est cogitatio Origenis.

Vt & quid ego sentiam intelligatur, dicam paucis, quomodo mihi typus Christi in hac historia spectandus esse uideatur, sic tamen, ut qua decet modestia, nihil alijs præiudicem. Isaac uidetur gessisse personam humani generis peccato & morti obnoxij, quod electos ex illo concernit. Hic quamuis electus & promissionis filius, miraculosè denique Abrahæ patri datus esset, peccato tamen uniuersi generis humani fuit obnoxius, à quo liber fuit & est & erit nemo, nisi solus Christus, non ex semine uiri, sed ex spiritusancto conceptus. Sustinuit ergo Isaac in hac historia non Christi, sed generis nostri morti obnoxij personam. *Isaac typus humani generis, & aries Christi.*

Adductus est ad immolandum iussu Dei. Significata est iudicij Dei seueritas, qua nisi gratia redemptionis succurrisset, uniuerso esset generi humano pereundum. Non est immolatus reipsa, quia id nec sibi, nec alijs ad redemptionẽ profuisset. Aries apparuit ex improuiso, sic ut ne uerbo quidem exprimatur, unde in id loci uenerit. Consimiliter & Christus uenturus erat in mundum, adeò obscurè & ex improuiso, ut Hierosolymitani pharisæi dicturi essent, Hunc nescimus unde sit, Ioan. 9. Et populus Ioan. 7. Christus cum uenerit, nemo sciet unde sit: qua in re & Melchizedec typum ipsius gessit, Hebr. 7. Aries immolatus est pro Isaaco, non pro seipso. Christus immolandus erat non pro seipso, sed pro semine electorum. Non contradico scripturis, quæ dicunt passum esse Christum pro redemptione totius generis humani. Distinguendum est inter precium sanguinis Christi, & inter illius efficaciam. Precio ualet mors Christi pro omnibus, efficacia illius ad electos tantum, nõ quòd infirma esset, sed quòd reprobi non acceperunt, peruenit. Hæc simpliciter & cum modestia annotare uolui. iudicent cordati.

Vocauit autem angelus Domini Abraham secundò de cœlo, dicens: Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & uelut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obediuisti uoci meæ. Reuersus est Abraham ad pueros suos, abieruntq; Bersabee simul, & habitauit ibi.

LECTIO.

Per memetipsum iuraui.] Sic habet forma uerbi in Hebræo, & sic Septuaginta quoq; uerterunt in præterito. uerùm meo iudicio non incommodè uerteretur in præsenti, Per me iuro: ut tum in præsenti iurasse Deum, & quæ sequuntur per iusiurandum prolata esse intelligamus.

Vnigenito.] In Hebræo est, יחידך, id est, unico tuo. Septuaginta habent, Dilecto, quemadmodum & suprà uerterunt.

Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum.] Hebræa sic habent ברך אברכך ורבה ארבה, id est, quod benedicens benedicam, & multiplicans multiplicabo semen tuum. Sic habent & Septuaginta, nisi quod uoculam כי, id est, quoniam uel quod, reddiderunt per ἤμελλε, sicut & interpres Apostoli legit Hebr. 6. quæ uocula uim habet iuramenti, & malè reddita est per, nisi, quasi sit εἰ μή, cum reddenda sit per uerè, profectò, reuera, &c.

Portas inimicorum suorum.] In Hebræo est singulariter, portam inimicorum suorum. Septuaginta uerterunt τὰς πόλεις τῶν ὑπεναντίων, id est, ciuitates aduersariorum.

Et benedicentur in semine tuo.] Hebræa habent ויתברכו בזרעך quod nonnulli uertunt, Et benedicent se in semine tuo, propterea quòd benedicendi uerbum positum est in hithpael, ut reciprocam signi ficationem habere uideatur. Illud, In semine tuo, Chaldæus paraphrastes uertit, Propter filios tuos.

Abieruntq; Bersabee.] In Hebræo est, Et surrexerunt & abierunt Beersabam simul. Septuaginta reddiderunt

diderunt uocem Beersabe, Ad puteum iuramenti.

Et habitauit ibi.] Hebræa sic: Et habitabat Abraham in Beersaba: ne quis illum tum primùm ibi habitare cœpisse putet.

EXPLANATIO.

Vocauit autem angelus Domini Abraham secundò.] Habent ista confirmationem præcedentium de Isaaco promissionum. Vocauit, inquit, angelus Domini Abraham secundò de cœlo. Factum hoc esse apparet ordine quo à Mose exponitur, uidelicet post immolatũ iam arietem, cum esset Abraham de monte cum Isaaco descensurus. Et additur, Secundò, quod intelligi potest uel de eo quòd secũdò eum ex nomine uocarit, sicuti suprà fecerat cum prohiberet ne manum mitteret in puerum: uel, quòd ista uocatio secunda fuerit, & separatim post primam facta.

Per me iurauí, dicit Dominus, &c.] Est angelus interpres Dei ad Abrahamum, ideoq; non iurat ipse, sed Dominum iurasse dicit, & iuramentum illius exponit. Quare Moses, quoniã dixerat, Angelus Domini uocauit Abrahamum de cœlo secundò, dicens, Per me iurauí, uel iuro, ne iuramentum hoc non esse Dei putetur, sed angeli, hanc particulam, Dicit Dominus, uerbis suis angelum immiscuisse ostendit. Quod autem Dominus promissiones suas præcedentes non simpliciter, sed cum iureiurando repetit, confirmationis gratia factum est. Deinde, quòd non simpliciter iurat, sed dicit, Per me iurauí, augmentum habet confirmationis huius. Solemus iurare per maiores ac potiores quàm nos simus. Sic Deus cum more humano iurare uellet, nec potiorem ac superiorem haberet per quem iuraret, iurauit per seipsum.

Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo, unico tuo, benedicens benedicam tibi, &c.] Priusquam quid facturus sit, iuramento promittat, causam exprimit quare sic iuret. Quia fecisti, inquit, hanc rem, uel ut in Hebræo est, hoc uerbum (intellige quod illi præceperat de immolando sibi filio) & non pepercisti filio tuo unico tuo: exponit, quam rem intelligat, nempe de qua & suprà in prima acclamatione meminerat. Propterea, inquit, quia filio tuo unico usq; adeò non pepercisti, ut illum mihi immolare secundum iussum meum uolueris, benedicens benedicam tibi, &c. Quatuor sunt quæ promittuntur. Primum est, quòd uelit ipsum Abraham benedicendo benedicere, id est, indubitanter & indesinenter benedicere. R. Shlomoh exponit אחת ראה ראתה לבן, id est, semel patri & semel filio. Sic ille ineptit. Secundum, quòd uelit semen eius multiplicando multiplicare. Et ut multiplicationis huius innumerabilem exprimat abundantiam, addit: Sicuti stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris. Tertiũ, quòd semen ipsius hæreditariò sit ciuitates inimicorum suorum possessurũ. Quod textus habet, Portas, pars est posita pro toto. Significat autem per possessionem portarum legitimam ac plenam possessionem, eo quòd in portis solebant exerceri iudicia, id quod est eorum qui pleno iure ac dominio ciuitates incolunt. Includit autem & regiones & agros & uillas inimicorum, quorum possessio annexa est possessioni ciuitatum.

Quartum, quòd in semine ipsius benedicendæ sint omnes gentes. Catholicum hoc est, quod attinet rem ipsam, & pertinet ad Christum, in quo benedicuntur gentes omnes, non solum Iudæi. Promissiones istæ præcesserunt suprà, cap. 12. 13. 17. Quod de possessione portarum dicit, idem cum eo est quod tribus istis capitibus, 13. 15. & 15 dixit. Semini tuo dabo terram hanc. Addit, Quia obedinisti uoci meæ. Idem est quod præmisit, dicens: Quia fecisti rem hanc. ut cœpit, sic concludit, nisi quòd conclusio factũ Abrahæ titulo obedientiæ commendat.

Reuersus est Abraham.] Hic est finis historiæ. Dicit Abrahamum ad pueros quos in agro cum asino reliquerat, rebus iam ex animi sententia constanter perfectis, reuersum. Non facit mentionẽ Isaaci. Includitur ille, id quod ex sequentibus historijs satis patet: & quæ hactenus narrata sunt, non contradicunt. Addit: Et surrexerunt. respectu puerorum, qui cum asino herum suum loco deputato expectauerant. Et abierunt Beersaba simul. Abraham uidelicet, Isaac, & duo pueri, sicuti simul fuerant egressi. Et habitabat Abraham in Beersaba. Inde fuerat ad locum à Deo præscriptum profectus, illò quoque reuersus est.

QVAESTIONES.

Quomodo ista conueniant liberæ gratiæ præcedentium promissionum.

Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo, unico tuo, benedicens benedicam tibi, &c.] Haud immeritò quæsierit hic quisquã, quomodo dicat se Deus propterea benedicturum Abrahæ, semen illius multiplicaturum, terram inimicorum possidendam illi daturum, ac cunctas gentes in semine ipsius benedictionem esse cõsequuturas, quòd filio suo non pepercit, sed illum uoci ipsius obediens immolare uoluit, cum tamen hæc omnia illi iamdudum pollicitus esset antea, idq; ex mera & gratuita sua bonitate. Suprà duodecimo hac illũ conditione è patria terra euocauerat, quòd uellet ipsi benedicere, in gentem eum magnam multiplicare, dareq; ut in ipso cunctæ benedicerentur familiæ terræ. Postea cum uenisset in terram Canaan, daturum se hanc semini ipsius possidendam promisit, & præcedentes alias promissiones de multiplicatione ac benedictione aliquoties repetijt. Iam quæstio est, quomodo iuret se ista facturum Abrahæ, hoc est, promissa seruaturum, propterea quòd filio suo non pepercit, cum ea toties illi promiserit antea, nec uspiam conditionem hanc, *Si non peperceris filio tuo*, uel quamcunq; aliam adiecerit, & alioqui ad faciendum ista ueritate promissionum, ueluti uinculo quodam esset obstrictus. Sic fecit ista Abrahæ propter obedientiam illius, ergo debentur non gratuitæ promissioni, sed merito Abrahæ. Etenim si rectè dicit Paulus, *Si ex gratia, iam non ex operibus*, Rom. 11. rectè nos colligimus, si ex ope-

ex operibus & merito, iam non ex gratia: si non ex gratia, utiq; non ex gratuita promissione.

Deinde & illud rectè quæritur. Quoniam quod dixit, In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, omnino de benedictione spirituali ac cœlesti dictum est, quam in Christo & per Christum. uerùm Abrahæ semen omnes gentes consequutæ sunt, & ad finem usq; mundi consequuntur, quomodo statim ἀντιλογίαν hanc subiecerit, Quia obedisti uoci meæ, quasi Christum seruatorem cum omni illius gratia & benedictione non gratuitæ bonitati & philanthropiæ Dei, sed obedientiæ Abrahæ debeamus fic, ut nisi ille uoci Dei obediuisset, generi humano in peccatis sine Christo pereundum esset, atq; ita non seipsum tantum, sed & omnes gentes terræ merito obedientiæ suæ seruarit. quare quid magis impium dici possit, non uideo. Sic enim causa & meritum salutis nostræ esset in Abrahamo, opus uerò tantum in Christo, hoc est, quod per Christum redempti, benedictionemq; cœlestem consequuti sumus, deberemus non uirtuti Christi, sed merito Abrahæ, cuius respectu datus sit nobis Christus tanquam organum, per quod, ut factum Abrahæ sit meritum propter quod, ideoq; dicendum sit, quòd saluet nos Deus per Christum propter meritum Abrahæ. Quis autem ignorat potioris esse momenti causam & meritum, quàm instrumentum redemptionis?

An Christum semen benedictum meritis Abrahæ debeamus.

Ad hasce duas quæstiones breuiter & expeditè responderi posse puto ad hunc modum. Si de causis promissionum Dei quæritur, non possumus respondere certius ac firmius quicquam, quam promisisse Deum Abrahæ & quibusuis alijs propter meram & gratuitam suam bonitatem, cuius nulla potest assignari causa alia, quàm quòd bonus est & philanthropos. Si de eo quæritur, quare promissa seruet, sic respondendum esse iudico. Quemadmodum nullius alieni meriti, sed solius bonitatis & gratiæ suæ respectu promittit, ita nulla alia quàm solius ueritatis suæ gratia promissa seruat. Iam quòd quæritur, quare sic loquatur, Quia fecisti rem hanc: item, Quia obediuisti uoci meæ: obseruandum est esse in hoc iuramento Dei ἀνθρωποπάθειαν, humanam uidelicet loquendi consuetudinem in literis sacris frequentissimam. Quoniam enim philanthropus est Deus, non solum rebus, sed & uerbis sese nobis hactenus accommodat, quatenus infirmitas, intellectus ac sensus nostri requirit, ut per omnem scripturam S. deprehendatur τὸ θεῖον esse ἀνθρωποπάθητον. Humani affectus speciem præ se fert, quòd Abrahamum tentauit, quodq; acclamando illi dixit: Nunc cognoui quòd timeas Deum, quoniam non pepercisti filio tuo unico propter me. Nisi in hisce agnoscas ἀνθρωποπάθειαν, quæso quid absurdi ex illis colligi non poterit? Consimili modo & hic est agnoscenda ἀνθρωποπάθεια. Sic comparati sumus, ut etiam ea quæ libera & gratuita beneuolentia promittimus, tum potissimum seruaturos nos esse iuremus & affirmemus, quando certis experimentis fidem eorum erga nos deprehendimus, quibus antea sine ullo meritorum respectu omnium liberrimè promisimus. Etenim licet amare incipiamus liberè ac sine meritis, & quia amamus liberè, simul etiam amatis liberè benefaciamus, & omnis generis beneficentiam in futurum quoq; promittamus: sic tamen animati sumus, ut uehementer uicaria eorum beneuolentia & fide delectemur, quos gratuitò amare cœpimus: & quo magis illi animi sui erga nos syncéritatem & fidem factis declarant, hoc amplius ad seruandum promissam illis beneficentiam accendamur. Lucæ duodecimo dicit Christus discipulis, quod placuerit patri, dare ipsis regnum. Et cap. uigesimosecúdo: Dispono uobis regnum, inquit. Et tamen Matth. uigesimoquinto dicturum se affirmat in fine mundi: Venite benedicti patris mei, accipite regnum quod paratum uobis est ab initio mundi. Esuriui enim, & cibastis me, &c. Sic uni & eidem rei, quod haudquaquam insolens est, duplices uel plures causæ tribuuntur, primariæ uidelicet & secundariæ. Primariæ causæ sunt in hoc negocio bonitas & ueritas Dei: secundariæ, fides & obedientia Abrahæ. Primarijs causis debetur utrumque, cùm quòd promisit Deus, tum quòd promissa seruauit: secundarijs, quòd ueritas promissionum Dei, qua tenus ad Abrahamum sunt factæ, non est per incredulitatem & inobedientiam Abrahæ impedita. Sed dices: Ergo impedita fuisset generi humano benedictio cœlestis ab æterno nobis destinata, si Abraham promissis Dei non credidisset, mandatisq; illius non obediuisset. Respondeo: Quemadmodum Ioannes ad Pharisæos & Sadduceos de prærogatiua filiorum Abrahę falsò præsumentes dicebat, Nolite dicere intra uos, Patrem habemus Abraham: Dico enim uobis: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. consimili modo & hic dici potest: Etiamsi, per impossibile, errasset Deus promittendo ista Abrahæ, fuissetq; per incredulitatem & inobedientiam illius impeditus, ne illi promissa seruare posset, potuisset tamen uel ex lapidibus alium excitare Abrahamum, id est, patrem multitudinis gentium, cui de filio suo promitteret & promissa præstaret. Non dicit hic simpliciter, Quia fecisti hanc rem, benedicam mundo, & multiplicabo electos meos, & possidebit populus meus portas inimicorum suorum, & benedicentur in filio meo omnes gentes terræ: sed, Quia fecisti rem hanc, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, & possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terrę. Vbi ista, tibi, Semen tuum, rursus, Semen tuũ, item, In semine tuo, diligenter sunt obseruanda. Omnia hæc promittuntur Abrahæ tanquam homini ad hoc electo, ut ex ipso nasceretur Christus secundum carnem, & esset pater credentium. Aliud autem est, seruari mundum per Christum, & aliud nasci Christum ex carne Abrahæ. Primum necessarium fuit ad totius humani generis salutem. Secundum sic necessarium non erat, ut aliter fieri non posset. Potuit enim quod per Abrahamum factum est, in alium quempiam liberrima prædestinatione Dei transferri. Quare, ut concludam, haudquaquam meritis Abrahæ debentur, quæ hic illi promissa leguntur, sed bonitati ac ueritati promittentis Dei: & quicquid hic quæstionis nascitur, facili negocio per ἀνθρωποπάθειαν &

Matth. 3.

Responsio ad utramq; quæstionem.

diligentem uerborum inſpectionem ſoluitur.

OBSERVATIO I.

Et uocauit angelus Domini Abrahamum ſecundò de cœlo, dicens: Per me iuro, dicit Dominus.] Obſeruandum hic eſt, quæ ſit diuinæ prouidentiæ diligentia. Quoniam in priore acclamatione angeli propoſitum immolandi filium in ipſo iam immolationis articulo prohibitum fuerat Abrahæ, adiecta ratione, quòd iam ſatis cognoſceretur quàm timeret Deum, deſiderareturq; adhuc certa declaratio, quàm ſactum hoc Deo probaretur, priuſquam de monte deſcenderet, ſecundò per angelum uocatur, & hæc quoq; diuini oraculi portio adimpletur. Sic non eſt ſatis diuinæ prouidentiæ, quod timorem Dei in electis ac pijs cognoſcit, ſed ſimul exponit etiam & declarat, quàm illum eximiè probet, & quàm magnis illi beneficijs reſpondere uelit. uult igitur Deus, ut utrumq; ſciamus, cùm quid cognoſcat in nobis, tum quàm probet: ſitq; illud liberaliter pro ſua magnificentia agniturus & remuneraturus.

Non ſolũ cognoſcit in nobis Deus timorem ſui, ſed probat etiã & remunerat.

Deinde conſiderandum eſt, quod dicit: Per me iuro. Duo habes. Vnum, quod iurat Deus. Alterum, quod iurat per ſeipſum. utrunq; magni momenti eſt. Iuraſſe Deum non hic tantum, ſed multis etiam alijs ſcripturæ locis legitur. Iuraſſe per ſeipſum & alibi, uides Eſaiæ quadrageſimoquinto, Hieremiæ uigeſimoſecundo, & quadrageſimonono. Per animam ſuam iurauit Hieremiæ quinquageſimoprimo, & Amos ſexto. Per nomen ſuum magnum, Hieremiæ quadrageſimoquarto. Per ſanctitatem ſuam, perinde ac ſi rex per Maieſtatem ſuam iuret, Amos quarto. Per dexteram ſuam, Eſaiæ ſexageſimoſecundo. Per gloriam & magnificentiam Iacob, intelligens ſeipſum, Amos octauo. Vehementer miror, quare nonnulli diſertè ſcripſerint, nuſquam extare in ſcripturis quod iurauerit Deus, niſi unico hoc præſenti loco ad Abrahamum, & reliqua iuramenta Dauidi facta, ex hoc præſenti manaſſe, deſumptaq; eſſe. Sed uideamus de iuramento Dei.

De eo, quod iurat Deus, & iurat per ſeipſum.

Vſus iuramenti.

Iurat Deus. Vſus iuramenti eſt inter homines ad faciendum fidem ei cui iuratur. Vſurpatur uel à teſtificantibus uel à promittentibus. fidem enim utraq; cùm teſtimonia tum promiſſa requirunt, quando non eſt in propatulo utrorumq; ueritas. ubi enim illa ſic eſt manifeſta, ut dubitationem non admittat, ibi non fidei, ſed ſcientiæ, adeoq; nec iuramento locus eſt, niſi forſan ex abundanti non requiſitum, ſed ultrò fiat.

Admodum ſtupendũ eſt, quod Deus iurat.

Quare admodum ſtupendum eſt, quod Deus iurat, ſiue teſtificetur, ſiue promittat. Etenim uſquadeò certa ſunt illius teſtimonia & promiſſa, ut uel fallere nequeat, uel Deus eſſe non poſſit. Olim apud Romanos iuramentum illis non imponebatur, quibus propter ſingularem integritatem etiam non iuratis credendum eſſe, ideoq; iuramentum non ſine iniuria imponi poſſe iudicabatur. Cum igitur iuramentum à uiris integris & indubitatò ueracibus ſine iniuria exiſtimationis illorum peti non poſſit, uidetur non conuenire diuinæ Maieſtati ut iuret.

Duo ſunt iurantium genera.

Nos hic cogitabimus ad hunc modum. Duo ſunt iurantium genera. Vnum eorum, à quibus non ſine ratione poſcitur iuſiurandum. Alterum eorum qui ſuapte ſponte & ultrò iurant, quamuis nemo ſit qui id exigat. Prioribus non poteſt Deus ſine grandi iniuria accenſeri. Poſterioribus ſeipſe ultrò conformat. Abrahamo hic iurat. Non erat ille ſic incredulus Deo, ut nonniſi iurato crederet, cum etiam filio ſuo dilecto & unico propter authoritatem uerbi eius non parceret. Iurat igitur Deus ſuapte ſponte, & iurat homini fideli: unde ſatis colligitur iuramentum hoc nulli eſſe diffidentiæ, nec Dei erga Abrahamum, nec Abrahæ erga Deum, ſed abundantiæ cuidam ſingularis gratiæ ac propenſionis depurandum Expreſſum eſt hac in re ingenium eorum qui toti ad benefaciendum propendent, quibus non eſt ſatis, ſemel atq; iterum promiſſiſſe aliquid, ſed ex abundanti quoq; addunt iuſiurandũ, quamuis de promiſſis illorum non dubitetur. Interea tamen abundans iſta diuinæ benenolentiæ profuſio ocioſa non eſt. Licet enim non eſſet Abrahamum incredulus uerbo promiſsionum Dei, nec requireret iuſiurandum, homo tamen erat, & hactenus fidelis Domino, ut haud inutiliter ſubinde magis ac magis in fide promiſsionis corroboraretur. Et præterea Iſaaco quoq; proderat audire iuſiurandũ Dei cœlitus prolatum, in re quæ non parentem duntaxat, ſed & ipſum concernebat. Sic & de poſteris cogitandum. Ita uidemus anthropopatheiã iſtã in Deo maximas habere rationes, ne id illi putemus accidere quod nobis ſubinde uſuuenit, qui ſæpenumero præter omnem rationem uel irarum uel benenolentiæ abundantiam ueluti quandam carnalium & manium affectuum ſpumam eiaculamur, cuius etiam rei ſtatim pœnitudine corripimur, quæ palàm cordium noſtrorum uanitatem redarguit, dum quos heri in cœlos uſq; extulimus, hodie ad inferos abijcimus. Iſta affectuum impotentia locum in Deo non habet, qui benenolentiæ ſuæ abundantiam erga electos, & certa cum ratione ad confirmandam promiſſorum ſuorum fidem in iureiurando exprimit, & expreſſam non mutat.

Abundans propenſio Dei erga nos ocioſa nõ eſt

Iurare non eſt illicitum in ſe.

Hæc de eo annotare uoluimus, quòd Deus Abrahæ iuraſſe memoratur. Illud per ſe patet, quod hinc quidam colligunt, fieri non poſſe, ut iurare per ſe ſit illicitum & malum. Alioqui malè tribueretur Deo quod iurarit. Quæcunq; Deo per figuram anthropopathiæ tribuuntur, talia ſint neceſſe eſt, ut ſine peccato fieri queant. Tribuitur autem illi & hoc inter cætera, quòd iurauerit. Iurare ergo licet abſq; peccato. Quæ mala in ſe ſiunt inter homines, ſine blaſphemia Deo tribui non poſſunt. Sed hac de re inappendice de iuramento Commentarijs noſtris in pſalmos adiecta plura uidere licet.

Quòd iurat Deus per ſeipſum.

Porrò de eo quoq; uidendum eſt, quod iurat Deus per ſeipſum. Solenne eſt iurantibus, ut per aliquid iurent, qua in re ueluti neruus eſt iuriſiurandi. Etenim quo plus fidei inueniant, & magis ſatisfaciant ijs quibus iurant, perinde faciunt atq; ij ſolent, qui cum debita contrahunt, aliquid pignoris loco deponunt,

deponunt, uel fideiussores substituunt. Deponunt & ipsi aliquid quod habent inter cætera charissimum, ut fit ueluti loco oppignorationis, quando iurant alij per animam suam, alij per salutem suam, &c. Vel per eum iurant, in quo sciunt esse situm, ut uel pereant, si reprobi sint, & fidem fallant: uel saluentur, si seruantes sint fidei & ueritatis, & hunc loco fideiussoris pro se oppignorant. Sic iurant per Deum. Ad hanc quoque formam consuetudinis humanæ iuramenta sua Dominus attemperat, dum iurat uel per seipsum, uel per animam suam, uel per dexteram suam, &c. Dum per ea iurat quæ habet in se eximia, quid aliud facit quàm quòd illa tanquam pignora quædam deponit, quæ amittat, si fidem non seruet? Sic dum iurat per seipsum, obligat omnem suam diuinitatem, & hoc totum quod est, ut si fefellerit, iam non amplius Deus sit, nec sui iuris, sed eius cuius se iureiurando obstrinxit. Hic gradus iuramenti supremus est. Non enim habet Deus extra se quicquam quod sit excellentius ac maius, quemadmodum & inter homines suprema iuramenti species est, quando per Deum iurant. Notus est locus Apostoli ad Hebræos sexto: Abrahæ, inquit, promittens Deus, quoniam neminem habebat maiorem per quem iuraret, iurauit per semetipsum. Homines enim iurant per maiorem aliquem.

Quid autem stupendum magis excogitari potest, quàm quod infinita illa Maiestas Dei, non solum iurat homini uilissimo terræ pulueri, creaturæ suæ, cui nihil debet, idq; suapte sponte, sed & seipsam illi sic oppignorat, obligat, & obstrictam reddit, ut citius seipsam amittere quàm promissis non stare uelit, parata etiam maiora adhuc deponere, si quid ipsa maius uel in cœlo esset, uel in terra? Quidnam ista diuinæ bonitatis propensio negabit electis suis, quod ad ipsorum salutem ulla ratione facere possit? Qui seipsum oppignorat, quomodo quæ extra ipsum sunt negaret? fontem uidemus eius philanthropiæ, qua nobis filium suum dedit Deus. Tanta uidelicet est dilectionis Dei erga nos inexhausta exuberantia & infinita excellentia, ut non modò omnia nobis bona sua, sed & filium unigenitum dederit, immo seipsum quoq; oppignorarit, ut exclamare libeat, O altitudinem diuitiarum bonitatis & dilectionis Dei, quàm incomprehensibiles & inexhaustæ sunt illius abyssi?

Præterea nec illud prætereundum est, quòd angelus particulam hanc, Dicit Dominus, iuramento huic inserere uoluit, quamuis esset angelus Dei, & de cœlo ad Abrahamum loqueretur. Admonemur quanti referat, ut uerbum Domini, non uerbum creaturæ alicuius siue terrena sit, siue cœlestis, indubitata fide percipiamus. Domini est authoritas, à qua pendendum est omnibus. Angeli sunt ministri & interpretes Dei. Quare authenticum nobis esse debet nullius creaturæ, sed solius Dei uerbum. Etiamsi iuret nobis angelus quisquam de suo, haudquaquam tamen conuenit, ut à uerbo illius pendeamus. Hinc est quod Apostolus dicit Gal. 1. Si angelus de cœlo euangelizet uobis præterquam quod accepistis, anathema sit. Hac ratione prophetæ passim clamant, Hæc dicit Dominus: quo conscientias nostras authoritate non sua, sed uerbi Dei constringant. Quid ergo faciunt qui patrum nobis authoritatem obijciunt?

Dicit Dominus.

OBSERVATIO II.

Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo, &c.] Quia fecisti, inquit, hanc rem. Erat Abraham iam antea dilectus ac probatus Deo propter fidem, quæ illi ad iustitiam quoq; fuerat reputata, suprà cap. decimoquinto, & tamen propter opus fidei adhuc amplius illi placuisse præsenti exemplo monstratur. Non derogat hoc iustificationi quæ per fidem est, sed illam magis commendat. Non est Abraham facto hoc iustificatus, sed fide quæ præcesserit, & unde factum hoc ueluti fructus ex arbore prodierit, germinauit.

Non est Abrahã hoc facto iustificatus, sed fide.

Admonemur, opera iustificantis fidei, & si non iustificent, admodum tamen placere Deo, propterea quòd fructus sunt fidei, & habere promptam ac liberalem remunerationem. Placet marito uxoris eraga se fides & integritas, & hanc illi ad iustitiam reputat, licet multis adhuc sit defectibus & infirmitatibus obnoxia. Et quamuis fidem hanc spectet in omnibus quæ ab illa fiunt, opera tamen fidei singulari beneuolentia prosequitur, illisq; plurimum delectatur. Et dum hoc facit, usq; adeò nihil derogat fidei uxoris, ut hanc potius extollat, dum se operibus illius uehementer delectari declarat. Quare ineptissimi homines sunt, qui ex hoc præsenti, & alijs consimilibus locis argumenta meritorum humanorum, & iustificationis quæ per opera fit, colligunt. Habent hoc opera, ut fidem iustificet, & declarent, uel, ut Iacobus loquitur, compleant: ut ipsum hominem iustificent, non habent. nam id soli debetur fidei per gratiam iustificantis nos Dei. Hoc tamen diligenter animaduertendum est hoc loco, etiam iustificatos per fidem homines, Deoq; charos, adhuc magis atq; magis operibus fidei commendari ac probari, ne quis putet inane ac fruſtraneum esse, si operibus fidei, per quam iustificatus est, sedulò incumbat.

De operibus fidei.

Opera fidei iustificant fidem, non hominem.

Deinde & illud obiter attingam. Quod legimus, Quia fecisti rem hanc: in Hebræo est, Quia fecisti uerbum hoc. Quod fecit Abraham, Deoq; tantopere placuit, non solum res erat, sed & uerbum, Dei uidelicet. Ergo opera illa Deo commendantur quæ uerbum ipsius uocari possunt. ubi deest uerbum Dei, ibi sunt opera nostra arbitraria, aliena ab isto diuini beneplaciti encomio, quo factum Abrahæ extollitur.

Quæ opera Deo probentur.

Tertiò. Et non pepercisti filio tuo, inquit. Suprà addidit, Præ me. Commendat hoc in facto Abrahæ, significans id sibi placere & probari uehementer, unde uidemus sic comparatum esse Deum, ut delectetur amore, eoq; non leui ac uulgari, sed quo præferatur omnibus.

Gaudet amore Deus.

Quid ergo? φίλαυτος ne Deus est, & φιλότιμος? Si hoc Deo dari potest, quomodo nobis uitio uer-

titur, ubi tales deprehendimur, qui nosipsos amemus, & aliis præferri cupiamus? Si fingendi sumus ad ingenium ipsius tanquam patris nostri cœlestis, quid est quod nosipsos abnegare iubemur, & posita philautia, quæ est in carne nostra, amoris affectum erga nos effundere in alios, cum appareat ipsum archetypum nostrum diligere seipsum, & suauiter affici, si præferatur omnibus quæ in cœlo sunt, & in terra.

Vnde sit quòd amari uult Deus præ omnibus.

Respondendum est, non statim consequi, esse Deum φίλαυτον & φιλότιμον, propterea quòd probat, si ametur, & omnibus præferatur. Etenim id habet non ex philautia quæ in nobis est, propter naturæ nostræ corruptionem, sed ex purissimæ & incorruptissimæ dilectionis ingenio. Totus amor est & dilectio, sicuti Ioannes dicit: Deus charitas est. Ingenium ueræ dilectionis hoc in se habet, ut qui ueré amant alios, redamari cupiant, & amore uicario delectentur, non ex eo quòd seipsos ament, sed quòd amorem suum dilectis suis probari, illisq; non ex parte, sed ex toto coniungi ac coadunari gaudent, non alia ratione, quàm quod eos impensissimè amant. Sic est comparatus Deus erga nos. Philanthropus est, & pro ingenio dilectionis, qua nos prosequitur, hoc agit, ut se diligamus uicissim, se præferamus omnibus, se colamus unicè, sibi plenè & perfectè coadunemur, coadunati indiuulse cohæreamus, & cohærentes in sempiternum felices simus ac salui.

Si seipsum diligeret Deus, nos non diligeret.

Hæc nobis cogitanda sunt, quoties ad diligendum ac colendum Deum inuitamur. Si seipsum diligeret, nos certè non diligeret. Nihil enim in nobis est, quo sese talis amor oblectare, uel unde aliquid commodi aut honoris sperare posset. Philautus cum amat alium quempiam, facit hoc uel elegantia formæ, uel æqualitate morum, uel spe proprij commodi aut honoris captus. Horum Deus capax non est: nec si esset, in nobis quicquam tale inueniret. Perfectum bonum est, in seipso sufficientissimum, nullius externi boni indigum. Quicquid nobis impendit, quicquid à nobis requirit, nostro, non suo bono impendit ac requirit. Quoniam uerè non φιλαυτῶς amat, inuenit in nobis abundè multa, in quibus dilectionis suæ naturam & operationem, ad hoc ut felices reddamur, exerceat. Si philautus esset, haudquaquam Abrahæ seipsum oppignorasset, idq; suapte sponte, nec coactus, nec aliquo proprio commodo illectus.

Chariora sunt quæ sunt unica.

Quartò, nec illud prætereundum est, quod addit, Vnico tuo. Quemadmodum miserabilius est, si filium pater, quem habet unicum, clade aliqua uel morte amittat, quàm si unum perdat ex multis (unde & Christus Lucæ septimo, uiduæ illius cuius filius efferebatur mortuus, hoc magis miserebatur, quòd esset illi unicus. & cap. octauo ad mouendum pathos de Iairo memoratur, quòd unica illi filia de uita periclitaretur) ita planè singularis amoris indicium est, si quis unico suo filio propter Deum non parcat. Solent enim quæ habentur unica, unicè etiam ac tenerrimè diligi, & non sine singulari dolore amitti. Quare cum dolorem suum Dauid de morte Ionathæ acceptum exprimere uellet, dicebat, Doleo super te Ionatha, &c. Sicut mater unicum amat filium suum, ita & ego te diligebam. Et iunior Tobias hoc expendens aiebat, Timeo ne fortè & mihi hæc eueniant, & cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. Consimili modo magnus reuera & singularis amor est, quando uitam, quam habes unicam, propter Deum in discrimina conijcis.

OBSERVATIO III.

Benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & uelut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obediuisti uoci meæ.] Principiò illud animaduertendum est, quòd non alia promittit hoc loco, & iureiurando confirmat, quàm quæ Abrahæ promiserat etiam antea, priusquam mandatum illi de immolando Isaaco proposuisset. Si tam serio iuramento promisisset illi noua quædam & peculiaria, omnino illa non liberali gratiæ, sed meritis Abrahæ tribuerentur. Quare nec minora nec maiora illi competenter promittere potuit. Non conuenisset tanto serio promittere minora quàm antea promiserat gratis. Minus conueniens fuisset promittere maiora, ne maioris momenti uideretur meritũ humanum, quàm liberæ beneuolentiæ gratia.

Quòd eadẽ promittuntur quæ antea.

Deinde de eo quòd dicit, Benedicens benedicam tibi, quid sit notandum, uide suprà cap. 12.

Tertiò. Et multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, &c. De hac promissione uide supra cap. decimotertio, ibi: Faciam semen tuum sicut puluerem terræ. & cap. decimoquinto, ibi: Suspice cœlum, & numera stellas. Quod præsentem locum concernit, animaduertendum est, quòd non simpliciter dicit, Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum: sed, Benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo semen tuum. Multum refert quomodo quid fiat. Aliud est facere simpliciter, obiter, leuiter, hæsitanter, & per occasionem ac ueluti contingenter: & aliud, facere seriò, studio, ex destinato, & incunctanter, & indesinenter, ut qui facit faciendo faciat. Qui sic facit, facit ex animo, nec unquam sibi quod facit perfeciisse uidetur. Sic benefacit suis Deus, sic benedicit, sic multiplicat semen Abrahæ, &c. Sic facienti quis resistet? Multiplicationi Israelis resistendo resistebat Pharao, sed usqadeò nihil efficiebat, ut quo magis Israelem opprimebat, hoc ille cresceret uehementius. Quare? Quia multiplicans multiplicabat Dominus semen Abrahæ.

Faciendo facienti Deo quis resistet.

Sicut stellas cœli, inquit, & uelut arenam quæ est in littore maris. Lyranus hic inter ueros & reprobos filios Abrahæ distinguit: & ueris accommodat, quod dictum est, Sicut stellas cœli: reprobis, quod adie-

adiectum est, Et uelut arenam quæ est in littore maris. Hunc recentiores quidam sequuntur. uerum quidem est, non minus discriminis est inter electos ac reprobos Abrahæ filios quàm inter stellas cœli & arenam maris: agitur tamen hic non de qualitate, sed de multiplicatione seminis Abrahæ. Cauendum est, ne per huiusmodi catachresim, quòd suprà cap. decimotertio dictum est, Faciam semen tuum sicut puluerem terræ, de reprobis tantum dictum esse putetur. Quare retinenda est simplicitas germanı sensus, & cauendum, ne similitudines hasce aliò quàm quò sumptæ sunt, transferamus: & quod dictum est de quanto, exponamus de quali.

De Christo.

Tertiò. Et possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. In Hebræo est, Et hæreditabit semen tuum portam inimicorum suorum. Possessionem terræ Canaan relinquamus Iudæis, qui illam etiamnum somniant. Nos hic ad regnum Christi respiciamus. Semen Abrahæ Christus est. De illo per modum promissionis ista prædicuntur.

Inimici Christi.

Primùm, fore illi inimicos. Inimici Christi sunt, Satan, peccatum & mors. Deinde, inimicos illos esse potentes ac mundi dominos. Tribuit enim illis portam, quæ consuetudine scripturæ ponitur pro dominatu, regimine & imperio. Nam iudicia in portis exerceri solebant: & custodia ciuitatis est in porta. Sic Christus Satanam uocat principem huius mundi. Ad huius principatum pertinent peccatum & mors. Mortem Apostolus prima Corinth. decimoquinto, uocat inimicam nouissimè destruendam. Regnant isti inimici Christi in mundo.

Porta inimicorũ cessit Christo.

Tertiò, portam inimicorum cessisse Christo, semini Abrahæ. Satanam ligauit, uires peccati destruxit, mortem quoq; tandem prorsus auferet. Sic portam inferni deuicit, & captiuam duxit captiuitatem. Possidet portam inimicorum suorum, dum principatum & regnum obtinet in illos, qui aliquando regno Satanæ, peccati & mortis erant obnoxij, & portæ inferorum obediebant.

Principatus Christi hæreditarius.

Quartò, principatum hunc esse Christo hæreditarium, hoc est, à patre ipsi tanquam unigenito traditum. Sic Psalmo secundo: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Possidet itaq; Christus portam inimicorum suorum, quatenus regnat in cordibus electorum. Quoniam uerò nondum destructum est regnum Satanæ in uniuersum, sed adhuc ille cum peccato & morte regnat in reprobis, fit ut regnet ac dominetur Christus in medio inimicorum suorum, donec tandem omnes illius inimici quasi scabellum pedibus ipsius subijciantur, sicuti uidere est Psalmo centesimodecimo. Ista paucis delibare uolui, de quibus diligens lector fusius cogitabit.

In semine tuo benedicentur oẽs gentes terræ.

Quartò. Et in semine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes terræ. Considerandum hic est, quã conuenienter ista præcedenti particulæ subijciantur. In porta, id est, regno & potestate satanæ, peccati & mortis, inimicorum Christi, est maledictio, quæ per peccatum primorum parentum generis nostri in omnes homines propagata est. Huic obnoxiæ sunt omnes gentes terræ. Accepit igitur Christus traditam sibi à patre portam inimicorum suorum, non eo tantum fine, ut destructo regno satanę ipsi cederet honos & amplitudo imperij, sed & ut genus mortaliũ à maledictione liberatum, benedictionem ac ueram felicitatem consequeretur. uidemus in seculo frequenter mutari rerum dominos, permanente tyrannide & improba subditorum oppressione. Non enim hoc agitur, ut populis consulatur, sed ut libidini dominandi potestas & copia detur. Christus uerò sic accepit principatum, & possedit portam inimicorum suorum, ut maledictione in benedictionem commutata, salui fiant, quotquot regno ipsius accensentur. Omnium itaq; conuenientissimè subiecit, dicens: Et in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. ubi ista sunt obseruanda breuiter. Nam ab alijs iam antea fuse sunt annotata.

Christus semen Abrahæ, uerus homo.

Primùm, quod Christum filium suum, quem missurus erat in mundum, uocat semen Abrahæ. Ergo futurus erat uerus homo, de carne ac sanguine Abrahæ nasciturus. Quid enim magis humanum quàm semen hominis, unde nascitur homo? Sic Euangelista Matthæus genealogiam Christi exposturus, uocat eum filium Abrahæ, & seriem generationis eius inde ab Abrahamo deducit.

Christus princeps catholicæ benedictionis: ergo uerus Deus.

Deinde, quod constituit eum principem benedictionis, in quo, uel si mauis, per quem mortalibus benedictio proueniat. Intelligit autem per benedictionem, omnis generis uera et cœlestia bona, sicuti per maledictionem omnis generis mala rectè intelliguntur. De benedictione hac, quæ per Christum est, uide Ephes. primo. ubi quædam illius recensentur. Inæstimabiles sunt illius diuitiæ, quarum thesauros in futura demum uita planè cognoscemus. Interea tamen in hac quoq; uita ubicunq; Christus est, ibi est & benedictio. Benedictionis huius uirtus de Christo testatur, esse eum non modò liberatorem, seruatorem, & mediatorem, sed & eiusdem diuinitatis cum patre ac spiritusancto participem. Nequit enim hoc ulli meræ ac nudæ creaturæ tribui, quod ipsi non modò oraculis S. scripturæ, sed & ipsa uirtute & efficacia cœlestis benedictionis tribuitur, quæ in uerè credentibus euidentissimè declarata est, & ad finem usq; mundi declarabitur.

Cauenda Iudaica expositio.

Cauenda est igitur hoc loco Iudaica expositio, qua uerba ista miserrima & infelicissima generatio sibiipsi data opera obscurat. Quoniam in Hebræo est התברכו secundum sensum grammaticum legũt, Benedicent se, & exponunt ad hunc modum: Omnes gentes, ubi uel seipsas, uel alios benedicere uolent, dicent: Sis benedictus, sicut Isaac, Iacob, &c. Sic cœleste donum mundo in Christo destinatum ac præstitum, uirtutem scilicet ueræ ac sempiternæ benedictionis mutant in uerbalem & humanam benedictionem, & opus Christi faciunt inane opus gentium.

Recentiorũ quorundã expositio

Nec placet, quòd ex nostris quidam sic exponunt: Omnes gentes terræ benedicent se in Christo, id est, applicabunt sibi benedictionem quæ est ex Christo, ac gloriabuntur se esse benedictos. Satius est, ut cum Apostolo Petro legamus, In semine tuo benedicentur, Act. tertio, quàm cum Iudæis, In semine tuo benedicent se, ut intelligamus prædictum esse præsenti hoc oraculo Dei, non quid facturæ, sed quid adepturæ sint in Christo gentes.

Omnes gentes terræ, benedictionis Christi participes.

Tertiò, cum dicit, Omnes gentes terræ, duo innuit. unum, benedictionem regni Dei non esse soli Iudæorum nationi, sed & omnibus totius terræ gentibus, id est, toti mundo destinatam. Alterũ, non esse aliud nomen sub cœlo, in quo salus acquiri possit, quàm unius Christi. In se quidem non benedicuntur omnes homines, sed pars maxima mundi manet in maledictione: uerùm quia benedictio ista catholicè erat uniuerso generi mortalium offerenda, idq; in solo Christo, sic ut extra illum benedicatur nemo: & quotquot benedicuntur, in illo solo benedicantur, rectè & notanter dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Ergo solus quidem Christus princeps est benedictionis huius participes sunt non soli Iudæi, sed & nos qui ex gentibus in Christum uerè credimus. Irrefragabilem hanc diuinæ & catholicæ promissionis ueritatem obijciamus incredulis Iudæis, qui illam neq; amplectuntur ipsi, neq; reliquas gentes participes illius esse sinunt.

Quanti faciat Deus sinceram obedientiam.

Quartò, in eo quod addit, Quia obediuisti uoci meæ. Videmus quanti faciat Deus synceram obedientiam uoci ipsius exhibitam. Qui uoci Dei obedit, nihil facit, quod pro arbitrio suo licitè omittere queat, sed quod debet ei, à quo est & habet omnia, cuius potestati totus quantus quantus est subiectus est, ideoq; secundum doctrinam Christi, etiamsi omnia præcepta Dei seruet, non potest iure aliquid exigere præmij, sed rectè inutilem se seruum uocabit. At tanta est bonitas Dei, ut etiam dona sua in nobis remuneret, & pro qualicunq; obedientia perinde ac si debitor esset, largissimè rependat.

OBSERVATIO IIII.

Imago Christi.

Reuersus est Abraham ad pueros suos. Et surrexerunt, & abierunt Beersabam simul. Et habitabat Abrahã in Beersaba.] Reuersus est, inquit Abraham ad pueros suos. Obserua diligentiam Mosis. Poterat uno uerbo dicere: Reuersus est Abraham Beersebam. uerùm ut admoneat lectorem de uerbo Abrahæ quo dixerat ad pueros suos, Cum adorauerimus, reuertemur ad uos, dicit eum reuersum esse ad pueros suos. Isaacum ueluti rediuiuum ad pueros suos reduxit, dum est ad eos, sicuti promiserat, reuersus. Habes imaginem Christi, qui & ipse post immolationem suam ad discipulos suos redijt, & unà cum illis in Galilæam reuersus est, quemadmodum antea prædixerat. B

Alieni sunt sancti à superstitione.

Illud expenderunt alij, quod in monte Moriah non mansit Abraham, illicq; habitationem suam instituit, sed Beersabam ad suos reuersus est, ibiq; tam post immolationem hanc quàm antea habitauit. Sic sunt sancti religiosi cultores Dei, ut alieni sint ab omni superstitione, & curam domesticam non deserant.

His itaq; gestis nunciatum est Abraham, quòd Melcha quoq; genuisset filios Nahor fratri suo, Hus primogenitum, & Bus fratrem eius, & Chamuel patrem Syrorum, & Coseth, & Azau, Pheldas quoq; & Iedlaf, ac Bathuel, de quo nata est Rebecca. Octo istos genuit Melcha, Nahor fratri Abraham. Cõcubina uerò illius nomine Roma, peperit Thabeę & Gaon, & Thaas, & Maacha.

LECTIO.

Nunciatum est Abraham, &c.] Ebræus sic: Et indicatum est, Abrahæ dicendo: Ecce genuit Milcha etiam ipsa filios Nahor fratri tuo.

Hus primogenitum, &c.] Pro Hus in Ebræo est, Vtz. Bus, Græcus uertit Baux, pro Chamuel Kemuel habet Edræus non per ע, sed per א. Pro Coseth Cesed, pro Azau Heso, pro Pheldas Pildasch, pro Iedlaf Iidlaph. Septuaginta habent pro Cesed Chazad, pro Heso Nazau, pro Pildasch Phaldes, pro Iidlaph Ieldaph.

De quo nata est Rebecca.] Ebræus, Et Bathuel genuit Ribkah.

Concubina uerò illius nomine Roma.] Ebræus sic: Et concubina eius, & nomen eius Reumah, & peperit etiam ipsa. Septuag. uerterunt ῥεύμα.

Thabee, & Gaon & Thaas & Maacha.] Ebræus Tebah, & Gaham, & Thahasch, & Maechah. Sept. ταβέε, καὶ τὸν ταὰμ, καὶ τὸν τέχος, καὶ τὸν μοχά.

EXPLANATIO.

His itaq; gestis nunciatum est Abrahæ, &c.] Habent ista transitionem ad ea quæ cap. uigesimoquarto de nuptijs Isaac sequuntur. Quoniam couscq; creuerat Isaac, ut maturus uideretur coniugio, creditu facile est Abrahamum sollicitè cogitasse, unde illi sumeret uxorem, eamq; ob causam misisse qui de fraternæ domus statu in Haran percontarentur, an ex illa posset filio sperare uxorem. Ab illis itaq; qui ad hoc missi fuerant, uel ab alijs inde ab Haran profectis, indicatum ei est, quot liberos Milchach Nahor fratri ipsius peperisset. Hoc nuncio quomodo sit usus, infrà uidebimus. In præsenti recensentur nomina

nomina filiorum Nahor, numero duodecim, quorum octo nati sunt illi ex Milchah, reliqui quatuor ex concubina Reumah. Inter eos qui nati sunt ex Milchah, numeratur etiam Bethuel, de quo memoratur quòd genuerit Rebkam. non quòd hanc solam genuerit (nam infrà capite 28. uidere licet, quòd & Laban fuerit filius Bethuel) sed quòd id memorandum esset propter Isaacum, cui postea Rebkah cesfit in uxorem. Hęc summa & ratio est præsentis contextus.

Dicit Vtz fuisse primogenitum Nahor. De huius stirpe scribit Hieron descendisse Iobum, eo quòd in principio uoluminis eius legitur, quòd fuerit de terra Vtz. Quàm sit hæc ratio firma, uiderit ipse. Sunt qui sentiant Iobum descendisse de Esau, fuisseq; quintum ab Abrahamo. qua de re uidere est in uersione Sept. in calce libri Iob. Verùm horum sententiam non recipit Hieron. propterea quòd quæ ibi in Græco leguntur, in Hebræo non habentur.

Et Bus fratrem eius.] Non apparet qua ratione hunc præ alijs uocet fratrem Vtz primogeniti. Suspicor ob id factum esse, quòd hi duo forsan gemelli fuerint. De hoc Bus Hieron. ex traditione Hebræorũ Bileam illum diuinatorem descendisse dicit, & putat eundem esse qui in Iob uocatur Eliu Buzites. Verùm Bileam Num. 22. uocatur filius Beor, Eliu uerò Iob 32. filius Barachel nominatur.

Et Cesed.] De hoc Chasdim, id est, Chaldæos descendisse putant.

QVAESTIO.

Et Kemuel patrem Syrorum.] Quoniam in Hebræo sic est catalogus iste filiorũ Nahor positus à Mose, ut quæ in eo narrantur, uerba sint eorum qui Abrahæ de filijs fratris ipsius nunciarunt, quæsierit quisquam, quomodo illi Kemuelem potuerint uocare patrem Syrorum, cum nondum esset ex illo nata gens Syrorum, sitq; haud uerosimile, potuisse illos hoc de eo per diuinationem, uel prophetiam prædicere.

Respondendum est, eam particulam, Patrem Syrorum, non esse tribuendam illis qui Abrahæ de filijs Nahor nunciarũt, sed Mosi qui ista scripsit, cuius tempore erant Syri. Atque ita soluitur quod hic in quæstionem uenit. Sic annotauit etiam Augustinus.

OBSERVATIO I.

His itaq; gestis nunciatum est Abrahæ quòd Milchah quoq; genuisset filios Nahor fratri suo.] Siue misit Abraham ad cognoscendum fraternæ domus statum, siue qui de domo Nahor erant ultrò illi ista nunciarunt, uidemus quo fuerint animo ueteres erga cognati ac fraterni generis propagationem. Huiusmodi nuncia erant illis Euangelica. Qui nunciabant, sciebant se gratificari illis, quibus nunciabant. At hodie tanta est quorundam inhumanitas, ut malint fraternas domos esse steriles quàm fœcundas, quo tandem ad se ac suos bona fratrum iure hæreditatis accumulent.

Quomodo affecti fuerint ueteres erga fraterni sanguinis propagationem.

Deinde obseruandum est, quando nuncium hoc allatum fuerit Abrahæ. His gestis, inquit. Hoc est, post historiam immolationis filij. Tum uidelicet, cum sollicitus esset de uxore Isaaco acquirenda, commodùm nunciatur illi de fœcunditate domus Nahor fratris. Habes exemplum opportunitatis, qua in tempore accidit, quod impensè optatur. Huius tanta est utilitas, tamq; acceptus euentus, ut non humanæ, sed diuinæ dispositioni deputetur. Et hinc arbitror motum R. Shlomonẽ, ut scriberet à Deo esse nunciatum Abrahæ, quòd nata esset Rebkah, quæ uxor foret Isaaco.

Exemplum opportunitatis.

Tertiò. Quod Milchah quoq; genuisset filios, inquit, Nahor fratri suo. Obserua nomen Milchah, quod reginam sonat. Sarah significat dominam & principissam. Ex utraq; magni erant prodituri populi pariter & rẽges ac principes. Siue statim à natiuitate, siue postea sic uocatæ sunt, apparet hæc illis nomina non sine diuina esse dispositione imposita.

Nomina matrũ familiâs Milchah & Sarah.

OBSERVATIO II.

Vtz primogenitum, & Bus fratrem eius, & Kemuel patrem Syrorũ, &c.] Pulchrum esset nominum istorum non significationes tantum, sed & rationes certò tenere. Verùm quoniam id nõ datur in omnibus, saltem uideamus in uno & altero quid probabiliter animaduerti possit. Vtz, inquit, primogenitum. Apparet nomen hoc tanquã conueniens primogenituræ impositum esse primogenito. Sonat eñ עץ consultorem, uel fortem. Primogenito deputatur dominium, ut sit succedentium fratrum consultor & tutor, ut rectè uocari queat consultor, uel fortis: uel respexerunt ad propagationem generis cui consuli uidetur, ubi datur filius, per quem nascatur posteritas.

Significationes & rationes quorundã nominum

Et Bus, inquit, fratrem eius, בוז, contemptum ac despectũ sonat. Iudicabatur secundus filius respectu primogeniti cõtemptus ac uilis. Sic accidit in filijs Adæ. Primogenitus uocabat Cain, id est possessio, q̃d diceret Hena, Acquisiui uirũ. Secundus quasi superfluus & inanis uocabat הבל, id est inanis et uanus. Habes imaginẽ in duobus istis filijs Vtz & Bus, quæ sit conditio reliquorum filiorum, ubi ex prærogatiua natiuitatis primogenito contingit dñium & hæreditas. primogenitus est Vtz, fortis & potens, reliqui sunt Busim, id est, contẽpti ac despecti. Verùm si accesserit æquitatis studiũ, erit primogenitus consultor fratrum, quos agnoscet pro fratribus suis, non supprimet tanquã uilia & contempta mancipia.

Et Kemuel, inquit, patrem Syrorum. Kemuel Hebr. קמואל idem est atq; Suscitate Deum. Apparet matrem inter pariendum sic esse præsentes mulierculas adhortatam, ut Deum precibus ad auxiliandũ excitarent, & hanc ob causam nato filio hoc nominis indidisse. Si coniectura non fallit, habent prægnantes pulcherrimum exemplũ, ad quem in discrimine partus cõfugere debeant, ut & ipsi dicant, Kemuel, id est, excitate Deum, ut adsit necessitati parientis, quod multo est pium magis, quàm si uel ad ethnicorum uel pseudochristianorum Lucinam uota dirigant.

Omnium infensissimi inimici Israelis fuerũt illius cognati.

Simul & hoc obseruandum est. A Kemuel Syri, & à Cesed Casdim, id est Chaldæi descenderunt. Ergo è cognata & fraterna domo, unde desumpta est Ribkah mater sanctæ posteritatis, prodierunt Syri & Chaldæi, populi Israelitis omnium infensissimi & inimicissimi. Voluit Moses hoc esse populo Dei cognitum, ut quo alieniores à gratia & fœdere Dei, deniq; & infensiores religioni unius Dei hosce populos esse cernerent, hoc magis gratiam Dei, qua in fœdus & populum ipsius erant assumpti, & à cognatis populis separati, agnoscerent & magnificarent.

OBSERVATIO III.

Typus uocationis gentium.

Et Bethuel genuit Ribkah.] Domus Nahor, aliena erat à fœdere & populo Dei. Et in illa tamen nata est Ribkah mater Israelitarum. Habes typum eorum qui ex gentibus erant in domum Dei assumendi. Iam tum statim initio innuebatur, fore ut ex Israele pariter & gentibus constaret populus & Ecclesia Dei. Etenim licet fuerit Nahor frater Abrahæ secundum carnem, alienus tamen erat à fœdere Dei, atque hactenus ad gentes domus eius, non ad Israelem pertinebat. Sic cogitandum etiam est de filiabus Laban Lea & Rachel, unà cum ancillis illarum. Si Iudæi gentes omnino à populo Dei reiiciunt, reddant nobis hasce fœminas ethnicas, unde secundum carnem sunt nati. Recognoscant originem generis sui, & uel in illa uideant, unde coalitura fuerit ecclesia Dei.

OBSERVATIO IIII.

Collatio domus Abrahæ ad domum Nahor.

Octo istos genuit Milchah Nahor fratri Abraham. Et concubina eius, & nomen eius Reumah, etiam ipsa peperit, Tebah, Gaham, Thahasch & Maachah.] Confer hic utranque domum duorum istorum fratrum Abrahæ & Nahor. Abraham sequutus uocantem Dominũ reliquit Haran, & peregrinatus est in terra Canaan, accepitq; subinde præclaras à Domino promissiones de seminis ipsius numerosissima multiplicatione. Quid accidit? Tandem centenario ex Sarah sterili & nonagenaria per miraculũ unicus nascitur filius. Nahor uerò frater ipsius mansit in Haran patre illic mortuo, nec ullas multiplicandi semiprom issiones accepit. Et huic duodecim nati sunt filij & filia una. Octo ex Milchah libera uxore, reliqui quatuor ex Reumah concubina. Dicet igitur ratio humana, feliciorem fuisse Nahor fine fœdere ac promissionibus Dei, quàm Abrahamum cum omnibus suis tam fœderis quàm promissionũ Dei prærogatiuis. Et hic cursus est inter filios seculi & electos inde à principio mundi omniũ tritissimus. Nos hic cogitabimus fieri ista non sine peculiari consilio Dei. Nahor dedit multos filios sine promissione, deditq; communi more carnis, sine ullo apparenti miraculo. Abrahæ non ita. Huic unum duntaxat dedit, unde semen ipsi censeretur, Isaacum uidelicet, deditq; præcedentibus promissionibus & fœdere, idq; præter opinionem, citra naturæ cursum per miraculum. Voluit scilicet primordia populi sancti sic constituere, ut manifestum fieret, esse illa ex singulari gratia & prouidentia Dei, & ut Abraham promissum semen fide expectaret, & tandem præstitum fide quoq; amplecteretur. Parum erat secundum naturæ cursum numerosam accipere prolem, id quod non solum Nahor contigit, sed & Ismaeli, & Esau. Verùm patrem fieri populi Dei, & participem reddi oraculorum & fœderis Dei, id demum multo erat felicius.

Vsus concubinarum.

Deinde & illud obserua. Et concubina eius, inquit. Vides hic iam tum temporibus Abrahæ in consueto fuisse iuxta liberas uxores habere etiam concubinas. Morem hunc uiri sancti nõ affectarunt. Interea tamen si per occasionem in illum introducerentur, haud abhorruerunt, sed illi sese accommodarunt & ipsi, id quod in sequentibus patebit, in historia uidelicet Iacob.

Nomẽ Reumah.

Et nomen eius, inquit, Reumah. Reumah sonat, uidete quid sit. Vnde hoc nominis impositum sit istæ concubinæ, etsi non desit coniectura, tanti tamen momenti non est, ut sit memoranda. Est hoc nomen admodum conueniens illis, quibus conuenit ex officio iudicare de rebus & factis aliorum. Horum sit primarium studium, ut priusquam iudicent, uideant quid sit de quo dicturi sunt sententiam. Quare præstaret aureis literis omnibus tribunalibus, curijs, & prætorijs hoc nomen R E V M A H esse inscriptum.

CAPVT XXIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Sara moritur, plangitur, & in agro ab Ephron coempto sepelitur.

VIxit autem Sara centum uiginti septem annis, & mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Ebron in terra Canaan. Venitq; Abraham ut plangeret & fleret eam.

LECTIO.

In Hebræo sic legitur ad uerbum, Et fuerunt uitæ Saræ centum anni & uiginti anni & septem anni, anni uitarum Saræ. Et mortua est Sarah in Kiriath Arba, ipsa est Hebron in terra Canaan, &c. Illud, In Kiriath Arba, uerterunt Septuaginta, in ciuitate Arbuk: & addiderunt, Quæ est in ualle, quod in Hebræo non habetur. Et fleret eam. Sept. habent, καὶ πενθῆσαι, & ad lugendum.

EXPLANATIO.

Tempus uitæ ac mortis sanctissimæ fœminæ Saræ paucissimis uerbis complectitur Moses dicẽs: Vixit Sara 127. annis, & mortua est, quibus de sepultura illius fusiorẽ narrationẽ subijcit. Meminit etiam de

de loco, ubi sit mortua. Et mortua est Sarah, inquit, in Kiriath Arba quæ est Hebron in terra Canaan. De Hebron suprà in fine tredecimi capitis ex Hieronymo quæda annotauimus. Variant sententiæ doctorum, quare ciuitas illa ciuitas Arba uocata fuerit. Alij nominis huius rationem referunt ad quatuor gigantes qui illic regnauerint. Significat enim uox Arba, quatuor. Alij dicunt sic appellatam, propter quatuor patriarchas Adam, Abraham, Isaac & Iacob, ibi sepultos. quæ sententia Hieronymi suprà à nobis est cap. 13. recitata. Probare autem illam nõ possumus. Primùm propterea quòd opinio Iudæorum de Adam & Heua in Hebron sepultis, certis argumentis probari non potest. Maior est orbi per diluuium inducta uastatio & confusio, quàm ut posterior mundus de sepulturis eorum qui ante diluuiũ mortui sunt, certi aliquid statuere possit. Deinde ob id quod ciuitas ista iam tum temporibus Abrahæ adhuc uiuentis uocata fuit Kiriath Arba, & postea tempore Mosis dicta est Hebron, q̃d ex uerbis Mosis satis patet. Quare uerosimile non est quod hoc nominis de re nondum ad dimidium usq; perfecta acceperit. Nondum enim ibi sepultis Abraham, Isaac & Iacob, dicta est Kiriath Arba. Placet itaque magis quod Abenezra ciuitatem hanc Kiriath Arba ex eo dictam esse existimat, quod ibi magnus quidã ex Enachim nomine Arba regnauerit, ut legendum sit, ciuitas Arbæ, Arbstadt, quemadmodum Græci uocant Iustinopolim Adrianopolim, &c. Quod autem Lyranus ex eo Adamum in Hebron sepultũ esse probat, quod Iehosue 14. in calce capitis secundum latinam uersionem legitur ad hunc modũ: Nomen Hebron antè uocabatur Cariatharbe. Adam maximus ibi inter Enachim situs est: error est ex indiligenti uersione. In Hebræo sic habetur: Et nomen Hebron olim fuit Kiriath Arba. Homo magnus inter Enakim fuit ille. Posteriori hac particula scriptura docet, quid per uocem Arba sit intelligẽdum. Fuit homo, inquit, magnus inter Enakim. Sic & Paraphrastes Chaldæus habet ארבישׁא רם, id est, homo magnus inter gigantes fuit ille. Quare inconsulto factum est à Lyrano quod præsentem locum pro opinione de Adamo in Hebron sepulto confirmanda adduxit, cum textus palàm nominis huius rationem in hominem giganteum, unum ex Enakim, Arba dictum referat. Viderunt hoc recentiores interpretes Sanctes, & Monsterus, & Tigurini quoque, sicuti in uersionibus illorum patet.

Quare Hebron ciuitas Arba uocata fuerit.

Venitq; Abraham ut plangeret ac defleret Saram. Seruauit uir pius & humanus morem lugendi mortuos, & hoc qualecunq; officium exequutus est, priusquam de sepultura cum eius loci incolis ageret. Quandiu uerò, quibusq; ceremonijs planxerit, non est expressum, nec operæprecium est, ut de eo quæramus. Ducio procul non planxit solus, sed unà cum tota domo.

QVAESTIO.

Et uenit Abraham ut plangeret & fleret Saram.] Quæsierit hic quisquam, unde uenerit Abraham ad plangendum Saram. Si tum cum moreretur Sarah, in Hebron habitabat, quomodo ad lugendum Saram uenisse dicatur, cum illic, ac dubio procul domi præsens esset. Si moriente illa nõ erat in Hebron, ubi nam & quomodo fuerit.

Non est ut dicamus illum habitasse adhuc in Beersaba. Etenim quæ mox sequuntur, huic sententiæ haudquaquam fauent, utpote, cum dicit ad filios Heth: Aduena & peregrinus sum apud uos. Deinde cum illi respondent, Princeps Dei es apud nos, uel ut in Hebræo est, in medio nostri. quibus uerbis satis declaratur, iam tum eum habitasse non in Beersaba, sed inter filios Heth in Hebron, ubi mortua est Sara. Quare infirmum est quod R. Shlomoh dicit, uenisse eum de Beersaba.

Sunt qui dicant eum interea cum moreretur Sarah abfuisse propter cõponendas res suas quas Beersabæ reliquerat, atque ita de morte Saræ edoctum uenisse, id est reuersum esse domum ad lugendũ Saram, & peragendum illi sepulturæ exequias.

Verùm, meo iudicio, simplex ac uerus sensus hic est. Transtulerat sedem suam paulo antè ad pristinum locum querceti Mamre, id est Hebron. Post eam mutationem cœpit Sarah propter senium defícere, & tandem mortua est in Domino. Mortua est autem in tabernaculo suo quod peculiare habebat ac separatum ab andrœcio. Decumbentẽ dubio procul subinde inuisit Abraham. Pòst, cum esset mortua, ingressus est, tabernaculum uidelicet illius, in quo iacebat mortua, ut eam pro pietate coniugalis affectus plangeret ac defleret. Sic igitur, quod in Hebræo est, ויבא אברהם לספד, uertendum ac legendũ esse apparet, Et ingressus est Abraham ad plangendũ, &c. Et uocula בא non minus usitatè ponitur pro ingredi, sicuti suprà capite 16. patet, quàm pro uenire. Hoc pacto arbitror tolli posse quicquid hic quæstionis & incommodi sensus ex uerbo ueniendi nascitur, si legamus, Et ingressus est Abraham ut plangeret & fleret Saram.

OBSERVANDA.

Principiò, non est indignum obseruatu, quòd annos uitæ, mortem, & sepulturam Saræ Moses tanta diligentia historiæ sacræ inseruit, & memoriæ consecrauit. Innuitur ea in re, quanta sit dignitas Saræ, sanctissimæ ac pientissimæ matronæ. Inde quidem non est iusticiam & salutem adepta, quòd mater facta est seminis promissi et electi, ac rypũ gessit ueræ ecclesiæ Dei, sed unde seruatus est Abrahã, inde saluata est & ipsa ex fide uidelicet promissionũ Dei. Attamen q̃ sit amplissima dignitas prærogatiuæ huius qua mater facta est sanctorũ patrũ, unde postea natus est Christus, adeoq; & ipsius quoq; Christi, facile cogitabit, qui mysteriũ incarnationis Christi & opus redemptionis nostræ diligenter inspexerit. Quare præter rationem non est, quod de annis uitæ eius, morte ac sepultura Moses memoriam uoluit transferre ad posteros, nõ minus q̃ de ætate ac morte Abrahę ac reliquorũ patriarcharum, cum

Quanta sit dignitas Saræ.

cum tamen nihil tale de reliquis sanctis mulieribus factum legamus. Non est consilium spiritus sancti, ut Iudaica superstitione hæreamus in persona & carne Saræ, sed ut amplitudinem ac dignitatem incarnati uerbi Dei consideremus, cuius propagatio de utero est Saræ facta, & diuinis promissionibus aliquoties præfinita. Cogita hic quo consilio Dei mors & sepultura b. uirginis non sit scripturis tradita.

Quàm facile sit Deo infirmo sexui dare longæuam uitam.

Et fuit uita Saræ centum anni, uiginti anni, & septem anni: anni uitæ Saræ.] Cogita hoc loco quàm facile sit Deo etiam infirmo sexui, idq; peregrinationis ac migrationũ molestijs exercitato, iustam & grandæuam largiri senectutem. Quod Abraham, & reliqui patres facti sunt grandæui, minus forsan admirationis meretur, propter uirilis sexus robur. Verùm quòd mulier, natura infirma & uirilis sexus robori impar, deinde perpetuò peregrina, tam est facta longæua, ut anno demum centesimo & uicesimo septimo sit mortua, admonet nos de singulari gratia Dei, qua Abrahamo cõiugem tam sanctam, tam piam, tam fidelem, tamq; grauem & honestam tandiu seruauit incolumem, qua in peregrinationibus suis socia uteretur omnium fidissima & commodissima. Deinde accedit & illud. Cum nasceretur Isaac, erat Sarah annos nonaginta nata. Ergo uixit ad annum usq; ætatis Isaac filij sui charissimi & unici, trigesimum septimum. Pueritiam illius sanctissimè ac diligentissimè finxit. Deniq; progressum illius ad annos iuuentutis tantisper uidit, dum iam ad uirilem ætatem aspiraret, & ad promissi seminis propagationem maturus appareret, ad quam dubio procul sancta mulier irremissis uotis anhelabat. Et si nuptias illius non uidit, uidetur tamen & reliquit post se filium adultum, annorum 37. & talem qui iam nuptijs par esse posset. Hanc gratiam concessit Dominus Saræ sterili, ut filium per miraculum à se in senectute genitum, adultum post se ac uirilem moriens relinqueret. Sic Deus uitam longeuam sanctis suis largitur, ubi illa aliqua ratione ad gratiæ suæ declarationem facere potest.

Reperias qui non admodum gaudeant, si liberos in senectute acquisierint, priusquam pueritiam egrediantur, inquiunt, Ex hac ego uita migrabo, nec fieri poterit, ut illis præesse possim, donec ad maturam ætatem peruenerint. Quorsum igitur attinet filios gignere in senectute? Nihil horum cogitauit Sarah, sed quem à Domino in senectute mulier nonagenaria accepit filium, accepit cum gaudio & feliciter ad uirilem usq; ætatem educauit.

Commentum Iudaicum de annis Saræ.

De eo, quod numerus annorũ uitæ Saræ sic distinctè positus est in Hebræo, ut singulis illius partibus adiecta sit uox שנים, id est, anni, hoc uidelicet pacto, centum anni, uiginti anni, septem anni, cum satis esset, si diceret, Et fuit uita Saræ, centũ & uiginti septem anni, habent Iudæi suas cogitationes, quas R. Shlomoh ponit. Iudicant unamquamq; numeri huius partem singulariter esse considerandam, & innui putant tam fuisse pulchram Saram anno centesimo quàm uicesimo, tamq; pudicam anno uicesimo quàm septimo. Annos uiginti intelligunt eos qui ad iuuentam, & septem eos qui ad pueritiam pertinent, cum ratio numeri huius, uigintiseptem, eos significat annos qui uitam Saræ post exactum centenarium clauserunt, non qui primordia illius iecerunt, ac iuuentam terminarunt. Quare commentum hoc Iudaicum planè friuolum est, & quod simpliciter secundum linguæ sanctæ cõsuetudinem dictum est contra rationem & compositionẽ numeri torquet. Interea de pulchritudine ac pudicitia Saræ ne pilum quidem deterimus, sed utranq; planè admirabilem, posteriorem imitandam etiam omnibus & puellis & matronis esse fatemur, & ut imitentur optamus.

Vita Saræ multis mutationibus obnoxia.

Porrò, quid in eo sit considerandum, quod in Hebræo legitur in plurali, Et fuerunt uitæ Saræ: item, Anni uitarum Saræ, annotarunt nonnulli ex nostris. Admonent cogitandum esse, quibus mutationibus locorum, casuum, & euentuum centum istis & uigintiseptem annis obnoxia fuerit Sarah, ut meritò propter huiusmodi uicissitudines & alterationes rerum multas & uarias uitas habuisse dicatur. Verum est planè, non modò Saræ & Abrahæ, sed & in uniuersum omnis nostra uita qualescunq; sumus, creberrimis est mutationibus obnoxia, idq; non per ætates tantum pueritiæ, adolescentiæ, iuuentutis, senectutis, &c. sed & singulis ferè momentis, quibus, ut ille ait, sic mutamur in horas, ut subinde alij atque alij appareamus, atque ita rectè in cursu illo uitæ nostræ tam uario & mutabili tot esse uitas, id est uitæ genera, quot horas, agnoscamus & queramur. Verùm non respexit huc Moses, cum sic de Sarah scriberet, Et fuerunt uitæ Saræ: item, Anni uitarum Saræ: sed loquutionem linguæ sanctæ peculiarem perinde posuit de Sarah atque de alijs. Quemadmodum nos caliginem pluraliter uocamus tenebras, ita Hebræi uitam sensu singulari, forma uerò uocis plurali uocant חיים, id est, uitas, id quod Hebræa legentibus frequentissimè occurrit. Sic suprà ca. 2. Et lignum חיים, id est, uitarũ, in medio paradisi. Et 3. Puluerem comedes omnibus diebus חייך, id est, uitarum tuarum. Ibidem ad Adamum: In laboribus comedes ex ea omnibus diebus חייך, id est, uitarum tuarum. Ibidem rursus: Et sumar de ligno חיים, id est, uitarum. Et cap. 7. Sexcenti anni חיי, id est, uitarum Noe. Et infrà 25. dies annorum חיי, id est, uitarum Abrahæ. Ibidem, Anni חיי, id est, uitarum Ismaelis.

Et sancti et prophani moriũtur

Et mortua est Sarah in Kiriath Arba, ipsa est Hebron in terra Canaan.] De Sarah prædicatur, quòd sit mortua. In prædicato nihil est quod sit insolitum. Etenim ut in Ecclesiaste est, moriuntur & sapientes & stulti, & docti & indocti, & iusti & iniusti. Statutum est omnibus semel mori. Et in Adam omnes mortiuntur. Verùm in subiecto offertur occasio considerationis. Sarah singularis pietatis, iusticiæ & pudicitiæ mulier mortua est. Mors ex peccato est. Competit ergo peccatoribus, nõ iustis, ut moriantur. Peccatum, causa mortis, Saræ remissum erat, propter fidem in semen promissum. Remisso peccato, uidetur morti non esse locum. Causa siquidem sublata, sublatus est etiam effectus causæ. Et hoc cogitari potest de pijs ac sanctis omnibus.

Quæ-

Quærendum igitur, quid causæ sit, quòd remisso peccato non simul tollitur peccati effectus, mors uidelicet, peccati stimulus, sed sanctis moriendum est æquè ac prophanis & impijs. *Quare peccato remisso non tollatur peccati effectus.*

Responsio in promptu est. Primùm, remittitur quidem peccatum iustificatis per fidem, uerùm remanent adhuc peccati reliquiæ in carne illorum, quæ nisi morte tolli non possunt. Deinde infirmitas adhuc & corruptio inest corporibus sanctorum, quæ regno Dei non conueniunt. Corruptio siquidem incorruptionem acquirere non potest, nisi tollatur id quod mortis sit interuentu. Tertiò declaranda est gloria omnipotentiæ Dei per resurrectionem carnis non in impiorum tantum, sed & sanctorum corporibus. Illi autem locus esse non potest nisi in mortuis. Hæ sunt rationes ob quas etiam Saræ & cunctis alijs sanctis moriendi necessitas incumbit. Verùm ea de re in Commentarijs nostris super Ioannem capite 5. ibi, Sed pertransiuit à morte in uitam, uidere licet.

Præterea considerandum nobis est, quàm perspicuo doceamur argumento, aliam esse uitam potiorem hac præsenti, ad quam destinati sint homines pij, iusti, ac sancti: deinde & aliam esse mortem, hac corporea & catholica deteriorem, quoties ipsis oculis uidemus mori sanctos ac iustos, & ex hac uita perinde excedere atque impios & iniustos. Impius uiuit hic in delicijs simul & peccatis, nec aliquâ habet numinis rationem. Quòd moritur, commune habet cum sanctis. Necesse igitur est, ut digna factis recipiat alibi. Sic accidit diuiti epuloni. Sancti studet pietati & iusticiæ, suntq; Deo chari. Moriuntur & illi, perinde atque impij, & sic discedunt ex hac uita, ut nisi recreentur in futuro seculo, omnium sint miserrimi. Vel iniustus igitur Deus est, & sicut impij Malachiæ 3. dicunt, uanus est qui seruit Deo, uel ex eo quòd sancti moriuntur, necessariò consequitur, paratâ esse uitam ueram ac sempiternam, in quam sancti per mortem corporis translati gratia cœlesti fruantur in sempiternum. *Monstratur aliâ esse uitam multo potiorem post hanc præsentem*

Mortua est, inquit, Sara in Kiriath Arba. Ipsa est Hebron in terra Canaan. Prætereundum non est quòd mortua ac sepulta est Sarah in Hebron, חברון coniunctionem ac societatem sonat Hebræis. Recte igitur in Hebron mortua est Sarah, ibiq; tanquam singulare quoddam futuræ illic sanctissimę societatis ac coniunctionis pignus condita. Nam illic reponenda erant sanctorum patriarcharum corpora, sicuti uides in uerbis Iacob infrà 49. ubi sic mandauit filio suo Ioseph: Ego congregor ad populum meum. Sepelite me cùm patribus meis in spelunca duplici quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mamre in terra Canaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo, in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt Abrahã & Saram uxorem eius. Ibi sepelierunt Isaac & Rebkam uxorem eius. Et ibi sepelini Leam. Hæc Iacob. Est igitur Hebron societati ac cõiunctioni sanctorum deputata, quorum ueluti primitiæ Sarah tam sancti loci consecrationem prima morte ac sepultura sua fecit, ad quam postea appositi sunt Abraham, Rebkah, Isaac, Leah, Iacob, Ioseph, &c. Vsque adeò non possunt à se inuicem diuelli sancti, ut mortui quoque congregentur in Hebron. Mors quæ uiuentes etiam charissimos à se inuicem dirimit ac separat, mortuos coniungit in Hebron, in societate uidelicet sanctorum. *Quòd mortua est Sarah in Hebron.*

Et Hebron est in terra Canaan. Promissionis terram occupant sancti mortui, siuntq; corpora illorum quasi quędam oppignoratio futuræ possessionis, hæredibus ipsorum destinatæ. Mysterium hoc, & uirtutem societatis huius, quæ congregabatur in Hebron, non intellexerunt Cananæi. Futurum erat, ut mortui isti collecti in Hebron expellerent omnes terræ illius incolas, & semen suum ad se reciperent. Sic parabantur mansiones populo Dei in terra promissionis. Et nostra Hebron in cœlis, tanquam terra promissionis, congregationi sanctorum deputata est. Ibi primitias congregationis habemus semen benedictum Christum Dominum, qui ad hoc ad cœlos ascendit, ut paret nobis mansiones cœlestes. Oppignorata est & nobis terra promissionis per coniunctionem Christi, prophetarum, apostolorum, & reliquorum sanctorum, quæ est in cœlesti Hebron, ad quam & nos interuentu mortis congregabimur. *Promissionis terram oppignorarunt sancti mortui.*

Et ingressus est Abraham ut plangeret ac defleret eam.] Est hic locus diligenter notandus propter phanaticos homines, quibus astorgia loco selecti est Christianismi. Christianismus non reddit homines truncos ac lapides, non probat Stoicam apathiam, non generat inhumanam astorgiam, sed naturales commiserationis affectus & storgas retinet ac dirigit, ne exorbitent, & modum excedant. Sic uidemus hic Abrahamum planxisse ac fleuisse coram mortua uxore, quam fidelissimam habuerat uitæ ac peregrinationis suæ sociam. Et Christus ad tumulum mortui Lazari fleuit. Parum uirile uidetur plangere ac flere. Parum etiam philosophicum uidetur, deflere mortuum. Verum est, si sortem bene morientium consideres, beatos potius quàm deflendos iudicabis. *Lugere ac flere mortuum nõ est alienũ à pijs hominibus.*

Sancti autem dum plangunt ac deflent mortuos, non deplorant illorum sortem, sed luctum exprimunt, quem in corde sustinent propter desiderium consueti conuictus, & considerationem communis mortalitatis, cui omnis generis nostri caro propter peccatum ineuitabili lege subiecta est. Seruant autem modum, ne quid indecori admittant, sicuti solent qui spem resurrectionis & futuræ uitæ non habent, quorum intemperantiam damnat Apostolus, non uetans ne defleamus mortuos nostros, sed ne id more infidelium faciamus. Quòd uirilis animi robur & constantiam attinet, iubemus Stoicos, si quid uirile habẽt, exercere nõ ad detrimẽtũ humanitatis, sed aduersum inordinatos affectus, ut declarẽt esse se homines nec malos, nec iniustos, nec leues ac uanos, nec intẽperantes & corruptos, *Quomodo fleat sancti mortuos.* *De uirilis animi robore.*

sed

sed bonos, æquos, constantes in bono, temperantes & integros. Astorgia & apathia peruersum habent obdurati animi robur, quo phanatici homines magis declarant quòd homines nõ sint, quàm quòd sint homines graues & constantes. Probatur Deo & hominibus animus ad sympathiam, eustorgiam, & commiserationem etiam ad planctum usq; & lachrymas solubilis potius quàm inhumanus, seuerus, & instar Marpesiæ cautis obduratus.

Ritus exequiarum liberi modò absit impietas et superstitio.

Simul & illud obserua, quod de luctu Abrahæ scribens Moses nihil illi tribuit aliud, quàm quod ingressus sit ad mortuam Saram ut plangeret ac fleret eam. De ceremonijs ac ritibus exequiarum nihil meminit. Erant dubio procul etiam illis temporibus publici ac solennes ritus quibus mortuorũ peragebantur exequiæ. Hi si fuerunt nec impij, nec superstitiosi, arbitror Abrahamum illos non esse auersatum. Idem facient pij, quocunq; terrarum loco egerint. Quales sint in Papatu, notius est quàm ut admoneam. In plerisq; locis uideas eos esse superstitiosiores ethnicis.

Cumq; surrexisset ab officio funeris loquutus est ad filios Heth dicẽs: Aduena sum & peregrinus apud uos, date mihi ius sepulchri uobiscum, ut sepeliam mortuum meum. Responderuntq; filij Heth dicentes: Audi nos Domine. Princeps Dei es apud nos. In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullusq; te prohibere poterit, quin in monumento eius sepelias mortuum tuum. Surrexit Abraham & adorauit populum terræ, filios uidelicet Heth, dixitq; ad eos: Si placet animæ uestræ ut sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor, ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui. Pecunia digna tradat eam mihi coram uobis in possessionem sepulchri.

LECTIO.

Cumq; surrexisset ab officio funeris.] Hebr. Et surrexit Abraham à facie mortui sui.

Aduena sum & peregrinus apud uos.] Hebraicè est, גר ותושב אנכי עמכם, id est, peregrinus & habitans ego uobiscum. Sumitur autem uox תושב, id est, habitans uel habitator, aliquot scripturæ locis pro inquilino & incola, qui in aliena ciuitate, aliàs homo peregrinus & aduena, ex indultu habitat. Quare testimonio uocis huius תושב liquet Abrahamum tum habitasse in Hebron.

Date mihi ius sepulchri uobiscum.] Hebr. date mihi, אחזת, id est, possessionem sepulchri uobiscum. Petebat non ius sepeliendi, sed locum sepulturæ, quem emeret & possideret. Et Sept. uerterunt κτῆσιν, id est, possessionem.

Vt *sepeliam mortuum meum.*] Hebraicè additur, מלפני, id est, à facie mea. Et Sept. ἀφ' ἑμοῦ, id est, à me.

Audi nos Domine.] Sept. sic uerterunt, Μὴ λύγιε, ἄκουσον δὲ ἡμῶν. Non Domine, sed audi nos. Vocula, Non, non est in Hebræo.

Princeps Dei.] Sic est in Hebræo. Sept. βασιλεὺς παρὰ θεοῦ, id est, rex à Deo. Paraphrastes Chaldæus sic, Magnus coram Deo es tu inter nos.

Apud nos.] Hebr. בתוכנו, id est in medio nostri. Pertinet hæc uocula ad commorationem qua in medio filiorum Heth habitabat Abraham non ad existimationem, qua tanquam princeps Dei in precio habebatur. Quare uertendum erat: Princeps Dei es in medio nostri, potius, q̃ princeps Dei es apud nos.

In electis sepulchris nostris.] Hebr. במבחר קבורינו, id est in electione sepulchrorum nostrorum. q. d. Eligendo tibi sepulchrum ex nostris monumentis, sepeli mortuum tuum. Dant illi electionẽ ut quo uellit ipsorum monumento mortuum suum sepeliat.

Nullusq; te prohibere poterit. &c.] Hebraicè est ad uerbum: Quisq; ex nobis sepulchrum suum non prohibebit à te ne sepelias mortuum tuum. q. d. Nemo nostrum prohibebit. Verbum, poterit, in Hebræo non est. Apparet interpretem uerbum יבלח sumpsisse pro יכל, id est, posse. Verùm יבלח positum est pro יבלא quod prohibere significat.

Vt *sepeliam mortuum meum.*] In Hebræo rursus additur, à facie mea.

Intercedite pro me apud Ephron.] Hebr. est, פגעו לי quod nonnulli uertunt, & rogate mihi, Ephronem. Sic & Chal. paraph. Sept. & loquimini pro me. Aliàs uerbum פגע obuiandi & occurrendi significationem habet, ut non incommodè uersum sit, intercedite pro me.

Filium Seor.] Hebr. filium Zohar. Sept. habent. σααρ.

Quam habet in extrema parte agri sui.] Hebr. Quam habet, quæ est in fine agri ipsius. Sept. sic ἣν ἔχει αὐτῷ τὸ ὂν οὐ μέρει τοῦ ἀγροῦ ἀντοῦ, id est, quam habet, quæ est in parte agri ipsius. Chald. paraph. quæ est in latere agri ipsius.

Pecunia digna.] Hebr. בכסף מלא, id est, in pecunia plena, uel, pro pecunia plena.

Coram uobis.] Hebr. בתוככם, id est, in medio uestri. Sept. Inter uos.

EXPLA-

EXPLANATIO.

Hactenus paucis de morte ac planctu Saræ, iam de sepultura paulo fusius subijcit. Locum sepulturę quem, unde, & quomodo acquisierit, ex ordine narrat. In narratione nihil est obscuri.

Et surrexit Abraham à facie mortui sui.] Verbo surgendi innuitur, quòd coram funere Saræ lugendo uel sederit, uel in terra iacuerit. Vbi tempestiuũ fuit, ut sepulturam curaret, inde surrexit, & de loco sepulturæ mortuo suo prouidere cœpit.

Et locutus est ad filios Heth, dicens, &c.] Filij Heth sunt Hethęi. Intelligit autem de maioribus eius populi. Hos conuenit in porta, loco quo primores conuenire solebant. Et primũ appellat eos in genere, ut cum ipsorum gratia locum ad sepeliendum mortuũ suum acquirere posset. Peregrinus, inquit, & incola sum ego uobiscum. Q. d. Quoniam non sum indigena, destituor possessione soli, in quo mihi ac meis sepulturam constituã. Quare date mihi possessionem sepulchri uobiscũ, id est in territorio uestro. Non petit ab eis, ut locũ sibi dent gratis in quo paret sepulchrũ. Nam eum proposuerat emere ab Ephrone. Sed ut potestatem sibi faciant acquirendi, emendi, ac possidendi locum aliquem sepulturę accõmodum. Etenim aduenis & incolis non licet emere possessiones locorum sine permissione magistratus. Vt sepeliam mortuum meum, inquit, à facie mea. Ratio ac finis petitionis, ad hoc faciens, ut assensum faci lius obtineat. Etenim præsenti & communi necessitate adigebatur ut mortuũ suum sepeliret à facie sua.

Et respondérunt filij Heth dicentes: Audi nos domine, &c.] Ea erant reuerentia erga Abrahamũ, ut non solum parati essent ad dandum quod petebat: sed quod amplius erat, offerrẽt ipsi etiam sua propria sepulchra, facerentq; potestatem eligendi ex illis quod uellet, idq; nemine prorsus contradicente. Quàm honorificè autem de illo sentirent, in eo exprimebant, quòd non modò Dominum eum, sed & principem Dei uocabant. Princeps Dei es, inquiunt, in medio nostri. Principem uocant eum, non quòd do miniũ haberet in ipsos, sed quòd inter ipsos uersaretur tam honestè, tam piè, tamq; inculpatè, ut appareret eum eximiũ uirũ esse, & singulari gratia Dei ad ipsos missum. Et elogiũ hoc opponũt ei, quod dixerat: Peregrinus & incola sum apud uos. Q. d. Non habemus te pro peregrino & incola, sed pro principe, à Deo ad nos misso. Illud, In electis sepulchris nostris sepeli mortuũ tuũ, bifariam exponi potest. Primùm, ut faciant illi copiam selectiorum sepulchrorum. Dabant hoc honori illius, ut non uulgaria, sed selectiora illi monumenta offerrent. Deinde, ut optionem illi & electionem permittant, quocunq; uelit sepulchro ipsorum mortuum suum sepeliendi. De hoc posteriori sensu monui in lectione.

Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios Heth, dixitq; ad eos, &c.] Duo facit. Primùm ad declarandum animi sui gratitudinem, pro beneuolentia pariter & honorificentia sibi exhibita: surgit à loco quo sederat inter eos, & incuruat se, uel capite, uel genibus, uel toto corpore, in signũ reuerentiæ. Et hoc est quod interpres pro consuetudine sua uertit, Et adorauit populũ terræ. In Hebræo est, וישתחו, id est, Et incuruauit se. Populum terræ intelligit capita & maiores populi qui aderant. Neq; enim uniuersus populus terræ illius aderat. Deinde, petit ab eis, ut pro se intercedant apud Ephronem filium Zoar. Petitionem hanc sic proponit. Principiò grato animo accipit aliquousq; illorum beneuolentiam, & inde prouocat eos ad id quod petit, dicens: Si placet animæ uestræ, uel, ut in Hebræo est, Si est cum anima uestra, hoc est, si uoluntas uestra hæc est, ut sepeliam mortuũ meum. Q. d. Si uestra beneuolentia facitis mihi potestatẽ sepeliendi mortuũ meum, audite me, id est acquiescite precibus meis, &c. Deinde quid ultrà petat, exponit, dicens: Intercedite pro me apud Ephron filium Zoar, ut det mihi speluncam duplicem quã habet. Tertiò addit specificationem. Quæ est, inquit, in fine agri illius. Ager ille erat ipsis notus. Quare nihil illi specificationis adijcit. Significat aũt se haudquaquam petiturum hanc speluncam, si non esset in fine agri, atq; ita separatu facilis. Quartò, exponit etiam, quomodo speluncam hanc dari sibi petat. Non gratuitò, sed pro sufficienti pecunia. Pecunia plena, inquit, tradat eam mihi in medio uestri, in possessionem sepulchri. Illud, In medio uestri, exponi potest uel de cõsessu illo in quo ista agebantur, ut emptio fieret firma & rata, tanquam publica authoritate in medio maiorum robora ta, uel de medio territorij ac dominij filiorum Heth. Q. d. ut in medio uestri, uel, si mauis, inter uos, sepulchrum possideam. Priorem sensum latinus interpres secutus est, dum uertit: Pecunia digna tradat eam mihi coram uobis. Priori fauet Hebræus textus.

QVAESTIO.

Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ.] Mouet hic Augustinus quæstionem, quomodo licuerit Abrahamo adorare non solum Deum, sed & populum terræ, cum iuxta dictum Seruatoris, soli Deo competat adoratio, & angelus in Apocalypsi non sit adorari se passus. Responsio facilis est, si secundum Hebręæ uocis וישתחו significationem legas, Non adorauit: sed, Incuruauit se populo terræ. Nec in Hebræa uoce, nec in ea quam posuerunt Septuaginta, ulla est adorationis significatio. Etenim προσκυνέω nõ significat adorare, quod significat προσπίπτω, sed adblandiri more catellorum. Quare insultissimè factum est, quod latinus interpres perpetuò uertit per uerbum adorandi, quod in Hebræo non adorationis, sed incuruationis significationem habet.

Quomodo licuerit Abrahæ adorare populũ terræ.

Vt det mihi speluncam duplicem.] Quærunt hic, quare spelunca ista uocata fuerit duplex. Coniecturæ quidem non desunt, uerùm tacente scriptura nihil certi potest adferri. Alij duas fuisse speluncas sentiunt à se inuicem separatas, alij fuisse speluncam intra speluncam: alij fuisse supernè ædificium instar conclauis, infernè speluncam: alij geminum fuisse unius speluncæ sinum, ad recipiendum duo funera accõmodum. Sunt & qui dictionem duplicitatis referant ad agrum, non ad speluncã. Verùm textus nõ

Quare spelunca ista uocata fuerit duplex.

cõcordat. Meo iudicio, satis est credere Mosi, fuisse speluncam duplicem. Quomodo duplex fuerit, nihil refert etiamsi ignoremus.

OBSERVATIONES.

Modus seruandus in planctu mortuorum.

Et surrexit Abraham à facie mortui sui.] Pertinebat quidem ad charitatem coniugalem plangere ac flere mortuam uxorẽ: uerùm sic, ut modus aliquis esset plangendi ac flendi. Sic uidemus hoc loco exemplum seruandi modi, in eo quòd à facie mortui sui surrexit Abraham, cum aliquandiu coram illo planxisset. Quanquã nostro hoc seculo tanta obtinuit inhumanitas & duricies præcordiorũ, ut paucissimos inuenias, qui sic lugeant super mortuis suis ex animo, ut timendum sit, ne modum excedant.

Sic plangendos esse mortuos, ut & reliqua facienda non negligantur.

Et locutus est ad filios Heth.] Non solum luxit & planxit Abraham, sed & de sepultura mortuo suo prouidit. Vides hoc exemplo, sic esse lugendos mortuos, ut quæ præterea curanda sunt, non negligantur. Multa sunt officiorum genera quibus nos charitas amicis, cognatis, coniugibus, parentibus, liberis, ac propinquis obstringit. Sic uni indulgendum est, ut alijs æquè necessarijs non desimus. Malè cibat uxorem, qui sic cibat, ut non uestiat. Quare curandum est, ut in quolibet officiorum genere sic retineamus modum, ut reliquis quoq; sufficiamus.

Quare posteri uocentur maiorum suorũ filij.

Deinde & illud obserua, quòd Hethæos uocat filios Heth. Est quidem scripturæ consuetum, ut posteros uocet filios eius, quem præcipuum habent generis sui parentem: quemadmodum Israelitas, uocat filios Israel: Leuitas, filios Leui, & in uniuersum omnes filios Adæ. uerum nõ facit hoc præter rationem. admonentur enim posteri ut ad originem generis sui respiciant, cuius rei multa potest esse utilitas. Si origo est obscura & humilis, argumentum offertur, uitandam esse superbiam & arrogantiam. Si illustris est, uel sapientiæ, uel iusticiæ, uel pietatis, uel fidei, uel rerum præclarè gestarum nomine, occasio offertur de studio imitationis cogitandi.

Non dissimulat Abrahã esse se peregrinum & incolam.

Peregrinus & incola sum apud uos, date mihi possessionem sepulchri uobiscum, ut sepeliam mortuũ meum à facie mea.] Principiò illud obserua, quòd se peregrinum uocat & incolam. Peregrinus erat, quia erat in aliena terra. Incola uerò, quia nõ iure indigenarum, sed ex indultu primorũ ibi habitabat. Vtrunq; agnoscit, & petitioni suæ præmittit. Candoris est, non dissimulare humilem uitæ sortem & cõditionem, deniq; agnoscere quod ex gratia est indultum. Et huiusmodi candor dignus est fauore. Etsi nõ est peregrinis ea prærogatiua, quocunq; uenerint, quę est indigenis, inhonestum tamen in se non est esse peregrinũ & incolam. Immò honestius est talem esse uita & moribus, ut tametsi sis peregrinus, nequeas{q;} ullo iure facultatem incolendi petere ab indigenis, ex gratia tamen admittaris ad incolatum, ut in gremio ciuitatis cum alijs ciuibus habites, quàm si sis indigena quidem ex beneficio natalium, cæterùm uerò uitæ conuersatione & moribus usqueadeò corruptus, uanus & inutilis, ut nisi indigena esses, ne ad incolatum quidem admitti possis. B

Nihil derogat Abrahã uri indigenarum.

Deinde considerandum est, quod dicit: Date mihi possessionem sepulchri uobiscum. Vide. Ditissimus erat iuxta seculum. Illustris erat fœdere & amicitia regũ. Hæres ac dominus totius terræ Canaan erat, secundum promissionũ Dei ueritatẽ. Et tamen dissimulans hæc omnia, agnoscit & fatetur se esse hominem peregrinum & incolam: nec quicquam derogat iuri ac consuetudini eorum, cum quibus habitabat, sed à primoribus ciuitatis dari sibi petit ex gratia & indultu, ut possit emere possessionem sepulchri. Nihil præsumit de potentia & opulentia sua, nec seorsum inscijs magistratibus ciuem aliquem sollicitat, ut locum sibi uendat sepulturæ, sed palàm ac legitimè conuenit primùm primores ciuitatis, ut quod obtinere cupit, ex ipsorum gratia & beneuolentia obtineat. Pulcherrimo sanè exemplo præscribitur omnibus peregrinis & incolis ne quid iuri ciuitatis derogent: sed si qua re opus est, ad ius ciuium pertinente, petant ex gratia, idq; à magistratu loci.

Non petendũ ultrà quàm postulat necessitas.

Date mihi possessionem sepulchri uobiscum, inquit.] Non dicit, Date mihi ius ciuium & indigenarum, ne fim amplius incola: sed, Date mihi possessionem sepulchri. Vide modestiæ exemplum. Non petit ultra id quod necessitas postulabat. Multa sunt humanæ uitæ negocia, inter quæ omnia postremum est, sepelire mortuos. Hoc solum permitti sibi petit, in reliquis omnibus retinet conditionem & Mispat incolæ. Vsqueadeò uir pius & modestus non erat peregrinationis & incolatus sui pertæsus.

Vxorẽ esse pertinet ad præsentem uitam.

Vt sepeliam, inquit, mortuum meum.] Quid est quod non dicit, Vt sepeliam uxorem meam: sed, Vt sepeliam mortuum meum? Vxorem esse, pertinet ad præsentis uitæ tempus, & uiuentium est, non mortuarum. Quare cum esset mortua Sarah, non erat amplius uxor Abrahæ. Et sepultura non est destinata uiuentibus, sed mortuis. Nemini marito uxorem suam sepelire licet, donec uxor est. Mortuum quisq; suum rectè sepelit. Licet autem non esset amplius uxor Sarah, hactenus tamen ad curam Abrahæ pertinebat, ut ab illo sepeliretur, tanquam ab eo cuius fuerat uxor, ut rectè uocarit eam mortuũ suum. Quare quod infrà circa calcem capitis huius legitur, Post hæc sepeliuit Abraham Saram uxorem suam, respicitur ad id quod fuerat Sarah, & iam amplius non erat.

Et illud forsan cogitabit non indiligens lector, quod nõ dicit, Vt sepeliam mortuã meam: sed, Vt sepeliam mortuum meum. Scriptura in genere uocat quosuis utriusq; sexus mortuos מתים. Non discriminat inter masculos & fœminas. Discretio sexuum pertinet ad hanc uitam, ubi ad generis propagationem per prouidentiam Dei creati sunt & coniuncti mas & fœmina. Post hanc uitam ut cessat generatio, ita non habetur etiam sexuum ratio. Quæ hinc disputari possunt, ociosis hominibus relinquo.

Vt sepe-

Vt sepeliam, inquit, mortuum meum à facie mea.] Atqui diues erat Abraham, & in promptu erat comparare aromata ad condiendum Saræ corpus, quo in capsa quadam citra corruptionis incommodum asseruari, & honoris gratia circunferri posset. Quid necesse erat, ut à facie sua tolleret, semoueret, ac sepeliret tam sanctum corpus, unde semen promissum insigni miraculo prodierat? Vides hoc exemplo, non esse sanctorum, sed superstitiosorum hominum, corpora mortuorum quamuis sanctitatis nomine insignium asseruare ad conspectum uiuentium, ut de cultu taceam. Sancti sanctos suos à facie sua sepeliunt, ac telluri secundum legem Dei in terram conuertendos commendant, idq; faciunt fide ac spe futuræ resurrectionis, ut cum alijs è puluere terræ ad gloriam incorruptionis & immortalitatis uirtute Dei excitentur. Etiam sancti sic sunt post mortem comparati, ut ne à charissimis quidem amplius ferri possint. Vbi hic est præteritæ uitæ gloria, splendor, decor, elegantia formæ, & si qua alia fuit singularis uel animi uel corporis gratia? Prima post mortem hora euanescunt hæc omnia, usqueadeò, ut intolerabilis sit mortui corporis paulo antè charissimi præsentia, nedum aspectus. Quare nemo mortalium parenti, nemo coniugi, nemo filio succenset, quòd mortuũ suum aufert à facie sua, & telluri commendat, modò id faciat non leuiter, neglectim & contemptim.

Mortuos suos sancti non seruant, sed à facie sua sepeliunt.

Mortui ne à charissimis quidẽ ferri possunt.

Et respondérunt filij Heth dicentes: Audi nos Domine. Princeps Dei es in medio nostri. In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum: nemo ex nobis prohibebit à te sepulchrum suum, ne sepelias mortuum tuum.] Proponit hoc loco in hominibus ethnicis exemplum cordati, humani, & honesti senatus, in quo relucent dotes quædam præclaræ & egregiæ. Primùm in eo quòd uocant Abrahamum principem Dei, uides iudicium de Deo, ac sensum gratiæ illius, qua Abrahamum seruum suum prosequebatur. Videbant uirum singulari pietate præditum, in fide Dei sui sincerum ac religiosum. Videbant fidem ac pietatem illius non esse inanem & umbratilem, sed efficacem & operosam: hoc est, uidebant opera illius ueluti splendorem lucis, religioni ac fidei correspondentia. Videbant etiam diuinæ benedictionis uirtutem, qua benedictus Abraham in cunctis prosperè agebat. Experiebantur uirum sincerum, honestum, humanum, modestum, sapientem & cordatum. Obseruabant domum & familiam illius Ecclesiam esse Dei. Habebant, ut in summa dicam, oculos uidendi, aures audiendi, & cor intelligendi, non solum quòd humana, sed & quòd opera & iudicia Dei concernit.

Exemplum cordati, honesti & humani senatus.

Deinde obserua exemplum animi sinceri & candidi, in uiris eius ciuitatis primoribus. Non solum uident & intelligunt præclaras Abrahæ dotes & splendidas fortunas, sed probant etiam, magnificiunt & extollunt. Princeps Dei es, inquiunt, in medio nostri. Et scribæ, pharisæi, sacerdotes ac seniores Israelitarum maximam lucem operum Christi uidebant: uerùm qua erant malicia, inuidebant & damnabant: & quam ferre non poterant, extinguere conabantur. Nihil horũ hic uides. Non cogitabant: Sapientior nobis est, diues ac potens est, incõmodabit honori nostro, infidiabitur potestati nostræ, quare tanquam peregrinum reijciemus: sed admirabantur, suspiciebant, & extollebant uirum quamuis esset peregrinus & aduena. Rarę admodum uirtutis exemplum.

Exemplum animi sinceri et candidi.

Tertiò, in eo quod dicunt, In electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, obserua ueræ liberalitatis & honorificentiæ exemplũ. Plus offerũt, quàm petebat Abraham. Nemini ciuium licuisset, quod ipsi ultrò offerebant homini peregrino & incolæ. Deinde offerunt non ciuium sepulturas, sed suas ipsorum. Liberales sunt non de alieno, sed suo.

Vera liberalitas.

Quartò. Nemo ex nobis, inquiunt, prohibebit à te sepulchrum suum, ne sepelias mortuum tuum. Obserua concordiam & unanimitatem primorum in bono. In senatu Hierosolymitano, cum de Christo iudicaretur, boni erant unus & alter, Ioseph & Nicodemus. Hic nemo non bonus est. Omnes Abrahamum habent in precio, & dignum censent cui etiam sua ipsorum sepulchra offerant. Huiusmodi uirtus ciuitatis primores, uide ubi in nostris rebusp̃ublicis inuenias.

Concordia primorum in bono.

Confert nunc modestiam Abrahæ & Hebronitarum candorem. Ille de se modestè & humiliter sentit. Peregrinus, inquit, & incola sum apud uos. Isti contrà sentunt de eo honorificentissimè. Princeps Dei es in medio nostri, inquiunt. Non ambit Abraham honorificam nominis sui existimationem. Hebronitæ uerò illam ultrò in animo concipiunt, & exprimunt. Sic gloria uirtutem uelut umbra corpus sponte sua, non quæsita sequitur, si uiuas inter bonos. Simus igitur cum Abrahamo principes & filij Dei, nec affectemus honorum fastigia: sed modestiam & animo & moribus retinentes, sentiamus ac faciamur esse nos peregrinos in hoc seculo. Incredibile est, quanta sit ueræ pietatis & probitatis efficacia, etiam apud ethnicos, si abfuerit arrogantia, & inanis gloriæ studium. Aurum, etiam in sordibus repertum & agnitũ, nescio quomodo cupidius, quia securius, captatur, quàm si accurato splendore fulgeat, ac nimio splendore metum imposturæ incutiat. Virtus humilitate & modestia commendata & gratior est, & securius suspicitur.

Conferuntur modestia Abrahæ & Hebronitarũ candor.

Simile.

Surrexit Abraham, & incuruauit se populo terræ filijs Heth, dixitq; eis: Si est cum anima uestra ut sepeliam mortuum meum, audite me, &c.] In eo quod surrexit, & se populo terræ incuruauit, uides exemplum animi uerè modesti, submissi, grati, & ad honorificentiam proni. Audierat quidem illustre illud elogium, Princeps Dei es in medio nostri: uerùm non est auditu illius inflatus, sed germanam suam retinuit submissionem. Et ut animo erat demisso ita se gerebat & moribus modestum & demissum. Non erat hypocrisis, quòd populo terræ honoris & gratitudinis gratia assurgebat, & incuruationis gestu reuerentiam exhibebat. Quod foris gestu corporis faciebat, non ex consuetudine uulgi, sed ex animo faciebat. Sic sancti sunt humiles, humani, ciuiles & honorificentiæ studiosi: & quod filij huius seculi simu-

Exemplum animi submissi, gratiti & honorificentiæ dediti.

lant uerius quàm faciunt, hoc ipſi faciunt uerè abſq; ulla hypocriſi. Erat Abraham peregrinationum moleſtijs tritus & exercitatus, quæ animum aliàs elatum reddunt demiſſum & humilem. Sic humiliatus Iacob, incuruauit ſe ſepties ante conſpectum fratris Eſau. Infrà cap. 33. Huiuſmodi exempla in ſcripturis multa occurrunt.

Peregrinatio reddit humilem ac demiſſum.

Vnde ſit uera gratitudo.

Deinde obſerua quod dicit: Si eſt cum anima ueſtra, ut ſepeliam mortuum meum. Non dicit, Si dignus uobis uideor, ſi ſum princeps Dei in medio ueſtri, quemadmodum dicitis: ſed, Si eſt cum anima ueſtra. Id quod offerebant tribuit non ſuæ ipſius dignitati & exiſtimationi, ſed ipſorum beneplacito. Admonemur hoc exemplo hinc ueram eſſe gratitudinẽ, quando quæ bene nobis fiunt, deputamus non dignitati ac meritis noſtris, ſed beneuolentiæ eorum qui bene nobis faciunt, etiamſi illi dignos nos eſſe iudicent, quibus omnis generis beneficia impendant. Qui aliter animatus eſt, nunquam ex animo gratus erit, quantumuis magnis beneficijs afficiatur.

Modeſtia Abrahæ.

Tertiò. Intercedite, inquit, pro me apud Ephronem filium Zohar. Rurſus exemplum modeſtiæ, & animi non tantum de ſeipſo ſentientis quantum apud alios habet exiſtimationis. Non tantum tribuit ſibi Abraham, quantum tribuebant ipſi Hebronitæ, & Ephron ipſe, apud quem putat ſibi opus eſſe interceſsione primorum ciuitatis. Simul & illud obſerua. Obtulerant illi ſua ipſorum ſupulchra. Verum tantum de beneuolentia ipſorum non ſumit, quantum offerebant: & tamen, ne prorſus eam contemnere uideatur, hanc qualemcunq; gratiam ab ipſis petit, ut pro ſe apud Ephronem intercedant.

Beneuolentia amicorũ nec contemnẽda, nec tota impudẽter uſurpanda.

Admonemur hanc eſſe ſeruandam modeſtiam ac diſcretionem qua nec contemnamus amicorum beneuolentiam, nec illa impudentius & immodeſtius utamur. Solent oblationes beneuolentiæ fieri liberaliſsimè. Inciuile fuerit, tantum de illis ſumere quantum offertur: rurſus ſuperbiæ ſpeciem habet, contemnere illas in uniuerſum, & ne modicè quidem deguſtare.

Quartò. Vt det mihi ſpeluncam duplicem, inquit, quam habet, quæ eſt in fine agri ipſius. Erant dubio procul adhuc aliæ ſpeluncæ in agro Hebronitarum, ad ſepeliendum mortuos commodæ. Quid eſt quod duplicem iſtam præ cæteris elegit? Primùm, erat duplex, ſiue propter geminum ſinum, ſiue propter capacitatem qua duplo maior erat reliquis. Deinde, non erat uicina ciuitati, ſed nonnihil remotior cæteris. Erat enim in fine agri. Vtroq; nomine commoda erat, cùm ad recipiendum plures qui in illa ſepeliendi erant, tum quòd eſſet iuſto ſpacio à reliquis Hebronitarum monumentis ſeparata. Nolebat uir ſanctus monumentis uti gentis à cognitione & Eccleſia Dei alienę, ſed ſuos colligere ſepultura propria & ſic ſeparata, ut nulli eſſet confuſioni & commixtioni obnoxia.

Quare elegerit Abrahã ſpel. duplicem ad ſepulturam.

Tria de ſepultura Abrahæ præ dicantur.

Præterea & illa obiter cogitemus. Spelunca iſta ſepulturæ deſtinata in agro eſt, in fine agri eſt, & duplex eſt. Ager officina quædam reſurrectionis eſt, eorum quæ in illo ſeruntur ac plantantur. Recte ergo ſepultura eſt in agro. Nam corpora ſepultorum inſtar ſeminis ſunt ſuo tempora reſurrecturæ, & in horreum dominicum colligenda. Spelunca eſt in fine agri. Finis omnium negociorum noſtrorum ſepultura eſt. Verſamur in agro, cuius finis ſpeluncã habet ſepulchralem. Spelunca duplex eſt. Et ſepultura populi Dei duplex eſt, reſpectu electorum ac reproborum. Et uita & morte indiſcriminatim conjungimur. Nulla tam ſancta eſt Eccleſia, nullum tam ſanctũ κοιμητήριον, ubi non ſit iſta duplicitas. Poſt reſurrectionem tandem ſeparabimur.

Candor & æquitas Abrahæ.

Quintò. Pecunia plena, inquit, tradat eam mihi. Vide candoris & æquitatis exemplum. Id quod impetrari ſibi ab Ephrone petit, ſine illius detrimento petit. Ne inſufficienti quidem precio, nedum gratis, ſed pro precio competenti & condigno petit. Reperias hodie innumeros, qui ſi quid emendum ſit, quàm poterunt uiliſsimè emptum cupiant. Sic deſiderijs ſuis & proprijs emolumentis ſtudent, ut ſine ulla peccati conſcientia cum damno aliorum res ſuas agant, ſiue uendant, ſiue emant, ſiue quacunq; alia ratione negocientur. Hæc impudentia & iniquitas aliena eſt à ſanctis.

Æquus contractus.

Et illud obſerua, quòd pecuniam condignam & æquam uocat plenam. Ergo æquus & condignus contractus eſt, ubi emptor nihil derogat & ſumma quam ualet res empta. Quicquid de plenitudine illius deteritur, æquitati derogatur, niſi id fiat ex indultu & gratia uenditoris. Alioqui, niſi ille cõſentiat, uel ſi ſeductus conſentiat, non poterit pleno poſsideri iure, quod non eſt plena pecunia, uel alia compenſatione acquiſitum. Quare ſtultiſsimi ſunt, qui quo uilius & minoris iuſto emunt, hoc ſe felicius mercari putant. Is demum bene emit, qui ſic plena pecunia emit, ut totam poſsit & iuſtam habere emptæ rei poſſeſsionem.

Cautionis et prudẽtiæ exemplũ.

Sextò. In medio, inquit, ueſtri. Habes prudentiæ exemplum. Sic uult contractum hunc fieri in medio primorum, ut nulla relinquatur poſteris, uel ſuis, uel Ephronis controuerſiæ occaſio. Vt iuſtam, ita & publica maiorum conſcientia & teſtimonijs confirmatam emptionem petit. Non eſt igitur alienum à ſanctis, ut in futurum proſpiciant rerum ſuarum ſecuritati, & quicquid cum hominibus, quantumuis bonis & amicis egerint, prudenter agant & cautè, ne qua poſteris relinquatur litigandi occaſio.

Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Reſpondit{que} Ephron ad Abraham cunctis audientibus qui ingrediebantur portam ciuitatis illius dicens: Nequaquam ita fiet, domine mi, ſed tu magis auſculta quod loquor. Agrum trado tibi, & ſpeluncam quæ in eo eſt, præſentibus

tibus filijs populi mei, sepeli mortuum tuum. Adorauit Abraham coram Domino & populo terræ, & loquutus est ad Ephron circumstante plebe eius. Quęso, ut audias me. Dabo pecuniam pro agro, suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in eo. Respondităţ Ephron: Domine mi, audi me. Terra quam postulas, quadringentos siclos argenti ualet. Istud est precium inter me & te. Sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum. Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam quam Ephron postulauerat, audientibus filijs Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ. Confirmatusqţ est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mamre, tam ipse quàm spelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum, Abrahæ in possessionem uidentibus filijs Heth, & cunctis qui intrabant portã ciuitatis illius. Atqţ ita sepeliuit Abraham Saram uxorem suã in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mamre, hæc est Hebron in terra Canaan. Et confirmatus est ager & antrum quod erat in eo Abrahæ in possessionem monumenti à filijs Heth.

LECTIO.

Habitabat autem Ephron in medio fil. Heth.] In Hebrço est ישב, id est, sedebat. Sic & Sept. ἐκάθητο.

Respondităţ Ephron.] Hebræa sic habent: Et respondit Ephron Hethæus Abrahæ in auribus filiorum Heth, coram omnibus qui ingrediebãtur portam ciuitatis ipsius. Pronomen ipsius, Septuaginta omiserunt. Et illa, Hethęus, item in auribus filiorum Heth, latinus neglexit.

Nequaquam ita fiet, &c.] Hebr. Non Domine mi, audi me. Ista, Ita fiet, sed tu magis, & quod loquor, non sunt in Hebræo Sept. sic: πλὴν ἐμοὶ γενοῦ πύριε, καὶ ἄκουσόν μου, id est, Apud me fis, uel, ad me accedas domine, & audi me.

Agrum trado tibi.] In Hebræo est, agrum נתתי, id est dedi tibi. Atqui nondum dederat illum. Positum est præteritum pro præsenti, tradidi pro trado. Quare non est perpetuò uertendum secundum formas temporum quæ in Hebræo reperiuntur, sed ratio habenda sensus qui rebus conueniat.

Et speluncam quæ in eo est.] In Hebræo additur, Do tibi eam.

Præsentibus filijs populi mei.] Sept. uerterunt, Coram omnibus ciuibus meis. In Hebræo rursus additur, Do eam tibi. Septuaginta inconstanter uerterunt, iam, Do tibi: iam, Dedi tibi.

Adorauit Abraham coram Domino & populo terræ.] Hebr. Et incuruauit se Abraham coram populo terræ. Illud itaqţ coram Domino in Hebræo non est, quemadmodum nec in Græco. Septuaginta addiderunt de suo, Et coram filijs Heth.

Circumstante plebe eius.] Hebraicè, In auribus populi terræ. Septuaginta sic: ἐις τὰ ὦτα σὺναντίον πάντων τῶν πολιτῶν τῆς γῆς, id est, in aures coram omni populo terræ. Coram, & omni, addiderunt de suo.

Quęso, ut audias me.] Hebraicè sic legitur, אך אם אתה לי שמעני, id est, Veruntamen si tu utinam audias me. Sic uertit & Pagninus. Septuaginta sic: Επαθλὴν πρὸς ἐμὲ εἰ ἄκουσόν μου, id est, Quoniam apud me es, audi me. Legerũt לי pro לרי ad hunc modum לך אתה לי. Verũm si tu mihi, id est, pro me. Chald. ברם אם את עביד לי טיבו, id est, Vtiqţ si tu facis mihi bonitatem. Munsterus sic: Verum si tu (uis) audi quæso me. Tigurina: Tantum si tu mihi auscultares. Germanica uersio, *wiltu mir ynlassen, so bitt ich*, &c. Simplex uidetur esse lectio: Quin potius utinam si tu audias me. Dixerat Ephron, Nõ domine mi, audi me, Agrum do tibi. Regerit Abraham: Quin potius si tu (utinam) audias me.

Dabo pecuniam pro agro, &c.] Hebr. Dabo pecuniam agri, accipe à me. Aliud est, pecuniã quantamcunqţ dare pro agro: & aliud, dare pecuniam agri. Pecunia agri, est iustum precium agri. Sept. uerterunt, argentum agri accipe à me.

Domine mi, audi me.] Septuag. sic, οὐχὶ πύριε ἀκήκοά γάρ, id est, Non Domine mi. Audiui enim. Quod in Hebræo est שמעני, id est, audi me, legerunt שמעתי, id est audiui. Et uoculam οὐχὶ, id est non, ob id posuerunt, quod ultimam uoculam præcedentis uersus, quę est לי, id est ei, לאמר לי, inquit, id est, dicens ei, legerunt לא, id est non, & addiderunt initio sequentis uersus, quod est אדני, id est, Domine mi, atqţ ita legerunt לא אדני, id est, non domine mi.

Terra quam postulas, &c.] Hebraicè sic, Terra quadringentorum siclorum argenti inter me & te (est) quid hoc? Ergo uerbum postulandi & dictio precij, in Hebræo non habentur. Septuaginta: Quod quadringentorum siclorum argenti inter me & te, &c. Deest uocula γῆ, id est, terra, legendumqţ, ὅτι γῆ τετρακοσίων διδραχμάων ἀργυρίου, id est quod terra quadringentarum didrachmarum argenti, &c.

Quod cum audisset Abraham.] Hebr. Et audiuit Abraham Ephronem.

Appendit pecuniam quam Ephron postulauerat.] Verbum postulandi in Hebræo non est. Sic ibi legitur,

Et appendit Abraham Ephroni pecuniam, quam dixerat. Non postulauerat Ephron pecuniam quadringentorum siclorum, sed agrum tanti ualere: idq; precium tanti non esse dixerat, ut habenda sit illius ratio inter se & Abrahamum. In lectione Septuaginta in codice qui mihi ad manum est desideratur aliquid. Vbi legitur, καὶ ἤκουσεν Ἀβραάμ, id est, Et audiuit Abraham, decst, Ephronem, & dedit, τῷ ἐφρων τὸ ἀργύριον ὁ ἐλάλησεν

Probatæ monetæ publicæ.] Hebr. עבר לסחר, id est, trãseuntis ad negociatorem. Sept. δοκίμου ἐμπόροις, id est, probati negociatoribus. Et Chald. acceptabilis negociationi in omni prouincia.

Confirmatusq; est ager quondam Ephronis.] Vocula, Quondam, in Hebræo non est.

In quo erat spelunca duplex.] In Hebræo est אשר במכפלה, id est, qui in duplicitate. Sic legit & Chaldæus paraphrastes. Apparet latinũ interpretem legisse אשר בו מכפלה, id est, in quo duplex, & dictionem speluncę addidisse. Sept. uertũt, ὃς ἦν ἐν τῷ διπλῷ σπηλαίῳ, id est, qui erat in duplici spelũca. Sic reddidit & Pagninus. Atqui non erat ager in spelunca, sed spelunca in agro. Quare non immeritò cum latina uersione faciunt Tigurina & Germanica.

Tam ipse quàm spelunca.] Hebr. ager, & spelunca quæ in illo est.

Abrahæ in possessionem.] Principium præcedentis uersus coniungendum est cum initio præsentis, ac legendum, confirmatus est Abrahæ in possessionem ager Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mamre, ager & spelunca quæ in illo est, & omnes arbores agri, quæ sunt in cunctis terminis eius per circuitum, uidentibus filijs Heth, &c. Incommodè factum est ab Hebræis, quòd prolixam hanc periodum diuiserunt in duos uersus.

EXPLANATIO.

Summa contextus huius est, emisse Abraham agrum Ephronis, in quo erat spelunca duplex, in possessionem sepulchri, ac sepeliuisse ibi Saram uxorem suam. Reliqua ad circunstantias pertinent.

Verbũ ישב uariè sumitur.

Et sedebat Ephron in medio filiorum Heth.] Quoniam uerbum sedendi uariè sumitur, fit ut & ista parricula uariè intelligatur. Sedere nonnunquam idem est quod regnare, aliquando sumitur pro habitare, simpliciter accipitur secundum uerbi significationem pro actu sedendi ac quiescendi. Igitur, quod hic Moses de Ephrone prædicat, quòd sederit in medio filiorum Heth, intelligi potest uel de regno, quòd princeps fuerit filiorũ Heth, cui sententiæ astipulari uidetur, quòd ciuitas illi infrà adscribitur. Vel de habitatione, sicut intelligit Lyranus, & reddidit latinus interpres: uel de eo quòd tum præsens in medio filiorum Heth, id est, primorum sederit in porta ciuitatis, qui sensus mihi magis arridet, & narrationi nõ est inconueniens. Petierat Abraham, ut Hebronitæ pro se intercederent apud Ephronẽ. Iam cum moraturus esset Moses, quid Ephron ad petitionẽ Abrahæ responderit, dicit eum coràm sedisse in medio filiorum Heth, & responsa illius subijcit.

Et respondit Ephron Hethæus Abrahæ in auribus, &c.] Apparet eum nõ expectasse, donec seniores pro Abrahamo intercederent, sed intellecta petitione illius ultrò ista respondisse. Coram omnibus, inquit, qui ingrediebãtur portam ciuitatis ipsius. Loquitur autem de senatoribus, qui ex officio portam ciuitatis tanquam locum iudicij ingrediebantur: uel de ciuibus loci qui per portam ingrediebantur & egrediebantur: uel in genere de quibuscunq; tum temporis præsentibus, tam ciuibus quàm agricolis. Non Domine mi, inquit. Hoc est: Non solum speluncam quam petis, sed & ipsum agrum unà cum spelunca dono tibi coram filijs populi mei trado. Quare sepeli ibi mortuum tuum.

Illud, Præsentibus filijs populi mei, idem est, atq; Testibus filijs populi mei. Vnde additur infrà, Videntibus, item audientibus filijs Heth.

Et incuruauit se Abraham coram populo terræ, & locutus est ad Ephron in auribus populi terræ, &c.] Coram populo terræ, idem est, atq; coràm consessu ac congregatione eorum qui aderãt. Obtulerat Ephron agrum & speluncam Abrahæ gratis ac dono. Oblationem hanc non accipit Abraham, sed petit, ut det sibi agrum pro pecunia.

Respondit; Ephron: Domine mi, audi me. Terra quadringentorum siclorum argenti inter me & te est, quid hoc est?] Vterq; dives erat, Abraham & Ephron. Quare iudicabat Ephron summam quadringentorũ siclorum esse modicam: nec tanti faciendam, ut illius gratia cõtractus ineatur inter ipsum & Abrahamum tam illustrem ac maiore honore dignum. Ideo dicit: Quid id est, quantulum hoc est? Q.d. Nihil. Et perstans adhuc in pristina sententia addit, Sepeli mortuum tuum, hoc est, accipe agrum, & utere illo tanquam tuo, atq; ita sepeli mortuum tuum.

Et audiuit Abraham Ephronem. Et Appendit Abraham Ephroni pecuniam quam dixerat, &c.] Quoniam significauerat Ephron ualere agrum quadringentos siclos, eam occasionem nactus Abraham, numerat illi quadringentos siclos argenti coràm omnibus qui aderant, atq; ita emit agrũ unà cum spelunca.

Confirmatusq; est ager Ephronis, &c.] Arbitror confirmationem hanc factam esse solenni ac consueto ritu pro more illius populi. Adijcitur specificatio agri cum annexis ad ipsum pertinentibus. Ager, inquit, & spelunca in illo, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitũ, cesserunt Abrahæ in possessionem. Illud, Respiciens Mamre, descriptionem loci habet, quod situm attinet.

Atq; ita sepeliuit Abraham Saram uxorem suam.] In Hebræo est ואחרי כן, id est, Et postquã sic. Hoc est: Tum demum sepeliuit Abraham uxorem suam, cum emisset agrum, ut posset eam sepelire in proprio, non in alieno.

Et confirmatus est ager.] Vel est summaria priorum repetitio, uel intelligit de confirmatione, quę non contractu

contractu tantum, sed & ipso usu constet, ut dicat agrum unà cum antro tum esse ad plenum in possessionem Abrahæ cõfirmatum; cum in illo iam Saram sepeliuisset, atq; ita iure suo uti cœpisset. Vel, quod dicit, Et confirmatus est ager, idem est quod, Cum confirmatus esset ager. Vt sit sensus: Tunc sepeliuit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, cum confirmatus esset ager & antrum Abrahæ in possessionem monumenti à filijs Heth. Media sententia impeditur per id, quod additum est, à filijs Heth. Quare posterior magis arridet.

QVAESTIO II.

Appendit Abraham pecuniam Ephroni quam dixerat. Item: Et confirmatus est ager Abrahæ, &c.] Nascuntur hic duæ quæstiones. Vna, licuerit ne Ephroni uendere, & Abrahæ emere sepulturam. Altera, quomodo Stephanus Act. 7. uerum dicat, non possediſſe Abraham in terra Canaan aliquid proprij, ne latum quidem pedem, cum in illa emerit agrum. *Licuerit ne sepulturam emere.*

Quod primam quæstionem concernit, de Ephrone scribit Hieron. ad hunc modum. In Ebræo, sicut hic posuimus, primũ nomen eius scribitur Ephilon, secundũ Ephran. Postquàm enim precio uictus est, ut sepulchrũ uenderet argento, licet cogente Abrahã, uau litera quę apud illos pro o legit, ablata de eius nomine est, & pro Ephron appellatus est Ephran, significante scriptura nõ fuisse eum cõsummatæ perfectæq; uirtutis, qui potuerit memorias uendere mortuorũ. Sciant igitur qui sepulchra uenditãt, & non cogũtur ut accipiant precium, sed à nolentibus quoq; extorquẽt, immutari nomẽ suum & perire quid de merito eorum, eum etiam ille reprehendatur occultè qui inuitus accepit. Hæc Hieron. & citantur 13. quæst. 2. cap. Postq̃ precio uictus est. Meo iudicio sunt hæc planè friuola. Primum quod attinet nomen Ephronis, etiãsi semel ponat sine uau, inde tñ nõ consequit, sublatũ esse holem, q̃d suprà literã res positũ est, יעפרון, ut non legatur Ephran, sed Ephron. Deinde statim rursus ponitur cum uau holem. Sciunt aũt Ebraic. docti, consuetissimũ esse ut omisso uau, ponat punctus holem, sic ut nihil ex eo detrimenti accedat uel lectioni, uel sensui. Nihil itaq; est, quod hinc Hieronymus ex cõmentarijs Ebræorũ adduxit. Demũq; nõ est Ephron uictus precio ut uenderet agrũ, q̃d palàm contẽpsisse legit, sed precibus & instãtia Abrahæ, cui nõ potuit aliter gratificari, q̃ uẽdendo illi agrũ, quẽ gratis accipere nolebat. Adhęc neq; uendidit sepulturã, sed agrũ uniuersum, in q̃ spelũca erat sepulturæ accõmoda, nõ sepultura. Neq; enim mõstrari potest, q̃ sepulturã in agro illo habuerit. Sepulturã uendere est uel ius sepeliẽdi, uel ipsum sepulchrũ uẽdere. Ius sepeliendi gratis accepit Abrahã ab Hebronitis. Agrum emit, ut in illo sibi ac suis sepulturã pararet. Si re in ea peccarũt Hebron & Abrahã, q̃d dicemus de Dauide & Hornã Iebusæo, cui Dauid pro area, ut in ea altare Dño ædificaret, sexcentos siclos. 1. Par. 21. dediſſe legit, Ergo ne Hornã uendidit, & Dauid emit altare, quod minus licet q̃ uendere & emere sepulturam? Hornam uolebat Dauidi aream permittere gratis, & dare quæcunq; opus erant ad sacrificiũ: uerùm Dauid emere, nõ gratis accipere uolebat. Et Hebron gratis offerebat agrum cum spelunca, Abraham uerò nolebat accipere gratis, sed emere pro iusto precio. Si illic nihil est peccatum, quomodo hic est? Quis illud sacerdotum Hierosolymitarum reprehendit, quòd agrum figuli emerunt in sepulturũ peregrinorum? Nisi q̃ emerunt ex precio sanguinis innocentis, præterea nihil in eo facto reprehendit. Quare non uideo quid hic peccarint uel Hebron uel Abraham. Illud demum meritò reprehenditur, quod in Papatu uenditur & ius sepeliendi & sepulturæ locus, quæ utraq; pertinent non ad ministrorum proprietatem, sed ad Ecclesiæ usum & possessionem, quod genus uendendi in canonibus simoniæ damnatur. *Quomodo Abraham nihil posse dicatur dissedicatur in terra Canaan, cũ possederit agrũ.*

Ad secundam quæstionem facilis est responsio. Stephanus cum dicit, Et non dedit illi hæreditatem in ea, ne passum quidem pedis: non loquitur nisi de possessione terræ Canaan, quam semini eius promiserat Deus. Vnde & subdit, Sed repromisit eam dare semini eius post ipsum. Agrum hunc Abraham emit pecunia, & tanquam emptum possedit, non tanq̃ ex promissione Dei acceptum. Promissa terræ Canaan possessio non est uiuente Abraham ne ad passum quidem pedis impleta, sed integra semini illius reseruata. De eo loquitur Stephanus, ad promissam terræ Canaan, non ad emptam agri sepulchra is possessionem respiciens. Quare nihil hic contradictionis est, Etiam agro hoc empto mansit Abraham peregrinus & aduena in terra promissa, quemadmodum & Isaac & Iacob, nec aliquam certam in illa mansionem hæreditariò possedit. *Ad 2. quæst. responsio.*

OBSERVANDA.

Et sedebat Ephron in medio filiorum Heth.] Habes hic boni principis exemplum. Princeps filiorum Heth erat Ephron. Sedit in medio filiorum Heth. Quod in medio suorum præsens erat, pertinebat ad officium boni principis. Quod sedebat inter eos, erat pro maiestate principis. Ea demum legitima & ordinaria maiestas est principis, quæ geritur in legitimo officio. Hodie supra modum extollitur maiestatis elogium: uerùm si quæras de officio, illud commendatur rapacibus harpis, hominibus sibijpsis, non publico commodo astutis. Interea principem inuenias non in medio subditorum, sed uel in deliciis, uel in medio bestiarum syluestrium. *Principibus iustis sua sint encomia salua.* *Exemplum boni Principis.*

Deinde quod nomina ipsa Ephron & Heth cõcernit, si inter preteris, Ephron sonat puluerulentũ, Heth terrorẽ & contritionẽ. Princeps quidẽ est Ephron, at puluis simul est perinde atq; subditi. Dominatur filijs Heth, populo timoris & contritionis, hoc est, populo timido & confracto. Agnosce potentiam Dei. Populus multorum millium cum timore ac confractione animi subest unius hominis pulueris de terra, nutui & imperio, & timet quem facilè posset tollere è medio. Sic dominatur Ephron filijs Heth. Manifestum ea in re diuinæ prouidentiæ relucet argumentum, unde cognoscas Deum *Et Principes pulueris sunt.*

esse qui mundum regat & tantum authoritatis magistratibus conciliet.

Quàm sit diuturna publicæ cõscientiæ memoria

Respondit Ephron Hethæus Abrahæ in auribus filiorum Heth coram omnibus qui ingred. portam ciuit. ipsius.] Quoniam literariæ cautionis ac confirmationis nullus dum erat usus in contractibus & traditionibus, usurpabatur publicæ conscientię testimonium loco cautionis & confirmationis: idcoq; quicquid erat contractuum coram primoribus & populo transigebatur, sicuti præsenti exemplo uidere licet. Qua in re cogitandum est, q̃ sit diuturna publicæ conscientiæ memoria. Nullæ literæ fidelius seruant quod accipiũt, q̃ conscientia publica retinet in memoria quæ palàm coram multitudine aguntur. Transmittunt illa ad posteros per succedentes generationes, dum minores quid gestum sit audiunt & discunt à maioribus: & quod audierunt, postea filijs suis exponunt. Quare si uoles perpetuitatẽ uitare mali nominis, caue conscientiam publicam.

Quid in testibus fide dignis requiratur.

Simul obserua quid tribuatur illis, quorum testimonio præsens contractus est confirmatus. Primùm coram illis gerunt omnia, deinde uident omnia quæ fiũt, tertiò audiũt omnia quæ dicunt. Sic dicit Moses, Coram omnibus qui ingrediebantur portam ciuitatis: item Ephron, Præsentibus inquit filijs populi mei. Et Abraham loquitur in auribus populi terræ. Et ager confirmatur Abrahæ in possessionem uidentibus filijs Heth, & cunctis qui intrabant portam ciuitatis. Ergo requiritur à testibus, ut coràm uiderint & audierint omnia de quibus sunt testificaturi.

Dotes boni Principis.

Non, Domine mi. Audi me. Agrum trado tibi.] Vide dotes boni principis, modestiam uidelicet ac reuerentiam erga uirum Dei, deinde & liberalitatem. Modestiam ac reuerentiam in eo, quòd hominem peregrinum honoris gratia uocat Dominum suum. Vsq; adeò uidelicet non erat fastigio principatus inflatus & elatus, ut non modò causam peregrini hominis patienter audiret, sed & personam illius honoris cumulo ornaret, ac Dominum suum uocaret. Liberalitatem in eo quòd primùm nõ expectat donec à primoribus secundum petitionem Abrahæ rogaretur, sed mox cognita illius petitione, ultrò ad illam respondet, deinde speluncam tantum petẽti, totum agrum dono ac gratis offert. Vides exemplum ueræ liberalitatis. Ea est, non expectare dum rogeris, sed ultrò paratum esse ad dandum: deinde non modò quãtum petitur, sed plus etiam dare quàm petitur.

Exemplum ueræ liberalitatis.

Verbũ audiẽdi.

Deinde & illud obiter obserua. Verbum audiendi in ista narratione in causa Abrahæ quinquies ponitur. Audi nos, inquiunt Hethæi. Item Ephron & Abraham uicissim ingeminant illud, Audi me, postea hoc uerbo, ut non solum uerba ipsorum audiantur auribus, sed & assensus illis adhibeatur & obtemperetur. Cogitemus ergo eos demum ueros esse auditores uerbi Dei, qui non solum auribus audiunt, sed & corde quæ audiunt amplectuntur, ac uoluntati Dei, quæ in uerbo proponitur, obtemperant?

Quæ reuerentia sit exhibenda Ecclesiæ fidelium.

Et incuruauit se Abraham coram populo terræ.] In eo quòd incuruauit se Abraham coram populo terræ, hoc est, coram congregatione populi præsentis, admonemur qua nobis sit reuerentia ingrediendum ad Ecclesiam & cœtum fidelium, in quorum medio sedet non Ephron, sed Christus filius Dei & Dominus dominãtium. Abraham incuruat se coram populo ethnico, quid faceret coram Ecclesia Dei? In Romanis Ecclesijs qui templa ingrediuntur incuruantur coram simulacris mortuorum sanctorum, cæterùm ipsius populi insignis est contemptus. Tu discas populum Dei, populum fidelium suspicere ac uenerari. Simul obserua quomodo dictio populi accipiatur. Populus instar corporis est. Quemadmodum corpus omnia membra unà cum capite comprehendit, sic & populus continet in se non solum plebem subditam, sed & principem & reliquos primores. Ergo Abaaham non modò plebem, sed & principem & maiores unà cum plebe præsente ueneratus est, cum se coram populo terræ incuruaret. Atq; ita qui populum ueneratur, non excludit principes ac maiores populi: & qui uerè popularis est, nihil minus quàm seditiosus est.

Quomodo dictio populi accipiatur.

Boni uiri est dare pecuniã mercis.

Dabo pecuniam agri, accipe à me, & sepeliam mortuum meum.] De eo quod agrum dono oblatum gratis accipere noluit, sed pro pecunia, suprà admonui, ubi dicit: Pecunia plena tradat eam mihi. In præsenti obseruandum est quod dicit: Dabo pecuniam agri. Suprà in lectione dixi, aliud esse, pecuniam dare pro agro: & aliud, pecuniam agri dare. Pecunia uniuscuiusq; rei est condignum rei precium. Inuenias qui pro merce centum florenorum darent pecuniam ne dimidij quidem precij. Et dum sic mercantur, putant se mercari satis iustè, propterea quòd pecuniam dant pro merce. Boni uiri est, iusti & æqui amantis, non solum pro merce dare pecuniam, sed dare pecuniam mercis.

Quãti fiat Abraham ab homine ethnico.

Terra quadringentorum siclorum argenti est inter me & te quid hoc?] Vide quanti homo ethnicus faciat uirum iustum ac pium. Pluris uidelicet, quàm terram & pecuniam 400. siclorum. Vt gratificetur Abrahæ, nullius æstimat agrum suum, & pecuniam illius. Alius dixisset: Est quidem hic uir iustus ac pius, uerum quid hoc? Potior est mihi ager meus, uel pecunia agri. Non amittam propter illius probitatem pecuniam agri mei. Vtinam tanti hodie Christianus Christianum faciat, quanti Ephron luc hominem peregrinum iustitiæ ac pietatis nomine fecit.

Spectabilis fides Abrahæ.

Et audiuit Abraham Ephronem, & appendit Abraham Ephroni 400. siclos.] Spectabilis est hic Abrahæ fides. Poterat Sarã suã utcunq; aliquo loco sepelire, ut necesse non esset quadringentos siclos dare pro agro sepulturæ gratia. Alius cogitasset: Peregrinus sum in hac terra, nec quicquam in illa proprij possideo. Quorsum attinet emere sepulturam propriam, cum non sit mihi usquam in hac terra certa & hæreditaria sedes. Planè stultum uidetur in terra aliena emere propriam sepulturam, cum sis in illa peregrinus & aduena, & uagabundus incertis sedibus oberres. Nihil horum cogitauit Abraham, sed quoniam diuinis promissionibus credens sperabat fore ut semini suo terra illa hæreditario possidenda traderetur, uoluit

d uoluit unà cum ſuis in ea proprio ſepulchro mortuus quoq; conquieſcere, ideoq; pro agro iſto 400. ſiclos argenti dedit. Talis erat emptio, qua Hieremias agrum in Anathot emit, cum eſſet ipſe in cuſtodiam conjectus, & Hieruſalem cum omni terra Iehudah in manus Babyloniorum à Domino tradita ob ſideretur. Vide cap. 32. Hier. 32.

Et illud diligens lector obſeruet. Quadringentos ſiclos argenti dedit Abraham peregrinus pro ſepultura ſua ac poſterorum ſuorum in terra peregrinantium. Numerus ſiclorum par eſt numero annorum peregrinationis ipſius ac ſeminis eius. Nam ſuprà cap. 15. ſic eſt ei à Domino prædictum: Scito prænoſcens quòd futurum ſit ſemen tuum peregrinum in terra non ſua annis quadringentis. Igitur omnium conuenientiſsimè factum eſt, quòd quadringentos ſiclos pro ſepultura ſua ac ſeminis ſui dedit, in qua ipſe cum poſteris donec peregrinatio iſta duraret ſepeliretur. Innuebatur futurũ ut poſt quadringentos peregrinationis annos ſepeliretur ſemen ipſius non in agro pecunia coempto, ſed in uniuerſa terra Canaan in poſſeſsionem à Domino data.

Deinde obſerua quod dicit, *Argenti tranſeuntis ad mercatorem.* Pecuniæ datur uerbum tranſeundi. Hic illius uſus eſt, non ut includatur ac ſepeliatur. Eſt tranſitorium bonum. Niſi tranſeat, prorſus eſt inutilis. Tranſitus autem pecuniæ eſt ad מחרת, id eſt, ad mercaturam & negociationem, rebus humanis neceſſaria m. Satis bona eſt pecunia, quando ualet ad mercaturam, & tranſit, qualiſcunq; ſit illius materia. Priſcis erat pecunia de corio, pòſt ænea, deinde argentea, tandem & aurea facta eſt. Quibus gradibus creuit pecuniæ materia, ijſdem decreuit antiqua mundi ſimplicitas, probitas & integritas, quæ initio erat aurea, pòſt argentea, tertiò ænea, tandem pecuina ac deterrima. *Pecunia tranſit.*

Et confirmatus eſt ager Ephronis Abrahæ in poſſeſsionem, &c.] Obſeruãda eſt hic Ebræa loquutio. Quod uertunt, Et confirmatus eſt ager Ephronis, in Ebræo legitur, ויקם שדה עפרון, id eſt, Et ſurrexit ager Ephronis. Surgit ager, quando ad alterius poſſeſsionem tranſit. Talia ſunt terrena hæc bona, ut poſsint ſurgere, & heros ſuos mutare, ut quod hodie meum eſt, cras ſit tuum. Cœleſtia bona non ſurgunt, ſed immota permanent. *Terrena bona ſurgunt.*

Deinde obſerua quod de ſitu agri loquens dicit eum reſpicere Mamre. Fuit ergo Abraham illi olim multis annis uicinus, cũ habitaret in Mãre priusq; peregrinaretur in Geraris. Apparet igitur dudum antea cogitaſſe illum de commoditate loci huius ad ſepulturam, ideoq; conſtituiſſe quod per occaſionem ſibi ac ſuis illum emere uellet. Sic ſancti uiuunt in hoc ſeculo, ut mortis ac ſepulturæ ſuæ nõ obliuiſcant.

8 Et omnes arbores, inquit, in cunctis terminis eius per circuitum. Ergo ager iſte habebat arbores & ſpeluncam ſepulchralem. Ager arboribus conſitus uſui uiuentium ſeruiebat, ſpelunca mortuis. Sic erat uſus arborum & agri in conſpectu ſpeluncæ, ut iugem mortis ingereret memoriam. Hoc conſilio ueteres monumenta ſua conſtituerunt in hortis & agris ſuis.

Atq; ita ſepeliuit Abraham Saram uxorem ſuam &c.] Ebraic. Et poſtquàm ſic ſepeliuit Abraham &c. Tũ demum ſepeliuit Saram ſuam, cum cõfirmatus eſſet ipſi ager. Vide diligentiam in cauſa pietatis. Noluit uti alieno, immo ne dono quidem dato ſepulchro, ſed proprio, ne aliquando uel quod gratis datũ eſſet à poſteris Ephron rurſus abriperetur: uel, ſi in alieno ſeperilentur corpora ſuorum, ethnicis in ſepultura iungerentur. Voluit mortuos ſuos ſeparatim condi, ne ex coniunctione ſepulchrali confuſio religionis naſceretur. *Diligentia Abrahæ in cauſa pietatis.*

CAPVT XXIIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Summa eorum eſt quæ in hoc 24. capite tractantur, quod, unde, quomodo, & quæ ſit Iſaaco uxor acquiſita.

Erat autem Abrahã ſenex, dierumq; multorum, & Dñs in cunctis benedixerat ei. Dixitq; ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manũ tuam ſubter femur meum, ut adiurem te per Dominum Deum cœli ac terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Cananæorum, inter quos habito, ſed ad terram & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias uxorẽ filio meo Iſaac. Reſpondit ſeruus: Si noluerit mulier uenire mecum in terrã hanc, nunquid reducere debeo filium tuum ad locum de quo tu es egreſſus? Dixitq; Abraham: Caue, ne quãdo reducas filium meum illuc. Dñs Deus cœli & terræ qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui loquutus eſt mihi, & iurauit dicens, Semini tuo dabo terram hanc, ipſe mittet angelum ſuum coram te, & accipies inde uxorem filio meo. Sin autem mulier noluerit ſequi te, non teneberis iuramento, filium meũ tantum non reducas illuc. Poſuit ergo ſeruus manum ſub femore Abraham domini ſui, & iurauit illi ſuper ſermone hoc.

Lectio.

LECTIO.

Dierũq; multorum.] In Ebræo est בא בימים,id est,uenerat in dies. Germanicè dicimus,er was zů seinen tagen kommen. Id Septuag. uerterunt,προβεβηκὼς ἡμερῶν.

Vt adiurem te.] Ebr. Et adiurabo te. Sept. Et adiuro te.

Deum cœli & terræ.] Ebr. Deum cœli & Deum terræ. Sic & Sept.

Dominus Deus cœli & terræ.] In Ebræo, Et terræ, non est.

Et iurauit.] Ebr. Et qui iurauit mihi.

Semini tuo dabo terram hanc.] Sept. habent: Tibi dabo terram hanc, & semini tuo.

Ipse mittet angelum suum coram te.] Ebr. לפניך quod melius hic uerti poterat, ante te, quàm coram te.

Nõ teneberis iuramento.] Ebr. est, & innocẽs eris à iuramẽto meo hoc. Sept. à iuramẽto isto purus eris.

EXPLANATIO.

Præluserat Moses suprà cap. 22. historiæ de nuptijs Isaac, ubi dixit, nunciatum fuisse Abrahæ de filijs quos Milchah genuisset fratri ipsius Nahor, & inter cætera etiam illud commemorauit, quòd Bathuel filius Nahor genuisset filiam Ribkah. Iam post historiam mortis ac sepulturæ Saræ redit ad id quod ut morte Saræ fuerat interruptũ, ita & ipse tantisper distulerat, dum historiam de morte ac sepultura Sa ræ exponeret, ad nuptias uidelicet Isaaci, quarum historiam tanquam sacrosanctam honestam, magni momenti, ac plenam fidei prolixa ac diligenti narratione prosequitur. Quod autem præsentem contextum concernit, sunt illius duæ partes. Vna mandatum Abrahæ seniori ipsius seruo impositum, altera mandati declarationem continet.

Et Abraham senex uenerat, inquit, in dies, & Dominus in cunctis benedixerat ei.] Hoc est, & senex erat Abraham & diues. Opulentiam enim illius per id exprimit, quod Dominum illi in cunctis benedixisse dicit. Præmittit ista tanquam causam, unde motus fuerit Abraham prouidere filio suo de nuptijs. Erat senex annorum uidelicet centum quadraginta, erat diues, & uiduus. Quare res ipsa admonebat, ut domũ suam disponeret, & cum primis filio suo coniugem quæreret.

Et dixit Abraham ad seruum suum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam, &c.] Pertinent hæc ad mandatum Abrahæ. Exponitur, cui, quid, & quomodo mandarit. Mandauit seruo suo. Et quoniam multos habebat seruos, ponitur serui specificatio, cui mandarit. Erat senior domo Abrahæ, & toti œconomiæ præpositus. Apparet fuisse Eliezerum, de quo suprà cap. 15. Mandauit ei, ne sumeret filio suo Isaac uxorẽ de filiabus Canaã, sed proficisceretur in Mesopotamiam ad cognationem suam, & inde acciperet illi coniugem. Quod enim dicit, Sed uade ad terram meam, intelligit de Haran, ubi cũ patre & Nahor fratre annos aliquot habitauerat, quæ ciuitas in Mesoporamia erat. Per cognationem suam intelligit domum fratris Nahor, ac posterorum eius. Mandauit hoc non simpliciter & utcunq; , sed adhibito iuramento. Pone, inquit, manum tuam subter femur meum, & adiurabo te per Dominum Deum cœli ac Deum terræ. Magno serio mandaturus seruo suo, exigit ab illo iusiurandum, quo obstrictus mandata seruet. Exprimit etiam & ritum, quo, & Deum, per quem iurare debeat, quo animum illius maiore religione perstringat.

Respondit seruus: Si noluerit mulier uenire mecum in terram hanc, nunquid reducere debeo filium tuum ad locum de quo tu egressus es?] Pertinent ista ad declarationem mandati. Pro sua prudentia metuebat seruus id quod euenire poterat. Cogitabat, Quid si mulier nolit me sequi huc? Si iurauero, non accepturum me uxorem Isaaco de filiabus Canaan, & inde de cognatione ac terra eius nulla me sequutura sit mulier in hanc terram, quid aliud remanebit, quàm ut filium eius in Mesopotamiam abducam? uerùm an id probet, ignoro. Percontatur igitur hac de re dicens: Si noluerit mulier uenire mecum, &c.

Dixitq; Abraham: Caue, ne reducas filium meum illuc.] Quoniam id omnium minimè ferre poterat, confestim ne fiat prohibet, priusquàm ad id respondeat, quod dixerat seruus, Si noluerit mulier uenire mecum.

Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, &c.] Quo animum serui confirmet, fidem ac spem suã in hac causa magna fiducia exprimit, dicens: Dominus mittet angelum suum ante te, ut accipias inde uxorem filio meo. Hoc est, nõ ibis solus. Habebis comitem angelum Dei, immo præcursorem, qui omnia tibi in hoc itinere prospera reddat & secunda.

Vnde autem hanc spem & fiduciam conceperit, per id manifestat quod præmittit, dicens: Dominus Deus cœli, qui me tulit de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui loquutus est mihi & iurauit, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, &c. Quasi dicat: Non deseret me in hac causa filij mei, qui usq; adeò bonitatem & gratiam suam erga me declarauit, ut me de domo ac terra patria euocarit, & terræ huius possessionem semini meo iureiurando promisert. Quare spero fore, ut misso ante faciem suam angelo suo, iter tuum in omnibus dirigat & prosperum reddat.

Illud, De domo patris mei, intelligit R. Shlomoh de Haran. Quod uerò subditur, Et de terra natiuitatis meæ, intelligendum est de Vr Chaldæorum, unde primùm euocatus fuit Abraham, ficuti uidere est suprà cap. 11. & 12. licet Burgensis utrumq; de Haran Mesopotamiæ intelligat. Qui loquutus est mihi, inquit, & iurauit, dicens: Semini tuo dabo terram hanc. De eo loquitur, quod suprà cap. 15. in calce legitur ad hunc modũ: In ipso die pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens: Semini tuo dabo terram hanc. Iuramentum in fœdere est. Nam fœdus iuramento confirmatur. De eo loco R. Shlomoh loquitur cum exponit בין התרים, id est, inter partes, animalium scilicet quæ iussu Dei diuiserat.

Sin

Si autem mulier noluerit sequi te &c.] Quoniam id timebat seruus, etiam de eo adijcit. Quasi dicat: Quod si euenerit quod times, ut nolit te sequi mulier, non eris amplius obnoxius iuramento, sed prorsus ab illo liber & insons, modò filium meũ illuc nõ reducas. Nã si id feceris, uiolati iurisiurãdi reus eris.

Posuit ergo seruus manum, &c.] Sentiunt aliqui iurasse seruum ante acceptam mandati declarationem. Verùm ipsa facti huius narratio satis indicat, tum demum iurasse eum, cum explicationem eius de quo hæsitabat accepisset.

QVAESTIONES.

Pone manum tuam subter femur meum.] Quærunt hoc loco, cum solennis iurantium ritus sit, uel manum aut duos digitos cœlum uersus leuare, uel in sacrum codicem ponere, quid sibi uoluerit Abraham quòd seruũ iuraturũ manũ femori suo supponere iussit. Sunt hic uariæ sententiæ. Alij dicunt ritũ hunc fuisse populis illis consuetum, alij negant, & dicunt Abrahamum primùm illo esse usum. Prior sententia placuit Abenezræ, cuius hæc uerba sunt: Arbitror consuetudinem fuisse temporibus illis, ut homo poneret manum suam subter femur eius, sub cuius erat potestate. Et sensus erat: Si tu sub potestate mea es, pone manum tuam subter femur meum. Et dominus sedebat, ac femur eius erat supra manum, ac si diceret (iurans,) Ecce manus mea sub potestate tua est, ut faciam uoluntatem tuam. Et hæc consuetudo etiamnum durat in terra ארור, id est, Aethiopia uel India. Et Chrysost. dicit fuisse hũc ueterum morem. Posterior sententia aliorum est tam Ebræorum quàm nostrorum, qui tamen de ratione eius, quod ritu hoc est usus Abraham, diuersimodè sentiunt. Alij dicunt hoc esse factum propter circumcisionem, fœderis signum, eo quòd lumbi Abrahæ per illam essent sanctificati. Alij respectum fuisse sentiunt ad posteritatem seminis promissi, cuius origo erat ex lumbis Abrahæ. Nostri arbitrantur Abrahamum hoc ritu prospexisse ad Christum, qui ex lumbis ipsius suo erat tempore proditurus. Sic scribit Hieron. Nos dicimus iurasse eum in semine Abrahæ, hoc est, in Christo, qui ex illo nasciturus erat, iuxta Euang. Matthæũ, dicentẽ: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahæ. Et Augustinus hac de re sic scribit: Quod Abraham iubet puero suo, ut manum suam ponat sub eius femore, & sic eum adiurat per Dominum Deum cœli & Dominum terræ, solet imperitos mouere, non attendentes magnam de Christo extitisse prophetiam, quòd ipse Dominus cœli ac terræ in ea carne uenturus esset, quæ de illo femore propagata est. Hæc ille.

Quare iusserit Abraham manũ ponere sub femur suum.

Mea sententia est cum Abenezra. Apparet iurantium ritum fuisse duplicem, secundum uarietatem iurantium. Vnum subditorum, & inferiorum, alterum reliquorum Subditi uel serui uel filij, iurabant manu femori uel dominico uel paterno supposita, sicut hic apparet, ubi seruus domino suo, & infrà cap. 47. ubi Ioseph patri suo Iacob manum sub femore posuit. Hanc fuisse consuetudinem iurantium dicit etiam Iosephus, ὑπὸ τὸς μηρὸς, inquit, ἀλλήλοις τὰς χεῖρας ἐπαγαγόντες, ἐπικαλοῦνται τὸν θεὸν μάρτυρα τῶν ἐσομένων. Verùm intelligendum hoc est de iuramento seruorum & filiorum. Reliqui, siue æqualis siue superior esset, ritus iurandi erat, ut manus leuaretur cœlum uersus. Sic suprà cap. 14. iurauit Abraham dicens: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli ac terræ, &c. Quare non rectè colligitur: Cum Abimelech iuraret Abrahæ, & Abraham Abimelecho, non sunt hoc ritu usi. Ergo nouus fuit hic ritus iurandi quem à seruo exegit Abraham. Neuter neutri subiectus erat. Non conueniebat igitur illis ritus iurandi, quo utebantur uel serui uel filij.

Interea tamen non repugno illis, qui ad mysterium Christi è lumbis Abrahæ nati respiciunt. Licet mos ac ritus iste manum sub femore inter iurandum ponendi consuetus fuerit illis populis, haud tamen impedit in hac præsenti causa, quo minus Abraham ad mysterium nascituri ex lumbis ipsius Christi prospexerit. Illud tamen diligens lector obseruabit, quòd non dixit Abraham, Et adiurabo te per semen lumborum meorum: sed, Pone, inquit, manum tuam subter femur meum, & adiurabo te per Dominum Deum cœli & Deum terræ. Quare inconsultè dictum est à Hieronymo: Nos dicimus eum iurasse in semine Abrahæ, seruus iurauit in eo, in quo adiurabatur, Domino uidelicet Deo cœli ac terræ. Manum quidem femori Abrahæ supponebat, uerùm non per femur domini sui, sed per Dominum Deum cœli ac terræ iurabat. Quemadmodum nec Abraham per cœlum iurauit, cum manum cœlum uersus leuaret, sed per Dominum Deum possessorem cœli ac terræ: nec nos per cœlum iuramus, sed per Deum, licet digitos sursum ad cœlum leuemus. Scio rectè iurari in Christo filio Dei, propter diuinitatẽ qua patri est æqualis, uerùm mysteriũ iliud nondũ adeò erat manifestũ, ut posset Abraham sine offendiculo ad seruum suum dicere, Adiurabo te per femur meum, uel, In semine meo. Ista uolui ad præsentem adferre quæstionem: cordati iudicent.

Non accipias uxorem filio meo de filiabus Cananæorum, in quorum medio habito.] Non immeritò quæritur hoc loco quare noluerit Abraham filio suo uxorem sumere de filiabus Cananæorum. Si conuictus cum Cananæis licitus illi fuit, quare illicitæ fuissent nuptiæ? Responsio facilis est. Primùm, mores eius populi erant corrupti, sicuti necesse est esse eorum qui uera non sunt pietate imbuti. Deinde impia erat Cananæorũ religio. Nam Deut. 12. legimus, quòd abominationes fecerint dijs suis, quas Dominus detestatus est. Noluit igitur inire connubia cũ gente corrupta & impia, cũ qua ne sepulturã quidẽ uoluit habere communẽ. Tertiò, sciebat genti isti imminere iudicium Dei, quo extirpãdi erãt de terra illa, quæ promissa erat ipsius semini. Quare nõ cõueniebat, ut sanguini illius semen ipsius misceret. Quod uerò habitauit inter eos, non suopte fecit consilio, sed iussu Dei, qui uoluit ut in ea terra peregrinaretur.

Obseruationes

OBSERVATIONES.

Quòd senectus & opulentia cõiunguntur.

Et Abraham senex uenerat in dies, & Dominus in cunctis benedixerat ei.] Obseruandũ est hoc loco, quòd senectus & opulentia coiunguntur. Abrahã senex erat & diues in omnibus. Coniunctio ista senectutis & opulentiæ nõ caret singulari ratione ac dispositione diuina. Iuuentuti ac uirili ætati destinatus est uictus ex labore, dum corpus est agile ac robustũ. Ei ætati noxium est iners & ignauum ocium. Ocium autem, ubi opes sunt, sic sese insinuat, ut ægerrimè locum sedulitati operandi permittat. Quare consultum non est ut opes cedant iuuenili ac uirili ætati. Seniũ uerò, quoniã corpus reddit infirmum, pigrum ac torpidum, ad labores est ineptum, ad quietem uerò propensum. Ipsa itaque requirit hoc necessitas, ut adsit acquisita laboribus rerum necessariarum copia, quo effœtis & torpidis senibus ex eo quod partum est uiuere liceat, maximè, cum sperandum non sit, ut necessarius uictus ex subsidio filiorum supetat. Deinde non conuenit ut senes ex hac uita sic rerum necessariarum egeni discedant, ut liberis suis nullam relinquant hæreditatem qua sustententur, dum sibi ipsi prospicere possint. Et hæc rationes communi mortalium sensu probantur, unde uulgo dicitur, miseram esse in senibus pauperratem. Item, si non fuerit quis anno uicesimo grandis, tricesimo cautus, quadragesimo diues, de illoparum posthac superesse spei, ut amplius grandescat, cautus ac diues fiat. Sic est communis sensus: uerùm non ita communiter sentitur & animaduertitur, unde proueniant ista corporis, animi ac facultatum incrementa. Quare pars maxima malarum artium studio ad opes coaceruandas feruntur. Hic uerò in exemplo Abrahæ uidere licet, iustarum ac licitarum opum fontem quendam esse benedictionem Dei. Et Dominus, inquit, benedixerat ei in omnibus. Sic Prou. 10. Benedictio Domini diuites facit. At illa iustis destinata est, quemadmodum eodem capite legitur: Benedictio Domini super caput iusti, & hoc præsenti exemplo comprobatur.

Quod Abrahæ datum est, in peregrinatione fieri longæuum & diuitem.

Deinde & illud notandum est, quod per benedictionem Dei datum est Abrahæ utrumque hoc præclarum beneficium, quòd in media natione praua & impia homo peregrinus non modò uiuere sed & ad prouectam ætatem usque & copiosas omnis generis opes peruenire potuit. Abundè mirum est, si liceat homini iusto, inter impios peregrinanti aliquandiu tutò consistere. At Abrahæ datũ est, ut uiuens inter impios peregrinus & aduena, & pietatem cum innocentia uitæ seruarit, & ad senium usque perdurarit, denique & opes omnis generis bonorum consequutus sit. Agnoscenda est in his prouidentia ac benedictio diuina.

Exemplum boni dispensatoris.

B

Et *dixit Abraham ad seruum suum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat.*] Habemus hic pulcherrimum exemplum dispensatoris. Abraham senio confectus non poterat solus uniuersam domum gubernare, & cunctis disponendis ac procurandis sufficere. Quare constituit dispensatorem rerũ suarum in quem curam œconomiæ ueluti lassus deponeret. De hoc prædicantur quædam à Mose, ad bonum dispensatorem pertinentia.

Primum est, quòd fuerit seruus Abrahæ. Et dixit Abraham, inquit, ad seruum suum. Secundum, quòd fuerit senior domus Abrahæ. Tertium, quòd præfuerit omnibus Abrahæ. In eo quòd seruus Abrahæ fuit, spectanda est subiectio. Deinde in eo quòd senior fuit in domo Abrahæ, habes prudentiã, usum, experientiam ac moderationem rerum, quæ in senibus sunt quærenda. Tertiò, in eo quòd præfectus fuit omnibus bonis Abrahæ, consideranda est potestas & officium cuncta moderandi, gubernandi ac disponendi. Hæc tria sunt in dispensatore coniungenda, nec possunt sine detrimento domus à se inuicem diuelli. Etenim si dispensator nolit esse seruus ac subiectus arbitrio domini sui, quid agit aliud, quàm ut suopte arbitratu dominetur, & sibi ipsi, non domino suo seruiat? Ea hodie perfidia est Episcoporum in Ecclesia Christi. Gloriantur se esse בישלים, id est, prælatos ac dominos in Ecclesia: de eo uerò non cogitant, quod dispensatoris est, ut domino suo subsit cuius est seruus, & secundum illius uoluntatem ac uerbum cuncta fideliter dispenset. Apostoli, quos Ecclesiæ suæ tanquam dispensatores præfecerat Christus, non sic sunt usi potestate accepta, ut seruos Christi esse se obliuiscerentur, sed hoc ubique agnoscunt & fatentur. Sic Apostolus 1. Corinth. 4. dicit: Sic de nobis sentiat homo tanquam de ministris Christi: ac tum subijcit, Et dispensatoribus mysteriorum Dei. Deinde, si homo adolescens uel iuuenis constituatur dispensator, deerit illi rerum usus, experientia & prudentia: atq; ita, etiamsi agnoscat se esse seruum, non poterit tamen rebus domini sui utiliter præesse. Quod Ecclesiasticos dispensatores attinet, etiam hic plus satis experti sumus, quomodo gubernacula Ecclesiarum quæ olim concredebantur presbyteris, id est, senibus, hodie pueris omnium rerum gerendarum ignaris committantur, ut impudentiam, lasciuiam, temeritatem, & intemperantiam eorum taceam, qui inuenes & effrenes Ecclesiis præficiuntur. Hi quantum malorum inuexerint in Ecclesiam, nemo satis perpenderit. Tertiò, si seruus quidem sis, idq; senex ac prudens, non acceperis autem potestatem à domino tuo ut quæ illius sunt dispenses, non poteris illius esse dispensator. In Papatu plurimum gloriatur de hac potestate. Verùm doceant nos, unde illam acceperint, & quomodo ad se raptam exerceãt. In nostris Ecclesiis, quæ doctrinam Euangelij profitentur, inuenias quidem homines qui seruiant docendo, ac scientiam mysteriorum Dei rerumq; Ecclesiasticarum habeant: uerùm non ita passim inuenias, qui potestatem dispensationis exerceant, quã plerique manibus ac pedibus à se repellũt. Quare nec illæ ueros & legitimos habent dispensatores. Igitur, quemadmodum diximus, nisi hæc tria, subiectio, rerum gerendarum experientia, & potestas dispensandi coniungantur, non poterit quisquam uerus & utilis esse dispensator.

Deinde de eo quoq; cogitandum est, q̃ conuenienter dispensator hic domus Abrahæ uocatus fuerit Eliezer.

Eliezer, id est auxilium Dei. Reuera auxilium Dei, est fidelis dispensator. Datur hic Abrahæ, uiro cui benedixit Dominus. Vtinam det tales Ecclesiæ suæ Christus, simulq; hunc largiatur spiritum, ut ubi fideles dispensatores mittit, pro talibus agnoscantur, & cum ædificatione in precio habeantur.

Pone manum tuam subter femur meum, & adiurabo te per Dominum Deum cœli & Deum terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Cananæorum, in quorum medio habito, sed ad terram & generationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac.] Principiò obseruandum est, quòd seruum adiurat. Iurauit ipse suprà 14. cum non esset qui iuramentũ ab ipso peteret. Iurauit item, cum id peteretur ab Abimelecho suprà cap. 20. Hisce exemplis rectè colligitur non esse illicitum iurare, siue id sponte tua in re seria, siue adiuratus facias. Quoniam uerò aliud est iurare, & aliud adiurare, uideturq; non tam licitum esse adiurare quenquam, quàm iurare, propterea quòd qui adiurat, simplici promissioni fidem non habet, ideoq; iuramentum requirit, quod ex uitio diffidentiæ nasci apparet: obseruandum est hic, non solũ iurare sanctos, sed & adiurare, quod & Iacob capite sequenti, & infrà quadragesimoseptimo fecit, iuramentum poscens cùm à fratre Esau, tum à filio Ioseph, & tamen non reprehendi hoc in scripturis. Neq; enim mox culpabile est, si in re seria & graui non contentus simplici promissione, iuramentum à fratre poposcero: quod nullo modo facerem, nisi crederem eum teneri religione numinis, ac tantũ habere pietatis, ut non sit facile diuini nominis usurpationem susq; deq; facturus. Quare nihil hic est illiciti. Illud uerò probari non potest, quòd leuibus de causis & hominibus palàm uanis, nulloq; timore Dei prædi tis, iuramenta in iudicijs forensibus imponuntur, qua in re plurima admittitur passim diuini nominis prophanatio, peccantq; uehementer tam adiurantes, quàm adiurati.

An licitum sit adiurare aliquem.

Deinde considerandum & illud est quod dicit: Pone manum tuam sub femur meum. Non solum uerba iuramenti, sed & ritum externum poscit. De ritibus externis à multis parum sobriè in utramq; partẽ disputatur: quorum alij illos nimium extollũt, & in superstitiosam obseruantiam peruertunt: alij minoris faciunt quàm conuenit, immo nonnulli prorsus contemnunt. Est illis suus usus. Hactenus seruiunt rebus ad quas adhibentur, quòd unà cum uerbis de animo nostro testificantur, & in iuramentis ponduus quoddam obligationi adijciunt, dum non ore tantum, sed & manu iuramus, ut quasi sigillis quibusdam quæ promittimus ore, manuali contestatione confirmemus. Huiusmodi rituum & signorum in rebus humanis pariter & diuinis obseruantes sunt sancti, uerùm citra superstitionem & impietatem, quam utranq; studiosissimè uitant.

De ritibus externis.

Tertiò, nec illud prætereundum est, quòd ritum iurandi subiectis seruis ac filijs competentem à dispensatore domus suæ poposcit, quo non simpliciter iuraret, sed ipsi se domino suo subiectum esse, & obedientiæ fidem debere per suppositionem manus testaretur. Admonemur hac consideratione, ut non modò quid, & per quem, sed & cui iuremus, diligenter consideremus, quo in fide & obedientia debita iureiurando quoq; obstricti perstemus.

Quartò. Et de eo cogitandum est, quòd à iurantibus seruis ac filijs manus sub femore patrisfamilias ad hoc ponebantur, ut hoc ritu dominum domus agnoscerent. Ergo in femore honos est dominij domestici, ubi sedes est genituræ, propter quam uir caput est non mulieris modò, sed & totius domus. Hunc honorem contulit Deus sexui uirili, uoluitq; illum agnosci & in precio haberi, tanquam caput, originem, ac propagationem generis humani, modò in ordine legitimi coniugij à se instituto confiat. Scortatorum & adulterorum femora polluta sunt, & omnis generis ignominia digna. Quare non homines, sed bestiæ sunt, qui honorem hunc uirili femori diuinitus concessum uel in se ipsis illicita libidine prophanant, uel in alijs non agnoscunt. Carnales homines alieni à consilio & mente operum Dei pro ridiculo habent, quod pijs & cordatis hominibus sanctum est & magni momenti. Prima potestas & dominij prærogatiua inter homines masculini femoris est, secunda gladij. Hæc domestica, illa publica, utraq; sancta & honesta, ad generis nostri propagationem ista, ad custodiam & protectionẽ illa diuinitus constituta. Agnoscunt hoc homines pij ac sensati, carnales uerò ac uani hanc deridentiam odio prosequuntur.

De honore lumborum uirilium.

Quintò. Et adiurabo te, inquit, per Dominum Deum cœli & Deum terræ. De istis elogijs Dei, quibus illum uocat Dominum Deum cœli & terræ, dictum est alibi. Vide suprà cap. 14.

Sextò. Vt non accipias uxorem, inquit, filio meo. Vides hic, sollicitum esse Abrahamum de coniugio filij. Habes exemplum paternæ curæ, in qua non minima portio est sollicitudo illa, qua curanda sunt filiorum connubia, quæ ob hoc potioris sunt momenti, quòd ad generis faciunt propagationem, piè & honestè conseruandam. Magna nostro seculo obtinuit parentum hac in re negligentia, inter quos pleraq; ne semel quidem cogitant, quomodo liberis suis de iucundo connubio prouideant: sed quicquid luxus est, curæ, temeritati ac libidini filiorum suorum & filiarum permittunt.

Septimò. Et illud considerandum est, quòd non simpliciter hoc agit, ut uxor acquiratur filio, qualis qualis illa sit, sed diligenter curat qualem uxorem accipiat. Nulla mentio de dote, cuius nunc prima & potissima habetur ratio: sed unum hoc curatur ut detur conueniens & accommoda coniunx. Neq; prescribit aliquid de moribus, sed præcipit unde fit, & unde non sit petenda. Plerique hodie parum referre curant unde accipiant uxores, modò cætera conueniant. Verum est, admodum multum refert, quo sit ingenio, & quibus moribus prædita coniunx: Abrahamo tamen etiã hoc spectandũ uidetur, ut non unus deliberetur uxor, sed etiam atque etiam curandum ut peratur à generatione piorum. Quare præcipit dispensatori suo, ut uxorem filio suo accipiat non de filiabus Cananæorum, sed de domo & cognatione

Multũ refert ut de accipiatur uxor.

Cc tione

tione generis sui, in qua erat cognitio Dei, inde à patre accepta. Pius pater non erit contentus si commodam & honestam filio suo acquirat uxorem: sed admodum curabit, quales sortiatur affines, pios ne uel secus. Etenim quantum sit dedecoris, quantumq; detrimenti, ex impiorum ac reproborum affinitate, satius est ex aliorum cognoscere exemplis, quàm proprio malo experiri.

Nubere non est potestate filiorũ

Octauò, in eo quod seruum adiurat, ne uxorem filio suo Isaac de filiabus Cananæorum accipiat, animaduertendum est, quàm non fuerit in potestate filiorum, ut pro suopte arbitrio sumerent sibi uxores. Erat Isaac quadraginta annorum, cum ista de nuptijs ipsius mandarentur seruo ac dispensatori paternæ domus. Et tamen nihil cum illo hac de re agitur, sed cum seruo. Vt non accipias, inquit, filio meo uxorem de filiabus Canaan, sed proficiscaris ad terram & cognationem meam, & inde accipias filio meo uxorem. Quod si licuisset filijs suapte sponte ducere uxores, fuissent ista cum ipso Isaaco, non cum seruo agenda.

Viri boni est amico esse animo erga patriam & cognationẽ suã.

Nonò. Et illud considerandum est quod dicit: Sed ad terram & ad cognationẽ meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac. Erat è domo & cognatione paterna diuinitus in terrã Canaan euocati, atq; ita à generatione sua separatus & tñ usq; adeò nõ est animo ab illa auerso, ut haud aliter quàm ex ea ipsa filio suo petat uxorem. Prudenter intelligebat, non sic esse se à domo paterna separatum, ut hanc uelut impiam ac Domino exosam in uniuersum auersaretur, sed ut in terra Canaan, semini ipsius promissa ipse, filius, ac nepotes peregrinarentur, inq; populum peculiarem colligerentur, ac nomini Dei inito etiam fœdere, propter semen promissum, & ex lumbis ipsius proditurum, conseruarentur. Hanc ob causam autem non erat necesse, ut domum & cognationem paternam sperneret, ac præsertim contẽneret, immo planè pio & honesto consilio id illi honoris tribuere potuit, ut ex ea filio suo consortem asciscereț, per quam promissum semen propagaretur. Sic igitur amanter erat adhuc erga cognationem suam affectus, ut hac in re manifestum faceret, non esse se ab illa aliqua inimicitia, uel odio, uel discordia, aut contemptu, sed sola numinis uocatione separatũ. At hodie reperias, qui sic religionis gratia discedant è terra & cognatione sua, ut animum aduersus illam induant uel inimicum, uel contemptorem, id quod alienum esse à uera pietate, præsens Abrahæ docet exemplum.

Exemplum cautionis & prudentiæ.

Respondit seruus: Si nolit mulier uenire mecum in terram hanc, nunquid reducere debeo filium tuum, &c. Habes hic exemplum cauti ac prudentis dispensatoris. Adiuratus non iurat in circumspectè, sed præcogitat de eo quod euenire poterat, edoceriq; de illo petit, ne quid per imprudentiam dum cauet prohibitum, in eo quod faciendum præcipitur admittat, quod sit contra heri sui uoluntatem. Iuramentum duo continebat. Vnum, ne Isaaco uxorem sumeret de filiabus Cananæorum. Alterum, ut ad cognationem heri sui proficisceretur, & inde uxorem filio illius peteret. Prius nihil habebat ambigui, sed simpliciter prohibebatur. Hic nihil poterat occurrere, nisi forsan quòd Isaac ipse sibi unam poterat diligere ex filiabus Cananæorum. At ea in re nihil erat periculi, propter pietatem & obedientiam Isaaci, qua patris erat uoluntati subditus. Posterius uerò quod præcipiebatur ut faceret, erat uarijs euentibus obnoxium. Etenim fieri poterat, ut uel nullam filiam in cognatione heri sui inueniret: uel, si quam inueniret, illa alij cupiam esset desponsata, uel nubere nollet ei quem nunquam uidisset: aut si nubere uellet, patriam tamen terram ac domum egredi ac relinquere nollet. Hic prudens seruus cauet, ne dum uirat Cananæorum filias, admittat aliquid in eo quod faciendum erat, quod cum sententia heri sui non conueniat. Ad

Non solum cauendum est ne faciamus prohibita, sed & ne præcepta seruãdo peccemus.

monemur hoc exemplo, quàm non sit satis cauere quod expresse est prohibitum, sed prudentia opus sit & circumspectione, ne in eo quod faciendum est peccemus. Nam facillimè accidit, ut dum quod manifestè malum ac prohibitum est uitamus per imprudentiam & incircumspectionem in ipsa obedientia & custodia præceptorum delinquamus. Etenim quemadmodum seruus Abrahæ peccasset, si Isaacum ad cognationem patris ipsius Abrahæ reduxisset, ne necesse esset illi ex filiabus Cananæorum petere uxorem: ita fieri potest, ut & nos præpostera præceptorum obseruantia peccemus. Quare plurimum desipiunt qui sufficere putant, si quæ palàm mala sunt uitemus, & simplici animo in præceptis Dei custodiendis uersemur. Vocant autem simplicem animum, rudem & ineruditum. Intelligentia opus est, pro qua propheta orat, dicens: Da mihi intellectum, ut custodiam mandata tua. Quemadmodum itaq; seruus Abrahæ priusquàm iuret, edoceri plenius cupit, ne quid per imprudentiam peccet, ita faciendum & nobis est. Petenda est scientia uiarum Dei ab ipso Deo: deinde scrutandæ sacræ scripturæ cum timore Dei, & uigilandum ad postes sapientiæ Dei, ne uel ad dexteram, uel ad sinistram declinantes, peccemus.

Deinde obserua quod dicit: Nunquid reducere debeo filium tuum ad locum de quo tu es egressus? Non dicit, De quo tu es euocatus: sed, De quo tu es egressus. Sciebat herum suum egressum esse Mesopotamiam: euocatum inde fuisse à Deo, ut ad illam non reuerteretur amplius, sed in terra Canaan cum posteris suis consisteret, non ita sciebat. Ideo & diuinæ uoluntatis ignarus interrogat, num debeat Isaacum ad eum locum reducere, de quo fuerat Abraham egressus. Nihil tenebat hic dispensator in causa Abrahæ, quàm quòd esset olim Mesopotamiam egressus. quare secundum iudicium rationis non incommodum arbitrabatur, si ad illam Isaacum reduceret, ubi mulier in uxorem illi petita in terram Canaan migrare nollet. Vides hoc exemplo, quid in causa fidei usuueniat illis qui de ista nõ intelligunt quicquam, nisi quantum iudicio rationis consequi possunt? Huiusmodi dispensatores nacta est Ecclesia Christi statim sub Apostolorum tempora plurimos, qui magis humanæ rationis iudicium quàm uerbum fidei sequentes Ecclesias Dei ad pristinarum superstitionum species reduxerunt, unde per Euangelium regni

Dei

Dei fuerant euocatæ. Vtinam illi dispensatorem hunc Abrahæ in eo magis sequuti essent, quòd herum suum in causa dubia quid fieri uellet interrogauit, quàm in eo quòd Isaacũ in Mesopotamiam forsan, si mulier se sequi nollet, reducendum esse putabat.

Dixitq; Abraham, *Caue tibi ne quando reducas filium meum illuc. Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei &c.*] Principiò, obserua animum in fide ac spe promissorum Dei constantem. Promissionem acceperat de hæreditate terræ Canaan. Spem huius mordicus retinet, ideoq; filium suum in Mesopotamiam reduci non sustinet, quamuis in terra promissionis nihil præter agrum sepulturæ possideret. Simul obserua, quanti faciat gratiam uocationis, qua fuerat de domo patris euocatus. Dominus Deus cœli, inquit, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meę. Hęc cõmemorando confirmat spem promissionis, & auocat seruum à cogitatione de reducendo in Mesopotamiam filio. Admonemur, constantis & fidelis animi esse, nõ sic leuiter sentire de gratia cœlestis uocationis ac promissionis, ut ad seculum & regnum tenebrarum, unde uocati sumus, uel redeamus ipsi, uel filios nostros illò remittamus. Honestum & sacrosanctum est coniugium. Attamen non conuenit, ut propter uxores relicta terra promissionis, reuertamur ad terram pristinarum tenebrarum ac superstitionum: id quod multi ex illis quoq; faciunt, qui apprimè uolunt haberi Euangelici. Petebat Abraham uxorem de terra & cognatione sua. Verùm non sic petebat pertinaciter & inconsultò, ut eam ob causam pateretur filium suum eò reduci, unde ipse fuerat à Deo euocatus. Non est satis, si dicas, Bonum & honestum est coniugium, &, Bonus est amor patriæ. Requiritur ut quod melius est, propter minus bonum non deseras.

Constantia fidei
Quanti fecerit Abraham gratiã diuinæ uocationis.

Deinde & illud animaduertendum est. Quod seruo præcipiebatur, non seruum, sed Isaacum concernebat. Huius intererat, ut in terra Canaan permanens ad cognationem paternam nõ rediret. Et tamen non dicit simpliciter, Ne reducas filium meum illuc: sed, Caue tibi, uel, custodi teipsum, ne reducas filium meum illuc. Ergo, si Isaacum in Mesopotamiam reduxisset, non illi tantum, sed & sibi plurimum peccando nocuisset. Admonemur, non solum ea nobis esse peccatorum genera tanquam noxia uigilantissimè uitanda, quibus immediatè nos perdimus, sed & ea quibus alios à scopo pietatis ac salutis abducimus. Per illa siquidem non solum alios, sed & nos ipsos condemnationi obnoxios reddimus.

Non solũ ea peccata cauẽda sũt, quibus immediatè nos, sed et quibus alios perdimus.

Tertiò, considerandum & hoc est quod dicit: Ne reducas filium meum illuc. Atqui cum non esset Isaac de Mesopotamia egressus, ubi nunquam fuerat, quomodo in illam reduci potuisset? Reducimur eò unde fueramus egressi: ducimur uerò ad loca ubi antea non fueramus. Non est præter rationem uerbum reducendi hoc loco usurpatum. Etenim quemadmodum Abraham non fuerat solus è terra patria, sed cum uniuersis suis posteris ad hoc euocatus, ut terram Canaan hæreditariò acciperet, licet nullam dum posteritatem haberet, atq; ita omnis illius posteritas, quam in lumbis secum extulit, terram patriam cum illo egressa fuerat, ita planè rectè de Isaaco & posteris illius dici potuit quòd ad illam non deberent unquam reuerti. Consimili modo rectè dixeris hodie filijs tuis, Cauete uobis ne unquam ad falsos Papistarum cultus & Romanæ meretricis scortationem ac tyrannidem reuertamini, etiam si sub Euangelica doctrina nati nunquam sub Papatu fuerint.

Quomodo Isaac in Mesopotamiã reduci potuisset, cum in illa antea non fuisset.

Quartò, de eo quod dicit, Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, &c. uide suprà cap. 12. Et de eo quod subiungit, Qui loquutus est mihi, & iurauit dicens, Semini tuo dabo terram hanc, uide cap. 15. circa calcem.

Quintò. Ipse mittet, inquit, angelum suum ante te, & accipies inde uxorem filio meo. Sunt hæc uerba indubitatæ spei ac fiduciæ diligenter notanda. Quod ipsum Abrahamum attinet, erat hac fide ac spe præditus, quòd causam filij sui Dominus prosperè esset directurus. Quod uerò seruum attinet, obseruandum hic est quomodo animum illius ad perficiendum mandatum in causa filij sui confirmet. Non dicit, Expone cognatis meis quantæ sint opes meæ, quàm prosperè in hac mihi terra succedant omnia: prædica de filio meo, quibus sit dotibus præditus, & quòd sit mihi unicus omnium opum mearum hæres. Sic fiet, ut persuadeas mulieri quo te facilius sequatur. Nihil horum mandat seruo, sed exponit illi fiduciam suam erga Dominum, & ex illa futurum promittit ut præcedat ipsum angelus Domini, cuncta feliciter dirigens ac disponens. Monet eum, ut hac spe abeat, & causam prouidentiæ Dei commendet. Vides animi pij exemplum. Quemadmodum credit & sperat, ita & seruum suum credere ac sperare iubet. O si principes nostri ad hoc exemplum Abrahæ ministros ac secretarios suos fide ac spe prouidentiæ Dei instructos ad obeunda negocia amandare possent.

Quibus argutis Abrahamnũ suum a seruandam legationem animarit.

Obseruandum simul est, unde hanc fiduciam suam colligat Abraham, & seruo persuadeat. Duo singularia argumenta proponit. Vnum de factis erga se Dei, alterum de illius promissione. Ex factis arguit, cum dicit: Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ. Ex promissione quoq; colligit dicens, Qui loquutus est mihi, & iurauit, dicens, Semini tuo dabo terram hanc. Vtraq; singularis gratiæ Dei argumentum habent. Nihil proponit de sua probitate & innocentia, nihil de fidei suæ & obedientiæ meritis, sed de gratia uocationis & promissionis diuinæ. Neq; enim dicit, Dominus Deus meus, quem relicta patria ad terram hanc peregrinationis sequutus sum, cui obedienter ad hoc usq; senium meum adhęsi, propter quem etiam hunc filium meum unicum immolare uoluit, pro iustitia mea rependet mihi, &c. sed adducit uocationem & promissionem Dei, & his ueluti duobus fulcris fiduciam suam communit, animumq; serui confirmat.

Vnde fiduciam suam collegerit Abraham.

Docemur hoc exemplo, quibus argumentis fiduciam auxilij Dei in animis nostris alere ac confirmare debeamus.

Et illud considerandum est. Ipse mittet angelum suum, inquit, ante te, accipies & inde uxorem filio meo. Ergo de angelis sentit, quòd non modò ministri Dei sint, ad res cœlestes obeundas, sed ad ministrandum quoq; causis ac negotijs fidelium, etiam illis de quibus plerique parum honorificè sentiunt. Promittit seruo suo, quòd præcessurus sit ipsum angelus Domini. Ad quid? ut accipiat uxorem Isaaco. Seruit igitur angelus nuptijs, & comitatur seruum Abrahæ ad quærendam Isaaco uxorem amandatum. Magna dignitas angelorum, uerùm iuxtà magna est prærogatiua iustorum, quorum & nuptijs, quasi quidam pronubi, & seruis, administrant angeli. Cœlestes spiritus non dedignantur seruire coniugio iustorum, & hodie inuenias innumeros, qui usq; adeò propriæ dignitatis ac sanctimoniæ gratia inflantur, ut nuptias & coniugium perinde ac rem immundam contemnant & exufflent. Quem spiritum illi referant, uel ex hoc loco satis constare poterit.

Angeli præcedunt Christi ministros.

Neq; hoc prætereundum est. Angelus Domini præcedit seruum Abrahæ ad conciliandas filio ipsius nuptias. Quanto, quæso, credibilius est, angelos Domini præcedere seruos Christi, quos ille ad prædicandum Euangelium regni emittit? Respexit Abraham ad uocationem & promissionem. Habet & Christi minister quò respiciat, uocationem uidelicet ministerij sui, & promissionem Christi, Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi.

Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento, duntaxat filium meum non reducas illuc.] Obserua. Dixerat, Dominus mittet angelum suum ante te, & accipies inde uxorem filio meo. Quibus utiq; uerbis fidem seruo facere uolebat, fore per auxilium Domini, ut re prosperè peracta, cum coniuge filij sui reuertatur. Et tamen ex abundanti ad quæstionem à seruo motam respondet, quo conscientiæ illius consulat ac satisfaciat. Docemur hoc exemplo, sic esse proximos fide ac spe diuini auxilij in obeundis negotijs ac causis quibuslibet confirmandos, ut etiamsi quod de auxilio Dei pollicemur, causis nobis incognitis non eueniat, eueniat uerò quod ipsi timent, conscientijs illorum etiam huius gratia consulamus.

Quomodo sint eõscientiæ sollicitæ instruendæ.

Quousq; obstringat iusiurandũ.

Non teneberis, inquit, *iuramento.*] Locus hic de eo est obseruandus, quousque obstringat nos iuramentum. Quod si feceris fideliter, quod iuramento est impositum, & quod prohibitum est non feceris, quid quid præter propositum acciderit, nõ eris reus uiolati iuramenti. Non refert quomodo cadat effectus, sed quomodo præstiti iurisiurandi fueris exequutor, fidelis ne ac promissi seruans, uel secus.

Duntaxat filium meum non reducas illuc.] In eo quod tantopere cauet, ne Isaac filius suus ad domum & cognationem paternam relicta terra Canaan reducatur: item, ne uxor illi de filiabus Cananæorum accipiatur, obseruandum uenit, quàm non secundum rationis iudicium res filij sui, sed secundum fidem promissionis Dei disposuerit. Alioqui poterat illum diuitem ad suos remittere, & à peregrinationis molestijs liberare: uel, quoniam sic decretum erat ut terra Canaan tanquam illius hæres maneret, consultius ad id instituti fuerat principis alicuius in ea terra in filiam in uxorem illi quærere, cuius affinitate adiutus emergeret & potens efficeretur, quàm tanto studio cauere Cananæorum filias, & quærere extraneam, quæ res illi inuidiam, & odium potius inter Cananæos uiuenti quàm gratiam & fauorem conciliare poterat. Verum pluris fecit uir pius promissionem à Deo acceptam quàm omnium in rem conciliare poterat. Verum pluris fecit uir pius promissionem à Deo acceptam quàm omnium in uniuersum Cananæorum amicitiam, opem & opes.

Posuit ergo seruus manum sub femore Abrahæ domini sui, & iurauit illi super sermone hoc] Obserua. Seruus hic ut prudens fuit interrogando, & haud incircumspectè iurando: ita fuit & morigerus post acceptam declarationem, iusiurandum pro uoluntate heri sui præstando. Nequitiæ argumentum est, per contrando detrectare imperata, & accepta declaratione ad alia subterfugia elabi.

Et illud considerandum est, quod dicit: Et iurauit illi super sermone hoc. Non est iurandum in incertum & infinitum, sed super certo sermone, quo conscientia iurantis obligationis suæ certum uideat terminum, & ad illum pertingens secura quiescat. Carnificinam habent conscientiæ iuramenta illa in quibus nec est modus, nec terminus, nec intellectus necessarius, nec seruandi facultas, qualia multa obtinuerunt in Papatu.

Tulitq; decem camelos de grege domini sui, & abijt, ex omnibus bonis eius portans secum. Profectusq; perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor. Cumq; camelos fecisset accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ, uespere, eo tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendum aquam, dixit: Domine Deus domini mei Abraham occurre mihi obsecro hodie, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham. Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendum aquam. Igitur puella cui ego dixero: Inclina hydriam tuam ut bibam, & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligã, quòd feceris misericordiam cum Domino meo.

Lectio

LECTIO.

Tulitq; decem camelos, &c. Ebr. Et accepit seruus decem camelos de camelis domini sui. Sic habent & Septuaginta. Ex omnibus bonis eius, inquit, portans secum. Ebr. Et omne bonum domini sui in manu ipsius. Profectusq; perrexit in Mesopot Ebr. Et surrexit & abijt in Syriam duorũ fluuiorũ. Et Chald. paraphrastes, Et surrexit & abijt in Syriam quæ est super Euphratem. Occurre, inquit, mihi obsecro hodie. Hebr. est חסרה נא לפני היום, id est, fac quæso occurrere ante faciem meam hodie. Vsus est hac loquutione & Iacob infrà ca. 27. ad patrem suum quomodo tam citò feram inuenisset interrogantem dicens, בי חסרת יחרה אלהיך לפני, id est, quoniã occurrere fecit Dominus Deus tuus ante faciem meã. Chald. Dispone quæso coram me hodie. Sept. σὺ εὐόδωσον ἐνώπιόν ἐμοῦ σήμερον, id est, prosperum iter fac coram me hodie, uel, successum da coram me hodie.

Et camelis tuis potum dabo.] Sept. hic addiderunt de suo, donec cessent bibere. Ipsa est, quam præparasti. In Ebræo est אתה תכחת. Verbum Hebræum יכח & probare, & redarguere significat. Quare Tigurina uersio habet, Certissimè exploraſti. R. Shlomoh idem hic esse dicit quod est latinis uerbũ approbandi. Est qui legendum putat, Quam redarguisti. Et intelligit: Eam, redarguendo Satanam, obtinuisti. Sed de hoc uerbo diximus suprà circa calcem 20. capitis, ibi, Memẽto te deprehensam. Et per hoc intelligam. Hebr. Et in ea cognoscam. Sic & Chald.

EXPLANATIO.

Et accepit seruus decem camelos &c.] Hactenus exposuit Moses, quomodo, quò, & ad quid amandarit Abraham seruum suum seniorem ac dispensatorem domus suæ: iam consequenter legationis illius historiam & euentum commemoraturus, præsenti hoc contextu narrat quomodo instructus abierit seruus, deinde ad locum destinatum prosperè peruenerit, ac quo cõsilio usus puellam, cuius gratia uenerat, inuestigarit. Abitũ & instructionem illius concernit, quod dicit. Et accepit seruus decem camelos de camelis dñi sui, & abijt. Non abijt solus, sed adiunxit sibi de familitio dñi sui seruos alios, quib. p nume ro decem camelorũ opus habebat. Horum infrà fit mentio, ubi legitur, quòd data sit aqua ad lauãdos pedes illius, & uirorum qui uenerant cum eo. Ad quem usum autem tot camelos assumpserit, statim subiungit dicens: Et omne bonum id est, omnis generis bona, dñi sui in manu ipsius. Loquitur de muneribus aureorum & argenteorum uasorum, ac uestimentis, quæ daret sponsæ, parentibusq; ac fratribus illius, sicut infrà uidere licet. Deinde, quoniam ad tam longinquam profectionẽ præsertim propter loca deserta opus erat admodum copioso uiatico, etiã hac ratione tot est camelis usus. Scio Shlomonẽ aliter exponere, quod memoratur, omne bonum Abrahæ fuisse in manu serui huius. Qui sententiam illius scire cupit, legat eam apud Lyranum.

Et surrexit & abijt in Mesopotamiam ad urbem Nahor.] Intelligit Haram, quã uocat ciuitatem Nahor, quòd in illa manserit Nahor, postq; mortuus esset Terah, & Abrahã inde in terrã Canaã cum Sarah uxore sua & Lot nepote suo migrasset. Patet hoc infrà in historia Iacob. Quare inconsultum est quod quidam de Vr Chaldæorum exponunt. Quod in Ebræo est, in Syriam duorum fluuiorum, idem est quod in Mesopotamiam, sic dictam, quòd ea regio duobus fluuijs includatur, quos Tigrim uocãt & Euphratẽ.

Et fecit camelos accumbere extra oppidum &c] Vel non fuerunt in usu temporibus illis pandochea, diuersoria publica, in quæ peregrini homines diuerterent, ideoq; extra ciuitatem tantisper hæsit cum camelis, dum de domo Nahor cognosceret: uel alioqui ingredi ciuitatem noluit, priusq; excogitata ratione de futura sponsa occasione publici fontis, iuxta quem consederat, inuestigasset.

Domine Deus domini mei Abraham &c.] Quoniam promiserat Abraham, missurum Deum ante faciem suam angelum, à quo cuncta prosperè disponerentur, orat ad Deum, ut occurrere faciat, certoq; indicio cognoscendam præbeat puellam filio domini sui destinatam, & ppter occasionem publici fontis ac uespertini temporis, quo mulierculæ ad hauriendum aquas egredi solebant, comminiscitur ipse indicium, unde eam cognoscat. Ecce, inquit, ego sto prope fontem aquæ, & filię uirorum ciuitatis huius egredientur ad hauriendum aquam. Hæc erat occasio quam captabat ex re consueta & præsenti. Apparet seruum hunc cum Abrahamo olim in hac ciuitate fuisse, indeq; cum illo in terram Canaan migrasse. Nam consuetudinem filiarum tenebat. Subiungit de indicio. Igitur puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam ut bibam, & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac. Indicium hoc duobus ueluti membris cõplectitur, sua uidelicet petitione, & puellæ responso. Petitionem suam sic format, ut nolit petere omnia, quæ ipsa puella debeat facere, sed partẽ eorũ tacere, ad quam tamen puella pro animi sui placiditate & officiositate ultrò se paratam offerat. Quare non dicit, Et camelis meis potum hauri: sed de camelis tacẽs, simpliciter, Inclina, inquit, hydriam tuam ut bibam. Fiduciam autem orationis huius ex eo colligit, quod credebat Deum sua prouidentia in gratiam Abrahæ causam hanc dispensare. Ideo dicit: Domine Deus domini mei Abrahæ &c. Item Fac misericordiam cum Domino meo. Et In ea cognoscam, quòd feceris misericordiam cum dño meo.

QVAESTIO.

Cui ego dixero, Inclina hydriam tuam, ut bibam, & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis potum dabo ipsa est quam præparasti seruo tuo] Quærunt hic, licuerit ne seruo isti de persona puellæ, quæ futura sit uxor Isaaci, deq; modo & indicio illam cognoscendi præscribere Deo cum Deo ad hunc modum præscribere nihil uideatur esse aliud, quàm Deum tentare. *An seruus iste Deum tentarit.*

Ad hanc quæstionẽ respondent nõnulli, & meo iudicio, nõ incõmodè, uerba serui huius habere uotum

& petitionẽ, non præscriptionem conditionalem, adeoq; nec tentationem. Præmittit enim dicens: Domine Deus domini mei Abrahæ, fac quæso occurrere ante faciem meam, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham. quæ uerba satis indicant non præscribere illum Deo, neq; tentare Deum, sed quæ de indicio subijcit, secundũ uoluntatem Dei petere, idq; ex fide, qua credebat, esse hero suo Isaaco destinatã à Deo coniugem, sicuti dixit, Ista est quã præparasti seruo tuo, & quoniam huius gratia erat à domino suo missus, orat Dñm ut sibi illam offerat, liceatq; eam certo indicio cognoscere. Hic sanè animus nec præscribebat Deo, neq; prouidentiam illius tentabat. Immo credibile est, petitionem hanc in animo seruí istius natam fuisse ex instinctu Dei, qui causam hanc secundum uoluntatem Abrahæ moderabatur, & puellam quæ quærebatur, confestim seruo huic, pro uoto illius offerebat, deniq; & uerba puellæ formabat ac dirigebat.

Quomodo indagatio serui huius differat ab augurio.

Mouet præterea & Augustinus quæstionem hoc loco, quomodo petitio ista serui Abrahæ, qua indicio certo puellam cognoscere cupiebat, ob quam illò uenerat, ab augurationibus illicitis differat. Et respondet, Aliud esse, mirum aliquid petere, quod ipso miraculo signum sit: aliud, obseruare ea quæ ita fiunt, ut mira non sint, sed à coniectoribus superstitiosa uanitate interpretentur. Hæc ille. Non est igitur hic seruus augurio usus, sed simpliciter & candidè ad Dominũ orauit, ut sibi adesset, & signo illo quod ipsi uenerat in mentem, futuram Isaaco coniugem cognoscendam daret.

OBSERVANDA.

Et accepit seruus decem camelos de camelis domini sui, & omne donum domini sui in manu ipsius, & surrexit, & abijt in Mesopotamiam ad ciuitatem Nahor.] Obserua prudentiam serui ac dispensatoris huius, qua in officio suo obeundo est usus. Considerauit sollicitè de necessarijs ad eam legationem. Reddidit se instructum omnis generis bonis ac muneribus, quibus sese ad causam obeundum accommodaret, & heri sui honorem tueretur. Egregium est hoc prudentiæ donum in dispensatoribus, ut non solum fideliter ministrent, sed & de circumstantijs & conditionibus gerendarum rerum prudenter cogitent: & quod gerendum est, sapienter obeant. Et Christus ipse utranq; & fidem & prudentiam à ministris suis requirit, cum Lucæ 12. dicit: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram. Beatus ille seruus, &c.

Prudẽtia boni dispensatoris.

Et surrexit & abijt in Mesop. ad ciuitatem Nahor.] Obseruandum hic est, q; ciuitatem hanc Haran, uocat ciuitatẽ Nahor, cũ neq; esset illius dominio subiecta, sed ab eo tanq; peregrino & aduena primùm, deinde & à posteris eius confimili fortuna incoleretur. Nam illò ex Chaldæa uenerat, ibiq; post discessum Abrahæ ac mortem patris substiterat. Ergo uocabatur illius ciuitas propterea q; illã incoluerat, & adhuc à posteris eius incoleretur. Admonemur hoc exemplo, etiamsi nihil in hac terra possideamus proprij, hactenus tamen nostra esse omnia, quatenus illis diuino munere uti datur. Nostræ sunt ciuitates, nostræ domus, quas incolimus & inhabitamus, nostra sunt quibus utimur, quibus uescimur, quibus uestimur. Et ista demum potissima est rerum omniũ possessio. Etiam si iure meus sit totus orbis, reuera tamen nihil ex illo meum est, nisi quod in usus meos cedit.

Quod Haran uocatur ciuitas Nahor.

Et fecit camelos accumbere extra oppidum iuxta puteũ aquæ.] Defatigati erãt ex itinere. Habuit rationẽ necessitatis illorum. Habes exemplum animi, etiam de bestiarum, nedum hominum, necessitatibus solicitè cogitantis. Bestiæ sunt non homines, qui quorum opera & laboribus utuntur, necessarium subsidium ac quietem non curant.

Etiam bestiarũ necessitati consulendum.

Vespere, quo tempore solent mulieres egredi ad hauriendum aquam.] Quod locũ & tempus attinet, uides exemplum industriæ, qua occasiones oblatæ non negliguntur, sed usurpantur. Rationem habuit hic seruus & publici fontis, & uespertini temporis, horumq; occasione ad suum est propositum competenter ac solerter usus.

Occasiones præsentes non negligendæ.

Quo tempore solent mulieres egredi ad hauriendum aquam.] Quod uespertinum tempus attinet, occurrit illud Psal. 104. Exit homo ad opus suũ usq; ad uesperam. Apud ueteres suis quisq; operibus interdiu incumbebant, uesperi cœnabatur. Vespnri igitur occupatæ erãt mulieres ad parandum cœnam. Hucad hibebatur potus è fonte petitus. Consuetudini huic tum catholicæ accommodabat se seruus iste. Cogita hic, quàm sint mores nostri à maioribus ueterum diuersi. Illis tempus edendi ac bibendi erat uespera, potus catholicus aqua. Nobis totus dies edendo ac bibendo consumit, & potus catholicus nõ diuitũ modò, sed & Banausarum iam olim uinum esse cœpit. Apud nos fuissent seruo isti obseruanda œnopolia, non putei aquarum.

Mores nostri discrepant à ueteribus.

Domine Deus domini mei Abrahæ, fac quæso occurrere mihi hodie, & fac misericordiam cũ Dño meo Abraham.] Obserua huius pietatẽ. Non tm prudentiæ & industriæ suæ tribuit, ut illa fretus puellam ob quã generat suopte studio inuestiget, sed cõfugit ad Deũ, & illius implorat auxiliũ, orãs ut ipse sibi illã occurrere faciat. Successum instituti sui à Dño petit, sine cuius auxilio frustra satagũt homines quantiuis prudentes ac seduli. Ab illo est bona fortuna, hoc est, rerum gerendarum prosper & felix euentus. Discamus igitur hoc exemplo, in omnibus nostris consilijs, studijs & actionibus cumprimis suspicere ad Dominũ, & opem illius implorare: ac si quid prosperum cesserit, non nostræ industriæ, sed illius tribuere gratijs.

Successus rerum à Deo petendus

Deinde obserua, quod dicit, Fac quæso occurrere mihi hodie. Hoc est, dirige puellã quã, quæro, instinctu tuo huc ad me. Credebat igit hic seruus, corda hominũ esse in manu Dei, ut illa pro sua uoluntate dirigat, ideoq; petebat, ut animum puellæ huius impelleret, ut ad fontem ad hauriendũ aquã exiret. Ad monemur unde petendum sit, si quando hominis alicuius animum aliquò inflecti, uel à sensu suo mutari

Corda hominum dirigit Deus.

mutari cupimus. Ab eo uidelicet, in cuius manu sunt omnes omnium sensus cogitationes & affectus.

Tertiò & illud obseruandũ est, quod non dicit: Domine Deus meus: sed, Domine Deus domini mei Abrahæ. Nec dicit, Fac mecum misericordiam: sed, Fac misericordiam cum domino meo Abraham. Orationem suam instituit ad Dominum, secundum personam & ministerium suum admodum cõuenienter, respectu uidelicet domini sui Abrahæ cuius causam agebat, & spe gratiæ Dei qua Abrahamum ille prosequebatur. Sic orandum est ministris ac seruis, in negocijs ministeria ipsorum concernentibus. Minister uerbi cogitet se esse ministrum Ecclesiæ Dei, oretq; pro illa dicens: Domine Deus Ecclesiæ tuæ. Item, Fac misericordiam cum Ecclesia tua. Et utinam quotquot domini sunt ac principes, sic essent nomine pietatis gratiæ Dei cõmendati, ut serui illorum bona cum fiducia in obeundis negocijs ad exemplum huius serui Abrahæ ad Deum orare possent ac dicere, Domine Deus domini mei, fac misericordiam cum domino meo. *Quo genere orationis utendũ sit ministris.*

Ecce ego sto ad fontem aquæ, & filiæ uirorum ciuitatis huius egredientur ad hauriendum aquam, &c.] Non sic orat pius seruus, ut nihil ipse faciat ad institutum conueniens. Petit successum à Deo, sed operis ac negocij sui, non ocij. Sunt ergo orationi studia nostra coniungenda. orabat hic seruus, & simul occasione fontis competenter utebatur. Inefficax est studium nostrum sine auxilio Dei. At rursus non est auxilium Dei sperandum ociosis & ignauis. *Orandum & agendum.*

Igitur puella cui ego dixero, Inclina hydriam tuam ut bibam, & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis potum dabo, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac.] Obserua, qualẽ Isaaco domini sui filio unico tam multarum opum hæredi, seruus iste quærat uxorem. Talem uidelicet, quæ rusticè ac uulgariter instituta unà cum uulgi filiabus operas obeat famularum, & inter illas cum hydria egrediatur ad fontem aquarum. Hodie herilibus filijs sponsæ quæruntur in auro, argento, serico, ociosæ ac delicatæ. *Qualis sponsa quæratur Isaaco.*

Deinde uide quale indicium statuat, unde illam sit cogniturus. Non dicit, Igitur puella, quæ reliquis elegantior ac formosior, amictu quoq; splendidior ad fontem uenerit, ipsa est quam quæro: sed, Puella, inquit, cui ego dixero, Inclina hydriã tuam, ut bibam, & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis potum dabo, ipsa est, &c. Captat ergo indicium animi honesti, humani, benigni, placidi & officiosi, significans eiusmodi se quærere hero suo uxorẽ. Et reuera hæ dotes multo sunt preciosiores quibusuis opibus & ad coniugij conuictũ & mispat admodũ accõmodæ. Quare stultissimi sunt qui in uxore non animi qualitatem, sed externa illa formam & opes spectant, cum sit nihil intolerabilius quàm fœmina diues. *Quali indicio sit usus seruus Abrahæ.*

Quid est autem, quòd seruus iste non quærit potius de puella quæ sit de domo Nahor, cum esset nominatim illius gratia à domino suo missus, q̃ de puella quæ sit submisse, placidè, benignè, & officiose animata. Hoc agebat uidelicet, ut ex moribus agnosceret puellæ familiã. Sperabat enim cognationem Abrahæ sic esse institutam, ut filiæ illius nihil præferrent arrogantiæ, sed essent placidæ, submissę, humanæ & officiosæ. O si ad hunc hunc modum Christianorum familiæ comparatæ essent, ut talibus indijs liberi illarum deprehendi possent. *Ex qualitate morũ inuestigat familiam Nahor.*

Ipsa est, inquit, quam præparasti seruo tuo Isaac.] Vide, nõ dicit, Ipsa est quam quæro & uolo: sed, Quam præparasti seruo tuo Isaac. Credebat igitur Dominum iam præparasse sponsam filio domini sui. Docet hoc loco honestas & morigeras uxores parari ac destinari à Deo. Hæreditatem filio suo Isaac constituit Abraham, uxorem uerò præparauit illi Dominus. Sic Pro. 19. legimus: Domus & diuitię dantur à parentibus, à Domino uerò propriè uxor prudens. Qui ab initio nõ creauit tantum, sed & creatam coniunxit Adæ primo uiro uxorem, is ad finem usq; commodas, pias, & honestas uxores præparat ijs qui se colunt & obseruant. Sic seruus hic non simpliciter dicit, Ipsa est quam præparasti Isaaco: sed, Quã præparasti seruo tuo Isaac. *Honesta uxor paratur à Domino.* *Pro. 19.*

Obserua & illud. Dominus præparat uxorem Isaaco seruo suo. Abraham pater mittit seruũ, ut hanc quærat. Seruus profectus secundum mandatum Abrahæ, quærit illam. Angelus Domini ante faciem serui præcedit, ut quam quærit feliciter inueniat & obtineat. Ergo etiam quæ à Domino dilectis ipsius præparantur, angelico sunt ministerio & humano studio quærenda & acquirenda. *Etiã à Domino præparata, studio nostro sunt quærenda.*

Et in hac cognoscam, quòd feceris misericordiã cum domino meo.] Obserua hunc fidelis serui animum. Non erat sic animatus, ut duntaxat inuenire cuperet uxorem Isaaco destinatã, quo ministerium suum simpliciter adimpleret, sed innuit hisce uerbis hoc se cumprimis affectare, ut talem inueniat puellam, in qua, hoc est, in cuius qualitate, quod mores & ingenium attinet, cognoscat, feciisse Dominum misericordiam cum hero suo, id est, destinasse filio illius commodam ac morigeram uxorem. Sic conuenit anima tos esse omnes eos qui seruiunt ut contenti non sint præstitisse officium, sed optent etiam ex animo, ut quod faciunt prosperè ac feliciter cadat. *Ingenium fidelis serui.*

Nẽc dum intra se uerba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel filij Melchæ uxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula, puella decora nimis, uirgoq; pulcherrima, & incognita uiro. Descẽderat aũt ad fontem, & impleuerat hydriã, & reuertebatur. *Inuenit.*

Occurritq; ei seruus, & ait: Pauxillum aquę mihi ad sorbendũ præbe de hydria tua. Quæ respondit: Bibe domine mi. Celeriterq; deposuit hydriam super ulnam suam, & dedit ei potum. Cumq; ille bibisset, adiecit:

Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibãt. Effundensq; hydriam in canalibus, recurrit ad puteum ut hauriret aquã, & hauſtam omnibus camelis dedit.

Ille autem contemplabatur eam tacitus, ſcire uolens utrum proſperũ iter ſuum feciſſet Deus, an non. Poſtquã autem biberũt cameli, protulit uir inaures aureas, appendentes ſiclos duos, & armillas totidem pondo ſiclorum decem. Dixitq; ad eam: Cuius es filia? Indica mihi: eſt in domo patris tui locus ad manendum? Quæ reſpondit: Filia ſum Bathuelis filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Et addidit, dicens: Palearum quoq; & fœni plurimum eſt apud nos, & locus ſpacioſus ad manendum. Inclinauit ſe homo, & adorauit Dominũ, dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abſtulit miſericordiam & ueritatem ſuam à domino meo, & recto itinere me perduxit ad domum fratris domini mei.

LECTIO.

Necdum intra ſe uerba compleuerat.] Hebr. Et factum eſt priuſquam ipſe loqui ceſſauit. Quod latinus habet, Intra ſe, & Septuaginta quoq; ἐν τῇ διανοίᾳ αὐτῦ, id eſt, in animo uel mente ipſius, in Hebræo nõ legitur hoc loco: legitur uerò infrà in narratione ſerui.

Puella, inquit, decora nimis.] In Hebræo non legit Nimis: ſed, Puella bona, id eſt, pulchra aſpectu ualde.

Virgoq; pulcherrima.] Pulcherrima, in Hebræo non eſt, nec in Græco, ſed Hebræus ſimpliciter habet בתולה, id eſt uirgo. Sept. παρθενος ἦν, id eſt uirgo erat.

Et reuertebatur.] Hebr. Et aſcendebat. Sic & Sept.

Depoſuit hydriam ſuper ulnam ſuam.] Heb. Super manum ſuam. Sept. Super brachium ſuum.

Cumq; ille bibiſſet, adiecit.] Hebr. Et ceſſauit potare eum, & dixit. Sic habet & Chald. Septuaginta: Et potauit eum donec ceſſauit bibere, & dixit. B

Donec cuncti bibant.] Hebr. עד אם כלו לשתות, id eſt, donec ceſſent bibere. Sic & Chald. Septuaginta habent quemadmodum latinus.

Effundensq; hydriam in canalibus.] Hebr. Et feſtinauit & effudit hydriam ſuam in canale. Sic habent & Septuaginta & Chald.

Ille autem contemplabatur eam tacitus.] Hebr. Et uir משתאה לה quod Chaldæus paraphr. uertit, admirabatur eam. Sep. ὁ δὲ ἄνθρωπος κατεμάνθανεν αὐτὴν, id eſt, Homo uerò ille perdiſcebat eam. Pagninus, Et uir ſtupebat in ea. Monſt. Porrò uir ille ſtupefactus eſt in ea.

Protulit uir inaures aureas.] Hebr. eſt נזם זהב, id eſt, inaurem auream. Sic habet & Chald. & Monſterus, & Pagninus, & Tigurina. Septuaginta uerterunt pluraliter, quemadmodum & latinus. Eſt autem נזם in genere ornamentum facici.

Appendentes ſiclos duos.] Hebr. בקע משקלו, id eſt, ſemiſsis, uel dimidium, pondus eius. Sic & Sanctes uertit. Tigurina habet, Dimidium ſicli. Chald. paraphraſtes, Cuius pondus ſiclum ualebat. Septuagin ta, καὶ ἀγοράζων ὁλκὴν, id eſt, pondere drachmæ. Hieronymus ſic annotat, בקע quod in hoc loco pro didrachmo ſcribitur, ſemiuncia eſt. בקל uerò, qui latino ſermone ſiclus corruptè appellatur, unciæ pondus habet.

Et armillas totidem pondo ſiclorum decem.] Hebr. עשרה זהב משקל ם ושני צמידים על ידיה, id eſt, & duas armillas ſuper manus eius, decem aureorum pondus earum. Sic habent & Septuag. & Pagninus. Chald. & duas armillas ſuper manus eius ualentes in pondere decem ſiclos aureos. Sic & Tigurina.

Cuius es filia?] Hebr. Filia, cuius es? Sic & Sept. θυγάτηρ τίνος εἶ. Sic uertit & Germanicus interpres, Mein tochter wen gehörest du an?

Locus ad manendum.] Hebraicè ad pernoctandum.

Palearum quoq; & fœni, &c.] Hebr. Etiam fœnum, etiam pabulum multum eſt apud nos, etiam locus ad pernoctandum. Adiectiuum ſpacioſus in Hebræo non eſt.

Inclinauit ſe homo.] Septuaginta uerterunt, καὶ εὐλογησας ὁ ἄνθρωπος, id eſt, Et cum placuiſſet hoc homini. Apparet illos pro daleth litera legiſſe res, hoc eſt, ויקר Vaykor, à יקר precioſum fuit, pro ויקד, id eſt, Vaykod, à קדד, id eſt, inclinauit ſe.

Qui non abſtulit miſericordiam ſuam.] Hebr. Qui non deſeruit, dereliquit. Sic uerterunt & Septuaginta ὃς οὐκ ἐγκατέλιπε, id eſt, qui non omiſit.

Miſericordiam ſuam.] In Hebræo eſt חסדו. Hæc dictio חסד iam tertiò ponitur hoc capite. Sept. hactenus uerterunt ἔλεος, id eſt, miſericordiam. Iam uertunt δικαιοσύνην, id eſt, iuſtitiam & probitatem.

Et recto itinere me perduxit ad domum fratris domini mei.] Hebr. Ego in uia, deduxit me Dominus ad domum fratrum domini mei.

Explana-

EXPLANATIO.

Et factum est priusquam ipse loqui cessauit, &c.] Recensuit Moses orationem ac uotum serui Abrahæ, deinde & consilium inuestigandi puellam cuius gratia uenerat: iam subijcit, quàm sit feliciter ac confestim uoti compos factus oblata, inuenta, & agnita ea ipsa quam quærebat. Et factum est, inquit, priusquam loqui cessauit, ecce Ribkah egrediebatur, &c. Celeritatem diuinæ prouidentiæ cõmendat, qua Ribkah ad egrediendum ad fontem acta & impulsa fuit. Filia Bathuel, inquit, &c. Vt statim initio intelligat lector, eam ipsam puellam confestim adfuisse quæ secundum uoluntatem Abrahæ quærebatur. Nam antea de illa fuerat ipsi narratum, sicuti memoratum est suprà capite, 22. Habens hydriam in scapula. Sic oportebat eam uenire non ad aliud quid agendum, sed ad hauriendum aquam instructam, iuxta uotum & consilium serui. Puella bona aspectu ualde, uirgo, & uir non cognouerat eam. Commendat eam à duplici decore, formæ uidelicet & uirginitatis. Quod addit, Et uir non cognouerat eam, non est perissologia, sed affirmatio ueræ uirginitatis. Non solum erat adhuc in statu uirginitatis tanquam innupta, sed erat reuera uirgo tanquam nulli dum uiro cognita. Tres uoces habentur in hoc capite, quæ Ribkæ dantur. Prima est יערה, secunda בתגלח, tertia עלמה. Naerah puellam sonat, & ætatis est. Bethulah sonat uirginem, & ad statum uirginitatis refertur. Almah significat absconditam, & refertur ad educationis pudicitiam, qua uirgines apud ueteres in gynæcijs extra uirorum conspectum & commercium educabantur. Quare Almah uirginem significat, de cuius pudicitia propter educationis diligentiam nulla sit ambiguitas. ut almah idem sit, quod à uiro abscondita & occulta. Descenderat autem ad fontem, &c. Lege, Et descendit ad fontem, & impleuit hydriam suam, & ascendit. Ergo fons loco erat submissiore, ut egressis è ciuitate esset ad ipsum descendendum. Et cucurrit seruus in occursum eius, & ait: Pauxillum aquæ, &c. Quod penes se orando ad Dominum cepérat inuestigationis & explorationis consilium, iam ea fiducia, qua orauerat ad Dominum, aggreditur. Hoc animo Rebeccæ, quæ prima egressa fuerat, occurrit, & potum aquæ ab illa petit. Quæ respondit: Bibe domine mi. celeriterq; deposuit hydriam suam, &c. Et animum, & linguam, & facta puellæ eadem quæ seruum dirigebat prouidentia Dei. Huius instinctu respondet & facit talia, quæ indicio conueniebant, quod seruus iam antea penes se statuerat. Et uir ille stupefactus est in ea tacitus, scire uolens utrum prosperum iter suum fecisset Deus, an non. Quoniam uidebat uerba & facta puellæ uoto suo adamussim respondere, unde facilè colligebat, eam ipsam esse quam Dominus Isaaco præparasset coniugem, obstupescebat primùm, deinde incipiebat illam interea dum camelis haurit aquam, diligenter contemplari, qualis nam esset, discere cupiens quàm feliciter esset illam hero suo coniugem adducturus. Et factum est, postquã cessarunt cameli bibere, accepit uir ille ornamentũ aureum, semiuncia pondus eius, &c. Nõ aperit puellæ quis sit, & qua de causa uenerit, sed in morem uiri honesti, quasi loco gratitudinis, dat illi ornamenta aurea puellæ honestæ conuenientia. Quod in Hebræo est נזם. uertunt ferè omnes inaurem: & quoniam inconueniens fuisset unam tantũ dare, cum duę sint aures, usum est illis uertere pluraliter inaures. Verùm nulla est necessitas ut uox ista pro inaure accipiatur hoc loco, hoc est, ut relicto genere ponatur species, sed poterat simpliciter reddi, Et accepit uir ornamentum faciei aureum, sicut & infrà seruus dicit, posui Nezem super faciem eius. Accipitur quidem uox Nezem aliquot scripturæ locis pro ornamento aurium, & rectè illic uertitur per inaurem, sicuti fit infrà 35. & Exod. 32. Verùm reperias illam alijs locis poni pro ornamento faciei, quod fronti appendebatur. Sic Ezech. 16. ראתן נזם על אפך ועגילים על אזניך, id est, Et posui ornamentum super faciem tuam, & inaures super aures tuas. Vbi עגילים uocantur inaures. De pondere ac precio munerum istorum nos non possumus certò statuere. Nam quamuis Moses etiam huius mentionem facit, destituimur tamen scientia ponderum & aureorum illarum ætatum ac regionum. Seruauit seruus non solum consuetudinis earum regionum, sed & decori sui rationem. Sic solebant ornari honestæ puellæ in illis regionibus, aliæ ultro, aliæ pretiosius, secundum facultatum uarietatem. Seruus iste, quo domini sui honorem tueretur, non uulgaria, sed selectiora & pretiosiora munera secum attulit. Et hoc uoluit indicare Moses, ubi de pondere & æstimatione illorum memorat. Dixitq; ad eam, Filia, cuius es? &c. Quo ex ipsius puellæ ore certus efficeretur, an Ad domum & cognationem Abrahæ heri sui pertineret, deinde num in domum illius diuerti posset, duo illam interrogat. Vnum, cuius sit, alterum num sit in domo patris ipsius locus ad pernoctandum. Non dicit, ad manendum, sed pernoctandum. Erat enim uespera, & mos festa re inde absoluere. Quæ respondit, Filia sum Bathuelis, &c. Conuenienter respondet ad utrumq; serui interrogatum. Quod locum ad pernoctandum attinet, addit esse in domo sua multum fœni ac pabuli, respiciens ad camelos, quo intelligat seruus nihil sibi etiam ea in re defuturum. Inclinauit se homo, & adorauit Dominum, dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abrahæ, &c. Consideratione desiderati ac tam accurati successus quo ad domum cognationis Abrahę tam prosperè uenerit, prorumpit in doxologiam, tribuitq; illùm gratiæ Dei, qua Abrahamum herum suum prosequebatur. Ego, inquit, in uia. Hoc est, sum in ipsa recta uia. Duxit me Dominus ad domum fratrum domini mei. Intelligit Nahor & Bathuelem, quos uocat fratres Abrahæ.

QVAESTIO.

Et factũ est postquã cessauerũt cameli bibere, accepit uir ille ornamentũ aureum, semiuncia pondus eius, &c.]

Nasci-

Quomodo narratio serui narrationi Mosis cõueniat.

Nascitur hic quæstio quomodo ordo eorũ quæ Moses hic narrat, conueniat illis quæ seruus ipse infrà hisce de rebus recitat. Nam illic legitur ad hunc modum: Et ego bibi, & camelis quoq; ipsa potum tribuit. Interrogans autem eam dixi, Filia cuius es tu? quæ respondit, Filia Bathuelis filij Nahor, quem illi peperit Milcha, & posui ornamentum super faciem eius, & armillas super manus eius, &c. Secundum narrationis huius seriem primùm interrogauit Ribkã seruus, cuius nam esset: deinde cum illa respondisset, q̃ esset filia Bathuelis filij Nahor, tum demum dedit illi ornamenta aurea. Hic uerò utitur Moses ordine narrationis inuerso. Nam dicit seruum primùm protulisse ornamenta faciei & manuum, ac deinde demum cuius nam esset Ribkah interrogasse. Videntur igitur à se inuicẽ Moses & seruus Abrahæ in narratione rei eiusdẽ discrepare, ut necesse appareat alterutrius uerba cũ re gesta nõ cõuenire. Nequeũt enim simul uera esse quod hic dicit: Protulit primũ ornamenta, deinde interrogauit cuius esset: ille contrà de seipso, Interrogaui eam cuius nam esset. quod cum indicasset, dedi illi ornamenta, &c.

Lyranus sentit factam prius fuisse interrogationem, cuius nam esset puella, deinde data munera, ac Mosen narrando ista, prius narrasse quod gestum fuit posterius, atq; id frequenter accidere inscripturis. Burgensis contrà, existimat prius fuisse data munera secundum narrationem Mosis: deinde interrogatam Rebeccam, cuius esset. Seruum uerò uel anticipatione usum esse narrando ista, uel sic narrare uoluisse, ne suspicionem leuitatis incurreret, si diceret se munera dedisse puellæ priusquam cognouisset cuius esset.

Mea sententia, nihil est discrepantiæ in uerbis Mosis & serui. Moses non dicit expresse, quòd primùm dederit munera puellæ, ac tum demum cuius esset interrogauerit: sed sic loquitur, Et accepit uir ille ornamentum uel frontale aureum, semiuncia pondus eius, & duas armillas super manus eius (id est, quas poneret super manus eius) quarum pondus erat decem aureorum, & dixit ad eam: Filia, cuius es? & quæ sequuntur. Hinc non consequitur, quòd munera prius dederit, ac postea cuius esset interrogauerit, Munera ista explicuit quidem prius, & in manus sumpsit, ut daret puellæ, uerùm non dedit confestim, sed prius interrogauit eam cuius esset, ac tum demum accepto responso dedit, quemadmodum seruus ipse infrà suum ipsius factum recitat. Sic optimè concordant quæ in speciem discrepare uidentur. Moses ista tantum dicit, quòd seruus postquam cameli biberant, acceperit munera, & puellam cuius nam esset interrogauerit: quando uerò dederit munera quæ in manus acceperat, non memorat. At id in uerbis serui infrà diserte exprimitur, data uidelicet esse post factam interrogationem, & acceptam responsionem. B

OBSERVANDA.

Vota fideliũ nõ sunt frustranea.

Et factum est priusquã ipse loqui cessauit, ecce Ribkah egrediebatur filia Bathuel filij Melchæ uxoris Nahor fratris Abrahæ.] Videmus hoc exemplo quàm non sint uota fidelium hominum frustranea, sed propter insignem bonitatem Dei efficacia, per quam seruus iste tam est planè factus uoti sui compos. Locus est de eo quòd aures habet Dominus ad exaudiendum preces piorum, id quod nobis multis S. scripturæ locis commendatur.

Priusquam clamẽt sancti, exaudit Deus.

Deinde obserua, quòd non simpliciter dicit, Et factum est postquam orauit, egressa est Ribkah: sed, Et factum est priusquam ipse loqui cessasset, ecce Ribkah egrediebatur, &c. Ergo priusquam orare cœpisset, hoc ipsum quod petebat erat in opere & progressu. Ribkah quippe citius sumpta hydria domũ fuerat egressa, quàm ipse orare cœpisset. Vides quàm uerũ sit illud Esa. 65. Antequã clament, ego exaudiam. Si tanta uis est orationis, ut priusquã orent sancti, hoc ipsum quod petituri sunt, diuinitus in effectum ducatur, quid nõ poterit, ubi ad aures Dei frequenter ingeminata ascenderit? Multa nobis destinantur ac parantur beneuolentia & munere Dei priusquam illa petamus, sicuti hoc loco factum esse uidemus. Rectè tamen illorum gratia ad Deum oramus, ut fidem prouidentiæ illius in cordibus nostris alamus, ac cuncta necessaria de manu beneuolentiæ illius petere & expectare assuefiamus.

Opus diuini instinctus.

Habens hydriam in scapula.] Poterat alterius cuiusp̃iam operis faciundi gratia exire ciuitatem, si suopte fuisset instinctu ad egrediendum mota. Verùm sic conueniebat causæ quæ agebatur, ut cum hydria ad hauriendum aquam egrederetur, quemadmodum in explanatione memini. Cogitandum hic est de dispositione & instinctu diuinæ prouidentiæ. Qui illam ad hoc impulit, ut hoc ipso temporis articulo ciuitatem egrederetur, quo seruus Abrahę ad fontem uenerat, etiã hoc dispositum, ut ad nihil aliud quàm ad hauriendum aquam cum hydria exiret. Huiusmodi commodi rerum euentus non sunt tribuendi fortunæ & casui, sed diuinæ dispositioni, per quam sæpenumero ad faciendum ea ducimur & impellimur, quæ non intelligimus nisi ex ipso euentu.

Diligenter considerãda sunt quæ de sanctis prædicantur.

Puella bonã aspectu ualde, uirgo, & uir non cognouerat eam.] Quoties in sacris scripturis descriptiones sanctorum hominum occurrunt, par est ut diligenter obseruemus, quæ de illis prædicantur. Sunt enim homines pij ac fideles diuino munere multis plerunq; ac præclaris dotibus ornati, quarum aliæ ad imitandũ propositæ sunt, aliæ tales ut diuinã in illis beneuolentiam ac liberalitatẽ agnoscamus & prædicemus. Sic Ribkam hanc diligẽs lector consideret. Fuit enim egregijs dotibus à Deo decorata. Primũ, q̃

Dotes Ribkæ.

Ex cognatione sanctorum.

natales illius cõcernit, prædicatur de ea, q̃ de cognatione Abrahæ sit orta. Et hoc nomine quæsita est in cõiugẽ Isaaco semini electo. Nemo quidẽ carnali sanctorũ affinitate & cognatione felix cẽsendus est si alienus sit à pietate, uerũ interea singularẽ meritò prærogatiuã habet ista cognatio in illis qui à pietate sanctorum non degenerant. Deinde prædicatur de illa, quòd cum hydria sua egressa sit ad fontem, ad hauriendum aquam. Qua in re exemplum habes puellæ ad domesticas operas decenter non ad otium & deli-

Ad domesticas operas institutæ.

& delicias delicatè institutæ. Virtus ista pertinet ad domesticã disciplinã. Tertiò laudat ab elegantia formæ. Puella, inqt, bona aspectu ualde. Est & corporis pulchritudo præclarũ donũ Dei. Et hãc sancti quoq; nõ modò sortiunt diuino munere, sicuti uidere est in Sarah, hac Ribkah, & Rachel, Iudith, Ester, sed &, licet honestè, amanter tamen amplectuntur. Sic Iacob Rachelem, quòd pulchra esset, nõ Lyam, adamabat, proq; illa seruiebat, infrà cap. 29. Esse creaturam Dei, commune est creatis omnibus: esse pulchrum, singularẽ habet gratiã. Quod sapiens dicit, Vanam esse pulchritudinem, aduersum eos dicit qui pulchritudinẽ corporis magis q̃ animi admirantur ac sectantur. Deinde hanc in reprobis & impijs, nõ pijs ac timentibus Dei depreciat. Pulchritudo corporis sine pulchritudine animi, nõ creatoris, sed corruptæ mentis uitio fugienda magis est, q̃ appetenda. Verũ ubi pulchra corporis facies mentis ac morũ elegãtia ornatur, quid aliud est, q̃ preciosa margarita auro insertã? Res ipsa uerũ esse declarat, quod ille canit, Gratior est pulchro ueniens è corpore uirtus. Pulchritudo, singularis decor est, eleganti quadam membrorum, præsertim faciei, forma constans. Hanc uocat scriptura טוב, id est, bonam, quemadmodũ hoc loco uidemus. Puella, inquit, bona aspectu ualde. Bonã uocat propterea, q; singularem decorẽ inget intuentiũ oculis: quemadmodũ cibum bonũ uocamus, ubi gustu placet. Timor Dei bonus est, utilitate: bonus est rectitudine, in oculis piæ mentis. Sic bonũ alio atq; alio respectu dicitur. Quod pulchrũ est, bonũ est aspectu, sicut hic scriptura loquit. Arbor bona est, respectu utilitatis quæ est ex fructibus. Non conuenit igitur, ut quod aliqua ratione bonum est, quasi malum sit damnemus: neq; id damnandum est, quòd omnes magis probamus pulchra quàm deformia. Est id nobis naturaliter insitum, non sine singulari consilio Dei, quo nos uoluit operum suorum esse admiratores. Quod uerò rebus uenustis abutimur, & iudicio oculorum magis quàm mentis indulgemus, carnalia q; bona appetimus, plusquam spiritualia, ex damnabili corruptione est. Propter hanc admonemur subinde in scripturis, ne pulchritudine muliebris formæ quasi laqueo quodam capiamur, & ad peccandum sollicitemur: id quod filijs potentum ante diluuium, & postea etiam sanctis hominibus, Dauidi & Solomoni accidit.

Puella pulchra.

Gratia pulchritudinis.

Pulchritudo bona.

Bonum alio atq; alio respectu dicitur.

Quartò, celebratur etiam Ribkah à uirginitate. Virgo, inquit, & uir non cognouerat eam. In uirginitate seruatæ pudicitiæ encomiũ est. Est autem triplex pudicitiæ genus. Virginalis, coniugalis & uidualis. Seruantes illius sunt homines sancti, siue sint in statu uirginitatis ante matrimoniũ, siue in matrimonio, siue sint facti uidui. Habent hi status suam quisq; castitatem, pudicitiam, & continentiam, extra quam non sunt ueræ uirgines innuptæ, ueræ coniuges nuptæ, ueræ uiduæ coniugibus suis priuatæ ac uiduatæ. Sic sunt uirgines alio solo statu, aliæ & statu & reipsa, qualis fuit hic nostra Ribkah usq; ad tempus legitimi coniugij. Virgo, inquit, & uir non cognouerat eam. Corrupta uirginitas repudio & pœnis obnoxia erat in lege, haud secus quàm corrupta matrimonij castitas. Licebat enim marito eam quam non inuenerat uirginem repudiare. Et hanc iubet lex lapidibus obruere, eo quòd scortata sit in domo patris. Et uidua quoq;, si status sui castitatem corrupisset, ante legem comburebatur. Vide infrà cap. 38. Vsqueadeò uidelicet damnabilis est uniuscuiusq; status corruptio, quæ fit scortatione. Quàm igitur damnabile est, esse non uerè uirginem, coniugem, uiduam: tam est laude dignũ, si qua sit uera uirgo, uera coniunx, uera uidua, quæ castitas indicium habet animi constanter pudici, honesti, & Dei timentis. Ista pudicitiæ constantia non est includenda statui uirginitatis, quod multi stolidi homines faciunt, quasi desierit uirgo esse pudica, quam primũ uiro nupserit. Ribkah laudatur hic, q; nõ fuerit ulli cognita uiro. Laus ista non admitur illi coniugio, in quo utiq; cognita est Isaac. Tollitur scortatione, non legitimo coniugio. Mutatur ista pudicitia, uirginalis in coniugalem, coniugalis in uidualem. Nec minoris prærogatiuæ coram Deo censenda est utraq; coniugalis ac uidualis, quàm uirginalis. Omnium illarum fons idem est, animus pudicus, castus, & honestus. Tale quid habet Augustinus in libro de Bono coniugali, cap. 21. Continentiæ uirtus in habitu animi semper esse debet, in opere autem pro rerum ac temporum opportunitate manifestatur, sicut uirtus patientiæ sanctorum martyrum in opere apparuit, cæterorum uerorum æquè sanctorum in habitu fuit. Quocirca sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus est, & in Ioanne qui passus non est: sic non est impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias: & in Abraham, qui filios generauit. Et illius enim cœlibatus, & huius connubium pro temporum distributione Christo militauerunt. Hæc ille. ubi obseruet lector, nõ impar meritum dictum esse, pro, non maius meritum.

Virgo.

Genus pudicitiæ triplex.

Pœna corruptæ uirginitatis.

Quintò. Et descendit, inquit, ad fontẽ, & impleuit hydriam suam, & ascendit. Obserua animũ puellæ alienissimũ à uanitate illa ac leuitate, qua hodie iuuentus omnia temerè inspicit, aliena quoq; curiosius scrutatur, & perfricta fronte lustrat. Reperit Ribkah iuxta fontem uiros peregrinos cum decem camelis. Hic non sistit gradũ, non uagatur oculis, non corripitur curiositate cognoscendi, qui nam sint isti peregrini, & quorsum eant: sed rectà tendit ad fontem, descendit, implet hydriã, & ut domũ reuertatur ascendit. Sic præsenti animo ac sedulò quod agendum erat agebat, & ad se non pertinentia non curabat.

Ribkah aliena à leuitate puellari.

Et cucurrit seruus in occursum eius, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad sorbendum præbe de hydria tua.] Prima ad fontem uenerat Ribkah. Et seruus illam nõ finit abire inexploratam, sed ut prima uenerat, ita illi cum primis etiam occurrit, non expectans, dum aliæ quoq; exirent. Non cogitabat: Iam primùm orare ad Deum cœpisti ut faciat tibi puellam, quam quæris occurrere. Quomodo fieri poterit, ut tam citò exaudita fit in cœlis oratio tua? Non præscribit Deo quando quæsitã in occursum mittere debeat, sed intentus in id quod agebat, statim primæ occurrit, & offendit eam ipsam quam quærebat. Sic nides diligentiam in Deo ad mittendũ & offerendum, & in seruo ad id quod offerri sibi petebat inquirendum.

Exemplum sedulitatis.

Deinde

Decorum submissionis.

Deinde ad morum elegantiam facit, quòd non suo loco constitit, cum ascenderet Ribkah de fonte, expectauitq; dum ad se propius transeundo ueniisset, sed in occursum illius occurrit, humilitatis ac submissionis decorum seruans. Huc & illud pertinet, quod cum pudore dicit: Pauxillum aquę ad sorbendum mihi præbe de hydria tua. Non simpliciter potum, sed modicũ aquæ ad sorbendum petit. Admonemur cum quo pudore etiam quæ minuta sunt petere debeamus. Huiusmodi morum ciuilitas, modestia & pudor diligenter in sanctis debent hominibus obseruari.

Cum pudore ac modestè petendum.

Facilitas ad obsequendũ petenti.

Quæ respondit, Bibe domine mi: celeriterq; deposuit hydriam suam, & dedit ei potum.] Obiter obserua facilitatem ad obsequendum petenti. Non dicit: Vade ad fontem ac bibe quantum uoles, mihi aquã hausi, non tibi, quale responsum hodie daretur à plerisq;: sed confestim petenti assentitur.

Contra præposteram uerecundiam.

Deinde non sic est præpostere uerecunda, ut tacens porrigat illi potũ, sed ciuili responso, Bibe, inquit, Domine mi. Non est laudabilis illa uerecundia quæ ora in rebus honestis prorsus claudit. Reperias quę hic mutæ, aliàs in uanis ac ludicris nimium sint loquaces & garrulæ.

Mores libera litatis.

Tertiò, non dicit, Gusta uel sorbe: sed, Bibe. Dixerat ille: Pauxillum aquæ ad sorbendum mihi uel gustandum præbe. Ipsa contrà, Bibe, inquit, Domine mi, largius offerens quàm ille petierat. Disce mores liberales & honestos. Egregia est liberalitatis uirtus, qua uerecundè petentibus largiter damus.

Pocliuitas reuerentiæ.

Quartò, & illud obserua, quòd uocat eum Dominum suum. Bibe Domine mi, inquit. Videbat hominem peregrinum, petentem modicum aquæ ad sorbendum, & hunc uocat Dominum suum. Sic sunt mores piorum hominum. Procliues sunt ad reuerentiam erga quoslibet. Et Apostolus monet, ut alius alium honore præueniamus. Sed ea de re suprà quoq; cap. 18. admonuimus.

Celeritas in obsequendo.

Quintò. Celeriterq; deposuit hydriam suam super manum suam, & dedit ei potum, inquit. Quòd celeriter deposuit hydriam, ut potum illi daret, exemplum habet promptæ alacritatis, quæ plurimum ornamenti beneficentiæ adfert. Bis acceptum est, quod celeriter datur, præsertim esurientibus, sitientibus, & alio necessitatum genere pressis.

Ciuilitas.

Et illud ciuile est, quòd non porrigit seruo hydriam, dicens, Accipe, & bibe: sed humero depositam suis ipsa manibus continet, & ad bibendum inclinat. Iam cogita quale fuerit hoc spectaculũ. Quæ paulopòst serui huius domina futura erat, hic illum uocat suum dominum, & aquam ei ad bibendum subministrat. Sic prius seruit, quàm imperet: & primùm humilis, postea redditur sublimis.

Exemplum animi humani ac liberalis.

Et cessauit potare eum, & dixit: Etiam camelis tuis hauriam, donec cessent bibere. Et festinanter euacuauit hydriam in canale, ac recurrit ad puteum ut hauriret, & hausit omnibus camelis illius.] Vide rursus exemplũ animi humani, beneuoli ac liberalis. Nõ solum quod petierat seruus, largius quàm petierat dedit Ribkah, sed & quod nõ petierat, ultrò adiecit, plus præstans quàm rogata fuerat. Etiam camelis tuis hauriam, inquit. Ad animi bonitatem pertinet, quòd camelorum quoq; necessitatem considerat, idq; non suorũ, sed alienorum. Qui iumentorũ suorum curã gerunt, rerum suarum rationẽ habent, & respectu proprij commodi ducuntur. Qui uerò animalia non sua non ex officio, sed libera beneuolentia curant, quid aliud quàm animi bonitatem declarant? Veræ bonitatis ingenium est, bene uelle non hominibus modò, sed & bestijs ac iumentis, ac necessitatibus illorum uiribus consulere. Sic diuinam bonitatem cõmendaturus propheta, canit: Homines & iumenta seruas Dñe, quemadmodũ multiplicas bonitatẽ tuã Deus.

Non esse interrogandum ubi est dandum.

Et illud considera. Non interrogat, debeat ne & camelis potum dare: sed, Etiam camelis tuis, inquit, hauriam: & responso non expectato, recurrit ad fontem, & haurit. Sic solent qui dant ex animo. Vulgo dicimus, Wer da fragt, der gibt nit gern.

Animalia bibũt quantũ satis est naturæ.

Nec illud transeundum est, q̃ non simpliciter dicit, Etiã camelis tuis hauriã: sed addit, Donec cessent bibere. Hoc est, quantum satis est. Duo considera. Vnum, ad animantia bruta, ut ubi biberunt quantũ satis est naturæ, cessent bibere. Homo usqueadeò corruptus est, ut non sitiens bibat, finemq; ac modum bibendi nõ naturæ necessitate, sed turpissima ebrietate metiatur. Alterũ, pertinere hoc ad ueræ beneficentiæ studium, ut qui benefacit, faciat hoc sufficiẽter, dans egenti, esurienti, ac sitienti, quod satis est. Parcè dat, qui non dat ex animo. Ribkah uerò camelos potat donec cessent bibere.

Sufficienter benefaciendum.

Nihil esse perdendũ quod usui esse potest.

Et festinanter euacuauit hydriam, inquit, in canale. Non effudit aquam in terram, sed in canale. Quàm est prompta ad hauriendum, tam non uult perire quod hauserat, ne aquam quidem inutiliter effundens. Non debet perdi quod aliquo potest esse usu commodum. *Man sol nit schõn wasser hin schütten.*

Diuinæ prouidentiæ declaratio stupenda est sanctis.

Et uir ille admirando contemplabatur eam tacitus, scire uolens num prosperũ fecisset Deus iter suũ.] In eo quod in admirationem ac stuporem fuit hic seruus raptus, ubi ex uerbis & factis puellæ cognouit hanc ipsam esse, propter quam uenerat, admonemur de prouidentiæ Dei effectu, q̃ ille sanctis hominibus sit stupendus & admirabilis, ubi palàm ac uelut ad oculum monstratur, præsertim post uota & precationes incunctanter & exactè declaratus. Nõ admirabatur ipsam puellam hic seruus in se, sed ad tam manifestam diuinæ dispositionis declarationẽ obstupescebat, quòd tam citò occurrisset ea ipsa qua quærebat, quodq; ad indicium mentis conceptũ omnia tam accuratè respondisset. Hoc igitur admirationis genus non est hominũ carnalium ac insensatorũ, sed eorum quibus sunt oculi ad uidendum, aures ad audiendum, & cor ad intelligendum, ac sentiendum diuinæ dispositionis admirabiles operationes.

Nõ forma tantũ, sed mores cũprimis spectandi sunt in sponsis.

Deinde & hoc considerandũ est, q̃ eam contemplatus est tacitè, ut cognosceret, num prosperũ fecisset iter suum Deus. Vbi uidit eam ipsam esse, quã Deus fino dũ sui destinabat, cupiebat etiam scire qualis esset, non pulchritudine, quã uiderat statim initiò cũ illi occurrisset, ac de hydria eius biberet, sed ingenio ac moris-

ac moribus. Admonemur prosperitatem nuptiarum pendere non à forma nubentium, sed ab ingenio illarum & moribus matrimonio commodis. Et reuera prosperum iter, opus ac studium est, quo uxor timens Dei & morata acquiritur.

Simul obserua qua in re obseruet hic seruus Ribkam, ut inde discat, quàm sit commoda futura hero suo cõiunx. Erat admodum humile ac seruile opus quod faciebat Ribkah, hauriens aquam camelis. At in illo discebat, quo esset ingenio, & quibus moribus prædita. Huiusmodi animi experimentum, quaerebat hic seruus in futura heri sui uxore, in opere humili, seruili, ac domestico multo melius capitur, quàm in sublimiori aliquo, quo animi delectantur non submissi & officiosi, sed sublimes & elati. *In opere domestico discendum qualis sit sponsa.*

Et illud notandum est, quòd tacitus contemplatus est puellam, ut qualis esset disceret. Silentium & quies pulchrè seruiunt considerandis ac contemplandis rebus. Videbatur inciuile & ignauũ quòd puellam adiquandis decẽ camelis occupatã nõ iuuabat. Verùm instituto contemplationis cõmodius erat, ut interea dũ illa hauriebat aquã quiesceret, & haurientis ingeniũ, mores & alacritatẽ cõsideraret. Admonemur quiescendum esse aliquando ac tacendum, ut contemplationi rerum necessariarum ad tempus uacemus. Etenim animus uel dicendo uel operando occupatus, ineptus est ad contemplationẽ rerum. Si fœderis in mensa inter uescentes & uina haurientes, consultius tacebis, & ex dictis ac factis conuiuarũ ingenia & mores eorum contemplando intelliges. *Silentium cõmodum contemplationibus.*

Et factum est, postquam cessarunt cameli bibere, accepit uir ille ornamentum aureum &c.] Obseruãdum hic est, quòd seruus iste animum puellæ, propter quam uenerat, ornamentis aureis sibi conciliat, & ad futuras nuptias præparat, priusquã causam suam ad parentes illius deferat. Cogitabat homo circunspectus multum referre, quo illa animo futura esset erga causam hanc, quæ ipsum relicta domo patria in terrã Canaan sequi deberet. Videmus hoc exemplo q̃ conueniat, ut ubi de uoluntate & prudentia Dei certò constat, non simus ignaui, sed quod nostrũ est faciamus diligenter. Videbat hic seruus puellam istam destinatã esse à Deo in uxorem filio domini sui. Vbi id certò intellexit, nõ cogitat, quoniã à Dño proferum factum est iter tuum, & hæc puella est hero tuo ab illo præparata, non poterit illa diuinæ dispositioni reluctari. Quare nihil refert, quo sit erga causam hanc animo, nec opus est ut aliquo illam munere ad consentiendum inducam. Non est probanda huiusmodi cogitatio. Ob id ipsum erat animus puellæ honesto munere ad futuras nuptias præparandus, quòd manifestis argumentis constabat, esse illam diuinitus destinatam Isaaco uxorem. *Diuinæ dispositioni nostrum est adiungendũ studium.*

Deinde obseruandũ etiam est, quo genere munerũ animum puellæ alliciat. Accepit, inquit, uir ille ornamentũ faciei, uel, frontale aureum, semiuncia pondus eius, & duas armillas super manus eius, decem aureorũ pondus earũ. Ergo dedit illi munera & aurea & ornatũ habentia. Ornauit illi faciẽ & manus ornamentis aureis. Vides hoc exemplo non esse alienum à sanctis ornare sexum muliebrem mundo aureo, modò absint impuri & inhonesti affectus. Ornamenta ista allata sunt è domo Abrahę sanctissimi patriarchæ ac puellæ data, quæ futura erat uxor seminis electi, & ad hoc data, ut ad nuptias futuras citius consentiret. Quare damnandum in se non est, quòd puellæ desponsatæ ornantur. *Ornatus muliebris non est alienus à domo sanctorum.*

Illud reprehendendũ est, quòd plerũq; ornantur incõpetenter, & intempestiuè, aliunde, & ad alium finem, modis etiam alijs quàm decet puellas honestas. Huiusmodi puellæ, qualis erat Ribkah, dignæ sunt quarum pudicæ frontes & manus officiosæ auro decorentur ab illis, quorum sunt connubijs destinatæ. Manus ἐλεφαντίδωτες ornantur auro. Discamus quàm sint dignæ quæ in precio habeantur. Ver tices regij, principales, & episcopales ornari solent coronis, diadematibus, mitris ac tiaris. Optarim illis, ut quo officiorum gratia decorantur honore, tam se dignos esse comprobarent, quàm uideri uolunt. *Quid damnandum sit in ornatu puellarum.*

Nec illud transeundum est, quòd pondera ac precium munerũ istorum memorantur. Habent hac in re seruus rationem honestatis domini sui. Honesta sunt munera, quæ pro facultate dantis preciosa sunt, non uilia, & ei cui dantur non solum pulchritudine sua ornando, sed & utilitate aliqua commodando seruiunt. Sic ornat sponsam suam Christus, ac ditat muneribus paternis, quæ & pulchra sunt & utilia, ac simul honestati Dei & nostræ seruiunt saluti. *Honestas munerum.*

Vide etiam q̃ sit competenter factum, quòd armillarũ pondus, quas super manus Ribkæ posuit, decem aureorum fuit. Duæ manus dextra & sinistra ex æquo ornantur, licet dignitate præcellat dextra. Vnicuiq; quinq; sunt digiti, & ipsi impares longitudine, uiribus, & usu. Et tamen sic ornantur precio muneris ex æquo, ut singulis singuli deputentur aurei. Apparet enim in precio ac pondere armillarum istarum rationem esse habitam decem digitorum. Hæc uera liberalitas est, qua non solum quæ fortia sunt & præcipua, sed & infirma & inferiora cohonestantur. *Si* confideres ecclesiam Dei ac sponsam Christi, in illa quoq; sunt facies & manus. In facie sunt oculi, quorum usus est considerare singula ac prospicere reliquo corpori si qua sunt uel agenda, uel cauenda. Hæc cura Episcoporum est, qui propterea Episcopi & superattendentes uocantur, quòd ex officio teneantur uigilare & prospicere Ecclesiæ. Non laborant sicuti manus, & tamen nihil minus sunt q̃ ocioſi, sed admodũ negocioſi ac summopere necessarij, siquidem officio suo non desunt. Manus sunt in Ecclesia, homines corpori in ecclesiastico tam in corporalibus q̃ spiritualibus operando ac laborando seruientes. Et quamuis neq; uiribus, neq; generibus officiorum, neq; quantitate fructuum quos adferunt, pares existant, ex æquo tamen omnes accepti sunt Christo Domino, & digni habentur qui cœlesti ornatu decorentur. Sed ò bone Deus quàm non est Rebeccæ nostræ facies decora, sed admodum turpis ac dedecorosa, si facies Ecclesiæ sunt Episcopi: quique non sunt illius manus ad operandũ honesta & utilia officiosæ, sed tam in malo negocioſæ, quàm *Imago ecclesiæ Christi.*

in bono ocioſæ. Quare mirum non eſt, quòd Eccleſiæ noſtræ nec facies, nec manus cœlesti ornatu cohonestantur, qua in re manifestum est argumentum quòd Christo Domino displiceat.

Iuuentus filia senectutis.

Et dixit ad eam: Filia cuius es? Indica mihi. Eſt ne in domo patris tui locus ad pernoctandum?] Principiò uocat eam filiam. Recepta eſt hæc conſuetudo omnibus nationibus, ut ſenes uocent iuniores filios & filias, propter ætatem. Quare conuenit, ut qui ſenes ſunt, iuniores diligant tanq̃ filios: & ſi locus ſit & occaſio, forment & inſtruant: rurſus iuniores obſeruẽt ac ſuſpiciant ſenes tanq̃ patres. Et Apoſtolus hucreſpexit 1. Timoth. 5. cum dicit: Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra ut patrem. iuniores ut fratres (erat namq; & ipſe Timotheus iunior) anus ut matres, iuuẽculas ut ſorores. Si ſenior fuiſſet Timotheus, admonuiſſet eum, ut iuniores alloquereť tanq̃ filios ac filias. Verùm ab hac honeſtate præſentis ſeculi mores omniũ ſunt alieniſſimi. Nec ſenes quippe rationem habent inſtituendorũ iuuenum, nec iuuenes obſeruant ſenes, nec æquales mutuo fraternæ charitatis affectu ducuntur.

Etiam quæ certò ſcimus ex ore eorum quorum interest percontamur.

Deinde obſeruanda ſunt quæ interrogat. Duo interrogat. Vnum, cuius ſit: alterum, num in domo patris ipſius ſit locus ad pernoctandum. Quod primum attinet, uolebat ex ipſius ore percipere num ad domũ Nahor pertineret. Sciebat illud ex indicio eorũ quę uiderat & audierat, & tamen ex ipſo puellæ ore certior fieri cupit. Nõ eſt igitur præter rationẽ & alienũ à more cordatorũ hominũ, ſi quæ certis indicijs cognouerũt, ex illis quorum intereſt percontenť. Quod alterũ concernit, rationẽ habebat cauſæ honeſtè ac legitimè agẽdæ. Volebat parentes puellæ cõuenire, illisq; legationẽ ſuam exponere. Quare ne uerbo quidẽ puellæ aperit, quis ſit, & quòd ipſius gratia tantũ itineris ſuſceperit: ſed actionẽ cauſæ ſuæ integrã ad aures, conſcientiã & uoluntatẽ parentum illius reſeruat, ut illorũ arbitrio obtineat ꝙd petiturus erat, uel re infecta domum redeat. Hoc animo interrogat, num in domo patris ipſius ſit locus ad pernoctandũ. Et hi mores noſtra ætate uehemẽter obliterantur. Seorſum, inſcijs parentibus, tranſiguntur copulæ nuptiarum cum puellis. Eſt locus contra raptores uirginum.

Cauſa honeſta honeſtè agẽda.

Simpliciter & pertinenter reſpondendum.

Quæ reſpondit: Filia ſum Bathuelis, &c.] Obſeruandum eſt hoc loco, non modò quòd tam placidè homini peregrino, cuius ſit interroganti, ſed & tam pertinenter ac ſufficienter ad interrogantis cauſam reſpondet. Spirant quidem uerba puellæ huius ſimplicitatem quandam & ingenij placiditatẽ: uerùm iuxtà ſic diuino inſtinctu diriguntur, ut ad cauſam quæ agebatur ſint omnium accõmodiſſima, nec quicquam deſiderari queat. Principiò nõ ſimpliciter dicit, Filia ſum Bathuelis: ſed originem natalium ſuorum ad auum referens, addit, Filij Nahor. Hic fuerat frater Abrahæ, & ad illius domum erat ſeruus iſte miſſus, quamuis ipſa nihil dum ea de re ſciret. Deinde addit adhuc, Quem peperit ei Milcha. Habuerat Nahor non ſolum uxorem Milcham, ſed & concubinam nomine Reumah, & ex utraq; ſuſtulerat ſobolem. Itaq; ut ſignificaret ſe eſſe natam patre liberæ non concubinæ filio, particulam hanc adiecit. Iſta ſic reſpondit puella rerũ quę agebantur ignara, ex inſtinctu Dei, ut animus ſerui adhuc certior redderetur. Alioqui, quorſum attinuiſſet homini peregrino recenſere de maioribus patris, & qua ille eſſet matre genitus, niſi iſta propter ſeruũ diuino fuiſſent inſtinctu ex ore puellę prolatæ? Sic uides exemplũ diuinæ diſpoſitiõis, qua piorũ cauſa dirigi ſolet. Vides etiã ſimplicitatẽ ac placiditatẽ ingenij cõiunctã in Rebkah.

Quod genus uitæ fuerit ueteribus.

Argumentum diuinæ benedictionis.

Palearũ quoq; & fœni multũ eſt, inquit, apud nos, & locus etiã ad pernoctandũ.] Obſeruandũ hic eſt, ꝙd nã familiæ iſti cognatæ Abrahæ fuerit genus uitæ ac uictus. Ex multitudine palearum & fœni, facilè intelligitur fuiſſe illã deditã agriculturæ, & alendis pecoribus. Sic alebantur priſcæ ſanctorũ familiæ. Simul obſerua argumentũ diuinæ benedictionis in copia palearũ ac fœni. Quamuis nõ eſſet domus Nahor ad fœdus Dei cum Abrahamo electa, bene tamen uſa eſt ubertate diuinæ benedictionis & gratiæ, propterea q; eſſet Abrahæ cognata, ac matres ſeminis electi Rebkam, Rachelem, & Leam ſubminiſtraret.

Facilitas ad accipiendũ peregrinos.

Et illud conſiderandum eſt, quòd puella homini peregrino tam liberaliter non ſolum de loco pernoctandi, ſed & pabulo camelorum reſpondit, atq; ita illum ad domum paternam inſcijs adhuc parentibus uelut inuitat. Diſce hinc, quàm non fuerit domus iſta difficilis ad accipiendum peregrinos, ſed uſqueadeò facilis, ut puellæ licuerit peregrinis tanto numero nondum cõſultis maioribus hoſpitij ſpem facere: quod nunq̃ factura fuerat, ſi ſe malam propterea gratiã in oculis parentum initurã timuiſſet. Sciebat humanitatẽ paternæ domus, in qua fuerat enutrita, ideo iſta tam cõfideranter peregrino reſpondit.

Domũ Dei eſt, ſi datur rectà peruenire quò itur.

Inclinauit ſe homo, & adorauit Dominum, dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abrahæ, qui nõ abſtulit miſericordiã ac ueritatẽ ſuam à domino meo. Ego in ipſa uia ſum. Duxit me Dominus ad domum fratrũ domini mei.] Quinq; ſunt in iſta doxologia fideliſſimi ſerui obſeruanda. Primum eſt quod dicit: Ego in uia ſum, ad domum fratrum domini mei perueni. Qui peregrè proficiſcitur, diſcat hic, quanti ſit faciendũ, ſi derur recta uia abſq; ullis erroribus aut periculis ad deſtinatum peruenire locum.

Succeſſus rerum noſtrarum Deo adſcribendus.

Secundum q. non ſimpliciter dicit, Perueni ad domum: ſed, Duxit me Dominus ad domũ fratrum domini mei. Succeſſum itineris ſui tribuit Deo, quòd ab angelo illius rectà eſſet ad domũ Nahor perductus. Admonemur ut omnium rerum noſtrarum ſucceſſum ſoli Deo adſcribamus, etiamſi pro noſtris uiribus omnem diligentiam & induſtriam impenderimus.

Perpetuitas gratiæ Dei erga ſe colentes.

Tertiũ. Quod ductũ hunc Dei non ſuæ ipſius probitati ac iuſtitiq, ſed bonitati ac fidei Dei erga Abrahamũ adſcribit, dicens, Qui nõ intermiſit bonitatẽ ac ueritatem ſuam à dño meo. Non dicit ſimpliciter, Qui fecit bonitatẽ: ſed, Qui non omiſit, non abſtulit, haud ceſſare fecit bonitatem ac fidem ſuam à domino meo. Agnouit igitur Deum non tum primũ benefacere cœpiſſe domino ſuo Abrahamo, ſed conſuetam ſuam & uſitatam gratiam ab illo non auertiſſe, ſed in hac quoq; cauſa declaraſſe, cuius ipſe conſtitutus fuerat legatus. Admonemur quàm debeamus uigilanter obſeruare gratiæ Dei erga eos qui ſe

dilgunt

diligunt & colunt perpetuitatem, & irremissam constantiam.

Quartum, quòd successus huius gratia erumpit in gratiarum actionem & laudem Dei, dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham. Vides exemplum animi pij, fidelis, & grati. Pij, quòd opus diuinæ bonitatis agnoscit. Fidelis, quòd tantopere de successu causæ nõ suæ, sed domini sui lætatur. Grati, quòd quemadmodum opem auxilijs diuini suprà implorauerat, ita uoti compos factus in gratiarum actionem erumpit. Sunt hæ dotes admodum mirabiles in homine seruo, quas hodie uix in episcopo inuenias. *Exemplum animi pij, fidelis & grati.*

Quintum, quòd inclinatione capitis & corporis sui incuruatione Deum laudauit. Sic sunt animati sancti, ut ad quamuis diuinæ Maiestatis memoriã nõ ore tantum, sed & corpore & externis gestibus reuerentiam humiliter exhibeant, siue id faciant subleuatione oculorum & manuum, siue inclinatione capitis, siue incuruatione genuum, uel prostratione totius corporis. Et reuera digna est incomparabilis Maiestas Dei, quam honoret non tantum portio aliqua hominis, sed totus in uniuersum homo quantus quantus est, spiritu, ore, & corpore. Et sic comparati sumus, ut quæ internam illam affectuum norum sedem mouent, simul moueant nos totos, ut & spiritu exultemus in lætis, & ore psallamus & corpore gestiamus: in tristibus uerò deijciamur animo, queramur, ueleiulemus ore, & corporis gestibus palàm animi mœrorem ac luctum exprimamus. Quare credibile non est, quòd ex animo orent, uel psallant, qui toto corpore perinde ac si aliud quid agant, desident ac quiescunt. Non moratur Deus externa siue uerba, siue opera, quę hypocritæ plerunq; sine corde ac spiritu simulant, sed fidei, pietatis, obseruantiæ, humilitatis, reuerentię, gratitudinis ac sinceritatis ueritatem. At ueritas ista suam habet efficaciam, perinde atq; uerus ignis suum ardorem, uera lux suum splendorem. Hinc est uidelicet, quòd externi orantium ac gratulantium gestus in scripturis commemorantur, ut admoneamur de ueritate quam amat Dominus, non ut hypocrytarum mores imitemur. *Honorandus Deus corde, ore, corpore.*

Cucurrit itaq; puella, & nunciauit in domum matris suæ omnia quæ audierat. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem ubi erat fons. Cumq; uidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta uerba referentis, hæc locutus est mihi homo, uenit ad uirum qui stabat iuxta camelos & prope fontem aquæ, dixitq; ad eum: Ingredere benedicte Domini. Cur foras stas? Præparaui domum, & locum camelis tuis. Et introduxit eum in hospitium, ac destrauit camelos, deditq; paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes camelorum, & uirorum qui uenerant cum eo.

LECTIO.

Et nunciauit in domum matris suæ.] Sept. habent, καὶ ἀνήγγειλε τῇ μητρὶ αὐτῆς, id est, Et nunciauit matri suæ.

Omnia quæ audierat.] Sic non est in Hebræo, sed חאלה דברים, id est secundum uerba ista. Sic uerterunt & Sept.

Qui festinus egressus est.] Hebr. Et cucurrit Laban ad uirum foràs ad fontem.

Cumq; uidisset inaures, &c.] Hebr. Et factum est, cum uidisset ornamentum frontis (חגרם) & armillas super manus sororis suæ, & cum audisset uerba Ribkah sororis suæ dicentis, &c.

Qui stabat iuxta camelos.] Hebr. Et ecce stabat iuxta camelos ad fontem.

Ingredere benedicte Domini.] Sept. sic, δεῦρο εἴσελθε, εὐλογητὸς κύριος, id est, Huc ingredere, benedictus Dominus. Legerunt sine punctis pro ברוך, id est beruch, ברך, id est baruch, ideoq; uerterunt in nominatiuo, Benedictus Dominus.

Et introduxit eum in hospitium.] Hebr. Et ingressus est uir domum, ac soluit camelos. Sic Sep. Et ingressus est uir domum, & exonerauit camelos.

Ad lauandos pedes camelorum.] Camelorum non est in Hebræo: sed, Ad lauandum pedes eius & pedes uirorum qui erant cum illo. Sic uerterunt & Sep.

EXPLANATIO.

Summa contextus huius est, quomodo sit seruus Abrahæ in domo Bathuelis hospitio acceptus. Ribkah de aduentu illius narrauit in domo matris Laban. frater Ribkę introduxit eum in domum cum seruis & camelis.

Cucurrit itaq; puella, & nunciauit in domum matris suæ, &c.] Quoniam de eo interrogauerat seruus, num locus esset in domo patris ipsius pernoctandi, deinde & in ipsa doxologia illius intellexerat, esse eum seruum Abrahæ, hydria ad fontem relicta, cursu domum contendit, & rem omnem exponit. Habebat autem Ribkah fratrẽ nomine Laban, qui festinus egressus est, &c. Nomen huius Moses hanc potissimum ob causam exprimit, quòd multa erat de illo ac filiabus eius in historia Iacob narraturus. Et factum est cum uidisset ornamentũ frontis & armillas super manus sororis suæ, & audisset uerba Ribkah, &c. Venit ad uirum. Quoniam dixerat Laban fratrẽ Ribkah ad uirum foràs cucurrisse ad fontem, subijcit ista non quòd ordine præcedentia sequantur, sed ut exponat, unde motus sit Laban, ut ad uirum

foràs excurreret. Sic causam facti post factum exponit. Prius enim uiderat munera sorori data, & uerba illius audierat, quàm foràs ad uirũ excurreret. Et dixit ad eum: Ingredere benedicte Domini. Verborum istorum sensus bifariam accipi potest. Primùm, ut habeant salutationem. Videtur inciuile, alloqui hominẽ peregrinum sine salutatione. Vtuntur autem Hebræi uerbo ברך, id est, benedicẽdi, in officio salutãdi, sicuti uidere est 2. Reg. 2. & 2. Reg. 10. Hoc sensu quod Laban dixit בוא ברוך יהוה, idẽ est quod nos Germanicè dicimus, *Biß Got wil kommen, hoc est, Biß in Gotes willen kommen, uel, Biß in Got wol kommen*: quod alij sic efferunt, Bene ueneris. Deinde, ut habeant non salutationem, sed inuitationẽ, ut ingrediatur ad paratum hospitium. Hoc sensu communiter exponitur hæc particula. Prior sententia mihi arrider, sed ita, ut alteram non damnem. Cur foris stas? Præparaui domum & locum camelis tuis. Ergo priusquã ad eum excurreret, domi parauit locum & uiris & camelis. Sic sequentia priora declarant. Quod uerterunt, Præparaui domum, in Hebræo est מגיתי חבית, id est, Vacuaui domũ quod nos Germanicè uocamus rhaumen. Et intrauit uir ille domum, & soluit camelos, &c. Duo narrat. Quòd uidelicet seruus imitatus iam diuerterit in domum Bathuelis, ac camelos suos exonerauerit. Deinde & camelis datum sit pabulum, & uiris aqua ad lauandum pedes. Sic erat regionum illarum consuetudo.

QVAESTIO.

Quare non nunciauerit Ribkah in domum patris potius quàm matris.

Et nunciauit in domum matris suæ.] Mouent hic quæstionem, quare non dicat Moses, quòd Ribkah de aduentu serui Abrahę nunciauerit in domum patris sui, potius quàm in domum matris. Variant hac in re sententiæ, etiam Hebræorum. Iosephus scribit Bathuelem patrem Ribkæ tum temporis non fuisse amplius in uiuis. Qui hoc sentiunt, propterea dictum putant, quòd in domum matris suæ nunciarit puella, quòd pater illius esset mortuus, & mater domum gubernaret. Et isti sententiæ fauere uidetur, quòd infrà fine mentione patris omnia aguntur per matrem ac fratrem puellæ. Seruus dicitur munera dedisse fratri, puellæ, ac matri. Item, Respondit frater eius, inquit, & mater. Et, Dimiserunt Ribkam sororem suam. Et, Benedixerunt Ribkæ, dixeruntq; ad eam, Soror nostra tu es, &c. Rursus alij ex Hebræis iudicant Bathuelem patrem Ribkæ nondum fuisse mortuum, eo quòd infrà legatur: Et respondit Laban & Bathuel dicentes. Verum qui priorem sententiam tenent, dicunt hunc Bathuelem nõ fuisse patrem Ribkæ, sed fratrem, idq; iunorem, eamq; ob causam poni post Laban. Quorum sententiæ opitulantur, qui infrà legunt in plurali, Fratribus quoq; eius & matri dona obtulit. ad quem sanè modum Hebræa sine punctis legi possunt. Mea sententia quod patrem Ribkæ attinet, uerosimilius est, non fuisse eum amplius in uiuis, cum ista gererentur. Alioqui causam non uideo, ob quam matris tonties fiat mentio, patris uerò ne semel quidem, cum ad illum potissimum potestas desponsandi filiam pertinuisset, siquidem adhuc superstes fuisset. Quod uerò Moses puellam in domum matris suæ nunciasse dicit, non est inconueniens, si cum Shlomone ob id hoc factum esse dicamus, quòd matres familias apud ueteres seorsim ac separatis mansionibus unà cum filiabus & ancillis habitarent, cuius & suprà alicubi memini, & hoc ipso capite circa calcem innuitur, eamq; ob causam Ribkah rectà primùm ad mansionem matris cucurrerit, & de seruo Abrahæ nunciauerit.

OBSERVANDA.

Discretio Ribkæ, qua parentibus suam potestatem seruauit illæsam.

Cucurrit itaq; puella, & nunciauit in domum matris suæ secundum uerba ista.] Obseruandum hic est, quòd Ribkah seruum Abrahæ nõ ipsa domum secum adduxit, sed domi primùm de illo nunciauit, decorum seruans puellæ, cuius non est sponte sua quenquam in domum paternam inducere, uel etiam ex illa ciere, sed eam potestatem parentibus integram permittere. Prædicauerat quidem illi capaciratem domus paternæ, & copiam pabuli pro camelis, uerùm uocandi & accipiendi illius potestatem detulit ad parentes. Vides exemplũ discretionis. Erat animo placido, humano, liberali, & officioso erga quosuis, uerùm citra iniuriam parentum. Ex demum pulcherrimæ dotes sunt quibus conueniens adiuncta est discretio, qua rectè dispensentur, ne quo pacto iusti limites excedantur.

Constans alacritas Ribkæ.

Et illud considerandum est, quòd domum cucurrisse scribitur. Iam tertiò memoratur, quod festinarit & cucurrerit. qua in re uides exemplum animi constanter prompti, & ad seruiendum alacris. Omnino singulare quiddam est, si inuenias in muliere placiditatem & humanitatem animi cum alacritate & promptitudine spiritus coniunctam. Solent enim benignæ ac placidæ plerunq; esse tardiore ac remissiore spiritu: contrà, quæ uelociori & expeditiori sunt spiritu præditæ, moribus esse aliquanto difficilioribus, & non admodum placidis. At Ribkah nostra & placida est, facili mitiq; ingenio, & simul spiritu prompto & alacri, planè optimæ iam tum matris familias specimen ostendens.

Exemplum fraternæ beneuolentiæ.

Et habebat Ribkah fratrem nomine Laban: & cucurrit Laban ad uirum foràs ad fontem. Et factum est cum uidisset ornamentũ faciei, & armillas super manus sororis suæ, & cum audisset uerba Ribkæ sororis suæ dicentis, Sic loquutus est ad me uir ille, uenit ad uirum, & ecce stabat iuxta camelos ad fontem.] In eo quòd Laban non inuidit sorori aurea munera, nec dixit, Habes munera, uade ergo & introduc hospitem tuum, de quo prædicas, paraq; illi quæ sunt paranda, ego nihil horum faciam, sed parat ipse domum, & confestim currit ad uirum foràs: uides exemplum fraternæ ac domesticæ beneuolentiæ, quam hodie inter fratres ac sorores raro inuenire licet, ut non frustrà dixerit ille, *Fratrum quoq; gratia rara est.*

Exemplum bonæ conscientiæ lucè non fugientis.

Deinde, Et factum est, inquit, cum uidisset ornamentum faciei & armillas super manus sororis suæ. Ergo non absconderat puella quæ acceperat à seruo munera, sicuti facere solent, quæ mala conscientia præditæ munera ab amatoribus & procis accepta abscondunt, & conscientia parentum suorũ fallunt, sed quemadmodum acceperat illa honestè & sine omni sinistri propositi conscientia, ita palàm etiam

accepta

accepta gestat,& ad conscientiam matris ac fratrum defert. Habes exemplum honestæ ac bonæ cõscientiæ,quæ non tenebras,sed lucem amat. Qui malè agit,inquit Christus,odit lucem.

Tertiò. Et cum audisset uerba Ribkæ sororis suæ dicentis,Sic loquutus est ad me uir ille, uenit ad uirum. Vide imaginem ueræ ac germanæ Christi ecclesiæ. Ribkah habet signa & uerba, à pronubo suo,loco Isaac,accepta. Illa planè non celat,sed ostentat &exprimit. Ecclesia & sponsa Christi habet & ipsa signa pariter & uerba, utraq; à Christo accepta: & habet non occultè,sed palàm:non cum pudore ac uerecundè, sed cum fiducia & bona conscientia. Laban uidet in fronte & manibus sororis suæ signa,& audit ex ore illius uerba, quę seruus Abrahæ ad ipsam dixerat,& hinc ad credendum illi usquea deò mouetur,ut ad uirum foràs non lento gradu cunctanter erat,sed ueloci cursu contendat. Vides uerum signorũ ac uerbi Christi in Ecclesia? Seruiunt fidei in Christum,& ad eundem pariter scopũ,Christum uidelicet,dirigunt. Non sunt separanda signa à uerbo. Rationem signorum uerba exponunt. Sunt autem tria signorum genera. Primum est eorum quę miracula uocantur. De illis est quod Marci ultimo legitur,Domino concomitante & sermonem confirmante sequentibus signis. Secundum eorũ est quæ sacramentalia signa nominantur,quorum unum initiale est,Baptismus uidelicet: alterum memoriale, cœna,scilicet Dominica. Tertiũ est in admirabili illo fidei,spei,charitatis,humilitatis, bonitatis,patientiæ,&c. decore, cuius splendor de Ecclesia Christi sponsa testatur,quòd cœlesti sit ornamento decorata. Omnibus istis signis,non aliunde quàm à Christo acceptis,decorata est Ecclesia,& additum est uerbũ, & ipsum non aliud quàm Christi,Euangelium scilicet regni. Primo ac tertio genere signorum,adiuncto uerbo, diriguntur ad Christum qui illum nondum cognouerunt ut ad eum exeant, stantem ad fontem aquarum uiuentium. Haud enim minus ornamento uirtutum quàm miraculorũ mouentur,ut cupiant de fide hac & doctrina quam audiunt cognoscere. Nam utrobiq; insolitum quid & cœleste ostendunt. Secundò signorum genere seruitur ipsis fidelibus,ipsi Ecclesiæ,ut habeat fidei exercitia & alimenta,& accedentes ad Christum incorporet. Sic est inquam comparata uera & germana Christi ecclesia. Quare qui uel diuellunt uerbum à signis,uel aliud uerbũ,aut alia signa,quàm à Christo tradita ostentant,impudentissimæ scortationis,non ueræ desponsationis notam incurrunt.

Imago germanæ Christi ecclesiæ.

Tria genera signorum.

Et illud obserua. Laban,si interpreteris,sonat candidum & album. Innuitur ergo,eos demum moueri uerbo & signis à Christo datis, ut ad eum exeant,inq; eum credant, qui sunt candidi,id est, homines non malitiosi & fuligine inuidiæ & odij infecti, sed simplices & integri,quales plerunq; fuerunt qui ad Christum accesserunt. Habet nostra Ribkah multos fratres tam Iudęos quàm Græcos:uerùm non habet multos Labanim,id est,candidos & sincerè affectos,quos Christo posit adducere.

Ad Christũ egrediuntur qui sunt Labanim, id est, candidi.

Et ecce,inquit,stabat ad fontem iuxta camelos. Non consequitur puellam suapte sponte,sed foris ci uitatem manet stans & expectans, donec ipse ultrò in domum, propter quã uenerat,uocetur & inducatur. Hactenus sategit, ut puellam à Domino destinatam indagaret & inueniret. Indagauit,& inuenit. Iam nihil habens quod agat amplius priusquam hospitio accipiatur, expectat uocationem. Habes exemplum,unde discas non esse standum negociantibus,nisi rebus aliqua saltem parte perfectis,idq; ad eum finem,ut ocium illorum sit expectatio commoditatis reliqua quoq; quæ adhuc restant perficiendi.

Quando & quomodo standum sit negociantibus.

Dixitq; *ad eum:* Veni benedicte Domini,*cur foris stas? Præparaui domum & locum camelis tuis.*] Admonet hic locus ubi dicit, Veni benedicte Domini,de catholica omnium nationum consuetudine,qua salutando accipimus aduenientes siue peregrinos,siue alios alicunde uenientes,deinde discedentes à nobis ualedicendo dimittimus,tertiò operis aliquid facientibus bene precamur! Pertinent ista ad officia humanitatis ac mutuæ beneuolentiæ, qua qui præditi sunt,erga quosuis bene afficiuntur, & omnibus omnia prosperè succedere cupiunt ex animo. Sine hac beneuolentia meram spirant hypocrisim omnes nostræ salutationes,ualedictiones,& apprecationes. Hebræi utuntur uoce benedictionis,in sensu felicitatis,successus, ac proseperitatis. Hac accipiunt uenientes. Sic 1.Sam. 13. legitur Saulem egressum esse in occursum Samuelis לברכו,id est,ad benedicendum eum,quod uertunt, Ad salutandum eum hac dimittunt discedentes. Sic.2.Sam.19.de Dauide legimus,quòd benedicendo Barzillai à se dimiserit. Hac bene precantur operantibus. Sic uerbo benedictionis Dauid Absalomo filio suo ad tonsuram ouium egredienti bene precabatur.2.Sam.13. Tale quid & Psal.129.habetur. Graeci idem agunt uerbo χαίρειν. Latini utuntur uerbis,salue,uale. Germani dicimus,*Biß Got willkhomen,Behůt dich Got,Helff dir Got.* Sic catholicum est,ut salutando, ualedicendo, & beneprecando beneuolentiam erga quosuis ostendamus. Vtinam ita quàm communiter tam ueraciter & ex animo faciamus.

Consuetudo salutandi, ualedicendi,& beneprecandi.

Cur foris istas? Præparaui domum & locum camelis tuis. Admonemur hoc exemplo, tum uerę beneuolentiæ indicium dari,quando peregrinos non uerbis tantum salutamus, uel ualedicendo dimittimus,sed reipsa etiam in necessarijs iuuamus. Vide locum Iacobi cap.2. Sic Laban non salutauit tantum seruum hunc Abrahæ,sed & hospitio accepit.

Indiciũ ueræ beneuolentiæ.

In eo quod dixit, Cur foris stas? admonemur, quàm non debeamus probare ciuilitatem quæ erga nos ostenditur. Rectè faciebat seruus Abrahę,quòd non fuerat puellam suapte sponte sequutus, sed expectabat donec uocaretur. Rectè faciebat etiam Laban quod significabat,fuisse sibi ac suis gratissimũ, si seruus iste ultrò in domum suam diuertisset.

Ciuilitatem quæ erga nos ostenditur non debemus probare.

Et introuit uir ille domum, & soluit camelos, deditq; paleas & fœnum,& aquam, &c.] Notandum est, quod non legitur seruus iste uerbo aliquo tergiuersatus, cum à Laban inuitaretur. Statim ubi uocabatur ad hospitium, obtemperauit. Quàm fuerat ciuilis in retinendo pudore, ne suapte sponte nondum

Nec inuerecundi nec morosi sunt sancti.

uocatus diuerteret, tam non fuit morosus cum inuitaretur. Sic temperantiæ studendum esse monemur, ut nec pudoris nostri obliti, inuerecundi: nec præpostori pudoris studiosi, morosi ac difficiles simus.

Primo loco succurrendum plus cæteris laborantibus.

Et soluit camelos, deditq; paleas & fœnum. Ergo prima cura impendebatur camelis exonerandis & pascendis. Admonemur, primo loco succurrendum esse plus cæteris laborantibus, etiamsi sint animalia bruta, nedum homines.

Et aquam ad lauandos pedes eius & uirorum qui uenerant cum eo. Quæ hic consideranda sint, uide supra cap. 18. ibi: Et afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes uestri.

Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei, Loquere. At ille, Seruus, inquit, Abraham sum. Et Dominus benedixit domino meo ualde, magnificatusq; est, & dedit ei oues & boues, argentum & aurum, seruos & ancillas, camelos & asinos. Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditq; illi omnia quæ habuerat. Et adiurauit me Dominus meus, dicens: Non accipies uxorem filio meo de filiabus Cananæorum in quorum terra habito, sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies uxorẽ filio meo. Ego uerò respondi domino meo: Quid si noluerit uenire mecum mulier? Dominus, ait, in cuius conspectu ambulo, mittet angelum suum tecum, & diriget uiam tuam, accipiesq; uxorẽ filio meo, de cognatione mea, & de domo patris mei. Innocens eris à maledictione mea, cum ueneris ad proximos meos, & non dederint tibi.

Veni ergo hodie ad fontem aquæ, & dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti uiam meam in qua nunc ambulo, ecce sto iuxta fontem aquæ, & uirgo quæ egredietur ad hauriendum aquam, audierit à me, Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum de hydria tua, & dixerit mihi, Et tu bibe, & camelis tuis hauriam, ipsa est mulier quam præparauit Dominus filio domini mei. Dumq; hæc tacitus mecum uoluerem, apparuit Rebecca ueniens cum hydria quam portabat in scapula, descenditq; ad fontem, & hausit aquam. Et aio ad eam: Da mihi paululum bibere. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum. Bibi, & adaquauit camelos. Interrogauiq; eam, & dixi: Cuius es filia? Quæ respondit: Filia Bathuelis sum filij Nachor, quem peperit ei Milcha. Suspendi itaq; inaures ad ornandum faciem eius, & armillas posui in manibus eius, pronusq; adorauí Dominum benedicens Domino meo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio eius. Quamobrem si facitis misericordiam & ueritatẽ cum domino meo, indicate mihi: sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, ut uadam ad dexteram siue ad sinistram.

Responderunt Laban & Bathuel, A Domino egressus est sermo. Non possumus extra placitum eius quicquam aliud loquí tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit uxor filij domini tui, sicut loquutus est Dominus. Quod cum audisset puer Abraham, procidens adorauit in terram Dominum, prolatisq; uasis argenteis & aureis ac uestibus dedit ea Rebeccę pro munere. Fratribus quoq; eius & matri dona obtulit. Initoq; conuiuio uescentes pariter & bibentes manserunt ibi.

LECTIO.

Et appositus est in conspectu eius panis.] Hebraicè, Et posuit coram eo ad comedendum. Septuaginta, Et appo

Et apposuit eis panes ad edendum. Chald. Et posuerunt coram eo ad edendum.

Respondit ei, loquere.] Sept. uerterunt in plurali, & dixerunt, loquere.

Et dedit ei omnia quæ habuerat.] In Ebræo nō est, quæ habuerat: sed, אשר לר. id est quæ ipsi, q̄d æquè uerti potest, quæ habet, sicut & nōnulli reddiderūt. Sept. tñ habēt, ὅσα ἦν αὐτῷ, id est, quæcūq; erāt ipsi.

Sed ad domum patris mei perges.] Hebr. אבי תלך אם לא אל בית, id est, si nō ad domū patris mei perges.

Quid si noluerit uenire mecum mulier?] Ebraica non habent interrogationem, sed sic leguntur: Forsan non ibit mulier post me. Sic habent & Chaldæa. Sept. ne forte nolit mulier uenire mecum.

Et diriget uiam tuam.] Hebr. רחצליח דרכך, id est, & prosperum faciet iter tuum. Sic habent & Sept.

Cum ueneris ad proximos. Hebr. cū ueneris אל בישפחתי, id est, ad familiā meā. Sept. ad tribum meam.

Et non dederint tibi.] In Hebræo, quemadmodum & in Chaldæo & Sept. additur hic, uel si mauis, repetitur, innocens eris à maledictione mea.

Si direxisti uiam meam.] Hebr. Si es tu, obsecro, prosperum faciens iter meum. Chald. Si est nunc uolūtas coram te, ut fortunes iter meum.

Audierit à me.] Hebr. Et dixero ad eam. Sic & Septuaginta.

Dumq; hæc tacitus mecum uoluerem.] Hebr. Ego priusquàm cessassem loqui ad cor meum. Sep. Et factum est priusquàm consummassem loquens in animo meo.

Apparuit Rebecca.] Hebr. Ecce Ribkah egrediebatur. Sept. confestim Rebecca egrediebatur.

Da mihi paululum bibere.] Hebr. pota me quæso. Vox, paululum, non est in Hebræo hoc loco.

Deposuit hydriam de humero.] Ebr. est, deposuit hydriam suam à se. Sept. deposuit hydriam super brachium suum à se.

Et tu bibe.] In Hebr. simpliciter est bibe. Sept. bibe tu.

Suspendi itaq; inaures ad ornandum faciem eius.] Hebr. Et posui נזם frontale super faciem eius. Sept. Et circū posui ei inaures super brachiū eius. alij tñ legunt, super nares eius & armillas, super manus eius.

Pronusq; adoraui Dominum.] Sept. Et cum probassem, adoraui Dominum.

Quamobrem si facitis misericordiam & ueritatem.] Hebr. Et nunc si estis uos facientes beneuolè & fideliter. Sept. si facitis uos misericordiam καὶ δικαιοσύνην, id est, iustitiam, uel probitatem erga dominum meum, annunciate mihi.

Vt uadam. Hebr. Et uertam me. Et Sept. Vt conuertam me.

Non possumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum.] Hebr. Non possumus loquì ad te malum bonum. Sic habet etiam Chald. Sept. Non poterimus tibi contradicere malum bono.

Fratribus quoq; eius & matri dona obtulit.] Hebr. Et munera dedit fratri eius & matri. Sic habent & Sept. & Chald.

Initoq; conuiuio &c. Hebr. Et comederunt & biberunt ipse & uiri qui erant cum eo, & pernoctarunt. Sept. & dormierunt.

EXPLANATIO.

Et posuit coram eo ad comedendum, & ait: Non comedam, donec loquutus fuero sermones meos, &c.] Totus iste contextus narrationem habet serui Abrahæ, qua causam legationis suæ exponit. *Non comedam, inquit, donec loquutus fuero sermones meos.*] hoc est donec exposuero uobis causam, propter quam huc ueni. *Respondit ei, loquere.*] Apparet Laban respondisse seruo, quod senior filius esset, ac mortuo patre domum gubernaret.

At ille, Seruus, inquit, Abrahæ sum.] Recto ordine principiò aperit quis sit, hoc est, à quo missus aduenerit. Erat autem ipsis nomen Abrahæ apprimè cognitum, ideo nullam illius declarationem adijcit.

Et Dominus benedixit domino meo ualde &c.] Prudenter de fortunis domini sui præmittit. Poterant esse suspicari de illo, quod pauper esset, tanquam peregrinus in terra aliena, nec ullo certo loco constanter hærens. Quare præoccupandi gratia de opibus illius præmittere uoluit. *Et peperit Sarah uxor domini mei filium domino meo in senectute sua.*] Ingreditur narrationem causæ. Quod senectutis Saræ memi nit, innuebat filium hunc in senectute non sine miraculo post multorum annorum uota natum parenti esse impense charum, sicuti solent esse qui in senio parentum suorum nascuntur. *Et dedit illi omnia.*] Significat filiū hūc esse patri unicū hęredē. Et adiurauit me dñs meus dicēs: Nō accipies uxor. &c. Expo nit mandatū legationis suæ à dño suo acceptū. Poterāt cogitare, quare nō accipit filio suo uxorē de filia bus Cananęorū, si tā est d:ues? Quid opus tā longinqua peregrinatione quęrere illi uxorē apud nos? Hu iusmodi cogitationi occurrit, significās dñm suū nō ideo apud ipsos uxorē quærere filio suo q̄d nō possit, sed q̄d nolit accipere de filiabus Cananæorū, cupiat aūt de cognatione sua ac domo paterna. Verba nō egēt hic expositione. Sūt eñ suprà expolita. *Veni ergo hodie ad fontem.*] Ridiculū est quod R. Shlomoh exponit, uno die seruū hūc & domū Abrahę egressū esse & ad Charā ciuitatē Nahor peruenisse. Verbum ueniēdi hoc loco nō includit, pfectionis principiū, sed refert ad terminum quo profectus fuerat. Multo tempore, teste Iosepho, fuerat in hoc itinere. Recitat historiā eorū quæ acciderāt ad fontē, ut rationes exponat, quibus in cognitionem Ribkæ peruenerit, & quare illi ornamenta aurea dederit, simulq; admoneat, causam hanc geri nō sine ductu & auxilio Dei. Et nūc si estis uos faciētes beneuolè & fideliter cū dño meo &c. Recitata legationis suæ historia in cōclusione de cōsensu illorū edoceri cupit. Quod dicit, Vt uertā me ad dextrā uel ad finistrā, nihil est aliud, q̄ ut sciā q̄d mihi sit porrò faciendū. Alienū à mēte serui huius est, q̄d Shlomoh exponit, ut uertā me uel ad Ismaelitas ad dextrā, uel ad Lothitas ad finistrā habitantes. *Respouderunt Laban & Bathuel, A Domino egressus est sermo.*] Responsio isto

rum duo habet. Agnitionem diuinæ uoluntatis, & assensum. A Domino, inquiunt, egressus est sermo. Hoc est, causa hæc à Deo disponitur, agnoscimus diuinæ uoluntatis consilium, intelleximus hoc ex ijs quæ cum Ribkah acciderãt ad fontem. *Non possumus ad te loquì malum uel bonum.*] Quasi dicat: Nõ possumus quicquam hic statuere aliud quàm quod decretum diuinitus esse uidemus. Nostrum non est, ut ex nobis uel ad dexteram, uel ad sinistram respiciamus. *En Ribkah coram te est.*] Hoc est, tibi expo sita & in tua potestate est. Tolle eam, & proficiscere, & sit uxor filij domini tui. Habent ista assensum, quantum in ipsis erat. Addunt, Sicut loquutus est Dominus. Hoc est, sicuti decreuit ac disposuit Dominus. Et factum est, cum audisset seruus Abrahæ uerba illorum, adorauit, &c. Duo facit. Primùm, gratias agit Domino, pro consuetudine pietatis suæ: deinde profert ac largitur munera sponsalia, Ribkæ cum primis, tanquam sponsæ: deinde matri quoq; ac fratribus eius, gratia honoris. Et comederunt et biberunt, &c. Conuiuium hoc Moses paucis complectitur, tanquam rem per se notam.

QVAESTIO.

Quomodo Abraham iam tũ filio suo Isaaco omnia dederit.

Deditq; illi omnia quæ habuerat.] Non immeritò quæsierit hic quisquam, quomodo seruus iste dicat Abrahamum iam tum dedisse Isaaco filio suo omnia quæ habuerat, cum demum post annos aliquot, susceptis ex Cethura sex filijs, cum morti uicinus esset, omnia sua dederit Isaaco, & concubinarum filijs munera largitus sit, sicut infrà cap. sequenti uidere licet. Si iam tum dederat illi omnia, ergo erãt iam omnia Isaaci, non ipsius Abrahæ. Quomodo igitur suprà dicit Moses, quòd hic seruus de camelis domini sui Abrahæ, & de cunctis illius bonis sumpserit ad institutum iter? Item quomodo licuit Abrahæ post tot annos munera dare filijs concubinarum, si omnia fuerunt Isaaci?

Respondendum est, uel legendum esse quod in in Ebræo est ויתן & dabit, sicut & forma uerbi futuri temporis significationem habet, si legas sine punctis, quemadmodum olim legebantur Biblia, ut sensus sit: Et dabit suo tempore illi omnia quæ habet, tanquam unico omnium bonorum suorum hæredi: uel, si legas in præterito, Et dedit illi omnia quæ sunt ipsi, uel quæ habet: idem esse atq; Destinauit ac deputauit illi omnia quæ habet, ut ea post se hæreditario possideat. Vtroq; modo tollitur quod hic in quæstionem uenit. Sic enim deputauerat Abraham Isaaco bona sua omnia, ut tamen adhuc illa in sua haberet potestate, & uteretur illis pro arbitrio usq; ad mortem, essetq; ipsi liberum integrum munera de illis dare filijs concubinarum.

Quomodo ueritas dictorum in hac possit narratione saluari.

Et adiurauit me dominus meus, dicens: Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum &c.] Quæ in narratione hac serui Abrahæ continentur, si inspiciantur & cum ijs conferantur quæ suprà tam ipse quàm Abraham & Ribkah quoq; dixisse memorantur, deprehendentur ab illis pleriſq; in locis discrepare. Recitat enim seruus inter narrandum quædam uerbis alijs quàm quibus dicta fuerunt, quædam ordine alio, nonnulla quæ dicta non fuerunt dicta esse narrat, denique & quædam dicta omittit. Nescitur igitur quæstio, cuius nam sit narrationi credendum, Mosis ne uel serui huius, immo quoniam Moses ipse tam ista quàm superiora conscripsit, quomodo credendum sit ei qui de rebus ijsdem unius & eiusdem historiæ tam discrepantia narrat. Nam etiamsi excusari potest, quòd quędam de iudustria omisit hic seruus, in cæteris tamen quæstio nascitur, quomodo defendi queat, quod uerba mutat, alia recitans pro alijs: deinde quod in nonnullis ordinem dictorum inuertit, quæ suprà prius dicta fuerunt, hic posterius: quæ posterius suprà, hic prius dicta esse narrans: & tertio quod dicta esse narrat, quæ dicta non fuerunt.

Verba Abrahæ & sua mutat.

Verba Abrahæ mutat, cum recitat eum dixisse, In cuius terra ego habito, pro eo quod ille dixerat, in cuius medio ego habito. item, Ad domum patris mei ibis, & ad familiam meam: cum dixerit Abraham, Sed ad terram meam & cognationem meam ibis. Adhuc, Tunc innocens eris à maledictione mea, cum ueneris ad cognationem meam: Et si non dederint tibi, innocens eris à maledictione mea, pro eo quod dixerat Abraham, quòd si noluerit mulier ire post te, innocens eris à iuramento meo.

Suaipsius uerba aliter recitat quàm dixerat, cum dixisse se memorat: Si tu nunc prosperum facis iter meum in quo ego ambulo, pro eo quod dixerat: Obsecro fac occurrere mihi hodie. Item: Et erit ut puella quæ egreditur ad hauriendum aquam, dixeroq; ad eam, Da mihi quæso pauxillum aquæ de hydria tua ut bibam, cum suprà ad fontem dixerit: Et filiæ hominum ciuitatis egrediuntur ut hauriant aquam. Erit itaq; ut puella ad quam dixero, Inclina quæso hydriam tuam ut bibam. Item: Quam præparauit Dominus filio domini mei, pro eo quod suprà dixerat: Quam præparasti seruo tuo Isaac. Ordinem

Ordinẽ superiorum inuertit.

superiorum inuertit, cum dicit: Illa uerò festinans deposuit hydriam suam à se, & dixit: Bibe, quin & camelis tuis potum dabo, & ego bibi, & camelis quoq; ipsa potum tribuit. At suprà sic narrat Moses. Quæ ait: Bibe Domine. Et festinauit & deposuit hydriam suam super manum suam, & dedit illi bibere. Et ubi cessauit potare illum, dixit: Camelis quoque tuis hauriam donec cessauerint bibere. Secundum narrationem hanc Mosis, primùm dixit Ribkah: Bibe domine, ac tum hydriam suam deposuit humero. Deinde, primũ potauit seruũ, deinde cũ ille desiisset bibere, subiecit, Quin & camelis tuis hauriam, donec cessent bibere. Secundum recitationem uerò serui, primùm deposuit hydriam suam à se, ac tum dixit: Bibe. deinde prius etiam dixit: Quin & camelis tuis potum dabo, ac tum demum potum illi dedit. Tertiò, non dicta ab Abrahamo, pro dictis recitat, cum dixisse illũ narrat Dominus, in cuius conspectu ambulo. Item, Prosperum faciet iter tuum. Nam suprà sic dixisse memoratur: Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra nativitatis meæ, & qui loquutus est ad me, quique iurauit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, &c. Hæc omisit, & quæ dicta non fuerunt, quasi dicta fuerint recitauit. Quæritur itaque, quomodo ueritas dictorum quæ unica est basis narrationum omnium,

Non dicta pro dictis recitat.

omnium, in præsenti possit narratione saluari, in qua quæ dicta fuerunt, alijs uerbis, & ordine alio: & quæ dicta non fuerunt, pro dictis recitantur.

Respondendum esse iudico perspicuè ac paucis ad hunc modum: Fatemur ueritatem dictorum uniuersam esse basim narrationum omnium. Vbi illa locum habere non potest, ibi meritò fides narrantibus denegatur, qualescunq; illi appareant. Quod autem præsentem narrationem attinet, confidenter affirmamus monstrari non posse quòd ueritas ulla illius parte periclitetur. Caput narrationum est, ut quæ narranda sunt, fideliter sine omni fraude narrentur. Huc non requiritur, ut recitetur quibus uerbis, & ordine dictæ sint uel gesta quæ exponunt, sed quid sit dictũ uel gestũ. Nec petendũ est, ut, prsus omnia memorentur, sed ea tantum quæ propositio narrantis & causæ quæ agitur seruire possunt. Itaq; non erat seruo isti propositum adamussim recitare, quibus uerbis usus fuerit uel Abraham, uel ipse, uel Rib kah: sed quid fuerit sibi à domino suo imperatum, & quid ad quæsita ipsius cùm ab illo, tum à Ribkah responsum, quoq; indicio ad agnitionem puellæ uenerit. Hisce de rebus narranti non erat necesse ut singula uerba ex ordine adnumeraret, sed ut ex dictis & gestis ea tantum recitaret, quæ causæ conuenire uidebantur. Basis narrationum ueritate quidem constat, uerùm sententiarum ac rerum: quibus uerba hactenus seruire debent, ut de illis auditor instruatur.

Si quem mouet, quòd Abrahamum, deinde & seipsum dixisse quædam recitat, quæ nec ille, nec ipse uel dixerat, uel sic dixerat, cogitet aliud esse, si constituas alicuius uerba ex ordine adnumerare: & aliud, si uoluntatem tantum ac sententiam eius exponere uolueris. Sic aliud est, res gestas simpliciter narrare: & aliud, etiam ordinem gestorũ uelle assignare. In priori proposito licet agere liberius quàm in posteriori. Quare hactenus non est culpanda narratio serui huius, quemadmodum nec Mosis. Non enim propositum illis fuit seruire uel numero uerborum, uel ordini rerum gestarum, sed causam hanc simpliciter absq; ulla fraude commemorare & exponere.

Præterea quod quædam recitantur à seruo, quasi dicta sint ab Abrahamo, cum dicta ab illo nõ sint, præter iam dicta illud quoq; responderi potest, quòd comprobari non possit, non dixisse illa Abrahamum, propterea quòd in superiori narratione Mosis non leguntur. Quis enim adeò rudis est & imperitus rerum humanarum, ut nesciat hoc in scripturis quoq; frequentissimum esse, quòd non omnia quæ dicta sunt uel gesta, ab historicis assignantur. Moses dubio procul non adnumerauit omnia uerba, quę ad seruum suum loquutus est Abraham, cum eum in Mesopotamiam amãdaret: sed breuiter rem ipsam exposuit, & de uerbis illius tantum adduxit quantum explicandæ rei sufficiebat. Quare quod seruus in narratione sua quædam memorauit quæ in narratione Mosis non habentur, candoris nostri est nec seruum, nec Mosen propterea in ius uocare: sed cogitare, etiam ea quæ seruus recitat, dicta fuisse ab Abrahamo: quemadmodum nec ea dicta esse ab illo dubitamus, quæ seruus hic tacet, Moses uerò suprà recensuit. Hæc uolui in gratiam eorum explicare, qui subinde offenduntur, quòd in historijs Euangelicis dicta & facta Christi aliter & aliter ab Euangelistis exposita leguntur.

OBSERVATIONES.

Et posuit coram eo ad comedendum: & dixit, Non comedam donec loquar sermones meos.] Habes hic exemplum serui domino suo fidelis. Qui fideliter seruiunt, quod obeundum est, obeunt non perfunctoriè ac negligenter, sed magno serio, & quàm possunt prudenter, ne quid detrimenti dominis suis accersant. Seruus hic usq; adeò diligenter causam domini sui exequutus est, ut nec edere, nec bibere uoluerit, quam uis appositus esset cibus, priusquàm legationis suę causam exposuisset. Sic negotium fidei suæ commissum necessitati corporis sui præposuit. Ea diligentia decet Christi ministros, ut iuxta præceptum illius cum primis quærant regnum Dei, & iustitiam eius. *Exemplum serui fidelis.*

Deinde & cautionis ac prudentiæ exemplum in eo est, quòd maluit adhuc sobrius causam domini sui exponere, quàm postquam edisset ac bibisset. *Exemplum cautionis.*

Nec illud transeundum est, quod dicit, Donec loquar sermones meos. At sermones illi quos erat locuturus, non erant ipsius, sed Abrahæ, cuius causam agebat. Vides hoc exemplo, non esse damnandũ, si minister doctrinam à Christo acceptam suam esse dicat, sicuti Paulus Euangelium Dei suum Euangelium uocauit, 2. Timoth. 2. *Doctrina ueritatis & Christi est, & ministri docentis.*

Respondit ei, loquere.] Obserua. Non urget hominem, ut prius edat & bibat, dein demum causam suam exponat: sed confestim illi assentitur, loquendiq; copiam facit. Admonemur hoc exemplo, non esse impediendum quo minus agat quisq; causam suam quàm poterit seriò & diligenter. Hodie ciuile habetur, etiam inuitos urgere ad edendum & bibendum, priusquam quod agendum est peregerint. Repetias qui malint audire bene potos quàm sobrios prædicatores & legatos. *Non esse impediendum diligẽtiæ studium.*

At ille: Seruus, inquit, sum Abrahæ, & Dominus benedixit domino meo ualde, magnificatusq; est, & dedit ei oues, &c.] Primùm illud obserua, quòd statim initio de seipso prædicat, quòd sit seruus Abrahæ. qua in re magis aperit ac prędicat cuius sit, quàm quis sit. Nec immeritò. Etenim quòd legationem susceptam concerneret, nõ tam referebat ut sciretur quis esset ipse quàm cuius esset, hoc est, cuius nomine uenisset, cuiusq; causam ageret. Habes exemplum fidelis dispensatoris, ministri ac legati, cuius est cumprimis & ubiq;, præsertim in causis agendis, officijsq; ac legationibus obeundis prædicare de seipso, cuius sit fidei obstrictus, & cuius causam administret. Sic Apostolus in consueto habet, ut se seruum Dei & Apostolũ Iesu Christi confestim in exordijs epistolarum uocet. *Ministri est prædicare de se cuius sit seruus.*

Deinde notandum est, quod non dicit, Dispensator sum omnium bonorum Abrahæ: sed simpliciter,

Seruus

Modestiæ exemplum.

seruus sum Abrahæ. Communi utitur seruorum omnium uocabulo, cum posset de illustriori ministerij sui specie gloriari. Vsq; adeò uidelicet non suamipsius, sed domini sui causam agebat, ut unde ipsi plusculum accessisset honoris, ne uerbo quidem recordetur. Abunde sibi satis honoris in eo esse iudicabat, quòd esset seruus Abrahæ. Longè alium spiritum ostendit, qui pro seruo Iesu Christi uocat se uicarium Iesu Christi. O si haberet Ecclesia ueros seruos Christi pro uicarijs Christi. Aliud planè est seruum esse Christi, & aliud uicarium agere Christi. Qui Christo seruit, non agit absentis illius uices, sed diuinitate, spiritu, gratia, & uirtute præsenti cooperatur & subministrat. Qui se uices Christi in Ecclesia agere simulat, omnem Ecclesiæ gubernationem, dispositionem, & moderationem, uni Christo competentem, in seipsum transfert, & Ecclesiæ sese loco Christi, quasi absentis, & interea in cœlo cum angelis ludentis, uenditat. Talem habet Ecclesia Romana uicarium Christi loco Christi. Quàm autem felicius haberet Christum ipsum, unà cum seruis illius ministeria concredita fideliter obeuntibus?

Aliud est esse seruum Christi, & aliud esse uicarium Christi.

Commendatio ab opibus terrenis.

Tertiò considerandum & hoc est, quòd seruus hic Abrahamum dominum suum commendat ac prædicat ab opibus terrenis, eamq; commendationem aliquid ad obtinendum quod quærebat facturam existimat. Poterat illum commendare à pietate, fide, iustitia & probitate, tanquam bonis præcipuis. Admonemur non esse alienum à pijs, ut ingenio sese eorum accommodantes cum quibus est agendum, à terrenis bonis, si horum sit copia, causæ suæ successum petant, modò in illa ipsi nihil ponant fiduciæ, præsertim si aliorum, non suam causam agant.

Non tam refert quantum quàm unde habeas.

Quartò. Nec illud transeundum est, quòd non dicit, Dominus meus diues est, multis abundans opibus, ouibus, bobus, auro, argento, &c. sed: Dominus benedixit Domino meo ualde, ac dedit ei oues, boues, &c. Coram iustis hominibus non tam refert quantum, quàm unde habeas. Honestas opum non censetur ex multitudine & copia, sed ex ratione ac modis acquirendi. Quod hodie dicitur, Vnde habeas non quærit nemo, sed oportet habere: ex eo natum est, quòd nulla habetur amplius honestatis ratio, sed omnia æstimantur lucro, undelibet detur illius copia. Verùm alij fuere mores priscorum. Quare non est præter rationem factum, quòd seruus iste opulentiam domini sui à suspicione malarum artium liberans diuinæ benedictioni adscribit, dicens: Dominus benedixit Domino meo ualde, ac magnificatus est, deditq; ei oues, boues, &c.

Dominus inquit, benedixit Domino meo ualde, & dedit ei oues, &c. Atqui si consulantur præceden tes historiæ, magnam partem ouium, boum, auri, argenti seruorum & ancillarum Pharao cap. 12. ma- B
gnam Abimelech cap. 20. Abrahæ dedisse leguntur. Quid igitur est, quòd seruus iste diuitias hasce à Domino datas esse dicit, ac benedictioni Dei deputat? Vtrumq; uerum est. Et Dominus dederat, & dederant reges. Verùm seruus iste etiam quod à regibus datum erat, pro pietate sua diuino muneri adscribit, unde principaliter sunt omnia bona iustis rationibus, siue laboribus, siue quorundam mortalium liberalitate acquisita.

Et peperit Sarah uxor domini mei filium domino meo in senectute ipsius, deditq; illi omnia quæ habet.] Obseruandum hic est, unde seruus iste filium domini sui, cuius agit pronubum, commendet & ornet. Primùm, à liberis natalibus. Sarah fuit libera & principalis uxor Abrahæ. Et peperit Sarah uxor domini mei, inquit, filium domino meo. Magna habebatur ratio eorum filiorum, qui non seruiliter ex ancillis uel secundarijs, sed liberè ex primarijs uxoribus nascebantur. Horum natales plurimum habebant prærogatiuæ tam in sponsalibus quàm præcipuis ordinibus, honoribus ac dignitatibus. Deinde ab insolitis ac miraculosis diuq; expectatis natalibus. In senectute, inquit, ipsius. Saræ uidelicet. Inconsuetum, immo naturæ impossibile est, si pariat mulier senex, ubi talis partus editur, singulare opus Dei agnoscitur, & ab eo qui sic nascitur, magni aliquid expectatur. Præterea solent eiusmodi liberi, post multorum annorum sterilitatem, & irremissa parentum uota nati multo impensius amari, maioreq; cura educari, quàm qui statim primis connubiorum annis nascuntur. Quemadmodum enim quod minus petitur, leuiter & uitrò datum minus diligitur: ita quod ardenter diuq; affectatur, tandem acceptum ardentius ac tenerius amat. Tertiò, à prærogatiua unigenituræ, per quam erat Isaac unicus omnium paternorum bonorum hæres. Deditq; illi, inquit, omnia quæ habet. Vnicum hunc pepererat Sarah. Quare ad illum unicũ pertinebant hæreditariò omnia quæ habebat Abraham. Vide igitur prudentiam ac fidem serui, in commendando domini sui filium, ac declarando ad quàm honestas, singulares, & eximias nuptias si consenserint, filiam suam sint elocaturi.

Imago Christi in Isaaco.

Nostrum est hic in Isaaco depictam obseruare Christi imaginem. Natus est Isaac matre non serua, sed libera. Et Christus non ex Hagar, uel ethnica alia matre, sed ex Sara libera secundũ carnẽ natus est. Carnẽ enim ex semine promissionis accepit. Isaac natus est per miraculũ, præter uires naturæ, ex nonagenaria matre. Christus quoq; præter naturæ cursum miraculose natus est ex uirgine. Isaac post præcedẽtes, promissiones multis annis expectatus tandẽ in senectute parentũ natus est. Christus cõsimili modo diu antea promissus & expectatus in senectute est Israelis sed cundũ carnẽ natus. Isaac unicus fuit Sarę liberę filius, ideoq; & unicus paternorũ bonorũ hæres. Et Christus unigenitus tã patris secundũ diuinitatẽ q̃ matris secundũ humanitatẽ hęres est à Deo patre cõstitutus bonorũ omniũ cœlestiũ pariter & terrestrium. De Isaaco prædicauit ista seruus Abrahæ ad hoc missus ut nuptias illi in domo paterna cõciliaret. Et Apostoli ista de Christo filio Dei ad hoc in domo Israelis prædicarũt ut nuptias illi cõciliarent, & Ecclesiã desponsarent. Verùm Israelitæ secundũ carnem, quæ cæcitas illorũ est, nec typũ nec ueritatẽ harũ rerũ obseruãt, quare ad gentes missi sunt Apostoli.

Et adiurauit me Dñs meus dicens: Nõ accipies uxorẽ filio meo de filiab. Cananæorũ in quorũ terra habito, sed ad

ad domum patris mei perges, &c.] Obſeruandum hic eſt, quod mandatum illis à domino ſuo acceptum exponit. Non erat ſatis authenticum, quòd ſe ſeruum Abrahæ eſſe dixerat, niſi authoritatem legationis ſuæ ab illo ſpecialiter & expreſſe acceptam aſsignaret. Quare non dicit, Et ueni huc ut uxorem illi è domo ueſtra accipiam: ſed, Et adiurauit me dominus meus, dicens: Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, &c. ſed ad domum patris mei perges. Admonemur quid requirendum ſit in Eccleſia ab illis qui ſe pro ſeruis Dei uenditant, eoq; prætextu quiduis imperandi ac ſtatuendi poteſtatem uſurpant, quaſi ſatis ſit eſſe ſeruum Dei, nec conſiſtendum ſit ſeruo Dei in uerbo ac mandato Dei. Oſtendant poteſtatem eorum quæ faciunt ex uerbo Dei, doceantq; & ſe neceſsitate talia faciendi per uerbum à Deo acceptum conſtringi, & Eccleſiæ neceſſariò incumbere, ut non ipſis, ſed uerbo diuinæ Maieſtatis obtemperet. Quid autem æquius poſtulari poterit? Non petimus ut comprobent ſe reuera eſſe ſeruos Dei, quod tamen cum primis erat faciendum: ſed hoc neceſſariò requirimus, ut conſcientias noſtras authoritate diuini mandati conſtringant, ne loco uerbi Dei humanis præſumptionibus ſubijciamur, & mandatis hominum ſecundum Chriſti præmonitionem fruſtra ſeruiamus.

Quid requirendũ ſit ab illis qui ſe gloriãtur eſſe ſeruos Chriſti.

Quæ præterea conſideranda ſunt hoc loco, ſuprà ſunt annotata.

Forſan non ibit mulier poſt me.] Obſerua hic prudentiæ exemplum. Non hoc tantum ad dominum ſuum dixerat hic ſeruus, ſed adiecerat: Debeo ne filium tuum reducere ad locum de quo tu es egreſſus? reſponderatq; Abraham: Caue tibi, nequando reducas filium meum illuc. At iſta non recitat ne plus offenſionis quàm beneuolentiæ pariant. Admonemur prudentia opus eſſe & cautione, ne temerè omnia omnibus reuelemus. Vir prudens & rerum dicendarum & perſonarum quibus loquitur rationem habebit, ſemperq; cauebit, ne quid ad cauſam non pertinens inconſulto effutiat, unde plus detrimenti cauſæ accedat quam agit, quàm emolumenti.

Exemplum prudentiæ.

Innocens eris à maledictione mea.] Obſeruandum hic eſt quòd pro eo quod dixerat Abrahã, Innocens eris à iuramento meo, ſeruus hic recitat, dicens: Innocens eris à maledictione mea. Qua in re admonentur adiurati omnes, quid de iuramento ſuo ſentire debeant. Seruus hic ſic erat animatus, ut non dubitaret, ſore ſe maledicto obnoxium, ſi quod iurauerat, haud fideliter pro uiribus præſtaret. Qui ſic animati ſunt, non facile periuriũ incurrent. Cogitemus hic, ſi maledictio præuaricationem iuramentorũ conſequitur, quid ſit de præſenti hoc ſeculo ſentiendum, in quo periuriorum multitudo prope maris adæquat arenam.

Præuaricatio iuramenti maledicto eſt obnoxia.

Nec illud tranſeundum eſt, quod non dicit, A maledictione Dei: ſed, A maledictione mea. Quæſierit hic quiſquam, liceat ne homini pio maledicere cuiquam: deinde, an maledictio per hominem prolata aliquid habeat efficaciæ. Ad primam quæſtionem reſpondeo, extare teſtimonia S. ſcripturæ de quibuſdam pijs ac magnis uiris, quòd nonnullis maledixerint. Maledixit Elizæus pueris clamantibus, Aſcende calue, aſcende calue, 2. Reg. 2. Eſdras maledixit Iudæis, qui matrimonia contraxerant cum ethnicis uicinis, Neemiæ 13. Et maledictiones illorum ſcriptura non damnat. Licitum ne igitur eſt omnibus, ut maledicant? Non ſequitur. Aliud eſt, quod competit omnibus in genere, & aliud quod in præcipuis quibuſdã & ſelectis uiris ſingulari quodam zelo Dei excuſatur. Nobis animaduertendum eſt, quid communiter præſcribatur omnibus, non quid à paucis quibuſdam ſelectis uiris Dei ſit factum. Apoſtolus Rom 12. dicit: Benedicite, nolite maledicere. Hoc omnibus indiſcriminatim præcipitur. Non eſt igitur liberum nobis ut cuiquam maledicamus. Ad maledicendum ſumus alioqui plus æquo propenſi, ad benedicendum non ita. Quare non eſt carni noſtræ aperienda feneſtra, per quam ſecura & liberè ad maledicendum feratur. Angelus non audebat maledicere ſatanæ, ſicuti legitur in Epiſtola Iudæ: quanto magis conuenit nobis, ut maledictis abſtineamus?

Liceat ne homini pio maledicere cuiquàm.

Ad alteram quæſtionem reſpondendum eſt, quemadmodum benedictionis ita & maledictionis efficaciam non eſſe hominis, ſed Dei. Habet illa locum non ubiq;, ſed diſpenſatur pro ſingulari conſilio Dei, ad nominis ſui gloriam, & mortalium ſalutem. Elizæi maledictio fuit efficax. Nam ſtatim irrumpentibus urſis perierunt pueri quibus ille maledixerat. Efficax fuit etiam maledictio Noe, qua Chanaan maledixit ſuprà cap. 9. Maledictionem Eſdræ, quamuis eſſet non iniuſta, nihil tamen habuiſſe efficaciæ legimus. Nec dies natalium Iob propterea maledictus erat, quòd ab illo maledicebatur. Neque maledicti ſunt pij & innocentes, quando ab impijs ſacerdotibus maledicuntur, quibus Dominus in Malachia dicit: Maledicam benedictionibus ueſtris, utique & maledictionibus illorum nihil efficaciæ præbiturus. In Papatu arbitrantur quidam Romani Pontificis maledictionem etiam iniuſtam eſſe timendam. Vtique timenda eſt, ſi cæcitatem Principum ab illo pendentium, & ſuperſtitionem catholicam, cuius magna uis eſt, reſpicias. Homini uerò cordato & fideli uſq; adeò non eſt timenda, ut dicat etiam cum propheta Pſalm. 109. Maledicant illi, tu benedices. Nemo piorum efficaciter maledici poteſt, quem Dominus in Chriſto benedixit. Vidit hoc Bileam, ideo dicebat: Quomodo maledicam, cui non maledicit Dominus? Qua ratione deteſter, quem non deteſtatur Deus? Num. 23.

Liceat ne homini pio maledicere cuiquàm.

Domine Deus domini mei Abraham, ſi es tu obſecro, proſperam faciens iter meum. Item: Pronus adorauit Dominum, benedicens Domino domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut ſumerem filiam fratris domini mei filio eius.] Suprà ſunt quędã annotata, quę tota hac narratione cõſideranda ueniũt. In præſenti obſeruandã eſt, q̃ ſtudioſe ubiq; immiſceat de Deo, q̃ perſpicuũ faciat, cauſam hãc diuino, nõ humano geri cõſilio. Argumentũ huiuſmodi magni eſt momẽti in oculis piorũ. Quare quemadmodũ illo afficiunt ipſi,

Pij perpetuò Deum ſonant.

ipſi, ita putant & alios eſſe animatos. Hinc illis in omnibus eſt actionibus principium & finis de Deo ac prudentia illius, cuius rei pulcherrimũ exemplũ in hac eſt ſerui Abrahæ narratione propoſitũ. Suprà dixit: Dominus benedixit Domino meo ualde. Item ex uerbis Abrahæ: Dominus, in cuius conſpectu ambulo, mittet angelum ſuum tecum, & diriget uiam tuam, &c. Et hic: Domine Deus domini mei Abraham, inquit, ſi es tu obſecro, proſperum faciens iter meum, &c. Item. Pronus adoraui Dominum, benedicens Domino domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, &c. Dum iſta legimus, mirum quòd non erubeſcimus propter cordium noſtrorum ſtupiditatem & aſebiam, qua fit ut actiones noſtras planè more ethnico ſine conſcientia, fide, ſpe, inuocatione Dei & gratiarum actione obeamus. Vt non eſt Deus in corde noſtro, ita nec mentio nominis eius ex ore noſtro auditur. Quare mirum non eſt, quòd ſtudia noſtra parum feliciter ſuccedunt.

Prudentia fidelis ſerui.

Et *nunc ſi eſtis uos facientes beneuolè & fideliter cum domino meo, indicate mihi: ſin autem aliud placet, &c.* Obſeruanda eſt hic prudentia fidelis ſerui. Poſtquàm cauſam legationis ſuæ expoſuit, non inſtat urgenti aliqua peroratione, qua uelut extorqueat à nõ ſatis beneuolis: nec preces texit, quibus precario quod petit obtineat: ſed ſimpliciter rem omnem in arbitrium parentum puellæ reijcit, hoc unum petens, ut indicent ſibi quidnam facere uelint, quo poſsit ire uel ad dexteram, uel ad ſiniſtram. Nec ſimpliciter dicit, Et nunc, ſi conſentitis domino meo, indicate mihi: ſed, Et nunc ſi beneuolè & fideliter facitis cum domino meo, indicate mihi. Admonemur opus eſſe ſingulari beneuolentia & fide ad hoc ut feliciter ineantur connubia. Non ſatis firma ſunt coniugia quæ citra hanc beneuolentiam ab inuoluntarijs improbantia uel precario obtinentur.

Connubia ſingularem requirunt beneuolentiam.

Reſponderunt Laban & Bathuel: A Domino egreſſus eſt ſermo. Non poſſumus loqui ad te malũ uel bonum. Ecce Ribkah coram te eſt, tolle eam, & proficiſcere, & ſit uxor filij domini tui, ſicut loquutus eſt Dominus.] Proponitur in hoc reſponſo piorum ac Dei timentium hominum ingenium, cùm quòd intellectũ rum quòd affectum illorum attinet. Commemorauerat inter narrandum hic ſeruus pleraq; haud modici momenti, quibus inducerentur ad conſentiendum. Vtpote, quòd Dominus ipſius Abraham fraterna ipſis eſſet cognatione coniunctus. Deinde quòd ſingulari affectu erga domum fraternam præditus filio ſuo uxorem ab ipſis peteret. Tertiò, quòd eſſet uir pius accolens Deũ. Quartò, quòd benedictione Dei factus eſſet dives ualde. Quintò, quod Iſaac unicus ipſi filius eſſet, omniumq; bonorum hæres. Non erant ita contemnenda. Verùm neglectis hiſce omnibus quod maximum erat & caput rei, uigilanter obſeruauerant & intellexerant, uidelicet quòd hæ nuptiæ deſtinatæ eſſent à Deo. A Domino inquiunt, egreſſus eſt ſermo. Item: Sit uxor filij Domini tui, ſicut loquutus eſt Dominus. Hæc eſt uigilantia piorum ad intelligendum conſilia & opera Dei. Carnalium hominum carnalis eſt intellectus, planè ſtupidus ad intelligendum uoluntatem Dei.

Ingenium timentium Dei.

Deinde & affectus pietas in eo eſt expreſſa, quod dicunt: Non poſſumus loqui ad te bonum uel malum. Ecce Ribkah coram te eſt tolle eam & proficiſcere, & ſit uxor filij tui ſicut loquutus eſt Dominus. Inuenias qui etſi intelligant uoluntatem Dei, affectu tamen reluctentur. Verùm pij homines mox ubi in conſcientijs ſuis de uoluntate Dei perſuaſi ſunt, nihil aduerſus illam tentãt, ſed ex animo obſequuntur. Cordatiſsimè dictum eſt: Non poſſumus loqui ad te bonum uel malum. Vſq; adeò unitur uoluntas pij hominis cum uoluntate Dei, ut nequeat non modò malum quid, ſed ne id quidem quod bonum eſſe uidetur, ſi diuerſum ſit à mente Dei, aduerſus illam loqui. Omnis hic deliberatio, nedum tergiuerſatio ceſſat, ubi diuinæ Maieſtatis uoluntas cognoſcitur.

Quod cum audiſſet ſeruus Abrahæ, pronus in terram adorauit Dominum: prolatiſq; uaſis argenteis & aureis ac ueſtibus, dedit ea Ribkæ pro munere. Et dona dedit fratri eius & matri.] Quod cum audiſſet, inquit, ſeruus Abrahæ, adorauit Dominum. Vide hic conſtantem ſerui huius, & ubiq; ſibi ſimilem pietatem. Non ſolum ex ijs quæ præceſſerant, ſed ex reſponſo quoq; parentum Ribkæ intelligebat adeſſe ſibi auxilium Dei. Quare & hic quemadmodum ſuprà animi ſui gratitudinem erga Deum adorando declarauit, huiuſmodi gratitudinis conſtantia, ad quemuis diuinæ beneficentiæ ſenſum excitata, indubitatum habet animi uerè pij argumentum.

Gratitudinis conſtantia.

Prolatiſq; uaſis argenteis & aureis, &c. Conſuetum eſt, ſponſalibus muneribus decorare ſponſas recens deſponſatas. Huic ſe conſuetudini & ſeruus iſte accommodauit, ut aliquot daret opum domini ſui experimentum. Habet & hic locus myſterium, ſponſam Chriſti concernens. Ribkah ditatur, ueſtitur, & ornatur bonis ſponſi ſui, priuſquàm ad thalamũ illius perducatur. Sic & Eccleſia Chriſti bonis ſponſi ſui cohoneſtatur & ueſtitur, priuſquàm ad cœleſte illius thalamum perueniat. Et matri & fratri ex abundanti dantur munera, utiq; propter Ribkam. Admonemur, agnoſcendam eſſe beneuolentiam eorum qui nobis aſſenſu ſuo aliqua ratione gratificantur.

Myſterium Eccleſiæ Chriſti.

Et comederunt & biberunt ipſe & uiri qui erant cum eo, & dormierunt.] Vides exemplum eorum qui officio ſuo fideliter functi ſecurè & hilariter naturæ neceſsitatibus indulgent. Vulgo dicitur, *Nach geſchehnen ſachen iſt gůt ſyren.*

Perfecto officio naturæ neceſsitatibus indulgendum.

Et illud obſerua. Non memoratur, quòd cum illis comederit ac biberit Laban cum reliquis domeſticis. Et comederunt & biberunt, inquit, ipſe & uiri qui erant cum eo. Ergo Laban & reliqui domeſtici conuiuantibus hoſpitibus miniſtrarunt, non ſimul cum illis accubuerunt. Hæc erat priſcorum ciuilitas & officioſitas, cuius etiam in Abrahamo ſuprà 18. uidimus exemplum.

Ciuilitas priſcorum.

Surgens autem manè loquutus est puer: Dimittite me ut uadã ad dominum meum. Responderũt frater eius & mater: Maneat puella saltem decẽ dies apud nos, & postea proficiscetur. Nolite (ait) me retinere, quia Dominus direxit uiam meam. Dimittite me, ut pergam ad dominum meum. Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipsius uoluntatẽ. Cumq; uocata uenisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait Vadam. Dimiserũt ergo eam, & Delboram nutricem illius, seruumq; Abraham, & comites eius, imprecantes prospera sorori suæ atq; dicentes: Soror nostra es: crescas in mille millia, & possideat semẽ tuum portas inimicorum suorum. Igitur Rebecca et puellæ illius ascensis camelis sequutæ sunt uirum, qui festinus reuertebatur ad dominum suum.

LECTIO.

Surgens autem manè loquutus est puer.] Heb. Et surrexerũt manè, & dixit: Remittite me domino meo.

Responderunt frater eius & mater.] Sept. habent in plurali, fratres. Legerunt אחיה pro אחיה In Heb. est: Et dixit frater eius & mater eius.

Saltem decem dies.] Heb. Maneat puella nobiscum dies uel decem. Græc. Dies circiter decem. Chald. Tempus aliquod uel decem menses. Pagninus sic: Per annum, uel decem menses.

Quia Dominus direxit uiam meam.] Heb. Et Dominus prosperum fecit iter meum. Sept. Et Dominus prosperam fecit uiam suam in me.

Et quæramus ipsius uoluntatem.] Heb. Et quæramus os eius. Sic habent & Sept. Chald. Et audiamus quid ipsa dicat.

Dimiserunt ergo eam, & Delboram nutricem illius.] Heb. Et dimiserunt Ribkam sororem suam, & nutricem illius. Delbora in Hebræo non est, nec in Græco, nec in Chaldæo. Infrà cap. 35. fit mortis illius mentio, ubi nõ Delborah, sed Deborah uocatur. Sept. pro nutrice uerterunt, & substantias eius. Opinor illos pro מיניקתה, id est nutricem eius, legisse מיקנתה, id est, substantiam eius.

Imprecantes prospera sorori suæ.] Heb. Et benedixerunt Ribkæ, id est, Et ualedixerunt. Sorori suæ, in Hebræo non est.

Igitur Rebecca et puellæ illius ascensis camelis, &c.] Ebraic. Et surrexit Ribkah & puellæ eius, & ascẽsis camelis iuerunt post uirum, & accepit seruus Ribkam, & abijt. Illud: Qui festinus reuertebatur ad Dominũ suum, in Hebræo non est, nec in Græco, nec in Chaldæo. Sept. legunt, iuerunt cum homine, quod in Hebræo est, Iuerunt post uirum.

EXPLANATIO.

Habet hic contextus dimissionem serui Abrahæ, cuius modum Moses luculenter exponit.

Et surrexerunt mane, inquit, & dixit, remittite me domino meo.] Seruus Abrahæ pro sua diligentia morarum impatiens reditum ad dominum suum maturabat. Mane igitur, statim atq; cum uiris suis surrexisset, dimitti se petit.

Responderunt frater eius & mater: Maneat puella nobiscum dies uel decem & postea proficiscatur.] Per fratrem intellige Laban. Huius ductu agebantur omnia. R. Shlomoh dicit non fieri mentionem Bethuelis propterea quod nuptias hasce impedire conatus occisus esset ab angelo. Et Lyranus dignum iudicauit hoc commentum, quod in medium ad ferret: Burgensis contrà, quod reijceret. Nos suprà alicubi ostendimus uerosimilius esse, quod Bathuel cum hæc gererentur, in uiuis amplius non fuerit. Quare Laban tanquam primogenitus domum gubernabat, & hæc omnia unà cum matre ac reliquo fratre iuniore agebat. Maneat, inquiunt, puella apud nos dies uel decem. Est ista loquutio nostræ conformis, qua Germanicè dicimus, *Bleib noch eyn tag oder zehen bei vns.* Friuolum est, quod Iudæi per ירחים, id est dies, annum, & per decem, decem menses exponunt. Non petebant annui spacij moras, sed decem duntaxat dierum. Nolite (ait) me retinere, &c. Deprecatur remoras seruus, adiecta ratione, propter quã properè ad herum suum redire cupiat. Quoniam, inquit, prosperum fecit Dominus iter meum. Quasi dicat: Quoniam causam hanc ope Domini feliciter exequutus sum, finite ut herum meum, qui reditum meum auidissimè expectat, hoc gaudio quàm citissimè exhilarem.

Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus os eius.] Hoc est, audiamus ex illius ore, quid uelit facere. Os alicuius quærere, est ex ipsius uerbo quid sentiat aut uelit quærere. Nolebant eam à se dimittere inuitam, nec retinere si cum seruo abire uellet. Quare ad ipsius uoluntatem causam hanc transferunt.

Vis ire cum uiro isto? quæ ait: Vadam.] Quoniam nuptiæ istæ diuinitus dirigebantur, consequens est & animum puellæ spiritu Dei fuisse factum uoluntarium & alacrem illis sese accommodandi. Hinc promptitudo illa animi ad proficiscendum, qua incunctanter et alacriter respondit, Vadam. Interea tamẽ absentiã erat à mẽte illius, quod R. Shlomoh exponit, ac de suo adijcit: Etiãsi uos nolitis, ego tamẽ uadam.

Et dimiserunt Ribkam sororem suam, & nutricem illius.] Quoniam illa sic uolebat, non erat amplius quicquam quod impediret dimissionem. Et nutricem illi addiderunt, cuius uidelicet monitis dirigeretur:

deinde ut aliquid solatij è domo paterna & pristina consuetudine secum auferret.

Et *benedixetunt Ribkæ, & dixerunt: Soror nostra es, crescas in mille millia, &c.*] Sic ualedixerũt illi: primũ agnoscentes esse eam ipsorum sororem, quasi dicerent: Dimittimus te non ut alienam posthac à domo nostra, sed ut sororẽ nostram: deinde apprecantes illi ea ipsa, quæ dubio procul ex ore serui semini illius à Deo promissa esse intellexerant, multiplicationem uidelicet, & terræ Chanaan possessionem. Sunt qui arbitrentur apprecationem istam spiritu esse prophetico ab illis prolatam. Mihi uerosimilius est, profectam fuisse ex indicio serui.

Et *surrexit Ribkah & puellæ illius, &c.*] Ergo & nutricem & puellas addiderunt abeunti Ribkæ, unde uidere est, quàm eam non sordidè ac neglectim à se dimiserint. Camelos ascenderunt, eos utiq; quos seruus Abrahæ in eum euentum adduxerat.

QVAESTIO.

Qua ratione os puellæ interrogauerint, cum in nuptias istas uesperi consensissent.

Et *dixerunt, Vocemus puellam, & quæramus os eius.*] Nascitur hic quæstio, qua ratione os puellæ interrogare uoluerint. Communiter exponitur de consensu puellæ nuptijs istis addendo, quasi iudicauerint non conuenire ut inuita desponsaretur, ideoq; mentem illius cognoscere uoluerint. Sic intelligunt communiter illud, Quæramus os eius, idem esse, atq; Quæramus quomodo ipsi placeant hæ nuptiæ: indeq; colligunt, admoneri de hoc exemplo, non esse filias desponsandas, præter animi illarum sententiam. Potuerit igitur quæri, quomodo iam demum consensum hunc puellæ ad confirmationem nuptiarũ requirant, cum præcedenti die essent omnia transacta & confirmata, quæ nuptias istas attinebant. Dixerant enim ad seruum, A Domino egressus est hic sermo. Non possumus loqui ad te bonum uel malum. Ecce Ribkah coram te est, accipe eam, & uade. Et quod assensum puellæ concernit, acceperat illa spõsalia munera, quemadmodum & mater & fratres, quibus acceptis, utiq; ad nuptiarum istarum confirmationem consenserat. Meo iudicio, quæstio ista nascitur ex inconsulta expositione uerborum istorum: Vocemus puellam, & quæramus os eius. Si exponas non de assensu puellæ nuptijs adhibendo, sed de uoluntate illius ad properam istam profectionẽ quam urgebat seruus declaranda, uellet ne tam citò cum illo proficisci, uel adhuc aliquandiu differre abitum, nihil quæstionis habebit hic locus. Et expositionem hanc ex eo satis confirmari puto, quòd non dicunt: Consentis ne ad hasce tuas nuptias? sed, Vis ne ire cum uiro isto? illaq; respondit, Vadam. Deinde quòd tergiuersatio illorum non erat de cõfirmatione nuptiarum, sed de tam propera serui huius profectione, cui erat & Ribkæ dimissio annexa, unde non dicebat, Mane apud nos adhuc aliquandiu: sed, Maneat puella apud nos: idq; non simpliciter, sed dies uel decem. Et ex hac tergiuersatione, quoniam illi seruus nõ acquiescebat, nata est ratio ipsam puellam interrogandi, uellet ne cum uiro isto abitum maturante, proficisci. Et ubi respondit, Vadam, non est ultrà alicuius dilationis facta petitio: quoniam hoc tantum quærebatur, placeret ne puellæ, ut tam citò cum uiro illo abiret. Ex his circumstantijs arbitror perspicuum esse sensum, quem ad solutionem quæstionis huius assignamus.

OBSERVANDA.

Exemplũ sobrietatis & temperantiæ.

Et *surrexerunt manè.*] Et comederunt, inquit, & biberunt, & dormierunt, & surrexerunt manè. Dubio procul feliciter hilares propter confectum negociũ comederant & biberant uesperi, & tamẽ manè diluculo surrexerunt. Vides exemplũ sobrietatis & temperãtiæ. Sic ederat & biberat seruus iste, & nuptiali hilaritati indulserat uesperi, ut interea decorũ sobrietatis, & sedulitatem perficiẽdi negocij nõ abijceret.

Et *dixit, Dimittite me domino meo.*] Vide exemplum ciuilitatis pariter & sedulitatis. Ciuile erat, quòd domum alienam in qua erat hospes, præsentia sua, seruorũ etiam & camelorum sumptibus diutius gruare nolebat, quàm agendæ rei necessitas poposcerat, ideoq; re iam confecta ad discessum adspirabat. Erat & hoc ciuile, quòd non dicit: Quoniam negocium meum absoluj, uolo iam à uobis discedere: sed ut cum bona illorum gratia discederet, petit dimissionem, dicens, Dimittite me domino meo. Inciuiles homines sunt, qui reiecto pudore uel diutius quàm cõuenit grauant hospitem, uel insalutato, ut aiunt, hospite non dimissi discedunt.

Sedulitatis exemplum in eo est, quòd re confecta reditum maturat ad dominum suum. Socordiæ genus est, moras nectere non necessarias. Obedientiæ ornamentum in eo est, ut res obeundæ decenti maturitate quàm fieri potest celeriter obeantur: & qui legatus est non modò citus abeat, sed & re cõfecta domum cõcitus ad herũ suum aduolet: Mirum est, quantũ insit gratiæ huiusmodi sedulitati & alacritati.

Exemplum carnalis affectus.

Et *dixit frater eius, & mater eius: Maneat puella dies uel decem apud nos, & postea proficiscetur.*] Atqui præcedenti uesperi dixerant. Ecce Ribkah coram te est, accipe eam et uade. Quid est igitur quòd statim altero die seruo hoc ipsum facere uolenti dicunt, Maneat apud nos puella dies uel decem? Apparet hic in re exemplum carnalis affectus, naturalis quidem & humani, uerùm simul inconstantiæ cuidam bonis propositis incommodæ obnoxij. Sic solemus de uoluntate Dei certò instructi confestim assentiri, & omnimodam obedientiam polliceri. Mox altero die, remisso nonnihil feruore, etsi non in uniuersum promissam obedientiam denegamus, moras tamẽ nectimus, & plusculum dilationis poscimus. Nescio qua stoliditate ardentius complectimur quod ex uoluntate Dei dimittendum esse nouimus, cum illius antea præsentiam non adeò magni fecerimus. Qui sic animati sunt, haud constanter sese regno Dei accommodant.

Nolite, ait, me retinere, qua Dñs prosperũ fecit iter meũ. Dimittite me ut pergam ad dñm meũ.] Vide rursus exemplum

A Exẽplũ serui erga herũ suũ fideliter affecti. Poterat honestè excusare moras, q̃ in gratiã puellæ decẽ dies expectare, abitumq̃ differe coactus fuisset, & interea uacare ocio et delicijs, haberiq̃ in precio, & lautè tractari. Verùm qua erat erga herũ suũ fide, maluit ꝓperare domũ, & expectantẽ se senẽ pariter & filiũ illius adducta sponsa quàm fieri posset citissimè exhilarare. Nolite, ait, inijcere mihi moras. Quare? Quia Dñs, inquit, prosperũ fecit iter meũ: dimittite me, ut pergã ad dominũ meũ, illumq̃ cum filio suo exhilarem. Admonemur hoc exemplo, quàm debeamus esse propensi & alacres ad exhilarandum eos quibus res cura ipsorum conscientiam prosperè cedunt, præsertim si fide simus illis obstricti. fideli seruo nõ est satis, officium suum utiliter & rectè obire: sed sic est erga herum suum affectus, ut nihil magis in uotis habeat, quàm ut illi in omnibus gratificetur, studioseq̃ ac promptissimè faciat omnia, quibus illum exhilarari posse cognouerit. Quare quæ tristia sunt, ægrè: læta uerò celerrimè illi & cum gaudio annũciat. Delectatur enim gaudio illius, ac plurimi facit, si minister illius sic esse possit, ut animũ eius exhilaret.

Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus os eius. Et uocarunt Ribkam, & dixerunt ad eam: Num uadis cum uiro isto? Et ait: Vado.] Vide hic humanitatis exemplum, in eo quòd os puellæ dimittendæ prius inter rogant, q̃ seruo abitũ maturãti plenè cõsentiant, ne filiã à se citius q̃ illa uelit dimittãt. Inhumana est illa austeritas, quæ dicit: Nolit uelit, abibit: subiecta est nostræ potestati, iussis nostris obediet. Mutuæ coniũctionis affectus duabus partibus constat, quarum neutra neutram turbare debet. Mater diligit filiam, filia matrem. Hoc mutuo inter se amore cohærẽt. Mater ægrè dimittit à se dilectam filiam, filia uicissim ægrè discedit à matre dilecta. Quòd si mater honestis de causis dimittit à se filiam, imperãs affectui matris, non debet statim pari ratione imperare affectui filiæ, ut illa inuita abire cogatur: sed in id incũbere, ut quod faciendum illi est, faciat non coacta, sed uoluntaria. Consimilis moderatio & humanitas seruanda est & filiæ erga matrem. Moderationis huius & humanitatis exemplum pulchrè uidemus hoc loco expressum. Seruus urget abitum. Mater & frater puellæ cupiunt illam uel decem dies retinere, ac consuetudine illius frui. Seruus honesta ratione animos illorum flectit, ut quantum in ipsis erat, uolent filiam diutius retinere: uerùm quoniam de uoluntate illius erant incerti, ne fortè inuitam à se dimittrent, percontantur os eius, dicentes: Num uadis cum uiro isto? Vbi illa respondit: Vado, placidè eam à se dimittunt, atq̃ ita neutra pars turbatur, & consensio perficitur non dimidiata, sed integra: nõ coacta, sed uoluntaria, quæ semper spectanda est inter amicos, præsertim in conciliandis nuptijs.

Exemplum humanitatis.

Affectus mutuæ coniunctionis.

Et ait: Vado.] Cauendum hic est, ne puellam hanc leuitatis in eo damnemus, quòd tam citò tamq̃ facile consentit ad discessum. Nulla audis hic detrectationis uerba, nullæ memorantur lachrymæ, sed simpliciter ac promptè, Vado, inquit. Mater ac frater cupiebant illam diutius retinere. illa interrogata confestim offert se paratam ad discedendum. Promptitudo ista ad discedendum è domo paterna, relinquendumq̃ matrem ac fratres ac proficiscendum ad sponsum erat puellæ sanctæ & honestæ diuinitus indita, per quam obliuisceretur populi sui ac domus paternæ, & læta ad domum & Ecclesiam Abrahæ migraret, sicq̃ sponso suo fisteret. Ista puellæ alacritas non modica pars erat prosperi successus quo Dominus nuptias hasce in gratiam Abrahæ fortunauerat.

Alacritas Ribkæ non est damnanda leuitatis.

Dimiserunt Ribkam sororem suam & nutricem illius, seruumq̃ Abrahæ & comites eius, & benedixerunt Ribkæ, & dixerunt: Soror nostra es, Crescas in mille myriadas, & hereditet semen tuum portam inimicorum suorũ.] Obseruandum hic est, quomodo Ribkam à se dimittant. Primùm, dimittunt non solam, sed addunt nutricem, unà cum puellis aliquot. Nutricis officium notius est, quàm ut sit memorandũ. Solet nutrix infantem, quem nutriendum suscepit, materno prosequi affectu, ad ipsam usq̃ prouectiorem ætatem, ac uicissim loco matris amari ac honestè tractari etiam ab adultis. Quare quasi matris loco addiderunt Ribkæ nutricem. Addiderunt etiam puellas, dubio procul, quibus fuerat in domo paterna assueta. Sic dimittunt Ribkam filiam suam non absq̃ solatio domesticæ ac pristimæ consuetudinis, quamuis uiderent illam propenso esse animo ad discedendum. Iunguntur hac in re humanitas & honestas. Humanum erat sponsam liberis et honestis natalibus ortam uenire ad sponsum nõ solam, sed comitatu nutricis & puellarum cohonestatam. Amplior erat ista honestas & magis ad honorem sponsi faciens, quàm si paternæ domus opibus cumulata uenisset. Honor sponsi est, si sponsa non proprijs, sed ipsius opibus honestè accipiatur, honestè uiuat, & locupletetur. Sordidum est & inconueniens mariteli honori, ex opibus sponsæ ditari qua hodie ignania & sorditie plerosq̃ uti uidemus.

Quomodo dimissa sit Ribkah.

Deinde, dimittunt eam cum singulari quadam benedictione. Crescas, inquiunt, in mille myriadas, & hæreditet semen tuum portam inimicorum suorum. uide pietatem, quam declarant in eo quod narratione serui crediderunt, & quod futurum crediderunt filiæ suæ ex animo apprecantur. Erat ista apprecatio talis, ut effectus illius omnino penderet à gratia & potentia Dei. Nisi aliqua fide spem harum rerũ animo concepissent, haudquaquam ista benedictione filiam à se dimisissent.

Simul cogitandum hic est, quàm diuersum fuerit hoc uotum, quo mater & fratres Ribkæ dixerunt: Soror nostra es, crescas in mille myriadas, &c. ab improbo Syrorum & Chaldæorum studio, qui quamuis posteri essent domus Nahor, semen tamen Ribkæ sororis suæ extinguere sunt conati.

Et surrexit Ribkah & puellæ eius, & conscensis camelis iuerunt post uirum. Et accepit seruus Ribkam, & abijt.] Cogitet hic lector, quàm non mollis & delicata fuerit Ribkæ ac puellarũ eius educatio, sed talis, ut potuerint inde ex Mesopotamia in terram Canaan usque camelis uectæ proficisci. Hodie diuitum puellæ usquequaquè tenerè ac molliter educãtur, ut uix lecticis ferri sustineant. Confer huc quæ Esa. cap. 3 filia

Ribkah non molliter educata.

bus Sion obijcit,& uide quomodo posteri à moribus maiorum suorum defecerint.

Eo autem tempore deambulabat Isaac per uiam quę ducit ad puteum, cuius nomen est uiuentis & uidentis. Habitabat enim in terra Australi, & egressus fuerat ad meditandum in agno inclinata iam die. Cumq; eleuasset oculos, uidit camelos uenientes procul. Rebecca quoq; conspecto Isaac descendit de camelo,& ait ad puerum: Quis est ille homo qui uenit per agrum in occursum nobis? Dixitq; ei: Ipse est dominus meus. At illa tollens citò pallium suum operuit se. Seruus autem cuncta quæ gesserat narrauit domino suo Isaac. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam uxorem, & in tantum dilexit eam, ut dolorem qui ex morte matris eius acciderat temperaret.

LECTIO.

Eo aũt tempore deambulabat Isaac,&c.]Heb.sic:Et Isaac ueniebat à ueniẽdo de puteo uiuentis uidentis me. Sept. ἰσαὰκ δὲ διεπορεύετο διὰ τῆς ἐρήμου [illegible] τὸ φρέαρ τῆς ὁράσεως,id est, Isaac uerò proficiscebatur per solitudinem iuxta puteum uisionis.

Et egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die.] Heb. Et egressus fuerat Isaac לשיח in agro ante uesperam. Verbũ שיח significat secũ tacitè loqui uel murmurare,sicuti solemus uel meditantes, uel orãtes. Quare alij uertũt,ad meditandũ:alij ad orandũ. Sept.sic:Et exiuit Isaac [illegible] τὸ ἀδολεσχῆσαι, id est ad meditandũ in campũ ad uesperam. Burgẽsis putat uertendũ esse, ad exercendum.

Vidit camelos uenientes procul.]Procul non est in Hebræo:sed sic,Et leuauit oculos suos,& uidit,& ecce cameli uenientes.

Rebecca quoq; conspecto Isaac descendit de camelo.]Heb. Et leuauit Ribkah oculos suos,& uidit Isaacum, & decidit de camelo. Sept.habent,Et desiijt.

Quis est ille homo?]Heb.Quis est uir ille?

At illa tollens citò pallium.] Vocula, Citò, in Ebræo non est. Vox צעיף sonat Ebræis peplum. Sept. uerterunt θέριστρον, id est uestem æstiuam. Pag.uertit operimentum. Recentiores alij uertunt peplum.

Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ.] Sept. sic: Ingressus est autem Isaac in domum matris suæ.

Et accepit eam uxorem.]Ebr. Et accepit Ribkam,& fuit ei in uxorem.

Et in tantum dilexit eam, ut dolorem qui ex morte matris eius acciderat temperaret.] Interpres iste plus æquo sibijpsi indulget. In tantum, item, ut dolorem qui ex morte matris eius acciderat,temperaret, in Ebræo non habetur, ubi sic legitur:Et dilexit eam, & consolationem accepit post matrem suam. Sept. uerterunt,Et consolatus est Isaac de Sara matre sua.

EXPLANATIO.

Terminaturus historiã hanc Mosus de reditu serui ad dñm suũ & præsentatione Ribkæ cõmemorat: *Et Isaac inquit, ueniebat à ueniẽdo de puteo uiuẽtis uidẽtis me.*]De puteo isto facta est mẽtio suprà cap.16. cùm ubi locorum situs fuerit, tum unde hoc nominis sortitus sit. Itinere,quo à puteo illo uenitur, fortè fortuitu ueniebat Isaac, cum seruus unà cum Ribkah ex Mesopotamia domum reuerteretur.

Et ipse habitabat in terra australi.]Haud procul ab isto puteo uiuentis & uidentis me.Hieronymus exponit,In Gerara.Quidam existimant eum habitasse tum in Beersabe.

Et egressus fuerat ad meditandum in agro.] Quoniam dixerat eum uenisse itinere quo uenitur à puteo uiuentis & uidentis, exponit hac particula quid nam egerit, uel qua gratia fuerit egressus in agrũ,ickq; uesperi. Fuerat,inquit, egressus in agrum ad meditandum. Quoniam autem uaria sunt meditationum genera,non possumus certò determinare, quæ fuerint Isaaci meditationes. uerosimile tamen est,cogitationes de futuris ipsius nuptijs haud fuisse tum temporis à corde illius alienas. Fuerat aũt egressus uesperi, propter cõmoditatẽ refrigerationis quæ post diurnũ æstũ illis in locis omniũ solet esse gratissima.

Et leuauit oculos suos,& uidit,& ecce cameli uenientes,&c.]Non simpliciter uidit, sed leuauit, inquit, oculos suos & uidit,Interno quodam & occulto instinctu motus leuauit oculos & uidit,cum Ribkah haud uanitaret. Et ipsa Ribkah eodem instinctu mota leuauit suos oculos.& uidit Isaacum.

Et decidit de camelo,& dixit ad seruum, Quis est uir ille, &c.] Apparet hic factam esse transpositionem dictorũ. Prius enim,dubio procul, seruum interrogauit, quis nam esset uir ille qui ipsis in occursum ueniebat: actum demum, cum audisset esse Isaacum, de camelo desiijt,& peplo se pudoris & reuerentiæ gratia obuoluit.uel,ut alij uolunt, pallio operuit.

Et recensuit seruus Isaaco omnia quæ gesserat.] Non exprimitur an id statim adhuc foris cõstitutus, uel in ipso tabernaculo fecerit. Si statim in ipso occursu priusquam domum ingrederentur, quid egisset recensuit,intelligendum est exposuisse illum summam gestorum. Si uerò postquam introì essent ingressi, fusius illi cuncta narrauit.

Et introduxit eam Isaac in tabernaculum Saræ matris suæ.] Pro consuetudine ueterum locat eam seorsim ut habitaret tabernaculo seperato, Saræ uidelicet matris suæ, quod inhabitabant ancillæ post mortem illius relictæ.

Et

Et accepit Ribkam, & facta est ei uxor.] Notanter additur, Et facta est ei uxor, ne quis suspicetur fuisse eam illi loco concubinæ uel secundariæ uxoris.

Et dilexit eam, & consolationem accepit Isaac post matrẽ suam.] Triennio antea obierat Sarach. Toto illo tempore pius & humanus filius mortem matris luxerat, quem luctum ipsi coniunctio & amor Ribkæ mitigauit.

QVAESTIO

Et ipse habitabat in terra Australi.] Poterit hic quæri qua nam ratione Moses dicat Isaacum & non potius Abrahamum habitasse tum in terra Australi, & quare seruus non Abrahæ hero suo, sed Isaaco Ribkam adduxisse, & successum legationis suæ exposuisse memoretur, ita ut nulla hic prorsus fiat mentio Abrahæ, sic ut nisi sequentia lectorem instruerent, suspicari posset, fuisse Abrahamum interea dum seruus iste in Mesopotamia fuit, uita sua defunctum.

Quare ista de Isaaco, et nihil de Abrahamo memoretur.

Breuiter respondendum est. Abraham habitabat adhuc in Hebron, ubi & mortuus, est postquam ex Ketura suscepit liberos. Isaacum uerò à se dimiserat post obitum Saræ, ut separatim habitaret, dederatq; illi partem hæreditatis, ex ouibus, bobus, seruis, ancillis, &c. unà cum tabernaculo Saræ matris ipsius, & quæ ad illud pertinebant. Et hanc ob causam in historia hac reditus serui Abrahæ nulla fit mentio Abrahæ, sed ad Isaacum deuoluuntur omnia, cui etiam seruus Ribkam tanquam sponsam sponso adduxit, & quæ in legatione illa contigerant exposuit.

OBSERVANDA.

Et Isaac ueniebat à ueniendo de puteo uiuentis uidentis me, & habitabat in terra Australi, & fuerat Isaac egressus ad meditandum in agro ante uesperam.] Principiò obseruandum est, quòd Isaacum suum Abraham à se peculiari habitatione separauit, ut subijpse domum & familiam gubernaret, priusquam uxorem duxisset. Hodie diuitum filij sic immatura ætate nubunt, ut uxorati sint citius quàm uel minimam domesticæ curæ partem sustinere queant. Deinde reperias plerosq;, qui si ex ædibus paternis in separatas mansiones nondum uxorati extrudantur, citius uniuersam sint paternæ hæreditatis substantiam luxu & ocio & scortationibus decocturi, quàm honestam legitimæ uxoris copulam subituri. Quare commendatur nobis hoc loco exemplum in Isaaco filij cordati, honesti, ac timentis Dei, cui adhuc ἀγάμῳ separatæ domus cura concredi possit.

Isaac nondum uxoratus seorsim habitauit.

Deinde, in eo quod meditandi gratia egressus est in agrum, uidemus exemplum animi non socordis, ociosi, et ignaui, sed honestis, pijs, ac necessarijs meditationibus intenti, idq; uesperi post diurnas operas. Grata est solitudo meditantibus, & ipsa deambulatio plurimum habet recreationis & admodum iuuat animum meditationibus deditum. Admonemur hoc exemplo, quàm pulchrè possint uita actiua & contemplatiua coniungi, immo quàm non sufficiat operandi molestia, nisi etiam accedat meditandi, consulendi, cogitandi, considerandi ac deliberandi industria.

Exemplum animi non socordis, sed honestis meditationibus dediti.

Tertiò obseruandus est etiam diuinus & occultus instinctus, quo Isaac ad hoc primùm est impulsus ut hoc ipso diei articulo in agrum meditandi gratia egrederetur, quo Ribkah sponsa ipsius aduentabat: deinde ut oculos leuaret, & camelos ex improuiso cerneret. Idem instinctus qui Ribkam impulerat, ut sumpta hydria egrederetur ad fontem, & in seruum Abrahæ prima omnium incideret, mouit hic ipsum etiam Isaacum, ut quamuis aliud agens articulo tamen aduentus Ribkæ in agrum egrederetur. Huiusmodi exemplis uidemus experimenta certa diuinorũ instinctuum, quibus res piorum sic conuenienter & opportunè disponunt ac dirigunt, ut nolis uelis diuinæ prouidentiæ operationes agnoscere cogaris.

De instinctu diuino.

Quartò. Et leuauit, inquit, Ribkah oculos, & uidit Isaacum. leuauit oculos Isaac, & uidit camelos uenientes. Leuauit uicissim oculos Ribkah, & uidit Isaacum. Quis spiritus utriusq; corda & oculos direxit? An non occultus quidam mutuæ charitatis & cohæsionis sensus iam tum in cordibus eorum erat, per quem mirabili & occulta operatione fiebat, ut aduentus Ribkæ cor & oculos Isaac ad se traheret, & rursus acies oculorum Isaac cor & oculos Ribkæ excitaret?

Occultus sensus mutuæ conuenctionis.

Quintò. Et ait, inquit, ad seruum: Quis est uir ille, qui uenit per agrum in occursum nobis? Occursus sponsi, honor est sponsæ. Ignorauerat Isaac aduentum sponsæ suæ: uerùm angelus ille qui nuptijs istis fuerat à Deo præfectus, aliud agentem eduxit in agrum, ut sponsæ suæ occurreret, hoc est, faceret quod alioqui facturus fuisset, si aduentum illius præsciuisset. Sic diuina dispositio adimplet, quod per ignorantiam sanctorum negligitur quo decorum in rebus seruent agendis.

Occursus sponsi.

Sextò. Ipse est, inquit, Dominus meus. Erat seruus Abrahæ, & tamen Isaacum filium Abrahæ uocat dominum suum. Non dicit, Est filius domini mei: sed, Est dñs meus. Agnoscebat ergo Isaacum iam tum pro domino, suo quamuis dispensator esset omnium bonorum Abrahæ. Vides perpetuam quandam fidelissimi serui submissionem. Vtinam hoc animo erga Christum unigenitum Dei sint omnes serui Dei, ut quemadmodum se Deum patrem honorare contendunt, ita honorent & filium.

Non solum Abrahamum seruus, sed & Isaac cũ dominũ suũ agnouit.

Septimò. Et accepit, inquit, peplum, & operuit se. Habes exemplum uirginalis pariter & coniugalis pudoris. Nudauerat caput suum uespertino tempore refrigerationis gratia, uerùm conspecto Isaaco, qua erat uerecundia, modestia, & pudicitia, confestim quod apertũ fuerat operuit. Non audimus eorum uanitatẽ qui dicunt, Si licuit aperto esse capite in absentia sponsi, quomodo non licuit in illius præsentia? Quod separatis licet, licet & cõiunctis: quod fieri licet in tenebris, licet etiam in luce. Absit huiusmodi uanitas à cordatis hominib. Non erat hypocrisis, caput antea apertum ad occursum sponsi peplo

Exemplum uirginalis pudoris.

uelare. Seruanda erat uerecundia & reuerentia erga Isaacum sponsum. In absentia illius constitura potuit absq; ulla leuitatis nota itineri sese coaptare, & post æstū meridionalem placidiori auræ caput aperum permittere: quod postea, cum occurreret Isaac, non ita excusari potuisset. Ad hanc reuerentiam & submissionem & illud pertinet, quòd non manfit in camelo ad præsentiam usq; Isaaci, sed desilijt, priusquam ille appropinquasset. Crediderim illam etiam incuruasse sese, cum in conspectum illius ueniret.

Octauò. Seruus autem recensuit Isaaco cuncta quæ gesserat.] Habes exemplum fidelis serui. Ad fidem seruorum pertinet etiam hoc, ut gestorum suorum rationem heris suis exponāt. Debebat hoc Isaaco seruus iste duplici nomine. Primùm tanquam domino suo. Deinde, tanquam sponso, cuius egerat pronubum. Sic Christo Domino Ecclesiarum ministri duplici nomine rationem sunt reddituri. Tanquam Domino uidelicet, cuius sunt omnia quæ in cœlo sunt & in terra. Deinde tanquam sponso, cui Ecclesia fide per ministerium ipsorum desponsatur.

Nonò. Et introduxit eam Isaac in tabernaculum Saræ matris suæ. Obserua temperantię exemplum: Sponsam spectabili forma præditam recens ad se adductam, non in suum, sed Saræ matris tabernaculū ad consortium earum inducit, quæ in illo degebant. Sic homo pius & honestus morem maiorum suorum honestè seruauit.

Decimò. Et accepit eam, inquit, in uxorem.] Obserua rursus exemplum moris honesti. Solenniritu nuptias cum Ribkah celebrauit, priusquam ad illam ingrederetur. Hoc intelligit Moses, quum dicit: Et accepit eam in uxorem.

Vndecimò. Et dilexit eam, inquit. Caput hoc est coniugalis coniunctionis, quod usqueadeò non est reprehensibile, ut commendetur etiam in uiris sanctis, & Apostolus præcipiat maritis, ut diligant uxores suas.

Duodecimò. Et consolationem accepit post matrem suam. Conuenientissimè maternæ dilectionis & curæ solatio solatium successit dilectionis uxoriæ. Insigne donum Dei est, si cui datur solatia parentū feliciter in coniugalem cōmutare consolationem.

CAPVT XXV.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Memoratur hoc capite de filijs Abrahæ ex Ketura susceptis, de morte ac sepultura Abrahæ, de generatione Ismaelis, deinde & Isaaci, de filijs huius Esau & Iacob, & de primogenitura Esau, quomodo illam fratri suo Iacob uenditerit.

ABraham uerò aliam duxit uxorem, nomine Keturam, quæ peperit ei Zamram, & Iecsan, & Madan, & Madian, & Iesboch, & Sue. Iecsan quoq; genuit Saba & Dadan. Filij Dadan fuerunt Assurim, & Latusim, & Laomin. At uerò ex Madian ortus est Epha, & Alpher, & Enoch, & Abida, & Beldaa. Omnes hi filij Keturę. Dedit que Abraham cuncta quæ possederat Isaac, filijs autem concubinarū largitus est munera. Et separauit eos ab Isaac filio suo dum adhuc ipse uiueret, ad plagam Orientalem. Fuerunt autem dies uitæ Abrahæ centum septuagintaquinq; anni, & deficiens mortuus est senectute bona prouectæ ætatis & plenus dierum, congregatusq; est ad populum suum. Et sepelierunt eum Isaac & Ismael filij sui in spelūca duplici, quæ sita est in agro Ephrō filij Seor Ethei, è regione Mamre, quam emerat à filijs Heth. Ibi sepultus est ipse & Sara uxor eius. Et post obitū illius benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteū nomine uiuentis & uidētis.

LECTIO.

Abraham uerò aliam duxit uxorem, &c.] Hebraicè: Et adiecit Abraham, & accepit uxorem. Sic habent & Septuaginta.

Quæ peperit ei Zamram, &c.] Nomina ista Hebraicè sic leguntur: Simran, Iockſan, Medan, Midian, Iesback, Suah, Seba, Dedan, Aschurim, Letuschim, Leumim, Epha, Epher, Henoch, Abida, Eldaah. Septuaginta sic legunt: Zombran, Iezan, Mada, Madiam, Ieboc, Soie, Saba, Thaman. (Hic in Hebræo non habetur) Dedan, Raguel, & Nabdeel (hi duo quoq; nō sunt in Hebræo.) Assurijm, Laturijm, Laomim, Gephar, Aphir, Enoch, Abida, Eldaga. Ergo tribus nominibus quæ in Hebræo non leguntur, abundant Septuaginta.

Illud, Filij Dedan fuerunt Assurim, Letuschim, & Leumim, Chaldæus paraphrastes reddidit: Et filij Dedan

Dedan fuerunt caſtrenſes, tabernacuiarij, & inſulani. Verùm hoc magis eſt docere quales, quàm qui fuerint.

Filijs autem concubinarum.] In Hebr. additur אשר לאברהם: id eſt, Quæ fuerunt Abrahæ.

Ad plagam Orientalem.] Hebr. ſic: קדמת אל ארץ קדם, id eſt, Ad Orientẽ, ad terram Kedem. Sic & Chaldæus, Ad Orientem, ad terram Orientalem. Et Sept. Ad Orientem, ad terram Orientalium.

Fuerunt autem dies uitæ Abrahæ, &c.] Hebr. Et iſti ſunt dies annorum uitæ Abrahæ quibus uixit, centũ anni, ſeptuaginta anni, & quinq; anni.

Et deficiens mortuus eſt, &c.] Hebraicè: Et expirauit & mortuus eſt Abraham in ſenectute bona, ſenex & ſatur.

Congregatusq; eſt ad populum ſuum.] Hebr. Ad populos ſuos.

Quam emerat à filijs Heth.] Hebr. Quem agrum emerat Abraham à filijs Heth. Sept. Quem agrum & ſpeluncam emerat Abraham, &c.

EXPLANATIO.

Bipartitam diuiſionem habet hic contextus. Exponit primùm quæ fuerit generatio eorum qui nati ſunt Abrahę ex Keturah: deinde ſepelit Abrahamum, & quod fuerit illius teſtamentum recenſet. Prior particula inducta eſt propter poſteriorem, teſtamentum uidelicet Abrahæ, quo Iſaaco hæreditas bonorum omnium, filijs uerò concubinarum munerum quorundam largitio ceſsit.

Adiecit uerò Abraham, & accepit uxorem, & nomen eius Keturah.] Quæ fuerit iſta Keturah, & quando duxerit illam Abraham, uidebimus in quæſtionibus.

Et peperit ei Simram, &c.] Recenſentur ſedecim perſonæ, quarum ſex fuerunt filij Abrahæ, ſeptẽ nepotes, tres pronepotes. Nepotes autem, duorum tantum filiorum Iocksan & Midian, & pronepotes unius duntaxat Dedan numerantur. De reliquis quatuor filijs Abrahæ, Simran, Medan, Iisbac, & Sua, non memoratur, qui fuerint illorum poſteri, ſiue quòd nulli, ſiue quòd tum temporis incogniti, uel terræ Chanaan non adeò uicini fuerunt.

Omnes hi fuerunt filij Keturæ.] Per filios intelligit poſteros filios, nepotes ac pronepotes.

Et dedit Abraham quæ habebat omnia Iſaaco.] Poteſt legi, Et dederat Abraham omnia quæ habebat Iſaaco. Si conſtaret nobis ſeries & ordo geſtorum, poſſemus certam habere lectionẽ. Exponit teſtamentum Abrahæ, quod attinet facultatum diſtributionem. Iſaac erat unicus filius ex libera natus, promiſſionem hæreditatis habens priuſquam natus eſſet. Illi dedit omnia quæ habebat. hoc eſt, Conſtituit eum hæredem omnium. Filijs uerò cõcubinarum largitus eſt munera, ne quaſi prorſus alieni eſſent, uacuos & omnino expertes relinquerer. Ergo & Iſmaeli munera dedit.

Et dimiſit eos, inquit, ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe uiueret, ad Orientem ad terram Orientalem.] Noluit eos cohabitare Iſaaco, propterea quòd eſſent alieni ab hæreditate & à fœdere ac promiſſionibus Dei, quemadmodum & Iſmaelem eadem de cauſa iuſſu Dei ab Iſaaco ſeparauerat.

Ad Orientem, inquit, ad terram Orientalem.] Addit, Ad terram Orientalem, ne putes iſtos duntaxat uerſus Orientem, & non in ipſam terram Orientis fuiſſe locatos. Aliud eſt, uerſus Orientem: & aliud, in ipſa terra Orientali habitare. Hactenus de poſteris Keturæ, & teſtamento Abrahæ. Iam ſubditur de morte ac ſepultura illius.

Et iſti ſunt dies annorum uitæ Abr.] De morte Abrahæ tria dicit. Primùm quòd ſit mortuus. Et expirauit, inquit: uel, ut alij legunt, Et defecit Abraham, & mortuus eſt. Deinde quando ſit mortuus, Cum annos uixiſſet centum ſeptuagintaquinq;. Et iſti ſunt dies annorum uitæ Abrahæ, inquit, quibus uixit, centum ſeptuagintaquinque. Mortuus eſt igitur, cum Iſmael octogintanouem, Iſaac uerò ſeptuagintaquinq; annos natus eſſet, anno quinquageſimoſecundo poſt obitum Saræ. Tertiò quomodo ſit mortuus. Morte haud uiolenta, ſed naturali ac propter ſenium placida. Huc pertinet quod dicit, In ſenectute bona, ſenex ac ſatur, et collectus eſt ad populos ſuos. In ſenectute bona, exponit Lyranus, In diuina gratia. Moſes ſimpliciter intelligit iuſtam & maturam ſenectutem. Nos Germanicè dicimus, Er iſt eyns gůten alters geſtorben. Idem eſt quod addit, Senex ac ſatur: uel ut alij uertunt, plenus dierum. Dicuntur iſta reſpectu temporum illorum. Aliàs ante diluuium annis centum & ſeptuaginta non fuiſſet matura ſenectus, dierumq; ſaturitas attributa.

Illud, Et collectus eſt ad populos ſuos, exponunt quidam de anima Abrahæ, quòd illa collecta fuerit in lymbum patrum. Eſt ſoquutio iſta ſcripturæ conſueta & ſimpliciter intelligẽda, de eo, quòd mortuis maioribus noſtris & filijs quoq; qui nos moriendo præceſſerunt, coniungimur, dum illos morientes conſequimur. Sic Dauid de mortuo filiolo ſuo dicebat: Ego uadam magis ad eum, ille non reuertetur ad me. Nos Germanicè dicimus, *Zum alten hauffen fahren.*

Et ſepelierunt eum Iſaac & Iſmael filij ſui in ſpelunca duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron, &c.] De ſepultura Abrahæ item tria dicit. Primùm, quòd ſit ſepultus. Deinde à quibus, ab Iſaaco & Iſmaele filijs ipſius. Filij Keturæ non aderant, ſed ſeparati erant ab Iſaaco in Orientalem terram, uiuente adhuc Abrahamo. Tertiò, ubi, in eadem uidelicet ſpelunca, qua ante annos qutnquagintaduo ſepelierat Saram uxorem ſuam. Hanc rurſus deſcribit Moſes, dicens: In ſpelunca duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron, filij Seor Hetthei, è regione Mamre, quem emerat à filijs Heth, ibi ſepultus eſt ipſe & Sarah uxor eius. Theographiam hanc tribuit dignitati & honori ſepulturæ ſanctorum iſtorum.

Et factum est post mortem Abrahæ, benedixit Deus Isaac filio eius.] Sic antea promiserat cap. 17. Igit̃ post mortem Abr. hæc transtulit benedictionem suam in Isaacum. Quomodo illi benedixerit, patebit in sequentibus historijs.

Et habitauit Isaac iuxta puteum uiuentis & uidentis me.] An demum post mortem patris, uel statim initio separationis post mortem Saræ eo loci habitare cœperit, certò statui non potest, tacente scriptura.

QVAESTIONES IIII.

Quomodo excusari possit quòd Abraham senex duxit uxorem.

Et adiecit Abraham, & accepit uxorem, & nomen eius Keturah.] Quærunt hic primùm, quomodo excusari possit Abraham, quòd post mortem Saræ, quo tempore annos natus erat centum triginta septem, homo admodum senex, duxerit uxorem, eamq; iuuenculam. Videtur enim non esse alienum à nota leuitatis, & præter decorum senij tantæ senectutis uirum adhuc seruire libidini uxoriæ.

Respondemus, non esse culpabile, si uir senex mortua priore cõiuge pro sua cõmoditate ducat secundam. Et spiritus sanctus singulari hoc exemplo hæresim eorum quasi prǫiudicio quodam damnare uoluit, qui secundas erant nuptias damnaturi. Deinde, quoniam post mortem Saræ annos adhuc 38. uixisse legitur, satis constare, fuisse eum corpore adhuc sic uegeto, sano & firmo, ut haud inconueniens fuerit coniugio. Tertiò, quod notam libidinis attinet, præteritam tot annorum temperantiam, qua cum uxore sterili ad mortẽ illius usq; absq; ulla libidinis suspicione uixit, abundè sufficere ad reprobandam libidinis suspicionem. Quartò, aliam esse offensaculorum hac in re conditionem nostris seculis, quàm quibus uixit Abraham. Quod nostris uidetur esse turpe homini seni, si demùm nubat, id illis seculis honorificum etiam habebatur, præsertim si spes esset procreandorum liberorum. Quàm hodie passim obtinet φιλαδελφία in ducendis uxoribus, tam apud ueteres obtinebat φιλογενία, cuius ratione pauci cos habere uideas. Abraham quod fecit, studio prolis fecit, præsertim cum constitutus esset à Deo pater nõ unius tantum, & alterius, sed multarum gentium. Hæc breuiter ad istam quæstionem respondenda esse iudicamus.

Quomodo Abraham corpore emortuo liberos procreare potuerit.

Deinde quærunt, quomodo conueniat hæc historia uerbis Apostoli ad Rom. 4. ubi sic legitur: Et nõ est infirmatus fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorũ. Si centum annos natus, corpore fuit emortuo, inquiunt, tali adhuc magis fuit, cum annorum esset centum triginta septem. Quomodo igitur ducta demum uxore corpore emortuo liberos procreare potuit?

Respondemus. Quòd potuerit, ueritas historiæ tradit. Quare nõ est disputandum, potuerit ne uel fecus. Quod uerò uerba Apostoli concernit, intelligendum est, corpus Abrahæ fuisse emortuum non simpliciter & in se, sed secundum quid. Emortuum fuit respectu Saræ sterilis & annosæ, ex qua non potuit tollere filiũ, nisi ubi uolebat Dominus, non autẽ respectu iuuenculæ, qualis fuit Keturah, ex qua postea sex filios sustulit. Sunt qui dicant corpus Abrahæ reuera emortuum, quod uires naturæ attinet, uirtute fidei & potentia Dei ad generandum Isaacũ tradita, sic fuisse factum uiuidum & natiuum, ut etiam post natum Isaacum ad ulteriorem generationem fuerit aptum & efficax. Verùm prior sententia simplicior est & probabilior. Neq; enim statuendum est miraculum, ubi locus est uirib. naturæ. Nec illi necessarias sententiæ suæ causas habent, qui iudicant admissum esse hic à Mose πρότερον ὕστερον, uel recapitulationem, eo quòd Keturam hanc Abraham non demum post mortem Saræ, sed paulo post natum Ismaelẽ, cum adhuc esset corpore ualido duxerit in uxorem. Iosephus postquam de morte ac sepultura Saræ mecminit, progreditur, dicens: Post hæc duxit Abraham uxorem nomine Ceturam. Sic reddidit interpres, quod in Græco legitur, γαμεῖ δὲ αὖτος χαιτθραν ὕστερον. Id est: Duxit autem ipse Keturam postremò. Si duxit hanc ὕστερον, non est in narratione Mosis πρότερον ὕστερον, sed ὕστερον ὕστερον. Posset horum sententiæ ex 1. Paralip. 1. cap. probabilitatis aliquid accedere, si generationes filiorum Abrahæ eo essent ordine gestæ quo illic recensentur. Nam primo loco memorãtur generationes Ismaelis, deinde filiorum Keturæ, tertiò demum Isaaci. Verùm si quid dandum uidetur eiusmodi narrationi, non uideo quare non æqua ratione, sequamur ordinem Mosaicæ narrationis, qui postremo demum loco post obitum Saræ de nuptijs Abrahæ cum Keturah mẽtionem facit. Præterea, quomodo fieri potuisset, ut ne uerbo quidem ulla fieret mentio Keturæ & filiorum eius per totam præcedentium historiarum narrationem? Sarah quomodo tulisset Keturam & filios eius, ubi Hagar & Ismaelem domi suæ ferre noluit, ne hæres fieret cum filio ipsius Isaaco? Orauit Abraham ad Dominum pro Ismaele, dicens: Vtinam uiuat Ismael coram te, id quod fecit anno natales Isaaci proximè præcedenti. Si tum habuit liberos ex Keturah, quomodo nullam illorum mentionem fecit? Adhæc, quomodo erat Isaac unicus filius Abrahæ, cum iussu Dei duceretur ad immolandum, si præter hunc adhuc alios domi suæ habuit? Si hunc tum non habuit domi suæ unicũ, quomodo dictum est ad eum: Tolle filium tuum, unicum tuum, quem diligis Isaac. Item, Nunc cognoui quòd timeas Dominũ, & nõ peperceris filio tuo unico tuo propter me. Et, Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo, unico tuo, &c. Ista consideranti, satis, opinor, patet, sententiam eorum, qui putant Abrahamum duxisse Keturam ante natum Isaacum, nihil habere firmitudinis.

Quæ fuerit ista Keturah.

Tertiò, de eo quoq; controuertitur, quænam fuerit ista Keturah. Iudæorum aliqui dicunt, Keturam hanc fuisse Hagar, quam post mortem Saræ reduxerit ad se Abraham & loco uxoris habuerit. Hieronymus in Quæst. super Genesim hoc loco sic dicit. Keturah Hebræo sermone copulata interpretatur, aut coniuncta. Quam ob causam suspicantur Hebræi mutato nomine eandem esse Hagar, quæ Sara mortua de concubina transierit in uxorẽ. In quæst. uero super Paralip. etiam affirmat Hieronymus, Keturam hanc fuisse Hagar. Sic enim ibi annotat. Keturah ipsa est Hagar, quod in Psalmo manifestatur, quum dicitur:

Taber-

A Tabernacula Idumæorum & Ismaelitarum, Moab, & Agareni, Ismaelitas uocans filios Ismael, qui utiq; Hagar filius fuit, & Hagarenos, Madianitas, & cæteras tribus quas de Ketura procreatas sacra scriptura cõmemorat. Hæc ille. Et Lyrano hæc sententia non displicet, nec reijcit eam autor historiæ Scholasticæ.

Reliqui negant Keturam hanc fuisse Hagar, quibus & ego consentio. Primùm enim, non est discendum à simplicitate & consuetudine scripturæ, quæ cum dicit, ישמעאל קטורה, id est, & nomen eius Keturah, postremæ coniugis huius Abrahæ nomen assignat non appellatiuum, sicut aliqui uolunt, ad uocis significationem respicientes, sed proprium unde uxor ista quæ fuerit cognosci, & ab alijs distingui possit. Hæc est ratio propriorum nominum, quam scriptura sequitur, nec quorumuis arbitratu cõfundi debet. Quemadmodum igitur, ubi suprà capite undecimo legimus: Acceperunt Abraham & Nahor uxores, & nomen uxoris Abrahæ Sarai, & nomen uxoris Nahor Milchah. Et capite decimosexto: Habuit Abraham ancillam Aegyptiam, & nomen eius Hagar, simpliciter mulierum istarum nomina non appellatiua, sed propria assignari sentimus: cõsimili simplicitate & hic cum dicit Moses: Adiecit Abraham, & accepit uxorem, & nomen eius Keturah, non intelligimus Keturam nomen esse appellatiuum, fuisseq; Keturam hanc non minus aliam ab Hagar, quàm Hagar alia fuit à Sarah, & Sarah ab utrisq;.

Deinde, si numeres à natalibus Ismaelis, qui natus est anno Abrahæ 86. usq; ad mortem Saræ, quo Abraham annorum fuit centum trigintaseptem, numerum habebis annorum 51. quibus si uel uiginti tantũ ætati Hagar deputaueris, qua Ismaelem pepererit, extabit numerus annorum septuaginta unius ad minus, ut Hagar post mortem Saræ septuagenaria redierit ad Abrahamum, cum certè ætati dari nõ potest, quod ad generationem sex filiorum fuerit accommoda. Nec uerosimile est, uirum annorum centum trigintaseptem ex eiusmodi septuagenaria uetula liberos perinde atq; ex iuuencula suscipere potuisse. Nec crediderim Abrahamum, qua erat φιλογενίᾳ præditus, tam uetulam ducturum fuisse, cum posset ducere iuuenculam genituræ aptam.

Tertiò. Quoniam infrà hoc ipso textu legitur, Et dedit Abraham omnia sua Isaaco, filijs uerò פילגשים, id est concubinarum, dedit munera, opinor satis esse conspicuum, fuisse Abrahamo non unam duntaxat, sed ad minus duas concubinas. Has cum scriptura nominatim assignet, Hagar uidelicet & Keturam, quæ quæso necessitas est ex duobus nominibus illis Hagar & Ketura unam cõminisci personam? Scio quid hic Lyranus obijci posse putet: uerùm si cui huiusmodi commenta placent, per me licet illa retineat.

B Quod locum attinet quem Hieronymus ex psalmo octuagesimotertio adducit, respondeo, non consequi quod ex illo colligit. Non enim sequitur propterea fuisse non aliam quàm Hagar, quod Prophetæ Ismaelitas & Hagarenos, quasi duo fuerint diuersi populi, separatim ponit, quorum generatio utiq; non potest aliò quàm ad Hagar referri. Etenim de Ismaele quidem, unde sunt Ismaelitæ, satis constat, quòd Abrahæ sit natus ex Hagar: de Hagarenis uerò comprobari nõ potest, quòd sint diuersi ab Ismaelitis, si originem spectes. Etenim quemadmodum populus Israel ab eodem uniuersus descendens parente Israel, oborta dissensione diuisus est in Israelitas & Iudæos, sic ut alij ad Iudam filium Israelis, alij ad ipsum Israelẽ cõmunem parentẽ originẽ suam ex nomine referãt: ita uerosimile est accidisse & Ismaelitis, ut à se inuicẽ in duos diuisi populos, alij se Hagarenos nomine Hagar cõmunis matris, alij Ismaelitas nomine Ismaelis filij illius uocarint: unde non consequitur, alios fuisse ortus Ismaelitis, & alios Hagarenis. Deinde affirmari non potest, Madianitas cum reliquis gentibus ex Keturah natis pertinere ad Hagarenos. Præterea si omnino Hagareni diuersi fuerunt etiam natalibus ab Ismaelitis, ne sic quidem conuinci potest, esse eos secundis nuptijs procreatos ab Abrahamo & Hagar, cum fieri potuerit, ut Hagar domo Abrahæ cum Ismaele eiecta nupserit cuipiam alteri, unde prodierint Hagareni.

Locus Hieronymi excutitur.

Quare constare puto, Keturam hanc non fuisse Hagar, sed puellam aliquam ex domesticis Abrahæ, quam sibi post mortem Saræ procreandorum liberorum gratia conjunxerit. Neq; enim probabile est, quòd ex finitimis gentibus uel Chananæorum filiabus aliquam duxerit.

Quartò, & illud in quæstionem uenit, quomodo dicat Moses Abrahamum duxisse Keturam in uxorem, quum paulo pòst uocet eam concubinam, dicens: Et filijs coucubinarum dedit Abraham munera: & 1. Paralipom. primo concubina uocetur. Quærunt quomodo eadem mulier & uxor potuerit esse, & concubina uiri eiusdem. Verùm quid ad quæstionem istam respondendum sit, uide suprà capite decimosexto, ibi: Et tulit Hagar Aegyptiam ancillam suam, & dedit eam uiro suo in uxorem.

Quomodo Keturah & uxor fuerit Abrahæ, & concubina.

OBSERVANDA.

Et adiecit Abraham, & accepit uxorem, & nomen eius Keturah, & peperit ei Simran & Iocksan, & Madan, & Madian, & Iesboch, & Sue. Iecsan quoq; genuit Saba, & Dadan. Filij Dadan fuerunt Assutim, etc.] Obiter hic obseruabis. Primũ, non esse inhonestum, si uir senex pro sua commoditate nubat, nisi inhonesti aliquid Abrahamum senem iam & propè decrepitum, cum annorum esset ultra centum trigintaseptem in eo admisisse dicturi sumus quòd uxorem duxit. Deinde, nec illud inhonestum esse, si ducat senex iuuenculam, hoc est, talem uxorem, unde prolem sperare possis. Secus habet, si annus nubat iuueni. Abraham quum senex nubere uellet, duxit uxorem iuuenculam, prolis grãtia. Haud cogitabat, Quid uiro decrepito cum liberis? Priusquam adoleuerint, migrabo ex hac uita, & relinquam post me

Non esse inhonestum, si uir senex & uiduus nubat iuuenculæ.

me orphanos pusillos. Sciebat Deum esse patrem orphanorum & pusillorum. Tertiò, haud esse illicitum, si uiduus nubat. Quemadmodum suprà memini, damnantur hoc exemplo Abrahæ omnes illi qui secundas nuptias reprobant.

Virtus diuinæ benedictionis.

Et peperit ei Simram & Iockſan, &c. Item, *Omnes hi fuerunt filij Keturæ.*] Obseruet & cogitet hic lector, quæ sit diuinæ benedictionis uirtus in hoc sene ac decrepito declarata, ex quo neluti uerula & annosa ui te tot gentium palmites prodierunt, ac regiones terræ Chanaan finitimas occuparunt, de quibus Iosephus annotat ad hunc modum. His omnibus, inquit, filijs filiorumq; natis Abraham ex proprijs donatum præbuit, qui & Troglodyticam apprehenderunt, & felicem Arabiam, in quantum ad mare rubrum pertingit. Dicitur autem quòd dum Apher castra fixisset in Libya, & filiorum eius filij habitassent in ea terra illam, ex illius nomine Aphricam uocauerunt. Testatur autem meo sermoni Alexander qui dicitur Polyhistor, sic dicens: Cleodemus autem propheta, qui & Malchus, scribens historiam Iudæorum, sicut etiam Moses legislator eorum retulit, ait, quòd de Keturah Abrahæ multi filij fuerint. Dicit autem eorum etiam nomina tria: Apheran, Surim, & Iaphran, & de Surim quidem Assyriam nuncupatam, ex duobus autem reliquis Iaphran & Apheran ciuitatem Abran, & prouinciam Aphricam nominatam: his etiam auxilium præbuisse Herculem in Libya, & duxisse uxorem filiam Iaphram nomine Heræam, & genuisse ex ea Dadorim filium, cuius fuit filius Sophon, ex quo Barbari Sophaci nominati. Hæc Iosephus, unde desumpta sunt quæ Hieronymus in hunc locum annotat.

Admirabilis dispensatio promissorum Dei.

Nos hic cogitemus de prouidentia illa Dei, qua Ecclesia sanctorum & promissiones illius adeò mirabiliter dispensantur, ut quæ sanctis promittuntur iudicio carnis magis in filijs carnis, quàm in filijs promissionis impleri uideantur. Multiplicatio seminis erat Abrahæ promissa ex Sarah. At illa tum tandem cum esset nonagenaria unicum protulit filium. Keturah uerò confestim sex filios parit Abrahæ. An non ea fœcunditas speciem habebat multiplicandæ ex Keturah posteritatis magis, quàm ex Sarah? Sic ut uerba promissionum Dei sonarent quidem Isaacum Saræ filium, res uerò ipsa in filijs Keturæ adimplenda uideretur? Admonemur hoc exemplo, quemadmodũ Abraham firma fide pependit à uerbo promissionis, quod de Isaaco acceperat, quicquid foris appareret in facie carnis, ut ita nos quoq; contra quasuis tentationes adhæreamus uerbo promissionum Dei, nec credamus oculis ac sensui carnis magis quàm sensui spiritus, qui relicta facie mundi ueritate uerbi Dei nititur.

Adhærendũ uerbo promissionis Dei.

Et dedit Abraham omnia sua Isaaco, filijs uerò concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaaco filio suo dum adhuc uiueret ipse, ad Orientem, in terram Orientalem.] Docemur hoc exemplo, pertinere ad patremfamilias, ut priusquam ex hac uita migret, res suas uirtute testamẽti disponat, & quasuis litigationum ac contentionum causas amputet, ne quid dissidiorum posteris suis post se relinquat. Sic Abraham cum esset decrepitus factus, sciretq; se & mortalem esse & morti uicinum, corpore adhuc sano, & mente integra condidit testamentum, ac res suas disposuit. Sic dicebat Esaias ad Ezechiam: Dispone domui tuæ, morieris enim. Huiusmodi testamentaria bonorum ac facultatum dispositio, primùm resignatio quædam est eorum, quæ ad præsentis uitæ usus de manu Domini acceperamus, qua nos agnoscere testamur, quòd appropinquauerimus ad terminum uitæ huius nostræ terrenæ ac transitoriæ, simusq; paulo post ex hoc misero, laborioso et crumnoso seculo in eam uitam migraturi, in qua terrenarum istarum facultatum nullus sit usus. Et huiusmodi resignatione præparatur animus ad mortem, priusquam immineat, & uale dicitur huic mundo, prospicitur q; ad futurum seculum. Deinde cauentur futuræ dissensiones domesticorum, fitq; ut illi bona paterna non inuadant, tanquam à mortuis parentibus, præter animi illorum sententiam relicta, sed tanquã à uiuis suapte sponte ipsis tradita, ac prudenter paternoq; affectu delegata. Quare longè aliud est, si opes tuas moriens posteris relinquas, id quod & de impijs canit Psaltes, psalmo decimoseptimo, quàm si eas integra adhuc mentis & corporis constitutione præditus sponte tua disponas, & quibus uel naturali uel ciuili iure debentur, uel si tales non fuerint, quibus pro pietate uel humanitate tua faueris, tradas, mq; illos benedictionem à Deo acceptam scienter ac prudenter transferas. Qui sic testamentum condit, reipsa prædicat de bonitate Dei, usqueadeò fuisse sibi per illam in hac uita de rebus necessarijs consultum, ut abundent sibi etiam, quæ posit ad hæredes suos, domesticos & amicos transferre.

Ad curã patrisfamilias pertinet condere testamentum.

Horum consideratione admonemur, quid sentiendum sit de illis primùm, qui sic omnia sua luxu & ocio decoxerunt, ut posteris suis ne obulum quidem delegare ualeant? Immò, quod adhuc peius est, debita post se relinquant, quorũ pondere relicta cum orphanis uidua prorsus opprimatur. Deinde & de illis, qui sic sunt bonorum suorum tenaces amatores, uel sic prolixiorem adhuc uitam, quantumuis decrepiti ac morti uicini sperant, ut intestati ex hoc seculo citius opinione abrepti discedant, causasq; contentionum ac dissidiorum posteris relinquant. Tertiò, de illis quoq;, quos prorsus monstra & portenta humanæ naturæ inimica esse iudico, qui quas habent opes auidissimè corrasas sic abdunt & sepeliũt, ut quantum in ipsis est, nunquam ad ullorum mortalium conscientiam nedum usum perueniant. Isti ueluti quoadeò sunt misanthropi, ut, ubi moriendum ipsis est, cupiant & optent unà secum totũ interire mundum, uel saltem omnẽ terræ superficiẽ prorsus arescere, ac sole extincto cuncta tenebris immersa teneri.

In testamẽtis condendis seruandã esse iustitiam.

Deinde & illud obseruandum est, quòd res suas Abrahã haud æquis portionibus inter filios suos, sed cum decenti ac iusto discrimine diuidit. Dedit, inquit, omnia sua Isaaco, filijs uerò concubinarum largitus est. m. Isaaco deputat omniũ bonorũ suorũ hæreditatẽ, id q̃d nec odio reliquorũ, nec carnalis amoris affectu,

affectu, sed iustitiæ studio facit. Erat enim Isaac cùm diuini oraculi priuilegiò, tum iure naturalium, ex libera natus, unicus ipsius hæres. Quare non conueniebat, ut hæreditatem bonorum suorum in alios transferret. Admonemur hoc exemplo, ut testamenta condentes seruantes simus iustitiæ, ne quos habemus naturales ac legitimos hæredes, iure ipsorum defraudemus.

Sic studendũ esse iustitiæ, ut regula beneuolentiæ non negligatur.

Rursus in eo quod sic Isaaco dedit omnia, ut simul reliquis filijs largitus sit munera, admonemur sic esse studendum iustitiæ, ut quod humanitati ac beneuolentiæ in alios declarandæ debetur, haud negligamus. Alioqui si summo iure usus sic dedisset Isaaco omnia, ut nihil prorsus reliquis filijs cessisset, summam admisisset iniuriam.

Exemplum constantis fidei.

Et separauit eos, inquit, ab Isaaco filio suo, dum adhuc ipse uiueret.] Quare non separauit Isaacum ab illis, ut ipse iret in terram Orientalem, illi in terra Chanaan consisterent? Obseruabis hic constantiã fidei in Abrahamo. Quoniam respectu promissionum Dei futurũ credebant, ut posteri ipsius ex Isaaco propagati terram Chanaan hæreditariò possiderent, noluit istum dimittere ex ea terra, nec pati potuit, ut filij Keturæ illi coniungerentur, quòd ad illos non pertineret promissio: deinde, ne si in Chanaan crescerent, olim ab Israelitis delerentur. Ideo seiunxit eos ab Isaaco, & in terras Orientales misit, siue ut illas occuparent adhuc incultas, siue ut in illis peregrinarentur, donec multiplicati emergerent.

Prudentia Abrahæ in eo quòd res suas uiuus disposuit.

Obseruanda est etiam prudentia Abrahæ in eo quòd munera largitus est filijs Keturæ illosq; ab Isaaco separauit, & in terras Orientales misit, cum adhuc in uiuis esset. Poterat Isaaco ista post mortẽ suam perficienda mandare, uerùm maluit per se quicquid horum erat, exequi. Timendum enim erat, ne fortè Isaac parcius æquo de bonis suis communicaret filijs Keturæ, uel illi plus poscerent quàm par esset: atque ita inter eos orirentur dissidia, uel ne ipsa quoq; separatio non fieret sicuti conueniebat. Quare prudenter ista pro sua autoritate dum adhuc in uiuis esset exequitur ipse, quo incõmoda cuncta amputent. Hanc prudentiam imitari debent patresfamilias.

Mysterium loci huius.

Considerandum etiam est mysterium huius loci. Abraham Isaaco unico suo hæredi dedit omnia quę habebat, reliquis filijs largitus est munera, & separauit eos ab Isaaco, & è terra promissionis exclusos misit in Orientem. Sic Deus pater Christum unigenitum suum constituit hæredem omnium. Hebr. 1. Dedítq; illi in manus omnia. Verùm reliquos interea non dimisit inanes ac uacuos, sed muneribus pro sua liberalitate cumulatos. Dum autem Christo dicimus omnia esse à patre tradita, non excludimus semen illius, fideles uidelicet, qui corporis ipsius sunt membra: quemadmodum nec Isaaco sic tradita sunt omnia, ut ab ea hæreditate excluderentur ipsius posteri. Itaque in Christo facti sumus hæredes Dei, ad Rom. octauo: & accepimus omnia, 1. Corinth 3. quotquot uera sumus illi fide incorporati, & filij Dei, cœlestisq; promissionis facti. Reliqui uerò, qui alieni sunt à Christo, semine electionis, & communicatione promissionis, accipiunt à Deo munera bonorum terrenorum, quæ respectu cœlestium nec hæreditaria sunt, nec munda, ut haud inconueniens sit, quod R. Shlomoh filijs Keturæ de immundis data esse munera dicit, deinde separantur ab electis, ne quam communicationem cœlestis patriæ terræ promissæ accipiant.

Et isti sunt dies annorum uitæ Abrahæ, quibus uixit, centum anni, septuaginta anni, & quinq; anni, & expirauit & mortuus est Abraham in senectute bona senex ac satur, & additus est ad populos suos.] Primùm in eo quòd mortuus est Abraham, quid sit obseruandum, uide suprà capite uicesimotertio, ubi Sarah mortua memoratur.

Senium uiuendi tædium adfert.

Deinde quod dicit, Et mortuus est in senectute bona, senex ac satur, admonet nos, uitam longęuam esse donum Dei, & magnum bonum. Sed ea de re uide in Locis nostris, in quinto præcepto Decalogi, ibi, Vt sis longæuus super terram. Hic illud considera, quod dicit: Senex ac satur. Inest nobis, dum sumus integetis adhuc corporibus, insatiabilis quædam uiuendi cupiditas. Verùm hanc extinguit senectus, quæ nos reddit abundè saturos, ut ne unum quidem diem uitæ nostræ adijcere cupiamus.

Defectus annorũ uitæ humanæ

De eo uerò, quòd uita maiorum ad Abrahamum usq; tot centenarijs est diminuta, ut spacium annorum ceniũ septuagintaquinq;, uocetur hic, senectus bona, cum olim uix modica fuisset uitæ portio, annotauimus suprà cap. 11. in obseruationibus genealogiæ patrum.

Mortui non pereunt.

Tertiò. Et additus est, inquit, ad populos suos. Quod nihil est, nec addi potest cuiquam, nec illi quicquam addi. Abraham additus est & collectus ad populos suos, utiq; mortuus ad mortuos. Ergo non perierant maiores Abrahæ, nec ipse quoq;, quamuis mortui. Viuunt itaq; mortui, & sequentes præceden tibus iunguntur. Disputant hoc loco quidam de limbo patrum, & statu mortuorum, uerùm eiusmodi materia in suos est peculiares locos reseruanda.

Officiũ pietatis erga mortuos.

Et sepelierunt eum Isaac & Ismael filij ipsius in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron, &c.] Commendatur hic officium pietatis exercendum erga mortuos. Sic disposuit Deus res humanas, ut uiui sepeliant non instar cadauerum temerè, ac quolibet abijciant mortuos suos. Sic filiorum est sepelire parentes, parentum sepelire filios, mariti sepelire uxorem, uxoris sepelire maritum, &c. hoc est, tanquã rem charam & preciosam condere. In eo uerò quòd non Isaac tantum, sed & Ismael Abrahamum sepelierunt, admonemur quàm conueniat, ut uel saltem morte parentum concilientur fratres, qui uiuis illis conciliari nequiuerunt. Si quis liuor in corde Ismaelis postquã eiectus esset, aduersus uel parentẽ Abrahamum, uel fratrem Isaacum obtinuerat, certè mortuo Abrahamo remisisse uidetur. Notum est illud, Liuor post fata quiescit. De spelunca duplici suprà annotatum est cap. 23.

Diſsidentes fratres morte conciliari.

Ibi

Et uita & sepultura coniungi.

ibi sepultus est ipse & Sarah uxor eius.] Obserua hic singulare donum Dei, si contingat coniugibus, & A
cohabitatione præsentis uitæ, & sepultura quoq; coniungi. Et de eo cogitet diligens lector, quòd nulla fit mentio de Hagar & Keturah, ubinam illæ fuerint sepultæ. Sepulchrũ hoc duplicis speluncæ, interra Chanaan, destinatum fuit ijs tantum qui ad promissionem Dei pertinebant. Quare nec hæ duæ concubinæ Abrahæ, nec filij illarum in illo sepeliuntur.

Semen piorũ benedicitur.

Et post obitum illius benedixit Deus Isaaco filio eius.] Notandum hoc est diligenter. Sic solet Deus semẽ piorum benedicere propter paternam pietatem, nisi ab illa prorsus degeneret. Hanc benedictionem seminis post mortem parentum pauciss imi hodie curant.

Filij promissiõis habitant ad puteum cœlestis gratiæ.

Et habitabat iuxta puteum nomine uiuentis & uidentis me.] Historia putei huius ex præcedentibus nota est. Nos ad anagogen conuertamur. Habitauit Isaac benedictus à Deo ad puteum nomine Viuentis & uidentis Dei. Puteus iste typũ habebat uberrimæ gratiæ Dei, uiuentis & uidentis in genere quidẽ omnia, uerùm singulariter suorum necessitates. Ad huiusmodi puteum habitare, est fide gratiæ huius in omnibus participem esse, perinde ac si arbor ad riuos aquarum plantata indesinenter humectetur, & fru
gifera reddatur. Puteus autẽ iste rectè intelligitur Christus, fons cœlestis gratiæ, ad quem
habitant electi & filij promissionis.

LECTORI.

QVoniam lucubrationum nostrarum opus, lector charissime, hactenus inter manus usqueadeò creuit, ut quæ adhuc restant, arctius cõtrahere cogamur, uisum est sequentia ad calcem usq; libri compendiosius, ac uelut in transcursu perequi, ne moles operis & emptori sumptuosior, & lectori tædiosior efficiat, id quod præter animi nostri sententiam in Commentarijs nostris super libros Psalmorum accidisse uidemus. Quare temperabimus nobis posthac à quæstionibus (nisi ipsa rerum obscuritas uel difficultas diuersum extorqueat) & in assignandis doctrinis ac cõsiderationibus aliquanto breuiores ac parciores erimus. Lectionem quoq; & explanationem sic in arctum restringemus, ut non nisi necessaria obiter attingamus. Denicq; quo minus annotanda sit lectionis uarietas, relicta uulgata latina uersione, singula ut in Ebræo leguntur recitabimus. Speramus autem fore, ut quibus antecedentiũ prolixitas molesta fuit, concisa sequentium breuitas haud displiceat: atque ita sicuti rudioribus hactenus accuratiore tractatu seruiuimus, ita ijs qui propter exercitatiores sensus breuitate gaudent, in sequentib.
breuitati studendo gratificemur.

GENERA-

GENERATIONES ISMAELIS.

ET hæ sunt generationes Ismaelis filij Abrahæ, quem peperit Hagar Aegyptia, ancilla Saræ, Abrahamo. Et hęc sunt nomina filiorum Ismaelis, in nominibus eorum secundum generationes eorum.

Primogenitus Ismaelis Nebaioth & Kedar, & Adbeel, & Mibsam, & Mishma, & Dumah, & Massa, Hædar & Thema, Ietur, Naphish, & Kedmah. Hi sunt filij Ismaelis, & hæc nomina eorum, in pagis eorum, & in castellis eorum, duodecim principes tribuum ipsorum.

Et hi sunt anni uitæ Ismaelis, centum anni, & triginta anni, & septem anni: & expirauit & mortuus est, ac congregatus ad populos suos.

Et habitauerunt ab Hæuilah ad Sur usq; quæ est in conspectu Aegypti, qua parte uenis in Assyriam: coram omnibus fratribus suis cecidit.

Sepulto iam Abrahamo, progressurus Moses ad describendas historias Isaac, in quo erant benedicendæ posteritatis promissiones, priusquam generationem illius ponat, recenset primùm generationes Ismaelis, deinde annos quoq; uitæ illius & mortem, ne uel illius prorsus nullam habuisse rationem uideatur, uel postea de illo memorando historias Isaaci interrumpere cogatur. Litera per se manifesta est.

Illud, Et hæc sunt nomina filiorum Ismaelis, in nominibus eorum secundum generationes eorum, intelligendum est de eo quod nomina filiorũ Ismaelis translata sunt ad illorum posteros, qui maiorum suorũ nominibus uocati sunt, perinde atq; Israelitis contigit. Vt sensum hunc innueret, sic est loquutus: Hæc sunt nomina filiorum Ismaelis, in nominibus eorũ secundũ generationes eorũ. Huc etiam pertinet quod recensitis illorum nominibus subijcit, Hi sunt filij Ismaelis, & hæc nomina eorũ in pagis eorũ & in castellis eorum, duodecim principes tribuum ipsorum. Alij legunt, in castellis eorum & palatijs eorum. Vulgata latina, Per castella & oppida eorum. Separatis castellis & oppidis habitarũt secundum tribuũ ipsorum separationem, & nomina maiorum eorum uniuscuiusq; familiæ mansionibus adhæserunt. Hieron. sic annotat: Duodecim filij nascuntur Ismaeli, è quibus primogenitus fuit Nabaioth, à quo omnis regio ab Euphrate usq; ad mare rubrum Nabathena usq; hodie dicitur, quæ pars Arabiæ est. Nam & familiæ eorum, oppida, & pagi ac munita castella, & tribus eorum hac appellatione celebrantur ab unoquoq; ex his. Kedar in deserto, & Duma alia regio, & Theman ad austrum, & Kedmah ad Orientalem plagam dicitur. Hæc ille.

Et hi sunt anni uitæ Ismaelis centum anni, triginta anni, & septem anni, & expirauit & mortuus est.] Ergo mortuus est Ismael cum post obitum Abrahæ uixisset annos quadraginta octo, & Isaac annorum esset centum uigintitrium.

Et habitauerunt ab Hæuilah ad Sur usq;.] De terra Hæuilah suprà cap. 2 facta est mentio. Circuit illam fluuius Pishon unus ex quatuor fluminibus paradisi. An hanc Hæuilam intelligat hic Moses, quam regionem Indiæ esse dicunt, statuere non possum, cum memoretur hic Sur, quæ est in facie Aegypti, & ad solitudinem pertinet itinere quo itur in Assyriam.

Illud, Coram omnibus fratribus suis cecidit, non eodem modo exponitur. Alij exponunt de morte, ad quem modum intelligit latinus interpres: alij de habitatione Ismaelis, sicuti uerterunt Septuaginta, respicientes nimirum ad id quod suprà cap. 16 legitur, E regione uniuersorum fratrum suorum figet tabernacula. Hoc sensu posset uerbum cadendi mataphoricè sumi pro eo quod sors alicui cadere dicitur, ubi mansio designatur. Sunt quibus cadere hoc loco idem est quod irruptione bellica adobruere, unde gigantes נפילים, id est cadentes uocari uolunt. uidetur tamen sensus Hieronymi hoc loco probabilior, qui sic dicit: Quod autem in extremo huius capituli iuxta Septuaginta legimus, Contra faciem omnium fratrum suorum habitauit, uerius est illud quod nos posuimus, Coram omnibus fratribus suis occubuit: id est, in manibus omnium filiorum suorum mortuus est, superstitibus liberis, & nullo prius morte præcepto. Fratres autem pro filijs appellari, Iacob quoq; ad Laban demõstrat dicens: Ponatur coram fratribus meis & fratribus tuis & dijudicent inter nos, &c. Lyranus etiam sic exponit: Coram cunctis fratribus suis obijt, id est ante omnes fratres suos obijt: ut anteceſsio temporis significetur, quasi suos omnes morte præcesserit. Verùm sententia ista coincidit cum ea quæ est Hieronymi.

Et hæ sunt generationes Ismaelis filij Abrahæ.] In consideratione generationum Ismaelis occurrit uirtus diuinæ benedictionis, quod multitudinem attinet tam amplæ posteritatis tamq; multorum & magnorum populorum, qui ex lumbis Ismaelis prodierunt. Puer cum pane & aqua è domo paterna rerum omniũ nudus & uacuus eiectus, inq; solitudine educatus, uirtute benedictionis Dei in caput duodecim populorum excreuit. OBSER.

Deinde obserua etiã ueritatẽ diuinę promissionis in eo q̃d dicit, Duodecim Principes tribuũ ipsorũ. Ergo quod suprà cap. 17. de Ismaele fuit Abrahæ promissum, fideliter & efficaciter est præstitũ. Nam ibi legitur: Duodecim duces generabit. Cogitemus hic, si non fallunt promissiones Ismaeli, à populo san-

ctorum alieno factæ, sed firmæ & ueraces inueniuntur, quomodo de illis dubitare poterimus, quę Isaac & uniuerso semini electorum, populo fidelium sunt factę? Qui quod seruo promisit non mutat, quo modo mutaret quæ promisit filijs.

Tertiò, si conferantur generationes Ismaelis ad generationem Isaac, quomodo non est dictura ratio iudicij humani promissionem multiplicandi seminis impleri magis in Ismaele quàm in Isaac? Sed ea dere & suprà memini, ubi generationes Nahor & Abrahę cap. 22. & in principio capitis huius, ubi Sarà & Keturam contulimus.

Quartò. Et congregatus est, inquit, ad populos suos. Qui loquutionem hanc, congregari ad populum suum, deputant pijs tantum hominibus, colligunt hic Ismaelem mortuum fuisse in gratia Dei & populo sanctorum coniunctum, quorum sententiæ de Ismaelis salute facile consensero. Quod ipsam loquutionem attinet, de eo cogitemus, quod tam in hoc mundo quàm in altero inuenimus quibus nel nascentes uel morientes coniungamur. Qui nascitur inuenit populum suũ, cui educandus addatur. Quũ monitur, inuenit & ipse populos suos, quibus coniungatur, & quibus coniunctus diem resurrectionis expectet, & cum quibus in illo de puluere terræ, quod corpus attinet resurgat.

Quintò. Nec illud transeundum est, quod dicit: Coram omnibus fratribus suis cecidit. Primùm uocat scriptura filios & nepotes Ismaelis fratres eius, propter sanguinis coniunctionem. Deinde dicit eum cecidisse, pro, mortuum esse. Ergo uiuere stare, mori uerò cadere est. Metaphora sumpta ab arboribus, quæ stantes uiuunt cadentes emoriuntur. Tertiò prædicat illud de Ismaele, quòd coram omnibus fratribus suis mortuus est. Ergo singularis in eo gratia commendatur, si quis filijs suis superstitibus & presentibus ex hac uita migret.

GENERATIONES ISAAC

Et hæ sunt generationes Isaac filij Abrahæ. Abraham genuit Isaac.] Orditur Moses historias Isaac, quibus recensendis immoratur usq; ad principiũ cap. 28. Abraham, inquit, genuit Isaac. Vnde et quomodo natus sit Isaac, suprà memoratum est cap. 21.

Et erat Isaac annos quadraginta natus, cum acciperet Ribkam filiam Bathuelis Syri de Padam Syriæ sororem Laban Syri sibi in uxorem.] Memorat hoc obiter ac breuiter. Nam capite præcedenti historiam nuptiarum istarum fusè exposuit. Quadragesimo ętatis suæ anno accepit Isaac uxorem suam Ribkam. Annotat hoc propter retinendam gestorum seriem, cuius non modica portio est in assignatione chronologiæ. De Padan Syriæ, inquit. Sic & ipse Isaac Iacob filio suo de uxore ducenda præscribens infrà capite uigesimo octauo dicit: Surge, uade in Padan Syriæ ad domum Bethuerit, &c. Item ibidem: Et dimisit Isaac, Iacob & iuit in Padam Syriæ. Item: Videns Esau quòd benedixisset Isaac Iacob, & quòd misisset eum in Padan Syrię, &c. & quòd Iacob obediuisset patri suo, & matri suę, & abijt in Padan Syrię. Vbiq; uertunt in Mesopotamiam. Septuaginta particulam hanc omiserunt hoc loco, infrà tamen & ipsi reddiderunt Mesopotamiam. Padan Syriæ non est ciuitas Syriæ sic uocata. Nam ciuitas in qua habitauit Bathuel, Haran uocabatur, sicuti uidere est infrà cap 29. R. Shlomoh dicit Syriam esse duplicem, unam Syriam Zobah, alteram Syriam fluuiorum, cuius suprà cap. præcedenti facta est mentio, ubi seruus Abrahæ in Syriam fluuiorum ad ciuitatem Nahor abijsse scribitur. R. Dauid K. in libro radicum, Mesopotamiam uocari Padan Syriæ dicit, quòd duæ sint Syriæ. Padan enim significat par, & duo.

OBSER. Obseruandum nobis est hoc loco, quòd tam diligenter refricat Moses Ribkam fuisse filiam Bathuelis, & sororem Laban. Iudicio Hebræorum parum pij fuerunt utriq; & Bathuel & Laban. De Labanid satis cõstat ex sequentibus. Ergo Ribkah & impij pătris filia, & impij fratris soror, quasi rosa in medijs spinis nata, admonet nos de prudentia Dei, quæ ex impijs quoq; piã & sanctã prolẽ producere potest.

Et orauit Isaac ad Dominum pro uxore sua.] In Hebræo est, לנכח אשתו quod Monsterus uertit, præsente uxore sua. Sonat quidem uocula נגד è regione & uersus: uerùm non consequitur ex eo, quòd Isaac orauerit ad Dominum. Orare respectu alicuius, est orare pro aliquo. Isaac orauit respectu uxoris suæ, ergo orauit pro uxore sua. Additur causa, propter quam orauerit ad Dominum.

Quoniam sterilis erat.] Sterilitas ista durauerat usq; ad annum uicesimum post nuptias. Quare amore prolis, & respectu promissę multiplicationis orauit pro uxore ad Dominum, ut redderetur fœcunda.

OBSER. Tria obserua. Primùm, quòd Ribkah, quemadmodum & Saræ acciderat, sterilis redditur, de qua tamen secundum promissionem Dei expectanda erat seminis multiplicatio. Secundò uidelicet declarandum erat primordia seminis promissi constare non naturæ cursu, sed singulari diuinæ prouidentiæ dispositione id quod primùm patuit in Sara, deinde & in nuru illius Ribkah. Simul etiam exercenda erat fides Isaaci, per istam sterilitatis tentationem.

Deinde, quòd Isaac pro acquirendo prole erat Dominum. Sciebat illam non nisi de manu Dei esse petendam & expectandam.

Tertiò, quòd erat habens multiplicandi seminis promissionem. Non cogitabat: Promisit mihi Dominus semen. Est igitur illud daturus etiamsi non petam. Quin ob id ipsum confidentius orauit, quòd pro semine promisso diuinæ ueritatis respectu orabat.

OBSER. *Et exoratus est ab eo Dominus, & concepit Ribkah uxor eius.*] Atqui fuerat ipsi promissum semen, unde posteritas multiplicaretur, quare uidetur hoc fuisse præstandum propter ueritatem promissionum seruandam, etiamsi non orasset. Quid igitur est quod dicit, Et exoratus est ab eo Dominus, & concepit Ribkah uxor eius: quasi nõ promissionibus præcedentibus, sed orationi Isaac datus fuerit iste cõceptus? Primùm

Primùm, non acceperat Isaac promissionem sobolis determinatè ex Ribkah nascituræ. Potuit illa dari ex alia. Deinde non erat aliqua temporis determinatio, quòd tum, & non tardius, esset danda proles. Quare non est inconueniens, quòd proles data est oranti, non tanquam debita ex promissione, sed tanquam gratuitò. Atq; ita factum est ut simul impleretur promissio, & gratia non denegaretur oranti.

Et collidebant se filij in medio eius.] Sept. habent ἐσκίρτων δὲ παιδία ἐν αὐτῇ, id est, ludebant uel subsultabant paruuli in ea. Aquila uertit confringebantur filij in utero eius. Symmachus uerò διέπλεον id est in superficie nauis instar ferebant. Quid sibi uoluerit uterina ista gemellorũ collisio, sequẽtia docebũt.

Et dixit: Si sic, quare hoc ego?] Sensus est: Si periclitaturus est in me fœtus, quid proderit concepisse? Vulgata latina habet: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Ergo ista paruulorũ collisio reddebat Ribkam anxiam. Timebat fœtui suo, iudicabatq; satius fuisse, non concipere quàm frustra concipere. Sic nascebatur pœnitudo conceptus in corde illius, quamuis utriq; ipsa & Isaac fœtum à Domino cupidissimè poposcissent. Accidit hoc frequenter, ut obnixè petamus à Deo cuius paulopòst pœnitudine ducti, satius fuisse nec petere nec accipere iudicamus, ubi diuersum quid ab eo quod antea concepe ramus in ānimo euenerit. OBSER.

Et iuit ad quærendum Dominum.] Hoc est, ad quærendum ac discendum à Domino, quid nam in utero suo gereretur. Latinus interpres habet, Vt consuleret Dominum. Consulere autem Dominum, non est simpliciter quærere quid agatur, sed & discere, quomodo prementi uel imminenti malo occurratur. In eo quòd os Domini interrogauit Ribkah, uides exemplum pietatis, qua bona fiducia in rebus dubijs & grauibus ad Dominum confugiunt homines sancti & fideles. OBSER.

Quòd aũt imerit Ribkah ad quærendã Dñm, nihil certi traditur nec ab Hebræis, nec à nostris. Sequũtur suas quiq; coniecturas. R. Shlomoh dicit eam iuisse ad Shem filium Noah, Abenezra putat eam forsan iuisse ad Abrahamum, quòd & ille propheta fuerit. Sunt qui coniecturam habeant de Eber. Tres isti adhuc quidẽ in uiuis erant, cum hæc gererentur: uerùm an ad aliquem illorum abierit Ribkah, ut os Domini interrogaret, nulla potest certitudine comprobari. Burgensis sentit eam iuisse ad locum aliquẽ secretiorem orandi gratia, ibiq; inter orandum responsum accepisse Domino siue per angelum, siue interna reuelatione.

Augustinus hac de re sic scribit: De Rebecca quæritur quò ierit ad interrogandum Dominum. Non enim erant tunc prophetæ aut sacerdotes secundum ordinem tabernaculi uel templi Domini. Quò ergo ierit, meritò mouet, nisi fortè ad locum ubi aram constituerat Abraham. Sed illic quomodo responsa dentur, omnino tacet scriptura, utrum per aliquem sacerdotem, quod incredibile est, si erat, non fuisse nominatum, & nullam omnino sacerdotum aliquorum factam esse mentionem. An fortè ibi cum orando allegassent desideria sua, dormiebant in loco, ut per somnium monerentur? An adhuc uiuebat Melchizedek, cuius tanta fuit excellentia, ut à nonnullis dubitetur utrum homo an angelus fuerit? An erant aliqui tales etiã illo tempore homines Dei in quibus posset Deus interrogari? Quicquid horum est, & si quid aliud quod me fortè ne commemorarem præterierit, mentiri scriptura non potest, quæ dixit, Rebeccam ijsse ad interrogandum Dominum, eiq; Dominum respondisse. Hæc ille. Quamuis, quemadmodum diximus, nihil queat hic certò tradi, nec moris mei sit delectari incertis, si tamen aliquid coniecturandum est, magis arridet Abenezræ sententia, in eo quod existimat Ribkam ex Abrahamo socero suo sententiam Domini quæsiuisse, quem non dubitarim suis fuisse loco Episcopi ac prophetæ Domini. *Augusti.*

Et dixit Dominus ad eam: Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex uisceribus tuis diuidentur, & populus populo robustior erit, & maior seruiet minori.] Siue per insomnium, siue per internam reuelationem, uel per Abrahamum aut aliquem alium sanctorum hominum, uel per angelum, loquutus sit ad eam Dominus, nobis satis sit agnoscere in his uerbis oraculũ Dei. Non dicit simpliciter, Gemelli sunt in utero tuo, & illi sese mutuo collidunt, quod ferendum tibi est usq; ad partum: sed exponit illi quid nam collisio ista portendat, & quid cum paruulis in utero ipsius existentibus tum illorum posteris diuina sit dispositione futurum.

Duæ gentes, inquit, *sunt in utero tuo.*] Duas gentes uocat duarum gentium capita, quod perinde est, ac si semen in terram proiectum uoces fructum. Sic Israelitæ & Edomitæ duæ gentes erant in utero Ribkæ. Sic totum genus humanum erat in puluere terræ unde formatus est Adam. Obseruanda est ista loquutio. Quemadmodũ gentes sunt in capitibus gentium, ita & capita sunt in gentibus suis, quam diu durant, quod attinet sanguinis propagationem, speciem & naturam: sicuti semen est in fructu, & fructus in semine. Nec in semine nec in fructu simpliciter q̃d præ oculis est cõsideratur, sed in semine mentis intuitus ad futurum fructum, & in fructu retro ad semen unde fructus natus est dirigitur. Sic in gente recurrendum est ad illius primordia, modicum illud semen quod in utero matris iacuit adhuc informe ac rude, ac cogitandũ de stupenda diuini incrementi uirtute, quo gloriã opificis omniũ celebremus. OBSER.

Et duo populi, inquit, *ex uisceribus tuis diuidentur.*] Quos uocant duas gentes, eosdem iam uocat duos populos. Ergo tam Israelitæ quàm Edomitæ uocantur à Deo גוי, id est gens, & tam Edomitæ uocantur populus quàm Ismaelitæ. Vnde igitur est, quod se solos Iudæi populum, reliquas uerò nationes omnes uocant Goĳm, id est gentes, idq; loco probri? In utero matris, in ipso suo capite fuerunt Goi, æquè ac Edomitæ. Recurrant ergo ad generis sui fontẽ, & propius inspiciant, quid uocẽtur à Deo, discantq; modestius sentire de seipsis. OBSER.

Et illud obserua. Edomitæ uocantur hic populus. Ergo etiam impia ac reproba natio crescit in popu-

lum. Populus multitudo hominum est nõ solum eadem origine, sed & conuictu, societatibus, legibus, A
regno & Ecclesia coniunctorum. Igitur & impiæ nationes sic uiuũt, ut si externa illarum adspicias, nul
la eas in re à populis fidelium discrepare censeas. Opus est igitur, ut discrimen obseruetur ad normam
diuini uerbi, iuxtà quàm censendum est de populis sanctis uel prophanis.

Et duo populi, inquit, ex uisceribus tuis diuidentur. Postquam indicauit Rubkæ, esse in utero eius
duas gentes, subiungit de illarum inimicitijs, quibus à se inuicem erant diuidendæ. Non dicit autem sim
pliciter, Et duo populi qui ex te nascentur, à seinuicem separabuntur: sed ut innuat, fore inter illos natu
rales quasdam, uterinas & duraturas inimicitias, ex uisceribus tuis, inquit, diuidentur: hoc est, statim
ab utero tuo animis erunt seiunctis & inimicis erga se mutuo. Non poterunt coniungi, ut in unam gen
tem coeant, sed dissidebunt à se inuicem hostiliter. Hæ inimicitiæ historialiter inguerunt inter Iacob &
OBSER. Esau, illorumq; posteros Israelitas & Idumæos. Simul in hac historia quasi in tabella quadam depi-
cta est figura Ecclesiæ. Etenim quemadmodum in utero Rubkæ fuerũt duo diuersissimi & inter se inimi
cissimi populi, ita in utero Ecclesię duo sunt populi hostiliter à se inuicem dissidentes, carnales uidelicet, confe-
& spirituales. Inter hosce quoq; bellum est aspondon, idq; ab utero Ecclesiæ, baptismate uidelicet, confe-
stim exortum. Horum inimicitiæ quàm sint graues & irreconciliabiles, ex eo satis muuitur, quòd Esau
& Iacob in ipso materno utero sese mutuo colliserunt, & ex uisceribus matris à se sunt inuicem hostili-
ter diuisi. Varia sunt genera inimicitiarum. Aliæ ex humano studio, quales sunt ubi principes inter se præ
liant, & populi propter principes suos odium mutuũ induũt: aliæ per occasionẽ aliquam nascuntur, quæ
utræq; breui finiri possunt. Aliæ ex diuersitate morũ contrahuntur, quę præcedentib. aliquanto sunt tena
ciores. Illæ uerò reconciliari non possunt quæ in ipsa sunt natura, quales sunt quorundam animalium,
& quæ oriuntur ex diuersitate spiritus, quales sunt electorum ac reproborum. Posteriora duo genera oc
cultissimo quodam instinctu in ipsis uitæ primordijs oriuntur, & ad finem usq; perdurant. Quare ne-
mo futurum speret, ut inimicitiæ istæ electorum ac reproborum ex Ecclesia & domo Dei tollantur, do
nec hic mundus durat. Fit aliquando, ut ad tempus ueluti consopitæ uideantur, uerùm ubi emergendi
datur occasio, redeunt utriq; populi ad ingenium.

Et populus populo, inquit, *robustior erit.*] Vel, Et populus contra populum inualescet. Hoc est:
OBSER. Colluctabũtur inter se, nec quiescent donec alter alterum supplanter. Historia duorum istorum populorum
nota est. Notæ sunc etiam historię Ecclesiæ, hoc est, duorum Ecclesiæ populorum, quomodo inter se
inde ab initio colluctati sint. Nobis secundum præsens hoc oraculum omnino statuendum est, fore ut al B
teri prænaleat alter. Spiritualis populus dum sub cruce gemit, inferior uidetur, uerum suo tempore uin
cet ac prænalebit. Quanquam sub cruce quoque uincit, dum fide perstat, quicquid in carne patiatur.

Et maior, inquit, *seruiet minori.*] Explicat uter utrum sit supplantaturus. Minor uidelicet maiorem. Ma
ior erat Esau propter primogenituram, minor Iacob. Posteri Esau seruierũt Israelitis sub Dauide & post il
lum usq; ad regem Ioram, sub quo iugum Iudæ à se abiecerunt, nec illi postea unquam sunt subiecti. Et
hoc prædixit Isaac filio suo Esau infrà cap. 27. dicens, Vives in gladio, & fratri tuo seruies, tempusq; ue-
niet cum excutias & solues iugum eius de ceruicibus tuis. Hæc ibi.

Malachiæ. Consideremus breuiter, quomodo historia hac Esau & Iacob usus sit primùm propheta Maleachi,
deinde post illũ & Apostolus. Maleachi cap. 1 sic legitur: Dilexi uos, dicit Dominus. Et dixistis: In quo
dilexisti nos? Nonne Esau frater erat Iacob, dicit Dominus? Et dilexi Iacob, Esau uerò odio habui, &c.
Argumẽtum dilectionis suæ erga Israelem in eo cõsiderandũ proponit Deus quod cũ duo essent fratres
Esau & Iacob, uterq; filius Isaac, Esau tamen odio habuerit, Iacob uerò dilexerit. Quod si carnis præro-
gatiua quicquam ualuisset, ualuisset in Esau nõ minus quàm in Iacob. Ergo quòd Iacobũ dilexit Deus,
non est illius aliqua dignitate, sed diuina bonitate & singulari gratia factum, unde & hoc est, quod Rib
kæ dicitur: Maior seruiet minori.

Hunc prophetæ sensum usurpauit Apostolus, ubi ad Rom. cap. 9. de libera electione, proposito &
uocatione Dei, deq; filijs promissionis ac semine Abrahæ disputans, dicit: Nõ omnes qui ex circũcisione
sunt Israel, hi sunt Israelitæ: neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes sunt filij: sed in Isaac uocabitur tibi se-
men. Ideo non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissio
nis enim uerbum hoc est. Secundum hoc tempus ueniam, & erit Saræ filius. Non solum autem illa, sed &
Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni
egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante
dictũ est ei, Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob diiexi, Esau autem odio habui. Hæ ibi.
Ergo Apostolus dilectionem Dei erga Iacob, & odium erga Esau ex eo colligit cum propheta, quod
Esau maiorem Iacobo minori tanquam seruum subiecit. Et expendit utriusq; conformitatem, primùm
in eo quòd cõcepti erant ex Isaaco utriq; idq; uno concubitu: ne prærogatiua carnis uideatur benefi-
sisse Iacobo, cum eadem præditus fuerit & Esau: deinde & in eo quòd priusquam nati essent, cum adhuc
ambo existerent in utero materno, neuterq; uel boni aliquid, uel mali fecisset, oraculo Dei ad Rubkam di
ctum est: Maior seruiet minori. Et hanc diuersitatem, qua duo isti uterini fratres ambo filij Isaac, & pari
ter innocentes adhuc in utero matris constituti, alter dilectus Deo, alter odio habitus est, reiecit in libe-
rum diuinæ electionis & uocationis propositum, nõ in futuram huius iniusticiam, illius iusticiam, quo
doctrinam liberæ gratiæ & electionis Dei commendaret, Iudaica q; carnis ac iusticiæ superciliũ ma
nifesto & irrefragabili scripturæ exemplo humiliaret.

Et

Et impleti sunt dies eius ad pariendum, & ecce gemelli in utero eius.] Hoc est, inuenti sunt in utero eius gemelli, cum parere cœpisset. Qui paulo antè duæ gentes & duo populi uocati sunt, in ipso partu inuenti sunt esse duo gemelli. Vocula Ecce, notam admirationis habens, innuit præter opinionem inuentos esse gemellos in utero prægnantis. Sic constituit Dominus, ut nec pater nec mater sciant quid sit in utero grauido, donec tempus pariendi reuelet. Vsqadeò aguntur hic omnia uirtute d. prouidentiæ, ut parentes ne ad cognitionem quidem fœtus sui, ante tempus reuelationis quæ fit in partu, nedum ad illius dispositionem & moderationem admittantur. OBSER.

Et egressus est primus rufus totus quasi uestis pilosa, et uocauerũt nomen eius Esau.] Et Chaldæus habet, sicut pallium pilosus. Sept. & Hiero. quasi pellis hispidus. Est autem in Hebræo בארת שער. Significat uox אדרת uestem preciosam. Exponit iam Moses, quomodo nati sint gemelli. Esau natus est primò, idcq; & primogenitus erat. Et quoniam uidebant eum esse pilosum & robustum quasi annos aliquot esset natus, uocarunt eum Esau, id est factum, & perfectum.

Obserua hic quàm corporis constitutio in Esau statim à partu ingenio illius fuerit conueniens. Erat ingenio futurus sanguinario & feroci. Sanguinarię crudelitati conueniebat quòd natus est rufus: futuram ferociam innuebat, quòd erat pilosus, instar feræ cuiusdam. Sic natura futuros hominis mores in ipso corpore certis indicijs expressit. Videre est hoc frequenter si quis obseruet. Plerunq; hominis figura, externa illa corporis, quæ oculis spectantium obijcitur, animi sub illa latentis indicium habet. OBSER.

Deinde & illud considerandum est, quòd primogenituræ dignitas, quod natiuitatem attinet cõcessa fuit Esau, homini reprobo & Deo odibili, deinde & sanguinario & feroci. Primogenitura dignitas est carnalis natiuitatis beneficio constans. Huiusmodi prærogatiuæ plerunq; contingunt reprobis, electis uero spirituales & potiores.

Et post hunc egressus est frater eius, & manus eius apprehenderat calcaneum Esau, & uocauit nomen eius Iacob.] Cum Esau nasceret, reperta est manus Iacob in planta illius, quasi ad hoc immissa, ut impediret illius primogenituram. Qua remota per obstetricem, natus est Esau. Sub hunc natus est etiam Iacob. Non est autem necesse, ut confestim eum post Esau, fine aliquo temporis interstitio matris uterum egressum fuisse sentiamus, sic ut manus qua fratris plantam tenebat, prima prodierit in partu, id quod partum admodum reddidisset difficilem. Verosimile est natum fuisse Iacob aliquanto post Esau. Et Ebræa non abludunt, quæ sic habent ראחבי כן יצא אחיר, id est Et postquam sic egressus est frater eius. Hoc est postquam natus esset Esau, inuentusq; rubens, pilosus, & corpore robusto, ut non absre uocandus esset Esau, tum Iacob quoq; egressus est. Quare latinus Interpres de suo uoculam, Protinus, adiecit, cum uertit: Protinus alter egrediens. Sed impedit forsan lectorem ordo dictorum quo minus aliquid interstitij inter utrunque partum interceßisse putet. Etenim cum sic legitur, Et post hunc egressus est frater eius, & manus eius tenebat plantam Esau: non potest aliter cogitari, quàm quòd in ipso egressu suo Iacob plantam fratris in partu præcedentis tenuerit. Verùm non est hic sensus uerborum Mosis, qui illud, Et postquam sic egressus est frater eius, absolutè posuit, significans Iacobum natum esse post Esau. Vbi uerò de nomine illius subijcere uoluit, præmisit illius rationem, dicens: Et manus eius apprehenderat uel tenuerat plantam Esau, & uocauit nomen eius Iaæcob. Sonat autem Iaæcob supplantatorem, quod nominis ob id illi imposuerant, q; fratris plantam, cum ille esset in ipso partu, manu sua quasi ab egressu eum impediturus apprehenderat. Sic igitur legendum est, Et manus eius apprehenderat plantam Esau, intelligendumq; non de tempore quo ipse Iacob, sed quo Esau ante ipsum natus est, ac referendum non ad præcedentem particulam, sed ad sequentem, cui rationis est loco præmissum.

De Iacob igitur nihil memoratur, quàm quòd fratris plantam, cum ille nasceretur, manu apprehenderit. Cæterùm de constitutione corporis illius nulla mentio. Ergo nihil erat in eo quod singulare esset & insolitum, ut appareat eum, quod corporis figuram attinet, fuisse nec rubeum, nec pilosum, nec robustum, sicut frater Esau (alioqui ad quid ista de Esau tantum memorata essent?) sed tenerum & glabrũ. Cogitemus itaq;, quomodo cauerit Deus, ne dominium quod habiturus erat Iacob in fratrem, de quo infrà cap. 27. in benedictione Isaac, ullis dari posset naturæ uel priuilegijs, uel uiribus, sed ipsius tantum uoluntati, gratiæ & benedictioni. Ideo uoluit ut nasceretur loco non primo, sed secundo: neq; corpore firmo & insolito quemadmodum Esau, sed tenero. Ita reddit Deus electos suos natura infirmos & carnis prærogatiua postremos, ut hoc amplius in illis gratiam & uirtutem suam splendescere faciat. Vide locum Apostoli. Quod infirmum est, inquit, eligit Deus, ut quæ fortia sunt confundat. OBSER.

Et illud considerandum est, quòd Iacob plantam Esau fratris sui in partu illius apprehendit. Factum hoc non erat naturæ, sed diuinæ dispositionis, qua quid suo tempore futurum esset innuebatur. Vide autem, quàm competenter factum sit quòd plantam illius apprehendit, quam tamen non diu tenuit, sed paulo post liberam reliquit. Planta Esau sunt illius posteri, quibus dominati sunt Israelitæ ad tempus, sicuti suprà diximus. Ipse Esau nunquã fuit sub dominio Iacob, imo Iacob illum uehementer timuisse legitur. Manus illius qua plantam fratris arripuit ac tenuit, hoc est posteros illius subiugauit ac supplantauit, fuit Dauid, cum quinque sequentibus regibus, quasi quinq; digitis. Tempus quo planta Esau fuit in manu, id est seruitute Iacob, fuit annorum plus minus centum sexagintasex, sicut ex historijs Regũ colligi potest. Hæc uoluit Deus statim in partu gemellorum istorum præfigurari, ut admonerentur OBSER.

posteri, effectum illorum uidentes, geri ea non casu aliquo, & fortuitò, sed secundum diuinam dispositionem, olim in partu maiorum præmonstratam.

Et Isaac natus erat annos sexaginta, cum illi nascerentur.] Nati sunt ergo anno uitæ Abrahæ centesimo sexagesimo, quare uidit Abraham nepotes suos ex semine benedictionis, donec illi ad annum quintum decimum peruenissent. Deinde quoniam de nullis alijs liberis Isaac præter hosce duos legitur, mansit Ribkah post partum gemellorum ad finem usq; sterilis. Et post natiuitatem illorum uixit Isaac annos centum uiginti, nec legitur ex ulla concubina suscepisse prolem. Friuolum tamen est, quod hic Lyranus ex nugamentis Hebræorum adducit, quòd uidelicet Isaac in monte Moriah cõsecratus fuerit, ideoq; illi non licuerit habere nisi unam uxorem, secundum sententiam Apostoli 1. Timot. 3. At Isaac postea duxit uxorem, quod Romana sedes non permittrit consecratis ad sacerdotium.

Et creuerunt pueri, & factus est Esau uir gnarus uenandi, uir agri.] Subijcit de institutione & studijs Esau & Iacob. Quemadmodum diuersi erant animo & ingenio, ita diuersa quoq; sectati sunt studia. Esau tradidit se studio uenandi. Erat enim moribus ferinis ac truculentis. Illud, Vir agri, legunt alij, Vir campi. Germanicè dicimus, Eyn Weydmann. Sic uocantur uenatores. Latinus interpres uertit, Et homo agricola. Verùm Septuaginta rectius reddiderũt ἄγροικος, id est agrestis. Non enim loquitur Moses de agricultura, sed de studio uenandi, cui Esau deditus perpetuus erat in campo, oberrans in syluis, campis, & agris.

OBSER. Habẽt huiusmodi homines uenatores & agrestes studiorũ suorũ autores, quos imitant & referunt, Nimrodum, Ismaelem, & Esau: non Abrahamum, Isaacum, Iacobum, &c. Obserua uerò quòd non simpliciter dicit, Et factus est Esau uir gnarus uenandi: sed præmittit, Et creuerunt pueri. Primùsquàm puerili ætas adolescentiam & iuuentutem assequatur, latent mores & ingenia: uerùm ubi adoleuerũt pueri, incipiunt emergere ingenia & mores, et ex eodem utero nati studia in contraria scindi: cuius rei exemplum hoc loco in Esau & Iacob proponitur.

Et Iacob uir integer habitauit in tabernaculis.] Vulgata latina habet, Iacob autem uir simplex. Septuaginta uerterunt ἄπλαστος, id est, sine dolo, candidus & integer. Erat ingenio quieto, miti, probo, & integritatis studioso. Habes exemplum animi sancti, & Deo dilecti. Tales sunt sancti, ad semen electorum pertinentes. Diligebat Dominus Iacob, non quòd talis esset, sed talem reddebat dono spiritus sui, propterea quòd eum diligebat. Dilectio Dei præueniens nostram iustitiam, ac nondum iustos diligẽs, ex iniustis reddit iustos, pios & integros homines.

Habitauit, inquit, *in tabernac.*] Chald. interp. relicta literæ simplicitate, uertit משכבש בית אולפנא, id est, Minister domus doctrinæ. Hoc sensu Hebræorum quidam dicunt Iacobum rebus diuinis discendis operam dedisse in tabernaculis Melchisedec & Eber. Dicunt autem hoc sine authoritate ac sensu præsentis scripturæ. Alij sentiunt eum amasse paternæ domus curam, quam Esau uenator fastidiebat & negligebat. Sensum hunc Septuaginta sequuti sunt. Verterunt enim οἰκῶν ἐν οἰκίᾳ: id est, Habitans in domo. Quoniam uerò non dicit, Habitauit in tabernaculo, sed, In tabernaculis, arbitror simplicius esse, ut sentiamus eum contentum fuisse eo uitæ genere, quod uiderat in parentibus. Erant autem pastores, & utebantur tabernaculis ad pascendos greges necessarijs. Illis immorabatur, custodiendis gregib. intentus: quo uitæ instituto usus & postea est in Mesopotamia. Est autem innocuum uitæ genus, uectum tolere ex pastu pecorum. Prædicatur igitur de Iacob, quòd nec ocium, nec curiosas artes, nec ad morem fratris Esau cruentum uenandi studium, sed innocuum uitæ genus sectatus sit, & instituto maiorum suorum adhæserit.

Et dilexit Isaac Esau, propterea quòd uenatio esset in ore eius: Ribkah uerò diligebat Iacobum.] Postquam diuersa duorum fratrum studia exposuit, addit etiam de diuersis parentum affectibus, quibus erant erga eos animati. Isaac, inquit, dilexit Esau, hoc est, propensius amabat Esau quàm Iacobum. Neq; enim hoc sic dicitur, quòd nullo fuerit amico & paterno affectu præditus erga Iacobum, sed quòd Esau primogenitum impensius amaret quàm illum. Quemadmodum de Christo quoque Domino ac seruatore nostro non sentimus quòd reliquos discipulos non dilexerit, propterea quòd Ioannem dilexisse scribitur. Ribkah uerò diligebat Iacobum, inquit. Intellige magis quàm Esau. Vtriusque mater erat: & dubio procul utrumq; diligebat, sed Iacobum ardentius. Quare autẽ Isaac dilexerit Esau magis quàm Iacobum, additur ratio. Propterea, inquit, quòd uenatio esset in ore eius. Hoc est, quòd de uenationibus Esau ueseretur. Hoc autem illectamento non capiebatur Ribkah, quæ Iacobum pascendis gregibus inseruientem, & ingenio placidiori, & magis integro præditum, ob id potissimum fratri suo præferebat, quòd ex oraculo Dei intellexerat, esse eum Deo chariorem. Hæc duo manifesta erant in Iacobo: integritas uidelicet animi, & diuini oraculi prærogatiua. Quare non opus erat addere causam, propter quam illum dilexerit Ribkah: opus autem erat, assignare rationem quare Isaac dilexerit Esau, hominem durum, ferocem, agrestem, & à moribus maiorum abhorrentem. Ideo uidelicet, quòd de uenationibus illius uesci soleret.

Cogitemus de diuersitate dilectionis, quæ est in causis diligendi. Nemo sine causa uel simpliciter uel excellentius cæteris diligit. Causę aũt diligendi sunt duplices. Vna est ex diligẽte, altera ex dilecto. Ex diligente est, qua diligitur aliquis, non quòd ipse promereat, sed quòd ex seipso qui diligit ad diligendũ permouetur. Ex dilecto est, qua ille quia talis est ut diligi mereatur, diligitur. Qualitas illius causa est ob quam diligitur. Ad primum dilectionis genus pertinet, quòd à Deo diligimur, non solum imme-

riti

A riti, sed & malè meriti, peccatores & inimici, Ro. 5. Causa dilectionis huius nõ est in nobis, sed in Deo. Hanc rectè bonitatem illius esse dixeris. Ad alterum pertinet, quòd homo hominem diligit, quia meritus est, quia amabilis est, quia uti is est, quia coniunctus est, quia speciali aliqua gratia prçditus est, &c. In hoc genere dilectionis causæ diligendi sunt in dilecto, non in diligente.

Prius genus diuinius est, & ueræ dilectioni cõuenientius. Sicut & bonitas illa diuinior & potior est, qua beneuolumus immeritis, quàm qua benemeritis rependimus. Et tamen duo hæc causarum genera sic sunt comparata, ut in dilectione alicuius coniungi possint. Diligit Deus immeritos, quia bonus est: simul tamen & eos diligit, qui se diligunt. Sic Prouerb. 8. Diligentes me diligo, dicit sapientia Dei. Naturalis dilectio acui potest causis obiectis ab eo qui diligitur. Isaac diligebat utrunq; filium, uerùm Esau magis quàm Iacobum, propterea quòd de uenatione illius uesceretur. Ribkah & ipsa diligebat ambos suos filios, tanquam filios, Iacobum tamen amplius quàm Esau. Causæ erant in Iacobo partim, partim ex oraculo Dei.

Præterea diuersitas quædam est inter ingenium paternum & maternum. Paternum magis amat primogenitum quàm secundogenitum, procerũ & robustum quàm humilem & imbecillem, utiliorem q̃ minus utilem. Sic factum est hoc loco, & in historia filiorum Isai. Maternum uerò ingenium sic est comparatum, ut quem inter filios habet imbecilliorem, eoq; nomine nonnihil à patre neglectum, diligat impensius, & magis foueat quàm reliquos ualentiores, atq; ob id patri acceptiores. Sic Ribkah magis dilexit Iacobum quàm Esau. Ista cõmemorare uolui propter historiam hanc, in qua duo parẽtes erga filios suos diuersimodè affecti fuisse narrant, ut de tam uaria dilectione aliquousq; iudicare possimus.

Admonemur hoc loco, primùm non esse insolens etiam in domibus sanctorum, si parentes non sint paribus erga liberos affectibus præditi. Deinde & sanctis uiris accidere posse, ut carnalibus illecti amentis capiantur, illorumq; gratia sic afficiantur impẽse, ut liberos malè moratos, Deoq; odibiles diligant. Tertiò fieri subinde, ut infirmiori mulierum sexui peculiari gratia Dei detur, ut rectius quàm mariti ea gaudemen electionis afficiantur. Sic Sarah erga Isaacum, Ribkah ista erga Iacobum, rectius quàm Abrahamum & Isaac ipsarum mariti ac sancti patriarchæ affecti fuerunt. OBSER.

Et coxit Iacob coctionem.] Vulgata lat. habet, Pulmentum. Sept. uerò seruant sensum uerborum Hebræorum. Infrà memorabitur cuius generis coctio fuerit.

Et uenit Esau de campo, & erat defatigatus. Et dixit Esau ad Iacob, Ciba me quæso de rufo, de rufo isto, quia defatigatus sum.] Ciba me quæso, in Hebræo est הלעיטני נא, Verbum hoc semel tantũ reperitur in Bibliis, præsenti uidelicet loco. Significatio illius est, חבלית בהתע, id est, subita deuoratio. Dixit igitur Esau: Sine quęso ut ingurgitem me de rufo isto. Septuaginta uerterunt χεῦσόν μοι: id est, Da mihi gustum. B

Propterea uocatum est nomen eius Aedom.] Aedom sonat rufum. Propter cibum hunc rufum, quem tantopere defatigatus experiuit, accepit hoc nominis, ut uocaretur Aedom, id est Rufus, unde sunt Aedomitæ. Sic tempore Mosis uocabantur. Nominis huius rationẽ aperit Israelitis. Erat Esau uenator, & dum feras agrestes persequutus esset, oppido delassatus, & famelicus domum rediit. Sic studia illa, in quib. putant homines carnales plurimum esse oblectamenti, molestis sunt defatigationibus obnoxia. OBSER.

Sine, quæso, ut ingurgitem me de rufo isto.] Agnosce ingenium hominũ ferocium. In morem lupi cupit se ingurgitare homo ferox, agrestis, & famis impatiens.

Obserua uerò quàm fuerit conueniens cibus, coctio ista rufa, Esau rufo, qualis natus fuerat. Omnia spirant rubediorem, symbolum crudelitatis.

Et dixit Iacob, Vende mihi hodie primogenituram tuam.] Aperit hic Moses, quorsum commemorauerit præcedentia de eo quòd Iacob coxerit coctionem, & Esau à uenatione domũ defatigatus redierit, deq; coctione Iacob ingurgitari petierit. Voluit historiam recensere uenditæ primogenituræ Esau.

Quæritur autem hoc loco, quomodo fuerit Iacob uir integer, cum fratri esurienti ne uili quidem cibo succurrere uoluerit, nisi uendita sibi primogenitura. Integritatis est, esse candidum erga quosuis, nedum erga fratres. Candoris illius erat ultrò esurienti, & lasso fratri dare cibũ quo refocillaretur. Quàm autem diuersum sit à Iacobo factum, res ipsa clamare uidetur. Laboratur itaque hoc loco quomodo defendatur. Mea sententia est, in huiusmodi exemplis, in quibus singularis quædam dispositio Dei relucet, non esse temerè secundum externam faciem ferendam sententiam, nec petendum etiam ex illis imitationis doctrinam. Sunt enim singularia, & communi nostro iudicio haudquaquam subijcienda. Quid hic factum est, non consilio Iacob, sed diuinæ est dispositioni tribuendum. Deus sic disposuerat, ut plantam fratris in ipso partu apprehenderet: Deus sic futurum prædixerat, ut maior seruiret minori. Idem & ista sic disposuit, ut Esau defatigatus rediret à uenatione, impensęq; esuriret: Iacob coctionem suam coqueret, hanc ille auidissimè expeteret, occasionem hanc Iacob arriperet, per quam primogenituram consequeretur, illam Esau pro leui cibo uenderet. Crediderim autem & manum Ribkæ matris fuisse cum Iacobo in hac causa, sicuti postea fuit, ubi benedictionem est suffuratus. Primogenitura facto erat apud Esau, iure uerò diuino pertinebat ad Iacob. Manus plantæ illius inter nascendum immissa, quid aliud agebat, quàm ut indicaret primo nasci eum, ad quem primogenitura non pertineret, & qui illam non esset retenturus? Quasi diceret: Noli primus egredi, mea est primogenitura. Deinde, Esau ipse primogenituram hanc suam susque deque fecit, ac dubio procul ultrò illam se fratri uenditurum aliquoties dixerat. Cuius rei coniectura ex eo sumi potest, QVAEST.

quòd Iacob non simpliciter dicit, Vende mihi hodie primogenituram tuam: sed, Vende mihi hodie primogenituram tuam. q. d. Quod te hactenus aliquoties facturũ esse dixisti, fac hodie, ut appareat Iacobo causam emendi primogenituræ ex ipso Esau fuisse submini-strata, & ad hanc matris quoq; accessisse consilium. Horum consideratione uidemus nihil esse factum à Iacobo temerè, nihil iniquè, nihil fraudulenter. Voluit Esau uendere primogenituram suam quam contemnebat. Volenti non fit iniuria.

Dixit Esau: Ecce ego uado ad moriendum, & ad quid mihi primogenitura?] Vado ad moriẽdum, inquit. Intellige, nisi accepero quod edam & bibam. Et ad quid mihi primogenitura? Q. d. Non potero uiuere ex primogenitura. Cibo & potu opus est, unde uiuam. Alij sic exponũt: Erit aliquando, ut moriar. Vbi mortuus fuero, ad quid proderit mihi primogenitura? Sic Esau plus respondet quàm Iacob petierat. Dixerat, Vende mihi primogenituram tuam, Respondet ille non simpliciter, Vendam: sed, Quid mihi primogenitura, cum ex illa non uiuam? quibus uerbis significat non solum uenditurum se primogenituram suam, sed hanc etiam nullius æstimare, ideoq; tanquam rem nullius momenti uenditurum omnium facilimè. Vide hic carnalis ac prophani animi ingenium. Magna erat primogenituræ dignitas. Hanc homo agrestis & prophanus eo nomine contempsit, quòd non faceret ad saginandum uentrem. Neque enim dum usus illius erat ipsi datus, patre adhuc uiuente. Consimili modo cœlestis uocationis dignitatẽ carnales Christiani contemnunt, propterea quòd nihil inde carnalis emolumenti consequuntur. Dicit in corde suo: Quorsum attinet, esse Christianum & filium Dei, & quæ alia prædicantur? Nisi sint opes, pecunia, cibus & potus, non poterimus ex eo uiuere, quòd Christiani uocamur. Si fame & penuria rerum pereundum sit, ad quid nobis proderit Christianismus?

OBSER.

Et dixit Iacob, Iura mihi hodie: & iurauit ei, ac uendidit primogenituram suam Iacobo.] Vide prudentiam Iacobi. Sine ullo negocio impetrauit ab Esau, ut primogenituram sibi uenderet, cum hanc ille alioqui tempore ne pili quidem faceret. Verùm quoniam eiusmodi animi plerunque sunt instabiles, sic ut quod hodie nullius faciunt, cras faciant plurimi: atq; ita quod abiecerant contemptissimè, paulo pòst pœnitentia ducti, repetant contentiosissimè, uoluit Iacob emptionem hanc interuentu iurisiurandi confirmari, ac religione diuini nominis irrefragibilem reddi. Admonemur, quàm sit cum talibus hominibus prudenter ac cautè agendum, quorum affectus pro instabilitate sua mutantur in horas.

OBSER.

Ac uendidit, inquit, *primogenituram suam Iacobo.*] De precio non meminit scriptura. Quod autor epistolæ ad Hebræos dicit, quòd Esau prophanus propter unam escam uendiderit primogenituram suam, non est sic intelligendum, quòd esca fuerit precium primogenituræ, sed quòd fuerit causa propter quã ad uendendum primogenituram suam motus fuerit Esau. Leuitas quidem Esau tanta fuit, ut pro esca, loco precij, non dubitasset uendere primogenituræ suæ dignitatem: Iacobo uerò pluris fuit ea dignitas æstimata, quàm ut illam tam abiectè emeret. Verùm hac de re cum nemine contenderim.

B

Et Iacob dedit Esau panem & coctionem lentiũ, & comedit & bibit, & surrexit & abijt, & contempsit Esau primogenituram suam.] Hic exprimitur, qualis fuerit coctio illa Iacob. Lentium uidelicet. Vide quo cibi genere usi sint ueteres, etiam ditissimi, qualis fuit Isaac. Nunc ad exquisitissima epularum genera adspiramus. Illud, Et comedit & bibit, &c. ad hoc est positum, ut quanta fuerit leuitas animi in Esau exprimatur. Postquam iurauit, ac primogenituram suam uendidit, usqueadeò non est contristatus, ut genio suo edendo ac bibendo leuissimè indulserit, surrexerit, abierit, & ne pili quidem fecerit, se primogenituram suam uendidisse, hoc est, dominium suum seruitute cõmutasse.

OBSER.

CAPVT XXVI.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Describitur hoc capite peregrinatio Isaac in Geraris, unà cum illius causa & euentibus, qui ex ordine recensentur.

ET facta est fames in terra, præter famem priorem, quæ fuit in diebus Abrahæ.] Cõmemoraturus ea Moses quæ Isaaco euenerunt in Geraris, causam præmittit, ob quam mutata sede in eam terram peregrinandi gratia abijt. Quoniam fames urgebat, coactus fuit alendæ familiæ gratia aliò migrare. De fame aũtẽ quæ fuerat in diebus Abrahæ, & quæ hic sint annotanda, uide suprà cap. 12.

Et abijt Isaac ad Abimelech regem Philistijm in Gerar.] Non erat hic Abimelech idem qui cum Abrahamo fœdus inierat, ne quis hoc respectu nominis Abimelech suspicetur. Omnes reges Gerar Abimelechim uocabantur, sicut Aegyptij Pharaones.

Et apparuit ei Dominus, & ait: Ne descendas in Aegyptum.] Animus illius erat, ut apparet, descendere in Aegyptum, cum sedem suam mutaret. Quare apparet ei Dominus, ac uetat ne descendat in Aegyptum. In Aegyptum descensurus erat primùm propter eius terræ fertilitatem, deinde propter exemplum patris sui Abrahæ, qui & ipse fame compulsus descenderat in Aegyptum. Videmus hoc loco, quàm proclines simus ad sequendum rationis iudicium, & maiorum nostrorum exempla. Ratio suadebat migrare ad terram quæ fertilitate sua non indigenas tantum, sed & exteros alere posset. Huius consiliũ exemplum Abrahæ confirmare uidebatur, Quàm autem non statim sequenda sint iudicia rationis, & patrum exempla, ex eo admonemur, quod Isaaco diuinitus dicitur: Ne descendas in Aegyptum.

OBSER.

Sed

A Sed quæsierit quisquã, quare prohibuerit Dãs ne descenderet in Aegyptũ, cum id Abrahamo antea permisisset. Possunt huius rei multæ esse rationes, quædam occultiores, quàm quæ à nobis sint scrutandæ: quædam tales, quæ non sine fructu considerari queant. Cauendum scilicet erat, ne descendendo in Aegyptum confirmaret iudicium rationis, quasi non posset suos alere Deus tempore famis, nisi in Aegypto. Deinde, ne quod semel fuerat Abrahæ permissum, traheretur in exemplum. Tertiò, erat exercenda fides Isaaci, qua penderet à gratia diuinæ prouidentiæ, & ueritate promissorum Dei. Hisce, ut apparet, & alijs forsan occultioribus de causis noluit Dominus Isaaco permittere, ut in Aegyptum, relicta terra Chanaan, descenderet. QVAEST.

Habita in terra quam dixero tibi.] Apparet apparitionem hanc factam fuisse statim initio migrationis, priusquam in Gerar uenisset. Habent enim ista promissionem Dei, quòd uelit in tempore admonere, quo sit terrarum loco consistendum. Sic uoluit Dominus migrantem Isaac non à carnis suæ iudicio, sed à uerbo suo firma fide pendere. OBSER.

Peregrinare in terra ista.] Sic est in Hebræo, גּוּר בָּאָרֶץ הַזֹּאת. Vulgata latina, Et peregrinare in ea. Septuaginta concordant cum Hebræo, nisi quòd coniunctionem, &, adiecerunt, quæ in Hebræo non est. Quoniam παντοκράτωρ loquens dicit, Peregrinare in terra ista: & Isaac in terra Gerar mansit, apparet hæc illi dicta esse in ipsa terra Gerar: atque ita quod suprà dictum fuerat, Habita in terra quam dixero tibi, tum esse præstitutum, cum in ipsam terram Gerar peregrinando uenisset. Quod si uerum est, bis apparuit illi Dominus. Semel cum migrationem institueret priusquam in Gerar uenisset, deinde secundò cum in Gerare iam esset. Si sententia ista non placet, illud, Habita in terra quam dixero tibi, legendũ est, Habita in terra quam dico tibi, ut specificationis gratia confestim subiungatur, Peregrinare in terra ista. Verùm hoc sensu tenendũ est, apparitionem hanc non ad puteum uiuentis & uidentis, sed in Gerar esse factam, eo quòd in illa Isaac non esset hæsurus, sed in Aegyptum descensurus.

Et ero tecum, & benedicam tibi. Tibi namq; & semini tuo dabo omnes terras illas, & confirmabo iuramentum quod iuraui Abrahæ patri tuo, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, ac dabo semini tuo omnes terras istas, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.] Quoniam præcipiebat Isaaco, ut in terra Gerar peregrinaretur, adiungit præcepto promissionem benedictionis suæ, dicens: Et ero tecum, & benedicam tibi. Hoc est: Non deseram te, sed cumulabo te omnis generis bonis. Ipsa quoq; Gerar laborabat fame, sicuti facilè apparet ex ijs quæ infrà memorantur. Quare promittit illi præsentiam & opem suam, ne anxiè cogitet, quomodo alam meos in terra hac sterili?

B Obserua, postquam præcepit illi, ut in Gerar peregrinaretur, adiecit præsentiæ suæ promissionem. Ergo speranda illis est diuinæ præsentiæ gratia, qui uerbo Dei obediunt. Sic Christus quum discipulis suis mandasset, adiecit dicens: Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Deinde obseruandam quòd post quam dixit, Et ero tecum, subiecit, Et benedicam tibi. Admonemur, ibi esse agnoscendam præsentiam Dei, ubi benedictio illius declaratur. Non est ociosa præsentia Dei, sed ferax omnis generis bonorum. Præsens per gratiam & uirtutem suam benedicit, benedicens præsentem se esse declarat. Disputatur multis de præsentia Christi in cœna. Ostendatur illius argumentum in benedictionis diuinæ declaratione. OBSER.

Tibi namq; & semini tuo dabo omnes terras istas, &c.] Quoniam non simpliciter dicit, Et dabo tibi ac semini tuo: sed, Nam tibi ac semini tuo dabo omnes terras istas, &c. manifestum est, ista rationis esse uice subiecta. Sunt autem referenda ad præcedentia, quibus uetuerat, ne descenderet in Aegyptum, sed habitaret in Gerar, simulq; promiserat, quòd uellet ipsum non deserere, sed in ea terra benedicere. Pertinebat terra Gerar ad terram Chanaan, Abrahæ ac semini eius promissam, ideo iubebat, ut in ea consisteret. Sic dicit: Tibi namq; & semini tuo dabo omnes terras istas. Quare noli ex illis discedere.

Et confirmabo iuramentum quod iuraui Abrahæ patri tuo.] Refricat iuramentum in monte Moriah ad Abrahamum factum, ubi ipse Isaac præsens fuit, ac cuncta auribus suis percepit.

Et multiplicabo, inquit, *semen tuum sicut stellas cœli, & dabo semini tuo omnes terras istas, &c.*] Si legerimus illud הקימותי, confirmabo, exponit hisce uerbis, quomodo sit iuramentum suum confirmaturus: Multiplicando uidelicet semen Isaac sicut stellas cœli, &c. Si legerimus, Et confirmo iuramentum quod iurauit Abrahæ, intelligendum est, refricationem hanc ad confirmationem illius esse factam, quo sciret Isaac, non minus esse sibi confirmata ista, quàm si de nouo ipsi iuraretur. Quæ hic notari possunt, annotata sunt suprà cap. 22. & alijs aliquot locis.

Propterea quòd audiuit Abraham uocem meam, & custodiuit obseruantiam mei, præcepta mea, statuta mea, & leges meas.] Audiuit Abraham uocẽ Dei, cum euocatus è terra patria ut peregrinaretur in terra Canaan, non detrectauit, sed obediuit. Custodiuit obseruantiam Dei, quando illum timuit, præ oculis habuit, & coluit in omnibus, & præ omnibus, ac integro fideliq; corde corã eo ambulauit. Præcepta illius custodiuit, quando illis sine cunctatione obediuit, utpote cum iuberetur Ismaelem filium suum primogenitum domo cum matre eijcere, & postea unicum quoq; ac dilectum Isaacũ immolare. Statuta Dei custodiuit, circuncidendo se, & omnem domus suæ masculum: deinde & sacrificia & cultus aris in nomine Dei erectis exercendo. Leges Dei, תורות, id est, doctrinas & institutiones custodiuit, domum suam in cognitione & doctrina Dei diligenter instituendo, qua de re suprà dictum est ab angelo capite decimooctauo: Scio quòd præcepturus sit filijs suis ac domui suæ post se, ut custodiant uiam Domini, & faciant iudicium & iustitiam. Hoc mihi uidentur ista discrimine intelligenda. Verùm si cui uidentur nihil habere discriminis, sed uocem Dei audire, nihil esse aliud, quàm obseruare Deum,

præcepta, statuta & leges Dei: hoc est, quicquid ille præceperit & instituerit, diligenti ac fideli obedientia seruare non repugnauero. A

OBSER. De eo, quomodo quæ promissa sunt Abrahæ, obedientiæ & meritis illius adscribantur, admonui supra capite 22. ibi, Quia fecisti hanc rem: item, Quoniam obediuisti uoci meæ. Proponitur autem hoc loco rursus ueræ fidei exemplum in Abrahamo patre credentium. Etenim quæ hic de illo prædicantur, ex uirtute & efficacia fidei, qua iustificatus erat, indubitatò sunt profecta: uera fides audit uocem Dei, custodit obseruantiam Dei, seruat præcepta, statuta & leges Dei. Tolle fidem, nihil horũ ueraeiter præstabitur. Præterea obseruandum est, quòd ista de obedientia Abrahæ dicuntur ad Isaacum filium eius. Si causam quæras, non ob id factum est, ut cogitaret Isaac, si facturus est Deus ista semini meo, propterea quòd Abraham pater meus uocem ipsius audiuit, præceptaq́, statuta & leges eius custodiuit, nihil refert, quomodo ipse me geram: sed ad hoc potius, ut tanquam germanus filius fidem ac pietatẽ patris constanter imitaretur, & sedulò exprimeret, atq́ consimili studio & ipse uocem Dei audiret, obseruantiam eius, præcepta, statuta ac leges eius ex animo custodiret. Laus patris incitatio est germani filij, non socordiæ occasio.

OBSER. *Et habitauit Isaac in Gerar, & interrogarunt uiri loci de uxore eius, & dixit, Soror mea est: timebat enim dicere, Vxor mea est, ne fortè occidant me uiri loci propter Ribkah, quoniã pulchro erat aspectu.*] Et habitauit Isaac in Gerar. Iusserat hoc Dominus. Vides exemplum obedientiæ. Voluerat descendere in Aegyptum, terram fertilem, uerùm quoniam uetuerat hoc Dñs, iusseratq́ ut in Gerar, terra arida & siticulosa, consisteret, maluit sequi iussum Domini, quàm consilium rationis.

OBSER. *Interrogarunt uiri loci de uxore eius.*] Non exprimitur quo consilio interrogarint, honesto ne uel inhonesto. Non est inhonesta interrogatio, si peregrinus homo circumducens secum mulierculam, de illa interrogetur. Haud enim ferendæ sunt copulæ inhonestæ. Et plerunq́ accidit, ut eiusmodi deprehendantur errones, qui mulieres alienas circumducant, quibus domi potiri non poterant.

Et dixit, Soror mea est, &c.] Idem accidit Isaaco quod antea bis acciderat patri. qua de re uidere est supra cap. 12. & 20. ubi etiam annotata sunt quæ hic consideranda ueniunt.

Illud, Ne fortè occidant me, in uulgata latina uersione legitur, Ne fortè interficerent eum: quemadmodum & Septuaginta uerterunt, Apparet scriptum fuisse בן יהרגוני: id est, Ne occiderẽt ipsum. & posteaquam literam uau mutatam esse in iod, cœptumq́ legi יהרגוני: id est, occidant me.

Et factum est, cum essent illi dies eo loco prolongati, & prospexit Abimelech rex Philistijm per fenestram, & uidit & ecce Isaac ridebat cum uxore sua Ribkah.] In Hebræo est מְצַחֵק, participium à צָחַק, id est risit, unde & dictus est Izaac. Septuaginta uerterunt, & uidit eum ludentem cum Rebecca uxore sua. uulgata latina habet iocantem. Quale genus ludi, uel risus, uel ioci fuerit, non exprimitur. Tale tamen fuisse patet, unde rex cognouerit, non esse Ribkam sororẽ, sed uxorem Isaac. Vidit eum iocari cum illa ultra limites fraterni pudoris. B

OBSER. In eo quod dicit: Cum essent illi dies eo loco prolongati: uidemus quàm diligenter accommodauerit se Isaac conuersationi fraternæ cum uxore tanquam cum sorore uiuens, sic ut nonnisi post multos dies coniugium illius deprehenderetur. Sic sunt sancti homines non intemperantes. Possunt, si ita requirat necessitas, cum uxoribus uiuere tanquam cum sororibus.

Et prospexit Abimelech rex Philistijm per fenestram. Apparet Isaacum cum uxore sua in horto aulæ regiæ uicino liberius esse iocatum, idq́ à rege esse obseruatum, siue id factum sit casu, siue studio. Vides ne sanctos quidem alienos sic esse à iocis ac ludis muliebribus, ut non subinde in illos soluantur, sic tamen, ne quid admittatur illiciti, & abstineatur ab alienis mulieribus. Deinde & illud uides, fieri non posse ut quod nõ uerè est, sed certis de causis simulatè, nõ aliquãdo manifestata ueritate deprehendatur.

Et uocauit Abimelech Isaacum, ac dixit: En utiq; uxor tua est, & quomodo dixisti, Soror mea est?] Latinus interpres de suo posuit, Cur mentitus es, sororem tuam esse? Maior erat reuerentia Abimelech erga Isaacum, quàm ut diceret: Cur mentitus es? In eo quòd affirmanter dicit, En utiq́ uxor tua est, obserua animum interpretantem melius quod poterat interpretari peius. Non dicit, Quid hoc rei est? Sic ne cum sorore iocari ac deliciari licet? Ergo sororem circumducis, ut incestuosam cum illa libidinem exerceas? Candidius de Isaaco sentit, quàm ut obijciat illi crimen incestus. Quin magis agnoscit esse uxorẽ, idcoq́ rogat, qua nam ratione sororem esse dixerit. Reperias hodie principes, quorum iudicio Isaac incæstus damnaretur citius quàm mendacij argueretur.

OBSER. *Et dixit ad eum Isaac: Quoniam dicebam, ne fortè moriar propter eam.*] Vide integritatẽ animi, in eo quòd non aliud comminiscitur, quod regi respondeat, præter id quod uerè in causa fuerat. Si carnis ingenio indulsisset, potuisset ambiguo responso eludere quæstionem regis. Sancti & si quid simulant, simulant tamen non nisi ubi necessitate adiguntur. Cæterùm de ueritate interrogati id quod res est, diserte respondent.

Et dixit Abimelech, Quid hoc fecisti nobis?] Latinus interpres uertit. Quare imposuisti nobis?

Parum abfuit, quin unus è populo dormiuisset cum uxore tua.] Expostulando obijcit illi periculum, quod ex simulatione illius oriri poterat, idq́ facile. Obserua quòd non dicit, Quin ego, uel unus ex aulicis meis: sed, Quin unus è populo dormiuisset cum uxore tua. Sic pius rex non solum sua & aulicorũ suorum, sed & populi peccata metuebat, nihilque ferendum esse iudicabat, unde occasio peccandi populo obijceretur. Sept. habent, Aliquis de genere meo: sed præter Hebraicam ueritatem.

Et

Et induxisses super nos delictum.] Super nos, hoc est, super me & regnum meum. Sic suprà cap. 20. ubi uide quid sit considerandum. Quod in Ebræo est אשמה, id est, delictum, peccatum, culpa. Sept. uerterunt ἀγνοιαν, id est ignorantiam. Intellige peccatum ex ignorantia admissum.

Et præcepit rex omni populo, dicens: Qui tetigerit uirum hunc, & uxorem eius, morte morietur.] Omni populo, intellige de illis inter quos Isaac cum uxore sua conuersabatur. Vulgata latina habet: Qui tetigerit hominis huius uxorem. Sept. sic: Quicunq; tetigerit hominem hunc, uel uxorem eius, mortis reus erit. Verbum tangendi positum est, pro nocere, sicut & Chald. paraphrastes uertit. Quoniam dixerat Isaac, timuisse se ne forsan occideretur propter uxorem suam, si constaret esse eam uxorem suam, ut hunc illi metum adimeret, publico edicto cauere uoluit, idq; sub cõminatione certissimæ mortis, ne quis uel illi, uel uxori eius aliquid incõmodi inferret. Vide regis huius iustitiam pariter & humanitatem. Iustitiam, qua cohibet iniquitatem: humanitatem, qua timorem Isaac boni consulit. non dicens: Si hoc times, quis impedit, quo minus à nobis discedas? sed publicata lege securum constituens, idq; hominem peregrinum, haud secus, quàm si esset indigena, imò ex indigenis præcipuus aliquis. Tanti uidelicet fuit probitas, pietas & integritas Isaaci in oculis regis ethnici. OBSER.

Et seminauit Isaac in terra illa, & inuenit eo anno centum modios, & benedixit ei Dominus.] Centum modios. In Hebræo est מאה שערים. Sonat autem uerbum שער mensurare, æstimare. Chald. paraphrastes habet, Et inuenit pro uno centuplum, cum mensuraret illud, uel æstimaret. Vulgata latina habet simpliciter, & inuenit in ipso anno centuplum. Sept. uerterunt, Centuplicatũ hordeum. Sensus loci huius esse uidetur, seminasse Isaacum eo anno, in terra illa Gerar, & inuenisse post triturationem pro uno modio centum. Et quoniam id non ex beneficio telluris, quæ arida erat & sterilis, sed ex uirtute diuinæ benedictionis prouenerat, confestim subiungit: Et benedixit ei Dominus. Et hoc fuerat illi Dominus pollicitus, cum iuberet, ne descenderet in Aegyptum, sed in illa terra maneret.

Videmus hic unde sit agrorum fertilitas. Videlicet ex benedictione Domini. Deinde uidemus nõ esse difficile Deo, suos in terra sterili, dum alij fame laborant, singulari benedictione alere & conseruare, modò in obedientia uerbi ipsius consistant. Tertiò & illud obseruandum est, quòd ubertatem diuinæ benedictionis consequutus est Isaac non ociando, sed seminando. Et seminauit, inquit, Isaac in terra illa (non tanter dictum propter illius ariditatem, ut magis diuinæ benedictionis uirtus eluceſcat) & inuenit eo anno (ne quis duobus uel tribus annis copiam hanc frumenti adscribat) centum modios, intellige, pro uno. Admonemur sic sperandam esse diuinam benedictionem, ut spe illius colamus agros ac seminemus. Nihil quidem est qui seminat, sed qui dat incrementum Deus. Verùm incrementum Dei non datur otiosis, sed operantibus ac seminantibus. OBSER.

Et creuit uir ille, & ibat eundo, & creuit donec magnus esset ualde.] Creuit opibus, & eundo iuit, id est, continuò & indesinenter creuit, dum omnia illi prosperè succederent, donec ualde opulentus euaderet. Non uno duntaxat anno, prosperitate sementis usus est, sed multis. Singulis annis augescebant illius opes. Vides quomodo diuitiæ dentur iustis à Domino per annua incrementa. Non funduntur illis opes subitò uelut in sinum. Singulis annis operantur, & operantes diuinæ benedictionis uirtutem experiuntur, cumulumq; donorum Dei colligunt. OBSER.

Et fuit illi possessio ouium, & possessio boum, ac familitium multum.] Specificatio est opum Isaac. Huiusmodi fuerunt etiam Abrahæ opes. De his uide suprà. Quod in Hebræo est, Et famulitiũ multum, עבדה רבה, Sept. uerterũt, γεωργίαι πολλαί: id est, agricolationes multæ. Potest reddi, Cultura magna. Vox עבדה sonat & famulitium & culturã. Famulitio magno usus est propter amplissimam agriculturam, & possessionem ouium & boum.

Et inuiderunt illi Philistijm, & omnes puteos quos foderant serui patris eius in diebus Abrahæ patris eius obtuerunt eos Philistijm, & impleuerunt eos puluere.] Postquã cõmemorauit opulentiam Isaaci, quæ cõtigit illiin terra peregrinationis ipsius, ex incrementis diuinæ benedictionis, cõsequenter subiũgit, quid inde illi ex malitia Gerarensium euenerit. Et inuiderunt, iuquit, illi Philistijm, successum uidelicet rerũ, & ingenium opulentiam. Hoc est carnalium & impiorum hominum ingenium. Non compatiuntur egenis, opulentioribus copiam diuitiarum, & successum rerum inuident, præsertim quos aliquando uiderunt minus esse diuites. Ante paucos annos, inquiũt, pauper erat, iam abundat opibus. Venit huc tenui fortuna præditus, iam cunctos superat opum abundantia. Et ista per opprobrationem dicunt, quasi probrum sit ex paupere fieri diuitem. Nec considerant innocentiam uitæ, & benedictionem datam à Domino, in opibus nullis malis artibus, sed opere manuum, ac pastu pecudum acquisitis, sed simpliciter culpant, factum esse diuitem. Hæc est inuidiæ malitia Contra ingenium candoris & philanthropiæ est, compati egenis, & congratulari illis, qui iustis opibus locupletantur. OBSER.

Et omnes puteos, inquit, quos foderant serui patris eius, &c. obturauerunt. Magna erat puteorũ necessitas in ea regione, alioqui arida, illis quibus erant greges ouium & boum alendi. Hinc tanta puteorum cura fuit Abrahæ, cum in terra illa peregrinaretur, & post illum Isaaco. Necessitatem hanc puteorũ scientes Philistijm, ubi inuidere cœperant Isaaco acquisitam opulentiã, paternos illi puteos omnes obturarunt, hoc illi pacto incommodare, & successibus illius remoras injicere cupientes. Videmus hic rursus ingenium inuidiæ. Quemadmodum charitas prona est ad iuuandũ, ita inuidia ad lædendũ. Et quomodo lædunt? Auferunt Isaaco non quas habebat gregum copias, & reliquas opes, sed fontes quos in terra illa repererat, & usibus suis accommodabat. Et dum hoc faciunt, uidentur sibi nihil facere iniqui. Verùm scriptura, ut malitiam illorum perstringat, dicit puteos illos opera fuisse seruorũ Abrahæ factos. OBSER.

Et quomodo auferunt illi puteos? Non cõuertunt eos in suos ipsorum usus, sed prorsus obturant. Qui in re singulare quoddam inuidiæ ingenium expressum est. Qui furatur, qui rapit & latrocinatur, ideo aufert aliena, ut sibi illa accõmodet: inuidus uerò sic nocet proximo, ut tamen inde nihil ad ipsum perue niat emolumenti. Sic solent inuidi. Nec alijs permittunt, nec sibi usurpant, quorũ gratia liuore capiuntur, sed musitant illud, Nec mihi, nec tibi. Similes sunt cani in præsepio iacenti, ac pabulũ fœni nec edenti, nec equis ac bobus permittenti.

Et dixit Abimelech ad Isaac: Recede à nobis, quoniam fortior nobis es factus ualde.] Cõmemorat hoc Moses, ad exprimendum quàm amplæ fuerint Isaaci opes. Vsqueadeò uidelicet ditatus fuerat et amplificatus, ut regis etiam opes superaret, multitudine uidelicet ouium & boum, deinde & ubertate agriculturæ. Quare ubi uidebat Abimelech, & dubio procul à seruis suis quotidianis querelis, ob inopiã pastus ortis, molestaretur, iussit ut à se discederet, quo maior gregibus suis pascendis copia permitteretur. Hũc arbitror fuisse regi prætextum, quur Isaacum à se discedere iuberet. Verùm quoniã Isaac infrà dicit, Cur uenitis ad me hominem quem odistis, & à uobis reiecistis? uerosimile est etiam ipsum morum fuisse inui
OBSER. dia & odio, ut Isaacum amplius ferre nollet. Sic est ingenium regum, ut haud facile ferant, si quis in ipsorum ditione potentiam & opes eorum adæquare uideatur. Timent enim regno suo & gloriæ. Vnde uehementer mirum uidetur, quomodo reges ac principes Christiani episcoporum opulentiam, potentiam, dominia, & insolentiam in regnis ac ditionibus suis tam diu perferre potuerint.

Et abijt inde Isaac, & castrametatus est in torrente Gerar, & habitauit ibi.] Verbo חנה, id est, castrametatus est, usus est Moses hoc loco ad exprimendum multitudinem famulorum, & gregum Isaaci. Propter illorum turmas dicit eum esse castrametatum. In torrente Gerar, inquit. Septuaginta uertérunt, in ualle Gerar. Ebraicè est בנחל. Vox נחל torrentem significat. At in torrente admodum inconueniens est habitare. Latinus igitur interpres uertit, Ad torrentem. Potest uox נחל accipi pro ualle, tali tamen, in qua sit torrens. Isaac igitur ab Abimelech reiectus absq; ulla contradictione discedit, & castrametatur loco à nemine præoccupato, ne cui sit molestus. Solent enim eiusmodi ualles per quas torrentes perrũpunt, & omnia lapidibus & arena opplent, haud cupidè occupari, propter sterilitatem, & incommoda torrentium, quæ inferre solent, ubi inualescunt.

OBSER. In discessu Isaac admonemur, ne inuitis magistratibus ac principibus sedes aliquandiu concessas retinere tentemus. Anabaptistæ ubi ditiones exire iubentur, renuunt, dicentes: Domini est terra & plenitudo eius. Et nos sumus filij & hæredes Domini. Ergo nõ possumus eijci. Terra illa, unde iubebatur Isaac discedere, erat ipsi à Domino hæreditariò promissa, & tamen cum pelleretur, patienter tulit, & regi discedere iubenti haud contradixit, sed obediuit.

Quòd ad torrentem castrametatus est, fidei specimen habet, qua non dubitabat affore sibi benedictionem à Domino promissam etiam locum sterilissimum incolenti.

Et reuersus Isaac fodit puteos aquarum, quos foderant in diebus Abrahæ patris ipsius, & obstruxerant Philistijm post mortẽ Abrahæ, & uocauit eos nominibus, secundũ nomina quib. uocauerat eos pater ipsius.] Et reuersus Isaac fodit puteos. In Ebr. est וישב: quod quidam uertunt, Et conuersus est. Loquitur Moses de reditu aliquo Isaaci, siue ad Gerar, siue de eo quòd puteos paternos à Philisteis puluere per inuidiam obruratos, sicuti suprà memoratum est, denuò refodit, aperuit, ac in suos usus repurgauit. Quod uulgata lat. habet, Rursum fodit alios puteos, nec in Ebræo est uox, Alios, nec in uersione Sept. nec in paraphrasi
Ordo huius loci. Chaldaica. Meo iudicio, ordo horum sic habet: Post mortem Abrahæ, cum quo inierat Abimelech fœdus, obstruxerant Philistei puteos illius, quos in ea terra foderat. Neq; enim amanter erant erga illũ affecti. De hac puteorum obstructione loquitur Moses hoc loco cum dicit, Et obstruxerant Philistijm post mortem Abrahæ. Hos Isaac cum in Gerar famis necessitate adactus, post mortem patris esset reuersus (nam in ea terra natus fuerat & educatus, ut rectè ad illam reuersus dicatur) refodit puteos illos, quos à seruis patris effossos post illius mortem Philistei obstruxerant, sicut hic commemoratur, uocauitq; illos ijsdem nominibus, quæ pater ipsis imposuerat. Philistei uerò, ubi illi tantum rerum successum inidere cœperunt, cum aliud non possent, puteos illos secundò oppleuerunt humo, & obstruxerunt, de qua obstructione supra mentionem fecit Moses. Hæc annotare uoluit, ut lector seriem gestorum intelligat: uel si ista non placent, occasionem accuratius de illis inquirendi accipiat.

OBSER. Principiò illud obserua, quòd putei Abrahę tantisper in usu fuerunt dum ipse in uiuis esset, post mortem uerò illius ab improbis sunt Philistæis obturati. Habes imaginem sortis doctrinæ sanæ. Donec uixerunt qui illam ueluti effoderunt, & è tenebris eruerunt, utcunq; durat & uiget. Verùm ubi illi ex hac uita migrarunt, sic extinguitur ut quodammodo cum ipsis emortua esse uideatur. Huius rei multa possunt exempla afferri in medium. Quòd si non prorsus è medio aufertur, humo saltem magisterij humani uitiatur & corrumpitur, ut amplius sana dici non possit.

Deinde quòd Isaac in terram Gerar reuersus, paternos puteos refodiendo aperuit & repurgauit, de eo nos admonet, quod post sublatum sanæ doctrinæ autorem, & puteos illius obturatos, suo tempore mittuntur alij, qui ueritatem obstructam denuò effodiant, in lucem protrahant, & repurgent. Sic post Mosen missi sunt Prophetæ, post Prophetas Christus & Apostoli, post Apostolos singulis temporibus, & nostra quoq; ætate alij atq; alij excitati sunt, qui nobis Euangelicæ doctrinæ puteos inde ab Abrahami nostri temporibus effossos, & studio carnalium hominum obturatos denuò aperuerunt.

Tertiò, q puteos Abrahæ ab Isaaco repurgatos ijsdẽ dicit nominib. appellatos, quib. ab Abrahamo fuerant

fuerant initio uocati, ad hoc facit, ut ſtudium Iſaaci intelligamus, quo non aquam tantum quæſiuit, ſed & paterni nominis & memorię rationē habuit. Simul admonemur, quomodo conueniat, ut nos quoq; priſcorum dogmatum, ueluti puteorum, nō modò ſenſus, ſed & uocabula quæ à primæuis authoribus initiò acceperunt, reſtituamus & retineamus. Philiſtei non ſolum puteos obſtruxerunt, ſed & nomina illorum obliterarunt: Iſaac uerò utraq; reſtituit. Et noſtri Philiſtei tam dogmata priſca q̄ nomina ipſorū aboleuerunt, & in locum illorū noua & peregrina è fecibus ſophiſtarū deprompta ſubſtituerūt. Quare conuenit ut illis è medio ſublatis antiqua Euangelicæ doctrinę dogmata eruamus, & nomina quoq; & uoces illorum retineamus. Ritum cœnæ Dominicę, ut exempli gratia dicam, unà cum appellatione illius obtrurarunt Romani Philiſtei, & in locum illius aperuerunt lacum cœnoſum omnium fœtidiſſimum, quem uocant Miſſam. Noſter Iſaac repurgato priſco puteo, uocat eum primæuo nomine Dominicam cœnam.

Quartò, quod autem Philiſtei inuidia aduerſus Iſaacū moti repurgatos paternos puteos denuò obſtruūt, documento nobis eſt, nihil eſſe aliud à noſtris expectandū Philiſteis, q̄ eandem obturandæ & oppримendæ ſanæ doctrinæ improbam & irremiſſam pertinaciam, cuius etiam noſtra hac ætate luculenta uidimus exempla. Orandus eſt Dominus, ut mittat ſubinde Iſaacos, qui aperiendi ac repurgandi ſedulitate cum illis indeſinenter decertent.

Et foderunt ſerui Iſaac in ualle torrentis, & inuenerunt ibi puteum aquarum uiuentium.] Obſtructis paternis fontibus ipſa requirebat neceſsitas ut alios foderet. Id fecit in ualle torrētis, in qua caſtra fuerat meratus. Memoratur autem pro ſingulari ſucceſſu, quòd eo loci aquam uiuam reperit. Et inuenerunt, inquit, ibi puteum aquarum uiuentium. Aquam uiuam fodiendo inuenerunt, & puteum conſtituerunt. Vel uox באר, pro uena aquarum uiuentium poſita eſt.

Et rixati ſunt paſtores Gerar cū paſtoribus Iſaac dicentes, Noſtra eſt aqua. Et uocauit nomen putei Eſek, quoniam contendebant cum ipſo.] עשק contentionem ac litigationem ſignificat per ſmol. Per iamin uerò uiolentiam & calumniam. Sic uertit latinus interpres. Septuaginta habent, ἀδικίαν, id eſt iniuſticiam, proptерea quòd iniuria ipſum afficerent.

Et foderunt puteum alium, & rixati ſunt etiam propter illum, & uocauit nomen eius Sitnah.] Hebr. שטנה, uox deducta à ſatan quod aduerſari ſignificat, reſiſtentiam ac repugnantiam ſonat. Vertūt interpretes inimicitiam. Aquila tamen & Symmachus uerterunt τὴν ἀντιπαρεμβολὴν, & εἰς ἀντίωσιν, id eſt aduerſariū, & contrarietatem. Non exprimit quòd aquam uiuam repererint, uerūm illud ex eo ſatis patet, quòd propter alterum hunc puteum perinde atq; propter priorem oborta fuit contentio.

Et tranſtulit ſe inde, & fodit puteū alium, & non ſunt rixati propter illum, & uocauit nomen eius Rehoboth, & dixit, Quoniam nunc dilatauit nos Dñs, & creſcemus in terra.] Ceſsit rixoſis & locū & puteos, & migrauit ad ulteriora, ut longius ab illis diſsitus plus inueniret quietis ac tranquillitatis, id quod & contigit. Fodit puteū, illumq; uocauit רחבות Rehobos, quæ uox latitudines ſignificat. Et addidit nominis rationē: Quoniā, inquit, dilatauit iam nos Dñs, hoc eſt, fecit nobis ſatis ſpacij ad manendū, & creſcemus in terra, uel ut alij uertūt, & creſcere nos fecit in terra. Pagninus reddidit, Et creuimus in terra. Erat iam tū diues ac magnus, deinde reddebat indies opulētior, ut nihil referat, in præterito ne, uel futuro legamus.

Principiò obſerua, quòd ubiq; reperitur aqua uiua, ubi ſerui Iſaac fodiunt, etiam in ualle torrentis. OBSER. Hæc eſt proſperitas eorum qui timent Dominum, & uerbo illius obediunt, de qua loquitur propheta Pſal. 1. dicens, Et quicquid fecerit proſperatur.

Deinde, in eo q̄ paſtores Gerar propter puteos rixant, illosq; Iſaaco nō permittūt, dicentes, Noſtra eſt aqua, habes exemplum eorum pſeudopœmenon, qui filijs electis contentioſe & Eccleſiam, & ſacramenta, & ſcripturā auferre moliuntur dicētes, Noſtra eſt Eccleſia, noſtra ſunt ſacramenta, noſtra eſt ſcriptura, cum tamen ipſi & uerā Eccleſiā, & uera ſacramenta, & S. ſcripturā nec colant, nec in uſu habeant.

Tertiò & illud obſerua, q̄ puteos à ſeruis ſuis effoſſos uocat contentionē, & reſiſtentiā. Nihil huius erat in ipſa aqua, nec in animo Iſaaci quoq;, ſed malicia paſtorū Gerar fiebat, ut propter illorū rixas & reſiſtentiā hæc nomina ſortirentur putei. Sic accidit & noſtro ſeculo. Doctrina Euangelij, doctrina panico adminiſtrandā effodiunt. Et tamen tantæ tamq; acerbæ rixæ propter illos exortę ſunt, ut nō immeritò Eſek & Sitnah uocentur. Malū hoc non eſt adſcribendū paſtoribus Iſaac, ſed paſtoribus Gerar rixoſis & iniquis, qui aquā uiuam uel obturando perdere, uel ſibij pſis uindicando alijs auferre moliuntur.

Quartò. Quòd à rixoſis diſcedit Iſaac, & pacem quærit, exemplum habes animi pij, quo prædīti eleēti auerſantur commercia hominum cōtentioſorum, maluntq; cum damno ſuo cedere, quàm ſi quid iuris habent, altercando perſequi.

Quintò, quòd tandem cedendo aquam quietis ac paciſ reperit, qua ſine iurgijs malorum hominum uti queat, admonet nos, nō eſſe meliorem rationem retinendæ pacis, quàm ſi tamdiu cedamus, donec occaſiones contentionum maleuolis hominibus amputemus. Remotior factus ab improbis paſtoribus, aquam ſortitus eſt, cuius puteum dilatationem uocare potuit. Hoc exemplo admoniti fugiamus commercia impiorum, quæ non dilatationem, ſed rixas & anguſtias pariunt.

Simul obſerua, q̄ poſt puteos Eſek & Sitnah datus tandem eſt puteus quietis ac dilatationis, ad quē conſtitutus Iſaac cum ſuis creſcere potuit. Sic ſperemus & nos futurum, ut poſt puteos rixarum & contentionum detur tandem Eccleſijs Chriſti, quæ aquam uiuam ſtudioſe effodiunt & quærunt, puteus

dilatationis ac tranquillitatis, quo possint in pace & quiete uti, & ad illum diuinæ benedictionis interuentu feliciter augescere. Sic accidit Ecclesijs Christi post tempora persecutionum. Cum pacem essent adeptæ, & è puteo Rehoboth aquam uitæ biberent, creuerũt ac multiplicatæ sunt in terra, quod sub imperio Constantini Magni cœpit.

Et ascendit inde in Beersheba.] Quare locum illum reliquerit, ubi se in latitudine habitare gloriatus fuerat, nõ est expressum à Mose. Quod autem ex illo se Beershebam cõtulit, ob id apparet esse factum, quòd antea habitauerat illic Abraham pater ipsius, sicuti uidere est suprà cap. 21. & 22. Placebat is locus propter memoriam parentis, & propterea quoq; quòd esset remotior à rixosis Gerarenis.

Et apparuit illi Dominus in nocte illa, & dixit: Ego sum Deus Abrahæ patris tui, ne timeas, quoniã tecum sum ego, & benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, propter Abraham seruum meum.] In nocte illa. Prima uidelicet cum illuc uenisset. Obserua hic diligentiam diuinæ bonitatis, qua suorum imbecillitati in tempore succurrit. Erat Isaac animo nonnihil deiecto, cùm quòd solus in terra illa peregrinationis post mortem patris in medio impiorum exularet, tum quòd esset à rege Abimelech abiectus, & multis iniurijs à Gerarenis affectus. Apparet igitur illi Dominus mox atq; Beershebam ascẽdisset, ut animum mœstum ac deiectum consolatione ac promissionibus suis erigeret.

OBSER.

Deinde obserua quòd non simpliciter dicit, Ego sum Deus tuus: sed, Ego sum Deus Abrahæ patris tui. Admonet illum omniũ eorum quæ cum Abrahamo patre ipsius gesserat, & quæ illi ac semini eius promiserat. Huius admoneamur & nos, quoties audimus prædicari de Deo, quòd sit Deus patrum nostrorum.

Et illud cogitandum est. Abraham, cum ista gererentur, erat mortuus. Et tamẽ etiam mortuus habet eundem Deum quem habuerat uiuus. Ergo Domino Deo nostro nõ erat mortuus Abraham, nec ipse Deum suum moriendo amiserat. Matth. 22. dicit Christus, Non est Deus mortuorum, sed uiuentium. Igitur omnes illi uiuunt.

De eo quod dicit, Ne timeas, quid notandum sit, uide suprà cap. 15. ibi, Ne timeas Abraham.

Quoniam tecum sum ego, inquit.] Obserua rationem, ob quam non debeat sibi timere Isaac. Præsentia diuinæ gratię omnem debet fidelibus excutere metum. Psal. 23. dicit Dauid: Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Propter Abraham seruũ meũ. Audiant omnes serui Dei. Filijs ipsorũ propter ipsos benedicit Dñs. Non dicit simpliciter, Propter Abraham: sed, Propter Abr. seruũ meum. Si nõ es Abrahã, sis seruus Dei. B

Et ædificauit ibi altare, inuocauitq; nomen Dñi.] Sequebat exempla pietatis ac religionis quæ uiderat in domo patris sui. De cõstructione altariũ & inuocatione diuini nominis, uide suprà cap. 12. & 13. Simul obserua. Aedificauerat Abraham in Beersheba altare Dño, ubi nomen ipsius inuocaret, qua de re suprà cap. 21. Cùm Isaac illò reuersus esset, erat locus prophanatus, & altare Dei destructũ. Alioqui nõ fuisset opus aliud altare erigere. nõ est igitur nouũ, quod ab impijs altare Dñi prophanat, & è medio tollitur.

OBSER.

Et extendit ibi tabernaculum suum foderuntq; ibi serui Isaac puteũ.] Foderat ibi Abraham puteum, cum eo loci habitaret. Verùm malicia, uel saltem incuria incolarum perierat. Facit autem Moses putei huius mentionem propter sequentia.

Et Abimelech uenit ad eum de Gerar, & Ahusath amicus eius, & Phicol princeps exercitus eius.] Illud, Et Ahusath amicus eius in Hebræo מרעהו אחזת aliter atq; aliter uertitur. Sept. sic: καὶ ὀχοζὰθ ὁ νυμφαγωγὸς αὐτοῦ, id est, Et Ochozat pronubus eius, uel præfectus gynæcei illius. Pagn. Et Ahusath, qui erat ex amicis eius. Chald. uerò paraphr. uocem Ahusat accepit non pro nomine proprio uiri alicuius, sed pro cœtu ac societate, uertitq; מרחבוהי, id est, & cœtus amicorum eius. Hunc sequutus est R. Shlomoh, & Tigurina uersio. Et Hieronymus quoq; sic annotauit: Pro Ahuzath pronubo, in Hebræo habetur, collegium amicorum eius, ut non tam hominem significet, quàm amicorum turbam, quę cum rege uenerat, in quibus fuit & Phicol princeps exercitus eius. Hæc ille. Quare Augustinus haud satis circunspectè ex eo quod Ahusat & Phicol hic perinde ac suprà cap. 21. in uersione Sept. cum Abimelecho uenisse memorantur, collegit eundem fuisse hunc Abimelechum, qui suprà cum Abrahamo, & hic cum Isaaco fœdus inierit. Primùm suprà cap. 21. non fit mentio Ahusath in Hebræo. Deinde non est necesse ut uox Ahusath pro nomine uiri alicuius accipiatur. Tertiò, & Phicol non statim potest comprobari quòd sit proprijũ nomẽ certi alicuius uiri, cum uerosimilius sit quod quemadmodum rex Geraræ, quisquis esset, uocabulo regibus illis communi Abimelech uocabatur: ita Princeps exercitus nomine non proprio, sed officij Phicol, id est, os omnium fuerit appellatus. Ignorantia Hebraęę linguæ multos parit lapsus.

Et dixit ad eos Isaac: Quare uenitis ad me? Et uos odistis me, & eiecistis me à uobis.] Quemadmodũ Abraham suprà cap. 21. opprobrabat Abimelecho iniuriam sibi à seruis illius illatam, ita & Isaac cum primis obijcit isti Abimelecho ac comitatui illius, quòd se odio fuerint prosequuti, & à se reiecerint. Suprà cap.

OBSER. 21. uide quæ hic sint annotanda. Illud obiter obserua, q̃ non regi tantum, sed simul omni illius comitatui obijcit, dicẽs: Quare uenitis ad me? Et uos odistis me, & eiecistis me à uobis. Videtur culpam hanc reijcere in aulicos, qui stimulis odij exagitati regem ad hoc impulerint, ut peregrinum illum hominem tantopere in terra ipsorum crescentem tandem eijceret. Qua in re expressum est ingenium aulicorum.

Et dixerunt: Videndo uidemus, tecum esse Dominum, & dicimus, Sit, quæso, iuramentum inter nos, inter nos & inter te, & percutiemus fœdus tecum. Si egeris nobiscum malignè, sicuti te non attigimus, & quemadmodum feci-

mus

mus tecum duntaxat benignè, & dimisimus te in pace. Tu nunc benedictus Domini.] Quoniam interrogauerat Isaac cum admiratione, tanquam de re insolita, quare ad se uenissent, quem odio prosequuti essent, & à se abiecissent, causam aduentus sui exponunt, & per obliquum ad id quod obijciebatur respondent. Causam aduentus sui in eo assignãt quod dicunt, Videndo uidemus: uel, si mauis, Vidimus, tecum esse Dñm. hoc est, iam multis argumentis constanter comperimus, omnẽ hunc rerum tuarũ successum euenire tibi ex gratia & benedictione Dei. Quare dicimus, id est id abs te petimus, & hanc ob causam ad te uenimus, ut cõstituatur iuramentũ inter nos. In Hebræo est, ut fit execratio, hoc est, obligatio iuramenti sub execrationis deuotione, inter nos. Et addunt, Inter nos & inter te, quod expositorie adiectũ est: quia dixerant, Inter nos. Et percutiemus, inquiũt, fœdus tecũ. Sic aperiũt de quo iuramenti genere loquant. Si egeris nobiscũ malignè. Id est, ut non agas nobiscũ malignè: uel, subintelligendũ est, Obnoxius sis execrationi. Sicuti te nõ attigimus, inquiũt. Obliquè respondent ad opprobrationẽ Isaaci, & simul admonẽt, non esse petitionem hanc ipsorum iniquã, quandoquidem nihil illi mali intulerint, quòd per uerbum attingendi, נגע, intelligunt, immo benignè cum ipso egerint, & abeuntem in pace dimiserint. Beneficij loco ducunt, quòd non spoliarunt discedentem. Tu nunc, inquiunt, benedictus Domini. Quomodo particula hæc præcedentibus sit subiecta, non est eadem interpretum sententia. Vulgata latina sic habet: Sed cum pace dimisimus auctũ benedictione Domini. Verùm uersio ista nimis est libera. Tigurina retulit ista ad principium responsionis huius ad hunc modum: Qui responderunt, omnino uidimus Dominum tibi adesse, ò tu fortunate Domini, & diximus, &c. Sic legit interpres uocem ברוך in uocatiuo, & reddidit, fortunate, existimauitq; ad hunc modum compellasse illos Isaacum statim initio responsionis. Septuaginta sic: καὶ νῦν σὺ εὐλογητὸς ὑπὸ κυρίου, id est, Et nũc tu benedictus es à Domino. Quasi dicat: Sic dimisimus te in pace, ut nunc quoq; sis benedictione Dei locuples & magnus. Et hæc mihi sententia simplicior uidetur. Monsterus sensit ista rationis esse uice subiecta, eodem sensu quo illud suprà, Videndo uidemus tecum esse Dominum. Ideo reddidit: Tu enim nunc es benedictus à Domino.

Obiter obserua, quod dicunt, Videndo uidemus tecum esse Dominum: & dicimus, Sit, quæso, iuramentum inter nos. Quod si adeò pij erant ut propter Dominũ amicitiam Isaaci ambirent, quare ergo illam à se reiecerunt, cum perspicuè cernerent adesse illi Dominum? Apparet igitur ex præcedenti facto, non quæsisse eos amicitiam Isaaci affectu pietatis & respectu Dei: sed quoniam timebant, ne se de ipsis propter præcedentem contumeliam aliquando ulcisceretur, uoluisse eos securitatem rebus suis interuentu fœderis quærere. Quà in re uides ingenium carnis. Primùm ubi uidebant illum reddi opulentum, inuidebant & odiebant. Deinde successum rerum quo prosperè utebatur impedire moliebantur. Tertiò quoniam nihil efficiebant, reijciendum à se iudicarunt. Quartò, ubi fortunas illius ubiubi locorũ esset quotidie crescere uidebant, incipiũt timere, quẽ paulo antè odio prosequuti fuerant: & amicitiam illius quærere, cui rerum successum inuiderant: deniq; constituendi fœderis gratia ad eum proficiscuntur, quem à se reiecerant. Hæc erat potentia dextræ Dei excelsi, qui seruos suos uerendos illis reddere potest, quorum paulo antè odijs & contumelijs fuerant obnoxij. OBSER. *Ingeniũ carnis.*

Deinde & illud considerandum est, quod dicunt: Sicuti nõ attigimus te, & quemadmodum fecimus tecũ duntaxat benignè, & dimisimus te in pace. Ista non cõueniunt uerbis Isaaci, quibus dixerat: Quare uenistis ad me? Et uos odistis me, & eiecistis me à uobis. Non cõueniunt etiam testimonio Mosis, quo dixit: Et inuidebant ei Philistijm, & omnes puteos quos foderant serui patris eius in diebus Abrahæ, obturauerunt. Et Isaac ipse non contradicit, sed parat eis conuiuiũ, & fœdus cum illis percutit. Et Isaac rectè dixerat, Et isti non sunt mentiti. Initiò cum in Gerar uenisset Isaac, nec inuidia, nec odio aduersus eum laborabant, sed beneficijs tanquam hominem peregrinum afficiebant, nec quicquam mali rebus ipsius inferebant. Huc referenda sunt ista, Sicuti non attigimus te, & quemadmodũ fecimus tecum duntaxat benignè. Postquam uerò factus esset dines & potens, cœperunt illum inuidia & odio prosequi, fontes illius obstruere, ac tandem eum à se reijcere. Huc respexit Isaac dicens: Et uos odistis me, & reiecistis me à uobis. Apparet igitur hic quoq; ingenium carnis, quę astutè dissimulare solet, si quid in quenq; mali fecit, & ea tantum commemorare, quæ aliquam beneficentiæ speciem habere uidentur. QVAEST.

Et illud obserua. Dicunt, Videndo uidemus tecum esse Dominum: item, Benedictus tu nunc es à Domino. Verùm non petunt ut ad ipsos reuertatur. Amicitiam illius ambiunt, sed talem quæ non coniungat diuulsos, quod uera solet amicitia facere, sed quæ acceptam contumeliam non ulciscatur. Nihil minus ferre potuissent, q̃ reditum Isaaci. Sic animati sunt, qui nescio qua religione mortuorũ sanctorum fauorem & gratiam ambiunt, quos tamen si ad nos redirent, minimè omnium ferre possent.

Et fecit eis conuiuiũ, & comederunt & biberunt. Et manè surrexerunt, ac iurauerunt uri fratri suo. Et dimisit eos Isaac, ac discesserunt ab eo in pace.] Isaac ubi intellexit rationem aduentus ipsorum, nihil ultrà regessit, sed placidè acceptos conuiuio cohonestauit, eoq; pacto testatus est, se non fore memorem acceptæ iniuriæ. Obserua ingeniũ piorum. Licèt uerbis exprobrent, si quo pacto sunt læsi, reipsa tamen non sunt studiosi ultionis, immo facili negocio inimicis conciliantur, & bona pro malis rependunt. OBSER.

Quod non uesperi inter cœnandum, sed manè iurauerunt, ac fœdus pepigerunt, exemplum est, quàm sint sobriè & religiosè præstanda iuramenta.

Et factum est illo die & uenerunt serui Isaac nunciantes ei de puteo quem foderant, ac dicentes, Inuenimus aquam. Et uocauit eum Shibeah, quapropter nomen ciuitatis illius est Beersheba ad hunc usq; diem.] Septuagin-

ta habent: οὐχ εὕρομεν ὕδωρ, id est, Non inuenimus aquam. At in Hebræo est: Inuenimus aquam. Legêrunt illi pro ויאמרו לו מצאנו מים, id est, Et dixerũt ei, inuenimus aquam, ויאמרו לא מצאנו מים, id est & dixerunt, Non inuenimus aquã. Error est, לא, id est, nõ legerunt pro לו, id est, ei. Augustinus torquet se hoc loco, quomodo inconuenientiæ literalis sensus spirituali intellectu succurri possit. Et Hieronymus dicit se nescire, quomodo Sept. sic uerterint, cũ sit error hic planè cognitu facilis. Deinde illud, Et uocauit eum Shibeah, legit Hieron. per smol, ut uox Sibeah saturitatem & abundantiam significet, & Beersheba idẽ sit quod puteus satietatis. Verùm alij legũt per Iamin, ut sonet iuramentũ, sicq; Beersheba puteus iuramenti. Et sic habent Hebræa Biblia quæ mihi uidere licuit. Hoc sensu uidemus puteũ hunc Beersheba propterea uocatũ, q; eo die iurassent Isaac & Abimelech, ac iureiurando fœdus statuissent. Voluit Isaac memoriã iuramenti ac fœderis illius hac appellatione trãsmittere ad posteros, & ciuitatis nomẽ quod antea ab ipso Abrahamo impositũ fuerat, per hanc occasionẽ renouare & cõfirmare.

OBSER. Vides paria studia in patre & filio. Quod Abraham olim eo loci per occasionem iuramenti fecerat, consimili occasione fecit & Isaac. Deinde uides q̃ studiosus fuerit Isaac nõ locorũ modò & puteorũ, quibus ante ipsum usus fuerat pater ipsius Abrahã, sed & nominũ restituendorũ & confirmandorũ, quę ab illo imposita esse sciebat. Hoc studio effecit ut ciuitati illi nomen Beersheba ad Mosis usq; tempora manserit. quod ille indicat, cũ dicit: Quapropter nomen ciuitatis illius est Beersheba ad hunc usq; diem.

Et fuit Esau annos quadraginta natus, & accepit uxorem Iehudith filiã Beeri Hitthæi, & Bashmat filiã Elon Hitthæi. Et erant illæ amaricatio spiritus Isaaco & Ribkæ.] Sept. pro Beeri legunt Beel, & pro, Elon Hitthæi, Elon Heuæi. Vulgata latina habet, & Basemath filiam Elon eiusdem loci. Videtur impertinenter esse factum à Mose, quod hoc loco de uxoribus Esau mentionem facere uoluit. Verùm si prospicias ad ea quæ in calce sequentis capitis, & principio uicesimioctaui sequuntur, facilè intelligi potest, propter illa esse hæc præmissa. De uxoribus uerò Esau uidebimus infrà cap. 36.

OBSER. Cæterùm obseruandum est hoc loco, quorũ sit insciis & inuitis parentibus ducere uxores. Non fecit hoc Isaac, sed filius eius Esau. Neq; Iacob illa est temeritate usus. Deinde, quorũ sit affinitatẽ eorum amplecti, qui diuersæ sunt fidei ac religionis. Tertiò, in eo quod dicit, Et erant ille amaricatio spiritus Isaac & Ribkæ. quod Sept. uerterunt, καὶ ἦσαν ἐξίστασαν τῷ Ἰσαὰκ καὶ τῇ ῥεβέκκᾳ exemplum uidemus animi pij, cui molestissimũ est, si ab honestate ac pietate degenerent filij, & cui amarum est tolerare in affinitate sua homines alienos à cognitione ac fide Dei.

Simul & illud cogita. Vxores istę Esau erant terræ illius indigenæ, & dubio procul non erant uulgares ac plebeiæ, sed nobiles, unde & nomina illarũ pariter ac patrum memorantur, quam ob causam iuxta rationis humanæ iudicium affinitas illarum rebus Isaac in ea terra plurimum emolumenti & augmenti allatura uidebatur. Verùm ea erãt fide utriq; & Isaac & Rikkah, ut quod homini iuxta seculum prudenti gratissimum fuisset, ipsis fuerit acerbissimum.

Videmus etiam hoc loco, q̃ non sit nouũ, si quando illi quibus foris omnia florent, & prosperè succedunt, domi, ex ipsis liberis nascatur malum, unde turbentur. Etiam sanctis hominibus id accidit, ne si per omnia feliciter agant, in cœlo se uiuere putent, mortalesq; esse se obliuiscantur.

CAPVT XXVII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Isaac senex & præ senectute caliginẽ oculorum patiens, studio Ribkæ decipitur, ut ignorans pro Esau primogenito benedicat minori filio suo Iacob. Esau uerò propter benedictionem hanc sibi præreptam mortem minatur fratri suo Iacobo.

ET factũ est, cũ senuisset Isaac, & caligarent oculi eius ut uidere nequiret, uocauit Esau filiũ suũ maiorẽ, & dixit ad eũ, fili mi. Et ait illi, Ecce ego. Et dixit: Vide quæso, factus sum senex, ignoro diẽ mortis meæ. Et nũc tolle quæso arma tua, pharetrã tuam, & arcũ tuum, & egredere in campũ ad uenandũ mihi uenationẽ, & fac mihi cibos quemadmodum appetere soleo, & adfer ad me ut comedã, & benedicat tibi anima mea priusquã moriar. Et factũ est, cũ senuisset Isaac.] Senectutis eius meminit, ut intelligamus quando ista quæ memoraturus est, acciderint: & simul rationem ponat, ob quam oculi illius caligauerint. Præ senectute uidelicet, quæ cutẽ faciei illius rugosam, atq; ita, ut in senibus fieri uidemus, oculos rugis obductos cæcutiẽtes reddiderat, id quod etiam Hebræo uerbo exprimitur, cum legitur, רתמחיך עגיר. Significat enim מחה obrugare & contrahere. Præmisit hoc Moses, etiam propter sequentem historiam.

Vocauit Esau filiũ suum maiorem.] Id est, primogenitum. Sic primogeniti appellabantur propter primogenituræ dignitatem.

Vide, quæso, factus sum senex, neq; scio diem mortis meæ.] Significabat se breui moriturũ, ideoq; uelle condere testamentum suum, priusquam moreretur, ne si id differret, intestatus ex hac uita discederet.

Et nunc tolle quæso arma tua.] uenatoria uidelicet, pharetram & arcũ. Iaculo solebat sternere feras.

Et fac mihi cibos.] In Heb. est, מטעמים, id est cupedias, cibos gustu delectabiles. טעם eñ gustũ significat.

Quemadmodum appetere soleo.] Delectabatur carnis ferinibus, & apparet eũ peculiari quodã ex illis edulio uesci consueuisse. Illo sese adhuc semel ante mortem oblectare uolebat.

Et benedicat tibi anima mea priusquã moriar.] Hoc est, ut ex animo tibi benedicã. Loquitur autem de benedictione testamentaria, qua uolebat eum, tanquam primogenitum, dominum constituere super fratrem, & omnis generis bona à Deo apprecari.

Senuit

Senuit Isaac, & caligarunt oculi eius.] In caligatione oculorũ senis Isaac duplex obseruandum uenit diuinæ prouidentiæ exemplum. Generale unum, speciale alterum. Generale, quo senibus plerunq; acies oculorum caligine obducitur, priusquã ex hac uita auferantur, ut quo minus quę in terris sunt, externis oculis uident, hoc magis internã mentis aciem ad cœlestia contemplanda erigant. Atq; ita in ipso quoq; naturæ defectu opus diuinæ prouidentiæ relucet. Speciale, quo per occasionem cæcutientiũ oculorum primogenituræ benedictio in Iacobum transferri posset. OBSER.

Vide, quæso, factus sum senex, nec scio diem mortis meæ.] Vides hoc loco, etiã sanctis hominibus id esse cũ reliquis mortalibus cõmune, ut diem mortis suæ nesciant. Magna ratio est, ob quã sic est cõparata mortalitatis nostræ conditio, ut nihil nobis constet certius q̃ semel esse aliquando moriendũ: rursus nihil sit incertius, q̃ dies, immo & genus mortis. Scientia mortalitatis nostræ cohibemur ne sic uiuamus in hoc seculo, ac terrenis immergamur, quasi nunq̃ simus morituri. Ignorantia diei mortis nostræ impellimur ut uigilemus, ne ex improuiso & imparati ex hac uita abripiamur. Sic mouebatur Isaac ad condendũ testamentum suum, priusquam morte ex hac uita tolleretur. OBSER.

Et nunc tolle quæso arma tua, &c.] Vides hoc exẽplo esse & sanctos uiros homines, & humanis affectibus obnoxios. Isaac delectabatur carnibus ferinis, & prius q̃ moreretur uolebat illis sese adhuc semel oblectare. Humanum hoc est, & nihil habet culpabile, modò nihil accedat illiciti. Licet uesci quibuslibet, à Deo nobis in cibum datis. Licet delectum habere ciborum, secundum delectationẽ gustus, modò adsit gratiarũ actio. Illud uerò nonnihil est reprehensibile, q̃ propter delectationẽ peculiaris huius edulij sui Esau primogenito suo licentius euagandi potestatẽ & studiũ uenandi liberũ fecit. Vides hoc uitio nonnunq̃ & sanctos uiros laborare, q̃ propter carnalem aliquẽ affectũ indulgentiores sunt in liberos. OBSER.

Ribkah uerò audiuit Isaacũ loquentẽ ad Esau filiũ suũ, & Esau exiuit in campũ ad uenandũ & ad ferendũ uenationẽ. Et Ribkah dixit ad Iacob filiũ suũ: Ecce audiui patrẽ tuum loquentẽ ad Esau fratrẽ tuũ, ac dicentẽ: Adfer mihi uenationem, & fac mihi cibos, & comedã, & benedicã te corã Dño, priusq̃ moriar. Et nunc fili mi audi uocem meã in ijs quæ ego tibi præcipio. Vade quæso ad gregem, & accipe mihi inde duos hœdos caprarũ, bonos, & factã ex eis cibos patri tuo, quibus delectatur. Et adferes patri tuo, & comedet, & benedicat te priusquã moriatur.] Siue studio auscultauerit Ribkah, quid nã esset Isaac filio suo Esau præcepturus, id quod uerosimile uidetur, siue fortè fortuitu acciderit, ut audiret, nobis obseruãda est diuina prouidentia quæ causam hanc sic cõpetenter disposuit, ut opera matris benedictio testamẽtaria, quã Isaac primogenito suo Esau destinauerat, transferrẽ in Iacob. Quare factũ est, ut mandatũ Isaac innotesceret Ribkæ: quemadmodũ & illud diuinæ prouidentiæ deputandũ est, quod uocatũ ad se Esau nõ statim benedixit Isaac, sed de uenationibus illius uesci uoluit priusq̃ eum benediceret, ut per hanc occasionem in absentia Esau materia daret Ribkæ imponendi seni, & benedictionẽ in Iacob transferendi. Et hac cõsideratione prohibemur, ne factũ Ribkæ male interpretemur ac temerè damnemus. Acceperat illa diuinũ oraculũ, fore ut maior seruiret minori. Intellexerat consiliũ diuinæ uoluntatis ex eo q̃ in partu acciderat: deinde ex eo quoq; q̃ Esau primogenita sua tam leuiter æstimata temerè Iacobo uendiderat. Et præterea, uidebat argumẽta impietatis in Esau, in eo quoq; q̃ suapte temeritate filias Hethitarũ duxerat in uxores. Quare nõ immerito intenta erat in omnem occasionem, qua benedictionem morituri senis transferret in Iacobum. OBSER.

Simul obserua mulieris industriam. Solent sanctæ matronæ plus habere simplicitatis q̃ astutiæ, & aptiores ad hoc esse ut fallantur, q̃ ut artes fallendi cõminiscì possint. At nostra Ribkah proponitur nobis hoc loco ingeniosa & industria ad struendum impostura, qua senem fallat. Videmus hoc exemplo non esse alienum à prouidentia Dei, ut electis suis, sicubi usum fuerit, spiritum largiatur astutiæ & industriæ, quo proposito ipsius efficaciter seruire possint. Poterat Ribkah accedere senẽ, & disertis uerbis admonere de uoluntate Dei, atq; ita prohibere ne benediceret Esau, sed potius Iacobum. Verùm parcendum erat senectuti, cauendumq; ne irritaret senex magis, quàm ad benedicendum Iacobo induceretur. Quare consultius erat, ut oblatis medijs ad struendam imposturam accommodis uteretur, atq; ita benedictionem uel ex ore imprudentis & errantis suffuraretur.

Et dixit Iacob ad Ribkah matrẽ suã: Ecce Esau frater meus uir pilosus est, & ego uir sum lenis. Fortè cõtrectabit me pater meus, & ero in oculis eius quasi impostor, & inducã super me maledictionem, et nõ benedictionem.] Tritũ est illud, Duo uident acutius uno solo. Mater uidit occasionẽ imponendi seni, quod attinet appetitos uenationis cibos, & defectũ oculorũ. Iacob præterea cogitat de discrimine corporũ sui & Esau, q̃ ille pilosus, ipse uerò leni esset & molli cute. Igit̃ de illo admonet, & indicat qd ex eo sit timendũ periculi, ne uidelicet pro benedictione maledictionẽ incurrat, si pater cõtrectãdo experiat̃, q̃d oculis nõ poterat. OBSER.

De discrimine corporum Esau & Iacob, annotatum est suprà cap. prę cedenti.

Fortè contrectabit me pater meus. Videmus hic nõ esse alienum à sanctis hominibus, ut timeant ea, quæ etsi certò futura non sunt, fieri tamen posse sciunt. Leuis animi indicium est, nõ timere quę facile accidere possunt, ut dicendum sit, Non putaram. OBSER.

Et ero in oculis eius quasi impostor, & inducam super me maledictionem, non benedictionẽ. Agnoscit uir pius ac sensatus quid mereatur filius, qui parentis uel cæcitate, uel alio quopiã corporis defectu ad imponendũ illi abutitur. Nõ cõmittendũ iudicat, ut fiat in oculis patris sui quasi impostor ac nebulo.

Deinde maledictionem à patre illatam existimat nõn esse susq; deq; faciendam, sed studiosè cauendam. Discant hic cordati filij, quàm debeant reuerenter animati esse erga parentes.

Et dixit ad eum mater ipsius: Super me missit maledictio tua, fili mi, tantũ audi uocem meã, & uade, & accipe

mihi.] Proponitur hic exemplũ fidei constantis,& propter securitatẽ ex uerbo Dei conceptã imperterri tæ. Sciebat Ribkah cõsilio suo adfuturũ Dñm. Verũ ut animũ filij sui securũ & obsequentẽ sibi redderet, nõ dicit, Nulla est tibi timenda maledictio, es eñi benedictioni diuinitus destinatus: sed, Super me sit ma ledictio tua, fili mi. Q. d. Nõ est ꝙ maledictionẽ timeas. Etsi futurũ sit ꝗd times, super me fit, nõ super te. Ego tibi author sum huius facti, modò obtẽperes consilio meo: ego itẽ, si qd hic piaculi admittit, culpã illius in me recipio. Huiusmodi securitas locũ habet in illis cõscientijs, quç de uoluntate Dei ex uerbo illius certò sunt persuasæ. Aliàs & seipsos & alios in discrimẽ inducũt, qui ex temeritate carnis & mentis cæcitate clamãt: Sanguis eius sit super nos, & super filios nostros, modò tu crucifigas hunc hominẽ. Sic uenit sanguis Christi super populum Iudæorũ, ut simul & Pilatus diuinæ fuerit ultioni obnoxius. Tale est quod monachi quidã Romanarũ impietatũ defensores pro suggestu ad miserũ & seductũ populum uociferãt: Manete in obedientia Romanæ sedis, & traditionibus maiorũ nostrorũ, nec timeatis uobis de ira & indignatione Dei. Animas nostras pro uobis oppignoramus. In nos recipimus qcquid timendũ uidetur, uos estote securi. Huiusmodi seductores & seipsos perditioni deuouent, & plebẽ seductã perdunt: quæ meritò condemnabil propterea, ꝙ impostoris monachorum magis quàm uerbo Dei credit.

Et abijt, & accepit & attulit matri suæ.] Obsequitur matri. Quæritur, potuerit ne hoc bona facere cum conscientia. Respondeo: Obediuit matri haud contra conscientiã faciens, sed credens uerbis eius, magis ꝙ timori suo obsequẽs. Sciebat causam hanc geri consilio Dei, & ad illud quasi scopũ quendã, collimare matrẽ: tantũ timebat, ne nõ satis securè posset falli pater. Quoniã hunc timorẽ ipsi mater exemit, nihil iam erat quod conscientiã ipsius remoraretur. Quare bona cum conscientia & securus consilio matris
OBSER. acquieuit. Cauendum tamen est, ne factũ hoc Iacob trahatur in exemplum. Quod hic gestum est, singulari quadam diuinæ uoluntatis ac dispositionis prærogatiua excusatur. Aliàs non mox excusabile est, si filius matri quauis in causa ad impostoram patri struendam seruiat.

Et fecit mater eius cibos, qũo affectabat pater eius.] Bonum erat, ꝙ Ribkah nouerat coquendo uoluntati mariti sui seruire. Fecerat hoc antea sæpius. Hactenus sit exemplum honestarũ coniugum, quarũ est, accõmodare se uoluntati & moribus maritorum suorum. Hisce limitibus consistant, nec ad ulteriora Ribkæ facta progrediantur, nisi quemadmodum illa, sic & ipsæ spiritu ac uerbo Dei ducantur.

Et accepit Ribkah uestes Esau filij sui maioris preciosas, quas domi secũ habebat, & induit Iacob filium suum minorem. Et pelliculis hœdorum amicuit manus eius, & molliciem colli eius, ac dedit cibos & panem, quos parauerat in manus Iacob filij sui.] Apparet industriam hanc Ribkæ Mosi uiro Dei admodum placuisse. Sic enim illam describit, ut liquidum sit, fuisse illum commemoratione eius delectatum. Considerandum in ea proponere uoluit opus fidei, uerbo Dei nitentis.

Quoniã Iacob metuebat, ne palparetur à patre, & dignosceretur, propterea quòd Esau pilosus, ipse uerò leuis esset, excogitauit Ribkah rationes, quibus etiã contrectans & palpans Isaac falleretur. Hoc consilio induit Iacobum uestibus Esau, & cutem manuum ac colli eius pellibus hœdorũ amiciuit, quorum contrectatio hirtam, qualis erat Esau, cutem repræsentaret.

Iudæi, cõmemorante Hieronymo, sentiunt primogenitos ante legẽ fuisse sacerdotes. Et ob hanc causam arbitrantur preciosis hisce uestibus, quarum meminit Moses, usum fuisse Esau, propter sacerdotij dignitatẽ, cũ sacrificia Domino offerret. Est hæc opinio incerta. Erat Esau primogenitus, & Isaaco patri charus. Quid igitur mirum, si nomine primogenituræ preciosius uestitus fuit?

De illo forsan quçrierit quisq̃, quare uestes Esau fuerint in custodia matris, cũ haberet uxores? Meo iudicio quoniã duxerat uxores illas de quib. suprà est facta mentio, citra mentẽ parentũ, prçcipuç matris, fuerunt illis hæc preciosa uestimenta studio à Ribkah denegata. Seruauit forsan ea mater in hosce usus.

Illud, Et dedit cibos & panem quos paraverat, sic est positum, ut appareat Ribkam non solum cibos ex hœdis, sed & panem subcinericium, tanquam delicatiorem, parasse. In Hebræo est אשר עשתה quod in singulari, Quẽ fecerat: uel in plurali, Quos fecerat, uerti potest, ut uel ad utroscp, cibos uidelicet & panem, uel ad panem tantum uerbum faciendi referas.

OBSER. Cogiter diligens lector de hac metamorphosi, qua Iacob, homo leuis cutis, transfiguratur in Esau, non ut esset Esau, sed ut repræsentatione illius falleret parentẽ, & benedictionẽ primogenituræ debitã surripuraretur. Concurrunt hic quædam in speciem illicita. Primùm, ꝙ mater filiũ suum aliter figurat, ꝗ natura erat cõparatus. Secundũ, ꝙ hoc facit ad fallendum maritũ, & nocendum alteri filio. Tertiò, quod ad id instituti usurpat uestes Esau, ad ipsius detrimentũ. Hæc omnia, & quæ præterea expendi possunt, in se cõsiderata admodũ sunt reprehensibilia. Verum si accesserit diuina uoluntas ex ipsius uerbo intelle cta, tam abest ut sint reprehendenda, ut magis laudem & admirationẽ mereant. Admonemur qũo sint facta hominũ nõ secundum externã faciẽ, sed magis secundum animi consilium & rationem iudicanda.

Et uenit ad patrem suum, & dixit: Pater mi. Et ait: Ecce ego. Quis tu, es fili mi?] Pater non agnoscit uocem filij sui. Senex ac cæcutiens iacebat in lecto, senio quasi somno quodã obsoporatus. Quare interrogat dicens: Quis tu es, fili mi? Vocat filiũ suũ, propterea ꝙ audierat uocẽ hãc אבי, id est, Pater mi. Dudio procul solebat ab omnibus domesticis patris uocabulo appellari, & ipse suos uicissim filios uocabat. De filio suo Esau suspicari nõ poterat, quòd hunc in campo esse, gratia uenandi, existimaret, & de Iacobo cogitandi nulla ratione permoueretur. Cogitemus hic de eo, qũo sensus hominis per senium hebetentur, ut pater uocem filiorum suorum, alioqui notissimã, non cognoscat, nisi diligenter animaduertat. Tali animo quid nã ad hoc seculũ pertinens saluũ permanet, cui etiã uox filij alienatur & incognita redditur?

Et dixit

Et dixit Iacob ad patrem suum, Ego sum Esau primogenitus tuus. Feci quemadmodum dixisti ad me, surge, quæso sede, & comede de uenatione mea, ut benedicat me anima tua.] De uno interrogatus tria respõdet. Interrogatus quisnã ipse sit, respondet se esse Esau primogenitũ ipsius. Deinde addit, qd fecerit: tertiò qd pater ipse facere debeat. Per duo priora uiã sibi parat ad tertiũ, ꝓpter qd acquirendũ uenerat. Ad acqrendũ benedictionẽ patris sciebat plurimũ apud illũ referre, qsnã esse, & qd fecisse uideret. Destinauerat enim ille benedictionem suam haud cuilibet, sed Esau primogenito suo: idq; ea conditione, ut uenatũ abiret, & de uenatione sua cibos ad ipsum adferret, quibus delectari consueuerat. Hanc ob causam, simulat se esse Esau, & dicit se fecisse secundum ipsius uerbum: ac tum de tertio subiungit, dicens: Surge, quæso, sede, & comede de uenatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Quasi dicat: Sicuti promisisti. Ex eo quod dicit, surge quæso, sede & comede: innuit decubuisse eũ lecto, senio uidelicet debilitatũ & cõfectũ.

Laborant hic nonnulli, quomodo defendi possit, quòd Iacob patri mentitur dicens, esse se Esau, ac fecisse iuxta quod ipsi mandauerit. Verùm quemadmodũ suprà memini, ꝺd hic à Ribkah & Iacob gestũ est, singulari quadã diuinæ dispositionis ac uolũtatis prærogatiua, ne culpabile sit, defendi. Quare nõ est opus, ut negemus admissum hic esse mendaciũ & impostură, sicuti nõnulli faciũt. Licet eñ Iacobo iure diuino debebat benedictio primogenituræ, qua Isaac maiorẽ filiũ suũ Esau benedicere uolebat, atq; ita ueraciter dicere posset Iacob, Ego sum primogenitus tuus: illud tñ alienũ à uero erat quod dicebat, Ego sum Esau. Item, feci quemadmodũ dixisti ad me. Neq; eñ Esau erat, nec fuerat ipsi pater de uenatione loquutus, neq; fecerat ipse ꝺd pater ad Esau dixerat. Conuincitur ergo hoc exemplo, non esse quæuis mendaciorum & impostturarum genera damnanda qua de re suprà alicubi diximus. OBSER. *Vide 22. quæst. cap. Quæritur.*

Illud hic obseruandum fuerit. Non dicit simpliciter, Ego sum Esau primogenitus tuus, benedic mihi: sed addit, Feci quemadmodũ dixisti ad me. Paternã benedictionẽ meret, qui nõ solũ filius est natura, sed & uerbo patris obtẽperat. Assumpti sumus in numerũ filiorũ Dei, ut cœlestiũ simus benedictionũ participes. Magna est hæc dignitas: uerùm nisi accesserit obediẽtia filiorũ Dei, qua uerbo illius obtemperemus, haud quaq; digni erimus q benedictione filiorũ Dei potiamur. OBSER.

Et dixit Isaac ad filium suum: Quid hoc est? festinasti ad inueniendum, fili mi?] Ribkah, metuens ne præueniret Esau & benedictionẽ ꝓmissam præriperet, omnia ꝓperantius perfecit q̃ res ipsa ferebat. Quare Isaac occasione festinationis huius motus, nõnihil dubitare incipit, esset ne Esau q loquebat, & eduliũ adferẽs benedictionẽ ambibat. Sic dicit: Quid hoc est? festinasti ad inueniendũ, fili mi. Non dicit, Impossibile est, ut tã citò possit mihi adferri ꝺd peto: sed cũ admiratione ac dubitatione, Quid hoc est? inquit, festinasti ad inueniendum fili mi. Non conueuerat Esau tã citò redire de uenatione. Insolita illa festinantia uiro primã dubitãdi occasionẽ obiecit. Vocis enim dissimilitudinẽ nõ obseruauerat. *Et dixit: Quoniam occurrere fecit Dñs Deus tuus ante faciẽ meam.*] Satis astutũ responsum, ꝓ simplicitate hominis. Sciebat patrẽ plurimũ tribuere ꝓuidentiæ Dei, cuius erga se multa ceperat experimẽta. Ideo ad huius prętextũ cõfugit. Nec simpliciter dicit, Dñs Deus fecit occurrere: sed, Dñs Deus tuus fecit occurrere. Quasi dicat: Quid interrogas? Nosti prouidentiam Dñi Dei tui erga te. Dñs ostendit consuetã suam erga te gratiã. Si homo impius in causa malicioſa ꝓuidentiã Dei fraudi suæ uel temeritati prætexat, maximũ fuerit peccatũ. Verũ secus censendũ est de pijs, q hoc non faciunt, nisi in causa iusta & æqua, quam alioqui consilio & dispositione Dei geri sciunt. OBSER.

Et ait Isaac ad Iacob: Accede quæso, ut tangam te fili mi, num tu sis ille filius meus Esau, an non. Et accessit Iacob ad Isaac patrem suum, & contrectauit eum, & dixit: Vox, uox Iacob & manus ambæ manus sunt Esau. Et non cognouit eum, quoniam erant manus eius sicut manus Esau fratris eius pilosæ, & benedixit ei.] Timet Isaac, ne cæcutienti sibi imponatur. Timorem hunc arguit, quod non credit uerbis Iacob, dicentis se esse Esau, sed palpando certior fieri cupit. Si uerbis illius credidisset, experimentum eius quod credidisset haudquaq; contrectando capere uoluisset. Dubitationem hanc ex uoce loquentis concepit, quæ non Esau, sed Iacobi esse uidebatur. Hinc motus dicit: Accede quæso ut tangã te, fili mi, num tu sis ille filius meus Esau, an non. Futurũ hoc timebat Iacob, cũ diceret matri: Esau frater meus uir est pilosus, ego uerò uir lenis. Forsasis attrectabit me pater meus &c. Verùm instructus à matre, & animatus fide diuinæ prouidentiæ, securus accedit ad patrem, seq; illi contrectandum præbet.

Et dixit: Vox, uox Iacob, & manus ambæ. (est eñ in Ebræo ידיים) *manus sunt Esau.*] De uoce non cogitauerat Iacob. Dubio procul ut hirsutus erat Esau, ita & crassiore erat uoce. Discrimen hoc obseruauit quidem Isaac, uerùm quoniam hirtæ manus erant, certius uidebatur experimentum ex illis capi posse ꝙ Esau esset, q̃ ex uoce ꝙ esset. Iacob. Est enim facilis mutatio uocis. Ideo dicit Moses: Et non cognouit eum, ꝙ uidelicet Iacob esset, quamuis uox esset uox Iacob, propterea ꝙ manus pilosæ erãt, sicut manus Esau. Illud, Et benedixit ei, non est intelligendũ de benedictione quã postea contulit Iacobo, sed de salutatione, ut, Benedixit ei, idem sit, quod salutauit eum. Quare non est opus ut cũ Lyrano exponamus, Et benedicens ei: id est, & benedicere uolens.

Sunt quædam hic consideranda. Accede quæso, inquit, ut tangam te, fili mi, num tu sis ille filius meus Esau, an non. Poterat Deus causam hanc sic disponere, ut Isaac uerbis Iacob statim sine ulla contrectatione crederet. Verùm placuit illi ut Ribkah & Iacob prudenter agerent, quoad eius possent: & Isaac non simplici uerbo ad credendum induceretur, sed contrectando certum ueritatis experimentum quæreret, & tamen non inueniret. Sic solet consilia sua ueluti sub laruis humanorum studiorum ad consultũ finem perducere, & subinde manifestis exemplis ostendere primũ q̃ nõ displiceat sibi, si sancti homines operib. fidei quib. sibi secundũ consiliũ uolũtatis suę cooperãt, studia prudẽtię & industrię suę adhi- OBSER.

beant, quemadmodum hoc loco fecerũt Ribkah & Iacob: deinde, q̃ nõ ualeat quicq̃ humana cautio aduersus cõsilij sui propositum. cuius rei documentum hic proponitur in Isaaco, qui quamuis benedictionem suam non temerè, sed cautè dispensare uellet, ne deceptus pro Esau benediceret Iacobum, ne palpãdo quidem & contrectãdo cauere potuit, quin deciperet. Immo hoc ipso cautionis genere deceptus est, quo deceptionem certius cauere uolebat. Dicebat, Vox, uox Iacob, manus uerò manus sunt Esau. Cur ergo non magis uocis quàm manuum testimonio credidit? Vox non decipiebat, decipiebant uerò manus, quæ ad impostura erant instructæ. Sic igitur disponebantur ista diuinitus, ut ostenderetur, ibi nostra nos ipsorum sapientia potissimum falli, ubi aduersus consilia Dei omnium nos cautissimè age-

OBSER. re putamus. Vox, inquit, uox Iacob. Atqui non dixerat Iacob, Ego sum Iacob: sed, Ego sum Esau. Quomodo igitur uox ista erat uox Iacob quæ nõ Iacobũ, sed Esau sonabat? Aliud est uox sonãs, & aliud uerbum quod articulato uocis sonitu profertur. Vocis ex ore hominũ sonantis innumerabilis est uarietas, qua fit ut à cæcis quoq; loquentium possit haberi discretio, unde cognoscant, qui nam sint loquentes, etiamsi à pluribus eadem uerba proferantur. Sic Esau quoq; & Iacob, non corpore tantum, sed & uoce à seinuicem uariabant. Discrepantiam hanc uocis notat Isaac dicens: Vox, uox Iacob est. Ergo in sermone Iacob uariabant à se inuicem, uox sonans, & uerbum prolatum. Vox indicabat Iacobum, uerbum uerò simulabat Esau. Ita ad cognitionem loquentis refert non solum quid, sed & quomodo dicatur. Simulabat Iacob fratrem suũ Esau uerbis & manibus & uestitu, coram Isaaco patre cæcutiente, quãdoquidem hoc illi nomine sese cõmendare uolebat, quod uideretur esse Esau: uerùm quod in uoce habebat proprium, sic retinebat, ut inde cognosci posset quod non Esau esset, sed Iacob. Ad hoc mihi uidetur accedere exemplum hoc nostro seculo pij quidem, uerùm iuxtà infirmi homines, qui dum principibus Christianis in errore constitutis, & Esau magis quàm Iacobum diligentibus, hoc est magis consuetæ superstitioni in causa religionis quàm uerbo Dei indulgentibus, approbare sese uolunt, uerba quidẽ ad ipsorum placitum trãsformant, uerùm quod in uoce germanum habent, sic retinent, ut manifestum sit, non esse ueritatem quod loquuntur, sed simulationem: hoc est pertinere se non ad numerum superstitiosorum, sed eorum potius qui ueritatem Dei nouerunt, & in corne conditam seruant. Tale quid factum est in Comitijs Imp. anno 1548, in quibus plerique gratiam mundanæ potestatis ambire, uel indignationem illius effugere uolentes, uerbis quidem sonabant Interim, uoce uerò & qualitate sermonis Euangelium, quod fouebant in corde, ut & illis dici potuerit: Vox quidem uox est Euangelicorum, uerba uerò & manus sunt Interimistarum. Non potest in uniuersum omnis abnegari eorum qua- B litas, qui ueritatẽ Dei cognouerunt, ut non aliquo indicio quales sint corde prodatur, quantumuis uerbis & factis diuersum simulent. Verùm quod à Iacob factũ est, factũ istorũ hominum haudquaq; excusat. Ille consilio & oraculo Dei nitebat, isti uerò consilijs carnis usi fucũ mundanæ potestati ad tempus facientes ea simularunt, quorum non res modò, sed & species Christianis est hominibus fugienda.

OBSER. Vox, inquit, uox Iacob, manus uerò manus sunt Esau. Quatenus uerbum uox dicitur, & manus appellatione opus manuum intelligitur, conuenit ista sententia illis quoq; hominibus, qui uerbis sonant Christianos, opere uerò exprimunt ethnicos. Et illi diuersum faciunt ab eo quod se esse dicunt. Vox simulat Iacobum, manus comprobant Esaũ.

Et dixit: Tu es ille filius meus Esau. Et ait: Ego sum. Et dixit: Adfer mihi ut comedam de uenatione fili mi, & benedicat tibi anima mea.] Quamuis contrectando manus pilosas nonnihil factus esset securior, nondum tamen in uniuersum assentitur, sed adhuc semel percontatur dicens: Tu es ille filius meus Esau? Iudicabat fieri non posse, ut si Esau non esset, secundò se hunc esse affirmaret. Quare cogitabat illi acquiescere,

OBSER. si constanter adhuc diceret, Ego sum Esau. Vides hic ingenium bonorum hominum, qui licet meruant ne seducantur, secunda tamen affirmatione ad consentiendum permouentur. Sic Isaac hoc loco, cum Iacob respondisset, Ego sum: statim subiungit, Adfer mihi ut comedã de uenatione, fili mi. Vulgata latina habet, De uenatione tua. Sic & Sept. illud, Fili mi, בנ uertunt alij, Filij mei, quemadmodum & Chald. habet דברי, id est, filij mei.

Obserua temperantiam senis. Quamuis audiret adesse cibos expetitos, haud tñ sic illis inhiat, ut non prius experiatur quis nam sit ille qui eos offert. Nolebat eos à quoquam alio quàm à filio suo Esau accipere. Quare primam curam in id impendit, ut experiatur quis nam sibi loquatur, & cibos adferat, Esau ne uel Iacob. Cautionem hanc intemperantia temeritatis magistra neglexisset.

Et obtulit ei, & comedit: & attulit ei uinum, & bibit.] Ergo quod ex hœdis coctum erat pro edulio, quo ex carnibus ferinis cum delectatione uesci consueuerat, absq; ulla animaduersione comedit.

OBSER. Quare non fuerat opus propter uenationem singulari fauore complecti uenatorem, & cupidius ferina edulia expetere, quãquidem Ribkah ex hœdis, quorum copiam habebat in promptu, eiusmodi appetitui satisfacere poterat. Sic frequenter accidit ut opinione rerũ magis quàm rebus ipsis ducamur.

Et dixit ad eum Isaac pater ipsius: Accede quæso & osculare me, fili mi. Et accessit, & osculatus est eum.] Osculandi usus apud illos populos multus fuit. Osculo accipiebant uenientes, & dimittebãt abeuntes. Sic sanctè quoq; symbolo hoc amicitiæ usi sunt. Et Iacob iste, cum benedicere uellet filios Ioseph, primum illos ad se applicuit & osculatus est, infrà cap. 48. Sic fecit hic etiam pater eius Isaac, priusquam illi benediceret. *Et odoratus est odorem uestimentorum eius, & benedixit ei, ac dixit: Ecce odor filij mei sicut odor agri cui benedixit Dominus.*] Sept. habent, Sicut odor agri pleni, quemadmodum & uulgata latina. Considerandum est hoc loco, quomodo benedictionem hanc ordiatur

Isaac.

Et odoratus est odorē uestimentorū eius, & benedixit ei ac dixit: Ecce odor filij mei sicut odor agri cui benedixit Dñs. Sept. habēt, ſicut odor agri pleni, quemadmodū & uulgata latina. Cōſiderandū eſt hoc loco, quō benedictionē hanc ordiat Iſaac. Dixerat, Vt benedicat tibi anima mea. Aliud eſt, ore tm̄: & aliud, ex animo cuipiā benedicere. Ordit hāc benedictionē alacri, gratulabūdo & exhilarato ſpiritu, q̄ plus habeat efficaciæ, luefficax benedictio eſt, quæ uerbis tm̄ frigidè ac perfunctoriè proferī. Iſaac ut filiū ſuū ex animo benediceret, præmittere quædā uoluit, unde ad id operis animaretur & excitaretur. Hoc propoſito uoluit primùm ueſci edulijs ferinis quibus delectabatur, ut exhilaratus filium ſuum benediceret. Sic pererat ab illo, ut ſe oſcularetur, quo ſymbolo quoq; dilectionis ſpiritus ipſius ad benedicendum paſcentē ſe & oſculantem filium illiceretur. Huc faciebat etiam fragrantia ueſtimentorum Eſau, quibus Iacob induſtria materna indutus. Quare exhilaratus alacri ſpiritu exorditur ſumpto benedictionis initio ex occaſione odoris quem ueſtes Eſau ſpirabant, de quo, qualis nam fuerit, nō eſt anxiè quærendum. Nos hinc admonemur, dignos eſſe benedictione paterna, qui parentes ſuos ex animo colunt, paſcunt, diligunt & exhilarant: ſecus uerò, qui ſpiritum illorum contriſtant. OBSER.

Ecce odor filij mei, inquit, ſicut odor agri cui benedixit Dñs. Iucūdiſſima eſt fertilis agri tam ad meſſem maturi q̄ adhuc florentis fragrantia. Eam tribuit uir pius diuinę benedictioni non dicens, Quem ſe mimauit agricola: ſed, Cui benedixit Dominus, hoc eſt, uirtute incrementi ſui uberem ac fertilem reddidit. Spiritus uerborum iſtorum eſt: Quemadmodum ager benedictione Dei fœcundatur, & odoriferus redditur, ita & filius meus omnis generis opibus benedictione Dei cumulatus, honoris & magnificentiæ fragrantiam ſpirabit, ut rectè ipſi ueſtis hæc tam bonæ fragrantiæ competat. Ad hunc ſcopum ſequentia collimant.

Rectè ergo amictu ueſtiuntur odoro, quos Dominus inſtar agri frugiferi benedictione ſua locupletes, magnificos, potentes & honoratos reddit, ut poſsint de illis dicere ſubditi: Ecce odor Principis noſtri ſicut odor agri cui benedixit Dñs. Verùm ab hac gratulatione alieni ſunt, quib. opes & potentia ex rapinis & malis artibus accreuerunt, quantumuis magnam ueſtimentorum fragrantiam ſpirent. OBSER.

Et det tibi Deus de rore cœli & de pinguedinibus terræ & copiam frumenti ac musti.] Septuaginta & uulgata latina habent in ſingulari, De pinguedine terræ. Vulgata latina addit de ſuo, Et olei. Principiò apprecatur illis opes ex ubertate telluris prouenientes. Per rorem cœli intelligit & rorem & pluuiam cœleſtem, unde tellus irrigatur & fœcundatur. Pinguedo terræ eſt, ſiue fertilitas ipſa, ſiue quicquid ex illa naſcitur uſibus humanis accommodum, uel ſpecialiter hic pinguedines terræ mel ex apibus, oleum ex oliuis, lac & butyrum ex armentis intelligit, unde ſeparatim addit, Et frumenti ac muſti copiam. Hæc omnia ex ubertate terræ proueniūt. Obſerua hic quales Iſaac filio ſuo diuitias apprecetur. ſanctas uidelicet, quales fuerunt maiorum ipſius, honeſtas, inuocuas, uſibusq; humanis accommodas ac ſufficientes, & in ſumma tales, quæ ex benedictione cœleſti proueniant, de quibus dici poſsit, q̄ datæ ſint à Deo, & quæ bona fiducia à Deo peti queant. Agnoſcenda igitur eſt benedictio Dñi, qū tellus cœlitus fœcunda copiā, pfert frumēti ac uini. Et utinā intelligat hoc præſens noſtrū ſeculū, & donis Dei cōpetenter & cū gratiarū actione nō ad crapulā, luxū, & ebrietatē, ſed ad naturæ neceſsitatē & recreationē utatur. Verū ſic ſunt ætatis noſtræ mores, ut nō uideā qūo cordatus homo filijs ſuis hāc poſsit ubertatē, præſertim uini, ad exemplū hoc Iſaaci, apprecari. OBSER.

Seruient tibi populi, & incuruentur tibi tribus, eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur tibi filij matris tuæ.] Interpres latinus uerbū, ישתחו, amans uariationis incon ſtanter primū adorādi, deinde incuruādi uerbo reddidit. Sept. quod in Ebræo eſt לאמים uerterūt ἀρχοντες, id eſt, principes: & illud, Eſto Dñs fratrū tuorū, reddiderūt in ſingulari, Eſto Dñs fratris tui. & quod ſequit, Incuruent tibi filij matris tuæ, illi uerterunt, Filij patris tui. Chaldęus uocē אלמים uertit regna. Pertinet hæc benedictionis pars ad prærogatiuā dominij. Subijcit Iacobo nō ſolū Eſau fratrē ipſius, ſecundū oraculū Dei, & poſteros illius Edomitas, quos uocat filios matris ipſius: ſed & alios populos, utpote Iſmaelitas, Ammonitas, Moabitas, Amorreos, Iebuſæos, &c. quos uocat עמים & לאמים.

Targum Hieroſolymitanum ſic paraphraſticando expoſuit: יפלחון קדמך ארמייה כל בנוי דעשו וישתעבדון לך כל גלגיא בנוי כל דישמעאל חרי רב רשליט על בני קטורה יחון מקדמין ושלים בשלמך כל בנוי דלבן אחוהי דאבוך. id eſt. Seruiant corā te populi omniū filiorū Eſau, & ſubijciant tibi omnia regna omniū filiorū Iſmaelis (nō q̄ ſimul multa fuerint Iſmaelitarū regna, ſed loquit de unius regni uicibus, quæ propter multos reges ſibi inuicē ſuccedentes, multa regna conſtituerūt) ſis Dñs & princeps ſuper filios Keturæ, ambiāt & petant pacē tuā omnes filij Laban fratris matris tuæ. Textus nihil habet ſpecificationis, ſed in genere populos & cognatos ſubijcit dominio Iacob. Rem eandem bis dicit. Idem enim eſt ſeruire & incuruari, quemadmodum & populi & tribus. Deinde ijdem ſunt fratres & filij matris. Sunt iſta implera ſub regibus Dauide & ſequentibus aliquot, ſicut & ſuprà memini.

Maledicens tibi maledicatur, & benedicens tibi benedicatur.] In Ebræo eſt ארריך, id eſt, maledicentes tibi. Verūm iod abundat. Sequitur enim, Maledictus ſit, & benedicens tibi, benedictus. Forſan Septuaginta & hic & ſuprà neglexerunt literā iod tanquam ſuperuacaneam. Quemadmodum enim hic, ita & ſuprà illud, Et eſto dominus fratrum tuorum, reddiderunt in ſingulari, Et eſto dominus fratris tui. Hac particula reſpexit Iſaac ad id quod patri ipſius Abrahæ ſuprà capite 12. conſimiliter dictum fuerat: ubi quid ſit annotandum, uidere licet. Hactenus expoſuit Moſes benedictionem Iſaac, qua filium ſuum Iacob per imprudentiam benedixit. Nobis hic animaduertendum eſt, quàm ſit mirabili conſilio Dei factum, ut ſanctus patriarcha pio ſtudio Ribkæ ſeductus benedictionem ueram & efficacem, OBSER.

cacem,& ex fide productam,ſicuti Apoſtolus Ebr.11. meminit, non ſolum apprecationis,ſed & uaticinij modo effuderit in Iacobum,putans ſe benedicere Eſau.Videmus in hoc exemplo fieri poſſe,ut de futuris certa prædicat,qui præſentia nõ intelligit.Benedictio iſta in multa ſecula extenditur. De rebus magnis poſt ſecula multa futuris uaticinatur Iſaac, & in præſentibus, coràm conſtitutis uſqadeò errat, ut iuniorem filiũ pro maiore benedicat:& quem ſe benedicere putat,iuniori loco ſerui ſubijciat, immo maledictioni obnoxium reddat dicens,Maledicens tibi ſit maledictus.Dum enim Eſau Iacobo inimicatur, & mortem intentat,ſicut infrà memoratur,utiq; non benedicit, ſed maledicit illi, atq; ita illis ipſis uerbis quibus opinione patris benedicitur, redditur maledictus. Sic manifeſtum redditur errorem habere locum non ſolum in uaticinantis,ſed & ex fide benedicentis animo.Sclebat Iſaac iſta competere ſemini ſuo,ſecundũ præcedentium promiſsionũ ueritatem,quare potuit illa filio ſuo ex fide & ueraciter benedicendo apprecari. Et hactenus ſecundum Apoſtoli ſententiam ex fide de rebus futuris benedictionem hanc protulit. In eo uerò errabat, primùm quòd iudicabat primogenito ſuo Eſau promiſsiones Dei competere,cum eſſet Deo odibilis,deinde quòd Iacobum putabat eſſe Eſau.

Et factum eſt cum conſummaſſet Iſaac benedictionem Iacob,& factum eſt cum uix exeundo egreſſus eſſet Iacob à facie Iſaac patris ſui,Eſau frater eius uenit de uenatione ſua,& fecit etiam ipſe cibos,& attulit patri ſuo.] Illud,Et factum eſt,in Ebræo quemadmodum & in uerſione Sept. & paraphraſi Chaldæa bis ponitur, quare eam lectionem retinuimus, licet uulgata latina ne ſemel quidem poſuerit. Haud uerò caret emphaſi. Voluit enim Moſes attentum reddere lectorem huiuſmodi ingeminatione, ac ſimul exprimere q̃ expeditè cum Iacobo egerit diuina prouidentia,cauſam hanc ſic diſponens, ut priusq̃ Eſau quantumuis feſtinans,à uenatione ſua reuerteretur, ipſe perfecto negocio ſuo à patre eſſet digreſſus. Admodum properauerat Eſau,tamq; citò reuertebatur,ut periculum eſſet ne Iacobum in ipſo negocio apud patrẽ offenderet.Hoc ſignificans Moſes,bis dicit, Et factum eſt:item,non ſimpliciter, Cum egreſſus eſſet:ſed, Cum tantum egrediundo egreſſus eſſet Iacob,hoc eſt, cum uix eſſet celeriter egrediendo egreſſus, uenit Eſau,&c.Vocula tantum,אך, poſita eſt ad hoc ut ſignificet haud fuiſſe datum Iacobo pluſculum morq̃ ut à facie patris properãter egrederetur,& iamiam fuiſſe egreſſum illum,cum Eſau rediret à uenatione.Nos Germani hac loquutione utimur dicentes,*Er iſt nur bloß hinauß gangen.*

OBSER. Admonemur hoc loco,q̃ uigilanter ſuos cuſtodiat Deus,ne ab improbis,quamuis properantibus, deprehenſi in diſcrimina conijciantur.Sic dirigit cauſas ſuorum,ut quod ſecundum uerbum ipſius ex fide obeunt, feliciter perficiant: & ſi quid illis periculi poteſt accidere, in tempore euadant. Huic cuſtodiæ Dei ſeruiuit diligentia Rubkæ.

OBSER. *Et dixit patri ſuo: Surgat pater meus, & comedat de uenatione filij ſui ut benedicat mihi anima tua.*] Vulgata latina negligentius habet ad hunc modũ:Surge pater mi,& comede de uenatione filij tui. Verùm in Ebræo,& Sept.& Chald. habetur quemadmodum uertimus: Surgat pater meus, & comedat de uenatione filij ſui. Quare obſeruandum hic uenit, q̃ diſsimiliter patrem ſuum alloquuti ſint Eſau & Iacob.Iacob aliquanto humanius,& cum maiore reuerentia cum ingreſſus eſſet ad patrem,dicebat,Pater mi.Eſau uerò paterna hac appellatione omiſſa,confeſtim,Surgat,inquit,pater meus.Iacob nõ dicit,Surgat pater meus.ſed cum obſecratione,Surge,quæſo,inquit,& ſede. Eſau,Surgat,inquit, pater meus, & comedat de uenatione filij ſui. Iacob ſimplicius, Et comede,inquit,de uenatione mea. Varietas iſta loquendi cum patre arguit ingeniorum & morum uarietatem.Erat Eſau ſpiritu elatiore ac ferociore,Iacob uerò humaniore ac ſubmiſsiore. Admonemur hoc exemplo quàm ſit difficile mores & ingenium non prodere uerbo.

Et ait illi Iſaac pater eius: Quis tu?] Quoniam putabat ſe iam de uenatione Eſau primogeniti ſui comediſſe,illiq; benedixiſſe,hac opinione occupatus non animaduertit uocem illius,quam alioqui facile cognoſcere poterat.ideo interrogat dicens,Quis tu?

Et dixit:Ego ſum filius tuus primogenitus Eſau.] Verum dicebat quatenus dicebat ſe eſſe Eſau, ipſius filiũ. Verùm quod addit,Primogenitus tuus, non erat uerum.Nam licet natiuitate eſſet primogenitus,electione tamen Dei erat non ipſe,ſed Iacob primogenitus. Deinde uendiderat etiam primogenituram ſuã, idq; iureiurando.Quare uox iſta non ſolum falſa erat,ſed & periurio obnoxia.

Et expauit Iſaac pauore magno ualde,& dixit:Quis nunc ille eſt,qui uenatus uenationẽ attulit mihi,& comedi de omnibus priuſquàm uenires,& benedixi ei,erit etiam benedictus.] Vulgata latina de ſuo adijcit, Et ultrà quàm credi poteſt admirans,quæ in Ebræo non habentur.Illud, Quis nunc ille eſt, in Ebræo ſic legitur, מי אפוא הוא, Chald. מן הוא דיבי, id eſt, Quis hic ille eſt? Ex noſtris uertunt aliqui uoculam אפוא hoc loco, ubi,& ſic reddunt,Quis ubi eſt ille qui uenationem, &c. Verùm cum uocula illa non ſolum pro ubi,ſed & pro,nunc,in ſcripturis poſita reperiatur,uertendum eſſe putaui, Quis nunc ille eſt? Qui uenatus uenationem attulit mihi. Vulgata latina habet: Qui dudum captam uenationem, &c. Vocula, dudum,non eſt in Ebræo,nec in Chaldæo,nec in uerſione Sept.& præterea præcedenti narrationi repugnat.Illud,Erit etiam benedictus,Septuag. uerterũt,Et ſit benedictus.Expauit Iſaac uehemẽter,ubi ex uoce & uerbo cognouit filiũ ſuũ Eſau iã primũ de uenatione reuerſum ad ſe uenire. Hinc eñ intellexit, eſſe ſibi impoſitum ab eo quem paulo antè loco Eſau benedixerat, id quod pauorem ipſi duplici nomine incutiebat. Primùm, quòd benedictionem ſuam tranſtuliſſet in alium, quam filio ſuo Eſau deſtinauerat. Deinde quòd primogenitum ſuum Eſau dominio eius cui benedixerat, dictis uerbis ſubiecerat. Quod autem non dicit, Iacob attulit mihi,& comedi, &c. ſed, Quis nunc ille eſt, qui uenatus uenationem

uenationē attulit mihi, &c. ex eo eſt, q̄ ſtupore impeditus nondū recollegerat ſe, ut de Iacobo cogitaret, ſicuti ſtatim poſtea fecit, dicēs: Venit frater tuus fraudulenter, &c. Obſerua genus hoc pauoris. Expauit Iſaac, inquit, pauore magno ualde. Si ueritatē diuinæ uoluntatis cognouiſſet, non fuiſſet locus pauori, ſed magis gaudio. Verùm quoniā nihil intelligit aliud, q̄ benedixiſſe ſe aliū q̄ nolebat, fruſtrà expauescit. Vides exemplū pauoris ex errore & falſa opinione nati. Et illud obſerua, q̄d dicit, Erit etiā benedictus. Nō quærimus hic, quō benedictus eſſe potuerit, qui benedictionē patris fraudulēter in detrimentū fratris eſt ſuſſuratus. Etenim quæſtioni huic ſatisfacit, q̄ ſcimus cōſilio & uolūtate Dei factū eſſe q̄d fecit Iacob. De illo uerò quærendū eſt, quō & unde cognouerit hoc & affirmauerit Iſaac q̄ rata futura eſſet benedictio, per errorē in aliū q̄ uellet trāslata. Meo iudicio, ſic fuit inter benedicendū affectus, ut quę apprecabat Iacobo, animo certo & fide indubitata ſit apprecatus, unde diuinū in ſe ſenſit afflatū & ex eo collegit, benedictionē hāc haudquaq̄ fore irritā. Hinc tñ nemo colligat, ſibi quoq̄ fore firma, quę uel ui uel fraude fuerit adeptus. *Cum audiſſet Eſau uerba patris ſui, clamauit clamore magno & amaro ualde, & dixit patri ſuo, Benedic mihi, etiam mihi pater mi.*] Illud, Et amaro ualde, latinus interpres uertit, Et conſternatus. Septuag. tñ uerterūt, καὶ ἐπιφάνη σφόδρα. Etiā mihi. In Hebr. eſt גַּם אֲנִי Nominatiuus poſitus eſt, p accuſatiuo, אֹתִי, id eſt, ego, pro אֹתִי, id eſt, me. Chald. habet אַף לִי, id eſt, etiā mihi. Sperauerat Eſau detrimentū q̄d acceperat ex uēditione primogenituræ poſſe ſe per benedictionē hāc patris reſarcire qc q̄d eſſet de iureiurādo q̄d interpoſuerat. Et eā ob cauſam auidiſſimus fuerat ad benedictionis huius conſequutionē. Quā aūt fuerat illius cupidus, tā reddit perturbatus, ubi eā ſibi ueluti è manibus ereptā eſſe ex patre intelligit, & hāc ob cauſam in clamorē tā ualidū & amarū parū uiriliter prorūpit. Deinde quo niam benedictionis huius conditionem homo ferox & agreſtis nō intelligebat, quòd uidelicet duobus fratribus ſimul conferri non poſſet, clamat dicens, Benedic mihi, etiam mihi pater mi.

QVAEST.

Obſerua ingenium hominis carnalis. Olim primogenita ſua uēdiderat, addito etiā iuramēto: & nūc rē cupidè expetit, quaſi q̄d olim abiurāuerat, per fauorē & zelū patris recuperare poſſit. Deinde ubi nō ſucceſsiſſe uidet, præter uirilis animi decorū tā acerba & impotēti uociferatione patrē ſenē ac debilē perturbat. Non recogitat præcedētia, unde facile de uoluntate Dei edoceri poterat. *Et dixit: Venit frater tuus aſtutè, & accepit benedictionem tuam.*] Illud, Aſtutè, in Hebr. eſt, בְּמִרְמָה, id eſt, in dolo, fraude, aſtutia. Chald. habet בְּחָכְמְתָא, id eſt, in ſapientia Et. R. Shlomoh exponit בְּחָכְמָה, id eſt, in ſapientia. Sept. habent: μετὰ δόλου, id eſt, cū dolo. Lyranus & ex Hebr. aliq̄t uoculā hāc in bonā partē uſurpāt hoc loco, ſentientes Iſaacum non accuſaſſe factū Iacobi nomine fraudulētiæ, ſed potius approbaſſe nomine ſapiētiæ & prudētiæ, eo q̄ iā uoluntatē Dei intelligere cœpiſſet Quicq̄d ſit de mēte Iſaaci, uox מִרְמָה dolum ſignificat & fraudē, & Iacob omnino uſus eſt dolo. Nō eſt aūt omnis dolus malitiæ dānandus, niſi damnari ſumus Apoſtolū q̄ 2. Cor. 12. dicit: Cū eſſem aſtutus, dolo uos cæpi. Iſaac igit, recogitās quę acciderāt, intellexit tandē impoſitū eſſe ſibi à Iacobo. Vide aūt q̄ cautè nō dicat, Venit filius meus Iacob, & decepit me: ſed, Venit frater tuus aſtutè, & accepit benedictionē tuā. Interpretat dolū Iacob nō eſſe aduerſum ſe tanq̄ parentē, ſed aduerſum Eſau, eo fine factū, ut benedictio illi auferret. Nec dicit, Et accepit benedictionē meā, uel tuā: ſed, Accepit benedictionē tuā, id eſt, ad te pertinentē, uel, tibi deſtinatā. Sic uidet mihi Iſaac quaſi adhuc pendere in æquilibrio & factū Iacobi nec dānare, nec ſatis cognoſcere.

OBSER.

Et ait: Num quia uocatur nomen eius Iacob, propterea ſupplantat me iam ſecundò?] In Hebr. eſt cōpoſita uocula הֲכִי, quam ſimpliciter ut ſonat nerti, num quia. Sic & infrà cap. 29. ponitur, ubi Labā ad Iacob dicit: הֲכִי אָחִי אַתָּה וְעָבַדְתַּנִי חִנָּם, id eſt, an q̄a frater meus es, propterea ſeruies mihi gratis? Chald. uertit per אֲרֵי, id eſt, rectè uocaſ nomē eius Iacob. Septuag. Δικαίως, id eſt, iuſtè, meritò. Et uulgata lat. Iuſtè uocatū eſt nomē eius Iacob. Monſt. Nā uerè uocatum eſt nomen eius Iacob. Illud, Propterea ſupplantat me iam ſecundò, Chaldæus neglecta ſignificatione nominis Iacob, & alluſione qua Eſau ad illud cū oppro brātione alludit, uertit. רַחְכְמְנִי, id eſt, aſtutè & callidè mecū agit. Sonat aūt uox Iacob, ſupplantatorē, de quo dictū eſt ſuprà cap. 25. Senſus uerborū eſt: Quid cauſæ aduerſum me habet, quòd me iam ſecundò ſupplantat? An quia uocatur Iacob, uult oſtendere haud eſſe fruſtra quod hoc nomine uocatur Iacob eſt nomine pariter & re.

OBSER.

Vides hic exemplū hominis alieni à cognitione diuinæ uoluntatis, & quæ diuino cōſilio fiūt ſiniſtrè interpretātis. Supplātabat à Iacobo iā ſecūdò nō hāc ob cauſam, q̄ is Iacob appellaret, ſed q̄ ipſe à Domino eſſet reprobatus, & dignitas primogenituræ pertineret diuino iure nō ad ipſum, ſed ad Iacob. Verùm iſta nec intelligebat, nec diſcere ſuſtinebat. *Primogenituram meam accepit, & ecce iam accepit & benedictionem meam.*] Quia dixerat propterea ſupplantat me iam ſecundò, adijcit iſta ſpecificandi & expo nendi gratia: Primogenitură meā, inqt, accepit. Hanc uocat primā ſupplantationē. Et ecce iā accepit etiā benedictionē meā. Iſtā uocat alterā. Atqui primogenitură ſuā uendiderat ipſe pro lentis edulio, & uendi ditionem eā interpoſito iureiurādo confirmauerat. Quare potius dicendū erat: Primogenitură mea ipſi meapte ſpōte iureiurādo uēdidi, & nūc meritò accepit benedictionē hāc, tanq̄ ad ipſum nō ad me pertinentē. Iſta dictaſſet ſenſus ęqtatis, uerū qm̄ totus adſpirabat ad benedictionē hāc patris, nō ſolū nō cogitat de facto ſuo, & iure fratris, ſed oēm culpā à ſe in illū reijcit. Iā ſecūdò inqt ſupplātat me. Si primę ſupplātationis ęqtatē iuramēto cōfirmatā agnouiſſet, & ad primogenituræ dignitatē fratri uēditā & à ſe cōreptā, ideoq̄ ad ſe nō pertinentē nō impiè & im, pbè uirtute paternę benedictionis adſpiraſſet, nō fuiſſet opus ſecūda ſupplātatione. Vides hoc exēplo ingeniū impiorū & re, pborū hominū, q̄ ubi bonis ad ipſos nō pertinētib. priuāt, clamāt ſpoliari ſe bonis ſuis. Spoliant q̄dē hodie plerique falſo Eccleſiaſtici dicti, uerùm

OBSER.

uerùm ſpolianſ bonis non ſuis, ſed Eccleſiarũ, quæ ad ſe nõ pertinentia uſurparũt. Clamãt ſe ſupplãtari, cũ ipſi ſint in cauſa. Deſierũt enim eſſe miniſtri Eccleſiæ, eãq; dignitatem ſtudio uẽtris ac ſeculi contẽpſerũt ac prophanarũt, factiq; ſunt ſal inſipidus. Itaq; ſua ipſorũ culpa meritò ſecundũ cõminationẽ Seruatoris foràs proijciunt & proculcant. Et quia ſemel atq; iterũ ſupplantati patrocinio cæcutientiũ principum rurſus contra conſiliũ ac uerbũ Dei eriguntſ, & ad dignitatẽ antea contemptã & uenditam improbè contendunt, omniũ iuſtiſsimè non ſecundò ac tertiò, ſed ad finem uſq; ſupplantantur, donec ceſſent negocium facere uerbo gratiæ, & contra diuinam uoluntatem impias erigere ceruices.

Et dixit: An non ſeruaſti mihi benedictionem?] Nõ loquit de primaria benedictione quã Iacob abſtulerat, & ex uerbis patris ratã fore audierat, ſed interrogat an ſic benedixerit fratri, ut ſibi nihil reſeruarit, quo benedici poſsit. In Ebræo uerbũ eſt אצלת, id eſt, ſeparaſti, diuiſiſti. R. Shlomoh exponit חלשין חפרשת, id eſt, ſenſu diuiſionis ac ſeparationis. Chald. habet. הלא שבקת לי, id eſt, an non reliquiſti mihi benedictionem? Quaſi dicat: An omnem benedictionem ſimul effudiſti in fratrem, ut mihi nihil reliqueris? An nõ ſeparaſti ac diuiſiſti, ut ipſe quoq; benedicar?

Et reſpondit Iſaac, & dixit ad Eſau: Ecce conſtitui eum dominum tuum, & omnes fratres eius poſui ipſi in ſeruos, frumentoq; ac muſto ſtabiliui eum, & tibi nunc quid faciam fili mi?] Illud, Et tibi nũc, in Ebr. eſt, ולך אפיא מי אפיא quod neceſſariò per nunc uertitur, ſicut & Chaldæus uertit, & illi quoq;, qui illud ſuprà reddiderunt. Quis & ubi? Tigurina uertit: Et tibi hic quid faciam, fili mi? Videbat Iſaac filiũ ſuũ Eſau nõ intelligere benedictionẽ primogenituræ, quã Iacob acceperat, ideo exponit eã dicens: Ecce cõſtitui eũ dominũ tuũ, & omnes fratres eius poſui ipſi in ſeruos, frumẽtoq; ac muſto ſtabiliui eũ. quib. uerbis benedictionẽ Iacob nõ exponit uniuerſam, ſed tm̃ de illa recitat, quantũ faciebat ad ꝓpoſitũ. Tantundẽ aũt dicit, Ecce cõſtitutus es ſeruus fratris tui, & dominiũ illius ſtabiliui porẽtia & opib. qd igit reliquũ eſt, ꝙd tibi benedictionis loco impartiri queã? Seruus es, qũo & in q̃ benedici poteris? Obſeruandũ eſt ꝙ nõ uidet Iſaac qũo benedicere poſsit eũ quẽ iam cõſtituerat ſeruũ. Si apprecatus eſſet illi dominiũ, feciſſet ea benedictio ad detrimentũ Iacobi, quẽ cõſtituerat illius dm̃. Si potentiã ex opibus, ne hoc quidẽ cõueniſſet poſteritati nõ dominaturæ, ſed ſeruituræ. Nõ bene conueniũt opes & prærogatiuæ ſeruili cõditione dãnatis. Illud, Et oẽs fratres eius poſui ipſi in ſeruos, nõ eſt intelligendũ niſi de poſteris Eſau, q̃s fratres Iacob uocat. Nõ erãt em̃ alij filij Iſaac prẽter hoſce duos Eſau & Iacob. Deiñ, ſi q fuiſſent, fuiſsẽt nõminus ipſius Eſau q̃ Iacobi fratres. Et de poſteris Iacob intelligi nõ poteſt, q ipſi nõ fratres, ſed filij futuri: deniq; nõ ſeruituri, ſed dominaturi erãt. Quare neceſſe eſt, ut de poſteris Eſau intelligatur, niſi qs de Iſmaelitis & filijs Keturæ intelligendũ eſſe putat, q & ipſi de ſemine Abrahæ, adeoq; & fratres fuerunt.

OBSER.

Et dixit Eſau ad patrem ſuum, Num unã hanc benedictionem habes, pater mi? benedic mihi etiã mihi, pater mi: & leuauit Eſau uocem ſuam, & fleuit.] Nondũ intelligebat reſpõſum patris, ideo cõtendebat ut & ipſe benediceret. Et quoniã uidebat ſibi nõ ſolũ à fratre incommodatũ, ſed & cũ patre q̃d minimè ſperauerat certamen eſſe, ꝓpter difficultatẽ impetrãdæ benedictionis, leuauit uocẽ ſuã ac fleuit, miſeriæ ſuæ uidelicet ſenſu tactus, tanq̃ q nõ fratrẽ modò, ſed & patrẽ ipſum nõ bene propitiũ ſentiret. Pathetica ſunt, q tãto pere per modos interrogãdi inſtat, & urget q̃d dicit ſecũdò, Benedic mihi, etiã mihi: deniq; ꝙ ingeminat & illud, Pater mi: item quòd ſecundò erũpit in eiulationẽ & ploratũ. In eo q̃d fleuit, homo agreſtis, ferox, hirſutus, & uenator, admonemur, tm̃ nõ poſſe animi ferociã & agreſtẽ corporis duritiẽ in impijs & crudelibus hominibus ut in triſtibus ſeſe cohibeant, ne decorum uirilis animi excedant, quantum poteſt in pijs ueræ patientiæ ac quietæ conſcientiæ uirtus.

OBSER.

Reſpondit Iſaac pater eius, & dixit ad eum: Ecce de pinguedinibus terræ erit habitatio tua, & de rore cœli deſuper. Et in gladio tuo uiues, ac fratri tuo ſeruies. Et erit quando dominaberis, franges iugum eius de collo tuo.] Illud, Erit habitatio tua, uertit Latinus interpres, Erit benedictio tua. Verùm in Ebræo eſt משבני, id eſt, habitatio tua. Chald. habet, De bonitate terræ erit habitatio tua. Et Septuaginta habent, Erit habitatio tua. Motus Iſaac improba filij ſui inſtantia, præſertim fletu, tandem illi benedicit. Apprecat aũt ei, immo magis fore prædicit, ut habitet loco pingui. Is eſt mons Seir, quẽ Dñs illi ad incolendũ dedit. Vide aũt q̃ cautè benedictionẽ hãc ꝓferat. Primũ nõ dicit, Erit benedictio tua: ſed, Habitatio tua. nec Moſes dicit, ꝙd benedixerit illi. Benedictionẽ Iacobo relinq̃t, Eſau uaticinat de futuris, ꝙ ſit poſſeſſurus pinguedine terræ ac rore cœli. Deinde, nõ dicit, In gladio tuo dominaberis: ſed, In gladio tuo uiues, hoc eſt, tu aberis tot armis, ut poſsis ab impugnatione hoſtili conſiſtere. Prædicit fore, ut à uicinis impugnẽi, & tm̃ ab illis non ſupplanteſ, ſed armis ſeſe aſſerat. Tertiò, ne id præcedẽti benedictioni Iacob repugnare uideaſ, dicit: Ac fratri tuo ſeruies. Illud cõſolationis uice adijcit: Et erit, quando dominaberis: hoc eſt, futurũ eſt, ut dominẽris. Et ut intelligat qũo, addit, Et frãges iugũ eius de collo tuo. Hoc eſt, aſſeras te in libertatẽ. Quemadmodũ em̃ iugũ ferre, ſeruire eſt: ita iugũ ſoluere de collo, ſeruitutẽ eſt abijcere, & libertate potiri. Hæc prædixit Iſaac filio ſuo Eſau, uerùm benedictionẽ deſideratã illi nõ impertiuit. Et hac cõſideratione declaratur locus Apoſtoli Ebr. 12. ubi ſic legimus: Ne qs ꝓphanus ſiat ſicut Eſau, q propter unam eſcam uendidit primitiua ſua. Scitote ꝙ & poſtea cupiens hæreditare benedictionẽ reprobatus eſt. Nõ inuenit pœnitẽtiæ locũ, quãuis cũ lachrymis quæſiſſet eã. Hoc eſt, obtinuere nõ potuit, ne lachrymas q̃dẽ & ploras ut benedictionẽ ſperatã pater Iacobo adimeret, & ſibi cõferret. Pœnitebat q̃dẽ ipſum uẽditæ primogenituræ, uerùm pœnitẽtia illa locũ efficaciæ nõ muenit. Quare recte & nos ab Apoſtolo admonemur, ut hoc exẽplo Eſau perpetuò ob oculos cõſtituto caueamus ne dignitatẽ cœleſtis hæreditatis ad q̃ uocati ſumus ꝓphanãtes, ac ueluti uili precio uẽdentes tandẽ incidamus in pœnitentiã nõ modò ſerã, ſed & fruſtraneam.

frustraneam. De impiorum pœnitentia qua postremo tempore cruciabuntur, uide Sap. 5.

Et illud obserua quod dicit: Et erit quãdo dominaberis, franges iugũ eius de collo tuo. Admonemur hic, esse rerũ uices, quas diuina ꝓuidentia sic dispẽsat, ut q̃ hodie seruituti sunt subiecti, cras iugo seruitutis liberẽt: & rursus q̃ iã dominant, aliquãdo amisso dominio humilient, & nonnunq̃ serui fiant eorum quibus olim imperarũt. Nemo ergo de potẽtia dominij sui glorietur, sed metuat Dñm, sciẽs in manu illius esse potestatẽ & facultatẽ potẽtes de sedibus suis deponẽdi. Rursus nemo in seruitute constitutus animũ desponeat, quasi perpetua sit ipsius futura seruitus, sed humili animo & contrito spiritu iugum seruitutis patienter ferat, sperans futurum ut ope Domini aliquando seruitute liberetur. OBSER.

Et odiuit Esau Iacobũ propter benedictionẽ, qua benedixit ei pater ipsius. Et dixit Esau in corde suo: Appropinquent dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.] Hactenus Moses historiã duorũ fratrũ Esau & Iacob, ꝙ benedictionẽ hæreditariã cõcernit, exposuit: iam ad ea ꝓgredit quę ex illa ꝓfluxerunt. Et primo loco de Esau tria cõmemorat. Quo uidelicet affectus fuerit erga Iacob fratrẽ suũ, deinde quare, tertiò q̃ ꝓposito. De primo sic scribit: Et odiuit Esau Iacobũ. In Ebræo uerbũ est ישטם q̃d sic uehemẽter odire significat, ut Ebræi משטמה uocẽt amentiã & insaniã. De secũdo subijcit dicẽs: Propter benedictionẽ qua benedixit ei pater ipsius. Hæc erat causa odij. De tertio sic: Et dixit Esau in corde suo, Ap ꝓpinquant dies luctus patris mei, & occidã Iacob fratrẽ meũ. Hoc erat impij hominis ꝓpositũ. Exponit aũt hæc particula bifariã. Sũt q̃ sic: Breui futurũ est, ut lugeat pater. Occidã em̃ fratrẽ meũ. Cõmuniter uerò ad hũc modũ exponũt: Ap ꝓpinquat mors patris, & tẽpus luctus eius. Hic mihi opportunitas offeret & cõmoditas occidẽdi fratrẽ. Viuo patre quiescã, ne irã & maledictionẽ illius incurrã: mortuo uerò illo, uidebo, uter futurus sit primogenitus, hæres & dñs, ego ne uel Iacob. Et posterior hęc expositio ꝓbabilior uidetur. OBSER. Obserua hoc loco malignũ impij hominis ingeniũ, in affectu illius erga fratrẽ, odio uidelicet, in causa quoq̃ odij, deinde in ꝓposito occidẽdi fratrẽ, postremò & in occasione perficiẽdi fratricidij expressum. Et odiuit, inquit, Esau fratrem suum. Odium fratris notã habet filij diaboli, quem admodum fraterna dilectio filios Dei arguit. Propter benedictionẽ, inquit, qua benedixit ei pater ipsius. Non dicit, Propter impostu̇ram qua patri mentiendo imposuit, sed propter benedictionem. Odiuit eum affectu philautiæ, non studio iustitiæ & reuerentiæ paternæ. Et dixit in corde suo. Agnoscet rursus ingenium malitiæ. Non dixit palàm ore suo, sed subdolè in corde suo. Accidit subindè, ut homo ira tus minetur cædem palàm, cuius tñ eum statim pœnitet, ubi ira remisit. Hic dicit in corde suo, tacẽs ore, ne cõsciẽtiæ Iacob innotescat, uel ne studio parentũ à ꝓposito impediat. Ap ꝓpinquãt dies luctus, inq̃t, patris mei. Hãc captat & expectat occasionẽ perficiẽdi sceleris. In ipso paternæ mortis luctu, qui naturã suã dissidentes fratres cõponere solet, ꝓponit sibi perficiendũ fratricidiũ. Et occidã, inq̃t, Iacob fratrẽ meum. Cogita hic de ingenio odij, q̃ sit procliue ad occidendũ. charitas excitaret mortuos fratres ad uitã si posset, odiũ uiuos neci destinat & occidit, ficubi poterit. Sic uerũ est illud: Quẽ quisq̃ odit, perisse cupit. Et hæc odij malitia tanta est, ut ne fraterno quidẽ sanguini parcat. Vt nõ sit frustra q̃d Ioãnes in Canonica sua dicit: Qui odit fratrẽ suum, homicida est 1. Ioan. 3. Simul cogita, q̃ non sit mirum, ꝙ talis fuit Esau, cum esset Deo odibilis in ipso matris utero constitutus, quamq̃ indignus fuerit nõ modò prima, sed & quacunq̃ sanctorum hominum genitura, nedum diuina benedictione.

Et indicata sunt Ribkæ uerba Esau filij ipsius maioris.] Vel per reuelationẽ spiritus sancti, sicuti placet R. Shlomoni, uel per angelũ ut nõnulli uolunt, uel hominis alicuius indicio, qui hac de re uerba Esau acceperat, significata sunt ista Rebeccæ. Quãuis in corde malũ machinaret fratri suo Esau, uerosimile tñ est neq̃isse illũ cordis sui malitiã sic cohibere, ut nõ ꝓderet illã uspiã uerbo. Credibile etiã est in domo ac familia tã ampla fuisse quosdã Ribkæ cæteris familiariores ac fideliores, per q̃s de ꝓpposito Esau sit edocta. *Et mittens uocauit Iacob filium suum minorem, & dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur tibi, ut occidat te.*] In Ebræo est מתנחם לך quod uertunt plerique, solatur se de te. Chald. habet, מתרין לך, id est, instruatur tibi Sept. ἀπειλεῖ σοι, id est, minatur tibi. OBSER.

Et nunc fili mi audi uocem meam, & surgens fuge tibi ad Laban fratrem meum in Haran.] Nõ solũ aperit illi periculũ, sed & consilium euadendi periculũ adijcit. Agnosce materni pectoris fidẽ ac diligentiã. Et illud obserua, ꝙ nõ dicit, Vide ut sis præsenti gladio posthac indesinenter aduersus insidias fratris munitus, & agas uirum strenuũ ad defendendũ uitã tuã: sed suadet illi uiã tutiorẽ, fugã uidelicet. Deniq̃ nõ differt consiliũ hoc fugæ, donec ueniãt dies luctus patris, sed suadet ut statim surgat & euadat. Nõ erat tutũ expectare terminũ ab ipso Esau præfixũ. Sũt enim huiusmodi impij homines affectuũ suorũ incõtinentes, & quauis occasione proruunt ad facinus perpetrandum.

Et manebis apud eum dies paucos.] In Hebræo est, ימים אחדים, id est, dies unos, si interpreteris ad uerbum. Chald. habet, ירחין דעירין, id est, dies paucos. Et R. Shlomoh exponit מרעשים, id est, paucos. Septuaginta uerò reddiderunt ἡμέρας τινάς, id est, dies aliquot. Mitigatio fugæ est, quod paucos dies præscribit, quibus hæreat in Mesopotamia. Verùm res aliter cecidit. Erat illi manendũ in Haran aliquot annos. Id forsan ipsa quoq̃ Ribkah nesciebat. *Donec auertatur furor fratris tui à te, donec auertatur ira fratris tui à te, & obliuiscatur eorum quæ feciſti ipsi.*] Cordata & prudens mulier iudicat primũ iræ & furoris declinandum esse impetum & feruorem, deinde sperat fore ut furor Esau paucorũ dierũ interuẽtu mitigẽt, & per obliuionẽ expungant ex illius animo quæ Iacob in ipsum perpetrauerat. Nõ est aũt præter emphasim factũ, ꝙ secũdò dicit: Donec auertat furor fratris tui à te: itẽ, Donec auertat ira fratris tui à te. Id q̃d timebat, secũdò illi inculcat. Et cõpetenter usa est duabus hisce uocibus חמת & אף, quę utrąq̃

non leuem, sed furibundũ iram, ad ultionem anhelantem significant, quare & Psalres utrasq; Psal. 6. po
fuit, & coniunxit, cũ diuinã ultionẽ deprecari uellet dicens, Dñe ne in furore tuo arguas me, neque in ira
OBSER. tua corripias me. Obserua, quomodo auersionem furoris & iræ, & obliuionem factorũ coniungat,
& utranq; paucorũ dierũ interuentui adscribat. Verũ est in hominibus candidis & haud malo ingenio
præditis, q; mulier sancta futurũ sperat. In illis modico tẽporis interuallo qesciit ira & furor. Vnde Philo
sophus ille suadebat, irato uiro nihil esse faciendũ prius q̃ literas elementarias semel atq; iterũ ex ordine
recensuerit, quod tantillo temporis spacio cõceptus iræ furor haud modicè remittere soleat. Deinde con
currũt hæc duo, remissio iræ & obliuio factorum. Prior posteriorem gignit, & posterior prioris recur-
sum impedit. Simul tamen obserua quàm sit Ribkah in eo falsa quod putauit Esau irasci tantum Laco-
bo, cum odio illum prosequi cœpisset.

OBSER. *Et mittam & recipiam te inde.*] Vides etiam sanctos homines subinde spebus suis falli. Promittit Rib
kah filio suo, q̃d dubio, pcul nõ præstitit. Iacob hæsit in Mesopotamia annos uiginti. Iussu Dei admoni
OBSER. tus inde se in terrã Canaan recepit. De Ribkah nulla amplius mentio legit. Simul obserua cautionẽ.
Non permittit illi, ut suapte sponte redeat, sed iniungit ut expectet donec à se uocetur, metuens uidelicet,
ne reuertatur intempestiuius & citius quàm ira Esau resederit.

Quare utroq; orbarer uno die?] Aperit in fine quid metuat. Diligebat utrũq;, licet Iacobũ impensius.
Quare metuens nẽ Esau impotentis animi impetu raptus Iacobũ adoriat, fiatq; ut uel alter alterũ mu-
tuis uulneribus conficiat, uel alter altero occiso, pfugere cogat, atq; ita fiat, ut uno die utroq; orbet, sua-
OBSER. sit Iacobo fugã, q̃ utrũq; seruet. Obserua hic materni pectoris curã & sollicitudinẽ. Diligebat Iacobũ,
sed nõ sic, ut Esau extinctũ uellet. Cupiebat seruare utrumq;. Hinc patet, q; Iacobo consilia & opem suf
furandę benedictionis subministrauit, nõ esse factum odio filij maioris, sed instinctu diuinæ uoluntatis.

Et *dixit Ribkah ad Isaac, Arctatur uita mea propter filias Heth, Si acceperit Iacob uxorem de filiabus Heth,*
quales sunt istæ, de filiabus terræ huius, ad quid mihi uita? Sept. habent: Abominata sum uitã meã. Vulgata la
tina: Tædet me uitæ meæ. Illud, De filiabus Heth quales sunt istæ, nec Septuaginta habent, nec uulgata
Latina. Ad quid mihi uita? Vulgata latina habet, Nolo uiuere. Non hoc agebat tum, ut nuptias exo
sas auerteret, sed quoniam non conueniebat, ut filium suum Iacob sine conscientia, uoluntate & benedi
ctione Isaac patris ipsius ad declinandum furorem Esau in Mesopotamiam mitteret: neq; consultum ui
debatur, ut causam hãc ablegãdi filij seni indicaret, prudenter ad hũc filiarum Heth prætextũ confugit,
quo senem ad consentiendũ inducat. Dicit ira q;: Arctaꝛ, uel in angustijs est uita mea, ꝓpter filias Heth. B
intelligit de uxoribus Esau de quibus mẽtio facta est in calce cap. præcedentis. Et ut simulet se metuere,
ne exẽplo Esau seductus Iacob & ipse uxorẽ de filiab. Heth ducat, ideoq; cupere, ut illũ mittat in Meso
OBSER. potamiam in domũ fratris, unde sibi ducat uxorẽ, subijcit ista dicẽs: Si acceperit Iacob uxorẽ de filiabus
Heth, &c. Obserua hic prudentiã Ribkæ matronæ sanctæ ac fidelis. Causam filij sui Iacob sic instituit
ac disponit, ut & seni hero suo Isaac parcat, ne hunc commemoratione propositi Esau perturbet, & si-
mul ab illo impetret, ut Iacobum in Mesopotamiam mittat. Missionis huius duas habebat causas. Vna
erat, ad uitandum furorem Esau. Altera, ad ducendum uxorem è domo fratris Laban. Posteriorem pro
ponit Isaaco: priorem, qua magis urgebatur, tacet. Sic conuenit mulieri honestę ac pię prudenter agere,
ut nec turbet aliquid, nec desit causæ necessario agendæ.

CAPVT XXVIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Mittit Isaac filium suum Iacob in Mesopotamiam. Videt ille in itinere cœlum apertum & angelos de
scendentes & ascendentes, & accipit oraculum Dei, eoq; loco erigit titulum, & uouet uotum.

ET *uocauit Isaac Iacobum, & benedixit ei, præcepitq; ei, ac dixit ei: Ne accipias uxorem de filiabus Chanaan.*
Surge, uade in Padan Syriæ ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem de filiabus La
ban fratris matris tuæ. Et Deus omnipotens benedicat tibi & faciat te crescere, & multiplicet te, & sis in congre
gationem populorum: & det tibi benedictionem Abrahæ, tibi ac semini tuo tecum: ad hæreditandum terram pere
grinationis tuæ, quã dedit Deus Abrahæ. Et misit Isaac Iacobum, & abijt ille in Padan Syriæ ad Laban filium Ba
thuelis Syri, fratrem Ribkæ matris Iacob & Esau.] Vade, inquit, in Padan Syriæ. Vertunt communiter Meso
potamiam. De hac uoce uide suprà cap. 25. Quam dedit Deus, inquit, Abrahæ. Vulg. Lat. habet, Quam
pollicitus est auo tuo. Et pro eo quod Ebręus habet, Fratrẽ Ribkę matris Iacob & Esau, habet illa, Fra
trem Rebeccæ matris suæ. Orditur iam Moses historiam peregrinationis Iacob quã extendit ad 34. uſq;
caput. Sunt aũt tres illius partes. Prima habet profectionem illius in Mesopotamiã. Secunda habet quo
modo & quandiu in illa egerit. Tertia exponit reditũ in terrã Canaan. De prima parte narraturus ex-
ponit initio qũo fit Iacob à patre suo in Mesopotamiã missus. Et uocauit, inquit, Isaac Iacobũ. Isaac, co-
gnita uolũtate Ribkę, quod attinebat filias Heth, quãuis nesciret de principali causa, ꝓpter quã illa Iaco
bũ in Mesopotamiã mitti cupiebat, simplici animo uocat ad se Iacobũ, ut eũ mitteret in Mesopotamiã.
Duo aũt fecisse memoratur. Benedixisse uidelicet Iacobo, deinde & mandasse quædã. Benedixit ei, inq;,
& mandauit ei. De mandato meminit primũ, postea subijcit benedictionem. Ad mandatum pertinet q;
dicit: Ne accipias uxorem de filiabus Chanaan, &c. Ad benedictionem uerò quod subiungit: Et Deus
omnipotens benedicat tibi, & quæ sequuntur. qua benedictione apprecaꝛ illi posteritatis multiplicatio
nẽ, & terræ promissæ hæreditationẽ. Deinde ut admoneat eũ qua debeat hæc à Deo expectare fide, his

meminit

meminit Abrahæ, benedictionẽq; illi ac promissionẽ à Deo factã refricat & inculcat. Præterea subijcit de obedientia Iacob, dicens: Et misit Isaac Iacobũ, & abijt ille in Padan Syriæ, &c. Vulgata latina habet: Cũq; dimisisset eum Isaac, profectus peruenit in Mesopotamiã Syriæ ad Labã, &c. Interpres incõsideratè uertit. Non enim dicit Moses hoc loco, peruenisse Iacobũ in Mesopotamiã, sed illò abijsse, cum esset à patre dimissus. Ebræa non habent, ויבא מרבה, id est, Et uenit uenit in Padan: sed וילך מרבה, id est, & abijit in Padan.

Et uocauit, inquit, Isaac Iacobum, & benedixit ei.] Vide temperantiam ac placiditatem animi pij. Hactenus impensè dilexit Esau, illumq; ad se benedicendi gratia paulo antè uocauerat. Nunc intellecta uoluntate Dei, animum adijcit ad Iacobum, nec quicq; illi succenset q̃ esset sibi ab illo impositum, sed ad se uocato benedicit. Tale quid uidimus antea & in Abrahamo cap. 21. OBSER.

Deinde obserua, q̃ benedictionem & præceptum coniungit. Præcepto mandat quid facere debeat Iacob: benedictione apprecatur illi opem ac gratiã Dei, ut promissiones Abrahæ factæ in illo impleant. Sic & Christus Lucæ ultimo discessurus à discipulis, & benedixit illis, & præcepta dedit. Benedictorum est accommodare se uoluntati Dei, & rursus obedientibus diuinæ uoluntati parata est cœlestis gratiæ benedictio.

Tertiò & illud considerandum est, quòd Isaac filium suum Iacob mittit in Mesopotamiam, cum tamen pater ipsius Abraham summopere uetuerit, ne ipse uxoris gratia illò reduceretur. Cogitandum hic est, plurimum referre quare quid fiat. Abraham nolebat Isaacum reduci in Mesopotamiam, ne uidelicet in illa relicta terra Canaan habitaret. Isaac filium suum Iacob ultrò mittit in Mesopotamiam, non ut terram promissum desereret, sed ut ad illam ducta uxore reuerteretur. quod & postea factum est.

Quartò. Et Deus, inquit, omnipotens, &c. Quid sit in hoc elogio Dei obseruandum, quo Deum uocat אל שדי, id est, Deum omnipotentem, & omnisufficientem, uide suprà cap. 17. initio capitis. Hic animaduertendum est, q̃ conuenienter uocet Dñm Deum omnisufficientem in auribus Iacob, cum eum esset iam è domo paterna missurus in Mesopotamiam. Voluit eum admonere, qua fide deberet ab illo pendere, & ad illum in quibusuis necessitatibus confugere. Fiducia uidelicet omnipotentiq; & omnisufficientiæ illius.

Quintò. *Quam dedit Deus Abrahæ, inquit.*] Obserua loquutionem. Promiserat Deus Abrahæ hæreditatem terræ Canaan. Promissionem hanc usq; adeò ratam & firmam esse credit uir sanctus, ut dicat eam terram à Deo datam esse Abrahæ, cum tamen ne latum quidem pedem in ea possederit. Sic 1. Ioan 5. legimus, Et dedit nobis uitam æternam.

Sextò. Et abijt ille in Padan Syriq. Obserua in hac peregrinatione Iacob, quòd principalem illius causam attinet, odium uidelicet fratris, quid maneat eos qui in benedictione cœlesti cõsequenda alijs præferuntur. Odium & persequutio quasi primæ sunt illorum sortes. Declaratum est hoc primùm in Cain & Habel: deinde hoc loco in Esau & Iacob.

Et uidit Esau quòd benedixisset Isaac Iacobum, & misisset eum in Padan Syræ, ut inde sibi sumeret uxorem, & benedicendo ei præcepisset ipsi dicens, Ne accipias uxorem de filiabus Canaan, quodq; Iacob obedisset patri suo & matri suæ, & abijsset in Padan Syriæ, uidit etiam Esau, quòd malæ essent filiæ Canaan in oculis Isaac patris sui (Vulg. Lat. quòd non libenter aspiceret filias Canaan pater suus.) *& abijt Esau ad Ismaelem, & accepit Mahelath.* (uulgata Lat. habet Melech, Sept. μαελέθ.) *filiam Ismaelis filij Abrahæ sorem Nebaioth* (Sept. habẽt ναβαιώθ) *super uxores suas* (Vulgat. Lat. Absq; his quas prius habebat) *sibi in uxorem.*] Inseruntur ista historiæ Iacob, ut sciat lector quo se gesserit Esau, postq; Iacob esset missus in Mesopotamiã, & ut ratio tertij illius uxoris assigneť, cuius infrà cap. 36. cũ duabus priorib. fiet mentio. Sũma horũ est: Accepit Esau tertiã uxorẽ Mahelath filiã Ismaelis. Rationes facti huius præmittunť q̃ uidelicet benedictionẽ Iacobi fratris sui corã patre suo cerneret esse ratã & firmã (sic intelligo q̃d dicit: Et uidit Esau q̃ benedixisset Isaac Iacobũ) quodq; ad hoc illũ in Mesopotamiã misisset, ut spretis filiabus Cananæorũ è domo cognata uxorẽ duceret, & ille iussis paternis obediẽs in Mesopotamiã abijsset, præsertim q̃ duæ ipsius uxores Cananææ patri displicerẽt. Ex his rationib. apparet, quo ista interpretatus sit Esau, idq; haudquaq; fallo. Sentiebat omnẽ hæreditatẽ paternã, posteritatis benedictionẽ, primogenituræ dignitatẽ, & qcqd Abrahæ ac semini eius, promissũ deriuatũ fuerat in Isaacũ patrẽ ipsius, hoc facto destinari Iacobo. Hisce conatib. occursurus, consultũ putat, ut interea dũ frater abest in Mesopotamia, ipse uxorẽ de cognatione ac semine Abrahæ ducat neptẽ uidelicet Abrahæ, filiã Ismaelis, primogeniti Abrahæ, ut hoc pacto se sibi uel insinuet patri, quẽ uidebat derestari filias Cananæorũ, & recuperãdæ primogenituræ occasiones in futurum ueneturue: uel si id non sit successurum, affinitate se Ismaelis contra fratrem obfirmet. Hæc uidentur fuisse consilia Esau. Est autem uerosimile Ismaelem tum adhuc fuisse in uiuis. OBSER.

Et uidit Esau &c.] Secundò meminit Moses uidisse Esau. Hactenus nõ habuerat oculos uidẽdi & cor intelligendi. Cũ uẽderet primogenita sua, & de filiabus Chanaan duceret nõ unã dũtaxat, sed duas uxores, ibi nõ cogitabat de exẽplo patris sui, nec de primogenituræ dignitate cõpetenter retinẽda. Pòst ubi luculẽtis argumẽtis primogenituræ, hæreditatis, benedictionis, & diuinæ promissionis dignitas deuolueret ad Iacobũ, ibi tandẽ aperuit oculos uidẽdi, & cor intelligẽdi. Sic sunt cõparati impij. Nõ uidẽt nisi seró, ubi frustra uidẽt. Et q̃ Iacob, inqt, obediuisset patri suo, ac matri suæ. Obserua serà & pręposterã imitationẽ. Qm̃ Iacob obediebat patri in ducẽda uxore de domo materna. Esau ut & ipse gratificaret patri, abiuit ad Ismaelẽ, illiusq; tanq̃ cognati filiã ducit in uxorem. Verùm faciebat hoc iniussus, suapte

sponte quare factũ eius nõ potuit patri nomine obedientiæ probari, sicuti probabat̃ q̃d faciebat Iacob.

Vidit etiam inquit, quòd malæ essent filiæ Canaan in patris sui.] Quando uidit hoc? Postq̃ filias Canaã duxisset in uxores. Serò & hoc uidit. Poterat uidere maturius, si secundum mispat germani & obedientis filij, haud sine conscientia & uoluntate patris nupsisset. Vides exemplum filij degeneris, qui de paterna uoluntate cognoscenda nulla cura ducitur, dum illi est obsequendum, sed hanc demum post illius transgressionem ex animi abalienati indicijs intelligit.

Et accepit, inquit, Mahelath filiam Ismaelis, &c. super uxores suas in uxorem. Vide hoc genus resipiscentiæ. Vult placare patrem, & abolere offensam quam per nuptias filiarum Canaan incurrerat, & in speciem huius propositi ducit in uxorem filiam Ismaelis: uerùm quod deliquerat non emendat. Seruat enim filias Cananæorum, & filiam Ismaelis illis coniungit. Sic non emendatur quod peccatum est, sed species quædam emendationis simulatur. Consimilis hypocrisis eorum est, qui ubi intelligunt traditionum humanarum cultum displicere Deo, quasi quod deliquerunt emendaturi, specietenus faciunt locũ uerbo ueritatis, & interim filias Canaan non abijciunt: hoc est, quibus sunt traditionibus assueti, tenaciter adhærent, & uerbum Domini cum magisterio traditionum humanarum coniungunt.

Et illud astuti consilij genus obserua. Quoniam sciebat Iacobo cessisse multiplicãdæ posteritatis benedictionem, non contentus duabus quas habebat uxoribus, adijcit & tertiam, sperans fore, ut multitudine sobolis fratrem superet. Existimat enim per polygamiam obtineri posse quod Iacobo erat ex benedictione diuina promissum. Sic Esau iste filius non promissionis, sed carnis totus spirat carnem, & ubiq; carnis consilijs obsequitur.

Et egressus est Iacob de Beersbabe, & abijt Haran.] Suprà dixerat, abijsse Iacobum in Mesopotamiam: uerùm quia de consilijs & factis Esau interseruit quædã, atq; ita cœptam mentionem de profectione Iacob interrupit, iam illam, psequuturus repetit, dicẽs: Et egressus est Iacob de Beershaba, & abijt Harã.

Et incidit in locum quendam, ac pernoctauit ibi. (in Ebræo est ובמקום ויפגע. Sept. habent καὶ ἀπήντησεν τόπῳ, id est, occurrit loco. Et Chaldæus usus est uerbo עריע quod casu quodam & fortuito incidere in aliquem significat.) *quia occiderat Sol.*] Præsens hic contextus ad finẽ usq; capitis commemorat quid Iacobo, ut aliqui uolunt, tertia nocte acciderit, postq̃ in Mesopotamiam profecturus domum paternam egressus esset. Potest autem in tria membra diuidi, ut primo membro dentur ea quæ fecit ante somnum, secundo quæ acciderunt in somno, tertio quæ post somnum fecit. Ad primum pertinent ista. *Et incidit in locum quendam,* & pernoctauit ibi, quia occiderat Sol. *Et accepit de lapidibus illius loci, & posuit sibi pro cerualc* (in Ebræo est in plurali מראשתיו, id est, cerualia sua, uel, pro cerualibus suis) *dormiuitq; in loco illo.*] Cogitat forsan lector, quare non sit ingressus ciuitatem Luzam, quæ loco isti uicina erat. Alij aliud sentiunt. Mihi uidetur non esse hoc studio aliquo, sed propterea factum quod serius uenisset in id loci ciuitate iam clausa. Atq; hoc arbitror per id innui, quod dicit eum Moses eo loco pernoctasse propterea quòd Sol occubuisset. Quã firmum sit quod Iosephus eum propter odium prouincialium apud nullum diuertere uoluisse, sed sub diuo iacuisse dicit, uiderint alij. Illud certè probari non potest, q; nonnulli sentiunt locum hunc fuisse montem Moriah, in quo præceptum fuerat immolari Isaacum, eamq; ob causam uoluisse ibi pernoctare Iacobum, quòd iudicaret locum esse sacrum, speraretq; futurum ut uigilando & orãdo diuinã ibi uisionẽ mereret. Hæc opinio manifestè repugnat ipsius Iacobi uerbis, quibus dicit: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Isti dicunt, sciebat esse locum sacrum, ipse uerò nesciebã, inquit, esse Dñm in isto loco. Deinde & Moses huic opinioni non fauet, cũ dicit ויפגע במקום, id est, fortè incidit in locum quendam. Satis innuitur hac loquutione præter opinionem & studiũ Iacobi factum esse, ut eo loci pernoctaret. Deniq; & ratiò quam assignat dicens, Quoniam Sol occubuerat, impertinenter esset adiecta, si non pernoctauit ibi Iacob propterea quòd Sol occubuisset, sed quòd eò tanquam ad locum sacrum data opera peruenisset.

OBSER. Illud obseruandum est, quòd futurus Patriarcha & dñs terræ illius solus sine ullo famulitio & pedes tam prolixum iter ingressus, in quo multis erat diebus futurus, nocte humo decumbit, idq; sub dio, & loco ceruicalium duro lapide utitur. Videmus exemplum priscorum morũ & antiquæ frugalitatis & humilitatis, cuius respectu meritò nostra damnatur superbia & mollities. Corpus labore defatigatũ plumariam mollitiem non quærit, ociosum uerò & delicatũ uix selectissimis plumis satis molliter qescit. Obserua etiam mysteriũ lapidis huius, qui Christus est lapis electus, cui inqescũt & innitũt sancti oẽs.

Et somniauit, & ecce scala stabat in terra, & culmen eius pertingebat ad cœlum usq;, & ecce angeli Dei ascendebant & descendebant per eã, & ecce Dominus stabat super eam [in Ebræo est ויהוה נצב עליו uulgata Lat. habet, innixum scalæ. Et Septuag. uerterũt, & Dñs innitebatur illi.] *& dixit: Ego sum Dominus Deus Abrahæ patris tui, & Deus Isaac: terram super quam tu dormis tibi dabo & semini tuo. Et erit semen tuum sicut puluis terræ & inualesces* (Vulgata Lat. Dilataberis. In Ebræo est ופרצת, quod nonnulli uertunt fortificaberis, aliqui רבית, id est, multiplicaberis.) *ad Occidentem, & ad Orientem, ad septentrionem & ad meridiem, ac benedicentur in te omnes familiæ terræ & in semine tuo. Et ecce ego tecum sum* (Vulgata Lat. particulam hanc non habet) *& custodiam te quocunq; perrexeris, & reducam te ad terram istam. quoniam non deseram te.* [Vulgata Lat. pronomen te omisit.] *donec fecero quæcunq; loquutus sum ad te.*] Exponit Moses uisionẽ, qua apparuit Dus dormienti Iacob. Sunt autem duæ illius partes, figura & uerbum, quibus per insomnium est in fide Domini Dei sui confirmatus. Ad figuram pertinẽt uisa scala cœlestis deinde angeli, tertiò Deus ipse. Scala inferne innitebatur terræ, superne cacumen habebat ad cœlos usq; pertingens. Angeli ascendebant

debant per illã & descendebant. Deus illi supernè innitebatur, tanq̃ de cœlo in terram prospiciens. Ista nõ sunt actu aliquo corporali realiter facta, sed per phantasiam & insomnium dormienti Iacobo proposita. Id quod Moses præmonere uoluit dicens, Et somniauit. Qua figura Deus ipse stans supra uel iuxta scalam apparuerit, humana ne uel alia, non est expressum à Mose, quemadmodum neq; de angelis. Sic tñ apparuerũt, ut discrimen esset, quo Deus ab angelis discerneret dignoscíq; posset. Ad uerbũ pertinent quæ sequuntur, Ego sum Dñs Deus Abrahæ patris tui & Isaac, &c. Oraculum hoc declaratione constat & promissis Principiò nanq; declarat Dñs Iacobo per insomnium apparens, quis sit. Ego, inquit, sum Dñs Deus Abrahæ patris tui, & Deus Isaac. Deinde subijcit promissiones. Promittit illi primùm de rebus post aliquot secla futuris. De possessione uidelicet terræ Canaan, deinde de multiplicatione seminis, tertiò de dilatatione futuri dominij, & quartò de benedictione omnium tribuum terræ. Hæc olim Abrahæ & Isaaco promissa ad hoc repetere & refricare uoluit, ut fide promissionum istarum confirmatus sciret se non sic exire terram Canaan, quasi ad illam non reuersurus, sed ad tempus cedere furori fratris, & uolũtati parentum obedire, donec suo tempore ex Mesopotamia reuocaretur, id quod illi diserte etiam promittit. Subijcit istis promissionem ad præsentem profectionem ac peregrinationem, immò & omnem illius uitam pertinentem. Et ecce, inquit, ego sum tecum. Sic promittit illi præsentiam suam, loco consolationis, quoniam solus sine omni comitatu in regiones incognitas proficiscebatur. Et custodiam te quocunq; perrexeris. Exponit ad quid illi adesse uelit. Et reducam te, inquit, ad terram istam. Cauet ne suapte sponte ex Mesopotamia redeat ad domum paternam, sed expectet donec iussu diuino reuocetur & reducatur. Quoniam non deseram te, inquit, donec perfecero quæ loquutus sum ad te. Adijcit hanc, αἰτιολογίαν qua utriq; promissionũ parti seruiens ex fonte principalis causæ rationẽ secundariæ ducit. Principalis causa erat in illis quæ antea promiserat Abrahæ. Secundaria uerò in ijs quæ ipsum Isaacũ peregrè iam proficiscentẽ concernebant. Significat se curã illius habiturũ, ppter præstandas & complendas promissiones Abrahæ de seminis ipsius benedictione ac multiplicatione, deíq; terræ Canaan possessione factas.

Obseruandum est principiò, quòd non solum Abrahæ Deus, sed & post illum Isaaco & Iacobo apparuit: & illis quoq; eadem quæ Abrahamo promisit, quamuis Abrahæ non soli, sed ipsius etiam seminibenedictionis suæ gratiam promisisset. Vides diuinæ prouidentiæ diligentiam, qua quod ex indicio Abrahæ poterant cognoscere & Isaac & Iacob, peculiaribus apparitionibus & oraculis ad confirmandum posterorum fidem mentibus illorum inculcare uoluit. OBSER.

Deinde considerandum est, quòd non uerbo tantum, sed & uisione quadam animum Iacobi confirmauit, quæ esset & conformis uerbo, & sic luculenta, ut nullis uerbis clarius posset exprimi, mentíq; Iacobi infigi, quod intelligendum proponebatur.

Et somniauit, inquit.] De eo quòd per somnia Deus nonnunquam loquitur hominibus, uide suprà cap. 20. in historia Abimelech.

Et ecce scala stabat in terra, &c.] Gemina est uisionis huius consideratio. literalis & mystica. Literali admonemur de prouidentia Dei, qua electos & fideles suos in hoc mundo ueluti peregrinantes, per ministros suos angelos moderatur, ducit, & tutatur. Hoc innuebatur ista uisione. Angeli non egent scala, qua uel descendant uel ascendant, nec Deus scalæ, angelos suos mittendo innititur, sed figuram hanc ad captum & intellectum Iacobi attemperauit. Scala, inquit, מְצֻבָּה, id est, fixa stabat. Agnosce constantiam & firmitudinem prouidentiæ Dei & ministerij angelici. Deinde, & culmen eius, inquit, pertingebat ad cœlum. Ergo non solum descensus est de cœlo ad terram, sed & de terra ascensus ad cœlum, & hoc de scensu & ascensu iunguntur terrena cœlestibus. Tertiò, Et ecce Dñs, inquit, stabat super eam. Intellige uniuersum ministerium angelorum, quo terrena pariter & spiritualia dispensantur, Deo nõ solum mandante, sed & spectante & curante dispensari.

Quod mysticam huius uisionis considerationem attinet, scala hæc Christus est. Scala mediatrix est & conciliatrix loci inferni & superni. Scala illa infernè terram, supernè cœlũ cõtingebat. Christus mediator & conciliator unicus est inter Deũ & homines 1. Timot. 2. terrã cœlo, cœlũ terrę coniungit, homines angeliš, angelos hominibus cõciliat. Sic exponit hanc figurã Apostolus Coloss. 1. dicens: Quoniã in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Et Christus ipse, Ego, inquit, sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem nisi per me.

Scala ista innitentem supernè Deum patrem habet, quasi ex illo sit producta, & infernè telluri innititur. Christus supernè ex Deo patre, infernè ex lumbis Iacob, cui uisio hæc ostenditur, uerus Deus & uerus homo humanitati diuinitatem unitate personali coniunxit.

Quòd angeli per hanc scalam ascendunt & descendunt, admonet nos de ministerio angelorum, quo electis seruitur in terra existentibus, constare illud non in nouo duntaxat, sed & ueteri Testamento per Christum utriusq; Testamenti mediatorem. Hac de re loquutus est Christus Ioannis primo ad Nathanaelem, dicens: Amen amen dico uobis, uidebitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Regnum Christi perpetuum quidem est in se, uerùm in nouo Testamento clarius sese splendor illius quã in ueteri exeruit. Huius ministri sunt angeli, quorũ ascensus ac descensus cùm supra Christum tanq; caput, tum supra electos, tanquam illius membra, frequentiores in nouo sunt quàm ueteri Testamento declarati.

Per hanc ſcalã ad cœleſtia conſcendũt omnes electi. Parata eſt ad finẽ uſq; mũdi. Per hãc uia eſt ad lignũ uitæ. Nec uni tñi terræ loco innitit, ſed baſis illius ſic eſt dilatata, ut quocũq; totius orbis loco cõſiſtas, copiã illius ad aſcendendũ habeas. Aſcẽdimus per illã ad Deũ, ſuperne illi innitentẽ. Aſcendimus prium corde per fidem, quo aſcenſu fit ut cõuerſatio noſtra ſit in cœlis. Aſcendimus deinde gemitibus, ſuſpirijs ac precationibus, quas ad cœleſtia per Chriſtũ deſtinamus, dũ patrẽ in illius nomine inuocamus. Aſcendimus tertiò ſpiritu, qñ corpore hoc mortali liberati ſpiritum Deo patri reddentes Chriſto coniũgimur. De hoc genere aſcenſus loqt̃ Apoſtolus dicẽs: Cupio diſſolui, & eſſe cũ Chriſto. Aſcẽdemus tandẽ & corpore & ſpiritu, qñ à mortuis excitati rapiemur in nubibus obuiã Chriſto in aera. Sed pergamus ad ſequẽtia. Et dixit: Ego ſum Dñs Deus Abrahæ patris tui. De illo uide ſuprà cap. 26. quem admodũ & de eo q̃d dicit: Ecce ego tecũ ſum. De ꝓmiſſione terræ Canaã, multiplicãdiq; ſeminis dictũ eſt ſuprà in hiſtorijs Abrahæ. Et inualeſces, inq̃t, ad Occidentẽ & ad Orientẽ, ad ſeptentrionem & ad meridiẽ. Hac de re uide ſuprà ca. 13. paulo ante calcẽ capitis. Ac benedicent̃ in te oẽs familiæ terræ. Vide ſuprà ca. 12. circa principiũ capitis. Et cuſtodiã te, quocũq; perrexeris. Cogita de ſorte ſanctorũ in hac terra peregrinantiũ. Sic ſunt periculis tã corporalibus q̃ ſpiritualibus obnoxij, ut opus habeãt cuſtodia diuina. Cogita de fide & bonitate Dei, q electis ſuis cuſtodiã ubiq; paratã ꝓmittit. Cuſtodiã te, inquit, quocũq; perrexeris. Cogita qũo apparẽs Deus cuſtodiã hãc Iacobo promittat. Deſuper uidelicet in terrã hãc, etiã ſupra dormientẽ, nedũ orantẽ, intẽtus, & angelorũ aſcendentiũ ac deſcendentiũ miniſterio ad cuſtodiendũ ducendũ ac regendũ ſuos inſtructus. Cogita de eo quoq;, q̃d licet angelos nẽ ſtantes ac deſuper proſpectãtes, ſed aſcendẽtes ac deſcendẽtes, tanq̃ miniſteriũ ſuũ ad cuſtodiendũ ac dirigendũ electos ſedulò & indefinẽter obeũtes, in uiſione hac ſpectãdos proponat, haud tamẽ dicit, Ecce angeli mei tecũ ſunt, & cuſtodiẽt te: ſed, Ecce ego tecũ ſum, & cuſtodiã te. Eſt itaq; Deus ipſe cuſtos electorũ, idq; nõ abſens, ſed præſens. Virtus Dei, eſt, miniſteriũ angelorũ. Hoc cuſtode, obſecro, quid nã poterit detrimenti accidere electis, de q̃ canit propheta: Non dormit neq; dormitat, qui cuſtodit Iſraelem. Illud tamẽ, Quocũq; perrexeris, nõ eſt trahendũ ultra limites pietatis & iuſtę obediẽtiæ. Vbi pergit ad perficiẽda ſtudia carnis, ibi ſanè nõ eſt de cuſtodia hac Dei præſumendũ. *Et reducã te, inquit, ad terrã iſtã.*] Reductio ad terrã patriã gratiſsima eſt exulibus, & in uotis illorũ uoluit ac reuoluit indefinẽter. Verũ ſi pij ſint, nõ ſic affectabũt reditũ, ut citra uoluntatẽ Dei ad ſuos reuerti conent̃, ſed patiẽter expectabũt, donec diſponente ac ducente Deo reuerti liceat. Innitent̃ promiſsioni huic, qua Deus ipſe optatam ſui reductionem pollicetur, nõ dicens ſimpliciter, Reuerteris ſed, Reducam te ad terram iſtam. Paſtor bonus & fidelis eadem cura & fide qua oues ſuas ſtabulo educit, eadem illas & reducit. Conſolatio hæc magni momenti fuit olim non modò Iacobo iſti, ſed & Dauidi in exilio cõſtituto. Vide quæ Pſal. 23. canat. Et 2. Sam. 15. ſpe reductionis ſuffultus dicebat: Reporta arcam Dei in urbem. Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi eam.

Quoniam non deſeram te, inquit, donec fecero quæcunq; loquutus ſum ad te.] Obſerua primũ, ſic eſſe comparatum Deum, ut quæcunq; loquitur mortalibus, certò perficiat. Pertinet hoc ad firmitudinem uerbi Dei, quod in uanum abire non poteſt. Cœlum & terra tranſibunt, uerbum uerò Domini non tranſibit. Quàm ſunt felicia pectora, quæ firmitudini huic diuini uerbi indubitanter innituntur!

Deinde obſerua promiſsionem hanc, Non deſeram te, ex eo ductam, quod certò ſit Deus quę promiſit perfecturus. Promiſit nobis uitam ac felicitatem ſempiternam, regnumq; cœleſte per Chriſtum. Promiſsionem hanc omnino adimplebit. Interea ſumus multis periculis obnoxij. Quapropter promittit, quòd nolit nos deſerere. Quouſq;? Donec, inquit, fecero quæcũq; ſum loquutus. Si rex promittat cuipiam regni ſui hæreditatem, res ipſa poſtulat, ut interea illius curam gerat, donec hæreditandi regni tempus adueniat. Sic habet & noſtra conditio.

Sciant igitur fideles omnes, quibus regni Dei promiſſa eſt hæreditas, duo hæc eſſe omnium certiſsima. Vnum, quòd ſit Deus haudquaquam promiſsis ſuis defuturus. Alterum, quòd nequeat eos interea dum in hac terra peregrinantur, deſerere, donec quæ promiſit ad effectum perducat.

Et illud obſerua. Non deſeram te, inquit, donec fecero, quæcunq; loquutus ſum ad te. Reſpondeant hic Heluidiani, an rectè colligamus ex uocula Donec, ſi dicamus, Ergo deſeret nos poſtquàm promiſſa præſtiterit Deus? Vbi Matthæus dicit, Et non cognouit eam, donec peperiſſet filium ſuum primogenitum: inferunt illi, ergo cognouit eam poſtquàm peperiſſet filium ſuum primogenitum. Eadem ratione colligant & hoc loco, & dicant, Ergo deſeret Deus electos ſuos, poſtq̃ impleuerit, quæ loquutus eſt ad eos. Sed abſit ut ſic de Deo ſentiamus, quod ſit ſuos non in ſempiternum ſeruaturus, ſed aliquando deſerturus. Verùm de hac uocula Donec annotauimus quædam Pſalmo 110. ibi, Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

Et euigilauit Iacob de ſomno ſuo & dixit: Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Et timuit ac dixit: Quàm terribilis eſt locus iſte? Nõ eſt ipſe niſi domus Dei, & eſt ipſe porta cœli.] Exponit Moſes quid fecerit Iacob cũ de ſomno ſuo euigilaſſet. Cõmemorat aũt tria. Primũ, q̃d ſenſerit de loco iſto in q̃ dormiẽti uiſio diuina apparuerat, & qũo affectus fuerit. Deiñ q̃d cũ ſurrexiſſet fecerit. Tertiò q̃d uouerit. Quid de loco dormitionis ſuæ ſenſerit, ſic exprimit: Et euigilauit Iacob de ſomno ſuo, & dixit: Verè Dñs eſt in loco iſto, & ego neſciebã, &c. Qũo affectus fuerit, per id exponit q̃d dicit: Et timuit ac dixit: Quã terribilis eſt locus iſte. Timere cœpit, ꝓpterea q̃ ſine religioſa reuerẽtia eo loci pernoctaſſet. Id ex eo colligit, q̃d cũ dixiſſet, Verè Dñs eſt in loco iſto: ſubiecit, Et ego neſciebã, quaſi dicat, alioq haudquaq̃ hic iacuiſſẽ. Illud.

Quàm

Quàm terribilis est locus iste, melius uerteretur, q̃ reuerendus est locus iste. Rationis loco subijcit, quare sit is locus reuerendus, cum dicit: Non est ipse nisi domus Dei, id est, est ipsissima domus Dei. Addit, Et porta cœli. Loquitur aũt secundum uisionem, qua apparuerant angeli eo loci cœlitus descendentes in terram, & rursus è terra ascendentes in cœlos: quemadmodum usus portę est, ut per illam homines egrediantur & ingrediantur. Ipsa uisionis huius facies uidebatur esse domus Dei, & porta cœli propter apparitionem Dei & frequentiam ascendentium ac descendentium angelorum.

OBSER.

Et euigilauit Iacob, inquit, *de somno suo, & dixit.*] Non exprimit qũo affectus fuerit in ipso somnio, sed quid uigilans dixerit ac fecerit. Somniantes non sunt mentis suæ compotes, quare non est de phantasijs illorum, quibus occupantur inter somniandum, aliquid de doctrina pietatis usurpandum. Voco aũt phantasias nõ ipsas apparitiones diuinas: absit: sed affectiones & cogitationes somniantiũ, quibus in ipsis insomnijs afficiunt. Quare scripturæ non somniantiũ, sed uigilantiũ cogitata & dicta proponũt.

Verè, inquit, *Dñs est in loco isto.*] Deus nullo loco comprehenditur. Si quæras ubi sit, respondetur esse ubiq;. Cœlum & terrã præsentia sua implet. Vide Esa. cap. ultimo. Deinde nec Iacobo uisus est eo loco quo dormiebat, sed in cœlo, nimirũ scalę apparentis cacumini innixus. Quomodo igitur dicit Iacob: Verè Dominus est in loco isto? Loquitur de apparitione Dei, non de locali præsentia. Quoniã eo loco apparebat ipsi Dominus, dicebat obstupefactus & pauefactus, esse Dominum in eo loco.

Et ego nesciebam, inquit.] Apparuerat illi ergo Dñs eo loci præter ipsius cogitationem & expectationem. Nos cogitemus hic: Si sic inuisit suos & consolatur, nec sperantes, nec petentes, sed prorsus ignaros, immo dormientes, quomodo deserere poterit sollicitos, uigilantes, orantes, clamantes, sperantes, & expectantes. Cogitemus & illud, Apparuit Deus Iacobo ignorãti. Non impeditur ergo opus gratiæ ac prouidentiæ illius per nostram ignorantiam. Ignorantium piorum curam gerere solet, malitioso rum uerò quantumuis scientium, non ita. Ignorabat Iacob, appariturum esse sibi Dominũ eo loci quo cubabat: Dominus uerò sciebat ubi esset & cubaret Iacob.

Et timuit, & dixit: Quàm terribilis est locus iste, &c.] Compertũ est, hominibus tam superstitiosis quàm uerè religiosis loca sacra esse uerenda ac ueneranda. Superstitiosis & eidololatris deorum delubra, templa, adytus, antra, terrorem & pauorem incutiunt. Præterquã enim q̃ opinio religionis animos talium percellit, ipsa etiã infernalia numina, spiritus maligni, ac dæmones naturæ humanæ horrori sunt, tanq̃ hostes & exitiosi. Pijs uerò & rectè religiosis loca sacra, ad domũ Dei pertinentia, in quibus cultus Dei exercetur propter diuinę Maiestatis reuerentiam sic sunt terribilia, ut simul sint ueneranda & exosculanda. Quare palam testantur prophanos esse se, qui in locis sacris nullo religionis sensu tanguntur. Tales autem potissimum sunt, qui in dedicationibus templorum singulis annis Stentorea uoce clamant, Terribilis est locus iste: & templa egressi, festum Bacchi & Veneris celebrant magis, quàm q̃ uerbis & uoci ferationibus templarijs præseferunt, & aliàs in templis nundinationem & uentris seruitutẽ quouis modo exercent. Verùm habent suas labra lactucas. Qualia sunt sacra, tales sunt & mystæ.

Non est hic, inquit, *nisi domus Dei & porta cœli.*] Quare? Quia uidebat Deus esse in loco isto. Ergo ne domus Dei & porta cœli est ubicũq; Deus est? Deus est ubiq;. Ergo domus Dei & porta cœli ubiq; est? Negabunt hoc potissimũ Romani, qui clamãt domũ Dei & portã cœli non esse nisi in sede Romana. Sciendũ est Hebræis uocabulũ בית, id est domũ, sumi pro habitatione. Habitatio aũt Dei uocat, ubi per gratiam suã & ministeriũ uel angelorũ, uel hominũ, secundũ uerbũ suũ, habitare uidet. Huiusmodi aũt habitatio Dei locum habet ubi electi cõmorantur, qui gratiæ Dei, & ministerij uerbi illius capaces existunt. Aliàs Deus gratiam suam nulli loco sic dispensat, ut ibi habitare dici possit.

Et ipse est porta cœli, inqt.] Obserua q̃ domũ Dei & portã cœli cõiungit. In domo Dei est porta cœli, quoniã in domo Dei ministeriũ est angelorũ & seruorũ Dei. In domo Dei sunt oracula diuini uerbi, q̃b. mẽtes mortaliũ illuminant, & ad cœlestia appetẽda imbuũt. In domo Dei est peccatorũ remissio. In domo Dei est ascensus ad cœlos, de quo suprà annotauimus, ut rectissimè porta cœli domui Dei cõiungat.

Bene habet, quod cœlum habet portam, & illa in terras usq; demissa patet.

Et surrexit Iacob manè. (Exponit Moses quid postquã euigilasset fecerat Iacob. Pauefactus statim surrexit.) *Et accepit lapidem quem posuerat loco ceruicalium.*] Iosephus legit in plurali, lapides. Et clarificauit inquit, illos lapides. In Hebræo uerò non est האבנים, id est lapides, sed האבן, id est lapidem.

Et posuit eum statuam.] Vulgata latina habet, Et erexit titulum. Sept. habent στήλην, id est columbam, uel statuã. Erexit hunc lapidem & sic firmauit, ut ad modum statuæ staret erectus. Et hoc fecit nõ more ethnico, & eidololatrico, sed ut gestæ rei memoriam retineret, in quem usum duodecim lapides de Iordane sumpti postea sunt ab Israelitis consimili modo conseruandæ memoriæ gratia erecti.

Et fudit oleum super cacumen eius.] Quale fuerit oleum, non potest colligi ex uoce Hebræa שמן, quæ in genere pinguedinẽ significat. apparet eum oleum uel oliuæ, uel alterius cuiuspiam generis pro regionis illius consuetudine ad hoc secum sumpsisse, ut illo ad releuandam itineris molestiam uteretur. Quòd autem illud lapidi erecto infudit, ceremoniam consecrationis habet, quam puto non ab ipso tum primùm fuisse ex cogitatam, sed ab Abrahamo & Isaaco patribus ipsius acceptam.

Et uocauit nomen loci illius Bethel.] Vulgata latina habet, Vrbis illius. Bethel aũt significat domũ Dei.

Veruntamen Lus erat nomen ciuitatis illius à principio.] In Hebræo est uocula אולם, quæ significat aliquãdo uerè, q̃fectò: aliquãdo etiã sed, ueruntamen. Latinus interpres illã neglexit. Sept. coniunxerunt, idq; corruptè, cum sequenti uoce לוז, & uerterunt, πὰὶ ὐλαμμαὲς ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον, id est, & Vlammaus erat nomen ciuitati prius. Hieronymus hanc uersionem reprehendit, & uoculam Vlam

dicit idem esse quod antea, prius, &c. Lyranus dicit secundum cõmunem doctorum sententiã ciuitatem hanc Luzam, esse Hierusalem, & citat duos uersiculos istos: Solyma, Luza, Bethel, Hierysolyma, Iebus, Elia, urbs sacra Hierusalem dicitur atq; Salem. Verùm ipsa sacrarũ historiarũ series, & terræ illius descriptio reclamat. Et Hieronymus quoq; aliter sentit, dicens: Luza in tribu Beniamin est, quã postea cognominauit Iacob Bethel. Est aũt usq; hodie uilla in sinistra parte uiæ de Neapoli pergentibus Aeliam. Ité de Bethel scribit ad hunc modum: Bethel, uicus in duodecimo ab Aelia lapide ad dextrã euntibus Neapolim, quæ primùm Luza, id est, amygdalum uocabatur, & cecidit in sortẽ tribus Beniamin, iuxta Bethan & Ai, quã expugnauit Iesus rege illius interfecto. Porrò, q̃ quidam putant secundũ errorem Græcorum uoluminũ Vlamaulas antiquitus nuncupatã, uehementer errant. Verbũ quippe Hebræum & nomen ipsius ciuitatulæ pariter miscuerũt, cũ ulam significet prius, id est πρότερον, Luza uerò amygdalũ. & sit sensus: Vocabaĩ aũt Bethel prius Luza. Nec nõ & hoc quod Bethauen aliud oppidũ suspicant, Hebræi putant eandẽ esse Bethel. Sed ex eo tẽpore, quo ibi ab Hieroboã filio Nabath uituli aurei fabricati sunt, & à decẽ tribubus adorati, uocatũ esse Bethauen, id est domũ eidoli, quæ antè uocabaĩ domus Dei.

OBSER. Hæc Hieron. unde satis patet friuolũ esse quod Lyranus de hoc loco Bethel adfert in mediũ. Obiter hic ex uerbis Hieron. cogitet pius ac diligẽs lector: Si ex Bethel Bethauen, id est, è domo Dei, domus iniquitatis, finistro studio Hieroboã per falsos cultus fieri potuit, q̃ nõ fit mirũ q̃ ex eo loco, ubi olim uiguit doctrina Apostolica, facta est Babel, domus cõfusionis. Etiã si ex antiquo certo quodã oraculo Dei Roma fuisset cõstituta Bethel, sicut accidit loco isti, de quo loquimur, q̃d tamẽ nullis certis scripturis euinci potest: patet tamẽ præsenti exẽplo, posse ex Bethel fieri Bethauen. & ipsa docet experiẽtia, Romã iam aliquot seculis nõ esse sedẽ Apostolicã, sed prorsus Apostaticã, ideoq; uerius Bethauen q̃ Bethel uocandã.

OEBSR. 1 *Surrexit manè*, inquit.] Admonemur hoc & similibus aliis sanctorũ exemplis, sic esse religionis affectum comparatum, ut tollat omnem torporem, pigritiem ac cunctationem.

2 *Et accepit lapidem quẽ posuerat loco ceruicaliũ, & posuit eum statuã.*] Habes hic typũ Christi ex Iacob nascituri. Est ille lapis. Sic petra uocatur, & confessores illius Petri appellantur. Lapis Iacob sumptus erat de lapidibus loci illius. Sic Christus ex hominibus homo factus, & de hominibus ueluti lapis ex lapidibus sumptus est. Est enim caro de carne nostra, & os ex ossibus nostris, Eph. 5.

3 *Lapis Iacob positus est in domo Dei.*] Et Christus lapis preciosus positus est in domo Dei. Ecce, inquit, pono in Sion lapidem preciosum, angularem, probatum, fundatum, &c. Esa. 28.

4 *Lapis Iacob unctus est oleo.*] Et Christus unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis. Et ipse Lucæ 4. dicit: Spiritus Dñi super me, eo q̃ unxerit me. Hinc dictus est Messiah Hebr. Græcè Christus, latinè unctus. Et hæc puto saniora & utiliora esse, q̃ quod Canonistæ De Consecr. dist. 1. Can. Altaria, authoritate loci huius in Ecclesia Christi statuunt facienda esse altaria lapidea, & oleo ungenda. Carnales homines à lapide ad lapidem, & ab oleo ad oleum sensus suos accommodant, parum obseruantes quæ sit mens spiritussancti, & qualis sit noui Testamenti conditio, quàm in illo non lapides & oleum, sed homines fideles & gratia spiritussancti, lapidibus & oleo, tanquam ueritas typis, succedant.

Votum quid sit.

Et uouit Iacob uotũ.] Exprimit Moses consequenter orationem Iacob per formulam uoti prolatam, quare illam etiam uotum appellat. Est autem uotum religiosa precantium promissio ad Deum cum affectu & spiritu precandi prolata. Orauit Iacob ad Dominum, dubio procul cõmendans se gratiæ illius, eaq; petens quorum in uoto suo meminit, dicens:

Si fuerit Deus mecũ, & custodierit me in uia hac, in qua ego ambulo, & dederit mihi panẽ ad edendũ, & indumentũ ad induendũ, & reuersus fuero in pace ad domũ patris mei, & erit mihi Dñs in Deũ, & lapis hic quẽ posui in statuã erit domus Dei, & omne quod dederis mihi decimando decimabo tibi.] Hæc est summa uoti Iacob. Sũt aũt illius duę partes. Prima precationẽ habet, altera promissionẽ. Ad precationẽ pertinẽt ista. Si fuerit Dñs mecũ & custodierit me, &c. Sic exprimit cordis sui desideriũ. Eadẽ petit, quæ ex oraculo diuino promitti sibi intellexerat, de quibus suprà facta est mentio. Ad promissionẽ referenda sunt quæ subiungit: Et erit mihi Dñs in Deũ, &c. Coniunctionẽ, Et, existimant plerique hoc loco abundare, ideoq; legũt Si fuerit Dñs mecũ, &c. erit mihi Dñs in Deũ, & lapis iste quẽ posui in statuã, &c. Tria promittere uidetur. Primũ, q̃d uelit Dñm habere & colere tanq̃ suũ Deũ. Dñs enim dupliciter est Deus noster. Primũ, quãdo nos per gratiã suã seruat, & se Deũ nostrũ esse declarat. Secũdò, quãdo nos illũ tanq̃ Deũ, nostrũ unicè colimus. Primus modus nõ est uoti nostri capax. Nemo poterit hoc modo promittere, q̃ Dñs futurus sit Deus suus. Alter modus promittit hic à Iacobo. Quare q̃d dicit, Et erit mihi Dñs in Deũ expondũ est, Et colã Dñm tanq̃ Deũ meũ, habebo illũ pro Deo meo. Secundũ est q̃d ꝓmittit: Et lapis iste quẽ posui in statuã, erit domus Dei. Hoc est, colã ibi Deũ, & nomẽ eius inuocabo. Erit mihi locus sacer, diuino cultui cõsecratus. Declaraĩ hæc particula infrà in principio cap. 35. Alij sentiũt hoc esse per modũ uaticinij de tabernaculo ac tẽplo Dei aliquando eo loci futuro. Tertiũ est q̃d pollicetur: Et omne quod dederis mihi, decimãdo decimabo tibi. exponendũ esse uidet de sacrificijs & oblationibus, quib. postea Dñm eo loci ex pecudib. & frugibus suis offerẽdo coluit. Neq; eñ loquit de liberis uel seruis & ancillis.

Dominus dupliciter est Deus noster.

OBSER. Obseruandũ est hoc loco, q̃ post uisionẽ cœlestẽ & acceptũ oraculũ Dei preces subiũgit, quib. eadẽ petit, quę à Deo sibi ꝓmitti audierat. Hoc genus orationis firma potest fieri fiducia, ꝓpter ꝓmissorũ Dei certitudinẽ. Deinde obserua, q̃d nõ omnia petit, quæ in oraculo ipsi fuerãt ꝓmissa. Nihil eñ meminit eorũ quæ posteritatẽ ipsius concernebãt, & post aliquot erãt secula adimplenda, sed ea dũtaxat precando memorat, quæ ad præsentem ipsius peregrinationem pertinebant. Horum uidelicet cura tangebatur,

tur, magis quàm reliquorum. Sic uidemus etiam sanctos uiros usqueadeò nonnunquam præsentium necessitatum curis tangi, ut de futuris non cogitent, idq; orantes ad Dominum.

Tertiò & illud considerandum est, quòd per formã uoti precatur. Huiusmodi preces solent esse seriæ, & fieri ab illis qui in tribulationibus sunt constituti. Horum animus sic est comparatus, ut petendo auxilium Dei, permittant se fore gratos, & certa gratitudine beneficium acceptum agnituros. Hoc proposito addunt precibus promissa & uota.

QVAEST. Sed nascitur hic quæstio, quomodo defendi possit quod dicit Iacob, Si fuerit Deus mecum, & custodierit me, &c. erit mihi Dominus in Deum, &c. Sic enim ista sonant, ut inferri queat, Ergo non erat Dominum pro Deo suo culturus, nisi ista sibi præstitisset? Videtur enim hæc esse conditio promissorum. Si fecerit Deus quod illi præscribo, erit mihi Deus: sin minus, non erit mihi Deus. quæ sine impietate ne cogitari quidem, nedum uouendo dici possunt.

Respondeo simpliciter, & ut arbitror ueraciter, non esse ista per modum conditionis, quamuis uocula, Si, conditionem præscribere uideatur, sed spiritu precationis & proposito ueræ gratitudinis non sine admirationis affectu à Iacobo prolata. Iudicabat se esse in peregrinatione multis periculis, etiam uitæ, obnoxia. Et quoniam promissiones Dei audierat, quòd uellet esse secum, se custodire, deniq; & reducere, nunquam deserere, occasione promissorum istorum, cum admiratione quadam tam insperatæ consolationis prorumpit in huiusmodi uotum & ueræ gratitudinis promissionem. Q. d. Promittit ergo mihi Deus, quòd uelit esse mecum, &c. Quid nam tantæ illius gratiæ gratitudinis loco rependere potero? Profectò, si fuerit Deus mecum, & custodierit me in uia hac, &c. erit mihi Dominus in Deũ, &c. Hoc certè sensu nihil spirat uotum Iacob, quod alienum sit à pectore sancto.

In eo quod dicit, Et omne quod dederis mihi, decimando decimabo tibi, admonemur, quàm conueniat nos animo grato agnoscere beneficentiã donorum Dei, illisq; sic uti, ut ad gloriam nominis illius semper aliquid de illis cõsecremus. De decimis dictũ est suprà cap. 14. in historia Melchisedek & Abrahę.

CAPVT XXIX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Venit Iacob in terram Orientalem, incidit in Rachelem in agro Haran pascentem oues patris, accipitur hospitio à Laban, ducit uxores Leah & Rachelem filias Laban. Leah parit quatuor filios, Ruben, Simeon, Leui, & Iehudah.

ET *leuauit Iacob pedes suos & abijt in terram filiorum Orientis.*] Schema Hebraicum est, leuare pedes, quo & nos Germani utimur, dum dicimus: Er *hub sich auf seine füß*. Et si quando proficiscentes urgemus ut properent, solemus inclamando dicere, *heb de fieß auf*. Latinus interpres schemate hoc neglecto simpliciter uertit: Profectus ergo Iacob. Orientis filios intelligit Orientales. Hebr. בני קדם, id est, filiorum Kedem. Vox Kedem sonat non uirum aliquem Orientalicæ gentis authorem, ne imperitus aliquis hic erret, sed Orientem.

Postquam esset Iacob diuina uisione corroboratus alacri animo inde à Bethel Mesopotamiam uersus contendere cœpit. Vt hanc illius alacritatem exprimeret Moses, non dixit simpliciter: Et profectus est Iacob in terram Orientis: sed, Et leuauit Iacob pedes suos, & abijt in terram filiorũ Orientis. Admonemur hoc exemplo, quàm sit nobis huius uitæ nostræ peregrinatio alacri animo prosequenda, ubi ex uerbo diuinorum oraculorũ de gratia & beneuolentia Dei certi reddimur, q̃ uidelicet nolit nos deserere, sed quocũq; perrexerimus comitari, deducere ac reducere, & custodire fideliter, donec adimpleat quæ nobis est pollicitus. Leuauit Iacob pedes alacres contendens ad Mesopotamiam. Leuemus nos alacres cordium nostrorum affectus, contendentes ad ueram Orientem, non ut ibi peregrinemur, sed ut in patria nostra simus in sempiternum felices. OBSER.

Et uidit, & ecce puteus in agro.] Non loquitur de agro culto, sed de campo. Neq; enim uerosimile est fuisse hunc puteũ loco frugibus destinato. Quare rectè uertunt alij quidam, In campo. Orditur historiã aduentus Iacob in Haran, ac meminit huius putei, propter Rachelem, in quam ibi Iacob diuina dispositione incidit, priusquam ueniisset in ciuitatem Haran.

Et ecce ibi tres greges ouiũ accumbentes iuxta eum. Nam de puteo illo adaquabant greges, & erat lapis grandis super os putei. Et cõgregabantur illic uniuersi greges, ac deuoluebant lapidẽ de ore putei, adaquabantq; oues, ac reponebant lapidem super os putei in locum suum.] Erat puteus iste cõmunis, in usum incolarum eius loci ad hoc deputatus, ut potandis gregibus seruiret. Erat tectus grandi lapide. Quòd tectus erat, ob id erat institutum, ut seruaretur aqua illius munda: deinde, ne qua bestia, uel homo etiam aliquis nocte oberrans in illum incideret. Quod non leui aliquo periculo, sed grandi lapide tectus erat, consulto erat ob id factum, ne cui seorsim ac priuatim leuato lapide uel gregem suum potare, uel aliquid immundum in illum proijcere liceret. Hoc innuens dicit Moses: Et congregabantur illic uniuersi greges, ac deuoluebant lapidem de ore putei, adaquabantq; oues. Sic rationem reddit, quare Iacobum tres greges ad hunc puteum accubantes reperisse dixerit. Expectabant uidelicet, donec congregatis omnibus, qui greges suos ibi potare solebant, puteus aperiretur, & copia potandi greges fieret. Erat in ea regione, ut apparet, magna telluris ariditas & aquarum penuria. Quare cogebat ipsa necessitas ut communem puteum magna diligentia custodirent.

OBSER. Vides hic imaginem ſacrorum locorum, in quibus greges fidelium Chriſti ouicularum ad hoc congregantur, ut cœleſti aqua potentur ac recreentur. Hic puteus tenetur clauſus, donec congregatis fidelibus aperiatur, & ſacra fluenta è ſcripturis S. exhauriantur, bibendaq; profundantur. Putei huius non eſt alius uſus quàm ad greges adaquandas. Quare potatis gregibus rurſus clauditur. Et Eccleſiaſtica loca religioſe claudi ac reſerari cõueniebat, ne extra uſum illarum carnalium hominum uanitate & ludibrio prophanentur. Et utinam eo animo ad Eccleſiam congregemur, ut inde potemur ac refocillemur ſpiritu. Sic congregatis nunquam deerit ille qui dicit: Qui ſitit, ueniat ad me, & bibat. Et ubi duo uel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio illorum.

Et dixit ad eos Iacob: Fratres mei unde eſtis?] Alloquitur paſtores, qui cum gregibus potandis uenerant ad puteum. Vulgata latina habet: Dixitq; ad paſtores. Vocem, Iacob, omiſit, & paſtores de ſuo poſuit interpres ille, quiſquis fuit. Fratres, inquit. uocat eos fratres, cùm quia homines erant, tum quia erant

OBSER. paſtores. Non eſt inconueniens igitur, & præter exempla ſanctorum, ſi homo hominem, paſtor paſtorem, agricola agricolam, figulus figulum uocet fratrem. Nihil uidebat in illis aliud quàm q; eſſent homines & paſtores. Vtrunq; erat & ipſe. Verùm tanta eſt humani cordis malicia, ut homo homini pro fratre fiat dæmon, & figulus odiat figulum.

Vnde eſtis, inquit? Sciebat ſe haud procul eſſe ab Haran, ideo interrogat paſtores unde ſint, an fortè de Haran, ut de Laban auunculo ſuo percontari poſſit.

Et dixerunt, De *Haran ſumus.*] Sic non fuit falſus ſpe ſua Iacob. Et illi reſpondent humaniter. Reperias hodie Chriſtianos, qui ſic ab homine peregrino interrogati reſpondeant: Quid ad te, unde ſimus?

Et dixit ad eos: An non cognoſcitis Laban filium Nahor?] Filium dixit pro nepote. Erat enim Laban filius Bathuelis filij Nahor. Apparet eas gentes hoc in conſueto habuiſſe, ut pro cognominibus uſurparent nomina maiorum ac parentũ. Et id cõſuetudinis ſolenne eſt Iudæis. Dabatur autem id honoris & prærogatiuæ auis, ut uocarentur ipſi patres non modò filiorum, ſed & neporum ſuorum. id quod ex eo natum eſſe arbitror, quòd filios ſuos coniugatos unà cum uxoribus & nepotibus domi ſuæ retinerent, & uniuerſa familia filiorum ac nepotum ſub auo quaſi uno capite & patrefamilias uiueret. Sic conſueuerunt aui uocari patres nepotum, etiam poſt mortem, quod hic expreſſe uidemus. Non enim erat amplius in uiuis Nahor cum iſta gererentur.

Et dixerunt: Cognoſcimus. Et ait illis: An eſt illi pax.] Hoc eſt, uiuit ne commodè ac feliciter? Sunt ne res illius ſaluæ & integræ? Sic utuntur Hebræi uocula pacis pro rerum proſperitate. Septuaginta reddiderunt ὑγιαίνει. Et uulgata latina, ſanus ne eſt? Eſt aũt amici affectus hac interrogatione expreſſus, qua percontatur de Laban auunculo ſuo, ſit ne illi pax. Nos Germani de amicis interrogamus, Wie es ihm gange, ob es in wol gange. Significamus hac interrogatione eſſe nobis ſalutem illorum curæ.

OBSER. *Et dixerunt, pax.*] Erat Laban, cum illò ueniret Iacob, haud diues, ſed tenuium facultatum, quemadmodum capite ſequenti patet ex uerbis Iacob, ubi ad illum dicit: Modicum illud quod tibi fuit ante me, auctum eſt plurimum, & benedixit tibi Deus ad ingreſſum meum. Et tamen paſtores iſti reſpondent Iacobo, eſſe illi pacem. Ergo etiam illorum res ſaluæ ſunt & in pace, qui nõ ſunt opulenti, modò pauci ſint facultatibus contenti.

Et ecce Rahel filia eius uenit cum ouibus.] Poteſt hæc particula ſic legi, Et ecce Rahel filia eius ueniebat cũ ouibus: ut ſit uerbum Moſis, non paſtorũ. Rurſus poteſt legi in præſenti, Et ecce Rahel filia eius uenit cum ouibus: ut ſit uerbum paſtorũ. Et hæc lectio uidetur eſſe probabilior, propter ſequens factũ Iacob. Et ſi quid dandum eſt accentui uocum Hebræarũ, legendum eſt, Venit in præſenti, nõ ueniebat in præterito imperfecto. Eſt enim in Hebræo בָּאָה non בָּאתָה, ut accentus ſit non in prima, ſed ultima ſyllaba.

Et ait: Ecce adhuc dies magna eſt: non eſt tempus ut colligantur pecora. Potate oues, & ite, paſcite.] Videbatur ſic differre potationem gregum, ut adaquaris gregibus domum contenderent, & greges ad ſtabula reducerent. Iam quoniam dies adhuc magna erat, hoc eſt, multum diei ſupererat, ideoq; intempeſtiuum eſſet pecora colligere, id eſt, à paſtu in quo ſolent diſpergi, & paſcendo oberrare, in unum congregare, quemadmodum fieri ſolet, quando reducenda ſunt ad ſtabula, hortatur paſtores Iacob, ut adaquatas

OBSER. oues non domum, ſed ad paſcua reducant. Qua in re uides candidi animi exemplum, qui ſic comparatus eſt, ut etiam aliorũ damna prohibere cupiat. Cum damno dominorũ fuiſſent oues iſtæ citius æquo domum non ſatis paſtæ reductæ. Tum enim tempeſtiuum eſt greges pecorũ ad ſtabula reducere, quando ſunt ſaturi: quod eſſe ſolent ueſperi. unde Mantuanus ille poeta dicit: *ite domum ſaturæ, uenit heſperus, ite capellæ.* Erat Iacob homo peregrinus, & ignorabat, quorum nam eſſent iſti greges ouium. Et tamen non iudicabat eſſe inciuile, & à cura ſua alienum, admonere paſtores, ne greges non ſatis paſtos domum reducerent: ſed quoniam adhuc multum diei ſupererat, potarent, & adhuc ad ueſperam uiq; paſcerent. Sic ſunt comparati homines ſancti. Si quis hodie illorum ſequeretur exempla, haberetur pro inciuili.

OBSER. Illud, Non eſt tempus ut colligantur pecora, in uulgata latina eſt, Nec eſt tempus ut reducantur ad caulas greges. Mentem potius quàm uerba Iacob expreſsit. In Hebræa loquutione obſeruandum nobis eſt colligendi uerbum, pro eo poſitum quod eſt domum reducere. Priuſquam domum reducantur greges diſperſi oberrant, domum uerò ad ſtabula reducendi colliguntur. Sic in ſcripturis ſubinde de Deo legimus, quòd ſit diſperſos & exules Iſraelis congregaturus, hoc eſt, ad terram ſuam reducturus. Sic triticum colligitur, ut inuehatur in horreum. Et nos diſperſi ac palabundi in hoc ſeculo

ſeculo aliquando inde à quatuor uentis, à terminis orbis, angelico miniſterio colligemur, ut ad cœleſtem patriam & paratas manſiones reducamur. Vide Matth. 24.

Et dixerunt: Non poſſumus, donec congregentur cuncti greges, & deuoluant lapidem de ore putei, & potemus oues.] Ad id quod dixerat, Potate oues, & ite paſcite: reſpondent paſtores, non poſſe ſe hoc facere in præſenti, donec collectis omnibus lapidem de ore putei deuoluant. Poteſt hoc bifariam intelligi. Primùm, ut ſenſus ſit, lapidem tam eſſe grandem, ut non niſi communi paſtorum opera & non à paucis aliquot, deuolui queat. Sic illud, Non poſſumus: idem eſt atq; non ualemus, præualet uiribus noſtris hic lapis. Deinde, ut intelligendum ſit non de uiribus corporis, ſed de poteſtate ac licentia. Quaſi dicat: Non poſſumus facere quod ſuades, quia non eſt de more ac conſuetudine noſtra. Nobis non licet deuoluere lapidem de oſtio putei, & potare greges noſtros, ſed expectandum eſt donec cunctis gregibus collectis communis fiat ouium omnium adaquatio. Et hic poſterior ſenſus mihi magis arridet, propterea quòd non dicit, Donec congregentur cuncti paſtores, quamuis Septuaginta ſic uerterint: ſed, Donec congregentur cuncti greges. Non habebatur meo iudicio, ratio lapidis, ſed communis adaquationis. Reſpectu deuoluendi lapidis, non erat opus præſentia gregum omnium, cum ille multorum manibus etiam gregibus nondum adductis poſſet deuolui. Adaquationis uerò ratione expectabatur donec cuncti greges communiter potandi adducerentur.

Et illud, quod non dicit, Et deuoluamus: ſed, Et deuoluant lapidem: innuere uidetur, poteſtatem deuoluendi lapidem fuiſſe certis quibuſdam paſtoribus demandatam, ſine quorũ opera & præſentia non licuerit reliquis aperire puteum, & illos nondum fuiſſe præſentes. Tales uocamus hodie, *brunnen maiſter*. Quare interpres latinus inconſulto uertit hoc loco, Et amoueamus lapidem, cum in Hebræo non ſit נגלנה, id eſt, & deuoluamus: ſed גללו, id eſt, & deuoluant.

Vide humanitatem & manſuetudinem iſtorum hominum, qua non dicunt Iacobo, Quid ad te, quando nos greges domum reducendos colligere debeamus? Peregrinus huc uenis, & nos doces? Sed cũ placiditate cauſam reddunt, ob quam ipſis non liceat facere quod ille ſuadet. OBSER.

Deinde & illud obſerua, quòd tenaces ſunt paſtoralium legum & conſuetudinum cuſtodes, agnoſcentes & dicentes, non poſſe ſe facere quod fieri non licebat, quia poteſtati ipſorum conceſſum non erat. Vtinam hodie diuinarum legum ſic eſſemus conſtantes cuſtodes, ut & ipſi uerè dicamus: Non poſſumus odire proximum, non poſſumus diſcedere à uerbo Domini, non poſſumus adulterari, non poſſumus furari, non poſſumus falſum teſtimonium dicere: & de conſtitutionibus ciuilibus, Non poſſumus facere, quod communi lege negatur.

Duo cauſantur paſtores iſti, quare nequeant facere quod ſuadebat Iacob. Vnum, eſſe ſibi illicitum, utpote non ad ſuam, ſed aliorum poteſtatem pertinens. Alterum, non poſſe ſe defraudare & præripere, quod ad uſum communem & publicum pertinere ſciant. Obſecro, conſideret pius & uigilans lector quantum probitatis ethnicæ proponatur in iſta paſtorali & doctis hominibus contempta ſimplicitate, & quàm rarò inueniantur inter huius ſeculi homines, qui huic ſeſe exemplo conforment.

Adhuc loquebatur cum eis, & Rahel uenit cum ouibus patris ſui: quoniam paſcebat ipſa.] Vulgata latina habet in plurali, Adhuc loquebantur, cum in Hebræo ſit, Adhuc loquebatur, Iacob uidelicet, cũ eis, id eſt paſtoribus. Quãuis non ſolus Iacob, ſed & ipſi paſtores locuti ſcribantur, datur tamen colloquiũ hoc non paſtoribus, ſed Iacobo, propterea quòd is colloquendi fecerat initium. Sic habet & conditio contentionum. Qui author eſt contentionum, rectè contendere dicitur, licet pars aduerſa contendenti ex propoſito reſpondeat, & cauſam ſuam tueatur. OBSER.

Et Rachel, inquit, uenit cum ouibus. Obſerua exemplum diuinæ diſpoſitionis, quale uidimus & ſuprà in hiſtoria Ribkæ, ubi ad fontem incidit in ſeruum Abrahæ.

Quoniam paſcebat ipſa. Obſerua humilem educationem Rachelis. Erat iunior, ideoq; paſcendo gregi deputabatur, quemadmodũ accidit & Dauidi. Leah erat ſenior, & hanc ob cauſam liberalius educabatur. Diſcrimine hoc filiarum Laban pulchrè uſus eſt Dominus. Et nomen Rahel ouem ſignificat, ut quaſi ad paſcendas oues ab utero matris deſtinata fuiſſe uideatur. Nec caret myſterio. Non ſunt aptiores & utiliores paſtores Eccleſiarum Chriſti, quàm ſunt illi qui & ipſi ad gregem pertinẽt ouium. Qui propter morum & ingenij feritatem magis lupos quàm oues referunt: utut paſtores ſimulent, lupi magis ſunt quàm paſtores.

Et factum eſt cum uidiſſet Iacob Rahelem filiam Laban fratris matris ſuæ, & oues Laban fratris matris ſuæ, acceſſit Iacob, & deuoluit lapidem de ore putei, ac potauit gregem Laban fratris matris ſuæ.] De illa audierat ex paſtoribus, quod iam ad puteum cum ouibus patris ſui ueniret. Quare diligenter aduentum illius obſeruauit, & præſentẽ uidens cognoſcere potuit, quòd eſſet ipſi priusq; ad puteum perueniſſet digitis paſtorum monſtrata. Exponit itaq; Moſes, quid fecerit cũ Rahelem cum grege patrono præſentem uideret. Acceſsit, inquit, Iacob, & deuoluit lapidem de ore putei, ac potauit gregẽ Laban fratris matris ſuæ. An hoc ſtatim fecerit, cũ Rahelem uidiſſet, uel tempus aperiendi putei expectarit, nõ eſt à Moſe expreſſum.

Obſeruandum aũt eſt, q̃ adhuc incognitus cognati ſanguinis affectũ, & amicũ animũ erga auunculum ſuum, quem nondum uiderat, ſtatim initiò declararit. Et hunc Moſes in eo quoq; exprimere uoluit, q̃ tertiò dicit, Laban fratris matris ſuæ. Poterat ſimpliciter dicere, Cum uidiſſet Iacob Rahelem, præſertim cum illius antea ex indicio paſtorũ facta eſſet mentio: uerùm ut affectum Iacob exprimeret, quo intus in corde ſuo ad conſpectum filiæ fratris matris ſuæ mouebatur, ſic maluit narrare, cum OBSER.

Iacob

uidisset Iacob Rahelem filiam Laban fratris matris suæ, & oues Laban, fratris matris suæ, &c. & potauit oues Laban fratris matris suæ, quæ in speciem perissologiam habere uidentur, cum ad hunc sint modum studio ad exprimendum affectum Iacobi posita. Impensissimè afficiebatur, quod datum esset præter expectationem ad fontem illum incidere in filiam auunculi sui Laban. Quare latinus interpres consuetam negligentiam hoc quoq; loco ostendit, cum non obseruata Mosaicæ loquutionis diligentia sic uertit: Quam cum uidisset Iacob, & sciret consobrinam suam (uerbum sciendi non est in Hebræo) oues q; Laban auunculi sui, amouit lapidem quo puteus claudebatur, & adaquato grege osculatus est eam. Nos admonemur hoc exemplo, quàm ea quæ ad humanitatis sensus & affectus pertinẽt tam non sint aliena ab ingenio sanctorum, ut nusquã melius & uiuacius quàm in illis ipsis deprehendantur. Adhuc incogniti amicitiæ specimen exhibent.

Disputant de eo, qũo potuerit Iacob tam grandem lapidẽ solus ab ore putei deuoluere, & prædicãt illius robur, quo id præstare potuerit. Huiusmodi roboris gloria Esau cõuenientius q̃ Iacobo tribueret. Meo iudicio quærendũ magis esset, qũo Iacobo homini peregrino & incognito facere licuerit, quod sibi incolæ loci illicitum esse dixerant. Lyranus annotat, amouisse eum hunc lapidem adiutum opera pastorum, qui iam congregati fuerant. Est hoc uerosimilius, quàm quòd puratur solus aperuisse puteum.

Et osculatus est Iacob Rahelem.] Consuetudo erat amicis & cognatis, osculo sese tanquã amicitiæ symbolo inuicem accipere & salutare. Quare quod Iacob fecit, notã habuisset impudicitiæ, nisi cognouisset puellam hanc esse sibi materno sanguine iunctam. Moses cum fugisset à facie Pharaonis, & ad puteum incidisset in filias Ietro sacerdotis Midian, adiuuit quidem illas, ut gregem paternum adaquarent: osculatus uerò non legitur, propterea quòd non esset illis ulla iunctus uel cognatione, uel amicitia. Vide Exod. 2.

OBSER. Considera hoc loco de temperantia & pudicitia priscorum seculorũ. Hodie tales sumus, ut moribus istis ueterum castè uti nequiremus. Et hinc est, quòd alij dum ista legunt, offenduntur, & impudicitiæ damnant: alij ad fomenta impudicitiæ suæ rapiunt, sicuti fecerunt Anabaptistæ.

Quare fleuerit Iacob. *Et leuauit uocem suam, & fleuit.*] Quærunt hic, quare fleuerit Iacob. R. Shlomoh dicit, quoniam uidebat in spiritu sancto futurum ut non coniungeretur ipsi in sepultura. Quid non audent homines isti, qui quiduis sacrarum literarũ studiosis audent obtrudere? Addit & aliam rationem, quam recitat Lyranus, & reijcit Burgensis, uidelicet, quòd fleuerit Iacob propterea quòd uacuis manibus uenisset Haran, cum antea quondam seruus Abrahæ multis muneribus cumulatus illò fuisset nuptiarum gratia missus. Addit, fuisse eum cum magna bonorum paternorũ copia missum in Mesopotamiã, uerùm in itinere comprehensum & spoliatũ ab Eliphath primogenito Esau. Hisce nugamentis delectantur, qui nõ sunt S. scripturarũ simplicitate ac certitudine cõtenti. Meo iudicio fleuit Iacob præ gaudio, q̃ tam feliciter ad destinatũ locũ uenisset, & tam opportunè in filiũ Laban auunculi sui incidisset. Non legitur fleuisse, cũ discederet à parentibus suis, nec in itinere alicubi sic deiecto fuit animo, ut solueretur in fletũ. Reperias, qui cũ sint in tristibus firmi & infracti, sensu inopini gaudij soluãtur in lachrymas. Verũ huiusmodi lachrymę suaues sunt, nõ acerbę: nec habẽt adiũctas querelas, sed potius gratulationẽ. Et gaudiũ huiusmodi tale est, ut necessariò illi præcesserint tristia quædam, uel molesta desideria, uel tentatio desperationis.

Et indicauit Iacob Raheli quòd frater patris ipsius esset & filius Ribkæ.] Sic aperit rationem adaquari gregis, osculi, & fletus. Seruus Abrahæ cum incidisset in Ribkam ad fontem, & cognouisset quòd esset filia Bathuelis, propter quam fuerat in Mesopotamiam missus, nõ indicauit illi quis esset, sed id tum demũ fecit, cum esset in domo patris illius hospitio acceptus. Quærat igitur aliquis, ob quam causam non fecerit idem & Iacob. Permultum refert qua quid ratione geratur. Seruus Abrahæ sic ornauerat Ribkam muneribus, ut inde satis esset occasionis uocandi ipsius & hospitio accipiendi. Nihil tale potuit Iacob. Quare insinuabat se alia ratione, adaquatione uidelicet gregis, osculo, & indicio quis nam esset. Sic reddebat Rahelem instructam, ut patri de se suggereret.

Illud, quòd frater patris ipsius esset, sic dictum est, quemadmodum Abrahã dicebat ad Lot: Ne, quæso, sit iurgium inter me & te, &c. nam uiri fratres sumus. supra cap. 13. Lot non erat frater, sed nepos Abrahæ ex fratre. Iacob non erat frater Laban, sed nepos illius ex sorore. Verùm consuetudo Hebræis est, ut cognati alius alium fratrem appellent. Et filius Ribkæ, inquit. Neglectum hoc est in uersione Septuaginta. Habet autem nihil superflui, sed adiectum est specificationis gratia. Erat enim uox fratris generalior, quàm ut quis esset exprimeret.

Et cucurrit & indicauit patri suo.] Ribkah aduentum serui Abrahę nunciauit matri, Rahel uerò de aduentu Iacob nunciauit patri suo. R. Shlomoh dicit מתה אמו, id est, mortua erat mater eius, id quod ex eo uerosimile uidetur, quod quemadmodum in historia Ribkę nulla patris, hic nulla matris fit mentio.

OBSER. Obserua quòd non secum duxit Iacobum ad ædes paternas, sed primùm de aduentu illius annunciauit patri. Et ea erat modestia Iacobi, ut haud ultrò cum illa ciuitatem intraret, sed foris dum uocaretur, expectaret.

Et factum est cum audisset Laban rumorem de Iacobo filio sororis suæ, cucurrit in occursum eius, & amplexatus est eum, & osculatus, & duxit eum in domum suam.] Rumorem uocat Hebr. שמע, id est, auditum, quod ex Rahelis indicio acceperat Laban. Nisi forsan præter uerba Rahelis etiã ex alijs quædam de illo acceperat, qũo uidelicet lapidem de ore putei amouisset, & gregem ipsius adaquasset. Exprimit autem scriptura officiositatem & humanitatem Laban erga Iacobum, declaratã dum de illo cõmemorat quod

in occur-

A in occursum eius cucurrerit, quemadmodum & olim seruo Abrahæ fecerat, amplexatusq; eum sit, & osculatus, atq; ita amicè acceptum in domum suam duxerit. Qua in re uidemus quàm facile sit homini malo & uersuto amicitiam & humanitatem externis gestibus simulare, ut putes ipsissimam esse amici cordis synceritatem quę non nisi simulatè ac subdolè fiunt. Ex posterioribus autem priora declarantur, sicut in factis Laban quoq; monstrari potest. OBSER.

Et recensuit ipsi Laban omnia uerba illa.] Hoc est, exposuit Iacob auunculo suo Laban omnia quæ ad causas aduentus sui pertinebant, quomodo uidelicet & quibus de causis ad ipsum esset à parentibus missus. Considera hic quę sit sors Iacobi. Solus uenit ad auunculũ. Nihil habet quo causam suam approbet ac fide dignam reddat, nisi uerba, quibus illam simpliciter exponit, ut magis uideatur citra conscientiam parentum suorum nudus aufugisse, quàm ab illis esse amandatus. Nostro seculo propter profugorum & erronũ multitudinem parum fidei inueniret ipse quoq; Iacob, si ad hunc modum ueniret. uerùm prisca simplicitas plusculum suo tempore merebatur fidei quàm postremis hisce temporibus, in quibus omnia sunt impostoris referta. OBSER.

Et ait illi Laban: Vtiq; os meum es & caro mea.] Ebręam uocalẽ אך, quam alij uertunt, profectò, alij utiq;, omiserunt Septuaginta, & latinus interpres. Illud, Os meum es & caro mea, Septuag. habent ἐν τοῖς ὀστοῦν μου καὶ ἐν τῆς σαρκός μου εἶ σύ, id est, ex ossibus meis & ex carne mea es tu. Nihil autem dicit aliud, quàm consanguineus & cognatus meus es tu. Sensus est: Aequum est, ut dem tibi filiam, propter quam causam huc es missus. Es enim consanguineus meus. Parum habebatur honestum nubere extraneis. Nuptiæ cognatorum ac consanguineorum iudicabantur esse & honestæ & felices.

Cogitemus hic, si tanti momenti fuit apud ueteres esse de ossibus ijsdem & carne eadem, quanti nobis esse debeat, esse cor unum, animam unam & spiritum unum. Si sic coniungit propagatio unius & eiusdem carnis, quanto nos debebat coniunctiores reddere cœlestis genituræ propagatio? uerùm usq; adeò sumus nouissimis hisce temporibus deprauati, ut nec una caro coniungat, eiusdem originis & sanguinis, nec spiritualis natiuitas conciliet eiusdem fidei ac spiritus consortes. OBSER.

Et mansit cum eo mensem dierum.] Ebr. חדש ימים, uulgata latina habet, dies mensis unius. uerùm & Chaldęus & Septuag. concordant cum Ebræo. Sensus est, tot dies mansit cum illo, quot uno mense comprehenduntur.

B *Et dixit Laban ad Iacob: An quia frater meus es, seruies mihi gratis? indica mihi quæ sit merces tua.*] Postq; mensis spacio fuerat Iacob apud Laban, & oues illius pauerat, illiq; seruierat, cœpit Laban cum illo paciscì de mercede, non modò præteriti mensis, sed & futuri temporis, quo ipsi erat seruiturus. An quia frater meus es, inquit, seruies mihi gratis? Q. d. Minimè. Non sum adeò iniquus, ut hoc abs te petam. Quare dic qua fis mihi mercede seruiturus. Obserua ingeniũ proborũ hominũ. Cum uenisset Iacob in Mesopotamiam ad Laban auunculũ suũ, non est in domo illius ociatus, sed confestim cœpit curam gere rei ouiũ, illosq; perinde, ac si seruus esset, pascere. Non cogitabat, Seruies ne homo liber? deinde in domo auunculi constitutus, ad quã missus es non ut seruias, sed ut uxorem ducas? Indecorum putabat ociari, & panem auunculi frustrà & inutiliter consumere. Deinde & illud cogitemus. OBSER.

Multũ debet frater fratri, & præter mispat fraternæ coniunctionis est, si quis fratri non aliter quàm extraneo proprij emolumenti respectu seruiat. Admonemur tamen hoc loco sic iniquũ esse, si frater fratris laboribus ad suũ ipsius cõmodum gratis uti cupiat, ut etiã agnouerit hoc Laban quamuis esset homo improbus.

Et erant Laban duæ filiæ. Nomen maioris erat Leah, & nomen minoris Rahel.] Habebat Laban non solum filias, sed & filios, sicut infrà in principio cap. 31. patet. Horum tamen non meminit in præsenti, sed filiarum, propter sequentes historias.

Et oculi Leæ erant teneri, & Rahel erat eleganti forma, & eleganti aspectu.] Et hoc necessariò memorat propter sequentia. Oculi Leæ erant teneri, inquit. In Ebr. est רכות, quæ uox sonat imbecille, infirmũ, ac tenerũ. Tharg. Hierosol. habet רביבי, id est, teneri. Vulgata latina habet, Sed Lya lippis erat oculis. Chald. uertit יאריך, id est, pulchri. Sep. uerò ἀσθενεῖς, id est, imbecilles. Vox Ebręa, quemadmodũ dixi, sonat tenerum. Tenerum uerò & id uocatur quod est imbecille, & id quod est pulchrum. unde nata est uersionum differentia. Et nos Germani uoculam, *zart*, utroq; sensu usurpamus, pro *blõd*, & pro *schõn*. Significat Moses Leam fuisse oculis imbecillibus, ideoq; minus gratam aspectu. Geminam autem elegantiam adscribit Raheli, formæ uidelicet, id est, constitutionis corporis, & faciei. Quid hic sit de pulchritudine corporis notandum, dictum est suprà cap. 24. in historia Ribkæ.

Et dilexit Iacob Rahelem, & dixit: Seruiam tibi septem annis pro Rahele filia tua minore.] Dixerat Laban: An quia frater meus es, seruies mihi gratis? Indica mihi quæ sit merces tua. Iam subijcitur quid ad ista responderit Iacob. Seruiã tibi, inquit, pro Rahele septẽ annis. Quare hoc uoluerit Iacob ex præcedentibus monstrat. Propterea uidelicet, quòd uenerat illò nõ pecunię, sed uxoris ducẽdæ gratia, & Rahelem diligeret, propter elegantiam formæ ac faciei illius, ideoq; illam alteri præferret. Horum gratia pręmisit Moses de pulchritudine Rahelis, ac tum demum responsum hoc Iacobi subiecit.

Quòd Iacob pro uxore seruire uoluit magis quàm pro pecunia, exemplum habet animi non immemoris paternæ uoluntatis. Hoc nomine missus erat in Mesopotamiam, ut de domo Laban sumeret sibi uxorem. Hoc uel seruiendo obtinere uoluit, quandoquidem cernebat sic esse comparatum Laban, ut non esset ipsi gratis daturus filiam in uxorem. OBSER.

Quod pro Rahele & non pro Leah, propterea quòd illa esset pulchra, seruiuit, non sic debet exponi, quòd propter muliebrem uenustatem seruitutẽ perferre uoluerit, quod parum conuenit uiro graui & honesto. Seruiuit pro uxore, cuius ducendæ gratia uenerat. Erat hoc indignũ libero homini, idq; cognato. uerùm uitium hoc illiberalitatis dandum est non Iacobo, sed Laban, qui filias suas non erat alta conditione elocaturus, quàm quæ ad ipsius faceret quæstum. Quòd autem pulchritudine Rahelis mouebatur, ut hanc sibi in uxorem deligeret magis quàm Leam, humanus erat affectus, nihil habens illiciti. qua de re & suprà cap. 24. memini.

Et dixit Laban: Bonum est ut dem eam tibi magis quàm ut dem eam uiro alteri: mane apud me.] Accipit Laban conditionem propositã à Iacobo, spectans propriũ emolumentũ. Et tamen hoc dissimulans egregiè, iterum simulat affectum cognationis. Non dicit, Bonum est, ut dem eam tibi pro seruitute septem annorum: sed, Bonum est ut dem eam tibi magis quàm alteri uiro. q.d. Melius est & æquius ut dem eam cognato meo quàm alieno. Sic Laban iste perpetuò agit insignem hypocritam, ut rectè uocatus sit Laban, id est, albus & candidus. foris enim præ se tulit speciem uiri iusti, æqui, & humani, cum tamen esset in corde longe diuersus ab eo q uideri uolebat. Si fuisset uerus amicus, dixisset utiq; ad hunc modũ: Nolo ut seruias mihi pro filia, quã tibi respectu cognati sanguinis, nõ respectu seruitutis in uxorẽ dare uolo.

Et seruiuit Iacob pro Rahele septem annos, & fuerunt in oculis ipsius sicut dies pauci, propterea quòd amaret eam.] In Hebræo est, & fuerunt in oculis ipsius בִּימֵי אֲחָדִים de qua loquutione uidimus suprà cap. 27. in uerbis Rebkæ ad Iacobum. Septuag. uerterunt suprà ἡμέρας τινὰς, hic uerò, ὡς ἡμέραι ὀλίγαι.

OBSER. Obserua. Iacob filius promissionis, à Domino benedictus, promissionem habens diuinæ præsentiæ & custodiæ, homo diues, natus ex libera, & dominus terræ Canaan, seruiuit in Mesopotamia. Ergo nõ est aliena sors ista à sanctis hominibus, ut in conditionem seruilis uitæ incidant.

Deinde, seruiuit Laban homini reprobo, ipse iustus, pius ac Deo charus. Cõuenientius seruisset ipse Laban. Sit hoc exemplum solatio illis qui dominis subijciuntur reprobis ac dyscolis.

Tertiò, septẽ, inquit, seruitutis anni fuerũt in oculis ipsius sicuti dies pauci, propterea q̃d amaret eã. Si hoc potuit amor sponsę, quid futurũ putabimus, ubi tẽpus erit, ut ingrediamur in thalamũ cœlestis

QVAESTIO sponsi? Sed quęrũt hic q̃modo deĉ amori, quod Iacobo septennij spaciũ reddiderit instar paucorum dierũ, cũ uerosimilius sit in eiusmodi negocio septẽ dierũ spaciũ in oculis hominis amãtis septennij æquare prolixitatẽ. Interea quidẽ dũ seruiebat pro dilecta Rahele, credibile est sensisse eũ desiderij mo B
lestiã, & seruitutis prolixitatẽ, uerũ Moses nõ loquit̃ de intermedio 7. annorũ tẽpore, sed de illorũ fine, cũ impletis 7. annis ducẽda iam esset Rahel in uxorẽ. Tũ uidelicet iudicabat se paucos seruisse dies, propterea quod illã impense diligeret. Perinde est ac si diceret: Et numerauit Iacob pro Rahele septẽ talenta auri, & fuerũt in oculis ipsius sicut pauci oboli, propterea q̃d amaret eã. Quare illud, Seruiuit Iacob pro Rahele 7. años, idẽ est ac si diceret, & impleuit Iacob seruitutẽ septeñalẽ, qua pro Rahele seruierat.

Et dixit Iacob ad Laban: Da uxorẽ meã. Sunt enim impleti dies mei, ut ingrediar ad illã.] Vel hinc patet ea præcedẽtia nõ ad intermediũ septennij tempus, sed ad finẽ referenda. Non enim dixit ista Iacob, nisi tempore septẽ annorũ completo. Quare nõ simpliciter dixit, Da mihi uxorem meam: sed addit, Sunt enim impleti dies mei. forsan respectu uerborũ istorũ dixit Moses, fuisse septẽ annos sicut dies pauci in

OBSER. oculis Iacob. Obserua. Non usurpat sponsam suam suopte arbitrio, sed appellat socerum, ut eam sibi tradat. Erat Rahel ipsi promissa sub conditione. Cõditione præstita erat iam ipsius uxor iure legitimo. unde & nõ dicit, Da filiã tuam: sed, Da uxorẽ meã. Quàm diuersus erat Iacob ab illis qui puellas ad se non pertinentes suapte temeritate parentibus inuitis, & contradicentib. sub titulo cõugij, sed clandestini, potestati suæ uindicant. Et sunt tribunalia Christianorum, quæ eiusmodi coniugia confirmant.

Deinde & illud obserua, quod dicit: Sunt enim impleti dies mei. Habes exemplũ constantis pudicitiæ & temperantię. Amauit, & tamẽ sic non est obsequutus amoris affectibus, ut ante constitutũ septennij tempus adamatæ sponsæ consuetudinẽ præciperet. Tertiò. Quod ipsum Laban attinet, uides pernisi ingenij exemplum. Debebat ipse completo septennio Rahelem dare Iacobo, ne opus illi esset sponfidi famã suam ab ipso petere. uerũ q̃n non agebat hanc causam syncero animo, ideo moras nectebat, & interea seruitio Iacob ultra terminum præfixũ dissimulanter ad suum ipsius emolumentum utebatur.

Et congregauit Laban omnes homines loci, & fecit conuiuium.] Vulgata latina habet: Qui uocatis mul-

OBSER. tis amicorũ turbis ad conuiuiũ. Videmus hoc exemplo, morem conuiuiorũ nuptialiũ esse & ueterem, & non nostrorum duntaxat, sed & Orientaliũ gentiũ. Nihil habent illiciti & inhonesti, nisi id aliunde accedat. Quare nec Christus illis interesse dubitauit, sicuti uidere est Ioan. 2.

Deinde obserua quòd non amicos tantum, sed & omnes homines loci ad nuptiale conuiuium uocauit. Ergo erat illi liberum uocare quos uolebat. Hodie usq; adeò creuerunt conuiuandi studia pariter & sumptus, ut quibusdã reipubl. necessariũ uisum sit, in nuptijs certũ præscribere conuiuarum numerum.

Et factum est ad uesperam, & accepit Leam filiam suam, & introduxit eam ad illum, & ingressus est Iacob ad eam.] Rursus uides hic exemplũ hominis simulatoris, ac dissimulatoris. Instituit solẽnes ac celebres nuptias, cõuocat oẽs eius loci ciues, ac simulat se facere ex animo sincero quod Iacob postulauerat, cum

QVAESTIO longe aliud agat. Quæri aũt poterit, quare Leam noctu pro Rahele ad Iacobũ introduxerit. Thergũ Hierosolymitanũ habet, petijsse illũ à cõuiuis consiliũ, quo posset obtinere à Iacobo, ut adhuc septem annos sibi seruiret, cõiuuas consuluisse, ut non Rahelem, sed Leam ad illũ noctu introduceret, quo postea pro Rahele ipsi adhuc alios septem annos seruire cogeret, modò coniugio illius potiri uellet. Satis erat astutus.

assitus,ut uerosimile sit sua illum ipsius hoc uersutia tentasse. Timebat uidelicet,ne Leam post Rahelem non acciperet in coniugē,sed cōiugio dilectæ Rahelis potitus rediret in patriā,atq; ita emolumentis seruitutis illius priuaret,quibus adhuc diutius uti cogitabat. Hoc consilio pro Leah clanculū ac fraudulenter incauto & nihil huius suspicanti obtrusit Leam. Cogitabat,cognitā nocte nuptiali nō poterit abijcere. Erit illi retinēda Leah,nolit uelit. Si Rahelis nuptijs potiri uoluerit,pro qua amoris gratia totum mihi septenniū seruiuit, iniungam illi ut adhuc septem alios annos pro ea seruiat. faciet hoc. Haud essi cōsuetudine illius carere poterit. Ad ista quid egit ipsa Rahel? Poterat submonere Iacobū. Poterat consilijs patris obsistere,& sororē à concubio sponsi sui arcere. Neq; enim potuit Laban impostura hanc sine illius conscientia perficere. uerū si luit ac pertulit. unde uides quales fuerint illorū temporū puellæ. Hodie inter mille uix inuenies unam,quæ sponsum suum noctu nuptiarum sorori cedat.

Et dedit ei Laban Zilpham ancillam suam Leæ filiæ suæ in famulam.] Videt uocula,Ei,abundare. uel si illa non abundat,illud, Leæ filiæ suæ,expositionis esse gratia adiectum. Latinus interpres particulā hanc præcedenti,Et ingressus est ad eam,præposuit. Sic enim habet,Dans ancillā filiæ Zelpham nomine, ad quam cum Iacob ex more fuisset ingressus. Amphibologiā habet hæc lectio. Tam enim Iacob ad ancillam quā ad Leam ingressus esse intelligi potest. Quod ancillam addidit Leæ,factū esse uidetur ad morem eius regionis. Et Ribkæ addebantur ancillæ. Erat hoc matris puellæ,ad quam,si in uiuis fuisset,pertinebat. Quare etiam hinc apparet fuisse illam tum mortuam.

Et factum est mane,& ecce erat Leah.] Erat Leah non solum manè,sed et tota illa nocte fuerat Leah. Quare uidetur accidisse hoc Iacobo non sobrio,sed ebrio. Sic exponent homines carnales. uerùm tutius est,ut demus hoc simplicitati & pudicitiæ priscæ. Leah dubio procul tota sese nocte cōtinuit,ne quid loqueret. Alioqui ex sermone facile fuisset cognita. Et ea erat Iacob pudicitia,ut si lentiū hoc primæ nocte in puella boni cōsuleret,pudoriq; adscriberet. Huiusmodi ingenijs simplicibus,modestis,pudicis,et minimè suspicacibus sine negocio,præsertim tempore nocturno imponi potest,ut non sit necesse,quod hic accidit Iacobo,tribuere ebrietati. Non debemus secundū nostrorū temporum mores de factis prisco rum patrū ferre sententiam. Simul illud obserua. Quod noctem attinet, & totam reliquā nuptialis consuetudinis oblectationem,obsecro quid desiderabat Iacob in Leah, priusquā exorto diluculo ex facie cognosceret esse illam non Rahelem,sed Leam? Amabat Rahelem quòd esset pulchra,Leam contemnebat. Et tamen noctis beneficio potuit contempta Leah omne illud oblectamentum præstare, quod expectabatur à Rahele tantopere pulchra & dilecta. uides hoc exemplo quid possit opinio, de qua uulgo dicitur,quòd regat mundum?

Et dixit ad Laban: Quare hoc fecisti mihi? An non pro Rahele seruiui tibi(in Ebræo est עִמָּךְ, id est,apud te)*& quare fefellisti me.*] Manè deprehensa fraude Iacob expostulauit cū socero suo Laban. Non legit aliquid exprobrasse Leæ. Poterat illi dicere, Vt quid tacuisti,cū ingrederer ad te,putaremq; te esse Rahelem sponsam meam? Authori imposturę huius omnē culpā tribuit. forsan Leah ignorabat opinionē Iacob,qua putabat esse Rahel. uel hoc acceperat in mandatis à patre,ut tota nocte usq; manè taceret, nec ulla se ratione proderet. Quare rectius cum Laban q̄ cum illa,expostulauit Iacob. Admonemur nō OBSER.
esse præter mispat ueræ innocentiæ & patiētiæ,si uir pius illatā fraudē exprobret impostori. Obser ua etiā q̄ non dicit simpliciter,Quare fefellisti me:sed præmittit,An non pro Rahele seruiui tibi? Multa sunt fraudū genera,inter quæ non est illa leuiter culpabilis qua fideliter seruienti promissum seruitutis præmiū uel in uniuersum,uel suppositione uilioris interuertit: id quod accidit Iacobo in hac causa.

Sed quæritur,an fuerit coniugium hoc Iacobi cum Leah ratum & legitimum. Reiectis ambagibus QVAESTIO
respondemus, non esse legitimum cōiugium, quod hisce artibus sine recto utriusq; partis consensu conflatur. uerùm quoniam postea consensus Iacobi accessit, integrato consensu confirmatum est & integratum coniugium. Quare non debemus coniugium hoc inter Iacobum & Leam utut fraudulenter inchoatum,postea tamen confirmatum,in dubium uocare.

Et dixit Laban: Non fit ad hunc modum in loco nostro,ut detur minor ante primogenitam.] Vide rursus hypocritam. Prætexit consuetudinem loci,quasi propter illam pro Rahele obtruserit Iacobo Leam, cum non huius,sed proprij emolumenti respectu id fecerit. Quod si noluisset infringere consuetudinem loci,dixisset hoc Iacobo statim initio primi septennij,cum ille diceret: Seruiam tibi septem annis pro Rahele filia tua minore:uel saltem in fine,cum dari sibi uxorem suam peteret, priusquam dies nuptiarum adesset:uel si ne tum quidem hac de re illum admonere uoluisset,admonuisset planè priusquā Leam ad illum introduceret. Vides exemplum ingenij subdoli. ubi cōmodum est, seruat & prætexit loci con- OBSER.
suetudinem,etiamsi aliàs parū de seruanda illa cogitet. Et interea facit, quod non erat de consuetudine & honestare loci. Neq; enim in consueto erat,ut soror pro sorore per impostura nocte nuptiali sponso nihil huius suspicanti supponeretur. Talis est eorum excusatio,qui dicunt, Non est consuetudo in Ecclesia,ut sint sacerdotes uxorati. Et interea catholicæ scortationi indulgent, quasi id faciant secundum consuetudinem Ecclesiæ. Dum admittunt quod est contra Dominum, contraq; omnem Christianæ professionis religionem,prætexunt consuetudinem Romanæ Ecclesiæ.

Imple hebdomadam hanc,& dabitur tibi etiam ista pro seruitute qua seruies mihi adhuc septem annis alijs.] Illud, Imple hebdomadam hanc,in uulgata latina est,imple hebdomadam dierum huius copulæ. Sep. habent: τὰς ἑβδομάδας ταύτης, id est,hebdomadam huius. Loquitur Laban de hebdomada nuptiarum Leę. Solebant enim nuptiæ honestorum hominum continuatione septem dierum celebrari,sicuti in historia

Simsonis Iudic.14.& Tob.11.uidere licet. Dicit igit: Imple hebdomadam hanc, Ebræus שבע זאת, hoc est: Noli hasce nuptias Leæ interturbare, sed serua morē nuptiarū, & retine Leā, p cōiuge. Quod Rahelē attinet, etiā ista tibi dabit ubi nuptias Leæ impleueris. Pro seruitute, inquit, qua seruies mihi. Rursus in Ebræo est עמדי, id est apud me. Germanicè sic loquimur, *er hat bei mir dienet.* Sep. uerterūt, Pro opera qua operaberis apud me. Qua seruies mihi adhuc 7. annis alijs, inquit. Hic aperit consiliū fraudis suæ, planè iniquū & pprij emolumēti sordidè studiosum. Si dixisset, Et dabit tibi etiā ista pro seruitute quā seruisti mihi 7. annis præteritis, uideri poterat fraude hac nihil egisse aliud, quàm ut & morem loci seruaret, & Leæ maiori filiæ consuleret. Iam uerò, ubi imponit Iacobo septem adhuc alios annos, quibus sibi pro Rahele seruiat, manifestè prodit, quòd commodis non filiarum, sed suis etiam iniquis rationibus consulere uoluerit.

Et fecit Iacob sic, & impleuit hebdomadā illā, & dedit ei Rachelem filiam suā ut esset uxor eius. Et dedit Laban Raheli filiæ suæ Bileham ancillam suā ut esset ei famula.] In Ebræo est, & dedit ei Rachelē filiā suam ei in uxorē. Item: Et dedit Laban Raheli filiæ suæ Bilehā ancillam suā ei in famulā, ubi לה, & לח, abundare uidentur, nisi reddantur quemadmodū uerti. Iacob quamuis iniqua fraude circūuentus esset à Laban socero suo, acquieuit tñ uoluntati illius, partim pro ingenij sui placiditate, ne nuptijs aliquid perturbationis
OBSER. inferret: partim propter amorē Rahelis. Vides animi placidi ac mansueti ingenū. Poterat dicere: Pro Rahele seruiui tibi annos septem, non pro Leah. Rahelem ergo mihi exhibe in uxorē, sicuti promisisti. Leam nolo. Satis est mihi una uxor, nolo duas. Serua tibi Leam, uel da cui uolueris. Quòd si mihi Rahelem pro septem annis quibus tibi seruiui, dare detrectas, deferamus causam hanc ad iudicium fratrum uel ciuium. Illi iudicent inter me & te. uerùm nihil horum regerit, sed miti ac placido ingenio mauult pati iniuriam, quàm ius suum persequi.

Et ingressus est etiam ad Rahelem, ac dilexit etiā Rahelem præ Leah, seruiuitq; apud eum (Laban) adhuc septem annos alios.] Vocula גם, id est, etiā, secundò positam in Ebræo, latinus interpres neglexit, sic uertens: Tandem potitus optatis nuptijs, amorem sequentis priori prætulit, seruiēs apud eū 7. annis alijs.

Et ingressus est, inquit, etiam ad Rahelem. Quemadmodum uidelicet ingressus fuerat ad Leam, nocte nuptiarum. Loquitur enim de nuptijs Rahelis, quæ statim finitis nuptijs Leæ cœperunt, quas & ipsas totos septem dies durasse crediderim.

Ac dilexit etiā Rahelem præ Leah. Rahelem dilexit etiā ante nuptias toto illo seruitutis suæ septennio, quo patri Laban pro illa seruierat. Quid igitur magni erat, quod illam post nuptias etiam dilexit? Non hoc simpliciter dicit Moses, sed quòd illam dilexerit magis quàm Leam. Cum aūt dicit, Ac dilexit
OBSER. etiam Rahelem, innuit illū Leam quoq; diebus nuptiarū diligere cœpisse. Duo uidemus hoc loco accidisse Iacobo, quibus bonitas ingenij illius manifestatur. unum, quòd Leam, quamuis per impostūram sibi pro Rahele dilecta obtrusam, & imprudenter prima nuptiarū nocte cognitam, consuetudine tamen nuptiali diligere potuit. Alterum, quod Rahelem antea dilectā post nuptias quoq; amplius quā Leam dilexit, quamuis sibi pro illa adhuc septem annos seruiendū esse sciret. Nec seruiēdi molestia, nec soceri iniquitas, nec copia duarum uxorum amorem illius erga Rahelem diminuit. Arguunt hæc duo animum probum & humanū. Reperias hodie qui uxores suas etiam adamatas ante nuptias, post nuptias fastidiant, nedum quas inuiti duxerunt. Deinde reperias qui uxores suas propter parentum illarum uitia odio prosequantur, etiamsi illæ sint extra culpam.

Illud, Seruiuitq; apud eū adhuc 7. annos alios, intelligendū est de 7. annis, qui nuptias Rahelis sequuti sunt, nō ut quidā falso existimant, præcesserūt, è quibus est & Ioseph. & Chrysost. Ergo Iacob maritus duarū uxorū, nepos ex sorore, gener quoq; seruit in domo auunculi ac soceri sui Laban, perinde ac si seruus ancillam in domo illius duxisset. Vides quid faciat sordidum illud proprij peculij studium?

Et uidit Deus, quòd exosa esset Leah. Vulgata latina habet, quod despiceret Leam. *& aperuit uterum eius, & Rahel erat sterilis.*] Hactenus de nuptijs Leæ & Rahelis duarum filiarum Laban & uxorum Iacob, iam consequenter de prole illarum subijcitur: Et uidit Deus quod exosa esset Leah. Intellige, quòd negligeretur à Iacobo, propter amorem Rahelis, quam diligebat magis quàm istam. Hanc negligentiam uocat Moses odium, propterea quòd quemadmodum amari uidetur qui cæteris imperiosus colitur & in delicijs habetur, ita uidetur exosus esse, qui negligitur & fastiditur. Sic usurpata est uox odij etiam in secundo præcepto Decalogi. Et aperuit uterum eius, inquit, & Rahel erat sterilis, hoc est, uterum Rahelis non aperuit. uterum aperire, est fœcundam reddere.

OBSER. Notandū est, quod dicit: Et uidit Deus quòd exosa esset Leah. Sic oculi Dei erāt intenti nō in Iacobū tantum, sed & uxores eius, quomodo illæ tractarentur. Coniugia fideliū suorū aspicit & curat Deus.

Deinde obserua q nō dicit, q amaretur Rahel: sed quòd exosa esset Leah. Vidit quidē & illud, uerū id potius uidisse dicit, cuius plus rationis habuisse deprehendit. Nō displicuit, q Rahel amabat, neq; in ultionē amoris illius reddidit illā sterilē, sed miseratus est Leā neglectā, & ut illa quoq; fieret amabilis, aperuit uterū eius, Rahelis uerò clausit: ne si & illa fœcunda esset, amori huius impediret, & cor Iacobi respectu pulchritudinis pariter & fœcūditatis, prius ad se traheret. Non ademit Raheli pulchritudinē, propter quā amabat: neq; ideo negauit illi fœcunditatē, ut odiosam redderet: sed permisit, ut amaretur: interea tamē curauit, ut Lea quoq; uiro suo & si non pulchritudinis, saltem fœcunditatis gratia acceptа fieret. Voluit enim utrasq; diligi tanquam uxores. Qua in re obseruanda nobis uenit diuinę dispositionis prouidētia, qua sic dona sua dispensat, ut nec omnibus det omnia, nec omnia cuiquā admat, sed singulis

gulis distribuat, quantũ satis ad hoc est, ut sint usui & accepti. Et hodie fieri subinde uidemus, ut homini bus singulari forma præditis minus adsit aliorum donorum Dei, & uenustæ mulieres minus sint fœcundæ: contra uerò deformioribus insit aliquid uel fertilitatis, uel industriæ, uel scientiæ, uel alterius cuiusp iam gratiæ, unde quod deest formæ resarciatur.

Et concepit Leah, & peperit filium.] Non exprimitur quando conceperit Leah, an statim in ipsa heb domada nuptiarũ priusquã Rahel daretur Iacobo in uxorem, uel post nuptias Rahelis. Si statim in heb domada nuptiali, obseruandũ est uidisse Deum magis quod futurum erat, quàm ꝙ in præsenti gerebatur, ubi uterũ Leæ aperuit, propterea quòd præuideret fore illam neglectam propter defectũ formæ, & pulchritudinem sororis. Si demum post nuptias Rahelis, ergo Iacob Leam uxorem suam non sic cõtempsit, ut non præstaret illi debitum coniugij, secundum mispat & ordinem tori coniugalis.

Et uocauit nomen eius Ruben.] Sic legitur cõmuniter Ruben, quod est in Ebræo ראובן, id est, Reuben, quod significat, uidete filiũ. Hieron. interpretatur filiũ uisionis. *Dixit enim: quoniam uidit Dominus afflictionem meam.* In Ebræo est בעניי, quod latinus interpres uertit, humilitatem meam. Sic habẽt & Sep. & addunt de suo: *καὶ ἔδωκέ μοι ὑὸν*, id est, & dedit mihi filium. Ex hac ratione colligunt aliqui nomen Reuben esse quadrisyllabum, sic ut conflatũ sit ex ראה, id est, uidit, & ו quæ sit litera d. nominis. & ב, quæ significat in uel ad, & עבה quæ uox sonat afflictionem, ut sensus sit nominis rationi adiectæ conformis, uidit Dñs afflictionẽ meã. Interpretatio hæc accuratior est, quã ut muliebri simplicitati cõueniat. *Quoniam nunc diliget me maritus meus, inquit.* q.d propterea quod peperi marito meo filium, diliget me posthac. Habent ista gratulationem Leæ. Gratulatur sibi psi propter filium quem peperit. Illius enim gratia futurum sperat, ut posthac non sit amplius contempta, sed accepta in oculis mariti sui. Hoc gratulationis affectu cum peperisset, in hanc uocem erumpebat ראובן, id est, uidete filium. Præcipuè ob id gaudebat quod non filiam, sed filium peperisset. Cogitabat enim id placiturum marito suo magis quã si peperisset filiam. Et hac ratione uocauit primogenitum hunc suum Reuben.

Obseruandũ hic est & piæ & honestæ mulieris ingenium. Piæ in eo, quod agnouit gratiam Dei, dicens: Quoniam uidit Dominus afflictionem meam, & huic acceptũ fert, quod cõcepit & peperit filiũ. OBSER. Honestæ, in eo, quod subdit, Quoniam nunc diliget me maritus meus. Honestæ coniugis affectus est, cum primis id habere in uotis, ut grata sit & accepta in oculis mariti sui, & si diuersum sentiat, eam ob causam plurimum dolere & contristari, quemadmodum & Leæ huic molesta erat afflictio, quam Dominum uidisse, id est, miseratum esse dicit, quod uidebat se marito suo parum esse gratam. Infirmũ organum est mulier, & si uxorata sit, tota pendet à fide mariti sui. Quare nihil illi potest accidere tristius & miserabilius, quàm si ab illo contemnatur & negligatur, ut haud sit præter rationem quod Apostolus præcipit uiris, ut uxores suas diligant. Eph. 5.

Et concepit adhuc & peperit filium & dixit: Quoniã audiuit Dominus, quod exosa sum ego, & dedit mihi etiam hunc, & uocauit nomen eius Schimeon.] Quædã exemplaria latina habent, Quoniã uidit me Dñs haberi cõtemptui. At in Ebræo est, quemadmodũ uertimus, cui & Septuag. concordant. Chald. paraphr. habet שמיע קדם יי׳ ארי, id est, quoniã auditũ est coram Domino. Sensus est: Quoniam audiuit Dominus suspiria mea & gemitus, quos in conspectum eius tanquam mulier contempta & exosa indesinenter effudi, misertus mei dedit mihi etiam hunc filium, ut magis ac magis commender marito meo. Et ob hanc causam uocauit nomen secũdi huius filij שמעון, quæ uox auditũ sonat. Obserua & hic pietatem Leę, in eo quod credit se esse exauditã à Dño, & ab illo nõ despectã, quãuis odiosa haberet in oculis Iacob, et forsan etiã sororis Rahel. Clamauit ad Dnm̃ tanq̃ mulier neglecta ac despecta. Erat hoc fidei. OBSER. Audita est à Dño. Cõmendat hoc nobis bonitatẽ Dei ad audiendũ preces humiliũ & afflictorũ propensam. ubi secundũ filiũ peperit, agnouit se esse exauditam à Domino. Agnosce sensum beneficiorũ Dei. Vocauit nomen secũdi huius filij sui Schimeon, id est, auditũ uidelicet Dei. Exprimitur ea in re studium gratitudinis, quo beneficium Dei in ipso suo filio, tanquam dono Dei, memoriæ consecrare uoluit.

Et concepit iterũ & peperit filiũ, & dixit: Nunc semel adhærebit mihi uir meus. (In Ebrẽo est עתה הפעם, q̃d q̃dam uertũt: nũc hac uice. Sep. sic *νῦν τῷ νῦν λοιπὸν πρὸς μὲ ἔσται ὁ ἀνὴρ μου*, i. nunc tẽporis mecũ erit maritus meus, uel mecũ faciet maritus meus. uulg. lat. habet: Nunc quoq; copulabit mihi maritus meus.) *quoniã peperi ei tres filios.* Spem suã exprimit de recuperãda mariti sui gratia, & addit rationẽ, ꝙ uidelicet tres illi filios peperisset. Hanc eñ ob causam sperabat fore, ut adhęreret sibi uir suus. Siquidẽ sciebat eũ sic esse animatũ, ut magno teneret filiorũ desiderio propter ꝓmissam à Dño seminis multiplicationẽ. Est aũt dictũ cũ affectu spei nonnihil ex eo auctæ, q̃d tres filios peperisset, q̃d dixit: Nunc semel, uel nunc tandem adhærebit mihi uir meus. Et nos Germani hoc loquutionis genere utimur cum dicimus, *Yetz würt es ein mol angon*, ubi de rebus loquimur, quæ post multa molimina tandẽ successum acquirũt. Sic innuit Leah amorẽ Iacob erga Rahelẽ fuisse tam uehemẽtem, ut difficulter etiã duobus filijs natis animũ ipsius ad se pertrahere potuerit. Et hac de causa uocauit nomen tertij filij Leui, à uerbo לוה quod copulari & adhærere significat, atq; ita spei suæ affectum in nomine filij exprimit.

Et concepit adhuc & peperit filium & dixit: Nunc confitebor Domino. Quapropter uocauit nomen eius Iehudah.] Postq̃ quartũ filiũ peperit, sperans abunde satis d. se beneficio q̃d optauerat, impetrasse, erupit in uerba gratiarũactionis, ac dixit הפעם אודה את יי׳, id est, Iam tandẽ cõfitebor Dño, uel gratias agã Dño, & gratiã illius deprędicabo. q.d. Abundè satisfactũ est uotis meis. Abundè satis expertus sum diuinã erga me beneuolentiã. Cæterũ quiescã, & bonitatẽ Dñi grata deprędicabo. Sic uocauit nomẽ quarti filij

Iehudah, quæ uox sonat cõfessorẽ. Est eñ deducta à uerbo ירה, quòd cõfiteri ac gratias agere significat. A

Et cessauit parere.] In Ebræo est, ותעמד מלדת, id est, & stetit à pariendo. Et nos Germani uerbo standi pro cessare utimur, Es ist bestanden, hoc est, cessauit.

Obserua grati animi ingeniũ in hac pia & honesta matrona. Posuit desiderij sui ac uoti modũ. Illo acquisito, gratias egit Dño. q.d. Si quatuor filiorũ procreatione nõ potero flectere ad me animũ mariti mei, commendabo oẽm hanc causam meã Dño, proq; beneficijs illius gratias agã. Admonemur hoc exemplo, ut moderatè sequamur cordiũ nostrorũ uota, ponamusq; certũ quendã illorũ modũ & finẽ. Deinde ut gratifimus Dño pro ipsius in nos collata gratia, quicquid fiat de euentu rerũ, quarũ uoto afficimur. Deinde obserua q̃ cõmodè fuerit hoc gratitudinis affectu prædita ubi quartũ filiũ peperit, & quàm cõpetenter uocarit eum Iehudah, ex quo erat proditurus Christus, semen benedictionis, omnium promissionum Dei scopus & finis, unde & uniuersus populus Dei uocandus erat Iehudah.

CAPVT XXX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Exponuntur hoc trigesimo capite generationes filiorum Bileah & Zilphah ancillarum Rahelis & Leæ, deinde rursus ipsius Leæ, postremò & Rahelis. Præterea, qua mercede Iacob socero suo Laban post finem posteriòris septennij seruierit.

ET *uidit Rahel, quòd non pareret Iacobo, & inuidit Rahel sorori suæ, ac dixit ad Iacobũ: Da mihi filios, alioquin moriar ego.*] Hactenus exposuit Moses, quid Leæ per gratiã Dñi euenerit, iam subijcit de Rahele, quomodo illa fuerit affecta cũ esset sterilis, & sterilitatẽ suã tandiu durare uideret. Et uidit Rahel, inquit, q̃ nõ pareret Iacobo. hoc est, q̃ constanter esset sterilis. uulgata latina habet, quòd infœcunda esset. Sept. uerterũt, ὅτι οὐ τέτοκε τῷ Ἰακώβ, id est, quod non peperisset Iacobo. Non hoc tñ uidit Rahel, quòd non peperisset, sed quòd nõ pareret Iacobo, id est, quòd dono fœcũditatis destitueret. uidit hoc ex collatione fertilitatis sororis. Cum eñ soror eodẽ quo ipsa marito utens toties impr̃egnaret, & filios procrearet, ipsa uerò conciperet & pareret nullos, facile uidit se esse sterilem & infœcundam.

OBSER. Cum hoc uideret, quid fecit? Inuidit, inquit, sorori suæ. Ergone Rahel, mulier sancta, sorori suæ fœcunditatẽ à Dño datam, & mariti sui uotis non ingratam inuidit? Atqui de Leah nõ legimus quòd ipsi mariti sui amorẽ inuiderit, cum esset neglecta & despecta. Omnino apparet Rahelem humani aliquid esse passam hoc loco, & in causa pietatis non satis respondisse sorori. uerùm simul norandũ est, quòd nõ fuerit malitiosæ inuidiæ stimulis agitata, cuius ingeniũ est, dolere de bono proximi, etiamsi inuidus illo haud destituatur. Rahel non sic inuidit Leæ, ut doleret ipsi, esse illam fœcundã: sed quòd ipsa infœcunda esset, hoc eam malè habebat. Cautè ergo Moses non dicit, Et uidit Rahel quòd soror pareret Iacobo, & inuidit sorori suæ, ac dixit ad Iacobum: Noli procreare filios ex Leah, alioqui moriar: quæ uerba omnino malitiosæ inuidiæ affectũ spirassent: sed, Et uidit Rahel, inquit, q̃ nõ pareret Iacobo, & inuidit Rahel sorori suę, & dixit ad Iacobũ, Da mihi filios, alioq moriar ego. ex quib. uerbis satis patet, hunc inuidiæ affectũ esse illi non ex eo simpliciter natũ, q̃ soror pareret filios Iacobo. sed potius ex eo quòd ipsa interea, dum ex sorore Iacob tolleret quatuor filios, infœcũda permaneret. Sic inuidia ista Rahelis dolor erat magis de proprio defectu quàm de fœcunditate sororis prognatus. Illud, Alioqui moriar ego, uehementiam doloris exprimit, quo propter sterilitatem afficiebatur. Erat marito suo charissima, propter uenustatem formæ: illo tamen amore sic non erat contenta, ut dolorem sterilitatis conqueri posset. Quàm diuersimodæ fuerunt illæ mulieres affectæ à nostris?

Et *exarsit Iacob ira aduersus Rahelem* (Vulgata latina simpliciter habet: Cui iratus respondit Iacob) *Et dixit: An pro Deo sum ego? qui prohibuit à te fructũ uteri.*] Irascitur Raheli Iacob, idq; haud leuiter, sed nonnihil cõmotius, quã tñ impensissimè adamabat. Et iratus respondet: An pro Deo sum ego, qui prohibuit à te fructũ uteri? In Ebræo est: התחת אלהים אנכי, quod cõmuniter uertũt: Num pro Deo, uel, Deo sum ego? Vocula תחת significat quidem, pro, uice, loco, sub: uerùm nescio quomodo quod sequitur, qui prohibuit à te fructũ uteri, cum hac uersione satis pertinenter cõueniat. Etenim si sensus est, Num loco Dei sum ego? uidetur subiungendum fuisse, quòd à me petis liberos, uel, qui tibi liberos dare queam. uerùm quoniam non de eo subijcit, quòd ipse facere debeat, si Dei loco esset, sed de eo quòd Deus in Rahele faciebat, prohibens ab illa fructũ uteri, uidetur mihi particulæ istius hunc esse sensum: An non sub Deo sum ego, qui prohibuit à te fructũ uteri? q. d. Quid ego contra Deũ præstare potero, cuius sum uoluntati pariter ac potestati subiectus? Is te priuat fructu uteri: ego illi subiectus quid faciam? Sic quod in Ebræo est תחתת, id est, num sub, positum est pro חלא תחת, id est, an non sub. Quod si quis omnino legendũ esse putat, num pro Deo sum ego? cogitet an non sit ea lectio Germanismo nostro conformis, quo uocula, *für*, utimur pro contra, *wider*, cum dicimus, *wer kan für vnglück? was kan für mich für Gott?* Sic uocula תחת usurpata esset pro contra. ut sit sensus: Num contra Deum ego quid potero? Etenim uerbũ, sum, non est in Ebræo, sed simpliciter: num pro Deo ego? uerùm cum nemine contendero. Simpliciter & candidè admoneo, quæ mea sit cogitatio hoc loco. Iudicium sit penes cordatum lectorem.

OBSER. Inspiciamus tamẽ hũc locũ. Et exarsit, inquit, Iacob ira aduersus Rahelẽ. Habet hæc ira Iacob quędã quę transire nõ possum. Erat uir sanctus, & præterea patriarcha. deniq; ingenio alàs miti ac placido, & tamen non est simpliciter iratus, sed ira excanduit, sic ut impetum iræ in nullu proderet. Et in quem excanduit?

excanduit? In Rahelem, inquit. Ergo uir grauis & sanctus excanduit in mulierculam. Socrates ne in Xanthippen quidem quamuis rixosissimã. Ergo maritus excanduit in uxorem, & amans in amatam, quam sic deamabat ut septem annorum seruitutem instar paucorum dierum duceret. Ecquid illi succensuit? Propterea quòd dicebat: Da mihi filios, alioqui moriar. Quid iniqui erat, ꝙ mulier cupida prolis filios sibi dari petebat, idq; à legitimo marito, cui facta erat multiplicandæ posteritatis promissio? Aneam ob rem digna erat in quam excandesceret patriarcha maritus, qui & ipse prolis benedictionẽ expectabat? An pro Deo sum, inquit, qui prohibuit à te fructum uteri? Atqui hoc ipsa quoq; Rahel haud ignorabat. Non erat usq; adeò impia, ut iudicaret donũ fœcunditatis situm esse in arbitrio & potestate uiri, uel existimaret hominem posse Deo resistere ac præstare quod Dei est: sed sic loquuta est ex inconsulto liberorũ desiderio, & impotenti dolore quem propter sterilitatem patiebat quos. illius affectus debebat Iacob magis inspicere, q̃ propter uerba incircumspectius ꝓlata excandescere. Poterat illi placidè respondere: Et inter mea Ribkah ad uicesimũ usq; annũ sterilis erat. Orauit, ꝓ illa Isaac pater meus ad Dñm, & orãdo impetrauit illi fructũ uteri. Idẽ faciemus et nos. Orabimus ad Dñm, ꝓ dono fœconditatis, & ille nos exaudiet, dabitq; tibi filios. Ad hũc mo̅dũ modũ poterat Raheli placido animo respõdere. Verũ declaratũ est hoc exẽpio etiã graues, honestos & sanctos uiros humanis esse defectib. obnoxios, & nõnunq; impotẽtia animi à tramite decori in trãsuersum rapi. Deinde obserua, ꝙ nõ dixit, Quid ã ne petis liberos? Sterilis mulier es et indigna quę mater liberorũ fias. Habeo filios ex Leah. Non curo qd tibi usuueniat. Nihil horũ dixit, sed q̃uis excãdesceret, à probris tñ & insultationib. abstinuit Sic sanctetiã si subinde humani aliquid patiant, sollicitè tñ cauẽt, ne sibi ipsis prorsus excidãt, & mutuã charitatẽ enormius lędãt. Tertiò. Qui prohibuit, inquit, à te fructũ uteri. Quid hoc rei est? Prohibet ne Deus, ne fiat quod bonum est, & ab ipso initio creationis conditum & ordinatum. An non ipse mulierẽ ad hoc condidit ac uiro coniunxit, ut ex illorũ copula genus humanũ crescceret? An non hãc ipsam ob causam masculũ & fœminã hoc fine coniunctos benedixit dicens, Crescite & multiplicamini? Quõ igitur à Rahele fructum uteri prohibuit? Respondeo, factũ hoc Dei nec iniustũ est, nec malũ. Cõdidit quidem & cõiunxit masculũ & fœminã, iusitq; ut crescerẽt & multiplicarent: deniq; & copulæ illorũ benedixit, & planè uidit quæ fecerat oĩa bona esse ualde: uerũ ista nõ sic instituit, ut incrementũ multiplicationis huius in sua potestate nõ retinuerit: quemadmodũ et telluri quidẽ germinationis uirtutẽ indidit, interea tñ hanc ipse ꝓ sua uoluntate dispensat. Bonũ quidẽ est, si mulier sit fœcunda, & fructu uteri sui ꝓpagationi generis humani seruiat, nedũ si semẽ ꝓmissum & benedictũ proferat: at bonũ hoc nõ extenditur in infinitũ, sed habet limites mẽsurę suę modi, numeri & tẽporis secundũ infinitã illam prouidentiam Dei, qua cuncta in sapientia, numero, pondere & mensura dispensant. Quare locum hic nõ habent uulgaria illa: *So meer, so besser.* Item, *des gůten khan nit zůuil sein.* Quartò. Dicet aliquis: Cum prohiberet Dñs à Rahele fructũ uteri, quare nõ indicauit hoc Iacobo, præcepitq; dicẽs: Noli ingredi ad Rahelem, quia prohibeo ab illo fructũ uteri usq; ad tẽpus. Cum daturus sum illi prolẽ, monebo ut ad eã ingrediaris. Et ipse Iacob, cum intelligeret Dominũ prohibere à Rahele fructũ uteri, quare ad illã ingressus est frustra? Si materia ista incideret in sublimes, acutas, & profundas sophistarum disputationes, crede mihi, timeremus utriq; & Deo & Iacobo, quemadmodũ & Abrahæ & Isaaco, ne culpæ scortariæ libidinis damnarent̃ isti, ille uerò negligentiæ & oscitantiæ. Hodie suadent regibus & principib. ut Saras, Ribkas, & Raheles suas repudient, & in locum repudiatarum alias ducant: qui si temporibus patriarcharũ regnassent, coniugia illorũ prorsus diuulsissent. Abrahã non retinuisset Saram ad nonagesimum usq; annum sterilem. Isaac post decennij sterilitatẽ Ribkam suã repudiasset. Est Iacob iste Rahelem tanquã infrugiferã acceptis ex Leah liberis cõiugio suo exclusisset. Vel certè neuter illorũ debita cõiugij sterili suæ uxori præstitisset. Disputant enim subtiliter, sit ne legitimus congressus uiri cum coniuge sua, unde sciat nõ posse sperari prolẽ, & quo loco peccatorũ eiusmodi cõcubitus sit habendus. Homines spurci, & infandis libidinibus absorpti legitimi coniugij, unde nati sunt, nisi sint spurij, insignes hostes, de debito coniugali disputant, aptiores ad excutienda multifaria Satanicarum libidinũ genera, quibus debemus honestissimi status, legitimi matrimonij, prophanationẽ, quæ nouissimis istis temporibus inter Christianos obtinuit. Sancti Patriarchæ licet infœcundas haberent uxores, debitũ tamẽ coniugij reddebant illis bona cum cõscientia, procreationem liberorum in uotis habentes perpetuò, longè diuersi ab illis qui dicunt in corde, Gratior est sterilis mihi quàm fœcunda uoluptas.

Postremò, quoniam nonnullos fic animatos esse uideo, ut iram Iacobi sancto cuidam zelo tribuant, quo aduersus Rahelem propterea excanduerit, quod disertis uerbis ab ipso peteret, quòd non homo, sed solus Deus præstare pòteat, ideoq; illam corripuerit, dicens: Num pro Deo sum egò? admonendum esse puto quid in eo sit sensu considerandũ. Credibile est, si hunc sensum acceperimus, Rahelem tribuisse marito suo maiora quàm humanæ uires præstare queant, propter diuinas reuelationes ac uisiones, unde colligebat esse eum hominẽ sanctum ac diuinũ, ideoq; ab illo petijsse, ut daret sibi liberos, quẽadmodum in papatu ab illis fieri uidemus, qui à mortuis sanctis petunt, quæ nonnisi à Domino Deo petere debebant. Quòd si sic animata fuit Rahel, meritò grauiter in illam exarsit Iacob. Vnde admonemur quid sit expectandum inuocatoribus & cultoribus sanctorũ, quidq; illi si in uiuis hic essent, inuocantibus & colentibus se daturi sint responsi: nempe idem quod Iacob Raheli suæ respondit: Nũ pro Deo sumus nos? & quod Paulus & Barnabas Lystrensibus responderũt dicentes: Quid hæc facitis uiri? Et nos mortales sumus, similes uobis homines.

Et dixit: Ecce ancilla mea Bilehah, ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, & ædificer etiam ego ex ea.] Vulgata latina habet, Et habeam ex illa filios. *Et dedit ei Bileham ancillã suam in uxorem, & ingressus est ad eam Iacob.* Quoniam ex responso Iacobi intelligebat non esse spem prolis quam ipsa proferat, propter ea ꝙ Dñs prohibuerit ab ipsa fructũ uteri, cessat à petitione sua, & ad aliã rationẽ acquirendæ sobolis confugit. Vtitur aũt eodem cõsilio, quo ante ipsam usa fuerat Sarah, cum & ipsa sterilis existẽs desiderio prolis acquirendæ laboraret: qua de re uide suprà cap. 16. ubi etiã annotata sunt quæ hic considerari possunt. Vt pariat, inquit, super genua mea. Significat se habituram prolem ex ancilla natam perinde atq; si ipsa illam peperisset. Qui sic ex ancillis nascebantur, pro liberis haberi solebant. A

Et concepit Bilehah, & peperit Iacobo filium: & dixit Rahel: Iudicauit pro me Deus (in Hebræo est דנני אלהים, id est, iudicauit me Deus. Vulgata lat. habet, Iudicauit mihi Deus. Sic habent & Septuaginta. Monsterus uertit, Causam meã egit Deus. Is discernit inter דין & שפט, sic ut דין sit contendere iudicio, שפט uerò proferre sententiam: quorũ alterum est partiũ litigantiũ, alterum iudicis. Verùm quoniam conuenientius est, ut Deo, hoc loco, iudicis quàm partium officiũ demus, malui retinere uersionẽ consuetam, & uertere, Iudicauit pro me Deus) *& audiuit etiam uocẽ meam, deditq; mihi filiũ. Quapropter uocauit nomen eius Dan.*] Exponit Moses, quomodo successerit consilium Rahelis: deinde quomodo affecta fuerit, cum peperisset ancilla ipsius Iacobo filium: tertiò, quomodo hunc appellauerit.

Ad successum pertinet quod dicit: Et concepit Bilehah, & peperit Iacobo filium. Admirabitur diligens lector, quid sit, ꝙ ab ancilla Rahelis Deus non prohibuerit fructũ uteri, prohibuerit uerò ab ipsa Rahele, cum natum ex ancilla filiũ perinde sibi appropriaret Rahel, ac si ipsa illum peperisset. Noluit ut per se fœcunda esset, nõ prohibuit ne fœcunda esset in ancilla. Multum erat discriminis inter utranq; fœcũditatem. Fœcunditas ancillæ proferebat quidẽ Iacobo sobolem, quæ Raheli adscriberet: probrũ uerò sterilitatis illius nõ auferebat, nec impediebat, quo minus Leah marito suo commendaretur.

Quomodo affecta fuerit Rahel, accepto ex ancilla filio, declarat cum dicit: Iudicauit pro me Deus, & audiuit etiam uocẽ meam (q. d. non solũ Leam sororem, sed & me audiuit) & dedit mihi filiũ. Erat ætmulatio propter procreationem prolis inter hasce sorores. Leah clamauerat ad Dñm, cum se cõtemni à Iacobo negligiq; uideret. Hanc miseratus Deus, reddidit frugiferam. Illa pariendo gloriabat admodum, & filijs suis nomina imponebat gloriationis huius testimonium exprimẽtia. Primum uocauerat, Videre filiũ: secundum, Audiuit Deus: tertiũ, Adhærebit mihi uir meus: quartiũ, Confitebor Dño. Rahel igitur, cum sororis fœcunditatem uideret ob oculos, ipsa uerò sterilis permaneret, clamauit & ipsa ad Dñm. Tandem ubi ex ancilla saltem, sustulerat filium, in hanc gloriationem prorupit, dicens: Iudicauit pro me Deus, & audiuit etiam meam uocem, & dedit mihi filium. Interpretatur ancillæ fœcunditatem primùm datam esse à Dño: deinde, datam esse sibi: tertiò, datam esse precibus suis. B

Quomodo filium ancillæ uocauerit, exponit, dicens: Quapropter uocauit nomẽ eius Dan. Exemplum sororis sequuta, indit filio nomen ex eo quod à Dño factum esse credebat. Credebat Dñm pro se
OBSER. iudicasse, ideoq; nomen accepto puero imposuit Dan, id est, iudicium. Obserua fidem mulieris. Credidit Dominum esse iudicem, qui causas afflictorum iuuet, & clamantes ad se exaudiat.

Et cõcepit adhuc, & peperit Bilehah, ancilla Rahelis, filiũ secundũ Iacobo, et dixit Rahel: נפתולי אלהים נפתלתי עם אחתי גם יכלתי quod uariè uertunt. Septuaginta habent: συνελάβετο μοι ὁ θεὸς, καὶ συνεχρίθην τῇ ἀδελφῇ μου, καὶ ἠδυνάσθην, id est adiuuit me Deus, & cõuersata sum cum sorore mea, & inualui. Hiero. sic citat: Habitare me fecit Deus habitatione cũ sorore mea. sed reijcit hanc lectionẽ, & citat Aquilã qui sic uerterit, συνανέστρεψέν με ὁ θεὸς, καὶ συνανεστράφην, id est, cõuertit me Deus, & cõuersa sum. Et addit: unde à conuersione, siue à cõparatione, quia utrunq; sonat conuersionẽ siue comparationem Nephthalim filio nomen imposuit. Hæc ille.

Paraphrastes Chald. sic habet, קבל ייי בצלותי בארתחגברתי בצלותי חמידית דיחי לי ולד באחתי ראף אתיחם לי. i. Suscepit Dñs petitionẽ meã cũ supplicarẽ in oratione me desiderãs ut esset mihi filius quẽadmodũ sorori meę, & etiã datus est mihi. Vulgata latina habet: Cõparauit me dñs cũ sorore mea, & inualuĩ. Varietas est ex eo ꝙ uerbũ נחל nõ est eiusdẽ significatiõis. Nã aliqñ peruertere uel obuertere & obliquare significat, aliqñ sumiũ pro cõiungere. Verũ magis placet uersio Pagnini quę sic habet: Luctationib. uehementib. luctata sum cũ sorore mea, & etiã præualui. Vt נפתולים sint obuersiones & obliquationes quibus utuntur luctantes, ne uicti & prostrati discedant ex lucta. Sic ergo uertamus: *Luctationibus robustis luctata sum cum sorore mea, etiam inualui.* Loquitur autẽ de conatu suo perpetuo, quo ad hoc contendebat ut liberos acquireret, ad quod faciebant crebræ orationes ad Dñm & copula tandem ancillæ ipsius cum Iacobo. Hunc indefinentem conatum uocat potentes luctationes cum sorore, cui par esse in procreatione liberorum contendebat. Opinor aũt conuenire ipsi rei quæ agebatur, si in præsenti legamus: Luctationibus potentibus luctor cum sorore mea, etiam inualesco. Etenim nõdum fuerat eluctata, sed adhuc etiam post secundum filium eodem certamine ad ulteriora contendebat.

Et uocauit nomẽ eius Naphthali.] Vulgata latina habet, Neptalim. sonat hæc uox, lucta mea, uel obuer
OBSER. sio mea. Ingeniũ æmulationis, q̃ sit illa fortis et potens, nec quiescens donec inualescat, in eo obserua, ꝙ Rahel luctationibus se potentibus, cum sorore luctari dicit. Qui spiritu æmulationis ducunt, nunq̃ quiescunt, sed irremissis contentionibus ad hoc decertant & luctantur, ut præualeant.

Et uidit Leah quòd párere cessásset, & accepit Zilphã ancillã suam, deditq; eam Iacobo in uxorẽ.] Quoniã ex congressu mariti non concipiebat prolem, ut antea, intellexit constitisse ac cessasse in se donum illud fœcun-

fœcunditatis, eamq; ob cauſam exemplum ſororis ſequuta & ipſa ancillam ſuam nomine Zilpham ad hoc Iacobo in uxorem dedit, ut ex illa quoque tolleret filios.

Et peperit Zilphah ancilla Leæ Iacobo filium, et dixit Leah, Fortunate, uocauitq; nomẽ eius Gad.] In Hebræo eſt בגד, id eſt in fortuna, uel cum fortuna. Chald. paraphraſtes uertit, אתא גד, id eſt, uenit fortuna, quaſi בגד idem ſit quod בא גד. Et Thargum Hieroſolym. habet אתא גדא טבא, id eſt, uenit fortuna bona. Et Pagninus reddidit, uenit proſperitas. Septuaginta uerò habẽt ἐν τύχῃ, id eſt in fortuna. Vulgata latina, feliciter. Verùm quoniã uox, גדד, et גדר, & גדוד collectionis ac turmæ ſignificationem habet, uertũt nõnulli Hebræorũ, בגד, turmatim, quod nos Germanicè dicimus, *mit hauffen*. Et huc Aquilam ſpectaſſe arbitror, qui uertit, Venit accinctio, q̃d nihil eſt aliud q̃, Venit turma. Si hoc ſenſu loquuta eſſet Leah, haberet hæc uox, בגד, hyperbolen, ex abundantia gaudij natam. q. d. *kind mit hauffen*. Ecquid ſi uocula גד Hebræis propterea fortunã ſignificet, ꝙ communiter fortuna uocatur, ubi quod quæriť affatim, cumulatè & quaſi turmatim acquiriť? Sic igitur animata erat Leah, cum Zilphah quoq; filium peperiſſet Iacobo, ut ſe turmam filiorum acquirere, & hoc nomine fortunatam eſſe iudicaret. Quare eundẽ affectum ſpirat, ſiue בגד uertas fortunate, ſiue turmatim: & Gad interpreteris uel fortunã uel turmã.

Maior fuit pietas Leæ, ſicuti patet in præcedentibus, quàm ut more gentilium fortunæ diuinitatem tribueret, illiq; natum filium acceptum ferret, & nuncupatione proprij nominis conſecraret. Etenim quomodo fortunæ donum fœcunditatis in ancilla tribuiſſet, quod antea in ſeipſa gratiæ Dei acceptum tulit? Quare haud patrocinatur hic locus errori ethnico, quo fortuna pro dea eſt habita & culta, quæ nihil habet numinis in ſe, ſed, ut ille ait, nos te fortuna deam facimus, cœloq; locamus. Illud ferendum eſt, quòd communiter fortuna uocatur, ſi quid proſperè cadit, quod aliter cadere poterat, modò proſpere eiuſmodi euentus ſingulari prouidentiæ & gratiæ Dei tribuatur, ac grato animo uſurpetur. OBSER.

Et peperit Zilphah ancilla Leæ filium alterum Iacobo, ac dixit Leah, Cum felicitate mea, quoniam felicẽ me dicent filiæ: & uocauit nomen eius Aſcher.] Illud, cum felicitate mea, in uulgata latina eſt: Hoc pro beatitudine mea. Septuag. uerterũt: μακαρία ἐγὼ, id eſt, felix ego. Chald. Paraph. habet בתרישבחא חדת לי, id eſt, Laus erit mihi. Vox אשר felicem ſonat, quare quod in Hebræo eſt באשרי reddere uiſum eſt, cum felicitate mea. Illud, Quoniam felicem me dicent filiæ, in uulgata latina eſt, Beatã me dicent omnes mulieres. Et Septuag. & Chaldæa paraphraſis habent, mulieres.

Obſeruandum hic eſt commune mortalium ingenium, quo nos felices eſſe iudicamus, ſi quod præclarum eſt & deſiderabile, ſingulari nobis præ alijs euentu contigerit, qua de re in Cõmentarijs noſtris ſuper pſalmum primũ primo illius uerſu quædam annotauimus. Sic Leah, quoniam procreatio liberorum ipſi ex ancilla quoq; proſperè ſuccedebat, eam proſperitatem tanti faciebat, ut iudicaret ſe & eſſe & prædicari felicem, ideoq; filium hunc Aſcher, id eſt felicem, uocaret.

Et iuit Reuben in diebus meßis triticeæ, & inuenit mandragoras in agro, & attulit eas Leæ matri ſuæ.] Memoratur hoc propter ſequentia. Erat Reuben primogenitus quidem, uerùm nondum eo corporis robore per ætatem præditus, ut ad operas meſsis utilis eſſe poſſet. Quare quod egreſſus eſt diebus meſsis in agrum, ſpectandi magis quàm operandi eſt gratia factum.

Illud, Et inuenit mandragoras, in Hebræo eſt וימצא דודאים, id eſt, Et inuenit Dudaim. Quid autem ſit per uocem Dudaim intelligendum, arbitror non poſſe certò tradi. Communiter uertunt mandragoras. Septuaginta uerterunt poma mandragoræ. Hos ſequuti ſunt poſteriores: Noſtri mandragoram uocant Germanicè *Alrun*. Iudæi dicũt eſſe herbam cuius radix imaginem habeat hominis. De mandragora quid ſit, uiderint phyſici. Plinius de illa annotat libro 25. capite 13. Chaldæus uertit ראשכת רבריחין בחקלא, id eſt, Et inuenit uiolas in agro, רבריחין interpretantur uiolas propter odorem quem habent tam uehementem quàm gratum. Cant. 7. legitur דודאי אתנו ריח, id eſt, Dudaim dant odorem. De ipſa uoce Dudaim annotãt alij, quòd formam cacabi habeat hic fructus uel herba unde uocetur Duda, alij quòd ſit grata herba & dilecta. Nã utraq; ſignificatio ex uoce דוד trahi poteſt. Sed quæſo quid hinc certi ad præſentem locum poteſt adferri.

Et attulit, inquit, eas Leæ matri ſuæ. Quærunt hic rationem quur id fecerit Reuben. Et comminiſcitur quiſq; quod poteſt. QVAESTIO

Alij dicunt: Lea lippis erat oculis. Succus mandragoræ cõfert oculis. Ideo puer inuenta poma mandragoræ detulit ad matrem. At Rahel non erat lippis oculis. Quorſum igitur illa communicari ſibi de mandragoris iſtis petijt. Alij dicunt, etiam gentes ſucco mandragoræ uſi ſunt in philtris, ad conciliationem amoris. Eſto. Sed quis hoc indicaſſet puero Reuben? Deinde quis cordatus credere poterit Leã & Rahelẽ ſanctas fœminas huiuſmodi eſſe philtris uſas? Adhęc, ſi Leah philtris uti uoluiſſet, utiq; Rahel de illis nõ dediſſet. Alij dicunt: Potuit fieri, ut faceret ad ſiſtenda menſtrua, ut pareret mulier. Et hoc quis patefeciſſet puero? Præterea Leah uſa fuiſſet ipſa hoc remedio, non communicaſſet ſorori. Dum hæc annoto, non detraho ſententijs bonorum uirorum, ſed moneo, ſtudendum eſſe certis. Si certa dari non poſſunt, quæ dantur libero eſſe legenda iudicio.

Et dixit Rahel ad Leam: Da quæſo mihi de mandragoris filij tui.] Apparet ex hac petitione Rahelis Dudaim fuiſſe non talem fructum uel herbam, cuius uſus pertineat ad ea quæ mulieres clanculum & non ſine pudore tentant, alioqui plus pudoris inerat Raheli, quàm ut abſq; ulla diſſimulatione & pudore ad Leam diceret: Da mihi de Dudaim filij tui. Quare arbitror, quicquid fuit, uel ſaporis ſelecti, uel ſingularis guſtus gratia, ſic fuiſſe in precio, ut & Reuben tanquam rem gratam attulerit ad matrem,

&

& Rahel sic appetendum duxerit, ut illius gratia sorori maritum ea nocte, quæ se concernebat, permitteret, sicuti commemorabitur.

Et ait ei: An parum est quòd accepisti uirum meũ, nisi etiam accipias mandragoras filij mei?] Per occasionẽ petitionis Rahel cordis sui rancorem in faciem illius effundit. Iudicabat rem iniquam à sorore esse admissam, quòd post nuptias suas sustinuerat copulari marito suo Iacobo. Quoniam prima fuerat illi copulata, quasi uigore præscriptionis hanc sibi uendicat prærogatiuã, q̃ suus sit maritus. Quòd accepisti, inquit, uirũ meũ. Sensus aũt est: An sic es animata erga me, ut quicqd ad me pertinet, iuri tuo uindices? Maritũ meum accepisti, & quasi id modici sit momenti, etiam filio meo mandragoras auferre conaris.

Potest illud, Quod accepisti uirum meum, etiam sic exponi: An parum est quòd accipis uirum meũ? ut intelligatur Rahel rupto ordine omne, uel certè potissimum coniugale mariti commercium ad se traxisse, sic ut ipsa Leah iure suo frequenter fraudaretur.

OBSER. In priore sensu admonemur, communicationem eius boni, quod sic comparatum est, ut non fit in plurium, sed unius potestate, rectè uocari ablationem. Ecclesia non pertinet ad multos, sed ad unum Dominum. Aufertur illa Christo, dum alijs communicatur, etiam si ille in speciem non excludatur. Sic habet etiam conditio coniugis legitimæ.

In posteriore sensu admonemur, etiam sanctos homines non esse alienos ab affectibus carnis. Rahel ad se sic traxit Iacobum, ut sorori incommodaret. Iacob sic adhæsit Raheli, propter singularem amorem, ut Leæ esset ueluti mortuus. Et Leah, quicquid hocerat, muliebri zelotypia ægerrimè tulit, ideoq̃ & sorori per occasionem exprobrauit.

Et dixit Rahel: Dormiat ergo tecũ hac nocte propter mandragoras filij tui.] In Hebr. est, לכן ישכב עמך, id est, propterea dormiat tecũ. Voculam לכן, id est, propterea, ideo, omisit latinus interpres. Pagninus uertit: Idcirco dormiat tecũ. Septuaginta habent οὐχ οὕτως, id est, non sic, legerũt illi לא כן non sic, pro לכן, ideo, idcirco, &c. Sensus est: Quandoquidem affectas consuetudinẽ uiri nostri, ac putas te illa per me iniquè priuari, esto dormiat tecum hac nocte, modò des mihi de mandragoris filij tui. Sentiunt communiter noctem illam ex ordine pertinuisse ad Rahelem. Mihi uerosimilius uidetur non fuisse inter hasce duas uxores Iacob diuidendarum noctium ordinem constanter & æqualiter seruatum, sed frequentius Iacobũ cum Rahele quàm cum Leah dormiuisse, siue Rahel studio hoc egerit, siue Iacob ipse propter singularem amorem Rahelis plus quàm Leæ delectatus sit consuetudine.

OBSER. Vides autem hic leuitatem & impotentiam muliebris animi. Sic sunt animatæ mulieres ut si quid impensius affectant, citius sint quod maius & amplius est daturæ, quàm affectum temperaturæ. Quæso quid erat mandragora consuetudini Iacob collata uiri uidelicet, à quo tantopere adamabatur? Sic Rahel multum dilecta haudquaquam ex æquo mariti sui respondit amori.

Et uenit Iacob de agro ad uesperam, & egressa est Leah in occursum eius, & dixit: Ad me uenies, quia mercando mercata te sum pro mandragoris filij mei.] Vulgata latina habet, Quia mercede conduxi te. Septuaginta quoque uerterunt: μεμίσθωμαι γάρ σε, id est, Nam mercede conduxi te. Monsterus reddidit: Nam conducendo conduxi te. In Hebræo est, כי שכר שכרתיך, quod usum est cum Pagnino uertere, quia mercando mercata sum te. Significat enim uox שכר mercedem, pretium. Leah igitur, ubi datis filij sui mandragoris noctem illam à Rahele obtinuerat, non expectat donec Iacob domum reuersus esset, sed egreditur illi obuiam, & indicat quòd ad se uenire debeat: & rationem addit, quòd eam noctem Rahel sibi pro mandragoris filij sui uendidisset. Quare autem in occursum illius egredi uoluerit, non exprimitur à Mose. Potest aliquid ex circumstantijs colligi: uel timebat, ne domum reuersus confestim ad Rahelem ingrederetur apud illam cœnaturus & dormiturus, indeq̃ non tam facile posset auelli. Arbitror sic illis fuisse in consueto, ut cum ea cœnaret cum qua erat dormiturus. Vel præ gaudio non potuit sibi temperare, quin in occursum eius egrederetur, & eum ad se inuitaret.

OBSER. *Et uenit Iacob de agro, inquit, ad uesperam.*] Obserua consuetudinẽ maiorũ, qui uitam duxerunt non ociosam, sed operationibus honestis ac necessarijs deditam. Illi totum diem laboribus ac negocijs suis impenderunt, ac uespertino demũ tempore domũ se quietis ac refocillationis gratia contulerũt. Sic Iacob manè egrediebatur in agrum, ad pascendos greges, ac totum diem pasturæ pecudum impendebat, secundum quod homini destinauit Deus. qua de re uidere est psalmo 104. Vbi propheta canit, dicens, Egreditur homo ad opus suum, & ad culturam suam usq̃ ad uesperum. In alternatione illa dierum ac noctium pulcherrimum proponitur diuinæ ergo nos prouidentiæ argumentũ. Noctem Deus mutat die, Reddamur ut laboribus: Diemq̃ finit uespera, Vt fit quies operantibus.

Et egressa est Leah, inquit, in occursum eius.] De Rahele non legimus, quòd Iacobo de agro reuerteti egressa sit obuiã, sicuti factum est à Leah. Vides discrimen inter mulierculas amantes & amatas. Leah officiosa est, quia amat & apperit. Rahel non ita, quia amabatur magis quàm amabat.

Ad me uenies, inquit.] Obserua. Vbiq̃ in scripturis datur uiris q̃ ueniant & ingrediant ad uxores. De mulierib. nihil huius legit. Non erat in potestate illarum quãdo uellent ingredi ad maritos suos, sed ad subiectionẽ illarũ pertinebat, ut morigeræ essent, siue uenientibus, siue ad se uocantibus maritis.

De disciplina Christianorum cap. 39. in Apologetico.

Quia mercando mercata te sum pro mãdragoris filij mei.] Potest hic quæri, liceat ne uxori usum mariti sui uendere. Facilis est responsio: Nec marito, nec uxori hoc in monogamia licet. Quare non immeritò perstringuntur à Tertulliano Græcus Socrates, & Romanus Cato, quòd uxores suas amicis commodarunt: uerùm in polygamia licuisse uidemus hoc loco, quod in monogamia non licet.

Rahel

Rahel peccasset, si maritum suum uel ad hortulam alienæ mulieri uendidisset. Erat autem Leah nō alie na, sed & ipsa σύζυγος Iacobo, perinde atq; Rahel. Vendidit igitur nō maritum, sed usum unius noctis, qua consuetudine illius frui poterat, si uoluisset. Et uendidit non alienæ, sed coniugij consorti.

Et dormiuit cum ea nocte illa.] Nec succenset Racheli uir placidus & mitis, quòd se pro mandragoris uendidisset: nec repugnat desiderio Leæ, quam sciebat ardere studio prolis: sed perinde utriusq; placi- OBSER.
tis acquiescit, ac si arbitrio illarum esset mancipatus. Habes exemplum cordati uiri ac placidi, cuius est uoluntati sese infirmioris organi in ijs quæ non sunt illicita accommodare. Maluisset esse apud Rahe- lem, uerùm quoniā ambabus sic placebat, ut esset ea nocte apud Leam, imperauit affectib. amoris sui, & constituto illarum obtemperauit.

Et exaudiuit Deus Leam, et cōcepit (illa) *et peperit Iacobo filiū quintū.*] Vides exēplum honestę ac pię ma- OBSER.
tronę. Quærebat nō uoluptatem, sed prolem. Et hoc uotum suum effundebat in cōspectum Dñi, petēs ab illo sobolem. Sic Moses non simpliciter dicit, Et concepit & peperit: sed, Et exaudiuit Deus Leam, & cōcepit & peperit. Vulgata latina habet: Et exaudiuit Deus preces eius. Orauit illa ad Dñm licet an tea frequenter, in hac tamē nocte dubio procul aliquāto ardentius. Sic animum honestum ac sanctum concubitus mariti usqueadeò nō abstraxit ab oratione, ut magis etiam accenderit. Quod carnalibus fa- cit ad uanitatem, & animos illorum à Deo auellit, hoc sanctis hominib. magis ad hoc seruit, ut arden- tius ad Deum suspiciāt & orent. Nec Deus sic est comparatus, ut oculos et aures ab eiusmodi uotis san ctorum hominū auertat: q̄d utiq; faceret Pharisæus hypocrita, ipso Deo decuplo sanctior. Vel hinc in- telligāt matrimonij hostes, esse cōiugiū sanctū, et thorū coniugum immaculatū in cōspectu Dñi. Ebr. 13.

Et dixit Leah: Dedit Deus mercedē meā, ppterea q̄ dedi ancillā meā uiro meo, et uocauit nomē eius (filij) *Issaschar.*] Illd' mercedē meā, q̄d in Ebr. est, שכרי uulgata latina habet, mercedē mihi, quasi sit in Eb. שכר לי. Eponit Moses quō Leah quintum hunc filium suum uocarit, & qua ratione. Vocauit, inquit, nomē eius Issaschar. Hieron. de hac uoce sic annotat: Septuaginta interpretes addiderūt, Est merces. Nō utiq;, ut pleriq; addito pronomine malè legunt, existimandum est ita scriptum esse, q̄ is est merces, sed totum nomen interpretati, est merces. יש quippe dicit, est, et שכר merces. Hoc aūt ideo, quia mandragoris filij Ruben introitum, qui Raheli debebat, ad se uiri emerat. Hæc ille, quē ut in multis locis, ita huc quoq; ap paret Biblia Hebrea legisse sine punctis. Vox ישששכר, si puncta demas, potest sic uerti, ut sit idem quod ישששכר, id est, est merces. Verùm ut habet in Biblijs pūctatis ישששכר magis sonat, remunerabit, quàm est merces. Est autē unum ש ociose positum, nisi q̄d sonum fortificat. Quod uersionē Septuaginta atti- net, illa nostro seculo habet λελ ἐπέλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰσσάχαρ, ὁ ἐστι μισθός, id est, Et uocauit nomē eius Issachar, q̄d est merces. Apparet hanc lectionē tempore Hieronymi in nōnullis fuisse exemplarib. corru ptam. Et tamē Hieronymus ipse aliter exponit q̄d habent Septuaginta, q̄ est in litera. Non interpretant illi uocem hanc Ἰσσάχαρ, est merces. Sed ὁ ἐστι μισθός, id est, quod significat mercedem.

Additur nominis huius ratio. Dedit Deus, inquit, mercedem meam, propterea q̄ dedi ancillam meā uiro meo. Potest gemina nominis huius assignari ratio. Vna, quòd nocte illā, in qua cōceperat, man- dragoris filij sui tanquā mercede à Rahele redemerat. Altera, q̄ ancillam suam Iacobo dederat. Prior accōmodatior poterat uideri, uerùm Moses ex uerbis Leæ posteriorē assignat, quam retinere oportet, ne plus nostro sensui, q̄ authoritati S. scripturę tribuere uideamur. Sensus aūt est: Quoniā usqueadeò geni turę prolis absq; omni zelotypia inseruire cupio, ut postquā aliquandiu parere desiti, ancillā meā uiro meo dederim, quo uel ex illa numerus filiorū nostrorū augeat, pro hoc studio meo rependit mihi Dñs, QVAESTIO.
ubi dedit, ut concipere iterum et parere marito meo filiū. Nascit quæstio in eo quod dicit: Dedit Deus mercedē meam propterea quòd dedi ancillā meam uiro meo, quō Leah datum à Deo filiū interpretet mercedē suam, & hoc eum sensu uocet Issaschar, id est mercedē, cum Moses dixerit: Et exaudiuit Deus Leam, & cōcepit & peperit Iacobo filiū quintū. Quod exaudiuit Leam Deus ad se orantē ac suspirantē, omnino gratię et misericordię illius adscribendum est. Quō igitur Leah opus gratiæ Dei uocat merce- dem suam? Si meriti respectus est in mercede, quō in illa locus est gratiæ, cū apostolus Rom. 4. dicat: Ei aūt qui operat, merces nō imputat secundū gratiā, sed secundū debitū. Respondendū est, duplex esse ge- nus mercedis. Vnum, in quo absolutè & sic respicit ad meritū operis, ut quod datur nō ex gratia, sed ex debito detur, nequeatq; iuste negari. Alterum quo gratuita quadā bonitate remunerat aliquid & datur quasi loco mercedis, quod tamen sine iniuria dari nō poterat. Primo genere mercedis nec debet nobis, nec datur quicquā à Deo. Altero uerò dantur nobis ab illo multa, quibus suaipsius in nobis dona coro- nat, et mercedē dat nihil cuiquā debens, sed etiā hac ratione bonitatis suæ gratiā erga nos declarans, & cunctos ad studiū pietatis & iusticiæ prouocans. De primo mercedis genere disputat apostolus contra supercilium & præposterā fiduciā iusticiariorū. Ibi sanè debiti est ac meriti consideratio, qua gratia ex- cluditur. Leah uerò non hoc sensu loquitur, cum dicit, Dedit Deus mercedē meā, propterea q̄ ancillā meam dedi uiro meo: sed simpliciter significat Dām probasse uotum, desideriū, ac studiū suum erga libe rorum procreationē, quo marito suo dederat ancillam, ideoq; exaudisse preces suas, ac rursus aperuis- se sibi uterum ad concipiendū & pariendum. Hoc sensu sanè nihil datur merito, sed totum deputat gra- tiæ Dei. Non est autem alienum à scripturis, ut uocetur merces, quod aliquo studij nostri respectu da- tur à Deo, cum tamen non illicitè posset negari. Sic Christus dicit Apostolis: Merces uestra multa est in cœlis, quibus tamen alio loco dicit, Si omnia feceritis, dicite, Inutiles serui sumus: quod facere debuimus, fecimus. *Duplex est genus mercedis.*

Et

Et concepit iterum Leah, peperitq; Iacobo filium sextum. Et ait Leah: Dotauit me Deus dote bona.] In Hebræo pronomen me, bis ponitur. Sic enim legitur, וַתֹּאמֶר לֵאָה זְבָדַנִי אֱלֹהִים אֹתִי זֵבֶד טוֹב, id est, Dotauit me Deus me dote bona. Quare uel sic est legendum, Dotauit me Deus, me inquam, dote bona. Vel, Dotauit me Deus, mihi dos bona, ut אתי positum sit pro לי. *Nunc commorabitur mihi uir meus, quoniam peperi ei sex filios, & uocauit nomen eius Zebulun.* Septuaginta habẽt: οὐ τῷ νῦν καιρῷ ἀιρετιεῖ με ὁ ἀνήρ μου, id est, nũc temporis eliget me uir meus. Verùm uox זבל Hebræis non sonat eligere, sed habitare. Shlomoh dicit idem esse quod Germanis est herbergen. Accepto sexto filio Leah effundit affectum animi grati erga Deũ, & spem maioris beneuolentiæ mariti sui. Deus, inquit, dotauit me dote bona. Sic uocat uel ipsum filium dotem bonam, uel maiorem uiri sui conciliationem & beneuolentiã, qua fit sibi cohabitaturus aliquãto arctius q̃ antea. Meo iudicio posterior sensus plus fauoris habet ex ipsis uerbis Leæ. Nam uelut exponens, de qua bona dote loquatur, dicit: Nunc commorabit mihi uir meus, quoniã peperi ei sex filios. Et ideo imponit nomen filio Zebulon, id est, habitaculũ, uel diuersoriũ, uel cõmoratio. Hactenus frequentius et cupidius cõmoratus fuerat Raheli suæ Iacob, Leam uerò neglexerat. Nunc uerò sperat honesta matrona futurũ, ut uersa uice sibi non minus quàm sorori commoretur.

Quid igitur? Est ne Leah uiri tam cupida, ut perpetuã affectet illius consuetudinẽ? Atqui hoc uidẽt esse mulieris salacis magis q̃ honestę. Nequaq̃ fuit ardore uoluptatis accensa mulier casta et honesta. Alioqui quomodo ancillam suam marito dedisset in uxorem? sed omnis hic affectus ad scopum polytecniæ ferebatur. Propter hanc dolebat neglecta, & gratulabatur non fastidita.

Et postea peperit filiam, uocauitq; nomen eius Dinam.] Quare hanc uocauerit Dinam, quæ uox sonat iudicium, non exprimitur à Mose. Voluit tamen de hac memorare propter historiam infrà cap. 34. sequentem, ne quis quærat, quare huius mentionem præter morem suum facere uoluerit.

Prouidentiam Dei in eo obseruemus, q̃ filiã hãc Leah peperit, nec primo, nec secundo, sed postremo partu post sex filios. Maior erat ratio filiorũ in ista patrũ genealogia q̃ filiarũ. Ideo accõmodatius erat, ut Leah ad conciliandũ sibi Iacobi animum primùm filios pareret, & postremo loco filiã, q̃ uiceuersa.

Et recordatus est Deus Rahelis, & exaudiuit eã Deus, aperuitq; uterũ eius, et cõcepit et peperit filiũ.] Hactenus absoluit Moses generationes filiorũ Leę, iam postremo loco subijcit de Rahele quã suprà dixerat fuisse sterilẽ. Nõ dicit simpliciter, Tandẽ & Rahel cõcepit & peperit filiũ: sed præmittit, Et recordatus est Deus Rahelis, & exaudiuit eam Deus, aperuitq; uterũ eius, ut admoneat nõ sine gratia Dei factum esse, q̃ Rahel tandem concepit et peperit filium. Obseruandũ est igitur hoc loco oẽm hanc sobolem Iacob singulari deberi gratię & prouidentiæ Dei, qui utriusq; et Leę & Rahelis uterũ aperuit, ac facultatem concipiendi pariendiq; dedit, quemadmodũ et Saræ contigit & Ribkę. Sic debebat semen promissum prouenire nõ ex arbitrio uiri ac mulieris, ac solius naturæ uirtute, sed secundũ singularẽ d. uoluntatis dispositionem. Et recordatus est, inquit, Deus Rahelis. De uerbo recordandi, quod illud Deo tribuit, quid sit considerandũ, uide suprà ca. 8. ibi, Recordatus aũt Deus Noe. Illud hic obserua, quòd Deum inducit Moses & recordantẽ & exaudientẽ. Pulchrè ista coniunguntur. Rahel uidebat in finẽ usq; futura sterilis, eo q̃ Dñs prohibuisset ab illa fructũ uteri. Verùm nec Dñs illius ad finem usq; obliuisci potuit, nec illa desijt clamare & suspirare ad Dñm, atq; ita factũ est, ut Dñs recordatus sit mulieris non securæ, sterilitatemq; suã suspq; deq; faciẽtis, sed mœstę & ad se suspirantis, & illa clamauerit ad Dñm nõ perpetuò simulantẽ et obstinatè obliuiscentẽ, sed tandem recordantẽ & uota ad se clamantiũ exaudientem, deniq; q̃ negauerat aliquãdiu clementer largientem. Cogitemus hic quid possit fides indesinenter clamans ad Dominum. Quamuis dixisset Raheli suę Iacob, Deus prohibuit à te fructum uteri: illa nihilominus instetit suspirando & orando ad Dominum, ac tandem quod petebat obtinuit.

OBSER.

Et ait: Abstulit Deus opprobrium meũ.] Loquitur de probro sterilitatis. Erat enim mulieri maritatæ probrosum ualde, esse infœcundam. Vide. Erat Rahel mulier uenusta & uiro suo grata, sic ut propter illam Leah à Iacobo negligeret, iuxtà tamen propter sterilitatem obnoxia erat ignominiæ. Leæ probrosum nõ erat, quòd sororis pulchritudinem haud adæquabat, sed ex fœcunditate plus habebat laudis quàm Rahel ex pulchritudine corporis. Benedictio Dñi est uterus fœcundus, maledictio uerò uenter sterilis. Tanti non est uenustas faciei, quanti est fœcunditas uteri. Nos hic cogitemus, quàm sit probrosum fidelibus Christi, si sint infœcundi, quantumuis in seculo splendeant externè. Vtinam & hodie auferat Dñs opprobriũ sponsę suę, quã sic dilexit, ut lauarit ea sanguine suo, et morte crucis redemerit.

OBSER.

Et uocauit nomen eius Ioseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterũ.] Vox Ioseph, addendi significationẽ habet. Igitur quoniã alterius adhuc filij spem conceperat, indidit isti hoc nominis, ut uocarit eum Ioseph. Credebat gratiam Dei non esse concisam & parcam, sed uberem ac diuitem. Ideo sperabat adhuc alterum sibi fore filiũ. quare malim legere in futuro, Addet mihi Dñs filium alterum: quàm in forma optandi, Addat. Sequamur & nos Rahelem, quoties diuinæ erga nos gratiæ experimẽtum cõperimus, ut & ipsi credamus cõmuniter hãc esse naturã beneficiorũ Dei, ut nõ proueniãt sola, sed multiplicata, uel saltẽ duplicata, ideoq; ad sensum unius, fiduciã cõcipiamus alterius. Deinde obseruemus quàm uerum sit illud, Difficilia quæ pulchra. Difficulter factũ est ut cõciperet Rahel. Cõcepit igitur et peperit filiũ nõ leuis, sed magni momenti, id q̃d sequẽtia testabunt. Solẽt tales fœtus qui nascunt ex sterilibus nõ uulgares esse, sed selectiorib. donis à Deo pręditi. Tales fuerũt Isaac, Iacob, Samuel, Baptista.

Et factũ est cum peperisset Rahel Iosephũ, ut diceret Iacob ad Laban: Dimitte me, ut uadã ad locũ meũ, et ad terram meam. Da uxores meas et liberos meos, pro quibus seruiui tibi, ut abeam. Tu enim nosti seruitutem meam

qua

quæ tibi seruiui.] Rahel Ioſephum in fine ſecundi ſeptennij peperit. Alioqui non licuiſſet Iacobo nondũ completo ſeruitutis tempore petere dimiſsionẽ. Itaq; finitis annis quatuordecim, quibus pro duabus uxoribus Leah & Rahele ſeruierat, alloquit̃ Iacob ſocerũ ſuum, dicens: Dimitte me, ut uadam ad locũ meum & ad terram meam: id eſt, ad domũ paternã & terram natiuitatis meæ. Et ut exponat quomodo dimitti debeat, addit: Da uxores meas, & liberos meos, pro quibus ſeruiui tibi, ut abeam. Nam erãt illi in domo Laban: & honeſtum erat, ut ab illo cum bona gratia dimitterent̃. Erant quidem uxores & liberi Iacob, uerùm ut honeſtè è domo paterna in terrã Canaan abducerent̃, impetrandum erat à ſocero. Dederat ille filias ſuas Iacobo in uxores, reliquum erat, ut daret etiam abducendas, & à ſe cum benuolentia dimitteret. Quod addit, Tu enim noſti ſeruitutem meam qua ſeruiui tibi, ἀντιλογίαν habet, quare dimiſsionem hanc petat. Poterat dicere: Nam compleui ſeruitutem meam qua tibi ſeruiui. Verùm ut conſcientiam ſoceri conueniat, dicit: Tu enim noſti ſeruitutem meam. q. d. Scis qua conditione & quàm fideliter tibi ſeruierim. Scis annos ſeruitutis meæ eſſe cõpletos. Quare reliquum eſt ut me cum uxoribus & liberis meis à te iam dimittas. Hæc commemorando Moſes, trãſitionem parat ad hiſtoriam ſex reliquorum annorum, quibus ſocero ſuo Iacob adhuc pro gregibus ſeruiuit.

Obſeruandum eſt quàm ſit conuenienter factum quod Ioſeph in fine quatuordecim annorũ natus eſt, quibus Iacob pro matre ipſius ſeruierat. Erat enim & ipſe quatuordecim annos in ſeruitute & captiuitate Aegyptiaca futurus. Etenim cum annos natus eſſet ſedecim, diuenditus eſt in Aegyptum, ubi partim ſeruiuit, partim in cuſtodia fuit, uſq; ad annum uitæ ſuæ triceſimum, quo primùm ſtetit coram Pharaone recens eductus è carcere, ſicut infrà cap. 41. uidebimus. OBSER. *Infrà 37.*

Deinde & illud obſeruandum eſt quod ad Laban dicit Iacob: Dimitte me, ut uadam ad locum meũ, & ad terram meam. Volebat redire ad domũ & terram patriã, priusq; ea de re diuinitus admoneret̃, q̃d poſtea demũ anno ſeruitutis ſuæ uiceſimo eſt factũ. Vides etiã ſanctos homines ſic humanis eſſe affectibus obnoxios, ut ſubinde tentẽt ea quę nondũ ſunt tẽpeſtiua, nec diuinæ uolũtatis ſententiã expectent.

Tertiò, da uxores meas, inquit, & liberos meos, &c. Cupiens abire, non aufert temerè filias & nepotes ſocri ſui Laban, quamuis illæ uxores, iſti filij ipſius eſſent, ſed petit eos ſibi dari. Quando quæſo eiuſmodi homines filiam alicui neſcio & inuito auferrent, quam nondum in coniugem datam accepiſſent, cum ne ſuas quidem uxores inſcio ſocero temerè auferre ſuſtineant?

Quartò. Tu enim noſti ſeruitutẽ meam, inquit, qua ſeruiui tibi. Obſerua fiduciã bonę conſcientiæ. Sic erat ſibi Iacob de fideli ſeruitute conſcius, ut non dubitaret de illa ipſius Laban appellare cõſcientiam, ac dicere: Tu enim noſti ſeruitutem meam, qua tibi ſeruiui. Admonemur qua conſcientia cùm Deo debeamus tum hominibus ſeruire. Magnum eſt, ſi cum Paulo dicere queas: Bonum certamen certaui, cur ſum conſummaui, ac fidem ſeruaui. Reliqua eſt mihi corona iuſticiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Et alibi conſcientias Epheſiorũ teſtatur, dicens: Vos ipſi ſcitis, qualiter uobiſcum per oẽm tẽpus fuerim ſeruiẽs Dño, &c. Item: Argentũ, aurũ, aut ueſtẽ nullius cõcupiui ſicut ipſi ſcitis, &c. 2. *Timoth.* 4 *Actor.* 20

Et dixit ad eum Laban: Si quæſo inueni gratiam in oculis tuis.] Vulgata latina habet: Inueniam gratiam in conſpectu tuo [*ominatus fui, & benedixit mihi Dominus propter te.*] Illud ominatus fui, in Hebræo eſt, נחשתי. Significat aũt uerbum נחש, augurari, diuinare, ominari. Thargum Hieroſolymitanum habet נסיתי, id eſt, auguratus ſum. Et Septuaginta habẽt ὠνιωσάμην, id eſt ominatus ſum. R. Shlomoh exponit נסיתי בנחושים, id eſt, probaui per auguriũ uel diuinationem. Chaldæus uerò uertit ſimpliciter נסיתי, id eſt, tentaui ac probaui. Laban uidens Iacobum adſpirare ad abitũ perturbat̃, propterea q̃ primum emolumenti ſibij pſe per illius ſeruitutẽ pollicebat̃. Igitur ut ſolent perturbati reſpondet ſermone imperfecto & hiulco, dicens: Si quęſo inueni gratiam in oculis tuis, ominatus ſui, & benedixit mihi Dñs propter te. Id quod cupiebat, non exprimit. Texit blandicias, ut animum Iacobi dulcedine laudis ineſcatũ à propoſito diſcedendi abducat. Petitio imperfecta eſt in eo quod dicit: Si, quæſo, inueni gratiam in oculis tuis. Addendum eñ erat: Mane apud me diutius. Ad ineſcationẽ animi pertinet quod dicit: Ominabar, & benedixit mihi Dñs propter te. q. d. Initiò cum ad me uenires, futurũ diuinabam, q̃d eſſet mihi Dñs benedicturus propter te. Sic accidit. Benedixit mihi Dñs propter te. Hac illum laude emolliri poſſe iudicabat & induci, ut diutius ſibi tanquam homini nõ ingrato, ſed beneficiũ agnoſcenti ſeruiret. Obſeruandum eſt hic ingeniũ hominis carnalis & filij huius ſeculi, q̃ Laban, ubiq; ſui ſimilis, expreſsit. Primùm in eo quod propriæ utilitatis ſtudioſus Iacobũ ad domum patris ſui redire cupientem diutius in ſeruitute ſua retinere conat̃. Si conſuetudine filiarũ & nepotũ ſuorum diutius frui uoluiſſet, poſſet uideri humanitatis et animi paterni affectu ductus. Verùm quoniã propriũ cõmodum ex ſeruitute Iacobi fuerat expertus reſpectu illius planè ſordido ulteriorem illius ſeruitutẽ ambit. Deinde ad conſequutionẽ proprij emolumenti utitur artificio parum honeſto, illectamentis uidelicet blandiciarum & laudis. Blanditur illi dicens: Si quæſo inueni gratiam in oculis tuis. Vide, ambit gratiam in oculis Iacob, cui tamen nec gratificatus fuerat, nec gratificari cupiebat. Planè malè illi gratificatus fuerat, cum pro Rahele ſubtruderet Leam, deinde adhuc ſeptem alios ſeruitutis annos imponeret. Impudentiq; genus eſt adhũc modũ ambire gratiã in oculis eius, à quo iuſtius odium pro malefactis quàm gratiã expectare debebas. Et illud obſeruandũ eſt, q̃d dicit: Ominatus fui, & benedixit mihi יהוה Dñs propter te. Vide hic fruſtraneã cognitionẽ Dei in homine ethnico. Agnouit eſſe unũ Deũ, quem uocat יהוה & tamẽ ſimul alios ueneratus eſt cultu, q̃s poſtea furata eſt Rahel. Deinde ominatus eſt cũ ueniſſet ad ipſum Iacob, propter hunc fore rebus ſuis ſucceſſum ex benedictione יהוה. Tertiò, agnouit benedictio OBSER.

nem יהוה propter Iacobum præstitam. Quamuis hæc sciret, & fateretur, mansit tamen in impietate sa-
sorum deorum pariter & nequitia sua obstinatus. Nec illud transeundum est, quòd Dñs Laban homi
ni impio propter Iacobum benedixit. Vides quanti sint momenti coram illo homines iusti? Quando de-
seret Iacobum ipsum, qui illius gratia domui hominis impij benedicit? *Et ait: Constitue mercedē tuam*
super me, & dabo eam.] Illud, constitue, in Hebr. est, נקבה. i. ueluti puncto distingue & exprime. Pagni
nus uertit, Nomina mercedem tuā. Sept. habent, διάγραλον. i. distingue ac defini. Et Chald. uertit פרוש
.i. expone & discerne. Super me, inquit. Hebr. sic habet עלי. Quoniā impleti erant anni quibus ꝓ filia-
bus ipsius, ueluti mercede seruierat Iacob, tandē de substantia sua mercedē aliquā homo auarus decide
re cogit, siquidem opera Iacob posthac uti uelit. Quamuis eñ gener ipsius esset, erat tñ liber ac sui iuris,
ut uel seruire illi posset, uel secus. Quare nec flagitat operas illius absq; mercede, nec mercedem ipse con
stituit, sed hoc in arbitrium illius collocat, dicens: Constitue mercedē tuā super me, & dabo eam.

OBSER. Est quidem in consueto, etiā nostris hisce nationibus, ut qui seruiturus est, si homo sit sui iuris ac li-
ber, mercedē pro qua seruire uelit, decernat & constituat, uerùm habet ista cōsuetudo necessariā cautio-
nem qua caueā, ne uel seruiens cōpleta seruitute plus poscat q̄ par sit, ubi minus liber est is cui seruijt q̄
fuerat antea, uel ne iste cui seruitū est peracta seruitute minus soluere uelit quàm cōueniat. Neq; hoc æ-
quitate caret, q̄d de mercede cōstituit nō Laban, sed Iacob seruiturus, ac molestias seruitutis subiturus.
Duo concurrūt in hac causa. Seruitus uidelicet ac merces. Qui seruit, obnoxius est uoluntati eius cui ser
uit, in ijs scilicet quæ seruitutem concernunt. Contrà, cui seruitur, obnoxius ille est seruientis sibi pro-
ximi uoluntati, quod attinet debitam mercedē. Habet ista partitio pulcherrimā æquitatē. Quare ne q̄d
admittat iniqui, quemadmodū nō cōuenit, ut qui seruit, secundum propriæ uoluntatis arbitriū seruiat:
ita non cōuenit etiam, ut qui mercedem debet seruienti, suopte illam arbitrio constituat.

Et dixit ad eum: Tu nosti quō seruierim tibi (Hebr. est את אשר עבר תיך, id est, quid seruierim tibi, hoc
est, quantum tibi seruiendo profuerim. Sic loquimur Germani, *Was ich dir gedienet, oder für dienst be-*
wyßen hab) *& quæ facta sit possessio tua mecum.* (Potest uerti, Qualis factus sit grex tuus apud me. Est. n.
in Hebræo, מקנך, quæ uox licet possessionis significationem habet, pro grege tamēn in scripturis sæpe-
numero accipitur.) *Nam modicum illud, quod tibi fuit ante me* (Hebr. est, לפני, quod uidei hic positum nō
pro coram me, sed pro, ante me, id est, priusquam ad te uenirē, sicut & uulgata latina habet. Quare Sept.
non expresserunt sensum uerborū Iacob. Reddiderunt eñ εἰς ἀντιπέρ ἐμοῦ, id est, coram me. *Creuit in mul-*
titudinem. (Vulgata lat. uertit: Et nunc dies effectus es) *Et benedixit tibi Dominus ad pedem meum* (id
est ad introitum meum, uel aduentū meum. Rectius uerteret, Ad ingressum & exitū meum. Loquit eñ
de seruitute sua, qua gregem Laban duxit, pauit ac reduxit) *& nunc quādo operabor ego etiā domui meæ?*
Vulgata latina habet: Iustum est igitur, ut aliquando prouideā domui meæ. Septnaginta uerterunt: Et
nunc quando faciam etiam ego mihij pſi domum? Sensus est horum uerborū: Tu ipse nosti quantum
profuerim tibi, ac quantus sit factus apud me grex tuus. Argumentū huius ex eo satis est manifestū, ꝙ
grex tuus, cum fuerit modicus, anteq̄ uenirem ad te, tibiq; seruirem, creuit in multitudinē, propterea ꝙ
benedixit tibi Dñs ad seruitutis meæ ingressum & egressum. Hoc beneficio meo debebas esse conten-
tus, & non petere, ut posthac tibi seruiam amplius. Etenim iniquū fuerit, sic tuis rebus inseruire indesi-
nenter, ut domum meam negligam. Hoc pacto Iacob significauit socero suo, tempestiuū esse ut domui
suæ quoq; tandem prouideat: esseq; omnium æquissimū, ut hoc non modò boni consulat, sed & hac in
re se iuuet, quemadmodū ipse res illius initio modicas fide ac diligentia sua reddidit amplas.

OBSER. Obserua primùm illud quod dicit, Modicum illud quod fuit tibi priusquam uenirem ad te, creuit in
multitudinem, & benedixit tibi Dominus ad pedem meum. Docemur quomodo debeamus ex incre-
mentis bonorum argumentum capere diuinæ benedictionis. Priusquam uenisset Iacob ad Laban, erāt
res illius modicæ & concisæ. Post annos quatuordecim inueniebantur plurimum auctæ. Hinc colligit
Iacob, Dominum benedixisse illis ad ipsius ingressum & egressum. Obseruet quisq; quomodo & qui-
bus auctibus quod antea fuerat modicum, factum sit amplum ac multum, ut simul diuinæ benedictio-
nis incrementa gratus agnoscat. Cogitemus quàm exilis ac propè nulla fuerit nobis diuinarum rerū
cognitio, priusquam ueniret ad nos doctrina Euangelij, & conferamus exuberantiā cognitionis huius,
quam ex luce ueritatis adepti sumus ad pristinam ignorantiam, uideamusq; an non uerissimè dici pos-
sit ab Euangelio Christi. Vos scitis, quomodo profuerim uobis, & quæ contigerit uobis spiritualium
rerum cognitio mecum. Nam modicū illud quod erat uobis priusquam uenirem ad uos creuit in mul-
titudinem, & benedixit uobis Dominus ad pedem meum. Deinde obserua quod dicit: Et nunc quan
do operabor ego etiam domui meæ? Admonemur sic esse ad tempus seruiendum proximo, ut aliquā-
do etiam domui tuæ prouideas. Locum habet hic Apostolica sententia: Qui suorū præcipuè domesti-
corum, curam non habet, infideli deterior est, ac fidem abnegauit. Non sunt audiendi, immo ne ferendi
quidē phanatici homines, qui curā propriæ domus illicitā esse Christianis improbissimè nugantur.

Et ait: Quid dabo tibi?] Obserua exemplū impudentiæ. Aequissimū erat, quod discedere cupiens dice
bat Iacob: Et nūc quādo operabor ego etiam domui meę? Aequitatis huius uir impudenter auarus nul
lo tangebatur sensu: sed, Quid dabo, inquit, tibi? Q. d. Quicquid fiat domui tuæ, tu fer mihi, ut opes
meæ per te in immensum excrescant. De rebus tuis ac tuorum parum sum sollicitus.

Et dixit Iacob: Non dabis mihi quicq̄. Si feceris mihi rem hanc, reuertar, pascam gregē tuum custodiā.] Verbū
reuertendi Septuag. omiserunt. Vulgata latina sic habet, Nihil uolo, sed si feceris quod postulo, iterum
pascam

A pascam & custodiam pecora tua. Nolebat uideri Iacob eiusmodi mercedis cupidus quæ ex loculis soceri sui proueniret: sed pro fide sua excogitauerat mercedis genus, quod à Deo magis quàm à socero daret. Hoc sensu dixit: Non dabis mihi quicquam. Quare inconueniens est, quod latinus interpres uertit: Nihil uolo. Volebat mercedem, sed quam daret Deus, non Laban. Si feceris mihi rem hanc, inquit. Rem hanc statim exponet. Reuertar, inquit, pascam, gregem tuum custodiam. Reuersurum se dicit, id est, mutaturum sententiã, qua discedere et ad suos reuerti constituerat, & ad pristinũ pascendi officium rediturũ. Vide honesti animi exemplũ in Iacob. Postq̃ pro uxorib. seruierat, tempestiuũ arbitrabat ut & domui suę curã gereret. Vrgebat socer ut adhuc greges suos diutius pasceret. Obtemperat huic, sed sic ut à proposito curandi res suas nõ deflectat. Cõstituit igitur mercedẽ quæ & rebus suis prodesset, & fidei erga Deum specimen præferret, simulq; à proposito spoliandi ac grauandi socerum prorsus aliena esset. Sic uir pius & honestus simul rei familiaris, & decori sui rationẽ habet, ne uel suos negligat, uel socerũ grauet. Deinde obiter etiã de officio boni pastoris in eo cogita q̃d dicit: Pascam & custodiã gregem tuum. Pastura ouium rapinis est obnoxia ferarũ. Quare opus est, ut adiunctã habeat custodiã. Et nos sumus grex Dñi, & opus habemus ut ad pastũ uerbi Dei ducamur, reducamur, & fideliter cõtra insidias satanæ custodiamur. Sic ministri Christi ueri pastoris est, non solum docere fideles, sed & contradicentiũ ora obstruere, & ad custodiã commissi gregis contra satanam uigilare. Sed ô Christe solus noster uerus & communis pastor, ubi sunt fideles ministri tui, qui gregem tuum sanguine tuo redemptum ex animo pascant & custodiant?

OBSER.

Transibo per omnem gregem tuũ hodie. (Vulgata latina, Gyra oẽs greges tuos. Septuaginta sic: Prætereant oẽs oues tuæ hodie. At in Hebr. est, אעבר, id est, transibo. Sic habet & Chald.) *auferendo inde* (uulgata latina habet in secunda persona, separa. Sept. in prima, separabo. In Hebr. est חסר מִשָּׁם quod legi potest uel auferens, uel auferendo inde) *omne pecus punctatũ & maculosum. Et omne pecus fuluũ in ouibus & maculosum & punctatũ in capris, & erit merces mea.*] Vulgata lat. habet, Cũctas oues uarias & sparso uellere, & quodcunq; fuluũ & maculosum uariumq; fuerit tam in ouibus q̃ in capris. Pro pecus punctatum, uertit oues uarias: & pro, maculosum, reddidit, sparso uellere, & mox eandẽ uocem uertit maculosum. Sept. sic παρ᾽ ἡρόβατον φαιὸν εἰ τοῖς ἄρνασι, καὶ παρ᾽ διάλευκον καὶ ῥάντὸν εἰ τοῖς ἄρνασι καὶ εἰ τοῖς αἰξίν, id est, oẽm ouem fuluã, siue pullam, in agnis. Et quicquid dimidio fuerit albũ & sparsum in agnis et capris. Ergo q̃d in Hebræo est בלשח נקד וטלוא, id est, omne pecus punctatũ & maculosum, illi una uoce φαιὸν cõprehenderunt, pro punctato & maculoso uertentes fuluũ uel pullũ, & de suo addiderunt, in agnis, quod in Hebr. nõ est. In eo q̃d dicit, Et erit merces mea, coniunctio, Et, abundat: unde & omittit etiã ab illis qui ad uerbum reddiderunt. Exponit Iacob quid sit quod dixerat: Si feceris mihi rem hanc, declarãs quid à Laban mercedis loco petat. Transibo, inquit, per oẽm gregẽ tuũ hodie, etc. Sensus est: Lustrabo oẽm gregẽ tuũ qui in custodia mea est, & seperabo quicqd punctatũ & maculosum est (per pũctata intelligit paruulis notis, per maculosa maiusculis maculis inspersa) ab illis quæ unius sunt coloris, uel nigra prorsus, uel omnino alba. Et post hanc separationẽ, quicquid uel fuluũ, uel maculosum, uel punctatũ natum fuerit tam ex ouibus quàm capris unius coloris, quæ sub manu mea erunt, id accipiã mihi loco mercedis. Est igitur completa periodus ubi dixit, Transibo per oẽm gregẽ tuum hodie auferẽdo inde oẽe pecus punctatũ et maculosum. Significauit eẽ hisce uerbis, quid facere uelit, ac subiungit quorsum hoc uelit facere, cum dicit: Et oẽe pecus fuluũ in ouibus, & maculosum & punctatum in capris, erit merces mea. Videt hoc sic intelligendũ esse quod ex ouibus tm̃ fuluas, ex capris uero maculosas & punctatas pro mercede noluerit accipere. Loquit eẽ distincte, dicens: Et omne pecus fuluum in ouibus, & maculosum & punctatũ in capris, erit merces mea. Et statim infrà: Et quicquid nõ fuerit punctatum & maculosum in capris, & fuluũ in ouib. furtum erit apud me. Itẽ: Et amouit in illo die hircos punctatos et maculosos, & oẽs capras punctatas et maculosas, in quocunq; erat albedo, & oẽe fuluum in ouibus, &c. Et hanc distinctionẽ etiã Chaldæus Paraphrastes et Thargum Hierosolymi tanum expresserunt. Verùm quoniã nec ulla ratio apparet, quare capras tm̃ punctatas et maculosas sibi seruare, oues uerò pũctatas & maculosas socero suo unà cum albis & nigris permittere uoluerit, nec à quopiã distinctionẽ hanc quod ego sciam obseruatã uideo, arbitror esse simplicius, ut quemadmodũ latinus interpres uertit, Quicquid fuluũ, punctatũ & maculosum tam in ouibus quàm capris postea natum fuit, ad mercedem Iacobi pertinuisse sentiamus. Quod autem uersum est fuluum, in Hebræo est, חרוּם uox deducta à חמם, id est, incaluit. Mõsterus uertit nigrũ. Verùm Shlomoh exponit דרמח לאדרם, id est, simile rufo. Habet is color argumentum caloris, quare uocatur חרם.

B

Et respondebit mihi iusticia mea, (In Hebr. est, Et respondebit בי. i. in me. Mõsterus uertit, pro me. Sept. uertẽũt: Et exaudiet me, uel obediet mihi iusticia mea. Chald. habet: Et testificabit in me, uel pro me, iusticia mea) *die crastino cũ ueneris ppter mercedẽ meã, in cõspectu tuo.*] In Eb. est, כי תבוא על שכרי לפניך. i. & est merces mea coram te. Vulgata lat. habet, qũ placiti tempus aduenerit coram te. Adijcit hanc particulã Iacob, ut quasi rationem exprimat, quare hoc genus mercedis elegerit. Et est sensus: Videor stultam rem facere, quod mercedem hanc mihiipse constituo, quasi nõ sit probabilius ut pecora in uniuersum uel alba uel nigra, fœtũ producant sibi similẽ uel album uel nigrũ magis q̃ uaricolorẽ. Verùm futurus euentus declarabit habere Dñm rationem iusticiæ meæ, idq; cõram uidebis, cũ ueneris ad dandã mihi mercedẽ. Sic illud, In conspectu tuo,

referendum est ad id q̃d dixit: Et respondebit mihi iusticia mea die crastino, ut sequat̃, In conspectu tuo. Quod uerò dicit, Cũ ueneris propter mercedẽ meã: ad id pertinet quod dixit, Die crastino. Ordo est: Die crastino, cum ueneris ad reddendam mihi mercedẽ, iusticia mea mihi in ipso tuo conspectu respondebit: hoc est, tam erit perspicua, ut tu ipse fis coràm uisurus & agniturus.

Quicquid nõ fuerit punctatũ & maculosum in capris, & fuluum in ouibus, furtũ sit apud me. Id est, si apud me in meo grege, deprehenderis posthac ouem uel caprã, quę non sit punctata uel maculosa, uel fulua, habeatur pro furto. Loquitur non de grege Laban, quem erat ex omnino albis & nigris collectũ pasturus, sed de ouibus & capris quas erat pro mercede acceptas ab alio grege tanquã suas separaturus. In illo si deprehensum fuerit pecus album uel nigrũ prorsus, statim initio constitutionis huius obnoxiũ se culpæ furti facit.

OBSER. Obseruandum hic est: primùm quòd non albas ex albis, ac nigras ex nigris, oues & capras, sed punctatas, maculosas & fuluas ex grege prorsus albo & nigro mercedis loco delegit. Rationis iudicio plus emolumenti sperandum erat, si punctatas, maculosas, & rufas Laban reliquisset, ac sibi unicolores, ex unicoloribus elegisset. Verùm fide prouidentiæ Dei, optionem hanc proposuit socero, homini sordido, auaro, subdolo & impio, certissimò persuasus, non defuturum aduersus illum pro se iudicium Dei.

Deinde obserua, quòd palàm gloriat̃ de iusticia sua. Facit hoc & Dauid in psalmis frequenter. Respondebit, inquit, mihi iusticia mea. Alienissimus est à sanctis spiritus pharisaicus & iusticiarius, & tamen subinde, etiam in conspectu Dñi, de iusticia sua mentionẽ faciunt. Itelligendum est loqui eos nõ in uniuersum de omnimoda iusticia, quæ iudicium Dei ferre possit, sed de iusticia innocentię suæ respectu proximorum, à quibus uel circumueniuntur astutè, uel opprimuntur iniustè.

Tertiò, nec illud transeundum est, quod confidenter gloriatur & sperat, fore ut respondeat sibi iusticia sua, idq; adeò luculenter, ut ipse Laban cogatur agnoscere. Admonemur non esse fiduciam hanc de iusto iudicio Dei pro se aduersus impios declarãdo, alienam à sanctis, propterea quòd certò sciunt esse Dominum iustum iudicem & uindicem omnis uerę iusticiæ & innocentiæ.

Et ait Laban: Ecce, utinam fiat secundũ uerbum tuum. In Hebræo uocula est לרי, quam uertimus, utinã, sicuti sonat. Latinus interpres reddidit: Gratum habeo quod petis. Quasi locus sit obscurus, neglexit uerba textus: uel quasi latinius sit, Gratum habeo quod petis: quàm, Ecce, utinã fiat secundum uerbum tuum. Et Septuaginta illud חן להי, id est, ecce utinam, omiserunt.

OBSER. Assentitur Laban sententiæ & constitutioni Iacob. Videbatur enim ipsi magis profatura quàm illi. Qua in re rursus obserua ingenium hominis infidi & auari, ubiq; proprij cõmodi studiosi. Si rebus generi fauisset, dixisset potius: Hoc genus mercedis rebus tuis parum adferet emolumẽti. Quid cũ ex albis aliud quàm fœtus albus, & ex nigris aliud quàm fœtus niger prouenire poterit? Quare non conducet rebus tuis ista conditio. Verùm placebat hæc constitutio sordido & auaro socero, unde putabat rebus suis magis quàm generi fore consultum.

Et semouit eo die hircos circulatos [in Hebræo est, עקדים, quæ uox sonat uinctos. Pagninus reddidit hircos maculis respersos in locis ubi colligari solent, utpote in pedibus. Respicitur hac uoce ad maculas quæ instar anulorum pedes pecudum ueluti uincire uidentur. Nos uocare possumus Germanicè *geringlete schaf*. Alij uocant, *bündte*.] *& maculosos & omnes capras punctatas & maculosas, in quocunq; erat albũ quid, & quicquid fuluum erat in ouibus, & dedit in manus filiorum suorum.* Illud, In quocunq; erat album quid, & c. latinus interpres sic uertit: Cunctum aũt gregem unicolorem, id est, albi & nigri uel. Ieris, tradidit in manu filiorũ suorum. Hic sensus alienus est à mente Mosis, & à ueritate historiæ. Etenim manus filiorum suorum dedit Laban non unicolores oues & capras, sed uaricolores, punctatas, maculosas, & rufas, in omni grege cum separatio primã fieret inuentas: albas uerò & nigras, unicolores, reliquit in manu Iacob. Seduxit interpretem quod in Hebræo est, כל אשר לבן ברי, id est, omne in quo erat albũ. Putauit dictum esse de oĩno & totaliter albis, cum non sit de illis, sed de uariegatis dictum, quibus albæ notæ uel maculæ inesse deprehendebant. Deinde quod est adiectũ רכל חרם, id est, & omne fuluum uel rufum, intellexit de nigris unicoloribus, cum rufa & fulua in tota hac historia cõstanter ad numerentur uaricoloribus. Nec Septuaginta cõmodè uerterunt hoc loco. Sic eĩ habent: *καὶ πᾶν ὃ ἦν λευκὸν ἐν αὐτοῖς*, id est, Et omne quod erat albũ in eis. Corrigendũ est ad hũc modum *καὶ πᾶν ᾧ ἦν λευκὸν ἐν αὐτῷ*, id est, Et omne cui inerat albedo in ipso. Et illi tenebras hnic loco inferunt, qui ista exponunt de Iacobo, quasi ille oues & capras uaricolores à grege unicolorũ separauerit, & suis filijs custodiendas tradiderit. Laban ipse separationem hanc greges sui fecit, & uaricoleres à reliquo grege separatas suis filijs, tanquã ad se, non ad Iacobũ pertinentes, custodiendas commendauit. Merces eĩm Iacob nõ erat in natis iam, sed posthac procreandis uaricoloribus. Et filij Iacob, cum ista gererentur, non erant eius ætatis, ut pascendis gregibus pares esse possent.

Et posuit iter tridui inter ipsum & inter Iacob. Ipsa narrationis series satis indicat, fecisse hęc Laban, diuisisse gregẽ, uariegataq; cõmendasse suis filijs, & inter se, hoc est, inter gregem suũ, quẽ filijs commendauerat, & inter Iacob, constituisse spacium tridui. Ne uidelicet ex uicinitate gregũ fraus aliqua admitteretur, uel confusio accideret, separauit utroq; greges à se inuicem itinere tridui.

Et Iacob pascebat oues Laban reliquas. Erant hæ oues unicolores tam albæ quàm nigræ, in quibus nulla erat nota, nullius pũctus, nulla macula, nec alba, nec nigra, nec cuiuscunq; alterius coloris. uocat has reliquas,

reliquas, propterea quòd uaricoloribus ſeparatis ac filijs Laban ad paſcendum traditis, ſolæ in manibus Iacob paſcendæ ſupererant.

Obſerua hoc loco pulcherrimum diuinæ prouidentiæ exemplum in facto Laban. Erat Dominus iuſticiam Iacob declaraturus pariter ac remuneraturus. Vt id fieret perſpicuum, amouenda erat omnis ſiniſtræ ſuſpicionis occaſio. Huic rei pulcherrimè ſeruit ſordidi, auari, & infidi hominis ſolicitudo, qua non ſolum gregem ſuum diuiſit ipſe, ac uaricolores omnes tam oues quàm capras ab unicoloribus ſeparatas filijs ſuis paſcendas tradidit, ſed & utrunq; gregem uaricolorem & unicolorem itinere triũ dierum à ſe inuicem ſeiunxit, ne qua poſſet fraus etiam à uolentibus nedum confuſio à negligentibus admitti. Quorſum iſta faciebant diſponente Deo, niſi ad hoc, ut poſtea luculentior redderetur iuſticia & innocentia Iacob? Sic plerunq; fieri uidemus, ut innocentia & iuſticia piorũ haud aliunde magis illuceſcat, quàm ex improba & accurata impiorũ hominũ diligentia & cautione. OBSER.

Et illud obſerua quod dicit: Et Iacob paſcebat oues Laban reliquas. Proponitur exemplum hominis quieti & conſtanter in propoſito pergentis. Haudquaquã offendebatur improba ſoceri ſui cautione, qua inter greges triduani itineris ſpacium conſtituit, ſed ſine ulla querulatione & tergiuerſatione reliquas oues & capras pauit. Qui ſic animati ſunt, haud moleſtè ferunt, ſi quid curioſius erga ipſos geritur. Sciunt enim alienos eſſe ſe à propoſito fraudis & perfidiæ, ideoq; huiuſmodi ſibi conſilijs & cautionibus nihil incommodari.

Et accepit ſibi Iacob uirgas populi uiridis, & coryli, & caſtaneæ.] Variãt hic quoq; interpretes. Nec mirum, cum nihil queat de arboribus ac fruticibus regionum illarum haberi certi. Vulgata latina habet, uirgas populeas, amygdalinas, & plataninas. Hieron. pro platano reddidit uirgam maligranati. Paguinus uerò, caſtaneã. *Et decorticauit in eis cortices albos denudans albedinem quæ erat in uirgis.* Sic uertit & Paguinus, & Monſterus quoque. Septuaginta ſic: *καὶ περιέϛριψεν τὸ λευκὸν, ἐφαίνετο ἐπὶ ταῖς ῥάβδοις τὸ λευκὸν ὃ ἐλέπτυνε ποικίλον*, id eſt, Et detracto albo apparuit in uirgis album, quod decorticauerat, uarium. Latinus interpres paraphraſticè ſic uertit: Et ex parte decorticauit eas, detractiſq; corticibus, in his quæ ſpoliata fuerant candor apparuit: illa uerò quæ integra fuerant, uiridia permanſerunt, atq; in hunc modum color effectus eſt uarius.

Et poſuit uirgas quas decorticauerat in canales, in potatoria aquarum, ad quæ ueniebant oues ad potandum, eregione ouium, ut conciperent cum ueniſſent ad bibendum.] Illud, Eregione ouium, referendum eſt non ad proximè præcedens, ad quæ ueniebant oues ad potandum, ſed ad id quod dixit, Et poſuit uirgas quas decorticauerat in canales, in potatoria aquarum, ut intelligas ſic poſuiſſe eum uirgas in canalibus, ut eſſent eregione bibentiũ ouium. Hactenus expoſuit quid fecerit Laban, quanq; nihil eorum omiſerit quæ ſuis commodis profutura putabat: iam conſequenter ad ea progreditur, quæ declararũt non defuiſſe Dñm rebus Iacob. Memini aũt quid ille & ad quid fecerit, poſtq; ſolas unicolores pecudes paſcẽdas accepiſſet. Quid fecerit, in eo exprimit quod dicit eum uirgas de populo, corylo, & caſtanea acceptas decorticaſſe, & in canales potatorias eregione bibentium pecudũ collocaſſe. Ad quid hoc fecerit, exponit dicens, Vt conciperent, cum ueniſſent ad bibendũ. Conſilium eius erat, per uaricolorẽ decorticatarum uirgarum aſpectum, oculis inter bibendum obiectum, efficere, ut uariegatos fœtus conciperent & proferrent, ſecundum aſpectum uidelicet uariegatarũ uirgarum, quæ uarium colorẽ bibentium ouium oculis in canalibus poſitæ ingerebant. Eſt eñ occulta hæc naturæ uis, ut imagines à concipientibus in ipſo conceptionis calore ardenter uiſæ, uel interna imaginatione conceptæ, fœtui imprimantur. Huic conſilio adaptauit uirgas, quas ſic decorticauit, ut non eundem, ſed uarium aſpectum inuentium oculis ingererent. Quare quod dicit, Et decorticauit in eis cortices albos, denudans albedinẽ quæ erat in uirgis: ſic factum eſſe arbitror, ut nõ fierent uirgæ per omnia albæ, ſed partim albæ per decorticationem factæ, partim relictis corticibus in natiuo colore permanentes, uariegatũ efficerent aſpectum. Hieronymus ea de re ſic annotat: Tres uirgas ex parte decorticans uariũ uirgarũ fecit colorem, ut ubicunq; in uirga corticem reliquiſſet, antiquus permaneret color: ubi uerò tuliſſet corticem, color candidus panderet. Obſeruabat ergo Iacob, & tempore quo aſcendebant pecora, et poſt calorem diei ad potandũ auida pergebãt, diſcolores uirgas ponebat in canalibus, & admiſsis arietib. & hircis in ipſa potandi auiditate oues & capras faciebat aſcendi, ut ex duplici deſiderio dum auidę bibũt et aſcendunt à maribus, tales fœtus cõciperent, quales umbras arietũ et hircorũ deſuper aſcendentiũ in aquarũ ſpeculo contemplabant. Ex uirgis eñ in canalibus poſitis uarius erat etiã imaginũ color. Nec mirũ hanc in cõceptu fœminarũ eſſe naturã, ut quales perſpexerint ſiue mente cõceperint in extremo uoluptatis æſtu quo cõcupiunt, talem ſobolem procreent, cum hoc ipſum etiam in equarum gregibus apud Hiſpanos dicatur fieri, &c. Hæc Hieron. *Et conceperunt oues ante uirgas, et pepererũt oues circulatas, punctatas, & maculoſas.* Poſt factum Iacobi ſubijcit illius effectũ. Quemadmodũ induſtria ſua naturã concipientium ouiũ, ut pro ſe faceret, inducere fategit, ita illa conatibus iſtis reſpõdit. Habet hoc ſe in natura, nõ ex ſeipſa, ſed ex ipſius authore & cõditore Deo, ut niſi ſingulari de cauſa impediat operationes ſuas conſtanti tenore proſequat. unde eſt, q̃d phyſices ſtudioſi ſubinde multa faciunt admiranda Hic uerò nõ ſolũ artis & naturæ uirib. q̃d factũ eſt, ſed cũ primis diuinæ eſt operationi tribuendũ, ſicuti cap. ſequenti uidebit.

Et oues ſeparauit Iacob, & poſuit facies ouũ uerſus circulatas & quæcunq; fuluæ erant, in oubus Laban.] Latinus interpres prorſus abludit à ueritate Hebræa. Hæc erat ſecunda induſtriæ excogitatio, qua profore iudicabat ad acquirẽdos fœtus uariegatos, ſi circulatos, rufos, punctatos, & maculoſos agnos & hœdos,

ad aſpectum uirgarũ cõceptos gregem Laban præcedere & aliàs ante oculos illius uerſari faceret, quò ex illorum quoq; perinde atq; uariegatarũ uirgarum aſpectu cauſa obijceret uaricolores fœtus concipiendi & gignendi. Sic dicit: Et oues ſeparauit Iacob, hoc eſt, uariegatas ab unicoloribus, & poſuit facies ouium, in ouibus Laban (huc pertinet iſta particula) uerſus circulatas, uel ſi mauis, punctatas, & omnes eas quæ rufæ erant & fuluæ, intellige de iam recens poſt primam ad conſpectum uirgarum conceptionem natis, & ad mercedem Iacob pertinentibus. Pagninus non eſt hunc ſenſum aſſequutus, nec Germanicus interpres.

Et poſuit ſibi greges ſeorſum, & non coniunxit eos ouibus Laban.] Fecit hoc ad uitandam confuſionem, et ſeruandam ſuarum ouium ab ijs quæ erant Laban, perſpicuam diſcretionem, & ad hoc quoq;, ut mercede ſua commodè poſſet uti, ſimulq; uidere quæ illius ex benedictione Domini eſſent incrementa.

Et factũ eſt in omni cõceptu ouiũ primitiuarũ poſuit Iacob uirgas ante oculos ouiũ in canalib. ut cõciperent coram uirgis, & cũ ſerotinæ eſſent oues nõ poſuit. Et factum eſt, ut ſerotina eſſent Laban, primitiua uerò Iacob. Et hic locus obſcurus eſt, propter duas uoces Hebræas חמקשרים & העטרים. Prima eſt à uerbo קשר quod ſignificat colligare, coniungere, & conſpirare. Altera eſt à uerbo עטף, quod operire & inuoluere ſignificat. Chaldæus paraphraſtes uocem חמקשרי uertit בכוריא, id eſt, primitiua, primogenita, id eſt, temporanea, העטרים uerò לקישיא, id eſt, ſerotina. Hunc ſequitur Hieronymus & Latinus interpres, & Pagninus. Monſterus & Tigurina uerſio pro חקרשרים habent, robuſtiora, & pro העטפים debiliora. Verùm quomodo utræq; uerſiones Hebræis uocibus conueniant, admodũ eſt obſcurum. Videtur enim robuſtum eſſe uel temporaneum eſſe nihil habere conuenientiæ cum uoce quæ colligationem, deinde ſerotinum uel debile eſſe haud conuenire cum uerbo quod obtegere & obuoluere ſignificat. Quare non diſplicet quod R. Shlomoh annotat, qui iudicat oues tum eſſe חמקשרות, id eſt colligatas, quando ueluti conſpirantes & colligatæ ſimul ad cõceptus properanter & auidè inhiant, id quod uerno tempore fieri ſolet, העטרות uerò id eſt, tectas & obuolutas, quãdo lana & uellere uelut obuolutæ non ſunt auidæ ad concipiendum, quod euenire ſolet tempore Autumni. Et huc arbitror reſpexerunt, qui pro חמקשרות uerterunt temporaneas, & pro העטרות ſerotinas.

Exponit igitur Moſes hoc loco, qua uſus ſit Iacob diſcretione temporis, ad ponendum uirgas in canalibus ante oues inter bibendum concepturas. Gemina eſt conceptura ouium in anno. Verno una, Autumnali tempore altera. Illam temporaneam, uel primi temporis, iſtam ſerotinam uocant. In prima conceptura igitur uirgas canalibus impoſuit Iacob, in ſerotina non poſuit, atq; ita factum eſt, ut quæ uerno tempore concipiebantur, naſcerentur punctatæ, maculoſæ & rufæ, pertinerentq; ad mercedem Iacob iuxta condictum: quæ uerò concipiebantur tempore autumnali naſcerentur unicolores, ac pertinerent ad Laban. Hic mihi uidetur ſimplex eſſe præſentis loci ſenſus.

In eo uerò adhuc uariatur, quo conſilio uſus ſit hac diſcretione Iacob, qua uirgas non ad ſerotinam ſed ad primi temporis admiſſuram ouibus proponere uoluerit. Alij ſentiunt uerni temporis conceptus eſſe meliores, ſerotinos uerò deteriores. Rurſus alij diuerſum ſentiunt, ſerotinos temporaneis præferentes. Id conſtat in iſto facto, quod quæ uerno tempore naſcebantur pertinuerint ad Laban, propterea quod eſſent unicolores: quæ uerò tempore Autumni proueniebant, fuerint Iacob, tanquam uaricolores. An uerò ſuis uel ſoceri commodis hac diſcretione conſulere uoluerit Iacob, id non eſt manifeſtum. Qui uocem חמקשרות uertunt robuſtiores, & העטפות debiliores, ſatis indicant uoluiſſe Iacobum nõ ſoceri, ſed ſuis ipſius commodis hac conſulere diſcretione. Qui uerò temporaneas uertunt & ſerotinas, mentem Iacob non exprimunt, ac de illa diuerſimode iudicant. Hieron. ſentit ſerotina fuiſſe deteriora, temporanea uerò meliora. Alij contrà præferunt ſerotina temporaneis, & dicunt Iacobum ſocero deſtinaſſe meliora, ſibi uerò deteriora, idq; feciſſe ſpiritu fidei, quod non dubitaret etiam hoc factum ad iuſticiæ ſuæ declarationem. Inde non conſequitur, quod quæ uaria tempore Autumni naſcebantur, & ad mercedem Iacobi pertinebant, deteriora: & quæ Laban uerno tempore nata cedebant, potiora fuerint. Nàm ſic diſponebat res Iacobi diuina prouidentia, ut quæ cõmuni curſu naturæ deteriora haberi ſolent deprehenderentur eſſe potiora.

De eo facile eſt iudicare, quare uirgas non poſuerit ad utranq; admiſſuram. Fuiſſet id prorſus iniquum, & intolerabile. Nam omni gregis emolumento Laban ex eo ſpoliatus fuiſſet. Sic ergo temperauit hanc induſtriam ſuam, ut & ipſe competentem laborum ſuorũ tolleret mercedem, & Laban quoque quod ipſi competebat acciperet.

Quærunt in hac hiſtoria, unde fuerit Iacobo tantum induſtriq; tantumq; ſcientiq; rerum phyſicarum, cum eſſet homo ſimplex, & in tabernaculis paſturæ pecudum deditus uerſaretur. Deinde quæritur, quomodo excuſari poſsit Iacob, ne culpabilis habeatur propter tam inſignem fraudem erga ſocerum ſuũ admiſſam. Verùm ad utranq; quæſtionem capite ſequenti commodius reſpondebitur.

Et potens factus eſt uir ille ualde ualde, & fuerunt illi oues multæ, & famulæ, & ſerui, & cameli, & aſini. Adiecta eſt hæc particula ad declarandam diuinæ promiſsionis ueritatem. Promiſerat illi Deus benedictionem ſuam & præſentiam in omnibus. Quod promiſerat, reipſa complere cœpit: idq; quod mirabile eſt, in media ſeruitute. Seruienti dedit, ut & filiorum & facultatum benedictione creſceret. Tanta eſt uirtus diuinæ benedictionis, ut illi ne ſeruitutis quidem humilitas & moleſtia poſsit obſiſtere.

CAPVT

CAPVT XXXI.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Iacob rediturus in terram Canaan ex Mesopotamia, inscio Laban socero suo profugit, ille profugã insequitur, & post expostulationem utrinq; factam fœdus cum eo paciscitur.

ET *audiuit* (Iacob uidelicet) *uerba filiorum Laban, dicentium: Abstulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri, & ex ijs quæ patris nostri fuerunt, acquisiuit omnem opulentiam istam. Vidit etiã Iacob faciem Laban, & ecce non erat erga se sicut heri & nudiustertius. Et dixit Dominus ad Iacob: Reuertere ad terrã patrum tuorum, & ad natale solum, & ero tecum.*] Illud acquisiuit omnẽ opulẽtiam istã, in Ebræo est: fecit omnem gloriam istam. Solet autem scriptura uocem, כבד, quæ grauitatem sonat, usurpare pro gloria, magnificentia, & opulentia, quam gloria consequitur in hoc seculo. Vulgata lat. habet: Ditatus factus est inclytus. Sept. habent: *πεποίηκε πᾶσαν τὴν δόξαν ταύτην.*

Commemoraturus Moses figuram Iacob ex Mesopotamia, inscio Laban factam, pro sua prudentia causas illius præmittit, & si nõ oẽs, eas tamen, quæ tandẽ hominẽ impulerunt ut ad suos reuerteretur. Prima recensetur ista, quod uerba filiorum Laban audierit, incusantium ipsum, quod iniquè ac perfide egerit cum patre ipsorum, eo quod quæ illius fuerint, abstulerit, & ex illis ingentes opes corrasserit. Secunda comemoratur ab ipso Laban obiecta, quòd is mutato uultu satis indicaret quàm non esset erga ipsum amicè affectus. Tertia erat ex oraculo Dei, quo iubebatur reuerti in terrã patriam. Quod autem nõ simpliciter dictum est, Reuertere ad terram patrum tuorum: sed, Et ad natale solum, factũ est ad discernendum inter patres uetustiores, quorum terra erat Mesopot. & Abrahamũ & Isaac, quorum terra erat Canaan, ubi natus fuerat Iacob. Hæ causæ præmittuntur, ne præter rationem fuga ista à Iacobo præsumpta uideatur. Obserua primũ quam habuerint in domo Laban similes labra lactucas. Qualis pater, tales erant filij. Pater iniquus, solis suis ipsius commodis inhians, & iniquũ quicquid illis quamuis iustè deteritur iudicans, consimiles habet filios. Parum esse putabant quod cũ antea fuissent ac esse fortunæ, ad aduentũ Iacob facti erant opulenti, qua in re ingratitudinis ingenium expresserũt. Ex bonis patris nostri, inquiunt, factus est diues. At unde pater ista acquisierat? Annon ipse dixerat, Benedixit mihi Dominus ad pedem tuũ? Deinde Iacobo inuidebant, immo sinistre quoq; & iniquè interpretabantur, quod ex benedictione Domini & ipse factus fuerat diues. Abstulit, inquiunt, omnia quæ fuerunt patris nostri, & ex bonis patris nostri factus est diues. Sic quod merces fuerat pro furto reputabãt. Nihil abstulerat Iacob ꝗd ad se non pertineret. Alioqui potuisset hoc Laban iure repetere. Quod uerò merces ex pacto debita diuinæ benedictionis incremẽtis ingentes contulit opũ cumulos, nihil habebat iniqui, unde uel Laban uel filij ipsius meritò conqueri posset. Sed sic solent homines impij, iniusti, fordidi, & auari. Deinde obiter & illud obserua, quod filij Laban rancorem cordis aduersus Iacobũ conceptum, uerbis exprimunt: Laban uerò haud ita, sed ore tacito, maleuolentiam suam premit corde. uides ingenia expressa iuuẽtutis in filijs Laban, senectutis in ipso Laban. Iuuenilis calor nescit corde premere quod cogitat, sed ad quãuis occasionẽ in uerba prorumpit. Senes uerò uerba cohibere possunt, & corde quod malũ est meditari ac parturire. Sic peior est infidiosus senex, quã proteruus & maledicus iuuenis. Tertiò animaduertendũ est, ꝗd Iacob uultũ Laban obseruauit, & ex huius immutatione de animo illius iudicauit. Quamuis uerba cohiberet Laban, uultui tamen imperare non potuit, quin conceptum corde rancorem proderet. Sic non est facile crimen non prodere uultu.

Quarto, in eo quod oraculo Dei admonetur, ut in terram patrũ suorum reuertatur, uidemus expressam diuinæ prouidentiæ diligentiam & fidem, qua non solum abitus, sed & reditus piorum curantur. Simul obserua quàm conuenienter & opportunè diuinum oraculum tum sit prolatum ac propositum Iacobo, cum & uerba & uultum Laban ac filiorum eius discessum suadere uideret.

Et misit Iacob, & uocauit Rahelem & Leam in campum ad gregem suum, ac dixit ad eas: Video ego faciem patris uestri, quod non sit erga me sicut heri & nudiustertius, & Deus patris mei fuit mecum. Postquã de reditu suo Iacob grauibus de causis penes se constituerat, uisum est & necessarium esse & æquum, ea de re communicare cum uxoribus, & illis propositum suum unà cum causis illius exponere.

Qua in re & prudentiã & æquitatem uiri cordati & iusti uides. prudentiæ erat, animos uxorũ in idem discedendi propositũ inducere, ne si tergiuersareutur, à proposito impediretur: æquitatis uerò, quod eas consilij sui participes esse uoluit, quas habebat omnis uitæ suæ pariter & fortunæ socias. quòd etiam pertinet, quod non Rahelem duntaxat, sed & Leam ad se uocauit, & cum utr sq; contulit. OBSER.

Cum uenissent ad ipsum, exponit primũ de patre ipsarum, dicens: Video faciem patris uestri quod non sit erga me, sicut heri & nudiustertius, hoc est, sicut fuit antea. q.d. uideo præsentiam meam patri uestro posthac fore non eo loco quo fuit antea cum discedere parantem rerum suarum gratia obsecrando etiam detineret. Sic parat uiam ad id quod erat illis communicaturus. Et addit: Et Deus patris mei fuit mecum. Non est perspicuum, quo sensu particulam hanc adiecerit. Deum patrem suum uocat. Dominum Deum Abrahæ & Isaac patris sui. fuit is cum ipso triplici nomine, benedicendo, custodiendo, & apparendo. De apparitione paulo antè facta est mentio. Si de illa loquitur, ꝗd dicit: Deus patris mei fuit mecũ, idẽ est ꝗd Deus apparuit mihi. uerũ sensus iste nõ uidetur satis quadrare ad præcedentia. Infrà cõmodius mentionẽ faciet de diuinæ apparitionis oraculo, ubi etiã quid ad se dictũ sit, exponet. De custodia mox infrà dicturus est, ubi legit, Sed nõ permisit illi Deus ut malè mecũ ageret. De benedictione quoq;

mentionem infrà faciet, dicens: Rapuit Deus oues patris uestri, & dedit mihi. Arbitror non incommodè de utraq; posse intelligi quod dicit: Et Deus patris mei fuit mecum: uel, est mecum: sic ut uocula, Et, uel pro sed sit posita, quod non est insolens linguæ sanctæ, ut legatur, Sed Deus patris mei est mecum, uidelicet, ut nihil mihi possit incommodi inferri à patre uestro. Vel legatur pro כי, id est, quoniã, quod, ut sensus sit: Video faciem patris uestri, quòd nõ sit erga me sicut heri & nudiustertius, propterea quòd Deus patris mei mecum est, benedicens rebus meis, & custodiens me, ne quid contra me omnia illius machinamenta possint. Itaq; quod dicit, Deus patris mei mecum est: occupatio est, qua omnem opulentiam è gregibus Laban acquisitam à suspicione fraudis, malarum artium & perfidiæ purgat, ac malevolentiam Laban, filiorumq; eius iniquitatis damnat. q.d. Iniustè faciunt pater ac filij quòd me odio prosequuntur, quasi iniquis modis opes hasce meas bonis ipsorum detriuerim. Siquidem manus Domini quæ mecum est, non studium meum hæc mihi bona contulit.

Et uos scitis quòd omnibus uiribus meis seruierim patri uestro.] Occurrit cogitationi, qua cogitare poterat quisquam: Etsi Deus tuus fuit tecum, tu tamen rebus tuis intentus fuisti magis quàm eius cuius oues pascebas. fideliter, inquit, non perfidè seruiui patri uestro, idq; pro uiribus meis. Et appellat ea de re ipsarum conscientiam, cum dicit: Et uos scitis. Sic cõsiderandam ipsis iustitiam & innocentiam suam, teste conscientia ipsarum indubitatam, ad hoc proponit, ut eo facilius ad discessum consentiant.

Occurrit hic communis locus pertinens ad nos omnes. Proponitur pij hominis ingenium, quo sic est comparatus, ut siue Deo seruiat, siue hominibus, seruiat ex animo & totis uiribus, quàm poterit fideliter: idq; tam luculenter, ut fidem ac probitatem suam testatam faciat omnibus, possitq; confidenter dicere: Vos scitis quòd omnibus uiribus meis & fideliter uobis seruierim.

At pater uester circumuenit me, (in Ebræo est התל בי quod nonnulli uertunt: Mentitus est mihi) *ac mutauit mercedem meam decem uicibus.*] Circumuenerat eum primùm in nuptijs Rahel, cum Leam pro illa subtruderet noctu. Verùm ea de re, ut Leæ parcat, non meminit. Deinde circumuenit eum mutatione mercedis non semel atq; iterum, sed decem uicibus præsumpta. De ista intelligit, dicens: At pater uester circumuenit me, & per expositionem subiungit: Ac mutauit mercedem meam decem uicibus. Sensus est: Quod inimicatur mihi pater uester, facit hoc propter meritum meum. Nihil illi incommodaui, immo fideliter seruiui. Ipse contrà fraudulenter ac perfidè mecum egit, mutans mercedem meam decies. Septuaginta legunt. Et mutauit mercedem meam, τῶν δέκα ἀμνῶν, id est, decem agnis. At in Ebræo est עשרה מקלים, id est, decem uicibus. Augustinus laborat, quomodo dictum sit: Et mutauit mercedem meam decem agnis. Etenim quoniam Ebræa ignorauit, adhæsit lectioni Septuaginta interpretum. Decem, inquit, annos pro decem temporibus posuit quibus oues quas pascebat per sexennium pepererunt. ueluti si dicat quisquam per tot uindemias, aut per tot messes, quibus numerus intelligatur annorum. unde ait quidam, Post aliquot aristas, per aristas messes, & per messes annos significans. Hæc ille. Quærat autem quisquam, quomodo Laban mercedem Iacob decem uicibus mutauerit, arbitror non esse curiosius inquirendum. Etenim meo iudicio numerus denarius positus est hoc loco pro sæpenumero. q. d. mutauit mercedem meam haud semel atq; iterum, sed frequenter. Quomodo mutauerit, ipse Iacob statim subijcit, & exponit. Quomodo decies mutauerit, quemadmodum & illud Numeri decimoquarto dictum est: Sed tentauerunt me decem uicibus. Et Iob 19. Decem uicibus ignominia me afficitis. uerùm, si quis cum Augustino & Hieronymo decem uicies determinatè positas esse intelligendum putat, quæritq; quomodo potuerit Laban in sexennio decies mutare mercedem Iacobi, cogitet oues in Mesopotamia quemadmodum & Italia bis parere in anno, atq; ita duodecies, nedum decies fieri potuisse quod hic de Laban queritur Iacob. Hac de re scribit Augustinus ad hunc modum: Contigerat autem ut primo anno, quo inter se pacti sunt, & ad oues pascendas placito huius mercedis accesserit, quod semel parerent in fine anni, quia cum accessissent, iam semel pepererant. Rursusq; sexto anno, id est, ultimo, cum semel peperissent exorta necessitate profectionis, prius recederet quàm iterum parerent, ac per hoc, cum primus annus atq; ultimus duos ouium partus sub illo haberent, hoc est, singulos, medij uerò quatuor anni binos, fiunt omnes decem. Hæc Augustinus.

Sed non dedit ei Deus ut malè ageret mecum.] Hoc est, ut mihi noceret. Malè agit cum aliquo qui iniquè agit, etiamsi non lædat uel noceat, alicunde uidelicet impeditus. Sic utiq; malè agebat Laban cum Iacobo, cum illum circumueniret, ac mercedem eius toties mutaret. Rursus malè agit qui nocet innocenti, ac uel corpori, uel fortunis illius incommodat. Sic cum Iacobo haud malè egit Laban, quia Deo non dante non potuit, quantumuis uellet ac tentaret.

OBSER. Obserua diligenter, quanta sit eorum felicitas, qui in gratia & custodia Dei uiuunt: ac rursus quàm non sit in manu impij ut incommodet pio, nisi permittatur à Deo, quamque frustranei sint omnium eorum conatus, qui reluctante Deo pijs hominibus nocere student.

Si quando sic dicebat, Punctata erunt merces tua, pariebant omnes oues punctata, uidelicet pecora.] Dicebat hoc Laban, ubi uidebat omnes oues peperisse fœtus non punctatos, sed unicolores, id quod fiebat uerno tempore, propterea quòd uirgas Iacob in admissura autumnali & serotina non propositas esset ouibus. Sic mutabat mercedem Iacob, ratus fore ut rursus parerentur unicolores. uerùm quoniam uirgis ad uerni temporis admissuram utebatur, concipiebant oues ad illarum aspectum, & pariebant tempore autumni fœtus punctatos & uarios, atq; ita non succedebat malicia Laban, qua suis commodare, & generi rebus incommodare satagebat.

Si uerò

Si uerò dicebat, Circulata erunt merces tua, omnes oues pariebant circulata. In Ebræo eſt eadẽ uox עקדים quæ præcedenti capite poſita eſt tertiò, quam & illic uertimus, circulata. Septuaginta uerterunt hic: ἐὰν δὲ οὕτως ἔφη τὰ λευκὰ ἔσται σου μισθὸς καὶ τέξεται πάντα τὰ πρόβατα λευκά, id eſt, Si uerò dicebat alba erunt merces tua, pariebant omnes oues alba. Sic uertit & latinus interpres. Pro induſtria ſua Iacob potuit ſic circulatim decorticare uirgas, ut ad illarum aſpectum fœtus circulati conciperentur: rurſus ſic punctatim decorticatas proponere, ut punctati fœtus naſcerentur. Sic fiebat ut nihil efficeret Laban.

Et abripuit Deus gregem patris uestri, & dedit mihi.] In Hebræo eſt מקנה mikneh, quod alij poſſeſsionem, alij oues, alij pecus, latinus interpres ſubſtantiam, Pagninus gregem uertit. Qua uſus ſit induſtria non exponit uxoribus, ſed ſimpliciter, quod caput rei eſt, Deo deputat, quod patri ipſarum non ſucceſſerint mutationes mercedis ſuæ tam crebrò præſumptę. Deus, inquit, ſic diſpoſuit, ut parerent oues mihi, non patri uestro, atq; ita gregem illius quantumuis reluctantis & inuiti abſtulit, mihiq; dedit. Non eſt autem hoc ſic intelligendum, quod uniuerſum gregem Deus abſtulerit Laban. Non enim abſtulit illi, uel quem habebat ad ſe pertinentem gregem, uel quæ ex illo ſic naſcebantur, ut nullo iure ad Iacobum pertinerent, ſed quoniam effecit, ut quæ ex grege illius quem paſcebat Iacob, communi naturæ curſu ſic naſci poterant ut ad ipſum pertinerent, ſingulari operatione ſic ſint nata, ut iure mercedis pertinerent ad Iacobum, ſic loquutus eſt: Et abripuit Deus gregem patris uestri, & dedit mihi.

Obſeruandum eſt hic, quid mereantur illi qui ingrati ſunt beneficentiæ Dei. Benedixerat Deus fortunis Laban ad pedem Iacob per annos quatuordecim, id quod & ipſe ſuprà eſt confeſſus, atq; ita factus fuerat diues. uerùm quoniam creſcente opulentia ſimul illi accreuit auaritia, & comes auaritiæ ingratitudo, deinde & nequitiam in Iacobum exercere cœpit, cuius laboribus bene fuerat uſus, iuſto iudicio Dei factum eſt, ut in poſterum priſtinis ſucceſsibus deſtitueretur, & de bonis illius Iacob ditaretur. Videmus hoc exemplo non eſſe alienum à Deo, ut impijs & ingratis hominibus auferat quæ dederat, & pijs tribuat.

Et factum eſt tempore quo concipiunt oues, leuaui oculos meos ac uidi in ſomnio, & ecce arietes aſcendebant ſuper oues circulati, punctati, & maculoſi. Et dixit ad me angelus Dei in ſomnio: Iacob, & dixi, ecce ego. Et ait, Leua quæſo oculos tuos & uide, omnes arietes aſcendentes ſuper oues, circulati ſunt, punctati, & maculoſi, quoniam uidi omnia quæ facit tibi Laban.] Bis ponitur uox עתודים, quæ aliàs ſignificat hircos. Quoniam uerò hic ſequitur uocula צאן quæ ſonat ouem, malui uertere, & ecce arietes, quàm & ecce hirci. Dicunt enim Hebræi quidam עתודים generalem eſſe uocem, quæ tam arietes ſignificet quàm hircos. Qui hircos reddunt, uoculam צאן uel capras uertunt, uel pecora. Septuaginta ſic uerterunt: καὶ ἰδοὺ οἱ τράγοι καὶ οἱ ἐπιφερεῖς ἀναβαίνοντες ἐπὶ τὰ πρόβατα καὶ τὰς ἀιγάς, id eſt, Et ecce hirci & arietes aſcendentes ſuper oues & capras. Sic etiam uerterunt in uerbis angeli. Inconſideratè factum eſt, quod Chaldæus paraphraſtes uertit: Et ecce hirci aſcendunt ſuper oues. Neq; enim hirci, ſed arietes aſcendunt ſuper oues. Niſi uox תישיא theiaſchaia non modò hircos, ſed & arietes ſonet Chaldæis. Quod uerti, maculoſi non eſt in Ebræo טלאים teluim, ſed ברודים barudim, id eſt, grandinati, maculis ſic reſperſi, quaſi eſſent grandine tacti. Barad enim grandinem ſignificat.

Exponit quod dixerat: Et abripuit Deus gregem patris uestri, & dedit mihi, ut fidem faciat uxoribus. Angelus Dei, inquit, apparebat mihi dormienti in ſomnio, & per uiſionem indicabat, fore ut oues parerent punctata, circulata & maculoſa, unde facile intelligebam mecum eſſe Dominum, & admiſſuram ouium ſingulari operatione ſic dirigere, ut mercedis meæ haberetur ratio, quicquid moliretur Laban. Et huiuſmodi uiſio accidit Iacobo, haud ſemel atq; iterum, ſed ſingulis admiſſuris ouium, primi uidelicet temporis. Et hinc dubio procul admonitus Iacob, induſtriam adeptus eſt, qua uirgas decorticatas canalibus in conſpectum bibentium ouium, tempore conceptus poſuit.

Et hac conſideratione facile reſpondemus illis, qui quærunt, quomodo factum hoc Iacob defendi poſſit ac uindicari à culpa perfidiæ. Manus Dei fuit in hac cauſa, non manus Iacob. Virgas quidem decorticauit Iacob, & canalibus impoſuit: uerùm facti huius pariter & effectus author fuit Deus, qui & per angelum ſuum Iacob, quid faceret, inſtruxit: & per uirtutem ſuam dedit, ut quod faciebat inſtructus, iuſti operis ſortiretur efficaciam. Iuſtitiam autem operis huius angelus in eo expreſsit, quod in perſona Dei dixit: Quoniam uidi omnia quæ facit tibi Laban, ſignificans detrimenta iſta euenire Laban iuſto iudicio, tanquam iniquè & iniuſtè cum Iacobo agenti. *Quomodò factũ Iacob ſit inculpabile.*

Obſerua uerò, quantæ ſit conſolationis pijs hominibus, quod dicit, Quoniam uidi omnia quæ facit tibi Laban. Vigilat oculus Dei ſuper iuſtos, & diligentiſsimè obſeruat, quæ ab impijs aduerſum illos deſignantur. Nihil poteſt omnium eorum quæ impij aduerſum iuſtos machinantur, oculos & conſcientiam eius effugere, qui in cœlis habitans, corda, conſilia, ſtudia, & facta mortalium omnium non ſolum uidet dum fiunt, intelligit dum cogitantur, ſcrutatur dum in ſeceſſu latent, ſed & priuſquam in ipſis affectuum ſeceſsibus concipiuntur, nedum naſcuntur, longè antea præſcit ac præuidet. OBSER.

Ego ſum Deus Bethel, ubi unxiſti ſtatuam, ubi uouiſti mihi uotum, ſurge iam, egredere de terra iſta, & reuertere ad terram natiuitatis tuæ.] Hiſce uerbis Iacob non modò concludit orationem ſuam, ſed & quod agendum erat, cuius gratia uxores ambas ad ſe in campum euocauerat, proponit, uidelicet, diſcedendum eſſe ex ea terra, ac reuertendum in terram Canaan. Proponit autem hoc non ſuiſipſius uerbis, ſed angeli, quem Deus ad hoc ipſum miſerat, ut cœleſti oraculo monitus, reditum ad patriam inſtitueret. Plus habebat ad perſuadendum efficaciæ, quòd audiebant dixiſſe angelum:

angelum: Ego sum Deus Bethel ubi unxisti statuam, ubi uouisti mihi uotum, surge iam, egredere de terra ista, & reuertere ad terram natiuitatis tuæ, quàm si ipse Iacob de suo dixisset: Quare tempestiuũ est, ut surgam, deq; terra ista egrediar, & ad terram natiuitatis meæ reuertar.

Arbitror autem Mosen hoc loco diuersorum temporum oracula, cœlestes q; uisiones coniunxisse. Etenim quod angelum dixisse scribit: Iacob, leua quæso oculos tuos, & uide, omnes arietes, &c. factum est non eo tempore quo discedendum erat Iacobo, sed per sex illos annos, quibus pro mercede socero suo Laban seruiebat. unde & Iacob præmisit: Et factum est tempore quo concipiunt oues, &c. quod uero subiungitur, Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti statuam, ubi uouisti mihi uotum, surge iam, egredere de terra ista, &c. oraculum habet separatum à prioribus, ac in fine sexennij tempore discessus facti, idem uidelicet, cuius suprà statim post initium capitis huius facta est mentio. Nec impedit quod illic legitur, Et dixit Dominus ad Iacob: hic uerò angelus Dei Iacobo in somnio loquutus inducitur. Etenim præcedens huius uisionis commemoratio per sequentem hanc exponitur. Et consuetum est scripturæ, ut Dominum uisum uel loquutum esse dicat, ubi angelus Domini apparuit.

OBSER. Considerandum hic est, quod non simpliciter dicit: Surge iam, & egredere de terra ista, ac reuertere ad terram natiuitatis tuæ: sed præmittit, Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti statuam, ubi uouisti mihi uotum. Non dicit, Ego sum angelus Dei: sed, Ego sum Deus, ut mandatum plus haberet authoritatis. Nec dicit, Ego sum Deus patrum tuorum: sed, Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti statuam, &c. ut uisionem, pariter & promissionem initio ipsi peregrinationis in ipsa adhuc terra Cananaan constituto factam in memoriam reuocaret, certoq; persuaderet, quemadmodum in Mesopotamiam proficiscenti non defuit, ita non defore se ex Mesopotamia in terram patriam reuertenti. Declarat se nondum esse oblitum eorum quæ ante annos uiginti gesserat ac uouerat in Bethel: ac simul illa confirmat, non dicens, Ego sum Deus Luz: sed, Ego sum Deus Bethel. Hic illi apparens inter cætera dixerat: Et reducam te ad terram istam, &c. Indiderat quoq; Iacob hoc nominis loco illi, uouens ac dicens, Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in uia ista, &c. & si reuersus fuero in pace ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum: & lapis iste quem posui in statuam, erit domus Dei. Sonat autem Bethel domum Dei. Horum confirmatione reddit eum animatum, ut sine ulla hæsitatione & cunctatione ad reditum sese cum suis accingat, nec dubitet, adfore sibi Deum in reditu, qui adfuit in peregrinatione, nõ in principio duntaxat, sed & ad finem usq; & quod in Bethel de benedictione promiserat, in Mesopotamia præstirit.

Et *responderunt Rahel ac Leah, dicentes ei: An adhuc nobis pars est & hæreditas in domo patris nostri? An non alienæ reputatæ sumus ei? Nam uendidit nos, ac comedit etiam comedendo pecuniam nostram. Quoniam omnis opulentia quam abripuit Deus patri nostro, nostra est & filiorum nostrorum. Et nunc omnia quæ dixit ad te Deus, facito.*] Recitauit hactenus Iacob causas, quare sit ipsi discedendũ, & ad terram patriam reuertendum. Iam uxores Rahel & Leah & ipsæ causas exponunt, ob quas paratę sint cum eo relicta domo paterna discedere. Causantur non esse ipsis ultrà manendi causas, propterea quòd non sit quicquam ipsis uel patris uel hæreditatis in domo patris expectandũ. An adhuc nobis pars est & hæreditas in domo patris nostri, inquiunt? q.d. Nequaquã. Ad quid ergo discedente te maneremus cum patre? Deinde subijciunt querimoniam de eo quod egerit cum ipsis pater haud fideliter, quemadmodum patris est paterna fide ac beneuolentia curare cõmoda filiarũ, sed ita suaipsius cõmoda dũtaxat quærierit, ut uenditerit ipsas haud secus quàm si alienę essent, & pecuniã, id est, precium ipsarũ comederit, hoc est, in suos usus conuerterit. Sic interpretantur, quòd elocauerat ipsas Iacobo pro condicta quatuordecim annorum seruitute, haud secus quã si alienæ, id est, famulæ ac seruæ, & non filiæ essent. Et emolumenta illa quæ ex seruitute Iacob accumulauerat, uocant pecuniam suam. Deinde quoniã ex illis non modò ditaniam omnis opulentia quam abripuit Deus patri nostro, nostra est & filiorum nostrorum. uocula בי in Ebræo, cõmuniter quidem uertitur, quoniam, quia. uerùm hoc loco posita est pro, quapropter, ut legendum sit: Quapropter, omnis opulentia quam abripuit Deus patri nostro, nostra est & filiorum nostrorum. Loquuntur ista ad id quod dixerat Iacob, Rapuit Deus gregem patris uestri, & dedit mihi: & exponunt causam, quare Deus hoc fecerit. Propterea uidelicet, quòd quæ acquisierat Laban, parta erant laboribus Iacob, quibus illi pro duabus filiabus tot annos seruierat. Nostra est, inquiunt, opulentia ista, quam abripuit Deus patri nostro. q.d. Sunt enim acquisita per nos quasi pecunia quadam ac precio. Nam nos sumus merces, pro qua patri nostro seruisti.

Quod si simpliciter legendum uidetur, Quoniam omnis opulentia, &c. intelligendum est esse argumentum à causa. Dixerant: Comedit pecuniam nostram. Causam subijciunt, quare facultates patris sui uocent pecuniam suam. Quoniam omnis opulentia, inquiunt, quam abripuit Deus patri nostro, nostra est, & filiorum nostrorum. Vendidit enim nos, & ex nostro precio acquisiuit quæ habet. uerùm prior sententia magis arridet. Quomodocunq; accipias, queruntur de patre suo perinde atq; Iacob, quod haud fideliter cum ipsis egerit: & confirmant, adiecta ratione, quod Iacob dixerat. Abripuit Deus gregem patris uestri, & dedit mihi, sic ut iustificent etiam Deum in hac causa, quòd non quæ patris, sed quæ ipsarum sint, patri abripuerit, ipsisq; dederit. Septuaginta habent, Nobis erit & filijs nostris. q.d. Abstulit Deus patri nostro opes istas in nostros usus, ut nobis & filijs nostris seruiant, quandoquidem nos uendidit, & uacuas elocauit.

Et nunc,

Et nunc, inquiunt, omnia quæ dixit ad te Deus, facito. Habent ista consensum ad parandũ discessum, & simul alteram causam includunt, propter quam paratę sint ad relinquendum patrem, ac discedendũ in terram Canaan. Innunt hanc in eo quod non dicunt, Quod cõstituisti: sed, Omnia quæ dixit ad te Deus, facito. Nam hisce duabus causis mouebantur ad consentiẽdum Iacobo. una, quòd pater iniquè cum ipsis egerat. Altera, quòd Deus de reditu parando præceperat.

OBSER. Sunt quædam hic obseruanda. Primum est, quòd non Leah tantum uel Rahel, sed ambæ in causa hac à Iacobo proposita, unanimiter consentiunt. Erat ea res Iacobo ad parandum ac perficiendum discessum admodum accommoda, & præterea gratissima. Etenim non ad hoc tantum faciebat, ut expeditus, sed ad hoc quoq; ut cum suis omnibus uxoribus, liberis, famulitio & peculio alacriter discederet: id quod fieri non potuisset, si uel ambæ, uel una ex illis dissensisset. Agnosce hic beneficium diuinæ dispositionis.

Deinde obseruandum est, quod dicunt: An adhuc nobis pars est & hæreditas in domo patris nostri? uides exemplum eorum in Laban, qui ex liberis suis sic euehunt quosdam, ut reliquos omni consortio hæreditatis priuent. Laban filijs sic deputauit omnia, ut filias constitueret exhæredes. Quid faciunt in Papatu aliud ex nobilibus ac ditioribus nonnulli, qui filias omni hæreditatis iure priuatas monasterijs includunt, ut luculentior sit filiorum hæreditas.

Nec illud transeundum est, quod Raheli ac Leæh non placet domus patris, in qua nihil ipsis erat expectandum emolumenti. Cogitemus hic quo nos conueniat esse animo erga hunc mundum, quem sic inhabitamus, ut nulla nobis in eo sit pars uel hæreditas expectanda, postquam Christo nupsimus. An ubi migrandum est ad Christum sponsum nostrum, uerius ac iustius aliquid à nobis dici poterit, quàm quòd uxores Iacob dixerunt: An adhuc pars nobis est & hæreditas in hoc mundo?

Tertiò. An non alienæ, inquiunt, reputatæ sumus ei? Nam uendidit nos, & comedit comedendo pecuniam nostram. Vide hic quid possit auaritia. Etiam paternum animum sic peruertit, ut ex filiabus quoq; pro precio diuenditis potius quàm legitimè elocatis quæstum uenetur. Consimiles nuptias reperias hodie & plurimas.

Et illud obserua. Abalienati sunt animi Iacob & uxorum eius à Laban, generi uidelicet à socero, & filiarum à patre. Quare? Propter illius iniquitatem & perfidiam communiter in ipsos declaratam. uidemus hic, quanta sit perfidiæ & iniquitatis malicia, non solum in eo, quod quæ iniqua sunt, contra iustitiæ normam admittuntur, sed & in eo quòd etiam coniunctissimi homines à se inuicem abalienantur. Iniquitate & perfidia mariti, animus uxoris, patris, animi liberorum, soceri, animi generi ac nurus abalienantur, quos conueniebat inter se cohærere unitissimè.

Quartò. Et nunc, inquiunt, omnia quæ dixit ad te Deus, facito. Animaduertant hic matronæ fideles, quàm debeant esse cùm pię erga Deum, tum morigeræ erga maritos, ubicunq; de uoluntate Dei & iustitia causæ, quæ agenda est, fuerint edoctæ. Sit uox ista fidelium uxorum, sit liberorum, sit subditorum, ut & ipsi dicant: Omnia quæ dixit Dominus facito.

Surrexit itaq; Iacob, & extulit filios suos & uxores suas in camelos, & abduxit omnes greges suos, cunctamque substantiam suam quam acquisierat, facultates possessionis suæ, quas acquisierat in Padan Syriæ, ut ueniret ad Isaac patrem suum, in terram Canaan.] Postquã causas discessus Iacob exposuit, de ipso nunc discessu subiicit, de quo ista cõmemorat. Primũ, quod cum omnibus suis discesserit. Eorum quæ ad se pertinebant, nihil post se reliquit. Exprimit hoc Moses per enumerationem. Vxores & filios camelis imposuit. Greges suos omnes minãdo abduxit, oues uidelicet, capras, camelos, armenta, asinos. Illis dubio procul adiunxit seruos, concubinas uerò & ancillas camelis impositas coniunxit uxoribus & liberis. Deinde & cunctam reliquam substantiam & facultates per camelos auexit. Alieni nihil, quod ad se non pertineret, abstulit, sed ea duntaxat quæ sui erant iuris. Hoc innuit, cum dicit: Cunctamq; substantiam suã quã acquisierat, facultates possessionis suæ, quas acquisierat in Padan Syriæ. Non est igitur præter mispat pij & iusti hominis, si quò migrandum est, ut quoad eius fieri potest, reculas suas secum auferat, ne aliis cogatur esse oneri. Alia erat conditio Apostolorum, qui non simpliciter ad certum aliquem locum habitandi gratia, sed in orbem uniuersum ad prædicandum Euangelium emittebantur. Quare ut expeditiores ad id muneris essent, commodius circumibant absq; onere facultatum, quàm si illis onusti pro fecti fuissent: deinde æquum etiam erat, ut quæ necessaria erant, ab illis sumerent, quibus Euangelium prædicabant.

Discessit Iacob cum suis omnibus.

OBSER.

Secundum est, quod discesserit non quolibet, sed in terram Canaan ad Isaac patrem suum: Hoc erat illius propositum. Vt ueniret, inquit, ad Isaac patrem suum in terram Canaan. Si quid reprehensionis habere uidetur, discedere à socero, per id commuui sensu excusatur, quod non quolibet, sed ad patrem suum ac natale solum discesserit, ut taceam, quod eò redire diuino fuerat oraculo iussus.

Discessit in terram Canaan.

Laban uerò abierat ad tondendum oues suas, & Rahel furata est simulachra patris sui. Et Iacob furatus est cor Laban Syri, non indicando illi quod fugeret. Et fugit ipse & quicquid erat illius, surrexitq;, & traiecit fluuium, ac posuit faciem suam uersus montem Gilead.] Simulachra patris sui.) In Ebræo est תרפים theraphim, quæ uox aliquoties in scripturis pro idolis sumitur. unde & Septuag. uerterunt idola, sicut & latinus interpres. Et Aquila uertit μορφώματα. i. figuras. Tertio loco cõmemorat Moses, fugisse Iacobũ clanculum Iii, inscio socero Laban. Huc pertinet quod dicit: Laban uerò abierat ad tondendũ oues suas, quas uidelicet in manus filiorũ suorũ pascẽdas tradiderat. Itẽ, Et Iacob furatus est cor Laban Syri. hoc est, instar furis

Discessit clanculum.

furis celauit conſcientiam Laban, quod fugeret. Exponit quid dixerit, dum ſubijcit, non indicando illi quod fugeret. Commemorantur iſta propter ſequentia, quæ de expoſtulatione Laban narrabuntur.

Et Rahel, inquit, furata eſt ſimulacra patris ſui. Et hoc memoratur propter ſequentia. Erat Laban homo ethnicus & cultor idolorũ. Arbitror illi fuiſſe ſacellũ quoddam domeſticũ, in quo idola iſta proſtiterint, ut facilis fuerit ad illa acceſſus Raheli. Et fugit ille, inquit, & quicquid erat illius. Intellige de uxoribus, concubinis, liberis, ſeruis, & ancillis, qui omnes cum ipſo profugiebant, ſic ut nemo ex illis fugere detrectaret. Surrexitq; & traiecit fluuiũ. Chald. paraphr. habet עיבר ית פרת, id eſt, & traiecit Euphratem. Pro genere ſubſtituit ſpeciẽ, propter eos, qbus iter ex Meſopotamiã in terrã Canaan eſt ignotũ. Ac poſuit faciẽ ſuã uerſus montem Gilead. Pertinet hoc quarto loco ad hiſtoriã reditus Iacob.

Quo itinere diſceſſerit.

Quo uidelicet profectus ſit itinere. Quod aũt montem hunc montem Gilead uocat, anticipationis figuram habet. Tum enim non uocabatur mons iſte hoc nomine, ſed ex hac præſenti demum hiſtoria mons Gilead uocari cœpit, ſicut patet ex ſequentibus. Vſurpauit Moſes appellationem quæ ſuo tempore in uſu erat, & ſimul originem illius populo Iſraeli expoſuit. De monte hoc annotauit Hierony. ad hunc modum: Galaad mons eſt ad quem ſeptimo die profectionis è Charris Iacob profugus uenit. Eſt aũt ad tergum Phœnices & Arabiæ (ſuſpicor legendum eſſe, felicis Arabiæ) collibus Libani copulatus, extenditurq; per deſertum uſq; ad eum locum, ubi trans Iordanem habitauit olim Seon rex Ammorhæorum. Cecidit ſupradictus mons in ſortem filiorum Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe. Hæc ille.

Gilead.

OBSER. Obſerua primũ, quòd Iacob, cum eſſet in terram Canaan iuſſu Dei reuerſurus, diſceſſum ſuum nou inſtituit palàm, ſed occaſionem captauit, qua propter abſentiã Laban tondendis ouibus occupati clanculum ac ſecurius fugere poſſet. Induſtriam hanc de ſuo adiecit. Nihil egit temerè in hac cauſa. Obediuit quidem iuſſui diuino, uerùm abſq; temeritate. fides & obedientia Dei non reddunt hominem in rebus periculoſis temerarium, ſed recipiunt conſilia cautionis, modò talia ſint, quæ iuſsibus diuinis non repugnent, aut aliquid deterant. Sic Ioſeph quoq; iuſſus accipere puerum & matrem eius, & fugere in Aegyptum, fugit non palàm & interdiu, ſed occultè & noctu.

Huc & illud pertinet, quòd faciem ſuam, cum traieciſſet fluuium, uerſus montana Gilead direxit. Poterat compendioſius ac directius iter ingredi. uerùm propter inſectationem Laban quam metuebat, ad montana properanter deflexit. Dixerat ad ipſum Dominus: Reuertere ad tertam patrum tuorum, & ero tecum. Hac fide reditum inſtituit. Et tamen quicquid ad hoc facere poterat, ut ſecurius abiret, haud neglexit. B

Deinde & illud obſerua, quod dicit: Et Rahel furata eſt ſimulacra patris ſui. Hic primus locus in ſcripturis eſt, in quo mentio fiat idolorum. Vbi conſideranda uenit impietas Laban. Nahor pater eius & Abraham, duo fratres, cum patre Terah relicta Chaldæa uenerant in Charran: ubi poſtea mortuo Terah, & Abrahamo in terram Canaan tranſlato, manſit Nahor, & poſt Nahor Laban. Domus Nahor ab impietate idolorum per præſentiam Abrahæ pij ac timentis Dei abduci non potuit, nec Laban per familiaritatem & præſentiam Iacob, quamuis ſciret ad illius pedem benedixiſſe ſibi Deum induxit eſt, ut cultum falſorum deorum abijceret, id quod præſens locus euidenter arguit. Videmus hoc exemplo, quàm non debeat nobis mirum & inſolens uideri, ſi hodie quoq; cultores idolorum, fratres & proximi noſtri, nulla poſſunt ratione, nullaq; noſtra familiaritate ad hoc induci, ut falſos & deteſtabiles ſimulacrorum cultus deſerant.

Interea uide & illud. Quamuis Laban fide eſſet & religione diuerſus à fide & religione Abrahæ, qm̃ rñ cognatus erat, non eſt ueritus Iacob filias illius ducere in uxores, illiq; domeſtica familiaritate per annos uiginti coniungi, immo ſeruire etiã, id quod poſtea certa eſt lege prohibitũ illius poſteris. Quod is fecit, per ſe non erat malum, uerùm ſic eſt cum periculo coniunctum, ut timendum ſit, ne ſectatores exempli huius familiaritate & coniunctione idololatrarum à ſynceritate fidei deflectantur.

Quòd uerò Rahel furata eſt, ſecumq; abſtulit patris idola, quæritur, quare id fecerit. De cauſa facti huius nõ poteſt certi quicq; reſponderi, cũ Moſes nõ doceat, quare hoc fecerit Rahel, an propterea, ut ablatis illis prohiberet, ne per illa pater cognoſceret, quo itinere abijſſent, ſicuti putat Aben Ezra, uel q̃d eſſent ſimulacra iſta aurea uel argentea, uoluerit q; ea rapere loco hæreditatis paternæ, uel propter zelũ Dei, q̃d deteſtaret abominandã patris impietatẽ, cuperetq; eum ab illa auertere. Poſtremam hanc rationem poſuit R. Shlomoh. Sic enim annotat, להפריש את אביה בעבו בתברכת, id eſt, Conata eſt patrẽ ſuũ à cultu alienorũ deorũ auertere. ucrũ ſi hoc agebat, abijciẽda & perdẽda erant idola, non aſportanda & ſeruanda. Deinde & marito ſuo hac de re ſignificare debebat. Quare uero ſimilior uidet prior ſententia.

Si quærat quis, ſit ne factũ Rahelis culpabile uel ſecus, reſponſionem accipiat ex ore Iacob, qui infrà dicturus eſt: Apud quem inueneris deos tuos, non uiuat ille. qua utiq; ſententia furtũ alienorum deorum damnauit. Non poteſt excuſari furtum hoc, niſi factum ſit iuſſu Dei. id quod non exprimitur.

Et nunciatum eſt ipſi Laban die tertio quòd fugiſſet Iacob.] Non potuerunt ſe uxores & concubinæ Iacob è domo Laban cum reculis ſuis & liberis ſic extricare tacitè & abſconditè, ut domeſticorum conſcientias prorſus fallerent. Quare arbitror fuiſſe ex domeſticis Laban, qui obſeruata hac fuga ſtatim primo die ad Laban excurrerint, & die tertio ad tondentem oues perlati, rem omnem patefecerint. Quod autem mentio fit diei tertij, ex eo eſt, quod Laban oues in manus filij traditas, itinere tridui à grege quem Iacob paſcebat, diſiunxerat. Quare & indici iſti, quiſquis fuit, triduani itineris ſpacium erat conficiendum, priusquam ad Laban ueniret.

Conſide-

Considerandum est hoc loco, quomodo res electorum suorum dispenset Deus. Dederat Iacobo & cõmoditatem & locum fugiendi, per absentiam Laban. Verùm sic dedit istam commoditatem, ut tamen non esset prorsus secura & sine molestia. Permisit enim, immo uerius subornauit suo instinctu hominem, qui ad Laban excurreret, & rem omnem illi exponeret, quo ad insectandum fugientem excitaretur. Poterat cauere, ne hoc fieret. uerùm multis nominibus satius erat ut cognosceret Laban fugisse Iacobum, & fugientem persequeretur, quantumuis Iacob discessum suũ magno illum studio celasset.

Et assumpsit fratres suos secum, & persequutus est eum itinere dierum septem, comprehenditq; eum in monte Gilead.] Subijcit de Laban, quid ille fecerit, cognita fuga Iacobi. Persequutus est eum, apprehendit, expostulauit, deos suos quæsiuit, sed non inuenit, fœdus statuit, & in pace ad suos redijt. Hæc est persequutionis huius summa. Singula ex ordine narrantur. De persequutione sic: Et assumpsit, inquit, fratres suos secũ. fratres illius uocat קרוביו, id est, kerabim, propinquos, deinde & cõciues & domesticos.

Persequutus est eum assumpta propinquorum hominum turma, ut uel irrumperet in profugum, & resistentem prosterneret, uel uiolenter etiam inuitum reduceret, aut saltem filias suas cum gregibus abriperet. Et uerosimile est turmam hanc fuisse in hos usus armis instructam. Prætextus insequendi profugum fuit, quòd furtim ablati essent ipsius dij. Causa hæc uidebatur uicinis & incolis eius loci admodum digna, ut fugientes persequerentur, & pœnas de illis tanquam sacrilegis sumerent. Erat & isti genti sua religio cordi, iudicabantq; grauissimè ulciscendam esse contumeliam dijs suis illatam. Habebat igitur Laban admodum spectabilem ac grauem in speciem persequutionis huius causam, ideoq; confestim reperit turbam propinquorum ad insectandum profugos paratam.

Et persequutus est eum, inquit, itinere dierum septem.] Vnde persequutio ista cœperit, ab eo ne loco ubi oues tondebat Laban, uel ab Haran, ciuitate in qua habitabat, non est expressum à Mose. Si non est Iacobum ex eo loco insequutus, ubi oues tondebat, sed primùm profectus domum ut ibi propinquos & conciues colligeret, id quod mihi uerosimile uidetur, atq; inde manu armata profugos persequi cœpit: cõsequitur, confeciſſe eum spacio septem dierum tantum itineris insequendo, quantum Iacob confecerat diebus tredecim fugiendo. Fuerat enim postquam discesserat Iacob, nuncius currens ad Laban in itinere triduum: deinde Laban domum reuertendo & ipse triduum insumpsit. Interea fuerat Iacob in itinere suo diebus sex. His adde septem dies quibus illũ insectatus est Laban, & manifestũ erit, quòd tredecimo die fugæ Iacob, septimo uerò persequutionis suæ, assequutus sit ipsum Laban. Nec mirum uideri debet, quòd Iacob tam tardè promouit, Laban uerò tam est illum citò assequutus. Haud enim fieri potuit ut celerius fugeret tot impedimentis gregum ac facultatum impeditus. Deinde & nonnihil remoratus fuerat ipsum fluuius Euphrates, quem non potuit celeriter traijcere. Laban uerò liber ab impedimentis gregum & facultatum expeditius potuit traijcere fluuium, & fugientes persequi.

Quòd si non ex Haran, sed ex loco ubi tondebat oues collecta manu cõfestim est profugos insequutus, coniectura datur, quòd decimo post fugam die assequutus sit Iacobum. quam sententiam nonnullis placere uideo. R. Shlomoh aliter sentit. Tres illos totos dies, inquit, quibus nuncius ad Laban excurrit, fuit Iacob in itinere suo, atq; ita tertio die distabat à Laban itinere sex dierum, septimo autem die assequutus est eum Laban. Vnde intelligimus, quòd totum hoc iter, quod cõfecerat Iacob diebus septem, confecerit Laban die uno. Error in eo esse apparet, quòd Shlomoh putat numerum hunc septem dierũ referendum esse ad fugam Iacob, cum referendus sit ad persequutionem Laban. Non meminit Moses quo die fugæ Iacob, sed quoto die persequutionis suæ Laban ad Iacobum usq; pertigerit. Et persequutus est eum, inquit, itinere dierum septem. Hoc est, septem dies persequendo Iacobum insumpserat, donec illum assequeretur. Etiamsi camelis usus sit Laban, fieri tamen non potuit, ut uno die ab Haran ad montem Gilead usq; traiecto Euphrate pertingeret.

Comprehenditq; eum, inquit, in monte Gilead. In Ebræo est וידבק אתו, id est, attigit ipsum, pertigit ad ipsum, uel, assequutus est ipsum. Non enim sic comprehendit eum, ut manu prehensum in sua haberet potestate: sed sic illi factus est uicinus, ut fugam eius sistere & tabernacula eodem, quo ille, monte figere posset. Tria sunt hoc loco obseruanda, quæ Iacobo euenerunt à socero. Primum est, quod speciem sustinuit, quasi improbè fugeret. Ipsa insectatio fugientis, fugam illius suspicione improbitatis grauabat. Secundum est, quod insectationi suæ Laban furtum deorum suorum prætexebat. Quantum id causam Iacobi deformarit & odiosam reddiderit, facillimè quiuis intellexerit cordatus. Tertium est, quod insectator tandem fugientem comprehendit, priusquam in terram Canaan uenisset. Hic multum erat timoris pariter & periculi. Sic dispensat Deus suorum causas in hoc mundo, ut nonnunquam haud uideantur esse iustæ, sintq; cum periculo coniunctæ. OBSER.

Et uenit Deus ad Laban Syrum in somnio noctu.] Vulgata latina habet, Viditq; in somnis dicentem sibi Dominum. Quod in Ebræo est ויבא אלהים, id est, & uenit Deus, interpres iste legit וירא אלהים, id est, & apparuit, uel, uisus est Deus. Septuaginta uerterunt, ἦλθε δὲ ἄγγελος πρὸς Λαβάν, id est, Venit uerò angelus ad Laban Syrum. Chald. Et uenit uerbum à conspectu Domini ad Laban Syrum.

Et dixit ei: Caue tibi ne loquaris cum Iacobo à bono usq; ad malum.] Vulgata lat. Caue ne quicquã aspere loquaris contra Iacob. Sept. μήποτε λαλήσῃς πρὸς αὐτὸν πονηρά, id est, ne loquaris ad ipsum praua. Quod in Ebræo est מטוב עד רע, id est, à bono ad malũ, non exprimũt. Cum pertigisset Laban ad montem Gilead, ubi erat Iacob, impediebatur noctis interuentu, ne quicquam aduersus illum eo die tentare posset. Dum ea nocte quiescit, & expectat dum orto die copia detur agendi cum illo, dormiẽti apparet

Deus in somnio, uerat'q; diserte ne grauiter, ne uel boni uel mali quicquam cum Iacobo agat, immo ne loquat quidē, nedū agat. Videmus hic rursus diuinæ prouidentiæ, fidei, & custodiæ exemplū, qua suos Deus in periculis protegit & seruat, cum dicit, Caue tibi: satis indicat, nisi abstineat à Iacobo, immissure ipsi exitiū. q.d. Nisi perire uelis, caue ne quicquā tentes aduersus Iacobū. Poterat occulta uirtute sua prohibere ne pertingeret usq; ad Iacobū: uel etiamsi pertigisset, ne quid in illū posset: uerūm hac ratione tuetur Iacobū, ut nō solū cohibeat Laban, ne quid in illū designet: sed agnoscere quoq; cogatur, esse illi Deū protectorē, & ad ulciscendū hostes illius paratū. Nascitur hic quæstio, quare prohibuerit Deus Laban ne cum Iacobo nō modò malū, sed ne bonū quidem loqueretur. Protectoris est, non quę bona, sed quæ mala sunt auertere. Quare inconueniens uidetur, prohiberi ne boni quicquam loquatur Laban cum Iacobo, auunculus cum nepote, socer cū genero. Respondeo, nō esse hoc præter rationē factum, nec inconueniēs fuisse ad protectionē & custodiā Iacob. Laban erat Iacobo nō modò infensus & ad nocendū illi ex animo paratus, sed simul erat insignis hypocrita, instructus uerborū lenocinio ad imponendum simplici & candido uiro. Quare non erat tantū Iacobo periculi ab illius uiolētia, quantum ab assentationis inescatione & impostura, ne blanditijs ac promissis illectū in Mesopotamiā cū uxoribus et liberis, omniq; facultatū substātia ad pristinā seruitutē reduceret. Huc. s. spectasse uidet Deus, dicēs: Caue tibi, ne loquaris cū Iacobo à bono usq; ad malū. Beneficentiā uerā ac uerba pacifica, qbus Iacobo nihil erat incommodaturus, nec itineris ad reditū suscepti prosequutionē impediturus, haud quaquā prohibuit ista interminatione, sed uelapertā uim, uel astutas blandicias & ad imponendū cōpositas, quę qa speciē habent boni, cum bonæ non sint, pernicioſiores sunt ac periculosiores q̄ sit manifesta uiolentia.

QVAESTIO

Et apprehendit Laban Iacobum. Et Iacob fixerat tentorium suum in monte, & Laban fixit (tentoriū) cum fratribus suis in monte Gilead.] Sensus est: Cum appulisset Laban ad montem Gilead, fixerat iam in eo Iacob tentoriū suū, & Laban ipse quoq; in eodem monte unà cum fratribus suis tabernacula fixit. Sep. sic habent. Ἐνωκίδε ἐπηξε τλὴν ὁδὸν τῆς σκηνῆς αὐτὸς ἐν τῷ ὄρει, id est, Iacob uerò fixit uiam supellectilis uel apparatus sui, in monte. Quod in Ebræo est אהל, id est, tabernaculum suū, illi uerterunt uiam supellectilis sui, uiam ponentes pro tentorio itinerario. Quomodo tentoria tentorijs fuerint oppositа non exprimit Moses. Iacob ubi uidit uel aliàs cognouit imminere sibi aduentum Laban, noluit ultrà progredi, sed in monte tanquam loco tutiore, tentoria sua maturè fixit, paraturus se ad resistendum si quid uiolenti tentaretur à Laban. Iudicauit hoc esse satius, quàm si in ipso itinere diuisis cumulis ac dispersis adobrueretur. Et Laban ubi uidit Iacobum fixisse in monte tentoria, paratumq; esse ad resistendū, & ipse cum suis in eodem monte consedit. Non enim de alio monte intelligendum est quā de monte Gilead. Quod dicit, Et Iacob fixerat tentorium suum in monte, hoc est, in montanis. Hic illud assequutus est Laban, sicuti suprà dicere cœpit, quod hisce uerbis prosequitur.

Et ait Laban ad Iacob: Quid fecisti? furatus es cor meum, & abduxisti filias meas quasi captas gladio. Quare celasti fugam, & furatus es me, nec indicasti mihi? Et dimisissem te cum gaudio & canticis, cum tympano & cithara. Nec permisisti me osculari filios meos & filias meas. Nunc stultè egisti. Est robur manui meæ ad faciendū uobiscum malum: at Deus patris uestri heri loquutus est ad me, dicens: Caue tibi ne loquaris cum Iacob à bono ad malum. Et nunc abeundo abijsti, & desiderando desideras domum patris tui, quare furatus es Deos meos?] Orto mane uter utrum conuenerit prior, Laban ne Iacobum, uel Iacob Labanum, non memoratur à Mose. Iosephus tamen dicit Laban euocasse ad se Iacobum, id quod uerosimile uidetur. Expostulat itaq; Laban prior cum Iacobo, obijciens illi tria. Primum, quod clanculum, se inscio, fugisset. Huc pertinet quod dicit: Quid fecisti? furatus es cor meum. Quare celasti fugam, & furatus es me, nec indicasti mihi? Ingeminatione utitur rei eiusdem, sicuti solent, qui moto animo loquuntur. Etenim idem est, celare et non indicare fugam, quemadmodū idem est quod dicit, Furatus es cor meum, et furatus es me. Germani hunc Ebraismum exprimimus cum dicimus, *du hast mirs verstolen*, pro, *du hast mirs verborgen vnd verschlagen*. Vrget, ut rationem dicat quare hoc fecerit, cum dicit: Quare celasti fugam? Quò & illud pertinet, quod dicit: Quid fecisti? Sic solemus eos conuenire & alloqui, quos absurdi aliquid & quod defendi non possit, perpetrasse putamus.

Secundum est, quod filias ipsius abduxisset fugiens, haud secus quàm si eas gladio cæpisset. Sic enim solent prædones quos gladio cæperunt, instar pecorum abducere. Item, Nec permisisti me osculari filios meos & filias meas. Nepotes suos, filios filiarum, uocat filios suos. Habent ista pathos paterni pectoris. Addit: Dimisissem te cum gaudio & canticis, cum tympano & cithara. Item, Nunc stultè egisti. Vt exprimat, fuisse hanc fugam stultam, præter rationem & inhumanam congessit ista. Stultam & præter rationem, quod nulla fuerit sic fugiendi causa, & quod satius fuisset, palàm cū gaudio, canticis, tympano & citharis deduci, quàm clanculum fugiendo causam dare hostilis insectationis. Inhumanam, quod per illam non licuerit patri ualedicere filiabus ac nepotibus suis. Hoc in summa dicit. Si me præsente & sciente discessisses, haudquaquam prohibuissem. Immo deduxissem te cum gaudio, & filijs ac filiabus meis amanter ualedixissem. Quare non habuisti causas fugæ huius tam stultæ & inhumanæ, quàm occultæ & furtiuæ.

Illud, Est robur manui meæ ad faciendum uobiscum malum, ad hoc subijcit, ut significet quare tanta armatorum turma stipatus adsit. Ad hoc, inquit, robur istud quod uides, contraxit manus mea, ut ultionem de te ac tuis omnibus sumerem, & possem etiam, nisi hac me nocte Deus patris uestri ab hac sententia interminando reuocasset. Quare quod iam tecum expostulo uerbis, & non potius confligo armis,

mis,nō est quod uel imbecillitati aut timiditati meæ,uel iustitiæ tuæ tribuas,sed in causa huius est Deus patris tui,cuius timore impedior,ne faciam quod facere decreueram.

Tertium est quod dicit: Quare furatus es deos meos? loquitur de idolis, quæ furata erat Rahel. Et nunc,inquit,abeundo abibas,ac desiderando desiderabas domum patris tui. Ista per concessionem dicuntur,& simul occupationem habent. q.d. Sed intelligo,quid huic fugæ tuæ prætexas. Sic desiderio paternæ domus tenebaris,ut omni mora reiecta quàm celerrimum discessum institueris,ideoq;,quoniam triduani itineris spacio aberam,nihil ad me de consilio tuo referre sustineris. Esto. Detur hoc ardenti paternæ domus desiderio. Sit affectus humanus,& condonetur. uerùm si hoc agebas, quid necesse erat ad hanc fugam tuam,ut deos meos furtim tecū abriperes? Quid huic sacrilegio prætexes? Filiæ meæ sunt uxores tuæ,nepotes mei sunt filij tui,greges mei cesserunt tibi loco mercedis, & hoc nomine defendis,quòd eos tecum abduxisti. Dij mei quo iure ad te pertinent, ut illos quoq; tolleres & asportares? Sic furtum deorum suorum Iacobo obijcit,ut omnem illi excusationem adimat. Sed uideamus obiter,quæ sint hic obseruanda.

Principiò obseruandum est in eo quod iam Ebraismus ille,Furatus es cor meum,secundò occurrit, ubinam locum habeat,ut dicamus aliquem furatum esse cor nostrū. Aliud est, studio celare quod agis: aliud,furari conscientiam: & aliud,furari cor alicuius. Qui studiosè quid celat,non semper fallit conscientiam eorum quos fallere cupit, sed accidit plerunq; ut occulta sua studia indicijs quibusdam prodat, uel suspecta saltem reddat. Qui tam est astutus,industrius & cautus,ut quod clanculum agit, nullis reddat indicijs sic suspectum, ut cuiusquam innotescat conscientiæ, is rectè dicetur conscientiam furatum esse mortalium. Interea tamen conscientiam Dei furatus est omnium minimè. Qui uerò non solum in causa quàm studiosissimè celare satagit,conscientiam mortalium fallit,sed & in omni uita sua sic se gerit candidum,simplicem, & integrum, ut nemo quicquam siniſtri uel fraudulenti de illo suspicari possit, is demum non solum conscientiam,sed & corda mortalium furatus esse dici potest. Talis erat Iacob in domo Laban. Sic se gesserat candidè, integrè, ac simpliciter, ut nulla potuerit suspicio in corde Laban exoriri,quod aliquando clanculum esset adornaturus fugam. Ergo nota est uel non uulgaris simplicitatis & innocentiæ,uel omnino exquisitissimæ hypocriseos,corda eorum posse furari,cum quibus quotidie familiariter & domesticè conuersamur. De illis qui subinde nequitiā cordis sui indicijs, quantumuis obscuris & tectis suspectam reddunt,uulgò dicimus, *Er hat mein hertz nit betrogen.* Hoc est,sic se gessit,ut nunquam mihi meliora de ipso promiserim. OBSER.

Deinde obseruandū est ingeniū hominis astuti & hypocritæ. Astuti in eo, quod non dicit, Abduxisti uxores tuas: sed, Abduxisti filias meas quasi captas gladio. Nemo suas uxores gladio capit & abducit. filiæ Laban erāt uxores Iacob. Igitur haud abduxit eas quasi gladio captas,sed fanquā suas uxores unà cum liberis & facultatibus suis. Verùm hoc tacet astutus & malicioſus homo,& id obijcit,quòd speciē habebat facti iniqui & inhumani. Iniquū enim est alienas mulierculas, & inhumanas filias inscio patre abducere. Hypocriticū ingeniū,& ad simulandū quiduis instructum in eo obseruare licet, quod dicit: Quare celasti fugam? Item,dimisissem te cum gaudio & canticis,&c. Perinde ista loquit, ac si nihil subdoli & iniqui unquā egerit cū Iacobo,neq; discessum illius molestè fuerit laturus, modò hunc palàm instituisset, cum nihil minus ferre potuerit, & omnē lapidem mouerit,quo hunc impediret. Sic solent simulatores,ubi non succesit quod iniquè tentarūt,iniqua sua studia egregiè dissimulant, & amicitiam insignem præ se ferunt uerbis,cuius tamen nulla unquā de se præbuerunt experimenta. Huc etiā pertinet,q; paterni pectoris affectū simulat erga filias,dicens: Nec permisisti me osculari filias meas. Quasi uerò filias suas syncerę dilectionis affectu prosequutus sit,& cōmoda illarū fideliter procurarit,ubi eas pro precio seruitutis uendidit & elocauit,pecuniā illarū comedit, sortē & hæreditatē paternorū bonorū uniuersam in filios transtulit. Huiusmodi parentis oscula dilectionis simulationē habent, ipsam dilectionē non habent. Tertiò, obserua q̄d dicit,Nunc stultè egisti. Quod prudenter factū erat à Iacobo, stultitiæ tribuit. uerū satius erat ista audire,q̄ reipsa malitiā hominis experiri. Consultius est in tempore è manibus perfidorum ac malorum hominum elabi,& post euasionem audire,ut dicant, Stultè egisti q; fugisti, nihil mali intulissemus, quàm per socordiam perfidiæ & malitiæ illorum nequitiam experiri.

Quartò & illud obseruā. Est robur,inquit,manui meæ ad faciendum uobiscum malum. Non potuit dicere,Est iustitia manui meę,ad sumendam de uobis ultionem. De robore gloriatur,de iustitia gloriari non poterat. Gloriatio hæc potentiæ ad facienda mala plerunq; est hominū impiorū ac tyrannorū.

Quintò. At Deus patris uestri, inquit, heri loquutus est ad me,&c. Vide,non simpliciter dicit,At Deus: sed,At Deus patris uestri. An non erat ipsius quoq; Deus? Erat utiq;. Est enim non nisi unus omnium Deus. Sed homo ethnicus & impius errore πολυθείας laborabat. Credebat Iacobo & patri ipsius hunc esse peculiarem Deum,quem curam illorum gerere sentiebat.

Sextò. Et nunc,inquit,abeundo abibas, ac pomum patris tui desiderando desiderabas. Ergo non ignorabat eum paternę domus desiderio teneri. Quare igitur abitum illius tandiu fuerat propter suum ipsius emolumentum remoratus? Quare ad paternam domum redire cupientem non dimisit cum honore,sicuti conueniebat?

Septimò. Quare,inquit,furatus es deos meos? Vide loquutionem idololatrarum. Idola sua uocant deos suos. Scimus,inquiunt,non esse simulacra deos,sed sunt nobis monumenta deorum,ideo uocamus ea deos nostros. Sic in Papatu imagines mortuorum sanctorum uocant sanctos suos. Dij ac sancti isti

ligneĩ,lapideĩ,aurei & argenteĩ ſic ſunt comparati,ut uel ui uel furto auferri poſsint.

Et reſpondit Iacob,ac dixit ad Laban:Quia timebam. Dicebam enim,ne fortè abriperes mihi filias tuas: Penes quem inueneris deos tuos,non uiuat. Coram fratribus noſtris cognoſce tibi quid ſit penes nos,& accipe tibi. Ignorabat aũt Iacob,quod Rahel eſſet illos furata.] Reſpondet Iacob ad obiecta breuiter, apertè, & grauiter. Ad id quod de clancularia fuga,deinde & abductione filiarum ſuarũ obiecerat Laban,diſertè ac ueraci ter reſpondet,dicens:Quia timebam Timore tui factũ eſt hoc,inquit. Addit,quid timuerit. Dicebã eñ, inquit,id eſt,cogitabam,ne forte abriperes mihi filias tuas. Sic reſpondet,rationem reddens non quare diſceſſerit,ſed quare occultè profugerit,& conſcientiã illius ſtudioſe quòd abiret,celauerit. Sciebat quidem Iacob quod ne filias quidẽ diligeret Laban,uerũ timebat ne illas ad hoc ſibi eriperet,ut ea ratione & ipſe in ſeruitute diutius detineretur,uel certè fine illis ad domũ patris reuerti cogeretur. Vulgata latina ſic habet:Quod inſcio te ,pfectus ſum. Hoc in Ebr. nõ eſt. Deinde illud, Dicebã eñ,omiſit interpres.

OBSER. Videmus hoc loco honeſti & candidi animi exemplũ in Iacobo. Propter uxores retinendas clancularium profugit. Illis enim priuari nolebat. Alius dixiſſet:Si abſtulerit filias ſuas,habeat ſibi. Mihi ea in re nihil incommodabat. Vxoris ducendæ & acquirendæ ſobolis gratia,ſecundum promiſſam à Deo benedictionem profectus fuerat in Meſopotamiam relicta terra Canaan:ad hanc ſine uxoribus & acquiſitis liberis,reuerti omnium duxiſſet grauiſsimum. Ideo non dixit, Timebam ne abriperes mihi pecora: ſed,Ne abriperes mihi filias tuas. Quare inconſultè adiectum eſt à Sept. *καὶ πάντα τὰ ἐμά*, id eſt, omnia mea. Abegit quidem & pecora, tanquam ſua, uerùm non propter pecora, quorum interea copiam in terra Canaan acquirere poterat,ſed propter ſeminis propagationem peregrè profectus fuerat.

Ad obiectionẽ uerò de furto deorũ tribus quatuor uerbis grauiter reſpondit,dicens: Penes quem inueneris deos tuos,non uiuat ille. Et ne illi uerba dare uideat addit, Coram fratribus noſtris cognoſce tibi quid ſit penes nos,& accipe tibi. Sic offert illi copiam inquiſitionis,præſentibus ijs ipſis faciẽdę ꝗs ſecum ad pugnam inſtructas adduxerat. Alij particulã hanc ſic diuidunt: Apud quemcunꝙ inueneris deos tuos,necetur corã fratribus noſtris. Scrutare: quicquid tuorũ apud me inueneris,aufer. Sic habent Sept. & uulgata latina:quæ illud,Quod autem furti me arguis,præmittit,cum nõ ſit in Ebræo. Et Sept. hic habent,*καὶ ὧν ἐπέγνω παρ' ἀυτῷ ὀυδὲν μ*,quod in Ebræo non eſt.

Quoniam autem dura uidetur iſta ſententia Iacob, & ad exprimendam etiam illius innocentiam: adijcit Moſes,Ignorabit autem Iacob,quod Rahel eſſet illos furata.

OBSER. Obſerua animum & idola & furta grauiſsimè deteſtantem in eo,quod dicit: Penes quem inueneris deos tuos,non uiuat ille. Nec furem in ſuo contubernio,nec idolorum affectatorem ferre uoluit homo B ſingulariter & pius & iuſtus.

Bonæ conſcientiæ fiduciam in eo obſerua quod dicit:Coram fratribus noſtris cognoſce,חבר,hacker, quod & ſcrutare uerti poteſt,quid ſit penes uos, intellige,quod tuum ſit, & accipe tibi. Sic eſt comparata innocentiæ fiducia. Inquiſitionem non modò non detrectat,ſed & ultrò offert.

Et illud animaduertendum eſt:Ignorabat autem Iacob,quòd Rahel eſſet illos furata. Ergo non eſt iſta ex certa ſcientia, ſed ex firma fiducia de iuſticia & innocentia non ſua modò, ſed & ſuorum concepta loquutus. Sic uir bonus melius ſentiebat de domeſticis ſuis quàm res ipſa ferebat. Accidit hoc etiam num multis bonis patribusfamiliàs.

Simul & illud cogitandum eſt. Ignorabat aũt Iacob,inquit,quòd Rahel eſſet illos furata. Innuit non fuiſſe Iacobũ grauem hanc & confidentẽ laturũ ſententiam,ſi de Rahele,uel alio quopiã ſuorũ cognouiſſet,quòd idola Laban furtim abſtuliſſet,ſed cõfeſsione delicti & reſtitutione ablatorũ idolorũ ſocero ſatisfacturũ. Hoc loco,ꝙ aliena ſit à ſanctis hominib. cõfidentia negãdi delicti,ſi huius ſint cõſcij, admoneant illi,ꝙ cum ſciant ſe eſſe reos delicti,nihilominus neſcio ꝙbus ſe diris deuouẽt, ſi non ſint inſontes.

Et ingreſſus eſt Laban in tabernaculum Iacob,& in tabernaculũ Leæ,& in tabernaculũ duarũ ancillarũ,& non inuenit,& egreſſus eſt de tabernaculo Leæ,& uenit in tabernaculũ Rahelis. Rahel uerò accepta idola ſuppoſuit ſtratorio camelꝰi,ſedit ꝙ; ſuper illis. Et contrectauit Laban (id eſt,contrectando ſcrutatus eſt, erant enim idola parua) *totũ tabernaculũ,& non inuenit. Et dixit* (illa) *ad patrem ſuũ:Ne diſpliceat in oculis Domini mei, quòd aſſurgere nequeo à facie tua,quia ſecundũ conſuetudinem mulierũ eſt mihi. Atꝙ;* (ita) *ſcrutatus eſt, ſed non inuenit idola.*] Quoniam obtulerat Iacob copiam ſcrutandi & quærendi amiſſa idola,ſubijcitur illorũ inquiſitio facta per Laban. Summa eſt, Quæſiuit & non inuenit. Vbi quæſierit,& quare non inuenerit, cum eſſent penes Rahelem,exponitur à Moſe. Quæ ſunt in tabernaculis Iacob, Leæ, ancillarum, & Rahelis ordo quoꝙ inquiſitionis huius exprimitur. Primùm ſcrutatus eſt tabernaculũ Iacob. Hunc enim potiſsimum ſuſpectum habebat,& aſtute nolebat illi ſpacium permittere ad ſemouendum in tabernaculo quicquã. Eam ob cauſam confeſtim in illius tabernaculo quæſiuit, ſperauitꝙ;ſi illic idola ſua reperiret,futurũ ut eum ſecundum oris illius ſententiam occidere,& omnem ſubſtantiam eius cum filiabus domũ reducere poſſet. Vbi non inuenit in tabernaculo Iacob, ſcrutatus eſt tabernaculũ Leæ & ancillarum. Cum ne hic quidem inueniſſet,tandem peruenit ad tabernaculum Rahelis. Sept. diuerſum ordinem poſuerunt. Sic enim habent:Ingreſſus eſt domum Leæ,&c. & ſcrutatus eſt domũ Iacob, & in domo duarum ancillarum,& non inuenit. intrauit autem & domũ Rahelis,&c. Quærunt hic, quomodo indicat Moſes, quod egreſſus de tabernaculo Leæ intrauerit tabernaculũ Rahelis, cum dixerit antea, ingreſſum eum fuiſſe tabernaculum Leę, deinde intraſſe tabernaculum ancillarum, ut appareat eum de tabernaculo ancillarũ non Leæ peruenisſe ad tabernaculũ Rahelis. Reſpondẽdum eſt uel admiſſam eſſe metathe ſim

A metathesim in recensione tabernaculorum,sic ut tabernaculum Leæ propositum sit tabernaculo ancillarum,cum postponi debuerit,iuxta seriem inquisitionis:uel tabernaculum idem fuisse Leæ & ancillarum,uel sic dispositа fuisse tabernacula, ut propter angustiam loci transitus ad tabernaculū Rahelis nō fuerit è tabernaculo ancillarū post tabernaculum Leæ sito,ideoq; necesse fuerit redire ad tabernaculum Leæ,& inde demum transire ad tabernaculum Rahelis. Verosimile est tale quid accidisse,quòd taberna cula locis essent montanis imposita. Quicquid sit,non est opus curiosa inuestigatione.

Rahel uerò accepta idola suppositit stratorio cameli. R. Shlom. dicit fuisse sellā cameli. שטיל בלעג. Exponit Moses quomodo factū sit, ut non inueniret Laban idola sua in tabernaculo Rahelis. Interea dum ille tabernacula Iacob, Leæ & ancillarum scrutaretur,satis erat spacij Raheli ad semouendū idola. Suppositit itaq; ea stramento cameli,rei in illis regionibus uilissimæ. Deinde insedit etiam stramento illi, ac ne patri assurgere cogeretur, muliebri industria menstruam incommoditatem prætexuit, dicens: Ne sit molestum in oculis Domini mei,quòd à facie tua non assurgo. Accidit enim mihi secundū uiam mulierum.atq; hoc commento scrutantis improbitatem elusit & auertit. Sic factum est,ut quamuis diligenter scrutando nihil inuenerit.

Considerandum est hoc loco quanta fuerit improbitas & impudentia Laban,qua nō est ueritus gēneri & filiarum suarum tabernacula scrutari, & propter uanissima idola suaipsius pignora, quantum erat in ipso,in summa conjicere discrimina. Hæc est idololatrarum cæcitas & insania,qua hodie illi quoque laborant,qui Christianissimum esse putant pluris facere imaguncula ligneam,opus manuū hominum,quàm hominem secundum imaginem Dei à Deo ipso conditum. Et hic usq; adeò insaniunt,ut propter mortuorum hominum uilissimas imagines,preciosissimū Christianorum hominum sanguinem,sanguine Christi consecratum effundere non dubitent.

Deinde obseruandum est,quàm non deserat suos Deus in discrimine constitutos. Edixerat Iacob: Penes quem inueneris idola tua,non uiuat ille. Imprudenter hoc decreuerat, ignarus eorum quæ gesserat Rahel. Rahel quoq; non solum auferendo patris idola, sed & secum in itinere cum igni potius tradenda essent, conseruando deliquerat, ac futuro discrimini occasionem dederat. Verùm pro sua bonitate Deus adfuit suis in discrimine constitutis,& sic improbam impij hominis inquisitionem irritam reddidit,ut leui mulierculæ industria eluderetur.

B *Et indignè tulit Iacob, rixatusq; est cum Laban.* Vulgata latina habet: Tumenscp Iacob cum iurgio. *Et respondit Iacob,dixitq; ad Laban: Quæ nam est transgressio mea? quod est peccatum meum? quòd insectatus es me.* Vulgata lat. ꝙd exarsisti post me. Sic & Monsterus. Tigurina uersio, ꝙd sic inardescens insequeris me. In Ebræo est uerbum דלק dalak,quod exponunt per רדף,id est,persequi & insectari. Ebræus habet, quod insectatus es post me. Germanice dicimus,*das du mir nach geiagt hast. Vbi contrectasti omnem supellectilem meam.* (In Ebræo est,omnia uasa mea.) *quid inuenisti ex omni supellectili domus tuæ? Pone huc corā fratribus meis & fratribus tuis,ut iudicent inter nos duos. Hosce uiginti annos* (sic est in Hebræo. At uulgata latina habet, Idcirco uiginti annis. Et Monsterus: En uiginti annis. Sic & Tigurina. Pagninus, Iam uiginti annis.) *fui tecum: oues tuæ & capræ tuæ non fuerunt steriles,arietes gregis tui non comedi,raptum à bestijs non adduxi ad te.* (Vulgata lat. non ostendi tibi. Sensus est,damnum illius non deputaui tibi) *ego fatis faciebam.* (in Ebræo est,ego luebam,ego pœnas dabam: uel ut Monsterus uertit,ego peccati illius reus erā.) *de manu mea requirebas illud, furta pertuli diei furta pertuli noctis.* (Sic ista in Ebr. distinguuntur. uerùm propè communiter ab interpretibus in unam trahuntur periodum,ac sic leguntur, De manu mea requirebas furtum diei & furtum noctis. uerùm in hac lectione duo desiderantur. unum, quod particula את,id est,illud,uerbo תבקא thebakesch,id est,requirebas,affixa omittitur,ut subiectam diuisionis notam taceam. Alterum,quod iod in uoce גנבתי pro superfluo habetur. Quare uisum est ad hunc modū reddere, Furta pertuli diei,furta pertuli noctis. Hoc est,quicquid furtim abripiebatur siue interdiu siue noctu,à me requirebas.) *Eram in die,consumebat me æstus, & frigus in nocte, ac recedebat somnus meus ab oculis meis. Sunt hi mihi uiginti anni, quibus in domo tua seruiui tibi, quatuordecim annis pro duabus filijs tuis, & sex annis pro ouibus tuis, ac mutasti mercedem meam decem uicibus. Nisi Deus patris mei Deus Abrahæ, & pauor Isaac fuisset mecum,quin iam nudum dimitteres me. Afflictionem meam & laborem manuum mearum uidit Deus ac redargut(te)heri.* Postquam exposuit Moses,quàm improbè egerit Laban cum Iacobo, non solum hostiliter illum insectando, odioseq; expostulando, sed & omnia illius tabernacula & cunctam supellectilem cum incusatione furti scrutando,iam consequenter subiungit,quomodo uicissim Iacob, & quàm grauiter expostularit cum Laban. Et indignè tulit Iacob,inquit,improbitatem uidelicet soceri,rixatusq; est cum eo. Significat patientiam Iacob tandem fuisse hominis improbitate uictam, ideoque prorupisse illum in rixas,cum antea mansuetè ac paucis respondisset.

Et respondit Iacob ac dixit ad Laban: Quæ nam est transgressio mea, &c. Summa expostulationis huius est, improbè & iniquis modis egisse Laban cum Iacobo. Duæ autem sunt illius partes. Vna præsentem insectationem,incusationem,& inquisitionem propositumq; Laban concernit: altera pertinet ad præcedētium uiginti annorum seruitutem. Quod primam partem attinet,exprobrat illi,quod præter fas & æquum tam sit hostiliter insectatus discedentem. Quæ nam est transgressio mea,inquit,& quodnam est peccatū meum, quod insectatus es me? Sic tuetur innocentiam suam, ut conuincat eum insectatū esse se immeritū. Nō dicit aūt simpliciter, Nihil in te peccaui: sed instando & urgendo, Quę, inquit,est præuaricatio mea,& quod est delictū meum? q.d. Teipsum conuenio,edic,si quid in te peccaui.

Non potes autem. Quare ergo me insectaris tam improbè, hominem qui nihil in te deliqui?

Deinde transit ad impudentem rerũ suarum perscrutationẽ. Vbi contrectasti, inquit, omnem supellectilem meam, quid inuenisti ex omni supellectili domus tuæ? Iterum non simpliciter dicit, Nihil inuenisti: sed urgens, Quid inuenisti, inquit? Nec addit, Ex dijs tuis: sed, Ex omnibus uasis domus tuæ. q.d. siue paruum, siue magnum. Et hic addit insultationem fiduciæ plenam, dicens: Pone huc coram fratribus meis & fratribus tuis, ut iudicent inter nos duos. Tertiò, in fine expostulationis objicit illi propositum iniquissimum, cum dicit: Nisi adfuisset mihi Deus patris mei Deus Abrahæ & pauor Isaac. Abrahamum uocat hic patrem suũ, cum dicit, Deus patris mei: & per expositionem addit, Deus Abrahæ. Pauorem uerò Isaac, eundem uocat Deum Abrahæ, propterea quòd cum timore & religione colebatur ab Isaaco, iam nudũ dimitteres me. q.d. Hoc me es proposito insectatus, ut bonis omnibus spoliatum, nudum ad patrem meum dimitteres. uerùm Deus uidit afflictionem meam & labores manuum mearum, ideoq; te nocte præterita redarguit, & hanc ob causam abstines à proposito uiolentiæ. Quod attinet secundã expostulationis huius partem, refricat ea quæ gesta fuerant in seruitute præcedentium uiginti annorũ, & exprobrat illi quòd non solum in immeritũ, sed & benemeritum constanter fuerit iniquus. Sic primo loco cõmemorat quo successu oues illius pauerit. Hosce annos uiginti fui, inquit, tecũ, oues tuæ & capræ tuæ non fuerunt steriles. Hoc est, fuerunt perpetuò fœcundæ. Sic comprehendit emolumenta quæ per annos uiginti ex sua custodia prouenerant in usus Laban. Deinde adijcit de innocentia sua, qua ne morem quidem reliquorũ pastorum fuerit sequutus, qui hoc ueluti iuri suo uindicant, quod de arietibus gregis uescuntur. Ego, inquit, usq; adeò rebus tuis nocere nolui, ut ne arietem quidẽ de grege tuo quem pascebam, comederim.

Tertiò commemorat labores ac molestias suas, quas die noctuq; in pastu pecorum illius sustinuerat. Interdiu, inquit, conficiebat me æstus, noctu uerò frigus. Etenim non interdiu tantum, sed & noctu pascendis sunt & custodiendis pecoribus in illis regionibus occupati. Præterea & somnus, inquit, recedebat ab oculis meis. Objcit ille hisce uerbis, quod greges eius fideliſsimè & diligentissimè, non sine magnis & assiduis laboribus pauerit.

Huic innocentiæ pariter & beneficentiæ suæ opponit non modò ingratitudinẽ, sed & insignem illius iniquitatẽ, primũ in eo declaratã, quod pecudes uel à bestijs raptas uel furto ablatas à se requirere consueuerat: deinde & in eo quoq;, quod mercedem suam decem uicibus mutauerit, qua de re dictum est suprà. Hæc est expostulationis huius dispositio. Videamus iam quæ sint in illa consideranda.

OBSER. Et indignè, inquit, tulit Iacob, & rixatus est cum Laban. Vides hic etiam sanctos nõnunquã irasci & rixari, quamuis nec iracundi sint nec rixosi. Patientes sunt ac tolerantes malorum, uerùm usuuenit illis, ut patientia eorum nimia, reproborum malitia lędatur & uincatur.

Quæ transgressio mea, inquit? Et quod peccatum meum est quod insectatus es me? Videmus hoc exemplo cogi aliquando iustos homines, ut iustitiam & innocentiam suam uindicent, & improborum malitiæ opponant, quamuis coram Deo se sciant esse nihil minus quàm iustos & innocentes.

Vbi contrectasti omnem supellectilem meam, quid inuenisti ex omni substantia domus tuæ? Obserua hic, quomodo innocentia piorũ & iustorũ hominum exploratione magis illustretur quàm denigretur. Incusabat Laban Iacobũ, quod deos suos furto abstulisset. Et hanc ob causam omnia illius tabernacula, cunctamq; supellectilem non uidendo tantum, sed & contrectando perscrutatus est. Sic factũ est, ut non solum deos suos in omni substantia Iacob non inueniens, sed nec præterea quicquam ex rebus suis omnibus sic comprobatam reddiderit innocentiam & iustitiam illius, ut agnoscere coactus sit, esse eum non solum in causa ablatorum deorum insontem, sed & usq; adeò iustum, ut ne pilum quidem de omnibus ipsius bonis, quamuis clanculum profugeret, abstulerit.

Pone huc coram fratribus meis, & fratribus tuis, ut iudicent inter nos duos. Obserua exemplum confidentis innocentiæ. Nondum audierat ex Laban, quod nihil prorsus ad se pertinens inuenisset, & tamen fiducia innocentiæ suæ prouocat eum ad cognitionem & iudicium fratrum. Simul uides non esse per se illicitum, aduersarium insigniter improbum, & innocentiam nostram in discrimen rapientem, prouocare ad cognitionem & iudicium bonorum uirorum.

Hosce uiginti annos, inquit, fui tecum.] Obserua hic insignem improbi & iniqui hominis duritiem & inhumanitatem, quæ uiginti annorum familiaritate, fide & innocentia uinci non potuit, sed ad finem usq; sibij ipsi similis permansit. Huiusmodi homines haud magis mutantur, quàm Aethiops nigredinem suam mutat in albedinem.

Oues tuæ & capræ tuæ tuæ non fuerunt steriles.] Primum obserua, quo ordine expostulationem suam digesserit. Poterat principio cõmemorare q̃ innocenter, quã fideliter, quàm utiliter, quã sedulò, & quibus cum molestijs tam nocturnis quã diurnis totos illi uiginti annos seruierit, deinde quã ille se uicissim præbuerit semper ingratũ & iniquũ: uerũ hanc expostulationis partem non intulit primo, sed secundo loco, postquam uidelicet comprobasset innocentiam suam in præsenti causa, quod incusationẽ furti attinebat. Alioqui malè innocentiam suam asseruisset, si assertionem illius ex præcedentium uiginti annorũ actis petere uoluisset. Etenim fieri potest, ut qui uiginti annos innocentiam suam illibatã custodiuit, anno uicesimo primo tentatione aliqua superatus faciat quod sit illicitum. Nec fieri potest, ut præcedens uiginti annorum innocentia subsequentem iniustitiam defendat. Immo ne benemerita quidem præcedentium temporum, nocumenta & malefacta sequentium excusant. Non rectè iactat beneficia

A beneficia olim præstita, quæ postea nocere cœpit. Quare prudenter factũ est à Iacobo, q̃d primo loco contra incusationem furti innocentiam suam certis & euidentibus experimentis comprobauit, ac tum demum ad ea quæ annis præcedentibus gesta fuerant obijcienda descendit.

Deinde & illud obserua. Oues tuæ, inquit, & capræ tuæ non fuerunt steriles. Quomodo memorat hoc & recenset inter benefacta sua, cum non ipsius, sed Dei sit uirtute & operatione factum? Respondeo: Duo sunt beneficiorum genera. Vnum eorum quæ per nos, nostra uidelicet beneuolentia & opera ac de nostris bonis impenduntur proximo. Alterum eorũ quæ uel à Deo, uel ab homine aliquo contingunt propter nos. Quod oues & capræ Laban nõ fuerunt steriles, cum essent sub manu Iacob, contigit illi non uirtute & opera Iacob, sed à Deo propter Iacob. Quod aũt Iacob ingrato Laban etiam hoc genus beneficij obijcit, documento nobis sit, pertinere hoc ad animum uerè gratum, ut agnoscamus nõ solum ea beneficia quæ per proximum nostrum, sed & quæ propter illum ex aliorum liberalitate accipimus, non accepturi nisi in illius gratiam darentur.

QVAESTIO

Duo sunt genera beneficiorum

Arietes gregis tui, inquit, non comedi.] Vide ingenium ueræ innocentiæ ac probitatis. Etiam ab eo abstinuit uir integer & innocens quod reliquis erat pastoribus in consueto, qui sẽ iure suo uti putant, ubi de grege quem pascunt, arietem tollunt & comedunt. Vtinam pastores Ecclesiarum Christi ab ouibus, nedum arietibus deuorandis abstineant, nec sint de numero ψευδοποιμένων, quibus Dominus ultionem Ezech. 34. minatur, dicens: Væ pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos. Nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comeditis, & lanis operimini, & quod crassum est occiditis, gregem autem meum non pascitis.

Raptum à bestijs non adduxi ad te, ego satisfaciebam, &c. Obserua & hoc. Tam abest à iustis & pijs hominibus, ut auferant de bonis alienis aliquid, in q̃s suos usus conuertant, ut etiam aliunde illatum damnum proximo, si queant, resarcire satagant. Sic Iacob hic fecisse deprehenditur.

Eram in die, inquit, consumebat me æstus, & frigus in nocte, ac recedebat somnus ab oculis meis.] Vide hac imagine, qui labores, quæ molestiæ, quæ uigiliæ pastori incumbãt, cuius studium est gregem Domini, fidei suæ commissum, fideliter pascere & custodire. Sed ô bone pastor Christe seruator, quàm rarus est eiusmodi pastorum seruorum tuorum numerus. Et ubi sunt oues illæ, quæ fideli pastori obediant, immo diligentiam illius ferant.

B *Sunt hi mihi uiginti anni, quib. in domo tua seruiui tibi, quatuordecim annis pro duab. filijs tuis, &c.*] Obserua quàm competenter impudentia hominis improbi confundatur, qua dixerat, Abduxisti filias meas quasi captas gladio. Cogitur uicissim audire coram adstantibus omnibus, quomodo filias suas Iacob non tanquam alienas, & ad se non pertinentes, ac ueluti gladio captas, sed tanquã suas, dura & longi temporis seruitute acquisitas, meritò abduxerit. Sic audit quod non uult, qui pergit dicere quod uult.

Ac mutasti mercedem meam, inquit, decem uicibus.] De hac iniquitate Laban dictum est suprà. Mutare mercedem seruientis, & operantis, in se malum non est. Potest sic fieri, ut sit laude dignum, utpote, si merces æquo minor, mutetur in maiorem iustam & æquam. Verùm huiusmodi mutatio non fit à Laban, illiusq̃ similibus sordidis & auaris hominibus, sed ab ijs qui æquitatis studio sunt intenti magis quàm turpi quæstui.

Nisi Deus patris mei, Deus Abrahæ, et pauor Isaac fuisset mecum, quin iam uacuum dimitteres me.] Obserua. Obijcit illi quod neq̃ fecerat, neq̃ facturus erat. Neq̃ enim dimiserat eum, nec dimissurus erat uacuũ. Verùm adijcit: Nisi Deus patris mei fuisset mecum. Ergo dimissurus erat eum uacuũ, nisi Deus prohibuisset. Quare quod hoc nõ erat in facturus, non erat causa illius probitas, sed metus periculi, quod euenturum sibi timebat, si minas Dei contemneret. Videmus hoc loco quàm referat, qua quis ratione malo abstineat, & quàm simus culpabiles etiam in eo quod non facimus, si facturi eramus non prohibiti. Quantum uerò iniquitatis sit seruum fidelem, nedum generum, uacuum à se dimittere, uel dimittere uelle, non est præsentis loci commemorare.

Afflictionem meam, & laborem manuum mearum uidit Deus.] Ergo placet Deo fides, sedulitas, & labor eorum qui fideliter seruiunt, etiam reprobis.

Et redarguit te heri, inquit.] Igitur displicet Deo improbitas eorum qui seruientium sibi laboribus ac sedulitati non æqua & condigna mercede respondent.

Vide etiam, quomodo rationem uisionis diuinæ exponat Iacob qua fuerat Laban in somno admonitus, ne quid à bono ad malum usque secum loqueretur. Dominus redarguit te heri, inquit. At sic non fuerat ille uisionem hanc interpretatus. Alioqui iniquitatem suam ipse agnouisset, nec Iacobo necesse fuisset illam coram adstantibus utriusque partis fratribus exponere, & in faciem exprobrari.

Et respondit Laban, dixitq; ad Iacob: Hæ filiæ, meæ sunt filiæ, & hi filij mei sunt filij, ac greges isti greges mei sunt, & quicquid tu uides meum est & filiarum mearum, quid faciam illis hodie, aut filijs earum quos pepererunt? Nunc igitur ueni, percutiamus fœdus ego & tu, ut sit in testimoniũ inter me & inter te.] Septuaginta non abludunt ab ista uersione. Latinus uerò interpres suo more fertur. Laban undique constrictus & conuictus, redit ad ingenium suum, hoc est, ad artes simulandi amicitiam, quam in corde non habebat. Perculsus fuerat diuina comminatione, deinde frustra omnem supellectilem Iacob scrutatus, & libera illius expostulatione coram fratribus suis & illius confusus, deq̃ improbitate conuictus fuerat, sentiebatq̃ fortunas Iacob beneficio numinis pergere, & esse inuictas, quare uersis uelis qui

uenerat hostilis persequutor ad consilia pacis & firmandæ amicitiæ conuertitur. Et erat hoc illi factu facile. Erat enim socer & auunculus Iacob & uxorum illius pater, filiorumq; auus. Prætexit itaq; astu ctus naturæ, & accommodat expositionem rebus Iacob communi mortalium sensu honestam, dicens: Hæ filiæ meæ sunt filiæ (Sic uertendum est, propter literam ה he quæ in Hebræo uocibus istis filiæ, filij, & greges præfigitur) & hi filij, &c. quid faciam illis hodie, &c. q.d. Cogito tandem, cū quibus sit mihi præsens hoc negocium cum meis uidelicet, filiabus & filijs. Quid igitur faciā? Si quid durius egero, perdo meos. Hoc ferre non potero. Quare satius est, ut consilia pacis ineamus. Veni igitur, parcutiamus inter nos fœdus. Quorsum autem hoc petat, subindicat dum subijcit: Vt sit in testimonium inter me & te. quibus uerbis satis innuebat, quærere se non tam amicitiam mutuam, q̄ suam ac filiorū suorū securitatē. Infrà uerò exponet, quomodo uoluerit fœdus inire cum Iacobo in testimoniū inter se & illū. A

OBSER. Obserua itaq; hoc loco uersuti hominis ingenium. Ne uerbo quidem contradicit ijs quæ à Iacobo sibi obijciebantur, nec agnoscit illius innocentiam nedum fidelem, utilem, & laboriosam tot annorum seruitutem, sed dissimulatis hisce omnibus incipit uelle cum eo pacisci. Sic solent uersuti homines, ubi sentiunt quod uolebant non succedere. Vbi nequeunt quos uolebant perdere, ubi uident se nocere sibi cuti proposuerant non posse, subitò mutant uela, & astutè curant ne quod alijs intentarunt exitium, in caput ipsorum recidat. Sunt enim sibijpsis malè conscij, nec ignorant lege talionis æquissimum esse, ut patiantur ipsi quod alijs inferre uoluerunt.

Et astutiam hominis in eo animaduertere licet, quod cum dicit, Hæ filiæ meæ sunt filiæ, & hi filij, mei sunt filij, ac greges isti, greges mei sunt, ne semel quidem meminit quis & cuius sit ipse Iacob, suus ne uel alienus. Non dicit, Et tu meus es nepos ex sorore: uel sicut initiò dixerat, cum ad ipsum primùm uenisset in Haran, Os meum es, & caro mea, deniq; & gener meus, quid faciam tibi? Suam ipsius malitiam sic loquendo dānasset, ut qui tam improbè cum nepote ac genero, immò carne sua egisset. Deinde simul prodidit, quàm non esset cor eius integrum erga Iacob, & quàm non esset illi parsurus propter comprobatam eius innocentiam & iusticiam, sed potius propter filias & nepotes suos, de quibus dicit: Et illis quid hodie faciam? Quin ne propter illos quidem, nisi in speciem. Etenim si eos paterno affectu prosequutus esset, haud quaquam tabernacula eorum in causa furti inuestigasset.

Et accepit Iacob lapidem, & erexit illum in statuam, dixitq; Iacob fratribus suis (id est hominibus quos secū habebat in comitatu) *colligite lapides, acceperuntq; lapides, & fecerunt tumulum, ac comederunt ibi super tumulum illum.*] Iacob pro māsuetudine spiritus sui assentitur Labano, quamuis sciret eum corde esse erga se non integro. Instituit igitur monumenta fœderis ineundi, statuam uidelicet, hoc est lapidem loco tituli erectum, deinde tumulum quoque ex lapidibus non in eum duntaxat usum congestū, ut ibi monumentum esset initi fœderis unà cum statua, sed &, ut super illo in symbolū reconciliationis unà conuiuarentur. Vnde & subditur: Ac comederunt ibi super tumulum, id quod de communi utriusq; paruitis prandio intelligendum esse puto. Poterant more patrio comedere telluri incumbentes, uerùm tumulum congesserunt ex lapidibus, loco mensæ, qui post ipsorum discessum reconciliationis memoriam transmitteret ad posteros. B

OBSER. Quod attinet factum Iacobi, obseruandum est, non esse illicitum pijs hominibus fœdus inire cum impijs, modò hoc ipsi non ambiant, nec iniqui aliquid uel pacisceudo uel pacta seruando admittant.

Deinde notandum est exemplum mansueti spiritus. Non sic iratus fuit Iacob, ut non statim placare tur, sed confestim, ubi Laban placidius agere cœpit, omni contentione reiecta fœdus inire petenti consensit, idq; non uerbis tantum, sed & opere ipso statim faciendo, quæ ad pacta fœderis firmanda fieri consueuerant. Quàm alieni sunt ac diuersi ab hac mansuetudine spiritus, qui ubi semel sunt offensi & iritati, nulla possunt ratione mitigari.

Cæterùm obiter sunt & illa notanda, quod monumenta fœderis statuuntur à Iacobo non ex herbis terræ, uel foliis arborum, sed ex lapidibus, ad significandum fœderis robur, quo durabile sit in multa secula. Sic animati sunt pij, ubi ineunt fœdera, quod ipsos attinet, cupiunt ea ipsis etiam fore lapidibus firmiora ac diuturniora.

Deinde, quòd reconciliatio dissidentium partium non inchoatur sine conuiuio. Est hoc omnibus nationibus commune. Et reuera sic natura comparati sumus, ut amicitiam communi mensa non ordiamur modò, sed & alamus.

Et uocauit eum (tumulum) *Laban Iegar Sahadutha, & Iacob uocauit eum Galeed.*] Laban erat Syrus, ac linguam parentum cohabitando Syris mutauerat, ideoq; tumulū fœderis uocauit sua lingua Iehar Sahadutha, id est, tumulum testimonij. Iacob uerò quoniam Hebræus erat lingua sua uocauit eum Galeed, quod & ipsum nihil significat aliud, quàm tumulum testimonij. In sensu nihil est discriminis, sed tantum differunt uoces secundum cuiusq; linguæ idioma prolatæ. Septuaginta adijciunt hic nonnulla de suo, quæ in Hebræo non habentur, quemadmodum & Latinus interpres. Deinde Galeed interpretantur tumulum testem, Iegar uerò Sahadutha tumulum testimonij, quasi hoc sit discriminis inter duas hasce appellationes. significat quidem Galeed tumulum testem, uerùm ne putatur in hoc esse appellationum istarum discrimen, quòd illa tumulum testimonij, ista tumulum testem significet, usum est utrobiq; reddere, tumulum testimonij.

Et dixit Laban, Tumulus iste testis est inter me & inter te hodie, quapropter uocauit nomen eius Galeed. Et Mizpah: quoniā dixit, Speculetur Dominus inter me & inter te, cū abscondetur uir à proximo suo.] Redditur ratio

ratio nominis, qua tumulus lapidum, tumulus teſtimonij uocatus eſt. Ideo inquit, uocauit Laban, tumulũ illũ Galeed. Nã uerat hęc lingua Labã, ſed Moſes Syriã uocẽ qua uſus eſt Laban, retulit Hebraice) q̃d diceret, Tumulus iſte teſtis erit inter me & inter te hodie. Deinde uocauit eũ etiã Mitzpah, id eſt ſpeculationẽ, propterea q̃d dicebat, Speculetur Dñs inter me & te, cum abſcondeſ uir à proximo ſuo hoc eſt, quando alter ab altero diuulſi fuerimus, & neuter neutri ob oculos uerſabitur, ſed alter alteri erit abſens, & cum omnibus quæ tentabit abſconditus ego propter diſtantiã loci ignorabo quid agas, tu uiciſsim ignarus eris actorum meorum. Tum, inquam, ſpeculetur inter nos Dominus, id eſt, ſtudia noſtra ſpeculetur & obſeruet Dominus. Hebræi rem claram reddiderunt obſcuram per intempeſtiuam uerſuum diuiſionẽ. Vbi eñ habeſ, על בן קרא שמו גלעד, id eſt, quapropter uocauit nomẽ eius Galeed, terminarunt eum uerſum, & ſequentis initium conſtituerunt in eo quod ſubiungitur ויתמצפה, id eſt, Et Mitzpah. Vni tumulo duo dedit nomina Galeed & Mitzpah, quæ non debebant eiuſmodi diuiſione quæ periodis conuenit, à ſe inuicem diuidi. Latinus interpres nullam facit mentionem Mitzpah.

Si afflixeris filias meas, & ſi acceperis uxores ſuper filias meas, nemo nobiſcũ, Ecce Deus teſtis inter me & inter te. Exponit capita fœderis, & manifeſtat quid quærat. Primum hoc caput ponit, non licere Iacobo, ut filias ſuas adfligat, & alias illis uxores adijciat. Simulat ſe rationem habere filiarum, quas tamen antea uendiderat, nec quicquam illis de paterna hæreditate dederat. Ponit quidem hoc caput primo loco, uerùm fœdus hoc non in gratiam filiarum, ſed magis propter ſuam & filiorum ſecuritatem ambibat. Quare etiam hoc loco inſignis ſimulatoris ingenium exprimitur. Et tamen interea pulchrè conſcientiam ſuam prodit, qua malè ſibi conſcius erat: ideoq; cogitabat futurũ forſan, ut eam ob cauſam male tractarentur filiæ. Et hoc ſe cauere uelle ſimulat.

Obſeruandum hic eſt, quod dicit: Et ſi acceperis uxores ſuper filias meas. Id moris nationibus illis erat, & etiamnum eſt, ut priores uxores per adiectionem aliarũ affligantur, ubi exoſ eſſe cœperint, ſiue id ipſarũ culpa, ſiue maritorũ nequitia fiat. Hodie idem fit inter noſtros nõ per polygamiã, ſed per ſcortationes & adulteria. Illud, Nemo nobiſcum, ecce Deus teſtis inter me & inter te, bifariã uerti poteſt. Primùm ſic, Nemo nobiſcum erit: intelige, ubi afflixeris filias meas, & alias uxores illis ſuperinduxeris, nemo ex mortalib. aderit tibi qui ea de re teſtificeſ mihi. Verùm ecce Deus erit teſtis inter me & te. Deinde ad hunc modum: Nemo nobiſcum eſt [in præſenti] qui paſtorũ iſtorum futurus ſit teſtis. Verùm nobiſcum eſt Deus, qui teſtis eſt inter me & te. At hic naſcitur quæſtio, quomodo dicat Laban, neminem eſſe cum ipſis, cum fœdus hoc inirent, cum utrinq; adeſſent multi. Auguſtinus putat ſic eſſe reſpondendum, aut nemo extraneorum aderat qui loco teſtis eſſe poſſet [domeſtici ſiquidem & amici teſtificandi fidem non merentur] uel ſic dictum eſt, quod præter teſtimonium Dei non ſit in pactione fœderum quærendum aliud. Alij putant duos iſtos Laban & Iacob ſine aliorũ, qui aderant, conſcientiã iſta eſſe inter ſe pactos.

OBSER.

QVAESTIO

Et dixit Laban ad Iacob: Ecce tumulus iſte, & ecce ſtatua, quam erexi inter me & inter te.] Videntur iſta dicta eſſe ἀσυντυπα. Tumulum ac ſtatuam, coràm ueluti digito monſtrans, dicit: Vides hunc tumulũ? Et uides hanc ſtatuã, quam [poteſt etiam in plurali legi quos] erexi inter me & inter te?

Teſtis eſt tumulus iſte & teſtis ſtatua.] Non poteſt ſatis inculcare tumulum hunc & ſtatuam eſſe inter ipſos utroſque teſtes.

Quod ego non tranſibo ad te tumulũ iſtum, & quòd tu nõ tranſibis ad me tumulum iſtum ac ſtatuam hanc ad malum.] In Hebr. ſic eſt, אם אבי לא אעבר אליך את הגל הזה, id eſt, ſi ego non tranſiero ad te tumulum iſtum. Poterat uocula לא, id eſt, non, impertinenter à quoquã adiecta ac ſuperflua uideri, ut legendum ſit, ſi ego tranſiero ad te: item, ſi tu tranſieris ad me quemadmodũ & uulgata latina habet: uerùm quoniam ſecundò ponit, apparet non eſſe tollendã. Quare nonnulli ſic uerterunt, ut uocula אם. i. ſi, idem ſit quod אשר, id eſt, quod, quemadmodũ & R. Shlomoh exponit. Ad eum modũ uertimus & nos: Quòd ego non tranſibo ad te. Quod ſi durius uidetur אם reddere per אשר, id eſt, ſi per quod, uertatur ad hunc modum: Teſtis erit tumulus iſte, & teſtis erit ſtatua, an ego non tranſierim ad te tumulum iſtum, & an tu non tranſieris tumulum iſtum ad malum. Non eſt autem inſolens ſacræ linguæ, ut אם uſurpet pro, an ſicut uidere eſt. Exodi decimoſeptimo ubi legitur, ſit ne Dominus in medio noſtri אם אין, id eſt, an non.

Deus Abrahæ & Deus Nahor iudicent inter nos, Deus patris ipſorum.] Repetit de animaduerſione diuina, q. d. Quod ſi parum uidebitur, teſtari aduerſum nos tumulum hunc ad ſtatuã, certè nõ poterit contemnendum uideri iudicium diuinum, quod expectandum eſt fœderis ac pactorum uiolatoribus.

OBSER.

Obſeruandũ eſt in uerbis Laban, quod tam ſeriò de teſtimonio tumuli ac ſtatuæ, deinde ſpeculatione quoq; teſtimonio, & iudicio Dei inculcat, cum Iacob ea de re ne uerbum quidem feciſſe legatur. Videmus hoc exemplo, quorũ ſit multis urgere infractam pactorum cuſtodiam, ubi fœdera ineuntur & pacta iureiurando ſtatuuntur. Sancti homines pacta fœderum religioſe cuſtodiunt. Verùm non ſunt uerboſi in promiſsis. Qui uerò pacta ineunt ſuorum commodorum reſpectu, uel parum fidunt illis cum quibus paſcuntur, propterea quòd ſibi malè ſunt propter præterita malefacta conſcij, & legem talionis meruunt, illi demum multi ſunt in poſcenda & urgenda fideli pactorum cuſtodia. Deinde & illud notandum eſt, quòd de iudicio diuino loquens polythiæ ſpirat impietatem. Deus inquit Abrahæ [intelligit Deum Iſaac & Iacob] & Deus Nahor [ſentit de Deo patris ſui quem ipſe colebat] iudicent [in Hebræo eſt pluraliter ישפטו] inter nos. Quare inconſulto fecerunt qui in ſingulari uerterunt, iudicet,

Et

Et addit: Deus patris ipsorũ, id quod referendum esse puto ad Deum Nahor, quòd hunc existimaret esse Deum Terah, patris Abrahæ & Nahor. De illo repetit non sine studio extollendi eum supra Deũ Abrahæ, quasi Deus aliunde esset ascitus, nouus, & patribus incognitus: Deus uerò Nahor, Deus paternus & antiquus. Vide quæso obstinatã & auitam hominis impietatem. Deus Iacob benedixerat illi, ac reddiderat opulentum, id quod & suprà confessus est, interea tamen cultu idololatrico pependit à Deo ficticio, quem iudicabat esse Deum antiquũ & maiorũ suorũ. Et ab hac impietate non potuit tam prolixa sanctissimi hominis præsentia, tamq; arcta coniunctione auerti.

Et iurauit Iacob per pauorem patris sui Isaac.] Id est, per Deum patris sui Isaac. Vel, In pauore, sicut est in Hebræo, id est, in religione, uel secundum religionem patris sui Isaac, ut intelligas de religione Abrahæ. Videtur hoc dici, ad differentiam iuramenti Laban, ut quod præmissum est in uerbis Laban, Deus Abrahæ & Deus Nahor, Deus patris ipsorũ, iudicent inter nos: contineat iuramentũ Laban, fitq; illi statim iuramentũ hoc Iacob subiectum.

Obseruandum est, noluisse Iacobũ iurare per Deum Terah et Nahor, sicuti iurauerat Laban: sed per Deum Abrahq, secundum fidem ac religionem suam. Nec coegit Labanum, ut sibi conformiter iuraret, nec ipse ad formam illius iurauit. Alter alteri liberum reliquit, ut suæ quisque religioni conformiter iuraret.

OBSER. *Et mactauit Iacob mactationem in monte, uocauitq; fratres suos ad comedendũ panem, & comederunt panem ac pernoctarunt in monte.*] Solent intelligere de sacrificio quod obtulerit Iacob in monte: uerùm textus Hebræus non facit mentionem sacrificij, sed simpliciter dicit, mactasse Iacobum mactationẽ, de gregibus uidelicet suis, uocasseq; fratres suos, id est amicos qui erãt cum Laban, ad conuiuiũ. Ad comedendũ panẽ, inquit, Panis uocabulo intelligit quodcũq; cibi genus. Postq; fœdus iureiurando confirmauerãt, instruxit Iacob cõmunem cœnam de pecoribus suis, eo loco quo erant in monte, ubi etiam pernoctarunt. Quod de prophana mactatione locum hunc intelligo, & non de sacra, nisi quantum sacrum est conuiuium eorum qui inter se conciliantur, in causa est quòd dicit eum Moses uocasse ad conuiuium fratres suos, Labanum uidelicet & comites illius, quos nõ potuisset illæsa religione, quòd eidololatræ essent, ad cibos sacrificij uocare.

Et surrexit Laban manè, osculatusq; est filios suos, & filias suas, & ualedixit eis, & abiens reuersus est Laban ad locum suum.] Illud, Et ualedixit eis, in Hebræo est, Et benedixit eis. Solet autem scriptura benedictionis uerbo uti, ubi loquitur de ualedictione eorum qui à se inuicem discedunt. Quare uertere uoluit, Et ualedixit eis. Rursus de Iacobo nihil commemorat, quomodo ab illo discesserit Laban, & q̃ illi amaueter ualedixerit. Vbiq; sibi similis perseuerauit. Deinde nõ legit quicq; dedisse filiabus & nepotibus: Osculatus est eos, & dixit, Valete. Nisi Dñs benedixisset Iacobo, quod auarum hunc & sordidum hominẽ attinet, prorsus uacui discessissent & nepotes & filiæ.

Et abiens, inquit, reuersus est Laban ad locum suum.] Sic persequutor plenus irarum & minarum nihil spirans aliud quàm spoliationem Iacob, beneficio diuinæ custodiæ redditus est innoxius, & Iacob de manibus illius ereptus. Domum reuertitur longè aliter quàm proposuerat. Filias suas, nepotes, & greges omnes abripere, secumq; in Mesopotamiam reducere uolebat. Verùm catastrophe persequutionis huius prorsus ab illius proposito dissidet. Reliquit in potestate Iacob, osculatusq; est, & ualedicendo benedixit, quos ad se rapere proposuerat. Dum ista consideramus, admonemur quàm non sit in manu impij, ut furorem ac propositum suum in effectum deducat.

CAPVT XXXII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Occurrunt angeli Iacobo, mittit ille nuncios ad fratrem suum Esau, audito huius aduentu, timet & orat ad Dñm, mittitq; munera fratri. Luctat cum angelo, uocat Israel ac redditur femore claudus.

IAcob uerò profectus est per uiam suam et occurrerunt ei angeli Dei: ac dixit Iacob cum uideret eos, castra Dei sunt hæc, & uocauit nomen loci illius, Mahenaim. Post historiam Laban progreditur Moses ad historias eorum quæ Iacobo in itinere reditus consequenter euenerũt, quorũ præcipuũ est, quod attinet occursum Esau, quo de duobus capitibus præsenti isto & sequenti narrabitur. Præmittit autem de angelis Dei, qui Iacobo uenerunt obuiam, postquam liberatus esset ab insectatione Laban, & priusquã incideret in metum occurrentis sibi fratris Esau.

Iacob, inquit, profectus est per uiam suam.] uersus terram Canaan uidelicet.

Et occurrerunt ei angeli Dei.] Videmus hoc loco luculentum diuinq; prouidentiæ exemplum, qua electi ministerio angelorũ custodiunt. Euaserat periculũ intentatum à Laban, imminebat aliud aliquanto maius à fratre Esau. Inter duo ista discrimina non dico mittuntur, sed apparent & obuiam illi ueniunt angeli Dei. Neq; dum enim primùm custodiri cœpit ab angelis, sed custodia illorũ seruatus fuerat inde ex domo paterna in Mesopotamiam proficiscẽs, in Mesopotamia annos uiginti degens, & ex illa ad terram patriam rediens, uerùm propter imminentẽ metũ fratris conformat hac uisione angelica. Et illud obseruandũ est, quòd angeli occurrunt proficiscenti non quolibet, sed per suam uiam. Ea ibat secundum iussum Dei. Ambulantibus in uia Dei præstò sunt angeli.

Ac dixit Iacob: Cum uideret eos, castra Dei sunt hæc.] Erat igit tantus apparentiũ angelorũ numerus, ut multitudine sua castra militaria adæquare uiderentur. Consimilis locus est 2. Reg. 6. in historia Elizæi.

Si

A Si quæras quibus formis apparuerint angeli, ex eo quòd Iacob dixit: Castra Dei sunt hæc, opinor colligi posse, quod formis exercitus apparuerint, armis & expeditione militari instructi, quemadmodum exercitus in illis regionibus instrui consueuerant, eq uisu idelicet, peditibus, & curribus, quibus formis in historia Elizęi apparuisse angelorum exercitus legimus.

Et uocauit nomen loci illius Mahenaim inquit.] In Hebræo sic est uox ista punctata, ut non simplicia, sed duplicia castra significet, quemadmodũ et nõnulli uerterunt. Hic Hebræi suas cogitationes habent. R. Shlomoh sic annotat, שתי מחנות של חיצח לארץ שבאו עמו עד באן ישלארץ ישראל שבאו לקראתי, id est duo castra, terræ uidelicet extrancæ, eorum qui uenerant cum ipso ad eum usq; locum, & terræ Israelis qui ueniebant illi obuiam. Sentit angelos terræ Syrorum custodes fuisse Iacobum ad id usq; loci comitatos, deinde angelos terræ Israelis custodes eo loci ueniisse illi obuiam, ut eum ad terrã Canaan deducerent & custodirent, & hanc ob causam apparuisse duo diuisa angelorum castra, unde locus ille dictus sit Mahenaim. Thargũ uerò Hierosolymitanũ ad hunc modũ annotauit. ראמר יעקב כד חמא יתחזן דילמא משיריין מן לבן אחרי דאימא ארגין אתיין סדמר למסדר לקבלי סידרי קרב למיקטל יתי: אר דילמא משיריין דמלאכין סדישין מן סדם ייי איגין ראתיין לשיזבא יתי מן ידיתון בגיי כדין קרא שמיה דאתרא החרא מחנים, id est, Et ait Iacob, ubi uidit eos, ne forte sint exercitus à Laban fratre matris isti, uenientes aduersum me ad instruendum contra me acies prælij ut occidant me. Vel forsan sunt exercitus angelorum sanctorum à facie Dñi isti, & ueniunt ad liberandũ me de manibus illorũ. Propterea sic uocauit nomen loci huius Mahenaim. Sentit iste quoq; Paraphrastes apparuisse Iacobo duos exercitus, ac hæsitasse eum, quid de illis sentiendum esset, an ambo exercitus missi essent contra se à Laban, uel an unus esset à Laban aduersum se alter à Deo pro se, ut per angelos suos ipsum liberaret de manibus exercitus Laban. Alij ex Hebræis sentiũt locũ hunc à Iacobo ob id uocatũ esse duplicia castra, q; ibi cõstitissent gemina castra, sua uidelicet & angelorũ, quæ mihi sententia simplicior uidet. Nã etiã turmas & tentoria Iacob, scriptura uocat מחנה, id est, castra, sicut hoc præsenti capite uidebimus. Loco isto cõstructa est ciuitas dicta Mahenaim. Vide Hieorn. *Et misit Iacob nũcios ante faciẽ suã ad Esau fratrẽ suũ in terrã Seir, in regionẽ Edom, ac præcepit eis dicens sic dicetis Domino meo Esau. Sic dicit seruus tuus Iacob: apud Laban peregrinatus sum & moratus hactenus. Sunt mihi boues et asini, oues & serui & ancillæ, & misi ut nunciarem Domino meo, ad inueniendũ gratiam in oculis tuis.* Orditur Moses historiam Esau, quod reditũ hunc
B Iacobi attinet. Intellexerat Iacob interea temporis quo abfuerat in Mesopotamia annos uiginti, inualuisse Esau fratrem suum opibus & potentia, & quoniam non poterat sic redire ad patrẽ suum, ut conscientiã illius falleret, quod uel per regionẽ Edom in qua ille agebat uel per cõfinia illius esset eundum, incipit sollicitus esse, quomodo gratiam illius ambiat. Erat enim timendũ ne forsan pristinus illi rancor & odium, nondũ excidisset, de quo suprà memoratũ est cap. 27. Hac itaq; sollicitudine occupatus mittit ad illum nuncios ante faciem suam, in terram Seir, priusq; ad regionẽ illius uenisset, idq; facit duabus de causis. Primùm, ut per hos de animo illius erga se capiat experimentũ. Deinde, ut eiusmodi illum submissione nonnihil mitiget. Et hoc proposito tam submisse & seruiliter illi de aduentu suo nunciat. *Sic dicetis* Dño meo Esau, inquit, Sic dicit seruus tuus Iacob. Poterat dicere: Sic dicetis fratri meo Esau: Sic dicit frater tuus Iacob. Verùm propositum erat animum uiri uerbis submissioribus & subiectionis humilitatẽ spirantibus emollire. Decreto Dei erat ipse dñs, Esau uerò seruus. uerùm meminisse huius admodũ fuisset inconueniens proposito. Hinc eñ causæ erant irarũ & odij, unde ante annos uiginti in Mesopotamiã profugerat. Quare sic illi humiliter per nuncios suos mandat, ut nihil aliud de ipso sentire uideat, q; quod ille sit primogenitus patris sui, ac dñs suus, ipse uerò illius seruus. Hoc pacto altissimè dissimulat ea quę in causa primogenituræ ac benedictionis paternę in domo patris olim gesta fuerant, ut cogitandũ sit Esau: Ecce uocat me dñm suum, ac se seruũ meum. Ergo pro uano & irrito habet, quod olim primogenitură meã, deinde & benedictionẽ patris abstulit. Relinquit mihi ius primogenituræ saluũ & integrũ. Recipiam igitur faciẽ eius in pace. Hoc mihi uidet fuisse consiliũ Iacob. Qua OBSER.
in re uidemus, quàm non sit alienũ à pijs hominibus, uerbis submissis profiteri subiectionem erga eos quoq;, qui non modò sunt improbi, sed & coram Deo, secundũ illius propositũ, ipsorum serui esse debebant. Et dum hoc facit Iacob noster, haudquaquã abnegat & proijcit à se dignitatem diuinæ uocationis, sed assertionem illius sic dissimulat ipse, ut eam prouidentiæ Dei commendet.

Deinde uidemus hoc exemplo quàm nõ sit uiro honesto dedecori, si in tempore, necessitate sic exigente, per humilitatis insinuationem animos potentum, quantumuis reproborum, placare studeat.

Apud Laban, inquit, peregrinatus sum, & moratus hactenus. Ad hoc faciunt ista ut commiserationis pathos in animo Esau moueãt. Sunt mihi boues & asini, &c. Nũciat & hoc illi, uel ut animũ eius spe commodi alicuius, quod à se ad illum redire possit, ad consilia pacis flectat, uel ut eum mentione seruorum absterreat, ne quid malignè contra se quasi nullo famulitio stipatum tentet. Vel significat se nõ pro propij cõmodi respectu beneuolentiã ipsius ambire, cũ sit abũde satis diues: sed unũ hoc quærere, ut gratiam in oculis ipsius inueniat. Aut innuit se nullo suo damno ista mittere, eo q̃d copiã pecorũ et seruorũ acceperit à Dño. Et huic sensui fauere uidetur quod infrà cap. sequenti dicit: Accipe quęso benedictionem meam quæ allata est tibi, quoniam largitus est mihi Deus, & habeo omnis generis bona.

Et misi, inquit, ut annunciarẽ dño meo, ad inueniendũ gratiã in oculis tuis Et hęc particula ad hoc adornata erat ut animũ fratris ad beneuolentiã flecteret. Inhumanissimus sit oportet, quẽ non moueat huiusmodi petitio, qua gratia illius ambiť, idq; à fratre. Etenim q gratiã alicuius quærit, primùm indicat

se

se haud de illo sentire contemptim: deinde nihil aduersus illum meditari quod sit hostile & inimicum A
sed paratum potius esse ad gratificandum illi in omnibus, ac ueluti illius se constituere seruum. Sciunt
ista potentes in hoc seculo, ideoq; admodum delectantur ista submissione eorum à quibus ad acquiren
dam ipsorum gratiam coluntur, & gratiosi domini uocantur.

Et reuersi sunt nuncij ad Iacobum dicentes: Venimus ad fratrem tuũ ad Esau; & is etiam uenit tibi obuiã, & quadringenti uiri cum eo. Quare uoluerit Esau cum tanto comitatu, uel potius satellitio, occurrere fratri, scriptura non meminit. Credibile aũt est, ad hoc esse factum, ut quemadmodũ & alij annotãt, uel potentiam suam in faciem Iacobi ostentaret: uel, si ita uideretur, uim illi inferret. Quocunq; animo hoc fecerit, carnale fuit carnalis hominis consilium, de quo non uideo quomodo prædicari possit aliquid, qđ uiro bono conueniat. Et quadringenti isti uiri ad illius ne dominium pertinuerint, uel ex affinitate triũ uxorum illi sese in hac causa coniunxerint, inquiri posset, certò cognosci non ita.

Et timuit Iacob ualde, & factus est anxius.] Formido hæc & anxietas primùm ex eo illi nascebat, quòd nuncij nihil retulerant certi; unde de beneuolentia fratris aliquid fiduciæ concipere posset. Suspicabat aũt nondum esse uetus erga se odium in animo illius extinctũ. Quare anxium reddebat quod ille nihil beneuolentiæ renunciasset. Deinde metum hunc intendebat occursus haud absimilis bellico & hostili. Nam etiamsi duabus turmis ueluti stipatus incederet, par esse tamen potentiæ fratris nõ poterat, quod non tam haberet seruorũ, q̃ liberorũ, uxorũ, ancillarũ, & pecorum multitudinem, ille uerò cum turma militari occurreret. Vnde Thargũ Hierosolym. habet cũ quadringentis uiris גדודי גדודין. i. militaribus.

Obseruandum hic est, non solum timorem, sed & animi anxietatem in sanctis uiris inuenire locum, quod Stoici à sapiente suo alienum esse contendunt. Iacob noster & timere potest, & non leuiter, sed uehementer etiam angustiari.

Et diuisit populum, qui erat cum ipso, & oues & boues & camelos, in duas turmas. ac dixit: Si uenerit Esau ad turmam unam, & percusserit eam, erit ut reliqua turma eripiatur.] Populum intelligit, uxores, ancillas, liberos, & seruos. Consilium Iacobi erat, aliquã saltem seruare suorũ partem, si omnes non posset. Hucprofuturum cogitabat, si diuideret eos, ne coniuncti simul perderent. Posse nanq; interea dum occu-
OBSER. parus esset Esau in una parte percutienda, alteram fuga sibi consulere & euadere. Obseruandũ hic est, quòd quamuis esset Iacob uehementer anxius, sic tamen haudquaq̃ trepidauit, ut nihil comminisci pos-
set quod aliquo pacto rebus ipsius conduceret. Consilium capere posse in rebus dubijs ac periculosis, B
indicium est animi non omnino consternati. Sic igitur timent & anxij redduntur homines pij, ut haud prorsus sibij psis excidant, ac mentis suæ reddant inopes. Anxius erat Dauid, cum à Philistæis captus ad regem Achis duceretur, in ipso tamen discrimine uitæ constitutus non defuit sibijpsi, sed rationem excogitauit, per quam euaderet. 1. Sam. 21.

Deinde uidemus hic prudentis esse uiri curare, ut ubi totum seruari nequit, pars saltem aliqua seruetur. Desperationis genus est, quod à nonnullis dici solet: Si totum seruare nequiuero, quorsum partem aliquam seruabo? Ad hæc, quod consiliũ diuisionis attinet, admonemur hoc exemplo Iacobi, satius esse ut per diuisionẽ aliqui saltem seruemur, q̃ ut coniunctione periculosa cuncti perdamur.

Et ait Iacob: Deus patris mei Abrahæ, & Deus patris mei Isaac, Domine qui dixisti mihi, reuertere in terrã tuã & ad locũ natiuitatis tuæ, & benefaciã tibi (in Hebræo est, Et benefaciã tecũ) *minor sum omnibus beneficijs tuis & omni fide* (in Hebræo est, Omni ueritate) *quam fecisti cum seruo tuo. Etenim cũ baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc factus sum in duas turmas.* (Hebr. in duo castra) *Eripe me quæso de manu fratris mei, de manu Esau, quoniam timeo eum, ne ueniat & percutiat me matrem & filios* (cõmuni loquutione matrem pro, matres dixit, id est, unamquamq; matrem cum suis filijs) *Et tu dixisti, benefaciendo benefaciam tibi, ac ponam semen tuum quasi harenam maris, quæ non numeratur præ multitudine.*] Habent ista orationem Iacob, quam ad Dominum effudit, cum in discrimine cõstitutus esset. Petitio est, ut eripiatur de manu Esau. Reliqua sunt ad stabiliendam impetrandi fiduciam annexa. Videamus singula.

OBSER. Principiò obseruandum est, quod post factam suorum diuisionem confugit ad Dñm, illiusq; implorat auxilium. Admonemur, sic esse utendũ nobis prudentia, cautione, & industria in rebus periculosis, ut simul confugiamus ad Dominum, scientes nihil esse omnem nostram prudentiam, cautionem & conatum, nisi ille suo nobis adsit auxilio. Rursus, sic esse orandum ad Dominum, ut interea non simus negligentes, sed quæ ad causam prudenter agendam facere possunt sedulò faciamus.

Et ait Iacob: Deus patris mei Abrahæ, & Deus patris mei Isaac.] Considerandum hic est, quod non dicit, Deus meus: sed, Deus patris mei Abrahæ, &c. Erat utique Deus, non sic Deus Abrahæ & Isaac, ut non simul esset ipsius quoque Deus: immo hoc ipso erat ipsius etiam Deus, quòd erat Deus Abrahæ & Isaac. Dixerat enim ad Abrahamum suprà capite 17. Statuo pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus eorum fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus & seminis tui post te. At Iacob semen erat Abrahæ & Isaac. Tam abest igitur, ut non fateatur eum esse Deum suum, cum uocat eum Deum Abrahæ & Isaac, ut multo efficacius agnoscat & uocet eum hoc pacto Deum suum, quàm si diceret: Deus meus. Et huc facit quòd nõ simpliciter dicit, Deus Abrahæ & Isaac: sed, Deus Abrahæ patris mei, & Deus Isaac patris mei. Sic animum suum per appellationem hanc, considerationepacti diuini cum Abrahamo initi, confirmat. Q. d. Quem inuocabo alium, quàm te Domine, quem ex pacto habeo Deum meum paternum & auitum.

Domine qui dixisti mihi, Reuertere in terram tuã, &c.] Loquit de oraculo Dei, q̃d suprã cap. præcedenti

paulo

paulo post initium capitis memoratum est. Recordatur huius admodum in loco. Ac sensus est: Domine, nō sum meopte arbitrio, sed iussu tuo iter hoc ad patriam terram ingressus. Tu præcepisti, ut reuerterer in terram meam, ac simul pollicitus es, quòd mecum esse uelis, mihiq; benefacere. Adesto igitur peregrinanti in itinere hoc quod iussis tuis obediens, promissisq; tuis credens sum ingressus. Admonemur hac consideratione quantum possint fiduciæ ad inuocandum Dominum animo cōcipere, qui propter obedientiam uerbi illius in pericula incidunt. Dicat igitur Christianus, qui propter sinceram in Christum fidem, dum itinere cœlum uersus tanquam in patriam suam ambulat, persequutionibus impetitur & iactatur, Domine, tu uocasti me ad regnum tuum, ac iussisti ut in filium tuum Christum Seruatorem meum credam, quare ne deseras propter obedientiam uerbi tui periculis obnoxium.

Minor sum, inquit, omnibus beneficijs tuis, & omni fide, quam fecisti seruo tuo. Animi sui gratitudinem de præteritis beneficijs Dei exprimit, & fiduciam suam ad ulteriora petendum commemoratione illorum firmat. Vide moderationem eorum quæ de promissione Dei dicere cœperat: Tu dixisti, inquit, reuertere in terram tuam, & benefaciam tibi. Hic uidebatur subiungendam esse petitionem, benefac ergo mihi, & libera me. Verùm ne uideretur ueluti iure suo hoc exposcere, quasi non benefecerit sibi Deus, istam acceptorum beneficiorum agnitionem & animi sui gratitudinem petitioni suæ omnium commodissimè præmittit. Q. d. Ah Domine, agnosco, quòd benefeceris mihi plurimum. Minor sum omnibus beneficijs tuis, & omni fide quam fecisti seruo tuo, &c. Potest aūt quod dicit, Minor sum omnibus beneficijs tuis, bifariam intelligi. Aut, ut idem sit quod, indignus sum, minorisq; momenti, quàm ut tot debuerim beneficijs cumulari. Germanicè uocamus *gůgering, zů kleynfůgig*. Vel ut intelligendum sit idem esse, quod, impar sum ut respondeam & rependam tot tuis in me beneficijs. Et omni fide, inquit, quam fecisti seruo tuo. Hebrei uocem אמת, id est, ueritatem, pro fide sumunt, qua & ueraciter & fideliter alius cum alio agimus: Veraciter, dum promissa seruamus: fideliter, dum commodis proximi ex animo studemus. Præterea & illud quod dicit, Omnibus beneficijs tuis, & omni fide tua, uel idem est quod, tam multis tuis beneficijs, tamq; multa tua fide sum minor, impar & indignus. Vel sensus est: Nullis beneficijs tuis ac nulli fidei tuæ par sum, minor sum quocunq; tuo beneficio, quacūq; tua fide. In posteriori sensu plus est humilitatis quàm in priori.

Primùm obserua, quid uocet beneficia diuinitus sibi collata. in Hebræo sunt duę uoces, חסד & אמת, id est, benignitas: uel ut alij uertunt, misericordia, & ueritas. Si ueritatem retuleris ad seruatam promissorum fidem, habebis pulcherrimam diuinæ bonitatis & ueritatis coniunctionem, unde cuncta beneficia Dei semini benedictionis conferuntur. Nihil hic est meriti, sed omnia meræ gratiæ Dei tribuuntur. OBSER.

Deinde considerandum uenit hic gratitudinis ingenium. Primùm in eo quod non simpliciter dicit, Minor sum beneficijs tuis ac fide, &c. sed, Minor sum omnibus beneficijs tuis, & omni fide, &c. Vera gratitudo non extenuat, sed amplificat accepta beneficia. Deinde in eo quoq;, quòd non solum agnoscit multa esse sibi præstita à Deo beneficia, sed simul animi humilitatem gratitudinis confessioni adiungens, indignum se omnibus esse dicit. Non habet locum gratitudo, ubi nō est animus humiliter de se sentiens, indignumq; beneficijs acceptis iudicans.

Præterea & illud obserua, quòd nō simpliciter dicit, Quam fecisti mihi: sed addit, Seruo tuo. Ergo & agnoscit se esse seruum Dei, & simul indignum fatetur, cui benefiat à Deo. Non est itaq; arrogantis, sed humiliati animi, profiteri se seruum Dei. Sic Christus docuit Apostolos. Vbi omnia feceritis, dicite uos inutiles esse seruos. Sequitur:

Etenim cum baculo meo transiui Iordanem istum, inquit, & nunc factus sum in duas turmas. Exponit de quibus beneficijs & de qua fide Dei loquatur. Pulchrè aūt confert finem peregrinationis suæ cum illius principio, & inde declarat, quanto sit affectus beneficiorum Dei cumulo. Cum iret in Mesopotamiam, transiuit Iordanem solus cum baculo suo, nudus uidelicet absq; ullis opibus. Interea uiginti annorum spacio usqueadeò multiplicatus fuit, ut ad terram Canaan reuertens cum duabus turmis hominum ac pecorum ad se pertinentium redierit. Et totum hoc tribuit benignitati ac fidei Dei. Admonemur, pertinere ad animi gratitudinem, ut recordemur quales olim fuerimus, atq; ita quantum nobis ex beneficentia Dei accreuerit, grati agnoscamus. Quotquot nunc sunt diuites, cum olim fuerint egeni, recordentur & ipsi cum Iacobo bacularis suæ, ut ita dicam, egestatis & inde colligant, quàm bene fiat ūsi diuina munificentia. OBSER.

Simul & illud obiter annotemus. Iacob cum baculo in Mesopotamiam usq; peregrè profectus est. Huiusmodi armis usi sunt ueteres, cum peregrè proficiscerentur. Nunc de pago ad pagum ituris opus est gladio, cuspide & bombarda.

Quod autem non simpliciter dicit, Transiui Iordanem: sed, Iordanem istum: apparet hæc esse prope Iordanem facta.

Eripe me quæso, de manu fratris mei, inquit, de manu Esau, quoniā timeo eum. Hæc est petitio. Illud quod cum dixisset, De manu fratris mei, adiecit, De manu Esau, non est sic redditum in uulgata latina, uerùm non est ociosè positum, sed habet emphasim personæ & maliciæ Esau, quam timebat. Q. d. Tu Domine nosti qualis sit frater meus, notus est tibi Esau & mihi terribilis. Perinde est ac si dixisset Habel, Domine serua me de manu fratris mei, de manu Cain. Habet huiusmodi locutio euidentē emphasim, si de persona fiat insigniter mala.

Obserua hoc loco, quomodo se in præcedentibus agnouerit indignum esse cui benefiat à Deo. Haud OBSER.

ita,ut ueritus sit aliquid ab illo petere. Agnoscunt quidem sanctí esse se indignos Dei seruos, uerùm ista humilitate non impediuntur ab inuocatione diuini auxilij.

Deinde & illud considerandum est, quod dicit: Quoniã timeo eum. Vide quid rationis petitioni suæ subiiciat: Eripe me, inquit, de manu Esau. Quare? Quia timeo eum. Satis est rationis corã Deo, ad exaudiendum preces suorum, quòd sibi timent & anxij sunt in periculis constituti.

QVAEST. Quærunt hic, quomodo conueniat timor iste homini pio, cui promiserat Dominus, quòd uellet ipsi adesse, cum præsentia & custodia Dei meritò omnem huiusmodi timorem excludat, sicuti accidit Danidi, qui psal. 23. dicit: Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Respondendum est: Quod Dauidem attinet, cecinit ille ad hunc modum non in periculo, sed extra constituturus. Iacob uerò cum hæc oraret, in discrimine uersabatur. In periculis timuit sibi ipse quoq; Dauid. Sancti incidunt in pericula tanquam uersantes inter homines reprobos. In periculis constituti timent ut homines, extricare se conantur, quoad eius possunt, tanquam homines non insensati ac temerarij, sed tanquam communi sensu & naturali ductu præditi, quo omnes sic sumus animati, ut quę exitiosa sunt, effugere cupiamus. Orant ad Deum, & auxilium illius implorant, tanquã pij homines, & fide à Deo pendentes. Hæc omnia deprehenduntur in sanctis hominibus. Quare non est culpandum in Iacobo, quod periculo obiectus timuit, nisi culpandum est, quod non desijt esse homo, & alienus esse cœpit à passionibus humanis.

Ne ueniẽs, inquit, percutiat me, matrem & filios. Sic exprimit, quid mali sibi timeat. Excidium uidelicet sui ac suorum. Timet non sibi tantum, sed & uxoribus & liberis. Tanta nanq; est crudelitas odij sanguinarij, ut qui illo ardent, non eos tantum quibus malè uolunt, sed & omnes ad illos pertinentes delere cupiant.

Et tu dixisti, inquit, benefaciendo benefaciã tibi, & ponam semen tuum quasi arenam maris, &c. Loquitur de promissione Dei, ad se facta, cũ pernoctaret in Bethel, cuius mẽtio facta est suprà cap. 28. Sensus est: Quisquis ego sim Domine, & quales quales mihi sint uxores, & liberi, etsi sumus indigni prorsus, & ego & ipsi, quibus toties benefacias, tu tamẽ sponte tua promisisti, q; uelis mihi benefacere, ac semen meũ multiplicare, &c. quare hac promissione tua fretus oro, ut me de manu Esau liberes, ne si nos deseras, non modò exterminemur ipsi, sed & promissio tua fiat irrita. Videmus hoc exemplo, quàm debeamus bona cum fiducia clamare ad Dominum, quoties periculum imminet, quod promissiones illius irritas facturum uidetur.

Et *pernoctauit ibi nocte illa, & accepit de his quæ ad manum erant munera Esau fratri suo* (accepit de his quæ ad manum erant: In Hebræo est, quod ueniebat in manum eius. Accepit munera Esau fratri suo, id est, quæ daret Esau fratri suo. Sic illud est in Psalmo: Ascendisti in altum, accepisti dona hominibus) *capras ducentas, hircos uiginti, oues ducentas, arietes uiginti, camelas lactantes cum pullis suis triginta, uaccas quadraginta & tauros decem, asinas uiginti & pullos decem, ac tradidit in manus seruorum suorum quemlibet gregem seorsum, dixitq; ad seruos suos: Transite ante me, & ponite spacium inter gregem & gregem. Et præcepit priori dicens, Vbi occurrerit tibi Esau frater meus, & interrogauerit te dicens, Cuius es tu? & quò uadis? & cuius sunt illa quæ præcedunt te? dices, Est hoc munus serui tui Iacob, missum domino meo Esau, & ecce etiam ipse nos sequitur. Et præcepit etiam secundo, etiam tertio, etiam omnibus qui sequebantur greges, dicens: Iuxta hunc sermonem loquimini ad Esau, ubi inueneritis eum, & dicetis quoq;, Ecce seruus tuus Iacob sequitur nos. Dicebat enim: Placabo faciem eius munere, quod antecedat faciem meam, & postea uidebo faciem eius, an fortè recipiat faciem meam.*] Exponit consequenter quid post orationem ad Deum fecerit Iacob. Et pernoctauit ibi, inquit, nocte illa. Intellige, in eo loco, ubi obuios habuit angelos Dei, quem Mahenaim uocauit. Vnde & nunc ad fratrem miserat ubi suos diuiserat, & ad Deum orauerat. Et accepit de his quæ ad manum erãt. Hoc est, sine delectu, ut in quælibet incidebat. Tantum morę sibi non sumebat, ut uel uiliora uel potiora seligeret. Etenim accelerabat ne per fratrem obrueretur, priusquam illi munera misisset. Hoc uidelicet uoluit innuere Moses, cum non simpliciter dixit, Et accepit munera: sed, Et accepit de his quæ ad manum ueniebãt munera Esau fratri suo. Summa horum est: Misit Iacob munera fratri suo Esau. Reliqua pertinẽt ad circunstantias, utpote, qualia, quanta, per quos, quomodo, & ad quid fratri suo munera miserit.

Qualia munera miserit. Qualia miserit, in eo significatur, quod statim de capris, ouibus, camelis, bobus & asinis subiiciOBSER. tur. Non legimus quòd miserit aliquid de auro uel argento. De pecoribus misit quorum magnas secum ducebat copias. Pastor erat: misit ergo pastori conuenientia. Saris pertinentia munera sunt, quæ non illius cui dantur, sed eius qui dat, conditioni sunt attemperata. Nec digni sunt muneribus, qui munera metiuntur non secundum dantis conditionem, sed secundum suos ipsorum affectus. Debet enim in muneribus respici non qualia sint illa, sed qualis & quomodo animatus sit qui munera donat.

Quanta miserit. Quanta miserit, diligenter memoratur in eo, quod singulorum generum pecora quę misit, numeratur. Si numeros illorum colligas in summam, habebis 450. Constabit autem ea summa, si quod de camelis lactantibus ac pullis illarum dicitur, coniunctim intelligas, ut nec matres per se, nec pulli separatim, sed matres cum pullis numero fuerint triginta. Si uerò matres lactantes triginta fuerunt, consequitur pullos quoq; illarum fuisse triginta, atq; ita summa pecorum istorum fuit 480. Illud, Asinas uiginti & pullos decem, R. Shlomoh quod in Hebræo est עיירים חמוררים דברים, id est asinos masculos. Vox tamen עיר pullum significat, siue sit asellus, uel asella. Obseruandum hic est, quanta cum diOBSER. ligentia munera ista disposuerit Iacob. Ducentis capris adiecit uiginti hircos, & ducentis ouibus uiginti arietes

arietes. Ergo singulis decurijs ouium singulos arietes, & consimili modo singulis decurijs caprarũ singulos hircos deputauit. Vaccis quadraginta adiecit tauros decem. hoc est, singulis quatuor unum. camelas & asinas misit non solas, sed addidit illis pullos earum. Omnis hæc diligentia Iacob faciebat non ad mactationem pecudum istarum, sed ad genituram. Et coniunctionem hanc pecorum tam competentem non tum primùm excogitauit, sed tanquam multorum annorum pastor in usu habuit. Sic duo uidemus hoc loco. Vnum, quàm fideliter munera sua ad utilitatem fratris disposuerit, quamuis illum timeret. Alterum, quantę fuerint illi gregum copię, unde tot pecora muneris loco desumere potuit, qua in re apparet quanta sit diuinæ benedictionis efficacia. OBSER.

Per quos munera ista miserit, duobus tribus uerbis significatur. Ac tradidit, inquit, in manus seruorũ suorum. Erat legatio ista periculosa, quare nolebat eam fieri per filios suos: id quod aliquanto fuisset honestius. Serui erant ipsi proprietatis iure ac seruiliter subiecti. Poterat illis uti etiam in negocijs periculo obnoxijs, sicuti fecit Abraham, cum uernaculos domus suæ contra reges Orientales educeret ad bellum. *Per quos miserit.*

Quomodo miserit, consequenter declaratur. Misit non temerè, sed quæ ad rem faciebant prudenter disposuit. Primùm diuisit inter gregem ac gregem: quemlibet gregem, inquit, seorsum, dixitq; ad seruos suos: Transite ante me, & ponite spacium inter gregem & gregem. Diuisionis huius consilium erat, ut si munera priora non inuenirent gratiam in oculis Esau, qui sequentes greges minabant, spaciũ haberent relabendi ac refugiendi ad ipsum, atq; ita per illos cognosceret, quid gereretur, posset q; sibi ac suis uel aliquousq; fuga consulere. Deinde consultius erat, ut greges isti seperatim quàm coniunctim uenienti Esau obijcerentur. Toties enim emolliri poterat illius animus, quoties præcedentibus noua & alterius generis munera subijciebantur. Hac nanq; iteratione munerum subinde magis atq; magis flecti solet animus quamuis alioqui durus ac difficilis, perinde ac si pannus non semel duntaxat, sed iterũ atq; iterũ tinctus colorẽ in se penitius imbibat. Obseruanda itaq; nobis est ista prudentia Iacobi, unde admonemur, quàm debeamus prudenter ad hoc conniti, ut fratrum animos nonnihil à nobis alienatos sæpe iteratis beneficijs magis ac magis placemus, & ad benuolentiam reflectamus. *Quomodo miserit.* OBSER.

Deinde, nõ solum diuisit inter gregem & gregẽ, sed & seruis mandata dedit quomodo interroganti Esau respondeant, quibusq; illi uerbis munera offerant. Et præcepit, inquit, priori dicens, Vbi occurrerit tibi frater meus Esau, & interrogauerit te, dicens, &c. Et hoc quoq; deputandum est prudentiæ Iacob. Primùm, præscribit uerba, quibus utantur. Erant serui rerum gerendarum imperiti, quare admodum opus erat, ut certa ac competenti uerborum moderatione instruerentur. Etenim plurimum refert, quibus uerbis munera commendentur, ornentur, & offerantur, præsertim talia, quæ placando inimico mittuntur. Hic si quid per internuncios ineptè geritur ac dicitur, confestim æstimationi munerum derogatur, & mittenti deputatur. Huc & illud pertinet, quòd nõn uni tantũ, sed singulis quomodo loquant præscribens eandem omnibus responsionis formulã tradit. Consensus respondentium plurimũ habet efficaciæ ad faciendam fidem etiã corã admodum curiosis. Quod si diuersimodè respondissent, poterat Esau responsa tribuere non ipsi Iacobo, sed seruili nunciorũ metui, quasi quisq; illorum quod sibi uisum fuisset respondendum iudicasset. Nunc uerò, ubi ad eandem formã respondent sidguli, facilè potuit cognoscere, instructos fuisse à Iacobo, esset q; uerba illorum non tam illorum quàm Iacobi. Cogitandũ hic est, quàm conueniat ministris unius Domini Christi Iesu seruatoris nostri, in legatione ipsis concredita tanquam ex unius præceptoris ore nõ diuersa, sed prorsus conformia respondere ac docere in causa religionis & salutis nostræ. Incredibile est quàm totam causam suspectam reddant dissona ministrorum de ueritate religionis nostræ pronunciata & responsa. OBSER.

Tertiò. nec illud ociosum est, quod non mandat illis ut dicant, Est hoc munus fratris tui Iacob: sed, Est hoc munus serui tui Iacob, missum Domino meo Esau. Et tamen paulo suprà nõ dixit: Vbi occurrerit tibi Esau dominus meus & uester: sed, Vbi occurrerit tibi Esau frater meus. Ergo aliter coram seruis suis loquebatur de Esau, uocans eum fratrem suum, & aliter uolebat ut ipsi illum coràm constituti appellarent, dum docet eos, ut uocent illum dominum, & se illius seruum. Sic serui Iacob nudam ueritatẽ ex ore illius audiebant, ut scirent quid uerè de illo & Esau sentire deberent, nempe quòd essent fratres: quòd uerò iubebantur herum suum uocare seruum Esau, illumq; huius dominũ, fieri hoc per submissionem ad placandum illius animum ad tempus susceptam.

Quartò, & hoc quoq; prudentiæ erat, quod bis iubet, ut singuli annectant, & dicant, Et ecce etiam ipse nos sequitur: &, Ecce seruus tuus Iacob sequitur nos. Cauendum scilicet erat, ne cogitaret Esau, ad hoc sibi munera obuiã mitti, ut interea Iacob ipse uel terga obuertendo, uel aliò declinando è manibus suis elabatur. Quapropter singulis mandauit diligenter, ut se greges istos à tergo sequi dicerent. Non erat copia fugiendi, quare cõsultius erat, ut absq; cunctatione munera sua subsequeretur, nec ullam tergiuersationis ac metus notam ederet. Sic uidemus omnia circunspectè ac prudenter gesta esse à Iacobo, nec quicq; omissum quod ad mitigandũ, nec factũ aliquid quod ad iritandũ fratris animũ facere posset.

Ad quid miserit fratri munera, Moses haud tacet, cum subiungit, Dicebat enim: Placabo faciem eius munere, quod antecedat faciem meam, & postea uidebo faciem eius, an fortè recipiat faciem meam. Sic declaratur consilium Iacobi, quare uoluerit fratri mittere munera, quæ præcederent ipsum, priusquam faciem illius uideret. Voluit eum placare muneribus, ac tum demum placati uidere faciem. Illud, Dicebat enim, uel est de cogitatione cordis, uel de uerbo oris dictum. Amphibolum est, an corde tantum, uel *Ad quid miserit.*

etiam ore fic dixerit. Si ore, ergo ſeruis ſuis conſilium cordis ſui aperuit. Et credibile eſt, quod cordatio-
OBSER. ribus ac fidelioribus re ipſam expoſuerit. Et nonnunquam cſultius eſt, ut in rebus periculoſis quid agatur agendumq; ſit communicetur quibuſdam quibus plus eſt fidei & cordis etiamſi ſint ſerui, nedum amici, quàm ut res ipſa prorſus in unius conſcientiæ ſecreto ſeruetur occulta.

Sex ſunt munerum genera.

In eo quod dicit, Placabo faciem eius munere, conſiderandum eſt quale ſit hoc munerum genus. Sex ſunt munerum genera. Primũ eſt, quod ex ingenio ueræ bonitatis ac liberalitatis erga quoſuis profluit. Secundũ eſt, quod datur ex ſingulari dilectione erga ſelectos, ad declarandum beneuolentiam & befa-ciendum peculiariter dilectis. Hæc duo genera prorſus ſunt diuina. Primò, benefit omnibus: ſecundò fe lices redduntur electi ac pij. Poſſunt etiam homines inueniri, qui duobus iſtis munerum generibus exer cendis ſtudeant, uerùm cùm imperfectione, ſecundum menſuram bonitatis, à Deo acceptæ. Tertium ge nus eſt, quod datur ad conciliandum quorundam amicitiã. Vſi ſunt illo frequenter ij, quibus cordi erat multos ſibi parare amicos, quorũ opera uel ſubueherentur ad gubernacula rerum, uel ſi antea ſublima-ti eſſent, pacatius & diuturnius haberent imperiũ. Cum Alexanger Mag. Macedonum beneuolentiã lar gitionibus uenaretur, dicebat ad eum Philippus pater: Quæ te ratio in hanc ſpem induxit, ut eos tibi fi deles fore putes, quos pecunia corruperis? An tu id agis, ut Macedones te non regem ſuum, ſed præbito rem putent? Hoc genere munerũ & illa comprehenduntur, quibus corrumpuntur iudices & magi ſtratus. Quartũ genus munerum eſt, quod pauperes dant opulentioribus. Et hoc duplex eſt. Quæſtuo-ſum unum, ſincerum alterum. Quæſtuoſum, quod ad maius aliquod uenandum datur. Sincerum, quod datur honoris gratia, ad declarandum reuerentiã & ſubmiſsionem erga maiorem. Talia erant munera Magorũ, Matth. 2. & omnia illa quæ à pijs hominibus offeruntur uel Deo, uel principibus ac regibus. Quintum genus eſt quod gratulatoriũ uocare potes, quo excipiuntur qui è peregrinatione domũ reuer tuntur, ſiue amici ſint, ſiue uicini. Sextum eſt quo placantur irati. Poſſunt iſta uocari placatoria. His uſus eſt Iacob in præſenti cauſa, ad placandum irati fratris animum. Magna eſt horum efficacia quæ, ut ille dicit, placãt homines; deos; q. Efficaciæ huius cauſa eſt, quod homines attinet, uel odor lucri & utilita tis in munere largo, uel reſpectus & titillatio honoris. Hoc enim ſumus ingenio, ut hiſce reſpectibus plurimum moueamur. Sciunt hoc etiam ſancti, ideoq; & arte hac utuntur, ubi res ipſa poſtulat, ut mu neribus placentur irati ac maleuoli.

Facies.

Deinde obſeruandum eſt, quod uocula, Facies, quater in hac ponitur periodo. Placabo faciem eius, B
inquit: deinde, q. antecedat faciem meam: tertiò, Et poſtea uidebo faciem eius: quartò, An forte recipiat faciem mcã. Eſt quidem placare, præcedere, uidere, & ferre faciem hominis, nihil aliud quàm ipſum ho minẽ placare, præcedere, uidere, & ferre, quemadmodũ & nõnulli interpretes uerterũt. Verũ non eſt pu tandũ ociosas eſſe huiuſmodi ſanctæ linguæ locutiones, præſertim in cauſis patheticis, ubi locũ habent ira, odiũ, metus, rurſus gratia, amor, cõciliatio, fiducia, &c. Irati & inimici hominis facies terribilis eſt ui ſu: rurſus placati iucunda & amica. Odioſi hominis facies ægrè toleraẽ, immo cũ dedignatione reſpuiẽ. Hominis meticuloſi facies infirma eſt & mollis, uultũ irati ferre nõ ualens. Qualitas cordis, q̃d affectuũ expreſsionẽ attinet, potiſsimũ regnat in facie, unde huiuſmodi locutiões naſcũ, quib. hic uſus eſt Iacob.

Et tranſijt munus ante faciem eius, & ipſe pernoctauit nocte illa in turma.] Vtraq; particula bifariã intelli gi poteſt. Prior ſic: Et transijt munus ante faciem eius, ſtantis uidelicet ac ſingulos greges prætereuntes ſpectantis & recenſentis. Eſt enim in Hebræo non מִפָּנָיו, ſed, עַלפָּנָיו. Germanicè *iſt vor ſeym angeſicht fürüber zogen.* Vel, intelligendum eſt, quod præceſſerint ante ipſum greges, non q illos ueſtigio ſit ſubſe cutus, quod ſequens particula non concedit, ſed q eſſet eos ſubſecuturus. Poſterior particula, qua dicit, Et ipſe pernoctauit nocte illa in turma, aut intelligenda eſt haud de alia nocte, q̃ cuius ſuprà meminit, dicens, Et pernoctauit ibi nocte illa: uel de proximè ſequenti. Si de eadem utrobiq; nocte loquitur, con ſequitur, quod ſuprà dici cœptum eſt, hic proſecutionis gratia repeti: & quæ de miſsione munerum nar rata ſunt, eo eſſe ueſperi facta, quo ad Deum orauit. Si non de eadem, ſed de alia, proximè uidelicet ſe quenti loquitur hoc loco, quæ de diſpoſitione ac miſsione munerum commemorauit, eo ſunt die facta, qui medius fuit inter utranq; noctem, ut appareat Iacobum totum illum diem colligendis ac diſponen dis hiſce muneribus inſumpſiſſe.

Et ſurrexit ea nocte, accepitq; duas uxores ſuas, & duas ancillas ſuas, ac undecim natos ſuos, & tranſiecit uadum Iabok. Et acceptos tranſmiſit ultra torrentem, & tranſmiſit quicquid habebat.] Vbiq; proponitur nobis dili gentia Iacob qua quamuis anxius eſſet propter occurſum Eſau, quæ facienda tamen erant diligenti ſe dulitate peregit omnia. Erat traijciendus torrens. Hic non expectauit exortũ diei, ſed de nocte conſur gens, ex ordine primũ uxores, deinde ancillas, poſtea liberos, poſt hoſce quæ reliqua habebat ultra tor-

Hiero. de Iabok.

rentem tranſmiſit. Scribit aũt Hieron. de torrente Iabok ad hunc modũ. Iabok fluuius eſt, quo tranſ miſſo luctatus eſt Iacob aduerſus eum qui ſibi apparuerat, uocatusq; eſt Iſrael. Fluit aũt inter Amman, id eſt, Philadelphiã & Geraſam, in quarto miliario eius, & ultrà procedens Iordani fluuio cõmiſcetur. Hæc Hieron. Torrentis huius mentio fit Num. 21. & Deut. 2. Arbitror autem torrentem hunc à Moſe uocari Iabok per anticipationẽ. Tum enim cum Iacob illum traijceret, non ſic uocabatur (meo iudicio) ſed id nominis primũ accepit ab eo, quod Iacob ibi luctatus eſt cũ angelo. Significat enim יבק Abak luctari, qua uoce Moſes mox infrà utitur, unde deſcendit יבק Iabok, quod ſonat luctã, uel luctatus eſt, litera aleph in b daggeſſata quieſcente.

Et relictus eſt Iacob ſolus.] Siue citra, ſiue ultra torrentem, ſolus aliquandiu manſit, forſan, ut oraret ad

Dominum

Dominum, seq; & suos protectioni illius commendaret. Est autem probabile, quòd citra torrentem in ripa illius constiterit. Etenim uidetur hoc per uerbum relinquendi significari. Vbi suos transmiserat, relictus est, inquit, solus Iacob. Ergo ille nondum traiecerat.

Et luctatus est uir cum eo, donec ascenderet aurora. Et uidens quòd præualere ei non posset, tetigit uertebrã femoris eius (in Hebræo est, בכף ירכו, id est, uolam femoris eius. כף. Caph enim significat uolam manus & plantam pedis, concauitatem uidelicet utriusq;, & hoc loco transfertur ad concauitatem coxendicis, quæ est in illius iunctura ad formam manus concauæ Chald. & Sept. uerterunt, latitudinem femoris.) *& dimota est uertebra femoris Iacob* (uulgata latina habet, Et statim emarcuit, quemadmodum & Sept. uertim in Hebræo est ותקע uatheka, id est & mota est, quod de luxatione uertebræ coxendicis intelligitur) *inter luctandum cum eo. Et dixit: Dimitte me, quoniam ascendit aurora. Et ait: Non dimittã te nisi benedixeris mihi. Et dixit ad eum: Quod est nomen tuũ? Et ait: Iacob. Et dixit: Non uocabitur ultrà nomen tuum Iacob, sed Israel, quoniam dominaris Deo & hominibus & præuales. Et interrogauit Iacob, & ait: Indica quæso nomen tuũ. Et dixit: Ad quid interrogas de nomine meo? Et benedixit ei ibidem. Et uocauit Iacob nomen loci illius Pniel: quoniam (ait) uidi Deum facie ad faciem, & erepta est anima mea. Et exortus est ei Sol, cum pertransiret Pniel, & claudus erat in femore suo. Propterea non comedunt filij Israel neruum luxatum qui est super uertebram femoris, usq; in præsentem diem, propterea quod tetigit uertebrã femoris Iacob, ut neruus luxaretur.*] In Hebræo est, Propterea non comedunt filij Israel neruum חגשה hauasche. Item, propterea quòd tetigit uertebram femoris Iacob בגיד חגשה, id est begid hauasche in neruo hauasche. Quid aũt uox גשה significet hoc loco, prorsus nullus est nec interpretũ nec annotantium consensus. Aliàs significat obliuisci, quare nõnulli uertunt, neruum obstupefactũ: deinde & recedere & cessare, ut idem sit quod סור. Hinc uisum est uertere neruum luxatum. Sunt qui גשה idem putant esse quod נשה, id est uastare ac dissipare. Ideo Monsterus reddidit, neruum dissipatum. Vt quod sentio dicam, nulla mihi horum uersio probatur. Et tamẽ, quoniam certiorẽ tradere non possum, uisum est reddere, neruũ luxatũ. Verosimilius interim est גיד חגשה significare neruum femoris, nec dissipatũ, nec obstupefactũ, neq; luxatum, sed quatenus adhuc integer est, & officium suum facit. Neq; enim uidetur hic Moses tribuere Israelitis, quod tantum luxatos femorum neruos nõ comedant, comedãt uerò non luxatos, sed sanos & integros. Quare aũt integer neruus femoris quo uertebra in usu seruatur, dictus sit neruus hauasche, si constaret, prorsus nulla hoc loco superesset obscuritas. Pagninus uertit, neruũ contractionis. Si, גשה, aliquo scripturæ loco significatione contrahendi usurparetur, haud displiceret ea uersio, sic tamen, ut actiuè, non passiuè intelligeretur. Etenim neruus iste neruus contractionis propterea rectè uocari potest, quod utramq; superiorẽ & inferiorem uertebræ partẽ cõtrahendo, firmã illarũ iuncturã reddit. Verũ nõ inuenio aliquẽ scripturæ locũ, ubi uerbum גשה pro contrahere ponatur. Sed uideamus explanationẽ, & quę præterea sint considerանda.

Habet hic contextus apparitionẽ angelicã, non qualis fuerat præcedens, qua exercitus angelorũ apparuerant & occurrerant, sed unius duntaxat angeli, ad hoc à Deo missi, ut animũ Iacobi confirmatio rem redderet, ac metũ illi fratris Esau eximeret. De angelo hoc quatuor prædicantur ex ordine Primũ, q luctatus sit cũ Iacobo. Secundũ, q femur illius reddiderit luxatũ & claudũ. Tertiũ, q nomẽ illius mutarit. Quartũ, q illi benedixerit. De lucta angeli & Iacobi paucis sic scribit Moses. Et luctatus est uir cum eo, donec ascenderet aurora. Quod non uir fuerit, sed angelus, prophetico testimonio cõfirmatur. Osee quippe duodecimo de hac lucta sic legimus: In utero cõstitutus supplantauit fratrẽ suũ, & in fortitudine sua dominatus est Deo, & dominatus est אל מלאך, id est angelo, & potuit. Et uerba angeli, quibus nomẽ Iacob in Israel mutauit: deniq; & uerba ipsius Iacob, quibus dixit: Vidi Deum facie ad faciẽ: satis indicant luctatorẽ hunc fuisse non hominẽ, sed angelum in specie uiri apparentẽ & colluctantem. *De lucta angeli & Iacobi.* *Osee 12.*

Quærunt quis fuerit iste angelus. R. Shlomoh dicit שחרא שרר של עשר, id est, fuit ille princeps ipsius Esau. Arbitrantur nõnulli Hebræi, quod & Lyranus annotat, angelũ Esau luctatũ esse cũ Iacobo, ut impediret eum à trãsitu torrentis & ingressu terræ Canaan. Verũ opinionẽ istam locus Hoseæ iam citatus meo iudicio, perspicuè refutat. Nam ibi post præmissa sic legimus: Et dominatus est angelo, & potuit, fleuit, & precatus est eum, in Bethel inuenit eum, & ibi locutus est cũ eo (sic arbitror legendũ esse quod ibi est in Hebræo ושם ידבר שבנו, quod alij reddunt, Et ibi locutus est nobiscũ. Si tollas puncta, perinde poteſt legi, Et ibi locutus est cũ eo, atq; præcedens illud בית־אל ימצאנו legitur, In Bethel inuenit eum. Etenim si prius affixum נו mu. potest legi eum, quid quæso impedit, ne possit & posterius sic legi?) Ergo angelus iste qui luctatus est cũ Iacobo, idẽ est, qui postea illi apparuit in Bethel, sicuti uidebimus infrà cap. 35. Is aũt angelus, dubio procul fuerat illi deputatus à Domino, ut eum custodiret, ac in omnibus dirigeret, cuius & ipse mentionẽ facit infrà cap. 48. ubi ad Iosephum dicit: Angelus qui redemit me de omni malo. Quare friuolum commentum Shlomonis est, quod annotat angelum hunc fuisse principem ipsius Esau. Alij Ebræi putant eum fuisse Michaelem. Nos nõ debemus de nomine illius esse solliciti, quandoquidem & Iacob reprehensus legitur, quod de nomine illius quæsisset. *Quis fuerit iste angelus.*

Deinde quærunt qualis nã fuerit hæc lucta angeli cũ Iacobo. Hieron. in Epist. ad Ephesios cap. 6. ibi: Quoniã nõ est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinẽ, sed aduersus principatus, &c. annotat luctã hanc fuisse spiritualẽ. Sic enim ibi dicit: Talẽ luctationẽ & Iacob putamus fuisse, quod scilicet non aduersus carnẽ & sanguinẽ cõtenderit, quãdo remãsit solus, & luctabat cũ eo homo, adhuuãs eũ & corroborãs aduersum aliũ sudore nimio dimicantẽ. Et simul uide, ne fortè ridiculi sint, qui arbitrantur in ritũ luctantiũ tota Iacob nocte luctatũ. Quid enim grande, si, ut illi aiunt, luctãs aut superarit aut uictus sit? *Qualis fuerit lucta angeli cũ Iacobo.*

Sed iuxta rationabilem & competentẽ patriarchæ luctã talem illi colluctationẽ fuiſſe credendum eſt, qualem hi habent, qui poſſunt dicere: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinẽ. Hæc ille. Et Lyranus citat hoc Hieronymi dictũ: Cũ angelo Iacob, oratione nõ manibus luctabatur. Verũ ipſa uerba conuincunt, luctatũ eſſe angelum cum Iacobo corporaliter, quod Iacobũ attinet, q̃uis eſſet ipſe ſpiritus in ſpecie corporis humani apparẽs. Sic enim dicit: Et luctatus eſt uir cũ eo, donec aſcẽderet aurora. Et uidens ꝙ prævalere nõ poſſet, tetigit uertebrã femoris eius: & dimota eſt uertebra femoris Iacob inter luctandũ cum eo. Itaq; ex effectu luctæ huius, immo & ipſo actu, ſatis patet, fuiſſe eam corporalẽ. Actus eſt, ꝙ angelus femur Iacob inter luctandum tetigit. Effectus, ꝙ uertebra femoris Iacob ex tactu angeli inter luctandũ dimota eſt. Conueniũt iſta corporali luctæ magis q̃ ſpirituali. Et meo iudicio, luctahæc magis eſt danda angelo, q̃ Iacobo. Non enim præter rationẽ eſt, ꝙ nõ ipſe Iacob cũ angelo, ſed angelus cum Iacobo luctatus eſſe ſcribit, ut magis quærendũ ſit quali Iacob cũ angelo ſit luctatus. Non negarim oraſſe Iacobũ ea nocte: uerũ non ad angelum, ſed ad Deũ. Et admodum dubitari poteſt an ſtatim initio luctę cognouerit luctantẽ ſecũ angelũ, eſſe angelum Dei.

Lucta hæc magis eſt danda angelo quàm Iacobo.

De luxatione femoris Iacob.

De luxatione femoris ſic memoratur: *Et uidens quòd prævalere ei non poſſet, tetigit uertebram femoris eius, & dimota eſt uertebra femoris Iacob, inter luctandum cum eo.*] Quærũt hic, quomodo intelligendũ ſit, ꝙ dicit angelũ uidiſſe, ꝙ prævalere Iacobo non poſſet. Videtur enim incõueniens angelicæ naturæ, hoc tribuere angelo, ꝙ non potuerit prævalere homini. Quare nonnulli exponunt, Et uidens, ꝙ prævalere ei non poſſet, id eſt, nollet. & citant illud Marci 6. de Chriſto, Et non poterat ibi uirtutẽ ullam facere, propter incredulitatem eorum. Contrà alij ſentiunt angeli uirtutẽ ſic fuiſſe in ea lucta diuina diſpoſitione infirmatam, & uires Iacobi corroboratas, ut reuera non ſimulanter nequiuerit angelus luctando ſuperior euadere. Et ipſa ſanè uerba ſic ſunt poſita, ut ſenſum hunc innuere uideãtur. Neq; enim ſimpliciter dicit, Et cũ illi prævalere non poſſet: ſed, Et uidens quod prævalere ei nõ poſſet, hoc eſt, luctando ſentiẽs quod fortior eſſet Iacob, q̃ ut illi prȩualere poſſet. Verũ ſi ſimplicitatẽ hanc literalis ſenſus retinuerimus, in quæſtionẽ uenit, non qũo potuerit Iacob reſiſtere angelo, cũ ad eam luctã uirtutẽ acceperit à Deo: ſed quodnam fuerit angelo in hac lucta propoſitũ. An ſeriò, & eo propoſito luctatus ſit cũ Iacobo, ut eũ uinceret & proſterneret. Si hoc dixerimus, fuerit admodũ inconueniẽs hoc dare angelo, ꝙ uoluerit proſternere ſeruum Dei, aliàs metu perculſum, & in periculis conſtitutum, quem Deus ipſe, ſicuti ex euentu luctæ huius declaratur, non proſternere, ſed firmũ & erectiorem reddere uoluit. Hoc genus propoſiti non bonis, ſed malis cõperit ſpiritibus. Si dicas: Quid ſi luctator iſte angelus nõ bonus, ſed malus fuerit ſpiritus? obſtat, ꝙ & nomen Iacob in Iſrael mutauit, & ꝙ illi benedixit, & ꝙ Iacob dixit: Vidi Deũ facie ad faciẽ, quæ cõuincunt angelũ hunc fuiſſe bonũ nõ malũ ſpiritũ. Cũ itaq; cõſtet, angelũ hũc fuiſſe bonũ ſpũm, deinde bonis ſpiritibus hoc dari nõ poſſe, ꝙ aliquid facere uelint à cõſilio & uolũtate Dei diuerſum: fuiſſe aũt conſiliũ Dei in hac lucta, nõ ꝓſternere, ſed erigere ac firmũ reddere Iacobũ, arbitror luctã hanc angeli cũ illo fuiſſe non ſertã, ſed ſimulatã, & tentationẽ magis q̃ uerã luctam. Quod aũt ſcriptura dicit, Et uidens ꝙ ei prævalere nõ poſſet, dictũ eſſe more humano ſecundũ apparentiã rei externã, magis q̃ ſecundum rem ipſam, nõ minus q̃ illud quod præmiſit, Et luctatus eſt uir cũ eo. ubi ſi uelis urgere literam, cogeris ſentire de hoc luctatore, ꝙ homo fuerit, nõ angelus. Nec eſt q̃d dicat aliquis, ſi non ſunt iſta niſi ſecundũ externã luctæ huius apparentiã dicta, ergo nec illud uerè, ſed apparenter factũ eſt quod dicit: Tetigit uertebrã femoris eius. Atqui diuerſum monſtrat effectus, de quo ſubijcit, Et dimota eſt uertebra femoris Iacob inter luctandũ cum eo. Si luxatio iſta uera fuit, ergo & tactus femoris, & cõſequenter ipſa quoq; lucta nõ ſimulata, ſed uera fuit. Nos diſtinguimus inter opus externũ, & propoſitũ operis. Opus externũ non fuit ſimulatũ, ſed uerũ, in ſe conſideratũ. Propoſitum uerò operis non erat, quod in ſpeciem uidebatur, ſed aliud ab eo quod ſolet eſſe luctatoribus. Secundum propoſiti huius, non ſecundum externi operis qualitatem, luctã hanc dico nõ fuiſſe ueram ac ſeriã, ſed ſimulatã & tentationis loco non ad proſternendum, ſed ad erigendum Iacobum diſpoſitam à Deo & adminiſtratam ab angelo.

Quomodo angelus nequiuerit prævalere Iacobo.

Quod fuerit propoſitũ angeli in hac lucta.

De eo quoq; uidẽdũ eſt, q̃d ſibi uoluerit ꝙ angelus iſte femur Iacobi inter luctandũ luxauit. Si ad hoc cũ illo luctabat, ut redderet eũ firmũ & erectũ cõtra occurſum Eſau, qũo ad id ꝓpoſiti faciebat eluxatio femoris, cũ uideat cõuenientius fuiſſe ex claudo facere rectũ, q̃ ex recto claudũ. Claudus nãq; ne ad fugã quidẽ, nedũ ad conſtantẽ pugnã aptus eſſe poteſt. Facti huius duplex poteſt aſsignari cõſideratio. Vna, quę præſentẽ Iacobi cauſam reſpiciat: altera, quę ad myſteria pertineat. Q̃d' præſentẽ cauſam Iacobi attinet, uoluit angelus per iſtã femoris luxationẽ cõſtare Iacobo, q̃d non corporis uiribus in hac lucta ſuperior euaſiſſet, ſed auxilio Dei (eſt eñ magna uiri luctãtis uirtus in femore ac lũbis eius) ideoq; ad reſiſtendũ fratri Eſau, quẽ tãtopere robuſtũ ac potentẽ ipſe potẽtia ac uiribus inferior metuebat, nõ debere ipſum ſuis niti uiribus. ſed ꝓtegentis ſe auxilio Dei. Huc deſtinabat à Deo mirabile hoc genus uictoriæ, quo homo claudus & luxatus angeli luctatoris & luxatoris uictor euaſit. Quòd myſteria cõcernit, cõſideranda eſt, q̃ luculenter in ipſo Iſraeliticę gentis authore præfiguratũ fuerit, ſemẽ ex lumbis ipſius ꝓgreſſurũ fore in religiõe Dei luxatũ ex parte & claudicãs. Claudicationẽ hanc Elias exprobrauit Iſraeli, 1. Reg. 18. Nõ erãt ad Deũ corde recto, ſicuti meminit Dauid in Pſal. Claudicaturi erãt corde, & declinaturi à uera pietate ac religiõe Dei, ad cultũ alienorũ deorũ. Sic claudicatio femoris Iacob figura erat claudicaturi Iſraelis, q̃ ex femore iſto fuerat egreſſus. Nec caret ratiõe, ꝙ femur hoc Iacobi nõ ante, ſed poſt acceptũ futuræ poſteritatis ſeminarium luxatũ eſt ab angelo, ne uidelicet claudicatio gentis tribueret ipſius authori. Erat eñ claudicatio Iacob nõ cauſa, ſed prȩfiguratio claudicaturę olim ipſius poſteritatis. Sic prȩmiſſa eſt hic imago electorũ & reproborũ, q̃ futuri erãt in una & eadẽ gẽte Iſraelis, uelut in uno & eodẽ homine pec-

ne pes rectus unus, & claudus alter. Imaginã reproborum gessit in pede claudo Iacob, electorum uerò in pede recto. Vterq; pes ad carnem illius pertinebat, & utraq; pars populi huius non solum electa, sed & reproba Israeli deputat. Sic sunt etiã in nouo Test. in uno Ecclesiæ corpore recti & claudi. Quod arti net claudos, claudicãs est, errans, & deficiẽs Ecclesia: respectu uerò electorũ & rectorũ recta est, sancta est, & in ueritate perdurans. Etiam cuiuslibet pij hominis imaginẽ in hac luxatione femoris gessit Iacob. Spiritu reddebatur firmus, carne uerò angelica hac lucta infirmabatur. Spiritus imaginem gessit pes rectus, & constãs rectè ingrediendi propositum: carnis uerò, pes claudus, præter ingredientis pro positum claudicãs & deficiens. Pius homo, gratia Dei, & crebris tentationibus spiritu redditur firmo, alacri, & erecto, carne uerò debilitatur & infirmatur, quo magis in homine debili & infirmo uirtus cœlestis gratiæ splendescat. Sic in Apostolis erat spiritus promptus, caro infirma, & in Paulo uirtus Dei in infirmitate perficiebatur 2. Cor. 12. De mutatione nominis subiungit ad hunc modum: Et dixit: Dimitte me, quoniã ascendit aurora. Et ait: Nõ dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et dixit ad eum, Quod est nomen tuum? &c. Ex eo quod angelus dixit, Dimitte me: satis patet, fuisse eum à Iacobo, quãuis iam claudo detentum, sic ut, in speciem, citra illius uoluntatem discedere non posset. Simulabat se uelle ab eo discedere, si posset: non posse autem, nisi ab eo dimitteretur. Quamuis nondum peregerat ad quod erat à Deo missus, simulabat tñ discedendi uoluntatẽ & uirium suarum imbecillitatem, ideoq; petebat, ut se dimitteret. Faciebat ista simulatio ad propositũ ut ex ea fortitudo Iacob clarescceret, & causa mutandi nominis illius daretur. Huc facit etiam quod Iacob respondet: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Quemadmodum angelus uirium imbecillitatem simulat, cum dicit, Dimitte me, quoniam ascendit aurora: sic Iacob contrà fortitudinem animi sui declarat, cum respondet, Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. In eo quòd angelus discedere se uelle simulat, cum reddidisset Iacobũ claudum, illumq; nondum benedicendo confirmasset, typus expressus est tentationum Dei, quibus se ab electis, in adflictione constitutis discessurum simulat, cum longè diuersum agat. Quod Iacob fortiter repugnat, dicens, Nõ dimittam te, nisi benedixeris mihi, exemplo nobis esse debet, q̃ debeamus in tentationibus huiusmodi etiam erga Deum esse fortes, & uelut inuitum cogere, ut non discedat à nobis, nisi prius benedixerit, id est, animos nostros consolatione sua confirmatiores reddiderit. Vis ista Deo non est ingrata, sed uehementer accepta. OBSER.

Cæterùm, quomodo angelus in specie hominis apparens & cum Iacobo luctans petitionem hanc, Dimitte me, protulerit, imperando ne uel precando, quæri poterit. Imperando, non conuenisset uicto. Precando uidetur nõ conuenire angelo. Verùm si consulatur scriptura, potest aliquid inueniri, quod huc faciat. Legitur enim Hosee 12. Et dominatus est angelo, & potuit. Et ut declaret, quo usq; dominatus sit angelo Iacob, subiungit: Fleuit, & precatus est eum. Scio quosdam hãc particulam referre non ad angelum, sed ad Iacobum, qui flendo precatus sit angelum. Verùm non satis obseruant illi quid dicatur à propheta, quidq; sit gestum à Deo. Hoc solum intuentur, hominis esse potius ut fleat & precetur angelum, q̃ angeli ut flendo supplicet homini. Non cogitant hac consideratione uniuersam hanc luctam angeli cum Iacobo posse in dubium uocari. Propheta ut uictoriam Iacob extolleret, partẽ eulam hanc subiecit, qua diceret angelum fleuisse, ac Iacobum precatum esse, uidelicet ut se dimitteret, quæ petitio angeli exprimit à Mose. Si dixeris, quomodo potuit flere angelus, uicissim interrogo, qũo potuit angelus uideri homo, luctari, & luctando ab homine uinci? Item qũo potuerint angeli instar hominũ diuertere ad Abrahamũ & Lotũ, ibiq; comedere & bibere? Deinde, de eo quoq; quæri poterit, q̃d rationis uice petitioni suæ subiecit angelus, dicens: Quoniam ascendit aurora. an ideo discedendũ fuerit angelo, q̃ aurora ascenderet, uel ascensus auroræ magis ipsum Iacobũ impellere debuerit, ut finẽ luctæ faciens, ad suos q̃s trãs torrentẽ prçmiserat, pperaret. R. Shlomoh exponit ad hunc modum: רצריך אצי לרבור שיריח, id est, necesse mihi est ut dicã canticũ. Quasi angelis tẽpore matutino deserendũ sit ministeriũ, q̃ electis in hac uita seruiũt, & ad cœlestia ascendendũ, ut per id tẽporis laudẽ Dei decãtent. Alij sentiũt angelos amare nocturna tẽpora magis q̃ diurna. Verũ meo iudicio nõ fuerit incõmodũ, si sentiamus angelũ ascẽsum auroræ, nõ tã suo q̃ Iacobi nomine prætexuisse, ne ille diutius detineret, & à suis abesset. Illud, Nõ dimittã te, nisi benedixeris mihi, exponũt alij de palma uictoriæ, quã Iacob reportarit ab angelo. quasi dicat: Non dimittã te, nisi fatearis te esse uictũ: ac prçconio aliquo palmam mihi dederis. alij sentiunt idem esse, quod benedictiones Isaac patris ipsius aduersum Esau confirmare. Hoc sentiunt, qui putant angelum hunc fuisse principem ac custodem ipsius Esau. Illis uidetur Iacob dixisse: Non dimittam te, nisi benedictiones, quas abstuli à patre meo, iurè ad me pertinere confitearis.

QVAEST.

Et dixit ad eũ: Quod est nomẽ tuũ? Et ait, Iacob. Et dixit: Nõ uocabitur ultrà nomẽ tuũ Iacob, sed Israel. Quoniã dominaris Deo & hominibus, & præuales.] Vt gratiã Dei Iacobo præstitã amplificet, & animũ eius infractũ cõtra Esau reddat, mutat nomẽ illius Iacob, q̃d supplantatorẽ significat, ex utero matris acqsitũ, tanq; angustius & humilius in aliud præclarius, ac uocat eũ Israelẽ, adiecta ratione, q̃ nõ solũ hominib. sed & Deo ipsi dominãdo præualeat. Per homines, intelligit Esau: per Deũ, se tanq; angelũ personã Dei gerentẽ. Particulã aũt istã alij aliter legũt & exponũt. Vulgata latina sic: Qm̃ si cõtra Deum fortis fuisti, quãto magis cõtra homines prçualebis? At in Ebr. nec uocula cõditionalis, si, nec, quãtomagis, habet, sed sic legit: כי שרית עם אלהים ועם אנשים ותוכל. i. qm̃ principaliter dominaris cũ Deo & hominib. & potes. Mõsterus uertit: Qm̃ ut princeps cõflixisti cũ Deo & cũ homin. & prçualuisti. Sept sic ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ θεοῦ καὶ μετ' ἀνθρώπων δυνατός. i. qa inualuisti cũ Deo & cũ hominib. potẽs. Vocula שרית à uerbo שרר dominationis significationẽ habet, quẽadmodũ & Sarah. Et qm̃ dominationis genus est nullius potẽtiæ

uinci, Iacob uerò nec per fratris potentiam, nec per angeli luctationem uincebatur, datũ est illi hoc nominis, ut uocaretur ישראל, id est, dominatur Deo, uel, princeps est Dei. Quare uisum est adhunc modum uertere: Quoniam dominaris Deo & hominibus, & prævales. Posset & sic uerti: Quoniam dominaris Deo, & hominibus (dominaberis) & prævalebis. Vt uerbum dominandi repetatur. Sensus est: Quid times Esau fratrem tuum, cum homo sit, tu uerò etiã Deo domineris? Cui non prævalet Deus, qũo prævalebit homo? Opinio eorum qui putant Israel idẽm esse quod, est uidens Deum, non conuenit ratio ni quæ ab angelo adijcitur, & rectè à Hieronymo refutatur.

OBSER. Obserua consiliũ Dei, quare nomen hoc, Israel, nec solũ sine experimento fortitudinis diuinitus collatæ, nec ante, sed post luctam imponere Iacobo uoluerit. Volebat animum illius liberare à metu fratris. Huc non fecisset nuda nominis mutatio. Quare primùm cum eo luctari uoluit angelum, & fortitudinis acceptæ experimentum capere, ac tum demum, tanq̃ principem Dei hoc nomine Israel, cohonestauit pariter & ad futura discrimina animauit. Nos uocamur Christiani, ab unctione regia & sacerdotali: uocamur filij Dei, sanctificati & regenerati. Nisi certis experimentis ueritatem elogiorum istorũ tentati ac probati senserimus, nihil ex illis consolationis & fortitudinis in animis nostris nasci poterit. Spiritus quidem Dei testimoniũ dat spiritibus electorum, ꝙ sint filij Dei: uerùm testificatio illa non percitur nudis & ociosis cogitationibus, sed uiuo & efficaci sensu, qui potissimum per tentationum luctas in cordibus nostris generatur. Quare ueri demum Israelitæ sunt, qui fide firmi ac fortes tentationes Dei superant, nedum humana consilia uincunt.

Et interrogauit Iacob, & ait: Indica quæso nomen tuum. Et dixit.] Ad qd interrogas de nomine meo? Vide hic uictorẽ illũ Israelẽ, dominantẽ Deo & hominib. q̃ impertinẽter se gerat, interrogãs de nomine angeli. Sciebat esse angelũ, uel nesciebat. Si sciebat, q̃rsum attinebat quærere de nomine angeli? Si nesciebat, qũo accepit hoc encomij ut uocaret Israel, dominãs Deo & hominibus? Vtrũuis respondeat, uides exẽplũ, nõ per omnia perfecti, sed claudi uictoris. Ad qd, inqt, interrogas de nomine meo? Sic solemus respondere interrogãtibus ea quæ nihil habẽt rationis. Vsus nominũ locũ habet inter homines, nõ inter angelos. Vulgata latina & Septuaginta habẽt, q̃d est mirabile. Verũ particula hęc nõ habet hoc loco, sed iudicũ tredecimo, ubi angelus cõsimiliter à Manoah patre Simsonis interrogatus respõdit: Ad qd hoc interrogas de nomine meo, & est mirabile? Potest aũt q̃d illic dicit פלאי, id est, & hoc mirabile tam referri ad interrogationẽ Manoah, q̃ ad nomẽ angeli. *Benedixitq; ei ibidem.*] Quartũ hoc est, ꝙ prædicat Moses de angelo isto. Qualis fuerit hæc benedictio, nõ exprimitur. Verùm cõiectura de illa sumi potest ex immutatione nominis & statu præsentis causæ. Obserua. Ineptè interrogauerat de nomine angeli, eamq; ob causam ab illo redarguitur, & nihilo tamen minus confestim benedicitur. Sic uidemus errata sanctorũ licet reprehendant, nihil tñ officere causis illorũ, quibus exercent. Benedicunt etiã errãtes & ineptientes. *Et uocauit Iacob nomẽ loci illius Pniel, quoniã (ait) uidi Deũ facie ad faciẽ, & erepta est anima mea.*] Ad rei memoriã indidit loco nomẽ ab eo q̃d accíderat. Viderat Deũ facie ad faciẽ, ideo uocauit eũ locũ Pniel, q̃d faciẽ Dei significat. Quoniã uidi Deũ, &c. In Ebræo desiderat uerbũ אמר, id est, dixit. Vt legendũ sit כי אמר ראיתי אלהים, id est, quoniã dicebat, uidi Deũ. Deũ nõ uiderat, quẽ nemo uidit unq̃, sed speciẽ angeli luctatoris in forma humana apparentis uiderat. Hũc uocat Deũ, ꝓpterea ꝙ personam Dei gessisset. Facie, inqt, ad faciẽ. Ebræa loquutio est, פנים על פנים, id est, facies cõtra faciẽ. Significat mutuus inter colloquendũ aspectus, q̃ coràm & in facie amicus loquit amico. Sic Exod. 33. Loquebatur Dñs ad Mosen facie ad faciẽ, sicut solet loq homo ad amicũ suũ. Gloriat ergo Iacob ꝙ Deũ mutuo aspectu colloquentẽ sibi coràm & palàm uiderit. Obseruandũ hic est, q̃d locum hũc nõ uocauit ישראל uel שרתיאל, id est, dominatus sum Deo, uel חצלרעה, id est, claudicationẽ, sed Pniel, id est, faciẽ Dei. Nõ dicebat gloriãdo, dominatus sum Deo & prævalui: neq; mœsto animo dicebat, Luxato femore factus sum claudus. sed, Vidi, inquit, Deũ facie ad faciẽ, & erepta est anima mea. Neq; gloriabat de uictoria, neque tristabat, ꝓpter luxatũ femur, sed ꝙ Deũ facie ad faciẽ uiderat, id demũ faciebat plurimi. Erat eñ argumentũ gratiæ & præsentiæ Dei, unde persuadebat, nõ deesse sibi Dñm. Et crepta est, inqt, anima. Potest legi, Et eripiet anima mea. Hoc est, nihil poterit Esau aduersus animam meam. Si legas, Et erepta est anima mea, bifariã exponi potest. Primùm de eo, q̃d cũ Deũ uidisset, mortuus nõ esset. Exod 33. legimus: Nõ poteris uidere faciẽ meã. Nõ eñ uidebit me homo, & uiuet. Sic Gideon dicebat Iudicũ 6. Heu mihi Dñe Deus, qa uidi angelũ Dñi facie ad faciẽ. Dixitq; ei Dñs: Pax tecũ, ne timeas, nõ morieris. Et cap. 13. dicebat Manoah: Morte moriemur, quia uidimus Dñm. Deinde de eo, quod credebat se iam diuina protectione sic fore saluũ, ut nihil posset in se frater Esau, etiãsi quid sibi mali inferre uellet. Et hũc sensum arbitror cõuenire causæ quę agebat. Ad hoc eñ apparuerat ipsi Deus, ut nõ solũ de manu, sed & à metu fratris liberaret. Admonemur hoc loco quantũ cõsolationis adferãt pijs hominibus diuinæ gratiç apparitiones. Vbi se Deus abscõdere & faciẽ suã auertere uidet, tristia sunt illis omnia. Rursus ubi faciẽ gratiæ suæ ostendit, exhilarant ac sibi salui uidentur. Hinc uoces illæ in Psalmis, Domine, quare absconderis & auertis faciẽ tuã à me. Itẽ, Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. *Et exortus est ei Sol, (inquit,) cum pertransisset Pniel.*] Ipsa cœli facies alacritatem ostendebat, rerumq; prosperitatem Iacobo pollicebatur, perinde ac si Sol illius esset gratia exortus. Vnde non simpliciter dicit Moses, Et exortus est Sol: sed, Et exortus est ei Sol, cum pertransisset Pniel. Videbatur una cum nocte omnis angustia ex animo Iacobi per uisionem Dei exempta, summaq; alacritas, instar solis post densas noctis tenebras exorientis, reddita.

Et

Et claudus erat in femore suo.]Hoc erat illius corpori monumẽti loco relictũ, ut ex lucta angelica esset claudus. Propterea nõ comedũt filij Israel neruũ hauasche q̃ est super uertebrã femoris usq; in præsentem diem, propterea quòd tetigit (angelus) uertebrã femoris Iacob, in neruo hauasche. Ergo religio ista & consuetudo abstinendi à comestione nerui hauasche nõ cœpit sub œconomia Mosis, sed ad illam usq; inde à maioribus peruenerat. Sunt qui putent eam ab ipso Iacobo posteris esse traditam, idq; consilio Dei, ut gestæ rei memoriã inter filios Israel seruaret. Mihi uerosimilius est natã esse post tẽpora Iacob ex superstitione quorundam initio, postea uerò, ut fieri solet, per imitationem præpostera factam esse catholicam. Meo iudicio, filij Israel rectius cauissent sibi à claudicatione in uera religione Dei, q̃ à neruo pecoris, in quo nihil est illiciti & immundi: uerùm sic solet caro abstinentia à licitis nescio quam simulare pietatem, & interea illicitis absq; conscientia delicti inuolui.

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Exponitur hoc capite quomodo sit Iacob ab Esau fratre præter expectationem benignè acceptus & dimissus: deinde quibus locis, cum esset auulsus à fratre, tabernacula figere cœperit, nempe primùm in Socoth, deinde ad Salem ciuitatem Sichimorum.

ET leuauit Iacob oculos suos & uidit, & ecce uenichat Esau, & cum eo quadringenti uiri]Dubio procul nõ semel tantum, sed sæpius prospexit, num aduentãtem fratrem è longinquo & in tempore uidere posset. Tandem uidit turmam quandam hominum occurrentem sibi: unde facile coniecturabat, aduentare fratrem, cum uiris quadringentis, quemadmodum serui pronunciauerant.

Et diuisit liberos ad Leam, & ad Rahelem, & ad duas ancillas.] Vbi fratrẽ appropinquare uidet, disponit suos in ordinem. Ibant enim, ut fieri solet, indiscriminatim ac temerè. Volebat autem fratri decenter & reuerenter occurrere. Diuisit igitur filios suos, sic ut suæ quique matri coniuncti incederent. Leæ coniunxit, quos illa pepererat, Ruben, uidelicet, Simeon, Leui, Iudam, Isachar, Zabulon, & Dinam. Raheli commendauit Iosephum, quem illa pepererat. Ancillis quoq; suos natos adiunxit. Balæ Dan & Naphthali, Zilphæ Gad & Aser. Probabile est, q̃ & seruos & ancillas, quomodo se gererẽt, instruxerit.

Et posuit ancillas ac filios earũ primo loco, Leam & filios eius post illas, Rahelem uerò & Iosephũ post istos.] Cum diuisisset suos, disposuit eos ordine quem putabat esse conuenientem. Quòd ancillas cum liberis earum primo loco posuit, Leam cum suis in medio, Rahelem cum Iosepho postremo, uario respectu fieri potuit, uel cautionis uidelicet, uel honestatis. Sunt qui putant Rahelem cum Iosepho tanq̃ chariores postremo loco fuisse positos, ut securiores essent. R. Shlomoh exponit אחרין, id est, quod dilectum erat, postremò posuit. Rursus existimant nonnulli, datum esse illis postremum locum tanquam honoratiorem. Forsan & paucitas in causa fuit, ut postremò locarẽtur. Verùm siue securitatis, siue honestatis, siue utriusq; simul habitata fuit à Iacobo ratio, non incommodè suos hocordine disposuit. Si periculum in occursu fratris fuisset, in primum irruptionis impetum incidissent ancillæ cum filijs suis, in secundum Leah cum suis, interea uel locus declinandi datus esset Raheli & Iosepho, uel nonnihil fuisset sæuientis impetus remissus, ac præcedentium cæde saturatus Esau ad miserendum uni mulierculæ, cum filio uni eo inclinatior fieri poterat. Si nihil esset periculi, erat etiam sic competentius, ut ancillæ cum suis filijs, uxoribus & filijs earum, tanquàm honoratioribus præmitterentur. Sic uidemus hoc exemplo in rebus humanis non esse spernendam sanctis uiris honestatis rationem. Si quid agendum est, curant pij ut agant decenter & honestè, seruentq; discrimina rerum. Habent res humanæ sua discrimina. Hæc sancti uiri non inferunt rebus, sed obseruant, amantes non confusionis, sed ordinis, secundum differentias rerum, quibus illæ natura sunt distinctæ. Sic discrimen seruant inter uxores & ancillas, interq; harum & illarum liberos, inter seruos & filios, &c. si quid imminet periculi. fieri autẽ non potest, ut toti domui & cognationi de securitate prospiciatur, sed aliqui sunt primo discrimini obijciendi. Obijciunt citius seruos q̃ filios, ancillas q̃ uxores, minus charos q̃ impensè charos, sicuti à Iacobo hoc loco factũ esse uidemus. Hic uerò labor est, natum si cogeris unum Ex æque charis tradere in exitium. OBSER.

Et ipse præcessit ante eos.]Vulgata latina negligentius habet: Et ipse progrediens. Vides hic exemplũ uiri cordati. Vbi periculũ est, minus cauet sibi q̃ suis. Seipsum primo loco periculo exponit, uitã p suis in discrimen ponere paratus. Fidem hanc debent pastores ouibus, nedũ mariti uxoribus, & patres liberis. OBSER.

Et incuruauit se uersus terram septies donec appropinquaret fratri suo.] Incuruando se idem egit, quod agebat uerbis submissionẽ testãtibus, uocãs fratrẽ dñm suũ, ac se illius seruũ. Sic auribus & oculis illius insinuauit ea quæ spiritũ humilitatis & submissionis spirarent, animumq; illius mitigarent. Et hæc fecit haudquaquã per hypocrisim, sed seriò: quemadmodũ & seriò fratris sibi beneuolentiã cõciliare satagebat. Alieni sunt hi mores à sanctis, ut quod rectè fieri potest, nõ seriò, sed simulanter agant. Illud, Septies, exponi potest per sæpius, ut sit numerus certus positus p incerto. Nisi forsan in cõsueto sit Orientalibus, ut quemadmodũ apud nos q reges accedũt, tertiò sese incuruant, priusquã in cõspectu illorũ cõsistãt, ita illi incuruent septies. Obseruandũ est hoc loco, quæ sit sors piorum in hac terra. Iacob pius incuruat ante fratrem impiũ: dominus à Deo cõstitutus, ante seruũ suũ humiliat: Deo dilectus incuruãdo se uenerat eum quẽ Deus odio p̃sequebat, & tñ uincit ac dominat, quãuis claudus & incuruus corpore.

Et cucurrit Esau in occursum eius, & amplexatus est eum ruitq; super collum eius, & osculatus est eum, ac fleuerunt.] Vulgata latina habet in singulari, Fleuit: uerùm in Ebræo est, Ac fleuerunt, quemadmodum

&

& Septuaginta uerterunt, καὶ ἐπλαυσαν ἀμφότεροι, id est & fleuerunt ambo. Quocunq; tandem animo Esau quadringentorum uirorum satellitio stipatus Iacobo occurrerit, inimico uel amico, uidemus hic nihil ab illo tentatum esse quod hostile esset, sed Iacobũ humanissimè ac planè fraterno more esse accepturn. Non expectauit donec ad se ueniret frater, sed in occursum illius cucurrit: deinde non sustinuit, do nec frater se amplexaretur & oscularetur: sed ipse illum prior amplexatus est & osculatus: nec passus est, ut solus frater fleret, sed unà cum illo fleuit & ipse. Nihil exprobrat eorum, quorum gratia sibi plurimũ timuerat Iacob, sed uelut oblitus omnium accipit eum non uerbis tantum, sed & gestibus summam beneuolentiam spirantibus.

OBSER. Videmus itaq; hoc loco, q̃ sit efficax humilitas & submissio, ad emolliendum irati & inimici hominis animum, si adsit numinis cooperatio, cui tribuendum est quicquid hic gestum legitur. Hoc demũ uerè est uincere ac dominari. Sic uentos uincit dum se submittit arundo, Impulsu quorũ robora celsa cadunt. Nec est ut disputemus, fecerit ne ista Esau ex animo uel simulatè. Homo erat, malus quidem, attamen homo. Vt malus, potuit hæc simulare, ut homo, potuit ad horam mutatus ponere conceptũ rancorem, & fraterni amoris sensu tangi, præsertim erga fratrem tanta sibi cum submissione occurrentem. Cor hominis est in manu Dei. Potest illud flectere quolibet, idq; in monumento, & præter opinionem. Hac fide conemur animos fratrum ad ea flectere quæ sunt humana, & fraternæ beneuolentiæ consona. Cogitemus animum hominis esse generosum, ac duci citius q̃ trahi. Cogitemus inesse quidem cordi hominis sensum humanitatis, uerùm fieri per accidens, ut uel ira, uel odio quasi quodam saxo prematur, ne se possit in apertum exerere, atq; ita per submissionem nobis esse satagendum, ut amoto iræ uel odij onere liberemus sensum captiuum ac suppressum, ut ex inimico fiat amicus. Multis sudoribus in cœno ac sabulo quæritur & eruitur aurum. Quanto utilius esset humanitatis ac fraternæ beneuolentiæ sensum in cordibus iratorum ac maleuolorum hominum ira & inimicitia suppressum uerbis & factis submissionem spirantibus cum Iacobo studiosissimè quærere, & in apertum producere?

Et *leuauit oculos suos, & uidit mulieres & liberos, ac dixit: Qui sunt isti tui?*] In Ebræo est, מי אלה לך, id est, qui isti tibi? Particula hæc uariè redditur. Sept. sic, τί ταῦτά σοι ἐστίν, id est, quid, hæc ne tua sunt? Pro מי uerterunt מה, id est, pro qui, quid. Vulgata latina habet, Quid sibi uolunt isti? &, si ad te pertineant? Monsterus, unde isti tibi? Pagninus. Qui sunt isti? tui ne? Meo iudicio quærebat Esau non cuius aut unde essent, quos dubitare non poterat, esse ipsius Iacobi, quem ponè sequebantur: sed, qui essent, liberi ne ipsius, uel uernæ, seruorum uidelicet filij, uel aliàs empti, aut alia ratione acquisiti. B

Et *ait* (Iacob) *liberi sunt, quos dono dedit Deus seruo tuo.*] Nõ dicit, Mei sunt, quia de illo nõ quærebat: sed, Liberi sunt quos dono dedit Deus seruo tuo. Non dicit, Vxores meæ sunt, quoniam id aliàs erat perspicuũ: sed de liberis respondet, de quibus dubitari poterat, liberi ne essent uel serui, inter quos multum
OBSER. est discriminis. Isti nanq; hæredes sunt, illi nequaq̃. Et obserua q, non simpliciter dicit, Liberi mei sunt, quos acquisiui in Mesopotamia: sed, Quos dono dedit Deus seruo tuo. Homo pius etiam coram impio constitutus, pietatis suæ obliuisci non potest. Reuera dono Dei accipimus liberos nostros. Vtinam eos hoc quoq; respectu ad gloriam Dei educemus, ac in omnibus donantis Dei liberalitatem agnoscamus.

Et *accesserunt ancillæ* (in Ebræo additur חנה, quod uerti potest, istæ, uel illuc. Germanicè sic loquimur, *vnnd si tratten hinzũ*) *& filij eorum & incuruarunt se.* In Ebræo est in fœminino genere, & incuruarunt se ancillæ uidelicet. Vtiq; incuruarunt se etiam filij illarum, uerùm matres fecerunt hoc primq; quas imitati sunt filij. Et *accessit etiam Leah & filij eius & incuruarunt se.* Incuruarunt se huc positum est in masculino genere, propterea quòd filij plures, mater tantum unica fuit.

QVAEST. *Postea accessit & Ioseph & Rachel, & incuruarunt se.*] Quærunt, quare nominetur hic Ioseph ante matrẽ, quasi aliquid subsit rationis. R. Shlomoh more suo nugatur, uoluisse Iosephum præcedere, quod timeret matri ab Esau propter illius pulchritudinem, quasi impediturus, si quid ille sinistri tentare uellet. Arbitror nihil hic esse curiosius quærendum de Iosepho, qui cum hæc gererentur, puer erat sex annorũ, ut nihil mirum sit, si à matre inter incuruandũ fuerit ante faciem ipsius præmissus. Vxores & ancillæ Iacob unà cum liberis pulchrè se accommodarunt præsenti fortunæ. Verosimile est, sic fuisse instructos
OBSER. à Iacobo, nec accessisse ad Esau iniussos. Cogitandum hic est, quanta sit commoditas patrisfamilias, si se uxor & liberi in omnem cum ipso ferendam fortunam accommodent & paratos exhibeant: rursus quã ta oneretur incommoditate, si illi morosius tergiuersentur.

Et *dixit* (Esau) *Quæ est omnis illa turma tua in quam incidit?*] In Ebræo est: quæ tibi omnis turma illa? Septuaginta sic τί ταῦτά σοι ἐστὶν αὗται αἱ παρεμβολαὶ, id est, quid hæc sunt tibi, castra illa quibus occurris? Pag. Est ne tua omnis turma illa, quam obuiam habui? Verùm non interrogat Esau sit ne turma illa Iacobi, cum id ex seruis illius iam cognouisset, sed quorsum missa sit. Quare Iacob respondet ad hunc modum.

Et *ait: Vt inueniam gratiam in oculis Domini mei.*] Non dicit, Mea est, sed ut respondeat ad id quod quærebatur, Vt, inquit, inueniam gratiam in oculis domini mei. quasi dicat: Nisi turmam illam pecorum unà cum seruis, donum domino meo, ad hoc ut gratiam in oculis illius inueniam, ut eum mihi concilliem & placatum reddam. Hic sensus responsi huius est. Verùm utitur reticentia admodum commoda causæ. Tacens enim de dono, de finali illius causa respondet. Fuisset enim nonnihil odiosum, si dixisset, Dono tibi illam misi, uel est donum meũ ad te. Videmus hoc exemplo Iacobi, q̃ sit cum homine reprobo cautè & circumspectè agendũ ac loquendũ. Qui gratiã in oculis eiusmodi hominis inuenire cupiũt, nõ hoc

ſpectè loquantur, ne uerbulo aliquo minus cautè uel liberius prolato magis illum offendant, q̃ placent.

Deinde obſeruandum eſt, q̃ cautè non dicat, Vt remittas mihi & condones quod in te peccaui. Nulla illum iniuria affecerat, quare non conueniebat, ut quod ex conſilio Dei geſtum fuerat, confeſsione culpæ damnaret. Et tamen cupiens placatum habere fratrem, gratiam miſſo munere in oculis illius amplius inuenire, & in eo ueluti termino conſiſtens de munere interrogatus, reſpondit, Vt inueniam gratiam in oculis Domini mei. Vbi cauendum eſt, ne uox Gratia, Ebr. חן, pro miſericordia qua peccata remittuntur accipiatur. Neq; enim confeſtim de remiſsione peccatorum intelligenda eſt hæc loquutio, qua quis gratiam in oculis alicuius inueniſſe dicitur, ſed frequenter accipitur ſimpliciter de fauore ac beneuolentia. Sic Noe inuenit gratiam in oculis Domini, ſic Moſes, ſic beata uirgo mater Dñi. Admonemur igitur hoc loco, non eſſe alienum à ſanctis hominibus quærere gratiam in oculis hominis, præſertim fratris, ſi ue ille ſit potens, ut poſsit, ſiue iratus, ut uelit incommodare. Deinde etiam ſi præter culpam noſtram ſuc cenſeat nobis aliquis, non eſſe præter decorum innocentis hominis, quærere illius gratiam, modò inno centiam noſtram nulla peccati confeſsione falſo damnemus, præſertim ſi cauſa propter quam ille nobis iraſcitur, magis Dei quàm noſtro ſit acta conſilio, uel in uniuerſum Dei magis ſit quàm noſtra.

Et dixit Eſau: Habeo multa, mi frater, ſit tuum quod eſt tuum.] Quaſi dicat: Non eſt opus ut tua mihi munificentia ſuccurras. Sum diues, quare ſerua quæ tua ſunt. Tantum non dicit, Habeo plura q̃ tu. *Si quid habes, ſerua tibi.* Obſerua non ſolum arrogantiam hominis, ſed & inciuilitatem fraternæ beneuolentiæ parum conuenientem. Ciuilius erat grato animo munera fratris complecti, deinde uiciſsim uel paria uel plura largiri, qua de re nõ audit Iacob ex ore eius uel uerbulum. Neq; ad id reſpondet, quod dixerat Iacob, Vt inueniam gratiam in oculis Domini mei. Debebat dicere, Ero tibi frater, & fratris te beneuolentia proſequar. Nihil horum pollicetur, ſed ſimpliciter munus accipere recuſat. OBSER.

Eſt aliquando iuſta ratio, ut non accipiamus munera. Vtpote quando dantur uel de illiciro, uel ad illicitum finem, uel cum damno dantis. Verùm inuenias qui per arrogantiam reſpuant munus oblatum à proximo, uel aliàs cauere uelint, ne uel paria uel plura ſint reddenda, aut nota ingratitudinis ſubeunda. OBSER.

Et ait Iacob: Ne quæſo, obſecro ſi inueni gratiam in oculis tuis, accipias etiam munus meum de manu mea. (Propter hoc enim uidi faciem tuam, ac ſi uideam faciem potentum) et gratificaberis mihi. Accipe, quæſo, benedictionẽ meã, quæ allata eſt tibi, quoniã largitus eſt mihi Deus, & quia habeo omnis generis bona, et coegit eũ et accepit.

Accipias etiam munus meum.] In Ebræo eſt, רלקחתה, id eſt, & accepiſti, præteritum pro futuro, Et accipies. Monſterus uertit, ut accipias, ne uau ſit ocioſum. Reliqui interpretes tanq̃ ocioſum neglexerunt. LECTIO.

Propter hoc enim uidi faciem tuam.] Ebræus habet כיעל כן ראיתי פניך, id eſt, Quoniam propterea uidi faciem tuam. Vulgata Lat. Sic enim uidi faciem tuam. Et Monſterus: Nam in hunc modum uidi faciem tuam. Illis על כן hoc loco idem eſt atq; ſuper ſic, ad ſic, id eſt, ad hunc modum.

Ac ſi uideam faciem potentum.] In Ebræo, כראת פני אלהים, id eſt, ſicut uidere faciem elohim, quod reddi poteſt, quemadmodum uideri ſolet facies elohim. Vocem autem Elohim Septuaginta & uulgata latina uerterunt, Dei. Chaldæus reddidit רברביא, id eſt magnatum, potentum. Vocantur autem elohim potentes ac magnates, non paucis ſcripturæ locis. Pagninus uertit, angelorum. Tigurini retinuerunt uocem Elohim.

Et gratificaberis mihi.] In Ebræo, ותרצני, Vulgata latina, Eſto mihi propitius. Septuag. καὶ εὐδοκήσεις με, id eſt, Beneplacitum mihi facies. Pag. Et complaceas mihi. Monſt. Et bene uoluiſti mihi. Verbũ רצה uoluntatis, placiti, beneuolentiæ, & gratificationis ſignificationem habet. Huic accommodant ſe interpretes, quiſq; ut poteſt.

Quoniam largitus eſt mihi Deus.] In Ebræo, כי חנני אלהים. Vulgata lat. Quam donauit mihi Deus. Sept. ὅτι ἐλέησέ με ὁ θεὸς, id eſt, quoniam miſertus eſt mei Deus. Sic uertit & Monſterus. Pag. Quia donauit mihi Deus. Tigurina, Benignè enim fecit mihi Deus. Quoniam uerbum חנן non ſolum miſerationis & gratiæ, ſed & beneficentiæ quæ ex gratia naſcitur, ſignificationem habet, commodius uiſum eſt uertere, Quoniam largitus eſt mihi Deus, quàm, Quoniam miſertus eſt mei Deus.

Et quia habeo omnis generis bona.] In Ebræo eſt רכי יש לי כל, id eſt, Et quia ſunt mihi omnia. Vulgata Lat. habet, Tribuens omnia. Sept. καὶ ἔστι μοι πάντα, id eſt, Et ſunt mihi omnia. Monſt. Et quia eſt mihi ſatis. Tigurina quoq;, Et ſatis habeo.

Olfaciebat Iacob arrogantiã fratris, etiã antea nõ incognitã. Huic occurrit non pari inſolẽtia, ſed ſub miſſe & inſtãter ſupplicãdo. Nõ poterat ferre muneris ſui repudiũ. Et ſentiebat tergiuerſationẽ hãc fratris argumentũ eſſe animi nondũ ſatis erga ſe placati & ſynceri. Quare ſupplex hominẽ urget, arte utẽs ad uincendũ efficaciſsima. Vbi illa dixerat, Habeo multa, & ſit tuũ q̃d tuũ eſt: cõfeſtim ſupplicãs & obſecrãs, ne quæſo ait. quaſi dicat, obſecro ne reſpuas munus meũ. Si inueni gratiã in oculis tuis, ac ſi dica, quẽmadmodũ apparet, accipias etiã munus meũ de manu mea. Colligit ac ſupplicat ex natura gratiæ ac fautoris. Sẽſus eſt: Si mihi uerè faues, nõ confundes faciem meã, recuſando munus quod miſi. Propter hoc eſt uidi faciẽ tuã, ac ſi uideã faciẽ potentũ. Arbitror iſta habere parentheſim. Rationẽ habẽt miſsi muneris. Et eſt ſenſus: Propterea uolui faciem tuam uidere non uacuis manibus, ſed præmiſſo munere honorario: quemadmodum in facie potentum comparere ſolemus, ut gratiam inuenirem in oculis tuis. Sic enim de te domino meo ſentio. Quare, ſi, quod uolui, gratiam in oculis tuis inueni, etiã hoc ſimul inueni, ut accipias munus de manu mea, & gratificeris mihi. Licet nõ egeas meo munere, ſed habeas multa, & plura etiam q̃ ego, argumentũ tamen fraternæ beneuolentiæ in munere meo nõ ſpernes, ſed q̃d EXPLAN.

miſſum

missum est uel hoc nomine accipies, ut mihi rem gratam facias. Hisce præmissis subiungit: Accipe, quæso, benedictionem meam, quæ allata est tibi. Benedictionem uocat munus honorarium ex beneuolentia profectum: deinde etiam hoc nomine, quòd sumptum esset de bonis ex benedictione Dei acquisitis, ut uocula benedictionis passiua sit significatione posita. Et huic uidetur conuenire sententiæ quod statim subijcitur: Quoniam largitus est mihi Deus, & quia habeo omnis generis bona. Quasi dicat: Quoniam benedixit mihi gratia Dei, sic ut omnis generis bonis abundem, obsecro accipias munus meum uel hoc nomine, quòd sumptum est de benedictione Dei. Hoc pacto supplicando & urgendo uicit hominem alioqui durum & arrogantem. Vnde subiungitur: Et coegit eum, & accepit. Coegit non uiolentia, sed supplicatione irremissa.

OBSER. Obseruandum est principiò, quod Iacob muneris sui repulsam tantopere deprecatur, dicens: Ne quæso, obsecro, si inueni gratiam in oculis tuis accipies etiam munus de manu mea, & gratificaberis mihi. Videmus hoc exemplo etiam sanctis uiris graue esse & inferendum, si cõtemnatur ac repudietur, quod studio conciliandæ amicitiæ largiuntur fratribus, non tam quòd eiusmodi repulsa ignominiæ notam habet, q̃ quòd studio beneuolentiæ declarandæ, & amicitiæ conciliandę refragatur. Videtur enim amicitiã recusare, qui munus amicitiæ symbolum acceptare detrectat. Sic nanq; comparati sunt, qui ex animo cupiam fauent, ut parati sint ad gratificandũ ei, cui beneuolunt, siue id dando fiat, siue ab illis accipiendo.

Deinde, in eo quod dicit: Quoniam propterea uidi faciem tuam, quemadmodum uideri solet facies potentum, considerandum est quæ nam sit ratio, quòd potentum & magnatum facies non uacuis manibus, sed cum muneribus conueniri solet. Causa est uel in ipsis potentibus, uel in inferioribus, uel in utrisq;. Arbitror autem in utrisq;. Sic enim animati sunt potentes, ut cupiant haberi in precio, & demulceantur admodum, ubi gratiam suam ambiri senserint. Inferiores quoq; sic sunt animati, ut gratiam potentum faciant plurimi, illamq; quibus possunt modis ut reuerentia, obseruantia & submissione, ita & munerum oblatione ambiant. Et quoniam per ipsam experientiam notissimum est, muneribus placari ac demulceri posse magnatum animos, obtinuit ista consuetudo ut quibus opus est illorum gratia, ad hanc sibi uiam faciant munerũ largitione. Et hinc esse arbitror, quòd in cultu Dei obtinuerunt oblationes, quibus homines religiosi animi sui gratitudinem erga Deum testari uolunt. Non eget Deus munere nostro, & tamen in lege populo suo præcepit, ne in conspectu suo quisq̃ appareret uacuus. Reuerentem uidelicet & religiosam animi erga se gratitudinem, obseruantiam, ac studium ambiendæ gratię suæ quærit, non munera ipsa, quibus in se nec eget, nec delectatur. Sic puto causam eius quòd inferiores munera dant potentibus, fitam esse in utrisq;, & hinc natam esse etiam in cultu Dei offerendi consuetudinẽ, unde & illud est, quòd qui munera uel Deo uel magnatibus offerunt, optimè secum agi putant, si illa non displicere, sed cum gratia accipi uiderint: contrà admodum contristãtur, si repulsam patiantur. Quã malè Cainum habuerit, quod oblatio ipsius Deo non probabatur, suprà uidimus cap. 4.

Tertiò, nec illud transeundum est, quòd missum fratri munus benedictionem suam uocat, dicens: Accipe, quæso, benedictionem meam, quæ allata est tibi. Et 1. Sam. 25. dicebat Abigail ad Dauidem: Suscipe benedictionem hanc quam attulit ancilla tua tibi Domino meo, & da pueris, qui sequũtur te Domi num meum. Et Dauid 1. Sam. 30. cum de præda mitteret dona senioribus Iuda & proximis suis dicebat, Accipite benedictionem de præda hostium Domini. Et Paulus 2. Cor. 9. eleemosynam destinatam fratribus Hierosolymitanis uocat benedictionem. Pulcherrima sanè uoce ornatur munus liberale, dum benedictio uocatur. Rationem illius arbitror esse diligenti homini considerandam. Meo iudicio, primùm ob id rectè uocaĩ benedictio, quòd sit portio quædã de ijs bonis sumpta quæ per diuinæ nobis benedictionis largitatem prouenerunt. De hac ratione in explanatione memini. Deinde ob id quoq;, quòd eiusmodi munera, quæ libera uoluntate dantur amicis, non dantur simpliciter, sed cum apprecatione omnis generis prosperitatis, propter quam εὐλογίαν rectè ipsum quoq; munus benedictio uocatur. Tertiò accedit & illud, quòd quia benedictio incrementi quoq; & copiæ significatione plerunq; accipitur, præsertim Deo tributa, etiam hoc nomine conuenienter pro munere accipitur, quod fic datur, ut sit nõ infrugiferum, sed quasi inter reliqua bona uice incrementi & multiplicationis. Hæc in præsenti occurrerunt: si quis certiora habet, adferat in medium.

Quartò, de eo quoq; considerandũ est, q̃d dicit: Quoniã largitus est mihi Deus, & qa habeo omnia, nõ simpliciter dicit, Quoniã נתן, id est, dedit, sed quoniã חנן, id est, ex gratia largitus est mihi Deus. Agnosce primùm in bonis tuis gratuitã Dei liberalitatẽ. Deiñ obserua animũ donis Dei sic contentũ, ut putet se habere omnia. Et reuera ubi gratia Dei est largiter tribuens omnia, ibi nihil deest eorũ quæ sunt necessaria. Sic Germanicè dicimus: *Ich hab gott vnd genůg*. Etiamsi sunt in seculo impij, qui plura possideant, non habent tamẽ omnia. Quia præsentibus non sunt contenti, sed per pleonexiam perpetuò appetunt plura, & plus ultrà contendũt. Paulus nõ habebat tantum quantum habet hodie Rom. Pontifex, & tamen dixit: Nihil habentes, & omnia possidentes. & cum hoc Iacobo nostro Phil. ult. Habeo omnia & abundo. Indecorum est filio Dei, de rerum penuria conqueri Nam ea querimonia uergit ad ignominiam patris ipsius, qui cũ diues sit in omnes, suos filios deserere non potest. Quare conuenientissimè factum est à Iacobo, quod se abundè ditatum esse per gratiam Dei, & omnia habere dixit, ubi sensit munificentiam suam contemni à fratre, propterea quòd ille se diuitem & multa habere existimaret, ideoque diceret: Habeo multa, & sit tuũ quod tuum est. Parum de glorificatione munificentiæ Dei cogitat auarus & sordidus, magis ad hoc protendens ut accipiat quàm ut benedictionem suam offerat alijs.

Quintò,

Quintò. Et coegit eum, inquit, & accepit. Considerandum hic est, quodnam sit hoc coactionis genus, quo etiam inferior superiorem & infirmior potentiorem cogere potest. uiolentia nihil effecisset Iacob, uerùm quoniam instabat obsecrando, idq; non ut daret aliquid Esau, sed ut acciperet, uicit reluctantem. Magna uis est eorum qui instanter supplicant & obsecrant, præsertim ubi non sibi, sed alijs ad dandum non ad accipiendũ parati, prodesse cupiunt. Hac ui expugnat Israel impium fratrem Esau, & cùm hominibus tum Deo dominatur.

Et dixit: Proficiscamur & eamus, & ibo ante te.] Illud, Ante te in Ebræo est לנגדך, est coram te. Vulgata latina habet, Gradiamur simul, eroq; socius itineris tui. Non agebat hoc Esau, ut præcederet Iacobum, sed ut uelut à latere duceret. Et hoc erat quod Iacobo uidebatur deprecandũ. Quare subiungit Moses:

Et ait ad eum: Dominus meus nouit, quod pueri sunt teneri & oues atq; boues apud me sunt fœtæ, et impellent eos uno die, & morientur omnes oues. Transeat, quæso, dñs meus ante faciem serui sui, & ego incedam paulatim iuxta gressum profectionis quæ est ante faciem meam, & secundum incessum puerorum, donec ueniam ad Dominũ meum in Seir.] Et oues, inquit, & boues apud me sunt fœtæ. In Ebræo est עלות, id est, ascendentes. Communiter tamen uertunt, fœtas, iuxta gressum profectionis. Ebræus habet לרגל הבולאכה, id est, iuxta pedem operis uel legationis. Pedem posuit pro gressu uel incessu. Opus, secundum sensum quorundam, posuit pro substantia & gregibus opere partis, quemadmodũ & nos Germani hac uoce, arbeit, uti solemus pro eo quod operando acquisiuimus. Verùm quoniam uox ista מלאכה, non solum operis, sed & legationis significationem habet, placuit eorum uersio, qui reddunt, secundum gressum profectionis, id est proficiscentium.

Quoniam comitatum suum offerebat Esau, cuperet autem Iacob ab eo liberari, quoad id posset fieri paucis & citius, ciuili modestia deprecatur, ne se comitetur, & addit rationem satis probabilem. Dominus meus, inquit, nouit quod pueri sunt teneri, & oues atque boues apud me sunt fœtæ. Hoc est: Videt Dominus meus, qualis sit mihi comitatus puerorum & gregum. Pueri sunt, teneriores quàm qui comitatui tuo ex æquo respondere queant. Et oues cum bobus habent inter se fœtas, quæ & ipsæ nos consequi non poterunt. Si impulerint eas serui uno tantum die, periclitabuntur omnes. Argumentum est ab incommoditate & damno ex illa sequuturo. Quod autem pueros dicit esse teneros, intelligendum est de iunioribus, Ioseph uidelicet qui sexennis erat, & ijs qui ante illum proximè ex Leah nati fuerunt. Et ancillarum quoq; filij, immo & Leæ, quos statim initio peperit, quorum primus uix duodecimum impleuerat annum, non erant adhuc satis pares ad ferendos citationis profectioris labores.

Hactenus deprecatus est comitatum fratris. Subiungit petitionem qua obsecrat, ut se præcedat in Seir, detq; sibi copiam paulatim cum suis subsequendi. Transeat, quæso, Dominus meus, inquit, ante faciem serui sui & ego incedã paulatim iuxta gressum profectionis huius quæ est ante facie meam, & secundum incessum puerorum. Quasi dicat: Non licet, ut deseram meos. Cogor itaq; me illis accommodare, & unà proficisci secundum quod illi ferre possunt. Licet autem ex uerbis hisce intelligere, quomodo suos in occursu hoc fratris diuiserit. Seruos cum gregibus & reliqua substãtia ante se præmiserat. De his loquitur, cum dicit, Iuxta gressum profectionis quæ est ante faciem meam, id est quæ me præcedit. Deinde liberos cum uxoribus in posteriori parte profectionis detinuit, & disposuit, secundum diuisionem cuius suprà facta est mentio.

Addit, Donec ueniam ad Dominum meum in Seir. In monte Seir habitabat Esau. Hoc agebat uidelicet Iacob, ut se Esau in toto illo itinere liberũ faceret, nec uspiam hærendo expectaret, sed rectà ad montem Seir rediret, ibiq; se dum tandem cum suis aduentaret, præstolaretur.

Obseruandũ est hoc loco exemplũ boni patrisfamilias ac simul boni pastoris, in eo quod profectio nem suam secundum uires cùm puerorum tum gregum attemperando, rationem eorum habuit, qui ceteris erant teneriores & imbecilliores. Ea demum est ueræ humanitatis discretio, ut ubi in eiusdem negocij, operis, itineris, &c. societate coniuncti sunt homines impares, firmiores & infirmiores, prudentiores & imprudentiores, alacriores & dejectiores, quæ agenda sunt agantur non secundũ firmiorum, prudentiorum, & alacrium uires, sed secundum quod pars infirma, imprudens & dejecta ferre poterit. Crudele est propter firmos perdere infirmos, ubi sic agi potest, ut non perdantur firmi & tamen seruentur infirmi. Nemo adeo uæcors est, ut in corpore suo non habeat rationem pedis infirmi, sed sic ingrediatur, ut attendat magis quid præstare possit pes sanus, quàm ferre pes infirmus. Vbi docẽda est plebs in Ecclesia, prudens sanæ doctrinæ minister accommodabit se magis imbecillo imperitorum captui, quàm exercitatorum intelligentiæ. Vbi increpandi sunt reprobi, magis curabit quomodo parcat infirmis conscientijs, ne calamum quassatum conterat, quàm quomodo reproborum malitiam acriter insectetur. Diligens & fidelis pastor obseruabit in Ecclesia sua, quales habeat auditores, & potissimam ministerij sui curam impendet tenerioribus & infirmioribus. Cognoscet ouiculas suas teneras & fœtas, non solum arietes grandiores ac robustiores. Incedet & ipse paulatim, secundum gressum imbecillio- OBSER.
rum. Non faciet omnia, non dicet omnia, non requiret omnia, quæ & in se sunt licita, & à firmioribus præstari possunt, sed perpetuò spectabit, quid conducat infirmis, nõ ut semper sint infirmi, sed ne incauta seueritate, uel perdantur, uel ab incrementis adolescendi & robore consequendo impediantur.

Et dixit Esau: Constituam, quæso, tecum de populo aliquos qui mecum est. Et ait: Ad quid hoc? Inueniam gratiam in oculis Domini mei.] Volebat Esau saltem aliquos suorum adiungere Iacobo qui illum deducerent, & comitarentur. Siue id bono animo fecerit, ut illi essent uel præsidio & adiumento in itinere uel honori,

siue fecerit malo consilio, ueritus ne aliò declinaret, & expectationem suam eluderet, si prorsus nemine de suis in comitatu illius haberet. Iacob studiosè etiam hoc quicquid erat officij recusat, causatus nõ esse sibi opus eiusmodi comitatu, sed hoc uno se esse contentum, si gratiam inueniat in oculis eius, atq; ita ciuiliter à se fratrem dimittit.

Et reuersus est eo die Esau itinere suo in Seir.] Haud arbitror illum eo die potuisse in suum redire locum, nec hoc dici à Mose, sed id tantum significari, quòd non hæserit apud Iacobũ amplius, sed statim eo die in Seir reuerti cœperit, futurum sperans ut post dies aliquot illuc se consequeretur Iacob.

Et Iacob profectus est in Succoth, & ædificauit sibi domum, gregibusq; suis fecit tuguria, quapropter uocauit nomen loci illius Succoth.] Locus ille Succoth, nomẽ à tugurijs sortitus, inter Manahenaim situs est, & Salem Sichimorum ciuitatem. Præterea est & in Aegypto locus eodem nomine, propterea quòd filij Israel tabernacula ibi primò fixerunt, cum terram illam egrederentur. Apparet autem Iacobum declinasse ab itinere, quo debebat uersus Seir proficisci, secundũ promissionem Esau fratri factam. Argumentum huius est non solum à loco, sed & ex eo, q̃ domum ibi ædificauit, & gregibus suis tabernacula fixit. Quare non immeritò quispiam suspicari poterit, noluisse eum fidere uerbis fratris, sed studio commercium & habitationem illius declinasse. Et forsan nõ faciebat hoc præter rationem. Erant ipsi mores hominis nõ incogniti. Timendũ erat, ne ab illo uel per occasionem necaretur, quod olim fuerat minatus, uel captiuus detineretur. Quare diligẽter cauit, ne plusculum iniret cum illo commercij. Ad tempus fuerat emollitus & placatus. Verùm eiusmodi hominum conciliatio desinit in horas, ut mox leui occasione redeant ad ingenium. Sed dices: At promisit illi, uenturum se ad eum in Seir. Dixit enim, Donec ueniam ad Dominum meum in Seir. Quare debebat haud declinare, sed rectà ad illum pergere. Respondeo. Sic faciendum fuisse apparet. Cogitandum tamen est, fieri potuisse, ut cum hoc diceret, sic fuerit animatus, ut uel per proficisci ad fratrem in Seir: postea uerò uel interno instinctu numinis, uel aliunde admonitus, ne id faceret, sententiam mutarit, quale est quod Magis accidit, qui cum ad Herodem reuerti deberent, angeli ca admonitione prohibiti per aliam uiam in regionem suam sunt reuersi. Matth. 2.

Quod autem domum in Succoth ædificasse dicitur, meo iudicio non est intelligendum nisi de qualicunq; mansione, in qua ad tempus cum suis requiesceret, & forsan hybernaret. Non enim animus erat eo loci perpetuò manere. Quare locum illum rectè non uocauit בית, id est domum, sed Succoth, id est, tuguria uel tabernacula, ut ipsa loci appellatione significaret, nolle se ibi manere, nisi ad tempus.

Et uenit Iacob in Shalem ciuitatem Shechem, quæ est in terra Canaan, cum rediisset de Padan Syriæ, & mansit iuxta ciuitatem.] Reipsa apparet, non sic ædificasse eum domum in Succoth ut ibi continuò habitaret, sed ut cum suis ibi aliquandiu requiesceret, cum per gratiam Domini manus Esau euasisset. Quare opportunitatem migrandi nactus, ultrà est profectus, uidelicet ad Shalem ciuitatem Shechem, ad cuius latus tabernacula fixit.

QVAEST. Quærunt autem hoc loco, quodnam fuerit ciuitati isti nomen, Shalem ne uel Sichem. Alij arbitrantur Sichem non Shalem. Shalem putant hic idem esse quod saluus & integer, intelligentes Iacobum saluum & integrum ad ciuitatem Sichem uenisse, idq; uel respectu periculorum in quæ inciderat in reditu, uel restituti ac sanati femoris. Et hi putant Shalem nullam esse aliam quàm Hierusalem, de qua non posit hic præsens locus intelligi. Contrà alij sentiunt ciuitati huic nomen fuisse non Sichem, sed Shalem: nec esse insolitum, uno & eodem nomine duas diuersas uocari ciuitates, id quod & Hieronymus annotat. Posteriori huic sententiæ arbitror ea quæ sequuntur magis quàm priori conuenire.

Et possedit partem agri, ubi tabernaculũ suum extendit, à filijs Hemor patris Sechem pro centum numis. Et erexit ibi altare, ac uocauit illud, Fortis Deus Israel.] Hemor erat princeps ciuitatis Shalẽ. Habebat is filios, à quibus Iacob emit aliquam agri partem, ad hoc cõmodam & sufficientem ut in illa figeret tabernacula sua & altare ædificaret. Neq; enim licebat hoc facere loco alieno. Emit autem pro centũ numis. In Hebræo est, pro centum קשיטה, quod numos aliquit Hebræi uertunt. Chaldæus habet, במאה חרופין, id est pro centum agnis. Sic uerterũt & Sept. & Latinus interpres, & Pagninus. In Arabia uocant קשיטה numũ, ut annotat R. Hachibah. Et Thargum Hierosolym. habet מרגליין, id est numos. Sunc autem מרגליין numi monetæ publicæ, & usualis. Germanicè, gengig, à uoce רגל. Ac uocauit illud, inquit, fortis Deus Israel. Sic est in Hebræo. Pagninus uertit: Et uocauit illud, Deus Deus Israel. Sept. habent: Et inuocauit Deum Israel. Latinus interpres, Et inuocauit super illud fortissimum Deum Israel. Chald. Et coluit super illud coram forti Deo Israel.

Ex eo quod partem agri emit, ibiq; non solum tabernaculà fixit, sed & altare erexit, apparet eum uoluisse ibi aliquandiu habitare, quod & fecit, donec oraculo Dei in Bethel ascendere iuberetur. Quod autem altare uocauit fortem Deum Israelis, argumentum est, uoluisse eum retinere memoriam luctæ angelicæ, in qua consequutus fuerat hoc nominis, ut pro Iacobo Israel uocaretur. Sic uocauit altare, quod cõsecratum uolebat forti suo Deo, fortem Deum Israelis, propterea quòd se de omnibus periculis eripuisset, & in terram Canaan reduxisset.

QVAEST. Act. 7. Nascitur hic quæstio, meo iudicio, haud facile extricabilis. Si quæ hic de possessione agri dicuntur eius partem Iacob à filijs Hemor patris Sechem centum sibi numis comparauit, ad ea conferas, quæ Stephanus in Actis cap. 7 inter cætera recitat, planè sunt diuersa. Sic enim illic legitur: Et descendit Iacob in Aegyptũ, & defunctus est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sichem, & positi in sepulchro, quod emit Abraham precio argẽti à filijs Emor, filij Sichem. Hæc ibi. Nusquam autem in scripturis legimus Abraha-

A Abrahamum emisse agrum in Sichem à filijs Hemor, sed suprà cap. 23. speluncam duplicem cum agro ad sepulturam ab Ephrone Hethæo iuxta Hebron emisse memoratur. Deinde nec Abrahã, nec Iacob, sepulti sunt in Sichem, sed in Hebron. Dicam quid mihi uideatur. Primùm quod dicit, Et translati sunt in Sichem, & positi in sepulchro, non est à Stephano dictũ de Abrahamo, uel Isaaco, uel Iacobo, sed de Iosepho qui locum illum à Iacobo dono accepit, & postea ibi sepultus est Iosue 24. Quod autem in plurali loquitur, Et translati sunt in Sichem, cum de Iosepho tantũ uerum sit, nihil habet insoliti. Sic enim uulgò loqui consueuimus, ut quod uni accidit, de multis illi coniunctis prędicemus. Sic discipuli dicuntur reprehendisse factum Mariæ, cum unguentum effudisset, cum tamen hoc non fecerit nisi Iudas proditor. Sic latrones Christo illusisse memorantur, cum id non in ambobus, sed in uno tantũ uerũ existat.

Deinde, quod dicit, quod emit Abraham precio argenti à filijs Hemor filij Sichem, omnino errorem habet, haud dissimulandum. Hunc arbitror admissum esse non ab ipso Stephano neq; à Luca Euangelista, qui Acta Ap. conscripsit, sed per negligentiam posterorum qui inter describendum pro Iacobo posuerunt Abraham. Cum scribendum esset, Quod emit Iacob precio argenti à filijs Hemor patris Sichẽ, secundũ historiæ præsentis ueritatem, cui contradici nequit, posuit negligens scriptor, Quod emit Abraham precio argenti à filijs Hemor filij Sichem. Atq; ita duas historias Abrahæ & Iacob confudit. Neq; hic tantum accidit iste error, ut nomen aliud ponatur pro alio, sed & Matth. 27. consimili errore pro Zacharia ponitur Hieremias. ubi sic legitur: Tunc impletum est quod dictum est per prophetã Hieremiã: cum legendũ sit, per prophetã Zachariã. qua de re uide Cõment. nostros in Matth. Et errorem hunc posteri partim nõ animaduerterũt, partim animaduersum nõ sunt ausi ad manifestã historiæ ueteris seriem corrigere, sed ad defendendũ illum quod quisq; potuit commentus est. Hieronym. ad Pammachium de Optimo genere Interpretandi quæstionem hanc adducit in mediũ, sed nõ expedit. Alij sentiunt agrũ hunc iuxta Sichem bis fuisse emptum: Primùm ab Abrahamo, statim initio, cum in terram Canaan uenisset: postea uerò, quoniam derelictus ab Abrahamo fuerit, iterum à Iacobo. Verùm isti nõ obseruant quod uix fieri potuerit ut ab ijsdẽ filijs Hemor ager iste potuerit emi, primùm ab Abrahamo, cũ in terrã Canaan uenisset: deinde à Iacobo, cum esset ex Mesopotamia reuersus. Etenim ab aduentu Abrahæ in terrã Canaan usq; ad reditum Iacob ex Mesopotamia intercesserũt anni 182. ut tempus illud taceã, quo Iacob cum suis hæsit in Succoth, priusquã ad ciuitatẽ Sichimorum migrasset. Huc etiam facit quod Hemor pater eorum, quos isti agrum Abrahamo primùm uendidisse putant, tum adhuc in uiuis fuit, cum
B eum emeret Iacob. Si Abraham agrum istum à filijs Hemor huius emit, erat tum Hemor ad minus annorum quadraginta, filios habens, qui agrum Abrahamo uendere possent. atq; ita colligitur fuisse illũ annorum 222. cum agrum hunc emeret Iacob. At ea ætas uix illi seculo conuenit. Alij dicunt Stephanũ ad uulgi opinionem loqui, & non tam ordinem historię quàm causam de qua agebatur, intendere uoluisse, atq; ita duas narrationes commiscuisse. At ne hoc quidem conuenit, ut dum errorem scriptorum negligentia admissum excusamus, sancto martyri S. scripturarum petitissimo hoc demus, quod sciẽter uoluerit ad opinionẽ uulgi magis quàm secundũ scripturarum seriem loqui, & historias omnibus notissimas coram confessu Scribarum & Doctorum legis, hominum inimicissimorum & ad calumniam paratissimorum, perperam citare. Quare arbitror satius esse, ut errorem hunc deputemus scriptoribus, & secundum historiarum ueritatem corrigentes, pro Abraham ponamus Iacob.

CAPVT XXXIIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Dina filia Iacob ad spectandum eius loci mulieres egressa rapitur & stupratur. In ultionem stupratę sororis sæuiunt filij Iacob in omnes habitatores ciuitatis Shalem.

ET *egressa est Dinah filia Leæ quam pepererat Iacobo* (Lat. interpres particulam hanc, Quam pepererat Iacobo, quasi superflua sit, neglexit) *ut uideret filias terræ. Et uidit eam Shechem filius Hemor Hiuei principis terræ illius* (uulg. lat. habet, princeps terræ illius. Et Septuag. q̃q; sic uerterũt. uerũ licet in Heb. sic legi queat perinde ac, Principis terræ illius, probabilius tñ est, patrẽ q̃ filium esse principẽ à Mose uocatũ) *& rapuit eã, dormiuitq; cũ ea, et humiliauit eam* (Lat. interpres habet, ui opprimẽs uirginẽ) *Et adhæsit anima eius Dinæ filiæ Iacob, ac dilexit puellam* (nec hoc est in latina uersione) *& loquutus est ad cor puellæ* (latinus Interp. tristemq;, inquit, deliniuit blandicijs) *Et loquutus est Shechem ad Hemor patrem suum dicens: Accipe mihi puellam hanc in uxorem.* Commemoraturus Moses quid calamitatis acciderit Iacobo ad ciuitatem Shalem habitanti, historiam illius ex ordine exponit quid uidelicet, cui, à quo, & quibus occasionibus, & quàm pernicioſum acciderit. Summa est: Dina filia Iacob stupata est, à Sichem filio Hemor principis eius loci, propter quod stuprum tota ea ciuitas uastata est. Facinoris huius occasionẽ statim ponit initio, cum dicit: Et egressa est Dinah filia Leæ quam pepererat Iacobo (cuius suprà cap. 30. facta est mentio) ut uideret filias terræ, & uidit eam Sichem filius Hemor principis terræ illius. Per occasionem euagationis incidit in Principis filium. Quando domum paternam, & an sæpius, egressa sit, non memorat. Alij sentiunt id factum esse die aliquo solenni, quo filiæ ciuitatis operosius consueuerint ornari, ut mundum muliebrem cerneret, idq; semel tantum. Alij iudicãt eam aliquoties egredi & euagari consueuisse. Illi sic legunt: Et egrediebatur Dinah filia Leæ ut uideret filias terræ. Et uidebat eam Sichem &c. uerùm, cum id non memoretur à Mose, arbitror modestius de moribus puellæ huius esse sentiendum.

Et uidit eam Sichem, inquit, *filius Hemor Hiuei principis terræ illius.*] Stupratoris personã describit, ꝙ non fuerit uulgaris aliquis nebulo, sed filius principis eius loci, id q̃d plurimũ ad exaggerandũ facinus ualet. A

Rapuit eam, inquit, *dormiuitq; cum ea, & humiliauit eam.*] Habent ista descriptionẽ facinoris. In Heb. est ותענה, uid est, & accepit eam. Hinc arbitrant nonnulli nõ esse admissum raptũ, nec uim illatã uirgini, sed totũ hoc esse consensu illius factũ. Quare q̃d sequitur, Et adhæsit anima eius Dinæ filiæ Iacob, ac dilexit puellam, & loquutus est ad cor puellæ, dictũ esse uolunt per proteron hysteron, ac legendũ ad hũc modũ: Et adhæserat anima eius Dinæ filiæ Iacob (intellige, cũ uidisset eam) ac diligere cœperat puellã, loquutusq; fuerat ad cor puellæ: hoc est, persuaserat ei ut sibi cõsentiret, ac tum demũ cum illa dormiuit. Arbitror non esse necessarium, ut libidinẽ Sichem filij principis erga puellã peregrinã excusemus. Neq; leue uerbum est q̃d dicit, Et humiliauit eam: q̃d etiã uerti poterat, Et afflixit eam. quod magis uiolentæ q̃ uoluntariæ stuprationi conuenire uidet. Sic igitur arbitror ista, ꝙ anima eius puellæ adhæsit, illam dilexit, ac blandis uerbis cor illius deliniuit, intelligenda esse ut dicunt, post stuprationẽ facta. Quẽ admodum & illud ꝙ patrẽ de eo appellauit, ut hanc sibi puellam in uxorẽ acciperet, hoc est, despondationẽ illius à Iacobo patre & fratribus eius impetraret. Nõ enim dicit, Da mihi: sed, Accipe mihi puellam hanc in uxorem, ab illis uidelicet, quorum est potestati subiecta. Sed uideamus quæ sint obseruanda.

OBSER. *Et egressa est*, inquit, *Dinah filia Leæ, quam pepererat Iacobo, ut uid. fil. t.*] Videmus etiã sanctis hominibus accidere, ut ipsis siue conscijs siue inscijs faciant eorum liberi, q̃d præter decorum est, & mispat ꝙtatis ac sexus. Siue permiserit hoc Leah mater, siue minus, indecorũ erat uirgini puellæ inter peregrinos uiuẽti, sine arbitris & custodib. pudicitiæ puellaris, & præter necessitatẽ, solo curiositatis instinctu, paternq; domus septa egredi, & uersari in publico. Vt uideret, inquit, filias terræ. At hoc planè curiosum erat. Potest euagatio ista excusari, ne libidinis notam ferat, quandoquidẽ non est egressa ut filios, sed ut filias uideret. A curiositate tamen excusari non poterit, cui uitio plerunq; obnoxius est muliebris sexus. Sic uidemus etiam sanctis hominibus accidere negligentiæ, ut suorum pũdicitiam non satis diligenter custodiant, & liberos eorum haud esse à uitio curiositatis alienos.

Et uidit eam Sichem filius Hemor Hiuei principis terræ illius, & rapuit eam, &c.] Vidit eam, inquit, & rapuit. Erat illa q̃dẽ nõ ad hoc egressa, ut à uiro aliquo uideret ac raperet, sed ut uideret filias terræ illius: uerũ præter animi propositũ accidit, ut à libidinoso adolescente uideret & raperet. Admonemur q̃ sint fint etiã studiosè cauenda, quæ etsi nihil habeant in se mali, malorũ tñ occasionẽ subministrare possunt. Nihil est illiciti, si puella uideat puellas peregrina indigenas. Verũ inde duo sunt malorũ genera timenda. Vnũ, ne uideat, unde ad peccatũ inducat. Neq; eñ hoc tantũ timendũ est puellæ, ne concupiscat, sed B & ne concupiscat ipsa q̃d concupiscere non licet. Alterũ, ne uisa concupiscat, & occasionẽ mali gignat et alijs & sibi, quod huic Dinæ nostræ accidit. Quare non excusant mulierculæ ex eo, ꝙ se non ideo in publico uersari dicunt, ut uideant & concupiscant. Licet enim cum Dinah hoc tantũ nomine egrediant, ut uideant filias terræ, occasionẽ tamẽ obijciunt uiris, ut uideant & concupiscantur. Multo minus excusari possunt, quę in publico sic spectatũ ueniũt, ut interim spectent & ipsę, et hoc se, ꝙ posito comũt & ornant, ut uisæ possint cõcupisci. De eo ꝙ Dinah est à filio principis terræ illius uisa & rapta, quid sit notandum, uide supr. cap. 6. ibi, Et uiderunt filij potentum filias hominum quòd essent pulchræ, &c.

Et adhæsit anima eius Dinæ filiæ Iacob, ac dilexit puellam.] Vide quomodo hic exprimat amoris ingeniũ: Amor erat glutinum, quo anima Sichem conglutinabatur cum Dinah. Et propter hanc congiutinationem fit, ut qui mulierculæ adhæret, unũ corpus cum illa fiat: qui uerò Deo adhæret, unus fit cum illo spiritus. qua de re loquitur Apostolus 1. Cor. 6. Anima amantis magis est ubi amat, quàm ubi animat. Quid est aũt hoc aliud, quàm nõ in se, sed in alio corpore uiuere, & seipsum prorsus abnegare?

Et loquutus est ad cor puellæ.] Sic non sola corporis copia satis est amanti, nisi & cor puellę consentiat, & amanti ex æquo respondeat. Etenim iniucunda societas est, ubi non est cordium consensus. Consensus autem iste non potest ui ulla extorqueri, sed obsequijs est & amicis uerbis conciliandus. Non dicit, Et coegit cor puellæ: sed, Et loquutus est ad cor puellæ. Corpus puellæ uiolenter rapi & humiliari potest, cor autem non nisi uoluntarium ad consensum pertrabitur. Quare prorsus insani sunt, qui uim inferunt mulierculis, & meritò in illos seuerè animaduertitur.

Et loquutus est, inquit, *Sichem ad Hemor patrẽ suum, dicens: Accipe mihi puellam hanc in uxorem.*] Vide, post peractũ stuprũ quærit consensum ad coniugium, ut quod cœpit modis illicitis, licitũ, ideoq; & durabile fieri possit. Quòd puellam hanc cupit habere uxorẽ, deinde à patre petit, ut illam sibi in uxorẽ accipiat, nihil habet in se quod sit illicitum, & non magis laudabile. Nam & coniugium honestum est, & ad patris pertinet autoritatem, ut filijs suis accipiant uxores. Verũ poterat utrum ꝙ hoc honestè facere nõ decrare: deinde ut rapta diutius potiri possis, consensum demum quærere ad coniugium.

Et Iacob audiuit quòd polluisset filiam suam Dinam. [Vulg. lat. habet, Quod cum audisset Iacob.] *Filij aũt eius erant cum gregibus in agro, & tacuit Iacob donec uenirent.*] Quoniam post cõmemorationẽ admissi stupri lectoris animus confestim de patre Dinę ac fratribus illius cogitaturus erat, quonam illi se pacto in hac causa gesserint, statim de illis subijcit Moses. Rumor, inquit, de rapta ac uiolata Dinah ad Iacobum patrem illius peruenit. Fratres uerò aberant in agro, quare tacuit ac dissimulauit donec illi redissent ex
OBSER. agro. Homo senex licet graui dolore propter stupratam filiam torqueretur, noluit tamen aliquid tentare, donec redissent filij. Siue hoc fecerit ex prudentia, siue ex pusillanimitate, nos exemplo illius admonemur,

nemur, cordati hoc esse uiri, ut si quid doloris animo conceperit, haud statim rentet ac faciat, quod doloris suggestu suadetur: sed tantisper sibij ipsi imperet, donec cum cõsilio suorum, uel aliàs bonorum uirorum, quid agendum sit diliberare possit.

Et egressus est Hemor pater Sichem ad Iacobum ad loquendũ cum eo, & filij Iacob uenerunt ex agro, cum audissent & contristati sunt uiri, iratiq; sunt ualde, quòd rem stultam fecisset in Israel, dormiendo cum filia Iacob, quẽ admodum non fiebat.] Illud, Cum audiuissent, sic est in Hebræo positum, ut appareat filios Iacob in agro audisse de uiolatione sororis, siue id factum sit ex indicio domestico, siue aliunde, ideoq; domũ ad patrem properasse. uulgata uerò latina & Septuaginta sic particulam hanc habent, ut uideatur tum demũ eos quid actum esset percepisse, cum ad patrem essent ex agro domũ uelut aliam ob causam reuersi.

Quemadmodum non fiebat. In Hebræo est: Et sic non fit. q.d. quòd rem enormiter stultam qualis nõ solebat fieri, fecisset. Consimilis loquutio habetur suprà cap. 20. in uerbis Abimelech ad Abrahamum.

Et egressus est Hemor, inquit, pater Sichem ad Iacobũ, ad loquendũ cum eo. Egressus est extra ciuitatem, uidelicet in eam agri partem ubi Iacob habitabat. Egressus est autem motus petitione filij, ut Dinã à Iacobo uxorem illi impetraret. Vides exemplum patris in filium plus æquo indulgentioris. Obsequitur uotis illius quẽ duplici nomine, tanquam pater uidelicet, & præterea ut princeps loci illius, propter admissum flagitium punire debebat. Nisi nota fuisset filio patris in se indulgentia, sub potestate ac principatu illius tantum facinus non rentasset. Sic uerum est illud, Blanda patrum segnes, immo reprobos, facit indulgentia natos. Et forsan Hemor iste eundem ludum, cum iunior esset, cum filiabus eius loci luserat, ut fuerit talis illius filius qualis ipse pater olim fuerat. OBSER.

Et filij Iacob uenerunt ex agro cum audissent.] Propter auditam sororis uiolationem & domum redierũt, & contristati iratiq; sunt ualde, non solum cum domum essent reuersi, sed & cum ea de re in agro constituti audissent. Irarum causas subijcit Moses. Quòd rem stultam, inquit, fecisset in Israel. In Ebræo est נבלה, uox, quæ non simpliciter stultam rem, sed fœdam, abominandam ac nephandam significat. Quę illa fuerit, per expositionem subiungitur, dormiendo cum filia Iacob, quemadmodum non fiebat, id est, præter publicum honestatis morem, non legitimè, sed per raptum & constuprationem.

Obseruandũ hic est, quomodo filij Iacob erga sororis uiolationem afficiantur. Contristantur & indignantur uehementer. Et factum hoc Sichem sentiunt esse rem fœdam, nephandam ac detestabilem. Et hoc eos habet pessimè, quòd Nebalah esset facta in Israel, idq; non cum quauis, sed cũ filia ipsius Iacob. Non dicit, Dormiendo cum sorore ipsorũ: sed, Cum filia Iacob. Factum hoc in se nephandum est & detestabile, exaggeratur autem ex circunstantijs, quod perpetratum esset in Israel populum uidelicet Dei, et cum ipsa sanctissimi patriarchæ filia. Si filia in domo patris scortata fuisset, deprehẽsa necabatur, quod Nabalah admisisset in Israel Deut. 22. Quid quæso sentiendum nobis est hodie de sacrosanctis prælaturis ac dignitatibus illorum, qui stupriationes uirginum, & adulteria pro ludo habent, ut deteriora & magis abominanda taceam? Conspurcant non inter ethnicos, sed in Ecclesia Dei: non filias sanctorum hominum, sed filias Dei ac sponsas Christi. Et dum ista faciunt, habentur non pro Nabalim, sed pro uiris religiosis & unctis Domini, quos nemo, nisi forsan osculando, tangere debeat. OBSER.

Nec illid transeundũ est, quod additur, quemadmodũ non fiebat. Amare puellam, & cum ea dormire etiam, nõ est in se nephas, uerùm multũ refert quõ id fiat. Si fiat præter morem publicę honestatis, modo inusitato & illegitimo, nephas est. Quare curandũ est pijs omnibus, ut perpetuò abstineant à modis agendarũ rerum illicitis, & à publica honestate alienis, ne quod legitimè factũ poterat esse, licitum, illegitime factum possit ipsis imputari pro Nabalah, quæ fieri nec liceat, nec consueuerit.

Et loquutus est Hemor cum eis dicens: Anima Sichem filij mei amando adhæret filiæ uestræ: date, quæso, eam illi in uxorem. Inite nobiscũ affinitatem. Filias uestras date nobis, & filias nostras accipite uobis. Et nobiscũ habitabitis, & hæc terra erit corã uobis. Habitate [uulg. lat. habet exercete] *& negociamini in ea, et possidete eam. Et dixit Sichem ad patrẽ eius* [puellæ] *& ad fratres eius: Inueniam gratiã in oculis uestris, & quicquid dixeritis ad me dabo. Augete super me ualde dotem & munus, & dabo illud quemadmodum dicetis ad me, & date mihi puellam in uxorem.*] Ergo uterq; & pater & filius egerunt cum Iacobo & filijs eius, ut darent ipsis Dinam in uxorem. Hæc erat petitio, actionis huius statum habens. Hanc apponunt non nudam, sed sic uestiunt, ut appareat haud esse cõtemnendã. Primùm, quod attinebat stupri perpetrationẽ, quoniã propter hãc uidebat Hemor admodũ indignari filios Iacob, turpitudinẽ illius statim initio prætextu amoris palliat & obtegit dicẽs: Anima Sichem filij mei amando adhæret filiæ uestræ. Debebat dicere: Nebulo iste meus filiam uestrã rapuit & stuprauit. Verùm quemadmodũ ipse facinus hoc dabat amori adolescentis, & hoc nomine extenuabat: ita conabatur & filijs Iacob persuadere, condonandũ esse adolescentis amori tantillum peccatũ. Condonari poterat, quod amabat: quòd uerò ex amoris insania rem turpẽ perpetrauerat, cõdonari non poterat. Licebat enim amanti honestis rationib. petere à suis & puellæ parentib. coniugiũ adamatæ, sine ullo crimine. Quare admodũ culpabiles sunt, q sacrosanctũ illũ affectũ amoris corporibus nostris diuinitus inditũ, uel cõspurcãt ipsi, uel ab alijs cõspurcatũ turpitudini flagitiorũ prætexũt. *Palliatio.*

Date quæso eam illi in uxorem.] Considerandũ hic est, an sit cordati & honesti uiri, hoc nomine petere filio suo uxorem, quòd illam ardẽter amet, ut dicat, Filius meus amat filiã uestram, date eam illi uxorẽ: an nõ conueniat potius dicere, Habetis filiam honestã ac bonis moribus præditam, quæso date illã filio meo uxorem. Deinde, ut petitionẽ suã uestiat & acceptabilẽ reddat, addit: Inite nobiscũ affinitatẽ. Q.d. Ex hoc nostro coniugio, si consenseritis, fiet non solũ inter duas nostras domos, sed & inter gentes ipsas *Arg. ab utilitate*

nostram & uestrã, ista affinitatis societas, siquidem uolueritis, ut uos nostras, & nos uestras filias ducamus in uxores. Sic non uobis tm̃, sed & uniuersæ genti uestræ consuletis. Ex hoc & illud infert, Habitabitis nobiscũ, & terra ista erit corã uobis: hoc est, in potestate uestra. quod exponit per ea quę subijciunt, Habitate, & negociamini in ea, & possidete eam. Hoc nempe est terrã esse in potestate alicuius, potestatẽ habere habitandi ac negociandi in illa, & quantũ fieri potest ex illa emendi ac possidendi. Sic Hemor secundariter prudens utilitatẽ recenset, quæ ex affinitate mutua Iacobo ac domui illius ꝓuenire queat, fieri posse sperans, ut eiusmodi emolumenti respectu q̃d uult obtineat. OBSER. Obseruandũ hic est, q̃ leui momẽto fieri possit, ut diuersæ gentes in unũ populũ conspirent. Etenim licet hic non successerit propositum Hemor ac filij eius, q̃d non caret certa ratione, sæpenumero tm̃ accidit in hoc seculo, ut per affinitatem inter magnates contracta diuersæ gentes coalescat, & ex duabus nationibus unus populus fiat.

Et dixit Sichem ad patrem eius, &c.] Quoniã pater huius nullam fecerat dotis uel munerũ sponsalium mentionem, hanc appendicẽ sermoni illius adiecit, ne quid in hac parte desideret, & ut se peculiariter illis cõmendet. Inueniam, inquit, gratiam in oculis uestris. Hoc est: Placeat uobis persona mea, ut suscipiatis me ad affinitatẽ uestrã, & quicquid dixeritis ad me dabo. Exponit hoc per sequentia: Augete super me ualde dotem & munus. Nõ simpliciter, Poscite dotem & munus: sed, Augete ualde super me dotem ac munus. id est: Grandem mihi dotem, & amplissima sponsalia munera imponite. Quod in Hebrẽo est מהר, uertunt cõmuniter dotem, quamuis Latinis aurib. dos sit, quod marito adferat ab uxore. In scripturis uox ista מהר ponit pro eo q̃d puellæ loco ablatæ uirginitatis dat, sicuti uidere est Exod. 22. Quod subiungit, Et munus, arbitror intelligendũ esse de munerib. sponsalibus: quæ, ut in historia Rebkæ suprà cap. 24. uidere licet in desponsatione & sponsæ, & parentib. unà cum fratribus illius dant. Vide rursus in situationẽ secularẽ, auribus eorũ qui non tam honestatis q̃ augendi sunt peculij studiosi attemperatam.

OBSER. Raptor & stuprator dicit patri ac fratribus uiolatæ uirginis: Inueniam gratiam in oculis uestris, dabo quicquid petieritis, augete dotem & munera, & dabo. Coram hominibus honestatis amantibus, planè nihil ualet eiusmodi cõmendatio, imò magis reddit exosum eum qui nõ solũ facinus admisit, sed & post admissum facinus fauorẽ munerib. emere conat ab illis, quibus ignominiam scelere suo inflixit. Hoc ingenio præditi sunt magnatũ filij, qui ꝓ libidine sua quas possunt uirgines uitiant, ut si quis ipsos in ius uocare uoluerit, pecuniæ patrocinio impunitos se euadere posse sperent. Simul obserua ingeniũ amantium, in eo ꝙ nihil non daturũ se pollicet, modò detur ipsi puella in uxorẽ. Sic solent qui tori rapiuntur affectibus. Verùm ubi amoris uehementia mutat in fastidium, quicquid dandum est pro nimio ac perdito æstimatur: & quæ antea amabatur citra modum, iam æquè immoderatè contemnitur.

Et responderunt filij Iacob Sichem & Hemor patri illius in dolo, dederunt́q; illis uerba, [In Hebr. simpliciter est וידברו id est, Et loquuti sunt. Vulg. lat. habet, sæuientes. Septuaginta, καὶ ἐλάλησαν αὐτοῖς: id est, Et loquuti sunt eis. Monsterus, Apud se loquentes.] *quòd polluisset Dinam sororẽ ipsorũ.* Variè intelligitur hæc particula. Alij sentiunt sic esse intelligendũ: Et acriter expostularunt, quòd polluisset Dinam sororẽ ipsorũ. Et hoc forsan uoluit latinus interpres. Alij sic legũt, Loquutíq; sunt illis in dolo. Sic habet interpres Germanicus, quasi in Hebr. sit וידברו במרמה. Mihi uerosimilius est, uerbũ דבר positũ hic esse absolutè pro eo quod est, alicui uerba dare, quo decipiatur. Illud, Quòd polluisset Dinam sororem ipsorũ, rationem habet, quare in dolo loquuti sint cum Hemor ac filio eius. *Et dixerunt ad eos, Non possumus facere rem istam, ut demus sororẽ nostram uiro habenti præputiũ. Est enim hoc nobis probrosum. In hoc tantũ consentiemus uobis, si fueritis nobis similes, circumcidentes uobis omnẽ masculũ. Tunc dabimus filias nostras uobis, & filias uestras accipiemus nobis, habitabimusq; uobiscũ, & erimus in populũ unum. Si uerò nos non audieritis, ut circumcidamini, auferemus filiam nostram, & abibimus.*] Responsum hoc filij Iacob nec statim, sed præmissa deliberatione: nec suo duntaxat, sed & patris nomine dederunt, unde Dinam iam sororẽ iam filiam suam uocant. Ne putet aũt lector respondisse eos ista seriò, & ex animo, & ut intelligat eorũ factũ de quo mentionẽ est facturus, præmonet Moses quòd ista responderint in dolo, & aliud celantes in corde, aliud ore proferẽtes uerba illis dederint, quo fallerentur. Quæ aũt fuerint illa uerba, statim subiungit, dicens: Et dixerunt ad eos, Non possumus facere rem istam, ut demus sororẽ nostrã uiro habenti præputiũ. Est aũt responsum trimembre. Primò negant se consentire posse ipsorũ petitioni, & assignant rationẽ, eo quòd cum ꝓputiatis fine, ꝓbro affinitatẽ inire nequeant. Non dicunt, Vt demus sororẽ nostrã raptori ac stupratori: sed causam prætexũt, quæ nõ solũ Sichẽ, sed cõmuniter oẽs eius loci incolas cõcernat. Deinde docẽt, quomodo q̃d illi petũt, fieri possit. In hoc tm̃ cõsentiemus uobis, inquiũt, si fueritis nobis similes, circũcidẽtes uobis omnẽ masculũ. Tũc, etc. Astutè nõ dicũt, Si fueris tu Sichẽ nobis similis circũcisus: sed, Si omnẽ masculũ circũcideritis. Dolus huius cõditionis patebit ex sequẽtibus. Tertiò addũt q̃d ipsi facturi sint, si nõ audiant. Auferemus, inquiũt, filiã nostrã, & abibimus. Et hoc astutè. Nõ simpliciter dicũt, Abibimus, q̃d forsan Sichẽ ferre potuisset: sed præmittũt, Auferemus filiã nostrã. Hoc nõ poterat ferre stuprator. Habebat em̃. Dinam adhuc domi suæ, quã tam amabat ardẽter, ut nihil posset minus ferre, q̃ illius ablationẽ.

QVAEST. 1. Querendũ uidet hoc loco, quid opus fuerit filijs Iacob, ut ista non uerè & ex animo, sed in dolo proponerent Hemori & filio eius Sichem. Videt enim cõditio ista nihil habere inhonesti: deinde pulchrè factura ad quietius obtinendũ uitæ genus. Respondendũ est, primùm, noluisse eos quicq̃ habere cõmercij cũ illis, quib. ꝓpter stuprũ sororis erant admodũ infensi. Et hæc ratio exprimit in litera, ubi dicit: Et responderunt filij Iacob in dolo, dederunt́q; illis uerba, ꝙ polluisset Dinã sororẽ ipsorũ. Deinde, nõ licebat etiã ad hunc modũ cõmisceri cum gẽte nõ modò aliena ab Israele, sed & olim de terra illa perdenda. Tertiò quærebant etiã occasionẽ ultionis in eam ciuitatẽ exercẽdæ. Quare nõ potuerũt ista ueraciter & ex ani

A mo, ꝓponere. Inde tñ nõ est nobis sumendũ exemplũ q̃d imitemur, licet disputare de eo nolim, sit ne do
lus iste culpabilis, uel secus. Deinde, qñ nulla fit hic Iacobi mẽtio, sed agunt ista per illius filios, quęri
poterit, respõderint ne ad hunc modũ suopte cõsilio, uel patre etiã cõscio et cõsentiente. Respondendũ ar
bitror, fieri potuisse, ut respõderint ista patre nõ ꝓhibẽte, nõ possum dicere, inscio, quia aderat: nec dice-
re possum cõsentiente, quia nõ poterat ꝓbare cõmixtionẽ cũ gente aliena, quæ in speciẽ quæri uidebat:
dolũ uerò quẽ struebant filij, nõ intelligebat, quia ꝓpositũ illorũ ignorabat, de cuius postea effectu ad-
modũ querebat. quare reliquũ est, ut dicã eum nõ ꝓhibuisse, ꝙ speraret forsan Hemor ac filiũ eius ꝓpo-
sitam conditionẽ nõ accepturos, sed potius filiã reddituros. In eo q̃d dicunt: Si uerò nos nõ audieritis,
ut circuncidamini, auferemus filiã nostrã et abibimus. q̃d idẽ est, ac si dicant: Ni feceritis q̃d nos uolumus,
filiã nostrã nõ retinebitis. Interrogo hic, qd si illa adolescẽti ad coniugiũ stuprata cõsensisset? Licuisset ne
Iacobo patri, ac filijs eius talẽ stupratoris & stupratæ cõsensum rescindere, & coniugiũ illorũ ꝓhibere?
Nõ moror hoc loco, qd in cõsistorijs nostrorũ temporũ obtinere possint stuprator cũ stuprata, si ad con
iugiũ maiorib. suis inuitis cõsenserint, sed æquitatis cõsideratione planè licuisset Iacobo filiã suam negare
stupratori, & de domo illius auferre. Concedendũ eñ nõ est, ut patris potestas in filiã scelere infringat:
nec ꝓbari potest, si illicitũ illicito nõ iustificet, sed duplicet. Illicitũ est, stuprare uirginẽ. Hoc illicitũ nõ e-
mendat superinducto ad coniugiũ stupratoris & stupratæ cõsensu, si pater reclamarit, sed magis dupli-
catur. Quare consultissimè cautum est, Exod. 22. ut in huiusmodi casu potestas sit apud patrem puellæ,
uitiatam filiam uitiatori in uxorem dandi uel non dandi. Si dare uoluerit, ut stuprator eam habere co-
gatur: si noluerit, ut dotem det, qualis uirginib. dari solet. *Et placuerũt uerba eorũ in oculis Hemor, & in*
oculis Sichẽ filij Hemor, & nõ distulit iuuenis facere rem hanc, quia affectabat filiã Iacob, & ipse honoratior erat
omnib. qui erant in domo patris ipsius.] Tria dicit. Primũ ꝙ placuerit Hemori ac filio eius ꝓposita cõditio.
Secundũ, ꝙ Sichem, quẽ uocat נער .i. puerũ, ꝓperarit ad perficiendũ q̃d erat ꝓpositũ, ꝓpterea ꝙ amaret
Dinã. In Heb. est uerbũ חמד haphetz, ꝙ beneuolẽtię ac fauoris significationẽ habet. Tertiũ, ꝙ iuuenis ille
cæteris fuerit domesticis Hemor honoratior. Quod ob id meminit, ut significet illũ multa impetrare po
tuisse nõ solũ à cognatis, sed & à ciuib. eius loci. Pars ipsi filio, tanq̃ in principatu successori, pars patri in
filio gratificabant. *Et placuerunt uerba eorũ in oculis Hemor, &c.*] Obserua uerbũ Hebr. וייטבו, id est, & OBSER.
bona fuerũt. Deinde & nomina Hemor & Sichem obserua, & rem ipsam quæ ipsis bona uidebat expen
de. Hemor sonat Hebreis asinũ, & Shechem humerũ. Vtriusq; asini & humeri sors est, ut onerib. portan
dis subijciant. Parũ iudicij est asino. Videt illi bonũ, q̃d erat facturũ ad exitiũ. Placuit subire signũ circũci-
B sionis, nõ ꝓpter religionẽ ueri Dei, tanq̃ fœderis illius sacramentũ. Quid eñ princeps asinus cum asello
suo uel curasset uel intellexisset in causa sacramẽti Dei? Bonũ uidebat ad obtinendũ quod caro asselli affe
ctabat. Et hanc ob causam & se et suos circũcisioni subijciẽdos esse iudicat. Vtinã tales Hemorim et Siche
mim nõ inueniant inter eos qui Christianũ nomẽ, ꝓfitent, q̃rũ multi fic uident esse animati, ut uel unius
puellæ uel lucelli gratia circuncisionẽ à Turcis tanq̃ conciliationis mediũ propositã sint accepturi.

Et non distulit iuuenis facere rem hanc, etc.] Vides hoc exemplo amoris ingeniũ, q̃ sit morarũ impatiens, OBSER.
ideoq; ad faciendũ omnia procliuis sit, quæ aliquo pacto ad consecutionẽ rei amatæ conducunt. In hac
carnalis amoris imagine cõsideremus de ingenio spiritualis amoris, erga Christũ sponsum nostrũ decla-
randi, cuius uox est: Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & pater meus diliget eũ, & ad eum uenie
mus, & mansionẽ apud eũ faciemus. *Et ipse honoratior erat om.*] Et tamen raptor ac stuprator uirginũ, OBSER.
Et hodie in domo Dei huiusmodi Sichemim, molles, delicati, & uirginalis pudicitiæ uiolatores, cæteris
omnibus sunt honoratiores. Sic solent insolescere, quibus plus est præ cæteris prærogatiuæ.

Et uenit Hemor et Sichem filius eius ad portã ciuitatis ipsorũ, & loquuti sunt ad uiros ciuitatis ipsorũ, dicẽdo:
Viri illi pacifici sunt nobiscũ. Habitẽt in terra, et negocietur in ea. Et terra ipsa, ecce lata est ꝓ manibus corã eis. (Vul.
lat. addit, Et cultorib. eget.) *Filias earũ accipiemus nobis in uxores, & filias nostras dabimus eis. Verũ in hoc tan*
tum cõsentient uiri, ut habitẽt nobiscũ, sintq; unus populus, (Vulg. lat. pro his omnib. habet, Vnũ est quo differt
tantũ bonũ.) *Si circũcidamus nobis omnẽ masculũ, sicut ipsi sunt circũcisi. Pecora illorũ, & possessio illorũ, & om*
nia iumẽta eorũ, an nõ erũt nostra, modò cõsentiamus ipsis, ut habitẽt nobiscũ? Et audierũt Hemorẽ ac Sichẽ filiũ
eius cuncti qui egrediebantur portã ciuitatis eius. (Vulg. lat. Assensi sunt omnes.) *& circũcisus est omnis mascu*
lus, quicũq; egrediebatur portã ciuitatis suæ.] Describit hic Moses, quib. modis Hemor & Sichem propositã
ab Israelitis conditionẽ in effectũ perduxerint. Quoniã nõ hoc tm requirebat, ut ipsi cũ suis domesticis,
sed ut in uniuersum ciues omnes circuncideren̄t, opus erat, ut causa hæc, quoniã catholica erat, collectis
in unũ ciuib. proponeret. Quare collegerũt eos loco cõsueto, in porta uidelicet, pro more patriæ, ubi &
reliquæ causæ publicæ tranfigi solebãt. Hac de re loquit Moses, cũ dicit: Et uenit Hemor & Sichem filius
eius ad portã ciuitatis ipsorũ. Hoc est, Et transtulit Hemor & Sichem causam hanc ad conciliũ ciuiũ, q̃s
cõuocarant ad portã ciuitatis. Venire ad portã, est causam agendã deferre ad iudiciũ ciuiũ. *Et loquuti* OBSER.
sunt ad uiros ciu. ipsi.] Exposuerũt causam in cõcilio ciuiũ. Apparet principẽ hunc ciuilẽ gubernãdi seruas-
se morẽ, Tyrãnus nec collegisset ciues, nec causam suã ad illorũ cognitionẽ detulisset, sed meris mãdatis
omnia extorsisset. ad quẽ modũ Ro. pontifices dñant in ecclesia, ac dicũt etiã palàm: Vbi est maioritas, ibi
est mãdandi autoritas. *Viri illi pacif. sunt nob.*] Apparet orationẽ hanc esse simplicẽ & rudẽ, uerũ si diligenter inspicias, admodum est artificiosè proposito accõmodata. Ordiunt à cõmendatione personarũ,
quarũ se uolũtati & gratiæ attẽperabant. Erant illi homines peregrini & aduẽtitij. Quoniã is respectus
parũ habebat existimationis, nõ dicũt, Peregrini isti: sed, Viri isti. Deinde, quoniã peregrinis nõ est teme
rè aperiendum ostium ciuium, quando ignoratur quales sint, pacifici ne uel secus, addunt: Pacifici sunt

nobiscum. Q.d. Licet sint homines peregrini, sunt tñ nobiscũ pacifici. Neminẽ lædunt, nec quicquã incõmodant publico. Admonemur, etiam ethnicis hominib. tantũ esse iudicij, ut peregrinos, si sint pacifici, in dicent nõ esse auersandos. Et reuera meritò sunt amplexandi pacifici, per quos pax & tranquillitas pu blica non lædit. Tertiò, quoniam suasuri erant, ut retinerent in terra, ꝓpter utilitatẽ connectus & con iunctionis illorũ, præmittunt hac de re suam sententiã, dicentes: Habitẽt in terra, & negocient in ea. q.d. Sic sentimus, concedendũ illis esse, ut nobiscũ terram hanc incolant, inq; illa negocient. Nõ loquunt aũt de negociationibus mercatorũ, quib. Israelitæ nõ erant dediti, sed de pastura pecudum & agricultura. Quartò subijciunt occupationem, dicentes: Et terra ipsa, ecce lata est spacijs coram eis. Præuertunt, q̃d cogitari poterat: Ergo ne terram occupabunt, unde nobis est uiuendũ? Ampla est & spacioſa, inquiunt, terra nostra, ut & nos & illos abundè satis possit commodè capere & alere. Quiutò adhuc urgentio ra adijciunt argumenta, uidelicet utilitatis. Filias eorum, inquiunt, accipiemus nobis in uxores, & filias nostras dabimus ipsis. Magna est utilitas, si copia datur filias & filios honestè ac liberaliter elocan di. Diuites sunt, inquiunt. Possumus liberis nostris ipsorum consortio & affinitate præclarè consulere. Et hic attexunt conditionem, quam Israelitæ callidè proposuerant. Verùm in hoc tantum consentient uiri, ut habitent nobiscum, fintq; unus populus, si circuncidamus nobis omnem masculum, sicut ipsi sunt circunciſi. Qñ autem dura uidebaī hæc cõditio, statim subijciunt: Pecora illorum, & possessio eorum, et omnia iumenta eorum, an nõ erũt nostra? Loquebanī de quotidianis cõmercijs, deinde & de bonis quæ per affinitatem illorũ transire poterant ad eius loci indigenas. Obserua hic astutiam Hemor & Sichem. Totam orationem accõmodarunt ad argumenta publicum concernentia, quasi q̃d agebant studio iuandę reip. agerent. De sua ipsorũ causa, quam reipsa agebant, ne uerbo quidem meminerunt. Sic solent astuti homines, quoties publico cõsensu opus est, ut priuatos suos affectus expediant. Hactenus exposita est oratio Hemor & Sichem filij eius, iam subijcit de illius effectu. Populus ciuitatis stolidus & instar pecorũ ad uota principis sui mancipatus, cõsentit, ꝓpositis, & circumcisionem amplectit. Et audierunt, inquit, Hemorem ac Sichem filium eius, cuncti qui egrediebanī portam ciuitatis eius (id est, ciues et incolæ. Est periphrasis Hebraica) & circuncisus est omnis masculus, &c. Habes exemplum uulgaris stupiditatis, qua plebs sic est excors, ut sine omni iudicio qualibuscunq; principum suorum uotis acquiescat. Nemo hic est qui de ritu circuncisionis instrui cupiat, quænam sit illius religio. Satis est, obsequi principi. Si ab hac stupiditate alienus fuisset populus Christianorum, tantum errorum, superstitionum & impietatum in Ecclesiam introduci nequiuisset.

OBSER.

Et factũ est die tertio, eum essent illi dolore affecti, arripuerũt duo filij Iacob Shimeon & Leui fratres Dinæ sũ quisq; gladiũ, & ciuitatẽ fidenter ingressi occiderũt omnes masculos. Et Hemorẽ quoq; & Sichem filiũ eius occide runt in ore gladij, & abrepta Dinah è domo Sichem exiuerunt. Filij Iacob uenerũt super occisos, ac diripuerũt ci uitatẽ ꝙ pollu ssent sororẽ ipsorũ. Oues illorũ, et boues illorũ, ac asinos eorũ, & quicquid erat in ciuitate quicquid in agro, diripuerũt. [Vulg. lat. pro Diripuerunt, habet Vastantes. Est autem in Heb. לשׁסו i. acceperunt.] *Et cunctã substantiã eorũ, & omnes paruulos eorũ, & uxores eorũ captiuarũt ac diripuerũt, ac quicquid erat in domibus.*] In Heb. est בבית, id est, in domo. Vulg. lat. particulam hanc omisit. Ex hoc facto filiorũ Iacob declaraī illud quod suprà à Mose dictũ est, loquutos esse eos in dolo, ac uerba dedisse Hemori ac filio eius. Quo consilio, & quàm dolosè proposuerint illis hanc conditionẽ, ut si cõiungi sibi uellent, cunctos ciuitatis suæ masculos circuncideret, ex eo paruit, ꝙ tertio die super circuncisos irruerũt, cũ dolor esset usqueadeò grauis ex uulnere circuncisorũ præputiorũ, ut uix ferendo doloris sensui nedum tuendæ con tra armatos uitæ suæ pares essent, atq; ita cunctos occiderũt, occisorumq; uxores, puellas, paruulos, gre ges, armẽta, asinos, ac cunctas facultates intra & extra ciuitatẽ diripuerunt. De eo cur dolor ex uulnere circuncisionis fuerit tertio die intensior, uiderint Physici. Experti erant hoc Israelitæ ex usu circuncisionis. Nec arbitror inquirendũ esse quare hi duo fratres tm̃, Shimeon & Leui facinus hoc sint præ cæteris aggressi. Ruben erat illis senior, Iehudah iunior, & ipsi fratres Dinæ ex Leah, quemadmodũ & Issaschar & Zebulum. Et tñ ex isto numero filiorũ Leæ duo tm̃ ultionem hanc cruentã in Hemor & Sichem ac ciues illorum exercuerunt. Vides ne fratrib. quidem in eadem causa, communiter ad ipsos pertinente, eundem esse zelum. Duo isti reliquis fuerunt uehementiores, ideoq; & audentiores ad sumendum ultionem de Sichem sororis stupratore. Quòd autem & cæteri postea irruerunt ad prædandum ciuitatem, pulchrè declarat, quàm facilè fiat ut per eos qui sunt uehementiores, excitenī tepidiores ac remissiores, & quæ sit uis exempli inter cognatos & in eadem causa editi. Deinde ꝙ ex bonis & facultatib. occisorũ nihil rapuerunt Shimeon & Leui, nisi solam Dinam ex ædib. Sichem: rapuerunt uerò reliqui illorum fratres, qui cædis participes esse noluerant, argumento est, minùs esse cupiditatis bonorũ alienorũ, ubi plus est zeli contra flagitia: rursus, ubi minus zeli est aduersum flagitia, ibi plus esse cupiditatis ad bona aliorum diripienda. Shimeon & Leui qui cædem hanc perpetrarunt, haudquaquam facultatib. alienis inhiabant, sed hoc unum agebant, ut stuprationem sororis ulciscerenī, & hanc è domo Sichem auferrent.

QVAEST. 1.

Nascunī aũt hoc loco 2. quæst. Primò quæriī q̃modo tam forte & grande facinus Shimeon et Leuinõ solũ ausi sint, sed & perficere potuerint. Videī em̃ admodũ fuisse temerariũ, duos homines peregrinos et aduenas totius ciuitatis mares inuadere gladio. Deinde nõ satis credibile uideī, fieri potuisse, ut duo pueri tantã ciuiũ stragẽ ederent. Erant em̃ cum Iacob Mesopotamiã egredereī annos nati circiter 12 unus, undecim alter. Ad id ꝙ duo tm̃ hoc facinus aggressi legunī, respondeī à nonnullis, nõ fuisse eos solos, sed habuisse secum seruos & uernas domus paternæ: nominatos aũt esse solos à Mose, ꝙ ipsi fuerint cædis huius

A dis huius autores. Verũ quicquid hoc sit, mihi in hac strage parum fuisse difficultatis uidetur, ubi ne uni quidem irruenti hosti propter grauissimũ desecti prępurij dolorem, uniuersa masculorũ uirtus resistere potuisset. Nisi forsan à mulierculis quisquam duobus armatis hostibus & atrociter sæuientib. resisti potuisse putauerit. Illud credibile est, oborto in ciuitate clamore fuisse à nonnullis mulierculis æditũ & cubiculorum fores obseratas. Verũ quid effecisset muliebris conatus, ubi flagellum Domini per solos duos licet homines, ineuitabiliter tamen grassabatur? Quod ætatem duorum istorum Shimeon & Leui attinet, tam erant illi adulti ac uirili robore prædíti, q̃ Dinah ad subeundam coniugij copulam matura. Cũ egrederet Iacob ex Mesopotamia, erat illa annorũ plus minus septẽ uel octo. Hic uerò credibile est, fuisse eam annorum uiginti. Consequit ergo uel hæsisse Iacobum in Succoth annos circiter duodecim, uel non statim fuisse egressam Dinam ad uidendũ mulierculas, cum primũ ad ciuitatẽ hanc Shalem uenissent, sed domi se continuisse, donec nubilis facta curiositate hac muliebri tentaretur. Interea euaserunt fratres illius in uiros, ut non sit putandum quòd pueri undecim & duodecim annorum ultionem hanc cruentam in ciuitatem istam exercuerint.

Deinde quæritur, quid sit de hoc facto filiorum Iacob sentiendũ, sit ne culpabile, uel secus. Apparet esse crudele, propter unius puellæ pollutionẽ tantã exercere ultionẽ: deinde & iniquũ uidetur, propter unius peccatũ pœnas sumere de tota ciuiũ multitudine, quæ nihil peccauerat in puellam: & præterea haud alienum iudicari potest esse à perfidia, propositam confœderationis conditionẽ peruertere in exitiũ, & ad id facinus symbolo fœderis, circuncisione uidelicet, non sine grandi prophanatione abuti. Mea sententia est, non esse nostrũ, de hoc facto filiorũ Iacob ferre sententiã. Haud enim secundũ externã faciẽ considerandũ est, quemadmodũ in foro iudicij humani fieri solet: sed totum relinquendũ iudicio Dei, qui dubio procul hunc illis zelum ad sumendam de reprobis ultionẽ indidit. Ipsa stupratio filiæ Iacob longè grauioris fuit peccati in oculis Dei, q̃ nobis apparet. Voluit insignem hanc ignominiã tam grauj & infigni uindicta punire, ut euidentissimo exemplo monstraret, non fore impunes omnes eos qui cõtumeliam & ignominiam Israeli inferrent, modò corde erga se integro esse perseueraret. Reuera non erat leuis iniuria illata Israeli Stuprator nõ solũ uitiauerat uirginẽ sanctã, sed & uitiatã domi suæ detinebat. Debebat eam restituere patri, ac ueniam precari. Nihil horum fecerunt nec pater nec filius. Quod ciues, mulieres & paruulos attinet, etsi non fuerunt in culpa stuprationis, fuerunt tñ culpabiles, ppter circuncisionis profanationẽ, ut reliquas impietates illorũ ac flagitia taceã, quib. irã Dei aduersum se, puocarũt.

B *Et dixit Iacob ad Shimeon & Leui, Turbastis me, ac fœtere fecistis coram habitatoribus terræ huius, coram Cananæis & coram Pherezæis, & ego modico sum numero, & congregabuntur contra me ac percutient me, deleborq; ego & domus mea.*] Vulg. lat. habet, Quibus perpetratis audacter: quæ in Hebr. non habentur. Habẽt ista corruptionẽ, qua Iacob filios suos Shimeon & Leui, tanquam facinoris huius autores increpare, simulq; declarare uoluit, quid ipsi sit ex eo expectandum periculi. Turbastis me, inquit. Significat sibi factum ipsorum admodum displicere, sic ut ex eo factus sit animo perturbato & confuso. Causas perturbationis huius subiungit. Prima est: Et fœtere fecistis me coram habitatoribus terræ huius. Metaphora est à fœtore putredinis. ad abominationem insignis facinoris. Quemadmodum enim putridi cadaueris uel ulceris fœtorem olfactu corporis ferre non possumus, ita & facinorum enormitatẽ animo auersari ac detestari solemus. Sic fœtent coram honestis hominibus ij qui propter insignia flagitia sunt infames. Verùm reperias, qui usqueadeò sint corde stupido, ut nullius criminis enormitatẽ abominentur: perinde atq; hi, qui non sunt admodum emunctæ naris, nullo q̃ quantumuis grauis fœtoris sensu tanguntur. Qui uiuunt inter flagitiosos, ubi uitia transierunt in mores, omnem turpitudinis sensum paulatim amittunt: quemadmodum qui locis graueolentibus immorantur, nullum fœtorẽ sentiunt. Simul obserua, q̃ non dicit, Fœtere fecistis uos: sed, Fœtere fecistis me. Duplex genus fœtoris huius est. Vnum, q̃d generat nostra ipsorũ culpa, quando nostris ipsorũ flagitijs nomen nostrũ infame reddimus. Alterũ, quod adspirat nobis culpa eorum qui ad nos pertinent. Sic mali mores filiorum parẽtes, discipulorum præceptores, seruorum dominos contemptos reddunt, & exosos. Hoc uidelicet turbabat uirum pium, honesti nominis studiosum. Altera causa est in eo quod subijcit, dicens: Et ego modico sum numero, & congregabuntur contra me, ac percutient me, deleborq; ego & domus mea. Erat cædes ista horrenda, & habebant dubio procul Shalemitæ illi uicinos affines & cognatos, quos credibile est, audita suorum clade, admodum fuisse commotos. Et præterea toti genti uidebat hæc cædes à peregrinis hominibus contra misspat hospitij perpetrata communi manu uindicanda. Et hoc est quod Iacob futurum metuebat. Nos admonemur, non sic esse de promissionibus Dei præsumendum, ut putemus nihil esse periculi, si admittamus quę periculo sunt obnoxia, & ultionem merentur. Habebat Iacob diuinas promissiones de semĩnis sui propagatione ac multiplicatione. Nihilo tamen minus metu percellitur meritæ uastationis propter facinus filiorum. Sẽtiebat non esse tentandum Dominum. Et promissiones Dei esse conditionales. Adesse uidelicet sibi Dominum, si non agat quicquam temerè. Obserua etiã quod dicit, Ego sum modico numero, & congregabuntur aduersum me, & percutient me. Hoc est rationis iudicium, paucis timendum esse periculum exitij, si impetantur à multis. Huic obnoxij redduntur etiam sancti homines, ubi fiduciam diuini auxilij certas ob causas amittunt, qui tamen secus animati sunt, ubi in bona causa fit mam fiduciam in Deum retinent. Vide exemplum Ionathæ, 1. Sam. 14.

OBSER.

Et dixerunt, Debuit ne quasi cum scorto agere cum sorore nostra?] Vulgata latina habet in plurali, Debuerunt. Potest legi: An quasi cum meretrice aget cum sorore nostra? Sic & aliqui uerterunt.

Verbum

Verbum Debuit non est in Hebræo. Sic enim legitur, חמורנה יעשה את אחותנו. Quòd si ה sumatur pro A
חלא, id est, an non, legi poterit: An non ueluti scortum fecit sororem nostram? Sic nos Germanicè dicimus, *Hat er nitt vnser schwester zůr hůren gemacht?*

Non respondent Schimeon & Leui ad uerba patris, sed factum suum iustificant ex admisso scelere, & dignum fuerit tali ultione. At Iacob non sic erat animatus, ut leuiter afficeretur stupratione filiæ, sed odium & irruptionem Chananæorum ac Pherezæorum metuebat, quibus se ad resistendũ cogitabat esse imparem. Verùm illi adhuc erant animo cõmotiore etiam post cædem, quàm ut mentem patris perpenderent.

OBSER. Videmus hoc exemplo, quàm non sit tempestiuum corripere eos uerbis, qui adhuc sunt animo commotiore, ac præ æstu iræ, qua sunt uelut ebrij, rem ipsam, propter quam corripiuntur, inspicere non possunt.

CAPVT XXXV.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Iacob relicta ciuitate Shichem, ascendit Luzam, quæ est Bethel. Ibi moritur Deborah nutrix Ribkæ, apparetq; Deus Iacobo. Cum inde migrasset, Rachel parit Beniamin, & inter pariendum moritur. Ruben commiscetur Bileæ concubinæ patris sui. Recensentur filij Iacob. Iacob uenit ad Isaac patrem suum in Hebron. Moritur Isaac.

ET *dixit Deus ad Iacob, Surge ascende Bethel, & habita ibi, & fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi cũ fugeres à facie Esau fratris tui.*] Quãdo facta sit ista apparitio Dei, licet Moses nõ exprimat, facilè tñ cogitari potest ex præcedentibus. Erat Iacob anxius & perturbatus, timens ne aduersum se cõmuniter insurgerent regiõis illius incolæ. Sic anxio & perculso apparet Dominus, & iubet ut migret aliò. Hoc sensit Latinus interpres, ideoq; uertit: Interea loquutus est Deus ad Iacob. Licet uocula Interea non sit in Hebræo, exprimit tamen tempus & opportunitatem cœlestis huius uisionis. Rursus uidemus, quàm fideliter curam suorũ gerat Dominus, nec deserat anxios, & in metu periculorũ constitutos. Est hoc illi perpetuum, quia naturale, & non accessorium.

OBSER.

Surge, inquit, *& ascende Bethel, &c.*] Nõ simpliciter præcipit ut migret, sed ut ascendat Bethel. Si simpliciter illum migrare iussisset, ob id hoc factum uideri posset, quòd uoluerit eum hoc pacto periculo eximere, ut saluti suæ fuga consuleret, quasi non posset eo illum loco seruare, & cõtra incolas loci tueri. Quare autem uoluerit ut Bethel ascenderet, ibiq; habitaret, declaratur per ea quæ subiungit. Et fac ibi, inquit, altare Deo, qui apparuit tibi cum fugeres à facie Esau fratris tui. Fecerat Iacob uotum eo loco, B
dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in uia, &c. Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, uocabitur Domus Dei, & cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Huius illũ uoti admonet, cum dicit, Et fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi cum fugeres à facie Esau fratris tui. Hanc uidelicet ob causam iubet ut ascendat Bethel, & quod olim uouit adimpleat.

OBSER. Considerandum est hoc loco, quomodo & sanctis hominibus accidat, ut nõ sint satis memores eorum quæ Domino Deo suo aliquando uouerunt. Poterat Iacob cum rediret ex Mesopotamia, effectiq; liberatus ab Esau, rectà contendere ad eum locum, in quo olim cum in Mesopotamiam proficisceretur, uotum hoc fecerat, & quod uouerat implere. Verùm commodum locum ad habitandum nactus hæsit ad Shalem ciuitatem Sichem, donec uiolaretur Dinah, & propter cædem & uastationem eius ciuitatis in discrimine uersaretur, iubereturq; à Deo, ut uoti sui memor Bethel ascenderet, ibiq; habitaret. Simul obserua, quòd non exprobrat illi Deus dicens: Ad quid hic hæsisti? Quare non dudum ascendisti Bethel, memor uoti quod illic uouisti? Dissimulat illius neglectum, parcens perturbato & anxio, & iubet tandem ut surgat & migret in Bethel. Admonemur quàm debeamus parcere turbatis, mœstis & anxijs: & id tantum curare, ut quod faciendum est in præsenti simpliciter admoneamus. Adhuc, non dicit: Quid hoc rei est, quòd tam es anxius? An non promisi tibi quòd tecum esse uelim? An non liberaui te de manibus Laban & Esau? Non improperat illi timorem, nec dicit: Volo ut hic maneas, uisurus quinam sint qui aduersum te insurgant: sed condescendit, & parcit timori illius, quo erat perculsus.

Et dixit Iacob ad domum suam, & ad cunctos qui erant cum ipso: Remouete deos alienos, qui sunt in medio uestri, & mundamini, ac mutate uestimenta uestra: & surgemus ascendemusq; Bethel, ac faciam ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & fuit mecum in itinere per quod ambulaui.] Iussus ascendere Bethel, alloquitur primùm domum suam, & quid faciendum sit instruit. Et dixit Iacob ad domum suam, inquit, & ad cunctos qui erant cum ipso. Distinguit inter domum Iacob, & eos qui ad ipsum aliunde uenerãt, quales credibile est ex Mesopotamia, quemadmodum & è ciuitate Shalem (forsan ex numero fœminarum, quas filij ipsius captiuas duxerant) aliquos ipsi adhæsisse. Et ad cũctos, inquit, qui erant cum ipso.

OBSER. Quamuis discrimen esset ordinum domus ipsius, pertinerẽtq; ad ipsum alij alijs propius & familiarius: in causa Dei tamen indiscriminatim conuocat, alloquitur & instruit omnes qui erant cum ipso. Admonemur hoc exemplo, in causa religionis rationem habendam esse communiter omnium, nec quenquam excludendum, nisi suopte utrio reddat se gratia Dei indignum.

Remouete deos alienos [sic uocat idola alienorum deorum] *qui sunt in medio uestri, & mundamini, ac mutate uestimenta uestra, &c.*] Vult ut se cultui Dei conuenienter ac decenter accommodent. Sunt autem
OBSER. duæ partes diuini cultus. Vna pertinet ad præparationem, altera ad ipsum actum cultus diuini. Præcedit illa, sequitur ista. Ad præparationem pertinet, ut omnia impedimenta & offensacula abijciamus,

quibus

quibus & Deus offenditur, & animus noster à sinceritate & ueritate cultus Dei impeditur. Huc referendum est, quod Iacob à suis requirit, ut idola deorum alienorum abijciant, sordes lauando tollant, & uestimenta mutent. De idolis nihil est dubij, quin oculos diuinæ maiestatis offendant, ideoq; locum apud eos qui Deum sincera fide colere uolunt, habere nequeant. Quare primo loco præcipit suis Iacob, ut remoueant illa. Rahel forsan adhuc penes se habebat deos patris sui, q̃s fuerat furata cum esset discessura. Deinde, si qui adhæserũt Iacobo ex Mesopotamia, uel etiã è regione illa Canaan, illi q̃q;, ut credibile est, deorum suorum imagunculas assi ruauerant. Et præterea filij Iacob dubio procul cupiditate auri & argenti ducti, abstulerant secum deos ciuitatis quam uastauerant. Atq; ita factũ erat, ut domus Iacob dijs alienis esset polluta, ut haud præter rationem iusserit eos statim & ante omnia remouere. Nos hic admonemur, quàm sit difficile, impuritatem simulacrorũ in uniuersum uitare. Habebat Iacob altare, ubi palàm unum ac uerum Deum colebat & inuocabat, ac dubio procul suos ad colendum illum solum instituebat. Et interea tamen irrepserant in domum illius idola. De ijs quæ furata fuerat Rahel nihil sciuerat, tandem forsan obseruauit hanc domus suæ pollutionem, cum allati per filios suos essent dij uastatæ ciuitatis. Insidiosum est & tenax hoc malum. Deinde admonemur, quàm non possit fieri, ut Deum rite colant, qui idolis sunt polluti, ideoq; cumprimis requiratur, ut illa auferantur. Sic dicebat & Samuel ad populum Dei, 1. Sam. 7. *Si in toto corde uestro reuertimini ad Dominũ, auferte deos alienos de medio uestri, Baalim & Astaroth, & præparate corda uestra Domino, & seruite ei soli.*

Ad præparationem quoq; diuini cultus pertinet quod dicit, Et mundamini, & mutate uestimenta uestra. Qualia fuerint patriarchæ baptismata & purificationes, non legitur. Apparet tamen hoc loco, fuisse consuetudinem patriarchis, ut rem sacram facturi uterentur purificationibus, ac uestes mutarent. Mutatio uestium erat, ut uel ea quæ quotidiana erant indumenta lauarẽtur, uel positis quotidianis alia sumerentur, quæ & pura essent, & sacro ocio magis quàm laboribus quotidianis accõmoda. Hosce ritus non moratur Deus, nec Iacob illis est superstitiose usus, sed populum suum, quem habuit rudem & agrestem huiusmodi præparationibus inducere uoluit, ut animos suos ad ea quæ agenda erant, haud leuiter & neglectim, sed religiose accõmodarent. Nos hic admonemur, animum ad cultum Dei requiri mundum, & à curis terrenis liberum. Lauacrum corporis admonet de ablutione ac purgatione mentis. Mutatio uestium, innuit mutanda esse studia & curas uitæ. Animum sordibus immundorum affectuũ conspurcatum auersatur Dominus, nec amat pectus, quod curis rerum terrenarum onustum, ad colendum se accedit. Nota est parabola Christi seruatoris nostri de eo, qui cum ad nuptias sine ueste nuptiali uenisset, in tenebras est exteriores abiectus. Matth. 22. Videas hodie catholicum esse, ut die sabbati lauentur corpora, sequenti Dominica in cœtum Ecclesiasticũ ueniatur uestibus mutatis. Sed obsecro, quotusquisque est, qui lota ac renouata mente ad sacram concionem accedat? Et sacrificuli Papistæ cum ad missandum accedunt, lauant manus, & mutant uestes: uerùm sicut Christus Pharisæis exprobrat, foris sunt instar parietis dealbati, intus uerò pleni immundicia.

Altera diuini cultus pars est diuini nominis inuocatio, & gratiarum actio. Exercebatur ista ritibus sacris per sacrificia externa, cùm ante legem, tum in lege. Huc faciebant altaria certis locis erecta. Ad hanc partem pertinet quod sequitur: Et surgemus, ascendemusq; Bethel, ac faciam ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & fuit mecum in itinere per quod ambulaui. Altare facere Deo, est locum ad cultum Dei constituere, ut ibi nomen eius conuocata Ecclesia inuocetur, et cum gratiarum actione deprædicetur: quæ sanè inuocatio & gratiarum actio uerus est in conspectu Dei cultus: qua de re uide in Comment. nostris super psalmum 50.

Dederunt itaq; Iacobo omnes deos alienos, qui erant in manib. ipsorũ, et inaures quas habebant in aurib. suis, & abscondit eos Iacob subter quercum, (Vulgata lat. habet, Subter terebinthũ, quemadmodum & Sept.) *quæ erat iuxta Sichem*] Obserua hic obedientiam populi, qui erat cum Iacobo. Authoritatem huius tanti facium, ut ad iussionem eius remouerant à se deos alienos. Crediderim eum fusius illis de cognitione ueri & unius Dei prædicasse, ut quod faciendum erat, non coactè, sed ex animo facerent. Nemo tergiuersatus est, nemo alienos deos defendere conatus, sed simul obedierunt omnes: id quod ex eo patet, quòd nõ simpliciter dicit: Dederunt Iacobo deos alienos: sed, Dederunt Iacobo omnes deos alienos, qui erant in manibus: hoc est, potestate ipsorum, quos penes se habebant. Pulchrè tamen hac est loquutione uanitas illa expressa, qua idololatræ imagunculas deorum suorum superstitiose non solum adorant, sed & osculantur, contrectant, uestiunt & ornant, inq; delicijs perinde habent, atq; uirgines suas puppas. Tales deos parit & habet ethnica superstitio, qui manibus hominum & fiant & uersentur. Verus Deus, inquit Apostolus, Act. 17. non colitur manibus hominum.

Quærendum hic est primò, quare dederint Iacobo deos alienos, cum ille non dixisset, Date mihi: sed, Amouete deos alienos qui sunt in medio uestri. Deinde, quare dederint illi etiam inaures, quas in auribus suis habebant, cũ de illis non esset facta mentio. Tertiò, quare Iacob deos alienos à populo suo acceptos non destruxerit, uel igne consumpserit, sed subter arborem absconderit? QV AEST. 3.

Quòd non ipsi deos alienos à se proiecerunt, uel absconderũt, sed Iacobo dederunt, ex eo factũ esse arbitror, quòd uel ille hoc certas ob causas postea mandarit, uel ipsi ad hanc rem animo essent non satis obfirmato, ut qui recès à cultu deorum alienorum essent auocati, & adhuc fide infirmi. Cum tales essent, accommodauit se Iacob illorum infirmitati, & deos alienos de manibus illorum in suam potestatẽ accepit. Vtinam exemplum hoc sequantur in Ecclesia Christi quotquot sunt imaginum cultores.

Quòd

Quòd non deos tantum,sed & inaures suas Iacobo dederunt,uel ob id est factum,quòd essent consecratæ dijs alienis, ac sub nomine illorum gestarentur, quemadmodum à Christianis nonnullis mortuorum sanctorum insignia gestari solent. Lyranus annotat fuisse inaures istas ornamenta idolorum, quasi ab auribus deorum pependerint. Vel uoluerunt eas dare Iacobo, ut ad cultum Dei sui impenderet:quemadmodum postea à Gedeone Iudicum 8.factum esse legitur.

Quòd subter arborem deos alienos cum inauribus defodit Iacob,& non potius igne consumpsit,arbitror ad hoc esse factum,ut uel parceret infirmitati eorum qui dederant eos, uel caueret,ne regionum illarum gẽtes adhuc amplius aduersum se incitaret,& iritaret.Nam alioqui iudicabat eas plus satis esse cæde ac uastatione Sichemitarum exacerbatas. Fieri tamen potuit,ut defoderet deos istos non integros sed destructos. Quicquid sit,uidetur cautione usus in hac deorum alienorum defossione. Interea tamen notandum est,quòd nihil ex auro & argento deorum alienorum concupiuit,nec in usum suum conuertit,sed omnia simul tanquam acre isto indigna sepeliuit.

Et profecti sunt,& factus est terror Dei super ciuitates quæ erant in circuitu eorum, & nõ sunt filios Iacob insectati.] Latinus interpres,pro filijs Iacob uertit recedentes. Particulam hanc ob id adiecit Moses, ut rationem redderet,quare finitimi populi tam horrendum factum filiorum Iacob multum abire permiserint, præsertim cum ipse Iacob tam anxiè timeret,ne ab illis prorsus cum suis omnib. deleretur. Et profecti sunt,inquit. Si quæras,quomodo hoc permiserint uicinæ ciuitates,subijcit:Et factus est terror Dei super ciuitates quæ erant in circuitu eorum,& non sunt filios Iacob insectati. Incussit illis Deus terrorem,ut non auderent facere,quod aliàs tentassent. Etenim nisi sic fuissent animati, ut cuperent cædem
OBSER. Sichemitarum ulcisci,quorsum attinuisset eos huiusmodi terrore reprimere? Videmus hoc exemplo, quàm uerum sit illud Apostoli: Si Deus pro nobis,quis contra nos? Rom.8. Timebat sibi Iacob à finitimis populis.Verùm sic gessit illius curam Deus,ut ij quos ipse timebat,magis timerẽt sibi ab illo,tam aperte uidelicet,ut aliquid mali aduersus eum machinarentur.Vt hoc innueretur,non dixit Moses simpliciter,Et timuerunt ciuitates:sed,Et factus est terror Dei super ciuitates. Timebat Iacob ne ipse cum paucis domesticis suis à tam multis populis circundaretur & deleretur. Ego,inquit,sum numero exiguo,& congregabunt illi aduersum me,& percutient me,&c.Verùm illi quamuis multi tam erant perterriti per circuitum,ut anxiè timerent sibi singuli,ne ad exempium Sichemitarum delerentur & ipsi. Dubio procul tetigerat conscientias illorum Deus,ac sensu impietatis ipsorum perculsos reddiderat.

Et uenit Luzam,quæ est in terra Chanaan,ipsa est Bethel ipse & omnis populus qui erat cum eo.]Illud,Quę est in terra Chanaan,dictum est ad differentiam alterius Luzæ,quæ cecidit in sortem filiorum Ioseph,ct tertio lapide distat à ciuitate Neapoleos,iuxta Sichem,sicut annotat Hieronymus. De Luza hac suprà facta est mentio,cap.28.quo Moses lectorem mittit,cum dicit,Ipsa est Bethel. Quod dicit, Ipse & omnis populus qui erat cum eo, ad hoc facit, ut intelligamus sic fuisse populos regionum illarum terrore perculsos,ut ne unum quidem hominem comitatui Iacob ausi sint adimere.

Et ædificauit ibi altare,appellauitq; locum illum,Deus Bethel.] Vulgata latina habet,Et appellauit nomẽ loci illius,Domus Dei. Septuaginta sic:*καὶ ἐπάλεσε τὸ ὄνομα τῦ τόπυ βαιθήλ*.id est: Et uocauit nomen loci Bethel. At Moses dicit eum appellasse locum illum אל בית־אל,id est, Deum Bethel. Quanquã sunt qui putant legendum esse,Et inuocauit eo loco Deum Bethel. Verùm Hebræa lectioni huic nõ fauent. Potest etiam sic legi אל בית־אל,id est,Ad Bethel,*zům Gottshauß*.

Quoniam ibi reuelatus fuerat ei Deus,cum fugeret à facie fratris sui.] Duo prędicat hic de Iacobo. Vnum, quòd ædificauerit altare in Luza. Alterum,quòd eum locum uocauerit Deum Bethel. Prius fecit iussus à Deo. Posterius uerò adiecit pro suo more, quo locis aliquo diuinæ gratiæ specimine nobilitatis peculiaria nomina indere solebat. Vocauerat antea hunc locum Bethel. Iàm quoniam iussu Dei illiò ascenderat, aramq; ibi construxerat,ad singularis huius gratiæ monumentum singulariter constituendum uocauit eum אל בית־אל:id est, Deum Bethel. Adijcit rationem,dicens:Quoniã ibi reuelatus fuerat ei Deus, cum fugeret à facie fratris sui. Factum erat hoc cum proficisceretur in Mesopotamiam. Hanc rationem non concepit ipse in animo suo,sed à Deo propositam obedienter est sequutus. Dixerat enim ad ipsum Deus:Surge,ascende Bethel,& habita ibi,& fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi cũ fugeres à facie Esau
OBSER. fratris tui. Obseruandum hic est,quod in Hebræo legitur ad hunc modum:בְּרָחֹ֣ם בָּרְחוֹ֔ אֶל־אֱלֹהִ֖ים:qđ ad uerbum sonat:Quoniam ibi reuelati sunt ei מַלְאֲכֵ֥י יְהוָֽה,id est,angeli Domini. Sentit interpres ille,loqui Mosen de angelis Dei,qui in scalam cœlestẽ ascendere ac descendere uisi fuerant. Iudicauit inconueniens esse,si de unico ac uero Deo plurali dicatur,Quoniam ibi reuelati sunt ei dij. Verùm non intellexit mysterium sacrarum hypostaseon ac מדות,quæ sunt in Deo,quarum respectu per uniuersam scripturã uox אלהים,id est dij, de Deo ponitur. Et quamuis plerunq; addatur illi uel uerbum uel adiectiuũ singularis numeri,uel nomẽ יהוה, ad significandam unicam diuinitatis essentiam,tamen non sine consilio spiritus sancti factum est,ut aliquando etiam pluralis numeri prædicata tam uerba quàm adiectiua nomina ad uocem אלהים etiã ibi adiecta inueniantur,ubi non potest quod dicitur angelis tribui sed necessariò est ad ipsum Deum referendum. Vtpote sup.cap.1.וַיֹּ֣אמֶר אֱלֹהִ֗ים נַעֲשֶׂ֥ה אָדָ֛ם בְּצַלְמֵ֖נוּ כִּדְמוּתֵ֑נוּ.Id est,Et dixit Elohim, Faciamus hominem ad imaginem nostram,& secundum similitudinem nostram. Quædam exemplaria habent בדמיתנו,id est,secundum similitudinem nostram. Verùm inueniuntur etiam ab ipsis Iudæis, cùm scripta tum impressa,quæ habent כדמיתינו, id est, secundum similitudines nostras. Hoc loco uerbum

pluralis

pluralis numeri, Faciamus, & pronomen quoq; pluralis numeri, noſtram, Deo tributũ legimus. Deinde Iehoſua ult. ſic legitur: Non poteris ſeruire Iehouah, quia elohim קדושים, id eſt Dij ſancti, ipſe. Et 2. Sam. 7. Et quis ſicut populus tuus, ſicut Iſrael gens una in terra, propter quem הלכו אלהים, id eſt iuerunt dij, ad redimendum לו ſibi populum. Et Hier. 23. Et peruertiſtis uerba אלהים חיים, id eſt deorum uiuentium. Quare nulla neceſsitas eſt, ut quod hic legitur, Quia reuelati fuerant ei ibi dij, referamus non ad Deum, ſed ad angelos, & myſterium S. Triadis Iudaica cæcitate contemnamus.

Et mortua eſt Deborah nutrix Ribkæ, ac ſepulta eſt ſubter Bethel ſub quercu, & uocauit nomen eius, Quercus fletus.] Chaldæus habet, Ac ſepulta eſt ſubter Bethel, בשיפולי מישרא, id eſt, in campeſtribus planiciei, & uocatum eſt nomen eius, planicies fletus. Sunt qui per אלון intelligant caſtaneam, uel pinum. Moſes, ut aliquid eorum memoret, quæ contigerunt Iacobo per id temporis, quo habitauit in Bethel, mentionem facit duorum, mortis uidelicet Deborę, & apparitionis Dei. De Deborah breuiter meminit, quòd ſit mortua, & ſubter Bethel ſub quercu ſepulta. Meminit aũt huius propter nomen loci, qui tum quoq; cum eſſet Iſrael in terram Canaan introducendus, Quercus fletus appellabatur, ut ſcirent Iſraelitæ nominis huius rationem, admonerenturq; eorum quæ Iacobo patri ipſorum in terra illa contigerunt.

QVAEST. Quærunt hic, quomodo factum ſit, ut Deborah nutrix Ribkæ moreretur in comitatu & domo Iacob, cum non legatur ex Meſopotamia cum illo, ſed cum Ribkah matre ipſius in terram Canaan uenifſe, ſicuti ſuprà 24. uidere licet. Alij aliud adferunt. Chryſoſtomus exiſtimat eam cum Iacobo è domo Laban uenifſe in terram Canaan, ut propter longum tempus Ribkam inuiſeret. Alij putant eam à Ribkah Iacobo in occurſum fuiſſe miſſam, cum ille ex Meſopotamia reuerteretur. Lyranus ſentit eam à Ribkah miſſam in Meſopotamiam cum nuncijs quibuſdam, ad reuocandum Iacobum. Opinio Lyrani non admodum conformis eſt ſcripturæ. Illa ſiquidem ubi de reditu Iacobi mentionẽ facit, meminit non nunciorum Ribkæ, ſed oraculi diuini, cuius authoritate in terram Canaan eſt reuerſus. Quod nonnulli putant Deboram Iacobo eſſe à Ribkah miſſam in occurſum, ualde muliebrem habet opinionem. Ad quid enim mulier uetula, annos circiter 170. nata, Iacobo miſſa fuiſſet obuiam? Reſtat, uerosimilius eſſe, quod Chryſoſt. exiſtimauit uenifſe eam cum Iacobo ex Meſopotamia. Credibile nanq; eſt, poſtquam initio cum Ribkah uenifſet in terram Canaan, ibiq; aliquandiu hæſiſſet, tandem fuiſſe ad domum Bathuelis reuerſam, atq; illic propter affectũ, quo erat animata erga Ribkam, Iacobo adhærere cœpiſſe, & cum illo in terram Canaan, ut Ribkam inuiſeret, reuerti uoluiſſe.

OBSER. B *Et uocauit nomen eius, Quercus fletus.*] Vides humanitatis exemplum. Matris ſuæ nutricem Iacob uſqueadeò magno cum fletu domus ſuæ ſepeliuit, ut locum ſepulturæ illius, Quercum fletus appellare potuerit. Sic, uidelicet, deflerunt homines pij & humani mulierem uetulam ac nullis amplius uſibus humanis accommodam. Vix hodie ad parentum noſtrorum, nedum aliorum proximorum ſepulturas aliquid lachrymarum producimus, hactenus fortiter Stoici. Sed dicis: Atqui Paulus uetat, ne mortuos noſtros deploremus. Reſpondeo: Monet quidem 1. Theſſ. 4. ne propter illos contriſtemur: ſed addit, Sicut cæteri qui ſpem (reſurrectionis uidelicet) non habent. Ergo prohibet non humanitatis affectũ, ſed immodeſtiam ethnicam eorum qui ſuos mortuos prorſus periſſe putant.

Et apparuit Deus Iacobo iterum, cum uenifſet de Padan Syriæ & benedixit eum. Et dixit ei Deus: Nomẽ tuum eſt Iacob, non uocabitur nomen tuum amplius Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Et uocauit nomen eius Iſrael. Et dixit ei Deus: Ego Deus omnipotens. Creſce & multiplicare. Gens & cœtus gentium erunt ex te, ac reges ex lumbis tuis egredientur. Et terrã quam dedi Abrahæ & Iſaac, tibi dabo eam, & ſemini tuo poſt te dabo terram iſtam. Et aſcendit ab illo Deus eo loco quo locutus fuerat ei. Ac poſuit Iacob ſtatuam in loco quo locutus ipſi fuerat, ſtatuam lapideam, libauitq; ſuper eam libamen, & fudit ſuper eam oleum. Et uocauit Iacob nomen loci illius ubi ſecum loquutus fuerat Deus, Bethel.] Illud nomen tuum eſt Iacob, neglexit latinus interpres. Septuaginta reddiderunt ad hunc modum: Nomen tuum Iacob non uocabitur amplius Iacob. Hic omittunt, Nomen tuum. *Gens & cœtus gentium ex te erit*, uulgata latina ſic: Gentes & populi nationum ex te erunt. in Hebræo eſt גוי וקהל גוים. *Dabo terram iſtam.* Omiſit hoc latinus interpres quaſi ſit ſuperuacaneũ. Septuaginta adiecerunt εἰς τὰς γενεὰς αὐτῶν, id eſt in generationes eorum, quod in Hebræo non eſt. *Et aſcendit ab illo Deus eo loco quo locutus fuerat ei.* Vulgata latina ſic, Et receſsit ab eo. Illud, Vbi ſecum locutus fuerat Deus, non reddidit interpres.

Et apparuit Deus Iacobo iterum, inquit, *cum uenifſet de Padan Syriæ.*] Poteſt trifariã intelligi, q; Deũ Iacobo iterum apparuiſſe dicit. Primùm, reſpectu apparitionis quæ facta eſt ad uadum Iabock, ſuprà cap. 32. uel eius quæ facta eſt poſt uaſtationem ciuitatis Sichem, qua de in principio capitis huius meminit. Vel reſpectu uiſionis quæ facta fuerat in Luza, cum proficiſceretur in Meſopotamiã. Vt poſt illam fuerit iſta ſecunda, eodem loco facta, quę mihi ſententia probabilior uidetur. Dicit itaq;: Et apparuit Deus Iacobo iterum. Primùm, cum iret in Meſopotamiam, eo illi loco apparuerat. Secundò ibidem illi apparuit, cum uenifſet ex Meſopotamia. Iuſſerat eum aſcendere in Bethel, ibiq; ſtructo altari commorari.

OBSER. Cum hoc feciſſet iuſsis Dei obediens, iterũ illi apparet, ut in obedientia fidei confirmetur. Plurimum habet ponderis ad confirmandam obedientiam, quando de eo certificamur, quòd Deo placeat noſtra obedientia.

Tria autem repetit ac refricat Deus in hac præſenti apparitione. Nominis mutationem, benedictionem, & terræ promiſsionem. De mutatione nominis ſic dicit: Nomen tuum eſt Iacob, &c. Quaſi dicat, Vocaris Iacob. Verùm poſthac nõ Iacob, ſed Iſrael uocaberis. Et uocauit nomen eius Iſrael, inquit.

Hoc est, confirmauit illi hoc nominis, ut Israel uocaretur. Mutauerat illi nomen ad nudum Iaboc. Verùm eam ille mutationem non admodum curauerat, præsertim cum uideretur insolens hominem uocari Israel, quod sonat dominatorẽ Dei. Quæ de mutatione hac nominis notanda sint, uide suprà cap. 32.

Benedictionem refricat, dicens: Ego Deus omnipotens. Cresce, & multiplicare. Gens & cœtus gentium erunt ex te, ac reges ex lumbis tuis egredientur. Promiserat ista Abrahæ suprà cap. 17. Haud uerò opus est, ut cum R. Shlomone exponamus ad hunc modum: Gens, id est Beniamin. Cœtus gentium, id est, Manasse & Ephraim, qui prodituri erãt ex Ioseph. Ac reges ex lumbis tuis egredientur, id est, Saul & Isboseth, qui nati sunt de tribu Beniamin, qui nondum erat natus. Non loquitur Deus de Beniamin tantum & filijs Ioseph, sed in uniuersum de omnibus filijs Iacob, illorumq; posteris. Nam etiamsi undecim filij Iacob iam fuerant ex illo egressi, nondum tamen euaserant in gentes, nec reges, dum ex illis nati, sed suis demum erant temporibus nascituri, atq; ita ex Iacobo egressuri, quotquot ex filijs illius olim erant prodituri.

Obseruandum hic est, Iudæos omnes esse Goijm, & omnes illorum familias esse familias Goijm. Sic enim in Hebræo legitur: Goi & cœtus Goijm ex te erunt. Negent igitur prodijsse se ex lumbis Iacob, uel confiteantur necesse est esse se Goijm. Quid itaq; est, quod omnes alios populos probrosè uocant Goijm, cum ipsi quoq; testimonio diuini oraculi Goijm sint appellati priusquam nati?

De eo quod dicit, Et reges ex lumbis tuis egredientur, uide suprà cap. 17.

Et terram, inquit, *quam dedi Abrahæ & Isaac, tibi dabo.*] Refricat hisce uerbis promissionem terrã Canaan ante Iacobum aliquoties tam Isaac quàm Abrahæ factam. Obserua hoc genus dandi. Neq; Abraham, neq; Isaac terram hanc possederunt, & tamen dicit: Terrã quam dedi Abrahæ & Isaac. Dedi eam illis promittendo, ac certò destinãdo. Ergo tam sunt certæ promissiones Dei, ut quod promittit, iam datum esse censeri debeat. Sed ea de re & suprà alicubi memini.

Et ascendit ab illo Deus eo loco quo locutus fuerat ei.] Non dicit, Et recessit: quod etiam de homine prædicari potest: sed, Ascendit ab illo Deus, superna uidelicet repetendo, quod hominis esse non potest. Voluit Dominus non simpliciter ab illo discedere, sed sic ascendere in ipsius oculis, ut dubitare non posset, locutum esse sibi Deum, eamq; ob causam non alio, sed eo ipso statim loco ascendit, in quo fuerat illi locutus. Hæc latinus interpres haud animaduertit.

OBSER. Obserua hic diuinæ prouidentiæ diligentiam, qua non solum loquitur mortalibus, sed & conscientias illorum certas reddit, ne dubitent locutum esse sibi Deum. Et hoc facit bifariam. Vel externo aliquo argumento & indicio, sicuti factum est hoc loco, & in monte Sinah, & in tabernaculo, per loca deserti, & Iudicum 13. Vel interno instinctu & sensu, quando uidelicet uel per insomnia uel reuelationes internas hominibus sanctis loquitur.

Ac posuit Iacob statuam in loco, quo locutus ipsi fuerat, &c.] Iacob pro sua diligentia & pietate quemadmodum plurimi faciebat, quod apparuisset loquutusq; esset sibi Deus, ita gratiæ etiam huius ac diuinæ dignationis memoriam tam sibi quàm posteris consecrare studuit. Hoc studio præditus monumentum rei gestæ confestim erexit, idq; non tale quod breui diffiueret ac periret, sed quod firmum diuturnumq; esse posset. Sic erexit lapidem, non quolibet loco, sed eo ipso in quo steterat Deus cum ipsi loqueretur. Erexit hunc ut esset statua, & adiecit consecrationem geminam, libaminis & olei. Oleum ad imitationem, libamen ad sacrificium adhibuit. Deinde & nomen imposuit loco Bethel. Hoc est, renouauit & confirmauit nomen loci, quod illi antea impositum fuerat, propterea quòd Deus illum apparitione sua iam secundò consecrauerat. De consecratione ac nomine loci huius uide suprà cap. 28.

Et profecti sunt de Bethel, eratq; adhuc quasi stadium terræ donec uenias Ephratham.] In Hebræo est ריחי עיד בברת הארץ לבא אפרתה. uoculam בברת diuersimodè accipiũt. Alij simpliciter, alij compositè. Qui simpliciter accipiunt, putant alij reddendum esse, Et erat adhuc multum terræ: uel ut Hebræi quidam annotant, רבוי מהלך, id est multum itineris: alij, & erat adhuc aruum terræ. Quoniam ברר etiam cribrare significat, existimant hic בברת ארץ idem esse quod aruum terræ cultum quasi cribratum. Qui compositè accipiunt, sentiunt literam ב caph esse seruilem, positam pro quasi, & ברת significare prandium, essecq; positum pro itinere à mane usq; ad prandiũ, quod miliare uocatur: ut sit כברת ארץ idem quod quasi milliare terræ. Septuaginta sic uerterunt: ἀπαράσας ἦ Ιακὼβ ἀπ βαιθὴλ, ἔτι ὀλίγος τλὶν σταδίῳ αἰτῆ ἐπέκεινα τῦ πύργυ γαδὲρ. ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤγγισεν εἰς χαφραθὰ, τῦ ἐλθεῖν εἰς γῆν ἐφραθᾶ, id est, Profectus uerò Iacob de Bæthel, fixit tabernaculum suum trans turrim Gader (hæc particula in Hebræo non est hoc loco) factũ autem est, cũ appropinquasset ad Chaphratha, ut ueniret Ephratha. Voculã ברת legerunt בפרתת phe pro beth. Hieronymus sic annotat: Sed melius est si transferatur, In electo tempore terræ, cum introiret Ephratha. Porrò uernum tempus significat, cum in florem cuncta rumpuntur, & anni tempus electum est, uel cum transeuntes per uiam carpunt & eligunt è uicinis agris quodcunq; ad manus uenerit diuersis floribus inuitati. Hæc ille. Apparet eum uocem ברת accepisse pro electione. Significat enim aliquando eligere, ut sit ברבת ארץ idem quod quasi electio terræ, & electio terræ idem quod electum tempus terræ, hoc est, tempus uernum. Et huc respexit interpres latinus, qui reddidit: Venit uerno tempore ad terram quæ ducit Ephratham. Nisi forsan cum Septuaginta pro ברת legit בפרת, & putauit esse idem quod, quasi fructificatio terræ, quæ solet esse tempore uerno. Aquila uertit, Et factum est κατ' ὁδὸν τῆς γῆς, id est secundum uiam terræ. Potest hoc bifariã intelligi. Primũ ut simpliciter dicat hoc accidisse in itinere dum iret Ephrathã. Verũ hic sensus non bene conuenit

uenit cum Hebræo. Deinde, ut ὁδὸς τῆς γῆς, id est, iter terræ, idem sit quod nos Germanicè dicimus, eyn veld wegs quemadmodum uertit & Germanicus interpres. Et hic sensus non admodum abludit ab Hebræo. Huc arbitror respexerunt interpretes Tigurini. Sic enim reddiderunt, Abessentq; iugerũ arui ab Ephratha. Occurrit hæc locutio tertiò in S. scripturis. Hic uidelicet, & infrà cap. 48. (ubi Iacob de præsenti historia filio suo Iosepho narrat & Sep. uerterunt, κατὰ τὸν ἱππόδρομον, id est, quasi cursu equi. Et uocem Hebræam addiderunt χαφραθὰ. Veluti significantes sic eam à se intelligi, quod sit spaciũ cursus equini) & 2. Reg. 5. quo loco R. D. Kimhi exponit חואה מירוץ סוס, id est, quasi miliare. Sic etiam uertit Pagninus. Mihi uidetur simplicius esse, ut sentiamus esse spaciũ itineris non prolixi, sed quod breui confici possit, qualia sunt stadia.

Et peperit Rahel, ac difficultatem passa est in partu suo. Et factum est dum difficulter páreret, dixit ei obstetrix: Ne timeas: Nam & hunc habes filium. Et factum est, cum egrederetur anima eius, moriebatur enim, uocauit nomen eius Benoni, *pater uerò uocauit illum* Beniamin. *Mortua est igitur* Rahel, *ac sepulta in uia* Ephrathæ *quæ est* Bethlehem. *Et statuit Iacob statuã super sepulchrũ eius. Hæc est statua monumenti* Rahel, *usq; ad hunc diem.*] Quare de Bethel discesserit Iacob, non est commemoratum à Mose. Sunt qui putent ob id esse factum, quòd infestationem & irruptionem uicinarum gentium timuerit. Mihi uero similius esse uidetur, uoluisse eum proficisci ad Isaac patrem suum. In hoc itinere accidit, ut Rachel páreret alterum filium suum Beniamin. Hic partus quomodo cesserit Raheli, exponit Moses. Et peperit, inquit, Rahel. Hæc summa est, cuius circunstantias explicat, dum subijcit: Ac difficultatem passa est in partu suo. An hæc illi difficultas acciderit ex molestia itineris, aut aliunde, non est curiosè inuestigandum, quando de causa illius ipse Moses tacet. Ex hac difficultate quid sit factum, consequenter exponitur. Difficultas pariendi, si sit inuincibilis, aut matri, aut fœtui, uel utriq; exitium adferre solet. Hic saluus euasit fœtus, mater uerò de uita est periclitata & mortua. Vtrunq; commemorat Moses. De puero sic: Et factum est dum difficulter páreret, dixit ei obstetrix, Ne timeas: nam & hunc habes filium. Dixit ista obstetrix, cum fœtum ex utero matris saluum sustulisset, ac filium esse cognouisset. De periclitatione matris ad hunc modum: Et factũ est, ut egrederetur anima eius. Moriebatur enim. Item, Mortua est igitur Rahel. Adij cit, quid factum sit utriq;, puero nato, & matri mortuę. Puero inditum est nomen. Vocauit hunc mater Benoni, id est filium doloris mei, nomen compositum ab euentu. Quoniam ex immenso dolore partu ritionis moriebatur, muliebri affectu mota sic filium natum uocare uoluit. Patri non placuit hoc nominis. Alioqui plus satis in memoria hæsurum erat quod acciderat. Ideo confestim appellauit puerum Beniamin, id est, filium dexterę, quo nomine postea constanter est uocatus. Præualebat enim authoritas paterna uoluntati matris, quãtumuis ultimæ, utpote iamiã moriẽtis. Quæ uerò sit ratio nominis huius Beniamin, diuinandum magis arbitror, q̃ certò affirmandum. Alij dicunt Iacobũ respexisse ad constantiam & firmitudinem animi sui, eamq; uocabulo dextræ significare uoluisse. Alij hunc sensum assignant. Pater uocauit illum Beniamin filium dextræ, significans eum fore sibi peculiariter charum ac precioſum, sic ut esset suapte manu curam illius habiturus singularem, gestando, ducẽdo, & audiendo. Q. d. Mea ipsius manu puerum hunc alam & fouebo. Et hæc sententia haud uidetur esse inconueniens affectui Iacobi erga matrem, quem etiam postea erga ipsum infantem declarauit, sicuti uidere est infrà cap. 44. & 45. Potest & hoc cogitari, ut filius dextrę idem sit quod filius dexter: respexeritq; pater ad id quod hic puer moriente matre saluus & incolumis in lucem prodijt, eamq; ob causam dextrum filium quasi dextrè ac fortiter natum uocauerit. Coniecturas in medium adferimus, de quibus iudicent cordati. Mihi sanè uerosimile non est, indidisse Iacobũ puero hoc nomen nulla alia ratione, q̃ ut nomen à matre inditum corrigeret, quemadmodum nonnullis uidetur. Hæc de nato puero. Mortuam matrem sepeliuit. Mortua est Rahel, inquit, & sepulta in uia Ephrathæ, quæ est Bethlehẽ. Quod simpliciter dicit, Et sepulta est, nec ullam luctus mentionem facit: non sic intelligendum est q̃ Iacob uxorem tam dilectã sine domestico luctu sepelierit, sed quod ea de re iudicarit nõ esse necessariò admonendum. Meminit aũt duorum. Quòd uidelicet sepelierit eam in uia Ephrathæ, quæ aliàs Bethlehem uocatur: deinde, statuã sepulchro apposuerit. Admonet ista propter tribus Ephraim, Manasse & Beniamin, quas cũ aliis in terram Canaan ex Aegypto ducebat. Ideo addit: Hæc est statua monumenti Rahel usq; ad hunc diem, ut animos illorum desiderio uidendi maternum monumentum accendat. Sed uideamus obiter, quæ hoc loco consideranda ueniant.

Beniamin.

Quod Rahel ætate iam ingrauescente aliàs infrugifera, uno dempto Iosepho, tam serò post natum Ioseph anno plus minus uigesimo alterum hunc filium peperit, deinde quòd nulla est conceptionis filij huius facta mentio, haud est inquirendum, quandoquidem nihil certi tradi potest. Quare ad alia uidenda pergendum est.

OBSER.

Primùm illud obserua, quòd mulier grauida in itinere existens, necessitate pariendi præter opinionẽ obruitur. Arbitror Iacobum haud adeò fuisse inhumanũ, ut si de tempore partus constitisset, tabernacula sua moturus, & uxorem tam dilectam migrationis molestijs subiecturus fuerit. Vnde, meo iudicio, consequitur incidisse Rahelem præter opinionem in hoc itinere in necessitatem pariendi. Cogita hic, quibus peregrinationis molestijs populus sanctus fuerit obnoxius. Deinde quàm multa etiam sanctis præter opinionẽ eueniant. Præterea, quàm sit hora pręgnãtis mulieris nihil minus quàm in ipsius scientia & potestate, qua sic dispensat Dñs, ut ex improuiso irruat. Sic hora mortis. Sic dies iudicij extremi.

Deinde, quod obstetrix animũ parientis consolatura non dixit, Ne timeas, non morieris, cum tamen

iam morti prorsus esset uicina: sed, Ne timeas. nam & hunc habes filium, argumentū est, timuisse quidem Rahelem, uerùm non tam uitæ suæ quàm fœtui. Dubio procul sentiebat imminere sibi mortem. Quare timebat, ne secum & ipse fœtus in utero periret, si priusquam enixa illum esset moreretur. Hunc fuisse metum Rahelis, ex uerbis obstetricis colligi licet. Eenim ex qualitate consolationis facilè intelligitur, qualis fuerit periclitantis metus.

Tertiò, quòd Rahel natum puerū uocauit Benoni, id est filius doloris mei, de eo nos admonet, quod Euæ dictum est à Deo: In dolore paries filios tuos. Hactenus sumus omnes Benonini, doloris filij: nascimur in dolore, & nostro & materno, quomodo sine dolore uiueremus?

Quartò, in eo quòd Iacob natum puerum uocauit Beniamin, admonentur patres, qua fide infantes eos curare & alere debeant, qui materna cura destituuntur. Reperias qui mortua liberorum matre sic nubant denuò, ut ex germanis patribus fiant liberorum suorum uitrici.

Quintò, & illud considerandum est, quod mortua est Rahel in labore partus. Habent mulieres prægnantes exemplum quo se solentur, si idem ipsis usuueniat. Præclara mors est, qua quod moritur, uiuo germine renouatur. Vbi nihil in morte est quod ad uitam transeat, sed omnia redduntur mortua, id genus mortis sanè omnium est infelicissimum. Habes in Rahele hac & consimiliter parturientibus mulierculis imaginem mortis piorum, qui & ipsi pariendo moriuntur, & moriendo pariūt. Mors hæc, licet corpus enecet, spiritum tamen in lucem uitæ uitæ parit.

Sextò, in eo quòd uxorem mortuam Iacob non abstulit secum, ut eam ad sepulchrum paternum in Mamre trāsferret, ubi sepultræ sunt Leah, & Ribkah, sed in itinere ubi mortua erat sepeliuit: nidemus sanctos homines sic habere curam sepulturæ propriæ, ut tamen etiam alijs locis sepelire suos nō dubitent. Sciunt enim non referre, quod mortuos attinet, quo quis loco sepeliatur: referre autem plurimum, qua fide uiuamus, & moriamur.

Septimò, nec illud transeundum est, quod statuam sepulturæ apposuit. Agnosce factum fidei ac spei, à promissione Dei pendentis. Etenim usus statuæ huius nec Deo erat, nec ipsi, nec mortuæ necessarius, sed seruiebat posteris, terram illam olim possessuris, quorum etiam gratia Moses ista scripsit. Videmus hoc loco, non esse damnandum, si Christianorum sepulchris lapidea monumenta imponantur.

Turris Eder *Et profectus est Israel, ac tendendi tabernaculum suum ultra turrim* Eder.] Turris Eder, idē est quod turris gregis. Sic uertit latinus interpres. Turrim hanc Hieron. mille passibus à Bethlehē distare dicit. Vsus illius ut uerosimile est seruiebat pastoribus, qui in regione illa nocturno tēpore greges suos custodiebāt. Et in Euangelio Lucæ mentio fit pastorum, qui in ea regione greges suos noctu custodiebant, cum in Bethlehem nasceretur Dominus. Quare necesse fuit Iacobo, ut ultra turrim illam tabernacula sua tenderet, loco uacuo, quem greges indigenarum non occupassent. Crediderim hanc turrim pastorum ac gregum tutelę aduersus non modò bestias, sed & latrones ac prædones extructam. Vides imaginem Ecclesiæ, quæ & ipsa turrim habet in qua seruantur pastores pariter ac greges. Ea est nomen Domini, cui sunt cōsecrati. Non fit in scripturis S. mentio turris gregis, nisi hoc loco prope Bethlehē, & Micheæ 4. ubi etiam filia Sion & Hierusalem turris gregis uocatur. Obserua & illud, quod Moses iam incipit Iacobū uocare Israelem. Et profectus est Israel, inquit. Hactenus uocauit eum Iacob. Postq̄ uerò exposuit qūo diuino oracuło denuò fit hoc nomen Iacob in Israel mutatū, cœpit huic sese accommodare.

OBSER. *Et factum est cum habitaret Israel in terra ista, ut abiret Ruben, & dormiret cum Bilehah concubina patris sui, & audiuit Israel.* Vulgata latina habet, Quod illum minimè latuit. Habent Rabini Hebræorum suas nugas, quibus enorme hoc facinus Ruben obtegant, quasi non cognouerit patris sui concubinam carnaliter. Verùm textus manifestus est. Bileah ista fuerat ancilla Rahelis, quam Iacobo dederat in uxorē, prolis acquirendæ gratia, unde & nati sunt Dan & Naphthali. Cum hac dormiuit Reuben primogenitus Iacob post mortem Rahelis. Quare hoc fecerit, non exponitur à Mose, an libidinis impulsu, uel præpostero quodam studio gratificandi matri, quòd forsan Iacob post mortem Rahelis cōcubinæ huic impensius adhæreret. Verùm quicquid sit, nobis ista sunt obseruanda. Primùm, quàm ne sanctorum quidem domus securæ sint à gauioribus & enormibus flagitijs. Deinde quàm pauci sint patriarcharum primogeniti, qui probitatis nomine commendari queant. Cain, Ismael, Esau, & hic Reuben primogeniti fuerunt. Sic solet primus carnis fœtus præ cæteris carnis exprimere corruptionem. Tertiò, quòd noluit Moses flagitium hoc primogeniti Iacob premere silentio, longè aliter animatus, quàm posteri Iudæi. Nobis cogitandum est, non esse præter consilium spiritus sancti factum, quòd non uirtutes tantum, sed & peccata sanctorum in S. scripturis memorantur. Quartò, quod scelus hoc tam paucis uerbis perstrinxit: admonemur, ubi memoranda sunt peccata sanctorum, patrum, & maiorum, ut id fiat modicè & religiosè. Quintò, quòd nihil ex circunstantijs facti adiecit, sed simpliciter rem ipsam meminit. Cogitandum hic est, in tam enormibus & abominandis flagitijs non esse quærendam extenuationem ex circunstantijs. Quacunq; de causa fecerit hoc Ruben, factum extenuari non potest. Concubinam & lectum patris polluit. Sextò, quòd nihil aliud de Israele scribit, quàm quòd audierit, hoc est, ex relatione aliorum cognouerit de hoc scelere filij sui Reuben: argumentū esse uidetur, uirum iam senem tantæ nō fuisse amplius authoritatis in oculis filiorū ac domesticorū suorū, ut in filium tam enormiter peccantē animaduertere posset, ideoq; cōsultò dissimulasse, & ultionem iudicio Dei cōmendasse. Hæc sors est patrumfamilias etiā sanctorū, ubi senio confecti à suis ipsorum pignoribus cōtemnuntur & ludibrio habentur. Etiā hoc cogitari potest, noluisse Iacobū dissimulatione hac cauere, ne spiritū Zeli & amari-

& amaricationis inter filios suos excitaret, si de hoc scelere quicquam cõquereretur. Fieri enim potuit, ut Dan & Naphthali filij Bileæ nihil de illo cognoscerent, sed ad solum esset Iacob de eo relatum.

Et erant filij Iacob duodecim. Filij Leæ, primogenitus Iacob Ruben, & Shimeon, & Leui, & Iehudah, & Issaschar & Zebulun. filij Rahel Ioseph & Beniamin. Et filij Bileæ ancillæ Rahelis Dan & Naphthali. Et filij Zilphæ ancillæ Leæ, Gad & Aser. Hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Padan Syriæ.] Ex præcedentibus historijs Iacob satis manifestum erat, qui nam, & quo numero, denique ex qua quisque matre nati essent illius filij. Quare non immeritò quæsierit quisquã, qua nam de causa Moses catalogum illorũ hoc loco ponere uoluerit. In speciẽ enim apparet eũ prorsus impertinẽter præsentibus narrationibus esse insertũ. Verũ si rectè ac penitius consiliũ Mosis introspicias, deprehendes eum occasione præcedentis historiæ de flagitio Ruben, catalogum hunc filiorum Iacob dissimulanter hoc loco inseruisse, ut admissi facinoris enormitatem per obliquũ perstringeret. Hoc consilio, nõ simpliciter filios Iacob adnumerat, dicens: Et erant duodecim filij Iacob Ruben, Shimeon, Leui, &c. sed sic eos diuidit, ut cuique matri suos adscribat. Et hoc faciens non solum filios Iacob, sed & uxores ac concubinas illius, propter duorum Ruben & Bileæ peccatum recenset. Deinde non simpliciter dicit, Filij Leæ, Ruben & Shimeon, &c. sed, Filij Leæ primogenitus Iacob Ruben. Admodum facit ad exaggerationem facinoris, quòd is qui propter primogenituræ dignitatem cæteris erat præstantior, tam insignem ignominiã paterno lecto inferre non dubitauit. Sic, inquam, facinus hoc exaggerat Moses, uerùm uelut aliud agens & per obliquũ, ne Rubenitas reliquis Israel data opera exosos reddere uideatur. QVAEST.

Illud, Qui nati sunt ei, in Hebræo legit אשר ילד לו, id est, qui natus est ei, ut singulare positum sit pro plurali. Incõmoditas ista est ex punctis. Si sic legerei, אשר ילד לו, sensus esset, quos genuit sibi in Padan Syriæ. Quemadmodum suprà cap. 10. habetur ורעמה ילד את שבא, id est, & Cush genuit Nimrod. sic poterat hic quoque legi, Quos genuit sibi, nisi punctatoribus aliter esset uisum: uel desideratæ litera uaf, ut legendum sit אשר ילדו לו, id est, qui nati sunt ei, sicuti cap. sequenti de filijs Esau legitur.

Potest quidem spectabilis assignari ratio, quare gignendi uocula non pluraliter, sed singulariter, de multis diuersarumque matrum filijs posita sit. Ad hoc uidelicet, ut innueretur generationis huius unitas, quod attinet tam patrem Iacob, communem omnium parentem, quàm seminis promissi electionẽ. Verùm in litera historiæ nescio quomodo magis arrideat narrationis simplicitas, quàm abstrusa & subtilis cogitatio.

Deinde & illud in quæstionẽ uenit, quomodo dicat duodecim istos filios Iacob natos illi esse in Padan Syriæ, cum Beniamin postremus illorum non in Syria, sed in terra Canaan natus sit. Respondeo: Loquitur Moses more communi, quo de societate aliqua generaliter prædicatur, quod etsi non in uniuersum de omnibus, de pluribus tamen ex illis uerè prædicari potest. Vocant hoc loquutionis genus synecdochen. QVAEST.

Et uenit Iacob ad Isaac patrem suum in Mamre, ciuitatem Arba, quæ est Hebron, ubi peregrinatus est Abraham & Isaac.] Tandem reuersus est Iacob ad patrem suum, postquam multis esset complurium annorum tribulationibus exercitatus. Venit autem ad eum in Mamre, inquit. Cum egrederetur de terra Canaan, & in Mesopotamiam proficisceretur, habitabat Isaac in Beersabe. Vnde & egressus Iacob legitur suprà cap. 28. Reuersus inuenit patrem in Hebron. De matre Ribkah nulla fit mentio. Iosephus dicit: Rebeccam Iacob uiuam non reperit. Nec uspiam meminit Moses, quando Isaac relicta Beersabe migrarit in hunc locum Mamre. Suspicor illum uel occasione sepeliendæ Ribkæ transtulisse sedem suam in Hebron, ubi pater ipsius Abraham sepulturam sibi ac posteris suis parauerat (nam ibi sepultam esse Ribkam, infrà cap. 49. patet) uel unà cum illa propterea migrasse in hunc locum, quòd ambo senes essent, mortique uicini, ut ibi uitam suam clauderent, ubi sepulti erant Abraham & Sarah, & ipsi quoque sepeliri uolebant. Et huic opinioni fauere uidetur, quod statim de morte & sepultura Isaac subijcitur. Ergo habitatio Isaac in Hebron nihil erat aliud quàm mortis ac sepulturæ præmeditatio. Seruiat hoc nobis uice exempli, unde admonemur non esse fugienda, sed magis studiosè colenda loca, quæ nos aliqua ratione futuræ mortis, præmeditatione à uanitate mundi huius auocare, & animos nostros ad futuræ uitæ desiderium inducere possunt. De ciuitate autem Hebron, quare ciuitas Arba dicta sit, uide suprà initio cap. 23. OBSER.

Et fuerunt dies Isaac centum anni, & octoginta anni. Et expirans Isaac mortuus est, collectusque ad populos suos senex ac satur dierum, & sepelierunt eum Esau & Iacob filij ipsius.] Quãdiu fuerit Iacob in Hebron apud patrem suum Isaac, priusquam ille moreretur, non meminit Moses. Iosephus dicit Isaacum paulo post reditum Iacob esse mortuum. Illud tamen liquet, cum moreretur Isaac fuisse Iacobum annorum 120. Etenim anno illius sexagesimo natus fuit, sicuti memoratum est suprà cap. 25. Et hic narratur, quòd fuerit Isaac annorum 180. cum moreretur. Si de hoc numero abstuleris annos sexaginta, remanent centum uiginti. Annos uiginti fuit Iacob in Mesopotamia, sicuti suprà memoratum est cap. 31. Ergo reliquis centum annis fuerat tum in terra Canaan, partim ante, partim post peregrinationem Mesopotamiæ. Antè, annis 77. pòst uerò annis 23. Potest hoc colligi ad hunc modum: Ioseph cum eductus è carcere staret in conspectu Pharaonis, annorum erat 30. infrà cap. 41. Post annos nouem denocauit ad se in Aegyptum, Iacobum patrem suum, infrà cap. 45. Hic cum uenisset in Aegyptum, & à Pharaone de ætate sua interrogaretur, respondit, Dies annorum peregrinationis meæ annos habent centum triginta, infrà cap. 47. Erat igitur tum annorum 130. Ioseph natus est in Mesopotamia in fine secundi septennij, cum

Iacob annos quatuordecim ſocero ſuo Laban pro uxoribus ſuis ſeruiſſet. Poſtea ſeruiuit illi adhuc annos ſex, ſuprà cap. 31. quibus finitis egreſſus eſt Meſopotamiã. Ab eo tempore uſq; ad annum 39. Ioſeph, quos erat natus cum Iacob in conſpectu Pharaonis ſtaret, decurrerũt anni 33. Hic erat annos natus 130. ſicuti iam dictum eſt. Ergo anno decimo poſt obitum patris deſcendit in Aegyptum. Adhuc à numero 130. aufer annos 39. quos uixerat Ioſeph, cum uocaret patrem ſuum in Aegyptum, & remanebunt anni 91. Totidem igitur annos natus erat Iacob, cũ naſceretur Ioſeph. De hoc numero tolle annos quatuordecim, quibus ſeruierat pro duabus uxoribus, & reliqui erunt anni 77. Hac ergo ætate erat, cum primũ uenisſet in Meſopotamiam: atq; ita manifeſtum eſt, uixiſſe Iacobum in terra Canaan in domum patris annos circiter 77. priuſquam proficiſceretur in Meſopotamiã, deinde cum poſt annos 20. egreſſus eſſet Meſopotamiam, peregrinatũ fuiſſe in terra Canaan annos 23. antequã eſſet ad Iſaacum patrem ſuum reuerſus, à quo abfuit annos quadraginta tres. Hanc chronologiam propter eos annotare uolui, qui in legendis hiſtorijs cognitionem illius ſtudioſe uenantur. De eo quod dicit, Et expirans mortuus eſt, & quæ ſequuntur, uide ſuprà cap. 25. ubi de morte ac ſepultura Abrahæ conſimilia ſcribuntur.

CAPVT XXXVI.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Exponitur hoc capite, quæ fuerint uxores Eſau, & qui filij: & deinde, quomodo à ſe inuicem diſceſſerint Iacob & Eſau, quiq; fuerint duces generationis Eſau, deinde & generationis Seir.

HAe *ſunt autem generationes Eſau, ipſe eſt Edom.*] Eſau nomen proprium, Edom cognomen eſt à cibo rufo, propter quem primogenita ſua uendidit. Tum temporis autem nomen Edom erat in uſu, à quo Edomitæ poſteri illius nominabantur. Vt admoneret eum qui tum uocabatur Edom, eſſe Eſau fratrem Iacob, ubi dixit: Hæ ſunt generationes Eſau, adiecit, Ipſe eſt Edom: id quod non hic tantum, ſed & alijs locis facit, ut ſuprà, ubi de morte Rahelis ſcribens, mentionem fecit ciuitatis Ephrathæ, ſubiecit, Ipſa eſt Bethlehem. Quæ olim uocata fuit Ephratha, cum iſta ſcriberentur uocabatur Bethlehem.

Quòd autem generationes Eſau recenſere uoluit, arbitror propterea factũ eſſe, quòd Iſraelitæ, quos in terram Canaan ducebat, Edomitas habituri erant & uicinos & æmulos. Voluit illis conſtare eius populi originem & generationes.

Eſau accepit uxores ſuas de filiabus Chanaan: Adam filiã Elon Hethæi, Aholibamam filiã Anah filiam Zibeon Hethæi, & Baſmath filiam Iſmaelis ſororem Nebaioth. Peperit Adah ipſi Eſau Eliphas, & Baſmath peperit Reuhuel, & Aholibamah peperit Ieush & Iaelam & Korah. Hi erant filij Eſau, qui nati ſunt ei in terra Chanaan.] Vulgata latina, pro, Filiam Zibeon, habet in maſculino genere, Filij Sebeon, quemadmodũ & Septuaginta, cum in Hebræo ſit non בת, ſed בן. Monſterus & Pagninus, quemadmodum & Tigurini, uerterunt, Filij Zibeon, quaſi Anah fuerit filia Zibeon, & Moſes hic dicat cuius matris filia fuerit Aholibamah, cum Anah infrà manifeſtè dicatur fuiſſe filius Zibeon. Alij legunt, quemadmodum uerti, Filiã Anah, filiam Zibeon: & ſentiunt Aholibamã hanc non ſolum patri Anę, ſed & auo Zibeon adſcribi, eo ſenſu, quo nepotes auis habentur pro filijs. Habent hic Iudæi ſuas nugas. Dicunt omnes haſce generationes Eſau fuiſſe ſpurias. Sic dicunt Zibeon ingreſſum eſſe ad nurum ſuam, uxorem uidelicet Anę filij ſui, & hinc natam eſſe Aholibamam. Nulla neceſsitate ſic ſentire coguntur. Meo iudicio, Aholibamah fuit filia Anah fratris Zibeon & filij Seir, ſicut infrà uidebimus. Quod autem hic etiã filia Zibeon uocatur, arbitror eſſe factum per adoptionem.

De uxoribus Eſau ſuprà in calce cap. 26. mentio facta eſt. illic nominantur duæ, hic tres. Tertiam, filiam ſcilicet Iſmaelis, duabus prioribus adiecit, cum uidiſſet illas diſplicere in oculis Iſaac patris ſui, ſicuti memoratum eſt ſuprà cap. 28.

Quæ hic uocatur Adah, ſuprà uocatur Baſmath. Et quæ hic nominatur Baſmath, ſuprà cap. 28. nominatur Mahelath. cuius rei euidentia ex parentibus illarum colligi poteſt. Suprà ponitur Elom Hethæus pater Baſmath, hic uerò Adæ. Ergo duo erant unius mulieris nomina, Baſmath & Adah. Deinde hic & ſuprà ponitur Iſmahel pater Baſmath & Mahelath uxoris Eſau. Vocabatur igitur filia Iſmahelis uxor Eſau utroq; nomine Baſmath & Mahelath. Reliquum ergo eſt, Aholibamam, quæ hic dicitur fuiſſe filia Anæ, ſuprà uocatam eſſe Iehudith, & patrem quoq; illius fuiſſe binominem, Beeri uidelicet & Anah. Alioqui, niſi ſic de uxoribus Eſau ſenſerimus, conſequetur habuiſſe illum non tres duntaxat, ſed ſex uxores: duas uidelicet filias Iſmaelis, duas Elon Hethæi, deinde filiam Beeri, & filiã Anæ. cui ſententiæ S. ſcriptura non aſtipulatur. Tres ſoceros habuit Eſau, Elonem, Iſmaelem, & Anam. Tres uxores quoq; illorum filias, Baſmath Adah filiam Elon. Baſmath Mahelath filiam Iſmaelis. Et Aholibamah Iehudith filiam Anæ, aliàs Beeri. Adah, Mahelath & Iehudith, erant cognomina. Adah ornatam, Mahelath infirmam, Iehudith confitentem & laudantem ſignificat. Quibus occaſionibus hęc illis cognomina fuerint impoſita, neceſſarium eſt cognitu, nec certò tradi poteſt.

Quod itaq; dicit, Eſau accepit uxores ſuas de filiabus Chanaan: item, Peperit Adah ipſi Eſau Eliphaz, &c. recapitulatio eſt eorum quæ geſta fuerũt priuſquam moreretur Iſaac, immo priuſquã Iacob reuer-

reuersus esset ex Mesopotamia. De filiabus Canaan, inquit. Intellige de duabus quas duxerat cum annorum esset quadraginta, quarum cap. 26. facta est mentio. Tertia siquidem, non Chanaan, sed Ismaelis erat filia.

Peperit Adah ipsi Esau Elipham, &c.] Recensentur quinque filij Esau, quorum primum peperit Adah, secundum Basmath filia Ismaelis, reliquos tres Aholibamah Iehudith filia Anæ. Arbitror autem eos quos pepererunt Adah & Aholibamah natos fuisse priusquàm filia Ismaelis peperisset Rehuel. Etenim cum esset Esau annos natus quadraginta, duas illas Adah & Aholibamah duxit uxores, Ismaelis uerò filium tum demum duxit, cum Iacob esset in Mesopotamiam profectus, anno uidelicet ætatis amborum septuagesimoseptimo. Aut igitur postrema peperit filia Ismaelis, sicut & postrema ducta fuit in uxorem, & non seruatur ordo generationis in isto catalogo filiorum Esau: uel si illa secundo loco peperit, consequitur Aholibamam infœcundam fuisse annos plus minus trigiuraocto: uel si quem illa filiorum suorum peperit, priusquàm filiam Ismaelis duxisset Esau, propterea recensetur ille postremò, ut cum alijs germanis suis postremò natis coniunctim adnumeretur.

Hi erant filij Esau, inquit, *qui nati sunt ei in terra Canaan.*] Suprà de filijs Iacob dixit: Hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Padan Syriæ. Vide, hæredes terræ Chanaan filij Iacob, quibus erat à Deo terra illa promissa, nati sunt non in terra Canaan, sed in Mesopotamia: filij uerò Esau, de possessione terræ huius excludendi, in ipsa terra nascuntur. Quis non potius istos quàm illos hæredes terræ huius futuros iudicasset? Sic mirabili rerum dispositione promissa sua perficit Deus. Huc etiam pertinet, quòd Esau quadragenarius uxores & filios sortitur, Iacob uerò promissionem multiplicandi seminis habens agamus & atecnus manet usque ad annum ætatis suæ septuagesimumseptimum.

Et tulit Esau uxores suas & filios suos, filiasq; suas, ac omnes animas domus suæ, & pecora sua, & omnia armenta sua, cum uniuersa substantia sua quam acquisiuit in terra Canaan, & abijt in terram à facie Iacob fratris sui. Erat enim substantia illarum maior quàm ut unà habitare possent, nec poterat eos ferre terra peregrinationum ipsorum propter pecora ipsorum. Et habitauit Esau in monte Seir. Esau ipse est Edom.] Illud, Et abijt in terram, uulgata latina habet, Et abijt in alteram regionem. Chaldæus quoque legit: Et abijt in terram aliam. sicut & Pagninus. Septuaginta sic: Et profectus est è terra Chanaan. At in Ebræo est, וילך אל ארץ, id est, & iuit ad terram. Germanicus interpres reddidit, *vnd zoch in ein land vonn seinem brůder.*

Tria dicit. Primum est, quòd Esau habitationem terræ Canaan cesserit Iacobo fratri suo, & à facie illius in aliam terram migrauerit. Huc pertinet quod dicit, Et tulit Esau uxores suas, &c. Poterat simpliciter dicere, Et discessit Esau à facie Iacob: uerùm ut significaret, discessisse eum prorsus & omnino, facultates & substantiam illius per partes recenset, uxores, filios, filias, omnes animas domus, id est, seruos & ancillas, pecora, armenta, & omnem substantiam. Quasi dicat: Nihil in uniuersum quod suum esset in terra Canaan reliquit, sed secum abstulit prorsus omnia, & in aliam terram migrauit.

Secundum est, qua id ratione fecerit Esau. Nam erat, inquit, substantia illorum maior, quàm ut unà habitare possent, nec poterat eos ferre terra peregrinationum ipsorum propter pecora ipsorum. Erat ne terra Canaan tam angusta, ut non potuerit duorum hominum alere familias & pecora? Non habitabant soli Iacob & Esau in ea terra. Erant in illa peregrini. Viuebant inter incolas terræ, qui illam possidebant, & inhabitabant. Quare tantum spacij non poterat ambobus contingere, ut in illa cohabitare possent, propter pecorum multitudinem. Ob hanc causam Esau à fratre discessit, forsan alias consuetudine & commercio illius non admodum delectabatur. Verùm sic disponebat diuina prouidentia, ut Esau Iacobo, non Iacob Esau fratri terram Canaan cederet.

Tertium est, quò discesserit Esau. Quod dixerat, Et abijt in terram à facie Iacob fratris sui, per id exponit quod subijcit, dicens: Et habitauit Esau in monte Seir. Ergo relicta terra Canaan sedem suam transtulit in montana Seir. Atqui suprà capite tricesimosecundo & tricesimotertio iam antea in Seir habitasse legitur, priusquàm Iacob ex Mesopotamia in terram Canaan esset reuersus. Nascitur itaque quæstio, quomodo demum post mortem patris Isaac à facie Iacob postquàm ille reuersus esset ex Mesopotamia, terram Canaan cum suis omnibus domesticis & facultatibus reliquisse, & ad montana Seir migrasse scribatur. Respondet hic Augustinus, uerosimile esse, cum Iacob profectus esset in Mesopotamiam, reliquisse Esau parentes suos in Beersabe, & migrasse in montana Seir. Mihi hoc factum esse uidetur, cùm propterea quòd cerneret uxores suas inuisas esse parentibus, tum propter affinitatem quam sibi in illis montanis contraxerat. Duxerat enim in uxorem Aholibamam filiam Anæ, qui infrà inter duces Seir nominatur. Et huc forsan instigauit illum Aholibamah, ut per hanc occasionem ad patriam suam reuerteretur. Sic factum est, ut cum Iacob rediret ex Mesopotamia, Esau habitaret in Seir, & acciderent quæ suprà capite tricesimosecundo & tricesimotertio leguntur. Deinde existimat Augustinus, postquàm concordia facta esset inter duos hosce fratres, reuersum cum suis esse Esau in terram Canaan ad patrem Isaac, præsertim quòd is esset admodum senex. Reuersum esse uel ex eo patet, quòd unà cum Iacobo patrem

QVAEST.

sepeliuit, sicuti memoratum est in calce capitis præcedentis. Post mortem itaque patris, cum essent hi duo fratres plurimum opibus cumulati, accidit quod hoc loco memoratur, ut Esau uidelicet cederet Iacobo habitationem terræ peregrinationis ipsorum, & ad montana Seir rediret. Hanc arbitror præsentis quæstionis solutionem, prorsus esse probabilem: nec uideo, qua nam alia ratione probabiliore solui possit, quod hic in quæstionem uenit.

Et hæ sunt generationes Esau patris Edom in monte Seir.] Postquàm meminit, reuersum esse Esau in montana Seir: ibiq; habitasse denuò, redit ad genealogiam illius cœptam in terra Canaan, quòd filios, propagatam uerò in monte Seir, quod nepotes ac reliquos posteros attinet. De filijs mentionẽ fecit, iam subijciet de nepotibus. Et hanc ob causam repetit particulam hanc, dicens, Hæ sunt generationes Esau. Quod addit, Patris Edom, quæri poterit, quomodo sit intelligendum, cum Edom idem sit qui Esau, sicuti suprà bis memoratum est: nequeatq; fieri, ut suũ ipsius quisquam sit pater. Sciendum est, uocem Edom suprà poni tanquam cognomen Esau. Hic uerò pro ipsa gente posteritatis illius, perinde atq; uox Israel pro gente posteritatis Iacob accipitur, ut si Iacob dicatur pater Israelis, nequeat aliter intelligi, quàm quòd sit pater Israelitarum. Sic Esau pater est Edom, id est Edomitarum. In monte Seir, inquit. Id est, Edomitarum in monte Seir habitantium. Vel: Hæ sunt generationes Esau in monte Seir propagatæ.

Hæc sunt nomina filiorum Esau: Eliphas filius Adah uxoris Esau, Rehuel *filius Basmath uxoris Esau* (De his suprà meminit. Repetit illorum nomina propter eorum filios) *Et fuerunt filij Eliphas, Theman, Omar, Zepho, Gaetham & Kenas. Et Thimna fuit concubina Eliphas filij Esau, & peperit ipsi Eliphas Amalek. Isti sunt filij Adah uxoris Esau Et hi sunt filij Rehuel, Nahath, Zerah, Schammah & Mizah. Isti fuerunt filij Basmath uxoris Esau* (Nepotes hic dicuntur fuisse filij auiarum. Aliàs hæ duæ uxores Esau singulæ unum duntaxat filiũ habuerunt.) *Et hi fuerunt filij Aholibamah filiæ Anah filiæ Zibeon, uxoris Esau. Et peperit ipsi Esau Ieush & Iaelam & Korah.* Et horum suprà mentionem fecit.

Hi sunt duces filiorum Esau. Filij Eliphas primogeniti Esau, dux Theman, dux Omar, dux Zepho, dux Kenas, dux Korah, dux Gaetham, dux Amalek. Isti sunt duces Eliphas in terra Edom, isti filij Adah.] Hi duces, filij sunt Eliphas, sicut ipse catalogus indicat. At inter filios Eliphas non est suprà numeratus Korah, sed inter filios Esau ex Aholibamah. Quare quod hic Korah numeratur inter duces, filios Eliphas, uel est error inueteratus scribarum, quem superstitiosa posteritas non correxit, uel suprà, ubi filij Eliphas recensentur, non recensentur omnes, sed Korah omittitur. Vtrumlibet teneas, error est admissus & constanter seruatus. Nam omnia exemplaria, quotquot ego uidi, hanc lectionem habent. B

Isti inquit filij Adah. Amalek erat non ex Adah, sed ex Thimna concubina Esau, & tamen hic numeratur inter filios Adah. Verosimile est, concubinam hanc traditam fuisse Esau ab ipsa Adah, sicut Hagar Abrahæ, à Sarah, ideoq; natum ex illa filium Amalek, magis Adah, quàm ipsi adnumerari.

Et hi sunt filij Rehuel filij Esau, dux Nahas, dux Zerah, dux Schammach, dux Mizah. Isti sunt duces Rehuel in terra Edom, isti filij Basmath uxoris Esau.

Et hi sunt filij Aholibamah uxoris Esau, dux Ieush, dux Iaelum, dux Korah. Isti sunt duces Aholibamæ filiæ Anah uxoris Esau (Hoc est, isti sunt duces ex Aholibamah, filia Anah, uxore Esau.) *Isti sunt filij Esau, & isti sunt duces eorum. Ipse est Edom.*] Hinc ad finem usque capitis bipartita ponitur genealogia. Vna est posteritatis Esau, altera Seir Chorei. In genealogia Esau recensentur hic primùm filij quinq;, Eliphas, Rehuel, Ieush, Iaelam, Korah: & nepotes decem, sex ex Eliphas, Theman uidelicet, Omar, Zepho, Gaetham, Kenas, & Amalek: & quatuor ex Rehuel Nahas, scilicet, Zerah, Schammah, & Mizah. Deinde quos posuit filios & nepotes, uocat duces, אלופים, id est, millenarios principes. Ebræi uocant capita familiarum. Hos numerat tredecim, tres filios Esau, ex Aholibamah, Ieush, Iaelam, & Kora. hunde patet & illos fuisse consequutos posteritatem, licet hic nulli ponantur illorum posteri, & decem nepotes ex Eliphas & Rehuel. Quòd hos uocat duces, respectu facit familiarum, quæ ex illis sunt propagatæ. Aliud est, esse filium uel nepotem alicuius: & aliud, esse ducem familiæ. Quare contentus non fuit Moses recensione filiorum & nepotum Esau, nisi eosdem & duces fuisse admoneret. Ne ad genealogiam hanc necesse esset adnumerare nepotum istorum familias, uocauit illos duces, admonens creuisse eos ad numerosam usque posteritatem. Duo sunt genera ducum & principum. Vnum eorum qui imperant non à se, sed aliunde natis & à sanguine ipsorum alienis. Alterum eorum qui nihil sunt aliud quàm ראשי משפחות, id est, capita familiarum. De hoc posteriore genere ducum loquitur hic Moses.

Duo sunt genera ducum & principum.

Hi sunt filij Seir Horei, qui terram illam inhabitabant: Lotan, Schobal, Zibeon, Anah, Dischon, Ezer & Dischan. Isti erant Duces Horeorum, filij Seir, in terra Edom. Et fuerunt filij Lotan, Horei, & Hemam. Et soror Lotan Thimna. Et illi fuerunt filij Schobal, Aleuan, Manahath, Ebal, Schepho, & Onam. Et filij Zibeon fuerunt Aiah, & Anah. Hic est Anah qui inuenit Iemim in deserto cum pasceret asinos patris sui Zibeon. Et hi sunt filij Anah, Dischan, & Aholibamah filia Anah. Et filij Dischon fuerunt Hemdan, Eschehan, Ithran, & Ceran. Hi fuerunt filij Ezer, Bileham, Zaeuan, & Ekan. Filij Dischan fuerunt Vtz & Aran. Hi fuerunt duces Horeorum, Dux Lotan, dux Schobal, dux Zibeon, dux Anah, dux Dischon, dux Ezer, dux Dischan. Isti fuerunt duces Horeorum, in ducatibus eorum in terra Seir.] Hæc est altera genealogia, qua capita gentis Horeorum recensentur, quæ tum erat in montanis Seir, cum Esau illa incolere cœpisset. Author illius ponitur Seir, unde & montana illa nomen Seir contraxerunt. Erat iste Seir de gente Horeorum, qui

qui suprà cap. 14. à regibus Orientalibus cum alijs uicinis populis percussi leguntur. Adnumerantur hic septem filij Seir, Lotan, Schobal, Zibeon, Anah, Dischon, Ezer, & Dischan. Hos uocat duces, capita uidelicet familiarum suæ gentis. Deinde recenset illorum nepotes numero decem & nouem. Ex Lotan duos Hori & Heman. Ex Schobal quinq; : Aleuan, Manahath, Ebal, Schephio, & Onan. Ex Zibeon duos, Aiah & Anah. Ex Anah, unum, Dischan. Ex Dischon quatuor, Hembdan, Eschehan, Ithran & Ceran. Ex Ezer tres, Bilehan, Zaenan & Ekan. Postremò ex Dischan duos, Vtz & Aran.

Quod dicit, Isti erant duces Horeorum, filij Seir, in terra Edom, intellige de terrà Seir, quam uocat hic terram Edom, id est Edomitarum respectu suorum temporum, quibus Edomitæ montana Seir incolebant, non respectu temporum, quibus duces isti Horeorum hanc regionem inhabitabant, unde & paulo infrà uocat eam terram Seir.

Ponit duos Anah. Vnum filium Seir, alterum filium Zibeon nepotem Seir, cui tribuit ad inuentionẽ Iemim, de qua uoce haud idem sentitur. Chald. sic habet, Qui inuenit אבריא, id est, ualidos & fortes. Exponunt hoc de מרדים, id est mulis. Sic uertunt communiter, Qui adinuenit mulos, id est, qui excogitauit rationem per quam procreari possent muli, ex commixtione uidelicet equæ & asini. Vulgata latina habet, Qui inuenit aquas calidas. Vox Ebræa ימים, id est, iamim, sonat maria, ימים uerò id est, maim significat aquas. Hinc sunt qui putant hunc Anah lacum aliquem inuenisse in locis desertis, idq; hic anno tari raritatis gratia.

Rursus sunt, qui Iemim putent calidas aquas significare lingua Punica, Ebræis uicina. Adhuc sunt, qui putant hanc uocem Iemim, significare asinos uelocissimos natos ex onagris & asinabus.

Septuaginta & Theodotion uerterunt, τὸν Ιαμείμ in singulari.

Aquila & Symmachus in plurali τοὺς ιαμείμ. Hi Græci interpretes Ebræam uocem retinuerunt, non habentes quod certò uerterent. Obscuritati huic non potest ex alijs scripturæ locis succurri. Etenim hic tantum uox ista legitur in S. Biblijs.

Adinuentio istam mulorum tribuitur Anah nõ filio, sed nepoti Seir: nec fratri, sed filio Zibeon. Prorsus friuolum est, quod R. Schlomoh nugatur, esse hũc Anah eundem, qui & inter filios & nepotes Seir numeretur, fratrem uidelicet & filium Zibeon hominem spurium, quem Zibeon ex congressu cum matre sustulerit, & Anah uocauerit, quasi difficultatis aliquid sit in textu, sitq; insolitum in eadem familia duos inueniri homines, qui nomine uocentur eodem.

Et hi sunt, inquit, *filij Anah.*] Non loquitur hic de Anah filio Zibeon ac nepote Seir, inuentore mulorum, sed prosequitur seriem filiorum Seir, inter quos numeratus est Anah, istius auunculus. Et huic assignatur Aholibamah filia, cum fratre Dischan. Ista Aholibamah erat uxor Esau, qua de suprà facta est mentio. Et eam ob causam mentionem hic illius facit, sicut & paulo suprà Timnæ meminit, quam suprà dixit fuisse concubinam Eliphas.

Hi duces Horeorum habitabant in terra Seir, cum Esau illam incoleret. Verùm tandem factum est, ut gens ista Horeorum per Edomitas pelleretur, & regio illa occuparetur. qua de re uidere est Deut. 2. ubi sic legimus: In Seir autem prius habitauerunt Horei: quibus expulsis atq; deletis, habitauerunt filij Esau, sicuti fecit Israel in terra possessionis suæ, quam dedit illi Dominus. Et hanc ob causam mentionem Horeorum Moses genealogiæ isti filiorum Esau immiscuit, ut doceret qui nam populi regionem Edom ante illos incoluerint.

Et hi sunt reges, qui regnarunt in terra Edom, priusquàm regnaret rex inter filios Israel. Et regnauit in Edom Bela filius Beor, fuitq; nomen ciuitatis eius Dinehabah. Et mortuus est Bela, ac regnauit pro eo Iobab filius Zerah de Bozrah. Et mortuus est Iobab, regnauitq; pro eo Husham de terra Themani. Et mortuus est Husham, & regnauit pro illo Hadad filius Bedad, qui percussit Midianitas in campo Moab, nomenq; ciuitatis eius Auit. Et mortuus est Hadad, ac regnauit pro illo Samlah de Masrekah. Et mortuus est Samlah, regnauitq; pro eo Saul, à Rehoboth fluuio. Et mortuus est Saul, & regnauit pro eo Baal Hanan filius Achebor. Et mortuus est Baal Hanaã filius Achebor, ac regnauit pro eo Hadar, eratq; nomen ciuitatis eius Pahu, ac nomen uxoris eius Mehitabeel filiæ Matred filiæ Mezahab.] Post duces Horeorũ redit Moses ad ulteriores generationes Esau prosequendas. Meminit de capitibus familiarum, iam subijcit de regibus Edomitarum. Quoniam sic disponente Deo Deu. 2. Horeos de terra illa pepulerant, & secundum uaticinium Ishaac in gladio uiuebant, status illorum eò tandem deuenit, ut Reges sortirentur, siue illi electi fuerint à gente, siue uiolenter ad regni fastigia contenderint. Hos recenset hic numero octo. Nihil autem de gestis horum Regum memorat, nisi de eo tantum, quòd Bedad Midianitas in campo Moab percusserit, de quo dicunt Ebræi, quod Moabitis contra Midianitas opem tulerit, atq; ita illos in campo Moab percusserit. Cæterùm nomen duntaxat, ciuitatem, mortem, & successorem eius q; obiter recenset.

Et *sunt reges*, inquit, *qui regnauerunt in terra Edom priusquàm regnaret rex inter filios Israel.*] Admonemur iterum quàm sors Israelitarum diuersa fuerit in speciem ab eo quod promiserat ipsis Deus. Iacobo dictum erat cap. præced. Et reges de lumbis tuis egredientur. Esau nihil huius erat promissum. At ex illius lumbis sic egressi sunt reges, ut interea dum Israelitæ captiui tenebantur in Aegypto, Edomitæ & regnum obtinerẽt & reges haberent. Esau erat maior, Iacob minor. Dictum erat à Deo, Maior seruiet minori. At dum minor seruit in Aegypto, maior regnat in Seir. Sic cõparatæ sunt diuinæ promissiones. Priusquàm ueniat tempus adimpletionis à Deo constitutum, omnia apparent esse diuersa in oculis carnis. Fide igitur, & spe opus est populo promissionis & electionis, ne spectris rerum OBSER.

externarum

externarum motus, ante constitutum adimpletionis tempus ab expectatione promissorum decidat. A

Et regnauit in Edom Bela filius Beor.] Errāt qui hunc putant fuisse Balach regem Moabitarum, cuius mentio fit Num. 22. In Ebræo siquidem illic habetur, בלק, id est, Balak, hic uerò בלע, id est, Bela. Ille fuit filius צפור, id est, Zippor, hic filius בעור, id est, Beor. Ille rex Moab, hic rex Edom. Ille uixit tẽpore Mosis, hic uerò illum longè antecessit.

Et regnauit, inquit, *pro eo Iobab.*] Et hic erratur à nonnullis, qui Iobab hunc existimant fuisse Iobum, cuius liber inter Canonica scripta habetur. Nam ille scribitur איוב, hic uerò יובב. De Iob annotauimus quædam suprà cap. 22. circa calcem.

Regnauitq; pro eo Saul, inquit, *à Rehoboth fluuio.*] Sept. sic. ἐπ ̓ ἐβδωὼθ τῆς παρὰ ποταμόν, id est, à Roboth quæ est ad fluuium, Chald. מרחברת דעל פרת, id est, à Rehoboth quæ est iuxta Euphratẽ. Duę sunt igitur uersiones. Prima, Fluuius uocatur Rehoboth. Altera, Rehoboth locus est ad fluuium quendam situs. Non placet autem Chaldaica paraphrasis, quæ fluuium hunc dicit esse Euphratem. Etenim si Saul iste fuit Idumæus, non fuit oriundus à regione Euphratis. Habet forsan Idumæa fluuium aliquẽ insigniorem, ad cuius ripam locus iste Rehoboth situs fuerit, quem fluuium incolæ simpliciter uocauerint fluuium, quòd omnibus eam terram incolentibus esset notus. Significat autem uox רחבות, plateas, propter latitudinem, ut appareat hunc locum sic esse uocatũ, uel quòd illic fluuius sese dilatet, uel quòd regio illa instar platearum dilatata, hoc nominis sortita sit respectu aliorum montanæ terræ locorum. Sic tractus ille Rhenanus à Constantia Coloniam Agrippinam usq; רחבה, id est, platea uocatur, dũ appellaũ *die Pfaffengassen*. Factio illa magis ad Esau q̃ Iacobi familiã pertinens, dũ se simulat mũdo esse mortuam, selectam terrenæ habitationis amœnitatem elegit, in q̃ illa deliciabunda consedit.

Et nomen uxoris eius, inquit, *Mehitabeel filiæ Matired filiæ Mezahab.*] Arbitror Mosen mulierum istarum mentionem eam facere ob causam, quòd nonnihil habuerint celebritatis inter Idumæos. Et nomina illarum tale quid habent. Sonat enim Mehitabel idem quod benefaciens Deus: Matired, continua, sedula, assidua: Mezahab uerò, uel, aquæ aureæ, uel de auro. Apparet hæc nomina tam regum quàm mulierum istarum non esse propria, sed cognomina certas ob causas, ut fieri solet, contracta. Quis enim pater filium suum uocaret Bela, id est, uoratorem: & Iobab, id est ululantem, &c.

Memorantur præterea septem loca regionis Edom, Diuehabah uidelicet, Bozrah, Theman, Auith, Masrekah, Rehoboth, & Pahu, unde reges isti non hæreditaria successione, sed uel per electionem libe- B
ram, uel ui tyrannica prodierunt. Horum duo cæteris sunt in scriptura sacra notiora, Bozrah scilicet & Theman, sicuti uidere est Esa. 63. Hier. 49. & Amos 1.

Et hæc sunt nomina ducum Esau iuxta familias eorum, in locis earum, secundum nomina eorum (id est, quemad modum nominabantur) *Dux Thimna, dux Aluah, dux Ietheth, dux Aholibamah, dux Elah, dux Pinon, dux Kenas, dux Theman, dux Mibzar, dux Magdiel, dux Iram. Isti fuerunt duces Edom, secundum sedes eorum inter ra possessionis eorum. Hic est Esau, pater Edom.*] Nominat duces undecim, quos nonnulli regibus successisse putant. Thimnam & Aholibamam existimant quidam fuisse fœminas, quę Principatum inter Edomitas gesserint, quasi nequeant uirorum esse hæc nomina. Non displicet autem eorum opinio, qui putãt nomina ista nec uirorum esse, nec mulierum, sed locorum, in quibus singuli Duces habitauerint. Nec rarum est scripturæ, Regum & Principum appellationes subinde non à proprijs nominibus, sed à locis & ciuitatibus ponere, in quibus imperarunt, sicuti suprà uidimus cap. 14. Vbi Rex Sodomæ, Rex Gomorrhæ, &c. à ciuitatibus ipsorum appellantur. quod si quisquam legat sacrarum historiarum imperitus uoces hasce Sodoma, Gomorrha, Seboym, Adama &c. ignorabit esse nomina ciuitatum, putabitq; nomina esse Regum.

Priores duces Edom, quorum suprà meminit, erant primi post Esau Edomiticæ gentis Principes & originis illius capita, filij scilicet & nepotes Esau, quasi principales arboris huius rami, unde posteri prodierunt. Cum his uenit Esau in montana Seir, ibiq; adiutus affinitate quorundam eius terræ principũ, per uxores contracta, sedẽ fixit ac gentem suã propagauit. Tũ temporis erant in Seir septem Horeorum familiæ, quarum capita suprà recensuit, numero itidem septem, haud quidem in uniuersum originalia (nam etiam ante ipsum Seir fuerat gens Horeorum, suprà cap. 14. Vnde ipse prodijt, Horeusq; fuit dictus) Hactenus tamen primaria, quod filij erant Seir Horei, unde Gens Horeorum in montanis illis est regionibus propagata, & septem familias constituerunt quæ singulæ suos patres per ordinem generationum subsequentes habuerunt, donec per Edomitas olim tanquàm aduenas ad incolatum admissos expellerentur ac delerentur. Qui uerò tum temporis septem illarum tribuum fuerint Duces, cum per Edomitas ejicerentur, à Mose non exprimitur. Neq; enim uerosimile est expulsionem hanc temporibus filiorum Seir, quos nominatim recensuit, statim initio cum primùm in eas regiones uenisset Esau, esse factam. Quanquam ea de re cum nemine contenderim.

Post expulsos Horeos exorti sunt Reges in gente Edomitarum, quorum suprà numero octo recensuit, qui usq; ad tempora illa regnarunt, quibus hæc sunt scripta, quorum octauus Hadar dictus cum ista à Mose scriberentur adhuc erat in uiuis, ideoq; de illo non dicit, Et mortuus est Hadar, ac regnauit pro eo ille uel ille, sicuti de præcedentibus septem dixerat. Quod autem 1. Par. 1. legitur, Et mortuus est Hadar, scriptum hoc est non à Mose, sed ab eo qui Paralipomena congesserit.

Horum consideratione moueor, ut sentiam undecim hosce posteros Duces, non sic recensiri post catalogum Regum Edomitarum, quòd in ea gente post Regem Hadar imperare cœperint, quasi

quasi ille ultimus regum Idumææ regnauerit, & posi ipsum status Edomitarum amisso regni fastigio per duces hosce ex ordine sibi inuicem subsequentes administratus fuerit, sed quòd illis ipsis temporibus, quibus supradicti reges regnabāt, fuerint in Idumæa undecim primariæ eius gentis tribus & familiæ, quarum principes ac patres, non totius gentis domini, sed suæ quisq; familiæ capita ac patres eodē tempore extiterint isti, dux Thimna, dux Aluah, &c. cum hæc à Mose scriberentur, siue sic proprijs sint, uel familiarum, uel locorum nominibus appellati.

Sed obiecerit forsan aliquis, quod 1. Paralip. 1. legitur ad hunc modum: Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edon esse cœperunt, dux Thamna, dux Alua, &c. Vnde uideri potest, duces hosce non sub regibus uixisse, sed imperio illorum successisse. Verùm hæc uerba non sic habentur in Ebræo, sed interpretis sunt arbitratu ad hunc modum posita. Sic enim habent Ebræa, וימת הדד, id est, Et mortuus est Hadar. Et subiungitur, וימלכו אלופי אדום אלוף תמנע, id est, Et fuerūt duces Edom, dux Thimna. Non euincunt hæc uerba sententiam quam latinus posuit interpres, qui pro uerbo וימלכו, id est, fuerunt, substituit, esse cœperunt: & illud, Pro regibus, de suo adiecit. Apparet quidem sic de ducibus istis post mortem Hadar subijci, ut intelligendum sit imperasse eos post reges: uerùm, sicuti dixi, sententia hæc ex uerbis necessariò euinci non poterit. Neq; uerosimile est Mosen eos uoluisse recensere duces, qui post sua tempora uixerint & regnarint in Edom: uel de morte Hadar taciturum fuisse, si posthunc immo post hosce undecim duces præsentem scripsisset historiam. Meo iudicio, si duces isti post tempora regum ex ordine successionis ad morem præcedentium regum imperassent, planè de morte ac successore singulorum perinde commemorasset atq; de regibus commemorauit. Hæc uolui de ducibus ac regibus utriusq; gentis, Horeorum & Edomitarum, annotare. si cui certiora fuerint, adferat in medium.

Videntur autem quæ toto hoc 36. capite de generationibus Esau & Seir, deq; ducibus & regibus illorum memorantur, indigna esse, quæ Moses scriptis suis inserere debuerit, quasi ea illi duntaxat annotanda fuerint, quæ Israelem tanquam populum Dei concernunt. Verùm si detur pius lector, is facile intelliget, quemadmodum Deus non est Iudæorum Deus tantum, sed & gentium: ita non debere ea duntaxat magni fieri, quæ cum Iudæis sunt acta, sed & gentium historias ad diuinam dispositionem referri, præsertim eas quæ regnorum mutationem concernunt, quales sunt quæ hic à Mose de Horeis ab Idumæis expulsis, & utriusq; gentis ducibus ac regibus narrantur.

Cum terram Canaan Iacobo ac posteris eius destinasset, ideoq; Esau cum suis ab illius hæreditate excluderetur, dedit istis terram Seir, ut hanc hereditariò possiderent, sicuti uides Deut. 2. At illa iam antea suos habebat incolas, & duces, à quibus possidebatur. Hos uoluit Moses recensere, ut ubi legimus illos ab Edomitis expulsos, cogitemus Deum esse qui transferat regna, det regiones quibus uoluerit, & adimat rursus ubi uisum fuerit: nec fieri posse, ut ultra illius determinationem gentis alicuius regnū durare, & quod ipse etiam alienis à populo suo dedit, à quopiam auferri possit. Sic non permittebat Israeli, ut uel latum pedem de terra Seir occuparet, propterea quòd hanc filijs Esau possidendam dedisset, qua de re uidere est Deut. 2. Ista scire haudquaquam modici momenti est. Quare debent huiusmodi historiæ non oscitanter legi, quasi nihil habeant unde in fide Dei erudiamur & ædificemur, sintq; temerè à Mose conscriptæ, sed uigilāter inspici: & uel hoc nomine dignæ censeri quæ legantur, quòd dignæ uisæ sunt spiritui sancto, quæ sacris literis insertæ ad posteros transmitterentur.

CAPVT XXXVII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Orditur Moses hoc capite historiam Ioseph, docetq; quomodo & quibus de causis uenditus sit primū à fratribus negociatorib. Ismaelitis, deinde ab Ismaelitis Potiphari Eunucho Pharaonis Aegyptij.

HAbitauit autem Iacob in terra peregrinationum patris sui, in terra Chanaā. Hæ sunt generationes Iacob.] Absoluit genealogiam Esau, & redit iam consequenter ad generationes Iacob. Habitauit, inqt, Iacob in terra peregrinationum patris sui, in terra Chanaan. Dixit Esau à Iacobo post sepulturam patris discessisse, sedemq; suam in Seir transtulisse. Iam res ipsa postulauit, ut de Iacobo subijceret, præsertim, cum ad historias illius memorandas præcipua scribendi properaret intentio. Dicit itaq; hunc post discessum Esau habitasse, id est constanter mansisse in terra peregrinationum patris ipsius. Et addit: Hæ sunt generationes Iacob. Particula hæc uidetur impertinenter hoc loco inserta, quandoquidem nihil de generationibus Iacob subijcitur. Verùm generationes posuit Moses pro rebus gestis, significans, se reuerti ad historias Iacob & posteritatis eius recensendas.

Ioseph cum annorum esset decem & septem, pauit oues cum fratribus suis, & puer erat cum filijs Bilehæ & cum filijs Zilph. æ uxorum patris sui, & detulit Ioseph detractionem eorum malam ad patrem ipsorum.] Orditur Moses historiam Ioseph singularem prorsus & admirabilem, quam ab hoc 37. capite ad finem usq; libri huius capitibus tredecim deducit. nisi quod sequenti 38. historia Iudæ obiter inseritur. Summa historiæ Ioseph est, translatio Israelis in Aegyptum, ut ibi implerentur, quæ à Deo erant Abrahæ de futura seminis ipsius seruitute suprà cap. 15. prædicta: reliqua sunt circumstantiæ, quarum pars pars maxima ad Iosephum præcursorem Israelis, in Aegyptum à Deo ante faciem illius missum, concernit. *Summa historiæ Ioseph.*

Ioseph, inquit, cum annorum esset decem & septem.] Cum Iacob sepelisset patrem suum, erat annorum centumuiginti, deinde cū uenisset in Aegyptum, erat annos natus centumtriginta, Ioseph uerò 39. *Recapitulatio.*

Ab

Ab anno decimoseptimo Ioseph, quo uenditus fuit, si uerum est quod tenetur communiter quidem, uerùm non admodum certò probari potest, usq; ad 39. anni decurrũt 22. à 120. uerùm usq; ad 130, duntaxat decem. Ergo annos duodecim fuerat Ioseph in Aegypto, cum moreretur Isaac, uenditus à fratribus anno post egressum Mesopotamiæ undecimo. Si uerò demum post mortem aui sui Isaac uenditus fuit à fratribus, consequitur annos 29. fuisse superegressum cum uenderetur. cui sententiæ non fauet, quod infrà in ipsa uenditionis historia uocatur ילד, id est, puer: neq; conuenit hic sensus illis quæ de seruitute & captiuitate Ioseph infrà cap. 39. memorantur. Etenim à morte Isaac usq; ad descensum Iacobi in Aegyptum decem duntaxat anni decurrerunt, quibus si septem fertilitatis, & duos sterilitatis annos ademeris, unus tantum supereſt, cui deputanda erunt tempora, quibus Ioseph Potiphari seruiuit, & postea in carcere fuit, donec eductus ante faciẽ Pharaonis stetit annos natus 30, quod scripturæ palàm repugnat. Nam infrà cap. 41. legimus fuisse Iosephum adhuc biennio in carcere postq; de illo liberatus esset pincerna regis. Quare omnino certum est uenditionem Ioseph factam esse ante obitũ Isaac. quo aũt anno, certò affirmari non potest. Quod enim hic legiũ, Ioseph cum esset annorũ decẽ & septem, pascebat cum fratribus suis oues, & quæ sequuntur, nullo certo tempore determinantur unde colligi possit, quàdiu pauerit oues patris sui, fueritq; cũ filijs Bileæ & Zilphæ donec uenderetur. Deinde, neq; aliquis annorum numerus appositus est historiæ seruitutis & captiuitatis Ioseph, unde sciri possit quamdiu seruierit Potiphari, & quot annos fuerit in custodia. Certum tamen est uenditum fuisse priusquàm moreretur Isaac. Vnde liquet, quæ hic de Iosepho post mortem Isaac narrare incipit Moses, narrari haud secundum gestarum rerum ordinem, sed per recapitulationem.

Pueritia Ioseph non est ocio & ignauiæ tradita.

Pauit oues cum fratribus suis, inquit.] Vide. Erat patri impense charus, sicuti statim memorabitur, & ipsa historia declarabit, & tamen non est pueritia illius ocio & ignauiæ, sed pasturæ pecudum tradita. Pauit oues puer tenerrimè dilectus, & pauit cum fratribus suis, patri præ fratribus omnibus charus. Sic ergo dilexit Iacob Iosephum, ut nihilo illum secius laboribus pastoralibus exerceret. Sic dilexit eum supra filios reliquos, ut inter ipsum tamẽ & reliquos filios, quod labores domesticos attinet, nihil discerneret.

Conferantur exercitia pueritiæ Ioseph cũ excellenti illius sapientia.

Considera etiam exercitia pueritiæ Ioseph, & confer illa cum excellenti sapientia, qua postea usus est in Aegypto. Planè mirum uidetur quomodo puer nullis disciplinis liberalibus exercitatus, sed in pastura pecudum cum fratribus suis enutritus, in eum uirum euaserit, qualem sequentes historiæ prædicant. Vnde manifestum est, omnem illius sapientiam & prudentiam singulari esse gratiæ Dei tribuendam.

Quare Ioseph fuerit cum filijs concubinarum.

Et puer erat cum filijs Bilehæ, inquit, & Zilphæ, uxorum patris sui.] Quare non cum matre Rahele? Dubio procul egisset puer cum matre, si adhuc illa fuisset in uiuis. Verùm mortua erat in itinere priusq; uenisset Iacob ad patrem suum in Hebron, sicuti suprà memoratum est cap. 35. Rursus, quare cum filijs Bilehę & Zilphæ, concubinarum Iacob, & nõ magis Leæ? Lyranus hic sic annotat: Filij enim Leę despiciebant eos, & reputabant eos quasi seruos, & ideo Ioseph, qui erat de principaliori uxore, faciebat eis societatem, ad eorum consolationem. Hæc ille. Meo iudicio Ioseph non adiunxit se filijs concubinarum suapte sponte, sed patre sic haud præter rationem disponente. Primùm, Bilehah fuerat ancilla Rahelis, & educationi Iosephi seruierat à cunis. Crediderim & Beniamin curæ illius fuisse commendatum. Deinde filij Bilehæ Dan & Naphthali magis Raheli quàm ipsi deputabantur, atq; ita pro fratribus Iosephi non solũ patris, sed & matris respectu habebant. Leah uerò, quoniã non erat amico animo erga iorem Rahelem, sicuti suprà cap. 30. patuit, consequenter nec erga Iosephum illius filium. Et filij quoq; Leæ odiebant Iosephum. Quod uerò non solum cum Bilehæ, sed & Zilphæ filijs egit Ioseph, eam ob causam opinor esse factum, quòd hæ duæ concubinæ Iacob Bilehah & Zilpha eodem tabernaculo conIunctim agebant, sicuti colligi potest ex capite 31. ubi Laban post tabernaculum Leę, tabernaculum duarum ancillarum ingressus fuisse memoratur. Egit ergo cum filijs Zilphæ non propter ipsos, sed propter Bileham & illius filios.

Et detulit Ioseph, inquit, detractionem eorum malam ad patrem ipsorum.] Vulgata latina habet: Accusauitq; fratres suos apud patrẽ crimine pessimo. Sep. sic: κατήνεγκαν δὲ κατὰ Ἰωσὴφ ψόγον πονηρὸν πρὸς Ἰσραὴλ τὸν πατέρα αὐτῶν, id est, detulerunt autem aduersus Iosephũ dedecus malum ad Israelem patrem ipsorum. In Ebræo est: ויבא יוסף את דבתם רעה אל אביהם apparet Septuaginta illud ויבא accepisse in significatione passiua: ut sit, Et delatus est Ioseph detractione eorum mala ad patrem ipsorum. Verùm cõmuniter uertũt: Et detulit Ioseph. Vox דבה, unde est דבתם, detractionem & obloquutionẽ significat. Nonnulli accipiunt pro fama, uel infamia. Pagninus uertit: Et retulit Ioseph famam eorum malam. Monsterus, Et deferebat infamiam eorum malam. Malui detractionem uertere. Placet enim eorum sententia, qui arbitrantur filios ancillarũ, cũ quibus agebat Ioseph, patri ipsorum inter se fuisse oblocutos, atq; id malè habuisse Iosephum, & patri indicasse. Vulgatæ latinæ uersionis author sensit Iosephum non solos filios ancillarum, sed & reliquos fratres suos accusasse coram patre. ideoq; uertit, Accusauitq; fratres suos: cum in Ebræo non sic legatur: sed, Et detulit Ioseph detractionem eorum malam. Quorumẽ filiorum uidelicet Bilehæ & Zilphæ, quorum proximè facta erat mentio. Nisi quis particulam præcedentem, Et puer erat cum filijs Bilehæ & Zilphæ uxorum patris sui, per parenthesim positam esse sentiat, ut periodus ista hac sit distinctione legenda. Ioseph cum 17. esset annorũ, pascebat oues cum fratribus suis (& ipse puer erat cum filijs Bilehæ & Zilphæ uxorum patris sui) & deferebat Ioseph detractionem eorum malam ad patrem ipsorũ. Quod si hæc est lectionis seruãda distinctio, Iosephum non solum filiorum concubinarum, sed & reliquorum fratrum, cum quibus pascebat oues, malam detractionem

tractionem ad patrem ipsorum detulisse sentiendum est. Meminit huius Moses, ut causas odiorum, quibus filij Iacob Ioseph um prosequebantur, sequenti historiæ præmittat.

Ergo delator erat Ioseph. Parum honestum uidetur esse delatorem, præsertim fratrem. Respondeo: Non mox delator est & diabolus, quisquis defert. Delator est, qui studio deferendi tenetur, qui delationibus delectatur, qui susq; deq; facit, falsone uel uerè deferat, qui ad nocendum defert, qui quæuis defert, etiam infirma fratrum, nedum reproborum & incorrigibilium hominum facinora. Si hæc possunt prædicari de Iosepho, uerè delator fratrum, adeoq; & diabolus fuit. Sed absit. Detulit ad patrem fratrum suorum nequitiam, quam ipse emendare non poterat, debebat uerò pater. Malè fugiunt infamiam delationis, qui scelera fratrum scienter & prudenter ferunt, & quod ipsi emendare non possunt, ad eorum conscientiam nõ deferunt: quorum hoc interest, ut authoritatem suam subiectorũ uitijs opponãt. *An delator fuerit Ioseph.*

Et Israel diligebat Ioseph um præ omnibus filijs suis, quòd esset ipsi filius senectutis, & fecit ei tunicam uariegatam.] Hanc quoq; particulam ad hoc posuit Moses, ut causas odij fraterni aduersus Ioseph um exponat. Tria dicit. Primum, quòd Israel Ioseph um præ reliquis filijs dilexerit. Non est hoc insolitum paterno pectori, ne in sanctis quidẽ. Verùm suprà alicubi in historijs Abrahæ & Isaac hac de re annotauimus. Secundũ, quare hoc fecerit Israel. Quod esset ipsi filius senectutis, inqt. Ratio hæc non in Iacobo dunta xat, sed plerunq; in senibus omnibus locum habet. Sic comparati sumus. Causam assignat Lyranus, quę non communiter ad omnes senes, sed ad Iacobum duntaxat & Ioseph um pertinet. De generali causa, quare impensius diligamus eos qui nobis in senectute nascuntur, uiderint physici. Mihi sic uidetur. Qui in senectute generantur, non ob id tantum tenerius diliguntur, quòd in illis ueluti regenerati uidemur, quando ex hac uita decedimus, sed & propterea quòd iudicamus eos esse postremos, post quos nulli nobis sperandi sint alij. Quare nõ adeò diliguntur, quos uegeta adhuc ętate gignimus, quòd alios nos accepturos speramus, etiamsi isti moriantur. Et præterea non sine consilio diuinæ prouidentiæ ad hunc modum comparati sumus, quæ hac ratione necessitatibus postremæ prolis consulit, dum eam nobis reddit cæteris chariorem. *Quare filij senectutis nostræ impensius diliganter.*

Simul obserua ætatem Iacob, qua erat cum Ioseph um gigneret. Quòd esset, inquit, ipsi filius senectutis. Quatuordecim annos seruierat iam pro duabus uxoribus, cum Ioseph nasceretur. Erat ergo annorum 91. Nam 77. annos natus uenerat ad Laban. Et post natum Ioseph uixit adhuc annos 77. Ergo iudicaut se, cum annorum esset 91. esse senem, cum tamen paululum esset dimidiũ uitæ suæ superegressus. *Quo senio fuerit Iacob cũ Ioseph illi nasceretur.*

Scio particulam hanc, ut in Ebręo est, aliter posse intelligi. Sic enim legitur, בִּי בֵן זְקֻנִים הוּא לוֹ, id est, quoniam filius senum erat ipsi. Chald. paraphrastes uertit, אֲרֵי בַּר חַכִּים הוּא לֵיהּ, id est, quoniam filius sapiens erat ipsi.

Potest etiam puer uocari filius senum, quando singulari quodam studio senibus maioribus suis adhæret, illisq; quatenus per ætatem fieri potest, reuerenter seruit & obsequitur. Et tales filij senum digni planè sunt, qui præ cæteris impensius diligantur. *Filij senum.*

Et fecit ei tunicam uariegatam.] Hoc tertium est, quod hic de Iacobo prædicatur. Quoniam Ioseph um præ cæteris filijs suis diligebat, ornauit eum etiam singulari ueste, quæ testaretur, quòd cæteris esset charior. Et ea quoq; res causam odij generabat in animis fratrũ. Qualis fuerit hæc tunica, non est constans omnium sententia. In Ebræo est: כְּתֹנֶת פַּסִּים. Tharg. Hieros. habet מְרַקְּמָא בְּלַרְיָיר, id est, tunicam pictã, figuratam, coloratam. Sept. habent χιτῶνα ποικίλον, id est, tunicam uariam. Alij uertunt tunicam sericeam. Alij polymitam, id est, multorum filorum uel liciorum. Aquila reddidit χιτῶνα ἀραχνάλινον, id est, talarem, Symmachus manicatam. Quicquid fit, uidemus hoc loco non esse mox damnabile, si parentes filios suos quos tenerè diligunt, ueste preciosiore & elegantiore non uestiant modò, sed & ornent. Sumptuosius proprio arbitratu & uano studio uestiri nemo cordatus probauerit. Secus est, si quis studio & arbitratu maiorum suorum singulari amictu uestiatur, quemadmodum solent liberi & uxores. Pulchrè autem seruit mysterio tunica ista Ioseph i. Iacob filium singulariter dilectum singulari ueste decorauit. Sic filios suos Deus singulari ueste ornat, dum uarijs eos uirtutibus decorat. Vestis Ioseph causam præbebat odio fraterno. Sic & uirtutum splendor, quo decorantur sancti causam præbet ob quam odio mundi fiant obnoxij. *Mysterium.*

Et uiderunt fratres eius, quòd amaret eum pater ipsorum præ cunctis fratribus ipsius, & oderunt eum, nec potuerunt ei loqui in pace.] Quorsum meminerit de Iacobo, quòd Ioseph um præ cæteris dilexerit fratribus omnibus, iam declarat. Videlicet ut significet quibus de causis filij Israel fratrem suum Ioseph odio sint prosequuti. *Et uiderunt*, inquit, *fratres eius, quòd amaret eum pater ipsorum, &c.*] Obiter obserua, quòd amorem patris erga Ioseph um uiderunt. Inuisibilis est amor, uerùm uisibilis redditur dum per opera prodit in lucem. Et hoc illius est ingenium, ut celari nesciat. Vnde uulgo dicitur, *die liebe laßt sich nit verbergen.* Olim cum Christiani sese mutuò amarent, esseq; illis cor unum & anima una, philadelphiam Christianam usq; adeò declarabãt operibus, ut ethnici per opprobrationem dicerent: Vide quomodo se mutuò ament. quibus Tertullianus obiecit, quòd ipsi sese mutuo prosequerentur odio. Hodie si quis facta nostra inspiciat, quid quæso poterit uidere aliud quàm μισαδελφίαν, ac dicere, Vide quomodo se mutuò odiant?

Et oderunt eum inquit.] Quare oderunt eum? Graue est odisse fratrem. Qui odit fratrem suum, homicida est, inquit Ioannes in Canonica sua. Israelitæ oderunt fratrem suum. Ergo fuerunt homicidæ. Verùm potest esse causa, ut rectè odias fratrem. Quæ nam erat illis causa odij fraterni? Non dicit, Et uide- *De odio fraterno 1. Ioan. 3.*

runt fratres eius quod contemneret & irrideret patrem ipsorum. Si hoc feciſſet Ioſeph, dignus fuiſſet odio reliquorum fratrum. Si quis odiat Deum, meritò omnium eſt filiorum Dei odio obnoxius, ſicuti Dauid canit: Qui oderunt te Domine, odio perfecto, & aduerſum inimicos tuos contabeſco. Verùm nō curarunt iſti, quid faceret Ioſeph patri, ac quomodo ſeſe erga illum gereret, bene uel malè: ſed attendebant, quomodo affectus eſſet pater erga ipſum. Viderunt, inquit, quòd pater amaret eum præ cunctis fratribus ſuis, & oderunt eum. Erat ergo cauſa odij non ex Ioſepho, ſed ex patre. Oderunt fratrem propter factum non ipſius, ſed patris. Si iniquum erat, quod diligebat Iacob filium ſuum Ioſeph præ cæteris fratribus omnibus, odio ſanè habendus erat diligens pater, non filius à patre dilectus. Alioqui iniquum eſt odium ſi eum odias qui non eſt in culpa: & nō odias eum qui cauſam præbet odij. Si uerò nō erat iniquum, nec alienum à paterno pectore, etiam ſic oderunt fratrem odio iniquo, immo & peruerſo. Etenim ſi dilexiſſent ipſi patrem, dilexiſſent etiam Ioſephum uel ob hoc ipſum, quòd tantopere patri eſſet charus. Itaq; iniquitas iſta odij fraterni prorſus conuincit fuiſſe filios Iacob haud ſyncerè erga patrem animatos. Diligebantur & ipſi à patre. Alioqui non rectè diceret Moſes quod Iacob plus cæteris fratribus dilexerit Ioſephum. Verùm cumprimis amari à patre & in precio haberi uolebant magis quàm amare, uenerari, & in precio habere patrem. Sic affecti cœperunt infenſi eſſe Ioſepho, ubi uiderūt eum tantopere diligi à patre. Et hic affectus carnis facit, ut uerum ſit illud, Fratrum quoque gratia rara eſt.

Cauſa odij, erat non ex Ioſepho, ſed ex patre.

Sic odij cauſa ppter quā Cain odiebat Abelum fratrem, erat nō ex Abel, ſed ex Deo.

Patres Iſraelitarum homicidæ.

Interea cogitemus de patribus iſtis populi Iudaici. Hi filij Iacob, patres ſunt populi Dei, populi circumciſi, ſemen electum, & filij promiſsionis, hæredes terræ, &c. & tamen tam fuerunt graudi peccato obnoxij, ut rectè homicidæ fuiſſe dici queant. Eant Iudæi, & glorientur de patribus ſuis.

Rurſus cogitemus: At ex patribus iſtis prodierūt ſanctiſsimi uiri Moſes, Aaron, Samuel, Dauid, prophetæ, Baptiſta, Chriſtus & Apoſtoli. Et Apoſtolus radicem Iſraelis ſanctam eſſe dicit. Agnoſcamus igitur patres hoſce fuiſſe quidem peccatores, uerùm haud temerè damnandos, nec ſemen promiſsionis, quod ex illis prodijt, & populum Dei propter illorum eſſe peccata contemnendum.

Fructus odij fraterni.

Nec poterant ei, inquit, loqui in pace.] Conſequenter uidebimus fructus odij fraterni. Odium carnis in ficit ac peruertit uerba & facta odientis. Ex corde in linguam, poſtea & in manus prodit. Vbi amor eſt, ibi ſunt & amica colloquia. Vbi odium, ibi generantur rixæ, iurgia, exprobrationes & uituperationes.

Non poterant cū eo pacificè loqui

De lib. arbitrio.

Obſerua, quod nō dicit, Nec loquebantur cum eo pacificè: ſed, quod adhuc amplius eſt, Non poterāt cum eo loqui pacificè. Non poterant? Quis impediuit? An adeò difficile eſt homini bene loqui, idq; fratri? Per ſe ſanè facilius eſt, quàm malè loqui. Vnde erat ergo, quòd fratres fratri non poterant pacificè loqui? Ex malitia uidelicet cordis odio fraterno infecti. Quomodo poſſeris bene loqui, inquit Chriſtus, cum ſitis mali? quaſi dicat, Omnium minimè. Matth. 12. Vbi eſt ergo dogma illud de libero hominis arbitrio. ſcriptura dicit: Non poteſt arbor mala bonos facere fructus. Hic audimus de filijs Iacob non potuiſſe eos fratri loqui in pace. Et phariſæi non poterant bene loqui de Chriſto. Si impoſsibile eſt odienti loqui pacificè cum eo quem odit, quomodo non magis impoſsibile eſt benefacere?

Pſal. 28. Pacem loquūtur cū proximo.

Simul cogitandum de eo eſt, quòd Pſal. 28. de quibuſdam queritur Dauid, quòd pacem loquantur cum proximo, cum malum meditentur in corde. Hoc filij Iacob erga Ioſephum facere non potuerunt, quia odio impediebantur. At minus noxij ſunt, qui odium cordis nec uultu, nec uerbis diſsimulāt, quàm ſint ij qui malum meditantur in corde, & interea cum eo cui inſidiantur pacificè loquuntur. Illi ſi malum proximo meditarentur ex affectu odij, facerent quod fecerunt filij Iacob. Verùm uſq; adeò ſunt mali, ut malum machinentur in eum, quem non odiunt ex animo. Atque hinc eſt quod facere poſſunt, quòd non potuerunt filij Iacob.

Et ſomniauit Ioſeph ſomnium, indicauitq; fratribus ſuis, & addiderūt ultrà odio illum proſequi. Et dixit ad eos: Audite quæſo, ſomnium hoc quod ſomniaui. Ecce ligabamus manipulos in medio agri, & ecce ſurrexit manipulus meus, & ſtabat etiam. & ecce manipuli ueſtri circundabant & incuruabant ſe coram manipulo meo. Et dixerunt ei fratres ipſius: Num regnando regnabis ſuper nos? &, num dominando dominaberis inter nos? Et addiderunt ultrà proſequi eum odio. Et ſomniauit adhuc ſomnium aliud, narrauitq; illud fratribus ſuis, & dixit: Ecce ſomniaui ſomnium aliud, & ecce Sol & Luna & ſtellæ undecim incuruarunt ſe coram me. Et narrauit hoc patri ſuo ac fratribus ſuis: & increpauit eum pater ipſius, ac dixit ei: Quidnam hoc ſomnij eſt quod ſomniaſti? Num uenientes uenimus ego, & mater tua, & fratres tui, ut incuruemus nos coram te ad terram: Et oderunt eum fratres ipſius, pater uerò eius conſeruabat hoc uerbum.] Duo ſomnia Ioſeph exponit Moſes, hærens adhuc in recenſendis cauſis odij fraterni. Simul oſtendit, res futuras cum Iſraelitis & ipſo Ioſepho diuinitus fuiſſe per inuolucra ſomniorum præmonſtratas. Futurum autem erat, ut filij Iacob primùm coram Ioſepho ſeſe incuruarent in Aegypto, deinde etiam cum Iacob in Aegyptum cum ipſis beneficio Ioſephi filij ſui uſurus deſcenderet. Hæc uoluit Deus Iacobo & filijs eius ante annos aliquot præmonſtrare, priuſquàm fierent. Fecit autem hoc per inſomnia. Deniq; ſomnia iſta immiſit nec Iacobo patri, nec fratribus reliquis, ſed ipſi Ioſepho.

Quare Deus res Iſraeli futuras præmonſtrare uoluerit.

Principiò igitur uidendum eſt, quanam ratione Deus ea quæ Iſraelitis futura erant in Aegypto, uoluerit illis præmonſtrare. Tres uidentur eſſe huius rei cauſæ. Prima generaliter concernebat & patrem & filios. Volebat illis perſuaderi, deſcenſum in Aegyptum cum omnibus ſuis circumſtantijs non humanis eſſe ſtudijs & euentibus, ſed diuinæ tribuendum diſpoſitioni. Erat hoc ſeruiturum fidei ipſorum,

tum fidei ipsorũ, quę plurimũ ex eo corroborari solet, quod certis argumentis demonstratur, quæ agun
tur, agi non humano, sed diuino consilio & proposito. Sic exponit Ioseph causam hanc fratribus suis in
frà cap. 45. dicens: Pro salute uestra misit me Deus ante uos in Aegyptum. Præmisit me Deus, ut reserue
mini super terram. Non uestro consilio, sed Dei uoluntate huc missus sum, &c. Nec impediuit consilium
Dei, quòd somnia ista nec Ioseph, nec fratres eius, neq; Iacob ipse intellexerunt initiò. Satis erat, quòd
ea tum demum intellexerunt, quando perficiebantur quæ illa olim futura præmonstrarunt, ut tum re-
cordatione somniorum istorum consilium diuinæ uoluntatis intelligerent, illiq; sese fide accõmodarent.

Secunda causa concernebat peculiariter fratres Ioseph. Horum animi erant ad hoc permouendi, ut
crescente aduersus fratrem odio, oblata tandem occasione, uenderent eum exteris. Huc plurimum facie
bant duo hæc somnia, id quod & Moses non tacet, dum indicat illos auditis somnijs Ioseph magis atq;
magis illi factos fuisse infensos. Quare & Iosepho, non Iacobo immissa sunt hæc somnia, quæ etiã non
intellecta haud celauit fratres, sed palàm ac diserte exposuit, sic animum eius dirigente Domino.

Tertia pertinebat ad ipsum Iosephum. Cauendum erat, ne ille olim in Aegypto malè propitius esset
fratribus, memor eorum quæ in se designassent. Quare præmittenda erant hæc somnia, quorum postea
recordatus intelligeret non studio fratrum, sed Dei consilio factum esse, ut uenderetur in Aegyptum.
Possunt & aliæ forsan causæ assignari, uerùm istæ in præsenti occurrerunt.

Deinde inspicienda sunt ipsa somnia. Bis somniauit eiusdem quidem argumenti somniũ, uerùm haud *Qualia fuerint Ioſephi ſomnia.*
præter rationem secundò immissum. Primum somnium futurum monstrabat, ut filij Iacob Iosephum
fratrem suum adorarent in Aegypto. Significabatur hoc per manipulorum incuruationem ante mani
pulum Iosephi factam. Quare non dicit simpliciter, Ecce manipulus surrexit, & alij manipuli incurua-
bant se coram eo: sed, Ecce manipulus meus surrexit, & stetit etiam, & ecce manipuli uestri circumcirca
incuruabant se coram me: factum hoc postea est cum fratres eius ad emendum triticum in Aegyptum
à patre missi coram illo sese incuruarent. Pulchre autem & competenter propositum fuit hoc somnium
per manipulos, qui colligendi tritici gratia ligantur in agro, & in horreum uehuntur. Secundum som-
nium futurum innuebat, ut ipse Iacob, cum filijs undecim, omniq; domo sua descenderet ad Iosephum
in Aegyptum, ut sub umbra illius uiueret, & gloriam principatus eius uideret. Quoniam descensus ille
Israelis ad Iosephum magni erat momenti, & planè illustris, somnium de illo non est iterum in manipu
lis ut antea uel re alia humiliore, sed in Sole, luna, & stellis propositum. Et ecce, inquit, Sol, luna, & stellæ
undecim incuruarunt se coram me. Totus cœli ornatus est in Sole, luna, & stellis. Et totus ornatus Ec-
clesiæ Dei erat tum in Iacob, uxoribus, & filijs eius. Sic monstrabatur per incuruationem cœlestis orna- *Mysterium Chri ſti.*
tus, futurum ut domus Iacob, Ecclesia Dei, Iosephum in Aegypto ueneraretur. Qua in re propositum
uidemus typum Christi, quem omne genu cœlestium, terrestrium, & inferorum adorare coguntur.

Et dixerunt ei fratres ipsius. Num regnando regnabis super nos? Et, num dominando dominaberis inter nos?] Au- *Carnales fratres*
dis uocem carnalium fratrum, quibus nihil est intolerabilius & odiosius, quàm regnum fraternum. Ci-
tius subijci sustinent homini alienissimo quàm fratri. Simul uide illorum cæcitatem. Erat utiq; regna
turus Ioseph. Gloria regni eius Israeli futura erat & honorifica & commoda. Verùm quod non intelli-
gunt, perinde auersantur ac si futurum ipsis esset summo dedecori. Idem fecerunt etiam posteri patrum
istorum erga Christum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Item: Regem non habemus nisi Cę *Chriſtus.*
sarem. Nos uerò, qui Christo sumus initiati, agnoscamus regni eius gloriam & utilitatem, & ex animo
gloriemur, quòd fratrem habemus regem regum & dominum dominantium.

Et narrauit hoc patri suo ac fratribus suis.] Vide simplicitatem pueri. somnia sua non modò narrat *Exemplum can-*
fratribus & patri, sed & absq; ulla dissimulatione sic narrat ut somniauerat, nihil demens de illis, ne ea *doris & ſimpli-*
quidem quæ & fratres erant offensura uehementer, & patri admodum displicere poterant. Tales ani- *citatis.*
mos & inspirare & agere solet Deus, neglectis prudentibus & astutis.

Et increpauit eum pater eius, inquit, dixitq; ei: Quid hoc somnij est quod somniasti? Nunquid ueniendo ueniemus
ego & mater tua & fratres tui ut incuruemus nos coram te in terram?] Increpatio hæc absurditatis redargu-
tionem & exprobrationem habet, quod uerba attinet. Etenim admodum absurdum uidetur in men-
tem uel per somnium uenire filio, fore ut adoretur à patre, matre, & fratribus, nedum ista, etiamsi so-
mniata fuerint, alicuius facere, & ipsis parentibus ac fratribus exponere. Sic increpauit Iacob dilectum
suum filium coram reliquis illius fratribus, quos sciebat illi alioqui plus satis esse infensos.

Obseruandum hic est, quòd Iacob somnium filij sui hactenus intellexit, quatenus per incuruationem *Imago patris Sol*
Solis, Lunæ, & stellarum undecim, præfiguratum erat, quòd se esset coram illo cum suis olim incuruatu *eſt, uxoris Luna,*
rus. Per Solem intellexit se, per Lunam uxorem, per undecim stellas undecim filios significari. Est igi- *filiorum ſtellæ.*
tur paterfamilias in domo quod Sol est in cœlo, uxor quod Luna, filij quod stellæ. Quantũ discriminis
est inter Solem & Lunam, tantum est inter maritum & illius uxorem: rursus inter filios, & patrem ac
matrem tantum est differentiæ quantum est inter stellas, & duo magna Solis & Lunæ luminaria. Præ-
sente Sole, nihil lucis habent Luna & stellæ. Præsente patrefamilias, nihil potestatis esse conuenit nec
matri, nec filijs, sed omnis authoritas uni debetur patri. Absente Sole, lucent in cœlo Luna & stellæ. Est
& stellis sua lux, sed maior ac præcellentior Lunæ. Absente patrefamilias administratio domestica, ue-
lut in tenebris nocturnis, incumbit matri cum filijs, sic tamen ut matris potior sit authoritas. Horum &
consimilium consideratione uidemus quàm sit aptissima præfiguratio patris, matris & filiorum in So
le, Luna & stellis proposita Iosepho.

Quomodo adimpletio somnij cũ ipso somnio conuenerit.

De matre Ioſephi.

Naſcitur autem hic quæſtio, quomodo ueritas ipſius futuræ rei cum figuratiuo hoc inſomnio Ioſephi cõuenerit. Etenim mater Ioſephi tum iam erat mortua, nedum cum in Aegyptum deſcenderet Iacob, ut nequiuerit in ea impleri quod ſomnium in figura Lunæ præſignabat. Deinde nec de ipſo Iacobo legimus, quòd ſe cum filijs undecim in Aegypto corã filio ſuo Ioſeph incuruauerit. Quomodo igitur impletum eſt hoc ſomnium, in uiſione Solis & Lunæ propoſitum? Deinde de eo quoque quæri poterit, quomodo Iacob de matre dixerit: Num ego & mater tua &c. ueniendo ueniemus, & incuruabimus nos coram te ad terram, cum illa iam è uiuis exceſsiſſet?

Quod priorem quæſtionem attinet, arbitror non eſſe ipſum incuruationis actum in patre reſpiciendum, nec de matre Ioſephi quærendum: ſed ſatis ad impletionem ſomnij huius feciſſe, quòd Iacob in Aegyptum cum omni domo ſua ad Ioſephum filium, in Aegyptum deſcendit. Licet enim non deſcenderit ut ſeſe coram illo incuruaret, deſcendit tamen ad talem tum temporis filium, Aegypti poſt regem dominum ac principem, coram quo ſe meritò incuruaſſet, niſi pater fuiſſet. Ipſa conditio Iacob talis erat reſpectu maieſtatis Ioſephi, ut ſe coram illo incuruaturus fuerit, niſi aliud uoluiſſet filij regnantis modeſtia & pietas. Et quis nouit, quid factum ſit à ſene, cum initio gloriam & maieſtatem filij non ſtupore cerneret? Domi meritò ueneratur filius parentem, foris uerò, ubi filius eſt in officio magiſtratus, non eſt inconueniens ſi pater priuatus filium principem debito cum honore ueneretur. Non dico ſic factum eſſe à Iacobo, uel Ioſephum tale quid fuiſſe patri permiſſurum, ſed de differenti utriuſq; patris & filij conditione conſideranda admoneo.

Quod poſteriorem quæſtionem concernit, diuerſimodè reſpondetur. Alij ſentiunt Iacobum matris feciſſe mentionem hoc ſenſu. Vel ex eo poteris intelligere ſomnij tui abſurditatem & inconuenientiam, quod mater tua, quæ per Lunam ſignificari uidetur, haud ſupereſt amplius, atque ita fieri non poteſt, ut ſe coram te incuruet ad terram. Alij putant hæc eſſe facta uiuente adhuc Rahele, priuſquàm ueniſſet Iacob ad Iſaac patrem ſuum in Hebron. Verùm hæc ſententia non conuenit cum eo quod de undecim fratribus additur. Tum enim nondum erat natus Beniamin. Niſi dicamus quod de undecim ſtellis ponitur, referendum eſſe ad numerum filiorum Iacob non qui tum erat, ſed qui futurus erat cum res ipſa gerenda eſſet in Aegypto. Adhuc alij per matrem Ioſephi intelligunt hoc loco non Rahelem, ſed Bileham, quæ illi poſt mortem Rahelis matris erat loco. Harum ſententiarum aliqua poteſt eſſe uera. Mihi poſterior uidetur eſſe, pbabilior. Chryſoſtomus hac de re ſic annotauit: Adorauit, inquit, Iſrael ad faſtigium uirgæ illius. Vide ſenem, decrepitum, patriarcham, adoratione honorem Ioſeph declarare, & reipſa implere uiſionis euentum. Quando enim narrauit Ioſeph uiſionem, dixit: Nunquid ego & mater tua ueniemus, & adorabimus te ſuper terram? Sed fortè dixerit aliquis: Et quomodo impletum eſt ſomnium in matre? quæ iam antea defuncta erat, & filium non adorauit? Perpetuus ſcripturæ mos eſt, à magis principali totum ſignificare. Quoniam igitur caput mulieris uir, cum adorauit caput, manifeſtum eſt quod corpus totum hac ratione attigit. Multo magis illa niſi ex hac uita prærepta fuiſſet, hoc feciſſet. Hæc ille.

Et oderunt eum fratres eius, pater uerò eius conſeruabat hoc uerbum.] Obſerua primùm, quàm nequeat ſpiritus S. ſatis meminiſſe, quod filij Iacob oderint fratrem ſuum Ioſeph. Iam enim quartò odij huius mentionem facit, ut admoneat quàm ſit grande peccatum, ſi frater odiat fratrem. Deinde uide hic quantum diſcriminis ſit inter patrem erga filium, & inter fratres erga fratrem, non modò quod iudicium, ſed & quod affectus attinet. Fratres malè accipiunt, quæ de ſomnijs ſuis narrabat Ioſeph, & pro ingenij ſui malitia narranti acerbè inſultant. Pater uerò uerbum illius conſeruat, hoc eſt, non exufflat in aerem, & malignè inſectatur, ſed ſecum ipſe perpendit, quid nam ſibi ſomnia illius portendant. Increpat quidem, increpant & illi, ſed diuerſimodè. Ille ſic ut interea quod narrabatur non contemnat, iſti uerò ex odio, quare & prorſus nulla cogitatione ſaniore ſomnia hæc inſpicere dignantur, ſed magis inde cauſas augeſcendi odij ſumunt. Tantum intereſt uidelicet, quomodo animati ſumus erga fratres. Qui non odiunt, haud citò malignè iudicant. Oſor uerò inſtar aranеæ undecunq; uenenum colligit, quod ſiniſtro iudicio effundat.

Et abierunt fratres eius, ad paſcendum greges patris ipſorum in Sichem. Et dixit Iſrael ad Ioſeph: An non fratres tui paſcunt in Sichem? Veni, mittam te ad eos. Et ait ei: Ecce ego. Et dixit ad eum, Vade quæſo, uide pacem fratrum tuorum, & pacem gregum, & refer mihi uerbum. Et miſit eum de ualle Hebron, & uenit in Sichem. Et inuenit eum uir, & ecce errabat in campo. Et interrogauit eum uir dicens, Quid quæris? Et ait: Fratres meos quæro, indica mihi quæſo ubi paſcant. Et dixit uir: Profecti ſunt hinc: audui enim eos dicentes: Eamus in Dothain. Et iuit Ioſeph poſt fratres ſuos, & inuenit eos in Dothain.] Hactenus Moſes odium filiorum Iacob quo aduerſus Ioſephum fratrem ſuum admodum exacerbati fuerant, unà cum cauſsis illius expoſuit iam conſequenter progreditur ad hiſtoriam uenditionis Ioſeph, tanquam opus odij fraterni. Haud ſimpliciter autem narrat, quòd uendiderint Ioſephum fratres ipſius, ſed occaſionem per quam, & emptores quibus illum uendiderint, ac precium etiam deſcribit. Ad occaſionem pertinent, quæ præſenti contextu memorantur.

Et abierunt, inquit, fratres eius ad paſcendum greges patris ipſorum. Certis quibuſdam anni temporibus domi agebant, cæterùm in campo morabantur paſcendis gregibus dediti. Sic accidit cum domi eſſent apud patrem, ut Ioſeph illis ſomnia ſua exponeret, unde magis ac magis illifacti infenſi, ubi tempeſtiuum erat, profecti ſunt ad paſcendos greges. Obſeruandum hic eſt quomodo Iacob inſtituerit filios

filios suos. Habebat multos seruos, quorum curæ greges suos committere poterat, uerùm noluit filios alere segnes & ociosos. Deinde, si rationis fuisset consilio usus, filios suos, tanquàm terræ illius futuros hæredes & dominos, ad aulas Principum potius quàm ad pasturam gregum misisset. Credidit quipromissis diuinis, uerùm non accommodauit se illis more seculi, sed omnem eam causam prouidentiæ Dei commendauit, & interim pro more patrum suorum uixit & ipse & filios suos instituit. Abierunt, inquit, fratres eius ad pascendum greges patris ipsorum. Vide: seruiunt patri, cuius cor & delicias infensissimo odio prosequebantur. Osores fratris seruiunt patri. Sic colunt Christum pseudochristiani. Osores membrorum seruiunt capiti, qui filios Dei odiosissimè persequuntur. Deo seruire uideri uolunt, dum ritus externos in Ecclesiis exercent. Pecora patris custodiunt, & filium illi omnium charissimum uendunt. Quid autem peruersius excogitari poterit? Quid aliud faciunt, qui ligneas & lapideas imagines auro & argento prætextu cultus Dei ornant, & purpura uestiunt: filios uerò Dei, pro quibus mortuus est, & in quibus uiuit Seruator omnium Christus, pars contemnunt & perire finunt, pars etiam ad mortem usq; persequuntur?

In Sichem inquit.] Non loquitur de ciuitate Sichem, aliàs Shalem, quã propter stuprum Dinæ gladio uastauerant. Locus hic Sichem, pastura tantum hac gregum Iacob nobilis, haud procul ab Hebron fuisse uidetur. Quanquam Shlomoh de memorata in præcedentibus ciuitate intelligit. Verùm non uideo, quid nec esse fuerit filios Iacob greges patris in hunc locum reducere, in quo tantam antea cædem exercuerant.

An non fratres tui pascunt in Sichem? Veni, mittam te ad eos. Et ait: Ecce ego. Et dixit ei: Vade quæso, &c. Apparet seni fuisse hoc in consueto, ut Iosephum mitteret ad fratres illius uisendi gratia, quid nam gererent, & quomodo haberent greges, ut per hunc quæ huiusmodi erant cognosceret. Qua in re obseruandum est exemplum solliciti patrisfamilias, cuius est non sic permittere filijs gerendarum rerũ curam, ut ipse interea securus in utramuis dormiat aurem.

Deinde obserua etiam hic candidi ingenij simplicitatem tam in Iacobo quàm Iosepho. Non poterat Iacob ignorare, quomodo affecti essent filij ipsius erga Iosephum, nec ipsi hoc Iosepho erat incognitum, & tamen ille mittit, & hic se mitti sustinet ad fratres admodum sibi infensos, idq; in deserta loca, ubi quæ gererentur, haud citò ad conscientiam patris pertingere poterant. Sciebant quidem animos fratrum non esse serenos, uerùm tantopere exacerbatos esse ut aliquid iniqui tentaturi essent, id demum ne suspicabantur quidem, Sic sunt comparati homines candidi & synceri. Perpetuò meliora sibi de quo
a uis pollicentur, ideoq; facillimè falluntur, ut uerissimum sit quod ille ait, ἀφύλακτον ἡ ἁπλότης καὶ ἠπίαν κακίαν ὑφορᾶται τὸ πανοῦργον ἐλεύθερον. Vt mali non sunt, ita ægerrimè de alijs quòd mali sint suspicari possunt.

Simul obserua diuinæ prouidentiæ dispositionem. Sic erat diuinitùs constitutum, ut uenderetur Ioseph in Aegyptum. Hoc ignorabat uterq; & Iacob & Ioseph. Qui uerò non modò præscit futura omnia, sed & cuncta pro singulari sua prudentia dirigit & disponit, quod prædestinarat ut fieret, sic etiam direxit ac moderatus est, ut Iacob filium suum mitteret ad illius fratres, & ille patri obsequens ad eos proficisceretur, quos habebat inimicissimos. Duo sanctissimi homines ac Deo charissimi sic aguntur spiritu Dei, ut quamuis aliud agentes faciant tamen quod constituerat diuina prouidentia, omnium eorum quæ euentura erant prorsus ignari. Viderat in somnis Ioseph, quid ipsi & fratribus, immo & patri cum omni domo illius futurum esset in Aegypto: quid uerò passurus esset à fratribus, ad quos iussu patris proficiscebatur, non uiderat. Sic etiam pientissimos homines dirigit Deus, ut per ignorantiam seruiant ipsius prouidentiæ faciantq; ignorantes quod ægrè essent facturi scientes.

Vide pacem fratrum tuorum & pacem gregum.] In Ebr. sic habet: ראה את שלום אחיך ראת שלרמצאן. Voculam את accipiunt nonnulli hoc loco pro אם, id est, si, & uertunt, & uide si pax sit fatribus tuis, & si pax sit ouibus. Vox שלום autem sumitur ab Ebræis pro rerum successu, tranquillitate & prosperitate. Sept. uert. εἰ ὑγιαίνουσιν οἱ ἀδελφοί σου καὶ τὰ πρόβατα, id est, num sani sint fratres tui & oues. Et uulgat. Et uide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora. Hic erat animus patris erga filios, & pastoris erga pecora sua. Non modò sperabat rectè geri cum illis omnia, sed & id certo indicio scire cupiebat. Hoc studio mittit charissimum filium. Hunc illi acceptum occidissent, nisi aliud statuisset Deus, uendiderunt tamen in Aegyptum. Consimili modò usuuenit Christo unigenito Dei, nisi quòd illi nihil euenit imprudenter & improuisum, & quòd non uidendi, sed seruandi gratia ad populum suum à patre missus descendit.

Et refer mihi uerbum.] Ebraismus uox uerbi de re ipsa sumitur, quæ uerbo exponitur. Refer mihi, inquit, rem ipsam ut habet. Est hæc loquutio nota & frequens in scripturis.

Et misit eum de ualle Hebron, & uenit in Sichem. Hinc patet, quæ gesta sunt cum Iosepho, gesta esse post obitum matris, cum uenisset Iacob ad Isaacum patrem suum in Hebron, & cum illo habitaret.

Et inuenit eum uir.] Quis uir iste fuerit, non meminit Moses. Quoniam autem ex ipso rerum euentu patet, occurrisse eum Iosepho non sine prouidentia Dei, existimant Ebræi quidam fuisse eum angelum Dei. Et Shlomoh dicit eum fuisse Gabrielem. Verùm non potest hoc certò affirmari. Potuit Deus unũ ex pastoribus eius regionis in occursum mittere Iosepho, per quem de fratribus suis edoceretur, quonam loco cum gregibus agerent. Non est diuina prouidentia angelorum alliganda ministerio, cui seruiunt

uiunt non angeli tantum, sed & homines, & quicquid in cœlo est & in terra. Quare agnoscenda est uoluntas & dispositio Dei non modò quando mittit angelos, sed & quando quarumcunq; nobis creaturarum ministerio succurrit.

Et ecce errabat in campo.] Errabat non ignarus uiæ, sed quoniam non inuenerat fratres in Sichem, nec sciebat ubi locorum agerent, quærens eos, & quærendo oberrans. Vnde & interrogatus, quidnam quæreret, respondit: Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant. Non dicit: Sichem eo, indica quæ sit uia.

Et interrogauit eum, dicens: Quid quæris?] Vide exemplum humanitatis. cum uideret uir iste puerum oberrantem, & aliquid quærentem, prior illum alloquitur, interrogans quidnam quærat. Sic animati sunt homines boni & humani. Vbi uident tristem, percontantur quidnam acciderit molesti: uident errantem, interrogant quo nam eat: uident quærentem: quid quærat, interrogant. Reperias adeò duros & inhumanos, ut appellati etiam ægerrimè respondeant.

Et ait, Fratres meos quæro, indica mihi, quæso, ubi pascant.] Quærebat fratres, inuenturus lethales hostes. Euenit hoc etiam hodie multis bonis uiris. Et sic sunt corruptæ res humanæ ac peruersæ, ut aliud quærentes, aliud inueniamus. Alius quærit uitam apud medicum, & inuenit mortem: alius iustitiam apud tribunal iudicum, & inuenit iniustitiam, secundum dictum prophetæ, Vidi in loco iustitiæ iniquitatem: alius ueritatem sanæ doctrinæ, & inuenit mendacium. Sic multis accidit, ut dum fratres quærunt, inueniant inimicos. Haud enim nouum est, ut etiam in domo Dei & inter filios Iacob sub nomine & professione fratrum lateant inimicissimi hostes.

Et dixit uir: Profecti sunt hinc: Audiui enim eos dicentes: Eamus in Dothain.] Pro more pastorum subinde iuxta regionum qualitatem, ac pecorum necessitatem mutabant loca pascua. Sic relicta Sichem migrauerant in Dothain, qui locus, ut annotat Hieron. duodecim milliaribus distat à Samaria. Et hoc non sine diuinæ prouidentiæ instinctu fecerant. Etenim sic erat diuinitus destinatum, ut quod facturi erant, facerent eo loco, quem transituri erant negociatores, Iosephum empturi, & in Aegyptum abducturi.

Et iuit Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothain.] Vide ingenium animi uerè obedientis. Ioseph magis mentem patris respexit, quàm uerba. Dixerat Iacob: An non sunt fratres tui in Sichem? ueni, mittam te ad eos. Poterat ergo Ioseph dicere, Misit me pater non in Dothain, sed in Sichem, atque ita redire domum, & uel hoc indicare patri, quod fratres suos non inuenisset in Sichem. Verùm, quoniam sciebat uoluntatem patris esse, ut uideret quomodo haberent fratres ac greges, & quæ uidisset ac percepisset, ad conscientiam illius referret, accommodauit se magis uoluntati eius quàm uerbis. Qui non obediunt ex animo, ubi se uerbis iubentis utcunque in speciem satisfeciisse putant, haud progrediuntur ultrà, etiamsi intelligant non esse menti ac uoluntati illius satisfactum. Etenim non hoc agunt, ut ritè seruiant & obediant, sed ne non obediuisse uideantur, qualitercunque & perfunctoriè faciunt, quod uerba iubentis sonasse uidentur.

Et uiderunt eum procul, & priusquàm appropinquasset ad ipsos, cogitauerunt contra eum malitiosè ad occidendum eum. Et dixit uir ad fratrem suum: Ecce magister ille somniorum uenit. Et nunc uenite occidamus eum, ac proijciamus eum in cisternam aliquam, dicamusq;, Mala bestia comedit eum: & uideamus, quid futura sint illius somnia.] Occasionem nacti fratres Ioseph, exaturandi odij, quo aduersus eum flagrabant, consultant de occidendo eo. Tanta inerat illis odij acerbitas. Et uiderunt eum procul, inquit, & priusquàm appropinquasset ad ipsos, cogitauerunt contra eum malitiosè ad occidendum eum. Memorat hoc Moses ad tuendam innocentiam Ioseph, ac significandum, quod nihil occasionis obiecerit illis unde ad cruenta ista consilia permoueri debuerint. Etenim priusquam ueniisset ad eos, cum esset adhuc procul, consilia interimendi ipsum cæperunt. Deinde malitiosam illorum consultationem exprimit etiam dicens, Et dixit uir ad fratrem suum, id est alius ad alium: Ecce magister ille somniorum uenit (in Ebræo est בעל החלמות. uulgata latina simpliciter habet somniator) uenite occidamus eum, &c. Tria habet illorum consultatio. Primum est, quid uelint facere: secundum, quomodo uelint factum celare: tertium, quorsum hoc facere uelint. Quid facere uelint, edicunt ad hunc modum: Venite, occidamus eum. Quod si quisquam ex illis dixisset, Ibo & occidam eum: uideri poterat solus tam esse acerbo animo erga fratrem. Iam cum alius ad alium dicunt, Venite, occidamus eum: declaratur hac communi prouocatione, fuisse inter eos odium aduersus fratrem usqueadeò commune, ut singulis fuerit notissimum quid quisque de illo sentiret. Alioqui locum inter eos non habuisset communis ista prouocatio, Venite, occidamus eum. Colloquia inter eos domi & in pastu pecudum uersata singulorum animos patefecerant. Hinc nata est fiducia illa mutua, qua tam cruentum & parricidale consilium in medium proponere nemo illorum ueritus fuit. Admonemur hic, quàm sit cruentum ingenium odij, & humanæ naturæ usqueadeò inimicum, ut etiam fratrum animos ad sanguinis fraterni effusionem impellat. Deinde quàm sit pestilens illa societas, qua mutuis detractionibus, incitationibus, & prouocationibus odium ab uno & altero conceptum, aliorum animis instar ueneni instillatur, & ex priuato catholicum redditur. Leah sic fuerat æmula Rahelis, ut & filios suos æmulationis spiritu aduersus filios Rahelis infecerit. Hinc principium sinistri illorũ animi in Iosephum.

Innocentia Iosephi.

Quid facere uoluerint.

Commune odiũ.

Cruentum ingenium odij.

Pestilẽs societas.

Iosephum. Accesserunt postea causæ odiorum non datæ, sed acceptæ, de quibus suprà facta est mentio. Has alij aliorum animis quotidianis querelis odiosiores reddiderunt, atq; ita commune odium aduersus Iosephum incenderunt.

Quomodo factum celare uelint, in eo declarant, quod subijciunt, Ac proijciamus eum in cisternam aliquam: dicamusq;, Mala bestia comedit eum. In cisternam aliquam uolebāt occisum proijcere, ne quo pacto cadauer illius inuentum, facinoris inquisitionem gigneret. Et ut patrem fallerent, ne ex ipsis de amisso filio inquireret, quoniam ad ipsos fuerat missus, excogitarunt hoc commentum de feris, quæ loca deserta periculosa reddere, & præsertim circa greges ouium prædandi gratia obuersari solent. Videmus hic coniunctionem maliciæ & uersutiæ. Hoc modo comparati sunt animi maligni, ut adunctam habent astutiam, ad obtegendum quæ malicioſe uel machinantur, uel perpetrarunt. Tam ingeniosi non sunt boni, ut benefacta sua conscientijs mortalium commendent: quàm sunt astuti mali, ut malefacta sua dissimulent & occultent.

Coniunctio maliciæ & uersutiæ.

Deinde obserua discrimen inter ea quæ ex ira & furore, & ea quæ ex odio & ingenij malicia fiunt. Qui iratus occidit, non præcogitat de celando homicidio: facit autem hoc, qui necem fratris ex odio præmeditatur. Sic filij Iacob ante necem, immo priusquam uenisset ad eos Ioseph, uersutiam obtegendi parricidij comminiscuntur.

Discrimē iræ & odij.

Quid causæ facinori suo prætexuerint, in eo est expressum, quod dixerūt, Ecce magister somniorum uenit. De somnijs illius suprà meminit Moses, & adiecit, dedisse illa occasionē augescendi odij fraterni. Obseruandū aūt hic est, quod nō dicunt, Ecce filius Rahelis: uel, Ecce deliciū patris nostri uenit, cum tamen hinc esset fons odij. Qui hasce uoces spargebant, nolebant uideri tales, qui Iosephum propterea odio prosequerentur, q̄ patri cumprimis esset charus, sed somnia illius prætexebant. Sic est ingenium eorum qui odiunt. Primarias odij causas dissimulant, & interim uel cōminiscuntur uel arripiunt alias friuolas: quæ etsi ueræ sint, tanti tamen non sunt, ut acerbum odium & consilia cruenta promereantur. Si fratrem dilexissent, somnia illius melius interpretati fuissent. Etenim in se, etiamsi uana fuissent, tanti facienda non erant, ut illorum gratia interitus esset fratri intentandus.

Quid causæ facinori suo prætexuerint.

Et illud considerandum est, quod uocant eum Magistrum somniorum. Apparet eum non modò sua hæc illis recitasse somnia, sed illorum quoq; subinde exposuisse. Etenim non mox magister somniorum uocari potest, quisquis somniat: sed is demum sic uocandus uidetur, qui donū habet interpretandi somnia. At hoc Iosepho diuinitus fuisse concessum, infrà patet. Vide igitur quanta sit ista peruersitas, qua donū Dei in fratre, quo postea bene erant usuri, nō modò irrident, sed & in causam interimendi ipsum rapiunt. Magistrū esse somniorum nec malum est, nec humanarū uiriū, sed utile & admiratione dignū.

Magister somniorum.

Quorsum aūt occidere eum uelint, in eo significant quod dicunt: Et uideamus quid futura sint illius somnia. Vide insaniam. Ad id ne occidendus erat frater, ut experimentum de somnijs illius caperetur, uerá ne essent uel falsa? Poterant hoc facere quiescendo, & euentum rerum expectando. Veritas dictorum non est morte quærenda. Verùm nō hoc agebatur, ut discerent quid futura essent illius somnia, sed ut è medio tollerent eum, quē sic odiebāt, ut ne loqui quidem cū eo possent, nisi iurganter & acerbè. Et hoc est odij ingeniū, ut uerū sit illud: Quē quis odit, perire cupit. Cæterū somniorū istorū ueritatē tandem sunt experti, idq; non sine tremore, ubi corā fratre in Aegypto ad terram prociderūt. Vide Sap. 5.

Quorsum eū occidere uelint.

Et audiuit Ruben, & eripuit eum de manu eorum, & dixit: Ne percutiamus animā. Et dixit ad eos Ruben: Ne effundatis sanguinē. Proijcite eum in cisternā illam quæ est in deserto, & manū ne mittatis in eum: ut eriperet eum de manu eorū, ac reduceret eum ad patrem eius.] Historiā hanc Moses diligenter describit. Exposuit propositum filiorum Iacob, aduersus Iosephum fratrem ipsorum. Iam cōsequenter subiungit, quomodo non successerit quod illi constituerāt. Consilium necis erat contra prædestinationem Dei, qua constitutum erat, ut præcederet Ioseph patrem, & fratres in Aegyptum. Quare fieri non poterat ut succederet quod moliebantur. Impulit ergo Deus quosdam ex ipsis oforibus Ioseph, qui consilium reliquorum impedirent. Qua in re uidemus admirabile diuinæ prodentiæ exemplum. Filij Leæ erant Iosepho infensiores quàm cæteri. Et ex illis ipsis impelluntur Ruben & Iudas diuinitus, ut reliquorum maliciæ obsisterent, id quod Iosepho omniū minimè sperandum erat. Sic nouit Dominus ex ipsis inimicis sumere per quos inimicorum furori resistat. Nemo aderat ex amicis qui Iosepho succurreret. Sumuntur igitur ex ipso inimicorum gremio, qui hoc præter opinionem faciant. Quis igitur de salute electorū desperabit, quando illa, ubi desunt amici, etiam ex inimicis parari potest?

Exemplum diuinæ prouidentiæ.

Et audiuit, inquit, Ruben.] Ergo non dixerat Ruben cū alijs: Venite, occidamus eum, sed hoc à reliquis dici audierat. Iudā quoq; hoc nō dixisse, patet ex sequētibus. Simeon igit & Leui cōsilij huius erāt authores, tanq̄ cæteris acerbiores. Et istis adhæserūt Isaschar & Zabulon, & filij Zilphæ Gad & Aser. Ruben uerò primogenitus erat, ideoq; diuinitus agebatur, ut consilium istorum haud probaret, sed pro authoritate sua infringeret.

Et eripuit eum de manu eorum.] Intellige, ne occideretur. Sicut illi consilium occidendi Iosephum cæperant, priusquā ad ipsos uenisset, ita illum Deus puer Ruben liberauit, tanq̄ in manus eorū peruenisset.

Et dixit: Ne percutiamus animam.] Summatim dixerat, Et eripuit eum de manu eorū: idiam explicat, qūo & quatenus sit factū. Qūo liberarit eum, exponit cum dicit: Et dixit: Ne percutiamus animā. Non uiribus, sed uerbis liberauit Iosephū. Viribus erat cæteris impar, usus est ergo uerbis. Admonemur hoc exemplo ut q̄d uiribus prēstare nō possumus, uerbis præstare conemur. Etenim accidit sæpenumero, ut

Vbi uires desunt, uerba prudenter usurpentur.

locum habeãt uerba, ſintq; efficacia, ubi uires nec locũ, nec aliquid habent efficaciæ. Conſideremus etiã qualibus uſus ſit uerbis. Nam & in uerbis multũ eſt diſcriminis, & plurimũ refert, quid & q̃ opportunè dicaſ. Verbis uſus eſt nec increpatorijs, nec obiurgatorijs, immo nec imperatorijs, ſed diſſuaſorijs ac dehortatorijs. Neq; enim increpando, aut obiurgando, uel imperãdo, aliquid effeciſſet, quin animos acerbos acerbiores reddidiſſet. Et uide q̃ etiã diſſuaſorijs prudenter ſit uſus. Nõ dixit, Ne percutiatis animã: ſed, Ne percutiamus animã. Haud ſe ab illis ſeiũxit, ſed diſſuaſionẽ ꝓtulit quę cõmuniter ad omnes tã ſe q̃ cæteros pertineret. Nolebat uideri talis, qui ſe ab illis ſeiungeret, ut hoc efficacius diſſuaderet. Nec dixit, Ne percutiamus fratrem, ne quid beneuolentiæ erga Ioſephum tanq fratrem ſpirare uideretur: ſed, Ne percutiamus animã: admonens, cauendũ eſſe homicidiũ, quicquid ſit de fratricidio, cuius mentionẽ facere nõ audebat, ne illi regererẽt, non eſſe eum fratrẽ, ſed delatorẽ fratrũ, & imperiũ ſuper fratres affectantem. Hominem eſſe negare non poterant: nec diffiteri licebat, magnum eſſe homicidij peccatum.

Locutio iſta, Ne percutiamus animam, non eſt ad calculos philoſophiæ exigenda ac diuexanda. Loquitur ſcriptura ſuo more. Animam uocat hominem, corpus animatum. Cum dicit animam non eſſe percutiendam, intelligit de homine non occidendo. Aliàs, anima hominis ſeparatim conſiderata, occidi non poteſt: eſt enim immortalis.

Et dixit ad eos Ruben: Ne effundatis ſanguinem.] Apparet eos non eſſe ſtatim diſſuaſione Ruben à propoſito reuocatos, ideoq; neceſſariũ fuiſſe, ut ſecundò eos dehortaretur. Vt hoc ſignificaret Moſes, repetijt hanc particulam, Et dixit ad eos Ruben: quam latinus interpres ſuo more ſuperfluam eſſe putans, omiſit. Ne effundatis, inquit, ſanguinem. Q.d. Scitis prohibitũ eſſe à Deo cum interminatione, ne quis ſanguinẽ hominis effundat. Hac de re ſuprà cap. 9. ſtatim poſt diluuiũ præceptũ eſt Noe ac filijs eius ad hunc modum: De manu uiri ac fratris eius requirã animam hominis. Quicunq; effuderit humanũ ſanguinẽ, fundet ſanguis illius. Ad imaginẽ quippe Dei factus eſt homo. Lex illa dubio procul ab illis eſt ꝓpagata ad poſteros, ac omnibus facta notiſsima. Hanc obijcit Ruben fratribus ad cædẽ anhelantibus.

Deinde cum uideret obtineri nõ poſſe, ut Ioſephum liberum & incolumem ad patrem remitterent, adiecit tale conſilium, quod & ab ipſis admitteretur, & ad præſentis furoris mitigationem conduceret. Proijcite eum, inquit, in ciſternam illam quæ eſt in deſerto, & manum ne mittatis in eum. Q.d. Sic cauebitis, ne ſanguinem eius effundatis, & ſimul efficietis, ut ad patrem redire nequeat, ſed in ciſterna fame pereat. Atqui & hoc erat perdere animam. Sciebat hoc Ruben. Verùm hac ratione fieri poſſe ſperabat, ut extractum è ciſterna puerum ſaluum remittere patri. Et hoc illius propoſitum aperit Moſes, cum dicit: Vt eriperet eum de manu eorum ac reduceret ad patrem eius.

Quã moderatè & prudenter egerit Ruben.

Obſeruandum hic eſt, quàm moderatè & prudenter egerit Ruben. Duo agebat. Vnum, ut cædem fratris prohiberet: alterũ, ut patri illum reſtitueret. Primùm agebat fortiter abſq; ulla diſſimulatione, conſtans in diſſuadendo: alterũ uerò diſſimulanter, & per obliquũ. Non audebat dicere, Remitte patri filiũ ſuum ſaluum & illæſum. Igitur ſuadet, ut proijciant eum uiuum in ciſternam, eamq; non quamuis, ſed certam ac determinatam, unde eum poſtea poſſet illis inſcijs educere. Hac debemus prudentia, quoties auocandi ſunt fratres à ſcelerum perpetratione.

Quomodo Deus conſilia etiã piorum diſpenſet.

Simul etiam cogitandũ hic eſt, qũo conſilia mortaliũ etiã bona in ſpeciem, diſpenſet Deus. Bonũ erat duplici nomine quod Ruben prohibebat, ne ſanguis fratris funderetur. Primũ in ſe, deinde reſpectu ſingularis conſilij & propoſiti Dei, quo deſtinatũ erat, ut uenderetur in Aegyptũ. In ſpeciem bonum erat, quòd uolebat eum reſtituere patri. Non auſim dicere, ꝙ hoc illius conſilium uerè fuerit bonũ, ne dicendũ ſit, noluiſſe Deum fieri quod uerè bonũ fuerit. Etenim cenſurã boni nõ tam ſecundũ qualitatẽ rerum, q̃ ſecundũ diuinã uoluntatẽ faciendã eſſe ſentio. Ignorabat Ruben, eſſe prçter cõſiliũ Dei, q̃d moliebat. Et tamen abſq; culpa, immo cũ laude hoc eſt facere conatus. Deus uerò in priori dedit, ut efficeret q̃d uolebat: in poſteriori nõ dedit, ſicuti uidebimus in ſequentibus. Efficaciã dedit in eo q̃d ſic bonũ erat, ut ſimul uoluntati ipſius & cõſilio ſingulari eſſet cõforme: in eo uerò non dedit, ꝙ q̃is in ſe bonũ eſſe uideretur, propoſito tamẽ ipſius repugnabat. Admonemur hoc exemplo, conandũ quidẽ eſſe omnibus, ut efficiamus quæ bona eſſe iudicamus. Verũ interea perpetuò memores ſimus, nõ dare Dñm conatibus noſtris effectũ, niſi quatenus ꝓpoſito uolũtatis ipſius fuerint cõformes. Nõ eſt inquirendũ nobis de ſecretioribus cõſilijs diuinę Maieſtatis: ſed curandũ ut omnia ſtudia noſtra ad præſcriptũ uerbi ipſius dirigamus. Q̃d ſi illa nõ ſucceſſerint, adorãda nobis eſt abſtruſa illius ſapiẽtia & prouidẽtia, cogitandũq; melius eſſe q̃d in occulto ſtatuit illa, q̃ q̃d nos efficiendũ eſſe putamus. Dũ iſta expẽdimus, uidemus quatenus liberauerit Ruben fratrẽ ſuũ. Hactenus uidelicet, ne fieret, q̃d fieri nolebat Deus, hoc eſt, ne occideret. Hactenus uerò illum eripere nõ potuit, ut nõ fieret quod propoſitũ erat à Deo, hoc eſt, ut nõ uenderet in Aegyptũ.

Et factum eſt, cum uenſſet Ioſeph ad fratres ſuos, expoliarũt Ioſephum tunica ipſius, tunica uariegata quæ erat ſuper ipſum, & acceptũ proiecerunt in ciſternã, & ciſterna erat uacua, aqua nõ erat in ea.] Quibus uerbis exceperint Ioſephum, non meminit Moſes: dubio procul talibus, quæ & acerbiſſimo illorũ odio & facto iniquiſſimo conueniebant. Expoliarunt, inquit, Ioſephũ tunica ipſius, tunica uariegata, quæ erat ſupra ipſum. Poterant eum cum tunica proijcere in ciſternam: uerùm q̃ iniquè tulerint, ꝙ hanc pãter ipſi ſingularis amoris gratia dederat, ſtatim initiò, cum ad eos uenſſet declararunt, dum hac illum ſpoliarunt, & nudatum in ciſternã proiecerũt. Quo ueſtimenti genere internè ueſtitus fuerit, ne prorſus eſſet nudus, non poteſt certò ſtatui. Credibile eſt pro more gentis indufio fuiſſe intra tunicam ueſtitum. In morem latrocinantium ſpoliarunt fratrem: extincturi prorſus, niſi impediti fuiſſent conſilio Ruben.

Et pro-

Et proiecerunt eum in cisternam, & cisterna erat uacua, & aqua nõ erat in ea. Vulgata latina habet, Miseruntq; eum in cisternam ueterem, quæ non habebat aquam. Quòd uetus cisterna fuerit, in Hebræo non habetur. Siue uetus fuerit, uel recens, nihil refert: satis erat, quòd aquam non habebat, siue illa iam olim defecerit, idq; sciuerit Ruben: siue tum primùm diuina fuerit operatione exinanita, & in hos usus præparata. R. Shlomoh putat sic fuisse uacuam, ut aquam nõ haberet: uacuam aũt sic non fuisse, ne serpentes haberet & scorpiones, & eam ob causam Mosem, cũ dixisset, Et cisterna erat uacua, adiecisse, Et aqua non erat in ea, ut significaret, aliàs non fuisse uacuam.

Vide quàm conuenienter Ioseph à fratribus proiectus fuerit in cisternam uacuam, quæ aquã non habebat. Cisterna sine aqua est frater sine charitate fraterna. Vbi in cisterna non est aqua, ibi plerunq; morantur serpentes & scorpiones, animalia uenenata & mortifera. Vbi fratres sunt sine charitate, ibi frigus est, in quo morantur uenenati & mortiferi affectus, odium, inuidia, cædes, &c. Quid igitur aliud erant fratres Ioseph, qui illum in cisternam uacuam proiecerunt, quàm cisterna sine aqua, & habitatio uenenatarum bestiarum? Tale est etiam quod Petrus uocat pseudepiscopos fontes sine aqua, 2. Pet. 2. *Cisterna sine aqua.*

Et sederunt ad manducandũ panem, leuaruntq; oculos suos, & uiderũt, & ecce turma Ismaelitarũ ueniebat de Gilead, & cameli eorũ portabant aromata, & resinam & stacten, & ibant ut deferrent in Aegyptũ.] Et ecce turma. In Hebræo est uox ארחה quæ significat uiam, & semitam, hic uerò pro comitatu & turma accipitur, ut sit continens pro contento, quemadmodũ domus pro domesticis sumitur. Aromata, & resinã, & stacten. In Hebræo est נכאת צחי ולט. uocem נכאת alij pro cera, alij pro aromatibus accipiunt. Sept. uerterũt θυμιάματα. צרי quidã pro balsamo, nõnulli pro theriaca, alij pro resina לט alij pro castanea, alij pro Masticha, alij pro stacte sumunt. Etiã Hebræi uariãt, quid nostri quod certũ sit tradere poterũt?

Et sederunt, inquit, *ad manducandum panem.*] Haud procul à cisterna consedisse eos arbitror, ut & panẽ manducarent, & simul lugubres Iosephi in cisterna algentis ploratus audirent. Vide exemplũ inhumanitatis. Quasi re bene gesta manducant & bibunt, nec ullo sensu humano, nedum fraterno tanguntur, id quod crudelius est, quàm q; fratrem in cisternam proiecerunt. *Exemplum inhumanitatis.* Tale est, quod Platina sibi euenisse in gestis Pauli secundi cõmemorat. Me quoq; ad pœnam uocant, inquit. Accingunt se operi carnifices, parant tormẽta, spolior, laceror, trudor, tanq; grassator & latro. Sedet Vianesius tanq; alter Minos strato tapetibus ac si in nuptijs esset, uel potius in cœna Atrei & Tãtali. Homo, inq;, sacris initiatus, & quẽ sacri canones uetant, de laicis quæstionem habere, ne si mors subsequatur, quod in tormentis interdum accidere solet, irregularis (ut eorum uerbo utar) & impius habeatur. Neq; hoc quidem contentus, dum penderẽ miser in ipsis cruciatibus monilia Sangæ Clugiensis attrectans, hominẽ rogabat, à qua puella donũ amoris habuisset. Hæc ille. Talia pectora non sunt carnea, sed saxea: non humana, sed diabolica. *Platina.*

Leuaruntq; oculos suos, & uiderunt, & ecce turma Ismaelitarum ueniebat de Gilead, &c. Chald. Paraphrastes pro Ismaelitis habet Arabes. Sentit negociatores istos uenisse ex Arabia, id quod admodum est probabile. Quare quod de Gilead uenisse dicuntur, propterea factum est, quòd per uiam montis Gilead uenerunt. Obseruandum nobis est, quàm opportunè uenerint, idq; non sine diuina dispositione, priusquam isti fratris oppressores ad custodiam & pastum ouium essent relicta cisterna dilapsi.

Et cameli eorum portabant aromata, &c. ut deferrent in Aegyptum.] Ergo uetus est hic negociãdi usus, per quem quod in una regione abundat, alteri egenti communicatur. Et huiusmodi negociatio admodum est utilis & necessaria, modò non seruiat amariciæ & luxui.

Et dixit Iehudah ad fratres suos, Quid proderit (nobis) si occiderimus fratrẽ nostrum, ac sanguinẽ eius celaueri mus? Venite uendamus eum Ismaelitis, & manus nostra non sit in eo, quoniã frater noster caro nostra est. Et audierunt fratres eius. Et transierunt uiri Midianitæ negociatores. Et extraxerunt & leuarunt Iosephum de cisterna, uenditideruntq; Iosephũ Ismaelitis pro uiginti argenteis. Et duxerunt Iosephũ in Aegyptũ.] Obtinuerat Ruben, instinctu Dei motus, ne cõfestim primo impetu occideret Ioseph, sed in cisternã uacuã quasi fame perimẽdus proijceret, donec illũ clanculũ extrahere ac patri restituere posset. Iam alia adest occasio, per quã puer neci subtractus uenderet in Aegyptũ. Hoc consilij diuinitus indit Iudæ, quarto filio Leæ. Tangitur hic partim metu Dei, partim cõmiseratione fraterni sanguinis, atq; ideo oblatã per aduentũ negociatorum occasionẽ arripiens, fratres ad hunc modũ alloquit: Quid proderit nobis, si occiderimus fratrẽ nostrũ, ac sanguinẽ eius celauerimus? Apparet ex his uerbis quo animo proiecerint eũ in cisternã. fame ui delicet intermendi. Hoc auertere cupiens Iudas, uelut in cõmune cũ fratribus deliberans, & causam hanc penitius introspiciens, percontatur eos, quid nam ex eo consecuturi sint utilitatis, si fratrẽ occidant, & mortẽ eius celent. Est enim sanguinẽ celare, idẽ quod necẽ cruentã celare, ne ad cuiusq; conscientiã perueniat. Argumento utitur ab inutili. Stultũ est aliquid facere quod sit inutile, quantũuis in se modicũ sit cũ momenti tum negocij. Rem uerò facere inhonestam, iniquã, crudelem ac omniũ mortaliũ iudicio detestabilem, unde nihil possit utilitatis expectari, periculi uerò, molestiarũ, & infamiæ plurimũ, quis non uidet esse hominum non simpliter stultorũ, sed prorsus insanorum ac deploratorum? Quare admonitio hæc Iudæ summopere notanda est, ac memori mente retinẽda, ut peccaturi nos interrogemus ipsi, ac dicamus: Quid utilitatis inde capies, si fratrem perdideris, si scortatus fueris, si adulterium admiseris, etiam si peccatum celes? Præstiterit hoc facere ante magis quàm post peccatũ. Verùm utinam uel post peccatum cum Paulo dicamus: Quem fructum ex eo retulimus, de quo nunc erubescimus. Rom. 6.

Deinde cogitemus etiam, quantũ boni ex eo sit, si peccaturos quisquã ad saniorẽ mentẽ reuocet. Qui tentatione ad obruũt, sic habẽt oculos mentis fascinatos, ut quã sint rem insanã perpetraturi, nõ uideãt. *Peccaturos reuocare.*

Quare

Quare diuinũ quid eſt, ſi in tẽpore quis q̃ oculos illis aperiat, ut ad ſe redire poſsint, & abſtinere à ſcelere.

Venite, uendamus eum Iſmaelitis.] Conſiliũ ex præſenti occaſione natũ. Quoniã uidebat Iſmaelitas illac tranſituros, homines mercatores, & exteros, quibus & puerum & ipſos incognitos eſſe iudicabat, per opportunũ fore exiſtimabat, ſi puerũ illis uenderent, & in Aegyptum abducendum traderent. Rationẽ annectit, dicens: Et non ſit in eo manus noſtra. Hoc eſt, Et haud ſimus rei fratricidij. Quã aũt magnum ſit fratricidij peccatũ, admonet cum dicit: Quoniã frater noſter caro noſtra eſt. Vulgata latina habet, & Sept. immo ferè omnes reliqui interpretes, dempto Pagnino: Quoniam frater noſter & caro noſtra eſt. Coniunctionem, Et, de ſuo adiecerunt. At Iudas nõ hoc admonet, q̃ Ioſeph ſit ipſorum frater, id quod aliàs plus ſatis ſciebãt, & hoc impotentius in illum ſæuiebant, quòd cũ frater eſſet, prę cæteris fratribus omnibus à patre impenſius diligeretur & regnũ ſuper ipſos meditari uideretur, ſed hoc potius eſt quod dicit: Non ſit manus noſtra in eo, quoniã frater noſter caro noſtra eſt. Q. d. Cum ſit frater noſter, conſequitur eum eſſe carnem noſtrã. Manum aũt extendere in noſtrã ipſorũ carnem, admodũ grande peccatũ eſt, & hominũ dementiũ. Argumentũ eſt à fraterna unius & eiuſdẽ carnis cõiunctione. Qui frater noſter eſt, caro noſtra eſt. Ioſeph frater noſter eſt, Ioſeph igit caro noſtra eſt. Quapropter manus noſtras miſſu ri ſumus in carnẽ noſtram, ſi illum occiderimus? Vtinã propinquitas eiuſdẽ carnis ritè conſideretur à nobis, qui tot modis per illam diuinitus ſumus coadunati. Cõiuges ſunt una & eadem caro Eph. 5. Parentes & liberi eadem ſunt carne cõiuncti. fratres ac ſorores una & eadem carne cõſtant. Qui eiuſdem ſunt familiæ ac tribus, eiuſdẽ quoq; ſunt carnis. Et qui ad eandem gentẽ pertinent, eadem quoq; carne cohærent. utpote Iſraelitę, Iſmaelitæ, Edomitæ, &c. Poſtremò, eiuſdẽ eſſe naturæ, eiuſdẽ eſt eſſe carnis. Sic omnes homines carnẽ habent eandem, quia eadem ſunt natura propagati, ut rectè admoneamur omnes Eſa. 58. ne carnem noſtrã deſpiciamus, ſi quando nudum & famelicum uiderimus. Quare non modò frater de fratre dicat, Frater meus eſt, ergo & caro mea eſt: ſed quilibet homo de quouis cõmunis noſtrę conſorte dicat, Homo eſt, igitur eſt & caro mea, ne mittas manum tuam in carnem tuam, &c.

Quàm magnum ſit peccatum fratricidij.

Eiuſdem carnis propinquitas.

Et audierunt fratres eius, inquit.] Hoc eſt, obedierunt conſilio Iudæ, quod ob id placuit, quod Ioſeph abſq; cæde, quæ per ipſos fieret, ſic abijceretur ad exteros, ut ad patrem non eſſet reuerſurus amplius. Verùm non eſt abſq; diſpoſitione Dei factum, quod admonitio Iudæ locum apud eos inuenit.

Et tranſierunt uiri Midianitæ negociatores, inquit.] Suprà & infrà & in principio cap. 39. uocant iſti negociatores Iſmaelitæ, hic uerò & in calce capitis huius Midianitæ. Quærunt igitur, qũo ijdem negociatores Iſmaelitæ uocentur & Midianitæ, cum illi ab Iſmaele filio Hagar, iſti à Midian filio Keturę, diuerſi utiq; populi, deſcenderint. R. Shlomoh dicit Ioſephũ tertiò eſſe uenditũ. Primũ à fratribus in manus Iſmaelitarũ: deinde per Iſmaelitas Midianitis, qui in eodẽ fuerint comitatu: tertiò à Midianitis Putiphari in Aegypto. Verũ cõmentum hoc eſſe friuolũ, manifeſtũ eſt infrà cap. 39. ubi Putiphar eum ab Iſmaelitis, emiſſe ſcribit. Quod aũt in calce prę ſentis capitis habet, quod Midianitę uendiderint eũ in Aegypto Putiphari, nõ ad hoc facit ut ex eo intelligamus ſæpius eũ fuiſſe uenditũ, ſed magis, ut uideamus eoſdẽ negociatores indiſcriminatim à Moſe uocari Iſmaelitas & Midianitas. Alioq; nõ cõſtabit ſibi Moſes, q̃ cũ in calce capitis huius dicat, Midianitas uẽdidiſſe Ioſephũ Putiphari, infrà 39. ab Iſmaelitis eũ Putiphari uẽditũ eſſet dicit. Auguſt. hãc quę ſtionẽ ſic ſolui poſſe putat, ſi dicamus filios duarũ cõcubinarũ Abrahæ, Hagar uidelicet & Keturæ, cũ acceptis muneribus dimiſsi eſſent ab Abrahamo, in unã coaluiſſe gentẽ, atq; ita indiſcriminatim fuiſſe & Iſmaelitas & Midianitas uocatos. Quã hoc ſit firmũ, iudicẽt alij. Lyranus putat Iſmaelitas & Midianitas ex eadẽ fuiſſe matre quæ prius Hagar, poſtea uerò Kerura ſit dicta, ideoq; & illos indiſcriminatim & Midianitas & Iſmaelitas fuiſſe dictos. Verũ ſuprà cap. 25. oſtendimus, haud eandẽ fuiſſe Hagar & Keturã. Deinde etiãſi Midian & Iſmael ex eadẽ eſſent matre prognati, inde tamen nõ conſequeretur, poſteros illorũ in eandem coaluiſſe gentem. Et Edomitæ & Iſraelitę ex eadẽ ſunt matre Ribkah, & tamen poſteri illorũ populi ſunt diuerſiſsimi. Mihi uidetur duas haſce Iſmaelitarum & Midianitarum gentes à ſe inuicem fuiſſe diuiſas & diuerſas: quod uerò præſentem locum attinet, negociatores iſtos ex Iſmaelitis & Midianitis eiuſdem inter ſe negociationis commercio & ſocietate fuiſſe coniunctos, ideoq; à Moſe, iam Iſmaelitas, iam Midianitas uocatos.

Quomodo idem negociatores Midianitæ & Iſmaelitæ uocentur.

Et extraxerunt & leuarunt Ioſephũ de ciſterna, uendideruntq; Ioſephum Iſmaelitis pro uiginti argenteis (Sept. habẽt, pro uiginti aureis: at in Hebræo eſt בעשרים כסף, id eſt, pro uiginti argenteis) *& abduxerunt Ioſephũ in Aegyptũ.*] Quoniã cõſtat ex euentu hanc uenditionẽ Ioſephi diuinitus fuiſſe diſpoſitã, & ad hoc feciſſe, ut ſomniũ præuiſum impleret, nobis obſeruandũ hic eſt, qũo cõſilia ſua Deus, quibus ſanctorum ſuorũ cauſas diſpẽſat, ad effectũ perducat primũ mirabiliter, prius cõtra humanæ ratiõis iudiciũ, deinde ſub cruce & afflictionib. piorũ. Mirabiliter in eo q̃ hęc uẽditio Ioſephi, cũ uideret factura ad oppreſsionẽ Ioſephi ac ſomniorũ illius irritationẽ, præter opinionẽ ad hoc fecit, ut & ſublimaret Ioſeph, & ſomnia illius effectũ ſortirent, ſicuti ſequentia declarabũt. Sic ſępenumero fieri uidemus, ut q̃d reprobi impedire uolunt, impediendo ad effectũ perducãt, idq; illis ipſis cõſilijs, quę aſtutè ad impediendũ q̃d ediunt cõminiſcunt. Et hęc ſic agunt diuinitus, ut dum agunt ne à ſanctis qdẽ ipſis intelligant. Haud crediderim Ioſephũ opus Dei in iſta ſui uenditione intellexiſſe. Alioq; nec fuiſſet anima illius in anguſtia, nec deprecatus eſſet fratres, ſicuti feciſſe legũ, infrà cap. 42. ubi uerba fratrũ eius ad hũc modũ recitant: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrẽ noſtrũ, uidentes anguſtias animæ illius, dũ deprecaret nos, & nõ audiuimus. Sub cruce quoq; & ſenſu interitus, cui ſanctos ſuos ſubijcit, uiã cõſtituit, ad promiſſorũ ſuorũ adimplętionẽ, quę q̃ ſit carni grauis & moleſta, in eo cognoſci poteſt, q̃ & ſpiritus ſanctorũ anguſtiant, dum

dum cruce premuntur. Sic Ioseph per molestam hanc uiam crucis primùm à fratribus spoliatus ac nudatus, deinde in cisternã proiectus, tertiò negociatoribus & Putiphari in Aegyptũ diuenditus, ac postremò in carcerẽ coniectus, tandẽ ad principatus fastigiũ peruenit. Sic cursus operũ Dei densissimis tenebris inuoluit, donec ad finẽ perueniãt, ubi lux oritur, præcedentia omnia clarissimo iubare illuminãs.

Pro uiginti, inquit, *argenteis.*] Posset hic quæri, quare non gratis tradiderint eum negociatoribus, & si pecuniæ respectu uendiderunt, quemadmodum nonnullos sentire uideo, quare non pro maiori precio uendiderint. Etenim puerum tam elegantẽ, tamq; bonę indolis, & liberum, potuissent omnino pluris uendere q̃ pro uiginti argenteis. Meo iudicio, non spectarunt lucrũ ex pecunia ista, sed siue diuino, siue ipsorũ consilio id magis agebatur, ut omnes culpa hac diuenditi fratris inuoluerentur, dum unicuiq; sua pecuniæ huius portio cessit, nisi forsan Ruben, quoniã cum uenderetur Ioseph nõ aderat, solus nihil de illa accepit. Quanq̃ crediderim eum coactum à reliquis partem aliquam accepisse. Hoc facto fiebat ut nẽmo esset inter eos, qui quod gestum erat cum Iosepho, patri indicaret. Singulorum nanq; conscientiæ non sceleris modò, sed & acceptæ pecuniæ participes ad obtegendum facinus erant obstrictæ. *Quare non gratis tradiderint fratrẽ Ismaelitis.*

Et duxerunt, inquit, *Iosephum in Aegyptum.*] Pulchrè contigit, ut aromatarij negociatores preciosissimum hoc aroma attulerint in Aegyptum, cuius postea fragrantiam & uirtutem non modò tota Aegyptus, sed & uicinæ regiones sunt expertæ. *Ioseph ut aroma precioſum ductus in Aegyptũ.*

Et reuersus est Ruben ad cisternam, & ecce non erat Ioseph in cisterna, & scidit uestimenta sua, reuersusq; ad fratres ait: Puer nusquam est, & ego, quò ego ibo?] Quod fuerit propositũ Ruben, cum suaderet fratribus, ut Iosephum proijcerent in cisternam, suprà memoratum est, uidelicet quòd postea uellet eum inde extrahere, ac patri restituere. Huius itaq; gratia reuersus est ad cisternam (Iosephus dicit, noctu) ut eum inde eximeret, ac domum remitteret: uerùm cum cisternã inuenisset uacuam, suspicatus illum à fratribus in absentia sua necatum, scidit uestimenta sua, ad testandum animi sui dolorem, & ad fratres reuersus de amisso puero queritur. Quod dicit, Puer nusquam est, in Hebræo habetur הילד איננו, id est puer nõ ipse, uel, puer non est, quemadmodum uerterunt Sept. & Pagn. uulg. latina habet: Puer non comparet. Monsterus reddidit: Puer non adest. Illud, Et ego, quò ego ibo? pathetice dictum est, & exprimit animum consternatum ac perplexum. Potest autem bifariam dictum intelligi: Primùm sic: Et ego, quò ego ibo? id est, quò ibo à facie patris nostri? Requiret is filium de mea manu, tanquã senioris & primogeniti: faciem eius quomodo ferã? Deinde ad hunc modum: Quò ibo? Videlicet ad quærendum puerũ. Prior sensus mihi magis arridet.

Quærunt hic ubi nam fuerit Ruben, cũ Ioseph Ismaelitis uenderetur à fratribus. Alius dicit eum meliora quæsisse pascua, ut ad illa greges trãsferret, ac simul fratres hac occasione à cisterna abduceret, quo cõmodius puerũ extrahere ac liberare posset. Alius sentit, propterea discessisse illum à fratribus, ut alia uia per obliquũ solus ad cisternam ueniret, ac puerum liberaret. Sunt qui putent eum non potuisse ferre eiulatus pueri in cisterna, & maliciam fratrũ cædi illius inhiantiũ, ideoq; ad tempus ab illis fuisse digressum. Verùm quid opus est incertis coniecturis? Abfuit cum uenderetur Ioseph. Vbicunq; fuerit, diuina est dispositione factum, ut abesset, ne uenditionem pueri impediret. Qua in re uidemus uerum esse quod scriptura dicit: Homo proponit, Deus disponit. Quod si Ruben hoc consilio abfuit à fratribus, ut cõmodiorem quæreret puerũ de cisterna extrahendi, & ad patrẽ remittendi: rursus uidemus quàm nõ modò iniania sint consilia nostra, quando diuinæ dispositioni repugnant, sed ad hoc quoq; faciant, ut quod cauere uolumus, perficiatur. QVAEST. *Sic historia Scholastica, et Lyran.*

Quærunt etiam unde fuerit illi tantus commiserationis erga Iosephum affectus. Sunt qui existimant eum ista fecisse nõ ex animo, sed simulanter, ut patri gratificaretur, illumq; placaret, ne posthac eum haberet sibi propter stuprum cum Bileah perpetratũ infensiorem. Forsan gratificari uoluit etiam Bileæ, quæ Iosephum sibi habebat à patre cõmendatum, unde & cum filijs illius cõmoratus fuerat. Quin fieri potuit, ut etiam pueri cõmiseratione hæc fecerit. Erat enim acerbitas fratrum aduersus illum crudelior quàm ut illam probare posset. Et præterea quoniam primogenitus erat, sciebat sibi potissimum competere ut fratrem seruaret. Posteriores duo sensus mihi magis probantur. QVAEST.

Et tulerunt tunicam Ioseph, mactatoq; hœdo caprarum tinxerunt tunicam in sanguine, ac miserunt tunicam uariegatam, detuleruntq; ad patrem ipsorum, & dixerunt, Hoc inuenimus, agnosce quæso, ansit tunica filij tui uel minus.] Non exponit Moses, quid responsi Ruben acceperit à fratribus, an illi quod fecerãt indicarint, uel secus. Iosephus uerò sic scribit, Illis aũt q̃d gestũ fuerat edicentibus, cessauit à luctu Ruben. Verosimile est hoc esse factũ. Hactenus exposita est historia uenditi Iosephi, iam subijcit quo cõmento fratres illius facinus admissum celare, ac patris cõscientiã eludere uoluerint. Hæc est cõditio facinorũ ac scelerũ, ut admissa lucẽ ferre nequeãt, sed in tenebras abdi cupiant. Sollicitè & astutè cauent, ne qua patri suspicio nascaẽ in corde, q̃d ipsi manus in Iosephũ miserint. Suspicionis huius metus nascebat ex cõscientia odij quo in illũ flagauerãt. Deinde cauent, ne pater animũ adijciat ad quærendũ amissum filiũ. Poterãt dicere, Venerunt Ismaelitæ & Madianitæ negociatores cũ camelis admodũ multi, & abreptũ Iosephũ secũ abduxerũt, nobis q̃ numero essemus pauciores, ,phibere nõ ualentibus. Verũ hoc cõmento causam dedissent patri ad quærendũ in Aegypto filiũ. Igiũ tale quid cõminiscuntur, quod & omnẽ sinistrã erga se suspicionẽ, & propositũ quærendi Iosephũ penitus auerteret. Mittũt ad patrẽ tunicã Iosephi, ipsi notissimam, discerptã ut Iosephus sentit, & sanguine hœdino tinctã, monentq; ut uideat & cognoscat num ea sit filij ipsius tunica. Probabili indicio persuadent seni Iosephum esse discerptum ac deuoratũ à bestijs, ursis, *Conditio scelerum.*

urſis,leonibus,&c. Sanguinem ſubſtituunt pro ſanguine, hœdinum pro humano,humano ut quidam hic annotant, ſimillimum. Quid faceret ſenex? Non potuit inter ſanguinem filij ſui & ſanguinem hœdi diſcernere,ac fraudem deprehendere.

Sic facto & uerbo fraudem concinnant. Factum habebat probabile indicium & commentum. A loco deſerti,ab eo quod frequenter accidebat,à tunica notiſsima, à ſanguine quo erat tunica tincta ac fœdata. Verba erant commento conuenientia. Hoc inuenimus,aiunt. Q.d. in deſerto. Non dicunt, Hanc illi tunicam uiolenter abſtulimus. Agnoſce quæſo an ſit. Quaſi ipſi illam non cognoſcerent, ſuſpicarentur tamen eſſe Ioſephi. Sciebant eam eſſe patri notiſsimam, nec poſſe illum aliter iudicare, q̃ eſſe filium diſcerptum à beſtijs. Vide quæſo factum hominum carnalium & à fide diuinę prouidentiæ alieniſſimorũ, q̃d hanc præſentẽ cauſam attinet. Putãt ſe tam grande facinus egregio celaſſe cõmento, nec cogitãt de oculis diuinæ Maieſtatis, quos nemo mortaliũ ne in deſerto quidẽ conſtitutus poterit effugere.

Exemplum hominum carnalium.

Etiam aſtutiſsimi impoſtores malitiam cordis ſui prorſus celare nõ poſſunt.

Simul obſerua, quod non dicunt, An ſit tunica fratris noſtri,uel minus: ſed, An ſit tunica filij tui,uel minus. Quamuis agant aſtutos impoſtores, haud tamen maliciam cordis ſui, qua malè uolebant Ioſepho, quòd plus ipſis omnibus amaretur à patre, diſſimulare poſſunt. Tantum non dicunt, Vide quid ſint illius ſomnia. Vide quem finem acceperit egregius ille tuus filius,quem nobis omnibus chariorem habuiſti? Vide qualis ſit iam tunica illa, qua eum ſingulariter ornare uoluiſti. Vides quàm nequiuerit Deus contemptum hunc noſtri ferre,quo illum nobis omnibus præpoſuiſti.

Myſterium Chriſti.

Eſt etiam myſterium Chriſti hoc loco obſeruandum. Hœdus occiſus eſt pro Ioſepho. Ioſeph liberatus peruenit ad regnũ. Chriſtus pro nobis occiſus nos liberauit,& ad regni cœleſtis faſtigia euexit. Tunica Ioſephi uariegata ſanguine hœdi tincta eſt. In tunica uariegata typus eſt uitæ ac conuerſationis ſanctorum,multis ac uarijs uirtutibus decoratę. Hanc ſanguis Chriſti non commaculat,ſed conſecrat, patriq; cœleſti ſiſtit & approbat. Sine ſanguine Chriſti nulla ſanctorum uita Deo probari poteſt.

Et cognouit eam,ac dixit: Tunica eſt filij mei,mala beſtia deuorauit eam, rapiendo raptus eſt Ioſeph. Ac ſcidit Iacob ueſtimenta ſua,& poſuit ſaccum in lumbis ſuis,ac mœrore affectus eſt ſuper filio ſuo diebus multis. Et ſurrexerunt omnes filij eius & cunctæ filiæ eius ad conſolandum eum, uerùm reſpuit conſolationem, ac dixit: Quin deſcendam ad filium meum lugens in ſepulchrum,fleuitq; ſuper eo pater ipſius.] Exponit Moſes, quid ſenſerit Iacob de cruentata tunica ad ſe miſſa: deinde quid dixerit, quid fecerit, quidq; paſſus ſit, cum tunicam filij ſui agnouiſſet. Denicq; quid fecerint ipſius filij. Quid ſenſerit in eo exprimitur quod dicit: Et cognouit eam,ac dixit: Tunica eſt filij mei. Erat ipſi tunica iſta notiſsima, quã Ioſepho ſingularis amoris gratia fecerat. Quamuis diſcerptam & cruentatã miſiſſent, cognouit eam tamẽ. Nota erat illi tunicæ huius forma & materia, quarum neutram cruenta decoloratio abſtulerat. Sic agnoſcit Deus in nobis opus ſuum, cùm q̃ formã, tum q̃ materiam attinet, licet ueneno ſerpentis antiqui infecti ſimus ac decolorati.

Agnoſcit Deus opus ſuum.

Quid dixerit Iacob ubi tunicam filij ſui cognouit, in eo exponitur quod ſubiungitur: Mala beſtia deuorauit, eum rapiendo raptus eſt Ioſeph. Sic collegit ex probabilibus, dilaceratę ac cruentatę tunicæ indicijs. Manus filiorum ſuorum in illa & ſanguinem hœdi non cognouit, ſed quòd diſcerpta erat, tribuebat dentibus ferarũ: quòd cruentata, iudicabat eſſe ex cruore filij. Sic ex parte quod uerum erat, cognouit, & ex parte errauit. atq; ita rem falſam ei quæ uera erat coniungens incidit in paralogiſmum, ac falſo pronunciauit, eſſe filium ſuum à beſtijs deuoratũ. Dicendũ erat, Tunica quidem eſt filij mei, uerùm mali fratres uendiderũt eum, uenundando uenundatus eſt Ioſeph. Error in eo erat, quòd uiſo cruore ſtatim putauit eſſe cruorem filij ſui, quaſi alterius eſſe nequiuerit. Quoniam uerò difficillimum erat diſcernere inter ſanguinem hominis,& ſanguinem hœdi, factum eſt, ut quod manifeſtè uerum erat, impoſturæ coniunctum errori ſeruierit. Admonemur, ut cauti ſimus ubi rebus ueris ac manifeſtis probabilia iunguntur. De manifeſtis ac certis certò pronunciari poteſt, quemadmodum de tunica pronunciauit Iacob, quòd eſſet tunica filij ſui, de probabilibus uerò non item: ſed facilè eſt, ut de illis falſo iudicetur, quod hic Iacobo uſuueniſſe uidemus. Signa huiuſmodi ſunt incerta, quod & dialectici & rhetorici ſtudioſe admonendum eſſe iudicant.

Iacob ex indicijs probabilibus deceptus.

Quid fecerit Iacob, impoſtura filiorũ deceptus, in eo uidere eſt, quod ſequitur: Acidit Iacob ueſtimenta ſua, ac poſuit ſaccũ in lumbis ſuis. Item, reſpuit conſolationẽ. Sciſſura ueſtimentorũ ad primũ doloris impetũ fieri ſolebat. Significabat, tantã eſſe doloris uehementiã ut cor ipſum rumpendũ eſſe uiderẽt. Hypocritis, qui abſq; uero dolore cordis ueſtimenta ſua ſcindebant, dicit prophęta: Scindite corda ueſtra, & non ueſtimenta ueſtra. Ioelis 2. Saccũ poſuit in lumbis ſuis. Vulgata lat. habet, Indutus eſt cilicio. Aliud eſt ueſtimentũ feriantiũ, aliud laborantiũ, aliud gaudentiũ, & aliud lugentiũ. Qui lugebant, in pauimento iacebant & cinere. Huc cõueniebat ciliciũ & ſaccus. Quare ſacco circundabantur lugentes & ieiunantes, qua de re pleraq; ſunt teſtimonia in ſcripturis. Veſtimenta cõſueta ſcindebant & abijciebãt, & illorũ loco ſacco circundabantur. Sic Iacob hic feciſſe legitur, unde mos iſte transijt ad poſteros. Sic ſolent facta ſanctorum trahi in uſum per imitationẽ, uerùm ſpiritus illorũ interim egregiè negligitur. Aliquot ueteres inter pœnitendũ & lugendũ ieiunabant, & cinere nolutabant, ſecuti poſteri traxerũt inde exempla ieiunandi, & capita ſemel per annũ cinere inſpergẽdi. Reſpuit cõſolationẽ, inquit. Significat illũ conſolationẽ filiorũ ſuorũ præ doloris uehemẽtia admittere nolle. quò etiã facit quod dicebat: Deſcendã lugẽs ad filiũ meũ in ſepulchrũ. Qđ eſt in Hebræo שְׁאוֹלָה, latinus uertit, infernũ. Dicebat ſe ad mortẽ uiq; in luctu filij ſui perſeueraturũ, nec ullã cõſolationẽ admiſſurũ. Quare q̃d Aug. quæſtionẽ hic mouet, quo dicat Iacob, q̃ ad infernũ uelit deſcẽdere lugẽs ad filiũ ſuũ, an etia boni mortui deſcendãt ad infernũ, in

Sciſſura ueſtium.

Saccus.

locum

A locum pœnarum, ex eo est, quòd pro sepulchro infernum legit. Nolebat autem, hoc est, non poterat consolationem recipere Iacob, propter irremissum desiderium filij charissimi. deinde propter immane genus mortis, quo putabat eum esse interemptum à bestijs: tertiò, propter morsum & accusationem conscientiæ, quæ indesinenter in corde dicebat: Tu es in culpa, tu perdidisti filium tuum, quòd eum in solitudinem ad fratres eius misisti. Debebas cogitare de bestijs, & cauere ne in illas incideret, priusquam ad fratres uenisset. Præterea fleuit etiam, ac deplorauit filium suum. De filijs ipsius non legimus, quod super calamitate fratris sui fleuerint. Quid passus sit in eo memoratur, quod dicit: Et mœrore affectus est super filio suo diebus multis. Durauit hic mœror, donec nunciatum est, uiuere Ioseph̃ ac regnare in Aegypto. Intercesserunt anni non pauci à uenditione illius usq; ad descensum Iacob in Aegyptum. Numerant quidam annos 22. uerùm quoniam incertum est, qua ætate fuerit Ioseph cum uenderetur in Aegyptum, arbitror nihil hic posse tradi quod sit certum. De filijs Iacob memoratur, quòd surrexerint ad consolandum patrem. Et surrexerunt, inquit, omnes filij eius & cunctæ filiæ eius ad consolandum eum. Quod in Hebræo est ויקומו poteſt uerti, Et stabant omnes filij eius, &c. ne quis quærat unde surrexerint. Circunstabant senem propter uehementiam mœroris lugentem ac plorantem, & uerbis illum solari conabantur. Quod filiarum quoq; meminit, non debet insolens proterea uideri, quod hactenus non est nisi Dinæ facta mentio. Ne illius quoq; meminisset Moses, nisi mentionem eius historia ciuitatis Shalem poposcisset. Habuerunt forsan & filij illius filias sic adultas, ut unà cum reliquis auum suum solari potuerint.

Quod luctum Iacob corcernit, quem ex mœrore cordis, ploratu, uerbis, factis, & indesinentia lugendi grauissimum fuisse uidemus, obseruandum uenit, quid faciat opinio ex ignorantia ueritatis concepta. Quid potuisset uir pius facere grauius, quidq; in corde sentire acerbius, si filius ipsius uerè, ut putabat, à bestijs fuisset dilaceratus & absumptus, q̃ fecit ac sensit sola opinione falso persuasus? Ignorabat eum esse uenditum in Aegyptum, & putabat à bestijs esse deuoratum. Sic ignorantia ueri & opinio falsi, quasi duæ sorores animum illius in luctum hunc omnium acerbissimum induxerunt. Tam est harum indiuulsa cohæsio, ut neutra reperiatur sine altera. Nemo ignorans ueri non opinatur uerum esse aliquid quod est falsum. Rursus nemo opinione falsi occupatur, nisi sit ignorans ueri. Non est autem opinio falsi minore ui prædita, quàm sit ipsa scientia ueri: immo in animis hominum carnalium sic regnat, ut omnia illorũ, immo & uitam, captiua teneat. Opinio purgatorij ignis in Papatu, intercessionis ac patrocinij mortuorũ sanctorũ, proprij meriti, ac satisfactionis pro peccatis & sacrificij Missæ, bone Deus
B quàm fuit operosa & efficax? Quam uitæ duritiem, quosq; sumptus non extorsit? Confer ad hanc scientiam Euangelicæ ueritatis & gratię in illis, qui hodie de Euangelio Christi gloriamur, & uide quàm sit illa ociosa, frigida, & inefficax. Sic nimium experti sumus quàm sit potens opinio falsi.

Opinionis uis.

Quærunt hic nonnulli, quare Deus ueritatem rei huius Iacobo suo, quem adhuc in utero matris constitutum dilexit, non reuelauit, sed passus sit, ut ex ignorantia ueri & opinione falsi in luctum tam acerbum incideret. Eadem ratione quærant, quare Iosephum non alia ratione quàm per crucem in Aegyptum perducere, & ad principatus honorem euehere uoluerit. Sic illi placet, suos omnis generis tribulationibus in hoc seculo excercere ac probatos reddere, & non frustrà canat propheta: Multæ tribulationes iustorum, sed de omnibus eripit eos Dominus. Præterea, non fuisset consultum ipsi causæ quæ agebatur, si rem ipsam cognouisset. R. Shlomoh dicit Isaacum sciuisse quòd adhuc uiueret Ioseph, uerùm noluisse hoc indicare Iacobo, propterea quòd non indicaretur illi à Domino.

QVAEST. *Quare passus sit Deus Iacobo sic imponi à filijs.*

Quòd fratres Ioseph attinet, uidemus in eo quod illi fecerunt hypocriticam simulationem, & pertinacem inhumanamq; dissimulationem. Stabant omnes ad consolandum patrem. Quàm hoc ex animo, & quibus uerbis quaue conscientia fecerint, facile cogitari potest. Ipsi patrem nequitia sua in hunc luctum coniecerant. Ipsi sciebant, non esse Iosephum deuoratum à bestijs, sed ab ipsis uenditum Ismaelitis. Tunicam illius ipsi sanguini hœdi cruentauerant, ac sic cruentatam patri miserant, & ab ipsis sic inuentam mentiti fuerant. Et tamen acerbissimè dolentem, lugentem, plorantem ac querulantem circunstabant, & fictis uerbis solabantur, nec inuentus est unus ex omni ipsorum numero, qui iusta patris commiseratione tactus rem ipsam ut gesta fuerat aperire uoluerit: tam erat omnium pertinax dissimulatio. Ne Ruben quidem uoluit, uel ausus fuit causam Iosephi exponere patri, partim conscientia eius quod suaserat fratribus ut eum proijcerent in cisternam, partim metu fratrum impeditus. Tales consolatores erant filij Iacob, quibus haud dissimiles sunt usurarij, qui quos in summam inopiam exactionibus ac depeculationibus suis coniecerunt, subinde anxios uerbis in speciem amicis solantur, at interim de debito ne obolũ quidẽ remittunt, cum tamen remissio illius compendiosissima esset cõsolandi ratio.

Et Midianitæ uendiderunt eum in Aegyptum Potiphari Eunucho Pharaonis principi laniorum.] Quod in Hebræo est סריס Saris uertunt Eunchum. Sept. habent, τῷ ἀρχιμαγείρῳ. Vnde quęrunt, quomodo Eunuchus fuerit, cum habuerit uxorem, cuius infrà cap. 39. fiet mentio. Verùm non mox castratus erat, quisquis Saris uocabatur. Transijt enim hoc nominis ad peculiares ministros aulæ regiæ. Chald. uertit principem. Et Thar. Ieroſol. שליטא דמרעה, id est præfecto Pharaonis, principi laniorum, inquit. In Hebræo est שר הטבחים uerbum טבח mactare significat. uertunt alij, principi coquorum sicuti Septuag. habent: alij, magistro militũ, quemadmodum Latinus interpres uertit. alij principi laniorum, ut Pag. & Monsterus. Tigurina habet, Capitaliũ reorum præfecto. Thargum Hierosol. habet רב סנדקלטוריא, id est, magistro spiculatorum, quam uocem à latinis mutauit.

QVAEST.

Hactenus expoſuit Moſes quomodo & quibus fuerit Ioſeph uenditus à fratribus: iam ſubijcit, cui il- A
lum uendiderint Iſmaelitæ. Principi uiro, uidelicet, & aulæ regiæ miniſtro, dubio procul propter inge-
nuæ indolis & formæ elegantiã. Eſt autem hoc non ſine ſingulari diſpoſitione Dei factum, ſicuti pate-
bit ex ſequentibus, quòd uendiderunt eum, & nõ ſeruarunt ſibijpſis: deinde quòd nõ alibi quàm in Aegy
pto: tertiò, quod non uulgari cuidam homini, ſed uiro principi ex præfectis aulicis.

Quòd non meminit Moſes quo precio uenditus fuerit Potiphari, meminit uerò, quo precio uendi-
derint eum fratres Iſmaelitis, ſatis oſtendit non tam referre quomodo emptores uendiderint puerum
emptum, quàm refert quomodo uendiderint eum fratres.

CAPVT XXXVIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Exponitur hoc capite hiſtoria Iehudæ filij Iacob, quarto loco ex Leah nati, & filiorum eius Er, O-
nan, & Sela. quos ex filia Sua Cananæi, Phares etiam & Zerah, quos ex nuru ſua Thamar ſuſtulit.

Conſiliũ Moſis. ET *factum eſt per id temporis, ut deſcenderet Iehudah à fratribus ſuis, & declinaret ad uirum Adullamitem, & nomen eius erat* Hirah.] Cœperat Moſes hiſtoriam Ioſeph. Verùm quoniam illa admodum erat prolixè, uidelicet uſq; ad deſcenſum Iacob in Aegyptum, proſequenda, uoluit hoc loco poſt illius ini-
tium obiter inſerere de Iehudah & filijs eius Phares & Zerah, id quod ſpiritus S. ſic inſtituit, ppter Chri
ſtum ſeruatorem, qui inde erat proditurus. Facit autem hoc non incommodè poſt abſolutam hiſtoriam
uenditi Ioſeph, quod quæ de Iudah memoraturus eſt, illam uidentur proximè fuiſſe ſubſequuta.

Et factum eſt, inquit, *per id temporis.*] Poſt uenditionem Ioſeph, cum Iacob pater ipſius in acerbo lu-
ctu eſſet, Iehudah uel mœrorem patris uel exprobrationes fratrum ferre non ualens, deſcendit ab eis,
& declinauit (lat. habet, Et diuertit) ad uirum Adullamitem nomine Hirah, ut apud hunc aliquandiu
moraretur. Etenim quòd poſtea ad eos reuerſus ſit, infrà cap. 42 & 43. uidere licet.

Ad uirum, inquit, *Adullamitem.*] Hieron. ſic annotat: Adollam in tribu Iudah eſt & uſq; hodie uicus
non paruus ad Orientem Eleutheropoleos in decimo milliario hoc nomine uocatur. Hæc ille. Ad hunc
locum profugit Dauid ſicuti legitur 1. Sam. 22.

Cogitemus hic quàm ſit ueroſimile dolorem Iacobi hoc quoq; diſceſſu Iudæ filij ipſius plurimum
fuiſſe auctum. Fieri non poteſt quin obſeruarit magnam fuiſſe ſimultatem inter filios ipſius exortam, & B
Dolor dolorem excipit. ob illam plurimum ſit contriſtatus. Sic rebus triſtibus dolor dolorem excipit, perinde atque mari mo-
to procella procellam.

An rectè fecerit Iudas quod diſceſſit à fratrib. Quęſierit autem quiſquam recte ne fecerit Iudas quòd diſceſſit à fratribus. Meo iudicio haud imprudenter ab illo factũ eſt, q; diſceſſit à talibus. A fratribus diſcedere uidei hominis eſſe impatientis, & ſpiritu fraternæ concordiæ deſtituti. Scriptum enim eſt: Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in unum. uerùm multum refert à qualibus, & quare, & quo fine diſcedat quiſquam à fratribus. Qualis fuerint fratres Iudæ, patet ex præcedẽtibus. Si illorum ſimultate & improbis exprobrationibus motus diſceſſit, nihil mali fecit: quia non fratres, ſed homines inquietos ac reprobos magnas ob cauſas reliquit. Si non ſic diſceſſit, ut à domo paterna ſeſe in perpetuum abalienaret, ſed ſuo tempore ad illam reuerteretur, non malo propoſito diſceſſit. Non eſt præterrationem, quòd non dicit Moſes, Vt deſcenderet Iehudah, à patre ſuo, uel à domo paterna: ſed, A fratribus ſuis. Quare non uideo, quid ſit in hoc illius diſceſſu reprehendendum. Haud uerò ociosum eſſe uidetur, quod non dicit, Et diuerteret: ſed, Et declinaret ad uirum Adullamitem. Declinandi uerbo innuit Moſes uoluiſſe Iudam non ſimpliciter diſcedere à fratribus, ſed conuictum eorum tanquam noxium & periculoſum declinare. Non debebant interpretes diſcedere à uerbis ſcripturæ, & uerbum diuertendi pro uerbo declinandi ſubſtituere.

Et uidit ibi Iehudah filiam uiri Cananæi, & nomen eius Schua, accepitq; eam, & ingreſſus eſt ad eam. Et concepit, & peperit filium, & uocatum eſt nomen eius Onan. *Et adijciens adhuc peperit filium, uocauitq; nomen eius Schelah. Et fuit (ipſe) in Cheſib, cum illa hunc pareceret.*] Quoniam hiſtoriam hanc Iudæ propter illius filios inferere uoluit Moſes, ad propoſitum facie-
Nuptiæ Iudæ. bat, ut de nuptijs illius & generatione filiorum præmitteret. De nuptijs itaq; illius paucis ſic memorat. Et uidit ibi Iehudah filiam uiri Chananæi, &c. Nomen patris puellæ ponit & gentem, ipſius puellæ non ponit. Pater Chananæus erat natione. Sunt tamen qui uocem, Cananæi, hoc loco reddant, mercatoris. Et Chald. paraphraſtes ſic uertit: Nomen patris erat Schua. Eſt enim in Hebræo שׁוּעַ, id eſt & nomen eius, uiri ſcilicet, non שׁוּעָה ut de puella poſsit intelligi. Huius Shuæ Cananæi filiã, uidit, accepit, & cognouit. Tribus uerbis haſce nuptias abſoluit Moſes, ut intelligere liceat, diſplicuiſſe ipſi, quòd filius patriarchæ ſibijpſe uxorem ex filiabus Chananæorũ nõ authoritate patris, ſed placito oculorũ ſuorum delegit & accepit. Voluit autem ad hunc modum harum nuptiarum facere mentionem, ut lectorẽ moneat, haud eſſe pręter rationẽ factũ, quòd qui hinc nati ſunt filij, diuinæ fuerunt benedictionis expertes.

Filij Iudæ. Generationẽ filiorum Iudæ nuptijs ſubijcit, dicens: Et concepit & peperit filium, uocauitq; nomen eius Er. Verbum uocandi poſitum eſt in genere maſculino יִקְרָא, ut intelligamus ipſum Iehudah primo genitum ſuum hoc uocaſſe nomine Er. Sonat autem uox עֵר uigilantem & excitantem. Et concepit iterum, inquit, & peperit filium, & uocauit nomen eius Onan. Hunc ſecundum filium non Iudah, ſed ipſa mater uocauit Onan. Eſt enim uerbum uocandi in fœminino genere poſitum תִּקְרָא, ſicut & de tertio

filio.

filio. Significat autem Onan, uel fortitudo earum uel dolor earum. Quoniam non pater, sed mater hoc nominis filio imposuit, arbitror hic sonare dolorem earum, scilicet mulierum prægnantiũ. quasi dicat: Filij sunt dolor prægnantium mulierum. Et adijciens adhuc peperit filium, inquit, uocauitq; nomen eius Schelah. Sonat hæc uox pacem & quietem. Quare uidetur filium hunc uocasse pacem & quietem, quòd cuperet posthac quiescere à laboribus pariendi.

Et fuit in Chesib, cum illa hunc pareret.] Vulgata latina sic habet: Quo nato parere ultrà cessauit. uox כזיב sonat mendacium. Intellexit interpres uxorem Iudæ postquam tertium filium peperisset fuisse in mendacio, hoc est, pariendi uirtutẽ illi fuisse mentitam, ut parere posthac nequiuerit. Mentiri partũ, est, nõ succedere partũ. Thargũ Ierosolymitanũ habet רחיח דפסקא, id est & erat cessans. uerùm uox כזיב, loco aliquo posita est à Mose, nõ pro mendacio. Non enim loquitur de muliere quod illa fuerit in Chesib, sed de uiro רחיח בכזיב, inquit, non dicit רחיתה. Iehudas tum erat in Chezib, cum pareret uxor hunc filium. Hoc est, morabatur tum in Chezib. Shlomoh sentit hunc locum propterea uocatum esse Chezib, quod uxor Iudæ ibi parere desierit. Septuaginta uerterunt, αὐτὴ δὲ ἐν οἰκίᾳ χασβὶ ἦν ἔτεκεν αὐτούς, id est, Ipsa uerò erat in Chasbi, cum pareret eos. At in Hebræo uerbum substantiuum non est in fœminino, sed masculino genere positum, nec est אחתם, id est eos, sed אותו, id est eum.

Et accepit Iehudah uxorem primogenito suo Er, & nomen eius Thamar.] Nomen huius mulieris exprimit, propter sequentem historiã. Sonat autem Thamar palmam. Cõuenienter erat hoc nomen mulieri, unde proditurus erat Christus. Potestate sua Iudas & officio patris utitur erga filios suos, dum illis accipit uxores, cum ipse absq; patris authoritate proprio arbitratu duxisset uxorẽ. Admonemur, etiamsi quid ipsi peccarunt parentes, haud tamen conuenire, ut idem permittant suis filijs.

Et fuit Er primogenitus Iehudah malus in oculis Domini, & occidit eum Dominus.] Quamdiu uixerit cum uxore sua Thamar, non memoratur: quemadmodum nec illud exprimitur, quo genere maliciæ occidi à Domino meruerit, deniq; quo genere plagæ percussus à Domino interierit. Quare satis sit hæc duo de illo scire. Vnum, quòd malus fuerit in oculis Domini: alterum, quòd occisus sit à Domino.

Primogeniti sanctorum plerumq; mali.

In eo quod dicit: Et fuit Er primogenitus Iehudah malus in oculis Domini, rursus uidemus quàm soleant primogeniti sanctorum tales esse qui parum possint probitatis nomine commendari, cuius & superà memini cap. 35. in historia Ruben primogeniti Iacob.

Malũ esse in oculis Domini.

Deinde considerandum est, quòd non simpliciter dicit, Quòd fuerit malus: sed, Quòd fuerit malus in oculis Domini. In oculis Domini malum esse, bifariam intelligi potest. Primùm, sic esse malum, ut in oculis mundi uidearis esse iustus, cum sis in corde malus, adeoq; malitia tua solis sit oculis Dei cõspicua. Deinde, insigniter esse malum, ac singulari malicia odiosum in conspectu Dei. Alioqui cum sit omnis homo malus, ac solus Deus bonus, quis nam mortalium talis est, qui non sit in oculis Domini malus? Iam quomiam incognitum nobis est, quo nam genere maliciæ primogenitus Iehudæ displicuerit Domino, simul incognitum est, quo sensu posita sit hæc particula.

Quid expectandum sit illis qui mali sunt in oculis Domini.

Et occidit eum Dominus, inquit.] Quare? Quia malus erat in ipsius oculis. Ergo admonemur, quid expectandum sit illis, qui mali sunt in oculis Domini. Si occidit malos, propterea quòd displicent oculis ipsius: ergo conseruat bonos, propterea quòd placent oculis ipsius.

Et ait Iehudah ad Onan, ingredere ad uxorẽ fratris tui, & duc eam in uxorem, ac suscita semen fratri tuo.] Sic fuit Er primogenitus Iudah occisus à Domino, ut nullum post se reliquerit semen. Quare Iudah uoluit, ut semen illi à fratre suscitaretur, ne nomem ac posteritas illius ex Israele prorsus deleretur. Et hoc propositum Iudæ tam non displicuit oculis Domini, ut postea sit peculiari lege per Mosen confirmatum ac Israeli præscriptum. Qua de re Deut. 25. legitur ad hunc modum: Quando habitauerint fratres simul, & unus ex eis absq; liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, ac primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Israel, &c.

Hac ratione consulebat utriq;, & mortuo absq; liberis defuncto, & relictę illius uiduæ. Magnæ i gnominiæ loco habebatur, non habere semen in Israele, populo Dei, cuius multiplicatio toties fuit patribus promissa. Nos cogitemus, quàm dolere nobis conueniat, si steriles fuerimus in Ecclesia Dei.

Sadducæi ex lege ista quæstionem aduersus resurrectionem mortuorum Christo proposuerunt. Vide Matth. 22.

Et sciens Onan quòd non suum futurum esset semen, cum ingressus esset ad uxorem fratris sui, dispersit in terram ut non daret semen fratri suo. Et displicuit in oculis Domini quod faciebat, & occidit etiam ipsum.] Tria dicit. Factum Onan, rationem facti, & ultionem diuinam. Factum sic: Et factum est, cum ingrederetur ad uxorem fratus sui, dispersit in terram, semen uidelicet, unde concipere debebat Thamar, non in illius uterum, sed insigni malicia profudit in terram. Ratio facti in eo ponitur, quod dicit: Sciens Onan quòd non suum futurum esset semen. Ergo dedignabatur seruire fratri, ideoq; semen suum illi negabat. Qua in re uidemus infidi hominis ingenium. Quod fratri cessurum erat, non sic negat fratri ut sibi seruet, sed inaniter profundere mauult, quàm communicare fratri. Nec fratri, inquit, nec mihi. Atqui poterat & si sibi, si prius fratri. Nam primogenitus duntaxat pertinuisset ad fratrẽ, cæteri cessissent ipsi. Vltio diuina sic exponitur: Et displicuit in oculis Domini quod faciebat, & occidit etiam ipsum. Erat ergo hoc facinus Onan morte dignũ. Peccabat enim primùm in Deum ipsum, cuius constitutionem primæuam pessundabat. Deinde in ipsam naturam humanam, semen perdens unde illa constat & propagatur. Tertiò,

Factum Onæ.

Ratio facti.

Vltio diuina.

in Israelem ac populum Dei, cui detrahebat, unde secundum promissionem Dei multiplicari debebat. Quartò, in patrem suum, cuius uoluntati ac iussui aduersabatur. Ingrediebatur quidem ad uxorem fratris sui, & libidini uacabat: uerùm semen fratri excitare detrectabat, quod unũ pater requirebat. Quintò peccabat in fratrem quoq;, cuius nomen & posteritatem cum posset, in Israële seruare nolebat. Quare non erat præter rationem quòd factum tot modis damnabile, usqueadeò displicuit oculis Dei, ut eum occideret.

Perterrefiant hoc exemplo omnes illi qui sic libidini uacant, ut interim nec sibi, nedum alijs, immo forsan alijs citius quàm sibi, prolem gignere cupiant. Qui uetita libidine utuntur, proximi sunt huic facinori Onan. Nihil enim minus affectant quàm prolem. Hinc uarijs & iudicendis modis cauetur, ne mulier impræg netur: & si impræg nata fuerit, quomodo fœtus in ipso uel utero uel partu necetur. Væ uæ lupanaribus sacris, uæ, inquam, Sodomitarum prostibulis, in quibus nemo cogitat fieri ac displicere in oculis Domini, quæ improbiss. ac sceleratissimè fiunt.

Et dixit Iehudah ad Thamar nurum suam: Sede uidua in domo patris tui, donec crescat Schelah filius meus. Dicebat enim, ne fortè moriatur & iste sicuti fratres ipsius. Et abijt Thamar, & sedit in domo patris sui.] Mortuo Onan sine liberis consequens erat ut Thamar fratri illius Schelah, qui adhuc supererat, daretur in uxorem. Verùm hoc detrectabat Iudah, quòd timeret, ne etiam iste quemadmodum fratres ipsius, moreretur, si ad mulierem hanc ingrederetur. Quare fingit eum nondum satis esse maturum ad coniugium. Deinde non simpliciter dicit, Expecta donec crescat Schelah filius meus: sed ablegat eam in domum patris ipsius, dicens: Sede uidua in domo patris tui. uerebatur, ne etiam sine nuptijs commiscerentur, atque ita filius de uita periclitaretur, unde noluit mulierem domi suæ ferre. Et ne illam prorsus uideretur abijcere, addit, Donec crescat Schelah filius meus. Et hac spe mulier persuasa fecit quod iubebatur, abijt & mansit in domo patris sui, sperans fore ut Schelã acciperet maritũ, ubi ad uirilem peruenisset ætatẽ.

Sedere in domo uiduarum est.

Sede uidua, inquit, in domo patris tui.] Obserua quàm sit competenter uerbum sedendi datum uiduæ, ui duam decet uitę tranquillitas, & recessus domesticus. Et Apostolus uetat uiduas circuire domos alienas, & curiosius agere 1. Tim. 6.

Affectus patrum erga filios.

Dicebat enim: Ne fortè moriatur & iste sicuti fratres ipsius.] Ergo putabat mulierem esse in culpa, quod priores duo filij mortui erant. Quare nõ cogitabat potius esse eos suai ipsorum culpa mortuos? Pater erat, & quod communiter solet accidere patribus, accidit & ipsi. Putabat se habere filios nõ adeò malos, ideoq; culpam mortis ipsorum transfert non in ipsos, sed in mulierem.

Prudens moderatio.

Deinde obserua quod non dicit ad Thamar, Non dabo tibi reliquũ meum filium, ne & hunc occidas: sed quicquid hoc erat, sibi seruat, & mulierem spe tertij coniugij lactans in domum paternam ablegat. Vtitur hac moderatione non imprudenter. Licet enim crederet aliquid illi inesse uitij, propter quod mortui essent ipsius filij, cohibet tamen sese, ne quid palàm ea de re mulieri obijciat, quòd ignarus esset huius causæ, & timeret ne illam sine causa turbaret, & inculpabilem damnaret.

Et multiplicati sunt dies, & mortua est filia Sua uxor Iehudæ, & post acceptam consolationem Iehudah ascendit ad tonsores ouium suarum ipse & Hirah amicus eius Adullamites in Thimnah, ac nunciatum est Thamar dicendo, Ecce socer tuus ascendit in Thimnah ad tondendum oues suas. Et deposuit uestimenta uiduitatis suæ à se, & operuit se peplo, atq; obuoluit se, ac sedit in ostio Enaim, quod est iuxta iter quod ducit Thimnah, quoniam uiderat creuisse Schelam, ac se illi non esse datam in uxorem.

Et multiplicati sunt dies.] Vulgata latina inconsultius uertit: Euolutis autem multis annis.

Ipse & Hirah amicus eius.] Latinus habet, Ipse & Hiras opilio gregis. Et infrà, Per pastorem suum Odollamitem. Sic & Sept. uerterunt. Est autem utrobiq; רעהר, quod sic punctatum idem est quod amicus eius. Si tollas zere, & legas רעחר per holem, significat, pastorem eius. Diuersitas uersionis ex eo nata est, quòd Biblia olim sine punctis legebantur.

Ac sedit in ostio Enaim, inquit.] In Hebræo est וישב בפתח עינים. Vocula עין & fontem significat & oculum, unde fit ut particula hæc uariè reddatur. Chald. paraphrastes habet, In diuisione fontium. Hoc est, in biuio, quo iter ad duos eius loci fontes diuiditur. R. Shlomoh habet במבשה דגברים, id est in diuisione uiarũ. Sic habet & uulgata latina, Sedit in biuio. Hieron. sic dicit: Sermo Ebraicus עינים transfertur in oculos. Non est igitur nomen loci, sed est sensus, Sedit in biuio, uel in compito, ubi diligentius debet uiator aspicere quod iter gradiendi capiat. Sept. habent, καὶ ἐκάθισε πρὸς τὰς πύλας αἰνάμ, ἣ ἐστιν ἐπὶ τῇ ὁδῷ θαμνά, id est, Et sedit ad portas Aenan, quæ est in transitu Thamna. Pagn. sic, Et mansit in in ostio Henaim quod erat iuxta uiam Timnath. Monsterus uertit, Et sedit in publico loco. Infrà hoc capite sic legitur: Vbi est meretrix illa בעינים ען הדרך, id est in Enaim iuxta uiam, quod uerti potest, quæ sedit ad fontes iuxta uiam, si Enaim non est proprium nomen loci.

Et multiplicati sunt dies, inquit.] Intellige, postquam abierat Thamar uidua, ut maneret in domo patris sui, expectatura, dum cresceret Schelah. Meminit huius, ut innuat Iehudam uerba dedisse nurui suæ, & filium suum illi etiam ubi satis maturuerat, in uirum dare detrectasse.

Et mortua est filia Sua uxor Iehudæ, & post acceptam consolationem Iehudah ascendit, &c. De morte uxoris Iehudæ & consolatione accepta, hoc est, absoluto tempore luctus, propterea meminit, ne putemus ex sequenti facto Iudę fuisse eum uirũ usqueadeò immoderatæ libidinis, ut uiuente uxore, uel statim à morte uxoris in ipso tempore luctus non potuerit sibi temperare à commercio mulieris alienæ. Hanc, opinor, ob causam significat eum fuisse uiduum, deinde præteriisse tempus luctus, cum ad tondendum

A dum oues suas ascenderet in Thimnath. Hæc autem nõ sunt eò rapienda à quoquam, ut putet nihil esse illiciti, si rem habeat cum scorto, modò nõ sit alligatus uxori, sed liber uel uiduus. Huiusmodi patriarcharum exempla tantæ authoritatis esse non possunt, ut illegitimum congressum uiri cum muliere non sua licitum faciant. Nobis dicitur 1. Cor. 7. Propter scortationem uitandam unusquisq; uxorem suam, & unaquæq; mulier uirum suum habeat. Iehudam uiduitas in isto facto non excusat. Si se continere uel nõ poterat, uel nolebat, uxorem certè ducere poterat. *Exempla sanctorum non patrocinãtur scortationi*

Ac nunciatum est Thamar dicendo: Ecce socer tuus ascendit in Thimnath, ut tondeat oues suas.] Quare hoc nũ ciare mulieri uoluerint, non memoratur à Mose. Credibile est eos qui id nunciarunt oblatam occasionem haud negligendam esse putasse, qua Thamar socerum de dando sibi Schelah compellare, promissorumq; commonefacere posset. Quòd autem illa causam suam alia ratione prosequi, & præsenti occasione aliter quàm ad appellandum socerum uti uoluit, non debet illis imputari, qui cum de socero nunciarent, nihil huius cogitare potuerunt.

Et deposuit uestimenta uiduitatis suæ, &c.] Quid Thamar fecerit, ubi de socero suo addiuit, quòd ascenderet in Thimnath, paucis exponitur. Primum uiduitatis uestẽ se posuit. Ergo ad id usq; temporis uestem uiduitatis seruauerat, uides exemplum honestatis antiquæ. Deinde orna se peplo ut posset uideri mulier lenis ac uana. Tertiò, obuoluit se, ne cognosci posset à socero. Quartò, sedit in biuio. uel, in ostio Enaim, loco uidelicet tali, quem præteriturus esset socer, & in quo illi esset conspicua. Propositum erat, quod ex facto sequenti patet. Quare hoc fecerit, subditur. Quoniam uiderat creuisse Schelah, ac se illi nõ esse datam in uxorem. Hoc est uidebat socerum dedisse sibi uerba, ac non seruasse quod promiserat. Memoratur hoc, ad significandum mulieris animum ac desiderium nõ fuisse ad libidinem, sed ad acquisitionem prolis propensum. Meo iudicio, uolebat mulier ostendere socero, sua ne uel filiorum eius culpa esset factum, quòd nullam prolem ex illis cõcepisset, & quòd absq; liberis ex hac essent uita abrepti. Quod si uerbis rem ipsam indicasset, nihil fidei inuenisset. Quare usum est certo experimẽto suam comprobare innocentiam. *Factum.* *Propo-* *Ratio*

Et uidit eam Iehudah, putauitq; esse meretricem (Operuerat enim faciem suam) & declinauit ad eam, ad uiam (ipsius) ac dixit, Age quæso ingrediar ad te: nesciebat enim quòd esset nurus ipsius. Et ait, Quid dabis mihi, ut ingrediaris ad me? Et dixit, Ego mittam hœdum caprarum de grege. Et ait: Si dederis arrabonem, donec miseris. Et dixit: Quæ est arrabo quam dem tibi? Et ait: Anulum tuum, et fasciam tuam, & baculum tuum, qui est in manu tua. Et dedit ei, & ingressus est ad eam, & concepit ei. Et surrexit & abijt, & remouit peplum suum à se, ac induit
B *uestimenta uiduitatis suæ.*] Hæc Moses non leuitate aliqua tam fuse memorat, cum sint parum honesta: sed facit hoc propter sequentia. Iudam interim hactenus excusat, quod ignorauerit esse nurũ suam, putauerit q; esse meretricem. Et huc facit, quòd mulierem faciem suam operuisse dicit. Cauebat illa diligenter ne cognosceretur. Ebræorum quidam dicunt id illi moris & uerecundiæ fuisse in domo soceri, ut perpetuò facie fuerit operta, & hinc factũ, ut minus potuerit ab illo cognosci. Verùm Moses quod de operta facie hic scribit, intelligit de præsenti diligentia, qua cauebat, ne agnosceretur à socero: quæ sanè cautio frustranea erat, si facies illius socero nunquam innotuerat.

Deinde & ipsam mulierem satis indicat nihil quæsisse minus quàm ut libidini operam daret, dum recenset, quàm prudenter, uigilanter, & cautè arrabonem à socero petierit, priusquam eum admitteret. Spectabat prouida mulier ad futurum rei huius euentum, & prouidebat sibi de certis indicijs, quibus innocentiam suam comprobaret, & iniquitatem soceri sui redargueret. Quare nolebat nudæ illius promissioni credere, sed pignora postulabat, eaq; talia, quæ usitata illi essent & notissima, anulum uidelicet, & fasciam, & baculum. Qualis fascia fuerit, incertum est: quia ignoramus morem illorum temporum & populorũ. Vulg. lat. habet armillam. Sept. habent ὁρμίσκον, id est monile. Sunt qui reddant pallium. Verùm uidetur non fuisse pallium, nisi dicamus eum non uno tantum fuisse pallio tectũ. Nam infrà in plurali legitur, quod hic habetur in singulari.

Obiter obserua quod dicit: Et uidit eam Iehudah, putauitq; esse meretricem, & declinauit ad eam. Qualem uidebat in illa uestitum, talem eam esse putabat. Quare si qua non uult haberi pro scorto, caueat ne speciem scorti uel uestitu uel moribus præferat. *Species mali uitanda.*

Et declinauit ad eam, ad uiam (ipsius) Sic est in Hebræo אליה דרך, id est ad uiam, in qua uidelicet illa sede bat, ac dixit, *Agè quæso ingrediar ad te.*] Obserua hic in Thamar, quàm non expresserit impudentiam meretriciã, quamuis meretrix uideri uellet. Non accurrit ad Iudam, ut suis illum blandicijs pro more scortorum ad scortandum alliceret, sed sic ut sedebat, suo loco mansit, expectauitq; donec ab illo appellaretur. Sic cõparatæ sunt honestę mulieres, quæ etiã ubi pudicitiã ponere uolunt, impudicę esse nõ possunt. *Honestæ mulieris ingenium.*

Et ait: Quid dabis mihi ut ingrediaris ad me?] Non quærebat quæstum meretricium, sed cautionẽ, de qua diximus. Et hactenus simulauit mores scortorum, quæ propter mercedẽ corporis sui copiã prostituunt ac merendo quæstum faciunt, ideoq; meretrices uocantur. *Meretrices unde dictæ.*

Et dixit: Ego mittam hœdum caprarum de grege.] Poterat dare pecuniã in præsenti, uerùm occulto quodam instinctu hœdum promittebat, quem mittere uellet, ut occasio esset mulieri poscendi pignora, & ut manus suas seruaret mundas à mercede meretricia.

Si dederis arrabonem donec miseris.] In Hebræo est ערבון. Et Græci uocat ἀρραβὼν. Et latini quoque hac uoce Arrabo utuntur pro pignore, ut mirum fit, unde illi sit factum initium. Interea, quod pignorũ petitio obtinuit in usu mortalium, admonet nos, quàm simus incertę fidei. Satis debebat esse promissio. *Vnde sit usus oppignorationum.*

uerùm quoniam pauciſsimi ſunt in quorum ore ſit ueritas conſtans & infracta, ipſa neceſsitas rerum agendarum uſum oppignorationum introduxit.

Et ait, Anulum tuum, & faſciam tuam, & baculum tuum.] Quis fuerit uſus anulorum illis temporib. ignoratur. Crediderim fuiſſe geſtamen honoris, quemadmodum & faſciam, quibus tum uſi ſint uiri nobiles. Sed quomodo conuenit baculo & anulo? Tum temporis ſic incedebant uiri honorati ac nobiles, etiam ubi aliquò erat proficiſcendum. Quàm ſint poſteriora tempora à ſimplicitate priſcorum diuerſa, quorſum attinet meminiſſe?

Anulus & baculus.

Et dedit ei.] Signa honoris ac dignitatis ſuæ non dubitauit dare in manus mulieris, quã putabat eſſe meretricem. Reperias innumeros, qui citius omnia paterni nominis ac ſanguinis ornamenta in meretricios ſumptus impendant, quàm ut uel ad horam libidini ſuæ frenum imponant.

Signa honoris data meretricibus.

Et concepit ei.] Non ſimpliciter dicit, Et concepit: ſed, Et concepit ei: hoc eſt, Iehudæ, ſocero ſuo. Eſt enim in Hebræo non לה in fœminino: ſed, לו in maſculino. Non eſt autem præter rationem ſic ſcriptum à Moſe. Duobus filijs Iehudæ non conceperat Thamar, cuius rei culpa non ipſius, ſed illorum fuerat. A Iehudah uerò cognita concepit, & illi concepit, non demortuis maritis, ſicuti factũ fuiſſet, ſi Schelam maritum nacta ab illo fuiſſet imprægnata.

Et ſurrexit, & abiit.] Accepta pignora ſecum abſtulit, non expectans, ut acciperet hœdum, quem accipere nolebat.

Et remouit peplum ſuum à ſe, ac induit ueſtimenta uiduitatis ſuæ.] Apparet fuiſſe mulierem cordatam pariter & honeſtam. Continuit ſe in ſilentio uiduitatis ſuæ fortiter, donec tempus ueniret reuelandi ſecreti. Reperias uanas ac leues, quæ ubi ſemel quacunq; occaſione muliebrem tranſgreſſæ ſunt pudicitiam, in ordinem redire non poſſunt, ſed laſciuire pergunt. Deinde rarum eſt, ſi mulieri ſecreti continens perſeuerare poterit, donec tempeſtiuum ſit ut reueletur.

Mulier cordata & honeſta.

Et miſit Iehudah hœdum ex capris in manu amici ſui Adollamitæ, ut reciperet arrabonem de manu mulieris, et [ille] *nõ inuenit eam. Et interrogauit uiros loci illius, dicẽs: Vbi eſt meretrix illa quæ in Ennaim iuxta uiam* [ſedit] *& dixerunt, Non fuit hic meretrix. Et reuerſus eſt ad Iehudam, & dixit, Non inueni eam. Et uiri quoq; loci illius dixerunt, Nõ fuit hic meretrix Et ait Iehudah, Accipiat ſibi, ne fortè ſimus contẽptui. Ecce miſi hœdum hunc, et tu non inueniſti eam.*] Surrexerat Thamar & abierat, ablatis ſecum pignoribus quæ acceperat à ſocero. Iehudah ut illa reciperet, & promiſſum præſtaret, miſit hœdum per Hiram amicum ſuum, ſed fruſtra. Non enim inuenit eam Hiras, quare hœdum retulit ad gregem. Hæc ſumma eſt præſentis loci. Scopus Moſi eſt, tueri cauſam Thamar. quare tam diligenter iſta cõmemorat, ut doceat, non accepiſſe illam hœdum, in precium meretricium promiſſum, ſed ſeruaſſe manus ſuas ab eiuſmodi precio puras & illibatas.

Scopus Moſis.

Et miſit Iehudah hœdum ex capris in manu amici ſui Adollamitæ, inquit.] Quare non per ſeruum aliquẽ? Nolebat uti opera niſi eius qui & loci & facti erat conſcius, & præterea amicus. Seruis ſe nolebat ridendum exponere. Interea uide qualis fuerit iſte amicus, & quale ſit hoc amicitiæ genus. Nec petere debet amicus ab amico, quod turpe eſt & inhoneſtum, nec amicus amici ſeruire turpitudini. Res ſancta eſt uera amicitia. Quare nulla inhoneſta & turpia obſequia locum in illa habere conuenit.

Quale ſuerit hoc amicitiæ genus.

Et interrogauit uiros loci illius, dicens: Vbi eſt meretrix illa, &c. Et dixerunt, Non fuit hic meretrix.] Hiras nocat eam meretricem, per ignorantiam, quæ meretrix non erat. Quid potuit eam uocare aliud, q̃ quod ex facto eſſe apparebat? Moſes uerò non ita. Hic uocat eam mulierem. Vt reciperet, inquit, arrabonem de manu muleris. Non dicit, De manu meretricis, ſed, De manu mulieris. Meretricem non facit concubitus, ſed cauſa, ſtudium & propoſitum. Et uiri loci illius ſiue ſcienter ſiue ignoranter reſponderint, dicentes, Non fuit hic meretrix, pulchrè & ueraciter mulieris huius honeſtatem à probro nominis meretricij uindicant. Cedunt iſta ad tuendos natales puerorum ex hoc concubitu conceptorum, idq; in honorẽ ſeruatoris Chriſti, qui hinc generationis ſuæ lineam duxit.

Thamar non fuit meretrix.

Et reuerſus eſt ad Iehudam, & dixit, Non inueni eam. Et uiri quoq; loci illius dixerunt, Non fuit hic meretrix.] Poterat Hiras hœdum dare alicui ex hominibus loci illius, ne reportãdo illum moleſtaretur, ac Iehudæ perſuadere, quòd dediſſet eum meretrici, niſi impediuiſſent pignora, quæ referre non poterat. Quare coactus fuit referre hœdum, & renunciare rem ipſam, mulierem uidelicet non eſſe inuentam, deniq; homines loci affirmaſſe, quòd non fuerit ibi meretrix. Seruiebant iſta in futurum, ad hoc, ut cauſa Thamar plus inueniret fidei: deniq; in præſenti quoq; mouebant hominẽ, ut intelligeret fuiſſe ſibi rem non cum meretrice aliqua & proſtituta muliere, ſed ſubeſſe aliquid, quod ſuo eſſet tempore reuelandum.

Quare Hiras hœdũ retulerit.

Non fuit hic meretrix.] Iam tertiò ponitur in Ebræo uox קדשה pro meretrice, ſignificat autem קדש ſanctificare, & parare. Volunt quidam eſſe hîc antiphraſim per quam mulier immunda uocetur ſancta, quemadmodum fames auri ſacra uocatur à poeta, cum minimè ſit ſacra: & in papatu qui à ſacris ſunt, ſpirituales uocantur, cum ſint omnium carnaliſsimi. Mihi uidetur meretricẽ uocatam eſſe קדשה, id eſt, paratam, quòd cuilibet ſit eiuſmodi mulier pro precio parata.

Non ait Iehuda, Accipiat ſibi, ne ſimus contemptui.] Sentiebat mulierem ſtudio abſtuliſſe pignora, illaq; pluris facere, quàm hœdum. Ideo dicebat: Accipiat ſibi, et habeat ea. Satius eſt ut hoc feramus, quàm ut nos contemptui & irriſioni exponamus, quòd faceremus, ſi ſtudioſus in illam inquirere uellemus. Ergo malebat Iehudah qualecunq; damnum ferre, quàm probrum et contemptum nominis ſui incurrere. Hactenus locum habet illud poetę, Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento. Qua ſemel amiſſa, poſtea nullus

Vitãda infamia.

nullus eris. Verùm si nolebat incurrere periculum contemptus & diffamiæ, non debebat ea facere quæ turpia sunt, & uiro graui inconuenientia.

Illud, Ne fortè simus contemptui, uulgata latina sic habet: Certè mendacij nos arguere non poterit. Prorsus aliena à uerbis reddidit, & magis ad sequentem particulam quàm ad præcedentē respexit interpres ille, quisquis fuit. Quod enim sequitur, Ecce ego misi hœdum, & tu non inuenisti eam, hoc est sensu dictum: Non potest me arguere mendacij. Quod enim promisi, reipsa præstiti. Quod non accepit ipsa est in culpa, quod abijt & non expectauit. Quod uerò dicit, Ne forte simus contemptui, פן נהיה לבוז, ad id pertinet quod dixit: Accipiat sibi. Hoc est, nolo ultrà quærere ubi sit, & de pignoribus recipiendis laborare, ne reddam me obnoxium publico contemptui.

Et factum est quasi post tres menses, nunciatum est Iehudæ dicendo, Scortata est Thamar nurus tua, & ecce concepit etiam scortando. Et ait Iehudah, Educite eam, ut comburatur. Educebatur. Et misit ad socerum suum dicendo, Viro, cuius hæc sunt, ego concepi, aitq; Agnosce quæso, cuius sit hic anulus, & fasciæ istæ, & hic baculus. Et agnouit Iehudah ac dixit: Iustior me est: propterea q; nõ dedi ipsam Schelæ filio meo. Et non adiecit, ut ultrà cognosceret eam.]Seminauerat Iehudah agrum non suum absconditè, iam quomodo quod seminatum fuerat occultè præter ipsius opinionem prodierit in lucem, consequenter exponitur. Et factum est, inquit, quasi post tres menses, uel, spacio circiter trium mensium, nunciatum est Iehudę, Scortata est Thamar nurus tua, &c. Ex indicio uteri ingrauescentis prodebatur, quòd passa esset uirum. Erat argumentum à signo. Deinde qm̃ maritata non erat, sed uidua, concludebatur esse scortatã, & ex scortatione impręgnatam.

Et ait Iehudah, Educite eam ut comburatur.] Apparet Iudam functum esse magistratu inter eos cum quibus agebat. Aliàs non licuisset illi mortis ferre sententiam. Pronunciat autem durum & præproperum iudicium. Causa nondum cognita pronunciat, & tam seuera sententia damnat mulierem grauidã, quæ etsi uerè scortata fuisset, haud debebat ante partum rapi ad supplicium, ne simul cum ea perderetur & fœtus. Quòd si aliena fuisset hæc mulier, forsan mitius & humanius egisset Iudas. Iam cum in nurũ tam seuerè pronunciat, apparet hoc illum iandudum optasse, ut aliqua eam posset occasione è medio tollere, ne filio eam desponsare cogeretur. Alioqui poterat dicere: Non credo eam esse scortatam. Est mulier honesta & pudica. Cognoscam prius hanc causam antequam pronunciem. Videmus hoc loco, quàm sit perniciosum, si iudices affectibus suis magis quàm æquitati obsequantur. Solent qui scortantur scortantibus & adulterantibus alijs haud admodum esse infensi. Hic Iudas scortatus cum esset tam durè in nu-
B rum scortationis accusatam quidem, sed non conuictam pronunciat, ut non solum æquitatis, sed & humanitatis normã excedat. Hucrapiebat hominẽ priuatus affectus, quo cupiebat illam esse extinctã.

Apparet autem aut id fuisse regionibus istis in consueto, ut morte plecterentur adulteri & adulteræ. Deinde pro adulterio habitum, si qua mulier in domo paterna scortata fuisset, cum esset certo cuidam uiro in coniugium destinata, quemadmodum erat Thamar. Quod autem non dixit, Lapidibus obruatur, sed comburatur, non ob id est factum, quòd esset filia Melchizedek sacerdotis, quod quidam existimant, ex eo quod in lege præcipitur ut filia sacerdotis igne comburatur, si in domo patris scortata fuisse deprehendatur, quam sententiam rectè refutauit Lyranus & Burgensis, sed quòd eo mortis genere ante legem in illis regionibus consuetum esset pœnas sumere de adulteris, uel quòd Iudas huiusmodi sententiam suopte arbitratu protulerit in nurum, ut & ignominiã affinitatis grauiter ulciscereturr, & simul ostenderet, usq; adeò esse se iustũ iudicẽ, ut in scelera suorũ acrius q̃ alienorũ animaduertere nõ dubiter.

Educebatur: & misit ad socerum suum dicendo, Viro, cuius hæc sunt, ego concepi. Sic est in Ebræo. Alijs legunt: De uiro, cuius hęc sunt, concepi. Aitq;, agnosce quæso, cuius sit hic anulus, &c. q. d. Iubes me comburi, quasi sim scortata, propterea quòd sum grauida. Si propterea digna sum quę comburar, quod sum grauida, uide cui hoc debeam, agnosce signa. Vide autem quàm cordata fuerit hæc mulier. Ad extremam usq; necessitatem seruans fuerat secreti, & honori soceri sui pepercerat. Et iam cum ad ignem ab ipso condemnata educitur, non dicit: De te concepi. Tu impręgnasti me. Si scortata sum, tu es in causa, tu mecum es scortatus. Si digna sum quæ hoc nomine comburar, tu cumprimis dignus es hoc incendio. Et abs te non debeo iudicari in hac causa quæ tua magis est quàm mea. Si combusseris me, eris crudelissimus tui ipsius fœtus interemptor, & omnium mortalium odio dignus. Nihil huius effutit, quamuis in extremo discrimine cõstituta, sed adhuc honori illius parcens, sic innocentiam suam comprobat, & necessitati suæ consulit, ut iuxtà illius tantum conscientiæ rem omnem aperiat, cum dicit: De uiro illo cuius hæc sunt concepi, &c. Et ista potuit illi suggerere per internuncios clanculum, ut ad conscientiam uulgi non emanarent. Nec addit quicquam. Non dicit: Promisisti mihi filium tuum ubi creuisset: creuit, sed promissis non stetisti. Sed hæc ipsius conscientiæ relinquit. *Cordata mulier.*

Et agnouit Iehudah, ac dixit: Iustior me est, propterea quòd non dedi ipsam Schelæ filio meo. Sensus est: Inique egi, quod non dedi eam filio meo Schelæ, sicuti promiseram, dicens: Sede uidua in domo patris tui, donec crescat Schelah filius meus. Illa igitur quod fecit, mea culpa fecit. Quare iustior me est. Vide autem quàm moderatè iam pronunciet. Non dicit: Ego magis incẽdio dignus sum quàm ipsa, sed, iustior me est. Vides hic exemplum eorum iudicum, qui iustiores homines quàm ipsi sint dãnant & opprimunt, de quibus Abacuk propheta queritur dicens: Quare respicis contẽptiores & taces, cõculcante impio iustiorẽ se? Cũ Dauid Shauli orã chlamydis illius quã clanculũ abscinderat, in argumentũ innocẽtiæ suæ ostẽderet, ille leuata uoce plorãs dicebat: Iustior tu es q̃ ego. Sic cõparati sunt iniqui iudices. Aegrè in duci possunt ut tandem agnoscant, esse iustiores se eos quos ipsi iniquè persequuntur & damnant. *Exemplum iniquorum iudicũ.*

Et non adiecit, ut ultrà cognosceret eam.] Non addebat peccato per ignorantiam admisso peccatum ulterius, quod nulla potuisset ignorantia excusari. Meminit autem Moses huius particulæ cautionis gratia, nè quis putans Iudam postea loco coniugis habuisse nurum suam Thamar, exemplum idem audendi ex eo facto sumat. A

Et factum est tempore partus ipsius, ecce gemelli erant in utero eius.] Sic abundè declarabatur, fuisse mulierem hanc non in culpa, quòd duobus suis maritis filios non peperit, sed adeò fœcundam, ut uno partu utriusq; nomen in Israele restituere potuisset, si Schelam maritum esset consequuta, modò ille non fuisset uestigia fratrum malitiosè sectatus.

Et accidit cum páreret, ut daretur manus. Et obstetrix accepit eam, ligauitq; super ea coccinũ, dicens: Hic egredietur prior.] Hoc faciebat obstetrix propter primogenituram. Huius gratia notabat indicio coccini manum hanc, quæ primò prodierat, ut etiamsi illa retraheretur, cognosci tamen posset. Cõueniebat autem purpura dignitati primogenituræ.

Et factum est ut ille manum suam resumeret, & ecce egreditur frater eius. Et ait, Vt quid diuisisti propter te diuisionem, & uocatum est nomen eius Paretz. Et postea egressus est frater huius, super cuius manum erat coccinũ, & uocatum est nomen eius Zærah.] Illud, Vt qd diuisisti, ꝓpter te diuisionẽ, in Heb. est פרץ תרמת עליך Significat autem uerbum פרץ Paratz dirimere, rumpere, diuidere: deinde & præualere. Vnde & particula hæc uariè redditur. Septuag. sic: τί διεκόπη διὰ σὲ φραγμός; id est, Quare rupta est propter te macceries? Aquila & Symmachus diuisionem transtulerunt. Chaldæus sic: Quàm multum roboris habes ad prævalendum. Verùm prior uersio magis placet. Loquitur obstetrix dẽ ruptura secundinarum, quam ei adscribit, qui prior nascitur. Et hic eam quoq; ob causam dicitur diuisisse diuisionem, quòd clausura materni uteri primus aperuerat. Et hanc ob causam uocatus est Paretz, id est diuisio. Alter uerò, cuius manus prior prodierat Zerah, id est Oriens, quòd uisus esset proditurus prior.

Mysterium Israelis & Gentium.

Habet hic locus sua mysteria, quæ diuersimodè exponuntur. Chrysostomi cogitatio uidetur esse non admodum conueniens. Arbitror autem sic esse cogitandum. Duo gemelli in uno utero, duo erant populi, Israelis uidelicet, & Gentium. Vtriq; erant cõcepti ex eodem patre peccatore, & in peccato concepti sunt. Zerah, typus Israelis, manum porrigit primus, quasi nasciturus integer, quam & obstetrix coccino signat, sed hanc retrahit, & natiuitatem suam differt. Sic Israel prior ueluti manum porrexit, dum obedientiam fœderi Dei spopondit, legi illius sese submisit, legi uidelicet operum, & signum unde notaretur coccinum, hoc est, cruentam circumcisionem accepit: uerùm hanc ad se retraxit, dum in obedientia Dei non perstitit. Vel tum manum protulit ex utero, quando aliqua illius portio sic prior Christo accedebat, ut totus in illo iamiam nasciturus uideretur: retraxit uerò manum, dum illum prorsus negare ac dignitatem primogenituræ contemnere cœpit. Pharetz uerò typus Gentium post retractam fratris manum integra subitò natiuitate uteri materni clausura rupit & in lucem prodijt. Sic populus gentium per occasionem Israeliticæ pertinaciæ peruenit ad Christum, inq; illo quasi plena natiuitate in lucem diuinæ ueritatis erupit. Postquã natus esset Pharetz, tandẽ natus est & Zerah. Sic ubi plenitudo Gentium intrauerit, tandem nascetur Israel iusta & plena natiuitate, & integer Christo Dño suo acceder & adhærebit: implebiturq; illud Apostoli, Ro. 11. Vbi plenitudo Gentium intrauerit, omnis Israel saluus fiet. B

CAPVT XXXIX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

De seruitute, tentatione, innocentia & incarceratione Ioseph, deq; gratia Dei, quæ ubiq; illum sic est prosequuta, ut in omnibus ageret prosperrimè.

ET Ioseph ductus est in Aegyptum, & emit eum Potiphar eunuchus Pharaonis, princeps laniorum, uir Aegyptius, de manu Ismaelitarum, qui duxerunt eum illuc.] Redit Moses ad historiam Ioseph, quam suprà 37. cap. cœpram per ea interruperat, quæ de Iehudah & filijs eius erant memoranda. Connectit autẽ ea quæ dicturus est præcedentibus, obiter repetendo quod suprà in calce cap. 37. Ioseph um à Madianitis in Aegyptum Potiphari eunucho Pharaonis, ac principi laniorum, uenditũ esse dixerat. Cogitandũ hic est, q̃ melius de Iosepho senserint extranei q̃ ipsius fratres, qui illum usq; adeò ferre non poterant, ut uel necando uel uendendo iudicarent è consortio suo esse auferendum. Extranei uerò usq; adeò iudicarunt eum non esse reprobandum, ut etiam data pecunia in suum peculiũ uendicauerint. Quis autẽ ita mente motus est, ut hominem inutilem ac reprobũ gratis nedum data pecunia in domum suam recipiat? Sic accidit frequenter, ut quem cognati abijciunt, alieni & exteri studiosè colligant. Sic & illud impleri, q̃d Christus dixit, Non est propheta contemptus, nisi in patria sua, in domo sua, & in cognatione sua, Marc. 6.

Quem cognati abijciunt, exteri colligunt.

Et emit eum, inquit, Potiphar eun. &c.] Igitur Ioseph ingenuus & liber adolescẽs factus seruus, seruiuit eunucho Pharaonis. Cõmodùm aũt id accidit ei qui populi sui, olim in Aegypto seruituri præcursor erat, ut & ipse seruiret ad tempus, donec libertatis ipsius tempus aduenisset, atq; ita præmonstraretur in præcursore, qua sorte usuri essent in Aegypto Israelitæ.

Ioseph præcursor Israelis.

Et fuit Deus cum Ioseph, & erat uir prosperè agens, eratq; in domo heri sui Aegyptij. Et uidit herus eius quòd Dominus esset cum eo, & omnia quæ ille faciebat, Dominus prospera redderet in manu eius. Et inuenit Ioseph gratiam in oculis eius, & ministraut ei, & præfecit eum domui suæ, ac quæ habebat omnia dedit in manum eius. Et accidit ab eo quo præfecerat eum domui suæ & omnibus quæ habebat, ut benediceret Dominus domum Aegyptij

ptij propter Ioseph, & erat benedictio Domini in omnibus quæ habebat cùm domi tum in agro. Et reliquit omnia sua in manu Ioseph: nec quicquam cum eo cognouit, nisi panem quem edebat.] Postquã secundo meminit fuisse Iosephum in Aegypto uenditum Potiphari eunucho regis, consequenter ostendit, quænam illi in seruitute hac euenerint, quâ ue sorte in illa sit uersatus. Et quoniam memoraturus erat, quàm prosperè ac feliciter cesserit ei hæc seruitus, id quod caput & fons erat huius prosperitatis, statim initiò præmittit dicens: Et fuit Deus cum Ioseph, ac tum subijcit: Eratq; uir prosperè agens. Quomodo sit Deus cum pijs, monuimus suprà cap. 21. ibi, Deus est tecum in omnibus quæ agis. Quod præsentem locum attinet, uidemus Deum nõ aspernari humilem & abiectam suorum sortem, sed esse cum illis siue sint in exilio, siue in seruitutem diuenditi. Ea est constans illius gratia & beneuolentia, à qua longè diuersa est gratia mundi. Deinde monemur hoc exemplo, unde sit prosperitas rerum agendarum. Ex gratia uidelicet diuinæ præsentiæ. Vbi Deus est fauens ac cuncta dirigens, ibi necesse est cuncta feliciter gerant.

Illud, Et erat uir prosperè agens, non sic est capiendum, quòd tum uirilem fuerit gratem assequutus, cum Potiphari uenderetur (nam tum erat adhuc adolescens) sed loquitur de uirili prudentia & grauitate, qua utebatur in rebus agendis. Et nos solemus eos pueros qui cordatè quid & grauiter uel dicũt uel faciunt, uocare uiros, cum grauitatẽ ac dexteritatem eorum cõmendantes dicimus, Das ist eyn mann.

Eratq; in domo heri sui Aegyptij.] Diuersa sunt seruorum genera. Alij seruiunt in agro, & operas crassiores obeunt: alij pascunt pecora, alij seruiunt domi, & quæ domestica sunt curant. Ioseph quoniam apparebat aliquid habere ingenuitatis & industriæ, non est missus in agrum, sed domi retentus. Et hoc opinor est quod dicit Moses, Eratq; in domo heri sui Aegyptij.

Et uidit herus eius quòd Dominus esset cum eo.] Diligens parerfamilias obseruat non modò fidem ac diligentiam suorum, sed & successum eorum quæ agunt. Reperias qui fideliter ac diligenter seruiant, & tamen parum sortiantur prosperitatis & successus. Ioseph uerò & fideliter & diligenter & prudenter & simul feliciter faciebat omnia: unde herus eius colligebat, esse cum illo Dominum. Sic dicit Moses: Et uidit herus eius quòd Dominus esset cum eo. Vnde uidit? Ex eo uidelicet, quòd omnia quę faciebat in manu eius prosperabantur. Singularem autem & mirabilem successum rerum in eo notat quod dicit, Omnia quæ faciebat, prosperabantur in manu eius. Hoc est, inter agendum reluceſcebat singularis prosperitas. Nos Germani sic dicimus, Es glückt im alles vnder den henden, was er anfahet. Item, Er hat eyn glückhafftige hand. Hoc genus prosperitatis manifestum habet diuinæ cooperationis argumentum.

B Et inuenit Ioseph gratiam in oculis eius.] Hactenus de gratia Dei quæ adfuit Iosepho in rebus agendis, & cuncta illi reddidit prospera. Iam subiungitur de emolumentis, quæ illi ex hac gratia Dei in domo herí ipsius contigerunt. Primum est, quòd inuenit gratiam in oculis heri sui. Cœpit eum herus diligere, & habere in precio. Ingens est hoc commodum, gratiam inuenire in oculis eorum quorũ es potestati subiectus, & quorum tibi est arbitrio uel standum uel cadendum. Contrà maximum prorsus est incommodũ, si seruiendum sit dominis maleuolis & austeris, & subinde infensis.

Et ministrauit ei.] Sequuntur argumenta & specimina herilis gratiæ. Vbi cœpit placere hero suo, principio exemptus ab illo est & liberatus ab operis domesticis, quas cum alijs obibat, & ad hoc deputatus, ut iam ipsi hero peculiariter seruiret, in ijs uidelicet quæ uel domesticam curam, uel officium quod administrabat concernebant, quæ hominem singularis ingenij, fidei ac dexteritatis requirebant. Aliàs ministrauerat hero suo & antea cum in domo eius seruiret. Quare meo iudicio, quod hic dicitur, Et ministrauit ei, emphasim habet in uocula Ei, & hoc est sensu dictum quem assignauimus. Erat itaq; hic primus euectionis ac prærogatiuæ gradus, ad quem peruenit Ioseph, quòd ad singularia ac specialia herí sui munia obeunda selectus est.

Et ille præfecit eum domui suæ, & quæ habebat omnia dedit in manus eius.] Habent ista alterum sublimationis gradum, quo præfectus est domus heri sui constitutus. Dedit illi omnia quæ habebat in manum eius. Hoc est, in curam & potestatem præfectoriam & œconomicam, non herilem. Neq; enim constituit eum dominum, sed præfectum rerum suarum.

Et accidit ab eo, quo præfecerat eum domui suæ, &c. ut benediceret Dominus domum Aegyptij propter Ioſ.] Primũ dedit Dominus prosperitatẽ eorũ quæ faciebat Ioseph in ministerio domestico: deinde & in eo, quo hero suo in peculiaribus seruiebat: postq; uerò constitutus erat præfectus super omnem domũ heri sui, cœpit benedictio Dei extendi in omnia bona Aegyptij huius tam in agro q̃ domi. Et addit, Propter Ioseph. Propterea uidelicet, q̃ manui Ioseph concredita erant omnia, uoluit Deus in omnibus benedictionis suæ declarare largitatem & abundantiam. Iterum hoc exemplo uidemus, tam beneuelle Deum pijs hominibus, ut illorum gratia etiam impijs benedictionem suam impendere dignetur, sicut & sup. in historia Laban & Iacob uidimus. OBSER.

Et reliquit omnia sua in manu Ioseph, nec quicquam cum eo (id est, donec eum habebat rerum suarũ præfectum) cognouit, nisi panem quem edebat.] Ad hoc memorantur ista, ut exprimatur q̃ omnium rerum suarũ securus fuerit Potiphar, ubi Iosepho curam illarum cõmiserat. Vsqueadeò uidelicet, ut ignarus esset eorũ quæ habebat, quæq; domi & in agro gerebantur, nihil sciens nisi cibum quem edebat. Hæc dicuntur ad extollendam gratiam Dei, per quam Ioseph omnia prosperrimè agebat.

Igitur in isto Potiphare, qualis qualis fuerit, hoc laude dignum esse apparet, quòd non considerauit in Iosepho, quis & unde esset, sed diligenter gratiam Dei in ministerio illius relucentem obseruauit, OBSER.

illamq;

illaq; cupidè & ſecura mẽte eſt uſus. Reperias homines adeò ſuorum gentilium amantes, & peregrinorum oſores, ut etiamſi Ioſepho iſto duplo proſperiores & intelligentiores ad ipſos ueniant, malint tamen ſuorum uti ignauia & ſtupiditate, quàm exteriorum hominum ſolertia & dexteritate. A

Illud autem, quòd nihil ſuorum cognouit Potiphar, niſi panem quem edebat, licet id meritò fecerit, propter comprobatam & indubitatam præfecti ſui fidem ac diligentiam: malè tamen ſumitur in exemplum ab illis qui omnem curam, ſolicitudinẽ, gubernationem & poteſtatem ſubditorum ſuorum, in humeros conſiliariorũ ac præfectorum ſuorum ſic temerè abijciunt, ut non ſolum rerum ſuarum nihil, niſi quod attinet delicias, ſed nec eorum fidem & probitatem cognoſcant, quorũ poteſtati omnia ſubijciũt. Potiphar etſi bona ſua non cognoſcebat, cognoſcebat tamen Ioſephi præfecti ſui fidem, diligentiam, & in agendis rebus proſperitatem: ſic eſſe comparatam, ut ſecurè illi poſſet inniti.

Et erat Ioſeph eleganti forma & eleganti aſpectu. Et factum eſt poſt hæc uerba, leuauit uxor heri ipſius oculos ſuos in Ioſeph, ac dixit, Dormi mecum.] Quoniam erat de tentatione hac Ioſephi memoraturus, præmiſit de illius pulchritudine, propter quam uxor heri illius conſuetudinẽ eius appetijt. Tribuit autem illi elegantiam non ſolum faciei, ſed & formæ, per quam intelligo decentem ſtaturam & conſtitutionẽ corporis. Et factum eſt, inquit, poſt hæc uerba. Hoc eſt, poſtq; conſtitutus eſſet Ioſeph præfectus omnium bonorum heri ſui, & cuncta in manu ipſius proſperarentur, dominus omnibus bonis heri illius benedixiſſet, & ipſe ſecurus omnia permitteret Ioſepho, atq; ita ille in ſummo precio & honore uerſaretur. Quid factum eſt? Vxor heri ſui oculos in eum iecit, animumq; illius ad concubitũ adulterinum ſollicitare cœpit, dicens, Dormi mecum. Hæc erat tentatio diabolica. Mulier capta laqueo pulchritudinis Ioſeph ardere cœpit libidinis illicitæ flammis. Cogitabat paratam fore occaſionem, quoties uellet, conſuetudine illius potiundi, quòd liberè uerſaretur domi in omnib. abiq; ulla heri ſuſpicione: deinde ſperabat illum non recuſaturum heræ ſuæ gratiam & amorẽ, propterea q; eſſet ſeruus emptitius, ſed pro magno ductu rus, quòd unà cum totius domus œconomia etiam heræ ſuæ amore & copia frui poſſet.

Leuauit, inquit, *oculos ſuos in Ioſeph poſt hæc uerba.*] Initio cũ ueniſſet in domum hanc, oculos ſuos in illum non leuauit, ſed uel contempſit, tanquam Hebræum, & ſeruum emptitium, uel pro more gentis, tecta facie quoties prodeundum erat prodibat, nec ulla cogitatione de ſeruo Hebræo uidendo afficiebat. Poſtquam uerò de illius induſtria, prudentia, rerumq; gerendarum ſucceſſu & dexteritate ex ore mariti ſui ſubinde percepit, deinde illum totius domus œconomum factum uidit, tum demũ admiratione quadam mota oculos in illum iniecere, & propter pulchritudinem inſignem in amorem eius rapi cœpit. Sic uirtus animi & ſpecies corporis in Ioſepho mulieri cauſam amoris peperiſſe uidentur, cuius mentẽ ſatan afflatu ſuo inſtigauit, ut q̃d corde conceperat, uerbis etiam erga ipſum Ioſephum proferret, ac mentem inuenis ad opus nefarium ſollicitaret. B

Et renuit ac dixit ad uxorem heri ſui: Ecce herus meus non cognouit mecum quicquam in domo, ſed omnia quæ habet dedit in manum meam. Nec ipſe maior eſt me in hac domo, nec prohibet mihi quicquã, præter te, propterea quòd es uxor ipſius: & quomodo facerem malum hoc grande, & peccarem in Deum? Et *quamuis ad Ioſephũ quotidie loqueretur, haud tamen auſcultauit illi, ut dormiret iuxta eam, & eſſet cum ea. Et accidit ſecundũ hanc diem, qua uenerat domũ ad faciendũ opus ſuũ, nec quiſquã de uiris domus domi erat, ut apprehenderet eam cum ueſte eius ac diceret: Dormi mecum. Et reliquit ueſtem ſuam in manu eius, & aufugit foras.*] Prædicat Moſes diligenter conſtantem Ioſephi continentiam, qua innocentiam ſuam, et fidem hero ſuo debitã contra inſignem & grauem inſanæ mulierculæ tentationem illibatã cuſtodiuit. Tentationem expoſuit, qua hera domus pudicitiam ipſius ſollicitando dixerat, Dormi mecum. Subiungit iam quomodo ille ſe geſſerit. Et renuit, inquit. Primùm ſimpliciter recuſauit. Deinde, nẽ uideret hoc facere ex arrogantia quadam & contemptu, ſed ex fide hero ſuo debita, & ex ſtudio probitatis, denicq; ex timore Dei, recuſationi ſuæ rationem adiungit dicens, Ecce herus meus non cognouit mecum quicquam in domo, &c. quæ expoſita ſunt ſuprà. Rationis huius ſenſus ſic habere uidetur: Eſſem omnium mortalium nequiſſimus, ſi tam grandem perfidiam tam inſigni beneuolentiæ ac fidei heri mei rependerem. Euexit me ſuper omnia quæ habet, ac fidei meæ adeò ſecurus concredidit omnia, ut nihil ſit in omni domo ipſius, quod ſuæ curæ ſeruauerit, niſi te, propterea quòd es uxor eius, & panem quem edit. Quàm inſignis eſſem nebulo, ſi fidem hanc illius fallerem? Hoc eſt quod dicit, Et quomodo facerem malum hoc grande? Peccarem in Deum. Poterat dicere, Non es uxor mea. Habes maritum. Non licet ut hoc faciam. Nolo eſſe adulter. Verùm huiuſmodi ratio nõ ſatis conueniſſet enormitati ſceleris, ad q̃d ſollicitabat. Etenim mulier iſta nõ ſolum erat maritata, ſed erat etiã uxor heri eius, cuius ipſe erat ſeruus. Adulteriũ eſt, ſi cognoſcat quisq; mulierem non ſuam, ſed alterius cuiuslibet uxorem. Et ipſum quidem adulterium eſt, ſi rem habeat cum uxore heri ſui: uerùm peccato adulterij accedit ſcelus perfidiæ, quo peccatum hoc plurimum exaggeratur, etiam ſi ſit ex infimo ſeruorum numero qui hoc facit. Si uerò talis ſeruus qualis erat Ioſeph, talis heri, qualis erat hic Potiphar, omnia in manus ſibi tradentis, & in fide ipſius ſecurè conquieſcentis, uxorem ſtupra uerit, quis ſatis expenderit, quàm ille enormis perfidiæ ſcelus admittat? Vt non fruſtra dixerit Ioſeph, Quomodo facerem peccatum hoc grande?

Illud, Nec ipſe maior eſt me in hac domo, in Hebræo ſic habetur, אין גבר גדול בבית הזה ממני. quod Onkelos uertit, Non eſt maior in hac domo, quàm ſim ego. Sic uertit & Pagninus, & Monſterus, & Tigurina quoq; ſic habet. Poſſet hæc uerſio probari, ſi in Hebræo ſimpliciter eſſet אין גדול, id eſt, Non eſt maior.

A maior. Verum quum sit אדוני גדול id est, non ipse maior, arbitror uoluisse Iosephum sic amplificare he ri sui erga se fidem ac beneuolentiam, ut diceret, etiam ipsum herum non esse maiorem in sua domo: hoc est, habere plus potestatis in omnia sua bona, quàm habeat ipse.

Cogitandum hic est de prudentia Potipharis. Erat ipse caput & herus omnium eorum quæ erant in ipsius domo, adeoq; & iure maior quàm uel uxor, uel liberi, uel serui. Verùm quoniam re ipsa experiebatur plus esse prudentiæ, dexteritatis ac prosperitatis in Iosepho suo seruo, quàm in se, uoluit gubernacula domus esse penes illum, non minus quàm penes se: hoc est, uoluit in domo sua regnare nõ uoluntatem propriam, sed ipsam sapientiam & prudentiam, longè diuersus ab eo qui dicit: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. Et hoc ipsum specimen est prudentiæ, moderamina rerũ non propriæ uindicare insciriæ, sed potius alienæ permittere prudentiæ, etiamsi maior sis conditione, uel ordine, uel officio. Quàm est Romanus pontifex alienus ab hac prudentia? Etiamsi tam certa & legitima esset constitutione supremus religionis Christianæ moderator, quàm fuit hic Potiphar domus suæ caput, debebat tamen ad huius exemplum gubernacula ecclesiarum aliis permittere, de quibus constaret, quòd essent in causis fidei ac religiõis nostræ ipso peritiores ac dexteriores multõ, quales sanè quàmplurimi per gratiam Domini in Ecclesiis passim reperiuntur. Verùm hoc genus prudentiæ non est eorum qui maiorita tem, ut loquuntur, in Ecclesia Christi diabolico prorsus instinctu sic quærunt, ambiunt, & retinent mordicus, ut citius sint omnem domum Dei in sempiternum perdituri, quantum in ipsis est, quàm uel ad horam occupatum adulterini primatus fastigiũ aliis, etiam ipsis Apostolis, si in uiuis hic essent, cessuri.

Nec prohibet mihi quicquam, inquit, *præter te, propterea quòd es uxor ipsius.*] Vulgata latina habet, Præter te, quæ es uxor ipsius. Verùm in Hebræo est, באשר את אשתו: id est, Propterea quòd tu uxor eius es. Habet hæc particula rationem, quare non concesserit Potiphar Iosepho potestatem in mulierem hanc, quemadmodum in reliqua sua bona. Propterea uidelicet, quòd esset ipsius uxor, quam nec affectu mariali, nec iure coniugij cuiquam poterat facere communem, aut alterius cuiuspiam potestati subijcere. Admonemur hic, quàm sit arcta coniugum cõiunctio, quamq; incommunicabilis societas. Omnia sua poruit Potiphar tradere in manus Iosephi, una dempta coniuge. Arcta est coniunctio parentum ac liberorum, arcta societas & cognatio fratrum, uerùm longè arctior est coniugum. Potest pater liberos suos aliorum subijcere potestati, potest frater à fratre seiungi, & in aliorum transire consuetudinem: uerùm coniunx coniugem alienæ potestati ac consuetudini subijcere nec animo potest, nec iure. Chara est facultatum, præsertim pecuniæ possessio: uerùm charior est societas cõiugis. Facultates possumus com-
B municare amicis, uxores non item. Tanta est charitas Christianorum, ut omnia sint inter ueros Christianos communia, immò ut alius pro alio mori quoq; sit paratus: uerùm tanta non est, ut uxores quoque reddat communes, ut rectè scribat Tertullianus: Qui anima animoq; miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores. In illo loco consortium soluimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent, &c. Quòd si hæc est conditio coniugum, admodum detestabiles sunt, qui non solum in res Ecclesiasticas, sed & in ipsam Ecclesiam, sponsam Christi unicam, dominium usurpant. Si sunt œconomi domus Dei, &, ut contendunt, omnia à Christo potestati ipsorum sunt tradita: quare nõ dicunt cum Iosepho, Omnia dedit in manus nostras, præter Ecclesiam suam, propterea quòd illa est sponsa ipsius?

Et quomodo facerem malum hoc grande, inquit, *& peccarem in Deum?* In Hebræo est ואחטאה לאלהים, id est, & peccarem Deo. Alij habent, Et peccarem coram Deo. Sic uerterunt Septuaginta. Vulgata lat. habet, Et peccarem in Dominum meum, quasi loquatur de hero suo, cum de Deo loquatur. Obseruandũ hic est, quòd peccatum hoc, ad quod sollicitabat, grande malum uocat, quo non in herum suum duntaxat, sed & in ipsum Deum peccasset, si mulieri obsequutus fuisset. Quàm sit grande peccatum, suprà monui. Hic uidendũ est, quomodo hoc peccati genere in Deum specialiter peccetur. Generaliter, quisquis peccat, peccat in Deũ, etiam ubi peccat in hominẽ. Is demum specialiter in Deum peccat, qui peccat in homines desolatos, qui peccat in afflictos, qui peccat in paruulos, innocẽtes, & rationis usu destitutos. Nam horum omnium tutela præcipuè in Deo est, & non possunt sine grandi malitia lædi. Deinde peccat in Deum, qui in hominem perfidè peccat tota à se fiducia pendentem, & in fidem ipsius se & omnia sua collocantem. Tale fuisset peccatum Ioseph. In Deum etiam hoc pacto peccauit Dauid, cum uxorem Vriæ serui sui pollueret, illumq; nihil huius suspicantem literis proditorijs neci destinauit. Vnde & dicebat: Tibi, soli tibi peccaui, & malum coram te feci. Huiusmodi peccata propter enormitatem singularis malitiæ rectè in Deum fieri dicuntur, & singulares etiam pœnas merentur.

Et quamuis, inquit, *ad Iosephum quotidie loqueretur*[Vulgata latina hic de suo habet, Et mulier molesta erat adolescenti.] *haud tamen auscultauit illi, ut dormiret iuxta eam, & esset cum ea.*] Vulgata latina pro istis substituit: Et ille recusabat stuprum. Expouit Moses, quæ fuerit mulieris pertinacia in malo. Quamuis audisset ex ore Iosephi, quare nollet ipsi obsequi, haud tamen cœpto desistebat, sed quotidie pectus pudicum & honestum impudica sollicitatione fatigare moliebatur. Sperabat sic instando se uincere posse, & tandem quod ardenter cupiebat obtinere. Ioseph contrà gratia Dei munitus constanti recusatione pertinaciam & improbitatem mulieris inefficacem reddebat. Videmus hic pugnã pertinaciæ & constantiæ. Magna uis est pertinaciæ in tentationibus. At contrà maior est uirtus constantię in ijs qui Deum timent, ad uincendam tentationũ pertinaciam. Deinde & illud obserua, quòd non simpliciter dicit, Haud tamen consensit illi: sed, Haud tamen auscultauit illi. Nec dicit, Vt dormiret cum ea: sed

sed, Vt dormiret עמה, id est, iuxta eam, & esset cum ea. Petebat mulier, ut saltem eodem secũ cubili dormiret, & cum ipsa esset. Nam si hoc obtinuisset, cætera quoq; sequutura sperabat. Verũ pius, fidus, probus, & prudens adolescens hac utebatur cautione, ut ne auscultaret quidem, nedum consentiret, ista petenti. Qui audit uoces Sirenarum, facilè capitur ac perditur. Optimũ ergo est, ne audire quidẽ, sed auertere aures. Et, qui propius accedit ad ignem, citius incalescet. Quare fugiat adolescens impudicæ mulieris consortia ne unà sedeat, stet, ambulet, eodem ue loco dormiat, nisi de castitate sua periclitari, & infinitis laboribus implicari noluerit. Huc pertinent illa: Quis tanger picem, & non inquinabitur ab ea? &c. A

Et accidit secundum hanc diem qua uenerat domum, &c.] In Hebræo sic habetur: Et factum est secundũ diem hanc, & uenit domum, &c. Vulgat. lat. habet, Accidit autem quadam die, ut intraret Ioseph domũ. Sept. sic, ἐγένετο δὲ τοιαύτην τὴν ἡμέραν: id est, Facta est autem talis quædam dies. R. Shlomoh exponit de die ad hoc facinus ab improba muliere deputata, quòd ea uideretur fore cõmoda propter domesticorũ absentiam, quibus eundum esset ad locum sacrum &c. Irrequieta mulier intenta erat in omnem occasionem, & non modò obuiam usurpauit, sed & in futurum de captanda cogitauit.

Qua uenerat domum, inquit, *ad faciendum opus suum.*] Confer studium utriusq; . Mulier noctes ac dies meditabat opus ab honesta muliere alienũ, Ioseph cõtrà studebat operibus ministerij sui fideliter obeundis. Quod autem fuerit opus Iosephi tum temporis in domo heri sui faciendum, scriptura nõ meminit, satis est quòd hominis sedulitatem in ministerio heri ipsius cõmendat.

Nec quisquam inquit, de uiris domus domi erat.] Hæc solitudo domus mulieri uidebatur ad propositum opportuna. Solitudinem hanc debebat declinare Ioseph, nisi summa necessitate adactus esset, ut domũ ingrederetur, in qua Sirena ista sola degebat. Verùm quis adeò cautus est, ut omnibus horis singula circumspicere, & omnes improborum hominum insidias perpetuò cauere possit?

Nemo satis cautus.

Vt apprehenderet eum cum ueste eius, ac diceret, Dormi mecum.] Apparet mulierem præ mentis insania Iosephum in loco ubi tum degebat, & in ipso opere quod ex officio suo obibat, instar malæ bestiæ inuasisse, & ad libidinem suam cogere uoluisse, postquam uerbis nihil efficere poterat. Hoc proposito uestẽ illius apprehendit, siue tunica fuerit, siue pallium, & renitentem ad se pertrahere uoluit. Videmus exemplum impudentiæ meretriciæ, in uxore heri. Huc rapiebatur amoris insania. Quemadmodum ipsa capta erat uinculis concupiscentiæ, ita & Iosephum brachijs suis innectere cupiebat & tentabat.

Exemplũ impudentiæ meretriciæ.

Et reliquit uestem suam in manu eius, & aufugit foras.] Satius fuisset, si cum ueste foras exilire potuisset. Verùm quoniam illa manum uesti suæ iniecerat, melius erat sine ueste aufugere, quàm cum ueste pericli taei. Bona permutatio est, qua pudicitia & innocentia ueste relicta seruatur. Et ita diuinitus disponebatur hæc causa, ut uestis in manu mulieris relinqueretur, cuius indicio malesana & fraudulenta ad struendam insonti calumniam uteretur. B

Et factum est cum illa uidisset quòd reliquisset uestem suam in manu ipsius, & fugisset foras, uocauit uiros domus suæ, ac loquuta est ad eos, dicens: Videte, introduxit nobis uirum Hebræum, ut illuderet nobis. Ingressus est ad me, ut dormiret mecum: uerùm clamaui uoce magna. Et accidit, cum audiret quòd leuarẽ uocem meam, & clamarem, reliquit uestem suam iuxta me, & fugit, egressusq; est foras. Et retinuit uestẽ eius apud se, donec ueniret herus eius ad domum suam. Et loquuta est ad eum secundum uerba illa, dicendo: Venit ad me seruus ille Hebræus, quem introduxisti nobis, ut illuderet mihi. Et accidit, cum leuarem uocem meam, & clamarem, reliquit uestem suam iuxta me, & aufugit foras.] Habent ista occasionem innocentis Iosephi. Quæ rea erat, & à Iosepho meritissimè accusari poterat, accusat ipsa Iosephum. Et factum est, inquit, cum illa uidisset quòd reliquisset uestẽ suam in manu ipsius, & fugisset foras, &c. Hisce uerbis exponitur causa, quare Iosephum tam iniquè & acerbè accusare uoluerit. Videbat se non modò nihil effecisse, sed & insigniter esse ab illo contemptam, id quod ipsam urebat supra modum. Vix est quod acerbius iritet mulieres impudicas, quàm si uiderint se ab illis quos amant pertinaciter contemni. Nihil minus ferre possunt, quàm formæ, amoris, & concupiscentiæ suæ contemptum. Iniuriam hanc, ut putant maximã, nullo pacto concoquere possunt. Et hanc ob causam ardentissimum amorem, quo deperierat iuuenem, & propemodum facta fuerat insana, subitò conuertit in odium infensissimum: & quem antea cupiebat habere in delicijs, iam in uitæ discrimitia malitiosissimè conijcit, & extinctum cupit. Qua in re uidemus quàm sit illegitimus hic amor planè diabolicus, & omnibus cordatis hominibus summopere fugiendus. Deinde timebat etiam, ne proderetur ipsius nequitia, per id quod relicta apud se ueste nudus effugerat foras, & forsan etiam ab eo accusaretur coram hero ipsius, cui erat charissimus. Coniungit itaq; malitiæ suæ muliebrem uersutiam, & ad artes talium scortorum confugit. Præuenit eum accusando, & qua ipsa fuerat usa nequitia, huius insimulat ipsum, causamq; relictæ apud se uestis in ipsum mendacissime retorquet. Et hoc facit primùm coram domesticis, priusquàm illi quicquam, ea de re cognouissent. Non expectat donec domum ueniant, sed uocat eos ut ad se ueniant, ut animos eorum quàm primùm mendacio suo contra innocentiam Iosephi inficiat & inciter: Videte, inquit ad eos, introduxit nobis uirum Hebræum, ut illuderet nobis, &c. Ostendit illis uestem Iosephi, quum dicit, Videte. quasi diceret. Videte insignem nequitiam & impudentiam, quæ mihi contigerit. Et ut hanc exponat, addit: Introduxit nobis uirum Hebræum, ut illuderet nobis. Primùm accusat herum ipsum, quasi ad totius domus molestiam & ignominiam Iosephum introduxisset. Non dicit, Introduxit uirum Hebræum: sed, Introduxit nobis, hoc est, mihi & uobis omnibus, ut esset nobis oneri & ignominiæ, quasi fine uiro Hebræo domum hanc administrare non possimus. Loquitur non simpliciter de eo quòd emerat Iosephum, ut esset seruus ipsius, sed quòd cõstituerat

Mulier impatiens contemptus.

Illegitimus amor diabolicus.

Muliebri malitiæ uersutia coniuncta.

cum

eum totius domus præfectum & omnia sua curæ illius subiecerat. Sciebat astuta mulier eam rem displi cere domesticis, ideoq; animos eorum facillimè posse aduersus Iosephum instigari, præsertim à se tanquam hera domus & in causa tam graui, quam herus omnium esset pessimè laturus, nec inultam abire permissurus, præsentim cum non nudis illum uerbis, sed manifesto quoq; relictæ uestis indicio accusaret. Et illud ignominiæ notam habet, quòd non simpliciter dicit, Introduxit nobis seruum hunc: sed, Virum Hebræum, inquit. Erant Hebræi Aegyptijs tantæ abominationi, ut illicitũ putarent panem cum illis comedere, sicuti uidemus infrà cap. 43. Et hac quoq; ignominia uoluit Iosephum odiosum reddere domesticis. Videmus hic quàm mulier ista non fuerit corde recto erga maritum & herum suum, quem ne nominare quidẽ dignatur: & dum Iosephum uult accusare, cum primis odiosè perstringit, factumq; ipsius malignè interpretatur. Pessima mortalium, introduxit in domum suam, non tuam: sibi, non tibi: uirum pium, probum, iustum, prudentem ac fidelem, uirum propter quem benedixerat Deus omnibus bonis heri tui. Cum te uerò in domum suam introduceret, ignarus maliciæ tuæ, introduxit mulierem uerè Aegyptiam, impiam, perfidam, impudicam, & omnium uersutissimam adulteram.

Ingressus est, inquit, ad me, ut dormiret mecum.] Dixerat, Vt illuderet nobis. Exponens quomodo hoc fecerit, addit ista. Ad me ingressus est, ut dormiret mecum. Quasi dicat: Adeò factus est impudens & audax, ut non ad famulam aliquã domus nostræ, sed ad me, ipsam heram domus, ausus sit ingredi, & rem tentare omnium nequissimam uidelicet, ut dormiret mecum. Qui ipsum herum & me tam ipsigni ludibrio afficere non ueretur, quo putatis animo est erga uos domesticos?

Et accidit, inquit, cum audiret quòd leuarem uocem meam, & clamarem, reliquit uestem suam iuxta me, & fugit, egressusq; est foràs. Reddit causam, unde uestem ipsius secum habeat. Reliquit eam, inquit, apud me. Quò? Fugiens foràs. Quare fugiens? Quia clamabam, timebat ne apud me deprehenderetur. Quare clamabas? Quia nolabat dormire mecum. Ergo in argumentum eorum quæ dicebat, ostentabat uestem. Et erat species signi huius admodum probabilis. Vestis erat Iosephi: non poterat negari. Erat domesticis omnibus nota. Erat in manu heræ tanquam relicta. Fugerat Ioseph è domo. Hæc erant omnino uera. Videbantur ergo redarguere nequitiam Iosephi, cum reuera testimonia essent de nequitia mulieris. Quod in occulto gestum erat, ignorabatur. Quod uidelicet ipsa sollicitasset Iosephum ad nefandam libidinem, & obsequi nolentis uestem innasissat, ut uel inuitum ad se raperet: ille uerò cum aliud non posset, relicta ueste ob id fugisset, ut innocentiam suam & fidem hero debitam illibatè custodiret.
B De hac ueritate perinde poterat testari uestis in manu mulieris relicta, atq; de eo cuius illa insontem falso accusabat. uerùm calumnia in hoc uincebat, quòd ipsa erat hera domus, Iosephi seruus: deinde quòd credibilius est & usitatius, iuuenem ἀγαμον præsertim omni potestate domestica fungentem, adoriri heram domus, & ad concubitum sollicitare, quàm mulierem maritatã in domo mariti sui non solum concupiscere consuetudinem serui, sed & omni muliebri pudore abiecto, etiam renitentis inuadere uestem, & ui uelle concubitũ extorquere. Videmus hic q̃ potent possit strui calumnia, si ignorata ueritate, mendacio poterit qualiscunq; adhiberi probabilitas. Tam potens struitur calumnia, ut ex fonte fiat innocẽs: & qui uerè innocens est, culpæ infamiam subire cogatur. *Calumnia.*

Et retinuit uestem eius apud se donec ueniret herus eius (scilicet Iosephi) *ad domum suam. Et loquuta est ad eum secundum uerba illa dicendo: Venit ad me seruus ille, &c.*] Vide insatiabilem maliciam perfidæ & adulteræ. Non erat contenta, quòd Iosephum, quem sciebat esse innocentem, coram domesticis falso detulerat, nisi illum etiam coram hero ipsius, marito suo, consimili mendacio accusaret, & animum illius in necem eius inflammaret. Sperabat fore, ut confestim abreptum occideret, cupida sanguinis eius, cuius antea amore insanierat, ac consuetudinem libidinosam toties ambierat, tandemq; ab inuito quoq; extorquere uoluerat. Vide etiam quantam audaciam & impudentiam tam insigni maliciæ coniungat, qua non solum suam ipsius conscientiam sine ullo pudore contemnit, sed & aduersus ea quæ à Iosepho ad tuendam ipsius innocentiam fortiter ac ueraciter hero ipsius exponi poterant, prorsus audacter in faciem mariti sui uestem hanc innocentis, quam ipsa apprehenderat, dicens, Dormi mecum, ingerit, & calumniam mendacissimam struit. Quis alius istam maliciam & impudentem audaciam in cor mulieris huius ingesit, quàm ipsissimus satan?

Et factum est, cum audisset herus eius uerba uxoris suæ, quæ loquebatur ipsi, dicens, Secundum hæc uerba fecit mihi seruus tuus: præ ira excanduit. Et tollens Iosephum herus eius, posuit eum in carcerem, in eum locum, ubi uinciti Regis uincti tenebantur, fuitq; ibi in carcere.] Tria prædicat de Potiphare Moses, quòd uidelicet audierit uerba uxoris suæ Iosephum grauiter accusantis, deinde quòd ira excanduerit. In Hebræo est ויחר אפו, id est, & iratus est nasus eius. hoc est, admodum ira excanduit, tertiò, quod coniecerit Iosephum in carcerem. Quod uerba uxoris audiuit, nihil habet culpabile, præsertim in re tam graui ac nulli honesto uiro susq; deq; facienda. Quod uerò auditis illius uerbis ira excanduit, ex eo erat, quod illi, Iosepho nondum audito, credidit. Vir alioqui non imprudens non debebat locum dare affectibus, sed primùm rem ipsam altera quoq; parte audita diligenter cognoscere. Et hoc forsan in alterius generis causa fecisset. Verùm in hac, ubi zelus maritalis leui suspicione aliqua, nedum tam graui accusatione ab ipsa uxore proposita excitatur, cuius motus uehemens esse solet, ira percitus non cogitauit de audiendo Iosepho. Videbantur enim quæ improba dicebat, præsertim ostensa Iosephi ueste, non modò probabilia esse, sed sic uera, ut nihil excusationis admitterent. Vbi autem ira obtinet, præsertim in hac causa, ibi nasus est nõ auris, furor non ratio. Tertiò, quod Iosephum posuerit in custodiam, ubi uincti regis uincti tenebãtur.

Sic est in Hebræo אשר אסורי מלך אסורים. Erant in custodia uaria receptacula, secundum uarietatem reorum & causarum. In eum locum posuit Iosephum, ubi asseruabantur uincti, qui in regem peccassent, qui & magna cura, ne elaberentur, in uinculis teneri solebant. Quare apparet huc positum fuisse Iosephũ, ut accuratius uinciretur, donec statueretur quomodo plecteretur. Meminit autẽ huius Moses, propter sequentem historiam, de duobus uinctis regis, quam capite sequenti narrabit.

Ioseph mulierem accusasse non legitur.

Illud hic de Iosepho obseruandum est, quòd ne uerbo quidem mulieris improbitati restitisse legitur. Credibile quidem est, cum raperetur ab hero suo, & in custodiam mandaretur, haud prorsus, sicuti solẽt fontes propriæ conscientiæ testimonio perculsi, obmutuisse, uirum alioqui cordatum, sed innocentiam suam asseruisse, uerùm certò hoc affirmari non potest. Duo facere poterat. Innocentiam uidelicet suam asserere, deinde & mendacissimæ mulieris nequitiam hero suo exponere. Neutrum fecisse memoratur. Aliud autem est, posse aliquid facere: & aliud, facere quod possis. Multa fieri possunt, quæ tamen facti non faciunt, sicubi non expedit ut faciant Nequitia muleris huius & Iosephi innocentia sic erant in hac causa comparatæ, ut alterius assertio, alterius esset manifestatio. Si innocentiam suam tueri uoluisset Ioseph, nequitiam heræ suæ redarguisset. Non enim erat satis dicere, Sum innocens, nõ feci cuius me insimulat hera: sed erat reddenda ratio, quomodo uestis ipsius uenisset in manus heræ suæ. Si hoc expo-suisset, omnem mulieris nequitiam manifestasset. Hoc autem faciens præterquam quòd fidem non inue-nisset, etiam honorem heri sui labefactasset. Dum ista considero, arbitror non esse præter rationem factum, quòd Moses nihil de eo memorat, quidnam Ioseph ad accusationes improbę mulieris dixerit, uel fecerit. Et fieri potuit, ut ad herum suum non sit admissus, sed à satellitibus subitò raptus, & in carcerem abiectus.

Prouidẽtia Dei.

Simul cogitandum est de prouidentia diuinæ dispositionis. Futurum erat ut ad summos regni Aegyptiaci honores eueheretur, cuius specimen in præfectura domus Potipharis præcesserat. Nolebat Dominus, ut ex illo fastigio domesticæ præfecturæ, sed ex puluere carceris & è medio uinctorum præter spem omnem ad amplissimam dignitatem ascenderet. Quare nec permisit Potiphari, ut, quamuis ira excandesceret, manu sua subitã ultionẽ in morem sæuientiũ de illo sumeret, nec dedit isti tantum occasionis & cõmoditatis, ut innocentiã suã assereret: sed sic causam hanc disposuit, ut Ioseph innocens truderet in custodiã, unde postea summo cum honore ad amplissimas dignitates eueheret. Iniquissimũ erat in se, quòd Ioseph innocens erat in carcere, & mulier perfidissima & nequissima domi uersabatur in honore. Verùm si prouidentiam Dei respexeris, & ex euentu de rebus præteritis iudicaueris, prorsus admiraberis diuinæ prouidentiæ dispositionem, per quam multa fiunt, quæ cum iniquissima uideantur, tandem tamen magno cum bono & honore piorum terminantur.

Et erat Dominus cum Iosepho, & fauebat illi benenolè, deditq; ei gratiam in oculis principis carceris.] Suprà paulo post initium capitis de eo dictum est, quod Dñs fuit cum Iosepho, illiq; gratiam in oculis heri sui Potipharis dedit. Videmus hic cõstantiam diuinæ gratiæ, quam nec seruitus, nec carcer infringunt. Vbicunque iustus est, ibi est & gratia Dei. Illud, Et fauebat illi benenolè, in Hebræo est: וייט אליו חסד, id est, & inclinauit ad eum beneuolentiã. Germanicè sic posses reddere, *vnd er was im geneygt mit gunst.* Vulgata latina habet, Et misertus est illius. Sept. sic: Et defundebat ei misericordiam.

Constantia diuinæ gratiæ.

Et tradidit princeps carceris in manum Ioseph omnes uinctos qui erant in carcere, & quæcunq; faciebant ibi, faciebat ipse. Non uidebat princeps carceris quicquam in manu eius propterea quòd Dominus esset cum eo, et quod ille faciebat, Dominus prosperum redderet.] Quemadmodum Potiphar, cum experiretur esse Dominũ cum Iosepho, omnia sua in manus illius tradidit, ita fecit & princeps carceris, eandem gratiam Dei, diligentiam, fidem, & prosperitatem in illo expertus. Quoniã autem nõ erat liber, sed captiuus, & carceri manci-patus, non audebat eum omniũ rerum suarũ constituere præfectum, sicuti fecerat Potiphar. Ideo nõ memoratur hic nisi de uinctis & quæ in custodia uinctorũ fieri consueuerant. Hæc uidelicet unà cum ipsis uinctis Iosephi fidei & curæ commisit. Illud, Et quæcunq; faciebant ibi, faciebat ipse, idem est ac si diceret: Quæcunq; ministri principis carceris facere solebant in carcere, hæc obibat Ioseph. Vinctis uidelicet seruiebat, cibũ & potum præbebat, & quæ alia necessaria erant obibat. Non uidebat, inquit, princeps carceris quicquam in manu eius, id est Iosephi. Sensus est: Non curabat, non obseruabat, non cognoscebat, quo uerbo suprà usus est Moses, non inuestigabat quicquam eorum quæ Iosepho obeunda credidérat. Ea securitate uidelicet permittebat illi omnia. Quare? Quia Dominus, inquit, erat cũ eo, & quod ipse faciebat, prosperè succedebat.

Vnciorum Iosephi exemplum.

Et hoc exemplum Iosephi omnibus Christianis summopere notandum præsertim hoc nostro seculo in quo subinde uidemus aliquot millia fideliũ à Turcis abduci & uendi. Ioseph uenditus à fratribus malitiam illorũ patienter sustinuit. Deinde in seruitutẽ Potipharis in Aegypto uenditus hero suo fideliter seruiuit, nihil illius superstitiones & impietatem moratus. Ab hera sua ad nefariam libidinem sollicitatus, pudicitiã suam & fidem hero suo debitã religiosè & constanter seruauit. Falso ab illa accusatus & in carcerem ab hero suo coniectus sustinuit, nec quicquam de nequicia heræ suæ conquestus legitur. Ergo hæc duo egregiè præstitit. Quasuis iniurias patienter tulit, & interea innocentiam, probitatem & fidem in omnibus seruauit. Quid inde tulit commodi? Deum & homines habuit propicios ac beneuolos, & ab eo quod constitutum de ipso diuinitus erat, nec malicia fratrum, nec seruitute, nec heræ suæ nequitia & calumnia, nec carcere impediri potuit. Itaq; nulla tam iniqua sors est, nulla tam grandis calamitas, nulla tam enormis siue propinquorũ siue exterorum malicia quæ homiuẽ piũ, iustũ, ac Dei timentẽ, ubicunq; terrarum & inter quoscunq; uiuat à gratia Dei & studio iusticiæ excludere ualeat, si constanter seruans fuerit patientiæ.

Cui uita innocua debet patientia tungi, Alterius custos altera ut esse queat.

CAP.

CAPVT XL.

ARGVMENTVM CAPITIS.

De duobus Enunchis Pharaonis, pincerna & piſtore, in cuſtodiam traditis, deq; ſomnijs illorum, aq ueraci interpretatione Ioſephi.

ET *accidit poſt uerba iſta, ut peccarent pincerna regis Aegypti & piſtor aduerſus Dominum ſuum regem Aegypti. Et iratus fuit Pharao duobus eunuchis ſuis, principi pincernarum & principi piſtorum, tradiditq; eos in cuſtodiam, in domum principis laniorum in carcerem, & locum ubi Ioſeph erat uinctus. Et præfecit princeps laniorum Ioſephum illis, miniſtrauitq; eis.* Præſentis capitis hiſtoriam Moſes non propter ipſam, ſed propter ſequentia commemorat, ut exponat, per quam occaſionem de Ioſepho in carcere cõſtituto Pharaoni in notuerit. Et accidit, inquit, poſt uerba iſta, hoc eſt, poſt accuſationẽ & incarcerationẽ Ioſephũ. Vt peccarent pincerna regis Aegypti & piſtor, &c. Quo genere peccati peccauerint, Moſes nõ meminit. Hebræi habent ſuas cogitationes, ubiq; ſibijpſis non diſſimiles. Negligentes, inquiunt, fuerunt. Rex in poculo muſcam, in pane lapidem inuenit, quaſi rarum ſit, ſi aulici delinquant malicia & perfidia magis quàm negligentia. Apparet initio ſenem quempiam iunioribus diſcipulis curioſus de peccato Eunuchorum ipſorum ſciſcitantibus rediculè ad hunc modum reſpondere uoluiſſe, ut curioſitatem eorum irrideret: illos uerò reſponſum ridiculum pro ſerio amplexos, literis poſtea mandaſſe. Nobis cogitandum eſt eos qui ſunt in aulis regum & principum duplici nomine facile peccare. Primùm propter aulicæ dignitatis lubricitatem & infinitam materiam rerum, in quibus ſic ambulare ut non pecces omnium eſt difficil limum. Etenim qui uiuunt in aulis, ſimiles ſunt illis qui ambulant in lubrico, de quibus nemo miratur. ſi crebrò labantur. Deinde propter regum & principum aut mores uehementer iritabiles, unde fit ut quod leue delictũ eſt, grandis peccati loco habeatur, aut nimiam in aulicos indulgentiã, quę multorum eſt ſcelerum mater propter impunitatem, in cuius ſinu omnis generis flagitia fouentur.

In aulis Principũ facile peccatur.

Et iratus, inquit, fuit Pharao duobus Eunuchis ſuis.] Cogitandum hic eſt, quanto cum periculo uerſentur aulici in aulis regũ & principum. Ira in omnes quidem perſonas incidit, ut ille ait: nec intereſt ex quàm magna cauſa naſcatur, ſed in qualem incidat animum. Sunt autem animi regum ad iraſcendum uehementer procliues: & quo ſublinior eſt Maieſtas, hoc grauiori eſt iræ obnoxia, ſi ſe aliquo putauerit eſſe pacto læſam & contemptam: & quo maior eſt potentia, hoc eſt illius periculoſior ira. Hinc eſt illud Prou. 19. Fremitus leonis, ira regis. Et cap. 16. Ira regis nuncius mortis.

Periculoſum eſt uerſari coram Regibus.

Principi pincernarum, inquit, & principi piſtorum.] Solet eſſe magna iſtorum dignitas in aulis regum, præſertim ubi delicijs ſtudetur. Rurſus, peccata eorum grauiſsima iudicantur, ſiue neceſsitati quid, ſiue delicijs detriuerint. Et hodie, ubi nemo princeps à metu ueneni liber & ſecurus eſſe poteſt, periculoſsima eſt horum dignitas. Et tamen uſq; adeò deſipit hic mundus, ut putet eos eſſe felices, qui regalium ſunt menſarum miniſtri.

Dignitas pincernarum & piſtorum in aulis principum.

Et tradidit eos in cuſtodiam, inquit.] Grãdis mutatio, de tam magnis honoribus delabi ad uincula, deq; ſplendore aulæ regiæ ad ſqualorẽ carceris. Sic fit ut qui hodie princeps eſt, cras ſit uinctus. Ad hunc modum quo quis ſublimior eſt, hoc grauiori eſt obnoxius ruinæ.

Grandes dignitates grandi ſunt ruinæ obnoxiæ.

In domum principis laniorum, in carcerem, inquit, & locum ubi Ioſeph erat uinctus.] Ergo herus Ioſephi cũ ſtodiam regis domi ſnæ & in poteſtate ſua habebat, in quam Ioſephum abiecit. Etenim hic princeps laniorum nõ eſt alius quàm Potiphar, ut appareat haud abſurdam eſſe eorum ſententiam, qui principem טבחים putãt fuiſſe magiſtrũ ſatellitum, uel dammatorũ ac plectendorum, quem hodie uocant Proſoſ.

Et præfecit princeps laniorũ Ioſephũ illis, miniſtrauitq; eis.] Sciebat Ioſephi induſtriã, fidẽ ac diligentiã: & quoniam hi duo Eunuchi regis magnæ dignitatis uiri erant, uoluit ut illis accuratè miniſtraretur: dein de curandum etiam erat, ne elaberentur. Huc uoluit uti opera & fide Ioſephi. Apparet Potipharem irã ſuam erga Ioſephũ poſuiſſe, illiq; placatiorem fuiſſe factum, poſtquam opera illius in carcere tam placidè uti potuit. Arbitror autem eum quem Moſes capite præcedenti uocat שגביש חסחר, id eſt principem carceris, eum fuiſſe, cui Potiphar curam carceris crediderat, quiq; in ipſo loco carceris habitabat, in cuius oculis gratiã inuenit Ioſeph, ſic ut omnia quæ carcerẽ concernebant, ipſi tradiderit adminiſtrãda.

Et fuerunt dies aliquot in cuſtodia, ac ſomniarunt ſomnium utriq;, ſomnium quiſq; ſuum, nocte una, quiſq; iuxta interpretationem ſomnij ſui, pincerna uidelicet & piſtor regis Aegypti, qui uincti erant in carcere.] Et fuerunt dies aliquot in cuſtodia. In Hebræo eſt: Et fuerunt ימים, id eſt, dies, in cuſtodia. R. Shlomoh exponit שנים עשר חדש, id eſt duodecim menſes. Pagninus uertit, Et fuerunt per annum in cuſtodia. uulgata lat. habet, aliquantulũ temporis. Sept. ſic: ἦσαν δὲ ἡμέρας ἐν τῇ φυλακῇ, id eſt erant uerò per dies in cuſtodia. Arbitror eſſe ſimpliciter de tempore aliquot dierum dictum, ut ſit ſenſus: Poſtquam dies aliquot in cuſtodia fuerunt, ſomniauerunt ſomnium utriq;. Non ſtatim initio, ſed cum aliquandiu fuiſſent in carcere incidere in hæc ſomnia, quæ Dominus illis ſingulari diſpoſitione immiſit, ut per occaſionem hanc innoteſceret Ioſeph coram Pharaone, ſicuti uidebimus capite ſequenti.

Ac ſomniauerũt ſomniũ utriq;, ſomnium quiſq; ſuum.] Habebant diuerſas cauſas, & erant illis futuri diuerſi euentus, quare et diuerſa ſunt illis à Deo immiſſa ſomnia, quę unicuiq; ſuũ portenderent euentũ. Hoc arbitror eſſe quod dicit, Quiſq; iuxta interpretationem ſomnij ſui, ut dictio interpretationis poſita ſit pro re interpretanda ac declaranda.

Quomodo minis strandũ sit captiuis & ægrotis.

Et uenit ad eos Ioseph mane.] Pro cura & diligentia sua solebat eos mane inuisere, & uel solari, uel si quid necesse esset administrare. Habes exemplum diligentiæ, quod imitẽtur illi quibus est cura captiuorum uel ægrotantium commissa.

Et uidit eos, & ecce erant perturbati.] Nõ simpliciter, Et obiter inuisit captiuos Ioseph, sed animaduertit etiam, quomodo essent animati. Considerauit illorum uultus, gestus, & uerba. Solent captiui multis esse cogitationibus obnoxij, quibus subinde magis quàm ipsis uinculis & carcere molestantur. Quare diligentis & humani hominis est accuratè obseruare quomodo sint animati captiui. Nemo autem melius hanc præstiterit diligentiã, quàm qui ipsi carcerum sunt experti molestias, quod & Iosepho acciderat. Vincula qui sensit, didicit succurrere uinctis.

Quomodo affecti sint initio qui dantur in custodiam.

Et ecce, inquit, *erant perturbati.*] Cum dicit, Et ecce, indicat fuisse eos tum præter solitum perturbatos. Ergo hactenus non fuerant mœsti, uel uultu mœsticiam dissimulauerant. Sic solent initio dies aliquot animum ostendere imperterritum qui in custodias dantur, & fortiter simulare conscientiam innocentiæ, donec cogitationibus cordium suorum indefinenter accusati & fatigati tandem in metum, terrores & perturbationem incidant.

Exemplũ humanitatis.

Et percontatus est Eunuchos Pharaonis, qui secum erant in custodia domus heri sui dicens: Quare uultus uestri mali sunt hodie? Vides exemplum humanitatis? Id demũ uerè est esse hominem, humanis esse præditum affectibus, præcipuè erga homines. Ioseph, cum uideret uultus Eunuchorum esse רעים, id est malos, intellige tristes, dejectos, & corrugatos (& nos Germani de illis qui uultu sunt dejecto, dicimus, *er sicht übel*) commiseratione illorum tactus de causis tristitiæ ac perturbationis interrogauit. Docemur hoc exemplo, quomodo debeamus affici conspectu fratrum tristium ac dejectorum, & sedulò de causis tristitiæ illorum non ex curiositate, sed ex commiseratione & studio consolandi scisciari.

Illud, Qui secum erant in custodia domus heri sui, satis indicat, custodiam hanc fuisse in domo Potipharis. Tum enim Ioseph herum alium non habebat.

De metu qui est ex ignorantia futurorum.

Et dixerunt ad eum: Somnium somniauimus, & non est qui illud interpretetur.] Hæc erat illis causa tristitiæ. Sentiebant esse hęc sua somnia non uulgaria, non uana, sed magni momenti & insolita. Et hunc illis sensum indidit Dominus qui somnia utrique immiserat. Et quoniam nõ intelligebant, quid nam utrique portenderetur, nec copia ipsis erat accedendi & consulendi ariolos & magos, cœperunt esse tristes ac perturbati uerentes ne quid ipsis inauspicatum esset præ foribus. Obseruandum hic est, quod non unus tantum, sed utrique perturbati fuerunt, cum tamen pincernæ gaudendum magis esset quàm metuendum ac tristandum. Sic solet ignorantia rerum futurarum non eos tantum quibus exitium imminet, sed eos quoque perturbare ac meticulosos reddere, quibus omnia sunt prospera & secunda præ foribus.

Dona Dei in humilibus non cognoscuntur.

Et non est, inquiunt, qui illud interpretetur.] Atqui aderat optimus somniorum interpres, qui cum ipsis loquebatur. Illi uerò putabant solos ariolos & magos esse somniorum interpretes. Sic acidit plerunque ut dona Dei præsentia non agnoscamus in humilibus, quæ in solis magnis & nominatis uiris quærimus.

Et dixit ad eos Ioseph: An non Dei sunt interpretationes? Narrate quæso mihi.] Sentiebat eos pendere ab existimatione ariolorum & magorum. Hoc correcturus dicit: An non Dei sunt interpretationes? quasi dicat: Putatis interpretationem somniorum humanæ esse sapientiæ & industriæ? Donum Dei est, & ab illo datur ubi necesse est, & datur humilioribus potius quàm sublimibus & elatis. Obserua, quod hac occasione animos eorum auocat à spectris mundanæ sapientię, & excitat ad cogitandum de Deo, petendumque ab illo quod desiderabant. Non dicit: Quare non aduocatis aliquem ariolum? Nec dicit, Putatis me non esse interpretem somniorum? sed admoner eos ut cogitent de dono Dei. Et pulchrè nõ dicit: An alius est præter Deum, qui somnia intelligat & interpretari possit? cum tamen hoc uerè dicere posset: sed, An non Dei sunt interpretationes: ut spem faciat dari eas ab illo quibus ipse uoluerit, ac doceat, ubicunque sint qui somnia interpretentur, habere illos donum hoc interpretandi somnia non nisi à Deo. Aliud est si dicas, Solus Deus sapiens est: & aliud, si dicas: Sapientia solius Dei est. Qui dicit, Solus Deus sapiens est, negat ullum hominem qui sit sapiens. Qui uerò dicit, Sapientia solius Dei est, non negat inueniri hominem sapientem, sed admonet sapientiam esse hominibus non nisi à Deo. Consimili modo & hic Ioseph si dixisset, Nõ est interpres somniorum nisi Deus, negasset ullum hominem inueniri, qui somnia interpretetur. Cum uerò dicit, An non Dei sunt interpretationes? admonet Eunuchos istos inuenire quidem qui somnia interpretentur, uerùm esse illis hanc sapientiam non nisi à Deo qui donum hoc largiatur quibus ipse uoluerit. Et subijcit, Narrate mihi. q.d. Experiamur donum Dei, qui manum suam non claudit ijs qui opus habent sapientia.

De interpretatõe scripturarũ

Nos hic cogitemus de interpretatione scripturarum, occasione eius quod Ioseph dixit, An non Dei sunt interpretationes? Sacræ scripturæ homini animali quid aliud sunt quàm quasi quædam somnia homini non intelligenti? Necesse est igitur, ut quod obscurum in illis est, ueraci interpretatione declaretur. Sic Christus discipulis suis scripturas interpretatus est, mentesque illorum aperuit, ut eas intelligerent: Lucę ultimo. Hæc autem interpretatio non est nisi Dei, ut rectè Apostolis interpretationem sermonum inter dona spiritussancti numeret. 1. Cor. 12. Dum ista consideramus, admonemur à quo debeamus donum hoc petere. Ab eo uidelicet, cuius sunt interpretationes. Deinde argumentum doni Dei esse intelligimus, si quis scripturas sacras rite interpretetur.

Et narrauit princeps pincernarum somnium suum Iosepho, dicens ei: In somnio meo, ecce erat ante faciem meam uitis, & in uite tres propagines, & erat quasi germinãs & ascendẽs flos eius, & cũ ramusculi eius ad maturitatẽ perdu-

A perduxissent uuas, erat poculum Pharaonis in manu mea, & accepi uuas, expressiq; eas in poculum Pharaonis, & dedi poculum in manum Pharaonis.] Illud, In somnio meo, in Hebræo est, בחלמי, quod reddi potest: Cum somniarem ego. *Et erat quasi germinans & ascendens flos eius, & cum ramusculi eius, &c.* in Hebræo est ad uerbum: Et ipse quasi germinans ascendens uel ascendebat flos eius, maturarũt ramusculi eius uuas, & poculum Pharaonis in manu mea, &c. Coniunctiones adieci, & uerti, Cum ramusculi eius ad maturitatem perduxissent uuas, erat poculum Pharaonis in manu mea: ut uersio conueniret ipsi rei. Alioqui ubi germinant primùm palmites, & flosculos emittunt, nondum est tempus ut uuæ exprimantur in poculum. Illud, Et dedi poculum in manum Pharaonis, in Hebræo est על כף פרעה, id est super uolam Pharaonis. Germanicè, *in die faust* Pharaonis. Loquutio hæc conuenit aulis, ubi uinum magnis bibitur calicibus. Pincerna iste somnium suum paucis & perspicuè narrat, abiectis circunstantijs properans procul dubio ad audiendum, num quam esset Ioseph allaturus interpretationem.

Quod dicit, Accepi uuas, expressisq; eas in poculum Pharaonis, innuit fuisse hunc morem pincernarum, ut maturas uuas in pocula regia exprimerent, & regibus offerrent, ad gustandum uidelicet quale futurum esse illius anni uinum.

Et dixit ad eum Ioseph: Hæc est interpretatio eius. Tres propagines, tres dies sunt. Post tres dies leuabit Pharao caput tuũ, & restituet te in locũ tuũ (. Vulgata lat. habet, Et restituet te in gradũ bristiuũ. Pro eoquod est, Leuabit caput tuum, habet, Recordabitur magisterij tui. Et Sept. scicuerterũt, *καὶ μνησθήσεται φαραὼ τῆς ἀρχῆς σου, καὶ ἀποκαταστήσει σε ἐπὶ τὴν ἀρχιοινοχοΐαν σου*, id est, Et recordabitur Pharao principatus tui, & restituet te in pincernatũ tuum. In Hebræo est על כנך quod sonat, ad sedem tuam, uel ad basim tuam. Tharg. habet, ad ministerium tuum.) *& dabis poculum Pharaonis in manum eius, secundum pristinum morem, quo fuisti pincerna eius.*] Ioseph, ubi somnium pincernæ audiuit, cõfestim illud interpretatur, nullis utens ambagibus, ne animum turbatum diutius suspendat. Deinde neque ulla utitur ambiguitate: Non dicit, Fieri potest, ut sit hęc interpretatio somnij tui: sed simpliciter, Hæc est interpretatio eius, scilicet somnij tui. Loquebatur non humano, sed diuino instinctu, ideoq; sciebat non hęsitabat, hanc esse ueram somnij illius interpretationem.

Tres propagines, inquit, *tres dies sunt*. In narratione somnij audierat de uite, de tribus propaginibus, de germinatione, de flore, de ramusculis, de maturitate & expressione uuarum, de calice Pharaonis, &c. Hæc autem Ioseph non persequitur omnia, sed paucis ea interpretatur, quæ ad substantiam causæ facie
B bant, & in hisce duobus consistebant: uno, quòd Pharao esset pincernã in locum suum restituturus: altero, quòd hoc esset facturus post tres dies. Alij hic loquutionem obseruarunt, qua dicit tres propagines esse tres dies, cum non fuerint, sed significarint tres dies. Huiusmodi schema frequens est in expositionibus somniorum, parabolarum ac figurarum.

Post tres dies, inquit, *leuabit Pharao caput tuum.*] Erant uultu & capite deiecto. Huius respectu uidetur dicere: Leuabit caput tuum. Notum est illud Christi: Cum uideritis hæc fieri, leuate capita uestra. Caput leuare, est animum recipere & exhilarari. Alij exponunt, Leuabit caput tuum, id est, te leuabit & eximet è carcere. qui sensus probabilior est hoc loco, sicut infrà uidebimus. Et 2. Reg. ultimo legimus caput Ioachim regis Iuda leuatum è carcere.

Et restituet te in locum tuum, inquit.] Duo amiserat pincerna iste, cum in custodiam daretur. Libertatem uidelicet, et locũ ministerij. Libertati restitutus fuisset, liberatus è carcere, etiamsi interea alius in locum ipsius subrogatus fuisset. Verùm quoniam restituendus erat in integrum, non hoc tantum audijt ex interpretatione somnij, quòd caput ipsius leuaturus esset Pharao, sed & quòd recepturus esset ipsum in suum locum, & pristinum officium. Vnde & additur, Et dabis poculum Pharaonis in manum eius, secũdum pristinum morem, quo fuisti pincerna eius.

Notanda est hic loquutio ista, Et restituet te in locum tuum. Habet quisq; ministrorũ suum locum. Huic, si fidelis fuerit, studebit ex animo satisfacere, ne illum frustra occupet, uel turpitudine etiam aliqua polluat. Vbi minister est mortuus, uel loco deiectus, uacare locus dicitur. At si rectè consideretur, uacat locus multo nocentius dum uacat ministerio, quàm dum uacat prælato. Sic hodie in Ecclesia quamuis abundent omnia prælatis, Episcopis, sacerdotibus, &c. ut in speciem nullus uideatur uacare locus: quotus tamẽ quisq; est qui loci sui Mispat adimpleat? Occupant loca, nõ administrant. Habent ipsi loca, sed loca non habent ministros. Clamant pro restitutione in integrum, qui nostris temporibus maximas ob causas dignitatibus suis sunt exuti. Restitutio gemina est. Ministeriorum una, ministrorum altera. Vt ministeria Ecclesiastica quę collapsa iam olim fuerant, restituerẽtur, necesse fuit arcere prælatos, & substituere eos qui Ecclesiæ Dei ministrent in uerbo. Illi hoc genus restitutionis non curant, sed urgent reges ac principes, ut ipsi restituantur, non cum pincerna hoc in officium quod nunquam obiuerunt, sed in opes & dignitates. Quod si ministeria Ecclesiastica ritè obiuissent, & neglectus alicuius gratia per disciplinam emendationis depositi essent, possent cum hoc pincerna suis locis restitui, ut secũdum morem pristinum pabulum uitæ Ecclesijs Dei submini strarent. Nunc uerò sic comparati sunt, ut uel ipsi restitui non debeant, uel loca Ecclesiastica prorsus caritura sint legitimis ministris.

Locus pro officio & ministerio.

Restitutio in integrum.

Quòd si recordatus mei tecum fueris, quemadmodum benefit tibi, sic quæso agas & mecum benignè, mentionemq; mei facias coram Pharaone, ut educas me de domo ista. Nam furto ablatus sum de terra Hebræorum, & hic quoq; nihil feci ut ponerent me in hanc foueam.] Seruiuit pincernę interpretando illi quod habuerat somnium. Iam per occasionem hanc habet etiam sugipsius causæ rationem, considerans personæ qualitatem,

& fortunæ illius breui futuram commoditatem. Annectit igitur interpretationi petitionem, cuius sum A
ma in eo est quod dicit, Vt educas me de domo ista. Quomodo hoc facere posit, in eo exprimit, quod
dicit, Mentionem mei facias coram Pharaone. hoc est, suggeras Pharaoni, ut iubeat me liberari ex hac
domo. Quid autem coram Pharaone prętexere debeat, docet illum, dicens: Nam furto ablatus suum de
terra Hebræorum, & hic quoq; nihil feci, ut ponerent me in hanc foueam. Sperat futurum, si sciat Pha-
rao suam innocentiam & fortunam iniquam, ut liberet ipsum de carcere. Quod dicit, De terra Hebræo
rum, cum esset dicendum, De terra Canaan: indicio est, gentē Hebræorum, unde erat Ioseph, tam fuis-
se sic celebrem apud Aegyptios, ut terra Canaan terra Hebræorum dici mereretur. Quàm autem hoc be
neficij petat ab isto pincerna nō temerè & immeritè, sed iustis de causis, in eo declarat, quod dicit: Quod
si recordatus mei tecum, id est, in corde tuo, fueris, quemadmodum benefit tibi, sic quęso agas & mecum
benignè. Vtitur argumento æquitatis. Est enim omnium æquissimum, ut qui beneficium accipit, benefi
cium, si quo pacto poterit, grato animo rependat. Et quoniam id tum in præsenti fieri non poterat, sed
expectanda erat opportunitas, non simpliciter dicit, Quemadmodū benefit tibi sic quæso agas & me-
cum benignè: sed præmittit: Quod si recordatus mei tecum fueris. Etenim quod in præsenti fieri non
potest, potest suo aliquando tempore, modò adsit memoria accepti beneficij custos, & gratitudi-
nis mater.

Appetūt libertatem etiā sancti.

Obseruandum est hic principio, quod Ioseph, quamuis commodè ageret in custodia, ac uinctis ma-
gnæ esset consolationi, inde tamen liber fieri cupit. Facit in carcere quod potest, custodi carceris fideliter
seruiens, & iniuriam ab hero per instigationem perfidę mulieris illatam æquo animo perferens, interea
tamen non negligit occasionem per quam uidebatur posse fieri liber. Docemur hoc exemplo, ut acce-
ptas quidem iniurias & fortunam iniquam patienter feramus: uerùm simul occasiones non negliga-
mus, per quas commodè fieri potest, ut ab illis liberemur.

Intellexit Ioseph quid alijs, non autem quid sibi futurum esset.

Deinde cogitandum de eo quoq; est, quod pincernæ huic Dominus per somnium & interpretatio-
nem Iosephi manifestauit, quòd post tres dies in locum suum esset restituendus, ipsi uerò Ioseph de sua
liberatione nihil prorsus ne per somnium quidem indicauit. Sic factum est, ut qui alijs prædicere po-
tuit, quod breui essent liberandi, de suaipsius liberatione ignarus, ante tempus occasionem illius captan
dam esse putarit. Non est hoc rarum sanctis hominibus, ut per diuinas reuelationes sciant quid futurū
sit alijs: quid ipsis uerò, non ita.

Vicariam beneficentiam petere non est illicitum. Exemplum modestiæ.

Tertiò, & illud animaduertendum est, quod quamuis donum interpretationis à Deo acceptū, haud B
uenale constituerit, nec aurum petens nec argentum, à pincerna tamen aliquid beneficij uicarij postu
lauit. Admonemur, nō esse hoc illicitum ministris Dei, ut pro eo quod hominibus fideliter & gratis ad-
ministrant, aliquam uicariam beneficentiam repetāt, qua de re & Apostolus dicit: Si nos seminamus uo
bis spiritualia, magnum ne est, si carnalia uestra metamus? 1. Cor. 9. Obserua autem qua utatur hic mo-
destia Ioseph. Poterat dicere, Quemadmodum benefacio tibi, sic quæso agas & mecum benignè: uerùm
ne quid hic sibi arroganter adscribere uideretur, maluit dicere, Quemadmodum benefit tibi, à Deo ui-
delicet, &c. Sic modestè & humiliter de se sensit uir pius. Donum Dei non sibi, sed Deo adscripsit.

Vsus regiæ potestatis.

Quartò, Mentionem mei facias, inquit, coram Pharaone. Non dicit, Vt intercedas pro me coram
hero meo. Sciebat forsan illum sic esse addictum uxori, ut etiamsi uellet, non auderet tamen ipsum dare
liberum. Quare liberationē sui à potentiore, à Pharaone uidelicet ambiendam esse putat. Potiphar erat
minister regis, & omnis custodia uinctorum pendebat ab arbitrio regis. Rectè ergo, quoniam uitiata
& corrupta erat potestas ministri, animum adiecit ad Regem. Huius est asserere innocentes, ubi illi per
præfectos iniquè premuntur. Hic est usus superioris potestatis. Sic Apostolus cum iniquitatē Rom. prę
fecti animaduerteret, ad Cæsarem appellauit.

Innocētia nostra sine aliorum accusatione prætexenda.

Quintò. Illud quoq; obseruandum est, quod dicit: Furto ablatus sum de terra Hebræorum, & hic
quoq; nihil feci, ut ponerent me in hanc foueam. Vide quàm simpliciter innocentiam suam cōmemoret,
nihil addens de iniquitate fratrum, nihil de nequitia heræ suæ, cum utranq; hic posset perstringere.

Et uidit princeps pistorū, quod bona esset interpretatio, dixitq; ad Ioseph: Etiā ego somniaui. Et ecce tria cani
stra alba erant super caput meum. Et in canistro superiori erat de omnis generis cibo Pharaonis, opere pistorio, & er
auis adebat ex eis de canistro quod erat super caput meum.] Ex eo quod interpretatio feliciter cecidérat, prin
ceps pistorum de suo quoq; somnio bene sperare cœpit. Arbitrabatur eandē fore utriusq; sortem, cum
quòd ambo essent simul in carcerem coniecti, & eadem nocte somniassent utriq;. Hac spe fretus narrat
& ipse suum somnium. Hoc est quod dicit Moses: Et uidit princeps pistorum quod bona, id est, prospe
ra esset interpretatio, dixitq; ad Ioseph, Etiā ego somniaui. Sic factū est diuina dispositione, ut pincerna
non pistor suum somnium prior narraret, & per illius interpretationem pistor alliceretur, ut & ipse suū
somnium ad ferret in medum, atq; ita ambo somnia exposita admirabile donum Dei in Iosepho com-
mendarent: quod factum non esset, si pistor prior infelicitatis suæ somnium protulisset. Etenim quem-
admodum ipse aptata interpretatione somnij pincernæ motus est, ut & suum somnium narraret, con-
similem sperans illius fore interpretationem, ita pincerna audita fatalis somnij interpretatione admo-
dum perterrefactus, consimilem ueritus & suum fore euentū somnium suum haud facilè narrasset.

Et ecce tria canistra alba erant, inquit, super caput meum, &c. Sic solebant pistores fercula regia, opere pi
storio parata, canistris albis ac puris ad regiam asserere mensam. Hodie splendor aulæ regiæ est in auro,

&

A & si quid auro est preciosius. Particula hæc non legitur conformiter. In Ebræo est סלי חוריי. Vulgata latina habet, canistra farinæ. Et Hier. legit cophinos farinæ. Editio Complutensis habet, tria canistra plena pane principali. Quoniã uox חוריי albũ & candidum significat, intellexerunt isti de farina similæ, uel de pane selectiore, quem nos uocamus *wyßbrot*. Aliqui ex Ebræis exponunt, tria canistra pienatortis, à uerbo חרר, quod torrere significat. Tharg. Ierosol. sic habet, רחא חלתא סריחא סדסבטין ריבחא לין, id est, Et ecce tres cophini panum calidorũ. Sunt qui legunt tria canistra perforata, eo quod חוריי nõnun quam, idem est quod בסם, id est, foramen. Germanicus interpres habet, *drei geflochtene kőrb*. Meo iudicio quoniam uox חוריי album significat, rectius legitur, tria canistra alba, ut uox חוריי non referatur ad ea quæ in canistris contenta fuerint, sed ad qualitatem canistrorum, de contentis si quidem sequitur, Et in canistro superiori erat de omnis generis cibo Pharaonis, opere pistorio. Ergo non erat in canistris farina. Iosephus sic habet, Duo quidem panibus plena, tertium uerò obsonio, uarijsq; cibis, quales solent regibus ministrari.

Et respondit Ioseph ac dixit, Hæc est interpretatio eius. Tria canistra tres sunt dies. Post tres dies auferet Pharao caput tuum à te, & suspendet te in ligno, & aues comedent carnem tuam à te.] Ex huius quoque somnio duo tantum interpretatur, ad ipsam substantiam causæ, & ad tempus pertinentia, quemadmodũ & in priori somnio fecit. Nihil de canistris nisi numerum ternarium, nec quicquam de cibis Pharaonis, sed de eo quod aues ex illis ederint ad interpretationem somnij usurpat. Tria canistra interpretatur tres dies, quemadmodum suprà tres propagines: id uerò quod aues è superiori canistro quod super caput pistoris fuerat comederunt, interpretatur portendere suspendium.

Post tres dies, inquit, auferet Pharao caput tuum à te. In Ebræo est uerbum נישא, quod & suprà habetur in expositione somnij pincernæ, & uersum est, leuauit: quemadmodum & hic reddi poterat, nisi additum esset מעליך, id est, à te. Significat autem hoc uerbum multa, & inter cætera etiam auferre. Quare hic uersum est, & auferet Pharao caput tuum à te. Videtur autem significatum esse, quòd primum fuerit hic pistor capite truncandus, ac deinde corporis truncus in ligno suspendendus. At infrà ubi res gesta memoratur, simpliciter habetur quod suspenderit eum Pharao, nec ulla fit decollationis mentio. Quod si decollatus non fuit, sed simpliciter in cruce suspensus, potest hæc particula sic exponi. Post tres dies auferet Pharao caput tuũ à te. Hoc est, capitalem de te proferet sententiam, damnabit te capitis, id est, morti adiudicabit, ut quod sequitur, Et suspender te in ligno, genus mortis exprimat. An autem nulla sit hic
B præfatione usus Ioseph, sed interpretationem hanc somnij sic nudè & simpliciter protulerit, quemadmodum hic positam uidemus, nec quicquam consolationis gratia adiecerit, quemadmodum fieri solet à uiris commiserationis affectu præditis, certò tradi non potest. Quamuis omnino uerosimile sit tale quid ab eo fuisse factum quod Iosephus commemorat, qui illi tribuit, quod hæc sit præfatus quod mallet ipsi bonorum esse euentuum interpres, quàm talium, quales somnium hoc ipsi portendat. Quod autem Moses nihil horum meminit, arbitror esse in causa, quod ea tantum commemorare uoluerit, quæ sequenti historiæ Iosephi seruiebant, & ueritatem interpretationis illius commendabant. Reliqua ut ad propositum non faciebant, ita negligenda uidebantur.

Non modò lætà, sed & tristia sutura fratribus sunt indicanda.

Nos hic admonemur, cordati uiri esse, ut ubi quæ uera sunt, uel ex officio, uel precatu, uel etiam necessitate dicenda ueniunt, non ea tantum dicat fratribus, quæ læta sunt & optata, sed & quæ tristia, præsertim uitam ac salutem eorum concernentia. Sunt autem quæ tristia sunt duplicis generis. Vnum eorũ quę auerti possunt, si fuerint præuisa. Hic certè grandis beneficij loco fuerit, si de talibus in tempore prę moneamur. Alterum uerò eorũ quæ uitari non possunt, sed omnino subeunda & ferenda ueniunt. Tale erat fatum huius pistoris. Qui talia prædicit, hactenus rem utilem facit, quod causam præbet animum ad ea quæ uitari non possunt accommodandi, ne si ex improuiso irruant, imparatos grauius & horribilius premant & conficiant. Quare consultissimum est, quod nonnulli magistratus sontibus diẽ iudicij, quo plectendi sunt, per publicum ministrum triduo uel biduo antequam subeundum sit supplicium prænunciant, & ministros uerbi interea temporis ad eos mittunt, quorum opera ex uerbo Domini instructi peccata sua agnoscant, gratiam Domini petant, illiq; sese bona fide commendent, & paratiores ad dandas pœnas ueniant.

De ijs qui suspẽduntur.

Ex eo autem quod dicit, Et aues comedant carnem tuam à te, apparet morem fuisse tum temporis tandiu relinquendi suspensos in cruce, donec ab auibus absumeretur illorum caro. Non est caro hominis à Deo condita, ut sit cibus uolucrum. Contingit tamen subinde ut fiant corpora humana esca uolatilium. Nostrum est, qui sapientiæ & scientiæ Dei mystæ sumus, agnoscere iudicia Dei, quoties hoc fieri uidemus. Maledictionis genus est & grandis iræ Dei indicium, quoties accidit, ut aues & aliæ bestiæ, comedant de carne hominis ad imaginem Dei conditi. Quando sic irascitur Deus peccatis populi sui, argumentum est impœnitentiæ, quam uel peste, uel gladio ulcisci consueuit Vide Deut. 32. Consumentur, inquit, fame, & deuorabunt eos aues, morsu amarissimo, Dentes bestiarum immittam in eos, &c. Et 1. Reg. 14. Qui mortui fuerint, inquit, de Hieroboã in ciuitate, comedẽt eos canes. qui aũt mortui fuerint in agro, uorabũt eos aues cœli. Et Hier. 7. Erit morticinũ populi huius in cibos uolucrib. cœli & bestijs terræ, & nõ erit qui abigat. Verùm ubi fontes ex officio magistratus legitimè plectuntur, primũ inducẽdi sunt, ut peccata sua agnoscẽtes ueniã illorũ à Deo petãt, & meritas pœnas patiẽter sustineãt. deinde eximẽda sunt corpora eorũ à numero ac sorte eorũ q impœnitẽtes fame uel gladio exidultione pununtur, curãdũq; ne deuorẽt uel ab auib. uel à bestijs. Et hæc cura potissimũ decebat Christianos magist.

qui sciunt eos Christianos quos propter facinora ipsorum plectunt, temporali quidem pœnę factos esse obnoxios, interea uerò à gratia regni Christi non excludi, nisi propter incredulitatem & impœnitentiam illa seipsi reddant indignos. Ethnicorum est non Christianorum patibulo uel gladio, uel rota damnatos perinde permittere morsibus auiũ, ac si mortui sint in impœnitentia, & æternæ condemnationi deuoti. Volebat Deus, ut suspẽsi in Israele, ad uesperam deponerentur, ne propter maledictum genus mortis, terram contaminarent. Quare etiamsi hodie maledicti essent, qui patibulis suspendũtur, uel ob id deponi debebant, ne terram & aerem contaminent. A

Et accidit die tertio, ut esset dies natalitius Pharaonis, faceretq; conuiuium omnibus seruis suis. Et leuauit caput principis pincernarum, & caput principis pistorum in medio seruorum suorum. Et restituit principem pincernarum ad pincernatum suum, ac dedit calicem in manum Pharaonis. Et principem pistorum suspendit, quemadmodum interpretatus fuerat ipsis Iosephi.] Ipso rerum euentu comprobatur & adimpletur interpretatio somniorũ, quam duobus Eunuchis Pharaonis in carcere patefecit Ioseph. Et accidit, inquit, die tertio, ut esset dies natalitius Pharaonis, &c. Exponit Moses non solum quid fecerit Pharao, sed & per quam occasionem fecerit. Dies natalitius præbuit illi occasionem, ut cõuiuium faceret omnibus seruis suis, hoc est, principibus & præfectis tam aulæ, quàm prouinciæ. In isto conuiuio desiderabantur præfectus pocillatorum, & præfectus pistorum quos abiecerat in custodiam. Itaq; in medio seruorum suorum, hoc est in isto natalitio conuiuio constitutus, recordatus est absentium, & mox utrosq; iussit leuari è carcere, id quod esse puto quod dicit: Et leuauit caput principis pincernarum, & caput principis pistorum in medio seruorum suorum. Deinde quicquid peccarint utriq;, pincernam in pristinum suum locum & officium restituit, pistorem uerò suspendio adiudicauit. Atq; ita adimpleta est interpretatio Iosephi.

De diebus natalitijs.

Et accidit, inquit, die tertio, ut esset dies natalitius Pharaonis, faceretq; conuiuium omnibus seruis suis.] Qui natales suos solennes habent, & cum gaudio celebrãt, testantur sibi bene esse in hac uita, cuius ortus magnificiunt & anniuersaria lætitia singulis annis renouant. Hinc est, quod regibus & principibus perpetuus mos est natales suos celebrandi Et quoniam non sibi, sed totiusuæ ditioni nascitur princeps, uolunt gaudium natalitium nõ esse sibi priuatum, sed subditis omnibus commune. Et hoc faciunt potissimum tyranni, quorum natales atro erant calculo notandi, ac perpetuæ maledictioni subijciendi. Contrà, qui in tribulationibus, calamitatibus, & perpetuis miserijs non dico uiuunt, sed quotidie moriuntur, adeoq; & mortem omnibus horis suspirant, illi dicunt cum sapiente, Eccles. 7. Melior est dies mortis die natiuitatis: & cũ Iob, Pereat dies in qua natus sum, &c. Et cum Hieremia, Maledicta sit dies in qua natus sum, dies in qua peperit me mater mea nõ sit benedicta, & c. Quare de utero egressus sum, ut uideam laborẽ & dolorẽ, & consummant in cõfusione dies meiׄ Hoc certe genus hominũ mallet celebrem habere diem mortis, quàm diem natiuitatis suę. Sic sunt diuersimode animati, qui nascunt in hunc mundũ, secundum diuersitatem diuinæ dispositionis, qua alijs temporaria prosperitas, alijs tribulationum & calamitatum exercitia destinantur. B

Et leuauit, inquit, caput principis pincernarum, & caput principis pistorum.] Verbũ leuauit hoc loco, Ebr. נשא, quidam reddunt per מנה, id est, numerauit, uel recensuit: quidam uerò per זכר, id est, recordatus est. Arbitrantur isti Pharaonem, cum esset in conuiuio seruorum suorum, recensuisse illorum numerum & officia, per q; hanc occasionem recordatum esse etiam eorum qui erant in custodia, pincernæ uidelicet, & pistoris. Quãuis uerosimile sit sic esse à Pharaone factum, haud tamen necesse est, ut propterea uerbũ נשא exponatur, uel per מנה quod R. Shlomoh, uel, per זכר, id est recordatus est, quod Onkelos facit, cum nihil habeat absurdi si legamus: Et leuauit caput principis pincernarum & caput principis pistorum. Etenim non minus caput pistoris, quàm caput pincernæ leuauit è carcere, licet alterum suo loco restituerit, alterum suspendio tradiderit.

Et restituit principem pincernarum ad pincernatum suum, inquit, & principem pistorum suspendit.] Quod si pincerna fuit insons, non debuerat incarcerari. Quod uerò non fuit leuatus è carcere, nisi per occasionẽ natalis Pharaonis, meo iudicio argumentum habet, quod culpabilis fuerit, & per gratiam in locũ suum restitutus, id quod ex eo quoq; patet, quòd initio capitis huius utriq; & pincerna, & pistor contra dominum suum peccasse memorantur. Quod uerò pistor natalitia hac Pharaonis solennitate non est suo loco restitutus, sed cruci adiudicatus, innuere uidetur peccatum eius fuisse enormius, quàm ut remitti posset. Interea uides imaginem extremi iudicij, in quo omnes quidem è carcere mortis leuabuntur. Verùm alij ad uitam, alij ad condemnationem æternam.

Quemadmodum, inquit, fuerat ipsis Ioseph interpretatus.] Ergo Pharao inscius eorum quæ gesta fuerãt in carcere, somnia uinctorum, id est iudicium Dei per somnia adumbratum, adimpleuit, & Iosephi interpretationem confirmauit. Sic non est necesse, ut ministri iudiciorum Dei cognoscant quid statuerit Deus, ad hoc, ut uaticinia & præmonstrationes illius adimpleant. Duo sunt in Deo ad hanc rem necessaria. Vnum est, quod omnia futura præscit: alterum, quòd corda mortalium, etiam regum, in sua manu habet, ac quò uult dirigit, ut faciant, quę ipse decreuit. Sunt autem decreta eius immobilia. Non, mutatur ut homo, qui quod hodie decernit, cras mutat. Hinc est illa uaticiniorum, somniorum, uisionum, minarum, et promissorum Dei certitudo.

Duo genera gratitudinis.

Et non est princeps pincernarum recordatus Iosephi, sed illius oblitus.] Fuit ergo ingratus. Gratitudinis duo sunt genera. Vnum eorum qui opere, alterum qui cogitatione, quia opere non possunt, memores sunt accepti beneficij. Gratitudo quæ opere præstatur, non est omnium, nec esse potest omnium: quæ

quæ uerò cogitatione fit, & ipſa quidem non eſt omnium, poſſet tamen eſſe omnium, ſi boni eſſemus omnes. Quid enim facilius eſt animo bono, quàm recordari præteritorum? Poteſt caro acceptæ iniuriæ recordari, immò obliuiſci illius non poteſt, quomodo obliuiſci poſſet beneficiorum niſi mala eſſet, & ad iniurias cùm inferendas tum ulciſcendas procliuior, quàm ad ſtudium benefaciendi, beneficiorumq; recordandi. Memoria, inquit ille, non perdit, niſi ad quod non ſæpe reſpexit. Acceptarum iniuriarum caro non obliuiſcitur, quia ad illas frequenter memorando recurrit. Beneficiorum obliuiſcitur, quia ad illa uel rarò, uel nunquam reſpicit. Eſt itaq; argumentum hominis prorſus carnalis & ingrati, qui non ſolum cum poſſit, ſicut hic potuit pincerna, nullam animi gratitudinem opere declarat, ſed nec memoriam quidem accepti beneficij retinens, prorſus illius obliuiſcitur. At hoc fecit huc pincerna, exemplum eorum qui inexcuſabiliter ſunt ingrati. *Argumentū hominis prorſus ingrati.*

Deinde ſi conſideres fortunam pincernæ huius & locum in quem eſt reſtitutus, admoneberis quid expectandum ſit ab illis, qui aulica rerum proſperitate ſublimantur. Oculi mentis illorum ſic perſtringuntur temporariæ proſperitatis ac ſublimitatis ſplendore, ut ad præteritam humilitatem reſpicere nequeant. Hic pincerna non potuit recordari carceris & interpretis ſui, propterea quòd recuperatę dignitati plus æquo incubuit. Verùm ſic diſpoſuerat Dominus, & carnalis hominis ingratitudine non minus eſt ad cauſam Ioſephi uſus, quàm uſus eſt illius ſuggeſtione qua poſt biennium Pharaoni de illo in ſequentibus ſuggeſsiſſe legitur.

CAPVT XLI.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Quinq; ſunt capitis huius partes. Pharaoni de rebus futuris ſomnia diuinitus immittuntur. Somniorum iſtorum occaſione Ioſeph leuatur è carcere, ut illa interpretet. Poſt interpretationem ſomniorum regis ſuper uniuerſam Aegyptum ſublimatur. Naſcuntur illi duo filij, Manaſſes & Ephraim. Adimplentur ſomnia Pharaonis ſecundum interpretationem Ioſephi.

ET accidit poſt biennium dierum, ut Pharao ſomniaret, & ecce ſtabat iuxta fluuium. & ecce de fluuio aſcendebant ſeptem uaccæ pulchræ aſpectu, & pingues carne, & paſcebant in prato. Et ecce ſeptem uaccæ aliæ aſcendebant poſt iſtas de fluuio malæ aſpectu ac tenues carne, & ſtabant iuxta eas uaccas in littore fluuij, comederuntq; uaccæ malæ aſpectu ac tenues carnem ſeptem uaccarum, aſpectu pulchrarum & pinguium: & euigilauit Pharao. Et dormiuit, & ſomniauit ſecundò, & ecce ſeptē ſpicæ aſcendebant in culmo uno pingues ac bonæ. Et ecce ſeptē ſpicæ tenues & arefactæ uento Orientali germinabāt poſt illas. Et deuorarunt ſpicæ tenues ſeptem ſpicas pingues & plenas, euigilauitq; Pharao, & ecce ſomnium. Intellige, abſolutum erat. Vel, & ecce intelligebat habuiſſe ſe ſomnium. Sic uertit Germanicus interpres. *vnd er ſach daß es tyn traum was.* Septuaginta habent, & erat ſomnium. Latinus interpres particulam hanc prorſus neglexit.

Recenſens hoc Pharaonis ſomnium, Moſes duo facit. Docet primùm quo tempore, deinde per quam occaſionem euenerint ea quæ conſequenter eſt de liberatione ac ſublimatione Ioſephi memoraturus. Ad tempus pertinet quod ſtatim initio dicit: Et accidit poſt biennium dierum. Sic eſt in Ebræo מיהי מקץ שנתים ימים, id eſt, Et factum eſt à fine duorum annorum dierum. Hic nonnulli Ebræi rationem quærunt, quare non ſimpliciter dixerit Moſes: Et factum eſt à fine duorum annorum, ſed adiecerit, dierum, & confugiunt ad rationes mathematicas, quorum ſcrupuloſitatem probare non poſſumus. Locutionem hanc aliquoties in ſcripturis inuenio, hic & 2. Sam. 13. & 14. et Hieremiæ 28. bis, nec poſſum uidere quicquam, quod ſit hic curioſius inueſtigandū. Chaldæus paraphraſtes ubiq; ſimpliciter reddidit duos annos, nec ullam dierum mentionem fecit, quemadmodum & alij interpretes, præter Pagninum. Arbitror tutius eſſe non diſcedere à ſimplicitate loquutionis uulgatæ, qua nos Germani quoq; utimur, cum dicimus, Es *hat iar vnd tag gewehret*, ubi ſimpliciter annum integrum intelligimus, nec quiſquam eſt qui de diebus quicquam in quæſtionem uocet. *Tempus.*

Poteſt autem quod dicit, Et accidit poſt duos annos, bifariā intelligi. Primùm de toto tempore incarnationis Ioſephi, ut idem ſit, atq; Et accidit poſtquam biennium egit in cuſtodia. Deinde de tempore, quod intercidit inter ſomnia Eunuchorum & ſomnium Pharaonis, quam ſententiam ſequuntur cōmuniter omnes, idq; haud abſq; ratione. Non enim commodius referri poteſt hæc particula, quàm ad hiſtoriorum proximè præcedentem, ut inde ab illa numerandum ſit biennium integrum uſque ad ſomnium hoc Pharaonis. *Poſt duos annos dierum.*

Ad occaſionem pertinet ſomnium Pharaonis. propter hoc namq; immiſſum illi eſt, ſicuti ſequentia declarabunt, ut liberaretur Ioſeph è carcere, & ſimul ſuper uniuerſam Aegyptum extolleretur. Quæſierit hic quiſquam, cum hæc eſſet occaſio liberationi Ioſephi deſtinata diuinitus, quare Pharaoni ſomnium hoc non ſit immiſſum citius, ne tandiu cogeretur innocens morari in carcere. Reſpondendū eſt, leuandū fuiſſe Ioſephum è carcere per occaſionem iſtius ſomnij, ſomnium uerò ſingulari diſpoſitione Dei tum Pharaoni immittendum debuiſſe, cum adimpletionis ipſius tempus eſſet præ foribus. Alioqui parum fidei inueniſſet interpretatio illius, ſi tardius ſequuta fuiſſet præuiſa ſeptem annorum fertilitas. *Occaſio.*

Illud, Et paſcebant in prato. In Ebræo eſt באחו. Vulgata latina habet, in locis paluſtribus. Sep. ἐμ τῇ ὄχθῃ, id eſt in ripa. Hieronymus uerò de uerſione Septuaginta ſic annotat: Et paſcebantur in achi. Bis in Geneſi ſcriptum eſt achu, hoc eſt, in palude. Sed quia uau litera apud Hebræos, & iod ſimiles

similes sunt, & tantum magnitudine differunt, pro alu achi Septuaginta interpretes transtulerunt, & secundum consuetudinem suam ad exprimendam duplicem aspirationem, heth ח Hebrææ literæ χ græcam literam copulauerunt. Hæc Hieronymus. Quare apparet in uersione Septuaginta, uocem Hebræam fuisse retentam, & tempore Hieronymi lectum esse non οὐ ὄχθη, sed οὐ ἄχη. S anctes Pag. uertit, In carecto, & in Lexico annotat uocem אחו, idem esse quod graminetum, & pratum.

Obseruanda in primo somnio.

Illud animaduertendum est in isto somnio, quòd rex ad fluuium stetit, & de fluuio uaccæ ascenderunt tam pingues quàm tenues. deinde quòd tenues uaccę non pascebant in prato quemadmodum pingues, sed in littore iuxtà pingues stabant, & carnem illarum edebant. Fluuius Aegypti notus est Nilus ille, de quo constat, quòd inundatione sua terram Aegypti reddat fertilem. Non enim cœlesti pluuia irrigatur, sed ab inundatione Nili omnis illius feracitas & ubertas dependet. Rectè ergo rex in somnio suo ad hunc fluuium stetisse memoratur, ut de fertilitate pariter ac sterilitate Aegypti præmoneretur. De fluuio ascenderũt uaccæ, hoc est, fertiles & steriles anni. Vaccę pingues tondebant uiride pratũ, in argumentum fertilitatis. Tenues uerò non tondebant pratum, propter sterile solum, sed stabant iuxta pingues, & carnes illarum edebant: hoc est, septem anni steriles non adferebant è terra unde uiueretur, sed sustentabantur frumento quod in septem fertilibus annis creuerat.

Obseru. in secundo somnio.

Sic & illud obseruandum est, quod de spicis pinguibus memoratur, quòd septem è culmo uno ascenderint. Argumentum erat fertilitatis eximiæ. Vbi uerò de spicis tenuibus narratur, non memoratˇ quòd de culmo uno ascenderint, ut intelligendum sit singulas de singulis proueniisse culmis, in argumentum sterilitatis.

Illud, Et arefactæ uento Orientali, in Hebræo est שדופת קדים. Vox קדים uentum Orientalem, Subsolanum, uel Eurum significat, quo flante, læduntur sata, imò & homines, nisi caueant. Vehementia sua exiccat, & ipsum uitalem succum arefacit. Vulgata latina habet, Percussæ uredine. Admonemur hic, q̃ omnis noster uictus pendeat à manu Dei. Etiamsi seges largo prouentu terram initio ornet ac tegat, in culmos exurgat, spicas proferat, & alacrem ubertatis spem spectantium oculis ingerat, una tamen nocte immisso uento Orientali propè omnis totius anni spes ac sustentatio arefacta cadit, ut reliquos frugum defectus taceam, quibus ira Dei malitiam nostram ulciscitur.

Omnis noster uictus pẽdet à manu Dei.

Et factum est mane, & consternatus est spiritus eius, missitq; & uocauit omnes Magos Aegypti, & cunctos sapientes eius, & narrauit ipsis Pharao somnium suum: uerùm non erat qui ea Pharaoni interpretaretur.] Exponit quomodo Pharao expergefactus à somno insomnij sui gratia affectus fuerit, quidq; fecerit. Quomodo affectus fuerit, in eo declarat, quod dicit: Et factum est mane, & consternatus est spiritus eius. Considerans quale somnium somniasset, facile intellexit, esse illud nec fortuitum, nec inane, sed magni momẽti. Et quoniam non intelligebat quid portenderet, suspicabatˇ imminere uel sibi uel regno suo triste quidpiam, præsertim ex eo, quòd septem uaccas & spicas pingues à macilentis uorari uiderat, unde forsan metuebat ne futuræ forsan essent in regno suo seditiones, in quibus optimates à plebeis delerẽtur. Nam huiusmodi suspiciones ac metus quasi peculiares sunt regibus ac principibus. Quicquid huius sit, id constat, unde immissum illi fuit hoc somnium, inde esse illi etiam consternationem hanc spiritus inditam, à Deo uidelicet, qui sic animum eius impulit, ut magno serio somnij interpretationem quæreret.

Quomodo affectus fuerit Pharao.

Quid fecerit Pharao.

Quid fecerit, exponitur in eo q̃d subiungitur: Misitq; & uocauit omnes Magos Aegypti, & curctos sapientes eius (scilicet Aegypti. Est enim in Hebræo חכמיה) Et narrauit ipsis somnium suum, &c. An simul omnes, non eos tantum quos secum habebat in aula, sed & ex omni Aegypto uocarit ad se magos, ariolos, diuinos, genethliacos & sapientes: uel diuisim, primùm aulicos, deinde quoniam illi nihil præstare poterant, etiam ubilibet in Aegypto habitantes, non potest ex uerbis Mosis colligi. Si seriò, ut apparet, interpretationem somnij quæsiuit, & non hoc egit, ut sapientiæ periculum de singulis Magis suis & sapientibus caperet, credibile est, quq̃d omnes simul conuocarit, & non singulos explorarit. Intelligentiam absconditorum iudicabat quærendam esse apud professores diuinationum & sapientiæ, non apud rudes & ineruditos. Arbitror autem hoc discriminis esse inter magos & sapientes, quod est inter species scientiæ: quarũ una naturalis, altera supernaturalis uocari poiest, ut q intellectu & iudicio rerum naturalium pollent, sapientes: qui uerò magicis artibus, ariolationibus, diuinationibus, augurijs, incantationibus instinctu & opera dæmonum adiuti quæ abscondita sunt, uel futura, cognoscunt & prædicunt, Magi dicantur. Apparet itaq; Pharaonem utrosq; tam magos quàm sapientes ob id conuocasse, ut si interpretatio somnij naturali posset adferri industria & sapientia, fieret hoc per sapientes: sin minus, exponereˇ somniũ per magos. Quòd si quis eosdẽ putat esse magos & sapiẽtes, per me licet sic sentiat. Neq; enim cum quoquam de magis ac sapientibus Aegypti contendero, cum uix uideam quid certi de nostrorum temporum sapientibus sentiri possit.

Discrimen inter magos et sapientes.

Et narrauit ipsis Pharao somnium suum, inquit.] Longè diuersus fuit hic Pharao à Nebucadnezar rege Babel, qui somnij sui interpretationem à magis & hariolis suis, sub interminatione mortis requisiuit, cum ipsum illis somnium narrare uel non posset, uel nollet. Dan. 2.

Verùm non erat, inquit, *qui ea Pharaoni interpretaretur.*] Quòd si sapientes non potuerunt, quomodo factũ est ut magi & harioli ex instinctu dæmonũ regis somniũ interpretari nequiuerint? Nihil itaq; ne illi quidẽ possunt in hac causa, nisi permittat Deus. Cogitandum hic est de dispositione diuina, qua omnis causa Iosephi ad destinatũ scopũ pulcherrimè dirigebaˇ. Per hanc immissum est somniũ Pharaoni, per

Dispositio diuina.

A per hanc factum est, ut magos & sapientes interpretandi illius gratia Pharao conuocaret, & cõuocaret omnes ex uniuersa Aegypto, cõuocatis somnium suum diserte narraret, ne quid excusationis haberent, rem ipsam non intelligentes, sicuti postea habuerunt Magi Babylonici, nemo uerò ex illis omnibus auditum à Rege somniũ interpretaretur. Quorsum ista? Ad hoc uidelicet, ut causa esset & occasio pincernę Regis de Iosepho somnij sui interprete recogitandi ac Regi de illo suggerẽdi, & simul sapientia Iosephi, post magorum ac sapientum omnium confusionem hoc fieret illustrior, quo magis conspicuum esset, uanam esse diuinationem magorum & sapientiam sapientum, ipsum uerò spiritu esse sapientiæ diuinitus imbutum, id quod ex sequentibus patebit.

Et loquutus est princeps pincernarum Pharaoni dicens: Peccati mei ego recordor hodie. Pharao iratus seruis suis, posuit me in custodiam domus principis laniorum, me & principem pistorum. Et somniauimus somnium nocte una, ego & ille, quisq; secundum interpretationem somnij sui somniauimus. Et erat ibi nobiscum puer Ebræus seruus principis laniorum, et narrauimus illi, & interpretatus est nobis somnia nostra, cuiq; secundum somnium suum interpretatus est. Et accidit, ut quemadmodum interpretatus est nobis, ita fieret etiam. Me restituit in meum locum, & illum suspendit.] Homo ingratus tandem Regi de Iosepho suggerere metu periculi cogitur, id quod si gratus fuisset, iam olim affectu gratitudinis motus fecisset. Timebat uidelicet, ne si de Iosepho nihil indicaret Regi, aliunde illi quæ gesta fuerant innotescerent, atq; ita ipse rursus coram Rege culpabilis redderetur. Toto biennio fuerat beneficij à Iosepho accepti oblitus, & dubio procul, nisi hac fuisset occasione adactus, nec in posterum ullam illius coram Rege mentionem fecisset. Perfidiæ genus est, si seruus sciens quid hero suo conducat, non indicat, si possit. Perfidiæ culpam uitare uolens suggessit regi de Iosepho. Non est autẽ sine consilio Dei factum, ut id fieret non ante Magorum conuocationem, sed postquam nemo inuentus est, qui somnium regis interpretaretur. Sic potest Deus ingrati hominis cunctationem ad consilij sui perfectionem dirigere.

Quid mouerit pincernam ut regi de Iosepho suggereret.

Peccati mei ego recordor hodie.] Potest hoc bifariam intelligi, uel de peccato ingratitudinis, quod admiserat in Iosephum: uel, quod magis placet, de peccato propter quod iram regis ante biennium incurrerat, & in custodiam datus fuerat, qua de re mox subijcit dicens: Pharao iratus seruis suis. Quoniam iræ regis, & carceris mentionem facturus erat, rectè de peccato suo præmittit, ut & iusticiam regis in castigatione & gratiam in restitutione erga se declaratam agnoscere uideatur.

Hactenus hic pincerna exemplo nobis fit, unde admoneamur, ut quoties uel de ira Dei qua nos castigat, uel de gratia illius qua castigatos in pristinam sanitatem, quietem, tranquillitatem, aut dignitatem
B restituit, mentionem facturi sumus, perpetuò peccatorum nostrorum recordationem præmittamus.

Quando peccatorum nostrorũ recordari debeamus.

Pharao, inquit, iratis seruus suis.] Loquitur ipsi regi, & nominat eum Pharaonem. Si nomen hoc Pharao regi propriũ fuisset, parum reuerenter hic pincerna, quemadmodum & Ioseph postea sic esset regi loquutus. Verùm id nominis non personæ, sed ipsius regiæ Maiestatis appellationem habebat, ut quisquis Rex in Aegypto esset, Pharao uocaretur. Vocabulum Rex, omnibus est monarchis commune, quare nationibus illis in consueto erat, ut cuiusq; regni Rex peculiari aliquo uocabulo appellaretur, quemadmodum reges Geraræ Abimelech, reges Aegypti Pharao, & reges Persiæ hodie Sophi uocantur. Obserua autem, quòd non dicit, Pharao iratus nobis: sed, Pharao iratus seruis suis, ut significet se Maiestatem illius agnoscere, quæ id potestatis in suos habeat, ut illis uel irasci, uel clementer tanquam seruis suis ignoscere possit. De eo quod dicit, Et posuit me in custodiam me & principem pistorum, & somniauimus, &c. dictum est suprà capite præcedenti.

Et erat ibi nobiscum, inquit, puer Ebræus.] In Ebræo uox נער est, puerum ætate significans. At Iosephcum somnium Eunuchorum Pharaonis interpretaretur, annorũ erat uigintiocto. Posita est igitur uox נער hoc loco pro iuuene. Iuuentus enim ad tricesimum usq; annum extenditur, unde quidam de Christo scribens dicit, Occiderunt iuuenem miracula facientem. Sic Ioseph ea tum erat ætate, ut & uir, sicuti cap. præcedenti in uerbis uxoris Potiph. uidemus, ubi dixit: Introduxit nobis uirum Ebræum, & puer uel iuuenis uocari potuerit. Aliàs uox נער, aliquando pro seruo ponitur, quemadmodum & suprà cap. 21. annotauimus. Hic de Iosepho prædicatur, quòd fuerit Ebræus, puer, & seruus principis laniorum. Gente erat Ebræus, ætate puer, conditione seruus.

Et narrauimus illi, & interpretatus est nobis somnia nostra, inquit, & accidit &c.] Exponit regi quid fecerit puer Ebræus, nihil addens de illius innocentia & petitione, ne quid contra principem laniorum faciat, qui innocentem detinebat in carcere. Sic uolebat regi suggerere de Iosepho, ut nec herum illius principem laniorum offenderet, nec quod regi debebat omitteret & negligeret. Simpliciter igitur indicat regi, esse in carcere puerum Ebræum seruum principis laniorum, qui sibi & principi pistorum somnia quæ una nocte habuissent ueraciter exposuerit. Nihil addit, quo Iosephum corã rege ornet & commendet. Non dicit, Est puer elegans, prudens, ingenuus, & cuncta prosperè agens, deniq; innocens, præter culpam suam custodiæ datus, & rogauit, ut hoc Maiestati tuæ suggeram. Sic causam Iosephi admodum frigidè egit. Verùm id quod regi quamuis tenuiter significauit, usqueadeò non est contemptim à rege acceptum, ut confestim iusserit Iosephum leuari è carcere, & in conspectum suum adduci, quemadmodum sequitur.

Et misit Pharao, uocauitq; Iosephum, & festinanter eduxerunt eum. (in Ebræo est וירוצו אתו, id est, currere fecerunt eum.) *de fouea, ac totondit & mutauit uestes suas, uenitq; ad Pharaonem.*] Audierat à pincerna Pharao, esse in custodia puerum Ebræum, cumq; seruum, qui somnia, suum & pistoris, sit interpretatus.

Non

Non cogitauit, quid poterit, quid poterit præstare puer? An quod non possunt Magi ac Sapientes mei, poterit puer? Hebræus est. An Aegyptijs erit sapientior puer Hebræus? Seruus est. An sic me demittã, ut audiam seruum, illicq; secreta mea cõmunicem? Nihil horum causatus, confestim misit & uocauit ad se puerum Hebræum ac seruum, à quo somnij sui interpretationem audiret. Vides exemplum principis sapientis, & usqueadeò modesti, ut sapientiam uel ex puero discere haud dedignetur. Vtinam sic sint animati, qui hodie toti pendent à magnificis titulis: nec unquam cogitant, sic esse comparatum Deum, ut secreta sua communicet paruulis potius quàm huius mundi sapientibus.

Exemplum principis sapientis.

Et festinanter, inquit, eduxerunt eum de fouea.] Aedificium carceris forsan erat subterraneum, eamq; ob causam uocatum est fouea.

Totondit & mutauit uestes suas.] Fecit hoc Potiphar herus Ioſephi. Curauit eum tondi ac splendidè uestiri, ne sic ut erat squalidus ac sordidus in conspectum regis abduceretur. Quid totonderit, caput ne uel barbam, aut utrumq;, non est curiosius inuestigandum, quoniam ignoti sunt nobis temporum ac populorum illorum mores. Nos cogitemus, quàm sit nobis sollicitè curandum, ne in conspectu Domini, regis regum, sordibus huius mundi & carnis inquinati temerè com'pareamus, siue orandũ sit ad illius maiestatem, siue de mysterijs illius communicandum.

Apparituris in conspectu Domini sordes abijciendæ.

Et ait Pharao ad Ioseph: Somniaui somnium, & non est qui interpretetur illud, & ego audiui de te dici, Audi somnium ad interpretandum illud.] Mox sine ullis ambagibus exponit Ioſepho rex, ad quid ipsum ad se uocarit. Tria dicit. Primùm, somniasse se somnium. Deinde, non esse quenquam qui interpretetur. Hoc non sic dicit, ut existimet prorsus neminem esse, qui somnium hoc interpretari possit. Alioqui, si hoc existimaret, ad quid Ioſephum ad se uocasset? Sed significat non inuenisse se somnij sui interpretem ex omnibus suis sapientibus & Magis. Plurimum hoc faciebat ad futuram Ioſephi gloriam. Tertiò, ad hoc se uocasse eum, ut somnium suum interpretetur. Nam suggestum esse sibi de eo, quòd sit somniorũ intelligentia præditus.

Illud, Et ego audiui de te dici, mihi uidetur uulgarem habere loquutionem, qua Germani quoq; utimur cum dicimus, *Ich hab hören von dir sagen*. Et quod sequitur, Audi somnium ad interpretandũ illud, in Hebræo est תשמע חלום לפתר אתו. Alij reddunt cum additione uoculæ quæ in Hebræo non est, ut, Quod audiens somnium exponas illud. Sic uel אשר, uel בי subintelligunt. Mihi uerò uidetur non hic dici à Pharaone quid audierit de Ioſepho, sed potius præcipi, ut audiat à se somnium, tanquam illud interpretaturus.

Et respondit Ioseph Pharaoni, dicens: Præter me Deus respondebit prospera Pharaoni.] Septuaginta sic habent, ἄνευ τοῦ θεοῦ σὺν ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον φαραώ. id est, sine Deo non respondebitur salutare quid facie Domini respondebitur pax Pharaoni. Modestè donum sapientiæ huius reijcit in Deum. Quasi di Pharaoni. At in Hebræo non est uocula. Non. Chaldæus paraphrastes habet, Nõ ex mea sapientia, sed à cat. Potest Deus sine me per alium quempiam respondere Pharaoni quæ sunt prospera. Illud prudentiæ est, quòd non simpliciter dicit, Præter me Deus interpretabitur somnium Pharaoni, cum tamen hoc tantũ quæreretur: sed, Præter me Deus respondebit prospera Pharaoni. Sic innuit optare se ut somnium regis sit prosperum. Sic sunt animati homines boni, ut in rebus dubijs non sperent modò, sed & spem faciant alijs prosperi euentus.

Et ait Pharao ad Iosephum: Cum somniarem, ecce stabam ad ripam fluminis. Et ecce de flumine ascendebant septem uaccæ pingues carne, & pulchræ forma, ac pascebant in prato. Et ecce septem uaccæ aliæ ascendebant post istas tenues ac deformes ualde, inanesq; carne: non uidi, sicut illas in omni terra Aegypti, tam deformes. Et deuorarunt uaccæ illæ inanes ac deformes septẽ uaccas priores & pingues, & ingressæ sunt in uiscera illarum, & tamen cognosci non poterat, quòd ingressæ essent uiscera illarum, sed aspectus illarum malus erat, sicuti fuerat initio, & euigilaui. Et uidi cum somniarem, & ecce septem spicæ ascendebant in culmo uno, plenæ ac bonæ: & ecce septem spicæ modicæ, tenues, uento Orientali arefactæ germinabant post istas. Et deuorarunt spicæ tenues septem spicas bonas. Et dixi hæc Magis, & non est qui indicet mihi.] Narratio ista somnij paucula habet ultra ea quæ suprà Moses de illo cõmemorauit. Illic, Et ecce stabat iuxta fluuium, inquit. Hic, Et ecce stabam ad ripam fluuij. Illic, Malæ aspectu, ac tenues carne. Hic, Tenues ac malæ forma (id est deformes) inanesq; carne. Et addit istis, Non uidi sicut illas in omni terra Aegypti, tam deformes. Illic, Et stabant iuxta eas uaccas in littore fluuij, comederuntq; uaccæ malæ aspectu ac tenues, carnem septem uaccarum aspectu pulchrarum & pinguium. Hic, Et deuorarunt uaccæ illæ inanes ac deformes septem uaccas priores & pingues. Et subijcit, Et ingressæ sunt in uiscera illarum, & tamen cognosci non poterat quòd ingressæ essent in uiscera illarum sed aspectus illarum malus erat sicuti fuerat initio. Et despicis posterioribus, illic sic, Et ecce septem spicæ tenues, & arefactæ uento Orientali. Hic, Et ecce, inquit, septem spicæ modicæ, tenues, et uento Orientali arefactæ. Illud, Modicæ, in Hebr. est גבמירת, quæ uoxhoc tantum loco habetur in scripturis, & à nonnullis exponitur per קטגרים, id est paruæ, modicæ, exiles. Sunt qui inrerpretãtur דקות, id est, inanes ac uacuæ. Alij uertunt, marcidæ.

Exemplũ regis ne noctu quidem ebrij.

Obserua. Quòd Pharao somnium suum sic memoria tenebat, ut quoties uellet claré ac diserté narrare posset, indicium est, quòd non fuerit graui somno pressus, qualis esse solet eorũ qui crapulę & ebrietati indulgent. Etenim huiusmodi somnus extinguere solet insomnia, & animũ obsoporati altius mergere, quàm ut ullo possit uti intellectu, nedum per insomnium uisa tam uigilanti memoria narrare. Vides exemplum regis, ne noctu quidem ebrij. Hodie inuenies, qui sic sint interdiu temulentia obsoporati, ut

A tĩ,ut planè nihil eorum intelligere,nedum meminisse queant, quæ oculos & aures ipsorum incurrunt.

Deinde & illud obserua. Non uidi,inquit,sicut illas in omni terra Aegypti, tam deformes. Innuebat famem fore tam grauem & insolitam, ut antea non fuerit consimilis in Aegypto. De pulchris ac pinguibus uaccis non dicit: Non uidi tam pulchras & pingues in omni terra Aegypti. Quia frequenter eiusmodi uaccas in Aegypto uiderat,pulchras & pingues,tenues uerò,macilẽtas & deformes nõ item. Aegyptus enim eximiè fertilis, raro percutitur sterilitate, propterea quod non tam sibi quàm alijs est regionibus fertilis,quæ ubertate illius aluntur. Non est hoc alienũ à Deo,ut parcat regioni alicui pro pter uicinos populos,hoc est,ut non inferat illi ultionem, quæ non ipsi tantum, sed & alijs regionibus incommodet. Potest in populũ peccantem uarijs modis animaduertere,ut non sit necesse dum uni irascitur regioni,complures alias unà cum illa in discrimen conijcere. Et si hoc fecerit, absit ut iudicia illius in ius uocemus. Loquimur de illius misericordia & bonitate,non de iurisdictione, cui subiecta sunt omnia,nec de quarumcunq; gentium innocentia,quæ sub cœlo nulla est.

Solet Dominus parcere quibusdam propter alios.

Tertiò. Et ingressæ sunt,inquit,uiscera illarum,& tamen cognosci non poterat,quod ingressę essent uiscera illarum,sed aspectus illarum malus erat sicuti fuerat ab initio. Admonemur hoc loco,ut cogitemus unde sit,quod tempore famis saturari nequimus,quamuis multo cibo aqualiculũ infarciamus. Sic ingerimus in uiscera quæ acquiri possunt,ut uideamur satiari non posse,& tamen uenter manet tenuis,perpetuoq; esuriens,facies macilenta ac deformis,& totus aspectus mortuo quàm uiuo homini similior,ut cognosci nequeat,quod tam multa uorauerimus. Quid aliud in causa est,quàm quòd tempore sterilitatis non solum annum in agro nos,sed & quotidianum in ipsis uisceribus diuinæ benedictionis incrementum destituit? Reipsa experimur uerum esse quod propheta canit, dicens: Aperiente te manum tuam, omnia implentur bonitate:auertente autem te faciem tuam, turbantur. Psal. 104.

Vnde sit quod tempore famis saturari nequimus.

Quartò. Et dixi hæc magis,inquit,et non est qui indicet mihi. Si legisset ista Cicero,qd dixisset aliud, quàm quòd alioqui scripsit? Disputasset de maiestate ac mente Dei, quàm non conueniat illi, ut somnia immittat hominibus,quæ ipsi per se non intelligant,& quorũ interpretes habere nequeant. uerũ est,frustraneum eiusmodi uidetur esse somnium,quod nec intelligitur ab eo qui somniauit,nec per interpretem aliquem exponitur. At hic non defuit interpres,diuino spiritu inflatus, etiamsi nullus dabatur ex magis & sapientibus,qui somnium regis interpretaretur. Sed hac de re, & quæ præterea de somnijs in scriptis illius leguntur,paulo infrà fusius annotabimus.

B *Et dixit Ioseph ad Pharaonem:Somnium Pharaonis unum est.Quæ Deus facit,indicauit Pharaoni.Septem uaccæ bonæ sunt septem anni,& septem spicæ bonæ septem anni sunt.Somnium hoc unum est. Et septem uaccæ inanes ac deformes quæ ascenderunt post illas,sunt septem anni,& septem spicæ inanes,uento orientali arefactæ erunt septem anni famis.Hoc est uerbum quod dixi ad Pharaonem.Quæ Deus facit,ostendit Pharaoni. Ecce septẽ anni uenient,saturitatis magnæ in omni terra Aegypti.Et exurgent septem anni famis post illos,& obliuioni dabit omnis illa saturitas in terra Aegypti,consumetq; fames ipsam terram. Nec cognoscetur saturitas in terra à facie famis quæ postea erit: erit enim grauis ualde. Quod uerò somnium hoc repetitum est Pharaoni altera uice, innuit, rem hanc esse confirmatam à Deo, & acceleraturum Deum ut eam faciat.]* Quæ Ioseph Pharaoni post narrationem somnij respondit,interpretationem habent & consilium,idq; non confusè, sed distinctè ac perspicuè. Ad interpretationem pertinet hic contextus,consilium habent quæ sequuntur.

Somnium,inquit,Pharaonis unum est.] Atqui bis somniauerat,deinde diuersas etiam species & rerum imagines in altero somnio uiderat ab illis quas uiderat in priori. Quare uidetur somnium illius fuisse non unum,sed geminum. Vnum fuit significatione,& propter unitatem rei quæ significabatur. Geminum fuit propter euigilationem qua fuit interruptum,& propter uisa posterioris somnij, à præcedentibus differentia. Sic res eadem diuersis respectibus, tam una quàm multiplex dici potest. Erat autem opus, ut huius præmoneret Pharaonem, ne quia bis somniauerat, & diuersa uiderat,diuersa portendi putaret.

Quomodo somnium Pharaonis unum fuerit.

Quæ Deus facit, indicauit Pharaoni, inquit. Secundò de hoc admonet, hic & paulò infrà. Reddit animum regis attentum,significans somnium illius esse à Deo, & habere præmonitionem rerum futurarum,quas Deus faciat. Alij uertunt,Quæ Deus facturus est. Arbitror non incommodè posse legi, ut est in Ebræo אתאשר האלהים עשה,id est,quæ Deus faciens,hoc est,quæ Deus facit. Iam tum enim hoc ipsum,quo de Pharaonem præmonebat,rectè egisse dici potest,propterea quod,ut infrà dicit,accelerabat ad faciendum illud.

Septem uaccæ bonæ sunt septem anni(id est,significant septem annos)& septem spicæ bonæ septem anni sunt. Somnium hoc unum est. Quoniam bis dixerat,septem anni sunt, ne uaccæ bonæ seorsum septem annos, & spicæ bonæ alios septem annos significare uiderentur, adiecit, Somnium hoc unum est. Hoc est, idem significant septem spicæ bonæ quod septem uaccæ bonæ, septem uidelicet annos bonos & fertiles. Dixerat & antea somnium Pharaonis esse unum, loquens de ijs quæ in utroq; somnio uiderat,de tota uidelicet causa. Hic uerò duntaxat de dimidio illius loquitur, Septem uaccas bonas & septem spicas bonas unum somnium esse,hoc est,ad unam somnij huius partem pertinere dicens. Consimili modo intelligenda sunt, quæ de septem uaccis ac septem spicis inanibus ac deformibus exponit. Et illic somnium unum est,id est,unius rei significatio,septem uidelicet annorum sterilium.

Hoc est uerbum,inquit, quod dixi ad Pharaonem: Quæ Deus facit, ostendit Pharaoni. Loquitur de eo quod dicere cœperat. Quoniam autem secundò hoc inculcat: Deum,quod facit, ostendere Pha-

Et fertilitatem & sterilitatem facit Deus.

raoni, uidendum est quid in eo sit obseruandum. Quæ Deus facit, inquit. Quid faciebat tum Deus? Septem annos fertiles, & septem annos steriles. Ergo tam sterilitas quàm fertilitas à Deo est. Fertilitatem esse à Deo, uidetur illi non esse inconueniens. Est enim proprium Dei opus, benefacere mortalibus. Quomodo igitur potest illi competere, ut faciat annos steriles? Est enim hoc diuersum à priori, & alienum ab illius bonitate. Alienum opus facit, ut ad id quod suum est, perueniat. Quoniam fertilitate & copia rerum abutimur, ac nosipsi perdimus, necessariũ est, ut ei malo immissa rerum penuria occurrat.

Bonitatis Dei est quod ostendit quæ facturus est

Ostendit, inquit, Pharaoni. Obserua quòd ostẽdit quæ facturus est, priusquam faciat. Si hostis esset, si perditione filiorum hominum delectaretur, si prorsus perdere uellet, & non ad emendationem castigare, castigatosq; & emendatos seruare, haudquaquam de ijs quæ facturus est, præmoneret, sed ex improuiso securos inuaderet ac perderet. Est itaq; argumentum bonitatis Dei quod quæ facturus est, priusquam faciat, ostendit.

Quare regi ostẽderit.

Cui ostendit? Illis, uidelicet, quos est flagello castigationis percussurus, quibus cautio hæc ac præmonitio potest esse usui. Non seruit curiositati uanorum, sed utilitati castigandorum. Sic hoc loco de annis fertilibus ac sterilibus in Aegypto futuris indicauit Pharaoni regi Aegyptiorum. Poterat inuenire iustiores, quibus ostenderet: uerùm utilius erat ut ostenderet regi, per quem Aegypto in annos sterilitatis de copia fertilium prouideretur. Potierat somnium hoc immittere Ioſepho, ut per hunc indicaretur regi, at huic rex non ita credidisset somnanti, sicut credidit somnium suum interpretanti.

Quomodo ostenderit.

Quomodo ostendit? Per somnium. Tribus modis quæ futura sunt, ostendit. Primò per angelos, deinde per prophetas suos. Huc pertinet quod Amos 3. legitur: Non facit Dominus uerbum, nisi reuelauerit secretum suum seruis suis prophetis. Tertiò per somnia. Quoniam autem in hunc locum incidimus, arbitror operęprecium esse, ut de somnijs quædam annotemus, de quibus diuersa sentiri etiam à doctis uideo. Somnium quid sit, notum est omnibus. Vnde fiant somnia & quomodo, relinquo physicis excutiendum. Genera somniorum sunt quatuor. Primum est confusum illud, turbulentum, multiforme, inconstans, & plerunq; portentosum, prorsus uanum & inane, quod uocare possumus fortuitũ, propterea quòd nullis certis rationibus & causis constat. Secundum est naturale, cuius causæ sunt ex nobis. Species huius sunt multæ, quæ duabus generalioribus comprehendi possunt. Occupatione uidelicet mentis, & constitutione corporis. Sic est comparata mens nostra, ut quæ interdiu cupidius uidit uel audiuit, impensius curauit, cogitauit, amauit, fecit, appetiuit, uel timuit & exhorruit, horum simulacra noctu, dum ab externis est sensibus auocata somniando uideat, uel uidere se putet. Quod corpus attinet, ex huius quoq; constitutione oriuntur somnia, alia sanguineis, alia cholericis, alia phlegmaticis. Et secundum morborum uarietates, uaria uisa imprimuntur menti dormientis. Hæc omnia referri possunt ad naturale somniorum genus. Ea quæ ex constitutione corporis uel sani uel morbidi proueniunt, absq; ulla uanitate utiliter possunt obseruari & dijudicari à medicis. Quæ uerò ex occupatione sunt animorum, siue sunt ex uanis studijs, curis, affectibus & uisis, meliora utiq; esse non possunt, quàm est ipsorum causa, siue ex serijs & necessarijs, & si non propter causam, propter inutilitatem tamen uanis sunt adnumeranda, propterea quòd mentes hominum etiam inter quiescendum frustrà & inutiliter fatigant. Huc referendum est illud Ecclesiastici 7. Vbi plurima sunt somnia, ibi plurimæ sunt uanitates. Item: Multas curas sequuntur somnia.

Genera somniorum.

Cicero refellitur

Tertium genus somniorum est theopneustum, hoc est, diuinitus inditum. Cicero sic impugnat eos qui somnijs fidem adhibent, ut prorsus neget ullam uim diuinam somniorum esse effectricem. Arguit ab illorũ uanitate & absurditate. Quod si dormiẽtes, inquit, agerent quæ somniant, alligandi omnes essent qui cubitum irent. Maiores enim motus efficerent somniantes quàm ulli insani. uerum hoc est, si referas ad somnia fortuita & physica. Deinde à qualitate somniantium. Si Deus, inquit, somnia mortalibus immitteret, faceret hoc nostra causa, ut prouidere futura possemus. Hoc ipsum est quod agitur. facit hoc nostra causa, & facit hoc, ut de futuris præmoneamur, sicuti hoc præsentis somnij exemplo uidemus. At, inquit, innumeri sunt, qui somnijs non parent, qui non intelligunt, qui non meminere, qui contemnunt etiam. Talibus quare immitteret Deus somnia, qui illa ne memoria quidem digna iudicant? Neq; enim ignorat Deus qua mente quisq; sit, nec frustrà quid facere censendus est. Respondeo. Vtiq; non ignorat qua mente quisq; sit, nec facit quid frustra. Hinc non consequitur quòd nulli mortalium, sed quod non talibus & non quæuis somnia immittat. Tertiò, uigilantibus, inquit, magis quàm dormientibus uisa immitteret, quibus de prouidẽdis admoneremur. Respondeo: Nec uigilantibus deest, nec dormientibus. Vigilantibus innumera occurrunt uisa & audita, unde de uoluntate Dei admoneri possent, si oculos haberent uidendi, & aures audiendi: uerùm iuxtà sunt innumera, quibus sic occupantur, ut ista nec uideant, nec audiant, nec curent. Quare fit ut nocturna quiete à diurnis curis & occupationibus liberi, aptiores simus ad capienda monita Dei, quæ etiam, nescio quomodo, plus habent efficaciæ inter dormiendum, quàm inter uigilandum proposita. Pharao si interdiu uigilans ueras uaccas septem pingues, & post has septem macilentas uidisset, nullo pacto portendi quicquam in futurum cogitasset, immo ne suspicatus quidem fuisset. Quapropter friuolum est quod dicit hic Tullius: Si Deus uisa immitteret, uigilantibus potius quàm dormientibus immitteret. Quartò, nec illud alicuius est momenti, quod dicit: Non per circuitionem & anfractum uisorum, ut sit utendum interpretibus, sed recta, & disertè diceret: Hoc facito, hoc ne feceris. Quid enim uetat, quo minus & citra figurarum inuolucra clarè & disertè, & non sub anfractu & circuitione, ut interprete sit opus quæ futura & facienda sunt,

A da ſunt, quibus uoluerit indicet? Quod utrumq; faciat, ſcripturæ ſacræ teſtantur. Suprà cap. 15. per ſomnium Abrahæ manifeſtè de ſemine illius prædixit. Conſimili modo & Abimelech regem Geraræ in ſomno claris uerbis increpauit, & quid facere deberet, admonuit, ſuprà cap. 20. Sic & Laban per inſomnium dictum eſt à Deo: Caue ne loquaris cum Iacobo à bono uſq; ad malum. Rurſus per figuras & uiſiones quæ futura ſunt, dormientibus indicat, ſicuti uidere eſt ſuprà in ſomnijs Iacob, in quibus uidit mares punctatos & maculoſos aſcendere ſuper oues, cap. 31. deinde in ſomnijs Ioſeph cap. 37. & eũ nuchorum Pharaonis cap. 40. & in iſto præſenti Pharaonis. Quando abſq; uiſis quæ futura ſunt aut facienda claris uerbis in ſomno oſtendit, facit hoc certis rationibus, ſicuti facile animaduerti poteſt, in ſomnio Abimelech & Laban. Vbi figuris & ſimulacris utitur, & illud facit haud temere, ſed magna cum ratione. Potuiſſet Pharaoni perſpicuè ſignificare quid eſſet futurũ, uerùm uoluit hoc facere per figuras uaccarũ & ſpicarũ, quas ipſe non intelligeret, ſed à Ioſepho diſceret. Neq; enim hoc tantũ agebat, ut Aegypto conſuleretur, ſed & ut Ioſeph ſublimaretur, & Iſraeli patrocinaretur. Conſimili ratione & cum NebucadNezar egit, ſicuti in Daniele uidere licet. Condonandũ aũt eſt Ciceroni, quod iſta ignorauit. Non negaſſet ueritatem, ſi ſacrarũ literarũ cognitione fuiſſet imbutus. Patet igitur ex præmiſsis tertij huius generis, quod theopneuſton uocamus, duas eſſe ſpecies. Vnam, qua de futuris, uel faciendis inter dormiendũ per oraculũ apertè inſtruimur. Alterã, qua hoc per figurarũ inuolucrũ perficitur. Hic diſtinguit Auguſtinus inter uiſionem & ſomniũ. Viſionem uocat, cum id quod inter dormiendũ uidetur, eodem modo quo apparuit, euenit. Somniũ, q̃d figuris eſt tectũ, & ſine interpretatione intelligi nõ poteſt.

Quartum genus ſomniorũ eſt dæmoniacum, quod à malis ſpiritibus immittitur, & inter eos regnat, ubi mentes hominum laqueis ſatanæ captiuæ, & tenebris errorum obcæcatæ tenentur. Horum conſideratione arbitror manifeſtum eſſe, quatenus licitum ſit ſomniorum habere rationem. Obſeruare fortuita, & quæ ſunt ex curis, ſtudijs, affectibus, & uiſis diurnis, uanum eſt, rationem habere dæmoniacorũ, impiæ fuerit ac damnabilis ſuperſtitionis. Quæ ex cõſtitutione ſunt corporis, rectè à medicis obſeruantur: quę uerò theopneuſta ſunt, meritò afficiunt homines cordatos ac pios, & horum interpretatio non humanæ eſt induſtriæ, ſed ſingularis gratiæ, per ſpiritum Dei conceſſæ. Hæc obiter de ſomnijs annotare uoluimus, ne locum hunc prorſus contemnere uideamur. Sed redeamus ad textum.

Argumentum diuinæ bonitatis.

Ecce ſeptem anni ueniunt, inquit, ſaturitatis magnæ in omni terra Aegypti, & exurgent ſeptem anni famis poſt illos, &c. Poterat hoc flagellum ſeptennis famis ſic immitti Aegyptijs, ut ſeptem annorum B abundantiam præcederet, non ſubſequeretur. uerùm hoc pacto prorſus fuiſſet intolerabile & cunctis exitioſum. Quare uidemus hic inſignè diuinæ bonitatis argumentum in ipſa caſtigatione expreſſum, quod tam graui fami, quæ exoritura erat in uniuerſa Aegypto, tam grandis fertilitas præmiſſa eſt, unde futuris neceſsitatibus aliquouſque conſuli poſſet. Septem erant anni famis futuri. Totidem diuina clementia fertiles & uberes ualde præmiſit, ut ſingulis ſinguli aliquid ſubſidij in futurum ſubminiſtrarent. Sic ſolet diuina prouidentia priuſquã caſtiget delinquentes, mitigationẽ procurare caſtigationis, ne ſi inferatur granior, & nihil adhibeat releuationis quod inſtituitur ad emendationẽ cedat in exitiũ.

Præterita proſperitas obliuioni traditur.

Et obliuioni dabitur, inquit, omnis illa ſaturitas in terra Aegypti, conſumetq; fames ipſam terrã (id eſt, incolas terræ, homines & beſtias) nec cognoſcet ſaturitas in terra à facie famis, &c. Duobus modis, hoc eſt, poſtea adimpletum. Primum obliuione præcedentis abundantiæ & ſaturitatis, quæ communiter obtinet in animis mortalium, ubi rerum penuria inualeſcit. In iſta obliuione replentur omnia querimonijs hominũ ingratorũ, quorũ nemo eſt qui cum Iob dicat: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala quare non ſuſtineremus? Sic ſolent carnales præſentibus duntaxat eſſe intenti, ut nec præteritorum recordentur, nec futura proſpiciant. Deinde adimpletũ etiam eſt in corporibus hominum & beſtiarũ, in quibus priſtina habitudo ac plenitudo, ſic eſt famis ariditate extenuata ac deformata, ut nullę illius ſuperfuerint reliquiæ. Quid eſt igitur uenuſtas illa & gratia carnis noſtræ, quæ breui temporis fame ſic aufertur, ut qui antea propter carnis florem habebantur in delicijs, paulopoſt ne cognoſcantur quidem, quàm quaſi flos agri qui hodie uiret, cras ariditate perit, ſicuti eſt in Eſaia cap. 40.

Repetitio ſomnij.

Quod uerò ſomnium hoc repetitum eſt, inquit, &c. Prudenter Ioſeph particulam hanc nõ neglexit, Alioqui uideri poterat fruſtraneam fuiſſe hanc eiuſdem ſomnij ingeminationem. Duo innuebant. Primũ firmitudo propoſiti Dei, deinde adimpletionis illius acceleratio. Quę ſignificabantur hoc ſomnio, & certò erant & citò futura. Et hac in re diuina bonitas declarabatur, quod nõn ſolũ quæ futura erant, prænunciabantur, ſed & eiuſdem ſomnij ingeminatione ſic urgebatur Pharao, ut perſuaderetur, eſſe ea & certò & uelociter euentura. Sic urgent amici eos quos ab imminentibus malis eripere cupiunt. Omnibus modis inculcant, certiſsimè ea ac feſtinanter ingruere. Etenim donec uel non credimus uenturum exitium, uel exiſtimamus uenturum eſſe tardius & pede lento, quid reſtat aliud, quàm ut ex improuiſo nimium ſecuri corripiamur & perdamur?

Et nunc prouideat ſibi Pharao uirum aliquem intelligentem ac ſapientem, & conſtituat eum ſuper terram Aegypti. Faciat hoc Pharao, & conſtituat præfectos ſuper terram, & accipiat quintam partem terræ Aegypti, per ſeptem annos ſaturitatis. Et colligant omnem eſcam annorũ bonorũ qui uenturi ſunt, accumulentq; frumentum ſub manum Pharaonis, eſcam in ciuitatibus & cuſtodiant, ut ſit eſca in depoſitum terræ pro ſeptem annis famis, qui futuri ſunt in terra Aegypti, & non excidatur terra fame.] Pertinent iſta ad conſilium, quod interpretationi ſomnij admodum eſt neceſſariò ſubiectum. Vides in Ioſepho eundem eſſe ſapientiæ & conſilij ſpiritum. Sapientiæ fuit, quod ſomnium regis intellexit & expoſuit: conſilij uerò, quòd quid faciendum eſſet

Idem in Ioſepho ſpiritus erat ſapientiæ & conſilij.

esset, præmonuit. Hæc duo necessariò coniunguntur. Nequit enim esse consilium, ubi non est sapientia: rursus nullius usus est sapientia, nisi sciat proferre consilium. Quare hæc duo pulchrè in Iosepho coniuncta fuerunt. Et de Christo uaticinatur Esaias cap. undecimo, fore super eum spiritum Domini, spiritū sapientiæ & consilij. Et Moses haud præter rationem præcepit populo, ut prospicerent sibi de uiris sapientibus ac prudentibus, quibus cura gubernationis ex parte concrederetur, Deut. primo. Et hic Ioseph sapienter admonuit regem, dicens: Et nunc prouideat sibi Pharao uirum aliquem intelligentem ac sapientem, & constituat eum super terram Aegypti. Sic itaq; declarat Ioseph, quorsum Deus Pharaonis somnium hoc immiserit, ad hoc uidelicet, ut futuræ necessitati, quoad eius posset in tempore consuleret. Et hoc demum est officium regum ac principum, qui patres sunt populi subiecti, ut nō modò exigant ipsis debita, quod tyranni quoq; facere possunt: sed & necessitatibus subditorum prudenter & fideliter prospiciant. Et hoc placere Deo, cuius sunt ministri, uel ex eo patet, quòd consilium hoc per spiritum Dei ex ore Iosephi tanquam secretorum ipsius interpretis Pharaoni Aegyptiorum regi datur.

Officium regum & principum.

Consilij huius dispositio trimembris.

Per quos.

Est autem consilij huius dispositio trimembris. Monet enim principiò per quos, deinde quid, tertiò ad quid sit faciendum? Et *nunc* (inquit) *prouideat sibi Pharao uirum aliquem intelligentem ac sapientem, et constituat eum super terram Aegypti, &c.*] Quod primo loco monet, quorum opera quod faciendū est, fieri debeat, documentum est plurimum referre per quos quod gerendum est geratur. Etiamsi de ratione rerum gerendarum constet, nisi dentur uiri sapientes ac fideles, qui quod faciendum est ritè faciant, nulla erit sapientiæ ac rationis efficacia. Hinc est, quòd propè omnes leges nostra ætate languescunt, uitio uidelicet eorum qui exequutioni legum præficiuntur. Doctrina Christi omnibus est expetita, sapientiam habens & rationem salutis ac uitæ sempiternæ. uerùm ubi cœpit in Ecclesia nulla iusta haberi ministrorum electio, simul cœpit labefactari omnis purè docendi ratio. Hac labefactata, nihil potuit consequi aliud, quàm & credendi & uiuendi peruersio. Obserua aūt, quàm pulchrè coniungat uerba prouidendi & constituendi. Non dicit simpliciter, Cōstituat Pharao uirum aliquem sapientem: sed præmittit, Et nunc prouideat sibi Pharao. Nec hoc tantum dicit, sed addit, Et constituat eum super terram Aegypti. Etenim non passim occurrūt uiri sapiētes, sed circūspectionis diligentia & studio undiq; sunt exquirendi. Nec satis est inuenisse uirū sapientē, nisi detur illi potestas pro sapiētia sua quæ agenda sunt agendi. Sed dicet quispiā: Quid opus erat Pharaoni prouidere sibi uirū aliquem sapientem & intelligentem, quem super terram Aegypti constitueret? An non ipse sapiens erat & intelligens? An nō toti dominabatur Aegypto? Respondendum est: Quàm nou fuerit insipiens, ex hac Iosephi historia patet. Deinde erat quidem rex & dominus supēr uniuersam terrā Aegypti. Verùm utut sapiens sit rex & omnium potestate præditus, haud tamen unus potest omnibus regni negocijs obeūdis sufficere, sed opus habet ministris, quibus tanquam cooperarijs utatur. Sic accidit & Pharaoni. Causa hæc, quā proponebat Ioseph, peculiarem dispensatorem requirebat, nec poterat à rege simul cum alijs regni negocijs administrari. Quare prudenter consulebatur à Iosepho, ut prouideret sibi rex uirum aliquem sapientem, quem super terram Aegypti, intellige in hac causa, constitueret.

Prouidere & cōstituere.

Quid opus fuerit Pharaoni huiusmodi consilio

Deinde, quoniam ne hic quidem unus omnia perficere poterat, propter amplitudinem terræ Aegypti adiecit: Faciat & hoc Pharao, & constituat præfectos super terram. Intelligit de ministris qui uiro sapienti, cui uni omnem hanc causam committendam esse sentiebat, ad ipsius imperium subseruirēt. Et hos uocat Pekidim, id est, mandata superioris obeuntes, *befelchsleūt, amptleūt*.

Vsus præfectorum.

Vide aūt quàm diligenter caueat, ne quid ad detrimentum maiestatis regiæ consulat. Non dicit, Et ille constituat præfectos super terram: sed, Faciet & hoc Pharao, & cōstituat præfectos super terrā. Constitutionem omniū saluam relinquit rēgi, ministeria uerò censet imponenda pluribus, ut sit in regno caput unum constituens omnia: membra uerò diuisa ac multa, capiti suo subseruientia. Non habet hic locum disputatio utra sit præferenda, polyarchia uel monarchia: sed accommodat se Ioseph statui regni sub quo agebat, idem facturus si sub polyarchia, uel oligarchia, aut democratia uixisset.

Rationem habet Ioseph maiestatis regiæ.

Hactenus per quos: iam secundo loco docet quid sit faciendum. Et accipiat, inquit, quintam partem terræ Aegypti) id est, de fructibus terræ Aegypti, per septem annos saturitatis, & colligant omnem escam (id est, de omnis generis esca) annorum bonorum qui uenturi sunt, accumulentq; frumentum sub manum Pharaonis, escam in ciuitatibus & custodiant. Ordo est: Præfecti à Pharaone constituti colligant & custodiant. Hoc sit eorum officium. Sint collectores & custodes, non collectores ac deuoratores. Colligant non sibi, sed alijs, & custodiant, donec tempus sit dispensationis. Colligant, inquit, & custodiant. Quid? Frumentum, & omnis generis escam, quæ seruari in futurum possit.

Quid sit faciendum.

Vnde? De abundantia septem bonorum annorum. Quantum? Quintam partem, inquit. Annis mediocribus fuisset hoc modicum respectu futuræ famis. uerùm in tanta abūdantia quæ septem bonis annis in omni terra Aegypti prouenit, non fuit modica portio, quam in futuros usus reseruandā esse decet. Sub cuius potestate? Sub manū, inquit Pharaonis, id est, superioris potestatis. Arbitrantur nonnulli Pharaonem pecuniam dedisse pro frumento, quod per septem bonos annos ultrà consuetū à subditis auferebatur. Non est hoc incredibile, præsertim ex eo quod Ioseph omnem hanc causam administrauit, cuius consilio haud facile uis est illata subditis. Illud, Escam in ciuitatibus & custodiant, sic in Hebræo, ut uerti, habetur. Nonnulli coniunctionem Et, præponunt, & sic legunt, Et escam in urbibus cūstodiant. Sic uerterunt & Septuaginta. uerùm non hoc tantum dicit Ioseph, escam esse in urbibus custodiendā, sed monet, frumentū undiq; ex agris colligendū esse in urbes, ibiq; custodiendū. Loquitur enim

Pharaonem pecuniam dedisse pro frumento.

A tur enim non de escis urbicis, sed de omnis generis frumento ex agro in ciuitates custodiendi gratia colligendo. Quare uerbum accumulandi reperendum est, ac legendum: Accumulentq; frumentum sub manum Pharaonis, cibum accumulent in ciuitates, & custodiant. Sic consulit itaq; Ioseph, constituendos esse præfectos qui in omni terra Aegypti ex frumento septem abundantium annorum, quintã partem sub manum Pharaonis in ciuitates colligant, ibiq; custodiant.

Nunc tertio loco addit, ad quid sit hoc faciendum. Vt sit, inquit, cibus in depositum terræ, id est, incolarum terræ Aegypti, pro septem annis famis qui futuri sunt in terra Aegypti, & non excidatur terra, id est, populus terræ, fame. Non dicit, Vt habeat Pharao cum suis quod comedat: uel, Vt ciuitatibus consulatur: sed, Vt sit cibus in depositum terræ, &, ne terra excidatur fame. Rationem habendam esse docet non primorum tantum regni, sed simul etiam uniuersi populi. Et ideo colligendum undiq; frumentum uocat depositum terræ, non depositum Pharaonis uel ciuitatum, uel præfectorum. *Ad quid.*

Status huius consilij est, ex abundantia rerum præcedentium reponendum esse aliquid in futuras necessitates. Et hoc est opus prudentiæ, quæ tempore prospero prægocitat de tempore tristi, & de copia præsenti reseruat quod potest, unde futuræ succurrat egestati. Hanc prudentiam non esse culpabilem, satis admonemur præsenti exemplo, immo uidemus eam esse utilem, & necessariam. Quod hic consulit Ioseph consulit ex spiritu sancto, & consulit ad necessariam mortalium sustentationem, quos Deus in Aegypto & uicinis regionibus fame quidem castigare, uerùm non exterminare uolebat. Et hanc prudentiam indidit Deus animis nostris, ut illa quotannis utamur. Etenim quid aliud est æstas, quàm quasi quidam anni fertilitatis? Et hyems quid est aliud quàm tempus sterilitatis in quo nec seritur, nec metitur quicquam? Et dum æstate non absumimus uniuersam abundantiam frumenti, fructuum, & uini, sed partem ex illa in usus hyemis reponimus, quid facimus aliud, quàm quod hic Ioseph consulit? Annon ueluti quintam partem de abundantia septem bonorum annorum in usus septem sterilium recondimus? In hoc uno differimus, quòd hoc priuatim pro sua quisq; necessitate faciunt qui possunt: hoc uerò quod suasit Ioseph pro communi omnium usu instituebatur, qua in re non modò prudentiæ, sed & curæ publicæ exemplum uidemus, quod imitari debent qui regnis, principatibus, ac rebuspublicis præsunt. Et hanc publici curam iuuare debet subditorum omnium consensus. uerùm quoniam tam magistratus quàm populus priuatis commodis studet, fit ut cura publicæ necessitatis languescat, fimusq; ignauiores formicis, quæ quamuis nec regem, nec principem, nec præfectos habeant, æstate tamen colligunt, & in communem aceruum quasi publicum horreum quod hyeme comedant, & quo se aduersum frigoris inclementiam tueantur, studiosissimè & coniunctissimè reponunt. Prou. 6. *Status huius consilij.* *Prudentiã hanc indidit Deus mentibus nostris* *Formicæ.*

B Vtamur hac prudentia etiam ad alias nostras necessitates procurandas in tempore. Abundamus opibus in hac uita, illisq; ad delicias magis quàm ad naturæ sustentationem sic abutimur, ut maximam illarum partem inutiliter, immo turpiter perdamus. Interea non cogitamus de futuro seculo, unde illic accepturi simus quibus opus erit. Monet itaq; seruator præsenti exemplo conformiter, ut faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defecerimus, recipiant nos illi in æterna tabernacula, Lucæ 16. Sed uideamus obiter singula.

Et *accipiat quintam partem* (inquit) *terræ Aegypti*] Obserua hic quod non dicit, Et accipiat quod singulis annis ex abundanti post usus necessarios supererit: sed consulit, ut priusquam absumantur quæ prouenerunt, quinta pars statim post messem uelut è faucibus ingluuiei cripiatur. Alioqui parum colligi potuisset, si duntaxat ex reliquijs ac superfluis colligendum fuisset. Magnum, inquit, ille, est os anni, gulæ est immensum, uorans omnia. Quare præripiendum est, si quid ad futuros usus reponere uolueris. Nec timendum est, ne quid incommodetur necessitati naturæ, si quid de summa in futurum subtraxeris. Natura quippe modico dimittitur, gula absumit omnia, & tamen instar cuiusdam incendij, unquam dicit, Sufficit. *Præripiendum esse, si quid est ad futuros usus reponendum.*

Deinde obseruandum etiam est, quam prudenter consuluerit, ut certa summa cõstitueretur, nec liberum esset uel præfectis accipere, uel subditis dare pro arbitrio. Etenim illi uix abstinuissent à nimio: isti ægerrimè tantum dedissent, quantum illi uoluissent. *Quod certã summam constituit.*

Et illud prudentiæ erat, quòd non diuersam summam exigendam esse iudicauit, sicut ditiores detem tenuiores, quinq; modios dare cogerentur, sed eandem omnibus summam præscripsit, eamq; talem, quæ secundum quantitatem prouentum censeretur, & tamen minus à tenuioribus, & amplius ab opulentioribus auferret, nec cuiquam conquerendi causas obijceret. Adde & illud, quod nec dimidium, nec tertiam, nec quartam, sed quintam partem proposuit. Etenim si plus fuisset exactum, ægrè obtinere potuisset: si minus, proposito non satisfeciisset. Et præterea consilium Dei non erat, sic prouidere futuris eius populi necessitatibus, ut septem anni famis sensum diuinæ castigationis amitterent, & res ipsa somnio præmisso non responderet. *Quod omnibus eandem summã præscripsit.*

Et *accumulent* (inquit) *frumentum sub manum Pharaonis, escam in ciuitates, & custodiant.*] Non dicit, Seponat quisq; quintam partem domi suæ: sed consulit, ut colligatur frumentum sub potestatem Pharaonis, sine qua consilium hoc fuisset inefficax. Etenim pauciss imi credidissent uerbis Ioseph, ideoq; nec reposuissent quicquam in annos futuros. Et si qui reposuissent, non publico, sed in suos priuatos usus reposuissent. Quare necessarium erat, ut accumulatio ista fieret ex authoritate & potestate regis. *Necessaria potestas superior.*

Cogitandum hic est, quàm sit potestas magistratuum necessaria publicis necessitatibus. Vsq; adeò priuatis curis singuli detinemur, ut inter mille uiros uix reperias unum qui publica curet, sine quibus

tamen conuictus nosser consistere nequit, qui sine magistratu perinde esset, atq; corpus sine capite.

Vsus ciuitatum. Escam in ciuitates. Obserua usum ciuitatum. Vt sit, inquit, esca in depositum terræ. Ciuitas est qua si penu quoddam totius circumiacentis regionis. Colligatur in ciuitates quod aliquando ad usus necessarios accommodari possit: uerùm sic colligatur & custodiatur, ut sit depositum terræ. Sicuti matres

Decimæ. colligunt filiabus suis, sic metropolis colligat in usus plebis circumcirca cõmorantis. Arbitror aũt decimarum usum hoc olim fine fuisse institutum, ut futuris populi necessitatibus aliquousq; prouideret. Ecclesia collegit deposita pietatis, sicut ex Tertulliano uidere est, non ut luxui sacerdotali deseruirent,

Annatæ. sed ut ex illis egenis succurreretur. Et annatæ depositæ sunt Ecclesiæ à maioribus nostris fidei Romanorum Pontificum imprudentissimè concreditæ. Etenim quis hodie usus est annatũ alius quàm ut fomentum sint luxus ac fastus Pontificum? Rom. 9.

Moderatio diuinæ castigationis Et non excidatur terra, id est, populus terræ, fame, inquit. Vide moderationem diuinæ castigationis. Non dicit, Vt non afflictetur terra fame: sed, Vt non excidatur. Castigat Dominus ut emendet, non ut perdat. Moderationem hanc imitentur magistratus, & præterea quicunq; domesticæ disciplinæ rectam seruare rationem cupiunt. Moderatio conseruat, extrema perdunt.

Et placuit sermo in oculis Pharaonis & in oculis omniũ seruorum eius. Et dixit Pharao ad seruos suos: An inuenietur qualis hic uir est, in quo est spiritus Dei? Et dixit Pharao ad Ioseph: Posteaquam notam fecit tibi Deus cunctam rem istã, non est intelligens ac sapiens similis tibi. Tu eris super domũ meam, & ad os tuũ cibabitur omnis populus meus, tantam hoc solio maior te ero. Et dixit Pharao ad Ioseph: Vide, pono te super omnem terram Aegypti. Et abstulit Pharao anulum suum de manu sua, & posuit eum in manu Ioseph, induitq; eum uestimentis lineis, ac posuit torquem auream in collo eius. Et fecit eum uehi in curru secundo quem habebat, ac clamauerunt ante ipsum, Abrech, constituitq; eum super uniuersam terram Aegypti. Et ait Pharao ad Ioseph: Ego sum Pharao, & absq; te non leuabit quisquam manum suam & pedem suum, in omni terra Aegypti. Et uocauit Pharao nomen Ioseph suum Zaphnath Paneah, deditq; ei Asnath filiam Potiphera sacerdotis On in uxorem.

Tertia pars præsentis capitis. Habent ista tertiam partem præsentis capitis, sublimationem uidelicet Ioseph. Hactenus expositæ Moses per quam occasionem, iam quomodo sit exaltatus à Pharaone. Recenset autem omnia ex ordine, & lectori diuinæ prouidentiæ dispositionem admirandam & exosculandam pulcherrimè ob oculos exponit, dum monstrat per quos gradus ad quàm amplos & sublimes honores ascenderit Ioseph, & quo cursu ad effectum peruenerint quæ illi adhuc in terra Canaan in domo paterna, & inter fratres uersanti in somno fuerant adumbrata, ad quem ueluti scopum continuò est lectoris animus dirigendus. Ordo præsentis contexrus hic est. Exponitur primò, quomodo acceptum à Pharaone fuerit Ioseph consiliũ: deinde, quomodo ille deliberarit cũ ministris suis: tertiò, quare, quomodo, & quousq; exaltarit Iosephũ. Et placuit, inquit, sermo in oculis Pharaonis & in oculis omnium seruorum eius. Per sermonem intellige rem ipsam, ipsum consilium Ioseph. Placuit hoc regi.

Ordo contextus

הדבר

בעיני Obserua primũ, quòd in Ebræo est, וייטב, id est, Et bonum fuit: pro, Et placuit. Consilium Ioseph uisum est regi bonum & utile. Verbum, placet, uarios habet respectus. Alia placent, quia pulchra, alia quia iucunda, alia quia rara & singulariter eximia, alia quia honesta, alia quia bona & utilia uidentur. Pharao probauit consiliũ Ioseph, quoniã intelligebat & utile & necessariũ fore regno ac populo suo. Vtinam hoc animo præditi sint hodie reges & principes, ut intelligant & probent quæ bona sint & utilia populis potestati ipsorũ subditis. Deinde & hoc obserua. Et placuit, inquit, sermo in oculis Pharaonis. Siue de consilio tantũ siue simul de interpretatione somnij & consilio subiecto intelligas, in eo

Credidit Pharao Ioseph uerbis. ꝗd sermo Ioseph placuisse Pharaoni scribitur, simul innuitur, credidisse illũ interpretationi per Iosephum factæ. Credidit hoc sibi somniũ à Deo fuisse immissum, & per illud significatũ esse quid futurum esset in regno suo. Credidit interpretationẽ Ioseph esse ueram, credidit sic uenturam septem annorũ fertilitatem, & post hanc totidẽ sterilitatẽ, sicuti exposuerat Ioseph. Nisi ista credidisset, nec interpretationem nec consilium illius probasset. Sic igit̃ cõparata est rerũ agendarũ series, ut cum primis credamus, deinde fides pariat in nobis uoluntatẽ uel acceptãdi quæ uera, uel respuẽdi quæ falsa esse crediderimus.

Series rerum agendarum.

Audiuit Pharao Ioseph um corã aulicis suis. Et in oculis, inquit, omniũ seruorum eius. Apparet Pharaonem noluisse Iosephum seorsim ac secrete, sed coram omnibus aulicis suis audire. Nec est hoc citra diuinam dispositionẽ factũ. Quoniam futurum erat, ut Ioseph omnib. non modo populis Aegypti, sed & principibus ac ministris Pharaonis præponeretur, sic causam hanc disposuit Deus, ut omnes ministri aulæ regiæ coràm audirent eximiam illã Ioseph sapientiam, qualis in omni Aegypto inueniri non potuit, propter quam erat sublimandus, ut causa sublimationis huius perspecta æquiore animo sese imperio illius subijcerent.

Consultat Pharao cum aulicis suis. Et dixit Pharao ad seruos suos: An inuenietur qualis hic uir est, in quo est spiritus Dei? Potes legere, in quo sit spiritus Dei. Cum auditus esset Ioseph, iussus est (meo iudicio) egredi, ut in illius absentia sententiæ regis ac principum audirentur, atq; ita de causa hac deliberaretur & consultaretur. In ista deliberatione quærebatur, unde uirum acciperent quem causæ isti præficerent. Hic sententia regis erat, non inueniri quenquã, qui aptior & instructior esse posset ad hanc causam obeundã, quã ipse Ioseph, qui cõ filiũ hoc dedisset. Et ratio sentẽtiq; huius in ipsis uerbis regis includit̃. Neq; eñ simpliciter dicit: An inuenie quisquã accõmodatior huic causę? sed, An inuenietur sicut hic, uir in quo sit spiritus Dei? Erat ergo ratio regis, quod nõ posset inueniri quisquã in tota Aegypto, qui sic esset spiritu Dei præditus sicut Ioseph. Quare? Quia nõ poterat inueniri quisquã ex omnib. magis & sapientibus regni, qui somniũ regis interpretaret. Hinc colligebat, nõ esse in Aegypto uirũ Iosepho sapientiorẽ, & præsenti causę magis appositum,

positum, ideoq; non esse quærendum alium. Sententiam autem suam rex non simpliciter, sed cum ad mirationis emphasi protulit dicens, An inuenietur quisquã, &c. q. d. Omnium minimè. Sic obstupuerat, audita Ioseph interpretatione, & consilio adiecto. Quid ad ista dixerint ministri regis, non memoratur à Mose. Sententiam regis duntaxat cõmemorat, significans illi consensisse ministros, præsertim cum memorarit sermonem Ioseph non regi tantum, sed & ministris illius placuisse.

Obseruandum hic est, quod Pharao cum ministris suis consultauit, cum posset suopte arbitratu causam hanc disponere. Habent quod imitentur principes ac reges. OBSER.

Deinde, quàm prudenter ac uigilanter animaduerterit sapientiam Ioseph unde somnium interpretatus fuerat, & tam sapienter quid faciendum esset consuluerat, non esse ex humana intelligentia & ratione, sed ex spiritu Dei. Colligebat hoc cùm ex qualitate ipsius causæ, tum ex eo quod nec magi nec sapientes somnium propositum interpretari potuerant. Dona Dei sunt aut naturalia aut insolita, & uires humanas superantia. Naturalia uoco, quæ ex uiribus sunt humanæ uel intelligentiæ uel potentiæ. Insolita & uires nostras excedentia sunt quę singulari afflatu & actu spiritus S. perficiuntur. Huc referebat Pharao quod Ioseph secreta consilia Dei & res futuras intelligere ac præuidere potuit: nõ potuerunt uerò magi ac sapientes uniuersi. Eos autem, qui huiusmodi sunt donis prædi ti, spiritum Dei habere censemus. Intellexit hoc Pharao multo syncerior ac probior, quàm fuerunt in Israele sacerdotes, scribæ & pharisæi ac seniores, qui spiritum Dei in Christo agnoscere noluerunt, quamuis quotidie miranda illius dicta & facta audirent ac cernerent, imò præ malicia cordium suorum tribuebant illa satanæ. Non intelligebat Pharao mysterium S. Triadis in Deo, quõ spiritus sanctus tertia illius esset persona eiusdẽ naturæ, diuinitatis, & potentiæ, & per illum dona Dei distribuanti, sed simpliciter animaduertit sapientiam esse in Ioseph o humana maiorem. Et quoniã intelligebat eam esse utilem, iudicauit esse à Deo, non à satana: atque ita dixit spiritũ Dei esse in Ioseph o perinde ac si dicas spiritum hominis fuisse in asino Bileam cum humano more loqueretur. *Vnde collegerit Pharao spiritũ Dei esse in Ioseph o.* *Dona Dei.*

Et dixit Pharao ad Ioseph (intellige post deliberationem & consultationem) Posteaquã notam fecit tibi Deus, cunctam rem istam (in Hebræo est, את כל זאת, id est, totum hoc, loquitur aũt de interpretatione somnij & consilio quod dederat Ioseph) non est intelligens ac sapiens similis tibi. Pertinent ista ad causam eorum quæ tum facturus erat Pharao. Reddit primùm rationem instituti sui, quare existimet ipsum super omnia exaltandum. q. d. Consulis ut prospiciam mihi de uiro aliquo intelligente ac sapiente, quem constituam super terram Aegypti. Probo consilium tuum. unde autem dabitur nobis uir talis, qui tam eximia, intelligentia & sapientia polleat, qualem te esse deprehendimus, cui Deus causam hanc omnem secretam prorsus & adhuc futuram patefacere dignatus sit? EXPLAN.

Et addit: Tu eris super domum meam et ad os tuum cibabitur omnis populus meus, hoc est, quoniam sapientiorem te inuenire non possumus, te constituam super meos omnes, non modò super populum meum, sed et super ipsam domum meam. Sept. malè uerterunt: Tu eris in domo mea. Illud, Ad os tuum idem est atq; ad imperium tuum, quemadmodum tu iusseris. Cibabitur omnis populus meus, inquit. In Hebræo est uerbum ישק, quod uariè uertitur: Paraphrastes Chald. habet, Ad uerbum tuũ ימרון, id est, cibabitur omnis populus meus. Sic etiam exponit R. Shlomoh, quamuis Pagninus & Paraphrasten & Shlomonem aliter intelligat. Alij uertunt, armabitur, quasi Iosephum hic Pharao militiæ principem constituat. Sept. & uulgata latina habent, obediet, propterea quod uerbum נשק, osculari significat, & adoscultatio gestum submissionis apud Orientales habet. unde est illud psal. 2. Osculamini filium. Mihi placuit uertere, Cibabitur, respectu causæ de qua tum agebatur. Additur: Tantum hoc solio maior tè ero. Sedebat cum hęc loqueretur in solio regio, ideo deicticos dicit, Tantũ hoc solio. Soliũ sedes regia est, et regni symbolũ habet. Vsq; adeò, inqt, te uniuersis præficio, ut nihil differas à me, nisi uno hoc discrimine, q̃d ego sum Pharao & rex Aegypti. Hanc mihi maiestatẽ regiã seruo, qua te excellam, cætera omnia potestati tuæ subijcio. Sic declarat, quousq; Ioseph ũ Pharao extulerit. Obserua hic q̃d dicit: Postq̃ notã fecit tibi deus rem istã oẽm. Videmus hic, quo sensu spiritũ Dei dixerit esse in Ioseph o. Intelligentiã à Deo acceptã uocat spiritũ Dei, propterea q̃ per spiritũ Dei secreta et futura reuelanti, quę aliàs nemo mortaliũ ullo intelligentię quantũuis magno acumine cõsequi potest. Sic Paulus 1. Cor. 2. dicit: Nobis aũt reuelauit Deus per spiritũ suũ. Spũs. n. oẽnia scrutat, etiã profunda Dei. Quis eñ scit hominũ quę sunt hominis, nisi spũs hominis qui in ipso est? ita quę dei sunt, nemo cognouit, nisi spũs Dei. *Ad os tuũ* ישק. OBSER.

Nõ *est intelligens, inquit, ac sapiẽs similis tibi.*] uide hic, quõ sapientia à Deo collata oẽm mundi huius intelligentiã ac sapientiã excellat. Aegyptus celeberrima fuit propter singularẽ sapientiã Magorũ & sapientũ, quã ob rem aliquot excellẽres philosophi Aegyptũ inuisere uoluerũt. Hic uerò uides oẽm illam Aegyptiacæ sapientiæ gloriã etiã regio testimonio per iuuenẽ Hebræũ, primũ in domo paterna pastorem ouiũ, deinde in Aegypto seruũ emptitiũ, confusam fuisse et oscuratã. Quare præter rationẽ non est, quod Iacobus dicit, cap. 1. Si quis uestrum indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnib. affluenter. *Qualiscunq; sapiẽtia diuina cuiam humanam superat.*

Tu eris, inquit, super domũ meã, &c. Obserua hic rarũ cordati regis exemplũ. Sciebat Ioseph ũ esse Hebræum, adeoq; Aegyptijs abominabilẽ, sciebat eum esse seruũ, idq; non manu captũ, sed emptitium [nam ista acceperat antea ex pincerna sũo] deniq; uidebat eum esse adhuc iuuenem, & tamen haudquaquam dubitat eum non modò super populum, sed & super domum suam constituere, & omnibus in uniuersum totius regni sui Principibus, senibus, & sapientibus præficere, propterea quòd reipsa compertum haberet esse eum cunctis sapientiorem & spiritu Dei eximie præditum. Tale est etiam quod *Cordati regis exemplum.*

Nebucadnezar Dan. 2. feciſſe legitur. Inſignis dementia eorum eſt qui in diſponendis rerum gubernaculis unicè curãt, ne quẽ peregrinũ hominẽ rebus gerendis præficiãt, & genti ſuæ eam tribuũt prærogatiuam, quã ſi quis in conſtituẽdo nauclero uſurparet, & nauim & nauigãtes in ſummũ exitiũ conijceret.

Princeps populo ſuo benevolẽs

Et ad os tuum, inquit, cibabitur omnis populus meus.] Vide exemplum boni principis, cuius eſt rationem habere populi ſui, unde tempore ſterilitatis cibetur. Deinde obſerua loquutionem. Ad os tuum, inquit, pro eo quod eſt, ad uoluntatem tuam. Sermo expreſsio eſt uoluntatis, os miniſtrum & organũ ſermonis. Sic tribuit Ioſepho liberam imperandi pro uoluntate ſua poteſtatẽ, & omnia ori illius ſubiecit, ut ſit ipſe Phicol, id eſt, os omnium in omni terra Aegypti. Non permittit ulli in regio ſuo id libertatis, ut os Ioſephi in ius uocet, & imperatis ab ipſo contradicat. Sic prophetæ, quando omnimodam obedientiam ab Iſraele requirunt, dicere ſolent: Os Domini loquutum eſt, ſignificantes tantam eſſe oris Dominici authoritatem, ut nemini mortalium illius uerba in quæſtionem uocare liceat. Hodie ſumma libertas eſt de ore Domini controuerti.

Tantum hoc ſolio, inquit, maior te ero.] Quare non ipſum etiam ſolium regiæ maieſtatis Ioſepho aſſignauit, ſic ut uel ipſe cederet, uel illum ſibiparem & συμβασιλέυοντα aſſumeret, quandoquidem ſapientiorem illo inueniri non poſſe agnouit? Dura carni utraq; eſt tam abdicatio quàm cõmunicatio regni. Vix pater filio, fratri frater, puto nunq; poſita regia maieſtate cedere ſuſtinet. Aequale conſortium regnandi etſi nonnunq; inter fraterno ſanguine iunctos inueniẽ, fidem tamen & conſtantẽ concordiã rariſsimè ſortiẽ. Vnde illud eſt, *Nulla fides regni ſocijs, omnisq; poteſtas Impatiens conſortis erit: nec gentibus ullis Credute, nec longè fãctorũ exempla petantur. Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.* Quare quærendum nõ eſt quur neutrum fecerit Pharao, homo ethnicus, & à ueri cognitione Dei alienus, cum ne inter Chriſtianos quidem principes ac reges facilè inueniant, qui alterutrũ ſint facturi. Quod cauſam hanc præſentem attinet, non quærebatur ſapiens aliquis, qui regni gubernacula ſubiret (neq; eẽ diffiderabatur rex) ſed qui ſeptem annis fertilibus alimoniam ad ſubſequentem totidem annorũ famem in toto regno colligeret, conſeruaret, & poſtea pro neceſsitate diſpenſaret. Quod ſapientiam Ioſephi concernit, abundè illa ſatis illuſtrabatur, quòd propter eam iuuenis Hebræus & ſeruus emptitius omnibus regni primoribus & populis, ipſi etiam domui regiæ præficiebatur, nec regi quicq; niſi regij nominis ac ſolij eminẽtia relinquebatur, ut ipſe unus maior eſſet eo quem cunctis reliquis præeſſe uolebat: id quod ſanè omnium erat æquiſsimum. Et hæc Ioſephi ſublimatio etſi non erat regia, ſed regiæ proxima, ſufficiebat tamen ad hoc, ut cõſilium Dei, quo Iſrael cum ſuis omnibus in Aegyptum tranſferendus erat, & ſomnia Ioſephi à fratribus exploſa propediem adimplerentur.

Imago Chriſti.

Ioſeph igitur hactenus imaginem Chriſti geſsit, quod oñem poteſtatẽ à Pharaone ſic accepit, ut ad os eius cibaretur omnis populus, eſſentq; ipſi ſubiecta omnia cùm in domo regia, tum in uniuerſa Aegypto, uno dempto eo qui ipſi ſubijciebat omnia. Ad hunc modum de Chriſto ſcribit Apoſtolus 1. Cor. 15. cum dicit: Omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum qui ſubiecit ei omnia. Totus orbis illi ſubiectus eſt, & in domo Dei quoque quæ eſt Eccleſia, poteſtatem accepit, & per ipſum cibantur ac ſuſtentantur ad uitam omnes. Ipſe nanque eſt & paſtor omnium, & panis uitæ, qui de cœlo deſcendit, ut det uitam mundo.

EXPLAN. *Et dixit Pharao ad Ioſephum: Vide pono te ſuper omnem terram Aegypti.*] Incipit Pharao inaugurare Ioſephum in eum principatum quem illi conferebat ſuper omnia. Huc pertinent quæ iſto contextu commemorãtur, quibus declaratur, quomodo in tam eximiam poteſtatem exaltatus & inauguratus ſit Ioſeph. Habet autem ritus inaugurandi duas ueluti partes, quibus perficitur. Vna eſt uerbi, altera ceremoniæ adhibitæ. Vtraq; uſurpantur à Pharaone, ut ſit plena & integra inauguratio.

Duæ inaugurandi partes.

Verbum.

Verbi eſt quod dicit: Vide, pono te ſuper omnem terram Aegypti. Et paulo infrà: Ego ſum Pharao, hoc eſt, Ego ſum rex & dominus Aegypti. Erat enim id nominis regibus Aegypti regium & proprium. Quidam intelligunt hoc uice iurisiurandi à rege dictum. Q. d. Per maieſtatẽ meam regiam, uel, quàm uerè ego ſum Pharao, tam uerè ac irrefragabiliter te in hanc poteſtatem extollo. Sic habet ſcholaſtica hiſtoria. Et addit: Abſq; te non leuabit quisq; manũ ſuam & pedem ſuum in omni terra Aegypti. Pedem ac manũ leuare, eſt aliquid officij obire. Loquit aũt de officijs & negocijs regni, non de priuatis & domeſticis ſubditorũ operibus, quibus ſuæ quiſq; domui neceſſariò proſpiciebat. Hæc de uerbo inaugurationis.

Ceremonia.

Ad ceremoniã pertinent reliqua. Primùm, inueſtit cum anulo, icq; non quolibet, ſed ſuo, quem in manu tanq; regiæ poteſtatis ſymbolum geſtare ſolebat. Sic non ſimpliciter dicit Moſes, Poſuit anulum in manum Ioſeph: ſed, Et abſtulit Pharao anulum de manu ſua, & poſuit eum in manu Ioſeph. Sic dabat illi poteſtatem nomine regis obſignandi quæ uellet. Eſt aũt obſignatio gerendarũ rerũ confirmatio, & ſuperioris poteſtatis argumentum. Sic Aſſuerus Aman dabat anulũ ſuum Eſter 3. & poſtea Mardochęo. Deinde, ornat eum ueſtibus שש, quod alij uertunt, lineis, alij byſsinis. Byſſus aũt ſubtiliſsimum, candidiſsimũ ac precioſiſsimũ genus lini eſt. Ex India in Aegyptũ adfertur, in uſus ſacerdotũ, principũ ac nobiliũ. Tertiò, addit huic ornatui torquẽ aureã, quæ dari ſolebat ijs qui uiriliter quid ac fortiter egiſſent, ut eſſet præclaræ uirtutis inſigne. Hodie geſtamẽ eſt nobiliũ ac ducum militarium.

Quartò, mõſtrat eum populo, ut ſcirent quo eſſet dignitatis loco habendus ac ſuſpiciendus. Huc pertinet, quod iuſsit eum uehi curru quem poſt ſuum habebat ſecundũ, in eos uſus paratum, ut illo ueheretur, ſi quem primario uellet honore afficere. Huic imponit Ioſephum, & addit præcones, qui de honorando illo ſententiam regis inuulgent. Clamauerunt iſti Abrech. Vocem hanc uariè reddunt.

Alij

A Alij, patrem tenerum, ab אב, id est pater, & רך quod tenerum significat. Illi sic expomunt, quod Ioseph sapientia fuerit Aegyptijs loco patris, annis uerò tener, quod adhuc iuuenis esset ætate. Alij patrẽ regis. Hi sentiunt esse uocem Syriacam in qua lingua ריבא significat regem, ut אבריך sit pater rex, uel, pater regis. Sic habet Chaldæus paraphrastes.

Thargum Hierosolymitanum uersiones istas utrasque complectitur. Sic enim habet: Viuat pater regis, qui est princeps in sapientia & tener in annis.

Adhuc alij reddiderũt, Flectite genua. Senserũt esse uocẽ ab Hebræo uerbo ברך q̃d significat in curua re genua, ut aleph in principio uocis sit loco he, & אברך positũ pro חברך. Sic præcones unũquemq; mo nuerunt, ut reuerentiam Iosepho exhiberet, clamantes abrech, id est flecte genu. Sunt qui uocem ipsam seruant, quandoquidem incertum est, quo sensu reddi debeat, quos & ipse sum sequutus. Septuaginta posuerunt pro illa, præconem. Sic etiã habent: Et clamauit ante eum præco. Quousque illum in curru isto sub uoce præconis circumduxerint, non exprimitur, nisi forsan sequens particula, Et constituit eum super uniuersam terram Aegypti, innuere uidetur, factum hoc esse non modò in ciuitate regia, sed & per omnem Aegyptum, quòd ita uellet eum Pharao cuncti populo monstrare, ac monstrando præficere. Sic sensit & Iosephus, dicens, per uniuersam terram ductus uehebatur in currum.

Quintò insigniuit eum etiam nomine peculiari, quod collato in illum honori conueniret. Huc pertinet quod Moses dicit: Et uocauit Pharao nomẽ Ioseph Zaphnath Paeneah, quod Hieronymus existimat esse de lingua Aegyptiorum, & sonare Saluatorem mundi, quem sequutus est Iatinus interpres. Septuaginta uoces istas non reddiderunt, sed retinuerunt. Habent enim ψοντομφάνηχ, prorsus corruptè. Chald. habet גבראדמיטמירין גלין ליח, id est, uir cui abscondita reuelant. Sic exponit etiam Chrysost. & scholastica historia. Id cõstat uocem Zaphnath significare absconditum, à uerbo Zaphan. Paeneah uerò quid significet, non adeò certum est, quandoquidem uox ista hic tantum habetur in scripturis S. Admodum autem est ista uersio conueniens causæ, propter quam Ioseph in tota exaltabatur Aegypto, ut probabile sit uoluisse Pharaonem appellatione hac cunctis esse manifestum, cuius nam uirtutis gratia Iosephum in tam sublimes honores euexerit, propterea uidelicet quòd esset absconditorũ cognitor, ideoq; cunctam omnium sapientiam excelleret.

Sextò, cohonestauit etiam hoc pacto, ut uxorem ei daret ipse, idq; nõ quamuis, sed quæ reliquis esset filiabus honoratior, filiam uidelicet sacerdotis. Quod pater facit filio, id Pharao fecit Iosepho. De-
B dit illi uxorem, ex ordine qui erat apud Aegyptios clarissimus, sacerdotali uidelicet, & dubio procul non inferioris alicuius, sed præcipui sacerdotis filiam.

Et dedit ei, inquit, Asnath filiam Potipherę Sacerdotis On. Vocem On, ferè omnes sentiunt esse nomen ciuitatis. Ezech. 30. inter Aegypti ciuitates recensetur No. Hanc quidam putant uersis literis esse אן, id est, On, & exponunt Alexandriam.

Deinde memoratur ibidem ciuitas אוך & punctatè אוך, id est, Auen: cum sine punctis possit legi און, id est, On. Et R. D. Kimhi putat esse hanc ciuitatem On, cuius hic fit mentio. Et Hieron. uertit Heliopolin, quemadmodũ & Septuaginta, tam illic quàm hoc loco. Quicquid sit de hac ciuitate, id arbitror esse indubitatum, fuisse sacerdotem hunc cuius filiam ex Iosepho in uxorem dedit, cæteris clariorem, et ipsam Asnath eximiè uel moribus uel corpore, uel utriq; uenustam ac nobilem. Alioqui nuptiæ uulgares & obscuræ nec honori Iosephi, nec regis proposito respondissent.

De eo quoq; non idem sentitur, quis fuerit iste Potiphera. Alij existimãt fuisse herum Iosephi, cuius in præcedentibus facta est mentio. Sic sentit R. Shlomoh & Hieronymus quoq;. Nihil rationis habẽt, unde moueantur, nisi solam nominis similitudinem, quæ tamen una litera deficit. Prior illi Iosephi emptor & dominus פוטיפר, id est, Potiphar dictus fuit, hic uerò illius socer פוטיפרע, id est, Potiphera, per ain in fine. Alij iudicant fuisse hunc alium à priore, propterea quòd prior שר הטבחים, id est, princeps laniorum, iste uero כהן און, id est, sacerdos On fuisse memoratur, cum quibus & ipse sentio. Arbitror Iosephum ægerrimè fuisse ducturum in uxorem filiam mulieris perfidæ & adulteræ, cuius maliciam & nequiciam magno suo fuerat incommodo expertus. Commentum Shlomonis planè friuolum est, & indignum quod memoretur. Sed uideamus obiter, quæ sint in ista inauguratione Iosephi notanda.

Principiò illud obserandum est, quòd Pharao Iosephum non uerbis tantum, sed & signis externis inaugurauit. Verbum & externam ceremoniam coniunxit, ut esset plena & solida inauguratio. Sic solet passim fieri apud quascunque gentes. Et huic consuetudini mortalium accommodat se Deus, ut nõ uerbo tantum, sed & ceremonijs externis nobiscum tanquam cum hominibus agat. Verùm hac de re dictum est aliàs. Deinde obserua, quòd sic iunguntur uerbum & signum, ut ab eodem utrunque prodeat authore rege. Tam enim signo quàm uerbo opus est authoritate instituentis. Quare ut esset firma inauguratio Iosephi, non modò pronunciauit uerbo rex, sed & signa inaugurationis ipse partim manu sua exhibuit, partim fieri iussit. Et Moses ista diligenter exponens quicquid hic gestum est, regi tribuit. Pharao, inquit, abstulit anulum de manu sua, & posuit eum in manu Ioseph, induitq; eum uestimentis lineis, & posuit torquem auream in collo eius, & fecit eum uehi in curru suo secundo. Item: Et uocauit nomen eius Zaphnath Paeneah. Monemur hac consideratione, quàm sit inferenda eorum temeritas, qui in administratione sacramentorum ceremonias commenti sunt, de quibus dici non potest, quòd eadem cum uerbo instituentis authoritate constent.

OBSER. *Coniungitur uerbum et externa ceremonia.* *Et uerbum et signum ab eodem authore.*

Tertiò

Imago Christi. Tertiò obseruandum etiam est, quæ in præsenti hac inauguratione Iosepho conferantur. In anulo est potestas & authoritas, in ueste byssina & torque aurea splendor personæ potentis, in curru manifestatio publica, in uoce præconum publicus honor. Agnosce imaginem eorũ quæ homo Christus Dominus omnium constitutus à patre accepit. Cum inaugurareť ad fluenta Iordanis, audita est uox patris: Hic est filius meus dilectus in quo bene mihi complaceo, hunc audite. Visus deniq; est spiritus S. in specie columbæ. Sic accepit potestatẽ à Deo patre super omnia, cuius ipse meminit, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Splendor glorię ac potentiæ eius uirtus erat miraculorũ: currus quo circumuehitur, est ministerium Euangelicum, quo manifestatur orbi. Præconium quo publicus illi honor poscitur, est uox illa euangelij, quo cuncti admonent, ut filium Dei adorantes genua flectant, cui curuantur omnia quæ in cœlo sunt, & in terra, & apud inferos quoque Phil. 2. Et illud psalmi, Adorate eum omnes angeli eius, Hebr. 1.

Confirmatio potestatis. *Quartò. Ego sum Pharao, inquit, absq; te non leuabit quisquã manũ suam, uel pedem suũ.*] Obserua uocem rege dignam. Constituerat Iosephum super omnia. Iurat per maiestatem suam regiam, quòd uelit illi concessam potestatem tueri. Cogita de Deo patre, qui filium suum Dominum constituit omnium, an non hoc genus iuramenti illi conueniat אני יהוה, id est, Ego Dominus absque te nemo leuabit uel manum uel pedem suum. An dignus erat Ioseph cuius authoritas infracta seruaretur in Aegypto & dignus non est filius Dei, cuius potestas illibata custodiatur in Ecclesia Dei? Vtinam hunc illi honorem saluum permitterent qui hodie prælati Ecclesiæ, Pontifices, Episcopi, & pastores uideri uolunt, ut nemo in Ecclesia ac domo Dei manum uel pedem moueat absq; illius uerbo & authoritate. Imò utinam non sint ex illis, qui manibus & pedibus illi reluctentur, & quæ possunt omnia linguas etiam aduersus uerbum & authoritatem eius moueant.

Id uocatur Ioseph quod est. Quintò. Et uocauit, inquit, Pharao nomen Ioseph Zaphnath Paeneah. Obserua cõsilium Pharaonis. Quod erat Ioseph, & diuinitus acceperat, id illum uocari, & cunctis ex nomine publicari uoluit. Sic Deus filium suum per angelum uocauit Iesum, id est, Seruatorem, priusquã secundũ carnem nasceretur, ut uidelicet ex nomine quod erat uocaretur, & uocando publicaretur, scirentq; cuncti ad quem confugere, & cui tanquam Seruatori sese addicere deberent.

Iosepho data filia sacerdotis in uxorem. *Sextò. Deditq; ei Asnath filiam Potiphera sacerdotis On, in uxorem.*] Primùm, homines ethnici, quamuis à ueri Dei cognitione aberrantes falsos deos colerent, sacerdotes tamen habebant quorum ministerio ad cultum Dei uterentur. Deinde habebant eos in summo precio: tertiò, non requirebant ab illis ἐγκράτειαν illam, quam Papistæ cœlibatum uocant, omnis generis immundarum ac ueritarum libidinũ matrem, sed sinebant, ut quoniam homines erant, non angeli, secundum legem humanæ naturæ diuinitus inditam in matrimonio honestè uiuerent, & liberos eorum propter ordinis eminentiam præclaris nuptijs cohonestabant. Si cognitionem Dei habuissent, quid putas non fecissent, quo se diuinæ uoluntati conformarent?

Quare Ioseph ista sibi fieri passus sit. Septimò. Poterit hic quæri quod ipsum Iosephum attinet, recte ne fecerit, quòd ista sibi fieri passus est. Poterat modestè recusare hæc omnia, ac dicere regi: Non sum cæteris sapientior. Inuenies in regno tuo præstantiorem, cui potestatem ac dignitatem hanc conferas, neq; ego sum secretorum reuelator, sed Deus, nec phas mihi est uxorem ducere extra meam gentẽ. Hebræus sum, & seruus, in hac me sorte relinque. Sufficit mihi, si liber sim à carcere, in quem fueram præter meritum coniectus. Hæc sanè philosophus aliquis de schola Stoicorum Pharaoni respondisset. Verùm Ioseph quo spiritu secreta Dei reuelabat, eodem & in hac causa sic dirigebatur, ut nec modestiam solitam abijceret, nec consilio Dei reluctaretur, qui hæc omnia mirabiliter disponebat. Affectare huiusmodi honores, & animo in sublime ferri, alienum est à sanctis: honoribus affici ac rebus gerendis præfici, non ita. Quod ethnici sacerdotis filiam duxit in uxorem, non fecit suopte studio, sed regis uoluntati obtemperando. Non dicit Moses, Et duxit: sed, Deditq; ei, Pharao scilicet, Asnath filiam Potiphera sacerdotis On, in uxorẽ. Non conueniebat causæ quæ agebatur, ut regis uoluntati resisteret. Ratio autem regis erat ista, cogitabat esse Iosephum diuinum hominem, ideoq; & uxorem illi dandam esse iudicabat, quæ religionis nomine cæteras antecelleret. Sic nubendo Ioseph nihil minus agebat quàm ut & se & posteritatem suã ab Israele abalienaret, quin magis pro Israele fiebant hæc omnia. Quemadmodum nec Moses animo erat à sua gente abalienato, cum filiam sacerdotis Midian duceret in uxorem, sed zelum Israelis constanter retinebat, quamuis nubendo exilio suo sese accommodasset. Exod. 2

De uxore Iosephi. Scholasticæ historiæ author de uxore hac Iosephi sic annotat: Hebræi in excusationem Iosephi de matrimonio alienigenæ dicunt Iob post flagella duxisse Dinã filiã Iacob, & ex ea suscepisse filiã, de qua & Potiphare nata sit Assenech. Vt nõ quæramus de eo, unde constet, q̃d Iob duxerit Dinã filiam Iacob in uxorẽ, & quõ filia ex illis nata facta sit cõiunx sacerdotis Aegyptiaci, illud saltem inspiciãt Hebręi, quõ series annorũ Ioseph & Dinæ huic cõmento cõueniat. Dinah uno anno, uel ad summũ duobus ante Iosephũ nata, sicuti colligi potest suprà cap. 30. cum Ioseph staret ante Pharaonẽ annos natus triginta & Asnath istã in uxorẽ duceret, annorũ erat triginta unius aut triginta duorũ. Et huius neptẽ ex filia Ioseph in uxorẽ ducere potuit? scilicet intra spaciũ 31. annorũ potuit Dinah fieri mater, et auia, & neptis illius ad nubilẽ peruenire ætatẽ. Cũ nuberet Dinah Iobo (fingamus hoc esse uerũ) circiter 20. erat annorũ. Anno 21. peperit filiã matrẽ huius Asnath, ut isti uolunt quę cũ Potipherę dareť uxor in Aegypto, annorũ erat decẽ. Qñ peperit illa Asnath istã, ut posset à Iosepho 30. annorũ iuuene duci in uxorẽ? Matrẽ

per

A per ætatem ducere non potuisset, nedum filiam. Vnde quæ sit istorum hominum incogitantia, qui sibi quidquis in expositione S. scripturarũ tradere permittũt. Ipse Potiphar nõ potuisset filiã Dinæ, cũ Iosephi 30. annorũ esset, in uxorẽ ducere, nedũ filiam nubilem habere ex illa, quam rex Iosepho daret in uxorem.

Et egressus est Ioseph super terram Aegypti. Et Ioseph natus erat annos triginta, cum staret ante Pharaonem regem Aegypti. Et egressus est Ioseph à facie Pharaonis ac pertransijt totam terram Aegypti. Et fecit terra septem annis saturitatis ad cumulos. Et collegerunt omnem cibum septem annorum qui fuerunt in terra Aegypti, & posuit cibum in ciuitatibus, cibũ agri ciuitatis qui circa illam erat posuit in medio eius. Et coaceruauit Ioseph frumentum sicut arenam maris multum ualde, donec numerare cessaret, quoniam non erat numerus.] Hactenus exposuit Moses quæ exaltationem Iosephi concernunt, iam commemorat quomodo adimpletum sit somnium Pharaonis, & quàm sedulò Ioseph iniunctum obierit officium.

Et egressus est inquit, Ioseph super terram Aegypti.] Intellige ad disponendum ea quæ necessaria erant ad colligendum frumentum. Promulgandum erat decretum regis, constituendi passim ministri, & deputanda loca, quo frumentum colligeretur. Hæc omnia ad ipsius erant imperium disponenda. Particulam hanc Septuag. non habent.

Et Ioseph natus erat annos triginta, &c.] Commemorat hoc Moses, ut admoneat nos quàm sit admirabilis Deus in sanctis suis, qui iuuenem triginta annorum sic dono sapientiæ ornauit, ut toti posset Aegypto disponendæ ac gubernandæ præfici. Et Seruator noster triginta plus minus annorum erat, cum ad Iordanẽ cœlitus inauguraretur, et iniunctam à patre dispensationẽ aggrederetur sicuti uidere est Luc. 4. Cogita hic de Canonibus, quibus constitutũ fuerat ne quis ante annũ tricesimũ presbyter ordinaretur. Vide in concilio Neocæsar. ca. 11. Et Ioannes baptista totidem annos natus prædicare, & Ezechiel eadem ætate uaticinari in Babylone cœpit. Cogitemus hic & illud. Cum pasceret Ioseph oues patris sui Iacob, annorum erat circiter decem & septem. Ab eo tempore ad trigesimum usq; annum intercesserunt anni tredecim, quibus illum Deus cùm inter fratres, tum in Aegypto constitutum uarijs afflictionibus, exercuit, priusquã ad fastigiũ destinatũ eueheretur. Consimiliter accidit & Dauidi, & Christo Domino. Sic priores sunt afflictiones sanctorum, & posteriores gloriæ. 1. Pet. 1

Cum staret, inquit, ante Pharaonem regem Aegypti.] Hoc est, cum eductus è carcere interpretaret somnium Pharaonis, & ab illo in istam potentiam inauguraretur. Aliàs stare ante regem est seruire regi, & B ad nutum illius esse paratum. Sic 1. Reg. 10. serui Salomonis ante faciem illius stetisse leguntur, & angeli ante Deum stare dicuntur.

Et egressus est Ioseph à facie Pharaonis.] A facie regis egredi, est accepto mandato regis ad perficiendũ illud egredi. Sic satan Iob 1. & 2. à facie Domini egressus dicitur, propterea quòd potestatem accepe- OBSER.
rat tentandi & affligendi Iobum. Et 2. Sam. ult. de Ioab legitur quòd egressus sit à facie regis, ut numeraret populum. Repetit Moses, q̃d dicere cœperat. Obserua hic fidẽ ac diligentiam Iosephi. Quamuis *Fides & diligentia Iosephi.*
sublimatus esset supra oẽs, haud tamẽ mittit uicarios, qui suo nomine quæ gerenda erant gererent, ut ipse interea delicijs & ocio uacaret, sed memor accepti muneris totã ipse percurrit Aegyptũ, & coràm cuncta disponit. Habent hic prælati ecclesiæ quod imitentur, siquidem in opere Dñi fideles esse uoluerint. Verum tales sunt plerique, ut etiam si egrederentur ad uisitandum ecclesiam, haud tamen à facie Domini egrederentur.

Et fecit terra septem annis saturitatis ad cumulos. In Hebræo est, ותעש הארץ בשבע שני השבע לקמצים, quod bifariam intelligi potest. Primò, protulisse terram septem annis ubertatis ingentes frumenti cumulos, ut facere idem sit quod proferre. Et hoc sensu significat à Mose uenisse annos fertilitatis quemadmodum regi interpretatus fuerat Ioseph, ac protulisse terram fructus suos לקמצים, id est, ad cumulos, uel ut nos loquimur, cumulatim, *mit hauffen.* Deinde, loqui Mosen de incolis terræ, quod illi frumentum in aceruos diuiserint per septem ubertatis annos, ut quintam partem præfectis regis custodiendam dare possent. Sic uocula ארץ, id est, terra, pro incolis terrę posita esset, quæ loquutio frequens est in scripturis. Et hunc sensum uidetur Onkelus Chald. exprimere uoluisse. Sic enim habet: Et collegerũt habitatores terræ per septem annos saturitatis frumentũ in horrea, uel, in thesauros. Posteriore hoc sensu exponitur obedientia incolarum Aegypti, qui mandato regis non contradixerunt, sed obedienter paruerunt. Non uideo utra sit expositio præferenda. Teneat lector, quam ipse germaniorem esse putauerit. Ambæ conformes sunt & uerbis Mosis, & causæ quæ agebat. In posteriore admonemur quan- OBSER.
tum sit obedientiæ bonum, ubi quod præcipitur ad obedientium utilitatem instituitur. Si obedire de- *Exemplum obedientiæ.*
trectassent Aegyptij, fecissent hoc suo magno malo.

In priore obseruanda est loquutio Hebraica, qua terra facere pro fructus producere dicitur. Quod *Terra facit dum fructus producit*
quisque facit id eius est opus. Opus ergo terræ est, producere fructus. Hoc facit terra ad nutum Dei obedienter. Quemadmodum constitutum ac præmonstratum erat à Deo, ita septem annis uberes fructus protulit. Vtinam qui terram inhabitamus, uel illius exemplo moniti faciamus quod uerbo ac uoluntati Dei conuenit.

Et collegerunt oẽm cibũ septem annorũ, &c. Fecerunt hoc præfecti regionũ, quibus in hac causa usus est Ioseph. Quo uerò collegerint consequenter docet. Et posuit cibum, inquit in ciuitatib. Fecit hoc Ioseph sic disponẽs, ut frumentũ nõ neglectim locis infirmis, sed in ciuitatib. tanquã locis munitis et prę terea commodis reponeret. Illud q̃d subdit, Cibum agri ciuitatis qui circa illam erat, posuit in medio eius, expositionem habet particulæ præcedentis, docens quomodo cibum in ciuitatibus condiderit.

Habe-

Habebant singulæ ciuitates suos agros. Ex agris collectum frumentum sic in ciuitatibus reposuit, ut unaquęq; ciuitas sui agri prouentus custodiret, quæ res commodissima pariter & æquissima erat) Sic
OBSER. Ioseph fidei ac diligentiæ suæ in obeundo munere commisso prudentiam adhibuit, ut omnia ordine &
Exemplum prudentiæ. commodè gererentur. Et hæc duo ab eo requiruntur qui Christo Domino seruit, ut fidelis sit & prudens. Sic ipse dixit Matth. 24. Quis putas fidelis seruus est & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore, &c.

Et coaceruauit Ioseph frumentum sicut arenam maris multum ualde, &c.] Hyperbole est, quòd dicit, *Sicut* arenam maris: quemadmodum & illud, Quia non erat numerus. Multitudo frumenti huius non erat innumera, uerùm quia numerari non poterat à Iosepho, sic ut propterea à numerando illo cessaret, ut maximam hanc illius & innumerabilem multitudinem exprimeret Moses, sic loqui, & hyperbola uti uoluit. Alioqui nihil est innumerum in se, quod infinitum non est. Finitum autem fuisse in se hoc frumentum à Iosepho collectum, & cum colligeretur ac reponeretur, & postea cum absumeretur, abun-
OBSER. de satis patuit. Cogitemus hic de ubertate diuini incrementi, si quinta pars frumenti Aegyptiaci instar
De ubertate d. incrementi. arenæ maris innumerabilis fuit, quantæ quæso multitudinis fuit ipsum totum unde pars ista desumebatur? Deinde conuertamus mentis oculos ad reliquas totius orbis regiones, & consideremus ex illarum prouentibus, quàta sit & quàm admirabilis diuinæ benedictionis uirtus, unde immensa quotannis & hominum & animalium multitudo pascitur. Seruiat hæc cogitatio ad confirmandum in nobis diuinæ prouidentiæ fidem.

Exemplum diligentiæ. 2. Sam. ultimo. *Donec numerare cessaret, inquit.*] Numerauit ergo Ioseph frumentum quod in futuros necessitatis usus colligebat ac reponebat. Agnosce exemplũ diligentiæ. Quod in numerato habetur, certius ac melius dispensari potest. Diligentiæ fuit, nõ curiositatis, quod frumentũ numerauit Ioseph. Quod Dauid populum suum numerauit, non diligentiæ necessariæ, sed curiositatis uanæ & illicitæ factum habet, ideoq; & reprehensum est à Deo & punitum.

Et Iosepho nati sunt duo filij, priusq; ueniret annus famis, quos peperit ei Aſnath filia Potipherę ſacerdotis On. Et uocauit nomen primogeniti Manaſſe, quoniam obliuiſci me fecit Deus omnis laboris mei, & totius domus patris mei. Et nomen ſecundi uocauit Ephraim, quoniam creſcere me fecit Deus in terra afflictionis meæ.] Narratur ista per interpositionem. Visum est Mosi, priusq; de septem annis famis cõmemoraret, de filijs Iosephi tempore fertilium annorum natis mentionem facere, propter ea quæ infrà de illis cap. 48. est memoraturus. Friuolũ est quod hic Lyranus de eo annotat, quod dicit Moses natos esse Iosepho duos filios priusq; ueniret annus famis. Quia, inquit, apud Hebræos tempore cõmunis tribulationis homines continebant ab uxoribus proprijs. Quasi cauendũ fuerit Mosi, ne Ioseph filios istos tempore famis genuisse putetur, ideoq; suspicione libidinis grauetur. A Christianis Apostolus 1. Cor. 7. requirit ne discedat maritus à coniuge, nisi forsan ad tempus dum orandũ est in cœtu fidelium, postea uerò redeant in unũ. Et arbitrandum est Iosephum toto septennio famis ab uxore sua fuisse separatum.

Et uocauit, inquit, nomen primogeniti Manaſſe, quoniam obliuiſci me fecit Deus, &c. Sic est legendum, Et uocauit nomen primogeniti Manasse, dicens, quoniam obliuiscī me fecit Deus, &c.

Et nomen secundi uocauit Ephraim, dicens, Quoniam crescere me fecit Deus, &c. Omissa est uocula לאמור. Alioqui legendum esset: Quoniam obliuiscī fecit eum Deus laboris sui & totius domus patris sui. Item: Quoniam crescere fecit eum Deus in terra afflictionis eius. Nomina filiorũ Ioseph recenset, & rationes illorũ adijcit. Manasse uox est à נשה quod obliuiscī significat. Quoniam accepta uxore & prole tam laborum seruitutis ac captiuitatis q̃ domus paternæ obliuiscī potuisset, uoluit primo-
An hæc obliuio cõuenerit Iosepho. genito suo hoc nominis imponere, ut Manasse. i. obliuiscẽs uocaret. Parũ uideꝰ esse laudabilis ista obliuio, qua cũ prosperè ageret, præcedentiũ est molestiarũ oblitus. Quemadmodũ eñ tempore tribulationis memoria præcedentis prosperitatis seruãda, dicendum q̃ est: Si bona suscepimus de manu Dñi, mala quare nõ sustineamus? ita et tempore læto retinenda est memoria tristium, sine qua nec grati erimus Deo, nec cauebimus ne prosperitate rerum dissoluti diffluamus. Deinde nec illud uirum bonũ decet, quòd se totius domus patris oblitum dicit. Patris saltem memoriam seruare debebat, si fratres indigni erant, quorum in honore constitutus recordaretur. Meo iudicio nec præteritorum malorũ nec paterną domus oblitus erat, sed primogenitũ suum hoc nomine appellauit, ut diuinam erga se beneuolentiã extolleret, perpetuoq; memorabilem redderet, qua seruitutis ac carceris labores, & paternæ domus defiderium tam insigni & admirabili metamorphosi sic omnis generis prosperitate fuerant commutata, ut more cõmuni posset illorũ obliuiscī. Ephraim est à uerbo פרה q̃d crescere significat. Sonat aũt plura liter incrementa. Aleph litera præposita est, ut suprà in uoce אברך pro consuetudine, ut opinor Aegyptiorum. Rationẽ addit, dicens: Quoniã crescere me fecit Deus in terra afflictionis meæ. Secundũ filiũ sic animo grato de manu Dei accepit, ac si iam abundè multis esset filijs cumulatus. Pietatẽ animi de-
Pij etiam in mediis afflictionib. crescunt. clarat in eo, q̃d rerum successum & acceptos filios Deo adscribit. Et illud notandũ est, q̃d non simpliciter dicit, Quoniam crescere me fecit Deus: sed addit, In terra afflictionis meæ. Iudicabat hoc esse mirabile, quia insolitum erat & præter opinionem accidebat. Signabatur quid futurum esset Israeli in Aegypto in medio tribulationum agenti. Et ille tanta erat posteritatis incrementa in ipsa seruitute adepturus, ut quanto magis opprimeretur, hoc amplius multiplicaret, sicuti uidere est. Exo. 1. Simul ob-
Vsus istorum nominum posteris destinatus. seruandum est, q̃ piè ac prudenter filijs suis hæc nomina indiderit, unde admonerent eorũ quæ cum parente ipsorũ Deus in Aegypto egisset, & illorum recordatione in fide prouidentiæ diuinæ alerentur.

Et

Et finiti sunt septem anni saturitatis quæ fuit in terra Aegypti, & cœperunt septem anni famis, ut uenirent secundum quod dixerat Ioseph. & facta est fames in cunctis terris, in omni uerò terra Aegypti erat panis. Et esuriuit omnis terra Aegypti, & clamauit populus ad Pharaonem pro pane. dixitq; Pharao cunctis Aegyptijs: Ite ad Ioseph: & quod uobis dixerit, facite. Et fames erat super omnem faciem terræ, & aperuit Ioseph omnia quæ inter ipsos erant uenditq; Aegyptijs. Et inualuit fames in terra Aegypti, ac omnis terra uenit in Aegyptum emendi gratia, ad Iosephum, quoniã inualuerat fames in omni terra.] Et finiti, inquit, sunt septẽ anni saturitatis, &c. Habent ista transitionem. Postquam exposuit de septem annis ubertatis, quid in illis fecerit Ioseph: consequenter transit ad septem annos famis ac sterilitatis, ut narret quid in illis quoq; gesserit.

Et cœperunt septem anni famis, inquit, ut uenirent, &c. Obserua transitum ac fluxum temporum. Tempora oriuntur ac finiuntur. tẽpus prosperitatis transit, ac finem suum sortitur: & finis illius, principium est subsequentis temporis tristis ac calamitosi. Sic temporũ decursu tandem omnis hæc uita nostra, præsentiumq; rerum status absoluetur. Et hic materiam habet prudentia, quæ se uicibus istis temporum ac rerum alternantium studiosissimè ac uigilanter accommodat. OBSER. *Transitum temporum.*

Secundum quod dixerat Ioseph.] Seruit ista particula ueritati diuini uerbi, quod regi erat per Ioseph expositum. Quæ per instinctum spiritus S. à uiris sunt diuinis ac prophetis prædicta, certò ueniunt, idq; non temere, sed quemadmodum sunt prædicta. Certitudo ista diuini uerbi diligenter nobis passim in scripturis obseruanda proponitur. *De certitudine uerbi Dei.*

Et facta est fames, inquit, *in cunctis terris.*] Ergo sterilitas ista non solum in Aegypto, sed & in circumiacentibus regionibus ac prouincijs facta est, id quod non accidit sine peculiari consilio Dei, ut non Aegyptij modò, sed & uicinæ gentes castigarentur. Raro accidit, ut gens aliqua sola puniatur, sed plerunq; flagellum uicinos quoq; corripit. Et id quoq; per hanc agebatur occasionem, ut adigeretur Iacob filios suos mittere in Aegyptum, ad emendum frumentum, sicuti sequentia declarabunt.

In omni uerò terra Aegypti erat panis.] Vulgata latina contra Hebraicam ueritatem habet: In cuncta etiam terra Aegypti fames erat: cum sit in Hebræo חיה לחם, id est erat panis. Et Septuaginta habent: οὐκ ἦσαν ἄρτοι, id est non erant panes. quod temeritate scribentium factum esse arbitror, non negligentia Septuaginta interpretum. cuius rei argumentum ex eo deprehendere licet, quòd Chrysostomus, qui lectione Septuaginta usus est, particulam hanc sic exponit: Et cum fames ualida facta esset, primũ penuriam sentire non permisit. In omni anim terra Aegyptiorum erant panes. Sed cum molestia famis increuisceret, clamauit populus ad Pharaonem. Sic ille. Sensus uerborum est: In principio sterilitatis annorum statim pressi sunt fame populi finitimi, Aegyptus uerò non ita, propterea quòd adhuc ex reliquijs anni præteriti uiuerent.

Et esuriuit omnis terra Aegypti, & clamauit populus ad Pharaonem pro pane.] Hoc est: Postea uerò cum absumptis præcedentis anni reliquijs omnis quoq; terra Aegypti (id est, inhabitatores terræ Aegypti) esuriret, clamauit populus ad Pharaonem, &c. Tota hæc causa erat Iosepho commissa. Verùm uel ignorauit hoc populus, uel Ioseph frumentum distribuere noluit, nisi primùm necessitas populi pharaoni regi innotesceret, & populus ab ipso rege suo ad se mitteretur. Posterius hoc uidetur probabilius. Obseruandum autem hic est, quòd populus clamat, cum fame premeretur. Verbo clamandi uis famis exprimitur, quæ hoc in se habet, ut uulgus reddat querulum, & cuncta clamoribus repleat. Clamant pro pane. At poterant uesci piscibus & carne. Verùm quicquid adsit ciborum, si panis desit, non satisfit stomacho. Omnium enim reliquorum ciborum firmamentum ac robur est panis. Clamant pro pane ad Pharaonẽ, tanquam ad regem suum. Admonemur quid rex & magistratus debeat esse populo, communis uidelicet omnium pater & nutricius. *Vis famis. Vsus panis. Clamant ad regem famelici.*

Dixitq; Pharao cunctis Aegyptijs: Ite ad Ioseph, & quod dixerit uobis, facite.] Publico hoc edicto per Aegyptum promulgauit, ubi populi clamores percepit. In Hebræo est: Dixitq; Pharao omni Aegypto. Obseruandum est, quàm constanter seruet potestatem Iosepho traditam illæsam & immotam. Non irascitur illi, dicens: Quare non dat populo frumentum, ne clament aduersum nos? Sciebat eum esse prudentem & fidelem, quare cunctos ad illum mittit, nec præscribit quid facere debeat: sed, Quod uobis dixerit, inquit, facite. Hanc potestatem dedit Christo pater, & ad hunc mittit omnes, iubens ut illum audiamus, & quæ dixerit faciamus. Huius generis potestatem in Ecclesia uindicant sibi Episcopi & Pontifices, ut quicquid dixerint, faciendum sit populo fidelium, & citant illud Christi Matth. 23. Quæ dixerint facite. Verùm quod præmittitur, Super cathedram Mosis sedent scribæ & pharisæi, hoc est, doctrinam & legem Mosis proponunt, prorsus dissimulant. Loquebatur Christus durante adhuc lege, & ad populum legis de doctoribus legis. Post abrogatam legem locum habet illud Christi, Docente eos seruare quæcunq; ego præcepi uobis. Proponant Ecclesiæ doctrinam Christi, ut possit in ipsis locum habere authoritas non propria, sed Christi. OBSER.

Et fames erat super omnem faciem terræ, & aperuit Ioseph omnia quæ inter ipsos erant, uenditq; Aegyptijs, & inualuit fames in terra Aegypti.] Quid & quando fecerit Ioseph, exponitur. Aperuit omnia quę inter ipsos erant. In Hebræo est ויפתח יוסף את כל אשר בהם quod bifariam uertũt. Chald. sic: Et aperuit Ioseph omnia horrea in quibus erat frumentum. Secundum hanc lectionem illud בהם, id est, in eis, refertur ad horrea, & desideratur uocula בר uel שבר, id est frumentũ. Sic uertit & Monsterus. Secunda uersio est quam posui, in qua בהם ad Aegyptios refertur, ut sit sensus: Aperuit Ioseph omnia horrea quæ erãt inter ipsos, hoc est, in ciuitatibus, passim in terra tanquam in medio populi sitis. Addit, Vendiditq;

Quãdo aperienda sint horrea.

Aegyptijs. Quomodo uendiderit, declarabitur infrà cap. 47. hic tantum summariè memoratur, quod frumentum uendiderit Aegyptijs. Quando horrea aperuerit ad uendendum frumentum, in eo memoratur, quod dicit: Et fames erat super omnem faciem terræ. Item: Et inualuit fames in terra Aegypti. Non statim initio sterilitatis, sed cum fames passim & ubiq; inualesceret, & omnes edicto Regis ad ipsum mitterentur, tum demum cœpit aperire horrea. Vtile erat, ut primùm uim famis sentiret populus, posset q; acceptum frumentum omni luxu reiecto soli naturæ necessitati accommodare, & beneficium à Deo per Ioſephum præstitum cum maiore gratitudine amplecti. Vide exemplum sanctæ prudentiæ quæ tempore ubertatis impleuit apothecas frumento, quas tempore famis aperiret. Quæ auaricia recondit & claudit, non aperit nisi studio illiciti lucri. Quæ reponit perfida sollicitudo, nemini aperit nisi sibij psi.

Et omnis terra (id est omnes populi finitimi) uenit in Aegyptum, emendi gratia, ad Ioſephum, quoniam inualuerat fames in omni terra. Duo memorat. Vnum, quòd non in Aegypto tantum, sed & in omni finitimorum terra inualuerit fames, sicut & suprà dixit. Alterum, quòd undiq; ex cunctis uicinis regionibus uenerint populi in Aegyptum ad Ioſephum, ad emendum frumentum. Vtrunq; memorat propter sequentem historiam fratrum Ioſeph, qui & ipsi è terra Canaan cum alijs in Aegyptum ad emendum cibum ad Ioſephum uenerunt, sicuti statim sequenti capite declarabitur.

CAPVT XLII

ARGVMENTVM CAPITIS.

Capitis huius 42. narratio trimembris est. Exponitur à Moſe primùm quomodo fratres Ioſeph à patre missi descenderint in Aegyptum ad emendum frumentum: deinde, quomodo à Ioſepho accepti tractatiq; sint, ac tandem dimissi: tertiò, quomodo domum reuersi, Iacob patri ipsorum rem omnem exposuerint.

ET *uidit Iacob quòd frumentum esset in Aegypto. Et dixit Iacob filijs suis: Quare negligitis* (in Hebræo est למה התראו, id est, quare aspicitis uos ipsos? Sic uertit Monsterus. Quare uos ipsos mutuò aspicitis? יתראה, idem est quod desidere, negligere & cunctari, quo sensu & nos Germani dicimus, *was stond ir, vnd seeht ainander an?* Sic solent obstupefacti, & quid faciendum sit hæsitantes) *Et dixit: Ecce audiui, quòd sit frumentum in Aegypto, descendite illuc, & emite nobis inde ut uiuamus, & non moriamur.*] Præcedenti capite dixerat Moſes inualuisse famem non modò in Aegypto, sed & in cunctis alijs regionibus, & omnes regiones descendisse in Aegyptum ad emendos cibos. Inter hasce uicinas Aegypto regiones comprehendebatur & terra Canaan, in qua uiuebat cum suis Iacob. Et illa fame premebatur, & perinde Cananæi atq; aliæ gentes in Aegyptum ad emendum frumentum descendebant. Vidit hoc Iacob & percepit, quòd frumentum uenderetur in Aegypto. Ex relatione Cananæorum intellexit, non uidit oculis, frumentum esse in Aegypto. Vnde & dicit: Ecce audiui, quòd sit frumentum in Aegypto.

יתראה

Verbum uidendi.

Vnde & dicit: Ecce audiui, quòd sit frumentum in Aegypto. Quod audierat, hoc Moſes illum uidisse dicit. Et nos uerbo uidendi sic utimur, ut quæ ex auditu cognoscimus, uidere nos, id est intelligere dicamus. Cum hoc intellexisset Iacob, increpat filios suos, & reprehendit eorum stupiditatem, dicens: Quare uelut obstupefacti mutuo uos aspicitis, ac quid faciendum sit hæsitatis? Vrgemur ac premimur fame, & uos oblatam occasionem acquirendi frumenti negligitis. Ego senex ac domi detentus audio frumentum uenundari in Aegypto: uos qui in medio populi uersamini, ea de re non auditis? Descendunt alij in Aegyptum, & adferunt cibos: facite & uos quod faciunt alij. Descendite, & emite nobis unde uiuamus, ne moriamur.

שבר

Vsurpat autem Moſes uocem שבר Scheber, pro frumento, & uerbum שבר, id est, schabar, pro emere, ac uendere, cum schabar frangere, & scheber fracturam significet. Rationem locutionis huius existimant nonnulli esse, quòd fames per frumentum frangatur. Alij sic: uendere est distrahere, inquiunt. Distrahere, est rem intregram frangere ac diuidere, ut quod antea meum erat, iam tuum fiat. Sic igitur uendere, frangere: & quod uenditur, fractura uocatur. Illic uendabatur frumentum, ergo frumentum scheber, id est fracturam uocauit Moſes. Non displicet ista ratio. Videmus hanc uocem etiam inter nos Germanos consimili sensu usurpari. In Heluetia quando conscribitur militaris expeditio, uocatur *ein vffbruch*. Et qui pecuniam mutuo accipiunt, dicuntur *gelt vffbrechen*. Etenim sic frangitur ac distrahitur, quod antea uno ueluti cumulo integrum & adunatum seruabatur. Consimilis loquutio in usu fuit tempore Moſis in distractione frumenti. Ergo scheber non simpliciter frumentum, sed magis frumentum uenditum significat.

Terra Canaan fame pressa.

Principiò obseruandum hic est, quòd terra Canaan in qua uiuebat Iacob, perinde atq; aliæ regiones, fame premebatur. Si acciderat illi & Abrahæ tempore, & postea sub Isaaco quoq;, sicuti uidere est suprà cap. 12. & 26. Qua in re quid notandum ueniat, uide suprà cap. 12.

Pij publicis calamitatibus cũ alijs reddũtur obnoxij.

Deinde & illud obserua, quòd etiam domus Iacobi patriarchæ famis necessitati subijcitur, atq; ita absq; ullo discrimine unà cum alijs consors diuini flagelli efficitur. Consimili modo accidit & Abrahæ & Isaaco. Sic solet Deus etiam pios homines publicarum reddere calamitatum consortes, ut quod alijs est flagellum castigatorium, ipsis sit fidei & patientiæ exercitium. Sic accidit & prophetis Hieremiæ, Ezechieli, & Danieli.

Mitigatio flagelli diuini.

Tertiò. Et uidit, inquit, Iacob, quod frumentum esset in Aegypto. Obserua mitigationem meriti flagelli

gelli. Aliquod saltem famis solamen parauit Dominus uicinis regionibus ex Aegypto. In Aegyptijs obseruandum est communicationis exemplum. Inhumanum fuisset, si frumentũ suum uicinis gentibus tempore famis uendere detrectassent. Vix inuenies Christianos hodie qui exemplum hoc communicationis imitentur. *Exemplum communicationis.*

Quartò. Et dixit Iacob filijs suis: Quare negligitis? Obserua hic quomodo cura domestica melius per unum quàm per multos administretur. Decem filij Iacob in cura hac alimoniæ necessariæ desides, ignauj, negligentes & cunctabundi inueniuntur, dum alius in alium sollicitudinem hanc abijcit, ac neuter illam ad se pertinere putat, quam omnes reliquos simul concernere existimant singuli. Vnus uerò Iacob tanquam paterfamilias, non cunctatur, sed ut fiat quod faciendum erat urget. Vnus melius pro decem, quàm decem pro uno, sollicitus esse solet. Et hac ratione uulgo dicitur, facilius fieri ut pater unus decem filios alat, quàm ut decem filij unum nutriant patrem. *Cura domestica melius per unum quàm per multos administratur.*

Quintò: *Ecce audiui, inquit, quòd sit frumentum in Aegypto, descendite illuc, & emite nobis inde, ut uiuamus, & non moriamur.*] Obserua hoc exemplum Iacobi. Non tentat Dominum, dicens: Descendunt omnes in Aegyptum ad emendum frumentum, ego pendebo à promissis Dei, qui mihi pollicitus est, quòd uelit mecum esse, & mihi benefacere, iussitq; ut ad terram hanc natiuitatis meæ reuerterer, quare nusquam pro frumento mittam, sed expectabo uictum à Domino. Nil horum dicit, sed quemadmodum cum alijs communis erat necessitatis consors, ita & communi ratione cum alijs necessarium sibi uictũ requirendum esse iudicat. Consimiliter fecerunt ante illum & Abraham, & Isaac. *Iacob non tentat Dominum.* *Supra cap. 31.*

Simul obserua cursum diuinæ prouidentiæ. Adimplendum erat somnium Ioseph, & iam parata erat adimpletionis huius occasio. Ioseph dominabatur in Aegypto, nec præter ipsius conscientiã emi poterat frumentũ. Diuino igitur instinctu impellitur Iacob, quamuis ignarus consilij Dei, ut filios suos mittat in Aegyptum ad emendum frumentum. Hac occasione uenturi erant ad Iosephum, & hunc fratrem suum, iuxta præmissum somnium tanquam Dominum terræ adoraturi. *Cursus diuinæ prouidentiæ.*

Et descenderũt decem fratres Ioseph ad emendum frumentũ ab Aegyptijs. Beniamin uerò fratrem Ioseph non misit Iacob cum fratribus suis, quoniam dicebat: Ne fortè occurrat ei mors. (in Hebræo est uox מסרן quæ & Exod. 21. bis pro morte ponitur. Et Chald. uertit מרירא, id est mors. Septuaginta uerò habẽt μαλακίαν, id est, languor. Vulgata lat. Quicquam mali.) *Et uenerunt filij Israel ad emendum in medio uenientium, quoniam erat fames in terra Canaan.*] Descenderũt omnes fratres Ioseph, dempto Beniamin cuius rei duę erãt causæ. Vna est expressa in litera, quòd pater illum mittere nollet, timens ne moreretur in itinere. Altera erat, quòd sic disponebatur à Deo, ut causa esset Iosepho durius eos accipiendi & tractãdi, sicuti sequentia docebunt. Et illud diuino est instinctu factum, quòd non unus & alter, sed præter Beniamin descenderunt omnes. Erat enim adimplendum somnium Ioseph. *Quare Beniamin non descenderit.*

In eo autem, quòd Beniamin Iacob cum reliquis filijs suis in Aegyptum mittere nolebat, ne fortè occurreret illi mors, amoris ingenium expressum uidemus. Diligebat hunc impensius quàm reliquos, propterea quòd esset ipsi natus in senectute, deinde quòd solus ex filijs dilectæ Rahelis superesse putabatur, & præterea iunior erat cæteris. Nolebat igitur eum à se dimittere tam charum filium, quòd uitæ illius timeret, memor eius quod Iosepho accidisse putabat. Sic est comparatum amoris ingenium. Res est, inquit ille, soliciti plena timoris amor, etiam ibi timens ubi nihil est periculi, modò esse posse uideatur. Ignorabat Iacob uenturum Beniamin & Iosephum fratrem suum uterinum, si descenderet in Aegyptum, alioqui hunc cumprimis misisset. Sic ignorantia rerum amori coniuncta timorem parit inanem ac frustraneum. Et tamen utrunq; nobis est non sine consilio Dei inditum, cùm quòd timemus rebus dilectis, ne quod diligimus, temerè perdamus: tum quòd rerum euentus à nobis sunt absconditi. Posterius hoc monet nos, ut tori à diuina prouidentia cuncta disponente pendeamus, quodq; faciendum est faciamus, factorum uerò euentus Deo cõmittamus, & ut prosperè cadant oremus. Prius reddit nos sollicitos, ne temeritate aliqua res charas discrimini obijciamus. Vtrunq; bonum & utile, si quod diligendum est, diligamus: & quod faciendum, ex fide faciamus. Vir sanctus non dicebat, Mors filij mei certo est temporis articulo determinata diuinitus. Si moriendum ipsi est in hoc itinere, nec debeo, nec potero impedire: sin minus, frustra caueo, ne occurrat ei mors. Ignorabat quando moriturus esset Beniamin, nec reluctabatur diuinæ dispositioni, nec Dominum tentabat, sed de salute filij conseruanda sollicitus erat, & affectus pro more parentum, id quod nihil habet illiciti, nec alienum est à sanctis. *Ingenium amoris.* *Ignorantia rerũ amori cõiuncta.* *Iacob nec reluctabatur diuinæ dispositioni, nec Deum tentabat.*

Illud, Et uenerunt filij Israel ad emendum, in medio uenientium, idem est quod, Et profecti sunt ad emendum, in medio proficiscentium. Vel intelligatur ut sonat, de aduentu eorum in Aegyptum, ut legatur, Et uenerunt filij Israel in Aegyptum ad emendum, &c. In medio uententium, Hebraismus est, pro, cum alijs uenientibus ad emendum. Quod additur, Quoniam fames erat in terra Canaan, rationem habet eius quod dixit, In medio uenientium, uidelicet Cananæorum. Quoniam fames etiam Cananæos premebat, & illi in Aegyptũ descenderunt, quibus se filij Iacob in itinere coniunxerunt. Nec curabat hoc ratione. Non sunt itinera illa tuta ab incursionibus uel latronum uel bestiarum, quibus eundum est per solitudines, uel aliàs loca non admodum habitata. Quare consueuerunt illarũ regionũ populi ateruatim proficisci, si quò longius est eundum, quo cõiuncti tueri se contra latronũ uel ferarum incursus queat. Qui soli sunt, multis sunt periculis expositi. Est igitur hoc inditũ nobis à Deo, ut homines hominũ societatem amemus. Vnde ille dixit, hominem esse animal ciuile ac societatis studiosum. *Periculoso itinere descenditur in Aegyptum.* *Solitudo periculosa.*

Quatenus pij cõiungi queant hominibus diuersæ religionis.

Hinc est, quòd coniunctim pagos, uillas, ac ciuitates inhabitamus, & legibus utimur, quibus societas ista indiuulsa & cum honestate conseruari possit. Hactenus non est illicitum sanctis hominibus cum illis uel habitando, uel proficiscendo coniungi, qui diuersæ sunt religionis & fidei, si fieri nequit, ut cum pietatis consortibus coniungantur, modò pietati suæ nihil hac coniunctione incommodent. Sic filij Israel in hoc itinere cum Cananæis in Aegyptum descendentibus salua pietate pro itineris huius necessitate & commoditate coniuncti fuerunt. Nec satis est homini iusto sic pro sua necessitate coniungi hominibus, ut rebus suis de securitate prospiciat: sed & illud requiri à se nouit, ut quod expectat à socijs pro ratione societatis, idem illis præstet & ipse. Qui defendi uult contra uim malorum, & ope coniunctorum hominum uti, iniquus sit oportet, si uicissim ad defendendum illos, atq; ita ad seruiendum communi securitati pro uiribus paratus esse detrectauerit. Quare inhumanum, iniquum, & à iure consortij humani prorsus alienum est, quod Anabaptistæ, phanaticum hominum genus, legibus humanæ societatis, quod ad defendendam publicam tranquillitatem attinet, subesse nolunt.

Anabaptistæ.

Et Ioseph potestatem habebat super terram, & ipse uendebat omni populo terræ.] In Hebræo est: Et Ioseph erat השליט super terram. Significat autem schalit dominum ac præfectum. Hinc est, quod principem Aegypti uocarunt Schultan, quem nonnulli uocant Soldan. Dicit Moses Iosephum fuisse dominũ super terram Aegypti uidelicet, & frumentũ omni populo uendidisse propter sequentia. Significat fieri nõ potuisse, ut filij Iacob frumentum emerent in Aegypto ab alio quopiam, quàm à solo Iosepho ipsorum fratre, propterea quòd ille dominus esset super terram, & ipse cunctis uenderet. Habebat quidem ministros suos quorum opera utebatur: uerùm id potestatis illis non erat, ut extra ipsius conscientiam cuipiam frumentum uenderent. Quare necesse erat omnibus frumentum empturis, ut ad ipsum uenirent & peterẽt. Etenim ipse quoq; Pharao cunctos ad eum mittebat, potestatem hanc Iosepho datã infringere nolens. Sic autem erat cõstitutum à Deo, ut per hanc occasionem necesse esset filijs Iacob ad ipsum accedere Iosephum, & coram illo sese pro constitutione regis flectere, ut & somniũ illius impleretur, & ille ipsis innotesceret, pararetuŕq; uia transferendi Israelis in Aegyptum.

Et uenerunt fratres Ioseph, & incurauauerunt se coram eo uultu ad terram demisso.] Sic implebatur quod ipse Ioseph præuiderat in somnio, fratribuśq; narrauerat, dicens: Putabã nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum ac stare, uestrośq; manipulos circunstantes adorare manipulum meum. Suprà cap. 37. Stabat hic Ioseph erectus à Deo & Pharaone, tanquam dominus terræ. Fratres eius circunstantes adorant eum, hoc est, sese illi incuruant, atq; ita faciunt ignoranter, quod se nunquam facturos putauerant, cum dicerent: Nunquid rex noster eris? aut dominando dominaberis nobis? Admonemur hoc loco, quomodo cõfilia & uaticinia Dei adimpleantur sæpenumero per ignorantiã. Præfiguratum erat, quòd filij Iacob incuruaturi sese essent coram fratre suo Iosepho. Faciunt hoc, sed ignoranter, quia scienter fecissent ægerrimè. Prædictum fuit quòd seniores populi Christum filium Dei reprobaturi essent, & interempturi. Fecerunt hoc, sed ignoranter. Nam si illum uerè cognouissent, Dominum gloriæ haud crucifixissent. Act. 3. 1. Cor. 2. Prædixit Apostolus futurum ut quidam temporibus nouissimis à fide discedentes attendant spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, quibus doceantur abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum à fidelibus cum gratiarũ actione, & prohibeantur nubere, 1. Timoth. 4. Vaticinium hoc impletum est per ignorantiam. Quis enim scienter doctrinis dæmoniorum attendere sustineat? Ea est igitur uerbi Dei firmitudo & ueritas infracta, ut necesse sit adimpleri illius omnia, etiamsi hoc per humani cordis cæcitatem & ignorantiam fiat, quæ nos tanta subinde occupat, ut quod omnium minimè facere uolumus, nec facturos nos unquam esse iactamus, imprudentes faciamus. Et reuera satius est, ut nos simus cæci, quàm ut mendax sit Deus, tametsi propter cæcitatem mala cordium nostrorum studia haud excusantur.

OBSER. *Ignorãtia nostra ministra Dei est plerunq; magis quàm scientia.*

Et uidit Ioseph fratres suos, ac cognouit eos, & alienum se ostendit erga eos, locutusq; est cũ eis dura, ac dixit ad eos: Vnde uenitis?] Erat iam impletum ex parte quod uiderat Ioseph somnium: reliquum erat ut se fratribus manifestaret. Verùm, quoniam ducendi primùm erant in cognitionem peccati sui, non sine consilio Dei manifestationem sui distulit, & interea nonnihil eos exagitauit. Tria hic de illo narrat Moses. Primum est, quòd cum uidisset fratres suos, statim eos cognouerit. Volebat hoc Dominus, qui causam hanc uniuersam dirigebat. Et præterea non erant adeò difficiles cognitu, propterea quòd cum uenderent eum, uiri erãt, & nihilo tum essent nec forma, nec habitu corporis immutati. Denique etiamsi non fuissent illi domestica & fraterna familiaritate noti, ex eo tamen uel solo satis poterant esse cognitu faciles, quòd hostiliter eum ac more latronum tractauerant, cum primùm occidere uolentes, tandem in cisternam abiecerunt, & postremò Ismaelitis uendiderunt, in quibus illos angustijs dubio procul intentissimè, ut fieri solet, inter supplicandum & eiulandum contemplatus est, ita ut nullus eorum, etiamsi antea nunquam uisi fuissent, menti ipsius penitissimè essent insculpti. Quotidie hoc fieri solet, ut qui in latrones incidunt, si euaserint, facies eorum ad mortem usq; cognoscant. Quare mirum non est, quòd fratres suos cognouit Ioseph. Secundum est, quòd alienum se illis reddiderit. In Hebræo est, ויתנכר אליהם. Non simpliciter dicit, Et non fuit ab illis cognitus: sed, Et fecit se alienum erga eos. Hoc est, studio cauit, ne cognosceretur ab eis, eaq; fecit quæ hominis non alieni modò, sed & malè erga ipsos animati speciem præferrent. Tertium est, quòd durè sit eos ac seueriter alloquutus. Faciebat ista non ex animo, sed per dispensationem ex instinctu spiritus Dei. Vnde uenitis, inquit? Dicendum erat, Quid petitis? Verùm ut duriusculè eos tractaret, non quærit quid petant,

Vnde fratres suos Ioseph statim cognouerit.

A tant, sed qui sint, & unde ueniãt: id quod nõ pertinebat ad causam propter quã uenerãt, pertinebat uerò ad id quod maioris erat momenti, & cumprimis erat cum illis agendum.

Poterit autem, quod durè illos accepit, inhumanum admodum & insolens uideri, si nihil scias præter externam factorum præsentium speciem. Quod personam Ioseph attinet, & si dominus erat Aegypti à rege constitutus, erat tamen & ipse peregrinus in ea terra, fueratq; ante paucos annos seruus emptitius, & præterea carcere damnatus, unde ad istam dignitatem præter omnem expectationẽ subl matus uenerat. Quod filios Iacob concernit, erant illi homines peregrini, & uenerant ad emendum cibos, famis necessitate compulsi, cuius uis communiter omnibus est hominibus intolerabilis, ob quam causam non durè, sed humaniter & benignè accipi debebant, ab eo præsertim qui ad hoc erat per diuinam dispositionem à rege in id potestatis euectus, ut eorum qui fame premerentur necessitatibus consuleret, ac frumentum in eos usus collectum dispensaret. Itaq; horum consideratione admodum inconueniens uideri potest, quòd eos tam durè accepit, ut taceatur quod erat illis fraterni sanguinis propinquitate coniunctus, id quod utiq; non ignorabat. Verùm quod agebat, non temerè, neq; ex animo, sed iustissimo consilio agebat. Videmus igitur hoc loco, quàm non sint nobis iustorum & sanctorum hominum facta secundum externam faciem temerè iudicanda. Ingenio sunt miti, humano & placido: uerùm usuuenit nonnunquam, ut etiam erga coniunctissimos duritiæ ac seueritatis speciem induere cogantur, donec tempestiuum sit, ut beneuolentiæ suæ serenitatem ostendant. Solet Deus ipse sic alienum à se opus subinde facere, ut bonitatis ingenium, quod sibi proprium est, hoc postea luculentius declarare posit. Habes exemplum Christi, qui mulierculam Cananæam præter morem suum initiò durè accepit, postea uerò clementissimè à se dimisit.

Quare fratres suos Ioseph tam durè acceperit.

Facta sanctorum non esse secundũ externam faciẽ iudicanda.

Et dixerunt, De terra Canaan, ad emendum cibos.] Duo respondent. Vnum, ad id quod interrogabantur: alterum de eo, quod non quærebatur ab ipsis. Interrogabantur unde uenirent. De terra Canaan, inquiunt. Et ut causam aduentus sui exprimant, etiam quod non quærebatur aperiunt, dicentes, Ad emendum cibos. Cogitabant ob id se interrogari, unde uenirent, ut aduentus sui rationem redderent, ideo illam confestim edixerunt.

Et cognouit Ioseph fratres suos, illi uerò non cognouerunt eum.] Suprà dictum est, non esse mirũ quod eos cognouit. Repetitur hoc à Mose, propter sequentem particulam. Illi uerò non cognouerũt eum, quod & ipsum nihil habet admiratione dignum. Erat enim ab eo tempore, quo uendiderant ipsum, plurimũ & corporis statura, & forma faciei mutatus, cui accedebat etiam splendor dignitatis ac maiestatis, quæ B ne suspicionẽ quidem uel tantillam in animis illorum oriri sinebat, quòd ipse ante quem stabant, & cui sese incuruabant, esset Ioseph ipsorum frater.

Imago Christi.

In eo quod Ioseph fratres suos cognouit, ab eis uerò non est cognitus, expressam uides imaginẽ eorũ quæ inter Christum ac discipulos eius post resurrectionem euenerunt. Cum appareret Mariæ ad sepulchrũ ipsius ploranti, cognoscebat eam, at ab ea nõ cognoscebatur, donec sese illi reuelasset. idem euenit & duobus discipulis euntibus in Emaus. Et hodie sic est absconditus in gloriã regni cœlestis, ut à paucissimis cognoscatur, cum ipse interim cognoscat omnes. In fine uerò mundi, cum uenerit ad iudicandũ uiuos & mortuos, tum cognoscemus eum, quemadmodum nunc ab illo cognoscimur. Imò tum cognoscetur ab omnibus, etiam inimicis, qui eum uendiderunt, emerunt, condemnarunt, tradiderunt, & crucifixerunt.

Et recordatus est Ioseph somniorum quæ somniauerat ipsis, dixitq; ad eos: Exploratores estis, ad uidendum immunita terræ uenistis.] Non modò cognoscebat eos, sed uidebat etiam, q; non cognoscereturab ipsis. Et cum uideret eos sibi tanquam domino terræ supplices esse factos, & subinde coram se humiliari & incuruari, incipit recordari somniorum quæ olim in terra Canaan somniauerat, in quorum recordatione, immo & intelligentiam ex re præsenti inducebatur. Antea illa nec intellexerat, nec in memoria retinuerat. De illis itaq; admonitus, cogitat sic agendum esse cum fratribus, ut reipsa experiantur, stare se coram eo qui sit dominus terræ, & cuius potestatem non modò suppliciter uenerari, sed & formidare cogantur, ut posteaquam reuelatus ipsis esset, ueritatem somniorum suorum non simpliciter ac leuiter, sed cum timore & per experientiam cognoscant. Vt hanc mentem Iosephi exprimat Moses, priusquam commemoret, quomodo durè sit fratres suos alloquutus, explorationisq; insimularit, præmittit de recordatione somniorum, innuens hinc illum fuisse motum, ut eos tam seueriter alloqueretur. Et huc pertinere arbitror, quod cum dixisset, Et recordatus est Ioseph somniorum quæ somniarerat, adiecit לחם, id est ipsis, quod ad uerbum recordandi referendum esse puto, ut sit legendum: Et recordatus est ipsis Ioseph somniorũ quæ somniauerat, hoc est, memor somniorũ quæ olim somniauerat, dixit ad eos, Exploratores estis. Germanicè dicimus: *Ich will dirs gedencken.* Item, *Er hat in der träum gedacht.* sunt qui referant illud לחם ad uerbum somniandi, ac legant: Quæ somniauerat de ipsis, quasi sit עליהם quemadmodum & R. Shlomoh exponit. Septuaginta & latinus Interpres particulam hanc prorsus neglexerunt.

לחם

Et recordatus est Ioseph somniorum, inquit, quæ somniauerit ipsis.] Obserua. Somnia sua Ioseph tempori non intellexerat, neq; de illis cogitauerat, donec reipsa & perspicuè implerentur, & in memoriam ipsi reuocarentur. Sic ad effectum uenerunt, ut ipse ad impletionem illorum ne cogitando quidem, nedum studendo ac meditando quicquã contulerit. Sic solet Dominus consilia sua sæpenumero sine nostra conscientia etiam in nobis ipsis perficere.

Somnia sua Ioseph ad id usque temporis nõ intellexerat.

Quare Deus olim somnia ista Iosepho immiserit.

Deinde uide hic, ad quid olim somnia ista Iosepho immiserit Deus. Ad hoc uidelicet, ut cum fieret, quod futurum erat, illorum recordaretur, & ex illis consilium diuinæ prouidentiq intelligeret, qua de re & suprà memini, cap. 37.

Dixitq; ad eos, Exploratores estis. Durè satis. Sciebat eos non esse exploratores, uerũ sic alloquitur quasi peregrinos & exteros. Et quoniã se de terra Canaan uenire dixerãt, exploratores esse dicit, uelut ex eo motus, quòd Philistei, terrq Canaan inhabitatores, bellis ac prædis studerẽt, unde est q; Aegyptij uulgo latrones uocabant Philistas, id quod & Seneca meminit lib. Ep. 7. Epistola 52. Illud, Ad uidendũ immunita terrq ueniſtis, in Hebræo est לראות את ערות הארץ באתם, id est, ad uidendũ nuditatem terrq ueniſtis. Sunt qui per nuditatẽ secreta interiora terræ intelligant. Sept. uerterunt, ueſtigia regionis, id est *weg vnd steg im land*. Verùm, meo iudicio, non incommodè uertit hic latinus interpres, Immunita terræ huius considerare ueniſtis. Nudum enim uulgo uocare solent eum locum, qui non est muris ac propugnaculis aduersus hostiles insultus cõmunitus. Sic & Germanicè dicimus, *Die stat ist gar bloß*, item, *nackte vnd bloße knecht*, id est, non satis armatos & munitos milites uocamus. Et latinè, inermes uocamus nudos. Quamuis non est animo Ioseph, sed simulanter ad hunc modum allocutus sit fratres suos, in eo tamen quod Mispat principalis officij hac in re expresit, exemplum uidemus eius curæ, quæ concernit prouinciarũ & regionum præfectos. Horum est, sollicitè obseruare aduentũ hominum exterorũ, præcipuè si ueniant ex illis populis, de quibus notum est, q; hostiliter sint animati, bellorumq; ac proditionis studioſi. Hac nostra ætate ciuitas quædam imperij magno suo malo socordiæ huius & negligentiæ pœnas dedit, qua hominibus inimicæ nationis omnia sua infirma & immunita loca considerare & scrutari permisit. Admonemur etiam de eo, q̃ sit opus ut infirma nostra diligenter custodiamus, ne ad illa sit accessus hostibus nostris, malis scilicet spiritibus, qui circueuntes omnia nostra explorãt & quærũt qua nos parte adoriri ac prosternere ualeant. Caro nostra admodum est infirma & nuda. Summa itaq; gerenda est illius cura, ne per hanc nos Satanas, sicuti Adamum per Euam, uincat & perdat.

Cura præfectorum prouincialium.

Infirma nostra custodienda.

Et dixerũt ad eum: Non domine sed serui tui uenerunt ad emendum escam. Nos omnes uiri unius filij sumus, recti sumus, non sunt serui tui exploratores.] Duo faciũt. Primò, negant se esse exploratores & ad uidendũ immunita terræ ueniſſe. Negant autem hoc modestè ac reuerenter, sicuti solent supplices, cũ dicũt: Non domine. Item, Recti sumus, non sunt serui tui exploratores. Deinde affirmant uerum esse quod dixerant, ueniſſe se ad emendum escam. Sed serui tui, inquiunt, uenerunt ad emendum escam.

Ad impletionem somniorum Iosephi facit, quòd dominum eum & se seruos illius uocant. Quòd uerò intermiscent, Nos omnes uiri unius filij sumus, ad hoc dicunt, ut isto ueluti argumento doceant se non ueniſſe per conspirationem proditoriam ad explorandum terrã. Videtur enim haud esse probabile, ut pater decem filios explorationis gratia à se dimittat, cum ad id negocij non filij, sed serui, & si per occasionem filij quoq;, haud tamen tanto numero, mitti consueuerint.

Consuetudo magnatum.

Et ait ad eos: Non, sed ad uidendum immunita terræ ueniſtis.] Consuetudinem magnatum & potentium exprimit Ioseph, qui quod semel dixerunt, haud facile de mendacio suspectum reddi sinunt. Deinde, satis esse iudicant, si constanter affirment, etiamsi nihil argumentorum adducant. Volunt enim authoritatem suam comprobationis esse loco. Sic Ioseph hic, quod semel dixerat, & à fratribus ipsius negatũ fuerat, nonniſi repetendo affirmat.

Et dixerunt: duodecim, serui tui, fratres sumus, filij uiri unius in terra Canaan, & ecce minor hodie cum patre nostro, & unus איננו, *id est non ipse.* Hoc est, nusquam est, nusquam comparet, nescimus ubi sit.] Cum timore respondent. Non audent dicere: Nequaquã exploratores sumus, ne animũ principis in se prouocent, sed modestè repetunt, quod se unius uiri filios esse dixerãt. Hoc tamen addunt, esse se numero duodecim fratres. Et quoniam decem duntaxat aderãt, sicuti putabant, de duobus reliquis rationẽ reddunt dicentes, Minor natu apud patrem est, duodecimus nusq;ã est. Interea obserua q̃ cautè respondeant: Non dicunt quis sit ipsorũ pater, sed simpliciter uocant eum uirũ in terra Canaan. Sciebant nomen Hebræorũ exitiosum esse Aegyptijs. Ideo nõ dicũt, Hebræi sumus, patre Hebrœo nati. Quod uerũ est dicũt. Erant numero duodecim fratres. erant unius uiri in terra Canaan habitantis filij, minor erat apud patrem, de duodecimo, ubi nam esset nesciebant, sed iudicabant eum forsan esse extinctũ. Hæc uerè dicunt: uerùm non exprimunt in uniuersum omnia quæuera esse sciebant. Debebãt dicere: Pater noster uir Hebræus est. Huius sumus filij numero duodecim. Iunior est apud patrem, reliquũ uendidimus Ismaelitis ignari ubi nam gentiũ agat. Itaq; hæc duo tacent, quòd Hebræi erant, & quòd fratrem suum uendiderant. Sic solet caro quæ uera sunt dicere, ut quę ipsi sunt incommoda, egregiè subticeat ac dissimulet.

Quam cautè respondeant.

Quomodo caro quæ uerum sunt dicat.

Tenebræ ignorantiæ.

Obseruandum hic est, quod dicunt, Et unus non ipse: de Iosepho loquentes, in cuius conspectu stabant, & suppliciter quod de ipsis præmonstratum fuerat, adimplebant. Putabant eum esse extinctum, quem tanquam dominum terræ coràm uenerabantur. Hæ sunt tenebræ ignorantiæ. Sic Maria cum ipsi præsenti Christo loqueretur, dicebat: Sustulerunt dominum meum, & nescio quò posuerint eum. Si tu sustulisti eum, dicito mihi.

Seipsi produnt.

Deinde & illud obserua. Arbitror eos sic fuisse animatos, ut si cognouissent ipsi Iosephũ, maluissent ab illo nõ cognosci q̃ cognosci. Nihil enim minus ferre potuissent, q̃ uultũ & conscientiã illius præsertim in tam magnã potestatẽ sublimati in quẽ tam enormiter peccauerant. Et tamen, quantũuis cautè loquerentur, talia de ie prædicarunt, quibus cognitionẽ sui in mente Iosephi fratris statim primo aspectu conceptam subinde magis atq; magis confirmarunt. Vtpote, quòd essent de terra Canaan: deinde, quòd

essen

essent fratres omnes unius uiri filij. Tertiò, quòd essent numero duodecim. Quartò, quòd iunior ex ipsis adhuc esset cum patre. Quintò, quòd unus nusquam esset. Hæc omnia pulchrè declarabant Ioseph, q̃ essent ipsius fratres. *Sic accidit illis, qui caligine ignorantiæ inuoluti studiosè cauent, ne cognoscant.*

Et ait ad eos Ioseph: Hoc ipsum est quod loquor ad uos dicens, Exploratores estis.] Quasi dicat: Dum uos numero duodecim unius uiri filios esse dicitis, proditiã uos ipsi, & probatis uos esse exploratores. Figmentum nanq; est, quod dicitis. Quis enim credat uni priuato uiro tot esse ac tales filios? Et si quisquam tales habeat, quid necesse fuerit omnes uno duntaxat domi detento, à se ad emendum frumentum ablegare? Quare patet uos ista fingere, adeoq; exploratores esse, quemadmodum dico.

Industria Ioseph.

Vide industriam Ioseph. Cum dixissent, Et unus nusquam comparet, poterat eos urgere ac dicere: Quis est ille unus? Quomodo uocatur? Et quomodo illum amisistis? Mortuus ne est in domo patris uel deuoratus à bestijs? Aut bello captus? Vel à uobis hominibus exteris uenditus, & in alienas terras abductus? Rem ipsam dubio procul non edixissent, sed præter ueritatẽ aliquid respondissent, in quo mendacij argui potuissent. Verum in id latus Ioseph incumbere nolebat, ne ante tempus ab ipsis cognosceretur. Quin hoc magis urgebat, esse eos exploratores, non quod hoc ageret, ut comprobaret eos esse tales, sed ut quo magis exploratores se non esse asseuerabant, hoc magis quinam essent declararent, ac statum domus paternæ exponerent. Sic industrie dum aliud simulat, aliud uenatur. Et illi consilium eius non intelligentes dum nolunt uideri exploratores, ea produnt, quæ ille uolebat, ipsi uero omnium minime cognita esse uoluissent, si se in conspectu Ioseph stare intellexissent.

Ioseph aliud simulat, & aliud agit.

In hoc probabimini: Viuit Pharao, si hinc exieritis, nisi ueniat frater uester minor huc. Mittite ex uobis unum ut accipiat fratrem uestrum, & uos in uinculis estote, ut probentur uerba uestra, num sit uobiscum ueritas. Sin minus, uiuit Pharao, exploratores estis.] Diligebat fratrem suum Beniamin, quod esset ipsi uterinus. Et suspicabatur fuisse eos erga illum quoq;, quemadmodum erga se malignos & iniquos. Redigit igitur eos in id necessitatis, & sic constrictos tenet & urget, ut cogantur uel adducere Beniamin, sibiq; coram sistere, uel notã & culpam ferre mendacij, adeoq; omni innocentiæ suæ defensione destitui. Sic dicit: In hoc probabimini. Quid illud sit, declarationis gratia subijcit dicens: Viuit Pharao, si hinc exieritis, hoc est, nequaq; hinc exibitis nisi ueniat frater uester minor huc. Mittite ex uobis unum, ut accipiat fratrem uestrum, adducendi uidelicet gratia, & uos in uinculis estote, ut probent uerba uestra, &c. Ne putent rem leuiculã adducendi uidelicet gratia, & uos in uinculis estote, ut probent uerba uestra, &c. Ne putent rem leuiculã agi, adhibet iuramentum Aegyptium, quod infringi non licebat. Deinde constringit eos duplici necessitate, ad hoc, ut Beniamin ad se adducant. Vna est uinculorum, altera comprobandæ ueritatis, ne in mendacio deprehensi pœnas exploratorum subire cogantur. Cognoscebat eos quales essent. Ideo non dicit: Si ueraces estis & innoxij, permitto uobis ut accepto frumento abeatis omnes ad patrem uestrum, modò promittatis, quod iuniorem uestrum fratrem huc ad me adducere uelitis, ut comprobem uos esse homines innoxios. Huiusmodi illis copiam abeundi non permittit, sed ui cogit sibi sistere fratrem. Hic est usus potestatis & coactionis in magistratu.

Exemplum iusti iudicis.

Obserua. In hoc probabimini, inquit. Affirmat quidem esse eos exploratores, uerùm nihil eorum decernit in eos, quæ debentur exploratoribus, sed primũ requirit ab illis, ut se tales non esse comprobent, quoniam tales uideri & haberi nolebant. Vides exemplum iusti iudicis, cui non debet esse satis, si accusator nisi etiam certò probet uerum esse quod obijcit.

Quare iurauerit Ioseph per uitam Pharaonis.

Viuit Pharao, inquit. Quæritur hoc loco, quare iurauerit Ioseph per uitã Pharaonis, cũ pio homini nõ sit iurandũ, nisi per Deũ. Respondent nonnulli, factũ hoc ab illo esse nõ pro more suo, sed per dispensationẽ, ut se corã fratribus, à quibus nondũ cognosci uolebat, Aegyptiũ esse fingeret. Rursus alij dicũt, iurare eũ nõ per Deũ, sed per creaturã ob id uoluisse, q̃ sciret se neq; serió, neq; ueraciter, sed fictè iurare. Verùm etiã sic iurãdo in Deũ peccaũ, sicuti uidere est Matth. 5. Quare alij sic iuramentũ hoc excusant, ut dicãt, iurare per uitã & salutẽ Pharaonis, esse iurare per Deũ ipsum, quòd is & Pharaonis & omniũ salus sit & uita. Deinde quæritur ab Augustino, qũo defendi possit à periurio, quod iurauit, dicẽs: Viuit Pharao, nõ exibitis huic nisi ueniat frater uester minor huc, cũ tamen postea eos prius q̃ ille ueniret, cũ frumẽto à se dimiserit. Respondet, firmitudinẽ iuramẽti huius eo cõsistere, q̃ nõ omnes dimisit, sed unũ loco illorũ in custodia tenuit, præsertim cũ nõ determinatè iurauerit q̃d neminẽ dimittere uellet. Adhuc quæritur, qũo rursus per Pharaonẽ iuret, dicens. Sin minus, uiuit Pharao exploratores estis, cũ sciret eos nõ esse exploratores, præsertim tales q̃ immunita terræ cõsiderare uellẽt, deinde etiãsi Beniamin adducere uel noluissent, uel nõ potuissent, immo in mendacio palàm deprehensi fuissent, nõ ideo mox certò exploratores eos esse cõstitisset. Potuit enim fieri, ut & mentirentur, & tñ exploratores nõ essent. Respondendũ esse putat, illud, Exploratores estis, idẽ esse atq; exploratorũ pœna digni estis, hoc est, merito mẽdacij uestri, pro exploratoribus habebimini. Sic excusat iuramentũ hoc Iosephi, ne ad hũc modũ iurãdo peccasse uideat. Nemini præiudico. Meo iudicio, non est opus ut probemus nihil deliquisse Iosephum, præsertim in hoc iuramento, quod omnino ethnicũ est & alienũ à cõsuetudine & pietate maiorum, Abrahæ, Isaac & Iacob: deinde si iustificet, illis patrocinari putabit, q̃ per creaturas iurare consueuerũt, nec peccare se putãt, si temerè, fictè, & nõ ueraciter iurẽt, modò à nomine diuinæ Maiestatis abstineãt. Nõ dãno factũ Iosephi, uerùm neq; perinde iustificandũ esse puto, sicuti iustificari possunt iuramenta maiorum.

Quomodo Ioseph defendi possit à periurio, quæst. Augustini.

Alia quæst. Aug.

Ad illud, quod dicit, Mittite ex uobis unum, ut accipiat fratrem uestrum, & uos in uinculis estote, ut probentur uerba uestra, num sit uobiscũ ueritas: Sin minus, uiuit Pharao, exploratores estis, ppter uerba Augustini, quibus dicit, non mox exploratores esse eos qui mentiuntur, paucis annotandum esse uide-

Refert in quo mendacio deprehendatur quis stat coram iudice.

tur:referre in quo mendacio deprehendatur,qui explorationis accusatus stat coram iudice. Accusabantur fratres Ioseph,quòd essent exploratores. Vt innocentiam suam tuerentur,& indicarent se non esse exploratores,responderũt se esse numero duodecim unius uiri filij, minorem adhuc esse apud patrem, unum supersse nusquam. Quoniã ista pro defensione innocentiæ suæ adferebant, in hanc necessitatem coniiciebant ipsi,ut uel uera illa esse comprobarent:uel si hic mentiti conuincerentur, obiectam explorationis culpam sustinerent,ac supplicium subirent. Etiamsi non erant exploratores, meritò tamen pro talibus à iudice damnari potuissent, si in uerbo defensionis suæ mentiti esse conuicti fuissent. Iudex enim in causa dubia nõ iniquè iudicat, si sententiam secundũ uel ueritatem uel mendacium accusati tulerit. Etenim quum defensionis suæ gratia dicerent,Habemus iuniorem fratrem domi apud patrem: sic hoc dicebant, ut pro exploratoribus habendi essent, si mentiti esse deprehenderentur, ut hic locum habeat illud: Ex uerbis tuis iustificaberis,& ex uerbis tuis condemnaberis.

Et *collegit eos in custodiam tribus diebus,ac dixit ad eos die tertio,Hoc facite & uiuite. Deum ego timeo. Si re cti estis,frater uester unus ligetur in domo custodiæ uestræ,& uos abite, ferte frumentum famis in domos uestras, ac fratrem uestrum minorem adducite ad me,ut uerba uestra uera esse probentur,nec moriamini. & fecerunt sic.* Iusserat unum ex illis remittere domum,ad afferendum Beniamin,cæteros interea esse in custodia. Quoniam dura uidebatur hæc conditio, & illi neminem ex ipsis miserant, quod uel nemo illorum eam in se prouinciam recipere uellet,uel ipsi neminem communi sententia eligere possent,ideoq; omnes in custodia tenebantur:considerata Ioseph paternę domus necessitate,mitigat sententiam die tertio,dicens:Hoc facite,& uiuite. Nõ loquit̃ de eo quod antea illis imposuerat,ut uidelicet unũ mitterent ad patrẽ,reliqui interea essẽt in uinculis:sed intelligit de eo q̃d dicturus erat, uidelicet,ut uiceuersa unus loco omniũ esset in uinculis,cæteri nouẽ domũ abirẽt. Quare incõsulte uertit latinus interpres: Facite quæ dixi,& uiuetis.

Et collegit eos in custodiã,inquit, tribus diebus. Non simpliciter abiecit in custodiam,sed collegit in custodiam. Hoc est, non diuisim,sed coniunctim uoluit eos esse in custodia. Aliàs solent à se inuicem separari,qui eandem ob causam custodiæ traduntur. Sic uoluit eos & mitius tractare in custodia,& simul opportunitatem permittere,ut inter se de mittendo aliquo consultarent. Tribus diebus,inquit. Propter ipsorum malitiam plures ipse annos, quàm ipsi dies, in custodia fuerat, ut cisternam taceam, in quam ipsum interimere uolentes coniecerant, & seruitutem in quam uendiderant. Quare nihil hic iniqui factum est à Iosepho, quod eos custodiæ triduanæ tradidit. Admonemur dum hæc legimus, ut hasce rerum uices metuentes,nullius imbecillitatem siue potentes siue multi contemnamus, & contemnendo per iniuriam lędamus. Facile erat decem uiris puerum imbellem abiicere in cisternam, & postea in terras ignotas abducendum uendere. Verùm huic puero postea facillimum fuisset iusta eos talione non modò custodiæ, sed & neci tradere,siquidem ulcisci se uoluisset. Hinc est,quod qui leuiter ac temerè peccant in pueros, admoneri solent, ex pueris fieri uiros. *vß kinden, spricht man, werden auch leüt.*

Ne puer quidem iniuria afficiendus est.

Pietas & humanitas Iosephi.

Ac dixit ad eos,inquit,die tertio,Hoc facite & uiuite:Deum ego timeo. Habes hic in Iosepho pulcherrimum exemplum pietatis pariter & humanitatis, unde motus prioris sententiæ seueritatem mitigauit. Pietas erat,quod dicebat: Deum ego timeo. quasi dicat: Metuo ne durius agam uobiscum, & peccem in Deum,incidamq; in illius iram si uos occidero,causa nondum cognita. Humanitas erat,quod nolebat eos qui in domo paterna erant, diutius fame torqueri,ideoq; non simpliciter dicebat, Abite & ad ferte fratrem uestrum iuniorem:sed addit, Ferte frumentum famis in domos uestras. Frumentum famis uocat frumentum propter famis necessitatem emptum. Sunt ista imitanda iudicibus & magistratibus, ut & ipsi Deum timentes, & humanitatis sensu prædíti,si quid durius statuerint in quenquam, mutata sententia mitigent, etiãsi grauius ille suppliciũ sit meritus,ubi pœna illius insontibus est incõmodatura.

Durior sententia mitiganda.

Illud,Et fecerunt sic,idem est,atq;,Et receperunt se sic facturos. uel, summatim primùm positum est, quod postea,quomodo factum sit,exponitur. Huic sententiæ facilius obtemperare potuerunt q̃ priori. primùm propterea quòd credibilius erat multos q̃ unum tantum, à patre impetraturos, ut Beniamin mitteret in Aegyptum. Deinde,quòd si unus duntaxat ad patrem peruenissẽt, grauius hæc causa animũ illius afflixisset,quàm quod uno detento in uinculis,nouem cæteri redierunt.

Et *dixerunt uir ad fratrem suum: Verè peccauimus in fratrem nostrum, quod angustiam animæ illius uidentes, dum deprecaretur erga nos,non audiuimus, ideirco uenit super nos ista tribulatio. Et respondit eis Ruben, dicens: Nonne dicebam uobis dicendo,Ne peccetis in puerum,& non audiebatis? Et nunc etiam ecce sanguis eius requiritur. Et ipsi nescicbant quòd audiret Ioseph,propterea quòd esset inter ipsos interpres.*] Exponit Moses qũo affecti fuerint fratres Ioseph post triduanam incarcerationẽ. Et dixerunt uir,inquit,ad fratrem suum,id est, alius ad alium: Verè peccauimus in fratrem nostrum,&c. Excitabatur in animis illorum conscientia peccati olim in fratrem admissi. Vides igitur hoc exemplo,peccatum etsi actu transeat, reatu tamen ueluti latere in cordibus nostris,sic ut cum sepultum obliuioniq; traditum esse uideatur,suo tempore resurgat, ac renouetur. Diu erat,quòd isti Iosephum fratrem suum uendiderant,uidebaturq; peccatum illud,prorsus esse inueteratum & obliteratum. Verùm ubi minus putabatur, in animis illorũ reuixit. Deinde ob serua,unde peccatũ hoc in cordib. illorũ renouet. Ex tribulatione quæ ipsis à Iosepho inferebat. Idcirco, inq̃t,uenit super nos ista tribulatio. Donec omnia,prorsus succedũt,nõ est in nobis ullapræcedentiũ delictorũ recordatio. Tribulatio remouet lapidẽ sepulcri huius, in quo præteritæ uitæ nostræ delicta ueluti sepulta iacẽt. Vbi tribulamur,cogitamus de causis tribulationis. De illis cogitãtib. nisi,prorsus obturati & impij simus,occurrit peccatorũ nostrorũ cõscientia,& mõstrat causas afflictionũ, præterita uidelicet delicta.

Reatus peccati latet in corde.

Tribulatio renouat peccatum in corde.

delicta. Vides hic quid illa in animis nostris excitata faciat. Primùm, renouat peccatum, quod mortuũ uidebatur. Deinde condemnat nos, ac reos constituit peccati. Tertiò impellit etiam ut nos ipsi peccatores esse confiteamur, nosq; ipsos accusemus. Quod aliàs ægrè cogitaremus penes nos ipsos, & omniũ minimè ab alijs dici sustineremus, id ultrò impellente nos conscientia non cogitamus modò, sed & ore nostri ipsorum accusatores ac iudices proferimus. Sic dicunt isti: Verè peccauimus in fratrem nostrum. Nec simpliciter & in genere peccatores nos esse confitemur, sed si qd enorme peccando admisimus, idipsum cum primis accusamus. Sic audis eos hic nõ simpliciter dicere, Verè peccatores sumus: sed, uerè peccauimus in fratrem nostrum. Poterant recordari cædis ac uastationis Sichimitarum: uerùm cogitant potius de peccato in fratrem admisso, & de illo cogitantes id factum præ cæteris memorant, quod omniũ est inhumanissimum, in quemcunq;, etiam alienum & incognitum, nedum in fratrem, admissum. Quòd angustiam, inquiunt, animæ illius uidentes, dum deprecaretur erga nos, non audiuimus. Non dicunt, Quòd illum in cisternam abiecimus: uel, alienis hominibus in regiones incognitas abducendum uendidimus: sed Quòd angustiã animæ illius uidentes, dum deprecaretur erga nos, non audiuimus. Sic duritiem suam omnium inhumanissimam in fratrem anxium & anxiè deprecantem declaratam in toto illo peccato nominatim accusant. Saxea durities in eo perstringitur, quòd non simpliciter dicunt, Quòd de angustia fratris non cogitauimus: sed, Quod uidentes angustiam animæ illius. Quomodo hanc uidere nt? Dum, inquiunt, deprecaretur erga nos, non audiuimus. Quasi ipsam faciem angustiati, plorantis, eiulantis, manus supplices extendentis, inq; genua ante ipsos prolabentis uerbo deprecandi sibi ipsis renouant, & ante oculos proponunt. Vides hic non habere locum extenuationem peccati, nedum dissimulationem & hypocrisim, sed ueram ac grauem illius accusationem, idq; sic prolatam, ut non solum ad se quisq;, sed alius ad alium eiusdem peccati rei ac conscij delictum hoc confessi sint.

Conscientia peccati quid faciat.

Quartò, meritam ultionem agnoscere facit: & huic tribuit, quicquid tribulationis quomodocunq; & undecunq; infertur. Sic isti non accusant duritiem, inclementiam, aut iniquitatẽ Iosephi, licet explorato res se non esse scirent, ac rectè obiectum crimen negarent, sed afflictionem omnem peccato suo olim in fratrem admisso, atq; ita meritæ ultioni tribuunt dicentes: Idcirco uenit super nos ista tribulatio. Erat quidem Ioseph is ipse in quem peccauerant: uerùm id erat ab animis illorum absconditum. Quid putas dixissent, si se ante eum ipsum stare cognouissent, in quem tam peccauerant enormiter? Magna prudentia sic sunt ista à Iosepho gesta, ut & non cognoscerent ipsum, & tamen in recordationem peccati sui inducerentur.

B

Nos hic admonemur: primùm, ut quandocunq; ad peccandum in fratres sollicitamur, cogitemus: Si peccauerimus, ueniet super nos aliquando tribulatio, etiam si in præsenti impunes euaserimus, quemadmodum accidit filijs Iacob. Deinde, ut tribulationibus pressi recurramus ad facta præteritæ uitæ nostræ, inq; illis causas tribulationum, non in illis per quos affligimur quæramus, atq; ita meritam ultionem à Deo immissam agnoscamus.

Præcauẽdum ne propter peccatũ incidamus in tribulationes.

Causæ tribulationum ubi quærendæ.

Hæc de conscientia peccati per occasionem præsentis loci, admonere uolui, quid illa in cordibus nostris excitata operetur. Planè autem multum refert, quibus ista, quomodo & quando accidant. Si pijs, dum in hac uita sunt, prodest ipsorum saluti. Si impijs, post mortem apud inferos, uel in ipso mortis articulo, uel in die iudicij, ubi gloriam eorum uidebunt, in quos peccauerant, cuius rei mentio fit Sap. 4. circa calcem, & initio cap. 5. tam abest ut ad salutem illorum faciat, ut magis cruciatum & angustias illorum exaggeret.

Et respondit, inquit, Ruben dicens: Nonne dicebam uobis dicendo, Ne peccetis in puerum, & nõ audiebatis. Ea de re uidimus suprà cap. 37. Nos hic admonemur, quomodo Deus plerunq; sic res nostras dispenset, ut peccaturos uel ipsa conscientia tanq; interna monitrix, uel aliquis ex proximis dehortetur, quo postea omni excusatione priuemur. Sic accidit istis. Non poterãt dicere: Nemo nos à proposito nostro auocauit, nemo præmonuit, nemo dehortatus est, alioqui admoniti cohibuissemus nos ipsos. Hãc illis excusationem ademit Ruben, non semel, sed secundò, cum in ipso essent peccandi proposito, ac nunc quoq; cum cerneret eos sensu esse ac dolore peccati tactos.

Præmonitio admittit peccantibus excusationem.

Et non audiebatis, inquit.] Obserua obstinationem, qua instinctu satanæ peccantium animi obturantur. Hic non sunt aures audiendi, non est cor rectis monitis acquiescendi, nec sensus ullus ad conspectũ fraternæ angustiæ miserendi ac parcendi. Cum, inquiunt, uideremus angustiam animæ illius, & deprecaretur erga nos, non audiuimus. Et hic Ruben: Nonne dicebam uobis dicendo, Ne peccetis in puerũ, & non audiebatis? Audierant quidem auribus, & deprecationes fratris angustiati ac supplicis, & uerba dehortantis Ruben: uerùm cordis duritie obstinati, neutri acquiescebant. Non est autem hoc uerè audire, si auribus quidem audias, corde uerò in scelere pergas. *Et etiam ecce sanguis eius requiritur.*] Sic est in Ebræo. Sensus est: Quoniam non audistis nec puerum deprecantem, nec me dehortantem, sed in scelere perrexistis, ecce iam etiam sanguis eius requiritur. Quoniam ista afflictio non unũ & alterum, sed simul ipsos omnes corripuerat, quotquot uenditionis fratris erant conscij, omnino uidebatur ipsis diuina ultione inferri propter uenditum Iosephum. Non simpliciter dicit, Ecce pœnas peccati damus: sed, Ecce etiam sanguis eius requiritur: hoc est, ad mortem poscimur, pro sanguine illius, qui de manu nostra requiritur, sanguis noster iudicio sistitur. Nam scelus explorationis, quod illis obijciebatur, capitale est, & Ioseph aliquoties mortis mentionem fecerat. Atqui non fuderant sanguinem Iosephi. Quomodo itaq; dicit, En etiam sanguis eius requiritur? Respondeo: Non fuderant illius sanguinem, uerùm

Exemplum obstinationis.

in ea

in ea illum discrimina coniecerant,ut perinde esset in periculis mortis,ac si ipsi eum interemissent, præsertim cum ab hera sua falso accusatus custodiæ manciparetur. Et ipsi,quoniam ab eo tempore,quo uenu diderant eum,nihil amplius de illo perceperant,quid aliud cogitare poterant, quàm esse eum ex hac uita sublatum? unde & dicebant, Et unus haud supereſt amplius. Sic dictabat conscientia Ruben, esse ipsos reos sanguinis,licet sanguinem non fudissent,ideoq; iam sanguinem fratris de manibus ipsorum requiri. Communi sensu constat,sanguinem innoxium diuina ultione requiri.

Et ipsi nesciebant,inquit, quòd audiret Ioseph, propterea quòd esset inter ipsos interpres. Hoc est, quòd non per se lingua Canaan,sed per interpretem cum eis lingua Aegyptiorum ageret,quasi linguã eorum non intelligeret. Adiecit hanc particulam Moses, ut reddat rationem quare non sint ueriti corã Iosepho ista dicere. Putabant illum non intelligere linguam ipsorum, propterea quòd interprete utere tur. ideoq; sine pudore hæc inter se loquebantur: tacituri, si sciuissent eum linguam ipsorum intelligere. Qua in re obserua peruersi pudoris ingenium. Hominum conscientiam magis quàm Dei ueremur. Sic tamen dispositum ista Dominus,qui & hanc Iosepho mentem dedit,& corda illorum ad sensum & confessionem peccati in ipsa facie Iosephi induxit.

Et auertit se ab illis,ac fleuit.] Agnosce animum humanum,& ad commiserationem procliuem. Si fuisset uindictæ cupidus,magis ad sæuiendum quàm ad flendum fuisset motus. Hæc est storgia sanctis hominibus communis,à Stoicis reprobata,à filijs Dei sanctificata. Quod autem non in facie illorum, sed parumper auersus fleuit, exemplum habet animi temperantis ac sese cohibentis, ne quid etiam in ipso motu dum frangitur & emollitur admittat,quod sit contra propositi & instituti stabilitatem. Nondum tempus erat,ut se illis manifestaret,quare studiose cauet ne quam illis suspicionem de se moueat. Sic igitur humani & misericordes sunt sancti etiam ad fletum usq;, ut tamen nihil faciant, quod decorum & mispat agendorum infringat. Simul obserua,in quem usum uoluerit Deus,ut fratres Ioseph in auribus illius peccatum suum confiterentur. Huiusmodi confessio frangit iustitiam meritæ ultionis, & emollit animos læsos. Sic igitur præmolliendus erat animus Iosephi,ut ad ea quę facturus erat ex consilio Dei, disponeretur.

Et reuersus ad eos,loquutus est eis,accepitq; Simeonem ex illis,ac ligauit eum in oculis illorum.] Quid sit illis loquutus,non est à Mose expressum. Verosimile tamen est,quod ea ipsa repetierit, quæ antea fieri iusserat,uidelicet ut ex ipsorum numero deligerent,qui interea dum ipsi accepto frumento redirent ad patrẽ, & iuniorem ipsorum fratrem secum ad se referrent, pignoris loco in uinculis detineretur.

Quare Simeonẽ ligauerit.

Accepitq; Simeonem, inquit, ex illis, &c. Neq; hoc exprimitur, an illi hunc elegerint, uel ipse eum suo pte arbitratu in uinculis retinere uoluerit. Quicquid sit, dignus uisus est præ cæteris, qui custodiæ manciparetur. Nam quale illius fuit ingeniũ, credibile est, quòd dux & author fuerit omnis illius tragœdiæ, qua in fratrem insanierant. Et præterea cauendum erat, ne in itinere cęteros disturbaret, & propositum Iosephi de adferendo Beniamin impediret, uel saltem molestum redderet.

Ac ligauit eum, inquit, *in oculis illorum.*] Neq; hoc ociosum erat. Addebat illis calcar, ut eo maiore serio iuniorem fratrẽ adducerent, quo hũc ex uinculis liberarent, quibus cum uidebant loco ipsorũ astringi,

Talio.

Considera æquitatem talionis. Qui aliquando fuerat in cisternam coniectus, iam authorem eius ca

Fleuit ac ligauit

lamitatis ipse custodiæ tradendum ligat. Illud mirandum est. Iam primùm fleuerat. A lachrymis uix obi ter absterſis reuersus ligat eum, propter quem fleuerat, cum posset eum cum cæteris liberè dimittere. Sic durus erat erga fratres, ut commiseratione illorum flere posset. Sic fleuit, ut adhuc duritiæ speciem ad constitutum usq; terminum seruaret.

Et præcepit Ioseph,ut implerent uasa eorum frumento, & redderent pecuniam eorum, cuiusq; in saccum ipsius, darentq; illis uiaticum ad iter. Et fecit eis sic. Et leuarunt frumentum suum super asinos suos, ac profecti sunt inde. Exponitur paucis, quomodo fratres suos, dempto Simeone, dimiserit à se Ioseph. Suprà dixerat ad eos, Ferte frumentum famis in domos uestras. Vt hoc fieret, ministris suis præcepit, ut uasa eorum frumento implerent. Sollicitus erat pro domo paterna. Et erat illa satis ampla, sicut infrà cap. 46. uidebimus. Deinde iussit unicuiq; pecuniam suam reddere. Nolebat illis uendere cibum, perinde atq; alienis, à quibus & inter quos genitus fuerat & enutritus. Quare curauit ut pecunia illis redderetur. Curauit autem sic reddi, ut insciis illam in saccis suis asportarent, ne qua in animis illorum suspicio gigneretur. Sic etiam ignaris & non intelligentibus fraternam beneuolentiam exhibuit. Est hoc ueræ beneuolentiæ ingeniũ, quo-

Archesilaus.

modocũq; benefacere amicis, præsertim egentibus, etiãsi illi hoc nõ intelligãt. Arcesilaus amico pauperi & ægro, & interim paupertatem suam dissimulãti cum clanculũ succurrendũ indicasset, puluino eius clàm sacculum subiecit, ut homo uerecundus pecuniam inueniret potius quàm acciperet. Verus amicus satis habet, si se dedisse sciat, non quærens conscientiam eius cui dat, quia magis in eo est ut benefaciat, quàm ut benefacere uideatur. Neque debitorem quærit, sed gratis benefacit, & rationem habet pudoris & uerecundiæ eius cui benefacit. Sic fuit hic animatus Ioseph. Poterit tamen hic quæri, licuerit ne Iosepho pecuniam hanc adimere Pharaoni, & reddere fratribus, cum esset illius nõ dominus, sed dispensator, unde & infrà cap. 47. intulisse eam in ararium regis legitur. Respõdendum est paucis. Vel de suo frumento dedit fratribus, atq; ita potuit illis licitè reddere pecuniam: uel si de frumento regis dedit, pecuniam hanc ipse de suo restituit. Si neutrum fecit, usus est potestate sua in hac causa, quam à rege dubio procul non acceperat adeò strictam & determinatam, ut tantillum beneficij non posset liberè conferre in amicos.

Tertiò

Tertiò, iussit etiam illis dare uiaticum ad iter. Ne uidelicet frumentum in itinere absumerẽt, quod ut domum referrent acceperant. Quale fuerit hoc uiaticum, & an pro ipsis pariter & pro asinis datum sit, non memoratur. Credibile est tale datum esse uiaticum quod & ipsis & asinis ipsorum seruiret, ipsis uidelicet panes, & asinis pabulum.

Et fecit eis sic.] Vel minister, uel ipse Ioseph per ministros. Onkelos quoq; singulariter legit: Et fecit eis sic. Septuaginta uerò reddiderunt: καὶ ἐγενήθη αὐτοῖς οὕτως, id est, Et factum est eis sic: quasi sit in Ebræo עשית in passiuo, id est, & factum est, cum sit עשי, id est, & fecit. Vulgata latina habet in plurali: Qui fecerunt ita.

Et leuarunt frumentum suum super asinos suos, &c.] Redeũt nouem filij Iacob ad patrem suum. Et quãuis falso essent explorationis à domino terræ accusati, eamq; ob causam in custodiam triduo dati, deinde, unum ex ipsis post se in uinculis relinquere coacti: nihilo tamen minus frumentum ab eiusmodi domino datum non abijciunt indignabundi, sed secum asportant famis necessitate compulsi.

Et aperuit unus saccum suum, ut daret pabulum asino suo in diuersorio, ac uidit pecuniam suam, & ecce erat in ore sacci ipsius, dixitq; ad fratres suos: Reddita est pecunia mea, & est etiam, ecce, in sacco meo. Et egressum est cor illorum, & expauerunt uir ad fratrem suum dicendo: Quare hoc fecit nobis Deus?] Quid illis contigerit in itinere reditus, paucis commemorat Moses. Iusserat Ioseph pecuniam illis quam pro frumento dederant reddi, & suam cuiq; in saccum illius reponi. Factum hoc erat clanculum ipsis insciis. Itaq; cum in diuersorio quodam essent, accidit illis quod hic memoratur.

Et aperuit, inquit, unus saccum suum, ut daret pabulum asino suo in diuersorio.] Annotat R. Shlomoh fuisse hunc Leui, qui unus fuerit id est, unicus, propterea quòd socius ipsius Simeon tenebatur in uinculis. Verum nec certi quid habet hæc opinio, nec operæprecium est indagare quis hic unus fuerit. Vt daret pabulum asino suo in diuersorio, inquit. Si erant in diuersorio, quod opus erat ut è suis saccis pabulum darent asinis suis, ac nõ potius sumerent ab hospite? Non erat diuersorium hoc tale, qualia sunt apud nos. Regionum illarum diuersoria, uel nulla sunt publica, uel non sunt talia, in quibus omnia quæ sunt necessaria itinerantibus exhibeantur. Deinde uox malon, quæ hic in Ebræo habetur, germano suo sensu pernoctationem significat. Non est autem mox pernoctationis locus locus diuersorium publicum. Locus ubi Iacob pernoctabat, cum iret in Mesopotamiam, malon dici potuit. Quare non est intelligendũ de diuersorijs nostris similibus, quoties uox ista in scripturis legitur. Et hanc ob causam sic itineri fratrum suorum prouidit Ioseph, ut daret eis uiaticum.

De diuersorijs Orientaliuꝫ.

Ac uidit pecuniam suam, & ecce erat in ore sacci ipsius.] In Ebrẽo est בפי אמתחתו Significat amthachah saccũ quatenus refertus est & extẽtus. Os sacci methaphora est notior quàm ut admonitionẽ requirat.

Dixitq; ad fratres suos: Reddita est pecunia mea.] Nõ dicit simpliciter, Habeo pecuniam meam: sed, Reddita est. Etenim indubitanter dederant pecuniam quisq; suam ministris Ioseph. Quare ubi suam reperit in ore sacci, dixit eam esse redditam. Nesciebat quis eam reddidisset, & tamen redditam uidebat. ideo nõ dixit, Reddiderunt sed, Reddita est pecunia mea. Videmus hic sic descendisse eos in Aegyptum ad emendum frumentum, ut pecuniam secum non coniunctam, sed perinde diuisam attulerint ut quisque suam habens quasi pro se frumentum ac suis seperatim emere uellet. Hac usi sunt industria, ut hoc plus frumenti acquirerent.

Industria fratrũ Ioseph.

Et est etiam, ecce, in sacco meo.] Quasi dicat: Et frumentum & pecuniã in sacco meo refero. uocula הנה id est, ecce, bis ponitur. Habet autem notam admirationis, & innuitur quicquid hic gestum est, accidisse insciis ipsis præter opinionem, ideoq; cum admiratione.

Et egressum est, inquit, cor illorum &c.] Ebraica loquutio est. Cor egredi id Ebræis est, quod nobis Germanis, quando dicimus, *dem ists hertz entpfallen*. Cor sumitur pro animo: egrediq; dicitur, quando quis redditur animo deiecto & conseruato.

Cor egredi quid sit.

Et expauerunt.] Non erat causa expauescendi, sed potius de occulta quadam beneficentia ipsis exhibita cogitandi & gaudendi. Verùm uides hic exemplum eorum qui in tribulationibus constituti ac deiecti, nõ modò leuiter & sine causa, sed & ibi expauescũt: ubi potius gauderent, si quod agit intelligerent.

Quare hoc fecit nobis Deus.] Quoniam peccati sui conscientia tacti & perculsi erant, præsentemq; tribulationem diuinæ ultioni tribuebant, qua sanguis fratris requireretur, cogitabant hic anxij, pecuniam hanc esse ad hoc ipsis insciis irascentis Dei dispositione sacco fratris insinuatam, ut occasio esset per quã in ipsos animaduerteretur. Quare nõ simpliciter dicunt, Quis nam hoc fecit? Neq; incusant fratrem q̃ ipse pecuniam suam clanculũ ac furtim ad se retraxerit: sed, Quare hoc fecit nobis Deus, inquiunt? Quasi dicant: Ad hoc nimirum, ut in discrimen uitæ propter sanguinem fratris hac occasione rapiamur, uel certè in seruitutem conijciamur, sicut & capite sequenti rem hanc interpretati esse memorantur.

Inter peccãdum nõ cogitamus de Deo.

Obserua hoc loco. Rebus prosperis, & dum peccamus, rarissima est cogitatio de Deo: uerùm ubi tribulamur, & in periculis sumus, obijcit nobis peccati conscientia diuinæ iustitiæ recordationẽ, ut de puniente nos Deo cogitemus, qui nullo antea bonitatis illius sensu tãgebamur, neq; de beneficiẽte illo cogitabamus. *Et uenerunt ad Iacob patrem suum in terram Canaan, & indicarũt ei omnia quæ euenerant ipsis, dicentes: Loquutus est uir ille, dominus terræ, nobiscum dura, & dedit nos ueluti exploratores terræ. Et diximus ei: Recti sumus, non sumus exploratores. Duodecim fratres sumus filij patris nostri, unus non extat, & minor hodie est cum patre nostro in terra Canaan. Ac dixit ad nos uir ille dominus terræ: In hoc cognoscam quia recti sitis. fratrem uestrũ unũ relinquite apud me, & famem domuũ uestrarum accipite, & abite, ac adducite fratrẽ uestrũ minorem*

minorem ad me, ut sciam, quòd non exploratores, sed recti sitis. Fratrem uestrum dabo uobis, & in terra hac negociabimini.]Exponunt seni quid acciderit ipsis in Aegypto. Non potuerunt id dissimulare, primùm, propterea quòd redibant sine Simeone, deinde quòd ad liberandum hunc Beniamin esset in Aegyptum deducendus. Horum causæ erant seni patefaciendæ tanquam patri, sine cuius conscientia Beniamin abducere non poterant. Igitur indicant ei omnia, quæ euenerant ipsis dicentes: Loquutus est uir ille, dominus terræ, nobiscum dura.

Quare oportuerit eos seni rem omnem exponere.

Quæ fuerint illa dura, subiungunt: Et dedit nos uelut exploratores terræ. Sic est in Ebræo. Quasi dicat: Iudicauit ac censuit nos esse exploratores terræ. Sic & Germanicè hoc uerbo dandi utimur, cum dicimus: *ich gib den für ein frummen man dar*. hoc est iudico hunc esse uirum probum. Septuaginta tamen aliter habent. Sic uidelicet: Et posuit nos in custodiam quasi exploratores terræ.

Verbum dandi.

Et diximus ei: Recti sumus, non sumus exploratores. Duodecim fratres sumus, &c.]Non solum narrat quid acciderit ipsis, sed & quid ipsi pro innocentia sua responderint. Nam ex eo sumpserat Ioseph occasionem poscendi Beniamin iuniorem ipsorum fratrem, & in pignus adducendi illius, Simeonem in custodia detinendi.

Ac dixit ad nos uir ille dominus terræ: In hoc cognoscam num recti sitis. Fratrem uestrum unum relinquite apud me, &c. Sic exponunt sententiam domini terræ, qua sint ab illo domum dimissi, docentq; patrem, quare Simeon cum ipsis non sit reuersus, & quomodo ille sit per Beniamin liberandus, ac declaranda ipsorum innocentia, obtinendumq; ut posthac liberum ipsis sit, negotiari in terra Aegypti. Hæc est summa præsentis narrationis.

Illud, Et famem domuum uestrarum accipite, sic habetur in Ebræo. Tropica loquutio est per metonymiam, id est, transnominationem. Loquitur enim non de fame ipsa, ut hanc accipiant, ac domum secum deportent, cum non eius gratia uenissent in Aegyptum, sed magis propter famem à domibus suis arcendam, sed loquitur de frumento quod pellendæ famis gratia emerant. Hoc scilicet iubet accipere & abire. Igitur frumentum domuum ipsorum, uocat famem domuum ipsorum, propterea q; emptum esset ad pellendam famem ex ipsorum domibus. Perinde ac si medicus antidoton contra pestem paratum, pestem, & remedium febris febrem, ac chirurgus emplastrum uulneri imponendum uulnus, & miles hastam suam quam aduersus hostem gestat, hostem suum uocet. Sic illud quod alterius gratia paratum est, nomine eius uocatur contra quod uel pro quo est paratum.

Fames domus.

Et ista metonymia non est ociosa. Vsus eius est, ut ratio uel causa, uel finis rei ex nomine ipsius intelligatur. Etenim non hic tantum usus est nominum, ut sciamus quid sit res, sed sciendum etiam est, qua sit ex causa, & ad quem finem. Dum hastam uocas hastam, & gladium gladium, quid sit res illa, hoc nomine doces: cum uerò uocas hostem, admones usum hastæ & gladij esse non ad perdendum amicos & innoxios, sed ad uincendum hostes. Consimili modo dum frumentum nihil uocatur aliud quàm frumentum, quid sit indicatur: cum uerò uocatur fames, in hunc usum comparatum esse significatur, ut pellendæ fami seruiat. B

Vsus metonymiæ.

Et accidit, cum euacuarent saccos suos, ecce fasciculus pecuniæ cuiusq; in sacco eius, uideruntq; fasciculos pecuniarum suarum ipsi & pater ipsorum, ac timuerunt.]Ergo cum in itinere in diuersorio essent, nõ omnes, sed unus duntaxat pecuniam suam in ore sacci sui repererat, unde asino pabulum dabat. Sentiendum itaque est, quòd illius pecunia fuerit in ore eius sacci condita, in quo non frumentum, sed pabulum pro asino uehebatur, reliquorum uerò in saccos frumenti abdita, quos non aperuerunt donec domum uenissent, eosq; euacuarent. Apparet autem hanc sententiam dissentire ab eo, quod infrà capite sequenti legimus ad hunc modum: Obsecro Domine, descendendo descendimus antehac ad emendum escam, & accidit, cum uenissemus ad diuersorium, & apperuissemus saccos nostros, ecce pecunia cuiusq; erat in ore sacci eius. Si hoc factum est in diuersorio, quomodo dicit hic Moses factum esse in domo patris, cum saccos suos euacuarent, sic ut non ipsi modò, sed & pater fasciculos pecuniarum uiderint? Sentiunt quidam quæ sequenti capite hac de re leguntur, habere synecdochen, eo quòd omnibus tribuatur, quod uni ex ipsis accidit. Alij existimant utrũq; euenisse, cùm quod hic, tũ quod capite sequenti memorat, sic ut in diuersorio, ubi unus in ore sacci sui pecuniam suam reperisset, reliqui quoq; apertis saccis suam quisq; pecuniam inuenerint, inuentam uerò in saccum reposuerint, atq; ita acciderit, ut cum domi saccos præsente patre euacuarent, unà cum frumento fasciculos pecuniarum effuderint. Verùm hæc sententia non bene conuenit cum uerbis Mosis. Non enim dicit, Cum euacuarent saccos suos, effuderunt etiam fasciculos pecuniarum, & uidit eos pater & timuit: sed, Et accidit, cum euacuarent saccos suos, ECCE fasciculus pecuniæ cuiusq; in sacro eius, VIDERVNTQVE fasciculos pecuniarum suarum IPSI & pater, & TIMVERVNT. Si iam antea in diuersorio suam quisq; pecuniam in ore sacci sui reperant, quorsum illam rursus in saccos abdiderunt? & quorsum attinet, quod hic Moses dicit, Ecce uiderunt ipsi & pater fasciculos pecuniarum suarum, & timuerunt? cum illos & antea uiderint ac timuerint? Quare arbitror utrunq; cùm quod in diuersorio tum quod domi secundum ueram narrationem Mosis accidit, comprehensim esse ab illis infrà capite sequenti narratum, & diuersorij factam mentionem propterea quòd unius ex ipsis pecunia aperto illic sacco esset reperta. Etenim quorsum attinuisset accuratius narrare, quomodo unus in diuersorio, cæteri tandem cum domi saccos euacuarent, pecuniam inuensisse?

Pecunia in saccis inuenta.

Et dixit ad eos Iacob pater eorum. Orbum me facitis. Ioseph non est, & Simeon non est, & Beniamin auferetis. in me

A *in me cadunt hæc omnia. Et ait Ruben ad patrem suum, dicens: Duos filios meos occide, si non reduxero eum ad te. Trade eum in manum meam, & ego restituam eum tibi. Et dixit, Non descendet filius meus uobiscum, quoniam frater eius mortuus est, & ipse relictus est solus. quod si euenerit illi mors in itinere, quo proficiscemini, deducetis canitiem meam cum mœrore in sepulchrum.*] Quo animo fuerit Iacob, cum narrationem filiorum suorum audisset, & fasciculos pecuniarum in saccis ipsorum inuentos uidisset, perspicuè uerbis ipsius assignatis exponit Moses.

Orbum me facitis, inquit.] Non simpliciter dicit: Sic tres filios amitto, sed orbum se fieri queritur, cum tamen adhuc præter tres illos haberet nouem. Quomodo orbus est, qui ex duodecim filijs adhuc nouem habet? Vides ingenium paternũ expressum. Qui liberos suos diligunt, sic sunt animati, ut si de mul- *Ingenium paternum.*
tis etiam unus & alter adimantur, iam se ad orbitatem deueniisse putent. Secus comparatum est eorum ingenium, qui liberos non amant. Illis etiam exiguus liberorum numerus multus est, nec iudicant se orbos fieri, nisi ablatis in uniuersum omnibus.

Simul obserua in quam tentationem incidat uir sanctus. Habebat promissionem multiplicandi semi- *Tentatio Iacob.*
nis instar arenæ maris, & incipit uno & altero ex duodenario filiorum numero amissis, timere sibi ne incidat in orbitatem, atq; ita irrita fiat promissa & expectata posteritatis multiplicatio. In huiusmodi tentationes sæpenumero incidunt homines sancti.

Deinde obseruandum est, quod non dicit, Orbus reddor: sed, Orbum me facitis. Culpam eorum quæ accidebant, reijcit in ipsos. Et reuera sic habebat, licet ipse non intelligeret. Quomodo uerò intellexerit quod ipsis obiecit, capite sequenti uidebimus.

Ioseph, inquit, non est, &c. Exponit, quomodo se orbum fieri dicat. Loquitur autem admodum pathetice, tanq; senex uehementer mœstus ac perturbatus. Ioseph non est, Simeon non est. quasi dicat: Hos iam certò ac prorsus amisi. Ioseph um deuorarũt bestiæ, Simeon necatur in Aegypto. Et ultrà tam grande dispendium pignorum meorum aufertis etiam Beniamin, quem scitis mihi esse charissimũ. Hæc omnia recidunt non in uos, qui parum talia curatis, sed in me. Mihi sunt omnia hæc uoranda & concoquenda. Paucis uerbis magnam animi sui mœstitiam expressit: reuera nihil minus fuit Iacob q̃ Stoicus.

Et ait Ruben ad patrem suum dicens: Duos filios meos occide, si non reduxero eum ad te, &c. Loquitur de Beniamin, conaturq; permouere patrem, ut hunc cum ipsis in Aegyptum mittat. Aloqui nõ erat spes redimendi Simeonis, qui omnium ipsorum loco tenebatur in custodia, nisi Beniamin secum adferrent. Loquitur nomine reliquorum fratrum, tanq̃ senior ac primogenitus. Et ut reddat patrem secu-
B rum de reditu Beniamin, poscit eum dari in suam manum, id est fidem & curam. Et ut exprimat quàm hoc non leui conditione poscat, duorum filiorum suorum uitam loco illius oppignorat dicens: Duos filios meos occide, si non reduxero eum ad te.

Obserua hic in Ruben animum haud alienum à philadelphia, quam & antea in causa Ioseph ostende- *Philadelphiæ exemplum.*
rat. Hic suaipsius pignora deponere paratus est in causa non priuata, sed fratribus communi. Expendunt alij, quàm fuerit ista oppignoratio filiorum Ruben insufficiens, immo nullius momenti in hac causa, propterea quod Iacobo æque difficile fuisset occidere nepotes, atq; damnum amissi Beniamin patienter tolerare. Interea tamen iudico nõ fuisse ludum quod hic Ruben patri obtulit, sed cogitationem admodum seriam, qua licet non cogitauerit, q̃ accepta posset & utilis esse patri huiusmodi filiorum suorum oppignoratio, oppignorauit tamen seriò, quod habebat charissimum, & non sine grandi dolore amittere potuisset.

Et dixit: Non descendet filius meus uobiscum.] Non acquiescit, quod tamen postea facturus est. Sic solent, qui nube perturbationis impediti non possunt statim uidere & expendere quid necessariò agendum sit, quid non. Obserua autem quod non dicit, Non descendet Beniamin: sed, Non descendet filius meus uobiscum. Erant & illi filij eius, quibus loquitur: uerùm hunc unicè uocat filium suum quem unicè diligebat, & quem illi auferre uolebant.

Quoniam frater eius mortuus est.] Loquitur de Ioseph o, secundum quod persuasus erat, non secundum ueritatem. Sic & sancti uanis sunt opinionibus obnoxij. Nesciebat Ioseph um non solum uiuere, sed & dominum esse totius Aegypti. *Et sancti falsis opinionibus occupantur.*

Et ipse relictus est solus.] Intellige, Ex Rahel. Significans, quare nolit Beniamin à se dimittere, adiungit. Ex falsa opinione colligit falsum. Non enim erat ille relictus solus.

Quod si euenerit illi mors &c. deducetis caniciem, uel senectutem meam cum mœrore in sepulchrũ. Sensus est: Occideretis me. Non possem amplius uiuere. uel, Afficeretis me luctu & mœrore, quem ad ipsum usq; sepulchrum meum non possem excutere. Septuaginta habent, ad infernum, quod est in Ebræo שאולה, id est, ad sepulchrum. Et hinc data est Augustino & alijs quibusdam mouendi quæstionem de inferno, quomodo uir sanctus ad infernum se descensurum dicat. Chrysostomus tamen loquutionem hanc probè intellexit. Sic enim exposuit. Timeo, inquit, ætati adolescentis, & uereor ne etiã hac consolatione priuatus cum dolore uitam finiam.

Obserua, quod non simpliciter dicit, Deducetis me: sed, Deducetis caniciem meã cum dolore ad sepulchrum. Emphasis est in uoce caniciei uel senectutis. Graue est patrem à filijs sic contristari, ut cũ dolore ac mœrore mori cogatur. Grauius hoc est, si nulla habeatur ratio senectutis canæ in ipso quoq; parente, sed contristetur illa ad mortem usq;, quæ singulari debebat studio releuari.

Deinde & illud obseruemus. Quod si ita uisum fuisset Domino, poterant hæc omnia Iacobo quæ ge-

sta erant & gerebantur cum filijs illius, materiam adferre singularis gaudij & exultationis, si unum hoc ex illis intellexisset, fieri ista à Iosepho ipsius filio. Verùm uolebat dominus seruum suum ultima hac tribulatione exercere, priusquàm cum ingenti gaudio quod paulo pòst futurum erat, exhilararet. Non est hoc factum à Deo studio affligendi, sed magis præparabatur animus uiri sancti ad futuram lætitiã. Quemadmodum enim solis splendor hoc est illustrior & clarior, quo propius illum tenebrosa nubes præcessit, sic accidit etiam Iacobo in hac causa. Et nobis curandum est, ut in huiusmodi rerum nostrarum obtenebrationibus firmi perstemus, ac nihil addubitemus, præ foribus esse illustrem rerum meliorum serenitatem, dicamusq; memorabile illud: Post tenebras spero lucem.

CAPVT XLIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Secundò descendunt in Aegyptum filij Iacob, ad emendum frumentum ac redimendum Simeonem fratrem, accepto à patre Beniamin fratre iuniore unà cum muneribus. Excusant se de pecunia in saccis ipsorum reperta. Accipiuntur à Iosepho amanter, & honorantur prandio.

ET *fames inualuit in terra. Et accidit, cum absumpsissent edendo frumentũ quod aduexerant ex Aegypto, dixit ad eos pater eorum: Reuertimini, emite nobis paulum cibi.*] Interea dũ Iacob filiũ suũ Beniamin cũ fratribus suis in Aegyptum mittere detrectat, magis ac magis inualescit fames in terra, absumitur frumentum quod secum ex Aegypto aduexerant: urget necessitas redeundi in Aegyptum ad emendum cibum: silent filij, quia senex edixerat non missurum se cum ipsis Beniamin: ipsi uerò sine illo descendere non audebant. Hæc mora & cunctatio durat usq; ad finem secundi anni ex quo fames cœperat, sicut infrà cap. 46. ex uerbis Iosephi uidere licet. Tandem senex, cum absumpsissent edendo frumentum, incipit filios suos uelle remittere in Aegyptum necessitate uidelicet compulsus.

Natura senum.

Reuertimini, inquit, *emite nobis modicum cibi.*] Obserua non dicit simpliciter, Emite nobis cibum: sed, Emite nobis modicum cibi. Senex erat. Et ea est senum natura, ut in omni rerum usu sint parci, & alienissimi à uitio luxus & prodigalitatis, cui obnoxij sunt iuniores. Siue hoc inest senibus propter frigiditatem naturæ, qua fit ut non sint appetentes cibi ultra id quod natura poscit, quæ modico dimittitur, siue longo rerum usu per experientiam edocti cognouerunt modico posse satisfieri naturæ melius, quàm si copia & abundantia adobruatur. Sic inquam comparati sunt senes. Deinde quoniam passim magna erat ciborum penuria, ipsa res monebat, cohibendum esse studium abundantiæ, & studendum parsimoniæ. Siue hac, siue illa, aut etiam alia quapiam causa Iacob modicum duntaxat cibi emi uoluerit, conueniens est ista uox & senectuti illius, & tempori famis. Sunt qui putant eum speràsse breui redituram fertilitatem, ideoq; sic esse loquutum.

Quare Iehudah loquutus sit.

Et dixit ad eum Iehudah dicendo: Contestando contestatus est nos uir ille dicens: Non uidebitis faciem meam, si non fuerit frater uester uobiscum. Si mittis fratrem nostrum nobiscum, descendemus & ememus tibi cibum. Si non mittis, non descendemus: quoniam uir ille dixit ad nos, Non uidebitis faciem meam, si non fuerit frater uester uobiscum.] Ruben primogenitus tacet, quia nihil effecerat, cum iam antea duos uellet filios suos oppignorare patri pro Beniamin, si hunc fidei suæ commendaret. Simeon aberat. Et alioqui etiamsi adfuisset, non poterant ipse & Leui cum fiducia quicquam agere cum patre, propterea quòd turbauerant eũ cæde Sichimitarum. Consequens erat, ut Iehudah post hosce natus ageret cum sene, illiq; diserte ediceret, qua possent conditione redire in Aegyptum.

Contestando, inquit, *contestatus est nos uir ille.*] Duo facit. Exponit patri conditionem, qua descensuri sint in Aegyptum. Deinde annectit αἰτιολογίαν. Conditio est, quod dicit: Si mittis fratrem nostrum nobiscum, descendemus, & ememus tibi cibum: si non mittis, non descendemus. Quasi dicat: Per te stat, utrũ descendamus, uel non descendamus. Nos non possumus descendere, nisi hac conditione, ut adducamus nobiscum fratrem nostrum. An hunc nobis adiungere uelis, uel minus, in tua est potestate.

OBSER. Illud obserua, quod dicit: Et ememus tibi cibum. At senex dixerat, Et emite nobis cibum. Vterq; suæ personæ decorum sic loquendo expressit. Patris est omnia in usus communes pro se ac domesticis suis curare. Sic Apostolus dicit: Qui suorum, & præcipuè domesticorum curam non habet, infideli deterior est, & fidem abnegauit. Hanc curam expressit uox ista Iacobi: Reuertimini, & emite. non dicit mihi, sed, nobis cibum. Filiorum & domesticorum est, omnia facere patrifamilias, hoc est, in omnibus illi subministrare ac seruire, ut habeat unde toti domui prouidere possit. Sic Iehudah hic iuxta mispat filiorũ non dicit, Et ememus nobis: sed, Et ememus tibi cibum. Vtiq; non ipsi priuatim, sed communiter toti domui empturi erant cibum: uerùm sic loquitur, propterea quòd cibus domesticus pertinet ad curam & potestatem patris, ut hanc domesticis dispenset. Sic animatos inuicem esse conuenit non modò patremfamilias & domesticos, sed & magistratum ac subditos.

Aetiologia.

Aetiologia est, quod dicit: Quoniam uir ille dixit ad nos: Non uidebitis faciem meam, si non fuerit frater uester uobiscum. Graue est & alienum à filijs morigeris, iubenti patri præscribere cõditionem, sine qua nolis facere quod iubet. Quoniam igitur in eam erant necessitatem adacti filij Iacob, ut in Aegyptum sine iuniore fratre redire non auderent, propterea quòd Ioseph edixerat, ne cogitarent de uidendæ ipsius facie, nisi secum adferrent fratrem iuniorem, absq; nota temeritatis & inobedientiæ necessitatem hanc Iehudah patri exposuit, ut sciret rationem, quare nollent sine Beniamin descendere in Aegyptum. Poterat moderatius dicere: Non est nobis tutum sine fratre nostro descendere. Quare quæsumus ut hunc

A ut hunc nobis adiũgas. Verùm quoniam id hactenus pertinacius æquo ad extremam usq; necessitatem recusauerat, uidebatur id quod res erat diserte ac seriò inculcandum. Ideo paucis & grauibus uerbis dixit, Non descendemus, nisi fratrem nostrum miseris nobiscum: & rationem huius & præmittit, & subijcit, dicens: Contestando contestatus est nos uir ille dicens: Non uidebitis faciem meam, hoc est, non poteritis comparere coram me, non feram uos, ne præsumite igitur redire ad me uel ad emendum frumentum, uel ad liberandum fratrem uestrum è uinculis, si non fuerit uobiscum frater uester iunior. Hanc contestationem ideo bis memorat, ut inculcet seni, non posse ipsos sine Beniamin descendere in Aegyptum.

Obseruandum hic est, non omnia solere conscribi ab historicis sacris, quæ dicta sunt uel gesta. Hæc uerba, Non uidebitis faciem meam, si non fuerit frater uester uobiscum: suprà non sunt à Mose in ipsa historia commemorata. OBSER.

Deinde uidemus in Iacobo, quàm etiam sancti homines, præsertim senes, subinde ægrè discedant à concepto proposito & affectibus inutilibus.

Tertiò, & illud hic docetur: tempore & articulo necessitatis, non esse alienum à filijs probis opponere sese morositati parentum, modò id fiat adiecta graui & irrefragabili ratione.

Et ait Israel: Quare tam malè mecum egistis, indicando uiro illi, esse uobis adhuc fratrem?] In Ebræo est, לָמָּה הרעתם לי, quod uerti potest: Quare afflixistis me? Vulgata latina habet: In meam hoc feciſtis miseriam. Suspicabatur Iacob factum hoc esse à filijs suis malo animo, & eo proposito, ut ista occasione Beniamin sibi auferrent, quod hũc perinde atq; Ioſephum odio prosequerentur. Hoc animo dicit. Quare tam malè mecum egistis? quasi dicat: Si malè uultis puero, debebatis saltem mihi parcere, ac non tam malè mecum agere, ut indicaretis uiro, esse uobis adhuc alium fratrem domi. Vides hic rursus ingenium senum, quibus ferè omnibus hoc inest uitij, ut proclines sint ad malè suspicandum. Quicquid siniſtri euenit, & aliter cadit quàm cogitabatur, illi studio aduersum se factum esse interpretantur.

Et dixerunt. Interrogando interrogauit nos uir etiam de progenie nostra, dicens: An pater uester adhuc uiuit? an habetis adhuc fratrem? & indicauimus ei secundum os uerborum istorum. Num sciendo sciebamus, quod dicturus esset, Adducite fratrem uestrum?] Illud, Interrogando interrogauit nos uir, idem est, quod, studiosissimè interrogauit nos. Vulgata latina habet: Interrogauit nos homo per ordinem. Excusant factum suum, & innocentiam suam declarant, quo patri siniſtrã hanc de se suspicionem eximant. Pro innocentia sua declaranda, tria adferunt. Primum est singulare quoddam & accuratum interrogandi studium, quo uir ille ex ordine de omnibus interrogauerat.

B Cogita hic, quo animo fuerit Ioseph, conspectis coram se fratribus. Non cogitabat, Ecce nebulones illos, qui me tam iniquis modis tractarunt, & uendiderunt, sed pro affectu germani filij desiderio ferebatur cognoscendi statum domus paternæ, de patris uita & salute, deq; germano suo & uterino fratre. Ideo tam diligenter de illis interrogauit, oblitus omnium eorum quę fratres isti in se designauerant. Nõ sic intumuerat fastigio dignitatis & honoris sui, ut affectũ filij erga parentem & storgiam fraternam erga fratrem exuerit. *Nec memoria iniuriæ, nec fastigium dignitatis Ioſephum à patre ac fratribus ab alienauerant.*

Secundum est, quod à primo natum fuerat, necessitas uidelicet ad interrogata respondendi. De hac dicunt: Et indicauimus ei secundum os uerborum istorum. Sic est in Ebræo, עַל פִּי הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה, quasi dicat: Quemadmodum interrogabamur, ita respondendũ nobis erat. Indicare nos uiro oportebat, quæ ille interrogabat. Interrogabat autem non solum de patre, sed & de fratre, num præterea fratrem domi haberemus. Quare hoc illi indicare coacti fuimus, nisi periculo nos mentiendo magis adhuc inuoluere uoluissemus. Sumitur aliquando, עַל פִּי, pro propter, ut uideatur hic legi posse, & indicauimus hoc ei propter uerba ista. Verũ quoniam Exod. 34. eadem loquutio habetur ad hũc modum: Et ait Dominus ad Mosen: Scribe tibi uerba ista, כִּי עַל פִּי הַדְּבָרִי הָאֵלֶּה, pepigi tecum fœdus, quod commodius legitur, quoniam secundum os uerborum istorum, quàm, quoniam propter uerba ista, uisum est reddere ad hũc modũ etiam hoc loco.

Sed quæritur hic, quomodo uerba hæc filiorum Iacob conueniant cum narratione Mosis, qua cap. præcedenti exposuit, quid & quomodo gesserit ac dixerit ad ipsos Ioseph, in qua non legitur quòd ad interrogata illius, sed magis quod ultrò ad reijciendam à se explorationis insimulationem de iuniore fratre suo responderint. QV AEST.

Sunt qui dicant illos per mendacium dispensatorium hoc uoluisse respondere seni, quo conceptam de ipsis suspicionem animo illius eximerent. Verùm hoc inconsultò dici satis patet capite sequenti, ubi Iudah ad ipsum Ioſephum dicit: Interrogasti prius seruos tuos, Haberis patrem, aut fratrem, &c. Mihi itaq; uerosimile est Ioſephum de patre & de fratre diligentius percontatum esse, q̃ narratio Mosis exprimat. Nec uideo hic ullam contradictionem. Etenim fieri potuit ut & Ioseph de progenie ipsorum, patre, & reliquo fratre interrogauerit, ubi se duodecim fratres, & unus uiri filios esse dixerant, & illi de patre ac fratre interrogati, quemadmodum hic memorant, responderint.

Tertium est, quòd pro tuenda innocentia sua adferunt, ignorantia eorum quæ uir ille erat ab ipsis exacturus. Num sciendo sciebamus, inquiunt, quòd dicturus esset, Adducite fratrem uestrum? Talis erat hæc ignorantia, ut prorsus nullius esset exprobrationis capax. Ideo non simpliciter dicunt, Nesciebamus: sed, Num sciendo sciebamus, id est, scire poteramus quod dicturus esset, Adducite fratrem uestrũ? Quasi dicat: Num poterat nobis constare, q̃ iussurus essetut fratrem nostrum adducamus? Num quod scire nequiuimus, uitare potuimus? An culpabiles esse possumus in causa, quam cauere nequiuimus? Sic

reſpõderũt iſti pro declarãda innocẽtia ſua, ne poſthac pater afflictionis huius cauſas in ipſos reijceret. A

Innocentiam noſtrã approbandam eſſe amicis.

Admonemur hoc loco, qua diligentia curare debeamus, ut innocentiam noſtram illis approbemus, qui ſiniſtri quicq̃ de nobis ſuſpicantur, præſertim ſi ſint parentes, uel fratres, uel amici, aut aliàs coniuncti. Nihil enim peſtilentius accidere poteſt ad diſſoluendum mutuam coniunctorum benecuolentiam, quàm ſi ſiniſtra ſuſpicio non modò exoriatur inter coniunctos, ſed & radices in cordibus illorum agat.

Aequitas ſeruanda inter fratres.

Deinde obſeruandum eſt, q̃ non debeamus culpare in fratribus, ſi uel ex uerbis uel factis eorum, non temerarijs, ſed neceſſarijs, euenerit aliquid incommodi, quod illi ne præſcire quidem, nedum præcauere potuerunt. Obtineat hæc inter nos æquitas, ut quiſq; de fratre ſuo cogitet: Num ſciendo ſcire potuit, quod hoc ipſi eſſet euenturũ? Vulgo dicimus: *Wer alle ding wüßte, der geb ein gůten Gott.* Poſſent hac æquitatis ratione multa excuſari in dictis ac factis fratrum, quæ ſine hac in calumniam rapiuntur, & immeritò culpantur.

Dixitq; Iehudah ad Iſrael patrem ſuum: Mitte puerum mecum, ſurgemusq; & proficiſcemur, ut uiuamus, & non moriamur & nos & tu & paruuli noſtri. Ego fideiubeo pro eo, de manu mea require eum. Si non reduxero eum ad te, ac reſtituero eum coram te, peccati in te reus ſim diebus omnibus. Niſi cunctati fuiſſemus, iam ſecundò reuerſi eſſemus.] Cœperat Iehudah exponere patri conditionem ſine qua nõ eſſent deſcenſuri in Aegyptum. Huius ſermo interruptus fuit, per id quod ſenex culpã præſentis afflictionis in ipſos ſuos filios deriuauit, illi uerò contra eam ſuſpicionem innocentiam ſuam declararunt. Iam redit Iehudah ad id quod agere cum patre cœperat. Conatus eius eſt, permouere illum ut Beniamin cum ipſis mittat. Mitte, inquit, puerum mecũ, ſurgemusq; & proficiſcemur. Apparet eum haud modici momenti fuiſſe in oculis patris, ideoq; licuiſſe ei fiducialius cæteris cum illo agere. Et hinc eſt, quòd non dixit: Mitte puerum nobiſcũ, nos fideiubemus pro eo, de manu noſtra require eum, &c. ſed ſuo peculiari nomine, Mitte, inquit, puerum mecum. Item, Ego fideiubeo pro eo, de manu mea require eum, &c. Præſumebat ſibi plus eſſe prærogatiuæ, apud patrem quàm cæteris ſuis fratribus.

Argumentum neceſſitatis.

Vt aũt ſeni perſuadeat, utitur primùm argumento neceſſitatis omnium fortiſſimo, dicens: Vt uiuamus, & non moriamur, nos & tu & paruuli noſtri. Quaſi dicat: Quid cunctaris & hęſitas? Si non mittis nobiſcum Beniamin, moriendum erit non nobis tantum, ſed & tibi & paruulis noſtris. Si non habes noſtri, habe ſaltem tui & paruulorum noſtrorum rationẽ. Noli tuam ipſius ſalutem uni Beniamin poſtponere, ſi nec nos nec paruulos noſtros dignos putas, quorum ſalutem alicuius facias.

Fideiuſſio.

Deinde ut illi metũ eximat, quo ſaluti Beniamin timebat, addit: Ego fideiubeo pro eo, de manu mea B
require eum. Fidem ſuam patri obſtringit. Non autem dicit, Filios meos occide, ſi non reduxero eum ad te, ſicuti dixerat Ruben, & nihil effecerat: ſed ſeipſum obligat, dicens: Si non reduxero eum ad te, & reſtituero eum coram te (uiuum uidelicet & incolumem) peccati in te reus ſim diebus omnibus. Hoc eſt, obnoxius ſim tibi ad quod uolueris ſupplicium tanq̃ qui in te grauiter peccarim. Illud, Diebus omnibus exponit Shlomoh לעלם חבא, id eſt, futuri ſeculi. Non eſt autẽ neceſſe ut aliter intelligamus quàm de diebus uitę illius, ut idem ſit, atq;, Donec uixero, feram hunc reatum, quòd in te grauiter deliquerim.

A damno.

Tertiò adiuugit de dãno, quod cunctatio illa pepererit: Niſi cunctati, inquit, fuiſſemus, iam ſecundò reuerſi eſſemus. Hoc eſt, in iſtam famis neceſsitatem non incidiſſemus. Satis enim frumenti interim adferre potuiſſemus. Non dicit autem, Niſi nos impediuiſſes, cunctatusq; fuiſſes: ſed, Niſi cunctati fuiſſemus: ut parcat interim ſeni, ne culpam accepti damni in illum reijcere uideatur. Apparet Iehudam fuiſſe uirum cordatum & prudentem.

Obſeruandum eſt, quòd fidem ſuam patri oppignorat in cauſa non priuata, ſed tam ipſi patri q̃ reliquis fratribus ſuis communi. Poterat dicere: Si nobis omnibus tantum fidei non habes ut puerum nobiſcum mittas, nec uis agnoſcere neceſsitatem communem, qua & tu & nos & paruuli noſtri conſtringimur, per me licet ſerues puerum: interea uidebo, quomodo neceſsitatibus meis aliunde conſulam. Nihil horum dicit, ſed qua poteſt diligẽtia, ſeni perſuadere conatur, ut uel ſibi puerum commendet. Diſcamus quàm non debeamus facile deſerere cauſam cum parentibus ac fratribus communem, nec leuiter maiorum noſtrorum moroſitate offendi.

Et dixit ad eos Iſrael pater eorum: Si ſic nunc eſt, hoc facite, accipite de optimis terræ (fructibus) in uaſa ueſtra, & adferte uiro munus, modicum reſinæ, & modicum mellis, aromata, & ſtacten, nuces, & amygdala. Et pecuniã duplicem accipite in manum ueſtram, ac pecuniam quam retuliſtis in ore ſaccorum ueſtrorum referte in manu ueſtra, ne fortè ſit error. Et fratrem ueſtrum ſumite ac ſurgite, redite ad uirum. Et Deus omnipotens det uobis miſeraciones coram uiro, ut dimittat uobis fratrem ueſtrum alium & Beniamin. Et ego ſicut orbatus ſum ſic orbatus ero.] Tandem uictus partim neceſsitate acquirendæ alimoniæ, partim perſuaſione Iehudah, conſentit filijs ſuis, ut Beniamin ſecũ auferãt. Si ſic nunc eſt, inqt. Quaſi dicat: Siquidẽ res habet, ut mihi exponitis. Germanicè dicimus, *die ding ſyn nun alſo iſt.* Hoc eſt facite, inquit. Et ſubiungit, quid facere debeãt. Accipite, inquit, de optimis terræ fructib. &c. In Ebr. eſt, accipite מזמרת הארץ, id eſt, de laude terræ. uocat aũt laudem, encomium, uel canticum terræ, celebres, laudatos, ac decantatos terrę fructus. Quorſum illos in uaſa ſua ſumere debeant, exponit, dicens: Et adferte uiro munus. Exiſtimabat eum muneribus eſſe placandum, quo conſilio & ſuprà cap. 32. fratri ſuo Eſau munera miſerat, ubi quædam ſunt de generibus & ratione munerum annotata.

Modicum reſinæ, &c. Recenſet quos fructus terræ ſumere debeant. Suprà ca. 37. mentio facta eſt triũ generum quæ hic nominantur. Videlicet צרי & לוט & נבאת, id eſt, id eſt, reſinæ, ſtactis, & aromatum,

quæ

negociatores Ismaelitæ in Aegyptum ferre solebant, unde apparet fuisse illa Aegyptijs grata, & aliunde comparanda. Quare non inconsultò Iacob existimauit de huiusmodi fructibus munus esse domino Aegyptio mittendum.

Et pecuniam duplicem accipite, &c.] Locus hic bifariam intelligi potest. Primò sic, ut habeat insufficiẽtem specificationem. Videtur enim sensus esse: Pecuniam duplicem accipite: unam, pro emendo frumento: alteram, quam in saccis uestris retulistis, ut illa restituatur. Iam cum simpliciter subiungat, Et pecuniã quã retulistis in ore saccorum uestrorum, sine mentione eius, qua emendum erat frumentũ, uidetur hic desiderari altera specificationis pars. Deinde potest ad hunc modum exponi, ut triplicem uoluerit accipi pecuniã. Duplicem uidelicet pro comparando frumento, q̃ existimaret uerendũ esse, ne duplo charius emendum esset q̃ antea, propterea quòd copia illius diminueretur, & fames magis ac magis inualesceret. Deinde & eam, quam secum ex Aegypto retulerant ignorantes. Et hic posterior sensus nõ modò simpliciter concordat cum litera, sed & reipsa probabilior uidetur. *Pecunia duplex.*

Vides hic exemplum prudentiæ & iustitiæ. Prudentiæ, in eo q̃ præcogitauit, alimentum interea tem poris crescente fame duplo cœpisse charius uẽdi q̃ antea, ideoq; duplicẽ pecuniã accipi iussit. Malũ hoc tritum est & antiquum, quod tempore famis ab auaris hominibus quæstus immoderatus sic quæritur, ut quo maior est emendi necessitas, hoc omnia charius uendantur. Et hoc pacto pauperes, & mediocri quoq; fortuna homines, quibus non est pecuniarum copia, uel famem inedia uincere, uel cum morte luctari coguntur, dum interea loculi auarorum farciuntur ac distenduntur. *Exemplum prudentiæ.*

Iustitiæ exemplum in eo est, q̃ non uult relatam ex Aegypto pecuniã retineri, sed restitui, quamuis ne sciret, studio ne uel errore saccis esset insinuata. Quid illis est faciendũ, qui studio, dolo, furto, raptu scienter acquisita domi habent, ac retinent? *Exemplum iustitiæ.*

Et fratrem uestrum sumite (intelligit Beniamin) *ac surgite, redite ad uirum*, inquit.] Vide q̃ prudenter non dicat, Et tu Iehudah fratrem tuum sume: sed ad omnes, Et fratrem uestrum sumite. Quod enim Iehudah fidem suã separatim pro Beniamin obligauerat, æquiore animo ferri potuit à cæteris fratribus, quandoquidem ad eiusmodi obligationem non essent ipsi perinde animati, q̃ si pater filium suum uni separatim magis q̃ communiter omnibus commendasset. Hoc enim quisq; sui cõtemptu fieri iudicasset, animosq; illorum admodum aduersus puerum exacerbasset. Et illud quoq; competẽter factũ est, quod non dixit, Et Beniamin filiũ meum: sed, Et fratrem uestrũ sumite. Hoc enim pacto animos illorũ ad beneuolentiam ac sedulam curã puero in itinere exhibendam efficacius permouere potuit, quòd eum ipsis tanquam fratrem fratribus commendauit, quàm si tanquam filiũ suum cæteris chariorem in precio haberi uoluisset.

Et Deus omnipotens, inquit, det uobis miserationes corã uiro &c. Hactenus amandauit filios suos, & quid facere debeant, instruxit iam ἐπευχλὶ subiũgit, qua precaĩ succesſum, ut utrũq; filiũ & Simeonẽ & Beniamin reducant. Obseruandum aũt est, q̃ pro pietate sua preces ad Deum instructioni suæ adiecit. Sciebat enim omnia frustra geri, etiamsi prudẽtissimè sint instituta, nisi prosperitatem & successum adiecerit Dñs. Commodè aũt usus est uoce רחמים quæ uiscera, atq; ita miserationes significat intimas & efficaces. Petit à Deo, ut animũ uiri conspecto Beniamin ad miserationes permoueat, id est, ad talem affectum ac sensum, quo penes se cogitet, q̃ sit miserum uiro seni orbari filio senectutis suæ, ac dimidio animæ suæ, eaq; cogitatione inducatur, ut reddat utrũq; filiũ. Et reuera sic factum est. Incaluerunt enim Iosepho רחמים, id est, uiscera, ubi coram se Beniamin fratrem suum uterinum stantem uidit, sicut infrà uidebimus. Nos cogitemus hic de uanitate illa Stoica, qua sapienti suo omnem miserationis affectum ac motũ adimunt. Vsq; adeò Iacob Stoicus non est, ut ab ipso quoq; Deo petat, ut miserationis sensum, quo ipsã quoq; uiscera moueantur, Dño Aegyptio findere dignetur. Et nos consimili modo petamus hoc à Dño quoties apparet corda potentũ huius mundi durius ac uiolentius agere q̃ sit par & æquum. *Ἐπευχὴ.* *Contra Stoicos.*

Et ego, inquit, sicut orbatus sum sic orbatus ero.] Sic uisum est reddere, q̃ in Ebr. habeĩ, ראני שכתי שכלתי כאשר, id est, Et ego sicut orbatus sum orbatus sum. Et ego, inquit. Hoc est, quod me attinet interea dum omnes à me discedetis, ac me solum omni filiorum solatio destitutum relinquetis, sic ero tanquam prorsus orbus, iudicabo me amisisse uos omnes, eoq; in luctu ac mœstitia desolationis instar eorum qui omnibus liberis suis morte ademptis facti sunt orbi. Sic expressit, quanta cum sollicitudine & mœstitia Beniamin à se dimiserit. Quoniam antea Iosephum amiserat, & nunc fratrem eius unicè dilectum periculo exponere cogitur, iudicat se factum esse prorsus orbum.

Mouet hisce uerbis animos filiorum suorum, ut uel sui commiseratione inducti curam gerant Beniamin diligentem ac sedulam, ne quid mali illi in itinere contingat, & ut eum secum incolumem reducant.

Et acceperunt uiri munus illud, & pecuniam duplicem acceperunt in manum suam, & Beniamin, surrexerunt q̃; et descenderunt in Aegyptum, ac steterunt coram Iosepho.] Vt erant à patre ad uiter instructi, sic abierunt. Præscripserat de præcipuis terræ fructibus uiro illi loco muneris ferendis, de duplici pecunia accipienda, & permiserat ipsis, ut Beniamin quoq; secum auferrent. Sic instructi descendunt in Aegyptum. Ac steterunt, inquit, coram Iosepho. Verbũ standi in scripturis quadrifariam sumitur. Primò sine constructione, ut significet animo esse firmo & infracto. Sic Moses ad populum dicebat Exod. 14. Nolite timere. State & uidete magnalia Dei. Et Paulus Gal. 5. State, & nolite iterum iugo seruitutis subijci. Item, statu esse constanti & immoto. Vt 2. Timoth. 2. Firmum fundamentum Dei stat. Deinde, ut idem sit, quod

cessare ac desinere. Vt suprà ca. 29. Et stetit à pariẽdo. ¶Et ca. 30. Cũ uidisset Leah q̃ stetisset à pariendo. Tertiò, ut stare corã aliq̃, sit esse illius ministrũ, & ad seruiendũ illi paratũ. De hoc sensu admonui suprà ca. 41. Quartò, ut sit sistere se illi cui obstrictus qs est, & fidẽ seruare iuxta ꝓmissũ. Hoc sensu filij Iacob cũ essent in Aegyptũ reuersi, unà cum Beniamin coram Ioseph stetisse memorantur. Nam ea erant conditione domum remissi, ut iuniorem fratrem suum secum adferrent. Quare quod in Ebræo est, יעברון quidã uertunt, statuerunt se, *sie haben sich gestelt*. De hac integritate fideiq̃ constantia qua qui bello capti sunt ac sub cõditione dimissi, uictori se sistũt, pleraq̃ in historijs ethnicis legunt, & à nõnullis in quæstionẽ rapit, sit ne hosti fides ista restitutionis seruãda, cũ manũ eius, etiã intercedẽte fidei huius ꝓmisso, euaseris. Possunt in utrãq̃ partẽ multa adferri. Meo iudicio uir ꝓbus ac nõ modò seruãs fidei, sed & fideliter considerans, quid Deo, quid patriæ, quid populo ac subditis debeat, nihil hic temere faciet, sed Deum orabit, ut doceat ipsum, quid sit faciendum, & consilia bonorum uirorum audiet ac sequetur.

Et uidit Ioseph Beniamin esse cum ipsis, ac dixit œconomo suo: Duc uiros istos domum, & macta mactationem, ac para. Nam comedent uiri mecum meridie. Et fecit uir sicut dixerat Ioseph, & duxit uir ille uiros ad domum Ioseph.] Cũ Beniamin uidisset Ioseph cũ reliqs fratribus suis corã se stantẽ, dubio ꝓcul sensu fraterni amoris tangebat. Verùm qm̃ inciderat in ipsum extra domũ, forsan in foro, uel negocijs publicis aut dispensatione frumẽti occupatũ, noluit q̃q̃ cũ illis agere, sed iussit eos in domũ suã duci, ut seorsim ac liberius quæ uiderent agere posset. Beniamin non agnouisset, nisi illũ cũ fratribus cõiunctim adesse uidisset. Voluit aũt eos accipere prãdio singulariter instructo. Ideo mãdauit œconomo, ut mactaret mactationẽ, ac conuiuiũ ad meridiẽ pararet. Nã comedẽt, inqt, uiri mecũ meridie. Arbitror uariã fuisse ueteribus edẽdi ac bibẽdi consuetudinẽ. In eo tñ omnibus ferè nationibus conuenit, quod tempus ante meridionale laboribus ac curis potioribus destinarũt, q̃ quæ facienda erãt facerẽt sobriè. Quibusdã id cõsuetudinis fuit, ut nõ nisi uespere reficiẽdo corpori edẽdo ac bibẽdo, operã daret. Deinde & illud admonendũ puto. Macta, inqt mactationẽ, & para. Sic hoc fecit in gratiã fratrũ, ergo nõ solebat, q̃uis magnus esset princeps, quotidie mactare & luxui indulgere. Habes exemplũ frugalitatis. Præterea in filijs Iacob illud obserua. Quandocũq̃ in id loci, ubi Ioseph agebat, siue uesperi, siue manè uenerint, ad illũ cũ muneribus suis & iuniore fratre, ut se sisterent, non accesserunt bene pransi ac poti, sed mane ante prandium meridianum. Sic solent homines prudentes, & sollicitè quæ obeunda sunt obeuntes.

Et fecit uir sicut dixerat Ioseph, & duxit, &c. Sic solet scriptura loqui. Primũ summã rei dicit, deinde partes illius exponit. Cũ dixisset, Et fecit uir ille sicut dixerat Ioseph: subiungit, Et duxit uir ille uiros ad domum Ioseph. Atqui nõ hoc tantum dixerat Ioseph, sed iusserat etiam ut mactaret mactationem, & pararet prandium. Si fecerat iam quæ dixerat Ioseph, quomodo tum demum uiros illos domum duxit? cum id esset illi faciendum cum primis? Verùm sic solet loqui scriptura.

Et timuerunt uiri propter ea quòd in domum Ioseph introducerentur, dixeruntq̃: Propter pecuniam quæ relata est initio in saccis nostris, nos introducimur, ut reuoluat in nos, & irruat in nos, accipiatq̃ nos in seruos, & asinos nostros. Et accesserunt ad uirum, qui erat œconomus domus Ioseph, ac loquuti sunt ei in ostio domus & dixerunt: Obsecramus Domine. Descendendo descendimus iam antea ad emendum escam. Et accidit, cũ uenissemus ad diuersoriũ, aperuissemusq̃ saccos nostros, ecce pecunia cuiusq̃ erat in ore sacci sui, ꝓpecunia nostra iuxta pondus suũ, & reportamus eam in manibus nostris. Et pecuniã aliã adferimus in manibus nostris ad emendũ escã. Ignoramus, quis nam posuerit pecuniã nostrã in saccos nostros.] Quòd timuerũt sibi filij Iacob, ¶ꝓpterea q̃ iussi essent duci in domũ Ioseph, cũ id fieret ex singulari beneuolẽtia, admonet nos, qũo animus alioq̃ pusillus ac perterre factus omnia rapiat in argumẽtũ periculi, etiã ubi nihil est periculi, quẽadmodũ & suprà admonuimus, immo ubi specimina beneuolẽtiæ edunt. Propter pecuniã, inqũt, quæ relata est initio in saccis nostris introducimur, ut reuoluat in nos, & irruat in nos. Ebr. habet hoc modo, להתגלל עלינו ולהתגלל עלינו, q̃d uerti potest, ut inuoluat se super nos, & irruat super nos. Suspicant hoc agi à Iosepho, ut in domũ suã introductis furtũ pecuniæ obijciat, q̃ domũ secũ in saccis reportauerãt, atq̃ ita causas quærat, ꝓpter quas adobruat ipsos, & in seruitutẽ coñiciat. Inuoluere se & irruere super aliquẽ, nõ est simpliciter pœnas sumere, sicuti faciũt iudices, sed est causas per phas ac nephas cõminisci, quarũ prętextu opprimant innocẽtes, sicuti facere solent tyrãni. Sciebãt se esse innocẽtes & insontes in causa pecuniæ huius. Quare nõ nisi uim iniustã timẽt. *Accipiatq̃ nos in seruos, & asinos nostros*, inquiũt.] Nõ dicũt, Et tradat nos suspẽdio. Quia nõ erat id moris illis regionib. ut fures suspenderẽt, sed subijciebant eos seruituti, præsertim si non posset legitima fieri restitutio ablati. Et accesserũt ad uirũ q̃ erat œconomus Ioseph, ac locuti sunt ei in ostio domus, &c. Præcupare uolũt, priusq̃ ꝓpter pecuniã hãc accusent, ideoq̃ hoc faciũt in ostio domus. faciũt hoc corã Oeconomo, ut per hũc Ioseph edoceat. Faciũt suppliciter, dicentes: Obsecramus Dñe. Ebr. בי אדני quasi dicas, Dñe uel, Quæso Dñe. Faciũt exponẽdo q̃d ipsis cũ pecunia hac acciderit, idq̃ insciis Ignoramus, inquiũt, quis nã posuerit pecuniã nostrã in saccos nostros. Et ne dicat œconomus, Quare ergo nõ restituistis illã? addũt, Reportamus eã in manibus nostris. Præterea ne putent sic uel le frumentũ accipere, ut ubi aliquãdo reuersi fuerint, tũ demũ ꝓ illo pecuniã adferãt: Et pecuniã aliã adferimus, inquiũt, in manib. nostris, id est promptã & paratã, ad emendũ escã. Sic uisum illis est innocentiã suã exponere, priusquã de pecunia hac in quæstionẽ raperent. Omnia duobus argumentis innocentiæ & ignorãtiæ in animũ dispensatoris insinuãt. Et reuera magnum habent excusationis pondus hæc duo argumenta, si non uerbis tantum, sed & reipsa comprobentur. *Et dixit: Pax uobis. Ne timeatis. Deus uester, & Deus patris uestri, dedit uobis thesaurum in saccos uestros. Pecunia uestra peruenit ad me. Et eduxit ad*

eos

Animus pusillus ac perterrefactus omnia rapit in argumentum periculi.

Pœna furum.

eos Simeonem.] Duo facit hic œconomus. Primùm, quoniam uidebat eos animo esse perculso & anxio, iubet eos esse animo securo & quieto, dicens: Pax uobis, ne timeatis. Vtit apprecatione, consolatione & interpretatione. Apprecatio est quod dicit, Pax uobis. Consolatio est illud, Ne timeatis: Interpretatio, quod addit dicēs, Deus uester & Deus patris uestri dedit uobis thesaurum in saccos uestros. quam propterea subijcit, quod illi dixerant: Ignoramus, quis nam posuerit pecuniam nostram in saccos nostros. Quod addit, Pecunia uestra peruenit ad me, assecurationem habet, ne cogitent de illa fore quæstionem. Quasi dicat: Nihil de pecunia uestra deferatur. Nam illam ego à uobis accepi. Quare quam in saccis uestris reperistis, sic ut ignoretis, quis eam illuc posuerit, non debetis adscribere nisi Deo uestro ac Deo patris uestri. Deinde, educit ad eos Simeonem. Videlicet è custodia. Sic animos eorum etiam hoc pacto erigit ac pacatos reddit.

Obseruandum hic est exemplum serui pij, fidelis, & humani. Pietatis erat quod dicit: Deus uester, & Deus patris uestri, dedit uobis thesaurū in saccos uestros. Sic solemus Deo adscribere beneficia, quę nec nostro sunt studio acquisita, nec scimus unde ad nos peruenerint. Germanicè dicimus, *Gott hat mirs beschört. Gott hat mich beradten.* Quærunt hic defendi ne possit à nota mendacij, quod hic seruus factum suum Deo adscribit. Ipse pecuniam iussu heri sui saccis illorum insinuauerat. Et hic dicit: Deus dedit uobis thesaurum in saccos uestros. Apostolus dicit 1. Cor. 15. Inuenimur falsi testes Dei, quoniam testificamur aduersus Deum, quòd Christum à mortuis excitauerit, quem non suscitauit, si mortui non resurgunt. Sic uidetur & hoc loco seruum istum aduersus Deum testificari, dum prædicat de illo, quod non ille, sed ipse fecerat, atq; ita esse falsum testem Dei. Respondeo: Longè est hic alia ratio, ab eo quod Paulus de resurrectione disputat. Primū si Christus non resurrexisset, utiq; fuissent Apostoli falsi testes Dei, testificantes de illo, quod rem fecerit, quæ tamen prorsus facta non fuisset. Hic sermo est de re omnino facta. Nam constabat pecuniam fuisse saccis filiorum Iacob insinuatam. Deinde etsi factum hoc sit iussu Ioseph per seruum, nullo tamen mendacio Deo tribuitur, cuius omnino erat instinctu factum. Quę Ioseph in hac causa fecit, non debent humani consilij uel prudentiæ, uel temeritati adscribi, sed magis diuinæ dispositioni, qua omnia huius negocij gesta ad certum & constitutum finem dirigebantur. Quare admodum piè & ueraciter dictum est ab œconomo isto, Deus uester, & Deus patris uestri dedit uobis thesaurum in saccos uestros: tam abest ut arguendus sit mendacij.

Exemplum serui pij, fidelis, & humani.

QVAEST.

Fidelem se hic seruus in eo declarauit, quòd cum esset conscius secreti domini sui in hac causa, simulationem illius constanter ac fideliter aduuit. Poterat dicere: Ego posui pecuniam in saccos uestros, idq; iussu domini mei, & factum est hoc uestro non malo, sed bono. Verùm id erat celandum.

Humanum se præbuit in eo, quòd cum uideret eos esse anxios, cōsolatus est & securos reddidit, deinde Simeonem confestim ad eos adduxit, cum tamen nihil adhuc mandati de illo accepisset, nisi quòd sciebat hoc dominum suum non improbaturum.

Et introduxit uir ille uiros in domum Ioseph, deditq; aquā, & laucrūt pedes suos, ac dedit pabulū asinis eorū.] Simeonem ad eos eduxit, cum adhuc essent prę foribus, uel in proſtibulo aut atrio domus, ac tum demū eos intrò in ipsam domum duxit. Poterat hoc differre. Verùm hoc sunt ingenio uiri boni, ut quod humanum est, non cunctanter, sed citò faciant. factum bonum citò factum, duplici nomine gratum est.

Quod bene fit citò factum, duplo est nomine gratum.

Dedit illis aquam, & lauerunt, inquit, pedes suos.] Potest legi, Et lauerunt pedes eorum: ut intelligas factum hoc esse per seruos domus. Interea cogita, quales principes Israeliticæ gentes fuerint isti patriarchæ. Sic proficisci solebant, ut opus haberent lauacro pedum. Quod autem œcnonomus aquam dedisse scribitur, argumentum magnæ siccitatis esse uidetur, ut uerosimile sit aquam domus Ioseph non fuisse cuiuis expositam, sed dispensationi œconomi commissam, quemadmodum & ea quæ alimoniam concernebant tam hominum quàm animalium. Sic addit, Ac dedit pabulum asinis eorum.

Quales fuerint principes Israeliticæ gentis.

Et parauerunt munus, donec ueniret Ioseph meridie. Audierant enim, quòd illic manducaturi essent panem.] Explicuerunt fructus & aromata, quæ secum muneris loco aduexerant, ut uenienti Ioſepho statim illa possent offerre, atque ita animum illius ante omnia delinire. Erat hoc prudentiæ, qua non modò filij huius seculi, sed & sancti homines in loco utuntur. Etenim quod isti hic fecerunt, non suo, sed ipsius Iacobi patris ipsorum consilio & iussu fecerunt. Audierant enim, inquit, quòd illic manducaturi essent panem. Dixerat quidem hoc Ioseph ad œconomum, & probabile est quòd ipsis audientibus dixerit. Dubio tamen procul dixerat non Cananæorum, sed Aegyptiorum lingua. Siquidem studio cauebat, ne illorū lingua ad eos uteretur nisi per interpretem. Quare suspicor œconomū domus Ioseph utranq; & Aegyptiorum & Cananæorū linguā calluisse, & quæ Ioseph dixerat illis exposuisse.

Exemplum prudentiæ.

Et uenit Ioseph domum, & attulerunt illi munus, quod erat in manibus ipsorum, in ipsam domum, & inclinauerunt se coram illo ad terram.] Meridie domum uenit Ioseph pro more: quo solent in regionibus illis calidis æstum meridiei declinare, & refectioni operam dare. Poterat citius, nisi uel impeditus fuisset negocijs, uel affectum cordis sui ad tempus dissimulare uoluisset.

Et attulerunt illi munus, inquit, in ipsam domum.] Parauerunt quidem & explicuerunt iam antea, uerùm in ipsam domum nondum attulerant, sed aduentum Domini expectauerant. Quid ergo est quod dicit, Quod erat in manibus ipsorum? Quemadmodum pecuniam in manus accipere ac deferre iussi erant à Iacobo patre ipsorum, & ad œconomum dixerant, Reportamus eam in manu nostra, & pecuniam aliam adferimus in manu nostra: & ita hic munus attulisse Ioſepho dicuntur, quod in manibus ipsorum fuerit. Quis autem adeò ineptæ mentis est, ut putet eos in toto isto itinere pecu-

Habere aliquid in manu.

nias gestasse in manu? Pecuniam accipere & adferre & habere in manu, est habere pecuniam in promptu & paratam. Germanicè dicimus: *Ich habs gelt bei handen.* Consimili modo & munus hoc erat in animo ipsorum, etiam priusquam illud Iosepho offerrent. Et inter offerendum non tenebant illud in manu, sed iuxta se locatum habebant, uel œconomo tradiderãt. Etenim grauioris ponderis erat, quàm ut manu teneri posset. Quare inconsulto reddidit latinus interpres: Obtulerunt{que} ei munera, tenentes in manibus.

Et incuruarunt se coram illo ad terram.] Vtiq{ue} fecit hoc & Beniamin cum cæteris. Sic implebatur somniũ Iosephi de stellis undecim, quas in somnio curuari ante se uiderat.

Et interrogauit eos de pace, ac dixit: Num pax est patri uestro seni, de quo dixistis? Viuit ne adhuc.] Illud, Et interrogauit eos eos de pace, in Hebræo est: וישאל לחם לשלום quod bifariam intelligi potest. Vel idem sit, quod, & petijt eis pacem, hoc est, apprecatus est eis pacem, quemadmodum uidelicet œconomus fecerat dicens, Pax uobis. quod nihil est aliud quàm pacificè, cum apprecatione uidelicet pacis, salutare. Sic legitur & 1. Sam. 10. cap. וישאלו לך לשלום, id est, Et salutabunt te. Et 2. Sam. 8. Et misit Thoi Ioram filium suum ad regem Dauid לשאל לו לשלום, id est, ad salutandum eum. Hoc sensu salutauit Ioseph fratres suos. Vulgata latina habet: At ille clementer resalutatis eis. Vel ut intelligas eum interrogasse de statu illorum, prospere ne haberent uel secus. Nam uerbum שאל non modò perere, sed & interrogare significat. Sic uerterunt Septuaginta: ἠρώτησε δὲ αὐτοὺς πῶς ἔχετε, id est interrogauit aũt eos: Quomodo habetis? Sunt uerò qui intelligant Iosephum non de eo interrogasse fratres suos, quomodo ipsi haberent, cum uideret eos coràm rectè ualere, sed quomodo haberet pater ipsorum, atq{ue} ita connectunt ista, ut una sit & eadem interrogatio. Vertunt enim, Interrogauit autem eos de pace dicens: Num pax est patri uestro seni? Nihil est periculi prorsus quem sensum ex istis approbes.

Num pax est patri uestro seni, de quo dixistis? Viuit ne adhuc?] Dubio procul magno tenebatur desiderio adducendi ad se patris, cùm ut senectuti illius solatium impendere posset, tum ut ille coràm somnij sui adimpletionem cerneret, cuius gratia olim fuerat ab eo reprehensus, suprà cap. 37. Ideo cumprimis de uita & incolumitate illius interrogat. Sciebat eum uirum esse multis tribulationibus exercitatũ, & præterea propter se iam olim, & nunc etiam propter Beniamin admodum mœstum ac perturbatum. Quare timebat, ne uel morte abriperetur priusquam ad se adduceretur, uel morbo sic corriperetur, ut nusq{uam} deportari posset. Vtrunq{ue} igitur percontaũ cùm esset ne incolumis, tum adhuc ne uiueret. Videtur aũt inconuenienter factum, quod primùm de incolumitate, deinde de uita illius percontatus est. Etenim ut prius est uiuere, deinde incolumem esse: ita de uita prius, post uerò de incolumitate quærendum esse uidetur. Verùm non est præter rationẽ quod postremò de uita patris percontatus est. Etenim cum primũ cõmuni more interrogasset, prospere ne ageret pater, mox subijt animũ eius cogitatio de grandæua illius senectute (erat enim tum annorũ centũ triginta) cuius consideratione existimauit quærendum magis esse uiueret ne adhuc, quàm, esset ne incolumis ac prospere agens, præsertim, cum cunctantius ueniissent ac tardius, quàm futurum sperauerat, uideret{que} Beniamin adesse, quẽ ægrè à patre uiuo auelli posse iudicabat.

Et dixerunt: Pax est seruo tuo patri nostro, adhuc uiuit. & inclinantes incuruarunt se.] Omnia singularem submissionẽ ac reuerentiã spirant. Nõ dicũt simpliciter, Pax est patri nostro: sed, Pax est seruo tuo, patri nostro: adhuc uiuit: atq{ue} ita nõ solũ seipsos, sed & ipsum patrem Iosephi dominationi subijciũt. Sic ista legunt in editione Sept. Et dixit, Benedictus Deo homo ille. Quæ in Hebræo nõ habent. Et inclinantes, inquiũt, incuruarũt se. Ipsi quidẽ sic gratias illi egerũt humiliter, submisse ac reuerẽter, quod tam benevolè de patre ipsorũ percõrari dignaretur. uerùm Moses ista propterea cõmemorat, ut lectorem admoneat, somnium Iosephi non semel tantum, sed iterum atq{ue} iterum à fratribus ipsius fuisse implerum.

Et leuauit oculos suos, uiditq{ue} Beniamin fratrem suum filium matris suæ, ac dixit: Iste ne est frater uester minor, de quo dixistis? & ait: Deus faueat tibi fili mi.] Viderat Beniamin iam antea, priusquam eos domum suam introduci iussisset. Verùm, cum illum singulariter salutare uellet, oculos suos ad inspiciendum eum leuauit, hoc est, direxit & intendit, uel circumtulit. Neq{ue} enim corfuse, sed ordine secundum seriem ætatum coram ipso stabãt fratres, ita ut Beniamin paulo remotius staret, tanquam natu minor. Quare in morem quæsibundi oculos suos paulo leuauit altius, ut hunc peculiariter cerneret & salutaret. Vidit{que} Beniamin, inquit, fratrem suum, filiũ matris suę. Adijcit, filium matris suæ, ad differentiam cæterorum, qui & ipsi quidem fratres eius erãt, uerũ ex patre tantũ, Beniamin uerò ex utroq{ue} parẽte germanus erat illius & uterinus frater, quare hunc cæteris animantius cõplectebatur. Admonemur non esse culpabilem hunc affectum, quo magis diligimus eos qui sanguine nobis sunt cõiunctiores, quàm cæteros, quamuis & illi nobis sint cognati & propinqui.

Animi præsentia imperãs affectibus.

Ac dixit: Iste ne est frater uester minor de quo dixeratis? Mirum quod se lingua cohibuit, ne diceret: Iste ne est Beniamin frater meus, filius matris meæ? Constantis animi indicium est, quod se tantopere obfirmare potuit, ut ne uerbulo quidem, uel imprudenter prolato, fraternæ cognationis notam emitteret. Tale & illud est, quod non dixit, Deus faueat tibi frater mi: sed, Deus faueat tibi fili mi. Hæc est animi præsentia imperans affectibus etiam naturalibus & rectis, ne longius quàm conueniat, & liberius erumpant, id quod factu facile est hominibus duro & agresti ingenio prædiris: placidis uerò & humanis magna est opus cautione, animiq{ue} præsentia, ne quod corde pro bonitate & humanitate sua concipiunt, sentiunt, & affectant, imprudentius proferant.

Sic pa-

Sic parenti erga filium unicè dilectum, qualis Isaac erat Abrahæ, & germano amanter erga germanum affecto admodum difficile est naturalem storgiam constanter dissimulare.

Deus faueat tibi, fili mi, inquit.] Duobus tribus uerbis, quoad eius tum licebat, singularem beneuolentiam erga Beniamin declarat, cùm in eo quòd uocat eum filium suum, tum quòd diuinam illi gratiam apprecatur. Pulcherrima sanè coniunctio est & gratiæ Dei & beneuolentiæ fraternæ, in hac apprecatione. Ea demum germana est & sincera beneuolentia quæ firmitudinem sui à gratia Dei petit. Fauet & ipse Ioseph germano suo ex animo, haud secus quàm filiolo: uerùm hunc fauorem suum admodum nouit esse infirmum, & non multum illi profuturum, nisi gratia Dei illum complectatur, foueat, tueatur, & in omnibus dirigat. Amare & laudare quempiam sine gratia Dei, nocere est potius, quàm prodesse. Et hinc obtinuit olim inter pios ista consuetudo, ut siue salutarent quempiam, siue laudarent, diuinę gratiæ apprecationē adiungerent. Et hodie quoq; solemus infantulos laudaturi præmittere, *Behüt dich Gott:* ac tum subiungere, *Wie ist das so ein schöns kind?* Accesit quidem isti consuetudini superstitio quædam uetularum, uerùm ratio illius admodum est pietatis gratia probabilis. *Coniunctio gratiæ Dei & fraternæ beneuolentiæ.*

Et festinauit Ioseph, quoniam incalescebant uiscera eius erga fratrem suum, & quæsiuit ubi fleret, ingressusq; est cubiculum, ac fleuit ibi.] Vides hic uerum esse quod suprà dixit, naturalem storgiam constanter dissimulare, rem esse difficilem illis qui nō sunt astorgi & inhumani. Ioseph conspecto fratre, mox atq; eum salutare cœpisset, uim naturalis storgiæ sensit in pectore. Hanc innuit Moses, cum dicit, Quoniam incalescebāt uiscera, id est, præcordia eius. Vis illa pro natura sua & qualitate causæ præsentis erumpere conabatur in oculos, & lachrymis sese prodere gestiebat. Sentit hoc Ioseph, uerùm quoniam nondum erat tempestiuum, ut se fratribus manifestaret, studio dissimulationis lachrymas cohibere molitur. Erat autem uis illa maior quàm ut posset in præsentia fratris cœptæ dissimulationis constantiam retinere. Properabat igitur, & festinanter quærebat locum, ubi secretò extra conscientiam fratrum fleret, æstumq; præcordiorum effunderet. Huic secreto opportunum erat cubiculum. In illud igitur ingressus, uelut aliud agens, ubertim fleuit.

Cogita hic, qualis nam fuerit iste fletus. Quod ipsum Iosephum concernebat, erat in maximis honoribus constitutus. Magni honores non habent causas fletus. Quod attinebat ipsius patrem, audierat hunc & uiuere & incolumen esse. Ergo neq; huius gratia flendum erat, sed magis gaudendum. Beniamin fratrem suum ad se inde ex terra Canaan duci uoluerat. Is iam adest. Erat ne hac in re causa plorandi? Reliqui fratres stabant in conspectu ipsius supplices, reuerentes, incurui, & tantum non trementes. At hoc erat diuinitus ad eum modum destinatum, ac somnio præmonstratum. Si hic causa flendi fuit, fuit non ipsi, sed illis. Quare fletus iste planè mirabilis fuit. Verùm sic solet amor, & ipse mirabilis. Habet is lachrymas, de quibus nemo certas & necessarias rationes assignare poterit. Soluitur in lachrymas non modò ubi res tristes eueniunt, sed & ubi maximè gaudendum erat. Flet non solum priuatus optatis, sed & uoti compos factus. Illachrymatur dolendo & cōmiserando, illachrymatur congaudendo. Lachrymas habet suaues, habet amaras. *Qualis fuerit fletus Iosephi.*

Ingressusq; est cubiculum, inquit, & fleuit ibi.] Ergo non est alienum à uiro graui & honesto, facere in cubiculo, quod pudor est facere in propatulo. Non sunt sancti Cynici. *Sancti non sunt Cynici.*

Et lauit faciem suam, & egressus cohibuit se, dixitq;, Ponite panem. Et posuerunt ei seorsum, & illis seorsum, Aegyptijs quoq; uescentibus cum eo seorsum. Non enim possunt Aegyptij cum Hebræis comedere panem, quia abominabile id est Aegyptijs. Et sederunt coram eo primogenitus secundum primogenituram suam, & minor filius secundum ætatem suam, admiratiq; sunt uiri quisq; ad proximum suum. Et ferebantur fercula à facie ipsius ad eos, & auctius fuit ferculum Beniamin quàm ferculum omnium aliorum quinq; partibus. Et biberunt, & inebriati sunt cum eo.] Et lauit, inquit, faciem suam, & egressus cohibuit se. Quēmadmodum noluit flere uidentibus fratribus, ita noluit etiam fleuisse uideri. Nondum enim tempestiuum erat, ut se illis manifestaret. Eam ob causam faciem suam lauit, & se cum egrederetur cohibuit. Fleuerat igitur haud tribus quatuor lachrymulis, quæ facile abstergi potuissent, sed admodum largiter, ut opus habuerit lauacro, quo notas lachrymarum ablueret. Cohibuit se. Ergo ne post fletum quidem remiserat dum motus & calor uiscerum. Agnosce mores sanctorum. Non leuiter mouentur illorum præcordia, ubi uel compatiendo uel congaudendo mouentur. *Noluit ut flere, sic nec fleuisse uideri.* *Mores sanctorū.*

Et posuerunt ei seorsum, inquit, &c.] Describit paucis conuiuium Iosephi, quo fratres suos accepit. commemorat autem tria. Primùm quo ordine dispositi fuerint discubitus. Huc pertinet quod dicit: Et posuerunt ei seorsum, & illis, id est fratribus ipsius, seorsum, & Aegyptijs quoq; uescentibus cum eo seorsum. Quod Ioseph us seorsum comedit, factum est pro more Principum. Quod Aegyptij quoq; seorsum discubitu conuiuari sunt, cum decentius fuisset una conuiuari cum hostibus Hebræis, ob id factum est, quòd Aegyptijs abominabile est, uesci cum Hebræis. Non enim possunt, inquit, Aegyptij panem comedere cum Hebræis, &c. Hoc est, non licet illis, quia habetur abominabile. Quæ sit autem abominationis huius causa, non est expressum à Mose hoc loco, exprimitur uerò infrà in calce cap. 46. Propterea uidelicet abominabantur Hebræorū conuiuia, q̄ essent pastores ouiū, quod genus hominum usqueadeò explodebant, ut ne cibum quidem cū illis sumere dignarentur. Shlomoh reddit hanc rationē לבני שחם לחם אלהרית, id est propterea q̄ oues illis instar sunt dearū. Existimat Aegyptijs abominabile fuisse, quod pastores oues nō modò pascunt, sed & mactāt & comedunt, cū ipsi eas unà cū reliquis dijs colerent. Quod aūt non dicit, Nō possunt Aegyptij panē comedere cū pastoribus ouiū, sed cū Hebræis: *Quo ordine fuerint dispositi discubitus.*

argumen-

argumento est, fuisse iam olim notum Aegyptijs, quod Hebræi essent pastores ouium, id quod ipsis ex eo potissimum innotescere potuit, quod Abraham & Lot, pastores ouium, aliquandiu in Aegypto fuerant peregrinati. Vel uocantur hic Hebræi non ij tantum qui ab Abrahamo descenderunt, sed omnes illi qui traiecto fluuio inde ex Mesopotamia ueniunt, ut uox, Hebræi, transfluuiales sonet. Est autem hoc genus pastoralis uitæ in Chaldæa & Mesopotamia admodum uulgare, propter regionum qualitatem ouibus magis quàm bobus conuenientem, sicuti suprà patuit in historia Laban. Erat igitur triparti-

Tripartitus discubitus.

tus discubitus. Primo ac præcipuo Ioseph: secundo, hoc est, proximo loco ante Ioseph fratres ipsius, tertio Aegyptij uel honoris gratia inuitati, uel ministri ac domestici discumbebant. De discubitu fratrũ

Discubitus fratrum.

sic scribit: Et sederunt coram eo, uel ante faciem eius, è regione uidelicet, primogenitus secundum primogenituræ suam, & minor secundum ætatem suam (in Hebræo est, Et paruus secundum paruitatem suam) & admirati sunt uiri quisq; ad proximum suum. Sensus est: Fratres Ioseph sic erant locati in hoc conuiuio, (dubio procul iussu Iosephi) ut Ruben primogenitus primo, Simeon secundo, Leui tertio, Iehudah quarto, &c. Beniamin uerò tanquam iunior postremo loco, secundum seriem quisq; ætatis suæ discumberent. Et ea res admirationem illis mouebat, unde nam constaret Aegyptijs, qua quisq; ipsorũ esset ætate. Iudicabant enim esse se homines peregrinos & incognitos, nec uidebant ullam rationẽ, qua usqueadeò essent Aegyptijs cogniti, ut ad eum modum potuerint ab illis secundum singulorum ætates locari. Hoc uidelicet est, quod dicit: Et admirati sunt uiri, quisq; ad proximum suum.

Quomodo Ioseph honorarit fratres suos dapibus.

Secundo loco commemoratur à Mose, quomodo Ioseph fratres suos honorarit dapibus, de mensa sua ad illos missis. Et ferebantur, inquit, fercula à facie sua ad eos, &c. In Hebræo est, מנגיד אלהם ותרב משאת בנימין מִמשאת כלם חמש ידות משא מאת פניו ראשא מאת, hoc est, si uelis ad uerbum reddere: Et leuauit leuationes à facie sua ad eos, & multa fuit leuatio Beniamin magis q̃ leuationes omnium quinq; manibus, id est, partibus. Apparet Iosephum de sua mensa tanquam de mensa Principis ad mensam fratrum singulis misisse fercula, secundum ordinem quo discumbebant, sic ut Beniamin quintuplo maiorem portionẽ mitteret. Et hæc fercula uocat Moses, massaos, à uerbo nasha, quod leuare & ferre significat, germanicè trachten. Dicit autem in singulari, Et tulit, uel, leuauit, quod nonnulli non de Iosepho, sed de ministro intelligunt, qui fercula ista de mensa Iosephi ad fratres illius transtulit. Nihil autem habet incommoditatis, si de Iosepho intelligas, quod ille fercula sicuti uolebat, disponens & ordinans, ministro ferenda dederit.

Hilaritas conuiuij.

Tertio loco, conuiuij huius hilaritatem exprimit, dicens: Et biberunt & inebriati sunt cum eo. Illud, Cum eo, bifariã intelligi potest. Vel ut idem sit quod coram eo, sic ut ipse Ioseph non includatur. uel ut quemadmodum habet litera, non solum fratres, sed & ipse unà cum illis fuerit inebriatus.

Honores principatibus annexos non respuunt sancti.

Sunt in hoc contextu quædam obseruanda, priusquã ad sequens caput progrediamur. Et posuerũt ei seorsum, inquit. Obseruandum hic est quod Ioseph quamuis esset è carcere ad principatum diuina dispositione sublimatus, & animo interim, dubio procul, planè esset eodem quo fuerat antea, alieno uidelicet à spiritu superbiæ & arrogantiæ, nihilo tamen minus non modò potestatem dispensationis suæ à Pharaone cõmissam fideliter administrauit, sed & decorũ ac mispat Principis quod honores principatus attinet, haud alienos à se esse duxit, atq; ita pro more Principum seorsum mensa principali comedit. Sic se gesserunt & cæteri pij homines ad fastigia dignitatũ sublimati, quales fuerunt Dauid, Ester, Daniel, &c. Honores potestati annexos nõ respuerunt: sed, modestè quidẽ, admiserunt tamen, ne quę Deus prudenter coniunxit, ipsi peruersa quadam micropsychia separarent ac diuellerent, atq; ita ordinem in rebus humanis seruandũ disturbarẽt. Paulus dicit: Cui honorẽ, honorem. Rom. 13. Petrus: Deũ, inquit, timete, regem honorificate: &, Serui subditi estote dñis uestris in omni timore. Lex habet: Honora patrẽ & matrẽ. Apostolica doctrina est: Qui bene præsunt, duplici honore digni sunt. Ergo uoluntas Dei est, ut reges, principes, domini, parentes, & ministri uerbi, singulari honore suspiciãtur & in precio habeantur, id quod subditorũ bono sic est infractè custodiendum, ne potestatis officium contemptui exponatur & eluniae reddatur. Debent itaq; qui præsunt alijs, huic consilio Dei sese conformiter gerere, & debitũ sibi honorem haud recusare, sed agnoscere cum modestia, ad hunc uidelicet finem, quo subditis suis efficacius & utilius præesse possint.

Christus condignos honores nõ usurpauit.

At Christus, inquies, rex regum & dominus dominantiũ non aguit huiusmodi honores, sed familiariter sese gessit cum discipulis suis, ita ut in medio illorũ mensa communi discumberet. Respondeo: Non uenerat in statu dominationis, sed potius in forma serui, ideo seruì humilitatem seruans, ministrauit ipse discipulis suis. Sic Lucæ 22. dixit: Ego in medio uestrum sum, sicuti qui ministrat. Instruebat suos discipulos ad formam humilitatis, non solum uerbis, sed & exemplis uitæ. Deinde uenerat ad sustinendum passiones crucis, non ad exercendum formas gloriæ, quæ crucem est subsequuta. Quare non est status regum, principum, ac magistratuũ ad hanc incarnati uerbi dispensationem transformandus, sed in suo ordine relinquendus.

Fastus populi cæci ac mollis.

Et illis seorsum, inquit, & Aegyptijs seorsum. Non enim possunt Aegyptij cum Hebræis comedere panem.] Obseruat fastum & superstitionem populi cæci ac mollis. Et contemnebant præ se, & abominabantur eos, qui & scientia Dei & uitæ honestate multo erant potiores ipsis, quorum consuetudinem ambire etiam, nedum admittere, debebant. Verùm sic solet caro cæca, superstitiosa, & superba. Non dicit, Non enim possunt Hæbræi comedere cum Aegyptijs. Populus scientiæ Dei non sic est comparatus, ut uel contemnat pastores & rusticos, uel abominetur diuersæ religionis, aut etiam nationis homines. Deinde & illud obserua, quòd Ioseph hac in re consuetudini Aegyptiorum

A ptiorum non reſtitit, quamuis ſuam gentem coram ſe contemni uideret, ſed illi ſeſe attemperauit. Vir prudens mores populi quos emendare non poteſt, tolerat, non uellicat, modò pietatis ſuæ periculum communicando illis non incurrat. *Viri prudentes mores populares tolerant quos emendare non poſſunt.*

Et ſederunt coram eo primogenitus ſecundum primogenituram ſuam, &c.] Obſerua, inter filios ſeruandum eſſe ordinem, habendamq; ætatum rationẽ. Sunt quidem omnes filij & paternorũ bonorum hæredes, uerùm in conuictu maior debet eſſe prærogatiua maioris natu quàm minoris. Videntur iſta nonnullis ſuſque deq; facienda, uerùm ex hac præſenti & conſimilibus alijs hiſtorijs uidemus ea etiam ſanctis hominibus digna uiſa, quæ ſtudioſe cuſtodirent. *Ordo ſeruandus inter filios.*

Et admirati ſunt uiri, inquit, quiſq; ad proximum ſuum.] Non erat hoc ocioſum. Præparandi erant illorũ animi ad reuelationem fratris craſtino die futuram. Admiratio iſta huc faciebat. Primùm eſt ut admiratione quadam rei non intellectæ obſtupefiat animus, immo uerius ad deſiderium cognoſcendi eius accendatur, deinde commodum ſequitur ipſius rei reuelatio. Si ſolis exortũ quiſquam antea nõ uidiſſet, dubio procul ad conſpectum auroræ præcedentis admodum ſtuperet, & quid nam eſſet admiraretur. Admiratio iſta animum illius ad hoc præpararet, ut ad ipſum ſolis exortum adhuc ampliore admiratione percelleretur. Tale quid accidit hic fratribus Ioſeph. *Præparatio animi ad res inſignes reuelãdas.*

Et ferebantur fercula à facie ipſius ad eos, &c.] Vides imaginem eorum quæ paulò pòſt erant futura. Mittit ad eos fercula, quibus erat alimoniam uitæ ſuppeditaturus. Cum honore paſcit ſe nondum cognoſcentes, nec cognituros etiam niſi [illegible] ſuiſmet reuelatione. Vides imaginem Chriſti, qui & ipſe ad fratres ſuos ſe non cognoſcentes fercula ſalutis ac uitæ miſit. Quomodo deſereret ſe cognoſcentes & colentes? *Imago Chriſti.*

Et auctius fuit ferculum Beniamin, &c.] Duo facit in hac re Ioſeph. Declarat ſingularis amoris erga Beniamin affectũ, deinde rurſus ſeruit reuelationi futuræ. Faciebat quidem quod fratres nondum intelligebant, uerùm poſtea intellecturi erant, quare quintuplo plura ad iuniorem fratrem miſiſſet.

Et biberunt, inquit, & inebriati ſunt cum eo.] Quæritur hic, ſit ne ebrietas iſta culpabilis, uel ſecus. Reſpondeo breuiter. Ebrietas culpabilis tria habet, quorum gratia rectè culpatur. Nimiam uidelicet uini ingurgitationem, mentis emotionem, & membrorum corporis eluxationem, ſic ut nullum illorum officio ſuo par eſſe poſsit. Hæc tria non concurrunt in omni ebrietate. Nec talis fuit ebrietas iſta Ioſephi ac fratrum eius. Satis biberunt, non nimium: hilares facti ſunt, non mente moti: nec membris ſic facti ſunt proſtrati, ut turpitudinem ebrioſorum incurrerint. Hæc puto ſufficere ad præſentem quæſtionem. *Sit ne ebrietas iſta culpabilis.*

B Annotarunt alij uerbum שבר Hebræis plerunq; ſatietatem ſignificare, ut non ſemper ſit ebrietatis dictione uertendum.

CAPVT XLIIII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Dimittit Ioſeph fratres ſuos cum frumento, ſic tamẽ ut pecuniam cuiuslibet ſacco, & ſcyphum ſuum argenteum ſacco Beniamin inſcijs illis inſinuari iubeat. Ciuitatem egreſſos per diſpenſatorem inſequitur, ablatiq; ſcyphi accuſat: quo inuento in ſacco Beniamin, redeũt ad ipſum. cuius prętextu cum Beniamin uterinum ſuum fratrem iuri ſuo uindicaturum ſe diceret, deprecatur hoc Iehudah, qui patri pro Beniamin ſpoponderat, & illius ſe loco in ſeruum Ioſepho offert.

ET præcepit diſpenſatori domus ſuæ, dicens: Imple ſaccos uirorum iſtorum cibo, quantum ferre poterunt, ac pone cuiuslibet pecuniã in ore ſacci ipſius: ſcyphũ uerò meũ ſcyphũ argenteũ pone in ore ſacci minoris unà cũ precio frumenti eius. Et fecit ſecundũ uerbum Ioſeph quod dixerat.] Habent iſta impoſturam Ioſephi, qua non eſt uſus temerè, multominus malicioſe, ſed eo cõſilio, ut animos fratrum probaret, quomodo eſſent erga patrem ſenem, & Beniamin uterinum ſuum fratrem animati. Sciebat eos propenſos eſſe ad ſpiritũ æmulationis & odij fraterni, id quod in ſeipſo fuerat expertus. Hunc in illis ſpiritũ heſternũ prandiũ poterat excitare aduerſus Beniamin, ex eo quod ille fuerat ipſis honorificẽtius tractatus. Quare uiſum eſt Ioſepho eius rei experimentum capere, ut ſi in eo iam tum etiam deprehenderentur uitio, occaſionem haberet præſentem & inexcuſabilem corripiendi & emendandi eos. Dicit autem Ioſephus, quòd iſta mandarit œconomo ſuo poſt cœnam cum eſſent conuerſi in ſoporem.

Obſeruandum eſt, etiam apud ſanctos & pios homines locum habere uulgare illud dictum: Qui ſemel malus, ſemper præſumitur eſſe malus. Fratres Ioſeph quoniam ſemel maliciam ſuam erga Ioſephum, propterea quòd is patri eſſet acceptior, declararant, factum eſt, ut non immeritò ſuſpicaretur Ioſeph, eodem illos animo præditos eſſe erga Beniamin fratrem ſuum, quod & ille patri ipſius eſſet charior.

Deinde & illud obſeruandum eſt, quòd non ſit contra charitatis regulam, experimentum capere de mente fratris & amici, quomodo ſit illa male ne, uel rectè comparata. charitas quidem omnia credit, & omnia ſperat 1. Cor. 13. neq; ſiniſtris eſt ſuſpicionibus obnoxia, uerùm intellige de illis qui nulla dum de ſe maliciæ experimenta dederunt. Aliàs habet pia charitas non ſolum credendi & bene ſperandi facilitatem, & ſollicitam cautionem ne quid mali per incircumſpectionem incurrat. *Non eſſe contra charitatẽ, experimentum ſumere de fratre.*

Tertiò, in eo quod experimentũ de fratrum animis per impoſturã ſcyphi capere uoluit, uidemus ne id quidem *Impoſturis utuntur & ſancti in loco.*

quidem illicitum esse sanctis, ut ubi commodum est, imposturis utantur, modò hoc faciant animo sincero, non damno, sed bono fratris quem tentant.

Cum manè illuxisset, dimissi sunt uiri ipsi & asini eorum. Egressi erant ciuitatẽ, & nondum procul aberant, & Ioseph ad dispensatorem domus suæ dicit: Surge, insectare post uiros, & comprehende eos, ac dic ad illos: Quare malum pro bono rependitis? An non is est (scyphus) è quo Dominus meus bibit? Et ipse diuinando diuinauit in eo.

Tria mandat dispensatori.

Malè egistis, quod (hoc) fecistis. Et comprehendit eos loquutusq; est ad eos hæc uerba. Tria mandat dispensatori suo. Insectationem, uidelicet, fratrum suorum, comprehensionem & accusationem. De accusatione illum sic instruit, ut etiam ipsa uerba præscribat, quibus ad eos uti debeat. Dic, inquit, ad illos: Quare malum pro bono rependistis? Exprobratio est ingratitudinis extremæ. Bonũ pro bono non rependere cum possis, uel, si non possis, non agere benefactori gratias, ingratitudo est, uicium detestabile. Extremi tas huius est, malum reddere pro bono. Vt aũt exprimat, qũo dicat eos malum reddidisse pro bono, subiũgit: An nõ est hic unde dñs meus bibit? In Hebræo sic habetur. Quare per parenthesim addendũ est (scyphus.) Nam de illo loquitur. Sensus est: Quare abstulistis hunc scyphum dño meo cum primis charum? Ignoratis eum ex hoc scypho bibere consueuisse? Quomodo ausi estis illum auferre? Duo his uerbis facit. Declarat quod dixit: Quare malum pro bono reddidistis? Deinde & malum illud exaggerat. Malũ est, aliena bona qualia qualia sint furto auferre. Grauius hoc malũ est, quando etiã ea auferuntur quæ cæteris sunt chariora ac magis in precio. Addit: Et ipse diuinando diuinauit in eo. Sic est in Hebræo. Variè autem & uertitur & exponitur. Alij sic: Et in quo augurari solet. Sic uulgata latina. Sept. Ipse uerò augurando auguratur in eo. Alij: Et ipse inquirendo inquirit pro eo. Sic Chald. paraphrastes. Pagnin. Et ipse tentando tentat in eo. Monster. Et pro quo augurando auguraꝫ. Varietas hæc est in sensu, quod dicat Iosephũ aut augures cõsuluisse pro scypho isto: aut, ipsum de eo esse augurando auguratum: uel, de illo inquirendo quæsiuisse: uel, per illum eos tentando tentare uoluisse: uel, in eo diuinationes exercere consueuisse. Verũ sensus particulæ huius infrà ex ipsis uerbis Iosephi melius declarabit.

Malè egisse.

Malè egistis, inquit, hoc quòd fecistis. Quoniã seriam increpationẽ & accusationẽ simulat Ioseph, obseruandum hic est quòd pro more quo reprehenduntur delinquentes, adijcit, dicens: Malè egistis & hoc fecistis. Non est præter rationẽ & ad hunc modum delinquentes reprehendere solemus, ut eos malè egisse dicamus. Primùm enim omniũ hoc est mentibus cõmuniter inditũ, haud esse cũ quoquã ulla in re malè agendũ. Deinde, quoniã hoc ferè omnibus accidit, ut interea dum malè agunt nõ sentiant q̃ malè & iniquè agãt, necessariò obtinuit, ut dum delinquentes reprehendimus, malè illos egisse dicamus, quo de facto suo admoniti erubescãt, & pœnitudine cordis afficiant. Atq; ita omnino cõparati sunt nõ mali ingenij homines, ut ubi se malè egisse admoniti cognoscũt, pudore afficiant, & pœnitudine factorũ tangant.

Et comprehendit eos, inquit, locutusq; est ad eos hæc uerba. Cogitat forsan quis q̃ hoc loco, recte ne fecerit hic dispensator, uel secus, & iussis heri sui obsequens insectatus est, comprehendit, redarguit & accusauit eos, quos sciebat esse innocentes & alienos ab eo quod illis objcere iussus erat. Ipse iussu heri sui scyphũ sacco Beniamin clanculũ insinuauerat, ideoq; sciebat illum nõ esse furto ablatum. Videtur itaq; non debuisse insectari & accusare insontes, sed hanc obedientiã hero suo recusare. Verum est, si sensisset ista seriò & ad exitium innocentũ ab illo geri, non posset huiusmodi obedientia probari. Quoniam uerò conscius erat instituti quod gerebatur, bona potuit cum conscientia simulationi heri sui inseruire. Quare etiam haud est præter rationem factum, quòd Ioseph non est in hac causa alio atq; alio, sed eodem seruo, secreti sui conscio usus, qui omnia moderatè & bona cum conscientia perficeret.

Et dixerunt ad eum: Quare loquitur Dominus meus ad hunc modum? Absit à seruis tuis, ut faciamus tale quicquã. Ecce pecuniam quã repereramus in ore saccorum nostrorum, reportauimus ad te de terra Chanaan, & quo modo furaremur de domo domini tui argentum aut aurum? Apud quem de seruis tuis fuerit inuentus (scyphus) moriatur, & nos quoq; erimus domino meo serui. Quamuis dispensator Iosephi nõ dixerat expressè: Quare furati estis scyphũ domini mei? furti tamen illius accusari se statim intelligunt: & quoniã nulla tenebantur cõscientia furti, negãt se reos esse furti. Negãt aũt non simpliciter uel timidè, sed cõstanter ac cõfidenter.

Admiratio eorũ qui accusantur.

Quare, inquit, loquitur Dominus meus ad hunc modum? Negationem suam ordiuntur cum admiratione. Vehementer uidebatur esse mirandũ, q̃ furti accusabantur, à quo prorsus erant alieni, idq; ab illis, quorum heri primùm omnis generis beneuolentiã fuerant experti, & à quibus cum bona pace erant dimissi. Ex hisce ueluti fontibus, conscientia uidelicet innocentiæ, & recenti humanitatis & beneuolentiæ experientia, nascebatur illis ista admiratio. Etenim dum accidit, quod omniũ minimè expectabamus, & cui si prædictum fuisset nihil fidei daturi eramus, confestim admiratione ac stupore percellimur. Habet itaq; talis admiratio argumentum innocentiæ. Quare frequenter fieri uidemus, ut non modò qui insontes sunt, sed & ij qui cum sint sibi delicti conscij, insontes tamen uideri uolunt, hac admiratione ista tim initio defensionis suæ utantur. Hinc illud: Ego ne? Quis? Ego? Quæso quid dicis?

Absit, inquiũt, à seruis tuis, ut faciamus tale quicquam. Subijciunt ἀποφορευσιν & reiectionem, qua causam admirationis suæ exprimunt. Nec simpliciter dicunt, Absit ut hoc fecerimus: sed, Absit ut faciamus tale quicquam. Non solum ab eo se cuius insimulabantur, sed & ab omni consimili delicto alienos esse affirmant. Q. d. Non sumus tales homines qui aliquod eiusmodi delictum admittamus. Habet ista reiectio argumentum à qualitate personæ. Receptum est apud omnes, haud esse probabile, ut qui pro animi sui probitate ab omnis generis flagitijs abstinet, furtum admittat. Etenim qualis quisq; est, talem se gerit. Bona arbor non sustinet facere malos fructus.

Qualis quisque est, talia facit.

Ecce

A *Ecce pecuniam quam repereramus in ore saccorum nostrorum, inquiunt, reportauimus ad te de terra Chanaan, & quomodo, &c.*] Probant ex antecedenti innocentiæ ac probitatis suæ experimento, non esse se tales homines, qui furto quid auferant. Quòd non essent alienarum rerum appetentes, comprobauerant per id quod pecuniam in ore saccorum suorum inuentam non retinuerant, sed inde ex terra Chanaan reportauerant ac restituerant. Hinc inferunt: Et quomodo furaremur de domo domini tui argentum aut aurum? Q.d. Quum non retinuerimus pecuniam in saccis nostris domi repertam, sed etiam non postulati huc ad te reportauerimus, tanquam alieni à cupiditate rerum alienarum, quomodo pro talibus haberi meremur, qui furto quid de domo dominitui auferamus? Argumentum est: Qui malum non facit quod factu est facilius ac securius, multo minus faciet quod & difficilius est factu, & cũ maiori periculo coniunctum. Facilius autem & securius est, pecuniam in sacco suo domi repertam retinere, præsertim cum nemo sit qui repetat, quàm scyphum aut aliud quippiam de domo Principis furto auferre. Haudquaquam uerosimile est, ut qui rem alienam propterea quòd sua non est, non seruat, sed restituit, alienum quid furto scienter alicunde auferat. *Argumentum ab experimẽto præcedenti.*

Apud quem de seruis tuis fuerit inuentus scyphus, moriatur, inquit, & nos quoq; erimus domino meo serui.] Ne uideantur nuda negatione uelle elabi, offerunt se ad inquisitionem, & simul obligant ad subeundas furti pœnas, idq; nõ eum duntaxat apud quem scyphus fuerit inuentus, sed & ex abundanti se quoq; omnes. Tanta erat illis innocentiæ fiducia. Imprudenter tamen non dicebant: Si ex nobis quisquam de furto hoc conuinci poterit: sed, Apud quem de seruis tuis fuerit inuentus scyphus, moriatur. Etenim nõ mox furti reus est, in cuius sacco fuerit res aliena inuenta. Potest nanq; hoc accidere per impostura sine illius conscientia, sicut & hoc loco accidit. Verùm sic solent, qui nullius sibi sunt culpæ conscij. Nos admonemur, ut in asserenda innocẽtia nostra simus cauti & circunspecti, nec ulli signo probabili illam subijciamus, sed ad euidentem & inexcusabilem cognitionem aduersarios prouocemus. *Cautos nos esse conuenit in asserenda nostra innocentia.*

Et ait: Etiam nunc secundum uerba uestra fiat. Apud quem fuerit inuentus, is mihi seruus erit: & uos eritis innocentes.] Duo faciebant fratres Ioseph. Offerebant se ad inquisitionem: deinde obligabant se pœnis, si scyphus apud ipsos fuerit inuentus. Ad primum pertinet quod œconomus dicit: Etiam nunc secundum uerba uestra fiat. Quasi dicat: Offertis uos ad inquisitionẽ. fiat igitur inquisitio. Ad alterum referendum est, quod subijcit: Apud quem fuerit inuentus (scyphus) is mihi seruus erit, uos uerò eritis innocentes. Obligauerant eum morti apud quem inueniretur scyphus, se uerò reliquos seruituti. Vtrunq; mitigat œconomus. Quasi dicat, Non morietur apud quem fuerit inuentus scyphus, sed erit mihi seruus. Et uos
B reliqui non eritis mihi serui, sed tanquam innocentes liberè dimittemini. Sciebat consilium heri sui, illiq; sese pulchrè accommodat: de quo audiemus in sequentibus.

Obseruandum est quod dicit: Is mihi seruus erit. Debebat dicere: Is domino meo seruus erit. Neq; enim ipse herus erat, sed heri sui dispensator. Verùm sic loquendo missat officij expressit, propter quod minister uocatur Dominus, cum sit seruus, sicuti dicebant ad hunc dispensatorem: Quare sic loquitur dominus meus? Absit à seruis tuis, &c. & ipse sibi potestatem adscribit, quæ est domini, quemadmodum hic dicit: Is mihi seruus erit. Huiusmodi loquutiones non sunt diuexandæ, sed ad officium ministerij ac dispensationis referendæ. *Officij missat.*

Et festinarunt ac deposuerunt quisq; saccum suum in terram, aperueruntq; quisq; saccum suum. Et scrutatus est. Cœpit à maiori, ac desijt in minori, & inuentus est scyphus in sacco Beniamin.] Non modò obtulerunt se ad inquisitionem, sed & prompte & alacriter absq; ulla hæsitatione deponunt ipsi saccos suos, & ad scrutandum aperiunt. Ista alacritas expressa est uerbo festinandi. Festinarunt ad inquisitionem. Putabant enim per illam manifestam futuram suam innocentiam: uerùm per hanc ipsam in diuersum deuoluebantur, quod ipsorum accidit imprudentia. Non debebant dicere, Apud quem inuentus fuerit: sed, Fieri potest ut quod antea nobis inscijs accidit cum pecunia, accidat etiamnum cum hoc scypho. Quare etiamsi inuentus fuerit in saccis nostris, non poterimus ob id furti accusari, cuius nobis haudquaq; sumus cõscij.

Cœpit à maiori, ac desijt in minori.] Simulantur omnia. Sciebat ubi esset scyphus, uerùm ut nullum suspicioni locum daret, non cœpit à iuniori, in cuius saccum scyphum abdiderat, sed à maiori, ut per ordinem tandem ad saccum minoris perueniret, appareretq; nihil hic geri ex composito.

Et inuentus est scyphus in sacco Beniamin.] Cum non modò scyphum, sed & precium frumenti saccis illorum insinuauerit, idq; in ore cuiusq; sacci, mirum uidetur quòd nulla huius fit mentio, cum & illa dubio procul in hac fuerit inquisitione reperta. Verùm noluit illis œconomus accusationem furti propter pecuniam, sed propter scyphum duntaxat intendere, ne cæteros quoq; cum Beniamin reos constitueret: id quod non feciſſet ad propositum Iosephi, qui propterea unum Beniamin sub prætextu furti detinere, cæteros uerò liberè dimittere uolebat, ut animos eorum probaret, quomodo essent erga senem patrem & Beniamin minorem fratrem animati. Quare quod pecuniam attinebat, uerosimile est idem dixisse œconomum quod hesterno die dixerat, uidelicet: Deus dedit uobis pecuniam in saccos uestros. Nam eam quam attulistis, ego à uobis accepi. Et hic forsan adiecit: Quare quo magis benevolentiam Dei experimini, hoc minus debebatis manus uestras extendere ad auferendum domini mei scyphum. *Quare nulla fiat pecuniæ mentio.*

Et scidерunt uestimenta sua, & onerauit quisq; asinum suum, reuersiq; sunt in ciuitatem. Et uenit Iehudah ac fratres eius in domum Ioseph, & ipse adhuc ibi erat, ceciderunt q; coram eo in terram.] Scissura uestimenti uehementioris angustiæ habebat indicium. Consternati fuerunt prorsus, cum scyphus esset in sacco Beniamin inuentus, præsertim Iehudah, qui pro illo spoponderat patri, unde & illius potissimũ mentio fit in *Scissura uestimenti.*

hac causa. Dixerat œnonomus: Apud quem fuerit inuentus scypus, is mihi seruus erit, uos eritis innocentes. Quare si malè uoluissent utrique & patri & Beniamin, quod Ioseph suspicabatur, poterant in sinu ridere ac dicere: Heri nobis inter prandendum prælatus fuit, & largius honoratus quàm nos omnes. Et pater eum magis diligit quàm nos. Nunc tandem cessabit ista prærogatiua. uerùm longè secus affecti, scindunt uestimenta sua, anxij pro puero.

Non semper malus, qui semel malus.

Et onerauit quisque asinum suum, inquit, reuersique sunt in ciuitatem. Non dicit, Et itinere suo perrexerunt, relinquentes illic Beniamin: sed, Reuersique sunt in ciuitatem. Nolebãt puerum deserere, sed adesse periclitanti, ut putabant. Videmus hoc exemplo, non semper malum esse quisquis semel tentatione uictus mali quicquam designauit. Quare præsumptio illa, qua semper malus esse præsumitur, quisquis semel malè egit, prudenti homini refringenda est, ne temere peccet in insontes.

Et uenit Iehudah ac fratres eius in domum Ioseph.] Quamuis essent animo consternati, uoluerunt tamen tentare, possent ne puero misericordiam & clementiã impetrare à Principe. Quare nihil amplius cum œconomo agunt, sed rectà ad ipsum principem contendunt.

Gratia petenda nõ à ministro, sed ab ipso domino.

Admonemur hoc exemplo, gratiam, clementiam & misericordiam, qua peccatis nostris ignoscatur, non esse petendam à ministris, sed ab ipso Domino, in cuius est potestate uel ignoscere ijs qui deliquerũt, & pœnitudine ducti misericordiã ambiunt, uel iudicium exercere in impœnitentes & impios.

Cur domi manserit Ioseph.

Et ipse adhuc ibi erat.] Expectabat reditum fratrũ, uel si illi relicto Beniamin discessissent, ut de cætero constitueret, dispensatorique quid faciendum esset, præciperet. Hanc ob causam domi manserat in id quod euenturum erat paratus. Nolebat causam hanc diutius suspendere, ne uel omnes suos fratres uel Beniamin saltem prolixiore angustia conficeret.

Morem reorum seruant, non rei.

Ceciderunteque coram eo in terram.] Seruant morem reorum, quamuis rei non essent. Nihil dicunt, sed supplices coram Iosepho procidunt, ipso uidelicet gestu & silentio animi sui consternationem exprimentes. In huiusmodi causa efficacius loquuntur gestus animi consternati, quàm uerba.

Et dixit ad eos Ioseph: Quid nam est hoc operis quod fecistis? An ignoratis, quòd diuinando diuinat quisquis est sicut ego?] Quoniam consternati ac prostrati tacebant, ipse eos prior alloquitur: Quid nam est hoc operis, inquit, quod fecistis? Sciebat eos non abstulisse scyphũ. Deinde uidebat non esse malignè erga Beniamin affectos, sicuti putauerat. Et tamen morem seruat, quo reprehendi solent qui delicti gratia corripiuntur, quo paulatim, nõ abruptè, ab instituto deficiat. Solemus autem ad hunc modum alloqui eos, quos nihil mali acturos existimauimus, ut significemus nos perculsos esse admiratione ac stupore, propter facti insolentiam prorsus inopinam & inexpectatam.

Ioseph non abruptè uela mutat.

An Ioseph usus sit augurijs.

An ignoratis quod diuinando diuinat quisquis est sicut ego?] Ex hac particula paret, quomodo intelligendum sit quod dispensator antea ad eos dixerat: Et ipse diuinando diuinauit in eo. Sensus hic est: An ignoratis talem uirum, qualem me esse uideris, haudquaquam sic esse stupidum ac socordem, ut non sit diuinaturus à quo'nam sit admissum furtum? Insimulat eos stupiditatis, qua non cogitarint, cui'nam uiro scyphum tam charum auferrent. Si hoc stupiditatis est, non cogitare quem hominem fallere tentes: quantæ quæso insaniæ est, conscientiam Dei falli posse putare? Ex hoc & superiori loco non sequitur, Ioseph um usum esse augurijs ac diuinationibus quibus dediti erant Aegyptij. Loquutus est ad opinionẽ uulgi, qua in Aegypto omnes sapientes scientiam diuinandi callere putabantur. Arbitror autem nõ requiri à nobis ut hic de diuinationibus dicamus, de quibus apud Ciceronem & alios satis multa leguntur.

Dementes sunt qui conscientiam Dei fallere conantur.

Et ait Iehudah: Quid dicemus domino meo? Quid loquemur? & quomodo nos iustificabimus? Deus deprehendit iniquitatem seruorum tuorum. Ecce nos serui sumus domini mei, & nos & ille in cuius manu inuentus est scyphus.] Iehudah cæteris prudentior & cordatior Iosepho respondet, & gratiam illius impetrare nititur. Cauet autem studiosissimè, ne innocentiam prætexat: sed in hoc magis incumbit, ut confessione delicti principis animum ad clementiam flectat. Hanc igitur profert, neque palliatam, neque dimidiatam, sed apertam & plenam. Quid dicemus, inquit, domino meo? quid loquemur? & quomodo nos iustificabimus? Quasi dicat: Sic sumus in peccato deprehensi, ut nil sit prorsus quo nos purgare queamus. Manifestum est facinus nostrum, negare non possumus. Nisi uel consternati fuissent, uel ad hunc modum misericordiam ambiendam esse iudicassent, poterant habere in promptu quod ueraciter quidem & cõstanter dicerent: uerùm haud facile probassent, postquam scyphus in sacco iunioris erat inuentus.

Cauent innocentes ne innocentiam prætexãt, ubi clementiam quærunt.

Deus, inquit, inuenit iniquitatem seruorum tuorum.] Non dicit, Inuenta est: sed, Deus inuenit. nec dicit, Peccatum: sed, Iniquitatem seruorum tuorum. Sic pleno ore fatentur se reos esse, peccatumque suum non extenuant, sed exaggerant, ut quod dignum fuerit, quod singulari dispositione Dei manifestaretur. Obserua interim loquutionem hanc, qua Deum iniquitatem ipsorum inuenisse dicunt. Sciebant scyphum à dispensatore quæsitum fuisse & inuentum, & hoc tribuunt Deo. Inuenire Deum aliquid, est uelut inuentum in lucem protrahere ac manifestum reddere. Scyphum inuenerat dispensator. Verùm non dicunt illi, Deus inuenit scyphum tuum: sed, Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum. Nobis cogitandum est, nihil tam esse absconditum ex omnibus nostris sceleribus, quod nõ sit inuenturus Deus, qui etiam abdita cordium scrutatur.

Deus inuenit iniquitates nostras.

QVAEST. Sed quæsierit hic quisquam, an non rem illicitã fecerint fratres Ioseph, quod se furti reos esse confessi sunt, cum non essent, Deoque tribuerunt, quod iniquitatem ipsorum inuenerit, cum hic nihil iniquitatis admisissent, sed omnia hæc per impostu ram Ioseph gesta essent. Bifariam responderi potest. Pri-

A Primùm, quod sic fuerint animo consternati, ut inculpabiles esse se prorsus ignorauerint. Nemo quidem ex illis erat, qui sibi furti conscius esse posset, quod nemo ex eis admiserat, immo quod non erat admissum. Nullum enim erat hic furtum. Verùm interea rursus nemo ex illis erat, qui de reliquorum fratrum suorum innocentia sic esset certus, ut nihil mali de illis suspicari posset. Quare licet innocentes essent omnes, & de sua ipsius quisq; innocentia nihil addubitarent, nemo tamen in genere dicere poterat: Sumus innocentes in hac causa: scyphum hunc nemo nostrum abstulit, quomodocunq; sacco fratris nostri sit insinuatus. Cum igitur inculpabiles esse se ignorarent, nihil hic ab illis factum est illiciti, quod ad impetrandam clementiam Principis reos esse se peccati confessi sunt, & Deo tribuerunt, quod iniquitatem ipsorum inuenerit. Etenim mendacium censeri non potest, nisi quod scienter & prudenter profertur. Deinde & hoc dici potest, quòd non sint de furto scyphi huius loquuti, ubi dixerunt: Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum, sed potius de iniquitate olim in Ioseph fratrem & senem ipsorum patrem admissa, illiq; omnem hanc calamitatem quam patiebantur tribuerint, quemadmodum & suprà cap. 42. fecisse leguntur. Vtrumuis respondeamus, nihil hic est illiciti ab illis admissum.

Ecce nos serui sumus Domini mei, inquit, &c.] Non dicunt hic, Ille uerò, apud quem inuentus est scyphus, moriatur, sicuti dixerant antea, cum se ad inquisitionem paratos offerrent: sed, Ecce nos sumus serui domini mei, & nos & ille in cuius manu inuentus est scyphus. Agnoscunt & fatentur se dignos esse pœna seruitutis. Et hæc quoq; pars est plenæ confessionis peccatorum. Verùm uide quàm prudenter non separent se à Beniamin, sed consortes faciant in hac causa, quo facilius clementiam impetrent. Deinde, non dicunt, Et nos & ille qui scyphũ furatus est: sed, Et ille in cuius manu, hoc est, in cuius sacco, uel simpliciter, apud quem inuentus est scyphus. Sic nec furti damnant fratrem, de quo non erant conscij: neq; negant, quod sic gestum erat ut negari non posset.

Et dixit: Absit à me ut hoc faciam. Vir ille, in cuius manu inuentus est scyphus, erit mihi seruus. Vos uerò ascendite in pace ad patrem uestrum.] Quod dixerant, Et nos & ille apud quẽ inuentus est scyphus, erimus serui domini mei, atq; ita se iuniori fratri in causa hac coniunxerant, reijcit à se Ioseph, tanquam rem iniustam, dicens: Absit à me, ut hoc faciam. Hoc est, ut innocentes cum reo seruituti subijciam. Ideo subiungit discretionem, qua reus separetur ab innocentibus, & solus pœnas det qui solus in culpa fuerit deprehensus, cæteri impunè abeant. Sic dicit: Vir ille, in cuius manu inuentus est scyphus, erit mihi seruus, uos uerò ascendite in pace ad patrem uestrum. Agit quidem Ioseph hæc omnia simulanter, ad hoc, ut
B quemadmodum suprà monui, animos fratrum probet, quomodo sint erga patrem & Beniamin affecti, an illo relicto ad patrẽ sint abituri, uel secus: interea tamen pulchrè normã æquitatis seruat omnib. iudicibus ac magistratibus memori mente retinendã, qua cauetur, ne cũ sontibus plectantur insontes. Nos hic cogitemus, si terreni iudicis est non punire iustos cum iniustis, etiamsi iusti pœnas iniustorum subire sint parati, quanto magis ad hunc modum de Deo cœlesti ac iustissimo iudice sentiendũ est, quòd non sit condemnaturus pios cum impijs. qua de re uide suprà cap. 18. etiamsi illi in confessione delictorum & meritarum pœnarum tolerantia impijs sese cõiungant, & cum Daniele dicant: Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, &c. cap. 9. *Norma æquitatis.*

Simul obserua, quàm & Ioseph cautè non dicat, Vir ille qui furatus est scyphum: sed, Vir ille, in cuius manu inuentus est scyphus. Etiamdum simulanter agit, cauet ne fratrẽ furti insimulet, ac factum esse dicat, quod factum non erat.

Deinde & illud annotandum uidetur, quòd ubiq; tam in uerbis œconomi & Iosephi, quàm filiorum Iacob furibus deputatur seruitus. Admonemur, indignum esse libertate & uitæ & rerum suarum, quisquis furto aufert quę sunt aliorum. Etenim quid aliud est fieri seruum, quàm omni libertate uitæ, corporis, ac rerum priuari? Non conuenit ut quæ iua sunt seruet, qui quæ aliorum sunt furtim aufert. *Quod furibus cõpetat seruitus.*

Et accessit ad eum Iehudah, ac dixit: Obsecro domine: loquatur quæso seruus tuus uerbũ in aures domini mei, & ne excandescat ira tua aduersus seruum tuum. Sic enim tu es sicut Pharao. Dominus meus interrogauit seruos suos, dicens: Est ne uobis pater, uel frater. Et diximus ad dominum meum: Est nobis pater senex, & puer senectutis paruus, ac frater eius mortuus est, relictusq; ipse est solus matri suæ, & pater suus diligit eum. Et dixisti ad seruos tuos: Adducite eum ad me, & ponam oculum meum super eum. Et diximus ad dominum meum: Non poterit puer deserere patrem suum, & si deseruerit patrem suum, morietur. Et dixisti ad seruos tuos: Si non descenderit frater uester paruus uobiscum, ne addatis uidere faciem meam.

Et factum est ut ascenderemus ad seruum tuum patrem meum, & nunciaremus ei uerba domini mei. Ac dixit pater noster: Reuertimini emite nobis modicum alimoniæ. Et diximus: Non poterimus descendere. Si fuerit frater noster minor nobiscum, descendemus. Non enim poterimus uidere faciem uiri, si frater noster minor non fuerit nobiscum. Et dixit seruus tuus pater meus ad nos: Vos scitis, quod duos mihi pepererit uxor mea. Et egressus est unus à me, ac dixi, Vere lacerando laceratus est, & non uidi eum hactenus. Et accipitis etiam hunc à facie mea. Si euenerit ei mors, deducetis canos meos cum afflictione ad sepulchrum.

Et nunc cum uenero ad seruum tuum patrem meum, & puer non fuerit nobiscum, & anima eius alligata est animæ illius. Et accidet, cum uiderit non adesse puerum, morietur, & deducent serui tui caniciem serui tui patris nostri cum dolore ad sepulchrum.

Quoniam seruus tuus fideiubendo puerum accepit à patre meo dicẽs: Si non reduxero eum ad te, peccauerim in patrem meum cunctis diebus, maneat nunc quæso seruus tuus pro puero seruus domini mei, & puer ascẽdat cum

fratribus suis. Etenim quomodo ascendam ad patrem meum, si puer nō fuerit mecum? Ne uideam afflictionem quæ inueniet patrem meum.] Videbatur iam Ioseph consecutus esse quod quæsierat, cum dixisset: Vir ille in cuius manu inuentus est scyphus, erit mihi seruus. Vos ascendite in pace ad patrem uestrū. Nam hac sibi sententia puerū adiudicauerat, de quo hactenus tanto serio egerat. Verùm ea res intolerabilis erat fratribus, præsertim Iehudę, propter causas quas ille hic exponit. Quare cum sententiam hanc protulisset, ipsa rei grauitate cogebatur Iehudah clementiam hanc principis ambire, ut puerum ad patrem suum remitteret, seq; loco illius in seruum sibi retineret.

Accessit ad eum Iehudah, inquit.] Intellige, propius, quàm antea constituti fuerant. E medio fratrum suorum progressus tanquam pro omnibus locuturus Principi paulisper, ad illum propius accessit.

Captatio beneuolentiæ.

Ac dixit: Obsecro domine, &c.] Principiò beneuolentiam sibi Principis conciliare conatur, priusquam causam ipsam exponat. Sine hac quippe non poterat sperare quicq̄, præsertim post latam sententiam, qua puer erat seruituti adiudicatus, & ipsi domū redire iussi. Difficilem se rem agere sentiebat, quod sententiæ huius immutationem impetrare conabatur. Quare consultò beneuolentiæ conciliationem cum primis captabat. Cogitandum hic est, quis sit usus captandi beneuolentiā, & ubi ille sit utilis ac necessarius. Vsus illius est, ut animi illorum præmolliantur ac demulceantur, cum quibus est agendum, præsertim si sint magnates, & non sit agendum iuridicè, sed precariò.

In hac primùm suppliciter blanditur, dicens: Obsecro domine, significās se nullo iure, sed precario & suppliciter uelle petere quod petiturus esset. Deinde subijcit petitionem haud quidem principalem, quam in calce orationis exprimet: eam tamen sic necessariam, ut sine illa ad principalem commodè & utiliter peruenire non posset. Loquatur quæso seruus tuus, inquit, uerbū in aures domini mei. Hoc est, permitte quæso ac benignè cōcede nobis hanc gratiam, ut loqui possim in aures domini mei. Concede nobis aures benignas, audi clementer quid nos in hac causa premat. Bona spes est afflictis, si hoc gratię apud Principes suos inuenerint, ut clementer audiant. Rursus obi ne aures quidem illorū benignas fortiri possunt, ægerrimè quod quærunt sperare poterunt. Nec ociosum est quod non simpliciter dicit, Loquatur seruus tuus: sed addit, uerbum. Significat se pauca dicturum.

Tertiò deprecatur Principis iram. *Et ne excandescat ira tua, inquit, aduersus seruum tuum.* Timebat uidelicet, ne bilem illi moueret post latam sententiam aliud quàm constitutum erat petiturus. Quare quod timebat, suppliciter deprecatur. Et hæc cautio necessaria est illis, quibus negocium est cum principibus. Sunt enim plerunq; admodum iritabiles, nec facile ferunt eos qui post latam sententiā non statim quiescunt, sed adhuc aliquid causari moliuntur, ne per omnia obedire cogantur. Qui sic iram deprecantur, B significant hoc se agnoscere, quod posset ipsis non immeritò succenseri.

Quartò, agnoscit & extollit Principis celsitudinē, dicens: Sic enim tu es sicut Pharao, Q.d. Perinde celsitudinem tuam suspicimus & reueremur atq; Pharaonem ipsum. Ratio huius particulæ erat: ne putaretur ex contemptu dominationis illius propius accedere, & contra latam sententiā multa quiritari uelle. Eam suspicionem hac celsitudinis illius agnitione remouere tentat. Et aliàs plurimum ualet ad conciliationem beneuolentię, si maiestatē Principis suppliciter agnoscere, ac reuereri uideare. Hinc inoleuerūt magnifici illi ac splendidi tituli, quibus uertices magnatum demulcentur. Et interea adhuc amplius imlebatur somnium Iosephi de stellis undecim, non in eo tantum quod, ut & antea fecerant, suppliciter coram illo procidebant, sed & ipsi illum Pharaoni adæquabant, seque illi tanquam regi subijciebant, implentes hoc ipsum quod olim illi probrosè obiecerant, dicentes: Nunquid rex noster eris? & dominando dominaberis nobis? Suprà capite triceſimoseptimo. Regem ipsorum esse eum fatentur, cum dicunt: Sic enim tu es sicut Pharao Septuaginta negligentius uerterunt, Quia tuis post Pharaonem. Sic & Latinus interpres: Tu es enim, inquit, post Pharaonem dominus meus. Cum in Hebræo sit, כי כמוך כפרעה, id est, quia sic tu es sicut Pharao, id quod & Chaldæus paraphrastes expressit. Sic enim reddidit ארי כפרעה כן את, id est, quoniā sicut Pharao est sic tu es. Hactenus de captatione beneuolentiæ, qua Iehudah admodum prudenter orationem suam ad Ioseph ordiri acceptabilemq; reddere uoluit.

Narrationis loco refricat, quæ gesta fuerant.

Dominus meus, inquit, interrogauit seruos suos dicens: Est ne uobis pater uel frater? &c. Refricat ea quæ acta fuerant cum ipsis, cum primū emendi frumenti gratia aduenissent. Seruiebant ad hoc, ut causam exponeret, quare puerū secum in Aegyptum adduxissent. Consulto aūt exordium narrationi suæ sumit non ab exordio descensus ipsorum in Aegyptum, sed ex ipsis principis uerbis, dicens: Dominus meus interrogauit seruos suos, &c. Poterat hoc facilius audiri initio, quàm si aliena quædā attulisset, & habebat etiam plus momenti. Et admodum industrie ab hoc principio struit ac deducit quæ dicturus est omnia.

Memorat aūt quædam, de quibus in superiori gestorū narratione nihil memoratū est à Mose, utpote: Dñs meus interrogauit seruos suos, dicens: Est ne uobis pater uel frater? Et diximus ad dñm meū: Est nobis pater senex, & puer senectutis paruulus, ac frater eius mortuus est, relictusq; ipse est solus matri suæ, & pater suus diligit eum. Et dixisti ad seruos tuos, Adducite eum ad me, & ponam oculum meū super eum. Ex diximus ad dñm meū: Non poterit puer deserere patrem suum: & si deseruerit patrē suū, morietur. Hæc inquam in præcedenti narratione Mosis non memorantur in qua sic de patre & fratre meminisse leguntur, ut uideantur non ad interrogationem aliquam, sed ultrò mentionem illorum ad hoc feciſſe, ut probarent se non esse exploratores. Quare sunt qui existimant ista esse non ex uero à Iehudah,

A dah, sed ex confícto dicta, ut causam suam probabilius principi insinuaret. Istis assentiri non possum. Neq; enim ad hoc ulla necessitate cogor. Hac de re & suprà annotaui. Credibilius est Mosem in præcedenti narratione non memorasse omnia, quàm Iehudam coram Principe in summa angustia constitutum quicq̃ præter uerum in aures illius finxisse, præsertim tale quod illius nõ posset latere conscientiã. Quomodo enim Ioseph ignorare poterat, quid antea illos ipse interrogasset, & quid illi respondissent? Deniq; quid erat necesse temeritate tam manifesta uti, cũ nullus esset illius usus, satisq; esset argumenti in uera rei ipsius narratione? Existimo igitur statim initio interrogasse Iosephũ de patre ac fratre, ubi se duodecim fratres unius patris filios esse dixerant: deinde postq̃ triduo egerant in custodia, mandasse illis ut fratrem suum minorẽ ad se adducerent, promisisseq; quod oculos suos super illum ponere uellet, illosq; respondisse, fieri non posse ut puer deserat patrem: ac tum subiecisse Iosephum, si non descenderit frater uester minor uobiscũ, non addatis uidere faciem meam. Illud, Relictusq; ipse solus est matri suę, non sic est intelligendũ, q; mater Beniamin tunc in uiuis adhuc fuerit, cum suprà memoratũ sit in huius illam partu fuisse mortuam, sed q; ex illa nisi unum hunc Beniamin supersse dixerit, ad differentiã reliquarum matrum, quarum plures supererant filij. Quare Monsterus uertit, Relictusq; est ipse solus ex matre sua, quasi sit מאמו. R. Shlomoh sic exponit מאמתו חאם אין לו ער אח, id est, De hac matre nõ est illi adhuc alius frater. Latinus interpres reddidit, Et ipsum solum habet mater sua. Rectè quidem, si ad mortuam matrem referas, uerùm non satis perspicuè lectori incauto. Simplicius est ut legamus in genitiuo, Relictusq; ipse solus est matris suæ.

Et pater suus diligit eum. Item: Nõ poterit puer deserere patrem suum: & si deseruerit patrem suũ, morietur.] Memorat ista ad cõmouendum humanitatis & cõmiserationis affectũ, qui in huiusmodi causa plurimũ ualet apud eos qui & ipsi filios habent, quibus ægerrimè priuari se paterentur. Quod dixit, Non poterit puer deserere patrem suum, non sic dixit, quòd Beniamin ægrè auelli à patre sustineret, sed q; pater ipsum ægerrimè esset amissurus. Et subijcit expositionis gratia: *Si deseruerit patrem suũ, morietur.* Intellige pater. Aliàs dubiè dictũ est. Tam enim ad puerũ q̃ ad patrem referri posset. Illa, Et dixisti ad seruos tuos, adducite eum ad me, & ponã oculum meum super eum. Item: Et dixisti ad seruos tuos: Si non descenderit frater uester paruus uobiscum, ne addatis uidere faciẽ meam: primũ ad hoc refricantur à Iehudah, ut faciant ad impetrandam Principis beneuolentiã erga ipsos, qui iussis illius obtemperantes sic fuerãt, ut seni patri persuaserint, quo charissimũ suum filium unà cũ ipsis mitteret, quo uoluntati ipsius satisfieret. Deinde ad hoc quoq;, ut tacitè admoneretur Princeps, sibi hoc esse imputandũ, quod accide-
B rit Beniamin, propterea q; ipsius esset impulsu adductus in Aegyptum, qui aliàs domi apud patrẽ manere poterat. Quapropter conueniens esse, ut illum clementer ad patrẽ suum remittat. Vide q; industriè Iehudah etiã in ipsa narrationis simplicitate argumẽta immisceat ad causam & propositũ suũ facientia.

Et factũ est, inquit, ut ascenderemus ad seruũ tuum patrem meum, & nunciaremus ei uerba domini mei, &c.] Narraturus qũo sint à patre amandati, & q̃ ægrè ipsis minorem fratrẽ adiunxerit, meminit prius qua diligentia illi q̃d in mandatis ab ipso acceperãt exposuerint. Nunciauimus ei, inquiũt, uerba dñi mei. Diligentiã ac fidem suã obiter cõmendant. Nam & id facturũ iudicabant ad conciliationẽ beneuolentiæ.

Obserua uerò quod non simpliciter dicit, Et factum est ut ascenderemus ad patrem meũ: sed præmittit, Ad seruum tuum: ac tum subiungit, Patrem meum, id quod in oratione hac quartò facit, atq; ita non se tantũ, qui tum supplices aderant, sed & absentem patrem celsitudini ac dominationi Iosephi seruiliter subijciunt. Et hęc Iosephi dubio procul nulla alia ratione fieri passus est, quàm ut ueritatem somniorum suorum secundum dispensationem diuinam coràm impleri cerneret.

Cur passus sit Ioseph toties patrem suum uocari seruum suum.

Ac dixit pater noster, inquit: Reuertimini, emite nobis modicũ alimoniæ. Et diximus: Non poterimus descendere. Si fuerit frater noster minor nobiscũ, descendemus, &c.] Quoniã dixerãt iam antea, Pater diligit puerũ, & non poterit puer deserere patrẽ suũ: & si deseruerit patrẽ suũ, morietur: hoc ipsum penitius inculcaturus Principi, ipsa uerba Iacob patris ipsorũ recensẽt, quo animũ illius ad clementiã permoueat. Et dixit, inquit, seruus tuus pater meus ad nos: Vos scitis, q; duos pepererit mihi uxor mea, &c. Rahelem intelligebat, de qua sic loquebaẽ, quasi eam habuisset unicã, idq; nõ prçter rationẽ, sicuti patet ex præcedentib. gestis. Pathos uerborũ istorũ est, primũ in mentione uxoris singulariter dilectæ: deinde in eo quod dicit, Duos peperit mihi filios. Tertiò in amissione prioris ex illis. Et egressus est unus à me, inqt, ac dixi, Verè lacerãdo laceratus est, & nõ uidi eũ hactenus. Quartò, in ablatione ac periclitatione posterioris quoq; & unici. Et accipitis etiam hunc à facie mea, inquit. Quintò in mentione calamitatis quã sibi senex euenturã timebat, si unico hoc filio postpriorem priuaret. Si euenerit ei mors, inquit, deducetis canos meos cum afflictione ad sepulchrum. Hęc ut à Iacobo non sine doloris ac metus sensu dicta fuerant, ita à Iehudah quoq; in aures Iosephi non sine pathetici affectus efficacia memorãtur, sicuti patebit initio capitis sequẽtis. Obserua interim, quàm pulchrè ex hisce uerbis intelligere potuerit Ioseph, quo commento fartres postquam ipsum uendidissent, facinus suum coram patre celauerint, fingentes ipsum à bestia esse à lacerando laceratum. Sic per imprudentiam suam ipsorum nequitiam produnt. At Ioseph quamuis ista dubio procul intelligeret, nequaquam tamen offensus est, sed omnia hæc diuinæ dispositioni tribuit.

Pathos uerborũ Iacob.

Potuit Ioseph intelligere, quo commento impo fuerint patri cũ ipsum uendidissent.

Et nunc, inquit, cùm uenero ad seruũ tuum patrem meũ, & puer non fuerit nobiscum, &c.] Colligit ex præmissa narratione quid euenturũ sit patri, si absq; puero domũ reuersi fuerint. Tres sunt collectionis huius particulæ. Prima habet, quid timeat patri seni. Secũda, unde. Tertia, quare. Quid illi timeat, in eo

Colligit ex promissa narratione.

exprimit quod dicit: Morietur, & deducent serui tui caniciem serui tui patris nostri cum dolore ad sepul A
chrum. Q.d. Hoc ipsum quod euenturum sibi dixerat pater, eueniet ei. Non modò in summam conijcie
tur mœsticiam, sed & uita ipsius decurtabitur.

Vnde hoc illi euenturum timeat, in eo docet quod dicit: Et nunc cum uenero ad seruum tuum, pa-
trem meum, & puer non fuerit nobiscum, item, & uiderit non adesse puerum. Quasi dicat: Vbi uide-
rit se etiam altero filio post priorem esse priuatum, non poterit amplius uiuere. Vide autem
quàm cautè non dicat, Si tu puerum seruituri tuæ subieceris ac retinueris, deduces caniciem eius cum do
lore ad sepulchrum: sed, Si puer non fuerit nobiscum. Item, cum uiderit non adesse puerum, morietur, &
deducent serui tui caniciem serui tui patris nostri, &c. Omnia prudenter & cautè, ne qua offensioni
detur occasio.

Et illud ad pathos pertinet, quòd nõ simpliciter dicit: Et deducent serui tui patrem nostrum, &c. sed,
Crudelitas in homine senem et canum. Et deducent serui tui caniciem serui tui patris nostri cum dolore ad sepulchrum. Crudelitatis genus est,
hominem senem & canum modica illa quam adhuc reliquã habet uitæ huius usura, cum possis illi par-
cere, temerè priuare. Si crudele est pauperi modicam facultatulam, quam habet, per auariciam adime-
Simile. re: utiq; crudelius est ipsam uitam homini seni, quam breuem & modicam adhuc habet, uelut è manu
excutere. Quare olim cum humani homines essent in hoc mundo, magna habebatur ratio, magnaq; re
uerentia capitis cani: & ne militibus quidem, quantumuis humanæ uitæ hostibus, in ipso licebat belli fu
rore quicquam incommodare ut paruulis ac mulierculis, ita & senibus. Nunc uerò postquam humani
tati inhumanitas successit, nulla subapparet capitis reuerẽtia cani, ne apud filios quidem & cognatos,
nedum exteros & alienos. Inhumana uox est, si dicas, Quid refert? Aliàs breui moriturus est. Si breui mo
riturus est senex, hoc ipso debebas illi facillus parcere, etiam si admodum sit morosus & molestus. Non
potes illius consuetudine delectari? Expecta paulisper, breui auferetur à Domino, cuius postea usum
& consuetudinem frustra desiderabis. Incredibilis peruersitas est in animis huiusmodi inhumanis. Se-
nes debebant uel ob id maiori esse in precio, & arctius coli, quod propediem sunt à nobis ex hac uita ad
futuram illam & cœlestem migraturi, adeoq; & consuetudinem suam à nobis ablaturi, cuius migratio
nis prænuncia est canicies illa capitis, duplici nomine ueneranda, si cordis habuerit candorem coniunc-
tum, ut simul & uitæ innocenter actæ ornamentum, & cœlestis uitæ prænuncia esse possit. Sæpe nigrũ
cor est, album caput: hi quibus album Et caput & cor est, sint in honore senes.

Quare uerò ablato puero calamitas ista euentura fuerit seni patri, in eo memorat quod dicit: Et ani B
ma eius alligata est animæ illius. Quasi dicat: Vsqueadeò diligit hunc puerum pater, ut anima eius ma-
gis sit in puero quàm in ipso. Animam sumit pro animo & corde: uel, si animam posuit pro uita, sensus
est: Vita patris nostri pendet à uita pueri. Non poterit uiuere, si puero hoc priuatus fuerit. Animam suã
Quãta sit uis paterni amoris, & quàm illi nõ respondeant liberi. amittet, si puerum amiserit. Interea cogitemus hic, quanta sit uis paterni amoris erga filium unicum.

Deinde, quàm non respondeant liberi amori parentum. Non dicit, Anima pueri alligata est animæ
patris: sed, Anima patris alligata est animæ pueri. Est huius rei triplex ratio. Theologicæ duæ, physica
una. Primùm enim sic uoluit Deus consulere ætati infirmæ, imprudenti, & enutriendæ. Deinde paren-
tes certò sciunt & cognoscunt fœtus suos, filij uerò non sunt eiusmodi certitudine præditi de parenti-
bus, quod ex illis sint nati. Et præterea sic disponuntur, ut possint deserere parentes, & connubio iuncti
adhærerere uxoribus.

Exprimitur principalis petitio. *Quoniam seruus tuus, inquit, fideiubendo puerum accepit à patre meo, dicens, &c.*] Tandem quid petat,
exprimit, & simul petitionis suæ causas annectit, quarum unam præmittit, alteram subijcit. Petitio est:
Maneat nunc, quæso, seruus tuus (seipsum intelligit) pro puero, seruus Domini mei. hoc est, retineas me
quæso in seruum tibi loco pueri, & puer ascendat cum fratribus suis, domi uidelicet ad patrem. Non au
det peteret integram, liberam, & gratuitam condonationem pœnæ, quam in puerum decreuerat Prin-
Duæ causæ petitionis. ceps: sed hoc tantum petit, ut fiat mutatio personæ seruituri adiudicatæ, & in hanc seipsum offert. Pri
mam causam petitioni huic præmittit, dicens: Quoniam seruus tuus fideiubendo puerum accepit à pa-
tre meo, dicens: Si non reduxero eum ad te, peccauerim in patrem meum cunctis diebus. De hac obliga
tione suprà facta est mentio capite præcedenti. Significat se debito præstitæ & obligatæ fidei obstrictũ,
male subire seruitutem, quàm peccati in patrem admissi reus fieri. Alteram causam subijcit, dicens:
Etenim, quomodo ascendam ad patrem meum, si puer non fuerit mecum? Ne uideam afflictionem,
quæ inueniet patrem meum. Desideratur aliquid. Vtpote, Nequaquam ascendam: uel, nõ potero ascen
dere. Vt tum subijciatur quare nolit, uel non poterit ascendere. Ne uideam, inquit, afflictionem quæ in-
ueniet patrem meum.

Candor animi probi & integri. Obserua primùm insignem candorem animi probi & integri. Fideiusserat quidem patri pro puero,
uerùm pater non ipsi soli puerum commendauerat, sed communiter & reliquis omnibus, quemad-
modum capite precedenti annotauimus. Poterat itaq; dicere Iehudah ad cæteros fratres: Cõmuniter no
bis est hic frater noster à patre cõmendatus, rationem igitur & curam illius cõmuniter etiã habeamus.
De hoc non cogitat: sed memor præstitæ fidei, unum sese pro liberando puero in seruitutem offert. Ma
gis de eo cogitat quid ipse patri promiserit, quàm quid pater fecerit. Qui non sunt seruantes fidei, in om
nes sunt rimulas ad tergiuersandum intenti, ne quod polliciti sunt præstare cogantur.

Prudentia Iehudæ. Vide etiam prudentiã Iehudæ. Quod fideiusserat patri pro puero, ad hoc factũ erat, ut mos gereretur
Iosepho, qui magno hoc serio ab ipsis exegerat, ut puerum secum adducerent in Aegyptum. Quare po

terat

A terat inferre ad hunc modum: Quoniam iussu tuo adactus fidem meam patri obligaui pro puero, non debes in causa esse, ut hanc patri frangam: id quod facere cogor, nisi puerum nobiscum ad patrem ascendere sinas. Nihil huius dicit, sed simpliciter memorat esse se obligatū patri pro puero restituendo, ideoq; offerre se loco illius in seruitutem, ut ille ad patrem remitti possit. Interim cauet offensam, & simul Principi cogitandum relinquit, quid se deceat in hac causa.

Deinde in eo quod dicit, Maneat nunc quæso seruus tuus in seruum Domini mei, &c. conscientiam uides abhorrentem à peccato fractæ fidei. Malebat perpetuæ seruitutis subire iugum, idq; inter alienos, quàm domi in libertate constitutus desertę fidei sustinere in cōscientia reatum. Quid hoc aliud est, quàm minoris molestiæ ducere seruitutem corporis quàm conscientiæ de fracta fide accusantis morsum ac remordentionem? Hoc animo præditi fuerunt, qui ne hostibus quidem datam fidem infringere uoluerunt, etiamsi quod promissum fuerat cū discrimine uitæ præstandū esset. Inuenias hodie qui facillimè fidem iubeant, uerùm in præstanda fide longè à priscorum integritate dissideant. Hac de re tamen, qua sit cum discretione dijudicanda, suprà alicubi admonuimus. *Cōscientia abhorrens à peccato fractæ fidei.*

Simul & illud obseruandum est, quòd seruitutem subire maluit, quàm patris uidere dolorem & afflictionem. Non potero, inquit, sine puero ascendere, ne patris afflictionem uideam. Ergo maluit ipse affligi inter alienos, quàm domi uidere patris luctum, dolorem, calamitatem, & insolabilem miseriam. Acerbitatem spectaculi huius iam antea annos aliquot uiderant filij Iacob, ipse uerò Iehudah irremissum patris luctum cernere non ualens, declinauerat à fratribus, sicuti uidimus suprà ca. 38. Huius adhuc memor, mauult non redire domum, sed seruire in Aegypto, quàm renouatum iterum patris spectare dolorem. Agnosce storgiam germani filij. *Storgia germani filij.*

CAPVT XLV.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Habet hoc caput ἀναπάλυψιν Ioseph, qua se tandem fratribus anxijs & in metu constitutis ex improuiso non sine stupore & consternatione illorum manifestauit. Habet mandatum illius ac Pharaonis & ascensum fratrum, ad uocandum Iacob patrem ipsorum in Aegyptum.

ET *non potuit Ioseph obfirmare sese cunctis ipsum circumstantibus, & clamauit, Educite quoslibet à me. Et nemo stetit cum eo, cum se Ioseph cognoscendum præberet fratribus suis.*] Interea dum Iehudah pro liberando Beniamin in gratiam patris memor præstitæ fidei laborat, & quomodo patris & illius inter se conditio habeat exponit, seq; ipsum in seruitutem loco pueri offert, usqueadeò incaluerunt Ioseph uiscera, ut nollet uellet dissimulationem qua hactenus erga fratres usus fuerat, quo minus se illis manifestaret, amplius retinere non posset. Et hoc est quod dicit Moses, Et non potuit Ioseph obfirmare sese: intellige, quemadmodum fecerat antea. Non potuit diutius sustinere angustiam fratrum, qua illos in conspectu suo perculsos uidebat. Non potuit porrò ferre conspectum fratris uterini, ut diutius, perinde ac si alienus & præterea prætextu furti seruituti adiudicatus esset, coram se tristis ac consternatus staret. Emollierat animum eius toties inculcata patris mentio, deinde & præclarum studium Iehudæ, quo sese pro puero in seruum tradere malebat, quàm sine illo redire domum, & calamitatem patris renouatam uidere. Huiusmodi ueluti carbonibus pectus ipsius incendebatur. *Quare non potuerit Ioseph diutius sese obfirmare.*

Quod autem non dicit, Et noluit Ioseph: sed, Et non potuit Ioseph obfirmare sese, non sic est intelligendum, quòd uoluerit sese diutius obfirmare, ac cœptam dissimulationem retinere, siquidem posset. Non inuitus reuelauit se fratribus. Volebat quidem obfirmare sese, uerùm non propter fratres, sed propter circunstātes Aegyptios. Alias gestiebat iamdudum ruere in collum Beniamin, & fratribus sese manifestare: impediebatur uerò præsentia Aegyptiorum, propter quos sese quamdiu poterat reprimebat. ideo dicit Moses non simpliciter, Et non potuit Ioseph obfirmare sese: sed addit, Cunctis ipsum circumstantibus, id quod non debet referri ad id quod dicit, Et non potuit, quasi circūstantes impedierint eum ne posset, sed ad conatum cohibendi, ad quem mouebatur per circumstantium præsentiam. *Quare conatus fuerit sese obfirmare.*

Et clamauit: Educite quoslibet à me. & nemo stetit cum eo, &c. Quod non simplici uerbo uel nutu, sed clamore circunstantes educi iussit, indicium est impetus, quo animus illius ad hoc ferebatur, immo rapiebatur, ut faceret, quod coram adstantibus facere nolebat, non quòd erubesceret coram Aegyptijs agnoscere fratres, sed quòd nollet eos primæ manifestationi interesse, propter ea quæ inuicem erant dicturi, sicuti in sequentibus patebit.

Obserua primùm, quomodo naturales affectus licet aliquandiu dissimulentur, nequeant tñ perpetuò cohiberi, ne aliquando erumpant. Qui natura bonus est, non poterit perpetuò naturæ suæ bonitatem dissimulādo, uel aliàs irascendo reprimere, ne aliquādo redeat ad ingeniū. Accidit hoc Iosepho. Et quid aliud est, quod de Deo ipso legitur: Non in perpetuum irascetur, neq; in sempiternum comminabitur? Consimili modo, qui natura malus est, etiamsi aliquandiu agat hypocritam, & bonum esse se falsis quibusdam indicijs simulet, propediem tamen ad malitiam suam recurrit. Simulatio quippe non diu decipit. *Naturales affectus nequeūt perpetuò cohiberi.*

Deinde obseruandum est, quod dicit: Cunctis ipsum circumstantibus. Vides hoc exemplo expressam humani ingenij curiositatem. Cum essent fratris Ioseph, homines peregrini in ciuitatem ad Iosephum reducti, auidi circumstabant omnes, quotquot erant in domo Ioseph, ut intelligerent, quidnam esset actum ab illis, & quid ipsis esset euenturum.

Tertio in eo quod cunctos à se clamore abiecit, coniunctionem uides animi perciti, & cautionis debitæ ac conuenientis. Quod se cohibere non poterat, quodq; clamabat, animi erat luctantis, urgentis, imò uicti. Quod uerò nolebat amplius adesse circumstantes Aegyptios, cautionis erat & prudentiæ, quam rarò nisi apud homines cordatissimos, unà cum animi impetu coniunctam deprehendere licet. Sic ergo locus dandus est affectibus, ut simul cautionem rei competenter gerendæ retineas.

Et dedit uocem suam in fletum: & audiuerunt Aegyptij, audiuitq; domus Pharaonis.] Animus sedatus ac moderatus uerba proferre, & quiuis simulare ac dissimulare potest: concitatus uerò & aliquãdiu pressus non in uerba primùm sed uel in clamorem uel in fletum & eiulatum, secundum qualitatem causę & affectuum erumpit, quemadmodum hic Iosepho accidisse uidemus. Spiritus in corde ipsius æstuans, mox ubi copiam erumpendi nactus est, æstum suum uoce non loquente, sed eiulante uelut eiecit. Pulchre autem loquitur Moses, cum dicit: וַיִּתֵּן אֶת קוֹלוֹ בִּבְכִי, id est. Et dedit uocem suam in fletum. Affectus hoc cordis ipsius calentis & æstuantis iam dudum poposcerat, uerùm hactenus sese obduruerat, dum eiecti essent circumstantes Aegyptij, actum demum quod feruor cordis poposcerat, gestienti & urgenti dedit fletum uidelicet & ploratum. Hoc erat uocem dare in fletum.

Vocem dare in fletum.

Et audiuerunt, inquit, Aegyptij. Haud procul abscesserant. Nam mox atq; egressi essent, prorupit Ioseph in fletum & ploratum.

Audiuitq; domus Pharaonis. Ex eorum uidelicet relatu, qui in domo Iosephi fuerant. Nisi forsan domus Iosephi aulæ Pharaonis sic fuerit contigua, ut ploratus hic in illa potuerit audiri.

De fletu Iosephi suprà capite quadragesimotertio quædam annotauimus, quæ & hic considerari possunt.

Et dixit Ioseph ad fratres suos: Ego sum Ioseph. Adhuc pater meus uiuit?] Vbi paululum æstus ploratus ac fletus remisit ut loqui posset, rem ipsam uerbis exprimit, quam diu presserat ac dissimulauerat. Ego sum, inquit, Ioseph. Duobus uerbis rem omnem effundit, sicuti solent ad hunc modum affecti, donec plura possunt spiritu paululum sedato proferre. Quasi uno ictu omnem eam difficultatem, quam secundò iam passi erant amputat, & uniuersas præcedentium gestorum tenebras illata hac luce discutit, dicens: Ego sum Ioseph. Quasi dicat: Ego ille, qui uos explorationis insimulaui, ac triduo in custodia detinui, qui de patre & minore fratre uestro interrogaui, q iuniorem fratrem uestrũ huc adferri uolui, Symeonemq; detinui donec ille esset adductus, qui pecunias uestras saccis uestris insinuari iussi, qui uos prandio cum heri reuersi essetis accepi, qui scyphum meum in ore sacci minoris fratris uestri abscondi, & hoc uos prætextu comprehendi, accusari & huc sisti iussi, qui fratrem uestrum, apud quem scyphus inuentus est seruituti adiudicaui coram quo tanquã Principe Aegypti iuxta præmissum somnium iam aliquoties incuruati estis, quem dominum uestrum & patris uestri uocatis: Ego, inquam, ille sum Ioseph, ille frater uester quem dicitis non superesse amplius, in quem uos peccasse, & cuius sanguinẽ inquiri dixistis, quem pater lacerando laceratum esse putat.

Non simpliciter dicit Ego sum frater uester, sed ut se prorsus manifestum reddat: Ego, inquit, sum Ioseph, uocem illis notissimam proferens. Nihil addit. Etenim reliqua omnia una hac uoce aperiebantur, & in memoriam reuocabantur. Credo eum uix potuisse initio tantum spiritus consequi ad dicendum, ut diceret, Ego sum Ioseph: tam abest ut ambagibus uerborum uti potuerit.

Adhuc pater meus uiuit? inquit. Eadem de re interrogauerat & antea, sicuti uidimus cap. 43. & audierat ex ipsis quòd uiueret pater, ac commodè haberet: uerùm quo erat desiderio patris præditus, statim de illo initio manifestationis huius percontatur, sperans eos omnia liberius quàm antea narraturos. Et uide, nõ dicit iam, Viuit ne pater uester? sicuti suprà dixerat: sed Adhuc ne pater meus uiuit. Quãuis esset Dominus & princeps Aegypti, statim tamen patrem suum agnoscit, quasi reiiciens illud quòd ipsi eum seruum suum quartò uocauerant.

Et non potuerunt fratres eius respondere ipsi, quoniam obstupefacti erant à facie eius.] Strabant uelut elingues, ne loqui quidem, nedum conuenienter respondere ualentes. In causa erat obstupefactio mentis. Concurrebant stupor & metus. Stupor ex improuisa & inopina rei nouitate, de qua nemo illorum ne cogitauerat quidem unquam. Etenim uix credidissent, si quis Iosephum adhuc in uiuis esse, nedum regnare in Aegypto dixisset. Et aliquoties eum mortuum, & amplius non esse dixerant. Metum incutiebat peccati conscientia, quo illum olim uendiderant. Sic fiebat ut nec loqui possent, nec faciem illius, quem uidebant esse Principem, leuatis oculis inspicere auderent, quãuis flentem & eiulantem uidissent. Quanta fuerit animi illorum angustia, facile cogitari potest, si & præcedentia gesta & causa præsens, propter quam alioqui percussi coram Iosepho stabant, considerentur.

Quare Iosepho respõdere nequierunt.

Admonemur, quanti facere debeamus conscientiæ erga quosuis synceritatem & studium innocentię. Conscientia peccati causam in se & iucundam & multis modis optabilem, horribilem reddit & intolerabilem. Quid illis potuisset esse iucundius, quàm coràm uidere fratrem diu amissum non modò incolumem, sed & in omni Aegypto dominantẽ, si nihil unquam aduersus illum peccassent? Nunc quid potuisset illis usuuenire horribilius quàm hoc ipsum? Seruemus obsecro puras conscientias in conspectu Domini, ne si perfidi fuerimus, angustiam hanc mentis olim experiamur, cum omnibus standum erit ante illius tribunal, & irreuocabilis audienda iudicij sententia, obmutescamusq; cum eo, ad quem dicebatur: Amice, quomodo huc intrasti, non habens uestem nuptialem? Matthæi uigesimosecundo.

Quanti faciendа sit conscientiæ synceritas.

Erit

A Erit aliquando ut quem nunc mundus hic impius contemnit immo persequitur & proscribit, huius ne aspectum quidem sustinere ualeat. Quare uigilandum nobis est, & pura conscientia in fide Christi persistendum, quo dum redierit ex improuiso, digni inueniamur, qui ante conspectum eius cum gaudio stemus. Lucæ 21.

Et ait Ioseph ad fratres suos: Accedite quæso ad me: & accesserunt, & dixit: Ego sum Ioseph frater uester quem uendidistis in Aegyptum. Et nunc ne contristemini, neue molestum sit in oculis uestris, quòd me huc uendidistis, quoniam ad uiuificandum misit me Deus ante faciem uestram. Fuit hoc biennio fames in medio terræ, & restant adhuc anni quinq;, in quibus nec agricolatio erit, nec messis. Et misit me Deus ante faciem uestram, ut ponerem uobis reliquias in terra, & uiuificarem uos eruptione magna. Et nunc non uos me huc misistis, sed Deus, ac posuit me patrem Pharaoni, & Dominum totius domus eius, dominatoremq; in omni terra Aegypti.]

Quoniam uidebat eos stare attonitos, obstupefactos, consternatos, & usqueadeò metu percussos, ut nec suspicere, nec loqui possent, in hoc incumbit, ut ab hoc eos metu quamprimum liberet. Accedite, inquit, ad me. Erat animus illorum auersus sic ut mallent quamlongissimè abesse quàm stare in conspectu fratris in quem tam enormiter peccauerant. Animus sic comparatus, si non sit fugæ locus, uel montibus operiri mallet, quàm confusionem & angustiam hanc perferre diutius. Sentit hoc Ioseph: quare quo magis illi abhorrebant, hoc eos ad se blandius inuitat, dicens: Accedite huc ad me. Sedebat, opinor, pro maiestate Principis, cum ista agerentur. Dum autem eos ad se inuitat, satis indicat quàm sit erga eos benignè affectus. Alioqui dixisset potius: Discedite à me uiri iniqui ac falsi fratres, ad quem modum olim impios ac reprobos à se reiiciet Christus, electos uerò & fideles ad se uocabit, dicens: Venite benedicti patris mei. Matth. 25. Obseruemus hanc benignitatem, imò fraterni animi propensionem in Christo Seruatore nostro, qua nos respectu Maiestatis ipsius & peccatorum nostrorum sensu perculsos ad se uocat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Matth. 11. Potissimum hoc debebat esse ministrorum Christi officium, ut attonitas & meticulosas conscientias studiosissimè ad thronum gratiæ illius adducerent, scientes hoc illi studium omnium esse gratissimum. Quare magna est eorum peruersitas qui magis in hoc sunt ut ab accessu hoc ad thronum gratiæ cunctos absterreant, & interim nescio ad quas nugas uocent. Et illud obserua quòd non Beniamin tantum alloquitur, & ad se inuitat, sed indiscriminatim omnes. Faciebat hoc ad conciliationem.

Accedendum ad Christum, cuius Ioseph hic est imago.

Et accesserunt inquit.] Senserunt Iosephum nihil hostile, sed summam spirare fraternæ storgiæ mansuetudinem. Quare animo paulisper recepto ad eum accesserunt. Interea tamen nondum possunt illi B quicquàm respondere. Nec ipse eos ad loquendum urget, sed boni consulit eam obstupefactionem contentus eo quod accedebant. Imitemur illorum exemplum. Accedamus & nos ad nostrum Iosephum nostra gratia in hunc mundum missum, & nos ad se cupidissimè uocantem. Accedamus non corporum, sed fidei, spei, ac fiduciæ motu. Nisi accesserimus, non conciliabimur. Qui resiliunt, peribunt.

Et dixit: Ego sum Ioseph. Repetit hoc. Etenim tale erat, ut difficile esset creditu cùm propter conceptam de interitu ipsius opinionem, tum propter fortunæ admirabilem eminentiam, à priore humilitate uehementer diuersam. Quare non frustra secundò dicit, Ego sum Ioseph: & addit, Frater uester, quem uendidistis in Aegyptum. Seruiebant ista manifestationi ipsius, tanquam illis notissima, cæteris uerò prorsus incognita. Quod enim uendiderant Iosephum fratrem suum in Aegyptum, nemini ad id usque temporis innotuerat, ne patri quidem ipsorum, sed abditum manserat in ipsorum duntaxat conscientia. Hoc itaque animo dicit: Ego sum Ioseph frater uester, quem uendidistis in Aegyptum, non ut hoc illis exprobraret, sed ut sese tanquam indicio ipsis cognitissimo manifestaret, omnemq; hæsitationem ascinderet.

At erat hoc illis admodum auditu acerbum. Nam alioqui huius facti conscientia discruciabantur. Quare uidetur Ioseph haud in loco uenditionis huius fecisse mentionem. Sic quidem uidetur, nisi rem penitius introspicias, aliàs consultissimè ab eo factum est, quòd statim initio produxit in medium, unde conscientiæ illorum grauabantur, & à fiducia fraternæ coniunctionis impediebantur. Sanando uulneri pus intercutaneum cum primis erat eximendum, id quod & immediatè facit, dicens.

Sanando uulneri pus intercutaneum cũ primis eximendum.

Et nunc ne contristemini, neue molestum sit in oculis uestris quòd me huc uendidistis. Ne uideretur hoc exprobationis gratia protulisse, neue dum eos sibi conciliare studet, magis perterrefaceret, iussit statim eos bono esse animo & securos in hac causa. Nolo, inquit, ut tristes sitis & uobis ipsis molesti, proterea quòd me huc uendidistis. Vides hoc loco pulcherrimum fraternæ reconciliationis exemplum, quando uidelicet tempestiua sit illa: & quomodo paranda. Donec non agnoscitur peccatum admissum in fratrem, nec animus morsu conscientiæ grauatur, sed adhuc peccando absque pœnitentia pergitur, planè intempestiuum est reconciliationis studium. Quare diuexanda prius erat conscientia fratrum Ioseph, id quod sedulò hactenus factum erat. Huc facit non modò prædicatio pœnitentiæ, sed & omnis generis afflictio & tribulatio. Deinde ubi sensus peccati pœnitudinis acerbitatem animo incussit, studendum est reconciliationi. Memorandum hic est peccatum, quod conscientiam diuexat, non ut exprobetur sed ut remissum esse cognoscatur, quo pristina animi fiducia in integrum restitui possit. Est autem huius restitutio uehementer difficilis. Quare necessarium est, ut qui læsus fuerat reconciliatio fratri sedulò delicti condonationem inculcet, securo & bono illum animo esse iubeat, ac simul in illum synceræ beneuolentiæ specimina indesinenter declaret,

Exemplum reconciliationis fraternæ.

quo

quo tandem persuasissimum illi reddatur quod quicquid fuerat offensæ, prorsus sit remissum.

Gemina ira locũ habere poterat inter fratres Ioseph.

Illud: Neue molestum sit in oculis uestris, in Ebræo est, בעיניכם ראל יחר, id est, ne ira uel indignatio sit in oculis uestris. Gemina ira poterat inter eos habere locũ. Vna, qua quisq; sibi ipsi succenseret propter hoc admissum facinus. Altera, qua Ruben, & forsan nõnulli etiã alij, indignarent aduersum eos qui uenditionis huius fuerant authores. Neutra seruãda erat, sed utraq; in hac abijcienda reconciliatione. Prior, ut syncera esset in animis illorum fiducia erga fratrem quem uendiderant, & discruciatio illa conscientiarum ipsorum tolleretur. Posterior, ut omnis occasio mutui inter ipsos rancoris ac simultatis amputaretur. Fuisset enim imperfecta conciliatio, si cum Iosepho redeuntes in gratiam, mutuis inter se odijs locum dedissent.

Aetiologia.

Quoniam, inquit, ad uiuificandum misit me Deus ante faciem uestram Rationem reddit, quare non debeat ipsis graue & molestum uideri, quod se uendiderunt in Aegyptum. Non dicit, Quia factum uestrum nihil habet illiciti, nihil deliquistis: sed, Quoniam quod feciſtis, diuino cõsilio sic dispositum fuit uestro bono. Ad quid? Ad uiuificandum uos. Deus misit me ante uos, ut uos uiuificem, hoc est, alimoniam uitæ subministrem.

Translatio.

Translatione utitur, transferens in Deum quod ipsi fecerant. Aperit illis consilium diuinæ prouidentiæ, ut illo intellecto, nec sibij ipsi quisquam ipsorum, nec alius alij succenseat, ac simul omnes intelligant, se non imputare ipsis, quod in Aegyptum uenditus fuit, sed in eo facto diuinã agnoscere & extollere prouidentiam cùm erga se, tum erga ipsos, significans idem faciendum esse & ipsis. Consimili modo & Apostolus Petrus Act. 3. cum Hierosolymis de Christo loqueretur ad populum, dixisset q; Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis uirum homicidam donari uobis, authorem uerò uitæ interemistis, &c. subiunxit: Et nunc fratres, scio, quòd hoc per ignorantiam feciſtis, sicut & principes uestri. Deus uerò, qui prænunciauit per os omnium suorum prophetarum, futurum ut pateretur Christus, sic adimpleuit. Cum dicit, Deus sic adimpleuit quæ de Christo prædixerat, translatione utitur, ut ab eo quod ipsi fecerant, respicerent in consilium Dei, qui filium suum salutis nostræ gratia morti tradiderat.

Expositio.

Fuit hoc biennio fames, inquit, in medio terræ, &c. Quoniam dixerat, Misit me Deus ante faciem uestram ad uiuificandum, exponit rem ipsam. Biennio hoc, inquit, fames fuit. Vnde sumpsistis cibum? An non ego uobis cibum dedi? Deinde, restant adhuc anni quinq;, quibus nec seri nec meti poterit. Vnde uiueretis, nisi me Dominus huc in Aegyptum misisset? Sic repetit particulam hanc: Et misit me Deus ante faciem uestram, ut ponerem uobis, hoc est reponerem, conderem, pararem, reseruarem, reliquias in terra, quintam uidelicet partem frumenti, qua de suprà cap. 41. Vt uiuificarem uos ereptione magna, id est, eriperem uos de magno discrimine ac necessitate famis. Vocat hanc magnam, propterea quòd septem annos continuos durabat.

Certitudo de diuina missione.

Obserua interim, quod secundò dicit, Misit me Deus. Vnde hoc cognouit, cum non memoretur à Mose ullum super ea re oraculum à Deo accepisse? Res ipsa sic gerebatur diuinitus, ut dubitare non posset, à Deo se missum esse in Aegyptum. Consimili modo poterit etiam Christi minister de sua missione certus esse, si uiderit se nullo suo consilio ac studio uenisse ad ministerium uerbi, & ministerio suo sic ad esse spiritum Christi, ut conspicuum pietatis fructum adferat.

Intellexit Ioseph Israelem transferendũ esse in Aegyptum.

Deinde & illud obserua, quod non simpliciter dicit, Misit me Deus: sed secundò addit, Ante faciem uestram. Intellexit Ioseph id agi diuinitus, quod dictum à Deo fuerat ad Abrahamum. Peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & affligent eos, &c. suprà cap. 15. ideo transferendam esse domum patris sui in Aegyptum. Aliàs poterat illi in terra Canaan consistenti mittere frumentum ex Aegypto, unde uiuerent.

Propter Israelitas prouidit Deus Aegyptijs.

Tertiò, nec illud transeundum est, quod dicit: Vt ponerem uobis reliquias in terra. Ergo quinta pars frumenti quam Ioseph in Aegypto septem ubertatis annis collegerat, collecta fuit Israelitis utiq;. Propter illos illos enim missus erat Ioseph in Aegyptum, & his uoluit Deus per illum prouidere. Verùm sic instituit hanc prouidentiam suam Deus, ut propter Israelem benefaceret etiam Aegyptijs. Frumentum Aegypti Dei erat. Potuit ex illo quantum uolebat populi sui usibus destinare. Faciebat hoc ex agris Aegyptiorum. Verùm absq; illorum detrimento, immo cum magno illorum bono. Tam abest igitur ut pij in hoc seculo dum illis ex aliorum laboribus prouiderur diuinitus, oneri sint ac detrimento illis, quorum hoc opera & bonis perficitur, ut ipsis potius imputandum sit omne hoc, unde ipsis prospicitur.

Magna ereptio est, eripi è necessitate famis.

Quartò, Vt uiuificarem uos ereptione magna. Cogita hic. Si fames corporis, in septennium prorogata, tanti facienda est, ut ex illa liberari magna sit ereptio, quid censendum sit de fame uerbi Dei, fame spiritus, quæ aliquot seculis durauit, & quanti sit facienda hæc ereptio, qua misso ad nos uerbo uitæ ex illa eripiuntur, quotquot cœlestem gratiam non respuunt.

Quæstio de αὐτιλογία.

Et nunc, inquit, non uos me huc misistis, sed Deus. Non potest hoc satis inculcare, sed iam tertiò repetit. Perinde est ac si tertiò dicat: Quod hic sum in Aegypto, non imputo uobis, sed Deo. Quare non est ut me propterea uobis malè uelle putetis. Non considero factum uestrum, sed dispositionem & uoluntatem Dei. Sed dices: Interim contradicit sibij ipsi. Nam dixerat: Ego sum Ioseph frater uester, quem uendidistis in Aegyptum. Item, Ne contristemini, quòd me uendidistis huc. Hic uerò, Non uos me, inquit, huc misistis, sed Deus. Ergo quod suprà factum ab ipsis, hic non ab ipsis, sed

sed à Deo factum esse dicit. Respondeo. Nõ dicit, Non uos me uendidistis: sed, Nõ uos me misistis huc, sed Deus. Plurimum differentiæ est inter uenditionem & missionem. Vendiderant eum Ismaelitis, parũ de eo cogitantes quo nam ab illis abduceretur, & quibus uenderetur, nedum quis futurus esset illius usus. Et interim tamen ante faciem ipsorum mittebatur in Aegyptum. Verùm hoc non faciebant ipsi, sed Deus per ipsos. Organa Dei fuerunt in hoc opere. Quare opus missionis huius rectè non ipsis, sed Deo tribuitur. Diligenter obseruandum esse censeo, quod non dicit Ioseph, Vos me uendidistis, & misistis in Aegyptum: uerùm quod uos fecistis, disposuit Deus ad uestrum bonum, sed, Deus, inquit, misit me huc, ut totum quod factum fuerat, non ipsis, sed Deo adscribat. Opus diuinæ prouidentiæ non satis inspexeris, si dicas Deum factum fratrum Ioseph primùm præsciuisse, deinde ad eum finem direxisse, ut ipsis suo tempore commodaret. Non solùm præsciuit ante factum quid futurum esset, & post factum direxit ac disposuit ut bene cederet: sed ut sic fieret præordinauit, & animos illorum ut sic facerent instinctu suo, quamuis non intelligerent, direxit, & ne aliter facerent cauit, deniq; post factum omnia ad constitutum uoluntatis suę finem moderatione sua deduxit. Quid igitur? Damus ne Deo, quòd corda fratrum Ioseph ad uendendum eum instinctu suo permouerit? Si hoc illi damus, constituimus eum authorem mali, nisi non sit malum, si fratres odio perciti uendant fratrem. Respondeo: Absit, ut Deum constituamus authorem mali, dum illi damus opus non utile modò fidelibus suis & ipsis quoque, per quos hoc fecit, sed & tale unde nominis ipsius gloria plurimum in Aegypto promouit. Interim non dicimus, quòd affectus odij miserit in corda fratrum Ioseph: absit. Erant illi ex spiritu satanæ, & erant diuino proposito contrarij. Hinc enim erat, quod fratrem occidere uolebant. Quare hunc odij impetum in illis fregit Deus per Ruben primùm, deinde per Iudam, quemadmodum & suprà annotauimus. Huic Iudæ dedit hanc mentem, ut uenditionem suaderet: & sic dedit, ut suaderet non stimulis odij agitatus, sed commiseratione fraterna & sensu timoris Dei motus: id agens, ut caueret ne puer occideretur. Si malus fuit hic animus, ergo malum est innocentis prohibere necem: & maius malum, cum aliter nequeas, minori aliquo incommodo auertere. Et hoc quoque, quod reliqui fratres consilio Iudæ acquieuerunt, tam est tribuendum, Deo, quàm erat contrarium consilio satanæ. Dum ista perpendimus, arbitror rectè uenditionem hanc Ioseph sic Deo tribui, ut tamen ille nihil minus q̃ author mali constituatur.

Opus diuinæ prouidentiæ diligenter inspiciendũ.

Obiectio. Non est Deus author mali.

Ac posuit me patrem Pharaoni, inquit, & dominũ totius domus eius, dominatorem q̃ in omni terra Aegypti. Meminit huius non studio iactandi suam gloriam, sed declarandi consilium & opus Dei. Videbant iam antea, esse eum dominatorem & principem in Aegypto. Verùm opus & consilium Dei non intellexerant. Hoc illis exponit, ut reipsa uerum esse uideant quod tertiò inculcat, à Deo se ante faciem ipsorum esse missum. Dicit se positum à Deo patrem Pharaoni. Patris uocabulo intelligit consultorẽ ac directorem. Propter sapientiam diuinitus acceptam in hanc erat potestatem & eminentiam à Pharaone sublimatus, ut cuncta suo consilio & prudentia dirigeret.

Interim obserua coniunctionem istarum uocum, patris, domini, & dominatoris. Qui à Deo non in ira, sed gratia rebus humanis præficiuntur, & spiritu sapientiæ ad moderationem rerum instruuntur, hi demum & patres sunt, & domini, & dominatores. Secus uerò comparati sunt, qui populo peccatori in ira Dei prę ficiũtur. Volunt quidem illi domini esse, & dominatores in omni terra: uerùm patres esse nec uolunt, nec possunt, nec debent, quia non ad hoc sunt à Deo constituti.

Festinate & ascendite ad patrem meum. ac dicite illi: Sic dicit filius tuus Ioseph: Posuit me Deus dominum totius Aegypti. Descẽde ad me, ne steteris. Et habitabis in terra Gosben, eris q̃ mihi uicinus, tu & filij tui & filij filiorũ tuorum, & oues tuæ & armenta tua & omnia quæ habes. Et nutriam te ibi. Quia adhuc (restant) quinq; anni famis, ne ad inopiam redigaris tu & domus tua, & omnia quæ habes. Et ecce oculi uestri uident et oculi fratris mei Beniamin, quòd ore loquar ad uos. Et indicabitis patri meo omnem gloriam meam in Aegypto, & omnia quæ uidetis, accelerabitis q̃ & adducetis patrem meum huc.] Initio manifestationis duo dixerat. Videlicet: Ego sum Ioseph, & uiuit ne pater meus? Hactenus primum expediuit, & cordibus fratrum metum quo perculsi fuerant exemit. Iam ad alterum progreditur, ad curam uidelicet patris ac totius domus illius. Non autem dicit, ut antea, Viuit ne pater meus? Sciebat uiuere adhuc patrem, ex eo quod die præcedenti ad hanc interrogationem responderant. quare non repetit interrogationem suam ad quam fratres præ stupore nihil responderant, sed incipit mandare de patre adducendo ad se in Aegyptum.

Quare iusserit fratres suos festinare.

Festinate, inquit, & ascendite ad patrem meum. Non simpliciter, ascendite, sed festinate inquit & asc. ad patrem meum. Nolebat ut diutius hærerent apud se, primùm ne mora prolixior æquo animum patris de puero suo sollicitum discruciaret, deinde ut gaudio hoc quàm citissimè afficeretur. Duę istæ festinationis causæ spiritum humanitatis ostendũt. Humanum plane est omnem eam morã abscindere, quę sollicitis & anxijs causam gignere potest augendæ anxietatis. Deinde si quid accidit, unde præcipuum quoddam gaudium ad homines tristes adferri poterit, summopere curare ut id omni mora reiecta quã celerrimè nuncietur. Sic dicebant leprosi 2. Reg. 7. cum uenissent in castra hostium, illosq; fuga dilapsos esse uiderent, Non recte facimus. Hæc enim dies boni nuncij est. Si tacuerimus & noluerimus nunciare usq; mane, sceleris arguemur. Venite eamus & nunciemus in aula regis.

Ac dicite illi, inquit. Sic dicit filius tuus Ioseph: Posuit me Deus Dominum totius Aegypti &c. Non mandat illis simpliciter, ut patrem ad se adducãt, sed præscribit quid illi suo nomine nuncient, quo causam

Quare nõ ascenderit Ioseph ad patrem suum in terram Canaan.

causam intelligat, quare uelit ut in Aegyptum ad se descẽdat. Posuit me Deus, inquit, dominum totius Aegypti: Descende ad me. Quoniam conuenientius est, ut filius diu amissus redeat ad patrem, præsertim senem, quàm ut pater ueniat ad filium, admodum fuisset inconueniens hoc petere Iosephum ut pater se nex ad se descenderet in Aegyptum, cum æquius esset & facilius, ut ipse ad patrem cum fratribus ascenderet in terram Chanaan, unde fuerat uenditus, nisi magnas hoc ob causas fieri non posset. Cum itaq; nunciaturus illi esset, ut ad se descenderet in Aegyptum, primùm hoc eum scire uoluit, quòd positus esset ipse à Deo dñs totius Aegypti, ob quã causam fieri non posset, ut relicta Aegypto ascenderet in terram Canaan: non quòd indigna res esset dignitatem seculi huius amore paternæ domus & auitæ pietatis deserere: sed quòd non erat discedendum à cõsilio diuinæ uoluntatis quo in eam erat dignitatẽ euectus, nec deserendum opus Dei magno Israelis bono cœptum. Hac puto ratione mandauit patri de suo dominio, dicens: Posuit me Deus dominum totius Aegypti. Occupatio est, ne cogitaret pater, Quare non potius ipse ad me ascendit, si adhuc uiuit? Non dicit, Posuit me Pharao: sed, Posuit me Deus dominum totius Aegypti, quo plus ponderis esset in hac causa, admoneretur q; pater de consilio diuinæ prouidentiæ, & somnijs præmissis.

Ne steteris.] Sic est in Ebræo אל תעמד. Potest bifariam accipi. Vel pro, ne moram nectas, ne tardes. Vel, pro, ne hæreas, ne maneas in Canaan, sed huc ad me in Aegyptum descendas. Si priore sensu dictũ est, petijt ut festinanter descenderet, ne si tardaret postea uel morbo, uel senio impeditus, descendere non posset. Si posteriore, consulit ne maneat in terra Canaan propter famis necessitatem, ne, ut infrà dicit, ad inopiam cum omni sua domo redigatur.

Terra Goschen.

Et habitabis, inquit, in terra Goschen, eris q; mihi uicinus, &c. Septuaginta habent καὶ κατοικήσεις ἐν γῇ γεσὲμ ἀραβίας, id est, Et habitabis in tera Gesem Arabiæ. Verùm uox, Arabiæ, in Ebræo non est. Neque enim terra Gosen in Arabia, sed in Aegypto est, inter Tanaim & Heliopolim, ea parte quę inter Nilum sita est & mare Rubrum, uicinior tamen Nilo quàm mari rubro. Hieron. dicit Goshen à nonnullis suo tempore Thebaida dictam esse.

Et quoniam additur, Eris q; mihi uicinus, coniectura est, habitasse tum Iosephum in ciuitate Heliopoli, quòd ibi sedes esset Pharaonis. Determinat regionem habitationis, quoniam uolebat ut cum suis omnibus non modò filijs, nepotibus, & famulitio, sed & gregibus & armentis ad se descenderet, ne cogitaret senex, ubi locum inueniam mihi & gregibus meis commodum? Hanc autem regionem terræ Gosen ad hoc præ cæteris delegit, quòd esset & commoda pastui pecudum, & uicina suæ sedi, quã ipse causam assignat, dicens, Eris q; mihi uicinus. B

Et nutriam te ibi, inquit.] Ad quid patrem ad se in Aegyptum descendere uoluerit, subijcitur his uerbis. Et nutriã te ibi. Et additur ratio: Quia adhuc, inquit, restant quinq; anni famis, ne ad inopiam redigaris, &c. Significat patri necessitatem descendendi ad se. Vide autem, quàm modestè & cautè non dicat, Ne moriaris fame tu & domus tua: ne putare uideatur, non posse Deum domum paternam in Canaan sustentare, ne fame periclitetur in uniuersum: sed, Ne ad inopiam redigaris. quasi dicat: Dum cogeris omnia tua insumere propter sterilitatem terræ, & greges armenta q; partim penuria famis amittis, partim edendo absumis, periculum tibi inopiæ timendum est. Ergo sollicitudo hæc & cautio uitandæ inopiæ non est aliena à sanctis, modò fiat hoc mediis non illicitis.

Et ecce oculi uestri uident, inquit, & oculi fratris mei Beniamin, quod ore loquar ad uos. Redit ad priorem manifestationis suæ partem, quæ personæ suæ certitudinem concernebat: hoc agens, ut de illa patri quoq; persuadeatur. Sensus est: Vos ipsi coràm uidetis quòd sim Ioseph frater uester. Et uidet hoc frater meus Beniamin (Iudicabat hunc fide dignum fore patri testem) quòd ore loquar ad uos. Hoc est, quod abs q; ullo interprete (nam antea donec alienum esse se simulabat, per interpretem ad eos loquebatur) ipse ore meo ad uos loquar. Memorat hoc, tanquam argumentum fide dignum. Sic nos Germanicè dicimus: *Er hat selbs mündtlich mit mir geredt.* Poterat dicere: Videtis quòd uobiscum loquor. Verùm ut emphasis rei indubitatè exprimeret, uoluit sic loqui: Ecce oculi uestri uident, id est certò & indubitatò cognoscitis, quod ore loquor ad uos: hoc est, quòd ego ipse Ioseph frater uester uobiscum loquor. Magna cura egit hoc Ioseph, ut omnem de se dubitationem cordibus fratrum eximeret, præsertim ob

Quapropter in cognitione Christi cõfirmãdi fuerint discipuli.

id quòd essent futuri internuncij ad patrem. Et Christus diligentissimè cognitionem sui discipulis inculcauit, omnium q; certissimam, præsertim post resurrectionem, reddere studuit, quòd in ea cardo susceptæ dispensationis uersaretur, illic q; hanc per totum essent orbem propagaturi.

Et indicabitis, inquit, patri meo omnem gloriam meam in Aegypto, & omnia quæ uidetis.] Eodem hoc animo dicitur, quo illud suprà, Deus posuit me dominum totius Aegypti. Nõ iactat suam gloriam, sed cupit persuaderi patri, ut opus Dei agnoscat, post tam prolixum luctum exhilaretur, & ad se descendat. Quare addit, Accelerabitis q; & adducetis patrem meum huc. Non est dubium, quin & ipse desiderio uidendi patris fuerit percitus, ideo q; & hoc nomine fratres accelerare, patrẽ q; properè ad se adducere iussit. Summa, omnia germani filij affectum erga parentem spirant.

Quartò fleuit Ioseph in hac causa.

Et cecidit super collum Beniamin fratris sui ac fleuit, & Beniamin fleuit super collo illius. Et osculatus est omnes fratres suos, fleuit q; super eis: quo facto, loquuti sunt cum eo fratres eius.] Iam quartò fleuisse memoratur Ioseph. Vides uiscera sanctorum non esse lapidea, sed carnea: & oculos eorum non esse Stoicos, sed uisceribus promptè respondentes. Manifestationem sui, & cõciliationem fratrum ut fletu cœpit, ita & fletu terminat. Quod autem primùm illabitur collo Beniamin, triplici nomine uidetur haud esse præter rationem

tionem factum. Et sui uidelicet & patris & matris respectu. Sui, quòd esset uterinus ipsius frater. Patris, quòd huic esset usq; adeò charus hic Biniamin, ut anima eius animę illius esset cõglutinata, quare in illo dimidium patris sui exosculari poterat. Matris, quod illa in huius partu ex hac uita discesserat, ipsu mq; ueluti suo loco post se reliquerat, in quo pars ipsius aliqua superstes esset. Ne autem cæteros præ huius amore contemnere uideretur, & illos est osculatus cum lachrymis, idq; indiscriminatim omnes, non solos Ruben & Iehudam, sed & Simeonem & Leui, quos passus fuerat cæteris infensiores & acerbiores hostes: à quibus, nisi diuina prouidentia obstitisset, prorsus fuisset occisus. Vides exemplum animi benigni, & alieni à spiritu ultionis.

Ioseph alienus à spiritu ultionis.

Quo facto, inquit, loquuti sunt cum eo fratres eius. Velles scire quid nam sint cum eo loquuti? Cum à Mose non memoretur, certò statui non potest quicquam. Si causam ipsam consideres, probabile est laudasse eos Deum cumprimis, deinde prędicasse ipsius clementiã, orasse ueniam, sęq; illi commendasse, ac de patre rebusq; domesticis quædam narrasse. Verùm id magis obseruandum est, quod non simpliciter dicit, Et loquuti sunt cum eo, sed אחרי בן, id est, postquàm sic, quo facto loquuti sunt cum eo fratres eius: ut innuat eos tum potissimum recepisse animum, cum denuò illachrymatus singulos esset osculatus. Hæc oscula igitur ueluti obsignatio quædam erant syncerę ac plenæ conciliationis, unde confirmatiores facti fiduciam loquendi cum ipso acceperunt. Tale erat & patris illius osculum, qui Lucę 15. in collum filij prodigi ruens osculatus eum est. Osculum huiusmodi sacrosanctum est, & usitatum olim in Ecclesia Christi.

Et uox audita est in domo Pharaonis dicendo: Venerunt fratres Ioseph: & placuit in oculis Pharaonis & in oculis seruorum eius. Dixitq; Pharao ad Ioseph: Dic fratribus tuis. Hoc facite. Onerate iumenta uestra, & abeuntes ite in terram Canaan, & accipite patrem uestrum domosq; uestras, & uenite ad me, & dabo uobis bonitatem terræ Aegypti, & comedite pinguedinem terræ. Et tu præcipe eis: Hoc facite, accipite uobis de terra Aegypti plaustra pro paruulis uestris, & pro uxoribus uestris, & afferte patrem uestrum et uenite. Et oculus uester ne parcat uasis uestris. Quoniam omnis bonitas terræ Aegypti uestra erit. Tria dicit, Primum est, rumorem de aduentu fratrum Ioseph percrebuisse in domo Pharaonis. Ebręus per שמע, id est, uocem, rumorem & famam intelligit. Germ. *ein geschrey*. Retulerunt hac de re Aegyptij, qui in domo Iosephi fuerant. Illi dicebant: Venerunt fratres Ioseph. Id Moses uocat hic uocem, quæ audita fit in domo Pharaonis. Secundum est, quomodo rumor iste acceptus fuerit à Pharaone & illius aula. Huc pertinet quod dicit: Et placuit in oculis Pharaonis, & in oculis seruorum eius. Diligebat Pharao Iosephum, nec odio illum aulici eius prosequebantur.

Argumentum est, sic se gessisse Iosephũ in principatu suo per nouem illos annos, qui tum elapsi erant, ut nullum nec offensæ nec inuidiæ locum cuiquam dederit. Argumentum etiam est cordati & humani Regis, & candoris ministrorum eius. Et hanc beneuolentiam singulari dispositioni Dei tribuemus. Ad hoc enim faciebat plurimum, ut hoc facilius & commodius trãsferretur Israel in Aegyptum. Alioqui siue regium supercilium, siue mores aulicos inspicias, planè rari est exempli utrin sq & Regis & aulæ illius beneuolentia erga Iosephum in hac causa declarata, qua gaudenti tantopere congaudebant, & homines pastores, aliàs Aegyptijs abominabiles, illius gratia tam amanter complectebantur.

Principatus Ioseph liber ab inuidia.

Exemplum humani regis & aulæ bene institutæ.

Tertium est, mandatum Pharaonis, quo Iosepho, de patre ac fratribus illius præcepit. Est autẽ mandatum hoc bimembre. Primùm enim præcipit, quid fratres Ioseph facere debeant: deinde subiungit, quid ipse illis facere uelit. Ad primum pertinet quod ad Iosephum (uel ad se illum hoc nomine uocauerat, uel ipse Ioseph ultrò ipsum accesserat) ad hunc modum dicit, Dic fratribus tuis: Hoc facite. Onerate iumenta uestra &c. Non simpliciter dicit: Ite, adferte patrem uestrum, & uenite huc ad me: sed, Onerate, inquit, iumenta uestra frumento uidelicet, & abeuntes ite in terram Canaan. Cogitabat humanissimus Rex de necessitate cibi, quo uterentur cùm in itinere tum domi, donec sese ad reditum compararent, deniq; in itinere cum descenderent in Aegyptum, ideo iussit, ut onerarent iumenta sua, hoc est, quantum iumenta ferre possent frumenti ac cibi secum auferrent. Et accipite, inquit, patrem uestrum (de hoc audierat ex Iosepho) & domos uestras, id est, uxores liberos, & familiam, & uenite ad me intelligit non domum & aulam suam, sed terram Aegypti, quæ ipsius erat. In Aegyptum uenire, erat ad Pharaonem uenire, Huc etiam referendum est, quod dicit: Et tu præcipe eis. Hoc facite, accipite uobis de terra Aegypti plaustra, pro paruulis uestris &c. Sensus est. Faciant hoc non modò meo iussu, sed & tuo. Potestatem habes à me in omni terra Aegpti. Hac utere, Præcipe illis pro tua potestate ac dic illis, ut plaustra de terra Aegypti accipiant, ad uehendum paruulos, uxores, & patrem.

Mandatum Pharaonis bimẽbre.

Arbitror usum plaustrorum Aegyptijs commodiorem fuisse quàm Cananeis illis, ubi Iacob habitabat. Deinde honestius & liberalius erat Regi plaustris ex Aegypto missis ad se uocare Iacobũ & suos, quàm, si illi propriis plaustris utendum fuisset. Interim obserua usum plaustrorum deputari paruulis, mulierculis, & senibus. Pro paruulis uestris, inquit, & pro uxoribus, & aduehite patrem uestrum.

Vsus plaustrorũ.

Illud, Et tu præcipe eis, in Ebræo legitur quod puncta attinet in pasiuo, אתה צויתה, id est, & tu iussus es. Verùm si puncta sustuleris, rectius leges: Et tu præcipe. Sic habet & Chaldæa paraphrasis ראה מימר, id est, Et tu præcipe. Et Septuaginta σὺ δὲ ἐντεῖλαι ταῦτα, Tu uerò manda ista.

Ad secundum membrum regij mandati pertinet, quod dicit: Et dabo uobis bonitatem terræ Aegypti,

gypti,& comedetis pinguedinem terræ.Item: Et oculus ueſter non parcet uaſis ueſtris,quoniam omnis bonitas terræ Aegypti ueſtra erit. Rem eandē tertiò inculcat. Idem enim eſt quod dicit, Comedetis pinguedinē terræ:quod,Et dabo uobis bonitatē terræ Aegypti. Et, Quoniā omnis bonitas terræ Aegypti ueſtra erit. Simul exprimitur de qua bonitate Aegypti loquatur. Alij uertunt, Et dabo uobis bonum: item,Et omne bonum Aegypti ueſtrum erit,uerùm in Ebræo non eſt טוּב,ſed מֵיטַב,id eſt non bonum, ſed bonitas. Et notanter dicit, Terræ Aegypti:&, Comedetis pinguedinē terræ: ut intelligatur neq; de auro, neq; de argento, ſed de alimonia ſelecta & optima & quæ ad hanc pertinent. Illud,Et oculus ueſter non parcet uaſis ueſtris,dictum eſt de illorum ſupellectili. Senſus eſt: Ne cogitetis, An ſupellectilem noſtram perdemus? Non poterimus uniuerſam nobiſcum uehere in Aegyptum. Non ſit uobis iactura ſupellectilis ueſtræ tanti momenti,ut quò illi parcatis,id eſt rationem ſeruandæ illius habeatis, in terra Canaan manearis. Etenim omnis bonitas terræ Aegypti ueſtra erit. Hoc eſt, Abundè hic accipietis,unde uiuatis,*was gůtz in Aegypten iſt,ſoll eüwer ſein.*

Prudētia & modeſtia Ioſephi.

Obſeruandū hic eſt quàm prudenter & modeſtè cauſam hanc diſpoſuerit Ioſeph. Iam antea iuſſerat fratribus,ut feſtinanter aſcenderent, & patrem cum omni domo ſua ad ſe deducerent, promiſeratq; alimoniam pro omnibus. Et nutriam te ibi, inquit. Poterat hoc pro poteſtate ſua à rege acceptа & promittere & præſtare. Verùm quoniam negotium hoc non Aegyptios, ſed cognatos ſuos concernebat, ſic illud expedire ſtuduit,ut quicquid hic faciendum uidebatur, peculiari regis mandato fieret, ne poteſtate accepta ad priuatos ſuos affectus accommodare uideretur. Tanta eſt ſanctorum hominum modeſtia,ut tametſi digni ſint, qui laborum & ſapientiæ ſuæ fructus non ipſi modò percipiant, ſed & cognatis ſuis impertiant, nihil tamen in huiuſmodi cauſa præſumant nec faciant, niſi uoluntas ſuperioris poteſtatis acceſſerit. Longè ab hoc ingenio diuerſa eſt filiorum huius ſeculi impudentia, qui quamuis ſint homines inutiles,omnia tum ad priuatos uſus abſq; pudore dirigunt.

Et fecerunt ſic filij Iſrael,& dedit Ioſeph plauſtra,ſecundùm os Pharaonis,deditq; eis uiaticum ad iter. Singulis etiam dedit ueſtes mutatorias,& Beniamin dedit trecentos argenteos & quinq; ueſtes mutatorias. patri uerò ſuo miſit ad hunc modum: Decem aſinos portantes de bonitate Aegypti,& decem aſinas portantes frumentum & panem & cibum pro patre ad iter. Et miſit fratres ſuos,& profecti ſunt & dixit ad eos: Ne iurgemini in itinere.] Habent iſta dimiſſionem fratrum Ioſeph, in qua ille rationem habuit neceſsitatis eorum pariter ac patris,deinde & honoris,tertiò concordiæ.

Neceſsitatis erat,quòd plauſtra illis tradidit ad uehendum paruulos eorum,uxores,& ſenem patrē, item quòd decem aſinas adiecit,portantes commeatū ad iter,quo deſcendēdo in Aegyptum uterentur, & præterea illorum aſinos onerauit cibo & uiatico & iter quo redibant in Canaan, & ut domi haberent cibum donec proficiſcerentur. Honoris erat, quòd ſingulis ueſtes mutatorias dedit. Vides exemplum ueræ conciliationis,immo charitatis,qua bonum pro malo rependitur. Abſtulerant ipſi tunicam uariegatam,iam uicißim ſingulos honorificè ueſtit. Quod autem inter Beniamin & reliquos decem fratres ſuos diſcriminauit,nihil erat inſoliti. Fecerat hoc & antea,ſicuti uidere eſt ſuprà cap. 43. in calce cap. Singularem erga illum amorem declarabat, quemadmodum & erga patrem, cui decem aſinos omnis generis bonitate Aegypti onuſtos honoris gratia miſit. Quare illud, Et patri quoq; ſuo miſit כְּזֹאת, id eſt,ſecundum hoc,ad hunc modum,non eſt referendum ad præcedentia,ne patri uideatur non plura miſiſſe,quàm dederat Beniamin,ſed ad ſequentia,ut legas: Et patri miſit ad hunc modum,uidelicet, decem aſinos, &c. Itaque inconſultè factum eſt ab interprete latino, quòd Septuaginta translationem imitatus uertit: Tantundem pecuniæ & ueſtium mittens patri ſuo, addens ei, &c. quæ in Ebræo non habentur.

Concordiæ cura erat, quòd ad iter accinctis dixit: Ne iurgemini,ne diſceptetis,ne tumultuemini in uia. Homo prudens uerebatur futurum, ut in itinere inter ſe iurgijs ac probris propter factam ſui uenditionem diſceptarent, atq; ita gaudij huius dulcedinem cœptamq; concordiam labefactarent, quare profecturis hoc diligenter inculcauit,ne in uia inter ſe tumultuarentur.

Quomodo affici debeāt ij q; præſtātiores ſunt inter fratres.

Obſeruandum eſt hoc loco,quomodo comparatos eſſe conueniat eos qui inter fratres præualent ſapientia,dignitate,& potentia,quamq; illorū gerere curam debeant. Prouidebunt illis de rebus neceſſarijs,quoad eius poterunt:deinde cumulabunt eos honore,quo participes honorum reddantur, quibus ipſi potiuntur:& cumprimis curabunt, ne qua inter illos exoriantur iurgia, irarum & odij ſeminaria, quibus fraterna concordia turbetur. Et hæc tria communiter omnibus fidelibus inter ipſos ſeruanda præcipiuntur. Vt uidelicet fratrum neceſsitatibus prouideant,ut honore alius aliū præueniant, ut abſq; iurgijs uera charitate inter ſe concorditer & pacificè uiuant.

Et aſcenderunt de Aegypto,ueneruntq; in terram Chanaan ad Iacob patrem ſuum,& nunciarunt illi, dicentes: Ioſeph adhuc uiuit,immo dominatur in omni terra Aegypti. & uacillauit cor eius: non enim credebat eis. Et narrarunt illi omnia uerba Ioſeph, quæ dixerat ad ipſos, & uidit plauſtra quæ miſerat Ioſeph ad uehendum ipſum. & reuixit ſpiritus Iacob patris ipſorum. Et dixit Iſrael: Multum eſt, adhuc Ioſeph filius meus uiuit? uadam & uidebo eum,priuſquam moriar.] Opinio de morte Ioſephi animum Iacob patris eius ſic occupauerat, ut difficile eſſet illi perſuadere, quòd adhuc uiueret. Fidem illi facere non poterat quod ſimpliciter dicebant: Ioſeph adhuc uiuit,& dominatur in omni terra Aegypti. Nam olim hi ipſi,qui hoc dicebant,cauſam ipſi opinionis eius obiecerant, qua putabat eum à beſtijs eſſe deuoratum. Ideo ſubiunxit Moſes: Et uacillauit cor eius. Non enim credebat eis. Videmus hoc exemplo, quid eueniat illis, qui aliquando

A aliquando impostura usi falsas opiniones sparserunt. Hoc uidelicet, ut dum uera dicunt, fidem non inueniant. Hoc scilicet est quod mentiendo lucrifaciunt. Et in Iacobo considerandum est, quod cum olim mentientibus credidisset, iam uera dicentibus fidem denegat. Vtrunq; autem miserum est. Sic comparati sumus, ut non modò credendo, sed & non credendo erremus. *Fructus mendacij.* *Erramus tam nõ credendo quàm credendo.*

Deinde & illud obserua, quod dicit: Et uacillauit cor eius. Non enim credebat eis. Ergo incredulitas cor reddit fluctuans & uacillans, contrà fides firmum & immotum. *Incredulitas cor reddit fluctuans.*

Et narrarunt illi omnia uerba Ioseph, inquit, quæ dixerat ad ipsos. Intelligit ea quæ suprà sunt memorata. Narrant illi iam non sua, sed ipsius Iosephi uerba, uerùm nec sic fidem inueniunt. Est etenim facile dicendo fingere quæuis.

Et uidit plaustra, inquit, quæ miserat Ioseph, &c. Et reuixit spiritus Iacob patris ipsorum. Argumentum ueritatis manifestius & certius erat in plaustris Ioseph, quàm in uerbis fratrum eius. Ista non poterant tam facile fingi quàm uerba. Sic plus fidei solet esse operibus quàm uerbis. Poterant dicere: Si uerbis nostris non credis, saltem plaustris istis crede. Et utinam ministri Christi, plaustra Christi uerbis suis adiungere possent, quo plus fidei docendo inuenirent. Obserua autem quod dicit: Et reuixit spiritus eius, cum dicendum esset, Et credidit eis. Opus fidei pro fide posuit. Spiritus excitatio ex fide est. Interea dum falsa opinione tenebatur, erat spiritus eius dejectus, immò ueluti mortuus: ubi uerò uisis plaustris ueritati fidē dedit, reuixit. Paraphrastes Chaldæus habet, Quieuit spiritus S. super Iacob patre ipsorum. Hinc Iudæi nugantur spiritu sancto fuisse Iacobum post uenditum Ioseph ad id usque temporis destitutum. Sic quod in textu simpliciter de animo & spiritu Iacob dicitur, ad spiritum S. torquetur. *Plus fidei est operibus quam uerbis.* *Opus fidei pro fide ponitur.*

Et dixit Israel: Multum est. Chald. habet, Magnum mihi gaudium est, adhuc Ioseph, &c. Vulgata lat. Sufficit mihi, si adhuc filius meus uiuit. Et Septuaginta, Magnum mihi est, si adhuc, &c. Verùm in Ebræo nec uox gaudij est, nec si, nec quod: sed sic, multum est: adhuc Ioseph filius meus uiuit. Quæ sic arbitror esse intelligenda, ut quod dicit, רב, id est, multum est, referendum sit ad plaustra & asinos pariter & asinas, quorum onera illi post plaustra unà cum muneribus suis ostenderunt. His uisis dixit, multum est, *das ist vil*. Deinde subiecit: Adhuc Ioseph filius meus uiuit. quasi dicat: Iam credo uiuere adhuc filium meum, uadam & uidebo eum, priusquàm moriar. Quod si referendum est ad sequentia, ut dicat multum esse, quod Ioseph adhuc uiuat, arbitror id dici respectu opinionis inueteratæ, qua putauerat eum esse mortuum. quasi dicat: Multum est quod adhuc uiuit, quicquid sit de
B Principatu.

Apparet hoc sensu Iacobum non tam magni fecisse gloriam principatus Iosephi, quàm quòd adhuc in uiuis illum esse intelligebat. Neque immeritò. Potius enim est uiuere, quàm dominari. Satis sibi fore putauit uidere filium suum uiuum, quem mortuum esse ingenti cum dolore existimauerat. Hunc uidere poterat in uita superstitem, etiamsi adhuc in seruitute detentus fuisset. Vitam scilicet filij sui suspirauerat, opinione q; mortis illius insolabiliter luxerat. Quare non dicit, Multum est, quòd dominatur filius meus Ioseph in omni terra Aegypti: sed, Multum est, quod adhuc uiuit filius meus Ioseph. Vadam, & uidebo eum. Quem? uiuentem scilicet filium. Cogitemus hic, quàm desipiant illi, quibus non est satis quod liberos suos uiuos & incolumes coram se uident, nisi uideant illos uel diuites uel potentes, uel aliàs glorioſos in hoc seculo. Huiusmodi stultitia morte illorũ corrigitur. Vbi mortui sunt, tum scilicet abundè magnum esse iudicarent, si uiuos adhuc cernere liceret. *Potius est uiuere quàm dominari.*

Vadam, inquit, & uidebo eum priusquàm moriar. Non dicit, Abunde satis est quod scio illum uiuere. Nunc posito luctu lætus moriar, sed uadam, inquit, & uidebo eum. Ergo quem adhuc uiuere intelligebat, uidere gestiebat. Sic comparati sumus ut quod amamus ac desideramus, uidere gestiamus. Reuixerat quidem spiritus Iacob, ubi filium suum Ioseph adhuc uiuere persuasus erat: uerùm spiritus ille quantumuis factus esset alacris, quietus tamen non erat, sed in Aegyptum ad uidendum Ioseph abire cupiebat. Potest credentium spiritus fide uiuentis adhuc & regnantis in cœlo Christi admodum esse alacris, uerùm quietus esse non potest, nisi uideat eum quem amat & suspirat. *Quod amamus, uidere cupimus.*

Deinde & illud obserua, quod senex iste, morti uicinus, annorum uidelicet 130. tanti facit uisionem filij sui, ut in Aegyptum quoq; illius gratia descendere non grauetur. Et quantulum erat id temporis quo illum erat in Aegypto uisurus? Admodum modicum. Verùm de eo non cogitabat. Non dicit, Vadam & uiuam cum eo: sed, Vadam & uidebo eum priusquam moriar. Sciebat se non diu fore in hac uita, ideoq; breuem futuram iucunditatem illam, quam ex conspectu filij sui quærebat, et tamen hanc plurimi facit. Vides ingenium amoris. Solent parentes etiam in articulo mortis constituti, priusquàm moriantur ad se uocare liberos quos diligunt, & qualecunque hoc momentaneum & postremum solatium magnifacere, si ultimum illos uidere, & contrectare, atque ita ualedicere, & nescio quæ seruanda mandare ualeant. Hæc ut humana sunt, & paterno affectui cognata, ita haud esse aliena à sanctis hominibus præsenti exemplo uidemus. *Ingeniũ amoris.*

CAPVT XLVI

ARGVMENTVM CAPITIS.

Descendit Iacob in Aegyptum. Descendenti apparet Deus noctu in Beershaba, gratiamq; præsentiæ suæ & reductionis pollicetur. Recensentur nomina filiorum ac nepotum Iacob, qui cum illo descenderunt in Aegyptum. Ioseph patri suo occurrit in Gosen. Et fratres post salutationem instruit, quo modo & quid à Pharaone interrogati respondere debeant.

ET *profectus est Iacob cum suis omnibus, uenitq; Beershabă, & sacrificauit ibi sacrificia Deo patris sui Isaac.* Quamuis senex esset, & à filijs suis in Aegyptũ acceptis à Iosepho plaustris ueheretur ac duceret, authoritatis tamen gratia tribuitur illi, non filijs ista profectio, cuius institutum & successus à uoluntate illius pendebat, qua dixerat, Vadam & uidebo filium meũ. Rectè itaq; non dixit Moses, Et deductus est Iacob: sed, Et mouit Iacob, & profectus est Iacob, &c.

Cum suis omnibus, inquit. Si tantum uidendi Iosephi gratia proficiscebatur in Aegyptum, quorsum attinebat, quòd omnia sua, filios, nepotes, nurus, familiam, greges & armenta cum omni supellectile secum abduxit? Agebatur, scilicet, instinctu diuino in causa hac quam nondum intelligebat. Sic constitutum erat à Deo, ut descenderet in Aegyptum cum suis omnibus, ibiq; posteritas eius hæreret usq; ad tempus liberationis & eductionis.

Veniq; Beershabă inquit. De Beershabah, id est, puteo iuramenti suprà aliquoties facta est mentio cap. 21. & 26. Ad eum locum uenit Iacob, quod esset in itinere uersus Aegyptum. An autem statim primo die illò peruenerit, incertum est. Distat ab Hebron sex milliarijs Germanicis.

Sacrificiũ Iacob. Et sacrificauit ibi, inquit, sacrificia Deo patris sui Isaac. Quod Deo sacrificauit, pietatis erat & religionis. Implorabat opem diuinam, ut adesse sibi uellet Deus in profectione suscepta. Admonemur, ut negotia nostra cum inuocatione diuini nominis ordiamur. Deinde simul gratias agebat pro Iosepho, quòd hunc in uita præter spem omnẽ conseruauerat, & iam copiam uidendi illius faciebat. Quod uerò eo loci, in Beershabah uidelicet, sacrificare uoluit, propter memoriam patris sui Isaac fecit, qui illic aliquandiu habitauerat, & altare construxerat. Vnde non simpliciter dicit Moses, Et sacrificauit ibi sacrificia Deo: sed addit, Patris sui Isaac. Voluit memoriam refricare omnium eorum quæ patri suo Isaac diuinitus fuerant præstita beneficia, & pietatis quoq;, qua Deum eo loci coluerat. Non dicit, Et sacrificauit sacrificia patri suo: sed, Deo patris sui Isaac. Sacrificia Deo destinauit religione pura & aurita, locum illũ propter patris memoriam cæteris est amantius complexus. Sacrificarunt ueteres episcopi in memorijs martyrum, non martyribus, sed Deo: tandem superstitione & eidololatria quicquid hoc religionis erat corrumpi cœpit.

Et loquutus est Deus Israeli in uisione nocturna, & dixit: Iacob Iacob. Et ait: Ecce ego. Et dixit: Ego sum Deus, Deus patris tui, ne uereueris descendere in Aegyptum: quoniam in gentem magnam ponam te illic. Ego descendam tecum in Aegyptum, & ego reducam te etiam ascendendo, & Ioseph ponet manum suam super oculos tuos. Quod descendenti in Aegyptum, & in Beershabah sacrificanti sibi Israeli apparet Deus, documento nobis esse debet, non deesse illum piorum uotis. Sed ea de re hactenus aliquoties admonuimus.

Non deest Deus piorum uotis.

Et dixit, Iacob Iacob. Et ait: Ecce ego. Et dixit: Ego sum Deus, Deus patris tui. Quemadmodum ipse Iacob cum Deum inuocaret. Deum illum patris sui uocabat, sicuti suprà uidere est cap. 32. & hic quoque Deo patris sui Isaac sacrificasse memoratur: ita uicissim Deus in uisionibus Deum se patris ipsius esse dicit, significans se uotis illius præstò esse, ac nequaquam oblitum eorum quæ patribus ipsius Abrahæ & Isaac ac semini eius subinde sit pollicitus.

Hæsitabat nonnihil Iacob. Ne uereare, inquit, descendere in Aegyptum. Apparet Iacobum quamuis Iosephũ filium suum summopere uidere gestiret, animo tamen inter descendendum in Aegyptum, cum Hebron & terram Canaã, terrã promissionis, deserturus uideretur, nonnihil hæsitasse. Hinc promissio terræ Canaan postulare uidebatur, ne spẽ maiorũ suorũ abijciens descẽderet in Aegyptũ, sed in terra, promissa cõsisteret, & à gente peregrina sibi nonnihil metuebat: illinc desiderium filij urgebat, ut sicuti cœperat descenderet. Sic hæsitanti & sacrificanti appareret Deus, iubens ut descendat in Aegyptum absq; cunctatione, nec quicquam uereatur. Et addit rationem. Quoniam, inquit, in gentem magnam ponam te illic. Quasi dicat: Tam abest, ut spem promissæ multiplicationis amissurus sis in Aegypto, ut illic eam potissimum sim in effectum perducturus. Significat sic esse sibi constitutum, ut promissa seminis multiplicatio non fiat in terra promissa, sed in Aegypto adimplenda. Quare iubet, ut omni metu abiecto, alacriter in cœpto descensu pergat.

Cõtra fiduciam carnis. Ego, inquit, descendam tecum in Aegyptum. Non dicit, Ioseph dominatur in Aegypto. Huius protectione securus eris cum tuis omnibus. Sub umbra illius tutò quiesces: sed, Ego descendam tecum in Aegyptum, &c. Vult ut fide prouidentiæ suæ præditus non à Iosepho, sed à se totus pendeat. Locus est contra fiduciam carnis. Sic sentiendum nobis est de promissionibus Dei, quibus præsentiam & opem suam pollicetur in omnibus. Vana est spes & fiducia cuiusuis hominis quantumlibet potentis & coniuncti. Pulcherrima autem est ista promissio, & plena consolationis. Ego, inquit, descendam tecum in Aegyptum. Cum proficisceretur in Mesopotamiam, promisit illi Deus eandem hanc præsentiam suã, suprà cap. 28. Rursus cum esset ex Mesopotamia in terram Canaan rediturus, consimili modo pollicitus

citus illi est dicens: Reuertere in terram patrum tuorum, &c. & ero tecum, ca. 31. Hic cum in Aegyptum descenderet, iterum præsentiam suam illi promisit, dicens: Ego descendam tecũ. Admonemur hoc exemplo, non deseri eos à Deo, qui fœderis illius sunt participes, & firma fide ab illo pendent, quocunq; tandem secundum uoluntatem illius proficiscantur.

Et ego reducam te etiam ascendendo, inquit. Sic suprà cap. 28. consimiliter pollicitus fuerat, quòd uellet eum reducere ex Mesopotamia. Eundo, inquit, & redeundo tecum ero. Descendam tecum, rursus tecum ascendam. Quod personam Iacob concernit, ascendit ille ex Aegypto mortuus, deportatus à suis in terram Chanaan, ad speluncam duplicem, sepulturam uidelicet maiorum suorum. Nec mortuo defuit diuinæ prouidentiæ gratia. Verùm quod posteros eius attinet, ascendit cum illis ex Aegypto magnis portentis & brachio excelso præsentiam suam declarans, sicuti sequens liber Exodi ostendit.

Et Iosepho ponet manum tuam super oculos tuos, inquit. Significat illi futurum ut moriatur in Aegypto, præsente Iosepho filio charissimo, & morienti officium filij præstante. qua de re legere est infrà in calce cap. penultimi: uel ut quædam exemplaria habent, initio capitis ultimi. Est autem manum ponere super oculos, claudere oculos morientium post exhalationem spiritus. Raro accidit ut moriatur aliquis oculis sponte sua clausis. Solent morientes, dum in mortis sunt angustijs, aciem oculorum intentissimè ad superna dirigere, tanquam opem à Deo petentes, uel certè gratiæ illius sese commendantes. Et dum hoc inter expirandum faciunt, fit ut oculos relinquant apertos. Obtinuit igitur, ut qui adstant morientibus, claudãt illis oculos ueluti iam obsoporatis, & ad finem usq; noctis, exortumq; ultimi diei dormituris. Debetur illis organis suus honos. Præclarus est illorum usus, dum in hac uita uersamur. Quare conuenit ut ubi perfuncti sunt officio suo, & hic uitæ nostræ cursus terminatus est, cum honore claudantur. Et hoc solebant facere propinquiores & amiciores, sicuti uidemus hoc loco promissum Iacobo. Et Tobiæ ultimo legimus, quòd iunior Tobias oculos clauserit soceris suis. Nunc adeò molles sumus, ut nequeamus adesse morientibus parentibus, uxoribus, fratribus, &c. sed id officij permittamus uetulis quibusdam mulierculis. Et plerunq; accidit, ut qui moriuntur, nolint eos quos charissimos habent expirantibus sibi adesse, quæ prorsus aliena sunt à moribus priscorum.

Oculos morientium claudere.

Tobiæ ultimo.

Et surexit Iacob de Beersheba. Et tulerunt filij Israel Iacobum patrem suum, & paruulos suos, & uxores suas in plaustris, quæ miserat Pharao ad uehendum eos. Et acceperunt pecora sua & substantiam suam quam acquisierant in terra Chanaan, uenerunt́q; in Aegyptum, Iacob ac omne semen eius cum ipso. Filios suos & filios filiorum B *suorum secum, filias suas & filias filiorum suorum, cunctumq; semen suum duxit secum in Aegyptum.*] Iacob confirmatus iam diuino oraculo cœptam profectionem prosequitur. Leuarunt eum filij unà cum paruulis & uxoribus suis in plaustra ad hoc à Pharaone missa. Sic plaustra regia seruiunt populo Dei infirma illius portantia. Vtinam idem infirmis fidelium faciant hodie reges Christiani.

Plaustra regia seruiunt populo Dei.

Et acceperunt pecora sua & substantiam suam quam acquisierant, inquit, in terra Chanaan. Quamuis dixisset Pharao, Ne parcat oculus uester supellectili uestræ, quoniam omnis bonitas terræ Aegypti uestra erit, nihilo tamen minus & pecora & substantiam suam secum adferunt in Aegyptum, quo minus cuiquam sint oneri, de suo magis quàm de alieno uiuere uolẽtes. Ab hoc ingenio longè diuersi sunt, qui uel propria relinquentes, uel etiam retinentes, de alienis bonis saginãtur, homines & Deo exosi, & hominibus inutiles, ad nihil aliud quàm ad immunditiam & luxum uitæ, & sicut ille ait, fruges consumere nati.

Venerunt́q; in Aegyptum, inquit, ac omne semen eius cum ipso. Per expositionem subiungit. Filios suos & filios filiorum suorum secum, filias suas & filias filiorum suorum. Hoc est, filios & nepotes, filias & neptes. Hactenus enim propagatum erat ipsius semen, uidelicet ad nepotes usq; & neptes. Bis cuncti seminis Iacob meminit, ut significet neminem de illo in terra Chanaan mansisse. Sic constituerat Dominus, propterea quòd populi Chananæorum suo essent tempore extirpandi.

Quod autem in plurali dicit, Filias suas, cum non nisi de una illius filia Dinah uidelicet, hactenus facta sit mentio, existimant nonnulli numerum pluralem, more uulgari, positum esse pro singulari: id quod & mihi probatur. Ratio est, quòd Dinah infrà numeratur cum alijs de Leah natis, & filijs Aser Særah illorum soror adnumeratur: unde facile uidere est, si præter Dinam alias adhuc filias habuisset Iacob, non fuisse Mosen de nominibus illarum taciturum. Et infrà de Dan in plurali dicit, Et filij Dan: cum tamen illi unum duntaxat filium Hushim assignet.

Et filias filiorum suorum, inquit. R. Shlomoh annotat hic duas, Særah filiam Aser, & Iochebed filiam Leui. De posteriore tamen Num. 26. legitur, quòd nata sit patri suo Leui in Aegypto.

Et hæc sunt nomina filiorum Israel, qui uenerunt in Aegyptum, Iacobi (uidelicet) & filiorum eius.] Diligenter Moses professam Israelis recenset, quæ cum illo in Aegyptum descendit, ut illi multitudo collata quæ postea ex Aegypto egressa est, quàm uerum illud sit declaret, quod in Beersheba dictum fuit à Deo: In gentem magnam ponam te ibi. Et nomina assignat, propter certitudinem genealogiæ, cuius multa erat futura ratio in eo populo. Quod autem hic dicit, Et hæc sunt nomina filiorum Israel, generaliter est & sic dictum, ut de toto corpore populi huius sit intelligendum, perinde ac si dixerit: Hæc sunt nomina Israelitarum, qui uenerunt in Aegyptum, unde & ipsum Iacobum memorat, dicens: Iacobi & filiorum eius.

Primogenitus Iacobi Reuben. Et filij Reuben, Hænoch & Phallu, & Hezron, & Carmi. Et filij Shimeon Ie-

muel & Iamin, & Ohad, & Iachin, & Zohar, & Shaul filius Cenaanitidis. Et filij Leui, Gershon, Kahath, & Merari.

Et filij Iehudah, Er, & Onan, & Shelah, & Peretz, & Zarah. Et mortui sunt Er & Onan in terra Cenaan. Et fuerunt filij Peretz, Hezron, & Hamuel. Et filij Issaschar, Thola, & Phuua, & Iob, & Shmron.

Et filij Zebulun, Sered, & Elon, & Iahleel. Hi fuerunt filij Leæ, quos peperit Iacobo in Padan Syriæ. Et Dinah filia eius. Omnes animæ filiorum & filiarum eius triginta tres. Et filij Gad, Ziphcon & Haggi, Shuni, & Ezbon, Eri, & Arodi, & Areeli.

Et filij Asher, Iimnah, & Iishuah, & Iishui, & Beriah & Særah soror eorum. Et filij Beriah, Heber & Malkiel. Hi fuerunt filij Zilpha, quam dedit Laba Leæ filiæ suæ, & peperit hosce Iacobo, sedecim animas. Filij Rahel uxoris Iacob, Ioseph & Biniamin.

Et nati fuerunt Ioscpho in terra Aegypti, quos peperit ei Asnath filia Potiphera sacerdotis On, Manasheh & Ephraim. Et filij Biniamin Bela, & Bæchær, & Asbel, Gera, & Naeman, Ehi & Rosh, Muphim & Huphim, & Arde. Hi fuerunt filij Rahel, qui nati sunt Iacobo. Omnes animæ quatuordecim. Et filij Dan Hushim.

Et filij Naphthali, Iahzeel, & Guni, & Iezer, & Shillem. Hi fuerunt filij Bilha, quam dederat Laban Raheli filiæ suæ, & peperit eos Iacobo. Omnes animæ septem.

Omnes animæ quæ uenerunt cum Iacobo in Aegyptũ, egressæ de femore eius, demptis uxoribus filiorum Iacob, omnes animæ (inquà) sexagintasex fuerunt. Et filij Ioseph, qui nati fuerunt ei in Aegypto, animæ duæ. Omnes animæ domus Iacob quæ uenerunt in Aegyptum septuaginta fuerunt.

Primogenitus Iacobi Ruben, inquit. Ab illo tanquam primogenito exorsus, catalogum filiorum Iacob contexit, non secundum ordinem quo nati sunt, sed secundum seriem uxorum & ancillarum Iacob. Primò recenset sex filios Leæ, deinde duos ancillæ illius Silphæ, tertiò duos Rahelis, quartò duos Bileæ ancillæ Rahelis. Ordo uerò generationum eorum sic habet, ut post quatuor filios Leæ Ruben, Simeon, Leui & Iehudah sequantur duo filij Bileæ Dan & Naphthali, deinde duo filij Zilphæ Gad & Asher, postea duo filij Leæ Issaschar & Zebulun, & postremò duo filij Rahelis Ioseph & Biniamin. Ergo Moses hoc loco non habuit rationem ætatum filiorum Iacob, sed matrum potius illorum, Leæ & Rahelis, quarum unicuiq; suam ancillam proximè subiecit partusq; earum non Leæ modò, sed & Rahelis partubus ancillarum præmisit, quæ res ordinem generationum turbauit.

Et Saul, inquit, filius Cenaanitidis. Shimeon uxorem duxerat de filiabus Canaan, unde Saulem hunc sustulit. Reliquos quinq; aliunde genuit. Parum hoc probatur Mosi. Quare filium hunc illius sic notat, ut uocet eum filium Cenaanitidis. Num. 26. de progenie Shimeon sic legitur: Filij Shimeon per cognationes suas, Namuel (is hic uocatur Iamuel) Iamin, Iachim (hic 1. Paral. 4. Iarib uocatur. Zare & Saul. Hi quinq; tantum recensentur eo loco ficut & 1. Par. 4. Ergo Ohad qui hic memorat, sine prole mortuus est, nulla post se relicta familia, quare duobus illis locis non ponitur, ubi familiæ filiorum Iacob recensentur. B

Et fuerunt filij Peretz, Hezron & Hamuel. fuerunt isti nepotes Iudæ. Hezron pertinet ad genealogiam Christi.

Et filij Issaschar, Thola, & Phuua, inquit. Quod hic legitur פוּה, 1. Paral. 7. habetur פּוּאה, & quod hic est יוּב illic est יָשׁוּב.

Hi fuerunt filij Leæ, inquit, quos peperit Iacobo in Padan Syriæ.] At Leah nõ peperit hosce omnes, sed tantũ sex. Exponunt nonnulli, nepotes quoq; illi assignari, tanquàm matrifamilias. Verùm adhuc obijcitur, quomodo uerum sit quod dicit: Quos peperit Iacobo in Padan Syriæ, cum nepotes Leæ non sint in Padan Syriæ, sed in terra Canaan nati. Respondendum hic est, illud, Hi fuerunt filij Leæ, non esse referendum nisi ad sex illius filios quos in Padan Syriæ peperit.

QV AEST. Omnes animæ filiorum & filiarum eius triginta tres, inquit. Hoc loco per filios etiam nepotes & pronepotes intelligit, per filias nonnisi Dinam, ficut & suprà annotaui. Sed quæritur hic, quomodo numerus constet quem hic filijs & filiabus Leæ tribuit. Etenim si numeres eos quos hactenus recensuit, inuenies trigintaquatuor. Putant quidam Dinam esse numero eximendam. Verum quidem est si hanc numeres, remanebit numerus 33. At quomodo stabit quod non simpliciter dicit, Omnes animæ filiorum eius: sed addit, Et filiarũ eius, sunt triginta tres, si Dinam numero excluserimus? Deinde non uideo quare nõ debeat numerari Dinah filia Leæ, cum infrà in progenie Aser, Serah neptis Zilphæ ancilla numeretur. Rursus, si numerauerimus Dinam, non solum erunt hic 34. sed & infrà in numero summario 71. inuenientur, cum duntaxat 70. supputando colligantur. Sunt qui putant tollendas esse ex hoc numero duos filios Iudæ Er & Onan, qui in terra Cenaan mortui sunt, priusquàm descenderet Iacob in Aegyptum, ideoq; illis qui in Aegyptum descenderunt, connumerari non possunt: quibus sublatis, remanent 32. deinde addendam esse huic numero Iochebed filiam Leui, cuius mentio fit Num. 26. Quod sublationem duorum filiorum Iudæ attinet, potest illa conuenire rationi præsentis catalogi, quo usum est Mosi numerare animas, quæ cum Iacobo descenderunt in Aegyptum: ideoq; cum nominasset Er & Onan, notanter adiecit, mortuos illos fuisse in terra Canaan, ut significaret non descendisse eos in Aegyptum. Quod uerò Iochebed filiam Leui concernit, non uideo quare debeat illa

ad

A ad implendũ numerũ hunc 33. assumi cũ à Mose non sit nominata in hoc catalogo: deinde non descende rit cum Iacobo in Aegyptũ, sed postea sit nata in Aegypto, sicuti uidere est Num. 26. Nec satisfacere potest, quod R. Shlomoh cõminiscitur, etsi sit nata in Aegypto, conceptã tamen fuisse in terra Canaan, atq; ita in utero matris descendisse cum Iacobo in Aegyptũ. Etenim si illa in utero matris descendisset in Aegyptũ, nimis in arctũ contraheretur tẽpus illud, quo Israel egit in Aegypto. fuit nanq; ista Iochebed mater Miriam Aaronis & Mosis Num. 26. Exod. 6. qui Moses, Israelem ex Aegypto duxit, cũ annos 80 natus esset. Quare uerosimilius est fuisse hanc Iochebed diu post descensum hunc in Aegypto natam.

Deinde si numerandi hic sunt, qui etsi non nominantur à Mose, in utero tamen materno delati sunt in Aegyptũ, & illic post descensum nati, erant dubio procul adhuc alij quidã ex nepotibus uel pronepo tibus Iacob numerandi, qui & ipsi in terra Canaan concepti, post descensum sunt in Aegypto nati, atq; ita redderetur numerus summarius multo auctior quàm hic positum esse uidemus. Quare arbitror non esse Iochebed filiam Leui in hunc numerum assumendam.

Quid igitur dicemus? Res ipsa conuincit, duplicem esse catalogi huius respectum. Vnum, generationum prolis Iacob filiorum, filiarum, nepotum & pronepotum, usq; ad articulum descensus in Aegy ptum. Huc pertinet, quod etiam Er & Onan duo filij Iudæ cæteris annumerantur, cum tamẽ in Aegy ptum cum illis non descenderint. Alterum, eorum qui non solum erant ex femore Iacob, sed & cum illo descenderunt in Aegyptum. Huc Er & Onan referri non possunt, quare hactenus meritò excluduntur, sicut & à Iosepho hic non numerãtur. At hoc pacto non erunt filij & filiæ Leæ triginta tres, sed trigintaduo tantum, etiamsi Dinah connumeretur. Hoc, incommodi malim dare scriptoribus, quàm ipsius rei ueritatem numeri huius gratia negare. Et alioqui manifestum est, in assignandis numeris uel personarum, uel annorum aliquoties in scripturis erratum esse à scriptoribus. Sed pergamus in textu.

Filij Gad, inquit, Zipheon, & Haggi, Schuni, & Ezbon, &c.] Hic Ezbon Num. 26. non legitur, sed pro illo habetur אזבי, id est Asni. Itaq; unus & idem fuit Ezbon & Asni.

Et filij Aser, Iimnah & Iisuah, &c.] Hic Iisuah Num. 26. omittitur. Argumentum esse puto, quod nullam post se familiam reliquerit, quæ in diuisione terræ numerari potuerit.

Filij Rahel, inquit, uxoris Iacob, &c.] Rahelem uocat uxorẽ Iacob specialiter. Fuerat quidem & Leah illius uxor: uerũ hæc principaliter uxor eius dicitur, quod illius gratia seruierat Laban socero suo, nec aliã ducturus erat, nisi hanc solã, nisi à socero fuisset circũuentus. R. Shlomoh dicit שחיתה עיקרר של בית,
B id est, quoniam illa fundamentum erat domus.

Et filij Beniamin Bela, & Bæcher, &c.] Erat hic minimus ex filijs Iacob cum descenderent in Aegyptum, & tamen hic illi decem filij accensentur. Existimant quidam fuisse illi plures uxores. 1. Paral. 7. tantum tres illius filij numerantur, Bela, Becher & Iedieel. Septuaginta quoq; tres filios ponunt, Bela, Chobor & Asphel, reliquis faciunt nepotes. Numerorũ uerò uigesimosexto ponũtur quinq;, Bela, Asbel, Ahir. Shephupham & Hupham. Ahir est qui hic uocatur Ehi. Hupham, uocatur hic Huphim. De Iedieel, & Shephupham qui fuerint, nõ patet, nisi Schephupham fuerit qui hic Muphim uocatur. Naaman & Arde, qui hic inter filios Beniamin numerantur, Num. 26. ponuntur inter nepotes Beniamin, filios uidelicet Belæ: quemadmodum & Iosephus Ieeber & Malkiel filios Beriah ponit inter filios Aser. In hac obscuritate quid dicendum sit, non uideo. Suprà capite quadragesimoquarto, uocauit Iudah Beniamin גער, id est puerũ. Si puer erat cum staret in cõspectu Iosephi in Aegypto, meritò mirabi tur cordatus aliquis, quomodo illi statim tot filij tribuantur, immò quomodo adnumerentur hic illi etiam nepotes qui cum ipso descenderint in Aegyptum. Poterit cogitari recensitos hic esse non eos tantum qui cum Iacobo descenderunt in Aegyptum, sed & eos qui post descensum hunc Beniamin in Aegypto nati fuerunt, propterea quòd is iunior fuit, & posteritatem suam non antè sicuti cæteri, sed demũ post hunc fit descensum consecutus.

Omnes animæ quæ uenerunt cum Iacobo in Aegyptum, egressæ de femore eius demptis uxoribus filiorum Iacob (nam illæ non erant de femore Iacob, sed aliunde natæ) omnes animæ (inquam) sexagagintasex fuerunt, &c. Omnes animæ domus Iacob quæ uenerunt in Aegyptum 70. fuerunt. Scopus Mosis est, inculcare lectori non excelsisse tum posteritatem Iacob numerum septuagenariũ, ut uirtutem incrementi diuini extollat, quo in Aegypto ex tam modico numero tam ingens & numerosus populus excreuit. Ideo illud, Omnes animę, &c. tertiò repetit. Et hoc illius propositum Deut. 10. palàm exprimitur cum dicit: In 70. animabus descenderunt patres tui in Aegyptum, & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli.

Illud, Sexagintasex fuerunt, intelligendum est, ademptis Iosepho & duobus filijs eius, qui non descenderunt cum Iacobo, sed illum in Aegypto expectarunt. Constat hic numerus, si Leæ non triginta tres, sed trigintaduos filios & nepotes tribuas. Quod si illic trigintatres numerauerimus, numerus hic resultabit 67.

Omnes animæ, inquit, quæ uenerunt in Aegyptum septuaginta fuerunt. Constabit hoc, si suprà legas sexagintaseptem, & his addideris Iosephum cum duobus ipsius filijs: uel si legas sexagintasex, & addideris Iosephum cum filijs illius, & præterea ipsum Iacobum, tanquam horum omnium caput. Sic sentit & Hieronymus.

QVAEST. Videtur autem Lucas in Actis Apostol. dissentire ab hoc numero. Nam cap. 7. inducit Stephanum sic A
Ex Actis cap. 7. dicentem: Mittens autem Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuagintaquinq. Respondendum est: Narrationem hanc texuisse Lucã non secundum Hebraicam ueritatem, sed secundum receptam tum temporis Septuaginta interpretum uersionem, qua & Apostoli quoq; usi inueniũtur, propterea quòd illa passim esset inuulgata & in magna authoritate. Septuaginta autem quoniam de suo generationes Manasse & Ephraim filios & nepotes eorum numero quinq; in hunc catalogum inseruerant, adeoq; numerum quinq; generationibus auxerant, coacti fuerunt ex septuaginta facere septuagintaquinq. Hebræa uerò constanter & hic & Deuteronomij decimo habent non septuagintaquinq, sed septuaginta. Et Hieronymi tempore in ipsa uersione Septuaginta legebatur Deuteronomij decimo, uel initio capitis undecimi: In Septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum. Nunc uerò legimus etiam illic in exemplaribus quæ sunt ad manum, In septuagintaquinq; animabus. Sic inuenti sunt homines temerarij, qui scripturas corrumperent, addentes ac dementes pro ipsorum arbitratu quiduis. Sciolus quispiam existimauit locum Deuteronomij corrigendum esse ad formam eius qui hoc quadragesimosexto capite Geneseos habetur. Et posteritas pro sua stupiditate corruptiones huiusmodi S. scripturarum tam non sustulit, ut magni etiam fecerit, & mordicus retinuerit. In summa, ubi ex præmissis particularibus numerus colligitur summarius, non errat qui sic colligit ut summa totius partes suas omnes comprehendat, & nec abundet, nec deficiat. Sic hoc loco, ex ijs qui Leæ adnumerantur, non potest colligi numerus alius quàm triginta quatuor, si Er & Onan filij Iudæ retineantur, uel triginta duo si illi reijciantur. Plures ne illa uel pauciores filios & nepotes tum temporis habuerit, mea non refert. Viderit ille qui singulos recensere uoluit. Quod itaq; dicit, Omnes animæ filiorum & filiarum Leæ triginta tres, si respicias nomina præmissa, error est qualis error in Iosepho quoq; deprehenditur, si rem ipsam, an respectu illius uerum dicat, uel secus, meum non est iudicare. Consimili modo & de numero septuagenario dicimus, qui summarius reperitur in Hebræo. Collectus ille ex numeris particularibus 13. 16. 14. & 7. qui præmissi sunt, partibus suis unde collectus est planè respondet, quicquid sit de singularum animarum numero quas hic catalogus habet unde particulares numeri desumpti sunt, quicquid etiam sit de ipsa rei ueritate, de qua nos pronunciare non possumus, præterquam hic à Mose pronunciatum esse uidemus. Descensus autem huius memoriam in eo uoluit Israeli refricare Deus, quòd cum eos ex Aegypto liberatos duxisset in desertum, inter cæteras mansiones in eam quoq; duxit, in qua erant duodecim fontes, & B
septuaginta palmæ, in Helim uidelicet, sicuti uidere est Exodi decimosexto, Duodecim fontes duodecim filios Iacob, qui gentis huius quasi fontes quidam erant, septuaginta uerò palmæ numerum animarum rememorabant, quæ cum Iacobo in Aegyptum descenderunt, quas rectè comparabat palmitibus propter multiplicandæ gentis fertilitatem. Ad harum numerum allusit etiam cum Num. undecimo de senioribus populi septuaginta uiros eligi præcepit, qui accepto spiritu S. moderandi populi onus cum Mose sustinerent. Et Seruator, cum duodecim Apostolos & 72. discipulos eligeret, qui tanquam primitiæ essent propagandæ noui Testamenti Ecclesiæ, dubio procul ad hasce Israelis in Aegypto multiplicandi primitias respexit. Faciebat hic uterque numerus ad hoc, ut apostoli & discipuli admoniti cogitarent de primordijs populi ueteris Testamenti, intelligerentq; ex eadem diuina uirtute sperandam ipsis esse recentis & modicæ Ecclesiæ incrementa, & amplissimos progressus.

Et misit Iehudam ante faciem suam ad Iosephum, ut dirigeret faciem suam in Goshen, & uenerunt in terram Goshen. Et ligauit Ioseph currum suum, & ascendit in occursum Israelis patris sui in Goshen: & cum appareret apud eum, ruit in collum eius, & fleuit super collo eius aliquandiu. Et dixit Israel ad Iosephum: Moriar nunc postquam uidi faciem tuam, quòd adhuc uiuas.] Postquam meminit Moses uenisse Iacobum cum suis in Aegyptum, generationesq; illius cum quibus in Aegyptum descendit recensuit, consequenter memorat de occursu Ioseph.

Et misit, inquit, Iehudam ante faciem suam ad Iosephum.] Quòd hunc misit, argumentum est fuisse eum cæteris ad res gerendas dexteriorem ac fideliorem, id quod gesta præcedentia satis declarant. Nec dubito illum patri cum ex Aegypto reuerti essent diligenter omnia exposuisse. Noluit Iacob ex improuiso uenire in Goshen, ideo præmisit ante se Iehudam ad Iosephum, ut dirigeret, inquit, faciem suam in Goshen.

Amphibologiam habet hæc particula, ut nescias an debuerit Iudah dirigere, hoc est, præparare, ut quidam uertunt, Ante faciem patris sui in Goshen, uel an ob id ad Iosephum missus sit, ut ille faciem suam dirigeret in Goshen ad occurrendum patri, illiq; præparandum quæ præparanda essent. Et hæc posterior sententia mihi probabilior uidetur. Quare sic legendum puto: Et misit Iehudam ante faciem suam ad Iosephum, (ad nunciandum ei) ut faciem suam dirigeret in Goshen, uel ut ante se pararet in Goshen. Nam illud לפניו tam ante se, quàm, faciem suam, & uerbum להורות & dirigere & præparare uerti potest.

In Goshen, inquit. Et uenerunt in terram Goshen.] Sic erat à Iosepho iam antè constitutum, sicuti patet capite præcedenti, ubi legimus eum mandasse patri: Habitabis in terram Goshen, & eris mihi uicinus, & nutriam te ibi, &c.

Et liga-

A *Et ligauit Ioseph currum suum, inquit, & ascendit in occursum Israelis patris sui in Goshen.*] Septuaginta habent, in ciuitatem ἡρώων, id est Heroon. Sic habet & Iosephus. Haud dubio loco aliquo tertæ Goshen conuenerunt, incertum tamen esse puto, quo loco conuenerint, quandoquidem hoc à Mose non ponitur, propterea quòd non erat memoratu necessarium. Nobis hic animaduertendum est exemplum modestiæ. Erat Ioseph totius Aegypti Princeps, inq; somnio uiderat olim futurum ut pater cum filijs coram se incuruarentur, uerùm nihil hæc omnia reputans, patris reuerenter sicuti germanum filium decebat, occurrit. Competenter discernebat inte honorem quem debebat patri, & fraternum amorem quem debebat fratribus. Patri occurrit honoris & reuerentiæ gratia: fratribus occurrisse, aut illos à se discedentes deduxisse non legitur. *Discernendū inter patrem & fratres.*

Et cum appareret, inquit, apud eum.] Et hæc particula dubiè posita est. Etenim incertum est, an de Iosephi, uel de Iacobi apparitione loquatur. Potest intelligi de eo, quòd Iacob Iosepho, potest deo eo quoq; q Ioseph Iacobo primùm apparuerit. Tale est etiam quod subiungit, Ruit in collum eius, & fleuit. Ex amphibologia præcedentis particulæ nascitur & sequentis incertitudo, ut nescias uter in utrius collum irruerit ac fleuerit. Magis tamen uidetur ex serie narrationis fecisse hoc Iosephum quàm Iacobum. Quàm autem fecerit hoc non leuiter, sed ex ardenti uiscerum cõmotione, ex eo patet, quòd non simpliciter dicit, Et fleuit super collo eius: sed addit, Aliquãdiu. In Hebræo est uocula עוד, id est adhuc, quã aliqui hic reddunt, diu. Sept. habent, Et fleuit fletu πλείονι, id est ampliore, largiore. De hoc genere fletus & συμπλοκῆς Iosephi suprà alicubi annotauimus.

Et dixit Israel ad Iosephum, inquit: Moriar nunc, postquam uidi faciem tuam quòd adhuc uiuis.] De eo quod dicit, Quod adhuc uiuis, suprà in calce cap. præcedentis diximus. Illud obseruandum est, quod dicit: Moriar nunc, postquam uidi faciem tuam. Suprà dixit, Vadam, & uidebo eum, priusquam moriar: iam ubi illum uidit, Moriar nunc, inquit, postquam uidi faciem tuam. Planè mirabilis uidetur hic affectus. Si magni aliquid erat uidere faciem filij tamdiu desiderati, quorsum attinet uisa illius facie uelle mori, cum potius tum demum cupidè uiuere debuerit? Vitam homo senex non appetebat amplius, sciebatq; fieri non posse, ut diutius uiueret. Significauit hisce uerbis iam se alacri & quieto animo moriturum, ubi Domino uisum fuerit, postquam concessum sibi esset faciem filij sui uidere, priusquam ex hac uita migrandum esset. Sic sunt animati, qui longa expectatione uel afflictione ante obitum suum singulari quodam euentu liberantur, uotiq; compotes efficiuntur & obtinent quod efflictim optauerant. Tale *Moriar nunc.*
B est quod de Symeone quoq; Lucæ 2. legimus, qui cum diu consolationem Israelis expectasset, & in tem plo Seruatorem in ulnas suas accepisset, in hanc uocem erupit: Nunc dimittes seruum tuum, Domine, secundum uerbum tuum in pace: hoc est, nunc bono & quieto animo moriar, quoniam uiderunt oculi mei salutem tuam, &c. Sic solemus & Germanicè dicere: *Ich wolt gern sterben, wan ich nur diß oder jenes erlebt, vnd vor meinem end sehen solte.* Mori in se graue est & acerbum, uerùm si moriendum sit animo tristi & luctu quodam singulari presso, plurimum ex eo acerbitatis accedit morientibus, id quod Iacobo accidisset, si moriendum illi nondum uiso Iosepho fuisset. Hoc respectu existimamus nos alacriter ex hac uita migraturos, si priusquam moriendum sit, singularis alicuius uoti compotes facti fuerimus.

Deinde de eo quoq; cogitandum est, quòd non exprimitur à Mose quid Ioseph uel in ipso fletu, uel postea ad patrem dixerit, neq; Iacob cum flente Iosepho fleuisse memoratur. Si iudicandum hac de re sit ex ipsa narratione Mosis, neq; Ioseph aliquid loquutus est patri inter flendum, neq; pater cum ipso fleuit. Verùm satis loquebantur Iosephi lachrymæ, ut uerbis opus non esset. In eo uerò, quod non legitur fleuisse Iacob cum fleret Ioseph, documentum nobis est, non esse pijs omnibus eandem uel parem συμπλοκῆς. Alius alio citius soluitur in lachrymas, nec conuenit ut eos existimemus esse inhumanos ac duros qui non statim singulari uel gaudio uel calamitate moti illachrymantur. *Quod non legitur hic fleuisse Iacob.*

Et dixit Ioseph ad fratres suos, & ad domum patris sui: Ascendam, & indicabo Pharaoni, dicamq; ad eum: Fratres mei ac domus patris mei, qui fuerunt in terra Canaan, uenerunt ad me. Et sunt uiri pastores ouium: nam uiri pecorum fuerunt, & oues suas & boues, & quæcunq; habent adduxerunt. Et accidet ut uocet uos Pharao ac dicat: Quod est opus uestrum? & dicetis: Viri pecorum fuerunt serui tui à puericia nostra ad præsens usque tempus, tam nos quàm patres nostri. Vt habitetis in terra Goshen. Etenim abominatio est Aegyptijs omnis pastor ouium.] Constituerat Ioseph & sic patri promiserat, quòd suos collocare uellet in terra Goshen, sibi uicina, illicq; eos alere. Verùm pro sua modestia pariter & prudentia sic causam hanc instituit, ut quemadmodum uoluntate regis acciti deductiq; iam erant in Aegyptum, ita etiam in terra Goshen rege annuente locarentur, ne quid præter regis conscientiam & uoluntatem in negocio hoc priuato ac se concernente gereret. Hac de re instruit fratres suos, dicens: Ascendam, & indicabo Pharaoni, &c. Præmonet eos de tribus. Primùm de eo quid iam sibi sit faciendum. Deinde quid ipsi ad Pharaonem uocati ad interrogationem illius respondere debeant. Tertiò, ad quem finem ista dirigantur. Ad primum pertinet quod dicit: Ascendam & indicabo Pharaoni, &c. Quod se ascensurum ad Pharaonem dicit, indicio est regiam Pharaonis fuisse in loco edito. Sic solent esse mansiones regum & principum, ut eminentiæ Maiestatis ipsa quoque mansionum sublimatio respondeat. Nihil hic est humile, sed sublimia omnia propter ornandam ac decorandam Maiestatem. Possunt ista probari, modò intelligentes sint Reges ac Principes quid se deceat, seruiantq; Domino in timore ac tremore. Psalmo secundo. *Mansiones regũ in locis editis.*

Et indi-

Et indicabo Pharaoni, inquit, ac dicam ad eum, &c. Duo se Pharaoni indicaturum dicit. Vnum est, uenisse ad se fratres suos de terra Canaan. Alterum, esse eos pastores ouium & uiros pecuarios, adduxisseq; secum greges suos & armenta, cum reculis suis omnibus. Quod uenturi fuerint, sciebat iam antea Pharao. Nam ita constituerat ipse, ideoq; plaustra in in usus illorum miserat. Quales autem essent, & quòd greges ouium armentaq; boum secum adducturi essent, id ignorauerat. Quare Ioseph consultò non modò de aduentu illorum, sed & de conditione uitæ & gregibus armentisq; adductis ad Pharaonem deferre uoluit.

Non erubuit Ioseph de humilitate domus paternæ.

Ad secundũ pertinet quod subiungit, dicens: Et accidet, ut uocet uos Pharao, ac dicat: Quod est opus uestrum? & dicetis: Viri pecorum sunt serui tui à pueritia nostra, &c. Vide hic quàm non puduerit Iosephum hoc genus uitæ tam humile & abiectum, præsertim in Aegypto, quod domus patris ipsius inde à maioribus acceptum sectabatur, indicare coram Pharaone, profiteriq; de patre ac fratribus suis, tanto cum honore regijs plaustris in Aegyptum adductis, esse eos uiros pecuarios. Si gloriam seculi huius spectasset, instruxisset potius fratres, ut dissimulata hac pastorali uita profiterentur se natos esse stemmate nobili, proauum habuisse Abrahamum uictoria quatuor regum insignem, auum Isaacum, sic præclarum, ut reges quoque amicitiam confœderationis illius ambiuerint, patrem Israelem etiam angelica lucta celebrem, & fratrem usqueadeò, sapientem & diuinum uirum ut rex illum & domui suæ & toti Aegypto præfecerit. Poterant ista uerè, poterant splendidè & cum gloria dici. Verùm horum adminiculis non egebat Ioseph, quem eo loci euexerat Deus, ut splendore suo etiam humillimam paternæ domus conditionem abundè illustrare posset. Et ea erat modestia præditus, ut nec ullam gloriæ accessionem quæreret, nec de humilitate suorum coram rege omniq; Aegypto erubesceret. Vides typum Christi in Iosepho. Et Christus non confunditur nec erubescit, uocans nos fratres suos, quamuis miseri simus & peccatores. Non possumus illi esse gloriæ, nec id spectat, sed hoc agit ut ipsius gratia sal ui simus & illustres.

Hebr. 2.

A studio maiorũ suorum non declinauerant.

Et illud obseruandum est, quòd omnes, & quòd inde à maioribus suis huic generi uitæ operam dederunt, pulchrum est, quod à studio maiorum suorum, quod nihil habebat illiciti, sed admodum erat innocuum, non deuiauerant, sed illi omnes constanter adhærebat. Idem erat omnibus uitæ genus, idemq; studium auitum uidelicet, quemadmodum ab una omnes origine descenderant. Nemo ex illis ad curiosas artes deflexerat.

Ad tertium referendũ est, quod dicit: Vt habitetis in terra Goshen. uulgata latina præmittit, Hæc autem dicetis, quod in Hebræo quidem non habetur: uerùm ad hoc est adiectum, ut significaretur, quorsum uoluerit Ioseph ista Pharaoni responderi à fratribus. Ad eum uidelicet finem, ut concederetur ipsis habitatio terræ Goshen alendis pecoribus commodam, & præterea in finibus magis quàm in medi-

Tribus rationibus electa est Goshen ad habitandum Israeli.

tullio Aegypti sitam. Existimo tres fuisse consilij huius rationes, quas Ioseph spectarit. Prima erat commoditas alendorum pecorum, conueniens uiris pecuarijs. Secunda erat uicinitas habitationis, de qua suprà capite præcedenti nunciauerat patri, dicẽs: Habitabis in terra Goshen, erisq; mihi uicinus. Tertia erat insolentia & arrogantia, uel, si mauis, superstitio Aegyptiorum, qua uiros pecuarios, præsertim pastores ouium fastidiebant. Et de hac tertia causa subijcit, dicens: Etenim abominatio est Aegyptijs omnis pastor ouium. Quare consultiũ existimauit, ut habitarent cum gregibus suis non in medio Aegypti, loco aliquo celebri, sed loco nonnihil à frequentia Aegyptiorum remoto. Potest adijci & quarta ratio, ut uidelicet expeditius & cum minori offendiculo in unius ac ueri Dei religione seorsim habitantes perdurare possent. Hac prudentia & principatui suo quem inter Aegyptios gerebat, & necessitatibus paternæ domus ac religioni illius pulchre consulebat.

CAPVT XLVII.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Sistit Ioseph primùm ex fratribus suis aliquot, deinde ipsum quoq; patrem, in conspectum Pharaonis, à quo illis terra Goshen ad inhabitandum datur. postea memoratur quibus cõditionibus Ioseph fame inualescente frumentum dederit Aegyptijs, & quomodo illum Iacob adiurauerit, ne se in Aegypto, sed in terra Canaan in sepulchro maiorum suorum sepeliret.

ET uenit Ioseph, & indicauit Pharaoni, dicens: Pater meus & fratres mei, oues q; ac boues eorum & quæcunque habent, uenerunt de terra Canaan, & ecce sunt in terra Goshen. Et tulit de summa fratrum suorum quinq; uiros, & statuit eos coram Pharaone. Et dixit Pharao ad fratres eius: Quod est opus uestrum? Et dixerunt ad Pharaonem: Pastores ouium sunt serui tui, tam nos quàm patres nostri. Et dixerunt ad Pharaonem: Ad peregrinandum in hac terra uenimus, quoniam pascua non sunt ouibus quas habent serui tui. Inualuit enim fames in terra Canaan. Et nunc habitent quæso serui tui in terra Goshen. Et ait Pharao ad Iosephum, dicens: Pater tuus & fratres tui uenerunt ad te. Terra Aegypti coram te est. In optimo terræ loco colloca patrem tuum & fratres tuos. Habitent in terra Goshen. Et si noueris esse inter eos uiros fortes, ponas eos principes super pecora quæ ego habeo.] Quæ suprà in calce præcedentis capitis instructionis gratia dixerat ad fratres suos Ioseph, ut scirent quid ipse facturus esset coram Pharaone, quidq; ipsi illi, si interrogati

gati fuerint respondere deberent, & quorsum ista dirigerentur, ad hoc uidelicet, ut terram Goshen ipsis inhabitare liceret, hæc ita gesta & impetratum à Pharaone, esse quod uolebat præsenti contextu memoratur.

Et uenit Ioseph, inquit, & indicauit Pharaoni dicens, &c.] Duo facit. Primò, indicat aduenisse patrem & fratres. Deinde sistit ex fratribus quinq; coram Pharaone. Omnia prudenter & moderatè. Non dicit, Pater meus & fratres mei uenerunt ad me: sed simpliciter, Venerunt de terra Chanaan, inquit: ne quid arrogantius spirare uideretur, si ad se illos uenisse diceret. Addit, Oues q; ac boues eorum: item, Et ecce sunt in terra Goshen, inquit. Præparatio quædam est ad ea quæ responsuri erant & petituri fratres. Dirigit quodammodo regis animum ad hoc, ut permittat illis habitationem terræ Goshen.

Et tulit, inquit, de summa fratrum suorum quinq; uiros, & statuit eos coram Pharaone.] Illud, De summa fratrum suorum in Hebræo est מִקְצֵה אֶחָיו. Significat autem מִקְצֵה finem & extremitatem. quare nonnulli uerterunt, De extremitate fratrum suorum, uel, de extremis fratribus suis. Quoniam autem extremitas rerum non inferiora modò, sed & superiora complectitur, unde & uox מִקְצֵה nonnunquam de summitate cœli in scripturis sumitur, incertum est sumpserit ne de potioribus, uel de minoribus fratribus, quos Pharaoni sisteret. De potioribus intelligunt aliqui, id quod & mihi non improbatur. Verosimile est tales eum delegisse, qui ritè possent respondere regi, id quod non est quorumuis. Puto hos quinq; fuisse seniores, præsertim Iehudam. Rursus sunt qui intelligant de minoribus. Et addunt rationem: ne uidelicet Pharao, si uideret esse inter illos uiros fortes, deligeret eos ad suam malitiam. Sic sentit Shlomoh. Præterea sunt qui uocem מִקְצֵה prorsus negligunt, & uertunt, Tulit aliquos de fratribus suis. Mihi uerò eorum magis arridet sententia qui uocem מִקְצֵה existimant hic positam esse pro, summa: ac legendum, Et tulit de summa fratrum suorum quinq; uiros. Apparet innuere Moses hac loquutione, noluisse Iosephum totam fratrum suorum summam sistere Pharaoni, sed de illa eos eligere qui cæteris ad eam rem aptiores essent & dexteriores. Nec inconueniens est, ut מִקְצֵה sumatur pro summa rerum, quæ nihil est aliud quàm extremitas superior, cætera in se complectens. Et illud quod Iudicum 18. legitur: Miserunt filij Dan de cognatione sua quinq; uiros מִקְצוֹתָם legendum puto De summulis suis. Habebant certũ numerum familiarũ, & unaquæq; familia summã quandam uirorum habebat, qui apti essent ad expeditionem bellicam. De summis itaq; istis quinq; uiros delegerunt. Sic & Ioseph de summa fratrum suorum quinq; ad Pharaonem duxit, ut ex illis audiret, qui nam essent, & quid peterent. Existimo autem sumpsisse eum de filijs Leæ duos, de Rahel unum, Beniamin uidelicet, de Zilphah unum & de Bileah unum, ne qui se contemni putarent. Existimo autem non esse hoc factum à Iosepho citra iussum Pharaonis. Suprà dixerat ad eos: Et accidet, ut uocet uos Pharao: ac dicet, Quod est opus uestrum? Quare non est putandum quòd non uocatos ad regem adduxerit. Primùm ingressus est ipse ad Pharaonem pro authoritate & consuetudine sua, indicauitq; illi de aduentu patris ac fratrum. Deinde iubente illo adduxit fratres. *Iudic. 18.*

Et dixit Pharao ad fratres eius: Quod est opus uestrum?] Hoc est, Quo genere uitæ uiuitis? Germanicè dicimus, *Was ist dein thũn?* Obserua interim mentem regis cordato rege dignam. Non interrogat de origine ac stirpe Gentis, sed de opere, quo se cum suis alere consueuerint. Sentiebat prudens rex, neminì prorsus esse ociandum. Sunt autem uaria operæ humanæ uitæ necessaria. Alia intelligentia, sapientia, & prudentia, alia industria artificiosa, alia uiribus corporis & labore manuum constant. Aliud est opus regis, aliud principum illius, aliud consiliariorum, aliud plebeiorũ, aliud: item patrisfamiliàs, aliud domesticorum & seruorum. Ocium conuenit esse non uiuentium, sed mortuorum. Dubio procul turpe fuisset in oculis regis huius, si dixissent: Nihil operis facimus, sed de reditibus nostris ociose uiuimus. Cordati principis est, cognoscere studia & genera uitæ, eorũ qui in regno suo uiuere uolunt, nec ferre eos qui nihil agunt aliud, quàm ut fruges inutiliter absumant. *Exemplum cordati regis.* *Opera humanæ uitæ necessaria.*

Et dixerunt ad Pharaonem: Pastores ouium sunt serui tui, &c.] Responsum illorum bimembre est. De opere ipsorum, id est consueto & usitato ipsis uitæ genere interrogati respondent, se inde à maioribus suis esse pastores ouium, quemadmodum erant à Iosepho instructi. Deinde, quoniam subijcienda erat petitio de concedenda ipsis terra Goshen, addunt priori parti responsionis suæ rationem aduentus sui in Aegyptum. Et hanc sic memorat Moses, ut sit à priori distincta. Sic enim repetit illud: Et dixerunt ad Pharaonem: Ad peregrinandum in hac terra uenimus, &c. Hisce duobus membris constat responsionis illorum plenitudo. Etenim qui hominem peregrinum interrogat, quod nam sit ipsius opus, uidetur non de eo duntaxat percontari, quod uitæ genus sequatur: sed & quid in præsenti agat, & quibus de causis aduenerit. Vtriq; parti satisfaciũt hoc bimembri responso fratres Ioseph, dubio procul ità à Iosepho instructi.

Quoniam pascua non sunt ouibus, inquiunt, quas habent serui tui.] Non dicunt, Quoniam panem non habent serui tui, propterea quòd fames obtinuit in terra Canaan: sed necessitatem peregrinationis suæ deputant gregibus suis, unde se cum suis sustentabant. Etenim & si frumentum ex Aegypto subinde in terram Canaan asportassent, suis quidem utcunq;, gregum uerò suorum necessitatibus haudquaquam consuluissent, propter telluris sterilitatem & ariditatem. Hac constringimur necessitate, ut non modò nostro, sed & eorum stomacho siue hominum siue animalium, quorum opera & usu carere non possumus, necessariò de uictu prouidere cogamur.

Et nunc habitent quæso serui tui in Goshen.] Hæc est petitio, quã responso suo cõuenientissimè subijciũt

Quoniam

Quoniam dixerant se ad peregrinandum in ea terra cum gregibus suis uenisse, requirebatur ut id à rege cõcedi sibi peterẽt. Et hoc Ioseph pro sua modestia sic instituerat, quamuis pro sua authoritate quouis Aegypti loco suos collocare posset.

Et ait Pharao ad Iosephũ, dicens: Pater tuus & fratres tui uenerunt ad te, &c. Sũma erat regis huius beneuolentia erga Iosephum, quare in omnibus sese erga eum indulgentissimum exhibuit. Respondet non fratribus, sed ipsi Iosepho, idq; duplici nomine. Primùm, quod causa illorũ ipsius erat causa: & quę illis concedebantur, ipsius erant gratia concedenda. Deinde quod ipsum dominũ totius Aegypti constituerat, quam potestatẽ illi adimere nolebat. Vtriusq; rationis respectus in uerbis regis deprehenditur. Prioris in eo quod dicit: Pater tuus & fratres tui uenerunt ad te. Posterioris, in eo quod subiungit, Terra Aegypti coram te est. Q. d. Tuæ potestati patet tota terra Aegypti. Istis subiungit consensum suum. In optimo, inquit, terræ loco colloca patrem tuum & fratres tuos. Illud, In optimo terræ loco, in Hebræo est, בבחירת הארץ, id est in terra bona & utili. Et quoniam terra Goshen talis erat, petitioni illorũ consentiens addit: Habitent in terra Goshen, ne sic illis bonam aliquã Aegypti regionem concedere uideatur, ut interim petitam neget. Habebat enim in illa sua pecora, pastores & pascua, sicuti & Iosephus annotat, & ex sequentibus probabile esse apparet.

Pater tuus & fratres tui, inquit, uenerunt ad te. In optimo terræ loco colloca patrem tuum & fratres tuos.] Obserua animum in hoc rege æquitatis & humanitatis studiosissimum. Subiecerat Iosepho terram Aegypti propter causam publicæ Aegyptiorum necessitatis tempore famis curandæ, non propter exteros. Verùm quoniam pater & fratres ipsius eadem necessitate premebantur, æquissimum esse iudicabat ut bono illo fruerentur quo tota Aegyptus beneficio ipsius fruebatur, licet essent homines aduenæ & peregrini. Ingratissimum genus hominum est, qui utilitate publica priuant amicos & cognatos eorum quorum ipsi studijs & opera bene utuntur. Mea ætate, in urbe quadam Euangelica tanta obtinuerat inhumanitas & ingratitudo erga Christi ministros, ut edicto senatus decerneretur non licere illorum cuipiam uel fratres uel sorores, immò ne parentes quidem, si ad ipsos uenissent, hospitio accipere. Decreto id agebatur plus quàm ethnico & Turcico, nulla necessitate nec famis nec belli urgente, sed in ipsa rerum omnium tranquillitate & pace summa, in qua potissimum peccari solet. Verùm ista inhumanitas alijs adiuncta flagitijs haud multo pòst diuinæ ultionis manum sensit.

Aequitas & humanitas regis.

Et si noueris esse inter eos uiros fortes, ponas eos principes, inquit, super pecora quæ ego habeo.] Significauit humanissimus Rex usqueadeò se non grauatim recipere domum & familiam Iosephi in suum regnum, ut uellet etiam eos, qui ad hoc apti essent, præfecturis & dignitatibus cohonestare. Interim obserua. Principio: Regem Aegyptiorum habuisse pecora. Ergo non ob id auersabantur Aegyptij uiros pecuarios, quod ipsi per superstitionem pecora non alerent, sed quod illos fastidirent, perinde ac si semipecudes essent ipsis comparati. Erant Aegyptij propter opes ac fertilitatem terræ homines delicati, molles, & arrogantes, ideoq; facillimè pastores pecudum fastidiebant, quorum tamen interea opera pulchrè utebantur. Etenim habuisse Aegyptios quoque oues & boues, hoc capite infrà paulo uidere licet

Aegyptij habuerunt pecora.

Deinde, regem rationem & curam gessisse pecorum suorum, quamuis totius domus suæ potestatem & curam reiecisset in humeros Iosephi. Suprà alicubi annotauimus quæ fuerit priscorum regum frugalitas, quam nostrorum seculorum dignitates, eminentiæ & maiestates summo sibi dedecori fore iudicarent.

Tertiò, nec illud transeundum est quod uiros fortes, etiamsi sint alienigenæ, principes pecorum suorum constitui iubet. Constanter rex iste uirtutis magis quàm nationis rationem habendam esse censuit. Non dicit simpliciter, Pone ex illis principes super pecora mea: sed præmittit, Si noueris esse inter eos uiros fortes. Ne pecora sua quidem ignauis & inutilibus hominibus committenda esse iudicat, nedum subditos. At hodie in constituendo magistratu parum referre putatur, quales nam regendo populo præficiantur. Et putamus Christum probaturum, si Ecclesiæ ipsius ociosis & ignauis uentribus committantur?

Virtutis magis quàm nationis esse habendam rationem.

Et adduxit Ioseph Iacobũ patrem suũ, ac statuit eum coram Pharaone, benedixitq; Iacob Pharaoni. Et dixit Pharao ad Iacobũ: Quot sunt dies annorũ uitæ tuæ? Et ait Iacob ad Pharaonẽ: Dies annorũ peregrinationũ mearũ anni sunt centũ triginta, pauci ac mali fuerunt dies annorũ uitæ meæ, nec peruenerunt ad dies annorũ uitæ patrum meorũ, in diebus peregrinationũ ipsorũ. Et benedixit Iacob Pharaoni, egressusq; est à facie Pharaonis.] Apparet Iosephũ fic habuisse patrem suum in precio & honore, ficq; de illo magnificè sensisse, ut gloriari de eo, idq; coram rege, non dubitauerit. Hoc animo duxit eum ad regem, ut ab illo tanquam singulare quoddam ueræ pietatis & honestatis ornamentũ spectaretur. Præclarè sensit de rege quoq;, existimãs eum talium uirorum aspectu delectari. Hodie inuenias quampluriмos qui usqueadeò de parentibus suis senio confectis contemptim sentiant, ut uix dignentur illorum uideri filij.

Ioseph magnificè sensit de patre suo.

Quod autem patrem suum Ioseph nõ uel ante uel una cum fratribus suis sed demũ post illos ad Pharaonem duxit, ob id factum esse arbitror, quòd noluerit eum adhibere causæ, quæ cumprimis impetranda erat à Pharaone, quod abundè satis uideretur, si aliquot de numero fratrum secum adduceret, qui instructi à se concessionem terræ Goshen à rege peterent, & interim seni parceret, donec tempestiuũ esset, ut ipsum quoq; regi uidendum sisteret.

Verbum benedicendi apud Hebræos.

Benedixit Iacob Pharaoni.] Bis hic Pharaoni benedixisse legitur. Primò, cum intrasset ad ipsum,

deinde

deinde cum ab eo discederet. Suprà alicubi memini Hebræos uerbum benedicendi usurpare pro salutare ac ualedicere, id quod hoc loco manifestum esse uidetur. Iacob cum ingressus esset ad Pharaonem honorificè illum salutauit, nec dubito quin simul bene sit illi precatus. Rursus cum ab eo digrederetur, ualedixit illi: & ut probabile est, gratias egit pro beneuolentia & humanitate quam non in Ioseph um modò, sed & erga se & reliquos suos filios declarabat. Sic sunt pij homines animati. Suum cuiq; honorem exhibent, humani sunt, salutantes & ualedicentes amanter: & si quid in ipsos beneuolentiæ declâratum fuerit, grati agnoscunt & deprædicant. *Quomodo animati sint pij homines.*

Et dixit Pharao ad Iacobum: Quot sunt dies annorum uitæ tuæ? Quoniam hoc cõmuniter omnes in uotis habemus, ut ad iustam senectutem pertingere detur, sic comparati sumus, ut uirum senem uidentes, annos ætatis illius cognoscere cupiamus, deq; illis, si liceat, percontemur. Hoc studio cumprimis tenentur qui opibus & honoribus huius seculi potiuntur. Vellent illis diu frui, ideoq; & amantio res sunt huius uitæ, sine qua quod sunt esse, & quibus oblectantur frui non possunt. Talem arbitror fuisse & Pharaonem hunc, qui Iacobum nihil aliud quàm de annis ætatis ipsius interrogasse memoratur. De pietate, religione, & iusticia nulla mentio. *A senibus quærere solemus quot annos uixerint.*

Et ait Iacob ad Pharaonem: Dies annorum peregrinationum mearum anni sunt centum triginta.] Obserua quod de annis uitæ suæ interrogatus respondet de annis peregrinationum suarũ. Significat omnem suã uitam nihil esse aliud quàm peregrinationem in hoc seculo. Respondet aũt sic admodum in loco. Etenim iam in Aegyptum peregrinus cum suis uenerat. *Omnis uita piorum peregrinatio est in hoc seculo.*

Sed interroget quisquam, quomodo se annos 130. peregrinatum fuisse dicat, cum demum annos natus 77. peregrinari cœperit, cum à parentibus in Mesopotamiam mitteret, ideoq; peregrinatus sit annos duntaxat 53. Imò ne tot quidem. Nam postquã ex Mesopotamia reuersus esset ad Isaac patrem suũ, in Hebron, domo paterna, ad id usq; temporis mansit, quo cum suis omnibus descendit in Aegyptum. Respondendum est, non excludi hic eam uitæ partem, quam in terra Canaan peregerat. Nam & in illa peregrinus uixerat, perinde atque Abraham & Isaac, tam ante profectionem in Mesopotamiam, quàm postreditum ad domum paternam.

Pauci, inquit.] Præteriti anni nostri pauci sunt triplici nomine. Primùm propterea q̃ omne præteritũ tempus sic est natura sua comparatũ, ut quantumuis fuerit prolixũ in ipso cursu, postquã tamen cœpit esse præteritũ, prorsus euanuisse, in arctũ contractũ, & somnij instar esse uideatur. Nihil eñ de illo superest in se q̃d in sensus nostros incurrere queat: et quicquid illius in memoria nostra hæret, quasi ad momentũ quoddã cogitationis nostræ redactũ est. Deinde propterea q̃ desiderio nostro, quo diu in hac uita persistere affectamus, nulli quamuis multi anni satisfaciunt. Tertiò, quod anni nostri ad ætatẽ maiorum comparati admodũ numero deficiunt. Huc respexit Iacob cum dies annorum uitæ suæ paucos esse dicit. Subiungit enim: Nec peruenerunt ad dies annorum uitæ patrum meorum. *Præteriti anni nostri pauci sunt*

Ac mali fuerunt, inquit.] רעים est in Hebræo, id est, molesti, difficiles, & laborioſi. Loquitur eñ non de malo culpæ, sed de molestia laborum & afflictionum, quo sensu scriptura hac uoce plerunq; uti solet, quemadmodum & Christus Matth. 6. & Apost. Ephes. 5. Quod dies Iacobi concernit, si præcedentes historias respicias, planè uerum esse patebit quod propheta canit, dicens: Multæ tribulationes iustorũ, sed ex omnibus liberat eos Dominus. Primùm, quoniam omnis illius uita peregrinatio fuit, uel hoc nomine dies illius mali fuerũt, quod ubiq; peregrinus uixit. Si solatium aliquod habet, uiuere in terra patria planè triste & molestum est, uiuere inter alienos & exteros, id quod hi potissimum norunt, qui hoc sunt uitæ genus experti. *Quomodo dies Iacobi mali fuerint.*

Deinde peregrinationi illius etiã hoc incõmodi accessit, q̃d non uno & eodẽ loco peregrinãdo consistere potuit, sed subinde de loco ad locũ migrare, & peregrinationis incõmoda renouare coactus fuit. Tertiò, si separatim cõsideres quę illi euenerint ærũnę & afflictiones, uidebis uerũ esse q̃d dies suos malos fuisse dixit. Cogita primũ de metu quem non ipsi modò, sed & matri minæ Esau incusserunt. Cum ille diceret: Venient dies luctus patris mei, & occidã Iacob fratrẽ meũ, suprà cap. 27. Deinde cum solus absq; ullo comitatu in Mesopotamiã mitteret, cap. 28. Tertiò, ut molestias polygamię taceã quæ passus sit cum Laban auunculo suo seruiret annos uiginti, noctes ac dies sudans & algens pecora illius pasceret, perfidiam illius erga se multis modis sentiret, odium filiorũ eius intelligeret, denitq; periculo insectationis illius cum in reditu esset non sine metu obijceret. Quartò, cũ occursu fratris sui Esau admodũ perterrefieret, ca. 32. & 33. Quintò, cum filiã suã Dinam à Sichẽ stupratã esse perciperet. Sextò, cum filij ipsius ciuitatẽ Shalem cunctis in illa masculis trucidatis uastassent, ca. 34. Septimò, cum Rahel dilecta ipsius coniunx in partu Biniamin moreret. Octauò, cum primogenitũ suum Ruben cũ concubina sua Bileah dormiuisse audisset, ca. 35. Nonò, cũ de filijs suis diffamiã ex ore Iosephi cognosceret, ca. 37. Decimò, cum filios suos acerbo odio aduersum Iosephũ affectos esse animaduerteret. Vndecimò, cũ tunicam illius cruentatã cerneret, & à bestijs illum deuoratũ esse putaret. Duodecimò, cũ Iudam à fratrib. suis ad uirũ Odollamitem discessisse, ac filiam Cananęi in uxorẽ accepisse uideret, duosq; illius filios Er & Onan à Dño percussos & postea Thamar illius nurũ ab eo cognitã esse percepisset, ca. 38. Tredecimò, cum filij eius ex Aegypto reuersi, quæ ipsis accidissent exponerent, Simeonẽ in uinculis esse narrarent, Biniamin in Aegyptũ deducendũ esse significarent, & pecunias suas unà cum frumento reportas effunderẽt. Quartodecimò & postremò, cũ famis ac redimẽdi Simeonis necessitate adactus Biniamin dimidiũ animæ & baculũ senectutis suæ à se in Aegyptũ dimitteret, ca. 42. & 43. Hisce procellis uita

ſanctí patriarchæ ad ipſum uſq; deſcenſum in Aegyptũ iactata fuit. Verùm diuina ſemper gratia adiutus oñia patienter pertulit & tandẽ uictor effectus ſumma animi iucunditate apud Ioſephũ filiũ charíſimũ, poſtremá uitę ſuę partem peregit, et ſuauem omniũ laborũ ſuorñ cataſtrophen eſt cõſequutus. A

Solatium in afflictione. Interim obſerua quàm pulchrè duo hęc prædicata coniunxerit, quibus de diebus uitę ſuæ prædicat, quòd pauci fuerint & mali. Magnũ ſolatiũ omnibus afflictis in eo proponit, quod dies mali pauci ſunt. Quinquaginta tres annos uarijs malis iactatus fuerat, ab eo tempore quo relicta domo paterna peregrinari cœperat in Meſopotamia, & tñ uocat oñe id tempus, immo oẽm uitam ſuã quæ tum erat annorum 130. dies paucos. Apoſtolus oẽm præſenris uitę tribulationẽ momentaneã uocat 2. Cor. 4. Sunt dies uitæ tuæ mali? Cogita illos eſſe paucos. At interea dum afflictaris, uident eſſe multi? Expecta terminũ, & uidebis eſſe paucos. Multi dies tribulationũ ſunt, quibus nullus erit terminus. Quicquid terminatur, terminando quodãmodo euaneſcit. Nec peruenerũt ad dies annorũ uitæ patrum meorum, inquit, Abrahã uixerat annos 175. Iſaac pater ipſius 180. Cum hæc diceret Iacob erat annorũ 130. Poterat adhuc uiuere diutius, quemadmodũ & annos adhuc 17. uixit. Nec ſciebat, qñ eſſet moriturus. Quid igitur eſt, q̃d dicit: Dies annorum uitæ patrum meorũ? Non peruenerant: Si iam tum peruenìſſent, ultrà uiuendo progredi, & patres ſuos uitæ longæuitate ſuperare potuiſſet.

Cogitandum hic eſt, ſenſiſſe optimum ſenem uirium ſuarum debilitatẽ, unde facile colligebat ſe non fore tandiu uicturum, ut ætatem maiorũ ſuorũ adæquaret, Et præterea reipſa declarabat, ætatem minorum ſic decurtari diuinitus, ut præcedentium longæuitatem raro quiſquã aſſequeret. Quæ huius ſit ratio, ſuprà alicubi expoſui.

Non eſt indigna res, ſi filius ſuſtineat ſortẽ maiorum ſuorum. *In diebus, inquit, peregrinationum ipſorum.*] Poterat hanc particulam omittere. Verùm non puduit ipſum peregrinationũ ſuarum, immo nec maiorum ſuorum. Non iudicabat indignam rem eſſe, ſi filius ſortem patrum ſuorum in hac uita ſuſtineat.

Obſeruanda ei qui uocatur ad principes. Et benedixit Iacob Pharaoni, inquit, egreſſuſq; eſt à facie Pharaonis. Obſerua hoc exemplum. Nõ uenerat ſuapte ſponte ad Pharaonem, ſed uocatus & adductus ſalutauit, ad quæſita reſpondit. Valedixit, & à facie regis exiuit. Non ſunt contemnendi reges, ſi ad illos uoceris. Vocatus compare. Interrogatus reſponde. Abſoluto negocio diſcede. ut contemnendi non ſunt principes, ita non eſt mora in conſpectu & aula illorum trahenda.

Et habitare fecit Ioſeph patrem ſuum ac fratres ſuos, & dedit eis poſſeßionem in terra Aegypti, in terra optima, in terra Raemeſſes, quemadmodũ præceperat Pharao. Et aluit Ioſeph patrem ſuum & fratres ſuos, cunctamq; domum patris ſui, pane, inſtar paruulorum.] Præſtitit uidelicet Ioſeph quod patri nunciando promiſerat, priuſquam in Aegyptum deſcendiſſet. Promiſerat autẽ habitationem in terra Goshen, ſibi uicina, & alimoniam. Et habitare fecit, inquit, Ioſeph patrem ſuũ, &c. Conſtituit, uel collocauit eos ירשׁב in Hebræo. Er hat ſie geſetzt. B

Et dedit eis poſſeßionem in terra Aegypti.] Incertum eſt quomodo poſſeſsionem hanc illis dederit, ſicne, ut iure proprietatis ſibi illam & poſteris ſuis uindicare poſſent: uel an per modum conductionis. Priori ſententiæ uox Hebræa אחזה fauere uidetur.

Terra Rameſſes. *In terra Raemeſſes, inquit.*] Quoniã rex dixerat, Habitent in terra Goshen, colligitur terrã Raemeſes eſſe intrà terrã Goshen, opimam et ſelectam regionẽ, uéluti illius medullã. Hieronymus ſic annotauit: Rameſſe urbs eſt quam ædificauerunt filij Iſrael in Aegypto. Olim aũt & uniuerſa prouincia ſic uocabatur, in qua habitauit Iacob cũ liberis ſuis. Hæc Hieron. Ioſephus uerò ſic habet. Cum uerò dixiſſet q̃ pauciores annos uixerit q̃ eius maiores, conceſsit ei ut cũ filijs ſuis in Heliopolitana urbe conuerſaretur. Illic eñ paſcua etiã paſtores eius habuerũt. Mihi uideť oñis illa regio Nilo ea parte adiacẽs, quæ ad mare rubrum, ſpectat, olim dicta fuiſſe Thebais, cuius quatuor ciuitates ab Euſtathio Theſſal. numerantur: utpote ἡ τῶ πάνους ἡ τῶ ἀντίνοω, ἡ τῶμ λύκωμ, καὶ ἡ ἑρμῶ πόλις. Nunc illi dantur Bubaſtis, Tanis, Oniũ & Heliopolis. Sæpe earundem ciuitatũ nomina mutanť, ipſis adhuc ſtantibus, nonnunq̃ euerſis ciuitatibus priſcis conduñ nouæ, & hæ noua quoq; nomina ſortiuntur. Quare fit, ut de priſcis nominibus locorum, regionum, & ciuitatum raro certi aliquid haberi queat.

Quemadmodum præceperat Pharao, inquit.] Non dicit, Sicut ipſe promiſerat patri: ſed, Sicuti præceperat Pharao. Significat Ioſephum nihil in hac cauſa agere uoluiſſe, ſine expreſſa uoluntate & conſtitutione Regis, cùm, ne regem contemnere ac poteſtate ſua aburi uideretur, tum ne Aegyptijs calumniandi occaſionem obijceret.

Et aluit Ioſeph patrem ſuum, inquit, & fratres ſuos, &c.] Locus habitationis eorum alebat greges & armenta, unde dabantur lac, caſei, & caro cùm uitulina, tum hœdina, lana quoq; ad ueſtiendum. Decerat panis. Hunc ſuppeditabat Ioſeph ex apothecis frumentarijs. Sic dicit Moſes notanter: Et aluit Ioſeph patrem ſuum, & fratres ſuos, &c. pane. Illud, Inſtar paruulorũ, Hebr. לפי חטף, Septuaginta uerterunt κατὰ σώματα, id eſt, ſecundum corpora. Vulgata latina habet, præbens cibaria ſingulis. Bifariam intelligi poteſt. Primùm ſic, ſecundum paruulos, id eſt, ſecundum numerum paruulorum, quos quiſque fratrum habebat plures uel pauciores. Sic exponit Kimhi. Et Shlomoh quoque לפי תצריך לכל בני ביתם, id eſt, ſecundum neceſsitatem omnium filiorum domus eorum. Et hic ſenſus placuit Septuaginta interpretibus, quare uerterunt, ſecundum corpora, id eſt, Secundum numerum corporum quę erant unicuiq; fratri. Et idem eſt quod latinus interpres uoluit.

Deinde ad hunc modum, לפי חטף, id eſt, ſicuti paruulos. Quemadmodum paruuli nutriuntur à paren-

A parentibus ſumma cura ac diligentia, propterea quòd ſibij pſis proſpicere non poſſunt: ita nutriebat Ioſeph patrem ſuum ac fratres tempore famis, quo non poterant ſibij pſis prouidere de pane. Sic uertit Pagninus, Ac ſi eſſent adhuc paruuli. Hi duo ſenſus utrique ſeruari poſſunt: nam utroq; modo pauit ſuos Ioſeph, cùm dando ſingulis ſecundũ numerũ domeſticorũ, tum alendo eos in morem paruulorũ.

Obſerua hic in Ioſepho primùm exemplum pietatis erga patrem ſenem. Pulcherrimam antipolargoſin proponit nobis hoc loco ſpiritus ſanctus. *Antipelargoſis.*

Deinde exemplum fraternæ charitatis erga fratres, quæ tam grandi iniquitate, quæ præceſſerat, in animo illius extingui non potuit. Diſcamus hic quid filius patri, & quid frater fratri debeat. Non cogitarant ea de re fratres, cum anguſtiam & lachrymas Ioſephi uiderent: cogitauit uerò Ioſeph, ubi neceſsitatem illorum uidit. Quod ſi legem hanc fraternæ charitatis pſeudadelphi tranſgrediuntur, noſtrũ erit non illos, ſed Ioſephũ hunc imitari, hoc eſt non falſorum, ſed uerorũ fratrum ingenium exprimere.

Simul cogitemus hic, quantum ſit ſapientiæ diuinitus conceſſæ bonum. Vnus Ioſeph beneficio ſapientiæ à Deo acceptæ eo loci aſcenderat, ut toti domui paternæ, animabus 70. præter eos qui in Aegypto naſcebantur, alimoniam ſuppeditare potuerit. Quàm inſani erant illius fratres, qui hoc in fratre odiebant & perſequebantur, unde poſtea in ſumma neceſsitate tam bene erant uſuri. *Quantum ſit bonum ſapiẽtiæ diuinitus cõceſſæ.*

Et *panis non erat in omni terra, quoniam fames grauis erat ualde, & afflictabatur terra Aegypti & terra Canaan à facie famis. Et collegit Ioſeph omnem pecuniam quæ inueniebatur in Aegypto & in terra Canaan pro frumento quod ipſi emebant, & intulit Ioſeph pecuniam in domum Pharaonis.*] Redit Moſes ad ea quæ ſuprà in calce 41. capitis de Aegyptijs & Cananæis dicere cœperat, quomodo fame preſsis aperuerit Ioſeph horrea, frumentumq; uendiderit. Hæc per hiſtoriam domus Iacob à principio cap. 42. huc uſque interrupta nunc repetit & proſequitur. Summa autem eorum eſt, tandiu duraſſe famem donec Aegyptij omnem ſuam pecuniam, omnia pecora, omnes agros, deniq; etiam corporum ac fortunarum ſuarum libertatem pro frumento in poteſtatem Pharaonis tradiderunt. De pecunia memorat primo loco. Et panis, inquit, non erat in omni terra, quoniam fames grauis erat ualde, &c. Non loquitur de apothecis regijs, quæ & in Aegypto erant, & plenæ erant frumento, cum dicit: Et panis non erat omni terra, ſed de populo Aegypti, quòd is omnem ſuperiorum annorum prouentum prorſus tum inſumpſerit, & tellus ſterilis nihil frumenti protulerit. Obſerua quomodo famis dictione utatur. Et panis, inquit, non erat, &c. quia fames erat. At fames uidetur eſſe ex penuria panis, non penuria panis ex fame. Verùm famem poſuit pro ſterilitate agrorum. Hinc erat, quod panem non habebant.

B Et *collegit, inquit, Ioſeph omnem pecuniam quæ inueniebatur in Aegypto & in terra Canaan pro frumento, &c.*] Obſeruandum hoc illis eſt, qui reginam pecuniam adorant, illamq; cunctis bonis à Deo datis præferunt, & eius gratia omne ius & phas peruertunt. Aegyptij pecuniam habent, frumentũ non habent. Pecuniam eamq; omnem, dant pro frumento. Quare non erant contenti pecunia? Diuitiæ cenſentur pecunijs. Erant ergo diuites habentes multum pecuniæ. At haſce ſuas diuitias erogant pro frumento. Non eſt conſentaneum rationi, ut quod maioris momenti eſt, expendatur pro eo quod minoris cenſetur. Si pluris faciendum eſt argentum quàm frumentum, non debebant Aegyptij pro frumento omnem ſuam erogare pecuniam. Verùm inter argentum & frumentum irrefragabiliter diſcriminat fames, non conſulens, ſed iubens, immo cogens ſic ſapere, ut omni pecunia erogata frumentum emendum eſſe cenſeamus. Itaque neceſsitate magiſtra docemur argento præferendum eſſe frumentum, propterea quòd uſus frumenti propius ad uitæ noſtræ ſuſtentationem accedit, cui unus panis plus adfert alimenti, quàm ſi aliquot centurias aureorum & maſſas etiam argenti uores. Quare quoties panem in manum ſumimus cogitemus nos beneficio Domini maiores opes tenere manu, quàm ſi eiuſdem magnitudinis aurum, uel lapidem precioſum poſsideamus. *Frumentum præferendũ argento. Vide de Pythio Lydo in Apoph. Eraſmi lib. 8. fol. 83.*

Quid igitur? Abijcienda ne pecunia eſt? Non hoc dicimus. Neque enim factum eius philoſophi probamus qui aurum quod habebat in mare proiecit. Nec abijciatur, nec rerum magiſtra & domina conſtituatur. Poſsideatur, non poſsideat. Seruiat, non imperet: ſeruiat noſtris uſibus, non imperet noſtris affectibus. Mundo regina eſt: ſit ſerua pecunia nobis. Niſi quædam eſſet pecuniæ utilitas, quorſum illam Ioſeph omni Aegypto & terra Canaan collegiſſet, & in domum Pharaonis reportaſſet? *Non eſſe abijciendam pecuniã.*

Dixerit quiſquam. Frumentum hoc à Ioſepho antea fuiſſe ab Aegyptijs acceptum, eamq; ob cauſam debuiſſe illis non uendi, ſed gratis dari, immo reddi. Diximus ſuprà cap. 41. uere ſimile eſſe Ioſephum ſeptem annis fertilibus quintam partem frumenti non ui abſtuliſſe, ſed pecunia emiſſe. Quod ſi ita eſt, nihil admiſſum eſt illiciti in eo, quod pro pecunia uendidit frumentum quod antea pecunia fuerat emptum. Deinde quid iniqui eſt, ſi quemadmodum cura regis collectum frumentum neceſsitatibus ſubditorum profuit, ita uicißim & uſibus regis illorum pecunia ceſsit? *Licuerit ne Ioſepho uendere frumentum Aegyptijs, quod antea ab illis acceperat.*

Et *conſumpta eſt pecunia de terra Aegypti & de terra Canaan, & uenerunt omnes Aegyptij ad Ioſeph, dicentes: Da nobis panem. Et quare moreremur coram te, quoniam pecunia defecit? Et dixit Ioſeph: Date pecora ueſtra, & dabo uobis pro pecoribus ueſtris, ſi pecunia defecit. Et adduxerunt pecora ſua ad Ioſeph, & dedit eis Ioſeph panem pro equis & pro pecoribus ouium, & pro pecoribus boum, & pro aſinis, & ſuſtentauit eos pane pro cunctis pecoribus eorum anno illo.* Quo animo panem petierunt à Ioſepho, cum nihil pecuniæ haberent amplius, non memoratur à Moſe. Fieri potuit, ut putarent ſibi dandum eſſe frumentum abſque ulla commutatione, quandoquidem non habebant pecuniam ad emendum. Et uerba illorum tale quid innuere uidentur, Da nobis panem, inquiunt. Et quare moreremur coram te, propterea *Quo animo Aegyptij panem à Ioſepho petierũt, cũ pecuniã nullã haberent.*

quòd pecunia defecit? Q. d. Aequum ne est, ut postquam omni nos pecunia prinasti, mori uos finas in ipsis oculis tuis, propterea quòd non est amplius pecunia in manibus nostris quam auferas? Hæc dicentes, impatientiam quandam spirant, consultricem pessimam, & haud alienam à minis uiolentiæ. A

Calamitatẽ Cananeorum post discessum Iacobi fuisse maximam

Illud interim obserua, quòd cum dixisset pecuniam tam de terra Canaan quàm de terra Aegypti fuisse consumptam, de Aegyptijs tantum meminit, quòd ad Iosephum uenientes dixerint: Da nobis panem, &c. de Cananæis uerò non ita. Quid interea factum est cum Cananæis? Vnde illi panem acceperunt, cum nihil amplius haberent pecuniæ? Etsi nonnulli ex illis uel ad exemplum Iacobi cum domibus suis aliò migrarunt, uel quemadmodum Aegyptij fecerunt pecora sua in Aegyptum ducta Iosepho pro frumento tradiderunt, unde uixerunt cæteri, quorum dubio procul magna fuit multitudo? Quare necesse est calamitatem terræ Canaan post discessum Iacobi factam fuisse grauissimam. Ex hac liberauit Deus populum suum in tempore.

Officium principis boni.

Nec illud transeundum est, quòd non simpliciter dicunt: Quare moreremur, quoniam pecunia defecit? sed addunt, Coram te. id quod emphaticè dictum est. Q. d. Cum sis princeps noster à Pharaone, & nutritor constitutus, ut nos tempore necessitatis huius pascas, quæ esset ista iniquitas, si nos in oculis tuis fame perire sineres? Sic uidentur illum admonere officij sui, officij principis & patris. Principis est, nedum patris, haud pluris facere pecuniam quàm salutem & uitam subditorum. Intelligebant hoc Aegyptij, & hodie quoque populus facile intelligit, quod sit officium boni principis: uerùm non ita facile cogitant unde sit ingens hoc boni principis bonum, & quàm illo sint indigni qui impiè & irreligiosè in conspectu Dei uiuunt.

Exemplũ fidelis ministri erga herum suum, et humani erga subditos.

Et dixit Ioseph, inquit, Pecora uestra date, & dabo uobis pro pecoribus uestris, si pecunia defecit.] Non negat illis panẽ ad uitæ sustentationẽ necessariũ. Non dicit: Quid uobis debeo? sed pecora uestra, inquit, date, si pecunia defecit. Nec uult deesse necessitati populi, nec suæ iudicat esse fidei qua regi erat obstrictus ut frumentũ regis gratis in eos profundat, qui adhuc etsi non pecuniã, alia tamen bona habebant, quæ cũ frumento cõmutarent. Vides exemplũ fidelis ministri erga herũ suũ, et humani erga subditos.

Et adduxerunt, inquit, pecora sua ad Ioseph, & dedit eis panem pro equis, &c.] Adducebãtur ergo ad Iosephum omnes totius Aegypti equi, oues, boues, & asini, quorum dubio procul numero infinita erat multitudo. Mirum uidetur, in quem usum omnia hæc pecora cesserint Pharaoni. Potuit uendere Syris, Arabibus & Libyę populis. Potuit partem mactare, partem pascuis deputare. Verùm unde postea Aegyptijs sumpta sunt pecora usibus ipsorũ necessaria? Existimo certis conditionibus tandem maximam illorum partem illis esse restitutam, ut haberent quibus ad agriculturam et ad pastum uterentur. B

Et terminatus est annus ille, & uenerunt ad eum anno secundo, & dixerunt ad eum: Non abscondimus à Domino meo quod absumpta est pecunia & pecora & iumenta sunt apud Dominũ meum, nec est reliqui aliquid coram Domino meo nisi corpora nostra & terræ nostræ. Quare moriemur in oculis tuis tam nos quàm terræ nostræ? Posside nos & terrã nostram pro pane, & erimus nos & terra nostra serui Pharaonis, & da semen, ut uiuamus & non moriamur, ac terra non fiat uasta.] Pauerat eos integro anno pro pecoribus. Quo finito, redeunt ultrà petituri frumentum. Et terminatus est, inquit, annus ille, & uenerũt ad eum anno secundo. Sic est in Hebræo בשׁנה השׁנית. Non loquitur aũt de anno secundo post initium famis, sed de eo qui sequebatur annum præcedentem quo frumentum pro pecoribus acceperant. Quare quod dicit, anno secundo, simpliciter ad præcedentem referendum est, ut idem sit quod anno sequenti.

Et dixerunt ad eum: Non abscondimus à Domino meo quod ablumpta est pecunia.] Hoc illi significauerant anno præcedenti. Quare puto hic rectius legi in præterito, non abscondimus, quàm nõ abscondemus.

Et pecora & iumenta sunt apud dominum meum.] Significant se nulla amplius habere pecora, sed anno præterito omnia in illius cessisse potestatem. Nec est reliqui aliquid corã domino meo, inquiunt, quàm corpora nostra, & terrę nostræ. Hoc est, non habemus quicquã, quod Domino nostro pro frumẽto offeramus, quàm corpora nostra & terras nostras. Sic intelligendum est quod dicunt: Nec est reliqui aliquid coram Dño meo. Non loquuntur de corporali prȩsentia corporum ac terrarum suarum, quæ tum coram Iosepho adesse non poterant, sed de oblatione & commutatione facienda pro frumento. Per corpora autem sua intelligunt non solũ seipsos, sed & uxores & paruulos: & terras suas uocant agros, quos possidebant.

Quomodo terra moriatur.

Quare moriemur in oculis tuis, inquiunt, tam nos quàm terræ nostræ?] Moriunt homines: terra quomodo moritur? Quare moriemur, inquiunt, tam nos quàm terræ nostræ? Vulgata latina particulam hanc, Tam nos quàm terræ nostræ, non habet. Septuaginta uerterunt: καὶ ἡ γῆ ἐρημωθήσεται, id est, terra desolata erit. Absurdum putarunt terræ tribuere mortem perinde atque hominibus. Verùm non est hæc loquutio absurda. Etenim quemadmodum uita quodammodo est terræ, si colatur & culta fructificet: sic non est præter rationem, si morientibus cultoribus ipsius omni cultu destituta & absque fructu uasta iacens, mortua uocetur.

Posside nos et terrã nostrã pro pane, &c. Hactenus de necessitate sua cõquesti sunt, iam subijciũt petitionem subsidij, quod petũt geminũ, quo geminę ipsorũ necessitati succurrat. Gemina necessitas erat, qua ipsis fame, agris ipsorum uastitate ac desolatione pereundũ erat. Geminũ subsidiũ petunt, panẽ uidelicet pro se ac paruulis suis, et semẽ pro cultura et uita agrorum. Sic dicunt, Pro pane: Item, Da semen ut uiuamus, & non moriamur, & terra nostra non fiat uasta. Pro gemino hoc subsidio offerunt uicissim geminam conditionem, uel si mauis commutationem. Offerunt eñ & corpora sua, & agros

quos

A quos habebant. Posside nos, inquiunt, & terram nostram pro pane, & erimus nos & terra nostra serui Pharaonis.

Vnde hic quàm durum sit telum necessitatis, quàm improba tyrannis famis. Qui ante paucos annos fuerant liberi homines, terram possederant liberam suique iuris, pecuniã habuerãt & equos, asinos, oues et boues: famis improbitate eò deueniũt, ut iam sint homines serui, nec pecuniã amplius habentes, nec pecora, nec agros. Cogita de iudicio Dei. Opulenta ac satura libertas impia est, iniqua, flagitiosa & elata, quare iustissimo iudicio ac competenti admodũ remedio, sublata benedictione cœlesti mutatur in seruitutem ieiunã & famelicam, humilem, abiectam, ac bonis omnibus destitutam. Et utinam uel sic sapiant, qui hæc experiuntur. Cogita item quantum necessitatis in eo sit, quòd à Christo orare docemur: Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie. Qui non intelligit satur, agnoscet fame pressus. Reperias Christianos qui usqueadeò spirituales uideri uolunt, ut rem indignam putent, terrenum panem petere à Deo, ideoq; precationem hanc de pane cœlesti intelligendam esse contendunt. *Durum telũ necessitatis & famis.*

Simul & illud obserua, quod dicunt: Et erimus nos & terra nostra serui Pharaonis. Seruitutem terræ, ipsorum seruituti annectunt. Seruos homines non decet habere terram liberam. Serui hominis seruilia sunt omnia. Qui corporis sui libertatem amittit, omnia sua seruituti illius subijcit, cuius ipse factus est seruus. Qui satanæ seruus est, nihil habet amplius liberũ. Consimili modo qui Christi seruus factus est, quicquid habet donorum Dei, possidet illud non ut liberum & proprium, sed ut Christo Domino suo mancipatum. *Seruos homines non decet terrã habere liberam.*

Si legisset hæc Seneca, iudicasset Aegyptios istos omnium fuisse dementissimos, quod corpora sua, id est seipsos, seruituti subiecerunt. Disputasset de libertate omnibus modis retinenda, seruitutem quasi rem probrosissimam & abiectissimam graui uiro totis uiribus fugiendã esse contendisset. Vbi Aegyptij dicunt, Ne moriamur & nos & terra nostra: ille cum risu regessisset, Quasi uiuat qui seruus est. Viuetis serui, sed non uobis. An non facilius & honestius est fame mori, quàm seruitute? Leui momento potestis omnia hæc incommoda euadere, si ipsam famem amplexi, quò illa ducit sequuti fueritis. Verùm homo intelligens consilium flagellantis Dei, & peccata mortalium iusto suo iudicio castigantis, in huiusmodi Stoicis disputationibus ipsissimam carnis superbiam & spiritum satanæ deprehendet, iudicabitq; hoc magis conuenire ijs qui à Deo puniuntur, ut illius sese uirgæ humiliter subijciant, & pœnas meritas, siue sint illæ bonorum, siue libertatis amissio, siue etiam corporum supplicia, patienter ferant: & si quid peccatum est, emendent. *Seneca.* *Seruitus à Deo immissa patienter ferenda.*

B De eo autem quæri potest, quare nulla facta sit mentio ædium ac domiciliorum. Pecuniam, pecora, agros, suaq; ipsorum corpora dederunt in potestatem Pharaonis pro pane, de domibus quas habebant nullam mentionem fecerunt. Duo possunt hic cogitari. Aut uoluerunt sibi domicilia sua retinere, ne omnibus fortunis exuti, sub dio manere cogerentur. Hoc consilio retinuerũt etiam domesticam supellectilem. Aut domicilia earum regionum sic sunt leuis structuræ, ut uilioris æstimentur quàm quæ emi debeant. Illud certum est, haud esse populis illis morem operosius ac sumptuosius ædificandi, quemadmodum apud nos fieri uidemus. Et de Aegyptijs nominatim scribitur quòd domos suas negligentius, sepulchra uerò operosius struxerint. Vtrum horum in causa fuerit, quòd domos suas non uendiderunt, non possumus certò determinare. Fieri potuit, ut utraque ratione nullã facerent ædium suarum mentionem. *Quare nulla facta sit mentio ædium ac supellectilium.*

Et emit Ioseph omnem terram Aegypti Pharaoni: quoniam uendiderunt Aegyptij agrum quisque suum. Inualuerat enim super eos fames. Et facta est terra Pharaonis. Et populum ipsum transtulit in ciuitates ab extremo termino Aegypti usque ad extremum eius. Duntaxat terram sacerdotum non emit. Quoniam constitutum erat sacerdotibus à Pharaone, & comederunt constitutum suum quod dabat ipsis Pharao, quapropter non uenderunt terram suam.] Exposuit petitionem populi Aegyptiaci, subiungit quid fecerit Ioseph. Et emit, inquit, Ioseph omnem terram Aegypti Pharaoni. In Hebræo est, וַיִּקֶן, id est, Et possedit, uel, acquisiuit. Omnem terram Aegypti intelligit agros Aegyptiorum. Vnde & per expositionẽ subijcit: Quoniam uendiderunt Aegyptij agrum quisque suum. Aliàs tota Aegyptus erat Pharaonis. Verùm quoniam populus ad id usque temporis fuerat liber, habebant suos agros, hortos, prata, uineas, &c. quæ libero iure tanquam propria bona possederant, neque auferri illis sine iniusta uiolentia poterant, unde & liberum illis erat uendere ea, uel retinere. Postquam uerò uendiderunt ea Pharaoni pro pane, iam uniuersa terra Aegypti non modò iure regni & potestate iurisdictionis, sed & iure proprietatis iusto contractu acquisitæ Pharaoni cedebat. Sic dicit: Et facta est terra Pharaonis. Admonemur hoc loco, unde sit quòd nonnullæ regiones prorsus cum populis & terris suis seruiunt principibus, nec quicquã libertatis habent, nisi gratia & liberalitate principum detur. Aut emptionis, aut belli iure inciderunt in eiusmodi seruitutem, nisi factum sit per tyrannidem.

Et populum ipsum transtulit, inquit, in ciuitates, &c.] Locus hic aliter atque aliter legitur. Septuaginta habent, καὶ τὸν λαὸν κατεδουλώσατο αὐτῷ εἰς παιδίσκας. Vulgata latina, Subiecitq; eam & cunctos populos eius. Vtrobique omissum est, quod in Hebræo legitur לְעָרִים, id est, ad ciuitates, uel ciuitatibus. Deinde quod in Hebræis exemplaribus legitur הֶעֱבִיר, id est, transtulit, illi reddiderunt הֶעֱבִיד, id est, seruire fecit, uel, seruituti subiecit. Error est in litera posteriore, res, quam illi pro daleth legerunt. Si quis legerit, Et populum seruire fecit ad ciuitates, sensus est: Iussit & constituit, ut populus amissa iam libertate de terminis Aegypti ad terminos illius seruiret Pharaoni ad ciuitates, uel, ut illas

extruerent, ſicuti Exod. 1. duas ciuitates Pharao hunc ſequutus ſtruxiſſe legitur, Pithon & Raemeſes, uel ut cenſum & tributa ad illas deportarent. Si legerimus, Et tranſtulit populum in ciuitates, bifariã intelligi poteſt. Primùm, quòd tranſtulerit Aegyptios de ciuitate ad ciuitatem ab extremis terminis ad extremos uſque terminos. Sic habet Paraphraſtes Chaldæus. Hac tranſlatione, uiſum illi eſt manifeſto argumento pariter & monumento declarare, omnes Aegyptios amiſſa priſtina libertate factos eſſe Pharaoni ſeruos. Sic qui in terminis Orientalibus Aegypti habitauerant, cogebantur migrare ad terminos Occidentales, & uiceuerſa, &c. Deinde ad hunc modum: Et tranſire fecit populum ad ciuitates ab extremo termino Aegypti uſq; ad extremum eius, hoc eſt, publico edicto cunctum populum inde ab extremis terminis Aegypti conuocauit ad ciuitates, quoſq; ad uicinas, ut illic eis conſtitutionem regiam de ſeruitute ſubeunda promulgaret. Et hic mihi ſenſus ſimplicior & probabilior uidetur. Tranſlatio quam prior ſenſus ponit, multis fuiſſet incommodis obnoxia, nec habuiſſet aliquam neceſſitatis rationem, neque conueniſſet humanitati & clementiæ Ioſeph, populum fame preſſum & cunctis iam fortunis exutum etiam ſedibus ſuis eijcere. Nolim tamen cum quoquã hic contendere. Sentiat quiſque quod uero propius eſſe putauerit. Priori ſententiæ uidetur conuenire quod Ioſephus dicit. Sic itaque rege omnium poſſeſsionum domino facto, alij alìò migrauerunt, quatenus regiones eorum fierent regi firma poſſeſsio. A

Duntaxat, inquit, terram ſacerdotum non emit.] Quoniam dixerat uniuerſaliter, Et emit Ioſeph omnem terram Aegypti: ſubijcit exceptionem terræ ſacerdotum. Quare autem illa ſola fuerit exempta, exponit, dicens: Quoniam conſtitutum erat ſacerdotibus à Pharaone, & comederunt conſtitutũ ſuũ, &c. q. d. Conſtituerat Pharao ſacerdotibus certum dimenſum cibi, uel certam quandam ſummam frumenti per ſingulos annos, unde illi tempore famis ſeſe ſuſtentantes non fuerunt in eam redacti neceſsitatem cum populo, ut terras ſuas uenderent pro pane. Hinc factum eſt, ut ſola ſacerdotum terra ab hac ſeruiture fuerit exempta.

Illud autem incertum eſt, an conſtitutum hoc Pharaonis pro ſuſtentandis ſacerdotibus fuerit perpetuum & antiquum, hoc eſt à priſcis regibus ordini ſacerdotum deputatum, uel tum demum ab iſto Pharaone cum fames Aegyptum premeret ad tempus ordinatum, donec reddita telluris fertilitate agrorum ſuorum prouentibus uiuere poſſent.

Quicquid horum ſit, nos interim admonemur de ordine ſacerdotum, hoc eſt, miniſtrorum publicæ religionis, principiò habitam fuiſſe illorum rationem, qua ſuſtentarentur & alerentur. Et hoc factũ eſt ab illis qui in errore uiuentes, ſacerdotes habebant non ueræ religionis, ſed ſuperſtitionum & falſorum deorum miniſtros, adeoq; & ſeductores. Hactenus non errabant, quòd cenſebant publicos religionis miniſtros eſſe alendos, & in precio habendos. Quod illi ductu æquitatis & reſpectu religionis fecerunt, etiam ſuo populo Deus manifeſta lege præcepit. Et Chriſtus ſeruator ac Dominus pronunciauit dicens: Dignus eſt operarius cibo ſuo. Et Apoſtolus eius ad huiuſmodi ordinationem reſpiciens, dicit: Ita & Dominus ordinauit, ut qui Euangelium annunciant, de Euangelio uiuant 1. Cor. 9. Non fuit gens ulla ſub cœlo, quæ hoc non agnouerit eſſe æquiſsimum. Et hodie Chriſtiani inueniuntur, qui miniſtris Chriſti nõ publica, ſed priuata alimonia uiuendum eſſe iudicant, iniquiores multo ac pro phaniores ipſis ethnicis. Si qui fuci ſunt & indigni qui alant, arceant à præſentib. Si uerò ſunt qui rectè doceãt, ac Chriſto fideliter ſeruiãt, ſeruet regula Chriſti à Chriſtianis, ne dum diuerſum facimus, eò delabamur iuſto Dei iudicio, ut ſeductores & ocioſos uentres pro miniſtris Chriſti in ipſo cœno uoluptatum uiuentes ſaginemus, id quod patribus noſtris accidiſſe uidimus. B

Deinde obſeruandum eſt, quomodo uictus datus ſit ſacerdotibus. Aequũ quidem eſt, ut qui catechizatur, ei qui ſe catechizat ſecundũ regulam Apoſtoli, de omnibus bonis ſuis cõmunicet. Gal. 6. Verùm ipſa docet experientia, ad ſuſtentationẽ miniſtrorũ nihil eſſe commodius, q̃ ut hoc publica conſtitutione fiat, ut ſiue contribuant auditores, ſiue potiores aliqui, certa ſit eius rei œconomia, certaq; lex, ad quã illi alantur. Alioqui miſerrimè nec diuturnè quoq; cõſultum illis fuerit, ſi ſingulorum ipſis ſit uiuendũ arbitrio, & per uices ad ſingulorum menſas accedendum. Prudenter itaq; & ab ethnicis factũ eſt, quod deputatum fuit ſacerdotibus תרומה, id eſt, certum dimenſum, unde uiuerent, idq; non ipſi modò, ſed & uxores eorum & liberi. Vxores eos habuiſſe & liberos, uel ex eo patet quod Ioſeph & Moſes ſacerdotum filias in uxores duxerunt. Tertiò, nec illud tranſeundum eſt, quod à rege ſacerdotibus conſtitutum fuiſſe dicit, unde uiuerent. Erat hoc uerè regium. Ad curam enim regum & principum ſpectat, ut & tuti ſint miniſtri publicæ religionis, & certa ſufficientiq; alimonia alantur, ſiue hoc de ſuo, ſiue ex tributis & decimis populi conſtituant. Fecerunt hoc reges & principes perpetuò quotquot cùm inter ethnicos, tum in populo Dei ſiue Iſraelis ſiue Chriſtianorum religioſi ac pij fuerunt, qua de re omnes teſtant hiſtoriæ. Quartò. Et hoc obſeruandum eſt, quòd Ioſeph quamuis eſſet pius ac ueri & unici Dei cultor, ſciretq; cultus Aegyptiacæ religionis eſſe falſos, erroneos ac ſuperſtitioſos, & cunctàm totius Aegypti poteſtatem, præſertim in hac alimoniæ cauſa, à rege ſibi traditam in manu haberet, nihilo tamen minus quod cõſtitutum erat à rege ſacerdotibus alendis nolebat irritum reddere uel diminuere. Hoc illius factum & iuſtum erat & æquum. Non potuiſſet ſine culpa præuaricationis ac temeritatis regiam conſtitutionem infringere. Quàm quæſo procul ab hac iuſticia diſsident hodie, qui quod olim eſt à regibus & principibus religionis miniſtris cõſtitutum in ſuos priuatos uſus, immo potius turpem luxum & faſtum auertunt & inſumunt.

Ea

A *Et dixit Ioseph ad populum: Ecce emi uos hodie & terram uestram Pharaoni. En uobis semen, seminate terram. Et erit in prouentibus, & dabitis quintam partem Pharaoni, & quatuor partes uobis erunt, ad seminandũ agros, & ut comedatis uos & qui sunt in domibus uestris, & ad cibum paruulorum uestrorũ. Et dixerunt: Viuificasti nos. Inueniamus gratiam in oculis Domini mei, erimusq; serui Pharaonis. Et posuit hoc Ioseph statutum ad ho diernum usq; diem super terram Aegypti, ut Pharaonis sit quinta pars, dempta tantum terra sacerdotum, quæ non est facta Pharaonis.*] Hæc est cataſtrophe famis Aegyptiacę. Collegit Ioseph uniuersum populum Aegypti ad ciuitates, non ut in illis habitarent, agris ac pagis desertis, sed ut conditionem seruitutis ad cõstitutionem regis cunctis proponeret ac promulgaret, deinde & singulis semen ad seminandum agros ex apothecis frumentarijs quas in ciuitatibus habebat, erogaret.

Et dixit Ioseph ad populum, inquit. Intellige, in ciuitatibus collectum. Non potuit uniuersa multitudo Aegyptiorum in unam ciuitatem cogi. Quare collegit eos undiq; in ciuitates secundum locorum opportunitatẽ, & ad collectos ipse de ciuitate ad ciuitatem curru suo uectus constitutionem hanc promulgauit, dicens: Ecce emi uos hodie & terram uestrã Pharaoni. Factũ hoc erat antea, ipsis conditionem hanc ultrò offerentibus, sicuti præcedentia declarant. Quod hic Ioseph fecisse memoratur, tum factũ esse apparet, cum finita septenni sterilitate, uel certè ad exitum inclinante, agrorum fertilitas resti tuenda sperabatur. Sic & Iosephus sensit, dicens: Imminuta uerò fame & fluuio (Nilo) terras inundante, ac fructus ea abundanter referente, Ioseph ad unamquamq; ciuitatem ueniens, eiusq; multitudine cõgregata, eandem terram quam ipsis cedentibus rex habere poterat, solusq; frui, in toto redonabat, & uelut propriæ possessionis laborem eos amare poscebat, quintam solummodo partem frugum regi soluturos pro terra quam illis dabat, &c. Hæc Iosephus. Cum autem dicit ad eos Ioseph, Ecce emi uos hodie & terram uestram Pharaoni, ad hoc quod factum erat meminit, ut quod subiuncturus erat, iustitiæ & æquitati consentaneum, & prorsus alienum à tyrannide esse admoneret.

En uobis semen, inquit, seminate terram. Terra erat Pharaonis. Ideo non dicit, ut hactenus, terram uestram, sed simpliciter, Seminate terram. Dum autem iubet ut illam seminent, dubio procul unicuiq; agros suos colendos restituit, & iumenta quoq; uel equos aut asinos huic operi necessarios addit.

Et erit in prouentibus, inquit, dabitis quintam partem Pharaoni, &c.] Qua conditione agros illis restituat, semenq; ad seminandum illos adijciat, consequenter exprimit. Vbi tempus erit prouentuum, inquit, quintam partem dabitis Pharaoni, & quatuor partes uestræ erunt. Duplex hic erat Ioseph o re-
B spectus. Iustitiæ unus, necessitatis alter. Respectu iustitiæ decreuit regi quintam partem de annuis ægrorum prouentibus, qua populus singulis annis fateretur colere se agros non liberos & proprios, sed à rege ad colendum conditione census huius datos. Respectu necessitatis reliquit populo agrorũ cultori quatuor reliquas partes. Necessitatem illorum considerans dicit: Ad seminandum agros, & ut comedatis uos, & qui sunt in domibus uestris, & ad cibum paruulorum uestrorum. Quartã uidet partem sementi, reliquas tres domestico uictui destinasse. Vides hic exemplũ pulcherrimæ discretionis, qua homo prudens sic iustitiæ rationem habere potest, ut simul non deroget necessitati uitæ humanæ. Ab hac sunt alienissimi, qui uix unam partem necessitatibus operantium relinquentes, cæteras omnes iustitiæ dominantium & in ocio uiuentium uindicant. Hic locum habet illud: Summum ius, summa iniuria. Immo summa iustitia, summa crudelitas. Simul obserua exemplum principis humani, humanæ uitæ necessitates experti. Vt comedatis, inquit, uos, & qui in domibus uestris sunt, & ad cibum paruulorum uestrorum. Considerauit quid requireret illorum necessitas, domesticorum quoq; & paruulorũ. Erat illis loco patris. Et septem annis famis quamuis abstulerit ab illis pecuniam, pecora, agros, & corporum libertatem, sic tamen eos aluit pane, ut ingentem illam famis uim saluis corporibus, ipsi & paruuli eorum, ferre possent.

Et dixerunt, Viuificasti nos. Inueniamus gratiam in oculis Domini mei, & erimus serui Pharaonis. Considerata incredibili necessitate tam diuturnæ famis, agnoscunt & fatentur beneficentiã Iosephi, dicentes: Viuificasti nos. q.d Nemo nostrum in præsenti uiueret, nisi esses nobis diuinitus datus cõmunis omniũ nutritor & seruator. Arbitror eos hoc magna uoce & cõmuniter proclamasse, nec potuisse plerosq; abstinere à lachrymis. Inueniamus, inquiũt, gratiã in oculis Domini mei. Vox cõmendationis est. Commendant se gratiæ & beneuolentiæ Iosephi. Et erimus, inquiũt, serui Pharaonis. q. d. Optimè contenti sumus. Ex animo seruiemus Pharaoni, faciemusq; quod decreueris, modò gratiã hanc beneuolentiæ tuæ à nobis nõ auertas. Sic consentiunt publica acclamatione in seruitutẽ, & promittunt alacrem obedientiã, memores quã insigni beneficio ad eum usq; diem ex ipsis faucibus mortis sint erepti. Vide prudentiam Mosis, qua particulã hanc loco cõclusionis ad præcedentia subijcere uoluit. Nam poterat lector, nescio quã cogitationẽ de Iosepho mente concipere, quasi omnis humanitatis oblitus, durius ęquo cũ populo Aegyptiorũ egerit. Tam abest, ut quæ ab illo sunt gesta in hac causa crudelitatis damnari debeant, ut potius sint propter singularẽ beneficentiã admodũ extollenda. Cuius rei testes non potuerunt fidedigniores produci, quã ipse populus. Experientia præcedentis necessitatis sensum accepti beneficij mentibus illorum impressit. Et utinam quotquot sanguine Christi ab æternæ mortis condemnatione liberati sumus, eiusmodi sensu tam stupendæ liberationis affecti proclamemus ad Christum, Viuificasti nos: Inueniamus gratiam in oculis Domini nostri, & erimus serui tui in sempiternum.

Præclarissimè iungũtur hæc tria. Agnitio & deprędicatio accepti beneficij. Appetitio herilis gratiæ, & animus ad seruiendum liberatori spontaneus. Primũ in eo quod dicunt, Viuificasti nos: secundum in

eo quod subijciunt: Inueniamus gratiam in oculis Domini mei. Tertium in eo quod dicunt: Et erimus A
serui Pharaonis. Quæso, quid præterea requiritur ab homine Christiano, quã hæc ipsa? In primo est o-
pus fidei & uerũ sacrificiũ laudis. In secundo est spiritus precationis, gratiæ Dei appetens. In tertio est
animus uoluntarius ad obediendũ diuinæ uoluntati in omnibus, pro summa felicitate ducens, esse seruũ
domini. Dum ista perpendimus, planè patet, quàm sint hæc non sine singulari dispositione Dei ge-
sta, quibus populus peccator, libertate, pecunia, immunitate agrorum, acreliqua opulentia malè utens,
ad hanc est inopiam rerum & seruitutem redactus. Declaratum est, quàm sit uulgo multo utilior ege-
stas quàm opulentia, seruitus quàm libertas. Qui antea uiuebant securè & arroganter, iam incipiũt gra
ti esse pro modico frumento, gratiamq; ambire superiorum suorum, & animum adhibere ad seruien-
dum illis & obediendum. Præclarum est libertas, at si incidat in homines ingratos, ignauos, nullamq; in
stitiæ & æquitatis rationem habentes, sic se in illa gerunt, ut retinere eam nec possint, nec debeant.

Et posuit hoc Ioseph statutum, inquit, ad hodiernum usq; diem, super terram Aegypti, &c. Loqui-
tur Moses de constitutionis huius perpetuitate. Cum agros Ioseph Aegyptijs restitueret, datoq; semi-
ne colere illos iuberet, & quintam partem prouentuum ex illis Pharaoni deputaret, constitutionem il-
lam non sic imposuit, ut uno tantum anno duraret, sed ut esset perpetua & à generatione ad generatio
nem transmitteretur. Videmus hoc loco nihil habere iniqui annuos illos agrorum census, quibus cer-
ta frumenti pars singulis annis ad eum defertur, ad quem illorum proprietas pertinet, modò non sint
nimij, hoc est, sic iniquè aucti & graues, ut colono de omni suo labore, sudore, æstu, ac frigore tantum
suppetere non possit, unde cum domesticis ac paruulis suis uiuere queat. Illud autem iniquum esse ui-
detur, quod à nonnullis certa quædam & fixa summa modiorum frumenti singulis annis à colono exi
gitur, sic ut nullum habeatur discrimen prouentuum, sint ne illi largi uel renues. Quare prudentissimè
factum est à Iosepho quod non constituit stabilem aliquam & fixam summam, sed talem, quæ singulis
annis à quantitate prouentuum penderet, & perpetuò quatuor illorum partes colono relinqueret, un
de rebus suis consulere possit. Si unicuiq; agro censum quinq; modiorum imposuisset, sæpenumero ac-
cidisset, ut omnis illius prouentus uix censui soluendo sufficeret. Iam ubi quintam partem prouentus
constituit, aliter accidere non potuit, quàm ut soluto censu quatuor partes essent reliquæ colono.

Et habitauit Israel in terra Aegypti, in terra Goshen, & possederunt in ea, creueruntq; & multiplicati sunt ualde.] Absolura historia famis Aegyptiacæ redit Moses ad historiam Israhelis. Suprà dixerat: Et ha- B
bitare fecit Ioseph patrem suum ac fratres suos, & dedit eis possessionem in terra Aegypti, in terra o-
ptima, in terra Raemeses. &c. Hisce illic abruptis quæ Aegyptios concernebant, subiecit. Iam termina
ta historia Aegyptiorum, repetit postremam partem eorum, quæ de Iacobo & filijs eius dixerat, ut se-
quentia præcedentibus connectat.

Sic dicit: Et habitauit Israel in terra Aegypti, in terra Goshen. q.d. quemadmodum dicere cæpe-
ram. Illud: Et possederunt in ea, idem est, quod suprà dixit: Et dedit eis possessionem in terra Aegy-
pti. Quare incircumspectè nonnulli uerterunt: & detenti in ea, moti ex eo, quod uerbum, אחז, passiuè
punctatum repererunt ויאחזו בה quasi legendum sit, Et apprehensi uel possessi sunt in ea. uerùm res
ipsa patet nihil aliud dicere hic Mosen quàm quod suprà dixit.

Creuerunt, inquit, & multiplicati sunt ualde. Ab eo tempore quo in Aegypto habitare cœperunt,
simul impleri cœpit quod suprà ad Iacobum initio capitis præcedentis diuino oraculo dictum fuerat: quo-
niam in gentem magnam ponam te ibi. Sic crescere, multiplicariq; cœperunt, ut perspicuum appa
reret diuinæ benedictionis argumentum, id quod Moses in eo exprimere uoluit, quod non simplici-
ter dicit, Creuerunt & multiplicati sunt: sed addit, Valde, ut intelligas creuisse eos ultra consuetum mo
dis & auctibus insolitis.

Et uixit Iacob in terra Aegypti decem & septem annos. Et facti sunt dies Iacob, anni uitæ eius, quadraginta septem anni ac centum anni. Et appropinquauerunt dies Israelis ad moriendum, & uocauit Iosephum filium suũ, dixitq; ei: Si quæso inueni gratiam in oculis tuis, pone manum tuam sub femur meum, & fac mecum benevolè & fideliter: ne quæso sepelias me in Aegypto, sed iaceam cum patribus meis, deportesq; me ex Aegypto, ac sepelias me in sepulchro illorum. Et ait: Ego faciam secundum uerbum tuum. Et dixit: Iura mihi. Et iurauit ei. Et incur-uauit se Israel ad caput lectuli.] De eo quod Israelem in Aegypto ualde creuisse, multiplicatumq; esse di
xit, nihil est amplius in hoc libro Geneseos memoraturus, sed ea re ad sequentem librum dilata, quod su-
peresse præsentis operis insumpturus est ad exponendum ea quæ Iacob ante obitum suum egit cum fi-
lijs suis, deq; morte ac sepultura eius, & de morte Iosephi.

Et uixit Iacob, inquit, in terra Aegypti decem & septem annos. Quinquenniũ egit in Aegypto tem
pore famis, & postea annos adhuc duodecim, quibus dubio procul magna animi sui iucunditate glori-
am pariter & prudentiam filij sui Ioseph, deinde & mirabilem seminis sui multiplicationem ipsis ocu-
lis suis spectauit. Vix animo concipi potest quanta fuerit illa coniunctionis suauitas, qua Iacob, Ioseph
& Biniamin annis hisce decem & septem, mutua inter se consuetudine omnium præcedentium tribu-
lationum solatio potiti sunt. Iosephum in terra Chanaan habuerat Iacob ad minus annos decem & se-
ptem in delicijs, donec in Aegyptum uenderetur. Successit aliquot annorum luctus & tribulatio. Post
tenebras tribulationum benignitate Domini totidem annorum lux est concessa, qua se mutuo aspe-
ctu & conuersatione oblectarent. Sic sunt uices rerum, quas diuina prouidentia pro commoditate fi-
delium suorum sapientissimè disponit.

Et facti

Et facti sunt dies Iacob, inquit, *anni uitæ eius 147. anni.*] Cum in Aegyptum descenderet, annorum erat 130. sicuti de se ipse est coram Pharaone testatus. His si addas annos 17. quibus in Aegypto postea uixit, numerum habes annorum 147. Annos 77. egerat in terra Canaan cum patre suo Isaac, cum in Mesopotamiam à facie Esau fratris sui mitteretur. 20. annos seruierat in Mesopotamia in domo Laban auunculi sui. Reuersus ex Mesopotamia annos 20. egerat in terra Canaan, cum Ioseph à fratribus suis uenderetur in Aegyptum. Post illius uenditionem annos adhuc 13. uixit in terra Canaan usq; ad manifestationem Iosephi, & descensum in Aegyptum. In Aegypto constitutus, uixit annos 17. quibus expletis, ex hac uita migrauit.

Et appropinquauerunt, inquit, *dies Israelis ad moriendum, & uocauit Ioseph um filium suum, &c.*] De nullo morborum genere legimus, quo decubuerit Iacob, & ex cuius incurabili ui ac dolore diem sibi mortis appropinquare cognouerit. Cognouisse autem hoc satis patet in textu. Relinquitur ergo quòd ex grauitate senij, qua ad extremum usq; debilitatus fuerit, intellexerit imminere sibi terminum huius uitæ. Et ut hoc innueretur, præmissus est à Mose numerus annorum uitæ eius. Quanquam nolim cum illis contendere, qui existimauit eum prophetica præscientia cognouisse, quòd in propinquo dies mortis ipsi us adesset. Arbitror tamen admodum esse magnæ stupiditatis, si homo extrema senectute grauatus, defectum uirium suarum non sic obseruet, ut inde de uicinitate mortis suæ præmoneatur, ac præmonitus, quæ disponenda sunt, disponat: caueatq; ne ex improuiso in diem uitæ suæ supremum incidat. Habet enim extrema senectus certa corporalium uirium deliquia, quæ certissima sunt mortis è uicino imminentis præcurrentia indicia.

Et uocauit, inquit *filium suum Iosephum, dixitq; ei*: Si, quæso, inueni gratiam in oculis tuis, &c. Sentiens se breui moriturum, prospicit sibi de sepulchro. Huius gratia uocat ad se Iosephum, propter authoritatem qua tum eminebat, cui cæteri fratres meritò erant subiecti, & propterea quoq; quòd illius operam res ipsa requirebat. Vide autem quomodo cum illo loquatur. Si, quæso, inueni gratiam in oculis tuis. Hoc est: Si mihi faues, si mihi gratificari cupis. Quid igitur? Dubitabat ne Iacob de beneuolentia erga se filij sui Ioseph quod dicit: Si inueni gratiam in oculis tuis? Nequaquam. Sciebat se illi esse admodum charum, haberiq; ab eo in precio. Huius enim gratiæ admonet, dicens: Si inueni gratiam in oculis tuis. q.d. Scio q; gratiã habeã in oculis tuis. Si hanc erga me declarare uoles, ne sepelias me in Aegypto, &c. uel: Per hanc gratiã tuã quã in oculis tuis habeo, quæso, ne sepelias me in Aegypto. Christus cum diceret discipulis suis, Si diligitis me, mandata mea seruate Ioan. 14. nõ dubitabat de dilectione discipulorũ: sed qm̃ sciebat se ab illis diligi, admonebat eos hac loquutione, ut tam essent mandatorũ suorũ seruantes, quàm se impensè diligebant, atq; ita quàm se diligerent, obseruantia mandatorũ suorũ declararent.

B *Pone manum tuam*, inquit, *sub femur meum.*] Hoc est: Iura mihi. Ritum iurandi pro ipso actu iurandi ponit. De hac loquendi formula diximus suprà cap. 24.

Et fac mecum beneuolè & fideliter.] In Ebræo est ועשית עמדי חסד ואמת, id est, & facias mecum beneuolentiam & ueritatem. Vulgata latina habet suo more, misericordiam & ueritatem. Sic & Septua. Quoniam חסד beneuolentiam significat, & אמת ueritatem, nonnunquam & fidem, usum est reddere: Et fac mecum beneuolè & fideliter. Et Germanicus interpres uertit אמת *treüw*. Obserua quomodo tres istæ uoces רבבות. חסד. חר, id est, gratia, beneuolentia & fides hoc loco coniungantur. Gratia præmittitur. Ea est ueluti mater beneuolentiæ & fidei. Qui gratiam inuenit, consequenter inuenit & beneuolentiam, & fidem. Tolle gratiam, neutra istarum sequetur. Simul obserua, posse infideliter & malignè agi cum mortuis, si uoto illorum non respondeatur: rursus benignè & fideliter, si quod in uiuis constituti desiderant, post mortem ipsis præstetur. Reuera inhumana cogitatio est, si dicas: Quid refert quid fiat mortuis? Non sentiunt si quod uoluerunt non feceris, non sentiunt si secus egeris. Illis quidem nihil decedit, quomodocunq; sepeliantur. Verùm interea nos prodimur, quàm fideliter erga eos affecti simus.

Ne, quæso, sepelias me in Aegypto, sed iaceam cum patribus meis, deportesq; me, &c.] Facilè cogitabat se pulturam suam fore secundum dispositionem Ioseph. Deinde, uerebatur ne ille sepulturam sibi constitueret in Aegypto, id quod & ingenium amoris & honos parenti debitus poscere uidebatur. Quare deprecatur hoc, dicens: Ne sepelias me in Aegypto. Et ut significet, ubi sepeliri uelit, addit: Sed iaceam cum patribus meis, deportesq; me ex Aegypto, ac sepelias me in sepulchro illorum. De hoc sepulchro infrà cap. 49. pluribus dicturus est. Quod autem non in Aegypto, sed in terra Canaan sepeliri uoluit, factum est propter promissionem eius terræ patribus, ipsi, ac semini eius diuinitus factam. Huius fide & spe quamuis in Aegypto constitutus, ubi Ioseph regnabat, uoluit sepeliri non in Aegypto, sed in sepulchro patrum suorum. Sic fidem ac spem suam coram filijs suis declarare uoluit, quo illi suo exemplo moniti non affigerent animum terræ Aegypti, nec sperarent illic firmam se & pacatam sedem habituros, sed propositis promissis Dei confiderent, futurum ut in terram Canaan reducerentur. Huiusmodi maiorum exempla plurimum habent efficaciæ in animis germanæ posteritatis.

Et ait: Ego *faciam secundum uerbum tuum.*] Hoc est: Gratificabor tibi non modò uiuenti, sed & mortuo. Verbum tuum non modò dum uiuis, sed & post mortem tuam, suum apud me pondus habebit. Quare securus esto. Quicquid mandaueris, faciam. Habes exemplum fidelis filij. Obserua interim, quod non dicit: Nondum, mi pater, tempus est moriendi. Quare te hac cogitatione molestas? Diutius apud nos eris. Abiecti & pusilli animi est, ad hunc modum loqui cum morituris. Et hoc plerunque

faciunt

faciunt ij qui in corde mortem eorum optant, cum quibus sic loquuntur, & ægrè ultimum illorum halitum expectant. A

Et dixit: Iura mihi. Et iurauit ei.] Vtrumq; obserua. Promiserat se Ioseph facturum secundum uerbũ patris. Ego faciam, inquit, secundum uerbum tuum. Cum hoc dixisset, subiungit ille mox: Iura mihi. Poscit iuramentum à morigero filio: ab eo qui iam facturum se quod peteret, promiserat. Accedat huc Anabaptista. Is dicet peccasse Iacobum. Nos uerò admonemur, ab ijs demũ rectè exigo iusiurandum, quos intelligimus alioqui promptos & spontaneos esse ad præstandum quod exiguntur, modò hoc fiat in re licita, possibili, & seria. Et iurauit ei, inquit. Vide, non succenset Ioseph, dicens: Iam me hoc facturum recepi quod petis. Quorsum attinet iusiurandum? Sed quóniam patrem hoc serió petere uidebat, haud grauatur illi etiam iureiurando promittere, quod iam se facturum dixerat.

Et incuruauit se Israel ad caput lectuli, inquit.] Septuagintã quoniam Biblia Ebræa sine punctis legerunt, quod inuenerunt על ראש המטה legerunt al rosh hamatteh, id est, super caput *γάβδε* id est, uirgæ uel baculi, & de suo addiderunt *ἀυτῆ*, id est, suæ uel sui. Et hanc lectionem sequutus est siue author Epistolæ ad Ebræos, si is Græcè, siue interpres illius, si author Ebraicè scripsit. Et Augustinus hic suas cogitationes habet. uerùm Ebræa, quemadmodum etiam Hieronymi tempore lecta sunt, non habent hamatteh, sed hamittah, id est, lectuli. Nec habent uerbum adorandi, sed incuruandi, ut rectè legatur: Et incuruauit se ad uel super, aut uersus, caput lectuli. Et hic uariæ sunt sententiæ. Alius dicit: In honorẽ Iosephi tanquam principis, sicut Chrysostomus sensit, putans sic adimpletum fuisse Iosephi somnium, alius propter præsentiam diuinitatis, alius propter religionem iurisiurandi ac nominis Dei hoc à Iacobo factum esse sentit. Mihi uidentur illi simplicius & probabilius sentire, qui existimant Iacobum incuruasse se uersus caput lectuli sui ad agendum Deo gratias propter impetratum assensum Iacobi. Nec improbabile est, commendasse eum posteros suos Domino, & omnem eam causam quam ex promissis illius firma fide & spe futuram expectabat.

CAPVT XLVIII

ARGVMENTVM CAPITIS.

Iacob ægrotat. Inuisitur à Iosepho. Benedicit illius filijs Ephraim & Manasse, eosq; pro suis agnoscit. Iosephum quoq; præcipua parte præ cæteris fratribus illius donat. B

ET factum est post hæc uerba, dictum est Iosepho: Ecce pater tuus ægrotat. Et sumpsit secum duos filios suos Manassen & Ephraim Et significauit (quidam) *Iacobo, dicens: Ecce filius tuus Ioseph uenit ad te, & confortauit se Israel, ac sedit super lectum.*] Aliquanto post factum iusiurandum à Iosepho incidit Iacob in languorem præ senio. Vires illius deficientes reddebant corpus infirmum ac languidum, languor seruiebat morti breui adfuturæ. Infirmitas patris indicatur Iosepho. Qui indicauit, quisquis fuerit, uidetur hoc Iosepho cum quadam consternatione mentis quasi triste quid indicasse. Non enim simpliciter dixit, Pater tuus ægrotat: sed, Ecce pater tuus ægrotat, tantum non dicens: Ecce pater tuus morietur. Non est quæuis infirmitas corporis lethalis, uerùm ubi extrema senectus incidit in morbum, ibi nihil solet esse spei de restituenda bona ualetudine. Nam alioqui ipsa senectus morbus est, etiamsi nulla specialis infirmitas accedat, quare si quis illam morbus inuaserit, certum is solet adferre imminentis mortis indicium. Atq; hoc est quod nuncius hic sensisse uidetur, cum diceret: Ecce pater tuus ægrotat.

Etiam sanctis accidunt quæ mortalitati nostræ sunt annexa.

Videmus hoc exemplo etiam sanctis hominibus accidere ea, quæ mortalitati nostræ sunt communi ter annexa. Posset illos Deus sic reddere senes & ex hac uita auferre, ut nullius morbi dolores experiantur: uerùm quemadmodum finit eos communi mortis necessitati esse subiectos, ita finit etiam, ut perinde atq; cæteri homines morituri incidant in morbos, et cum dolore deficientis corporis infirmitatem sequutæ mortis prænuncium sentiant. Nec censendum est fieri hoc sine singulari diuinæ prouidentiæ consilio, quæ nostro bono, si intelligamus, infirmi ante diem mortis reddimur.

Vtilitas morbi mortẽ præcedentis.

Primùm enim eiusmodi morbo præmonemur, ut animum nostrum à præsentis uitæ studijs ac uotis auellentes ad migrandum ex hoc seculo totos nos accommodemus, res nostras disponamus, sicuti Esaias ad Ezechiam dicebat: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non uiues amplius. Clementiam Domini Dei nostri ambiamus, & spiritus nostros in manum illius commendemus. Deinde uires naturæ nostræ paulatim debilitantur: quò ubi uentum est ad ipsum articulum expirationis & omnimodæ dissolutionis, minori negocio separetur spiritus à corpore: id quod multo fieret acerbius, si uiolenta uirium adhuc integrarum conquassatione subita moriendi necessitas irrumperet. Dum hæc cogitamus, facile intelligimus quanto nostro bono sic sit à philanthropo Deo constitutum, ut ubi moriendum est, mortem morbus aliquis præcedat.

Quod filios suos Ioseph ad patrẽ morituru duxit.

Et sumpsit secum (inquit) *duos filios suos Manassen & Ephraim.*] Prudenter & piè factum hoc est à Iosepho. Quàm prudẽter id fecerit, patet ex euentu. Pietas in eo erat, quod filios suos unà secum morituro patri adesse uolunt. Deinde & ad hoc faciebat, ut audirent ex ore illius, quorum per omnem uitam suam memores esse possent ac deberẽt. Et simul utile erat uidere coràm mortalitatis nostræ exemplũ. Optandus esset hic animus nostri seculi principibus, ut & ipsi filios suos morituris parentibus, fratribus, amicis, &c. adsisterent, in quibus coràm cernerẽt, unde postea humiliores ac modestiores efficerentur, uerissimum

A riſsimum eſt illud: Melius eſt ire ad domum luctus quàm ad domũ conuiuij. Reperias hodie pleroſq; principes, magnates, opulentos, qui ne ſemel quidẽ in omni uita ſua morientis hominis faciẽ & anguſtiam uiderunt. Nolunt uidere in alijs, quod nolint uelint omnino in ſeipſis aliquando ſunt experturi.

Et ſignificauit quidam Iacobo, dicens: Ecce filius tuus Ioſeph uenit ad te.] Qui hoc illi nunciabat, ſciebat ſe rem illi omnium gratiſsimam nunciare, unde & dicebat, non ſimpliciter, Ioſeph ad te uenit: ſed, Ecce filius tuus Ioſeph ad te uenit. Sic ſolemus ægrotantibus aduentum eorum nunciare, quos illis ſcimus eſſe gratiſsimos. Ad hunc enim modum comparati ſumus ægroti, ut plurimum refocillationis capiamus ex eorum aduentu, quos cæteris impenſius diligimus, quorumq; præſentiam alioqui plurimum affectamus. *Aegrotantibus acceptus eſt aduentus amicorũ.*

Et confortauit ſe Iſrael, & ſedit ſuper lectum, inquit.] Corpus ſenile & infirmum uiribus ſtandi, eundi, ſedendi deſtitutum lectulo inhærebat. uerùm ubi de aduentu chariſsimi filij ſui Ioſeph audiuit, affectu amoris pariter & honoris motus erigere ſe ac ſedere geſtiebat, quo illum alacrius acciperet. Erat id illi moleſtum ac difficile. At dubio procul opera cæterorum filiorum ſubnixus, uſq; adeò ſeſe confortauit, ut in lecto ſedere poſſet. Et difficultatem huius conatus, propter corporis infirmitatem, & affectum animi illius erga Ioſephum pulchrè expreſsit Moſes, cum non ſimpliciter dicit, Et ſedit ſuper lectum: ſed præmittit, Et confortauit ſe Iſrael. q. d. Quamuis eſſet admodum imbecillis, & ægrè erigeretur, ſic tamen aduentu Ioſephi filij ſui animabatur, ut corporis imbecillitatem animi alacritate confortaret, ac erectus ſederet. Interim obſerua quod dicit: Et confortauit ſe Iſrael. Spiritus Iſraelis, hominis pij ac fidelis, in Deo fortis ac robuſti, plurimum roboris habet ad confortandum carnis imbecillitatem. Caro quidem infirma eſt, inquit Chriſtus: uerùm ſpiritus promptus & alacer. id doni à Deo accepit, ut carnem infirmam uel ad patientiam afflictionum, uel ad obeunda pietatis opera confortare poſsit. *Spiritus alacritas corpus abiectum erigit.*

Et dixit Iacob ad Ioſeph, Deus omnipotens apparuit mihi in Luza in terra Canaan, ac benedixit mihi, dixitq; ad me: Ecce ego creſcere te faciam, & multiplicabo te, ponamq; te in congregationem populorum, ac dabo terram hanc ſemini tuo poſt te, poſſeſsione ſeculi. Et nunc duo filij tui, qui nati ſunt tibi in terra Aegypti, priuſquam uenirem ad te in Aegyptum, mei ſunt, Ephraim & Manaſſeh, ſicut Ruben & Shimeon, mei ſunt. Generatio uerò quam genuiſti poſt eos, tui erunt, nominibus fratrum ſuorum uocabuntur in hæreditate ipſorum.] Arbitror huic orationi Iacob mutuam ipſius & Ioſephi ſalutationem præceſsiſſe, de qua non meminit Moſes, quod iudicarit haud neceſſe eſſe ut ſingula, ſed præcipua tantum commemoraret. Poſt ſalutationem Iacob te
B ſtamentum ſuum conditurus, cum primis duos filios Ioſeph, Ephraim, & Manaſſeh adoptare ſibi in filios & futuræ hæreditatis in terra Canaan, unà cum filijs ſuis ex æquo conſortes conſtituere uoluit. Vt hoc authenticè faceret, primùm declarauit iure ſe id facere poſſe, propter acceptam à Deo promiſsionem. Quare ſtatim de illa memorat, dicens.

Deus omnipotens apparuit mihi in Luza in terra Canaan, &c.] Bis apparuerat illi Deus in Luza, quæ eſt Bethel. Primò, cum in Meſopotamiam proficiſceretur: deinde cum inde reuerſus aliquandiu habitaſſet ad ciuitatem Shalem, iuſſuſq; diuino oracuło, aſcendiſſet in Bethel, & altare ibi erexiſſet. Non me moratur hic utram apparitionem Dei intelligat. uerùm, meo iudicio, de poſteriore loquitur, de qua uide ſuprà cap. 35. Ibi dixit ad eum Dominus: Ego ſum Deus omnipotens. Sic illum etiam hic uocat, cum dicit: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza. Eodem elogio Deum uocat, immo ornat & celebrat, quod ex ipſius oraculo audierat. Quem ſe Deus eſſe dixerat, hunc illum & ipſe uocat, dubio procul ex fide, qua oraculo illius crediderat. Vtinam & nos id Deum eſſe credamus quod de ſe ipſe prædicat. Plurimum hinc nobis conſolationis eſſe poſſet. *Eſſe Deum credas quod de ſe prædicat ipſe.*

Apparuit mihi in Luza, inquit.] Quare non dicit, In Bethel, cum id nominis ipſe loco illi impoſuerit. uulgare, conſuetum & notum loci illius nomen uſurpat, ſeruiens narrationis perſpicuitati magis quã loci prærogatiuæ.

Ac benedixit mihi, inquit.] Suprà cap. 35. ſic legimus: Et apparuit Deus iterum Iacob, cum rediſſet ex Meſopotamia, et benedixit eum. Exponitur à nonnullis, & ſalutauit eum, uel amicè cõpellauit eum.

Dixitq; ad me: Ecce ego creſcere te faciam, &c.] Suprà cap. 35. ad hunc modum legitur: Et dixit ei Deus: Nomen tuum eſt Iacob, non uocabitur amplius nomen tuum Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Et uocauit nomen eius Iſrael. Et dixit ei Deus: Ego Deus omnipotens. Creſce & multiplicare. Gens, & cœtus: uel, Congregationes gentium ex te erunt, ac reges ex lumbis tuis egredientur. Et terram quã dedi Abrahæ & Iſaac, tibi dabo eam, & ſemini tuo poſt te dabo terram iſtam. Hęc ibi. In præſenti uerò q̃d illic de mutatione nominis dictũ ad ipſum fuerat, non memorat, propterea quòd id nõ faciebat ad præſens propoſitum, ſed de promiſsione tam multiplicandi ſeminis quàm poſsidendæ terræ Canaan, quæ illic dicta fuerant adfert in medium. Nam illa conueniebant cauſæ quam agebat. Volebat inculcare Ioſepho & filijs ipſius, promiſſam eſſe ſibi à Deo eximiam ſeminis ſui multiplicationem, ſic ut eſſent euaſuri in gentes magnas quo ſpem numeroſiſsimæ poſteritatis ex oraculo Dei animo conciperent. Deinde uolebat filios Ioſeph, Manaſſeh, & Ephraim adoptare in numerum ac ſortem filiorum ſuorum, ac hæredes terræ Canaan cum illis ex æquo conſtituere. Hoc propoſito ex oraculo Dei duas haſce particulas, de multiplicatione ſeminis ſui, & poſſeſsione terræ Canaan recenſuit. Recenſuit autem eas non ad numerum uerborum, quæ ſuprà legimus, ſed quatenus ad explicandum rem ipſam ſufficiebat.

Illud, Poſſeſsione ſeculi, in Ebræo eſt, אחזת עולם. Vulgata lat. habet: In poſſeſsionem ſempiternam. uerùm de hac particula uide ſuprà cap. 13.

Et nunc,

Et nunc, duo filij tui, &c. Adoptat sibi Ephraim & Manasseh. Duo filij tui, inquit, mei sunt. Hoc est, adopto illos mihi loco non nepotum, sed filiorum. Natura erant nepotes, adoptione constituit eos suos filios, perinde ac si ipse eos genuisset. A

Ideo addit: Sicut Ruben & Schimeon, mei sunt. Poterat alios nominare de numero filiorum suorũ. uerùm hosce nominauit tanquam seniores & primos. Ruben enim primogenitus erat, Shimeon secundus. Significauit duos hosce filios Ioseph habẽdos esse loco nõ quolibet, sed præcipuo inter filios suos.

Quod si hic à Iacobo constitutũ esse putaueris, quod 1. Paral. 5. legimus ad hunc modum, Ruben primogenitus eius fuit, sed cum uiolasset thorũ patris sui, data sunt primogenita eius filijs Ioseph, meo iudicio, nihil aberraueris, nisi forsan existimauerit quispiam sensum hunc impediri per coniunctionem Shimeonis, propterea quod non simpliciter dicit, Sicut Ruben: sed addit, Et Schimeon. Verùm ad id regeri potest, quod Ephraim prælatus fuit fratri suo Manasseh, sicuti sequentia docebunt, ut uideatur Ephraim in locum Ruben adoptatus.

Qui nati sunt tibi, inquit, in terra Aegypti, priusquam uenirem ad te in Aegyptum. De natiuitate illorum mentio facta est suprà cap. 41. Nati sunt hi duo filij Ioseph, ante annos famis. Erant ergo tum ad minus annorum uiginti, cum starent coram auo suo Iacobo. Venerat enim ille in Aegyptum post biennium famis, & tum annos 17. in Aegypto uixerat.

Generatio uerò quam genuisti post eos, inquit, tui erunt (sic est in Ebræo) nominibus fratrum suorum uocabuntur, &c. Loquitur de reliquis filijs Ioseph, natis post Manasseh & Ephraim. Illorum forsan nec nomina, nec numerum tenebat. Sunt qui putent Iosephum nullos præter Manassen & Ephraim habuisse filios. Mouentur illi, opinor, ex eo, quod nec infrà cap. ultimo, nec Num. 26. nec 1. Paral. 7. 6. 7. & 8. ubi generationes filiorũ Israel ex ordine numerantur, ulla fit mentio filiorum Ioseph præterquã Ephraim & Manasse. uerùm cogitari potest causam illius esse in eo quod hic subiungitur: Nominibus fratrum suorum uocabuntur in hæreditate ipsorũ. q.d. non recensebuntur suis, sed fratrum nominibus in catalogo hæredum meorum. Ideo hi duo tantũ Ephraim & Manasseh in scripturis memorantur, sub quorum nominibus cæteri ipsorũ fratres cum suis posteris comprehenduntur. Ascenderunt quidem & ipsi in terram Canaan, illiusq; facti sunt hæredes, uerùm nihil nominis sortiti sunt. Hieron. sic legit illud, Generatio uerò quã genuisti post illos, &c. Reliquos autem filios quos post mortem meam genueris, ostendens nec dum illo tempore procreatos. uerùm in Ebræo est quemadmodum uertimus, non genueris, sed genuisti: nec, Post mortem meam: sed, Post illos. Quod si nullos alios præter hos duos habuit Ioseph, legatur hæc particula ad hunc modum Generatio uerò si quam genuisti post eos, &c. B

Quæsierit quispiam, quare Iacob pro Iosepho filios illius in hæreditatem terræ Chanaan adoptauerit, cum posset illum constituere ptimogenitum, & filijs ipsius, quotquot essent, successionem hæreditatis permittere, quemadmodum cæterorum filiorum suorum filijs, ut numerum duodecim filiorum suorum seruaret, & ex duodecim tribubus non constituerat tredecim. Deinde quare duos hosce filios illius Ephraim & Manasseh sic adoptarit, ut cæterorum nomina prorsus extingueret. Paucis respondeo: Quærat hac de re, qui existimat eum humano quodam fuisse studio ductum. Nos qui sanctiss. patriarcham diuino instinctu in hac causa motum fuisse scimus, quicquid hic gestum est, non illius cor filijs, sed diuinæ prouidentiæ tribuimus. Non negauerim uoluisse Iacobum hac prærogatiua Ephraim & Manasseh, Iosephum pro dignitate illius cæteris suis filijs præferre, causas uerò huius rei serias & ueras in uoluntatem Dei reijciendas esse sentio. Videtur tamen studio factum, ut dignitas ista dirigeretur in Ephraim, quæ aliàs à Iosepho deuoluta fuisset in Manasseh, tanquam illius primogenitum.

Et ego cum uenissem de Padan, mortua est apud me Rahel in terra Canaan in itinere, cum esset adhuc spatium terræ eundo Ephratham, & sepeliui eam ibi in uia Ephrathæ quæ est Bethlehẽ.] De morte hac Rahelis mentio facta est suprà cap. 35. ubi historiam illius legere licet. Illud hic quærendum uidetur, ad quid uoluerit hoc loco Iacob adoptioni filiorũ Ioseph de morte Rahelis subijcere. R. Shlomoh existimat eum cauere uoluisse, ne molestum esset Iosepho, quod petierat ab eo, ut se post mortem ad sepulchrum Abrahæ & Isaac patrum suorum deferret, cum ipse in terra Canaan cõstitutus, matrem ipsius Rahelem ad eam sepulturam non detulerit. Sequuntur hunc quidam alij. Mea sententia est, nihil huius cogitasse Iacobum, sed per occasionem oraculi diuini, cuius mentionem fecerat, incidisse in hanc historiam de morte Rahelis, dilectissimæ coniugis, propterea quod illa proximè fuerat post dictum oraculum sequuta. Existimo autem quod eius non hic tantum, sed crebrò meminisse consueuerit.

Et uidit Israel filios Ioseph, ac dixit: Cuius sunt isti?] Vidit duos iuuenes proximè Iosepho adstantes, un de suspicari cæpit, forsan esse illius filios, eos ipsos de quibus fuerat loquutus. Neq; enim sic clarè uidebat, ut eos cognoscere posset. ubi eos uidit, abrupta mentione Rahelis interrogauit, cuius nam, uel, qui essent. Et alioqui forsan existimabat non admodum esse commodam mentionem mortis Rahelis, propter Iosephum & Biniamin, quare illam mox abrupit.

Quo loco pij homines habeant filios suos.

Et dixit Ioseph ad patrem suum: filij mei sunt, quos dedit mihi Deus hic.] Non dicit: Qui nati sunt mihi: uel, Quos genui: aut, Quos dedit mihi uxor mea: sed, Quos dedit mihi Deus. Sic ipse Iacob fratri suo Esau de filijs ipsius interroganti respondérat, dicens: Pueri sunt quos donauit Deus seruo tuo, suprà cap. 33. Iterum uides quo loco pij homines habeant suos filios. Pro dono Dei uidelicet. Illud, hic, in Ebræo est נָא, id est, in hoc. Videtur subintelligendum esse, loco. Sic habet etiam uulgata latina. Septuag. uertérunt ἐντεῦθεν, id est, hic. Et Onkelos הָכָא, id est, hic.

Et ait:

A *Et ait: Accipe, quæso, eos ad me, & benedicam eis.*] Sic est in Ebræo: Accipe eos ad me, pro, duc eos ad me: uel, Adhibe eos ad me. Et benedicam eis, inquit. Poterat illis benedicere, etiamsi non essent propius adhibiti. uerùm cupiebat eos propius intueri, complecti, osculari, ac manus capitibus illorum inter benedicendum imponere.

Erant autem oculi Israelis graues præ senio, nec uidere poterat.] Cupiebat eos, ut dixi, propius intueri. Id non poterat, propterea q̃ oculi ipsius præ senio caligabant. Quare iussit eos sibi propius sisti. Supra initio capitis 27. idem de Isaaco patre Iacob memoratum est. Vbi uide quid hic sit obseruandum.

Et adduxit illos ad eum. Et osculatus est eos, & complexus est eos.] Amanter complectebatur eos priusquam ipsis benediceret. Osculando & complectendo declarabat quàm diligeret eos, non modò tanquam nepotes, sed & tanquam filios Ioseph filij sui charissimi, immo tanquam suos iam filios, quos & adoptauerat, & quibus ex animo benedicere gestiebat. Affectus hic à Iacobo osculando & complexando erga eos, quibus benedicturus erat declaratus, conuenientissimus est illis qui ex animo cuipiam benedicunt. unde & Christus Marci decimo, pueros, quibus benedicturus erat, primùm complexus esse legitur. Et Shimeon benedicturus Mariæ & Ioseph, puerum Christum in ulnas acceptum complexus est. Lucæ secundo. *Affectus eorum qui ex animo cupiã benedicunt.*

Et dixit Israel ad Ioseph: Non iudicaui futurum ut faciem tuam uiderem, & ecce ostendit mihi Deus etiam semen tuum.] Obserua hic uerè piæ mentis exemplum. Interea dum osculatur & complectitur filios Ioseph, non hæret in oblectatione illa quamuis honesta & sancta, sed animum suum leuat ad diuinæ bonitatis considerationem, & ad Iosephum conuersus illam prædicat & extollit, dicens: Non arbitrabar futurum, ut faciem tuam uiderem, & ecce ostendit mihi Deus etiam semen tuum. q.d. Tanta est erga me diuinæ bonitatis indulgentia, ut plura mihi sit largitus quàm unquam sperauerim. Iudicabam te discerptum esse à feris, ideoq; fieri non posse ut faciem tuam uideam unquam, & ecce, non dicit: Video iam, sed, Ostendit mihi Deus etiam semen tuum. Quòd sanctos homines attinet, quorum ubiq; debemus obseruare mentem, dicta & facta uidemus hic etiam illis hoc accidere, ut multo minora expectẽt à Deo, quàm ipsis ab illo sit destinatum. Quòd uerò bonitatem, fidem, & indulgentiam Dei in illos concernit, admonemur hoc exemplo maiora illum dare quàm ipsi sperare, ne dum petere ausimus. *Exemplum piæ mentis.*

Deinde & illud admodum in loco factum est à sancto uiro, quòd non dixit, Et ecce ostendit mihi Deus etiam filios tuos: sed, Ostendit mihi Deus etiam semen tuum. Animus illius non hærebat in hisce
B duobus filijs Ioseph, sed prospiciebat ad posteritatẽ à Deo promissam, cuius respectu semen erant Manasses & Ephraim.

Et abduxit eos Ioseph à genibus eius, & incuruauit se ante faciem eius ad terram: & accepit Ioseph utrumq; Ephraim dextera sua uersus sinistram Israelis, Manassen sinistra sua uersus dexteram Israelis, & duxit ad illũ.] Nec senex adolescentes à genibus suis amouebat, nec illi suapte sponte discedere audebant. Quare ne molesti seni essent, & ut manus illius capitibus eorum ad benedicendum commodius imponerentur, abduxit eos Ioseph paulisper à genibus illius, atq; ita sistit è regione, ut tangi ab illo possent. Fecit autem hoc cum reuerentia. Et incuruauit se, inquit, ante faciem eius ad terram. Princeps quidem erat, uerùm pluris faciebat parentem quàm principatum suum. Et præterea res agebantur tum maiores multo quàm esset ipsius principatus. Quare non immeritò incuruat sese coram facie patris senio confecti, breui morituri, & filijs suis iamiam benedicturi. *Reuerentia filij erga patrem.*

Sunt tamen qui legant in plurali, Et incuruarunt se ante faciem eius ad terram, & intelligant de filijs Ioseph, quòd illi sese coram auo suo incuruauerint, cum à genibus illius abducerentur. Sic uertunt Septuaginta, καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ. id est, Et incuruauerũt se illi. Et Germanicus quoq; interpres sic reddidit. Legerunt illi וישתחוו, id est, incurnarunt sic, pro וישתחו, id est, incuruauit se.

Et accepit Ioseph utrumq;, inquit, *Ephraim dextera sua, &c.*] Volebat Ioseph, ut in ipsa benedictione staret Manasseh patri ad dexteram, Ephraim ad sinistram, propterea quòd primogenitus erat Manasseh, Ephraim uerò secundus: honestior autem locus habetur qui ad dexteram est superioris, quàm qui est ad sinistram. Hæc erat ratio qua motus Iacob sic studio adhibuit filios suos patri, ut primogenitus illi esset ad dexteram, alter ad sinistram.

Et misit Israel dexteram suam, & posuit eam super caput Ephraim, & ipse erat iunior, & sinistram suam super caput Manasseh, intelligens ex manibus eius quod Manasseh esset primogenitus.] Vetus hæc consuetudo fuit in populo Dei, ut maiores benedicturi minoribus, manum capitibus illorum imponerent. Siue hoc Iacob primus fecit, siue à patribus acceptum usurpauit, ab hoc exemplo manus impositio durauit in populo Dei, & postea lege quoq; tradita peruenit usq; ad tempora Christi, qui & ipse illa est usus, & usum illius ad Apostolos suos transmisit. Ratio illius est, quòd hoc gestu cœlestem gratiam desuper illis infundi peterent, quibus benedicebant. Quare non fiebat impositio manus sine precatione. *Impositio manuum.*

Impositurus Iacob manus suas super capita filiorum Ioseph, extendit eas non directè dextram ad dextrum, sinistram ad sinistrum, sed in morem crucis transpositas, quo dextro, id est, Manasseh primogenito sinistram sinistro, id est, Ephraim minori dexteram imponeret. Et propter hanc transpositionem manuum Septuaginta quod in Hebræo est שכל את ידיו uerterunt διαλλάξασαι τὰς χεῖρας, id est, mutans manus, quemadmodum & uulgata latina habet. Verùm uox Hebræa שכל non significat mutare uel transponere, sed intelligere, uel intelligenter ac prudenter agere. Quare Monsterus uertit, Prudenter dirigens manus suas: & Pagninus, Intelligere fecit manus suas. Horum sensu Moses admonuit,

factam esse hanc manuum transpositionem à Iacobo non imprudenter, sed prudenter ac studio. Mihi A
uisum est reddere, Intelligens ex manibus eius, quod Manasseh esset primogenitus, ut sensus sit: Iacob, quoniam non sic perspicuè uidebat, ut ex faciebus intelligeret uter esset primogenitus, intellexit hoc ex manibus Ioseph, quem uidebat rationem habere manuum dextræ ac sinistræ, ac studio alterum dextra prehẽsum ad sinistram suam, alterum sinistra acceptum ad dexteram suam locare ac sistere, unde facile ex manibus Ioseph intelligebat uter esset primogenitus. Vel ut relatio fiat non ad manus Ioseph, sed ad manus Iacob, ut intelligamus illum quis primogenitus esset, ex suis ipsius manibus intellexisse, ex eo uidelicet, quòd illum animaduerteret data opera ad dexteram suam esse locatum. Quare autem dextram suam minori, non maiori imponere uoluerit, infrà declarabitur.

Quod in præsenti obseruandum ueniat, id esse puto, quod cum posset iubere, ut Ephraim sibi ad dextram, Manasseh ad sinistram sisteretur, ut nulla opus esset manuum transpositione, permisit Iosepho ut quomodo uellet, filios suos ordinaret, & ipse interim manus transponens quod faciendum esse sciebat, tacitus fecit. Primùm nolebat confundere Iosephum, nec filijs illius rancoris & odij causam obijcere. Existimabat enim eos non obseruaturos manuum transpositionem. Deinde adumbrabatur mysterium crucis, in quo est omnis ueræ benedictionis fons & origo.

Et benedixit Ioſephum, & ait: Deus, in cuius conſpectu ambulauerunt patres mei Abraham & Iſaac, Deus, qui paſcit me donec uiuo, in hunc uſq; diem, angelus qui eripuit me de omni malo, benedicat pueros iſtos, & uocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum Abrahæ & Iſaac, & creſcant in multitudinem in medio terræ.] Manus imposuerat filijs Iosephi, & dicit Moses benedixisse eum Iosepho. Non est hoc præter rationem dictum à Mose. Etenim ipsum Iosephum, cum esset penultimus filiorum suorum, propter singularem honorem quo diuinitus erat ornatus, proq; beneficentia eximia quam in se & reliquos suos filios declarauerat, deinde propterea quòd esset ipsi charissimus propter matrem Rahelem, constituerat primogenitum. Ad primogenituram uerò pertinebat benedictio. Quare quod filios illius impositis manibus benedixit, non tam est ad illorum quàm ad ipsius dignitatem & prærogatiuam referendum. Hoc opinor innuens Moses dicit: Et benedixit Iosephum. Et alioqui quemadmodum prosperitas filiorum, prosperitas est patris: ita rectè hic pater benedici dicitur, ubi filij illius benedicuntur. Multiplicatio Ephraim & Manasseh multiplicatio fuit Iosephi. Sic illorum benedictio, huius erat benedictio.

Deus, inquit, in cuius conſpectu ambulauerunt patres mei, &c. Hoc est: Deus, quem coluerunt patres B
mei Abraham & Isaac. Etenim ambulare in conspectu Dei, est in conscientia, fide, obseruantia & sincero cultu Dei uiuere, illum in omnibus præ oculis habere, omnia ad uoluntatem & nutum illius dirigere, & toto corde ab illo solo pendere.

Deus qui paſcit me donec uiuo (in Hebræo est, מרעי, id est, ab eo quo ego) *in hunc uſq; diem, &c.*] Obseruanda sunt ista diligenter. Sensus est: Deus patrum meorum Abraham & Isaac, & Deus meus. Verùm ut hoc efficacius & magis ad gloriam Dei exprimat, hac utitur periphrasi, quam uidemus esse geminam & pulcherrimè dispositam. Volens dicere, Deus patrum meorum Abraham & Isaac, dicit: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac. Adhuc uolens dicere, Deus meus, dicit: Deus, qui pascit me donec uiuo, &c.

Argumenta quibus declaratur eſſe Deum alicuius Deum.

Argumenta quibus declaratur Deum alicuius esse Deum, gemina sunt. Vnum est ex Deo, alterum ex nobis. Ex Deo est, quo ille fidem & bonitatem suam erga nos declarat, unde liquet, esse eum Deum nostrum. Ex nobis est, quo nos syncero & ueraci cultu declaramus, quòd eum pro Deo nostro habeamus. Ad posterius pertinet quod dicit: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei, &c. Ad prius, quod subiungit: Deus qui pascit me donec uiuo in hunc usq; diem. q.d. Deus qui inde à iuuentute mea ad hunc usq; diem pascendo me declarauit quòd sit Deus meus. Pleno corde prædicat ista de Deo, idq; insigni prouidentia spiritus, cum simpliciter dicere posset: Deus patrum meorum, &c. Verùm adstantes filios & nepotes suos interea dum filijs Iosephi benedicit, pulcherrimè ædificat cùm in fide diuinæ prouidentiæ Dei, quam ipse expertus fuerat à puero, tum in obseruantia Dei & uero cultu, in quo ambulauerant patres ipsorum Abraam & Isaac, quorum dubio procul sacrosancta erat inter ipsos memoria & existimatio.

Et utinam ad hunc modum de generationis nostræ maioribus prædicare possemus. Glorioſum existimamus de bellica uirtute & claris gestis illorum multa commemorare. At quanto præclarius elogium est, quòd Iacob de suis patribus dicit: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac?

Diſtinctè ac modeſtè loquitur Iacob.

Deinde & illud obseruandum est, quàm distinctè loquatur de se & patribus. Cum dixisset, Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraam & Isaac: non adijcit, Et ego: licet & ipse ad terminum usq; uitæ suæ in conspectu Dei ambulasset: sed, Deus, qui pascit me donec uiuo, &c. Erat idem Deus in cuius conspectu ambulauerant patres ipsius, & à quo ipse nutritus fuerat: uerùm maluit prædicare illius erga se gratiam & beneficentiam quàm suam erga illum fidem & pietatem. Hoc autem nõ sic annotamus, quasi alienum sit à sanctis hominibus profiteri de seipsis, quòd in conspectu Dei ambulent. Nam hoc & Abraham fecit suprà cap. 24. dicens: Deus in cuius conspectu ambulo. Et Apostolus Rom. 1. Quem colo, inquit, in spiritu meo: sed quòd modestia ista Iacobi nos sit conuenientior, qua & ipsi de pietate maiorum magis quàm nostra mentionem faciamus.

Tertiò,

A Tertiò, uidendum etiam est quod genus beneficentiæ de Deo suo prædicet. Deus, inquit, qui pascit me donec sum in hunc usq; diem. Angelus qui eripuit me de omni malo. Poterat maiora de Deo prædicare, uerùm eadem ipsa prædicat, quæ olim ab eo cum in Bethel uotum faceret petierat, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in uia qua ego ambulo, & dederit mihi panem ad uescendum, & uestimentum ad induendum, reuersusq; fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, &c. Suprà cap. 28. Huius uoti sui memor dicit: Deus qui pascit me donec sum ad hunc usq; diem, angelus qui eripuit me de omni malo. Sunt hæc admodum magnifacienda, & ipsissima opera diuinæ prouidentiæ, quòd pascimur uidelicet & custodimur. *Quod genus beneficentiæ de Deo prædicet.*

Sed quæsierit quisquam quid sit quod dicit: Angelus qui eripuit me de omni malo: An liberationē hanc tribuat angelo: deinde an non satis existimauerit, si Deus pueros illos benedicat nisi etiam ab angelo benedicantur. Sunt qui hic Iacobum loqui putent non de angelo quouis, sed de uerbo Dei, quòd ipsi aliquoties apparuerit in specie hominis. uerùm licet illorum sententiam hic impugnare nolim: meo tamen iudicio nec tribuit liberationem sui angelo, nisi quantum ministro & organo Dei, nec opus diuinę benedictionis illi cōmunicat, sed acceptum per angelum non ab angelo liberationis beneficium rememorando prædicat. Opus alimoniæ simpliciter Deo tribuit, liberationis uerò, mediante angelo. Vtrunque Dei est: uerùm quoniam solet suos Deus angelorum ministerio periculis eximere & liberare, pascere uerò & nostri laboris & humanæ opis interuentu, sicuti Iacobum hunc primum cura paterna, deinde suisipsius laboribus, & postea opera Ioſephi in Aegypto pauit, nō inconsultè ad hunc est modum differenter de utroq; hoc opere Dei loquutus. Meminit angeli liberatoris, optans pueris istis eiusdem liberationis ministerium angelicum, quod ipse fuerat in omnibus periculis expertus. Nec est alienum à superioribus, quòd angelo tribuit benedictionem. Vide suprà cap. 32. ubi angelus Iacobo benedixisse legitur. De angelico ministerio diximus alibi. De malis quæ Iacob expertus, & de quibus liberatus est, cap. præcedenti diximus. *Quæstio de angelis.*

Benedicat pueros istos, inquit.] Dixit Moses Iacobum benedixisse Ioſepho. At hic uidemus benedictionem illius fuisse benedictionem filiorum eius, nec aliud quicquam quàm diuinæ benedictionis apprecationē. Non benedixit ipse, sed apprecatus est pueris istis à Deo ut ille eos benediceret. Deus inq;, benedicat pueros istos. Vera & efficax benedictio solius Dei est, bñdictionis illius apprecatio piorū hominū.

B *Et uocetur in eis*, inquit, *nomen meum, & nomen patrum meorum Abrahæ & Isaac.* Hoc est, mihi & patribus meis accenseantur filij mei, & Israelitæ nominentur. Pertinet hæc particula ad prærogatiuam adoptionis, qua eos in numerum ac sortem filiorum suorum adoptauerat. Vulgata latina sic habet: Et inuocetur super eos nomen meum, & nomina patrum meorum, Abraham & Isaac. Hinc Eccius in locis suis inuocationi sanctorum mortuorum patrocinium quæsiuit. Sancti, inquit, ut amici Dei sunt implorandi, ut pro nobis intercedant. Si scripturæ testimonia petas, citat tibi hunc præsentem locum: Dixit Iacob, Et inuocetur nomen meum super eos, & nomina patrum meorum. Ergo Iacob iussit ut post mortem suam à posteris imploraretur, & inuocaretur. Quàm quæso alienus est hic sensus ab animo sancto ac modesti uiri? quamq; alienus ab illius uerbis? Non dixit, Inuocetur nomen meum super eos: sed, יקרא בהם שמי, id est, uocetur in eis nomen meum. Similis loquutio est Esa. 4. ubi futurum fuisse prædicitur, ut septem mulieres uirum unum apprehenderent ac dicerent: Panem nostrum comedemus, & uestimentis nostris operiemur, tantummodo יקרא שמך עלינו, id est, uocetur nomen tuum super nos, id est, nominemur tuæ uxores, uocemur tuo nomine. ubi consimiliter uertit latinus interpres, inuocetur nomen tuum super nos. Accedat Eccius, & peruertat sensum, exponatq; de inuocatione mortuorum. Verùm Lyranus paulo æquior scripturis, hic uerba Iacob sic exponit. Et inuocetur, inquit, super eos nomen meum, quia uocati sunt filij adoptiui Iacob, & facti sunt capita duarum tribuum sicut alij filij Iacob. Hæc ille. Habes exemplum quomodo aduersarij manifestos errores corruptione scripturarum defendere moliantur. *Contra eos qui inuocationem sanctorum ex hoc loco patrocinium quærunt.*

Et crescant, inquit, *in multitudinem in medio terræ.*] Exprimit quale genus diuinæ benedictionis illis apprecetur. In medio terræ, intelligo de terra Aegypti, propterea quòd promissum illi fuit à Deo, cum descenderet in Aegyptum, quod in illa euasurus esset in gentem magnam, quemadmodum etiam postea reipsa est monstratum. Cum enim introducendi essent in terram Canaan, numerus posterorum Manasseh fuit quinquaginta duorum millium & septingentorum, Ephraim uerò triginta duorum millium & quingentorum, dempta omni illa multitudine quæ perierat in deserto, in qua numerus filiorum Ephraim aptorum ad bella cum Aegyptum egressi essent, erat milliū quadraginta, & 500. Manasse uerò 32. millia & ducenti.

Et uidit Ioseph quòd posuisset pater ipsius manum suam dexteram super caput Ephraim, & displicuit hoc in oculis ipsius, & apprehendit manum patris sui, ut amoueret eam de capite Ephraim super caput Manasseh. Et ait Ioseph ad patrem suum: Non sic, pater mi. Nam hic est primogenitus. Pone dexteram tuam super caput eius. Et renuit pater eius, ac dixit: Scio, fili mi, scio. Etiam hic erit in populum, & hic quoq; magnus erit: uerùm frater eius minor maior erit ipso, & semen illius erit impletio gentium.] Ioseph ægrè tulit quòd pater manum dexteram minori filio imposuerat. Et quoniam existimabat hoc admodum esse inconueniens, & contrarium dignitati primogenituræ Manasseh, deinde putabat per errorem fieri à patre, apprehensam illius dexteram conatus est transferre in caput Manasseh. Et ne hoc temere facere uideretur, alloquutus est patrem, dicens: Non sic, mi pater. Nam hic est primogenitus. uerùm Iacob translationem dexteræ suæ

non ferens, respondit se scienter hoc facere, non per errorem. Et rationem adiecit, quam Ioseph ignorauerat. Scio, inquit, fili mi, scio. Etiam hic, id est, Manasseh, qui primogenitus est, in populum erit, & magnus. Verùm frater eius minor erit ipso maior. Non est hoc ad multitudinem posteritatis referendum, quæ in Aegypto & in deserto creuit, nam illa maior fuit in posteris Manasseh quàm in posteris Ephraim, sed ad dignitatem magis potentiæ ac regni. Ex Ephraim natus est Iehosuah, & per Rehoboam decem tribus translatæ sunt à Iehudah ad Ephraim.

Illud, Et semen illius erit impletio gentium. Sic est in Ebræo מלא הגוים, quod uerti potest plenitudo gentium. Chaldæus habet שלטין בעממיא, id est, potentes in populis. R. Shlomoh exponit: Totus mundus implebitur fama eius. Septuag. habent εἰς πλῆθος ἐθνῶν, id est, in multitudinem gentium. Vulgata latina: Crescet in gentes. Respiciunt quidam hic ad uocationem gentium quæ facta est per Christum. uerùm simplicius est ut uoculam מלא intelligamus significatione multitudinis esse positã, sicuti Septuaginta uerterunt.

Iterum reprobatur primogenitura carnis.

Obseruandum hic est, iterum reprobari primogenituram carnis. Qui carnis natiuitate primus erat in filijs Ioseph, posteriores accipit, & posteriori postponitur. Accidit hoc in Ismaele, in Esau, in Ruben, & hic in Manasseh. Prærogatiua carnis ad gloriam liberæ electionis Dei reprobatur. Et consilio hoc Dei etiam sancti non statim intelligunt. Non intellexerat Abraham neq; Isaac. Neq; Iacob intellexisset in suis ipsius filijs, nisi primogenitus ipsius Ruben insigni facinore declarasset indignum se hac esse prærogatiua, quamuis propositum hoc gratiæ Dei ac liberæ electionis in seipso fuerat expertus. Sic Ioseph quoq; in gloria carnalis natiuitatis hærebat, non intelligens consiliũ Dei, quamuis uir esset spiritu sapientiæ Dei præditus. Sic sancti quoq; non omnia intelligunt, ne ea quidem quæ filios ipsorum concernunt.

Sancti non intelligunt omnia, ne in libris quidem suis.

Dextera Dei nobis siniſtra, et siniſtra illius nobis est dextra. Et éconuerso.

Deinde obserua quòd dextera Iacob Iosepho siniſtra, & siniſtra illius huic dextera fuit. Sic erant illorum manus sibi inuicem ex aduerso oppositæ, idq; in causa eadem. Quod Iacob faciebat prudenter, id Iosepho uidebatur error: contrà quod Iosepho iustum & æquum esse uidebatur, Iacob ignorantiæ illius deputauit. Non modò inter homines sic inuicem aduersantur etiam coniunctissimorum studia, sed idem usuuenit inter Deũ quoq; & nos. Huius dextra nobis est siniſtra, & nostra dextera illi siniſtra. Stamus enim illi ex oppositio quoties in rebus salutis nostræ, iudicio carnis magis quàm sensu spiritus ducimur. Cui ille dextram imponit, illi nos siniſtram: & cui ille siniſtrã, huic nos dextram imponimus. Quod ille bonum esse iudicat, nos malum: quod malum ille, nos bonum esse iudicamus.

Et benedixit eis de illo, dicens: In te benedicat Israel, & dicat, Ponat te Deus sicut Ephraim, & sicut Manasseh. Et posuit Ephraim ante Manasseh. Hanc coronidem benedictioni suę adiecit. Pertinet ad benedictionem multiplicationis. Loquitur Iosepho, cum dicit: In te benedicat Israel, uerùm respicit ad filios: & quod iliis futurum erat, ipsi tribuit. Sensus est: Tanta fiat posteritatis tuæ multitudo, tantaq; felicitatis gloria, ut obtineat hæc consuetudo in Israele, ut pater benedicens filio suo, dicat: Ponat te Deus sicut Ephraim & Manasseh, hoc est: Sic benedicat te, sic multiplicet te, sicuti multiplicauit Ephraim & Manasseh.

Et posuit Ephraim ante Manasseh.] Potest quidem intelligi de eo quod in benedictione hac Ephraim nominauit ante Manasseh, illiq; dexteram imposuit. Verùm, meo iudicio, loquitur de eo Moses, quod in Ephraim minorem filium Ioseph primogenituræ dignitatem transtulerit, illumq; fratri Manasseh præposuerit. Sic & Germanicus interpres sensisse uidetur, cum uertit, *vnd setzt also Ephraim über Manasseh.* An postea Ioseph domi primogenituræ prærogatiuam Manasseh ademerit & in Ephraim transtulerit, certò tradi non potest. Ea res plurimum rancoris ac simultatis inter duos hosce fratres peperisset.

Et dixit Israel ad Ioseph: Ecce ego morior, & Deus erit uobiscum, ac reducet uos ad terram patrum uestrorum. Et ego do tibi partem unam ultra fratres tuos quam cepi de manu Amorrei in gladio meo & in arcu meo.] Hactenus benedixit filijs Ioseph. Iam illi legat partem aliquam præ fratribus ipsius, singularis honoris gratia. Ecce ego morior, inquit. Hoc est: morti uicinus sum, discedam à uobis, relinquens uos hic in Aegypto: uerùm non discedet à uobis Deus qui non moritur. Is erit uobiscum, utcunq; habituræ sint hic res uestræ: & ubi tempestiuum erit, reducet uos ad terram patrum uestrorum terram Canaan, quam illis & uobis promisit. Vides exemplũ fidei. Moriturus erat, & nihil adhuc de terra Canaan possederat. Moriturus erat in Aegypto, & ibi uidebat omnem suam esse familiam. Nihilo tamen secius adhuc firmus in mortem usq; in fide promissorũ Dei perstat, & filijs suis hoc cõsolationis relinquit, quòd reducendi essent in terram Canaan, & in ipsa Aegypto haudquaquam deserendi à Deo. Deinde, uide quomodo Iosephi principatum in Aegypto tanti non faciat, ut propter illum ponendam iudicet spem rerum futurarum, quas Deus patribus promiserat.

Et ego, inquit, do tibi partem unam.] In Hebræo est שכם, id est, Schechem. Septuaginta habent. Ego uerò do tibi σίκιμα ἐξαίρετον, id est, Sicimam præcipuè. ut quod in Ebræo est אחד accipiatur pro præcipuo & separato, sicut & Hieron. placuit. Intelligunt communiter de Sichem quam filij Iacob uastauerant, suprà cap. trigesimoquarto, Ioan. quarto sic legitur. Venit ergo ad ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob filio suo Ioseph. Hæc ibi, quæ uidentur de donatione hac præsenti dicta esse, qua Iacob filio suo Ioseph extra sortem ac separatim Sichem dedit. Verùm in Ioanne est non Sichem, sed Sichar. Deinde prædium hoc iuxta Sichem emerat centum numis, idq; à filijs Hemor, non ab Amorreis. Videntur hæc non conuenire ijs quæ hic legimus. Etenim aliud est emere pecunia, &

A cunia,& aliud arcu & gladio quicquam occupare.

Dicam quid mihi uideatur. Primùm id constat,dedisse Iacobum filio suo Ioseph agrum illum iuxta ciuitatem Shalem,quæ Sichem aliàs uocatur,quem emerat ab Hemor patre Sichem supra cap. trigesimotertio. Huius rei testimonium non solum est in uerbis Euangelistæ suprà citatis, sed & Iosue ultimo,ubi sic legitur: Ossa quoq; Ioseph,quæ tulerant filij Israel de Aegypto, sepelierunt in Sichem,in parte agri quem emerat Iacob centum numis,& fuit in possessione filiorum Ioseph. Deinde quod attinet uoces Sichem & Sichar, patet admissam esse corruptionem, qua pro Sichem scriptum est Sichar. Sichar nulla mentio est in scripturis,sed ubiq; memoratur Sichem. Tertiò,quòd hic habetur, Quam accepi de manu Amorrei, suprà uerò trigesimotertio memoratur,quod acceperit agrum ab Hemor patre Sichem,nihil habet discrepantiæ. Nam Hemor proprium,Amorreus uerò gentis nomen est. Erat ille Hemor Amorreus. Et terra Amorreorum cessit in sortem Ephraim. Potest etiam accidisse, ut pro חמור,id est,Hemor scriptum sit חאמורי,id est,Aemorrei. Quartò,quòd hic habetur, quam tuli de manu Aemorrei gladio meo & arcu meo, referunt ad id quod Sichem ciuitas gladio filiorum Iacob uastata,& de manu Hemor Amorrei iure belli adempta est,qua de re suprà cap.trigesimoquarto. Offendit in hoc sensu,quod Iacob factum filiorum suorum sibij ipsi adscribit,cum id admodum ægrè tulerit. Deinde quod ciuitatem gladio Simeonis & Leui acquisitam Iosepho dedit,cum hisce duobus potius danda fuisse uideatur. Ad utrumq; facilè respondetur. Facinus filiorum ipsius ob id ipsi displicuerat, quòd periculum inde metuebat. Sublata causa, non fuit amplius locus effectui. Deinde ad ius suum pertinebat,quod acquisierant filij adhuc ipsius domestici. Quare potuit dare pro suo arbitratu cui uolebat. Sic inquam ad ea quæ hic offendunt, responderi potest. Verùm si legas, Do tibi partem unam (Sic habet uulgata latina,& Pagninus & Monsterus, & Paraphr. Chaldæus quoq; חולק חד,id est, partem unam uertit) non de ciuitate,sed de agro ab Hemor empto intelligendum erit,in quo postea sepultus est Ioseph,& quod dicit, Quam tuli gladio meo & arcu meo,non sic capiendum erit, quod uerè gladio & arcu agrum hunc occuparit, sed quod suo gladio & suo arcu, id est,suo more, armis quibus ipse fuerat usus,emendo uidelicet,non ui auferendo illum acquisierit,ut hac loquutione & factum filiorum suorũ Simeonis & Leui perstringat,& de uitæ suæ innocentia ad eum usq; diem seruata uice exempli suos admoneat. q. d. Do tibi partem quam sine ui & sanguine iustè & innocenter acquisiui. Nusquam legimus Iacobum hunc armis bellicis usum. Omnis illius uita innocua & incruenta extitit. Quare arbitror eum

B huc tam non de gladio & arcu loqui, ut potius eiusmodi uiolentas alienorum bonorum occupationes obliquè perstringat,& etiamnum sibi factum filiorum suorum displicere ostendat. Dico quid mihi uideatur absq; ullius præiudicio. Et existimo hunc sensum haud esse nec à mente Iacobi, nec ab ipsa re de qua agitur alienum, & interea pulchrè conuenire ad ea quæ ex Iosuah & Euangelista Ioanne citauimus. Quod si cui ista non satis probantur,inspiciat sententiam R. Shlomoh,qui putat Iacobum loqui de eo quod posteri ipsius in terram Chanaan ducti facturi erant, ut quod dicit, Quã accepi de manu Amorrei in gladio meo & arcu meo: idem sit quod, Quam accipiam de manu Amorreorũ gladio & arcu meo. uerùm mihi huiusmodi tortæ expositiones non admodum probantur.

Vides etiam hac in re pulcherrimum fidei exemplum. Moriturus & peregrinus in Aegypto, diuidit suis possessiones terræ Canaan.

CAPVT XLIX.

ARGVMENTVM CAPITIS.

Prædicit Iacob filijs suis ex ordine singulatim quæ euentura ipsis erant: deinde benedicit illis etiam: & postquam in genere de sepultura sua præcepisset, moritur.

ET uocauit Iacob filios suos,& ait: Congregamini,& indicabo uobis quæ euentura uobis sunt posterioribus diebus. Congregamini & audite filij Iacob,& auscultate ad Israelem patrem uestrum.] Videntur ista non esse immediatè tum facta,cum præcedentia gererentur. Nam uerbo uocandi & congregandi inuui uidetur,non fuisse omnes filios Iacob coram patre,cum aduenisset ad eum Ioseph, & filij illius ab eo benedicerentur & adoptarentur, sed demum hisce peractis uocatos & congregatos. Credibile est fuisse eos pascendis gregibus occupatos,si non omnes,saltem aliquot ex eis.

Et uocauit, inquit, *Iacob filios suos.*] Si absentes fuerunt, uocauit eos per internuncios: si præsentes, quod subiungitur, Congregamini, expositionem habet, quomodo eos uocauerit: dicendo uidelicet, alioqui,maiori saltem ex parte,præsentibus: Congregamini,congregamini,& audite filij Iacob,& auscultate ad Israelem patrem uestrum. Vocabat eos ut propius ad se & coniunctim accederẽt, quo commodius & intelligibilius omnia perciperent.

Requirit autem,ut non oscitanter ac simpliciter audiant, sed ut diligenter auscultent, id quod ingeminatione uerbi, Audite, innuitur. Quare quod in Ebræo secundò ponitur שמעו,id est, audite, uisum est reddere, Audite,& auscultate,ut mentem patriarchæ exprimerem.

Et quàm hoc æquum esset, in eo expressit quod non simpliciter dixit, Audite & auscultate ad me: sed, Audite filij Iacob,& auscultate ad Israelem patrem uestrum. Duo nomina sua memorat, Iacob & Israel: quorum alterum erat carnis, acceptum à parentibus: alterum spiritus, à Deo ipso impositum. V-

trobiq; paternitatis authoritatem annectit, dicens, Filij Iacob: &, ad Iſraelem patrem ueſtrum. Duo fortiſsima argumenta præmittit ad excitandam in cordibus illorum audiendi & auſcultandi diligentiam: unum à natura, alterum à religione. utrobiq; erat ipſis pater. Vtrinq; conueniebat eos ad auſcultandum moueri. A

Iraq; habent hæc uerba excitationem mentium, eamq; haud leuem, ſed admodum ſeriam. Nec leuis eſt cauſa, ob quam eos conuocat, & ad auſcultandum congregari ad ſe iubet. Et indicabo uobis, inquit, quæ euentura uobis ſunt poſterioribus diebus. Eſt hoc paternæ curæ & fidei opus, præmonere ſuos de ijs quæ illis ſunt euentura. Et incumbit hæc cura non modò patribus familiàs, ſed & ducibus ac moderatoribus populi. Sic Iſraelem Moſes Deut. 31. 32. & 33. & Ioſuah ultimo capite, cũ morituri eſſent, de rebus futuris præmonuerunt, quemadmodum & diſcipulis ſuis Chriſtus cùm in ultima cœna, tum ante aſcenſionem ad cœlos quæ uentura ipſis erant, prædixit. Eiuſmodi autem præmonitionum ingens eſt utilitas, ſi aures ſint audiendi, & cor intelligendi.

Illud, Poſterioribus diebus, in Ebræo eſt: באחרית הימים, id eſt, in poſteritate dierũ. Non loquitur de planè nouiſsimis diebus, ſed de temporibus illis quibus terram Canaan erant poſſeſſuri. Ad omnino nouiſsimos dies pertinent ea quæ cæcitatem huius populi, deſolationem, diſperſionem, & congregationem ad ueram fidem concernentia prædicta ſunt in ſcripturis. Quare inconſultius uerſum eſt à nonnullis, In nouiſsimis diebus. Tigurina habet Poſteris temporibus.

De eo quoq; admonẽdus eſt lector, cõpoſitionem uaticinationis huius habere aliud genus dicẽdi, ar gutius aliquãto & grauius quã habeant præcedẽtia. uidelicẽt eſſe hic ſpecies carminis, qualis eſt in canticis & pſalmis. Breues & cõciſæ loquutiones, uocũ earundẽ repetitiones, ac eiuſdẽ ſententiæ aliter expreſſæ ingeminationes, cũ obſcuritate ſenſus, carminib. peculiari, ſatis indicãt eſſe iſta ad formã cantici prolata. Nec immeritò. Conuenit enim cygno morituro peculiaris quædã & ſingulariter concinna modulatio.

Ruben. *Ruben, primogenitus meus tu, uirtus mea & principium roboris mei, excellentia dignitatis, & excellentia fortitudinis. Leuis es ut aqua. Non excelles. Quoniam aſcendiſti lectum patris tui, tunc polluiſti ſtratum meum aſcendendo.*] Duę ſunt partes eorum quæ à Iacobo hic filijs ipſius proponuntur. Vna habet prędicata, altera uaticinia. Prædicata ſunt gemina: alia laudis, alia reprehenſionis. De Ruben principiò prędicat ea quæ poterant illi laudi eſſe, niſi ſuopte illa uitio defœdaſſet, ſcq; ipſe laude priuaſſet. Ruben, inquit, primogenitus meus tu. Erat hoc magnę dignitatis. Quare ſubiungit: Virtus mea & principiũ roboris mei. Vocat eum uirtutem ſuam, intelligens de uirtute generandi, quo etiam ſenſu uocat eum principiũ roboris ſui, niſi quòd eo illũ encomio propter primogenituram celebrat. Opus uirtutis & roboris uocat uirtutẽ & robur. Et quoniam eum primogenitum acceperat, nominat eum principium roboris ſui. Vnde Sept. habent, *καὶ ἀρχὴ τεκνώσεώς μου*, id eſt, & principiũ filiorũ meorum. Procreatio filiorum robur eſt & uirtus patris. Fructus uirtus eſt arboris. Illud tamen, Principium roboris mei, quod eſt in Ebręo ראשית אוני, à nonnullis uertitur: Principium doloris mei. Vocula nanq; און non ſolum robur, ſed et luctum & dolorem ſignificat. Si filios ſuos dolorem ſuum eſſe ſenſiſſet, rectè primogenitum principium doloris ſui uocaſſet. Si uerò, qui legunt, Principium doloris mei, ad dolorem reſpiciũt quem ex eo conceperat Iacob, quòd hic primogenitus ipſius lectum ſuum polluerat, cogitent eum dolorem non fuiſſe illi primum. Præceſſerat enim ſtupratio Dinæ, & facinus filiorum ipſius Symeon & Leui. B

Excellentia dignitatis, inquit, *& excellentia fortitudinis.*] Encomium eſt primogeniti. Dignitatis eſt, filio eſſe filium uiri honeſti: fortitudo eſt, patris procreaſſe filium. At primogenitum eſſe, excellentiam habet dignitatis, qua primogenitus cæteris ſuis fratribus iure primogenituræ præfertur: ſic primogenitus patri eſt excellentia fortitudinis. Particula hæc in Ebræo ſic legitur יתר שאת ויתר עז. uox יתר excellere, & יתר excellentiam ſonat. שאת uerò dignitatem à uerbo רשא. Quare uerſionem hanc magis probo quàm eam quæ eſt Sept. quæ ſic habet: *σκληρῶς φέρεσθαι καὶ σκληρῶς ἀνθάπτου ἐξυβρίσας*, id eſt, durus toleratu, & durus ac peruicax iniuriam feciſti. Vulgata latina habet: Prior in donis, maior imperio. Chaldæus paraphr. ſic reddidit: Tibi conueniebat ut acciperes tres partes: primogenituram, ſacerdotium, & regnum.

Vtut legas, obſeruandum nobis eſt, eſſe hoc antiquum & uſitatum illis qui naturali ſunt prærogatiua cæteris prælati, ut honoris ac dignitatis ſuæ rationem non habeant. Homo, inquit, prophera, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Sic Ruben iſte dignitati ſuæ non parcens, turpi illam flagitio commaculauit, immo prorſus amiſit.

Prudentiæ uerò eſt, quòd huius illum pater admonet, ut unde uitio ſuo ceciderit, & quid contemſerit, agnoſcat. Facit iſta dignitatis commemoratio ad exaggerandum delictum. Sic Eſaiæ primo: Filios enutriui & exaltaui, & ipſi ſpreuerunt me. Et cap. quinto: Vinea facta eſt dilecto meo. Et 2. Reg. 12. Ego unxi te in regem, &c.

Leuis es, inquit, ut aqua. Pertinet hoc ad prædicata reprehenſionis & exprobrationis. Exprobrat illi animi leuitatem ac uanitatem, quam aſsimilat aquæ, propter inſtabilitatem. Verùm non aberraueris, puto, ſi legas: Diffluens ſicut aqua non excelles, ut pertineat hæc particula ad uaticinia futurorum euentuum. q.d. Non creſces, non excelles inter fratres tuos, ſed inſtar aquæ effuſæ difflues. Non ſic hoc illi prædicit, quòd ſit poſteritas illius prorſus interitura, ſed quòd non ſit prærogatiuam aliquã in Iſraele habitura, nec admodum multa futura. Sic & Moſes Deuteronomij trigeſimotertio dixit: Viuat Ruben, & non moriatur, & ſint homines illius numero pauci.

Quoniam,

Quoniam, inquit ascendisti lectum patris tui.] Subijcit αἰτιολογίαν, rationem uidelicet eius quod dixit: Non crescés, uel, non excelles, sed instar aquæ disfluës. De hoc illius peccato facta est mentio suprà ca. 35. Demonstrat hic Iacob, licet tacuerit hactenus, fuisse tamen hoc peccatum à cõscientia sua non absconditum, deinde tale esse, ut condonationem non admittat, sed dignum sit diuina uindicta. Et reuera dignus non est ut crescat, excellat, & honoribus natalium suorum potiatur qui authori originis dignitatisq; suæ contumeliam intulerit.

Tunc polluisti stratum meum ascendendo uel ascendens.] In Hebræo est uox עלה quæ ascendentis significationem habet. Septuaginta uerterunt, In quod ascendisti. Onkelos, Quando ascendisti. Pagninus uerò sic: Stratus meus excelsus fuit. Et Monsterus: Et stratum meum esse desijt. Isti uocem עלה uerbaliter accipiunt referentes non ad Ruben ascensorem & conspurcatorem lecti paterni, sed ad ipsum lectum & stratum. Quoniam uerò absurdum uidebatur, si redderent, Et stratum meum ascendit, uerterunt, Et stratum meum esse desijt, excisum est, metaphoricè excisionem uel sublationem uocantes ascensum. Et nos Germani ubi quid desijsse uel è medio sublatum esse dicturi sumus, dicimus, Es *ist vffgestohen*, id est, nusquam apparet, sublatum est. Respiciunt isti ad opinionem Hebræorũ, qui sentiunt Ruben non dormiuisse cum Bileah concubina patris sui, sed lectum patris sui, de tabernaculo Bileæ abstulisse, motum zelo matris suæ Leæ. Verùm suprà capite 35. manifestè legitur, quod וישכב, id est dormierit & incubuerit cum illa. Vulgata latina uoculam עלה prorsus neglexit.

Shimeon & Leui fratres, uasa uiolentiæ machæræ eorum. In secretum eorum non ueniat anima mea, & cœtui illorum non uniantur interiora mea. Quoniam in ira sua occiderunt uirum, & pro uoluntate sua fuffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quoniam pertinax, & indignatio eorum quia dura. Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.] Post Ruben primogenitum seruato ætatum ordine transit ad Shimeonem secundum post Ruben, illiq; tertium adiungit, nempe Leui. Vocat eos fratres, non quòd soli eandem habuerint matrem, cum adhuc quatuor essent eadem cum ipsis matre geniti, sed quòd eodem essent ingenio, eiusdem facinoris gratia culpabiles, quam etiam ob causam eos coniungit.

Vasa, inquit, uiolentiæ machæræ eorum.] Vulgata latina habet, uasa iniquitatis. חמס quidem aliquando pro iniquitate sumitur, uerùm eam iniquitatis speciem significat, quæ ui & uiolentia constat. Loquitur de gladijs illorum, quibus irruptione in ciuitatem Shalem facta trucidarunt Hemor, Sichem, & cunctos masculos, propter quod facinus eos hic reprehendit. Vide suprà capite 34. Sensus est: Machæræ eorum sunt uasa, uel instrumenta uiolentiæ. Factum eorum damnat uiolentiæ & iniquitatis, tam abest ut illius gratia uindicarit sibi ius ciuitatis Sichem. In Hebræo est מכרותיהם, Quoniam מכרה nonnunquam habitationem significat, usum est Monstero & Pagnino uertere, in habitationibus eorum: quasi sit במכרותיהם, cum litera, ב, non adsit. Et Chaldæus habet, in terra habitationis, uel incolatus eorum. Septuaginta aliter legerunt & uerterunt. Sic enim habent, συνετελεσαν ἀδικίαν ἐξ ἀιρέσεως αὐτῶν, id est, Consummauerunt iniusticiam ex adinuentione ipsorum. Pro מכרותיהם, id est ele, quod significat uasa, instrumenta, organa, legerunt מכלי, id est, calu, quod sonat, consummauerunt. Vau legerunt pro iod. Significat autem מלה consummare. Deinde illud מכרותיהם senserunt deductum esse à uerbo כרה quod adinuenire, uel, inuestigare significat, ut idem sit quòd, Ex adinuentionibus eorum. Respexerunt ad astutum eorum consilium, quo conditionem circumcisionis proposuerunt Sichimitis. Vulgata latina refert prædicatum hoc reprehensionis non ad gladios eorũ, sed ad ipsorum personas. Sic enim habet. Simeon & Leui fratres uasa iniquitatis bellantia. Hieron. uertit, arma eorum. Respexit opinor ad uerbum כרת quod excidere significat, ut מכרותיהם, id est excidia eorum, pro armis excidij, opus uidelicet pro instrumento operis, accepisse uideatur. R. Shiomoh sic exponit לשון בלי זיין חסיף בלשון יוני מכירי, id est, Significat arma gladij, lingua Ionica Machæræ. Haud quidem credo Iacobum, uel Mosen uocabulum Ionicum usurpasse, uerùm quoniam nõ dissplicet uersio Hieron. usum est cum Tigurina reddere hic, machæræ eorum.

In secretum eorum, inquit, non ueniet anima mea, potest & sic legi. In secretum eorum non uenit anima mea, & congregationi eorũ non fuerunt unita interiora mea, cum in ira sua occiderent uirũ, &c. Testatur in extremo uitæ suæ articulo nec participem se nec conscium fuisse consilij & consultationis duorum istorum filiorum suorum, cum necem patrarent Sichimitarum.

In secretum eorum, inquit, non uenit anima mea.] Secretum eorum uocat consilium eorum, propterea quod studiosè illud celarunt. Sciebant uidelicet, non placiturum patri, congregationem uerò uocat concursationem eorum ad consultandum & machinandum. Rem autem eandem bis dicit, cum dicit animam suam non uenisse in secretum eorum, nec interiora sua congregationi eorum fuisse unita.

Quod uerti Interiora, in Hebræo est כבדי, quod significat iecur meum, sicuti uox ista Exod. 29. uers. 13. accipitur. Sic etiam Septuaginta uerterunt.

Particula hæc in uulgata latina sic legit, In consilium eorũ non ueniat anima mea, & in cœtu eorũ nõ sit gloria mea, qa in furore suo, &c. Vox כבד etiã gloriã significat, per quã hic alij innocentiã, alij honorem & bonã famã, alij animã intelligunt Sensus est huius lectionis. Shimeon & Leui tales sunt, ut nolim consiliorũ & consultationis eorũ esse consors. Quare? Quia in furore suo occiderũt uirũ Hemorẽ uidelicet, uel Sichem. uel singulare positum est pro plurali. Nisi quis sic intelligendum esse putat. Quia in furore suo .i. cum perciti sunt furore, occidunt איש, id est, quemuis, parcentes nemini, et pro uoluntate sua, id est, si sic placuerit, suffoderent murum, niterentur uidelicet pro indemnita sua pertinacia etiam

muros ciuitatum ſubuertere. In priori ſententia, qua uidetur Iacob innocentiam ſuam aſſerere,& reprehendere factum filiorum ſuorum Simeonis & Leui, illud, Et pro uoluntate ſua ſuffoderunt murũ, innuere uidetur, eſſe illos ciuitatem non rectà, ſed ſuffoſſo muro ad perpetrandam cædem ingreſſos, quo noctu forſan, ex improuiſo in dormientes irruerent. A

Illud עקרו שור, id eſt, ſuffoderunt murum, Septuaginta uerterunt, ſubneruauerunt taurum. Et R. Shlomoh exponit, Ioſephum, quem uendiderunt. Et Thargum Hieroſolym. legit, taurum, exponitq; de Ioſepho. Verùm ſimplicius eſt & hiſtoriæ cõuenientius, ut legamus שור per ſurck, & uertamus murum. Sunt tamen qui putant hos duos uerè ſubneruaſſe taurũ, & hoc illis obijci loco inſignis maliciæ.

Maledictus furor eorum, inquit, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura.] Maledicit non iræ & indignationi, ſed pertinaci ac duræ illorum iræ. Ira alioqui furor breuis eſt. Verùm quæ pertinax eſt & inflexibiliter dura, dignam hic maledictione uidemus. Pertinax autem eſt, quæ ad exitium uſque ſæuit: & dura, quæ flecti non poteſt precibus ullis. Talis fuerat iſtorum furor.

Diuidam eos, inquit, in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.] Rem eandem bis dicit. Vaticinatur illis de futura ultione. Senſus eſt: Non habebunt certam & parem cum alijs ſortem in poſſeſsione terræ Canaan, ſed in tribubus fratrum ipſorum diſperſam. De Leuitis conſtat, quòd diſperſi fuerint inter alias tribus. De Shimeon Iehoſue 19. legitur, cecidiſſe illis ſortem in medio tribus Iehudah. Quod autem nõ dicit, Diuidet eos Dominus in Iacob, & diſperget eos in Iſrael: ſed, Diuidam eos, &c. argumentum eſt, loquutum eſſe eum ex ſpiritu & perſona Dei. Alioqui maioris erat modeſtiæ, quàm ut opus Dei ſibijpſi adſcriberet. Et huc etiam illud facit quod non dicit, Diuidam & diſpergam eos inter filios & poſteros meos, ſed in Iacob & in Iſrael, ut formam ſermonis non ſui, ſed Dei ſeruet.

Hactenus tres primos filiorum ſuorum pro meritis ipſorum reprehendit, Ruben, Shimeon & Leui, idq; coram cæteris, cum iam eſſet ex hac uita migraturus. Dubio procul non erant duntaxat hi tres reprehenſibiles, ſed cæteri quoque ut homines erant, ita etiam in quibuſdam deliquerant. Certè Iehudah in cauſa nurus ſuæ Thamar culpabilis erat. Verùm non conueniebat ut quæuis filiorum ſuorum delicta moriturus perſtringeret. Et hiſce tribus ignouiſſet, niſi enormius peccaſſent. Admonemur, conuenire hoc diſcretionis patribus familias & præpoſitis, ut nec quæuis ſuorum errata & delicta inſectentur, nec enormia diſſimulent, ſed illa coram omnibus reprehendant, & caſtigent, ſicuti Apoſtolus præcipit, quo timorem cæteris incutiant.

Iehudah, tu es quem laudabunt fratres tui, manus tua in ceruice inimicorum tuorum, incuruabuntur coram te filij patris tui. Catulus leonis Iehudah: à præda fili mi aſcendes, incuruabit ſe, accumbit quaſi leo, & quaſi leena. Quis excitabit eum? Non recedet ſceptrum à Iehudah, & dictator de medio pedum eius, donec ueniat Siloh, & huic erit aggregatio populorum. Ligabit ad uitem pullum ſuum, & ad palmitem filiũ aſinæ ſuæ. Lauabit in uino ueſtimentum ſuum, & in ſanguine uuarum operimentum ſuum. Rubicundis erit oculis à uino, & albis dentibus à lacte. Omnia ad uaticinia pertinent, niſi forſan illud, Iehudah tu es quem laudabunt fratres tui, legendum ſit in præſenti, quem laudant fratres tui, ut habeat prædicatum laudis & encomij, ſitq; ſenſus: Iehudah, ſic te geſsiſti inter fratres tuos ut laudem inter eos ſis conſequutus. Et reuera ſic cùm in cauſa Ioſephi tum erga patrem in cauſa Biniamin cum uiderentur ſimul omnes eſſe in diſcrimine, fideliter & cordatè geſſerat, ut non immeritò ſit laudem inter fratres ſuos non modò Ioſeph & Beniamin, ſed & reliquos conſequutus. Egregium planè hoc genus laudis eſt, ſic uiuere in medio fratrum, ut charus illis ſis & in precio habearis. B

Obſerua ſimul quomodo alludat ad nomen ipſius. Iehudah ſignificat laudantem & confitentem. Iehudah, inquit, te laudant fratres tui. Q.d. Vocaris laudator. Laudatus es inter fratres tuos. Cum natus eſſet, dicebat Leah mater illius: Iam laudabo Dominũ, eamq; ob cauſam uocauit eum Iehudah, nomine hoc ab affectu diuinæ laudis ſumpto. Hic diuinæ laudis filius, cuius gratia mater Domino ſacrificium laudis obtulit, ipſo nomine & ſe & fratres laudem Dei excitans hoc gratiæ à Deo accepit, ut merito factorum ſuorum laudem ſit à fratribus ſuis conſequutus, ut eſſet iam non ſolum materia & occaſio diuinæ laudis, & præterea laudator Dei, ſed & laudatus inter fratres.

Manus tua, inquit, in ceruice inimicorum tuorum, &c. Trimembre eſt hoc uaticinium Iacob de tribu Iudah. Primùm prædicit de bellica illius dexteritate. Deinde de regno illius regnandiq; perpetuitate ad ipſum uſque Chriſtum duratura. Tertiò de ubertate terræ poſſeſsionis illius.

Ad primum pertinet quod hic dicit: Manus tua in ceruice inimicorum tuorum. Hoc eſt: Vinces ac ſupprimes inimicos tuos. Victoris eſt, uerticem hoſtis manuprehenſam ad terram deprimere. Iudicum primo uide, quomodo hoc diuinitus datum ſit Iudæ, ut dux eſſet belli poſt Ioſuah contra Chananæos.

Incuruabuntur coram te filij patris tui, inquit.] Intelligo hoc dictum de eo quod factum eſt poſt mortem Ioſue, quando Iudah dux eſt belli electus à fratribus ſuis. Dubio procul tanquam ducem eum tum ſunt uenerati cæteri fratres.

Catulus leonis Iudah, &c.] Et hoc eſt de bellica uirtute dictum, propter quam eum leoni, leenæ, & catulo leonis comparat. leo capta præda accumbens non ſine periculo excitatur. Prædicit fore, ut tribus Iudah prędis hoſtium potiatur, & inſtar leonum futurus ſit terribilis non modò in accinctu belli, ſed & poſt victorias quieſcens, adeò, ut nemo ſit eum citra diſcrimen iritaturus & excitaturus. Referunt hoc nonnulli ad Dauidem.

Non

Non recedet sceptrum à Iehudah & dictator de medio pedum eius donec ueniat Shiloh, &c. Referendum hoc est ad eminentiam regni ac superioris potestatis, de cuius diuturnitate uaticinatur, quæ à Dauide cœpta durauit usq; ad uicinum Christi aduentum. Notius est quàm ut sit admonendum, quod in Hebræo est שבט, id est, uirga, sumi pro sceptro regio, adeoq; & pro gubernatione regni. Illud, Et dictator de medio pedum eius, referunt ad Sanhedrim, id est, iudices secundariæ potestatis posti regem. Onkelos Chald. Paraphrastes uocem Hebræam מחוקק quæ hic habetur, uertit, סנרא, id est, scriba. Sept. habent ἡγούμενος, id est, princeps, dux, moderator. Vulgata queq; latina habet, dux. Pagninus uertit, legislator. De medio pedum eius inquit. In Hebræo est, מבין רגליו. Chald. habet מבני בנוהי, id est à filijs filiorum eius. Sept. ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, id est ex lumbis eius. Et uulgata latina de femore eius, uidentur Septuaginta respexisse ad locum qui est Deut. 28. ubi sic legitur: Teneræ in te & delicatæ, &c. oculis malignabit in uirum suum, & in filiam suam, & in secundinas suas, quæ egrediuntur מבין רגליה, id est, de medio pedũ eius. quod sanè nihil est aliud quàm de utero eius. Verùm ea loquutio magis conuenit mulieri quàm uiris. Sunt ex nostris qui per pedes, exercitus pedestres intelligant, quod tortum esse uidetur. Mihi simplicius uidetur, ut de medio pedum eius nihil aliud esse sentiamus quàm, de medio eius, tribus scilicet Iudah, ut sit loquutio qualis est apud Græcos ἐκ τῶν ποδῶν, id est, ex pedibus: quod nihil sonat aliud, q̃ è medio. Sensus igitur loci huius est: In Iudah durabit sceptrum regium, & post hoc iudiciaria dignitas usq; ad aduentũ Shiloh. Non tollet è medio Iehudah potestas gubernandi ac moderandi populum Israelis donec ueniat Shiloh.

Vox etiam Shiloh uariè redditur. Nusquam reperitur in sacris scripturis præterquam hoc loco. Sunt qui putant eam esse compositam à שיל quod filium, & ה loco, ר, quod eius significat, ut sonet filius eius, Iudæ scilicet. Rursus sunt qui negent ה positum pro, ר sed sic esse positum à spiritu sancto, ut innuatur Christus filius mulieris. Habet enim ה notam articuli fœminini generis. Alij putant ה positum esse loco ח heth, ut legendum sit שילח, id est missus. Sic uertit latinus interpres: Donec ueniat qui mittendus est. Septuaginta quòd respexerunt, non uideo. Illic sic uerterunt, ἕως ἐὰν ἔλθῃ τὰ ἀπόκειμενα αὐτῷ, id est, dõnec ueniant quæ reposita sunt ei. Origenes indicat in quibusdam exemplaribus esse, Donec ueniat is, cui repositum est. Apparet illos uocem שילה sic intellexisse. ש cui, ר, pro יש, id est est, לח pro לר, id est, ei. q. d. qui ei est uidelicet promissus, ac in suum tempus repositus.

B Verùm hæc omnia, meo iudicio, non bene Mosaicæ dictionis simplicitati conueniunt, ad quam propius accedere uidentur, qui שילח deducunt à שלח. quod pacis uel pacificationis significationem habet, ut Shiloh sit pacificator populo Dei promissus. Hic autem nemo alius est quàm Christus, princeps pacis. Onkelus Chaldæus rectè uertit עד דייתי משיחא, id est, donec ueniat Messiah. Et R. Shlomoh exponit hanc uocem, עד דייתי משיח שהמלוכה שלו, id est, rex Messiah, propterea quòd illius est regnum. Et Thargum Hierosolymitanum: Non deficient, inquit, reges de domo Iehudah, neq; scribæ doctores legis de filijs filiorum eius, usque ad tempus quo ueniet מלכא משיחא, id est, rex Messiah. Tribus istis testimonijs Thargi Chald. Thargi Hierosolymitani, & R. Shlomonis respondeant Iudæi, qui contendunt uocem hanc שילה non pertinere ad Christum, de quorum uanis ac friuolis obiectionibus si cui cordi est illas inspicere, uideantur quæ Paulus Fagius in annotationibus suis, uersioni Thargi Chald. adiectis ex Galatino congessit.

Nos hoc loco manifestum uaticinium habemus, quo prædictum fuit non fuisse desituram regiam et iudiciariam potestatem à tribu Iudah, nisi instaret aduentus Messiæ. Vnde planè de cæcitate sua miseri Iudæi conuincunt̃, qua occæcati non agnoscunt ab eo tempore q̃ Herodes Ascolonita alienigena dolo regnum Iudaicum ad se traxit, Hyrcanum, Antigonum eius filium, reliquias regiæ stirpis, scribas & doctores legis מחוקקים, & omnes Sanhedrin interemit, atq; ita regnum & iudiciariã potestatem domui Iehudah prorsus ademit, locum fuisse factum prophetiæ huius per aduentum Shiloh, id est, Messiæ adimplendæ: Et huc respexit Euang. Lucas cap. 2. ubi de natiuitate Christi narraturus meminit esse eum natum Bethlehem in prima descriptione Cæs. Augusti, cuius edicto tota Iudæa Romano censui subiecta erat. Quare cum ab eo tempore, sic ipsa sedes regni ac sacerdotij, Hierosolyma uidelicet, destructa sit, & gens uniuersa partim deleta, partim in gentes dispersa, ut ad hunc usq; diem annis propè mille quingentis neque שבט, neq; מחוקקים de tribu Iehudah, neq; כהנים de tribu Leui & Aaron habuerint quicquid illi obijciant: nos certò teneamus uenisse Messiah promissum, essq; aduentu illius uaticinium hoc Iacobi adimpletum.

Et huic, inquit, erit aggregatio populorũ.] Vulgata latina habet, Et ipse erit expectatio gentiũ. Sic uerterunt & Septuaginta. Habet hæc particula uaticinium de uocatione gentium, quam hic spiritus sanctus aggregationẽ populorum uocat, illamq; ad Christum futuram prædicit, qua de re uide Esa. 2.

Ligabit, inquit, ad uitem pullum suum, & ad palmitem, &c.] Idem bis dicit. Vaticinatur de bonitate terræ quæ Iudæ erat sorte obuentura. Celebrat eam ob copiam uini, & lactis. Ad copiam uini pertinet quod dicit: Ligabit ad uitem pullum suum, & ad palmitem filium asinæ suæ. Intellige inter uindemiandum, ut uuis oneret asinum suum.

Lauabit in uino uestimentum suum, & in sanguine uuæ operimentum suum. Rursus idem bis dicit. Idem enim est uestimentum et operimentum, item, uinum & sanguis uuæ. Non est autẽ intelligendum quod tribus Iehudah fuerit uestimẽta sua lotura uino, cum id melius fiat aqua, sed quod tanta fuerit illis futura uini abundantia, ut si commodum esset, perinde loturi essent uestimenta sua uino atque aqua.

Rubicun-

Rubicundis, inquit, erit oculis à uino. Arbitror partē positā pro toto, oculos pro tota facie. Sensus est: Rubescent faciebus ex largo uini usu. Ad copiam lactis pertinet quod subiungit: Et albis dentibus à lacte. Innuit, fertilia illi & larga fore pascua, ad alenda pecora & armenta. Exponimus ista secundum simplicitatem literæ, quam ego, quicquid Origenes hoc loco sentiat, & qui illum sequuntur, omnino uerum & germanum sensum uaticinij huius habere iudico. Admodum temerarium est quod Origenes hic dicit, non posse ista ulla ratione, ut sibi uidetur, de historiali Iuda exponi, nisi Iudaicis fabulis annuere uelimus. Sic eneruantur scripturæ prætextu sensus mystici, & causa Christi incredulis Iudæis tanquam sophisticis commentis, non solidis scripturis suffulta sit, ridenda exponitur. Interea ubi scrupulus uel nodus aliquis est in ipsis uerbis explicandus, præsertim quod sanctæ linguæ phrasin attinet, ibi deprehenduntur allegorizatores & mysticatores isti quouis pisce magis muti. A

Zebulun ad littus maris habitabit, & ipse [erit] *ad littus nauium, & latus eius usq; ad Zidonem.*] De huius posteris nihil prædicit aliud quàm quo terræ Canaan loco sint habitaturi. Possessio illorum describitur Iehosue 19. & illic quoque mentio fit maris, & præterea montis Thabor. Magna commoditas est uicinitate maris, præsertim eo loco, ubi celebres sunt portus, qualis hic nominatur Zidon, & littus, id est, statio nauium.

Issaschar asinus osseus cubabit inter duos terminos. Et uidebit mansionem quòd sit bona, & terram quòd sit amœna, & inclinabit humerum suum ad ferendum, eritq; tributo seruiens.] Huic tribui futurum prædicit, ut seruiat in tributum, deditaq; sit laboribus ferendis. Et causam huius addit, quòd uidelicet cupidè amplexura sit mansionem suæ sortis, quam habitura sit in terra amœna, inter duos terminos. Et hos terminos exponunt litus maris mediterranei, & litus maris Galilæi, uel ipsius Iordanis. Iehosuæ 19. Videtur huic tribui sortem cecidisse inter montem Thabor & Iordanem. Quare uerosimile est commodam fuisse & fertilem eam terram. Vocat autem hanc tribum asinum osseum, id est, robustum, ad ferenda onera natum. Obseruandum est quid accidat illis quibus habitatio terræ fertilis & amœnæ contingit. Redduntur quietis amantes & retinendæ illius gratia sinunt se redigi in seruitutem, maluntq; esse tributarij, & onera seruitutis ferre, quàm aliud uitæ genus amplecti, quodsit cum discrimine coniunctū. Hoc genus hominum aptum est ad seruiendum, ineptum ad imperandum, quare conuenienter comparatur asino. Septuaginta autem aliter ista legunt. Sic enim habent: Issachar bonum concupiuit, quare quiescens inter sortes, & uidens requiem quòd esset bona, & terram quòd esset pinguis, suppossuit humerum suum ad operandum, & factus est uir agricola. Varietatis huius ratio est, quòd quædam aliter legerunt quàm nostra exemplaria habent, quædam etiam alio sensu acceperunt. Quod in Hebræo est Issaschar חמר, id est, hemor quod asinum sonat, legerunt ipsi חברי, id est, hamad per daleth quod significat concupiscere, & uocem גרם quæ sonat os ossis, acceperunt pro placido, utili, & bono, quam significationem in commentarijs Hebræorum habet. Atque ita quod nos legimus Issaschar, asinus osseus, ipsi uerterunt: Issachar concupiuit bonum. Deinde quod nos habemus, Inter duos terminos, reddiderunt, Inter sortes In Hebræo est בין חמשפתים, quę uox ducta à uerbo שפת quod ordinandi ac constituendi significationem habet, pro terminis in scripturis ponitur, non hic tantum, sed & Iudicū 5. ubi sic legitur, למיח ישבת בין חמשפתים, id est, Ad quid habitas inter terminos? Quoniam autem termini à nonnullis intelliguntur de terminis uicinarum tribuum, forsan Septuaginta pro terminis sortes posuerunt, propterea quòd unicuique tribui sui termini sorte fuerunt constituti. B

Et illud, Eritq; tributo seruiens, quod in Hebræo est ריחי למס עבר reddiderunt, Et factus est uir agricola, uocem עבר non pro seruire, sed pro colere acceperunt: ut sensus sit, redituum gratia colet terram.

Chaldæus Paraphrastes Onkelos planè contrarium sensum expressit in eo quod uertit: Et subiecit prouincias populorum, & deleuit habitatores earum, & qui relicti sunt in eis serui & tributarij eius facti fuerunt. Verùm hæc sententia magis quadraret leoni quàm asino, hoc est, populo non ad dominandum, sed ad seruiendum dedito.

Dan iudicabit populum suum, sicut una tribuum Israelis. Erit Dan serpens iuxta uiam, serpens iuxta semitā, mordens calcaneos equi, & cadit ascensor eius retrorsum.] Existimant hoc uaticinium de tribu Dan referendum esse ad Simsonem qui de tribu Dan prodijt, & Israelem annis 20. gubernauit, deq; manu Philistinorum asseruit. Mihi uidetur non esse præter rationem dictum, quòd suum fuerit populum iudicaturus Dan sicut una tribuum Israelis. q.d. Si qua tribus est in Israele quę suos sit gubernatura, faciet hoc tribus Dan. R. Shlomoh tamen exponit ad hunc modum כל ישראל יחיר באחד עמו, id est, Omnes Israelitæ erunt sicut unus populus eius, uel, cum eo. Alluxit ad nomen Dan, quod iudicandi significationem habet: sensitq; fore, ut rebus afflictis tribus ista sibij psi nō deesset. Possessio illius fuit ad mare mediterraneū in regione Philist. in qua monstrant maritimæ ciuitates, Ioppe, Lyda, Gath, Accaron, Tamma & Azotus. Quare necessarium fuit, ut uigilanter & cordatè se aduersum hostes Philisteos gereret. Vigilantiam hanc exprimere uoluit Iacob similitudine serpentis iuxta uiam insidiantis. Sic illa tribus hostibus Israelis insidias struxit, quo minus & ipsi, & reliquis tribubus nocere possent. Rem eandem autem bis dicit: Nam serpentem esse iuxta uiam, idem est quod esse serpentem iuxta semitam. In Hebræo sunt duæ uoces שפיפן & נחש quæ ambæ serpentem significant. Postremam alij aspidem, alij ceraſten, id est cornutum serpentem, uertunt Targum Onkelos ad Simsonem referens sic habet: De domo Dan eligetur, & consurget uir: in diebus eius redimetur populus eius, & in

annis

A annis huius requiescent pariter tribus Israel. Erit uir qui eligetur & consurget de domo Dan, cuius rer
ror irruet super populos, & cædes eius prævalebit in Philistæis, tanquam serpens & coluber quiescet
in uia, & tanquam aspis insidiabitur in semita, interficiet robustos in castris Philistæorum equites cum
peditibus: eneruabit equos eorum & quadrigas, atque deijciet ascensores eorũ retrorsum. Et Thar-
gum Hierosolymitanum ista nominatim ad Simsonem refert. Sic etiam R. Shlomoh exponit. De histo
ria illius uide Iudicum 13. 14. 15. 16.

Salutem tuam expectaui Domine.] Septuaginta legunt, Salutẽ expectans Domini, & referunt ad præ-
cedentia. existimo legendum illic esse non περιμένων, sed περιμένω, id est, expecto, ut sit particula se-
paratim inserta. Immiscet Iacob affectum fidei suæ, quæ excitabat in corde ipsius interea dum de euen-
tibus posterorum suorum uaticinabatur. Sensus est: Scio quid patribus meis & mihi in peregrinationi-
bus nostris euenerit: præuideo insuper, quàm multis tribulationib. exercendi sint posteri mei: uerùm
hæc mea semper fuit & etiamnum est spes & fiducia, non defore nobis salutem tuam, quam maiorib.
meis promisisti. Tharg. Hierosolymitanum diserte refert ista ad Christum. Sic enim habet: Dixit pa-
ter noster Iacob, neq; redemptionem Gideonis filij Ioas, quæ redemptio temporalis erit, neq; redem-
ptionem Simsonis filij Manoah, quæ redemptio transitoria erit, sed redemptionem Messiæ filij Dauid
qui ueniet ut adducat filios Israel ad se, & huius redemptionem expectat anima mea. Hæc ibi.

Gad, accinctus accinget eum, & ipse accingetur postremò.] Vix quisquam in Genesi locus est obscurior
isto. Id patet, uoluisse Iacobum alludere ad nomen Gad, quod à matre accepit, cum natus esset. Di-
xerat enim בגד, id est, in fortuna, uel fortunatè. & præterea יגדד sonat accinctum, à גדד. Quare prædi-
cit illi fortunatum belli successum? Historia tribus huius, si quid illa ad intellectum uerborum istorũ
facere potest, legitur Num. 32. Iehos. 1. & 21. Summa illius est. Petierat hæc tribus unà cum Rubenitis
& dimidiata tribu Manasse, ut daretur ipsis possessio in regno Seon regis Amorreorum, & regno Oz
regis Bashan, propterea quòd regio illa esset apta pascendis armentis & pecoribus, quorum magnas
habebant copias. Annuerat Moses petitioni illorum, modò accincti ante fratres suos Iordanem tran-
sirent, nec ab illis discederent, donec & illis suæ constarent possessiones Hoc præstiterunt strenuè, accin-
cti & armati præcesserunt ante Israelitas fratres suos, nec ad possessiones suas reuersi sunt, donec hо-
stibus subactis terra esset in tribus Israel diuisa. quo facto, à Iehosuah dimissi ad suos sunt reuersi. Ad
hanc illorum historiam existimauit Onkelos pertinere uaticinium hoc Iacobi. Sic enim uertit: De do-
B mo Gad castra armata erunt, quando transibunt Iordanem ante fratres suos ad bellum, & cum multa
substantia reuertentur in terram suam. Et R. Shlomoh sic exponit. Habet & Tharg. Hierosol. eundem
sensum. Et uulgata latina huc respicit. Gad, inquit, accinctus præliabitur ante eum (Israelem scilicet)
& ipse accingetur retrorsum. Hoc est, redibit ad suos accinctus tanquam uictor, non discinctus quasi
uictus ac profugus. Si si hunc sensum sequimur, erit hic uersiculus sic uertendus: Gad, accingendo ac-
cinget se, & ipse accinctus erit postremò, uel in fine. In Hebræo est עקב quod plantam pedis signifi-
cans, pro fine & calce operis alicuius sumitur. Sunt qui sic exponant: Gad, etiamsi cuneus armatorum
cingat eum, ipse tamen illum tandem cinget, id est superabit. Septuaginta procul à uerbis discesserunt.
Gad, inquiunt, tentatio tentabit eum, ipse autem tentabit eum iuxta pedes. Pagninus sic uertit: Gad
exercitum succidet, & ipse succidet calcaneum. Mõsterus: Gad, cuneus deuincet eum, & ipse deuin-
cet tandem. Hieron. Gad, latrunculus latrocinabitur eum, & ipse latrocinabitur plantam. Quoniam
locus obscurus est quamuis uerba sint trita & nota, diuinat quisque & reddit q̃d uerosimile esse putat.

Si quis Hebræa ipsa desiderat, sic habent ad uerbum גד גדוד יגרדנו ויחזיא יגד עקב, id est, Gad, ge-
dud iegudennu uehu iagud akeb. Ex omni hac uersionũ uarietate germaniorem esse puto, quæ quam-
proximè ad historiam tribus huius accedit.

Suspicor illud, יגד, quod sine uau positum est, non esse à גדד quod accingere, sed à גד quod prospe-
ritatem & fortunam significat, esse deductum: licet nusquam simile illi inueniam, ut sensus sit: Gad, ac-
cingendo accinget se, & ipse prosperabitur tandem, uel in fine. Sic erit יגד allusio ad rationem no-
minis Gad.

De *Asher: Pinguis erit panis eius, & ipse dabit delicias regis.*] De Asher inquit. q. d. quid dicam? Pin-
guedinem panis eius præuideo. Ea tanta erit, ut satis futura sit ad regias delicias. Vaticinatur de u-
bertate possessionis huius quæ tribui Aser sorte cessura erat. Habitauit Aser ad mare usque ad Zido-
nem & Tyrum, & Carmelum montem, inter mare mediterraneum, & sortem tribus Zabulon, sicu-
ti uidere est Iehos. 19.

Magnificat sanctissimus patriarcha terrenam hanc felicitatem, qua beneficio Dei posteris suis tel-
luris erat obuentura fertilitas. Magnum sanè est hoc Dei donum: uerùm multo maioris facienda est
pinguedo panis Christi, qua ad æternam uitam cibamur in ipsum credentes. Non improbo, si quis
locum hunc ad mysticum sensum panis Christi accommodet, & ex animo cantet: Pinguis est panis
Christi, & præbebit delicias regibus. Illud uerò uehementer improbandum est, quòd huiusmodi
tam ueteris quàm noui Testamenti scripturis superstitiosissimum illud corporis Christi festum, ut uo-
cant, nouissimè ab Vrbano Rom. Pontifice, contra uerum & germanum Dominicæ cœnæ usum in-
stitutum, Romanoq; quæstui accommodatum, simplicitati fidelium obtrudunt, & cõmendant. Quid
dicam de uentribus illis, quorum Deus uenter est, qui ut opima & pinguia beneficia, ut uocant, unde
in ocio & luxu saginantur, ex scripturis ludentes extollant, in hæc uerba cantillantes & deliciantes

prorum-

prorumpunt: Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias regibus. Bona Ecclesiæ uocant pinguem panem Christi, cuius utiq; tanta est pinguedo, ut cœperint iam olim ex illo regum ac principum filij in Ecclesia deliciari. Huius gratia contendunt filij magnatum ad Episcopatus & præpingues Abbatias, aliasq; prælaturas. Sed uæ malignis hisce seruis comedẽtibus & bibentibus in domo Domini, sed q; ipsos non gregem Domini pascentibus. Grauissimum erit illorum iudicium. A

Naphthali cerua emissa, dans eloquia decora.] Alij legunt in masculino, ceruus emissus. In Hebræo est, אילה שלוחה, id est cerua missa. Septuaginta sic uerterunt: Νεφθαλεὶμ ἐλάφους ἀνειμένους, ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γενήματι κάλλος, id est, Nephthalim uirgultum resolutũ, dans in germine pulchritudinẽ. Quod in Hebræo est אילה illi legerunt אלה, id est arborem, & uerterunt uirgultum. Hieron. sic annotat: In Hebræo, inquit, ita scriptũ est: Nephthalim ager irriguus dans eloquia pulchritudinis, signãs & aquæ calidæ in ipsa nascunt tribusiue & super lacũ Genesareth, & fluento Iordanis irrigua sit. Porrò ubi nos agrũ irriguũ, & Sept. ἔλαφος ἀνειμένον. i. uirgultũ resolutũ posuerunt, in Hebræo legit, אילה שלחת aiala seluha, q̃d potest & ceruus emissus transferri, propter tẽporaneas fruges uelocitatẽ terræ uberioris ostendens. Sed melius est, si ad doctrinã Seruatoris cuncta referamus, q̃d ibi uel maximè docuerit, ut in Matth. 4 Euangelio quoq; scriptũ est. Hæc ille. Onkelus Chaldæus sic uertit: Naphthali in terra bona cadet sors Esa. 9 eius, & possessio erit fructifera, laudabunt & benedicent super eos, id est, fructus.

Thargum Hierosol. uertit ceruum leuem & celerem eo quòd Naphthali celerrimo cursu nuncium attulerit ad patrem de Iosepho quòd adhuc uiueret, &c. Sic uarij respectus uarias reddunt loci huius uersiones. Arbitror tamen eos propius accedere ad germanum sensum, qui ad alacritatem tribus Naphthali respiciunt, quam illa declarauit sequendo Barach filiũ Abinoem & Delborã prophetissam ad uersus Sisaram in prælium, quæ historia legit ur Iudic. 4. & 5. Illud, Dans eloquia decora, referendum est ad pulcherrimum illud canticũ Delboræ prophetissæ quod de uictoria aduersus Sisaram parta cecinit. Vide Iudic. 5. cuius uerba & compositio sic sunt concinnata, ut uerè אמרי שפר dici possint. Quoniam Barach ille de tribu Naphthali fuit, & scriptura illi non modò belli huius administrationẽ tribuit, sed & de cantico isto dicit: Cecinerunt Delbora & Barach filius Abinoem in illo die dicentes, &c. rectè de tribu Naphthali prædictum est hoc loco, quod daturus esset eloquia decora.

Filius crescens Ioseph, filius crescens iuxta fontem, ædificium exurgens ultra muros.] Ioseph significationẽ habet addendi & augendi. Ad hanc alludens Iacob, uaticinatur de multiplicatione & augmentis posteritatis illius, quibus in duas tribus numerosissimas erat multiplicandus. Hoc respectu comparat eũ germini uel arbori crescenti iuxta fontem, cui non deest aqua irrigationis, unde alacriter in aerem exurgat, & copiosius fructificet. Deinde comparat eum ædificijs splendidioribus, & sic in sublime exurgentibus, ut muros ciuitatis superegrediantur, qualia esse solent regum ac principum. Hoc simili prædicit de potentia & gloria tribus Ephraim, quæ ad regni erat fastigia ascensura: & simul principatum præsentem Iosephi celebrat, quo fratres suos excellebat. B

Habet hic uersiculus in Hebræo ad hunc modũ: בן פרת יוסף בן פרה עלי עין בנות צעדה עלי שור, & uariè uertitur. Vulgata latina sic: Filius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu. Interpres iste duas aliorum uersiones coniunxit. Sunt qui uocem פרת quę hic secundò ponitur more carminis, simpliciter ut posita est accipiunt & legunt Filius accrescens Ioseph filius accrescens: aut filius fructificationis Ioseph, filius fructificationis. Deinde sunt qui illam deducunt à uerbo פאר quod decorare significat, ut פרת idem sit q̃d פארת elisa aleph litera, & uertunt: Filius decorus Ioseph, filius decorus: & quoniam illud עלי עין etiam legi potest iuxta oculos (Nam עין & fontem & oculum significat) intelligunt partem esse positam pro toto, & uertunt decorus aspectu. Vtramq; hanc uersionem coniunxit hic interpres. Hieron. sic uertit: Filius auctus Ioseph, filius auctus super fontem. Onkelos sic habet: Filius meus qui multiplicabitur Ioseph, filius meus qui benedicetur tanquam uitis quæ plantata est ad fontem aquarum. Sunt qui illud עלי עין hoc sensu accipiunt: Filius accrescens Ioseph, filius accrescens ad oculum, id est Germanicè ẜuſehenlich, tantis uidelicet auctibus ut spectando deprehendi possint. Septuaginta sic uerterunt ut nesciam planè quomodo Hebræa legerint, & quo nam respexerint. Sic enim habent: Ιωσὴφ υἱὸς ηὐξημένος, ζηλωτὸς υἱὸς μου νεώτατος, πρός με ἀνάστρεψον, id est, Ioseph filius auctus desiderabilis, filius meus nouissimus, ad me reuertere. Apparet eos primum illud בן פרת concorditer legisse cum alijs, Filius accrescens: secundum uerò בן פרת, pro בן פארת, id est filium decorum, & עלי עין pro aspectu intellexisse atque uertisse ζηλωτὸς, id est desiderabilis, amabilis. Deinde illud בת צעדה legisse בני צעדה, id est filius meus progressionis, ac uertisse filius meus iunior, id est adhuc succrescens & progrediẽs. Postea illud עלי שוריב legisse עלי שוריב & reddidisse, Ad me reuertere. Sic diuinare licet in tanta obscuritate uersionis: certi quid tradere, non ita. Germanicus interpres utrunq; בן פרת à בן פאר deduxit, ac uertit. *Das holdſelig kind Ioſeph, das holdſelig kind anzuſehen.* Non malè conuenit hæc uersio ei quod suprà de Iosepho memoratum est, quòd fuerit aspectu pulchro & forma eleganti, capite 39.

Quod consequenter uerti, ædificium exurgens ultra muros, admodum est obscurum. In Hebræo sic habetur בנות צעדה עלי שור. Latinus uertit: Filiæ discurrerunt super murum. sic uertit & Monsterus. Hieron. Filiæ gradu composito incedentes super murum. Pagn. Filiæ incedebant super murum. Sensus est: Tanta est eius pulchritudo ut filiæ ciuitatis muros ascenderint לחסתכל ביופיו ut Shlomoh exponit, id est, ad contemplandum uenustatem eius. Non uideo, quomodo ista satis conueniant ad amplitudi-

A plitudinem & grauitatem præsentis uaticinij. Onkelos Chaldæus sic reddidit: Duæ tribus egredien
tur de filijs eius, accipientq; partem & hæreditatem. Hic per uocem בנות, id est, filias, tribus Ephraim
& Manasse ex Iosepho ortas intellexit. Quod ego uerò reddidi, Aedificium consurgens ultra mu-
ros, in causa est, primùm quòd apparet Iacobum duabus similitudinibus & augmentum & excellen
tiam Ioseph exprimere, ac ueluti oculis spectandam subijcere: deinde quod uox בגלת deducta à
בנה quod ædificare significat, non incommodè pro ædificijs posita uideri potest, ut sit בגלת pro
מבנלת abiecto מ, qualia multa in scripturis reperiuntur. Nec minus commodè ferenda est constructio plu
ralis numeri cum singulari in hoc sensu, quàm est in eo, si uertamus, Filię incedens super murum. Hęc
habui in præsenti. Quod si lector habes quid quod sit certius istis, candidus imperti: si non, his utere
mecum.

*Et irritabunt eum, & comedent & inimicabuntur ei iaculatores. Et manebit in fortitudine arcus eius, ac ro-
borabuntur brachia manuum eius à manu potentis Iacob, unde est pastor lapis Israel.*] Vaticinatur de robo-
re bellico, quo posteri Ioseph præditi contra hostes suos firmi erant permansuri. Hostes uocat iacu-
latores, in Hebræo בעלי חצים, id est, magistros iaculorum. Horum uim amplificat, dicens: Irritabũt,
contendent, & inimicabuntur. Hoc est, odiosè & hostiliter eum impugnabunt. Contrà, fortitudinem
Ioseph extollit, dicens: Et manebit in fortitudine arcus eius, id est, manebit infractus, ac roborabun
tur brachia manuum eius, hoc est, hostibus resistendo non lassabuntur, non remittent, donec uictoria-
am consequantur. Fuisse autem posteros Ioseph iaculandi peritia & exercitio celebres, uel ex psal-
mo septuagesimooctauo uidere licet, ubi sic legimus: Filij Ephraim armati & iaculantes arcu.

Addit, A manu potentis Iacob. Hoc est, auxilio Dei. Hunc uocat potẽtem Iacob, propterea quod
illius potentia ex omnibus erat periculis potenter liberatus. Admonet suos, robur ipsorum fore non
ex gladio & arcu, sed ex Deo, cuius ipse potentia hactenus fuerat seruatus.

Vnde est, inquit, pastor, lapis Israel. Quidam referunt ad Hieroboam, qui primus rex fuit ex E-
phraim. Sentiunt hunc uocari lapidem, non ædificationis, sed offensionis, uerùm hoc sensu non bene
uocaretur pastor. Etenim quæ conuenientia pastoris & lapidis offensionis? Christus quidem & pa
stor est & lapis offensionis: uerùm alio sensu ac tali, qui Hieroboam non conuenit.

Conuenientius esse puto, ut uel seipsum hic uocet pastorem & lapidem Israelis: uel Iosephum qui
Israelem & pauit ut pastor, & fulciuit ut lapis, cum omnem domum patris sui in Aegypto aluit &
B conseruauit. Hinc est, inquit, id est, ex potenti Iacob, pastor iste & lapis Israelis. Videtur non solum
suo, sed & Iosephi exemplo suos admonere, omnem ipsorum salutem ac conseruationem fore non ali
unde quàm ex Deo.

Ad hunc modum arbitror ista de posteris Ioseph, illorumq; hostibus exponenda. Nonnulli ta-
men referunt ea ad ipsum Iosephum & fratres eius, hoc sensu: Iritarunt eum, contenderunt, & inimi-
cati sunt ei magistri sagittarum, id est, fratres eius, uerùm mansit arcus eius, &c. hoc est, uerùm ipse
diuinitus adiutus perstitit infractus, & hinc factus est pastor ac lapis Israelis.

Sunt qui hoc: Hinc est pastor & lapis Israel, referant ad Iosue, quòd is fuerit de tribu Ephraim.

Rursus: Burgensis refert ad Christum, non quod is sit natus de tribu uel Ephraim uel Manasseh,
sed quòd sit Israeli datus à Deo in pastorem & lapidem angularem.

Septuaginta illud, Et manebit in fortitudine arcus eius, ac roborabuntur brachia manuum eius,
aliter acceperunt. Sic enim reddiderunt: *καὶ συντρίβη μετὰ ἰσχύος τὸ τόξον αὐτῶν, καὶ ἐξελύθη τὸ
νεῦρα βραχιόνων χειρῶν αὐτῶν*, id est, & contriti sunt potenter arcus eorum, & dissoluti nerui brachio
rum manuum eorum. Quod in Hebræo est, ותשב באיתן, id est, mansit in Aethan, uerterunt: Et con-
triti sunt potenter. uerbum תשב acceperunt pro quieuit, sicuti solent arcus contriti. Deinde uerbum
מצו, id est, roborabuntur, à עצץ. legerunt, ימגרו à מרג, id est, dissolutum est, & uerterunt, Et dissoluti
sunt. Tertiò, quod in Ebræo est in singulari קשתו, id est, arcus eius, item ידיו, id est, manuum eius, il-
li reddiderunt in plurali Arcus eorum, & manuum eorum. Hinc uidelicet est ista sententiæ uarietas.

*A Deo patris tui, & adiuuabit te, & ab omnipotente, & benedicet te benedictionibus cœli desuper, bene-
dictionibus abyssi cubantis infra, benedictionibus uberum & uteri. Benedictiones patris tui prævalebunt bene-
dictionibus patrum meorum: usq; ad extremitatem collium mundi erunt super caput Ioseph & super uerticem
principis fratrum eius.*] Quod dicit, A Deo patris tui, & ab omnipotente, spectat ad præcedentia,
quibus prædixit fore, ut brachia Ioseph corroborentur à manu potentis Iacob, unde & pastor & la-
pis est Israelis. Hisce subiungit per expositionem, à Deo (uidelicet) patris tui, &c. Vtitur apostro-
pha ad ipsum Ioseph, & ingeminat, quod dicit: Nam idem est à Deo, quod, ab omnipotente. An-
nectit diuini auxilij & benedictionis promissionem, dicens: Et adiuuabit te, & benedicet te. Vide
quàm fortiter ac seriò uir sanctus, & iamiam moriturus filio suo auxilium & benedictionem à Deo
expectandum esse inculcet. Sic erat persuasus in corde suo, & sic illi quoq; persuasum esse cupiebat.
Sciebat enim in hoc uno ueram consistere felicitatẽ, si firma fide adhęreatur diuinis promissionibus.

Benedictionibus cœli, inquit, &c. Quoniam dixerat, Benedicet te, addit benedictionis huius spe-
cificationem. Simplex sensus est: Benedicet te rore cœli, imbre, ac sole desuper, quod per benedictio-
nes cœli intelligit, & benedictionibus abyssi cubantis infra, id est, bonitate ac ubertate fertilis terræ,
quam uocat abyssum, id est, profundum & inexhaustum thesaurum, & benedictionibus uberum &

uteri, id est, copia lactis & multitudine prolis, etiam pecudum. A

Benedictiones patris tui præualebunt benedictionibus patrum meorum, &c.] Hoc est, benedictiones istę quibus tibi hodie benedico, ampliores erunt benedictionibus patrum meorum, quibus me benedixerunt. Onkelos sic: Benedictiones patris tui addantur super benedictiones quibus me benedixerunt patres mei. Quoniam uerbum גברו omnino inualescendi significationem habet, posset hæc particula sic legi, Benedictiones patris tui præualescant benedictionibus patrum meorum: ut sit animo apprecandi dictum. R. Shlomoh sic exponit: Benedictiones quibus benedixit me Deus, præualuerunt benedictionibus, quibus benedixit patres meos. Videtur hic sensus respicere ad benedictionem prolis, qua Iacob utrumq; & Abrahamum & Isaacum excelluit.

Vsq; ad extremitatem collium mundi erunt super caput Ioseph, &c.] Hoc est, erunt perpetuæ super Ioseph. In Hebræo est ער תאות גבעת עולם. Si legas תאות sonat, usq; ad desiderium collium mundi, Sic uulgata latina habet, Donec ueniret desiderium collium æternorum. Si uerò legas תאת ut sit à תאה quod finem ac terminum significat, sensus est, usq; ad terminos uel fines collium mundi. Hoc est, durent istæ benedictiones super caput Ioseph, donec durant colles mũdi. Onkelos per colles mundi principes seculi intellexit. Sensus esset: Sic præualeant istæ benedictiones, ut desiderentur à principibus seculi, id est, ut tales sibi optent. Illud, Et super uerticem principis fratrum eius, idem est cum præcedenti. Nam idem bis dicit. Caput Ioseph & uertex principis fratrum eius idem est. In Ebræo est נזיר. id est, Nazarei, quod uerti, principis. Sunt qui uocem, Nazarei, retinentes, exponat: alius, Sanctificati inter fratres eius: alius, Separati à fratribus eius. Siue personam Ioseph, siue tribum Ephraim consideres, rectè uocatur princeps fratrum suorum.

Beniamin lupus rapiet, manè comedet adhuc, & uespere diuidet spolium. Nihil est obscuri in hisce uerbis, Vaticinatur de tribu Beniamin, fore illam rapinis & deprędationibus hostium, instar lupi cuiusdam, quotidie deditam, & sic fortunatam, ut non solum ipsa ex spolijs hostium abundet, sed & in socios de illis diuidat. Sunt quædã historiæ in libro Iudicum cap. uigesimo de bellica dexteritate huius tribus, ad quas ista à nonnullis referuntur. Alij referunt ea ad templum Hierosolymitanum, quod uolunt situm fuisse in sorte Beniamin, in quo sacerdotes manè mactarunt uictimas, & uespere reliquias ex illis inter se diuiserunt, sicut isti exponunt. Verùm non uideo quomodo similitudo lupi, & diuisio spoliorum huc quadrent, nisi intelligamus de templo quatenus conuersum fuit tempore Christi in speluncam latronum. At sic ad Leui magis quàm ad Beniamin referendum esset. Onkelos Chal B dæus impertinentem hanc sententiam paraphrasi sua expresit. Sic enim uertit Biniamin in terra sua requiescat præsentia diuinitatis. Et in possessione eius ędificabitur sanctuarium, manè & uespere offerent sacerdotes oblationes, & in tempore uespertino diuident reliquias portionum suarum, de reliquis quæ sanctificata sunt. Hæc ille.

Nostrorum quidam referũt ad Apostolum Paulum, propterea quòd ille fuit de tribu Biniamin: & cum iunior esset, instar lupi Christianas oues ad lanienam rapuit: senior uerò factus, quasi uitę suę uespere conuersus ad Dominum spolia diuisit, id est, doctrinam sacræ scripturæ quam inter Iudæos didicerat, ad aliorum salutem expendit. Sic isti sentiunt. Si cui hæc placent, ut ea germanum loci huius sensum habere putet, per me licet sic sentiat. ●

Illud, Et uespere diuidet spolium, Septuaginta uerterunt, Et ad uesperam seruabit escam. uerùm in Ebræo est omnino: Et uespere diuidet spolium.

Hactenus ex obscuris hisce uaticinijs, nos magis quàm obscuros & intricatos illorum sensus explicauimus. Non est caput in toto hoc primo libro Mosis quod sit obscurius. uerùm quoad eius potuimus simpliciorem ubiq; sensum sequuti sumus. Illud hic bene habet, quod obscuritas ista non concernit necessaria fidei ac salutis nostræ capita, quæ sine discrimine grandi ignorare non licet. Interea priusquam ad sequentia progrediamur, obseruabit pius lector, quomodo res futuras spiritus sancti pijs hominibus reuelet, uel ipsi alijs patefaciant. Si aduersa consideres, de illis nihil prædixit, nisi tribus primis Ruben, Shimeon & Leui, & ne his quidem omnia. Ephraim cum reliquis nouem tribubus abducendus erat in extremam captiuitatem, quemadmodum & Iudah & Beniamin. Huius nulla mentio. Casurus erat Israel in pertinacem illam cæcitatem & impietatẽ, qua & prophetas & Christum occidit. De hac ne uerbum quidem, quemadmodum neq; de dura illa seruitute Aegypti, quæ tamen è propinquo post mortem Iosephi sequutura erat, ut reliqua incommoda deserti, & terræ Chanaan, de quibus in libro Iudicum legitur, taceam, ac præsertim quod euenturum erat Biniamitis. Deinde si prospera inspicias, non meminit de magnis portentis quibus erant liberandi ex Aegypto, ducendi & conseruandi per desertum, introducendi in terram Canaan, lege sacrosancta dirigendi, prophetarum missione inuisendi, ac tandem per aduentum seruatoris ex ipsis nascituri ad regnum cœlorum uocandi. Admonemur spiritum sanctum reuelationes secretorum & futurorum temporibus & captiui populi sui accommodare.

Deinde obseruandum est, quibus uratur similitudinibus. Leonum uidelicet, asinorum, serpentum, ceruarum & luporum. Pastor fuerat Iacob. Harum bestiarum naturas probè animaduerterat. Vide item quàm differentes fortunas suorum prædicat. Iudam comparat leoni, Issaschar asino ad ferenda onera nato. Multum discriminis est inter leonem & asinum. Præterea, cum utriq; & Iudæ & Biniamin

A min prædandi rapacitatem adscribat, illum tamen leoni, hunc lupo assimilat. In leone heroicum aliquid est ac regium, in lupo uerò nihil quod sit egregium, sed sola rapacitas deprehēditur. Imperium Iudæ destinabat, non Biniamin.

Omnes hæ tribus Israelis duodecim sunt, & hoc est quod loquutus est ad eos pater ipsorum, & benedixit eis, unicuiq; secundum suam benedictionem benedixit.] Significat Moses dicta esse præcedentia à Iacobo nominatim quidem ad duodecim ipsius filios, uerùm non sic ut personas eorum, sed magis ut unumcuiusq; posteros concernerent, & ad futura tempora prospicerent, quod uaticinia attinet. Nam quæ prædicata reprehensionis habent, personas eorum perstringunt, qualia sunt quæ dicta sunt ad Ruben, Simeon & Leui. Cæterùm quæ istis quoq; euentura prædixit, non ad personas, sed ad tribus eorum pertinent. Vt de hoc admoneat Moses, non dicit, Omnes hi duodecim filij sunt Israelis: sed, Omnes hę tribus Israelis duodecim sunt. Quòd numerum duodenarium attinet, intelligendum est unam tantum hic Iosepho esse tribum assignatam, alioqui si ad duas illius tribus Ephraim & Manasseh respicias, tredecim fuerunt, nisi eximas tribum Leui.

Et hoc est, inquit, quod loquutus est ad eos pater ipsorum.] Vt dicam quod sentio, de eo dubitandum non est, quòd ista ad filios suos dixerit Iacob: de eo uerò an hoc modo, id est, metrico isto loquutionis genere uir admodum senex & iam moriturus filijsq; suis futura prænuncians usus sit, controuerti poterit. Arbitror nihil esse peccati, si quis Mosen ea quæ uaticinatus est Iacob, ac simplici sermone ac filijs suis intelligibili loquutus est, ad hanc formam loquutionis concinnasse iudicauerit.

Et benedixit eis, inquit, &c.] Hoc est ualedixit eis, idq; non communiter & in genere, sed ex ordine unicuique singulatim secundum suam benedictionem, id est, singulari ualedictione, iuxta quod unicuiq; conueniebat. Sunt qui referant ista ad præcedentia quæ hactenus dicta sunt ad singulos, & hoc sensu mouentur ad quærendum, quomodo ea benedictionum loco haberi possint, cum magis sint uaticinia rerum futurarum. Verùm res ipsa clamat, nō loqui de illis Mosen hoc loco. Etenim etiamsi quæ cæteris prædicta sunt benedictionis loco aliqua possent haberi ratione, non poterunt tamē ea quæ dicta sunt ad Ruben, Shimeon & Leui. At hic dicitur quod unicuiq; secundum suam benedictionem benedixerit. Quare sensus iste constare non potest.

Rursus sunt qui de specialibus quibusdam benedictionibus hoc esse dictum intelligunt, & quæ-
B runt quæ nam & quales illæ fuerint, & quare eas non expresserit Moses. Verùm ex eo ipso admoneri poterant, quòd uerbum benedicendi pro ualedictione sit positum, quòd nulla specialis benedictio memoratur.

Nos cogitemus hic, quantæ sit gratiæ, tam præsenti animo ad ipsum usq; mortis articulum accedere, ut possis omnibus tuis non modò de præsentibus mandare, sed de futuris quoq; prædicere, & singulis dicere uale.

Et mandauit eis, dixitq; ad eos: Ego colligor ad populum meum, sepelite me ad patres meos ad speluncam quæ est in agro Ephron Hithei, in spelunca quæ est in agro duplex qui est uersus Mamre in terra Canaan, quem agrum emit Abrhaā ab Ephrone Hitheo ad possessionem sepulchri. Ibi sepulti sunt Abraham & Sarah uxor eius, ibi sepulti sunt Isaac & Ribkah uxor eius, & ibi sepeliui Leam. Emptus est hic ager & spelunca quæ in eo est à filijs Heth.] Quod suprà capite 47. iureiurando poposcit à Iosepho, ne uidelicet sepeliret se in Aegypto, sed in terra Canaan, hoc nunc cum descriptione loci in quo sepeliri uolebat, pluribus uerbis repetit. Et mandauit eis, inquit, dixitq; ad eos. Curam hanc Iosepho quidem specialiter iniunxerat, uerùm quoniam aderant tum & reliqui omnes, in genere cunctis de illa præcipere uoluit. Pertinebat ad omnes ex æquo, quod debitum filiorum concernit, quare & hic omnibus de illa præcipit: uerùm quoniam Ioseph principatum Aegypti tenebat, & illius occasione plura cęteris omnibus in hac causa præstare poterat, singulariter illi quicquid huius est commissum erat.

Ego colligor, inquit, ad populum meum.] Non simpliciter dicit, Ego morior: sed, Ego colligor ad populum meum. Quid sit colligi ad patres, uel ad populum nostrum, suprà dictum est capite 25. ubi historia est mortis ac sepulturæ Abrahæ. sic loquitur hoc loco Iacob moriturus, quòd pro fide sua cupeset sepeliri cum populo suo, quibus & spiritu erat iungendus. Pulcherrima est hæc loquutio. Caro se moriendo perire putat, spiritus intelligit se beneficio mortis colligi ad cœtum sui populi.

Sepelite me, inquit, ad patres meos ad speluncam quæ est in agro, &c.] De hac spelunca sepulturæ Abrahæ, uide suprà cap. 23.

Ibi sepulti sunt Abraham & Sarah.] Vide cap. 23. & 25. Honoris gratia proponit Abrahamum. Alias Sarah prior mortua erat, & sepulta.

Ibi sepulti sunt Isaac & Ribkah uxor eius.] De morte ac sepultura Isaac, uide suprà capite trigesimoquinto. De morte Ribkah & Leæ, non est facta mentio. An Ribkah ante uel post Isaacum sit mortua, non est expressum. De eo non est curiosius quærendū, quare non dicat, Et ibi sepelini Leam uxorem meam: sed simpliciter, Et ibi sepeliui Leā. quemadmodū neq; de eo, quod nō dicit, Ibi sepulti sunt Isaac & Ribkah parentes mei: sed duntaxat, Ibi sepulti sunt Isaac & Ribkah uxor eius. Nominauerat duo paria coniugum. Abraham uidelicet & Saram, deinde Isaacum & Ribkam, quæ in spelunca

illa sepulta erant, sic & Leæ mentionem fecit, quod eam ibi sepelierit, indicans illi se uelle tanquam uxori etiam in sepultura ad morem maiorum suorum coniungi. A

Et cessauit Iacob præcipere filijs suis, & collegit pedes suos ad lectum, & expirauit, collectusq; est ad populos suos. Et cecidit Ioseph super faciem patris sui, ac fleuit super ipsum, & osculatus est eum.] Vides omnia hic à sanctissimo Patriarcha præsenti esse ac placido animo gesta. Non est tumultuanter lecto illapsus, priusquam quę uolebat filijs mandasset: sed ad finem usq; peregit, cum illi omnia, quibus peractis spõte sua pedes in lectum collegit, & mortis sese necessitati placidè tradidit. Sederat in lecto pedibus demissis: ubi quæ uolebat præceperat, pedes in lectũ intulit, ut se ad moriendum decenter accommodaret. Nõ est præter rationem quod ista Moses tam diligenter ueluti ob oculos uisenda exposuit. Pulcherrimum est & uehementer optandum hoc genus mortis tam placidum, tam spontaneum, tamq; decorum & honestum, quo sic ex hac uita decedunt, quibus id à Deo datur, ut quasi mortem in sua habeãt potestate, ut eam ubi uoluerint admittant, quo modo nemo nostrum somnu sui potestatem à Deo accepit. Si conferas huc tumultuarios, inuitos, perturbatos, & dedecorosos, desperationisq; plenos impiorum hominum exitus, bone Deus quanta dissimilitudo!

Et cecidit Ioseph super faciem patris sui, inquit, & fleuit.] De ista Iosephi εὐσπλαγχνία suprà dictum est. Pectus humanũ & eustorgon pronum erat ad fletus & lachrymas. Nõ memoratur hic quòd clàm serit patri oculos, uerùm ea de re suprà capite quadragesimosexto promissionem à Deo acceperat. Quare licet hic non exprimatur, factum tamen esse à Iosepho dubitari non debet.

CAPVT L

ARGVMENTVM CAPITIS.

Iacob post mortem suam aromatibus conditur, plangitur, in terram Canaan ex Aegypto deportatur, & in spelunca duplici sepelitur. Fratres Ioseph, memores peccati sui, gratiæ illius ac beneuolentię certitudinem ambiunt & paratam inueniunt. Postremò ipsius etiam Iosephi ætas, posteritas, mandatum ad fratres, mors, & sepultura exponitur.

ET illapsus est Ioseph, inquit, in faciẽ patris sui, ac fleuit super ipsum, osculatusq; est eum.] Perpetuò sibi similis proponitur nobis Ioseph, ut exemplũ uideamus hominis, non modò erga Deũ, sed & erga parentes piũ. Cum cerneret expirasse patrem suum, motus in ipsis uisceribus ad lachrymandum, ruit in faciem illius, & quasi ultimum ualedicturus, osculatus est eum. Osculatus est faciem patris, quam semper fuerat ueneratus. Osculatus est patrem, organum natiuitatis suæ. Veneratus est corpus exanime, carnem illam unde fuerat prognatus in hunc mundum. B

Nec exhorruit à contactu oris pallidi, quod alius uix digito attigisset. Quia amor excludebat horrorem.

De reliquis filijs nihil meminit Moses. Verosimile tamen est, & illos prorupisse in lachrymas, præsertim Iehudam & Beniamin. Verùm quoniam Ioseph amplius cæteris fleuit, & in hoc luctu plus amoris erga demortuum parentem ostendit, facta est singulariter illius mentio.

Et præcepit Ioseph seruis suis medicis, ut condirent patrem suum, & condierunt medici Israelem.] Tria dicit. Primùm quod iusserit Ioseph cõdiri corpus patris sui Iacob: deinde, quod iusserit hoc medicis: tertio, quod medici illi fuerint ipsius serui.

Quod condituram aromaticam concernit, quærendum est, quare uoluerit Ioseph condiri patrem suum, cum ea dere nihil in sepultura tam Abrahæ quàm Isaac legamus. Dicunt hanc fuisse consuetudinem in Israele. Credo consuetudiuem hanc postea obtinuisse in Israele, antea fuisse non lego. Mihi uidetur Ioseph patrem suum condiri iussisse, propterea quòd non esset statim sepeliendus, sed post planctum aliquot dierum demum longo itinere in terram Canaan, ad sepulturam patrum ipsius deportandus: De Aegyptijs quoq; legitur, quòd mortuos suos condiuerint, ac domi seruarint, id quod de primoribus & præcipuis intelligendum esse puto.

De eo quòd condituram hanc medicis præcepisse dicitur, sentiunt nonnulli fuisse illos non medicos, sed pollinctores & libitinarios. Et sic uerterunt Septuaginta. Id sane constat fuisse apud ethnicos certos quosdam ac deputatos homines, qui mortuorũ cadauera condirent. Et hi uocabantur libitinarij & pollinctores. quam postremam uocem quidam idem esse putãt quòd pollluctorum uuctores. Verùm quoniam in Ebræo est uox רבואית, quæ medicos sonat, arbitror honoris gratia, unctionem hanc & condituram Iacobi medicis fuisse mandatam.

Quòd autem medici isti serui Iosephi fuerunt, documento nobis est, usum medicinę & medicorum tam non habere aliquid illiciti, ut etiam sancti homines medicos suis sumptibus aluerint. Verùm id demum miserum esse uidetur, quod propter intemperantiam nostri seculi tam uarijs morbis subijcimur, unde etiam singularis quædam medicandi industria requiritur, cum tamen paucos reperias medicos, qui artem medicandi gnauiter & prudenter exerceant, sed plerique rectius pollinctoram libitinariam quàm medicinam uitæ ac sanitatis ministram obirent.

Et im-

A *Et impleti sunt ei dies quadraginta. Nam sic implentur dies eorũ qui condiuntur. Et fleuerunt eum Aegyptij septuaginta dies.*] Loquitur dubio procul Moses de consuetudine Aegyptiorum, cùm quòd condituram hanc quadraginta, tum quòd fletum septuaginta dierum attinet. Illud autem nõ est certò expressum, an post quadraginta unctionis dies demum cœperint deflere mortuum, & eum fletum ad septuagesimum usq; diem protraxerint, uel, an statim post mortem luctus apud eos cœperit, atq; ita ad septuagesimum obitus diem durauerit.

Humanũ est flere mortuum. Et hic uidemus gentem Aegyptiorum haud fuisse inhumanam. Ritus uerò lugendi mortuos, ac dies funeralium luctuũ numero pares non fuerunt gentibus illis, quæ mortuos suos deflerunt. Ethnicorum quidam nouem dies fletui dabant, unde Nouendialia sacra sunt dicta. Alij septem duntaxat dies lugebant, qui mos etiam apud Iudæos obtinuit. Vnde est illud Ecclesiastici uigesimosecundo. Luctus mortui septem dierum est, stulti uerò & impij omnis illorum uita. Cõstantino mortuo luctus uicenalis actus est Nicomediæ. Hodie plerique & Heptadas & Triacontadas mortuis suis peragunt. Nihil hic est discriminis, modò sit luctus non simulatus, qualis multorum esse solet, sed uerus, non superstitiosus & planè ethnicus, qualem etiam inter Christianos passim agi uidemus, sed moderatus & pius. Non legimus hic de funeralibus sacris quicquam, de luctu & sepultura legimus. His potuit pius Ioseph pro more gentis uti, sacris illorum non ita. *Ritus lugẽdi mortuos uarij.*

Et transierunt dies luctus eius, Et loquutus est Ioseph ad domum Pharaonis dicens, Quæso si inueni gratiam in oculis uestris, loquimini obsecro in aures Pharaonis dicẽdo, Adiurauit me pater meus dicens, Ecce ego morior in sepulchro meo quod excidi mihi in terra Canaan, ibi sepelies me. Et nunc quæso ascendam ac sepeliam patrem meum, & reuertar. Et ait Pharao, Ascende ac sepeli patrem tuum, quemadmodum adiurauit te.] Et prudẽter Ioseph & modestè egit in hac causa. Prudenter, quod quamuis adiuratus esset à patre, sine conscientia tamen & consensu regis in terram Canaan ascendere, illicq; patrem sepelire noluit. Primùm enim cauendum erat, ne ille aliud quid ab ipso tentari suspicaretur. Deinde, non erat æquum deserto officio sine consensu regis peregrè abesse. Tertiò, opus habebat comitatu ad repellendos prædonum incursus instructo, qui sanè à rege erat accipiendus. Modestè in eo egit, quod non est concessa & solita parrhesia ad regem usus, sed primores domus regiæ subornauit, qui pro se Pharaoni loquerentur, & beneuolentiam illius impetrarent. Et præterea quoniam funestus erat, nolebat accedere regem. Vide autem quàm submisse & humiliter loquatur aulicis, quibus tamẽ omnibus longè prælatus erat. Quæ
B so, inquit, si inueni gratiam in oculis uestris, loquimini obsecro in aures Pharaonis, &c. In aures alicui loqui, est illius ambire beneuolentiam, & ea suggerere precando, quæ beneuolentiam illius requirũt.

Dicendo: Adiurauit me pater dicens, & c.] Lege, Dicendo, quòd adiurauerit me pater meus. Neq; enim sic illi ad Pharaonem dicere debebant, Adiurauit me pater meus, sed quod Iosephum pater ipsius adiurasset. Vide quæ prætexat & quàm urgentia. Pater moriturus, de sepulchro suo statuens, adiurauit, non simpliciter petijt, Vt sepeliã ipsum, in sepulchro suo quod ipse sibi parauit. Omnia suum põdus habent in animo uiri pij & honesti. Addit, Et reuertar: ne putaret rex hac se occasione moliri reditum in terrã Canaan, non reuersurum. Illud quæri poterit, quomodo dicat, In sepulchro meo quod excidi mihi, cum sepulturam illam, ad quam deportari uoluerat Iacob, non ipse, sed Abraham parasset: Respondeo: Abraham emit agrum, & sepulturam sibi & Saræ in spelunca illius parauit. Postea ibi sepulti fuere Isaac & Ribkah. Iacob tertius, cum sepelienda ibi esset Leah, locum sepulturæ & illi & sibi in eadem spelunca excidit, quòd ita postularet situs loci, à maioribus ipsius occupati.

Et ait Pharao, Ascende ac sepeli, & c.] Vides exemplum placidi, humani, & religiosi regis. Placidi, in facilitate assentiendi. Humani, in eo quod dicit, Et sepeli patrem tuũ. religiosi in eo quod addit, Quemadmodum adiurauit te. Declarat se agnoscere quid filius debeat patri, & qua religione seruanda sint iuramenta in causis licitis, pijs, & honestis.

Si sunt hæc Pharaone laude digna, & habent humani ac pij regis exemplum, meritò quæsierit quisquam, quanam ratione Christus Matthæi octauo, non simili facilitate annuerit ei qui dicebat: Domine, sine ut primum eam & sepeliam patrem meum, sed abnuendo dixerit, Sequere me, & sine ut mortui sepeliant mortuos suos. Respondeo: Qui hoc ad Christum dicebat, discipulus erat, prædicando regno Dei cum alijs destinatus. Et iamiam erat Christus discipulos ad prædicationem Euangelij amandaturus. *Quare Christus noluerit permittere discipulo suo ut abiret ad sepeliendum patrem.*

Deinde non sic uolebat abire ad sepeliendum patrem, ut iam mortuum confestim sepeliret: sed ut apud illum hæreret, donec moreretur: tum demum si uideretur, sepulto patre reuerteretur. Et præterea pater alienus erat à consortio fidelium & cum sui similibus agebat. Itaq; in causa diuersa non est mirum, si à uiris bonis & pijs diuersimode sentiatur. Noluit Christus discipulo suo permittere, ut quod maioris erat momenti, minoris gratia desereret. Nam damnauit pietatem hanc sepeliendi parentes, sed necessitatem prædicandi Euangelij pluris haberi uoluit.

Et ascendit Ioseph ad sepeliendum patrem suum, & ascenderunt cum eo omnes serui Pharaonis, senes domus eius, & cuncti senes terræ Aegypti, & uniuersa domus Ioseph, & fratres eius, ac domus patris eius, parulos duntaxat, & oues suas et boues suos reliquerunt in tera Goshen. Et ascenderunt cum eo, tam currus quàm

equites, fuitq; turma magna ualde. Et uenerunt ad aream Atad quæ est trans Iordanem, & planxerunt ibi planctu magno ac graui ualde, fecitq; patri suo luctum diebus septem. Et uiderunt habitatores terræ Chananei luctum illum in area Atad, ac dixerunt, Luctus hic Aegyptiorum grauis est. Quapropter uocatum est nomen eius, Luctus Aegyptiorum qui fuit ultra Iordanem. Et fecerunt ipsi filij eius quemadmodum præceperat eis, & portarunt eum filij eius in terram Canaan, ac sepelierunt eum in spelunca agri duplici, quem agrum emerat Abraham in possessionem sepulchri ab Ephrone Hitheo, è regione Mamre.] Ioseph impetrato Pharaonis consensu præstat patri mortuo, quod adiuratus promiserat uiuo, deportans eum in terram Canaan, & sepeliens ubi sepeliri uoluerat. Hæc est præsentis loci summa. Quæ de grandi ac numeroso comitatu memorantur, sunt annexa. A

Comitatus trifarius.

Fuit autem amplitudo & multitudo comitatus huius trimembris. Constitit enim primùm ex illis qui honoris, deinde ex illis qui cognationis, tertiò ex ijs qui securitatis gratia funus sanctissimi patriarchæ deduxerunt. Honoris gratia ascendebant cum Iosepho, ut ait, omnes serui Pharaonis, senes uidelicet domus eius, & cuncti senes terræ Aegypti. Per senes intelligit honestos, graues, & primores uiros, consiliarios, senatores, perfectos & satrapas regni, qui propter Iosephum funus hoc comitatu suo cohonestarunt. Licet hinc uidere quàm fuerit Ioseph in precio & honore cunctis Aegyptijs. Quã uis illi uiros pastores admodum fastidirent, patrem tamen Iosephi & alumnum & parentem pastorũ in illius gratiam tantis sunt honoribus prosequuti. Sic uidelicet gerendus est principatus, ut propter amorem & honorem principis in precio sint illius tam radix, quàm rami, quantumuis aliàs humiles & obscuri, qui in tyranno execrabiles esse solent.

Quàm fuerit Ioseph in præcio cũctis Aegyptijs

Aderant præterea in isto comitatu propinqui & consanguinei, filij uidelicet & nepotes. Vniuersa, inquit, domus Ioseph, & fratres eius, & domus patris eius. Synecdocha est in eo quod dicit, Vniuersa domus Ioseph, sicut & suprà ubi dixit, Et ascenderunt cum eo omnes serui Pharaonis. Maior pars pro toto ponitur. Quòd isti comitati sunt patriarcham, alij patrem, alij auum suum, officium erat ipsi naturæ debitum. Non habebant præterea, quo maiorem suum originis ipsorum parentem uenerarentur. Non potuerunt præstare illi quantum præstitit Ioseph, impediti non affectu, sed fortuna: hoc saltem præstare potuerunt ut funus ad sepulchrum usq; comitarentur.

Paruulos duntaxat, inquit, & oues suas, & boues reliquerunt in terra Goshen.] Quoniam non est facta uxorum, seruorum & ancillarum mentio, putant nonnulli & illos ascendisse in Canaan cum funere. Verùm meo iudicio, reliquerunt cum paruulis uxores & ancillas, quarum illi opera & cura carere non potuerunt, & cum pecudibus seruos pastores. Neq; enim conueniebat sic honorare mortuum parentem, ut interea paruulos, spem promissæ multitudinis, necessaria cura destituerent. Iubet quidem naturalis pietas honorare parentes, sed eadem mandat curam etiam gerere prolis. B

Tertiò fuerunt in comitatu isto etiam currus & equites.] Horum usus erat ad defendendum comitatum contra prædones siue Arabes, siue Philisteos. Et ascenderunt cum eo, inquit, tam currus quàm equites. Quoniam placuerat Pharaoni funus hoc patriarchæ tantis honoribus prosequi, ut cunctos tam aulæ, quàm terræ suæ senes & primores comitatui illius in terram usq; Canaan adhiberet, res ipsa postulabat, ut robur exercitus securitatis gratia adiungeret, ne quid hac in re regno suo cùm detrimenti tum dedecoris inferretur.

De Zepho nepote Esau.

Arbitror hic non conuenienter memorari posse, quæ Iosephus in historijs suis Ebraicè scriptis libro primo initio capitis secundi obiter meminit ad hunc modũ בימים ההם ברח צפר בן אליפז בן עשו מבנשריק אשר לבדו ירסף בעלותו לקבור את אביו בחברון ויצאו בני עשו לקראתו לשטן לרחגבר יד ירסף עליהם וילכד צפר בן אליפז עם חבדיו ויביאם מנשריבת, id est, In diebus illis fugit Zepho filius Eliphas filij Esau de Aegypto, quem cæperat Ioseph cum ascenderet ad sepeliendum patrem suum in Hebron. Tum enim egressi fuerant filij Esau in occursum eius, ut aduersarentur illi. Verùm præualuit manus Ioseph aduersum eos, & cæpit Zepho filium Eliphas cum socijs suis ac duxit eos in Aegyptum. Si hæc uerè gesta sunt, uidemus haud fuisse currus & equites tantamq; turmam funeri isti præter rationem adhibitos.

Et uenerunt, inquit, ad aream Atad quæ est trans Iordanem.] Atad significat spinam. Habent Ebræi hic suas nugas, quæ legũtur apud R. Shlomonem. Hieronymus de hoc loco sic annotat. Area Atad locus est trans Iordanem, in quo planxerunt quondam Iacob, tertio ab Hiericho lapide, duobus millibus à Iordane, qui nunc uocatur Bethagla, id est, locus gyri, eo quòd ibi more plangentium circuierunt in funere Iacob. Hæc ille. Bethaglah domus gyri tum uocatur, quando scribitur per ע sic בית העגלה. Vbi uerò scribitur בית הגלה significat domum solennitatis eius.

Quærit hic Augustinus, quid sibi uoluerit iste circuitus, quo cum rectà possent ascendere in Hebron, deportarunt funus in hunc locum Atad, quem ferunt ab Hebron, immò ultra Hebron situm esse milliaribus circiter quinquaginta.

Possunt hic duæ rationes assignari. Vna præsenti negocio, altera futuro seruiens. In præsenti sicuti etiam Scholastica historia meminit, uoluerunt isto circuitu uitare bella, maximè Philistinorum. Eadem ratione & populum suum Deus ex Aegypto in terram Canaan ducturus non rectà, sed per de-

serta

A ferta loca circumduxit, ne ſtatim bellis impeteretur. Futuro ſeruiebatur hoc circuitu, ut itinera illa quibus Iſrael aſcenſurus erat in terram promiſſam, funere hoc patriarchæ ſanctificarentur. Exod. 13

Fecitq; patri ſuo luctum diebus ſeptem.] Simul cum funere ibi quieuerunt, & luxerunt. Planxerunt Aegyptij & Iſraelitæ, dum interea feſſa iumenta poſt ſuperatos deſerti labores conquieſcebãt. Luxerunt autem diebus ſeptem. Cogitant hic noſtri de myſterio numeri ſeptenarij, exiſtimantes ſignificatam eſſe quietem ad quam poſt labores huius noſtri deſerti uenturi ſumus. Conuenientius fuiſſet ceſſare iſthic à luctu, quàm tantum inſtituere planctum, ut ex eo nomen ſit inditum ei loco, ſi Ioſeph ad myſterium hoc ſpectaſſet.

Quapropter uocatum eſt nomen eius, Luctus Aegyptiorum, &c. Quoniam ſingularium geſtorum memoriæ retinendæ ſunt, pulcherrimum ad id compendiũ eſt, ſi nomina locis de rebus præcipuis ſumpta imponantur. Incolæ terræ Canaan hac in re ſeruierunt Iſraelitis, quod locum iſtum uocarunt אבל מצרים, id eſt, luctum Aegyptiorum, unde olim de patre ſuo Iacob, ubi in eum locum educti ex Aegypto ueniſſent, admonerentur.

Et fecerunt ipſi filij eius, inquit, quemadmodum præceperat eis, & portarunt eum, &c.] Poſt planctum ſeptem dierum mouerunt ab area Atad uerſus Hebron, ſepelieruntq; Iacobum in ſpelunca duplici è regione Mamre. Mirum eſt, quòd ſepulturam hanc Iacobi tam paucis abſoluit Moſes, ut nihil prorſus eorum memoret, quæ circa illam acciderunt. Viderunt ſenes & optimates Aegyptiorum ſepulturam patriarcharum & maiorum Ioſeph, dubio procul haud ſine reuerentia. Deinde loci illius incolæ Hebronitæ & uicini, quibus cognitus fuit Iacob, non potuerunt non obſtupeſcere, ubi tantam, tamq; honorabilem Aegyptiorum turmam, tam inſigni reuerentia ſenem hunc inde ex Aegypto ad ſepulturam illam ſpeluncariam proſequutam uiderunt, de quo ipſi ante annos decem ac ſeptem tanquam de homine peregrino non adeò magnificè ſenſerant. Hæc & alia conſimilia pio lectori cogitanda relinquuntur. *Sepulturã Iacob Moſes paucis abſoluit.*

Illud obſeruandum eſt, quod de filijs Iacobi prædicat hic Moſes, feciſſe eos quemadmodum ipſe illis præceperat, qua in re pulcherrimè iſta coniunguntur: pater præcipiens filijs ſuis, & filij facientes ſecundum præcepta patris. Id demum uerè eſt honorare parentes, præceptis illorum religioſe et ex animo obedire, idq; non modò dum uiuunt, ſed & poſtquam à nobis ex hac uita migrarunt; ac de ijs quæ poſt mortem ipſorum facere debeamus præceperunt, quæ non debent ad ea duntaxat quæ ipſos concernunt, ſed & quæ ad uitæ noſtræ pietatem, iuſticiam & honeſtatem ſpectant referri. *Quid ſit honorare parentes.*

Et reuerſus eſt Ioſeph in Aegyptum ipſe, & fratres eius, & omnes qui aſcenderant cum eo ad ſepeliendum patrem eius, poſtquam ſepelierat patrem ſuum.] Occaſione ſepeliendi patris redierant & Ioſeph & fratres eius in terram Canaan ipſis à Deo promiſſam. Poterant in illa manere, præſertim cum iamdudum ceſſaſſet fames. Quod Ioſeph reuerſus eſt in Aegyptum, uidetur haud eſſe præter rationem factum. Vrgebatur enim fide regi debita, urgebatur officio quo fungebatur, urgebatur promiſſo. Dixerat enim ad Pharaonem: Nunc igitur aſcendam & ſepeliam patrem meum, & reuertar. Quod uerò fratres eius poſt ſepultum patrem reuerſi ſunt in Aegyptum, admodum uidetur eſſe mirandũ. Illi ſiquidem nulla ad id ratione aſtringebantur. Paruulos & pecudes poterant tollere ex Aegypto, & reducere ad ſedes paternas. Verùm non eſt huius rei cauſa humanitus quærenda, quæ non humano, ſed diuino regebatur inſtinctu & conſilio. Oportebat oracula Dei cùm ad Abrahamum ſuprà capite 15. tum ad Iacobum initio capitis 46. facta etiam illis neque intelligentibus neque cogitantibus impleri. *Quare filij Iacob non manſerint in terra Canaan.*

Et uiderunt fratres Ioſeph quòd mortuus eſſet pater ipſorum, & dixerunt: Ne fortè ſit nos oſtarus Ioſeph, ac reddendo redditurus nobis omne malum quo ipſum affecimus. Et mandauerunt ad Ioſeph, dicentes: Pater tuus priuſquam moreretur præcepit, dicens: Sic dicetis Ioſepho: Obſecro remittas quæſo tranſgreſſionem fratrum tuorum, & peccatum eorum, nam intulerunt tibi malum. Et nunc remittas quæſo tranſgreſſionem ſeruorum Dei patris tui. Et fleuit Ioſeph, cum loquerentur ad ipſum. Et uenerunt etiam fratres eius, & prociderunt coram eo, ac dixerunt: Ecce ſumus ſerui tui. Et dixit ad eos Ioſeph: Ne timeatis, Etenim ſum ne ego loco Dei? Vos quidem cogitaſtis aduerſum me malum, Deus uerò cogitauit bonum, ut faceret ſecundum diem hanc, ut uiuificaret populum multum. Et nunc ne timeatis. Ego nutriam uos & paruulos ueſtros, et conſolatus eſt eos, loquutusq; ad cor eorum.] Eſt locus hic pulcherrimus & utiliſsimus, ſiue quod fratres, ſiue quod Ioſeph fecit ſpectemus. Et uiderũt fratres Ioſeph quod mortuus eſſet pater ipſorum, & dixerunt, &c. Quando ſit hoc ab illis factum, non meminit Moſes, an ſtatim cum eſſet pater mortuus, uel tum demum cum eſſet ſepultus, & eſſent ipſi cum Ioſepho in Aegyptum reuerſi. Quicquid horum ſit, donec in uiuis fuit pater, fiducia illius ſecuri nihil huius nec cogitarunt, nec timuerunt.

Videmus hoc exemplo quomodo præſentia & authoritate patrisfamilias multa componantur & quieſcant inter filios & domeſticos, quæ illo mortuo turbas dare ſoleant. Eſau dicebat: Veniet dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Conſtituerat quieſcere donec uiuebat pater, ueritus illius authoritatem. Sic de Ioſepho quoq; fratres ipſius ſentiebant, ubi patrẽ uidebãt eſſe mortuum. Cogitabant, patrẽ hactenus ueritus eſt, ne illum turbaret: nunc illo mortuo, cum neminem habeat quem timeat, uindictam de nobis ac paruulis noſtris ſumet. Eſt aliquid timere ac reuereri patrem, & timore illius impediri ne quid contra fratres præſumas: aliquid eſt, inq; parcere canis patris, *Præſentia patris familiãs multa componit.*

ac nolle illos turbare, & timoris ac reuerentiæ huius magna est utilitas ad retinendam inter fratres pacem ac tranquillitatem: uerùm temporaria est huiusmodi tranquillitas, quæ non nisi timore ac reuerentia patris breui morituri constat. Quanto melius est timere ac reuereri Deum cœlestem & communem omnium patrem, & huius timore ac reuerentia cohiberi, ne quid mali siue meriti siue immeriti inferas fratribus? Quæ hoc respectu constat pax inter nos & tranquillitas tam est constans & perpetua, quàm constanter & perpetuò in uiuis est Deus pater, qui nec falli potest, nec mori. A

Ne forte sit nos osurus Ioseph, inquit, ac reddendo redditurus nobis omne malum quo ipsum affecimus.] Illud, Sit nos osurus in Hebræo est ישטמנו. Verbum שטם odio quenquam prosequi, & inimicari significat. Septuaginta uerterunt μνησικακήσῃ, id est, ulciscatur uel cupidus futurus sit ultionis. Vulgata latina habet, memor sit iniuriæ. Illud Quo ipsum affecimus, in Hebræo est אשר גמלנו אתו quod uertit Pagninus, Quod retribuimus ei. Verum de hoc uerbo גמל in commentarijs nostris super psalmos quædam annotauimus. Ponitur hoc loco non pro referre, sed pro inferre.

Moses exprimit hisce uerbis quid timuerint fratres Ioseph, cum patrem suum mortum esse uiderent. Meritam scilicet uindictam timuerunt, memores adhuc eorum, quæ in Iosephum olim admiserant. Qua in re diligenter obseruandum est, quàm ægre conscientia memoriam delicti ac sensum proprij reatus amittat. Peccauerant in fratrem ante annos circiter quadraginta, & adhuc peccati illius memoria & reatu diuexantur. Cum primùm uenissent ad eum in Aegyptum excitabatur huius memoria & sensus culpæ in cordibus eorum, ut dicerent: Meritò hæc patimur: peccauimus enim in fratrem nostrum, suprà capite 42. Deinde cum secundò ad illum uenissent, & reuelatus ipsis esset, mirum in modum consternabantur eiusdem peccati sui memoria & sensu perculsi. Postea consolatione ab illo accepta, & patre in Aegyptum deducto pacata nonnihil conscientia quieuit. nunc post mortem patris in pristinam illius diuexationem incidentes redduntur meticulosi & anxij. Sic uidemus quàm sit in conscientia eorum qui enormiter deliquerunt tenax & diuturna peccati memoria, & quàm sensus reatus proprij per occasionem facile recurrat. Dum ista consideramus, admonemur ut maliciam hanc & tenacitatem peccati cauentes, cohibeamus nos ne quid uel in Deum uel fratrem nostrum peccemus.

Talionem timent qui male sibi sunt conscij.

Deinde & illud obseruandum est, quod memores peccati sui uindictam & talionem timent, dicentes: Ne forte sit nos osurus Ioseph, ac reddendo redditurus nobis omne malum quo ipsum affecimus. Oderant ipsi eum & enormiter læserant, cum essent illo fortiores, & ipse patris sui patrocinio & protectione destitutus in ipsorum esset manibus: nunc ubi uiceuersa uident illum esse potentiorem, & se patrocinio patris destitutos in ipsius constitutos esse manibus, timent ne mensuretur ipsis eadem ab illo mensura, qua olim ipsi mensi fuerant. Videmus hic quomodo iudicemus ipsi in cordibus nostris dignos esse nos qui paria recipiamus ab illis quos olim læsimus. Aequitatem talionis ipsa nostra conscientia aduersus seipsam & in seipsa agnoscit. B

Secundum qualitatem ingenij nostri iudicamus de alijs.

Deinde accedit & illud, quod secundum ingenij nostri qualitatem de alijs iudicamus. Quales sumus ipsi, tales & alios esse: & quod nos faceremus si aliorum loco essemus, id illos quoque facturos esse iudicamus. Pro ingenij nostri corruptione & malicia ut ad malefaciendum, ita & ad ulciscendum nos ipsos uehementer propendemus. Hinc est, quod idem facturos putamus & alios. Contrà qui bono, miti, & placido sunt ingenio, quemadmodum alieni sunt à studio malefaciendi, ita sunt & alieni à studio ulciscendi, & secundum hanc ingenij sui bonitatem de alijs quoque iudicantes perpetuò meliora sperant. Quare quod fratres Ioseph uindictam timuerunt, ipsorum est, non Ioseph ingenio tribuendum. Ipse siquidem alieniss imus erat ab eo quod illi timebant.

Et mandauerunt, inquit, ad Ioseph dicentes: Pater tuus priusquam moreretur, &c.] Verbo mandandi usus est hoc loco Moses pro uerbo nunciandi, uel, mittendi. Solemus illis mandare quæ agenda sunt, quos aliquò mittimus, id quod aliàs amandare aliquem nonnulli uocant. Innuitur. hoc uerbo mississe eos ad Iosephum quosdam, illisq; mandasse, ut ista ipsorum nomine cum illo agerent. R. Shlomoh existimat missos esse ad eum filios Bileæ Dan Naphthali, propterea quòd puer olim cum istis esset uersatus, sicuti suprà uidere est capite 37. Verùm non est operæpretium ut sciamus quos miserint, istos ne uel Biniamin uel Iehudam, quandoquidem ea de re nihil meminit Moses.

Multum refert quomodo remissionē peccati accipiamus.

Obseruandum est potius quid per internuncios à Iosepho petant: Pater tuus, inquiunt, priusquā moreretur, præcepit dicens, Sic dicetis Iosepho, obsecro remittas quæso transgressionem fratrum tuorum, &c. Remissionem peccati sui petunt. At remiserat hoc Ioseph iam olim. Ipsi uerò remissionem eam non satis bona fiducia apprehenderant, sed eam authoritati patris, non bonitati Iosephi tribuerāt. Discamus hic quantum referat, quomodo remissionem peccatorum nostrorum, & quo respectu accipiamus Si alio q̄ diuinæ bonitatis, promissionis ac ueritatis in Christo, non poterimus constanter pacari, sed quauis occasione hæsitabundi & anxij reddemur. Bene tamen habet quod sic affecti non desperamus sed ad clementiā diuinæ bonitatis confugientes remissionis gratiā petimus.

A quibus sit petenda peccatorū remissio.

Deinde, à quo petunt remissionem? Est quidem omnium peccatorum remissio cumprimis à Deo petenda, interea tamen petenda est etiam ab illis in quos est peccatum. Sic Christus Matth. 5. Vade prius reconciliari fratri tuo. Et Lucæ 17. Si dixerit frater, Pœnitet me, remitte illi. Sic isti miserunt ad ipsum Iosephum pro impetranda peccati sui remissione, dicentes, Remittas quæso. Nam in illū

pecca-

A peccauerant. Quòd si quis Christiano cuipiam uel fratri, uel ministro in quem non peccauit peccatum suum confitendum esse putat: confiteatur, uerùm non hoc animo, ut remissionem delicti sui ab illo petat, quod non est nisi à Deo & illis in quos peccauit, impetrandum.

Tertiò. Quomodo remissionem peccati sui à Iosepho ambiunt? Principiò per internuncios, quos illi iudicabant esse charos. Potest hoc esse loco exempli, non ut intercessores ad Deum mittamus, sed si pudor est accedere fratrem à nobis læsum, placemus cùm per intermediatores. Deinde utuntur patrocinio patris & respectu Dei. Pater tuus, inquiunt, priusquam moreretur, præcepit dicens: Sic dicetis Iosepho, Obsecro remittas, &c. Respectu Dei, cũ dicunt, Et nunc remittas quæso transgressionem seruorũ Dei patris tui. Vide quõ de Iosepho senserint, plurimũ ualere apud eum utriusq; & patris sui et Dei authoritatẽ, quare et utrunq; in hac petitione coniunxerũt. Et reuera hominis est cùm in Deũ, tum in parentes etiã mortuos pij, illorũ gratia ignoscere illis à quibus quantũuis est enormiter læsus. Deniq; consultissimũ est, ut peccatorũ nostrorũ remissionẽ à Deo petentes, dicamus: Præcepit nobis Christus filius tuus, ut dicamus, Remitte nobis debita nostra. Christianũ est fiducia Christi filij Dei in conspectu Dei petere, q̃d iusticię nostrę respectu nunq̃ rectè petituri sumus. Præterea confitent̃ se deliquisse in ipsum. Nam intulerũt tibi malũ, inquit. Sic est confessio delicti adiungẽda precationi. Ad hæc non solũ per internuncios cum Iosepho agunt, sed accedũt illũ & ipsi & corã eo procidentes & humiliter supplicantes, dicunt: Ecce sumus serui tui. Q. d Non sumus digni, ut uocemur fratres tui, habeas nos loco seruorũ tuorũ, modò remittas q̃d in te admisimus. Sic dicebat filius prodigus: Nõ sum dignus ut posthac uocer filius tuus, fac me sicut unũ ex mercenarijs tuis. Ergo et hoc requirit̃ ab illis q peccati sui remissionẽ ambiũt, ut sese corã Deo humilient, & indignos iudicẽt, q filijs illius connumerent̃, sed satis habeãt si inter postremos illius seruulos censeant̃. Huiusmodi humilitas animi pœnitentis & gratiã petentis plurimũ ualet in conspectu Dei. Hactenus de fratribus Iosephi.

Quomodo ambiant remissionẽ peccatorum.

Et fleuit Ioseph, inquit, cum loquerentur ad ipsum.] Rursus illachrymatur Iosephus. Quid à tali fratre impetrari nõ posset? Quomodo cupidus esset uindictæ, qui tam facile resoluit̃ in fletum & lachrymas? In carcere constitutum fleuisse non legimus, uerùm iam aliquoties in ijs fleuisse commemorat̃ quæ charitatis sunt, & uel patrem uel fratres concernebant. Quid faceret hic saxeus Stoicus, & supercilioſus aliquis iusticiarius & Pharisæus.

Et dixit ad eos Ioseph, inquit, ne timeatis.] Tria facit ad hoc ut conscientias eorum quietas reddat.

B Primum est, quòd iubet eos esse posito timore securos. Ne timeatis, inquit. Videbat enim eos esse anxios. Quare statim hortatur, ut timere desinant id q̃, secundò inculcans, & significans nihil esse periculi, nec quicquam à se mali expectandum. Omnino qui dicit, Ne timeas, nisi sit impostor, significat omnia esse salua, nec quicquam mali expectandum. Et hæc prima ratio est pacandi mentes tristes & anxias. Secundum est, quod dicit: Etenim, sum ne ego loco Dei? id quod uariè exponitur. Alij sic: Tam abest ut uos perdere uelim, ut sim uobis potius loco Dei. Alij: Num Deus sum ego qui possim uobis nocere, uel prodesse? Alij: Num Deus sum ego coram quo sic procidere debeatis? Onkelos Chald. sic: Quoniam Deum timeo ego. Sept. τῦ γὰρ θεῦ εἰμὶ ἐγώ, id est, nam Dei sum ego. Verùm uulgata latina sensum huius particulæ rectius exprimere uidetur, quæ sic habet: Num Dei possum resistere uoluntati. quo sensu & suprà cap. 30. Iacob ad Rahelem consimili modo loquutus legitur. Vide illic initio capitis. Vult Ioseph peccatum fratrum extenuare, immo excusare, ideoq; proponit illis diuinam prouidentiam, dicens: Num Deo reluctari possum? Vos quidem cogitastis contra me malum, uerùm Deus cogitauit bonum, ut faceret secundum diem hanc, & uiuificaret populum multum. Q. d. Res ipsa declarauit, quicquid uos contra me cogitaueritis, omnia hæc esse diuino consilio ac multorum hominum bono gesta. Quare non respicio in hac causa quid uos cogitaueritis, sed diuinam prouidentiam adorans uobis nihil horũ impingo. Et suprà capite 45. consimili ratione ad consolandum eos usus est. Quod dicit, Vt uiuificaret populum multum, intelligit de eo quod & Chananeos, & Aegyptios, & ipsos quoq; fratres cum omni domo patris ipsorum tempore famis aluerat.

Tertium est, quod promittit eis sustentationem uictus, & uerbis amicis anxios consolatur. Ego, inquit, nutriam uos & paruulos uestros. Q. d. Haud secus post mortem patris uos ac paruulos uestros alam, q̃ alui dum adhuc ille uiueret. Beneuolentiæ candor in eo declarat̃, si beneficentiæ sit. diũ non remittat̃. Nobis hic obseruandũ est, non esse uerbis duntaxat remittendũ peccatum fratris, sed & hoc curandum, ut conscientiæ illius persuadeat̃, quod uerè & ex animo remittatur quicquid mali fecit. Ea persuasio est in amica & fraterna beneficentia, si illa non cesset, sed constanter declaretur, deinde & in blanda consolatione. Illud, Et loquutus est ad cor eorum, idem est quod, Et amicis uerbis corda eorum deliniuit, & pacauit. Et suprà capite 34. eadem loquutio habetur.

Et habitauit Ioseph in Aegypto ipse ac domus patris eius, & uixit centũ et decem annos. Et uidit Ioseph ex Ephraim tertiã generationẽ filiorũ, et filij Machir quoq; filij Manasseh nati sunt super genua Ioseph.] Duo memorat Moses. Aetatem uidelicet, & posteritatem Iosephi. Ad ætatem pertinet q̃d dicit: Et uixit centũ & decem annos. Ergo annos septuaginta nouem gessit principatum Aegypti, & post obitum patris uixit annos quinquaginta quatuor. Cum cñ moreret̃ pater, annorũ erat ipse quinquaginta sex. Vide quõ Deus tam sit prolixo principatu Iosephi ad hoc usus, ut domus Israelis in Aegypto ueluti sub umbra illius creseeret & multiplicaret̃, ut post mortem illius impio Pharaoni, qui præ denti succes-

sit

fit, formidabilis esset. Ad posteritatem pertinet quod dicit: Et uidit Ioseph ex Ephraim tertiam generationem filiorum, &c. In Hebræo est בני שלשים, id est, filios triplicatos, uel tertios. Vidit ex Ephraim nepotes, pronepotes & abnepotes: atque ita priusquã decederet ex hac uita, abauus factus posteritatis suæ multiplicationem in quartam usque generationem uidit. Et filij Machir quoque filij Manasse nati sunt super genua Ioseph. Ex primogenito suo Manasse uidit pronepotes, hoc est tertiã generationem suam. Non est autem præter consilium Dei factum. ut Ioseph priusquam moreretur, numerosiorem sobolem ex iuniore filio suo Ephraim, quàm ex Manasseh primogenito uideret. Voluit illi Deus adhuc in uiuis existenti ostendere quàm Iacob non frustra potiores partes inter benedicendum deputauerit iuniori. A

Illud quod dicit, Nati sunt super genua Ioseph, Onkelos Chald. uertit ורבו ירסף, id est, & nutriuit Ioseph. Septuaginta, Nati sunt super femoribus Ioseph. Non est putandum quòd matres filios suos peperierint super genibus uel patrum, uel auorum, sed quod recens natos in sinum maiorum ac senum tanquam semen benedictionis posuerint, ad exhilarandũ illorum animos, ut cernerent & complecterẽtur suam ipsorum posteritatem, indeq; senectutis consolationẽ inuenirent, ac simul recentem prolem benedicerent. De hac consuetudine existimo hic loqui Mosen.

Et dixit Ioseph ad fratres suos: Ego morior, et Deus uisitãdo uisitabit uos, et asceẽdere uos faciet de terra hac in terrã quã iureiurãdo pmisit Abrahæ, Isaac et Iacob Et adiurauit Ioseph filios Israel dicẽs: Visitãdo uisitabit uos Deus, & asportabitis ossa mea hinc. Et mortuus est Ioseph annos natus centum & decem, & condierunt eum aromatibus, ac posuerunt arcam in Aegypto.] Dubio procul, ubi diem mortis suæ appropinquare sensit, conuocauit ad se fratres suos, ut congregatis quæ mandanda erant seriò mandaret. Pertinebant enim ad posteros, & requirebatur ut ad illos communi institutione per generationes ipsorum transmitterentur. Ego morior, inquit. Hoc est, auferor à uobis ex hac uita, uos hic in Aegypto manebitis. Verùm ne sitis animo pusillo, quasi post mortem meam futuri sitis deserti ac derelicti, & perpetuò in hac terra peregrini futuri: sed certò persuasi, fore ut uisitet uos Deus patrum nostrorum, & reducat uos in terram, quam iureiurando promisit Abrahæ, Isaac, & Iacob. Huius rei certitudinem in eo expressit, quòd dixit, Et Deus uisitando uisitabit uos, hoc est, certissimè uisitabit. Et qualis futura esset ea uisitatio, subiungit declarans, Et ascendere uos faciet de terra hac in terram, &c. Et ut fidei huius ac spei suæ fundamentum exprimat, non dicit simpliciter, In terram Canaan: sed, In terram quam iureiurando promisit Abrahæ, Isaac, & Iacob q.d Non potest irritum fieri, quod Deus iureiurando non uni tantum, sed omnibus nostris maioribus toties promisit. Hoc dicens, non modò fidem suam declarauit, & illorum animos confirmauit: sed simul cauit, ne sponte sua terrã Aegypti egressi priusquam à Deo uisitarentur, in terram Canaan redire tentarent, sed uisitationem Dei patienter expectarent. B

Et adiurauit Ioseph filios Israel, inquit, dicens: Visitando uisitabit uos Deus, & asportabitis ossa mea hinc. Maiorum suorum fidem ac spem erga promissam terram non in eo tantũ declarauit, quòd tam certò fratribus suis affirmauit, fore ut à Deo in illam reducerentur: sed in eo quoq; quòd uel ossa sua in illam reportari uoluit, quandoquidem in ea uiuere non licuit. Carnali homini huiusmodi cura stultitiæ loco haberetur. Verùm exemplo patrum istorum Abrahæ, Isaac, Iacob & Ioseph uidemus hac in re expressum fidei ingenium, quæ sic est comparata, ut ultra præsentis uitæ emolumenta & delicias ad futura sese extendat, & promissis Dei adhæreat etiam illis, quibus in hac uita frui non datur. Voluerunt patres isti in terra semini istorum promissa etiam mortui consistere, non quòd inde ad mortuos aliqua reditura esset utilitas, sed ut hoc pacto declararent fidei ac spei suæ firmitudinem erga promissa Dei, & amorem ad ecclesiam Dei, cui & hic & in futuro coniungi magnæ, felicitatis loco duxerunt. Sic de Iosepho nostro annotauit Apostolus Ebr. 11. dicens, Fide Ioseph moriẽs de profectione filiorum Israel mentionem fecit, & de ossibus suis mandauit.

Verùm poterit hic quæri, quanam ratione Ioseph huiusmodi fide ac spe maioribus suis conformiter animatus non mandauerit fratribus suis, ut se mortuum mox peracto luctu ad exemplum patris sui in terram Canaan ad sepulturam maiorum suorum asportarent. Respondendum est, factum hoc esse non sine euidentibus rationibus. Primùm non erat deportatio ista corporis Ioseph tam facilis illius fratribus, quàm fuerat ipsi funeris paterni translatio ex Aegypto in terram Canaan. Potuit tum præstare patri, quod fratres ipsi mortuo præstare non potuissent. Deinde uehementer offendisset Aegyptios, si funus Iosephi ex Aegypto in terram Canaan deportassent, & hac in re malam gratiam coram Aegyptijs inijssent. Præterea poterat sepultura Ioseph in Aegypto Israeli isthic peregrino aliquo esse solatio, donec tempus liberationis aduenisset. Non legimus de aliquo in signi uiro, qui post obitum Iosephi in Israele uixerit, unde populus peregrinus solatij aliquid habere potuerit. Quare non erat inconsultum, quod relictus est apud eos Ioseph uel mortuus. Habet enim nonnihil solatij in malis etiam mortuorum sanctorum præsentia. Quod autem Israelitæ iuramenti huius memores ossa Iosephi secum in terram Canaan asportarint, Exod. 13. cap. ad hunc modũ legitur: Tulit quoque Moses ossa Ioseph secum, eo quòd adiurasset filios Israel, dicens: Visitabit uos Deus, afferte ossa mea uobiscum hinc.

Et mortuus est Ioseph, inquit, annos natus centum & dec.] Vixerat in principatu & maxima gloria, Iacob uerò in multis laboribus, & illius tamẽ ætatẽ adequare nõ potuit, à qua cũ mereret deficiebat

A bat annis 37. Sic perpetuò posteriorum ætas consilio diuino ab ætate maiorum deficit. qua de re dictum est alibi.

Et condierunt eum aromatibus & posuerunt in arcam in Aegypto. Arbitror hoc factum esse à filijs & nepotibus Ioseph, qui etiam arcam hanc, id est, sarcophagum, in sua familia & tribu diligenter asseruarunt, donec à Mose accepta est & in terram Canaan per Iehosua successorem Mosis illata ac postea in Sichem sepulta, sicuti Iehosue capite ultimo uidere licet.

Admonendus est hic lector, ut secum ipse consideret quàm nihil prorsus superstitionis deprehendatur in funeribus & corporibus sanctorum uirorum Abrahæ, Isaac, Iacob, & Ioseph, ut præcedentes sanctos taceam. Mortui sunt, & sepulti. Iacob conditus aromatibus, uerùm non ad culturam aris impositus, sed in sepulchro maiorum suorum sepultus. Ioseph conditus, etsi non statim sepultus, in arca tamen ad tempus usque liberationis asseruatus, tandem est in terra Canaan suo loco sepultus. Nec de prophetarum corporibus aliud legimus. Quàm autem ab hac puritate diuersa sit eorum superstitio qui corpora sanctorum, propterea quòd sancti sunt, sepulchris eximunt, unde in fine mundi resurgere deberent & populis Christianorum quæstu omnium turpissimo adoranda prostituunt, res ipsa clamat.

Hactenus diuina nobis benignitate tantum est & uitæ & otij datum, ut lucubrationes hasce in Genesim tenues & rudes ad calcem usq; perduceremus: qua de re plane incerti eramus cum illas ordiremur, cùm propter communis mortalitatis necessitatem, tum propter præsentium temporum miserabiles & turbulentos motus, omnibus pijs & honestis studijs admodum inimicos, quibus hoc nostrum seculum propter incredibilem maliciam & catholicam corruptionem iustissimo Dei iudicio flagellatur. Quod reliquum est, oro Dominum ut hosce labores nostros Ecclesiæ suæ reddat utiles, ac studia piorum hominum, qui communi mortalium saluti extremis hisce temporibus docendo, monendo, corripiendo siue ore siue calamo student, incremento benedictionis suæ frugifera efficiat, simulq; errantium ac seducentium mentes luce ueritatis suæ illuminet, & sæuitiem illam plusquam barbaricam, quæ hodie in Ecclesia passim grassatur, potenti manu ad gloriam nominis ac uerbi sui reprimat.

EXPLANATIONVM IN GENESIM FINIS.

Abſolui Geneſim, Geneſis quo tempore Chriſti
Ritibus inſtabat commemoranda ſacris:
A`genito Chriſto poſt ſecula quinq; decemq;,
Et poſt luſtra decem tertius annus erat.
Anno hoc Mauricius Saxo, atq; Eduardus Hybernus,
Iuſsi ſunt uitæ fata ſubire ſuæ.
Acer hic in bello, morbo puer occidit alter:
Multorum luctu raptus utercq; graui.

ERRATA OPERARVM INIVRIA COMmissa sic emendabis.

23. 45 dimidium 55 eliminat 15. 51 subcœlestibus istis 21. 27 stirpibus 23. 22 appareat 30. 56 nullius 38. 15 parte 44. 29 dominum 52. 50 mereatur 54. 44 est 54. 55 anima 57. 45 unam 49 testatur 63. 22 ac, uacat. 65. 43 non prop. 67. ult. religiosi 69. 58 carneq; 70. 1 formatio 35 conuixerunt 79. 6 dicere 81. 18 non, uacat. 85. 50 odorando 86. 2 De 88. 33 ubi 92. 27 potiri 94. 10 exitium 101. 29 replete 102. 7 uestra 11 deiecti 104. 2 ita 107. 49 conspirant 114. 1 cincti 116. 4 nolimus 134. 35 maligno 137. 43 cuncta 138. 31 Cainum 140. 12 queri 143. 21 sibijpsi 144. 22 signi 146. 31 recensuit 147. 25 anxius 148. 40 libidinem 157. 44 annos 159. 25 struxisse 189. 17 recreationem talem 196. 40 fuisse 213. 42 fuerat 223. 41 hominis 248. 3 natu 258. 57 Iauan 60 meminit 262. 8 Chus 279. 32 cogitationibus 55 scelere 284. 1 positos 285. 20 accusentur. 23 reuiuiscerent 293. 42 indubitatum 61 probabilior 295. 3 uir 301. 46 Nahor 303. 17 incognitam 306. 36 ut 307. 47 Tertium 57 hic 308. 3 pulchritudinem 57 timendum 309. 16 dicit. 34 auertere 312. 9 induxit 326. 50 commoditas 327. 33 studium 333. 27 τῷ 56 ipsa 335. 9 frustra 13 quam 20 Abrahamum interceßit, non potuit Deus Abrah. 336. 4 fides 6 leuare 337. 41 substantiam 349. 33 Benedictus 365. 24 hœdum 366. 35 erant 369. 58 nunc 370. 1 reddiderunt 380 sunt 381. 56 Aegyptiã 383. 3 consilium 388. 9 coniugali 390. 15 multiplicabo 391. 39 electorũ 392. 11 obliti 396. 17 gustu 418. 9 tua 420. 20 Dignius 41 Ecclesiæ 422. 56 meum 433. 6 distinctionem 434. 16 saginatum 33 utuntur 436. 45 Christum 438. 18 auscultabat 444. 27 Domini 446. 21 filius 457. 41 Hebræos 459. 17 coegit 460. 4 προσέωξεν 463. 54 peregrinandum 480. 15 fine 489. 49 δικαιοσύνη 486. 10 uiginti 30 concupiscentiam 501. 5 queritur 503. 58 annunciabit Abrahæ. 59 promißiones 504. 41 exponuntur 506. 20 filijs 510. 20 Abrahã 517. 2 Ancilla 16 uerbis Saræ 34 uoluntatis 41 hærere in eo quod patet oculis 42 uerò 518. 7 solitudinẽ 519. 39 humanũ 40 præditi 58 consolationis 525 prima linea abundat 526. 33 acciperetur 527. 45 iuramento 54 ac 528 alterius 530. 13 Abrahã 16 uicino 533. 16 qualitercunq; 540. 40 mortificationis 603. 49 maritali 604. 4 agro 49 uentaret 609. 30 enim 614. 13 moritur 15 uocat 30 Bethuelis 50 dispositione 52 orat 615. 20 iuerit 618. 59 diligente, 619. 40 rubedinẽ, 621. 54 Custodiuit 628. 57 carnibus ferinis, 25. 632 corde 633 duas priores lineas expunge, & principium tertiæ usq; ad dictionem Isaac. 634. 9 Sciebat 635. 39 uerti 639. 39 sororem 674. 1 ac 675. 59 domum 680. 7 percutia. 29 mansuetudine 681. 58 pascisquntur 682. 57 cõfirmatur 688. 2 consultius 691. 31 subiungit 693. 33 habita 694. 15 momento 57 Misi 695. 1 hoc tantum obseruant, ut submisso animo & instanter supplicẽt, uerumetiã ut circunspectè, &c. 698. 9 nomen 704. 32 uenerũt 57 admodum 705. 20 relinquuntur 708. 15 multum 26 illi 27 exemplum 712. 4 etenim 719. 57 pars, abundat 724. 59 abierunt 733. 45 sanguine 735. 35 expectandum 40 nomen 736. 9 indicendis 755. 22 uolebat 34 potens 756. 15 insimulat 757. 10 Ioseph 759. 14 esset 763. 45 incarcerationis 47 enim commodius 48 ad historiã. ibidem, usq; 766. 1 quid poterit, dele 780. 45 uendebatur 789. 26 locus, abundat 798. 52 amantius 799. 27 incolumem 802. 41 hunc 806. 46 tues 809. 59 fratres 811. 61 reconciliato 819. 11 Ioseph 26 surrexit 823. 6 patri 825. 18 militiam 835. 32 Pone.

Si quid in Hebræis, candide lector, inueneris quod te remoretur, ad S. Bibliorũ textum cõfugito, unde nullo negocio pleraq; restitues. Nobis in præsentia, & ob temporis angustiam, & operis huius festinationem, plura præstare non licuit. Hisce uale, & operam nostram æqui bonique consule.

RERVM ET VERBO-
rum Index locuple-
tißimus.

Aron propheta 488 b
Abak quid 688 b
abel ouium pastor 222 a
abra ciuitas 610 a
abimelech 489 a quid 487 a Christi typus 502 b iustitiã Dei agnouit 491 b
abimelech nomen Geraræ regibus peculiare 487 a 765 b
abimelech securitatem quærit 525 a
abimelechi innocentia 492 a liberalitas & munificentia 501 a modestia ibid.
ablatæ rei restitutio recta 493 a
abraham à Deo tentatur 529 a à Pharaone cur munera acceperit, ab Abimelech non item 320 a ab homine ethnico quanti factus 572 b amicitię retinendę studiosus 361 a angelos hospitio excepit 426 b Christi diem quomodo uiderit 306 a ciuitates cur refugerit 306 b cur non unà cum hospitibus suis accubuerit 436 a cur filio suo de nuptijs prouiderit 574 a
abraham casti & continentis uiri exemplum 386 a de Sodomorũ excidio certior cur redditus 443 a descendendo in Aegyptũ num peccarit 308 a Hebręus unde dictus 345 a empto agro peregrinus quomodo manserit 571 b fame pressus quomodo se gesserit 310 a fide iustificatus 555 b idololatra num fuerit 288 a incola 566 a in peregrinatione factus longæuus & diues 576 a orientales reges oppressit 340 b peregrinus 566 a peregrinantium electorũ exemplar 489 a pro Sodomitis intercedit 448 b propheta 488 b prudentiæ exemplum 360 b qua fide terrã Canaan sit ingressus 305 a quare conuiuiũ fecerit ablactationis die 505 b quare filium Ismaelem ac matrem eius tam neglectim à se dimiserit 516 a
abraham quid 399 a quomodo Charan sit egressus 75 anno uitæ suæ 229 b quomodo filio suo omnia dederit 596 a quomodo nihil in terra Canaan possedisse dicatur 571 a Saræ uocem audire iussus 510 a sedem suã cur mutarit 487 b senex iam tentatur 531 a senex uxorem ducens excusatur 608 a seruus seruorum 434 b signũ cur petierit, si Deo credidit 371 a sola fide iustificatus 301 b ubi uocatus 294 a quando b quomodo ibid. ubi sepultus 334 a uictoris ueri exemplum 360 b unde ad plangendam Saram uenerit 561 b
abrahæ ætas 157 b
abrahæ ætatis anni cur à Mose assignati 507 b æquitas 468 b anni cur à Mose annotati 302 b benedictio admirabilis 397 b diligentia in pietatis causa 573 b domus Dei ecclesia 567 a fides 291 a fides tentata 507 b fiducia 574 b
abrahæ filij duplices 514 a gratitudo erga Hethæos 565 b habitatio, uicus 303 b honorificentia 567 b humanitas 540 a humanitas erga peregrinos 430 b humilitas 566 b in debellandis regibus industria 348 b intercessio pro Sedomitis 189 b iusticia in causa electionis non attendenda 294 a mansuetudo 527 a modestia 566 b 568 a obedientia 291 a 423 b obitus 607 b peregrinantis prudentia 498 b petitio 565 b pietas 306 a planctus 561 a semen Christus 301 a
abrahę semen omnes gentes consequutas 553 a
abrahæ seminis multiplicati ratio 336 a
abrahæ uita tabernacularis. 430 a
abrahæ & Hebronitarum candor 567 b
abrahæ & Lot mansiones conferuntur 332 a
abrahæ & Nahoris domus collatio 560 a
abrahæ & Saræ cõiugium Christi typus 498 a
abrahæ uxor 288 b
abrahæ seruus an Deum tentarit 581 b quomodo familiam Nahor inuestiget 583 a quomodo iurarit 575 b seruus unde agnouerit puellam 585 a
abrahę serui indagatio quomodo differat ab augurio 582 b petitio 581 a
abrahæ seruum candidè orasse 582 a
abrahę centenario nascitur filius 560 a
abrahæ cur Deus iuret 554 b num licuerit sine uerbo Dei ædificare altare 304 b quomodo uisus sit Dominus. 362 b
abrahamum circuncidi cur oportuerit 410 a
abrahamum prophetam fuisse 309 a
in Abrahamo nulla hypocrisis 567 b
abrech quid 774 b
abyssus & tenebræ in operibus Dei 8 a
abyssus magna quid 204 a
abysi fontes quomodo clausi dicantur 213 b
abysi magnitudo 204 a
Acarnanij pop. 268 a
accedendi uerbum 491 a
accedere ad mulierem 491 a
achab facinus 312 a
actorũ suorũ quisq; habeat certa tempora 32 a
actor. quinto locus expenditur. 292 b septimo 698 b 822 a
Adah 146 b
adam an esset recuperaturus amissam immortalitatem esu ligni uitæ 116 a
adam corde & ore consensit matrimonio 77 b
adam cur uxorem suam uocauit uitam, & non mortem 117 a
adam seipsum prodidit 97 b ijõ est per serpentem seductus 109 b quomodo factus sciẽs bonum & malũ 118 b quid nomen suæ uxori imposuerit 113 b succinctorio suo non fidebat in conspectu Dei 105 a transfert peccatum in mulierem 97 b unde cognouerit esse fœminam sumptam ex se 72 a uxori suæ nomen imposuit 78 a consensus ad Euæ coniunctionem 77 b
adæ affectus erga posteritatem 117 b
adæ filiæ 164 a
adæ filij turris Babylonicæ ædificatores 278 b
adæ salus 158 a
adami sapientia 75 a sepultura 334 a

Adæ tria incommoda pronunciantur 99 a
adæ & Christi mystica consideratio 82 a
adæ & Euæ datam fuisse à Deo legem boni & mali 64 a
adamum à studio multiplicandæ prolis non destitisse 154 a
adamum quid mouerit ad edendum pomum uetitum 85 b
ab Adam ad Christum quot generationes 147 b
adama subuersa 475 a
adami moderni se excusantes. 106 a
adhortationis sedulæ & instantis uis 469 b
adiurare aliquem an licitum. 577 a
adiutorium triplex ex muliere 74 b
admiratio ex fide 421 a
admirationis genera tria 417 b
admirationem magnam mereri quòd sex dierum spacio omnia sunt condita 52 b
admonitio ne sit intẽpestiua cauendum 389 a
admonitionum impatientia. 464 a
adolescens dispensator 576 b
ab Adolescentia malitię studium incipere 229 a
adorare populum terræ quomodo Abrahæ licuerit 565 b
adorationis honorem non angelis, sed soli Deo competere 399 b
aduenis possessionem emere illicitum 565 a
adulatores nocentissimum genus hominum 355 b
adulterorum femora polluta 577 b
adulterium an homicidio grauius 311 b capitale 490 739 b
adulterium scienter admittentes, magnas plagas mereri 317 a
adulterij grauitas 497 a
adulterij scelus Christi sanguine expiatum 147 b
adulteriorum initia 440 a
adultorum & infantium discrimen 412 b
Aedificandi uerbum 385 b
ædom quid 618 b
ægrotis quomodo ministrandũ 758 a
ægrotantibus amicorum aduentus acceptus 837 a
ægyptus figura regni mundi 320 b inter hortos Domini numerata 331 b Mizraim dicta 258 b ob magorum & sapientum singularem sapientiam celebris 773 b
ægypti fertilitas 307 b
in Aegyptum periculoso itinere descendi 781 b
ægyptiorum ędificia neglectius cæteris nationibus extructa. 831 b
ægyptiorum reges omnes Pharaones dictos 487 a
ægyptiorũ terra à Ioseph o Pharaoni empta 831 b
ægyptijs abominabile uesci cum Hebræis 799 b
ægyptios pecora habuisse 826 b
ælia Hierosolyma dicta 334 a
æmim pop. 339 b
æquitas seruanda inter fratres. 794 a
æquitatis in rege ethnico exemplum 359 a
æquitatis norma 805 b
aer uitalis, & exitialis 208 b
aeri aures quomodo attribuantur 141 b
aerem ac flatum uocari aliquando Dei spiritum 4 a
ætas quid 771 a
ætatis sanctorum diminutio 284 b
æthiopia Chus 258 b 261 b
Affectus carnalis 330 b
affectus erga parentes 131 b
affectus ligandi 545 b
affectus naturales nequeunt perpetuò cohiberi 809 b
in Affectibus humanis nihil stabile 389 a
afflictiones piorum determinatum tempus habere 380 a
afflictionum fructus 379 b
afflictorum affectus 396 b
afflictorum afflictionem audire Dominum 394 a
afflictorũ preces Deum non respuere 493 b
ἀγαμία improbata 776 a
ager quando surgere dicatur 573 a
ager resurrectionis officina 568 b
agrum agro & domum domui iungentes quales sint 44 b
agrum cur Ephron uendiderit 571 a
agri pecunia 569 b
agrorum fertilitas unde 623 a
agere malè cum aliquo 668 b
agrestis uitæ securitas 275 b studia 275 a
alendorum ratio habenda 193 a
Alexander Polyhistor 610 a
Alexandri Magni continentia 490 b memorabilis temperantia 316 a
alimonia eadem hominibus & bestijs data 48 b primis parentibus concessa ibid.
aliud quicquam esse, & aliud uocari 430 b
almah 585 a
altare facere Deo 707 b
altaria num liceat sine uerbo Dei extruere 304 b
Amath 261 b
ambulare coram Domino, quid 163 a 401 b
amicitia firma quæ 299 b
amicitia secretũ nullum abscondit 445 b
amicitiæ consideratio 738 b
amicitię retinendę studiũ in Abrahamo expressum 361 a
amicitiæ ueræ ingenium 347 a
amicitiæ peruersæ exemplum 94 b
amicitiæ & charitatis læsæ ingenium 387 b
amictus insolentia taxatur 118 b
amici ueri ingenium 788 b
amici quomodo prudenter increpandi 526 b
amicorum beneuolentia nõ contemnenda 568 a
amor illegitimus diabolicus 744 b
amor morarũ impatiens 703 b
amoris ingenium 700 b
amoris ingeniũ diuersum 517 b
amoris paterni uis quanta 808 b
amoris uehementia 702 b
amoris ueri certissimum experimentum quod 299 a
amore Deum delectari 555 b
amraphel rex Sennaar 339 a
Anagoge ad opus spiritus sancti in cordibus electorum 8 b
anah 717 a
anabaptistę Adamitas imitantur bestiales 81 b à simplicibus cauendi 91 a
Anabaptistarum, Adamitarum, Cynicorumq; ac similium impudentia 118 a
anabaptistarum confusio bonorum terrenorum improbata 44 b error 624 a 431 b furor 539 b insania 782 a
ex Ancillis nati pro liberis habiti

biti 656 a
angeli à Loto hoſpitio excipiuntur 457 a
angeli ab Abrahamo hoſpitio excepti 426 b apud Abrahamum quomodo comederint 429 b interpretes Dei 555 a nobis miniſtrant 33 a num adorandi 400 a quomodo cogi queant 459 a
angelum malum cur Deus condiderit 87 a
angelorũ familiaritas 391 b miniſterium 436 b officiũ 580 a uoluntas nõ diuerſa à Dei uoluntate 472 a
angelos nõ ſolum gratiæ, ſed & iræ Dei ſeruire 468 b
angelos Chriſti miniſtros præcedere 580 a
anima pro homine 408 a 358 b 728 a
anima quomodo beſtijs tribuatur 38 a
anima uiuens eſt ignis conſumẽs 49 a
animæ rationalis ſententiæ uariæ 41 b
animæ uocabuli ſignificatio. 291 a
animam de populo ſuo excindi 408 a
animal immundum 196 a
animali homini, animalis cibus datus,& cœleſti cœleſti 48 b
animalia tam munda quàm immũda ob hominẽ facta 198 b
animalium cur quædam immunda uocentur 196 a
animalium diuiſio in ſanciendis fœderibus quid deſignarit olim 377 a
animalium mundorũ cur Deus imparem numerum elegerit 196 b
animaliũ mundorũ maior quàm immundorum cumulus 199 a
animantia diuerſa ex eodem elemento producta 37 a
animantium tria genera 35 b
animus puſillus ac perterrefactus omnia rapit in argumentum periculi 796 b
animus ſimplex 578 b
animi ad peccandum inclinantis exemplum 93 b
animi conſternati exemplum 520 b
animi conſternati rationem habet Deus 104 b
animi de miſericordia Dei deſperantis exemplum 143 a
animi lucta inter fiduciam & fidem fluctuantis 472 b
animi præſentia imperans affectibus 798 b
animi ſibi bene conſcij exemplũ 491 b
animi ſubdoli ac nequam exemplum 133 b
animum etiam ſuam habere turpitudinem 252 a
anius Etruſcorum rex 352 b
annatæ 772 a
anni prioris ſeculi quales 157 a
annorum diſſonantia in patriarcharum catalogo unde 165 a
anthropomorphitæ 41 b
anthropopathia 221 b
ἀνθρωποπάθεια Dei 553 a
anthropopathia Deo tributa quorum admoneat 175 b
anthropophagia num licita. 235 a
antichriſtianorum eccleſia 277 b
antigonus ab Herode interemptus 847 b
ἀντιπελαργεῖν 484 b
antipelargoſis 829 a
anulo inueſtire aliquem 774 b
anulorum uſus apud ueteres. 738 a
Aperiẽdi poteſtas nõ penes ſubditos 206 a
apher 610 a
aphera ciuitas 610 a
aphrica unde dicta 610 a
ἄπλαγος 618 a
apoſtolica ſedes in Babylone. 277 b
apoſtolorum fermento totus orbis fermentatus 199 b
apoſtolorum ſucceſsio qualis. 277 a
apparere quid ſignificet 23 b
apparitiones Dei non ſine ſingulari ratione fieri 335 a 363 b
apparitiones diuinę cur dormientibus plerunq; contigerint. 490 a
apparitiones diuinas animũ requirere tranquillum 930 a
apparitionum Dei genera duo. 305 b
approbare ſeſe alicui quid 169 a
Aqua indomitum elementum. 215 a
aqua catholicus ueterum potus. 582 b
aquæ natura 191 a
aquæ ut potuerint in imo loco congregari 20 b
aquæ non creant, ſed proferunt animantia uiua 37 a
aquarum natura unde 26 b
aquarum in duas partes diuiſio. 14 b
aquæ ſupercœleſtes quomodo exiſtant 15 b
aquarum ſupercœleſtiũ opiniones hominum uariæ 15 b uſus 18 b
aquatilium multitudo cur creata 36 a
aquila 234 a
Aradij pop. 261 b
arach 261 b
aracheus ciuitas 261 b
ararat montes ubi 212 b
ararat montanis arcana impoſita 215 a
arbe ciuitas 334 a 713 b
arbæ uox 561 a
arca bitumine illita 230 b domus ſalutis 230 b manſionibus diſtincta ibid.
arca Noæ qualis 186 b quomodo omnis generis animalia cõprehendere potuerit 188 a
arcæ cuſtodia 215 a ingreſſus diuinitus factus 204 b moles 209 a
arcæ Noe myſterium 230 a
arcæ operatio cuius rei nomine admonuerit 190 b
arcæ reliquias in Armeniæ montanis cerni 212 b
arcã non ſolum facere, ſed ingredi neceſſe 197 b
arcam extrinſecus Noam claudere non potuiſſe 206 a
arcam ſine tergiuerſatione homines cũ beſtijs ingreſſos 203 a
in Arca quæ animalia munda,& quæ immunda 205 a
in Arca plus mundorum quàm immundorum animaliũ Noe duci iuſſus 198 b
in Arca ſeruatorum uſus qualis 199 a
archad 261 a
archeſilai factum 788 b
arcus cœleſtis num fuerit ante diluuium 242 b num ſit naturalis cauſa 242 b
ariani & Macedoniani Scriptaniq; improbantur 44 b
aries Chriſti typus 551 a pro Iſaac immolatus 550 a
arioch rex Elaſar 339 a
armeni pop. 268 a
arphaxad quot annorum 284 a quando natus 164 b
arphaxad quandiu uixerit 157 b
arrabo quid 737 b

Aſcanes pop. 258 b
asher naſcitur 657 a benedicitur 849 b
asher filij 820 a
aſnath filia Potipheræ ſacerdotis 775 b
aſphaltites lacus 339 a
aſſentiendi facilitas in rebus honeſtis 526 a
aſsimilari Deo multum refert. 41 b
aſſur 262 b
aſſyria unde dicta 610 a
aſtabari pop. 261 b
aſtaroth Carnaim 339 b
aſtorgi 364 a
aſtra hominibus non dominari. 34 b
aſtra nec inclinant nec cogũt homines 35 a
aſtrologiam eſſe uaniſsimã 35 a
aſtrologi confutantur 366 b
aſtutos in ſua aſtutia comprehendi 343 b
Atad quid 856 b
athei homines 300 b
Auditorũ religionis cautio 91 a
aues olim cur in fœderibus ſanciendis non diuiſæ 377 a
aues quomodo ex aquis productæ 36 a
auguſtini locus 292 a & b 293 a
auiculis uolandi labor leuis. 219 a
in Aulis principum facile peccari 757 a
aura ueſpertini temporis 102 a
auroræ in ſcripturis deſignatio. 469 b
auxilium diuinũ ſemper implorandum 582 b
auxilium humanum ubi ceſſat, diuinum incipit 519 a

B

Babel terræ Senaar deputatur. 266 a
babel nominis ratio 281 b
babylon regni Nimrod principium 265 b
babylon Roma 265 b
è Babylonis medio, Dei præcepto fugere iubemur 295 b
babylonem egreſsi fœlices 266 b
in Babylone apoſtolica ſedes. 277 b
babylonia Sinear dicta 339 a
babylonica eccleſia 277 b
babylonicæ turris ædificatores. 278 a
baculi olim peregrè proficiſcentium arma 685 b
bale ciuitas 483 a
baptiſmus ſacramentum initiale 413 a 593 a
barad 395 a
baſilienſes quomodo manerent horas 10 a
barad quid 669 b
Beersheba 628 a 818 a quid 523 b
bela ciuitatis 323 b 339 a 471 b unde dicta 331 b
belæ ciuitas nominis mutatio. 473 b
bellica armatura diabolicum inuentum 81 a
ballicarum expeditionum conſtderatio 348 a
bellicũ diſcrimen habendũ 361 a
in Bello æquitas ſeruanda 361 a
bellorum diſcrimen 348 a furię antiquæ 340 b
beaammi 486 a
benedici à Deo quid 290 b
benedicendi uerbum 826 b
benedictio cœleſtis an per incredulitatẽ Abrahæ potuerit impediri 553 b
benedictio Dñi eſt cauſa multiplicationis 35 b
benedictio fons licitarum opum 576 a
benedictio pro munere 696 b
benedictio ſacerdotalis 354 b
benedictio Chriſti omnes gentes participes 558 a
benedictionis diuinæ argumentũ 590 b diuinæ incrementa agnoſcẽda 662 b uirtus 610 a
benedictionis duo genera conferuntur 256 a
benedictionis princeps Chriſtus 558 a
benedictionis uerbum pro uale dictione uſurpari 682 a
benedictionis & maledictionis efficacia penes Deum 599 b
per Benedictionem quæ intelligenda 557 b
benedictum reddere, ſolius Dei opus 298 a
benedicti Dei, qui ab illo in peculium aſſumuntur 297 b
benedicti Domini qui 355 b
benedicti ne ſint alij ſex dies 51 a
benedictis à Domino quid conueniat 298 b
beneficentiæ & ſubmiſsionis conIunctio 432 a
beneficentiã uicariam petere nõ illicitum 760 b
beneficij amplitudo bifariam agnoſcitur 472 b condimentum optimum celeritas 436 a
beneficia celeriter præſtãda 435 b
beneficia Dei erga nos in quem finem dirigantur 376 a
beneficia Dei ſingulatim expendenda 61 a
beneficiorum genera duo 679 a
beneuolentia Dei ad exaudiendum iuſtos 456 b
beneuolentiæ indicium 593 b
beneuolentiæ diuinæ placiditas. 365 b
beneuolẽtiæ fictæ exemplũ 90 b
beneuolentiæ oblationes liberaliſsimè fieri 568 a
beneuolentiæ ueræ exemplum. 469 b
beneuolentiã captãdi uſus 806 a
beneuolentia quomodo delectemur 553 b
beniamin naſcitur 711 a benedicitur 852 b
beniamin cur non unà cum fratribus in Aegyptum deſcenderit 781 a
beroſus hiſtoricus 212 b
beroſi error 246 b
beſtiarum cauſa 192 b
beſtiarum exiguum numerũ cur Deus retinere uoluerit 192 b
beſtiarum neceſsitati conſulendum 582 b
beſtiarum reliquias cur Deus ſeruarit 188 b
beſtiarum immundarum cur ſemen Deus retinere uoluerit. 199 a
beſtijs cur impoſita nomina 75 a
in Beſtias homini poteſtas à Deo conceſſa 234 b
beſtias de terra delere, an iniquũ. 178 a
beſtias actum diuinum introduxiſſe 203 b
beſtias in hominum uſum creatas 178 a propter homines ſeruari 192 b
beſtias tam multas eſſe quomodo bonum ſit 38 b
beſtiales homines 394 a
bethaue 644 a
bethel 304 a
bethel quid 613 b
bethel uicus 644 a
bethulah 585 a
Bibendi conſuetudo apud ueteres uaria 796 a
bileham ancilla Rahelis 656 a à Ruben ſtuprata 72 b
bileam cur Iſraeli maledicere noluerit 228 b
bileami ortus 559 a
bitumen quid 277 b

Bombardarum inuentum 275 b
bonitas Dei quanta 558 a
bonitatis Dei causa 553 a
bonum alio atq; alio respectu dici 587 a
bonum quomodo cognoscatur. 73 a
bonum esse quid 196 a
boni rationem habet Deus. 73 a
boni rationem multi nõ habent. 73 a
bona cœlestia à terrestribus differre 380 b
bona terrena surgere 573 a
Bus & Vtz fratres 559 a
bμσιm 559 b
Byssus 774 b

C

Cadauer hominis 46 cubitorum in Creta inuentum 210 a
cades 339 b 487 a quid 489 a
cadendi uerbum 613 b 614 a
cadendi in bello genus duplex. 343 b
cadesbarne 339 b
cæcitatis quo genere percutiantur impij 464 b
caiaphæ consilium 275 a
caianæ ecclesiæ imago 234 a
cain 559 b
cain agricola 148 a
cain à quibus sibi timuerit. 138 a
cain primogenitus Adæ 146 a an fuerit iratus 127 b cur ciuitatem condiderit 148 a & b cur ciuitatem suam filio suo nuncuparit 151 a cur fratrem occiderit 134 b
cain in filio suo quid spectarit. 168 a quo tempore uxorem suam cognouerit 148 a quo modo ciuitatem ædificare potuerit 148 b quomodo condemnationis iustitiam senserit 136 a quomodo profugus cum ciuitatem ædificauit 149 a
caini dominium in fratres 133 b maledictio qualis 135 b & 136 a
de Caini morte Hebræorũ deliria 137 a
caini prærogatiua 144 b septem peccata 137 b
caino mortis metum quomodo Dominus exemerit 136 b
cainũ cur Deus noluerit à quoquam occidi 138 b
in Caino imago parricidalis ecclesiæ 133 b metamorphosis qualis 143 b
caini occæcati 139 a
cainitarum hæresis 140 b
calamitas unde 150 b
caluariæ locus 159 a
callirhoe ciuitas 262 a 287 a
calumnia potens quando struatur 755 b
canaan terræ fame pressa 780 b
canaan terræ descriptio 332 a situs 320 a
canaan terræ possessionẽ quomodo Deus Abrahæ promiserit sempiternam 334 a 571 b
cananæi in ecclesia qui hoc tempore 305 b
cananæi negociatores 327 a
de Cananæorũ filiabus cur Abraham filio suo uxorẽ sumere noluerit 575 b
cananæorũ mores corrupti 575 b religio impia 575 b
candidorum hominum ingeniũ. 725 b
candoris exemplum 496 a
caph quid 689 a
caphar Barucha 474 b
capitalis sententiæ plena forma. 490 b
capnionis sententia improbata. 540 a
capthorim pop. 258 b
captiuis quomodo ministrandũ. 758 a
caput leuare 759 b
cappadoces pop. 258 b
carij pop. 268 a
carnalem prærogatiuam nõ moratur Deus 127 a
carnales homines 300 b
carnalium hominũ pertinacia. 279 b uanitas 315 a
caro Christi quomodo manducetur 377 b
caro omnis quomodo corruperit, cum & Noe caro fuerit. 183 a
caro cur omnia uiuentia dicantur 210 a
caro tenax mali propositi & inconstans in bono 279 b
carnis affectum & fidem luctari inter se 469 a
carnis arrogantia 152 a consilia quàm sint infelicia 276 a esus cur permissus post diluuiũ 235 b fiducia uana 818 b ingenium quomodo affectũ 317 b 497 a
carnis ingenium quale sit in sanctis 364 b in Hagar & Ismaele 511 a
carnis prærogatiuam non morantur sancti 287 a
carnis nostræ finem Deum non quærere 189 b
carnis nostræ uanitas 175 b
carnis peccatricis ingenium. 140 a 175 a 342 b 389 b
carnis unitas in impositione nominum consideranda 152 a
carnem ipsam corrumpere suam uiam 185 a
carræ ciuitas Arabiæ 287 a
carthaginensium crudelitas. 532 a
caruæa uicus 339 b
casti & continentis uiri exemplum in Abrahamo expressũ. 386 a
cataclysmos non casu accidere. 191 a
castigationis diuinæ ordo 341 b moderatio 772 a
catò reprehensus 658 b 385 a
caudæi ὀφιοφάγοι 235 a
causa honesta honestè agenda. 590 a
cautioni prudenti circunspectio adiungenda 463 a
cautus nemo satis 744 a
Celare studiosè quid 675 a
celebritas nominis haud in se mala 298 a
celeritas beneficij cõdimentũ optimum 436 a
celtiberi pop. 258 b
ceremonia 774 b
ceremonia externa & uerbũ coniunguntur 775 b
ceremoniarum externarum usus 359 b
cetorum magnitudo 37 b
Chalanne 261 b
chaldæa quanto serio sit deserenda 295 b
chaldæi pop. 268 a
cham pater Chanaan 246 b
cham factum externum considerabatur 252 b
cham impudentia 247 b
chanaan maledicitur 250 a
chanaan terræ termini 202 b
chaos cur primò Deus creârit. 6 a
chaos erat spiritus Dei uirtute præditum 5 b
chaos non fuisse ante cœli & terræ creationem 4 a
in Charitatis officijs tenuiores non excusari 433 a
charitatis studium par in uiris sanctis 458 b

charitatis & amicitiæ lasæ ingenium 387 b
charitatem optimè rebus nostris consulere 330 a
chariora esse quæ sunt unica 556 a
charra ciuitas Crassi clade nobilis 287 a
cherubim quid 115 a
chore, Dathan, & Abiron quomodo puniti 142 b
chorim pop. 339 b
christianus recto ordine quænã præstare possit 80 a
christianorum corda, qualia 17 b
christianorum est ex uisibilibus, Dei patris agnoscere prouidẽtiam 7 a
christianis num sit liberum negare decimas 357 a
christianissimum nõ probare Stoicam apathiam 563 b
Christus Abrahæ semen 301 a 557 b cur noluerit permittere suo discipulo ut abiret ad sepeliendũ patrem 855 b in carnem cur uenerit 158 b
christus nõ diuiditur 377 b princeps catholicæ benedictionis 557 b
christus qualis 557 b quomodo nos saluet 553 a rex pacis 353 b uerus & communis pastor 663 a
christi incarnatio 83 a
christi imago Seth 160 a Ioseph 774 b 776 a
christi gratiæ imago 118 a
christi in terris uicarius 354 a
christi mysterium 732 a
christi ministro quò respiciendũ 580 a
christi ministrorum officium 811 a
christi ecclesia 277 b
christi ecclesia de Adamo quid senserit 159 a
christi ecclesiæ firmitudo 277 b
christi figura Noe 230 b
christi generatio qualis 164 b
christi ministrorum prudentia & discretio 508 b
christi sanguis quomodo loqui dicatur 140 b
christi seruum esse, & uicarium, differre 598 a
christi typus Abimelech 502 b in Abrahæ & Saræ coniugio 498 a Isaac 551 a
christo potestas à patre data. 779 b
christum ab origine mundi pro peccatis nostris occisum 158 b
ad Christum accedendum 811 a
christum honores condignos nõ usurpasse 800 b in medio inimicorum suorũ regnare 557 a post resurrectionem comedisse 429 b
christum quid nos uocemus. 117 a
christum septima generatione in mundum uenisse 147 b
in Christo potentia Dei declarata 215 a
cibus ueterum qualis 620 b
cibi usus quib. necessariò seruiat 429 b
ciborum delectus à diabolo introductus 237 b
cicero refellitur 768 b
cilices pop. 258 b
cilicium lugentium indumentũ 732 b
circuncisio instituitur 404 b
circuncisio carnis quorsum attinuerit 410 a
circuncisio sacramentum initiale 413 a signum cur uocet 411 a num rectè abrogata 407 a
circuncisionis mysterium 413 b
circuncisionem fore in sempiternum fœdus cur à Deo dictum 414 b
per Circũcisionem Abrahæ lumbi sanctificati 575 a
circuncisionem esse rerum immũdarum 410 a
circuncisionem & nominis impositionem iungi 507 a
circunspectio cautioni prudenti adiungenda 463 a
cisterna fine aqua 729 a
ciues mali reipub. bona inuadũt 44 b
ciuilitas quæ erga nos ostenditur non probanda 593 b
ciuitas Cain cur Henochia 151 a
ciuitas nulla ante diluuium à natione piorum ædificata 151 a
ciuitas nulla quantumuis magna sibi sufficit 266 b
ciuitatis in qualibet regione firmæ usus 150 b
ciuitatis impiæ indicium 458 b
ciuitatum condendarum origo 150 b
ciuitatum utilitas 150 b 772 a
clamoris genus duplex in script. 447 a
clausuræ duplex genus 205 b
clausuram ad magistratuum munus pertinere 205 b
clementia Principũ qualis 316 a
clementiæ Dei amplitudo 143 moderatio 106 b
coactionis in ecclesia usus. 469 b
cœlibatus Papistarum qualis. 776 b prætextus satanicus 45 a quando sit bonus 73 b
cœlum an sit unum tantum. 15 b
cœlum cur dicatur firmamentũ 19 a quid intelligatur 2 b
cœlum quid sit, non est pium quærere 15 b
cœlo oculi quomodo attribuanti 141 b
cœli & terræ nomine quid intelligatur 5 b
cœli cuius fenestras apertas Moses dicat 202 b
ad Cœlos cur Christus ascenderit 563 b
in Cœlis nostra conuersatio. 150 a
cœna Domini sacrificium redemptionis 226 a
cœna Dominica memoriale signum 593 a
cœnam Domini cur ueteres synaxin appellarint 226 a
cœnæ Dominicæ peruersores. 226 a
cœnæ Dominicæ usus à quibus extinctus 226 a
cœnandi consuetudo apud ueteres 459 b
cognatio sanctorum magnifacienda 468 a
cognitio rerum multæ causæ. 178 b
cognoscere Dei quid sit 448 b
cohabitatio impiorum periculosa 497 b
colligere pro domum reducere 646 b
colligi ad populos suos 607 b 853 b
colloquiorũ ad amputanda dissidia utilitas 327 a
columba foliũ oliuę ferens 216 b unde folium oliuæ decerpserit 217 b cur ex arca emissa 217 b quando in arcam non reuersa 217 a quomodo non inuenerit ubi quiesceret 217 b
columbæ ex arca emissio 216 b
columbæ ad uesperam aduentus quid 216 b
columbæ reditus quid Noe significarit 216 b
columbam euangelicam Noe animum recreare 219 b
columbam pedibus inniti quiescendo

ſcendo 216 b
combuſtionis organa 340 b
commoditas luminarium in firmamento 30 b
communia omnium quomodo æquè diſpenſentur 44 b
communicationis exemplum in Aegyptijs expreſſum 781 a
conatus & uoluntas pro opere eſt apud Deum 547 b
conatus impij pertinacia nō me tuenda 280 b
concilium Tridentinum quomodo reformandum 392 b
concordādi modus rectus 513 a
concordia diuinæ uoluntatis & noſtra qua in re cōſiſtat 299 b
concordia eccleſiaſtica quatenus ſciſſa 278 b
cōcordia mala digna quæ diſtur betur 278 b
concordia nō quæuis bona 279 a
concordiæ retinendæ exemplum 327 a
concubinarum uſus 560 b
concupiſcentia gulæ, oculorum, & ſuperbia mētis regnāt 94 a
concupiſcentiæ illicitæ uis & malitia 51 b curſus 175 a
concupiſcentias carnis noſtrę ligare 545 b
condēnationis ſententiæ præmittitur cauſa 109 b
confeſsio ſincera 392 a
confitendum eſſe delictū 105 b
confœderatorum peculiaris cura 408 a
confuſionis propriæ ſubterfugiū 106 a
confuſionē in ſuis operibus Deū non ferre 12 a
congregāt homines uel ad Chriſtum, uel ad ſatanam 23 a
cōgregari ad populos ſuos 614 a
coniugalis animi affectus 150 b 508 a
coniugium legitimum nihil pios à pietatis ſtudio impedire 184
coniugium ſacroſanctum 579 a
coniugij idem præſul ac protector, qui & autor 317 a
coniugij legitimi conſtātia 199 a
coniugij lex, legem parentum præcedit 79 b
coniugij lex non tollit dilectionem parentum 80 a
coniugij ſanctitas & prȩceptum 45 b
coniugij ſtatum Sodomitas non retinuiſſe 468 b
coniugium prohibere ſatanicū 237 b
ex Coniugio honeſto, honeſtos gigni liberos 176 b
coniugia multorum cur infelicia 75 b
coniunx qualiſcunq; contingat à Deo datur, ideo ferenda 74 a
coniugis ſinceræ Sara exemplum 302 a
coniuges ad quem uſum dentur à Domino 74 a
coniuges admonentur 117 b
coniugum diſcordia propter filios etiam in ſanctis locum habere 512 b
coniugum ſanctorum conuerſatio cuncta 498 b
coniugum ſocietas arctiſsima 743 a
coniunctio diei & anni 32 b
coniūctio eorum qui eadem ſunt caro 78 a
coniunctionis mutuæ affectus 603 a
coniūctionem uiri & uxoris quā inſolubilem eſſe oporteat 79 b
cōnubio legitimo tria requri 77 b
ad Connubiū quæ dotes accommodæ 583 a
connubia legitima quę ſint 77 a
connubia clandeſtina illicita eſſe 521 b
connubia ſingularem requirere beneuolentiam 600 a
connubiorū uſus prȩcipuus 577 b
conſcientia abhorrens à peccato fractæ fidei 809 a
conſcientia conuicta 392 a
cōſcientia peccati qd faciat 787 a
conſcientiæ anxiæ imago 143 b
conſcientiæ bonæ & malæ cum ſuis innexis conſideratio 102 b
cōſcientiæ bonæ exemplū 592 b
conſcientiæ bonæ fiducia 676 b
conſcientiæ malæ, mala 103 a
conſcientiæ perturbatæ imago 143 b
conſcientiæ publicę diuturna memoria 572 a
conſcientiæ ſinceritas quanti facienda 810 b
conſcientiæ ſolicitæ quomodo inſtruendæ 580 a
conſcientiam furari 675 a
cōſiderantiū uarij reſpectus 419 a
conſilium priuatū quomodo fiat catholicum 274 a
conſilij proprij fructus 484 a
conſilia ardua uxoribus non aperienda 311 a
conſiliorum humanorū fructus 387 a
cōſolatio quæ potētiſsima 364 a
conſolatio illis qui facultatibus ſuis ſpoliantur 81 b
conſolationi auxilium adiunctū 520 a
in Conſolationibus quid potiſsimum 519 b
conſternationis ratio 401 b
conſulere Dominum 615 a
contentionum conditio 647 b
continentis prouinciæ cur inſulæ à Moſe dictæ 259 a
continentiæ in Abrahamo exemplum expreſſum 388 a
contractus æquus 368 b
conuallis illuſtris 303 b
conuallis Mamre unde dicta 334 a
conuictus impiorum periculoſus 344 b quomodo damnandus 295 a
conuiuij hilaritas 800 b
conuiuia honeſta non eſſe aliena à ſanctis 509 a
cophen fluuius 268 a
copulæ carnalis finis 485 b
cor hominis inſcrutabile 179 a
radix uitæ noſtræ 434 a integrum 401 b
cor pro animo 789 b
cordis figmentum malum 179 a
cordis malitia 159 a 313 b quo modo cauſa fuerit perdendæ uniuerſæ carnis 223 a
cordis humani figmentum cur malum 222 b 312 a
cordis impij faſtus 140 a
cordis noſtri ager quando maledictus 111 b
cordi humano eſſendi cauſa quo modo Deus 223 a
cor alicuius furari 675 a
cor egredi quid 789 b
corda hominum Deum dirigere 582 b
corda ſubdola 133 b
cordis impij faſtus 140 a
cordium affectus ſunt in manu Dei 107 b
corporis pulchritudo prȩclarum donum 587 a
corpora ſepultorum inſtar ſeminis 368 b
corporū feſſorū reclinatio 433 b
coruus emiſſus 231 b
coruus cur ex arca emiſſus 216 b
ſtatim reuerſus 216 b
coruus ſemel, columba uerò tertiò emiſſa 219 b
cornus quomodo inuenerit locū ubi quieſceret 217 a
craſi clade Carrę nobilitatę 287
cratetis philoſophi factum 321 a

creare quid sit 2 b
creasse Deum omnia in sapientia sua 3 a
creata omnia suum usum habere 21 b
creata esse omnia per Christum 3 a
creata qualia essent in principio 3 b
creationis opus coniunctam habet creatoris prouidentiã 48 a
creaturæ quando cõmuniter seruiant hominibus 209 a
creaturas uoluntati creatoris seruire 209 a
credere Deo & in Deum, differre 367 b
cretensiũ peccata peculiaria 447 b
crucis Christi locus 159 a
cubitus geometricus 188 a
cucullarum & rasorum uerticũ prætextus & scutum 144 b
cultus Dei uerus 401 b 446 b
cultus diuini partes 306 b 706 b
cultus arbitrarij accusanꝫ 304 b
curæ diuinæ diligentia 305 b
curarum huius uitæ sanctos non esse expertes 311 b
curiositas principium inobedientiæ 90 b
curiositatis uitio muliebris sexus obnoxius 700 a
curiositati nemo planè satisfecerit 10 a
curiositatem muliebrem exuere difficile 440 a
custodia Dei, qua prohibemur ne peccemus 492 b
custodiæ gratia claudi 206 a
custodire uiam Domini 444 a
custodiendi & faciendi uerborũ coniunctio 446 b

D

Dadan pop. 261 b
dæmonis singularis astutia 93 a
dæmonem malum in serpente impostore locutum esse 87 a
damascus ciuitas 268 a
dan ciuitas 351 b
dan nascitur 656 a
dan uicus 345 b
dan benedicitur 848 b
dan fons Iordanis 345 b
dandi uerbum 790 a
danieli leones nõ nocuisse 209 a
dauidis adulterium 312 a factũ in numerando populo reprehensum & punitum 778 a
deambulationis utilitas 605 b
deborah nutrix Ribkæ ubi sepulta 709 a
decimæ 772 a
decimarum consideratio 356 b
decimarum præfecti qui constituendi 357 b
decimarum usus inter Christianos 356 b
dedicatio ædiũ & templorũ 51 a
defectionis ecclesiasticæ imago 277 a
delator quis 721 a
delere & creare solius Dei 180 a
delere quid sit 180 a
delictorũ circũstantiç nõ accuratius ingrendç in cõfessis 106 b
delinquere qui semel cœpit, ægrè abstinet 119 a
delinquendi impunitas 462 a
democritus Gelasius 439 b
denarius numerus pro sæpenumero 668 b
desistẽdi ab opere aliquo duplex genus 280 b
desperandum non esse 220 a
desperatio unde 143 b
destruere facilius q̃ ædificare 52 b
deus cur de ijs qui interierũt queꝫrat 139 a
deus Adamũ & Euã uestit 113 b
deus bona sua qũo ostẽdat 296 a
deus constituit ut homo sit cooperator Dei 55 b
deus cœli & terrę possessor 355 b
deus creans hominrm quos sit allocutus dicẽs, faciamus 40 b
deus cur Adamum sibi præcepto obstrictum retinuerit 65 b
cur Adæ præceperit quod eum non seruaturum sciebat 65 a
cur amplius propter humani cordis malitiam nolit maledicere 223 b & 223 a cur Cainum impium allocutus sit 129 b cur cum homine confœdere tur 192 a cur Habelem Caino subiecerit 130 b cur medijs utaꝫ 55 b cur nõ dixerit hominẽ esse bonũ, ut alia dixit 48 a cur noluerit usum arboris sciẽtiæ homini permittere 63 b cur præ omnibus amari uelit 556 a cur sub fignis præceperit 67 a cur tardè puniat fontes & liberet insontes 180 a cur uerbo suo nobis fecerit potestatẽ uescendi 48 a
deus esse cũ aliq̃ qũo dicaꝫ 521 a
deus etiam organa peccati punit 99 b eodẽ semper utiũ creandi modo 6 a fidẽ suorũ ut exerceat 305 a homini non solum quæ necessitatis, sed & quæ delectationis sunt parauit 61 a impossibilia nũ præcipiat 539 in cœlis existẽs terrena gubernat 33 a noluit nos esse otiosos 25 b noluit q̃dlibet ex quolibet nasci 25 b nõ inchoat solum, sed perficit opera sua 52 a nymphagogũ præstitit 70 a omnisufficiens 401 a perfectũ bonũ 556 a quare lignũ scientiæ boni & mali ante peccatũ non custodierit 116 b qũo sit locutus 9 a quantum cõsulue rit rebus humanis in terræ nascẽtibus 25 a qũo alicuius recordetur 212 a qũo honorandus 591 a qũo quieuisse dicaꝫ 50. b qũo quieuerit ab operib. suis, & tñ operaꝫ perpetuò 50 b regibus cur frequenter apparuerit 489 b
deus seculi qũo Dominus ab Abrahamo uocetur 528 b
deus suorũ merces 364 a ubi nã fuerit ante conditum mundũ, impiè quæritur 5 a uiuere quã do dicatur 397 a
dei ad homines aduentus 489 b
bonitas 144 b 179 a 214 a bonitas etiam in impios 144 b bonitas erga nos qũo declarata 296 b cultus uerus 401 b cura erga homines qualis 213 b cura prior ad seruandos iustos 209 b custodia, qua prohibemur ne peccemus 492 b descriptio 375 b
dei domus Christi ecclesia 278 b
dei dona in humilibus nõ cognosci 758 b
dei erga hominem singularis beneuolentia declarata 60 b
dei esse, uerbũ & opus 18 a
dei facilitas ad exaudiendũ pios 422 a ingeniũ in suis operibus quale 12 a iudiciũ contra occisores innocentum 142 a in nobis inhabitãtis argumẽta 256
dei iudicia non sunt in ius uocanda 87 a iustitiam à nostra differre 491 b
dei longanimitas 161 b manus gemina 464 b
in Dei manu omnium sensus, cogitationes & affectus 563 a
dei opus ab eius uerbo nõ dissentit 92 b
dei opus non posse impediri. 281 b
dei patientia 161 b
dei philanthropia erga primos parẽtes iam peccatores 101 b
dei promissionibus nõ delectari homines carnales 305 b

dei secretiora consilia non sunt inuestiganda, sed adorãda 87 a
dei studium in coercendis homi nibus 144 a
dei timentium ingenium quale 600 a
dei & hominum mutuus cõsen sus 481 a
deo credere, & in Deum, differ re 367 b
deo idem est dicere quod facere 20 a
deo in omnib. obediendũ 538 a
deo maledicere, & percutere quo modo tribuatur 228 a
deo nihil esse difficile 442 b
deo nullum esse principium aut finem 4 b
deum ad huc maledicere & per cutere 229 a
deum alicuius esse Deum 840 a clausa aperire & aperta clau dere 214 a
deum colere non esse uanũ 210 b
deum descendere, & uidere ma los, quid sit 468 b
deum ea adimplere quæ non possimus 205 b
deum esse cur Moses primum nõ docuerit 6 b
deum esse spiritum 41 b non de lectari exitio nostro 179 b lo cutum esse aquatilibus 37 b non esse autorem mali 813 a non tantum coadunator, sed etiam diuisor est 17 b
deum non φιλαυτῶς amare 556 a
deum nullo loco comprehendi 643 a ob Satanæ malitiam ab opere suo nõ cessasse 440 a esse excelsum 355 b
deum loqui quid sit 9 b nun quam fuisse solum 4 b opus suum agnoscere 732 b
in Deum peccare quid 743 b
deum peccatoris morte non de lectari 131 a piorum uotis non deesse 818 b reliquias seruare 211 a suos non ne gligere 180 b
deum temporaria fecisse, nõ in conuenit 5 a
deum uenire aliquò 489 b
deum terrena curare, rationi æ gerrimè persuaderi 213 b
deum se trãsfigurare in formam alienam 533 a
deo irascente nihil adeò esse ex celsum in quo seruari queamus 209 b
de Deo quomodo sentiendum sit 131 a
in Deo nulla mutatio 223 a
Diabolicæ seductionis uis 34 a operationis uis 89 a
diadema trinũ Rom. Pont. quid significet 34 b
διαθήκη 405 a
dies breuis uitæ nostra imago 13 b
dies in uesperam & mane conclu ditur 13 a
diei naturalis à digniori denomi natio 13 b
diei naturalis initium unde sit 10 a
diei ac noctis diuisio 31 a
diei ac noctis uices 12 b
ad Dies uenire 438 a
dignitates grandes, ruinæ gran di obnoxiæ 757 b
dij pro idolis 675 b
dilatio omnis odiosa 365 a
dilectio Dei erga homines qua lis 555 a
dilectionis diuersitas 618 b
dilectionis ueræ ingenium 243 b 403 b 556 a
dilectio perfecta 182 b imperfe cta ibid.
diligendi causæ duplices 618 b
diligentiæ studium non esse im pediendum 597 b
diluuium aptissimum puniendi supplicium 191 a cur mun do immissum 209 a 223 a cur Deus septem dierum spacio di stulerit 201 b quando cœpe rit 217 b
ad Diluuium usq; quot anni flu xerint 202 b
diluuij causa 147 b duplex effe ctus 206 b & 207 a
diluuij historia 157 b inductio cur festinata 173 a mystica consideratio 230 a tempus & modus 199 b 201 a 202 a
diluuio qui perierunt, an in futu ro sint puniendi 208 a
ante Diluuium qualis rerum sta tus 175 a
post Diluuium ubi primùm ho minum habitatio 212 b
diluuio primus mundus punitus 142 b
in Diluuio, Dei prudentia decla rata 210 a
in Diluuio cur non omnis Adæ posteritas deleta 189 a
dinah nascitur 660 a stuprata 699 b
diæn raptus unde 145 b
disciplinæ Dei ordo 216 b
discordiam nonnunquam etiam inter sanctissimos cõiuges ori ri 512 b
discordiam sanctorũ tollere Deũ 513 a
discretionis exemplum 435 b
discubitus olim quo ordine fue rint dispositi 790 b
dispensari à Deo quibus carere non possumus 208 b
dispensator utilis 576 b
dispensatoris officium 576 b
dispensatoris prudentia 582 a
dispẽsatoris boni exemplũ 576 a
ad Dispensatorem quæ pertine ant 576 b
dispositio diuina 764 b
dispositioni diuinæ nostrum stu dium adiungendum 589 a
dissidia colloquio tolli 327 a
dissimulatio peccati coram Deo malè cedit 105 b
dissimuiationis usus 434 b
dissimulationis usus quando ne cessarius 308 b
dissimulationem sequitur excu satio 105 b
distinctio inter uaticinia rerum futurarum & comminationes pœnarum 101 a
distrahere 780 b
diuersæ religionis hominib. qua tenus licitum sit coniũgi 782 a
diuersoria Orientalium qualia 789 a
diuina uirtus externis laruis pal liata 464 b
diuinum ingenium quale 180 a
diuidit Deus unita ut dispersa melius congreget 22 a
diuisio quãdo sit laudabilis 18 a
diuisio diei ac noctis 27 b
diuisionis & discordiæ differen tia 16 a
diuitiæ rixarum causæ 326 b
diuitiæ num abijciendæ 303 a
diuitias non nisi nostro uitio pie tati obesse 321 a
diuites nõ omnes dãnandi 321 a
diuitũ cohabitatio difficilis 322 a
doctrina Christi quomodo mi nistri esse dicatur 597 b
doctrina ueritatis quomodo e xẽplo Mosis dispensanda 6 b
doctrinæ sanæ sors 624 b
domestica ædificatio 76 b
domesticam curam melius per unũ quàm per multos admini strari 781 a
domestica mala tardissimè ad pa tresfamilias deferri 526 b
dominari & præesse non idem sunt 44 b

dominatus Apostolis interdictus 354 b
dominici panis mysterium 353 b
dominij præcipua prærogatiua 577 b
dominium hominis quantum sit 44 b in bestias quale nobis concessum sit 46 b
dominia sua extẽdere ultra termi nos legitimos, tyrannicũ 46 b
dominia rerum in seculo mutari 557 b
dominus claudit & aperit 503 a
dñs dupliciter Deus noster 644 b
dñs & uidet & uidetur 550 b
dominus omnium gentium iudex 316 b quomodo ambulauerit in paradiso 96 b qũo nobis apparcat 430 b qũo locutus sit ad Cainum 128 a
in Domini conspectu apparituris sordes abijciendæ 766 a
dominum consulere 615 a
dñm parcere quibusdã propter alios 767 a
ad Dominum migrare citò, cur expediat 169 b
domus desolata 385 b
domus ædificatio in prole 385 b
de Domo patris mei 574 b
dona Dei 773 a
dona Dei in humilibus non cognosci 758 b
donec particula 642 b
dormientibus apparitiones diuinæ cur plerunque contigerint 490 a
dothain 726 a
dracones 234 a
Dubitatio de gratia Dei à papistis defensa, est satanica 92 b
duci & reduci, differre 579 a
ducum duo genera 716 b
dudaim quid 657 b
duma regio 613 b

E

Eber quid 268 b 344 b
ebræi unde dicti 268 b
ebrietas peculiare Germaniç peccatum 447 b culpabilis propter quæ 801 a
ebrietas Noe nec excusanda, nec exaggeranda 251 a
ebrietatis fructus 252 a
ebrij speculatores 254 b
ecce particulæ usus 148 b
eccius confutatur 841 b
ecclesia qb. signis decorata 593 a
ecclesia antichristianorum 277 b
ecclesiæ Antistitum incuria 12 a
ecclesia Christi 277 b
ecclesiæ firmitas 154 b 277 b
ecclesiæ Christi imago 22 b 589 b 593 a
ecclesiæ figura in Iacob & Esau depicta 516 a
ecclesiæ Christi sub Antichristo imago 318 b
ecclesiæ Christi cũ Romana collatio 420 b
ecclesiæ Christi mysterium 600 b
ecclesiæ papisticæ imago in Caino parricida 133 b
ecclesiæ piorum capita 183 b
ecclesiæ impiorum capita 183 b
ecclesiæ Ismaelitarum & Israelitarum collatio 423 a
ecclesiæ & synagogæ differentia 22 b
ecclesiæ fidelium quæ reuerentia exhibenda 572 b
ecclesiæ Romanæ insania 377 b
ecclesiæ Romanæ uicarius 598 a
ecclesiam Dei sacramentis non constitui 425 b
ecclesiastica concordia 278 b
ecclesiastica unitas examinanda 18 a
ecclesiasticæ defectionis imago 227 a
ecclesiast. locus excutitur 166 b 454 b
ecclesiastici quomodo bonis spolientur 636 a
ἔκστασις 370 a
Eden 150 b
eden quid significet 57 b
eder turris 72 a
edendi consuetudo apud ueteres uaria 296 a
edessa 261 b
edessa ciuitas Callirhoe à fonte nominata 287 a
edom 714 a
edomitæ pop. 714 a
egredi cor quid 789 b
egressus à facie Domini 145 b
eizei pop. 258 b
elamitæ pop. 268 a unde dicti 399 a
electionis gratia 208 a
electionis liberæ argumentum 423 a
electi q̃ sint loco apud Deũ 391 b
electi una sunt caro cum Christo
electi in arcã 230 b (83 a
electi quare in hac uita puniantur 208 b
electorũ & reproborũ luminare 33 b
electorũ & reproborũ perpetuæ sunt inimicitiæ 108 a
in Electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, quid 565 a
eliæ prophetæ error 484 b
eliezer 577 a
eliezer Abrahæ procurator 361 b 362 b
elocare filios quid sit 80 a
elohim 494 b
elohim etiam hominibus conuenire 695 b
elsara Syriæ oppidum 339 a
eluidianæ nugæ 218 b
Emere bene 368 b
Encratitarum error 158 a
enoch cur ex hoc seculo translatus 169 a 166 a
enoch quando translatus 169 b
enoch quandiu uixerit 163 a
enoch qũo à Deo trãslatus 165 b
enoch testis iudicij Dei 166 b
enochi fides 169 a
de Enoch Cypriani locus 166 b
enos quid significet 167 b
enos cur deus dictus 172 a
ἐπευχή 795 a
Ephraim nascitur 778 a
ephraim à Iacobo adoptatur
ephratha 711 b (838 a
ephron 571 b
epiphanij locus 140 b 288 a
episcopi cur dicantur 589 b
episcopi quales hodie 139 b
episcopi ueri, & qui falsi 353 a
episcoporum error 385 b perfidia in Christi ecclesia 576 b
Romanorum successio 265 a
Er nascitur 734 b
errare simpliciter, aliud: & aliud, etiã alios in errorem inducere 485 a
in Errantibus corrigendis mãsuetudo seruanda 392 b
erroris genus duplex 484 b
errori efficacia unde nascatur ad seducendum 485 a
erroris propriũ qd sit 104 b
esau quid 617 a
esau primogenitus Isaaci 164 b
esau à patre Isaaco cur dilectus 618 b Ismaelis filiã in uxorem ducit 639 b Iacobo occurrit 684 a
esau generationes 714 b
Esau studia 618 a
esek puteus 625 a
ἐθελοθρησκεία 302 a
eua mater omniũ uiuentiũ 164 a serpenti infensa 154 a uerba Dei negligẽter retinuit recensuit 91 b
euæ tẽtatio quãdo sit facta 88 b
euæ desponsatio 70 a formatio 69 b incircunspectio locum præbet tentatori 91 a

eucharistia cur instituatur 226 a
euge, euge, aulicum 278 b
εὐλογία pro munere 696 b
euentus rerum humanarum incerti 312 b
euentus rerum commodi diuinę dispositioni tribuendi 586 b
euphrates fluuius 371 a
Exceptionum æquitas & usus 361 a
excidiũ de populo Dei quadruplex 415 b
excommunicationis ecclesiasticę consideratio 415 b
exequiarum ritus 364 a
exilium ad maledictionem quomodo pertineat 137 b
exilij miseria 302 b
exilia sanctorum qualia 138 a
eximia Deo competere 331 b
existens propriè Dei esse 55 a
experiẽtia malorum cautionem parit 484 a
expirare idem quod mori 210 b
explorationis scelus capitale 787 b
exul & instabilis quis dicat 136 a

F

Fabrica mũdi cur à tecto cœpta sit 16 b
factum bonum citò factum duplici nomine gratum 797 b
facta nostra duplicem habere odorem 227 b
factura genus duplex 436 a
faciendi uerbum 436 a
faciendi & custodiendi uerborũ coniunctio 446 b
facere aliquid simpliciter, & serio, differre 556 b
facies Scripturæ q̃d 145 b 688 a
fames flagellum Dei 309 b pro sterilitate agrorum 829 a
famis domus 790 a durum telũ 831 a
famis tempore cur saturari nequeamus 767 a
è Famis necessitate eripi, magna ereptio 812 b
famis uis 779 b
famelici ad regem clamãt 779 b
familiarum tranquillitas & concordia penes capita sitũ 328 a
Felices uerè qui 199 b
felicitas uera non in terrena prosperitate 267 a
felicitatem diuinitus concessam negligenti quid metuendum 119 b
feræ carniuoræ unde uixerint in arca 188 b
ferre iugum 636 b
fertilitas agrorũ unde 623. 768 a
fideles cõgregantur ex omni terra 22 b
fideles in unum locum congregari 22 b
fideles utilitatem suæ præsentiæ mundo non denegant 23 a
fideles ac pij quo loco sint apud Deum 300 a
fidelium animorum propensio ad Christum 23 a
fidelium persecutio clamat ad Dominum Deum 140 b
fidelium populi luminaria obseruanda 160 b
fideliũ salutem ne ab angelis quidem impediri posse 473 b
fides Deo cur tantopere probetur 367 b
fides iustificans quæ 367 a
fides non reddit hominem temerarium 311 a
fides uera 193 a præclara quæ 368 a
fides piorum unde declaret 169 a
fides quomodo Deo accepta 227 b
fides quomodo instar aromatis 228 a
fides ueritate & omnipotentia Dei nititur 538 b
fidei affectus erga promissum semen in Adamo & Eua, idem 160 a
fidei constantia 579 a descriptio 302 a exemplum 385 a exemplũ in Abrahamo 301 b 420 b
fidei iustitia 193 a natura admirabilis 301 b
fidei opus pro fide positũ 301 b
fidei iustitiam hodie multos impugnare 193 a
fidei tentatio grauis 310 a infirmæ exemplum 421 a 484 a
fidei infirmitati etiã sanctos esse obnoxios 312 b
fidei ueræ exemplum 337 a
fidei primum articulũ docet Moses 6 b
de Fidei cõstantia nunquam prę sumendum 312 b
fidem ad iustitiã imputari 367 b
fidem & carnis affectum luctari inter se 469 a
fide magna pios opus habere 211 a
fide belligerandum 348 a
de Fide qualis error 193 b
in Fide firmiter perstandũ 211 a
sine Fide neminem Deo placere 169 a
fiduciam unde Abrahã colligat 579 b
figmentum prauum 179 a
figmenti uocem dupliciter usurpari 222 b
filius quid scripturæ 566 a
filius pro nepote 646 a
filius quo studio parentes in causa Dei lucrifacere debeat 289 a quousq; possit in causã Dei parentum sese necessitatibus accommodare 289 b
filio non parcendum in disciplina Dei 425 b
filij Dei 366 a
filij deplorate mali similitudo 179 b
filij Dei propagatio unde 562 a
filij germanum ingenium 179 b 254 a
filij Heth 565 a
filij Heth Abraham principem cur uocent 565 a
filij senectutis nostrę cur impensius diligantur 721 a
filij ueri non carne tantum censendi 269 a
filij ueri à reprobis quomodo distinguantur 556 b
filiorum alienorũ imago 252 b
filiorum carnis multitudo 393 a
filiorum germanorũ pudor aduersus parentes 254 a
filiorum Heth reuerentia 565 a
filiorũ huius seculi imago 151 a
filiorum quorum maxima cura habita 598 b
filios minores indulgentius educari 255 a
filios diuersorum ingeniorũ etiã pijs hominibus nasci 253 b
inter Filios ordo seruãdus 801 a
filios suos quo loco habeant pij homines 838 b
filiarum custodia diligens 463 b
filiabus non dandos esse maritos ignauos ac stultos 109 b
firmamentum quodnam cœlum sit 15 b
flagellum Dei quomodo inualescat 310 b
flagelli diuini mitigatio 780 b
flatus hominis utilitas 214 a
flatus & cibi necessitas 193 a
in Flandi & spirandi usu Dei uirtutem delineari 214 b
fluuiorum paradisi consideratio 58 a
fluuiorũ paradisi elucidatio 60 b
fluuiorum receptacula 23 b
fœdus Dei esse in carne 414 b
fœdus Dei firmum esse non posse

posse nisi cum fidelib. 401 b
fœdus quibus constet 192 a
fœdus iuramento confirmari 574 b
fœderis Dei ratio 192 a
fœderis diuini consortiũ ad oẽs homines pertinere 376 b
in Fœderis constitutione quæ concurrunt 192 a
fœdera inter religionis diuersæ homines 346 a
fœdera quomodo ineunda 526 b
fœdera pijs num ineunda cum impijs 346 a
fœdera inire cum impijs non illicitum 680 b
fœderũ scopus primarius 347 a
fœderum religio apud sanctos 527 b
fœmellæ cur nõ circuncisæ 406 a
fœmina diuite nihil intolerabilius 583 a
fœtendi uerbum 705 b
fœtuum concipiendorum mirabilis dispensatio 485 b
foliorum arborũ utilitas 434 a
fontium integritas quæ 204 b utilitas 204 a
formicarum industria 771 b
fortuna pro dea culta 657 a
fortunæ nostræ pristinæ humilitas non fastidienda 321 a
Frater pro cognato 648 b
de Fratre experimentum sumere, non esse contra charitatem 801 b
fratres dissidentes morte conciliari 611 b
fratres falsi 139 b
fratres ueri nõ carne tantũ censendi 269 a
fratres pro filijs appellari 613 b
fratrum discubitus 800 a
fratrum gratia rara 328 b
fratrum nostrorum hostes esse et nostros 356 a
fratrum praua facta ad parẽtes deferenda 255 a
fraternus consensus quatenus sit seruandus 254 a
fraterna dilectio Dei filios arguit 637 a
fraternæ cognationis æqualitas 328 b concordiæ exemplum 347 a reconciliationis exemplum 811 b
fraternum odium 721 b
fraternum odium diaboli filios arguit 637 a
fraterni odij fructus 722 a
fructus fœcunditas unde 142 a
frugalis uitæ in Abrahamo exemplum 306 b
frugalis uitæ studia 275 a
frugalitatis antiquæ exemplum 640 b
frumentum præferendũ argento 829 b
Fuga quando & quibus sit utilis 344 a
fugientium hostium persecutio 348 b
fugientibus quãdo parcendum 349 a
fundere sanguinem, & fundere sanguinem homicidæ, differre 235 b
furari conscientiam 675 a cor alicuius 675 a
furum pœna apud ueteres 796 b
furibus seruitus competit 805 b
furiosi ac insani ne iritentur cauendum 463 a
furor impiorum sedandus 463 a
furto ablatorũ cõsideratio 360 b

G

Gabaa ciuitatis erga peregrinos inhumanitas 459 a
gabaitarum impudentia 462 b
gad nascit 657 a benedicit 849 a
gad filij 820 a
galaad mons 672 a
galatæ pop. 258 b
galeed tumulus 680 b
gamalielis consilium 300 b
gamia 151 b
garizim 303 b
Gelo Siciliæ tyrannus 532 b
generationũ capita quo studio Moses expoluerit 183 a
geneseos liber quãdo à Mose conscriptus 343 a
geneseos libri diuisio 1 a
genethliacorum falsissima doctrina 35 a
in Gentem & regnum crescere, donum Dei 402 b
gentem magnam bifariam dici 297 a
gentium iustificatio 301 a
gentium uocationis typus 560 a
gentiũ & Israelis mysteriũ 840 a
ex Gentibus & Israele populus Dei 560 a
genus humanum in tres principales familias diuisum 260 a
generis nostri ædificatio in prole 385 b propagatio ex masculino semine 406 a
gerara 487 a quid 489 a totius terræ imago 489 a
geraræ reges omnes Abimelech uocatos 487 a
germaniæ discordia unde 328 a
germaniæ nomen unde 258 b
germanorũ militũ insania 344 a
getæ pop. 258 b
getuli pop. 261 b
Gigantes 172 b 176 b an ex hominibus naturaliter prognãti 173 b
gigantes nostram staturam mirabiliter superasse 157 b
de Gigantibus Lactantius quid senserit 173 b quid item Eusebius ibidem
gilead mons 672 a
Gladius uersatilis quid 115 a
gladius magistratus 235 b
gladij potestati omnis anima subdita est 34 b
gloriæ inanis studiũ unde 275 b
gloriam sequi uirtutem 567 b
Gog pop. 258 b
goijm etiã Israelitas uocari 297 a
goijm etiam Iudæos esse 615 b 710 a
gomer pop. 258 b
gomorrhæ subuersio 473 b
gomorrhęorum opulẽtia 344 a
gomorrhæorum rex cæsus 340 a
gonia pro ciconia 259 a
goshen terra 814 a ad habitandum Israeli cur electa 824 b
Græci pop. 258 b fabulosi 87 a
gratię uox in script. 605 a
gratia Christi nulli deneganda 159 b
gratia Dei pijs quomodo exponatur 431 a
gratia Dei & iustitia piorũ coniungenda 198 a
gratia petenda non à ministro, sed ab ipso Domino 804 a
gratiæ conditio 432 a
gratię Dei excellentia 294 a
gratiæ Dei in pios abundantia 299 a
gratiæ Dei hostes 301 b
gratiæ Dei perpetuitas erga se colentes 590 b
gratiæ Dei prærogatiua pluris est, quàm dignitas creationis 514 a
gratiæ Dei & fraternæ beneuolentiæ coniunctio 799 a
gratiæ diuinæ constantia 756 a exuberantia 298 b
gratiam corã Deo inuenire quid 177 b
gratiam diuinę uocationis quanti fecerit Abraham 579 a
gratiam inuenire coram Domino 180 b
gratitudo de acceptis uiam aperit accipiendis 472 b ubi locũ ha-

habeat 685 b uera unde 568 a
gratitudinis constantia 600 a ge nera duo 762 b
grati animi exemplum 591 a

H

Habel quid significet 120 b
habel ouium pastor 148 a
habelis sanguis uocalis 140 a
habelis spūs cur non dicatur cla mare ad Deum 140 b
habere aliquid in manu 797 b
habitans uel habitator 564 b
hænoch ciuitas 149 a
hæreditatis filiorum rationem habere, nō alienum à sanctis 512 b
hæreticorū imago Ismael 426 a
hæuilah terra 613 b
hagar Abrahæ in uxorem à Sa ra data 381 b peruerſitatis e xemplum 387 a unà cum Is maele filio ab Abrahamo di missa 514 a
hagar pietas 397 placiditas & obedientia 517 b & Sarę my sterium 520 b
hagar reuerti ad dominā suam quid opus fuerit 390 b
hagareni pop. 390 b 609 b
hagarenorum superbia 393 a
ham 339 b
harā in terra natiuitatis suę mor tuus 288 b
haran ciuitas 574 a 614 b
hazazon Thamar 339 b
Hebal 303 b
heber q̄diu uixerit 157 b 284 a
hebionitæ 345 b
hebræi qui 800 a
hebræi Aegyptijs abominationi 755 a
hebræorū prisci iudices 180 a
hebræa liguarum omnium ue tustissima 271 b
hebron 563 a 334 a cur Arba di cta 561 a
hebron nomen ante Cariatharbe 561 a
hebron nostra in cœlis quō 563 b
heliopolis Pharaonis sedes 814 a
heluidiani confutantur 642 b
hemor quid 703 a
henoch 146 b
henoch q̄d significet 150 b 168 a primogenitus Caini 146 a
henochia ciuitas 145 b unde di cta 148 a
heptades 855 a
her primogenitus Iudæ 164 b
herodes Ascalonita dolo regnū Iudaicum ad se traxit 847 b
herodias impudicæ ac lasciuæ mulieris exemplum 440 a
heth 571 b
hetheorum candor 567 a
hetheos cur Abraham uocet fi lios 567 a
heuila 261 b
Hierosolyma ciuitas 351 a Aelia dicta 234 a
hierosolymæ situs 530 b
hieronymi ineptia contra coniu gium 45 b
hieronymi locus excutitur 293 a 609 a
hispani pop. 258 b
Hoba 345 b
holocaustum 227 a quid 534 a
hom 339 b
homicidarum pœna 137 a
in homicidis puniendis Dei stu dium 144 a
homicidium adulterio grauius 511 b
homicidij lex post diluuiū lata 144 a
homicidij peccatum diluuio uin dicatum 147 b
homo carnalis cur uocetur caro 176 a
homo cur conditus à Deo, cum sciuerit eum fore malū 177 b
homo ex formatione an bestijs præstet 54 b
homo quid cum bestijs partici pet 191 b quomodo ad ima ginem Dei creatus 41 b quo modo bestijs dominetur 42 b
hominis conditura perpetuō re cogitanda 159 b
hominis dominatrix potentia 42 a
hominis sensus & cognitio 222 a
hominis noui incrementa distin cta 508
hominis quanta sit dignitas 43 b
homini an liceat maledicere 599 a
homini cur præscripserit Deus de fructibus terræ 47 b
homini ad immortalitatem con dito an opus fuerit cibo 47 b
homini ante peccatum quod nam operandi onus sit impo situm 63 a
hominem bestijs necessitate cibi iungi 193 a
hominem esse quid 758 a
homine condito perfecta erant omnia 51 b
homines cur creati 161 a
homines carnales ad delicias ad spirare 150 b
homines cum bestijs eodem sup plicij genere perijsse 191 b
homines immundi qui 196 b
homines immundos cur Deus non seruarit in arca 196 b
homines nati consumere fruges 113 a
hominum malitiam nullum ge nus animalis adæquat 30 b
hominum malorum præsentia detestabilis 190 a
honorare parentes quid 857 a
honoris titulus 431 b
honores principatibus annexos non respuere sanctos 800 b
honores diuini infeliciter suasu satanæ appetuntur 118 b
horeorum gens 718 b
horrea quando sint aperienda 780 a
hospitalitatis exemplum in Abrahamo expressum 431 a
hospitalitatis officium ad finem usque præstandum 445 b
hospitalitatis tres partes 443 b
hospitū ius apud ueteres 463 b
hospitibus selecta proponenda 435 b
hostes fratrum nostrorum & no stri 356 a
Humanarum rerum fines dupli ces 189 b
humanū ingenium propensius est ad conseruationem quàm repurgationem uitæ 119 a
humani generis excellentia 75 b dignitas 239 b Isaac typus 551 a
humani generis multiplicatio, quomodo corruptio 174 b
humani ingenij audacia 29 a
humani ingenij corruptio 174 b
humilitas originis humanæ 56 a
humilitatis & submissionis uti litas 393 a
humilibus ac abiectis diuina cle mentia parcit 349 a 473 b
hushim filius Dan 820 a
Hyems quid 771 a
hypocritarum ingenium 127 a
hyrcanus ab Herode interem ptus 847 b

I

Iabel 146 b
iabok fluuius 688 b
iacob ab Abrahamo auo suo in stitutus 284 b certior fit Io sephum adhuc uiuere 816 b descendit in Aegyptum 818 a in Mesopotamiā mittit 638 b inscio socero profugit 667 a Isaaco patri quō imposuerit 631 a

631 a Israel appellatur 705 b
morii 854 a non tentat Dominum 781 a pro mandragoris à Rahele uenditus 659 a
iacob quid 617 b quot annorũ 284 b Rachelem cur adamarit 587 a relicta ciuitate Sichem ascendit Luzam 706 a
ubi sepultus 334 a
iacobi cum angelo lucta 689 a
iacobi dies mali quomodo fuerint 827 b
iacobi factum quomodo sit inculpabile 669 b
iacobi femoris luxatio 690 a
iacobi industria in decorticandis uirgis 665 b
iacobi pudicitia 651 a sacrificium 818 a scala ascendentium & descendentium angelorum 640 b studia 618 b tẽtatio 791 a
iacobo angeli occurrunt 682 b
iapetum à poetis ethnicis Japheth dici 260 a
iared cur filium suum Henoch uocarit 168 a
iauan pop. 258 b
Iberi pop. 258 b
Idololatrarum locutio 675 b
idolorum prima mentio in scripturis 672 b
Iehoua nomen, quod soli Deo competit, quomodo angelo detur 395 b
iehudah quid 654 à
iehudah nascitur 653 b
iehudæ prudentia 808 b
ieiunia Papistarum qualia 545 b
ieria 268 a
Ignominia ueniam meretur 526 b
ignorantia nostra ministra Dei est plerunq; magis quàm scientia 782 b
ignorantia rerum amori coniuncta 781 b
ignorantiæ tenebrę 784 b
ignorantiam non prorsus excusare 493 a
Imago cõmunis bonitatis Dei 26 a
imago eorum quæ inter semen satanæ & semen mulieris geruntur 107 b
imaginis & similitudinis eadem significatio 43 b
imaginem Dei in proximo esse uenerandam 44 a
imagines rerum spiritualium in paradiso 62 a
immortalitas duplex 47 b
immortalitatis species in patribus proposita 170 a
immundicia duplex 410 a
immundicies animalium qualis 196 a
immundum 411 a
impatientiæ uis 380 b
imperata detrectare percontando, nequitiæ argumentum 580 b
impietatis societas nulla periculosior quàm patria 295 b
impius ubiq; sui similis 239 b
impij ingenium 150 a
impium ubique sui similem 139 b
impij conatus pertinacia nõ metuenda 280 b
impij in hoc seculo quomodo uiri nominati 177 a quo genere cæcitatis percutiant 464 b
impiorum cohabitatio periculosa 344 b 497 b
impiorum conuictus quomodo damnetur 295 a
impiorũ furor quomodo sedandus 463 a
impiorum metamorphosis 143 b
impiorum peccatum non dormit 139 a
impiorũ societas terrã promissionis uisuro deserenda 296 a
impiorum & immundorum diuersa ratio 197 a
impijs ad tempus aliquando dari quę pijs sunt destinata 267 a
impijs cohabitare num sit impium 295 a quid expectandum 180 a
impios non esse dignos ut uita eorum memoriæ consecretur 151 b
impositio manuum uetus consuetudo 839 b
impossibilia ne Deus præcipiat 539 a
impossibilia cur Abrahæ Deus præceperit 366 b
impostura non omnes damnandę 631 a
impostoris & sanctos uti in loco 801 b
impudentia alia aliam superari 462 b
imputari aliquid ad iustitiam 367 b
Inaugurandi ritus duæ partes 774 b
inaures 585 b
incerta quænam sint 66 a
incredulitas cor reddit fluctuãs 817 à
incredulitas nulla ratione excusatur 442 a
incrementi diuini ubertas 778 a
incubi, & succubi, quid ueteribus 171 b
indigenarum iuri nihil derogat Abraham 566 b
inducendi uerbum 497 a
inedia non aspernanda 311 a
infamia uitanda 738 b
infantes Deus cur circũcidi uoluerit 412 b
infantum & adultorum discrimen 412 b
infirma nostra custodiẽda 784 a
infirmitatis nostræ Deum rationem habere 397 b
infœcundã esse, mulieri probrosum 660 b
ingluuies immensum petit 434 a
ingluuiei detestatio 238 a
ingratitudo 802 a auaritiæ comes 669 a
ingrati hominis argumẽtũ 763 a
inhumanitatis exemplum 729 a
inhumani prorsus sunt q esurientibus non subueniunt 49 a
inimicitiarũ genera uaria 616 a
inimici Christi 557 a
inimicis etiam benefaciendum 299 b
iniquitatis gradus & incrementa 380 b
iniquitatem mortaliũ, terrã reddere corruptam 184 a
iniuria à quo nobis fiat, multum referre 527 a
iniuriæ acceptæ patienter ferendæ 760 a
innocentum sanguis quomodo ad Deum clamare dicat 140 a
innocentia quomodo sit iustitia 491 b
innocentia nostra sine aliorũ accusatione asserenda 760 b
innocentia fiducia 676 b
innocentiæ nostræ assertio cautionem requirit 805 a
innocentiæ & futuræ uitæ exemplum 81 b
innocentiæ & integritatis coniunctio 492 a
innocentiam nostram approbãdam esse amicis 794 a
innocentes cauent ne innocentiã prætexant, ubi clementiam quærunt 804 b
innocentum patroni incidũt in discrimen quod illis auertere uolunt 464 a
insani ac furiosi ne iritentur cauendum 465 a

institutio maiorum 150 b
integer quis dicatur 182 b
integritas rerum unde 204 b
interrogandum non esse, ubi & dandum 588 b
Intercessio sanctorũ 481 a 502 b
intercessionis sanctorum consideratio 452 b
inueniendi uerbum 391 a 432 a
inuidiæ ingenium 623 b
inuisibilium creaturarũ inquisitio non probatur à Deo 15 b
inuocatio nominis Dei 304 b quomodo temporibus Seth & Noe fieri cœpta 153 b potissima pars cultus diuini 306 b
inuocatio diuini nominis omnia negotia nostra præcedere debet 818 a
inuocatio sanctorum 841 b
Ioannis 4. locus exutitur 842 b
Iobi genealogia 559 a prosperitas & patientia 534 a
Iobum non esse de stirpe sanctorum 352 b
Iones pop. 258 b
Ionium mare 258 b
Ioseph à periurio quomodo defendi possit 785 b ab uxore herisui solicitatur 742 b alienus à spiritu ultionis 815 a augũrijs num fit usus 804 b Christi imago 774 b 776 à cur iurauerit per uitam Pharaonis 785 b delator nũ fuerit 721 à è carcere eductus 766 b fratrib. suis cur inuisus 722 a frãtribus se reuelat 809 a fratres suos cur tam durè acceperit 783 a fratres suos dapib. quo modo honorarit 800 a fratres suos unde statim cognouerit 782 b
Ioseph frumentum Aegypti coaceruat 776 a Iacobo patri fit obuiam 821 b in cisternam coniectus 728 b incarceratur 755 b incognita causa à Putiphare in carcerem coniectus 778 a Ismaelitis uenditus 729 b nascitur 660 b moritur 860 a patientiæ exemplum 756 b patrem suum defiet 854 a præcursor Israelis 740 b Putiphari uenditus 730 b 740 b sapientiæ & consilij spiritu præditus 769 b ut aroma pretiosum ductus in Aegyptum 731 a Iosephi elegantia 742 a fides & diligentia 777 b filij 810 a fletus qualis 799 a fratres coram Pharaone fistuntur 824 b fratres denuò dimissi 802 a fratres se coram illo incuruant 782 b
Iosephi fratrum ebrietas nũ culpabilis 801 a
Iosephi fratrum industria 789 b
Iosephi humanitas 786 b innocentia 726 b industria 785 a
Iosephi locus de iurantibus 575 b
Iosephi pietas 786 b pueritia nõ ociosa 720 a somnia 722 b scyphus in sacco Beniamin inuentus 803 b
de Iosephi uxore controuersia 776 b
Iosepho data filia sacerdotis in uxorem 776 a somnia cur Deus immiserit 784 a
Iosephũ magnificè de patre suo sensisse 826 b
Ira 846 a
iræ muliebris uis 387 b
iræ & odij discrimen 727 a
iram sermone frangi molli 327 b
Irascentium mitigãda commotio 131 b
irascentibus cogitandum est cur irascantur 131 b
ire ad patres 370 b
iridis colores 234 a
Isaac 418 b
isaac nascitur 503 a
isaac Christi typus 511 a
isaac holocausto seruit igharus 541 a Iacobo benedicit 632 b imago Christi 598 b imago Dei 558 a immolari iussus 529 a
isaac typus humani generis 551 a
isaac 37. annorum cum nuptias celebraret 561 a
isaac in Mesopotamiam quomodo potuerit reduci 579 a
isaac quot annorum 284 b
isaac quid differat ab Ismaele 422 b
isaac ubi sepultus 834 a
isaaci diuitiæ 623 b peregrinatio in Geraris 620 b obitus 713 b pietas 541 b Isaaci et Ismaelis mysterium 520 b
isaaco qualis sponsa quæratur 583 a
isaacum immolari cur Deus prohibuerit 546 a
ismael quid 390 a
ismael à Deo num fuerit prorsus reiectus 419 b ab Abrahamo dilectus 509 b ab Abrahamo dimissus 514 a circuncisionis particeps cur fuerit, cũ non item fœderis 491 b hæreticorum imago 426 a
ismael primogenitus Abrahæ 164 b semen Abrahæ cur nõ dicatur 390 b in quo a b Isaaco differat 422 b
ismael sagittarius 515 b
ismaelis generationes 613 a
ismaelis & Isaaci mysterium 520 b
ismaelẽ eijcere quid necesse fuerit 510 b
ismaelitæ pop. 609 b cur Hagareni dicti 350 b
ismaelitæ & Midianitæ num ijdem 730 a
ismaelitarum superbia 395 a
israel Iacob appellatur 709 b
israelis ædificatores 280 a
israelis & gentium mysterium 740 a
israelitæ 400. annis in Aegypto quomodo afflictati fuerint, cum ad summum haud supra 215. annos fuerint in Aegypto 372 a
israelitarum patres homicidæ 722 a
israelitas goim uocari 297 a
israeliticę gentis principes quales 797 b
Issaschar nascitur 659 a benedicitur 848 a
issaschar filij 820 a
Itali 258 b
Iubal 146 b
iubal pater canentium cithara 146 b
iudæa Aegypto editior 307 b
iudaica expositio fugienda 557 b
iudaica gens unde denominata 293 b
iudæorum error de folio oliuę à columba discerpta 217 b
iudæorum de Abrahamo fabula 286 a
iudæorum signum 244 b
iudæos goim esse, ostendit 297 a 615 b 710 a
Iudas proditor 143 a
iudas benedicitur 846 b discedendo à fratribus num rectè fecerit 734 b
iudas proditor 143 a
iudas Thamar nurum suam stuprat 737 a
iudæ filij 734 b 820 a nuptiæ 734 b
iudex unus totius terræ 454 b

iudicis iusti officiũ 454 b exemplum 785 b
iudicare pro uindicare & ulcisci 370 a
iudicandum quomodo 448 b
iudicium catholicum 142 b
iudicium Dei quid 379 b
iudicium Dei iustissimum 191 b
iudicij Dei æquitas 238 a consideratio 102 a 379 a exemplum 342 b
iudicium & iusticiam coniungi 446 b
iuliani apostatæ calumnia 87 a impietas 272 b 273 a
iurare Deum cur stupendum. 554 a
iurare Deum per seipsum 554 b
iurare in Christo 575 b
iurare non illicitum 554 b
iurare per seipsum quõ Deus dicatur 554 a
iurare & adiurare differre 577 a
iuramentum apud Romanos quibus non impositum 554 b
iuramenti gradus supremus 555 a
iuramenti locus religionem postulat 528 b
iuramenti præuaricatio, maledicto obnoxia 599 a
iuramenti usus 554 a
iuramento cur additum, Dicit dominus 555 a
iuramenta in iudicijs forensibus nõ omnibus imponendum 577 a
iuramenta quæ carnificinam cõscientiæ habeant 580 b
iuramenta Papistarum 360 a
iuramentorum genera duo 527 b
iurandum quomodo 580 b
iurantium duo genera ritus 554 b 575 a
iurgia num etiã inter patres locum habeant 324 b
iurgiorum genus duplex. 324 b
ius proprium pacis studio resignandum 388 a
iuris paterni in sobolem suam exemplum 397 a
iusiurandum à quibus rectè exigatur 836 a
iusiurandum esse licitum 359 b quousq; obstringat 580 a
iurisiurãdi memoria, neruus custodiæ illius 527 b 554 b
in Iureiurando quid considerãdum 577 b
iustitia Dei immutabilis 142 b
iustitia Dei peccaturis proponenda 131 a
iustitia falsa qualis 198 a
iustitia Dei quomodo comparata 142 b
iustitia uera 198 a
iustitiæ exemplum 795 a
iustitiæ ministris subueniendum 353 b
iustitiæ opus pax 353 a
iustitiæ in rege ethnico exemplum 359 a
iustitiæ, integritatis & pietatis coniunctio 183 b
iustitiæ studium in corrupto seculo seruare 183 b
iustitiæ sic studendum, ut regula beneuolentiæ non negligatur 611 a
iustitiam Dei à nostra differre 491 b
iustitiam perfectam in hac uita nemini contingere 182 b
iustitiam ueram in Deum dirigi 198 a
iustitiariorum iræ 127 b proprium 294 a
iustificari gentes, Apostolo quid 501 a
iusti qui intelligendi 451 b
iustorum consortij in tribulationibus utilitas 349 b
iustos habitare in medio impiorum 288 a
iustos in hac uita malè habere, impios bene 129 b
iuuenum effrenorum ecclesijs præpositorum malum 576 b
iuuenum esse interrogare parentes quæ non intelligunt 542 a
iuuentus filia senectutis 590 a

K

Kedar 613 b
kedarlaomer rex Elamitarum 339 a
kedmah regio 613 b
kemuel 559 b quomodo Syrorum pater 559 a
κενοδοξίας uis quæ 275 b
ketura Abrahæ uxor 606 b quę fuerit 608 b quomodo & uxor & concubina Abrahę fuerit 609 b
keturæ filij 606 b
kiriath Arba 561 a

L

Laban quid sonet 593 a 650 a
laban impius 614 b 672 b frater Rebkah 591 a 638 b filius Bethuel 559 a 646 a Iacobum persequitur 673 a
laban humanitas erga Iacobum 648 b
labiorum confusio Papisticæ ecclesiæ conuenit 281 b
labanim ad Christum accedere 593 a
labor & afflictio humanæ uitæ unde 170 a
laban improbitas & impudentia 677 a
laborandi molestia cõiuncta est necessitati comedendi 111 b
lachrymæ suaues quæ 648 b
lactationis beneficium 508 b
læta non modò, sed & tristia futura fratribus indicanda 761 b
lamech 146 b homicida 146 b violentus 149 b uxoribus cur peccatum suum reuelarit 149 a
lamech æ as 163 b
lamech filios citharæ usum inuenisse 146 b præposterè ad exemplum Cain respexisse 152 b
lapis Iacob Christi typus 644 a
ex Lapidibus filios excitare 553 b
lapsus sanctorum non præter rationem in scripturis legi 313 a
later quid 277 b
Lea filia Laban 649 b pro Rahele ad Iacobum introducta 650 a
legalis concio 132 a
legislatores bonos quid deceat 05 b
lemech quid significet 168 b
lesa ciuitas 262 a
lestropoles 151 a
leui nascitur 653 b
leui filij 8..0 a
leuare caput 759 b pedes 645 a
lex de firmitate coniugij 80 a
Liah aliena à spiritu zelotypiæ 385 a
liberalis animi exemplum 588 b
liberatio à malis cũ iudicio Dei fit 379 b
liberationis gratia larga 467 b gaudium plenum, ubi & plena liberatio 468 a
à Liberatis quid requiratur 470 b
liberatis properandũ esse 473 b
liberalitas u ra 567 b
liberalitatis exemplum 572 a
liberalitatis mores 588 a
liberalitatis & munificentiæ ornamentum 502 a
libertas 153 a
libertas etiam à sanctis appetitur 760 a

liberum arbitrium 722 b
liberũ arbitrium nõ fuit Caino 130 a
libri huius usus 1 b
libyes pop. 261 b
ligna portare, onus est iumenti, uel asini 541 a
lignũ uitæ duplex, & quid 59 b
linguæ abusus 274 a
linguarum confusio, ædificationis impedimentum 281 a ubi locum habeat 281 b
Locus ꝓ officio et munere 759 b
locus in q̃ uiuamus qualis 204 b
loci nulla excellentia ad pietatẽ confert 62 a
loca Deo inuisa fugienda 489 a
loca etiam propter impios iudicio Deo fieri obnoxia 190 a
locorum uarietas 330 b uastatio quid innuat 468 a
locutionum Dei duo genera 447 a
loquẽdi donum hominibus cõcessum expenditur 274 a
lot angelos hospitio excepit 457 a frater Abrahami quomodo 495 b
loti captiuitas 337 b
lot liberatus nõ tam propter suã iusticiam, quàm propter gratiam Dei 470 b
loti factum reprehensum 330 a
lot filias ut imprægnarit 483 a
lot Sodomorum terram eligendo num peccarit 326 a
loti pietas 302 b
lot Sodomam egressus 465 a
loti uxor quomodo incẽdio correpta 476 a
loti uxoris interitus 479 b
loti uxor in statuam salis conuersa 199 b 473 b
lot & Abrahæ mansiones conferuntur 332 a
Lugendi mortuos ritus uarij 855 a
lugentium indumentum 732 b
ex Lumbis Abrahæ Christus 575 a
luminare quid sit 28 b
luminaria duo, maius & minus 27 a
luminaria cur adiecta primæ luci 30 a
luminaria cur tam magna, duo, & inæqualia 33 a
luminaria in cœlo nobis ministrant 32 b quomodo magna dicantur 29 b
luminariorum duorũ usus 27 b 157 b
lunæ potius quàm solis partes curat Papa 35 a
lux quid sit 9 b ante conditũ solem qualis 9 b
lux Deus lucẽ amat et cõdit 11 b
lux primogenita num fuerit solis splendore clarior 28 b
lux & ueritatis uis quanta sit ad redarguendum falsarios 31 b
lucis æternæ luminaria Apostoli 30 a
lucis euangelicæ imago 11 b
lucẽ odit princeps tenebrarũ 11 b
luxus detestatio 238 a
luxus catholicus hodie qualis 215 b
luza ciuitas 304 b 644 a
Lydij pop. 268 a

M

Madai pop. 258 b
madianitæ pop. 609 b
mæones pop. 268 a
magister somniorum 727 b
magistratus Dei minister 144 a
magistratus gladius 235 b
magistratus gladio omnes esse subiectos 144 a
magistratus impij exemplum 498 a
magistratus peccatũ in torturis sine certo iudicio dandis 109 b
magistratui quid obseruandum sit 26 b
magistratum Deus ordinat 44 b
magistratus in iudicãdo antè cognoscãt, quàm sententiã pronuncient 278 a
magistratus cur dari 175 a
magistratuũ potestas necessaria 771 b
magistratuũ piorũ officiũ 357 b
magistratuum & subditorum admonitio 132 b
magistratibus cur tributa & uectigalia pendenda 353 b
magnatum consuetudo 784 b
magog pop. 258 b
magorum & sapientum discrimen 764 b
mahenaim 683 a
maiestatis timor unde sit 236 b
maiores si sint mali quantũ mali adferat 316 b
maiorum erga filios authoritas 289 a
maiorum institutio 251 a
mahelath uxor Esau 639 b
malaleel qñ genitus 157 a
malè agere cum aliquo 668 b
malè egisse 802 a
maledicere 218 b
maledicere Dei percutere est 228 b
maledictionem per peccatum in omnes homines propagatam 557 b
maledictioni omnes gentes obnoxias 557 b
malitia cur Deo displiceat 180 b
malitia nostri seculi qualis 184 b
maliciæ incrementa & progressus 341 b
malitię humanę delineatio 179 a
malitiæ studium ab adolescentia incipere 229 a
malitiam hominum non esse ex Deo 180 b
malon quid 789 a
mali species uitanda 737 b
malum esse in oculis Domini 735 a
mala quomodo compescenda et tollenda 214 b
malorum cessatio, quies 170 b
malorum discrimen 332 b experientia quid faciat 484 a
malorum inimicitiæ ne pij quidem expertes 299 a
mamre 713 b 334 a
manasseh à Iacobo adoptaꝫ 838 a
mandragora qui 657 b
manichæorum error 4 b 41 b opinio detestanda 12 a
mansuetudo in corrigendis errantibus retinenda 392 b
mansuetudo debita 219 b erga uxorem requiritur 498 b
mansuetudinis causæ tres seruandæ 392 b
mansuetudinis efficacia 394 b
mansuetus utiliter qui dicatur 219 b
manus sub femore cur à iurantibus posita 577 b
manus Dei ubique agnoscenda 191 a
manus Dei gemina 464 b
manum ponere super oculos 819 a
manum sub femore ponere cur Abraham iusserit 575 a
manuum impositio unde manarit 839 b
maometis sepulchrum 530 a
mare mortuum 339 a
mariæ sepulchrum 539 b
maritatæ mulieres admonentur 91 a
mariti quales erga uxores sint 109 a
mariti qualiter uti debeant muliebri uasculo 108 b
martium quosdã primum anni mensem facere 202 a
maris & fœminæ cõiunctio 70 b

marium utilitas 23 b
materni ingenij affectus 619 a
mathematicæ rationes improbatæ 763 b
mathusael 146 b
mathusalem an quatuordecim annis uixerit post diluuium 167 a
mathusalem cur ad millenariũ non peruenerit 169 b
mathusalem ætas 163 b
matired quid 718 a
matresfamilias cum filiabus olim seorsim habitare solitas 592 b
matrimonium à quo non legitime seruetur 175 a
matrimonij abiuratores 77 a
matrimonij idem præsul ac protector, qui & autor 317 a
matrimonij ratio 416 a
matrimonium prohibere diabolicum 237 b
matronæ honestæ esse, manere intra domesticos parietes. 435 a
matronæ honestæ ac uerecundæ exemplum 439 b
matthæi 27 locus restituitur 699 a
mazaca urbs 258 b
Mecha ciuitas 530 a
mechusael 146 b
medi pop. 258 b
medicinæ usum nihil illiciti in se habere 854 b
mediocritatis commoditas 326 b
in Medio uestri quomodo intelligendum 565 b
mehitabel quid 718 a
melchizedek quis fuerit 350 b
melchizedek quid 353 a
melchizedek typus sacerdotis Christi 354 b
melchizedeci excellentia 615 b
palatium 351 a
menasche nascitur 778 a
mendacij fructus 817 a. suspicio etiam uiro graui non ferenda 498 a
mendaciorum genera tria 308 b
genera quædam licita 631 a
mensis secundus qui fuerit 202 a
menstrui fluxus cõsideratio 441 a
mentiri Deo 139 b
mentiri nũ uiro iusto liceat 308 b
mentiri partum quid 735 a
mentis humanæ imago 156 b
mercedis genus duplex 659 b
mercedem seruiẽtis mutare quo modo probetur 779 b
meretriciæ impudentiæ exemplum 744 a
meretrices unde dictæ 737 b
meretricibus signa honoris dare 738 a
meridiei in S. scriptura typus 307 a
meriti causa potior quàm instrumentum redemptionis 553 a
mesopotamia 571 b
mesopotamia in Actis à Stephano pro Chaldæa posita 292 b
messis & sementis uicissitudo necessaria 229 b
methuselah quid significet 168 b
metonymiæ usus 790 a
metropoles 151 a
metus ex ignorantia futurorum 758 b
mezahab quid 718 a
Michol Dauidis uxor 311 a
midianitæ & Ismaelitæ num ijdem 730 a
milchah 559 b. Nahoris uxor 560 a
millenarij numeri typus 169 b
millenariorum error de paradiso 59 b
ministerij apud Rom. Pont. nulla mentio uera 34 b
ministri officium 597 b
ministri fidelis exemplum erga herum suum 830 a
ministrorum religionis publicæ rationem esse habendam 832 b
ministris quo genere orationis utendum 583 a
minuta plurimum habere utilitatis 434 a
minutissima etiam animalcula à Deo facta 37 b
miracula 593 a
miracula non sine grandi ratione fieri à Deo 549 b
misericordiæ diuinę efficacia nõ est tarda 519 a
de Misericordia Dei desperantis exemplum 143 a
mitzpah tumulus 681 a
mizraim 258 b
Moab 486 a
moderationis exemplum 498 b
modestiæ exemplum 359 b
modestiæ ueræ ingenium 453 b
modus in omnibus retinendus 566 a
monachismi descriptio 302 a
monachorum obedientia qualis 302 a
monarchia omnium præstantissima, si cadat in uirum bonum 265 b
in Monte Dominus uidet, prouerb. 550 b
montes ante diluuium constitisse 209 b
montium cacumina quando apparuerint 217 b
montium è clade belliea fugientibus quæ sit utilitas 344 a
monumentum peculiare cur Abraham habere uoluerit 568 a
monumenta ueterum cur inhortis constituta 573 b
morbi mortem præcedentis utilitas 836 b
moreh planicies 303 b
mores populares à uiribus prudentibus tolerantur quos emendare non possunt 801 a
morum priscorum exemplum in Iacob expressum 640 b
mores nostros à ueteribus discere pare 582 b
moriah terra quæ 530 a
mori ambulare nsse 380 a
morientium oculos claudere 819 a
moriturum esse hominem, bifariam dici 490 a
mors est destitui gratia cœlesti 67 b
mors quid Apostolo 557 a
mors præclara quæ 712 a
mors quænam comminata sit Adæ 64 b
mortis interminationis æquitas 67 a
mortis corporeæ effectus 112 b
mortem corporis & animæ meruit Adam ex inobedientia 64 b
mortem nihil habere insoliti 380 a
morte mori est mortalem esse factum 101 a
mortalium salus in quo constet 208 b
mortalitas nostra ad quid sit referenda 112 b
mortalitatis legem omnibus hominibus esse impositam 490 a
mortificationis organa 540 b
mortui hominis intolerabilis præsentia 567 a
mortuum lugere non alienum à pijs hominibus 563 b
mortui cur terræ mandandi 567 a quomodo plangendi 566 a
in Mortuorum planctu seruandus modus 567 a
mortuis bonefieri in illorum posteris 447 a

mortuos non perire 611 b
mortuos quos ſcriptura uocet 566 b
mortuos ſuos Abraham cur ſeparatim condi uoluerit 573 b
mortuos etiam à chariſsimis ferri non poſſe 567 a
mortuos lugendi ritus uariĳ 555 a 563 b
erga Mortuos pietatis officium 611 b
moſes cur de Deo tanquam artifice loquitur qui probet opus ſuum 9 a. cur Noæ de mũdis ſacrificaſſe dicat 222 a. cur non dixerit, Et factum eſt ueſpere & mane dies primus: ſed, Dies unus 10 b cur omnibus nota multis uerbis exprimat 24 a. de uiſibilibus Dei operibus non de inuiſibilibus loquitur 7 a. priſca locorũ nomina cur neglexerit 343 a
moſes & Aaron cur non introduxerint Iſraelitas in terram Canaan 199 b
moſes & Iacobus apoſtolus conciliantur 530 a
moſes & Paulus conciliantur 418 b
moſes humano more de Deo loquitur 8 b
moſis conſilium 2 a. diligentia in re neceſſaria 491 a. diligentia non ocioſa 209 b
moſis narratio unde ſit 2 a
moſis uigilantia 505 b
moſis ſtudium ut ſubcœleſtia & cunctis uiſibilia doceat 22 a
moſis hiſtoria & Noæ diligentia obſeruanda 204 a
moſoch pop. 258 b
motus uuuētium in terra uarius 210 a
motus & uita quàm aptè iungãtur 49 a
Muliebris curioſitas difficile exuitur 440 a. ornatus non alienus à dono ſanctorum 589 b
muliebris iræ uis 387 b
muliebri maliciæ uerſutia cõiuncta 744 b
mulier cur ex Adæ coſta 76 b
mulier cur ex carne Adæ formata ſit 76 b
mulier fulget radĳs mariti 74 b impatiens contemptus 744 b
mulier pulcherrima quæ 175 b
mulier in gratiam uiri condita 73 b quæ laude digna 183 b
mulier quare non abhorruerit à colloquio ſerpentis 88 b
mulieris formationem cur Moſes tanta cum diligẽtia deſcribat 76 a
mulieris indiuidua ſocietas 74 b honeſtæ ingenium 737 b piæ conditio 78 b
mulieris primæ nomina quatuor 78 b
mulieri duo moleſtiarum genera imponuntur 98 b
mulierem uiro Deus ipſe deſpõſauit 77 a
ad Mulierem accedere 491 a
in Muliere ædificari domũ 385 b
mulieres plerumq; curioſæ 700 a
mulierum decus, uerecundia. 440 a
mulierum ſubiectio 109 a
mulieribus cum prima matre Eua ærumnæ & ingeniĳ corruptio communes ſunt 108 b
multiloquium in oratione uitandum 456 b
multiplicationis benedictio qualis 255 b
de Multitudine non eſſe præſumendum 343 a
mundi ſimplicitas quomodo decreuerit 573 a
mũdi utriuſq; primordia nõ humanis uiribus, ſed diuinæ benedictionis uirtute conſtare 259 b
mundum à Deo eſſe factum 6 b ſemper non fuiſſe 55 a
mundum corruptum quomodo Deus per homines uiolentos caſtigarit 176 b
mundum ex nihilo creatum eſſe 6 b. habere principium 6 b
mundum ſeruare per Chriſtum & Chriſtum ex carne Abrahę naſci, differre 553 b
ex Mundo quos Deus auferat 163 b
munda mundis conuenire 198 b
munus amicitiæ ſymbolũ 696 a
munera honeſta amant lucem 502 a
munera quando reſpuenda 695 a quo animo dantur, multum referre 591 b
munera regum priſcorum 501 b
munera cum conditione data 502 a
munerum differentia & circumſtantiæ 320 a
munerum genera ſex 688 a honeſtas 589 b
muneribus magnatum animos placari 696 a
in muneribus dantis animus reſpiciendus 686 b
muſices uſus 252 a
mutatio rerum qualis 219 a

N

Nabaioth Iſmaelis filius 613 a
nabathena regio 613 b
naboz Iſraelita ab Achab necitraditus 512 a
naerah 585 a
nahor quid 285 a
nahor Abrahæ frater 560 a 590 a
nahor ciuitas unde dicta 581 b
nahor ætas 157 b 284 a
nahor domus aliena à fœdere Dei 560 a
nahoris filĳ 560 a
naphthali naſcitur 655 b. benedicitur 850 a
naphthali filĳ 820 b
natalitiorum dierum conſideratio 762 a
nationis non eſſe habendam rationem 826 b
nationi reprobæ Deus neceſſaria quomodo det 152 a
natura modico dimittitur 48 b
natura minimis contenta 434 a
naturæ uis occulta 665 b
nauigationum utilitas 23 b
Neceſsitas quid faciat 219 a
neceſsitatis argumentum 794 a
neceſsitatis durum telum 831 a
negociãtibus quomodo ſtandũ 593 b
Nicolai factũ reprobatur 388 b
nicolaitarum hæreſis 388 b
nilus fluuius 371 a. 764 a
nimrod tyrannus 262 a
nimrod tyrannis regnũ uocatur 265 a
niniue ciuitatis amplitudo 262 b corruptio 266 b
niniue tyrannis 266 b
niſibis 261 b
Noah quid ſignificet 168 b
noe à Deo benedicitur 232 a
noe agricola 164 a. 247 a. cum ſuis domeſticis in fœdus aſſumitur 192 a. cur 14 dies expectarit 218 a. cur requies uocatus 170 b. cur iubeatur ſibi ipſi facere arcam 190 b. cur pro mundo perituro non orauerit 189 a. de conſtruenda arca quomodo præparetur 190 b
noe figura Chriſti 230 b. in arca cur ſeruatus 199 b. in diluuio ąt annos ſubuerit 164 b. uerbriatur 246 b. in medĳs aquis ſeruatus 209 b

pro-

propter iuſticiam ſuam ſeruatus 198 a. quanta fide opus habuerit 211 a. quo animo Deo ſacrificarit 225 b. quomodo ſit ſeruatus 186 b. 190 b. quomodo potuerit feras indomitas capere 188 a. uir iuſtus 181 a
noę animus à Deo quomodo cõfirmatus 215 b
noæ conſiderandæ circunſtantię 225 b
noæ cur exitij cauſa à Deo declarata 190 a
noæ curioſitas 218 a
noæ ebrij hiſtoriæ allegoria. 256 b
noæ ebrietas nec excuſanda, nec exaggeranda 251 a
noæ diluuij tẽpore quot annos natus 201 a
noæ domus concordia 225 a
noæ fides qualis 193 a. obedientia 202 b. 221 b
noæ generationes 257 b
noæ liberationem & Lothi differre 203 b
noæ natales inſigni gaudio exhilarari 220 a. patientia 224 b. pietas erga Deum 221 b. prudentia 218 b
noæ poſteri ex Oriente profecti 277 a
noæ mors 247 a. ex arca egreſſus 224 b
noæ quomodo cuncta ſubiecta 225 a
noæ ſacrificium quale 221 b. quale 222 b. 228 a
noæ tempora & poſtremi ſeculi 230 a
noæ & columbæ manſuetudo. 219 a
noæ uita 157 b. 264 a
noæ aperiendi arcam facultas denegata 206 a
noæ non permiſſum de animalibus ſtatuere 198 b
nobilitas antiqua nude 177 a
noctis ſolatium 13 b
nocturna quies rebus diuinis ac commoda 336 a
nocturna peccata luce diurna punita 477 b
nod terra unde dicta 150 a
nod terra imago huius ſeculi. 150 a
noema 146 b
nominis celebritas haud in ſe mala 298 a
nominis libri Geneſios ratio 1 a
nominis honeſti ſtudium 360 b
nominis impoſitionem & circũciſionem iungi 507 a
nominis mali perpetuitas quomodo uitanda 572 a
nomina filijs à parentibus olim non ſine ratione impoſita. 778 b
nomina maiorum uel parentum pro cognominibus uſurpata. 646 a
nominum impoſitio cur ab Adamo, non à Deo facta 75 a
non faciam amplius, qualis uox 229 a
noſtra quatenus omnia 582 b
nouendialia ſacra 855 a
noui hominis incrementa diſtincta 508 b
in Noæ diebus quot animæ ſeruatæ 208 b
nozem 585 b
nubere an expediat 70 b
nubere non eſſe in poteſtate filiorum 578 a
nubentium citra conſcientiã peccata 521 b
nuditas noſtra quæ ſit 83 b
nudus ingreſſus in mundum denudo exitu admonet 81 b
nudi non palliati ambulemus coram Deo ibid.
numerus impar mundus 205 b
numerorum diſſonantia unde. 283 a
nuptiæ clandeſtinæ damnantur. 521 b
nuptiæ cognatorum olim honeſtæ & felices 649 a
nuptiarũ apud ueteres ſõlennitas 651 b. honeſtas ſeruanda 386 a. proſperitas unde 589 a
nupturi temeritas & incogitantia 75 b
nutricis officium 803 b

O

Obedientia monachorum qualis 302 a
obedientia plena quæ 517 a
obedientiæ bonum 538 a. ueræ exemplum 516 a. 337 a. 425 a. 537 b
ab Obedientiæ ſtudio deficere facilimum 274 b
obedientiã ſincerã quanti Deus faciat 558 a
obedire magiſtratui quatenus liceat 133 b
oblationes unde manarint 696 a
in Obſecando celeritas 588 a
obſignatio quid 774 b
obſignationis uſus 412 a
obſtinationis exemplum 787 b
occaſiones præſentes non negligendæ 582 b
in Occiſores iudicium Dei quale 242 a
occiſum quærit Dominus de manu occiſoris 139 b
ociоſi hominis indicium 15 b
ociоſi uentres in eccleſia qui 65 b
ociоſis Dei incrementũ non ſperandum 613 b
ociоſis non ſperandum Dei auxilium 583 a
ocium Adæ, etiam ante lapſum, prohibitum eſt 65 a
ocium cauſa multorum malorũ 112 a
ocium iuuentuti noxium 576 a
ocium mortuis conuenire 825 b
octauus dies circunciſioni deputatus 406 b
octaui diei deſignatio 413 b
oculus concupiſcentiæ latentis in corde miniſter 330 b
oculus liber & uagus quidnam indicium ſit 93 b
oculi Domini ἀκοίμητοι 139 a
oculi Domini cõtemplantur omnes 139 a
oculi mulieris aperti poſt peccatum 95 a
ôculorum apertura triplex 94 b
oculorum eleuatio quid deſignet 330 b. libido quanta 254 b
oculorum mentis apertura triplex 94 b
oculorum uſus 819 a
oculos cordis leuare 431 a
ôculos morientiũ claudere 819 a
odium pro negligentia 652 b
odij ingenium cruentum 762 b
odium fraternum 721 b
odium fraternum diaboli filios arguit 637 a
ódij fraterni fructus 722 a
ódij ſanguinarij crudelitas 686 a
odij malitia 637 b
odij & iræ diſcrimen 727 a
Olam quid 407 b. quid in ſcripturis 334 b
oliue uigor 218 a
olympus Theſſaliæ mons 207 b
olympum an diluuium tranſcenderit 207 b
Ommei populi 339 b
omnipotentię Dei ſcientia quorſum deſtinetur 401 b
On ciuitas 775 b
onan quid 735 a
onam naſcitur 734 b
onæ factum 735 b
onagri 234 a
Os quid 774 a
os alicuius quærere 601 b

os telluri cur detur 141 b
ad Os tuum 773 b
oſculandi uſus apud ueteres 632 b
oſculũ amicitiæ ſymbolũ 648 a
operamur in paradiſo cœleſti 65 a
operarium dignumeſſe cibo ſuo 65 b
opes num abij ciendæ 303 a
opes pietati non obeſſe niſi noſtro uitio 321 a
opus non fertilitati, ſed diuinæ benedictioni deberi 303 a
opum honeſtas unde cenſeatur 598 a
opinionis ex ignorantia ueritatis conceptæ uis 733 a
opinione mundum regi 651 b
opinionibus falſis etiã ſancti occupantur 791 b
oppignorationũ uſus unde 737 b
opportunitatis exemplũ 559 b
opportunitatis habendam eſſe rationem 391 b
opus Dei non poſſe impediri 281 b
opus fidei pro fide poſitũ 301 b 817 a
opus diuini inſtinctus 586 b
opus hominis & uirtus terræ iũguntur 142 a
opus pro ſubſtantia 697 a
operis efficaciam ueram fidem arguere 193 b
opera creationis & opera conſeruationis 52 b
opera fidei quomodo Deo placeant 555 b
opera humanæ uitæ neceſſaria 825 b
opera noſtra ad exemplũ operũ Dei corformanda 49 b
opera quæ Deo probẽtur 555 b
opera ſex dierũ carmine elegiaco bis reddita 49 b
opera ſua Deus probauit 49 a
operũ Dei duplex perfectio ib.
operum finis 555 b
operum noſtrorum odor apud Deum 227 b
in Operib. Dei diſponendis quid cauendum 198 b
opes rixarum cauſæ 316 b
opes iuuenili ętati credere, perniciоſum 576 a
ὀφιοφάγοι Caudæi 235 a
ophitarũm hæreticorum cęcitas 106 b
oraculum ad Abraham factum bimembre 333 b
oraculum Dei quomodo impletum 173 a
oracula Dei non impediri 220 b
oraculorum Dei adimpletionẽ expectare, eſſe patientiæ conſtantis 203 a
orare reſpectu alicuius 614 b
orandus Deus ut diſsidia inter ſuos inimicos ponat 107 b
orationis ſanctorum efficatia 473 a
orationi ſtudia cõiungenda 583 a
in Oratione multiloquium uitandum 456 b
orbis diuiſio 258 b
ordo ſeruatus in creatione animalium 36 b
organo infirmiori ſuus non denegatur honos 420 a
orientalium diuerſoria 789 a
ab Oriente diſcedere quid 277 a
originalis naturæ noſtræ corruptio unde 411 a
originalem maculam in hac uita non realiter tolli 414 a
ouium conceptura in anno gemina 666 a

P

Pacis uocula pro rerum proſperitate 646 a
pacis retinendæ exemplũ 327 a
pacis ſtudio ius proprium reſignandum 388 a
pactum cum iumentis quomodo ſtatui poſsit 241 b
pacti Dei cum hominibus conſiderario 244 a
pacti Dei cuſtodia duplex 409 a
pactum Dei irritũ reddere 416 a
pactum cuſtodire quis dicatur 405 b
pactorum genera 241 b
padan Syriæ 614 a
pamæas ciuitas 351 b
pandochea 581 b
panis uocabulum in ſcript. 682 a
panis uſus 779 b
panis Dominici myſteriũ 353 b
panum ſubcinericiorum myſterium 435 b
papæ inſignis arrogantia 475 b
papæ tenebricones ſunt, non luminaria 35 a
paparum iniuria in matrimoniũ 74 a
paphlagones pop. 258 b
papiſtæ ſacrifici ſcortari malunt quàm uri aut nubere 71 a
papiſtarum error 484 b. ieiunia qualia 545 a iuramenta 360 b
papiſtici regni ſtructores 280 a
papiſtici ſacerdotes confutantur 355 a
paratz quid 740 a
paradiſus 166 a
paradiſus quid, & ubi 57 b. 58 a
paradiſus an opus habuerit cultura humana 63 a
paradiſus duret ne adhuc 59 a
paradiſus liberos non reddidit à tẽtatione, multo minus alius locus hoc præſtat 89 a
paradiſi acceſſus quibus negetur 119 b
paradiſi ubertas 61 b
paradiſi cœleſtis imago 60 b
cuſtodia an ablata ſit & quando 115 b
paradiſi uiſibil. cuſtodia cur acceſſus præcluſus 119 b
paradiſi an fuerit opus cuſtodia aliqua 63 b
paradiſi terreſtres, grauiſsimorum ſcelerum feraces 331 b
parens quo ſtudio filios ſuos in cauſa Dei lucrifacere debeat 289 a
parentes honorare quid 857 a
parentum contemptorũ maledictio iuſta 255 b
parentum honorandorum præceptum 79 b
parentum iuſtitiam prodeſſe filijs & domeſticis 198 a
parentum præceptum quod primarium 446 a
ex Parentib. etiã bonis filios naſci impios 197 a
parere eiuſdem eſt, & quod peperit lactare 508 a
paretz naſcitur 740 a
paſtorum eccleſiæ gaudiũ de incrementis fidelium 509 a
patriæ amor 578 a
patriæ ſedes num obſint pijs 294 b
patriarchæ an primogeniti 164 b
patriarcharum uictus 250 b
paternus affectus erga filios 446 a
paterni animi affectus 421 b
ingenium 151 a
paterni iuris inſobolem ſuam exemplum 397 a
paternum in ius qui peccent 175 a
patres quæ nomina filijs indicerint 167 b
patientia diuinæ bonitatis 176 a
patientia Dei in Sodomorũ peccato declarata 447 b
patientia mendacij fugienda 91 b
patientia uera quæ 526 a

patientiæ Dei certus terminus 176 b clementia 380 b
patientiã Dei per obstinationẽ nostræ prauitatis uinci 176 a
patientiam sanctorum non esse semper perfectam 387 a
patientia pijs opus 380 b
pater præceptor est filiorum suorum 446 a
patrem esse aliquorum 146 b
patrũ erga filios affectus 736 a
patrum longæuitas unde 161 a
ex Patrum nominibus quid colligendum 285 a
paulus gratiæ cœlestis præco 294 a
paulus & Moses conciliantur 418 b
pauli ascensus 141 a
pauli locus ad Galat. quarto declaratus 511 a. ad 2. Tim. 1 locus declaratus 474 a. ad Romanos quarto 418 b
paupertas in senibus misera, prouerb. 576 a
Peccare simpliciter quid 416 a
peccare in Deum quid 743 b
peccandi impudentia quid portẽdat 462 b. necessitas cur sanctis incumbat 563 a
inter Peccandum non cogitamus de Deo 789 b
peccantium differentia 109 b 332 b. tria genera in Ecclesia 110 a
peccantium multitudini ob paucos iustos parci 198 a
peccatores reuocare 729 b
peccator in conspectu Dei quis 322 b
peccatoris animus quomodo reddatur quietus 104 b
peccatores seruituti iudicio Dei subijci 341 b
peccatoribus anxijs ut loquendum 132 b
peccatum extinguit fiduciã erga bonitatem Dei 103 a
peccatum reddit hominem dementem 103 b
peccatum insolitum solito grauius 497 b
peccatum originale num in baptismate remittatur 414 a
peccatum consumnari dupliciter 448 a
peccatum filiorum potentũ quale 174 b
peccatum super aliquem inducere 497 a
peccatum malorum causa 497 a
peccatum mortis causa 562 b
peccati autor cum primis damnatur 106 b
peccati conscientia quid faciat 787 a
peccati excusatio cum singulari coniuncta malitia 106 a
peccati reliquias non nisi morte tolli 563 a
peccato remisso cur non tollatur peccati effectus 563 a
peccata communia 447 b
peccata non semper latent 526 b
peccata quæ uitanda 579 a
peccatoris ex ore inferenda est condemnationis sententia 109 b
peccatores etiam abscõditos inuenit Deus 97 a
pro Peccatoribus quãdiu locus pijs intercedendi 189 b
peccatorum nostrorum quando recordari debeamus 765 b
ex Peccato nasci pœnam peccati 176 b
pecunia 572 b
pecunia duplex 795 a. priscorum qualis 573 a
pecunia in saccis inuenta 790 a
pecunia satis bona quæ 573 a
pecuniæ usus ibid.
pecuniam mercis dare, boni uiri esse 572 b
pecuniam non esse abijciendam 829 b
pedestris maiorum humilitas 433 a
pelagiana hæresis confutat 413 a
peleg 268 b
peleg quot annorum 284 a
pelliceæ tunicæ, mortis monumenta erant 118 a
pelliceas tunicas unde pro Adamo & Eua sumpserit Deus 115 b
pentapolis 303 b. 323 b
percutere 228 b
perdendum nihil quod usui esse potest 588 b
perditio iusta & æqua 480 a
peregrinantium conditio 434 a imago 507 a
peregrinantium electorũ exemplar Abraham 489 a
peregrinantibus frugalitatem conuenire 306 b
peregrinatio uita piorum in hac uita 821 a
peregrinationis terræ fauendum 526 a
peregrinationem reddere hominem demissum 568 a
peregrini prærogatiuæ 566 a
peregrini hominis miseria 378 b
peregrini quãdo esse definemus 151 a
peregrini sunt cupidè inuitandi 431 b
peregrinorũ hospites à misoxenis affliguntur 462 b
peregrinorum & incolarum Abraham exemplar 566 b
peregrinos suscipiendi facilitas 790 b
peregrinos non esse detinendos 434 a
de Peregrinis honestè ac reuerẽter sentiendum 431 b
peretz filij 820 a
ad Perfectionẽ quomodo Christus adhortetur 182 b
persecutio Pauli quomodo ad Deum clamarit 140 b
ericiitantium clamorẽ ad Deũ tendere 519 a
pertinaciæ uis in tentationibus 743 b
peruersitatis exemplum in Hagar expressum 387 a
pes pro gressu uel incessu 697 a
pedes leuare 645 a
petendi ratio 588 a
petendum cum pudore & uerecundia 456 a
Phaleg 267 b
phaleg quandiu uixerit 157 b
pharan 339 b
pharao cũ aulicis cõsultat 772 b
pharao Ioseph uerbis fidem adhibet 772 b. primus Dei populi oppressor 142 b. propter Saram à Deo flagellatus 313 b
pharaonis intemperantia 315 b interitus 209 b
pharaonis nomẽ Aegyptiorum regib. commune 765 b
pharaoni somnia diuinitus immittuntur 763 a
pharaonẽ pecuniam dedisse pro frumento 770 b
phanuelis erga Gideonem inhumanitas 353 b
phantasiæ quæ 643 a
philautiã pessimè rebus nostris consulere 330 a
phicol princeps exercitus 524 a
pherezæi uillani 317 a
philadelphiæ exemplum 791 b
philanthropiæ exemplum 359 b
philanthropus Deus 556 a
philauti ingenium 556 a
φιλησδονίαι temporum nostrorũ 608 a
φιλοτεκνίαι uterum 608 a
philotecniæ exemplum 468 b

φιλοξενία 431 b
phryges pop. 258 b
Pietas uera quæ 401 b
pietas quomodo crescat & alatur 183 b item decrescat ibid.
pietatis erga parentes exemplũ 484 b
pietatis ordo 453 a
pietatis in hoc seculo peregrinãtis imago 306 b
pietatis ueræ uirtus 347 b
pietatis & donorum Dei inæqualitas neminem offendat. 34 a
pignorum petitio unde 737 b
pincernarum dignitas in aulis principum 757 b
pincernarum princeps in custodiam traditur 757 a. dignitati pristinæ restituitur 762 b
pincernarũ principis somnium 759 a
pincernarũ principem quid mouerit ut Pharaoni de Iosepho suggereret 765 a
pinguedo terræ quid 633 a
pisciculi plures inermes quàm uoraces 199 a
pishon fluuius 613 b
pistorum princeps incarceratur 757 a suspensus 762 b
pistorum dignitas in aulis principum 757 b
pistorũ principis somniũ 760 b
pius quomodo suam salutẽ operetur 190 b
pij hominis in aduersis imago. 143 b
pij in curam prouidentiæ adscripti 140 b. corporaliter etiam in hac terra nonnunquam benedicuntur & felices redduntur à Deo 196 b. publicis calamitatibus cum alijs reddũtur obnoxij 780 b
pij ac fideles quo loco sint apud Deum 300 a
piorum consolatio 140 b. consilia Deus quomodo dispenset 728 b. elogia in scripturis qualia 191 b. exilium quale sit 137 b. ingeniũ cuiusmodi 168 a omnium non tradita genealogia à Mose 283 b posteritas in hoc seculo ærumnosa 154 b tentatio uaria 225 b
pios in ecclesia Dei tanquam peregrinos uiuere 305 b
pios Deum semper sonare 599 b seculari sapientia minus esse instructos 190 b. iusto Dei iudicio seruare 209 a. tribulationũ exitus tandẽ inuenire 225 b
Placentæ cur hospitibus propositæ 457 a
placere alicui, & sese alicui approbare, differe 168 b
plagarum Dei discrimen 317 a
plãtarum tot genera extare cur Deus uoluerit 25 b
plaustra regia seruire populo Dei 819 b
plaustrorum usus 815 b
plena pecunia 368 b
plinij locus 287 a
pluralis numerus pro singulari 819 b
pluuia immodica noxia 208 b
pluuia quadraginta dierum ad quid necesse fuerit 17 a
pluuia quomodo post 150 dies sit prohibita 213 a
pluuiæ continuitas quamdiu durarit 195 b
pluuiæ ante diluuium num fuerint 242 b
pluuiæ necessitas 208 b
pluuiæ quomodo fiant 23 b
Pniel 692 b
Pœna infertur secũdum gradus peccati 108 a
pœnæ Adamo & Euæ inflictæ 110 b
pœnitentia quomodo Deo tribuatur 177 b
pœnitentiæ sera quæ uera quæ 393 a
Poetas ethnicos legisse sacras scripturas 260 a
pollinctores qui 854 b
polygamiæ principiũ unde 151 b
pontificis Romani confideratio 354 a
pontificum temeritas 144 a
pontificij dicũt malum bonum 73 a
pontificiorum cælibatus omniũ nocentissimus 184 a error 238 a obiectum refellitur 511 b temeritas in dirimendis coniugijs 79 b
populus quid 616 a
populi dictio quomodo accipiatur 572 b
populi Dei sors 266 b
populi cæci ac mollis fastus. 800 b
ad Populum colligi 853 b
de Populo Dei eijci horrendum 415 b
porta in scriptura quid 557 a
porta ciuitatis iudicij locus. 570 a
portam inimicorum Christo cessisse 557 a
portam inimicorũ Christus quo modo dicatur possidere 557 a
ad Portam uenire 703 b
portarum possessio quid 552 b
usus 557
in Portis iudicia exerceri solita 552 b
posteri cur maiorum suorum nati nocentur 566 a
posteritatem prauæ nationis origini respondere 152 a
potentia Dei qualis 207 b
potentiæ Dei argumẽtum 214 b
potestas secularis cur magis impijs quàm pijs permittatur 130 b
potestas utraq; usurpata Rom. Pont. 34 b
potestas homini per Christũ reparata 42 b
præceptum Dei transgredi q̃ sit noxium exemplo Adæ 67 a
præcepta Dei omnia facienda 104 a
in Præceptore quæ requirantur 446 a
præfectorum usus 770 b. prouincialium cura 784 a
prægnantium exemplum 556 b
ad Prælia qui educendi 348 b
præputium quid 405 b
præmonitionem adimere peccãtib. excusationem 787 b
præputij caro cur circuncidenda fuerit 410 b
præteritum pro futuro 695 a
presbyteris olim gubernacula ecclesiæ concredita 576 b
preces afflictorũ Deum non respuere 493 b
primogeniti sanctorum plerũq; mali 735 a
primogenito deputari dominiũ 559 b
primogenituræ carnalis à Deo non esse rationem habitam 283 b
primogenituræ dignitas 617 a
primorũ cõcordia in bono 567 b
princeps populo suo beneuolẽs 774 a
principatus Christi hæreditarius 557 a
principis ordinaria maiestas 571 b
principis boni dotes 572 a. officium 571 b officium 830 a
principum genera duo 716 b ingenium 525 a. officium 770 a
principium quid sit 2 b
principia operum Dei qualia. 7 b

probitas ethnicorum 567 b
prohibendi uerbum 492 b
prohibita non solũ facienda, sed præcepta seruando non peccare 578 b
prohibitionis diuinæ modi uarij 492 b
proles impia unde 176 b
promissio Dei quid 335 b
promissionis terram uisuro impiorũ societas deserenda 296 a
promissionis uerbum 506 a
ad Promissionis Dei causam q̃modo respondendum 553 a
promissionum Dei usus 335 b
promissionibus diuinis non delectari homines carnales 305 b
promissiones Dei tria in se continere 507 a
promissa celeriter præstanda. 435 b
promissa cur Deus seruet 553 a
promissa Dei quid requirant. 367 a
propagatio indita seminib. 24 b
prophetæ Videntes olim appellati 488 b
propinquorum impiorum affinitas perniciosa 578 a
προσυνάμ 565 b
prosperitas rerum agendarum unde 741 b
protectionis diuinæ uirtus 317 b
prouidentia diuina 477 b. 756 a paulatim è medio tollit incõmoda 21 b
prouidentia Dei quid sibi retinuerit 26 a
prouidentia Dei erga uiuentes. 117 b
prouidentiæ diuinæ consilium. 496 b. cura 215 a. cursus 781 a diligẽtia 554 a. discretio perpetua 508 b. dispositio 302 b. 378 a. declaratio stupenda sanctis 588 b. exemplũ 423 a. gratia 320 b. opus diligenter inspiciendum 813 a
prouidentiam Dei infirmitatis nostræ rationem habere 200 a
prouidentiam Dei nosse quibus certis modis uocatorum conscientia confirmetur 294 b
prouidentia Dei quomodo punita sit trãsgressio Adæ 108 b
prouidentia diuina creata cõseruari 123 a
de Prouidentia Dei doctrina nõ esse abutendum 542 a
proximo quatenus inseruiendũ. 662 b
prudentiæ exemplũ 360 b. 368 b. 578 a. 795 a
prudẽtia in quauis re opus 193 a
Psalmorum liber qualis sit 1 a
pseudomonachi 302 b
Pudicitia ueterum 648 a
pudicitiæ triplex genus 587 a
pudor mulierum decus 440 a
pudoris uirginalis exemplum in Ribkah expressum 605 b
pudoris exemplum 431 a
puellæ commendatio 585 a
puellam cur bonam prædicet. 587 a
puellarum pudicitia quomodo custodiatur 91 a
in Puellarum ornatu quid damnandum 589 b
pulchra periculis obnoxia 311 b
pulchritudo bona 587 a
pulchritudo corporis sine animi pulchritudine fugienda. 587 a
pulchritudinis gratia 587 a
puluerẽ nos esse meminerimus.

Q

Qualis quisque est, talia facit. 802 b
Quercus Abrahæ usq; ad Constantij regis imperium monstrata 834 a
quercus fletus 709 a
quies quid Chrysostomo 164 a
quietis necessitas 433 b
quotidiana uilescere 174 b

R

Raemesses terra 828 b
rahel quid 647 b
rahel aliena à spiritu zelotypiæ 385 a
rahel sorori Leæ inuidet 654 a
rahelis elegantia 649 b. furtum 671 b. obitus 711 a
raphaim pop. 339 b
ratio humana optima ad oculũ eligit 332 a
rationis iudicium cæcum ibid.
reatus peccati in corde latet. 786 b
rebecca quò ierit ad consulendum Dominum 615 a
rebellionis exempla imperijs periculosa 342 b
rebelliones unde 342 a
reconciliationis fraternæ exemplum 811 b
recordãdi uerbum quõ Deo tribuatur 213 b
regia potestas omnium est præstantissima, si cadat in uirum bonum 295 b
regiæ potestatis usus 760 b
regius honor quibus debeatur. 352 a
regij status corruptio 315 b
regionum uarietas 330 b
regnandi indefessa cupiditas. 341 a
regnum Dei quærere bonum. 225 b
regnũ quodq; habere Noachim. 170 b
regni bene cõstituti exemplum. 497 a
regna mundi 210 a
regnorum gubernatio sacrosancta 524 b. initia 341 a.
rehoboth puteus 625 a. 718 a
religio præpostera 425 b
religio qualis requiratur ab interprete S. literarum 218 b
religionis affectus 644 a
religionis publicæ ministrorum rationem esse habendam 832 b
religionis ueræ puritas in iuramento Abrahæ expressa 360 a
relinquet homo patrem, &c. à quo dictum sit 79 a
remissio peccatorũ à quibus petenda 858 b
remissionem peccati quomodo accipiamus, multum refert. 858 b
reproborum hominum ingeniũ 253 b
reprobis parcitur uarijs modis propter iustos 455 b
reptilium aspectu quid cogitandum 37 a
requiem omnia spirantia appetere 219 a
res immunda uerecundè circumloquenda 441 a
res humanæ iudicio obnoxiæ. 454 b
res in hoc libro tractatæ 1 a
rerum agendarum series 772 b
rerum humanarum infelicitas. 264 b
rerum uices diuinitus dispensari 617 a
resipiscere nolentibus quid expectandum 493 b
respondendum quomodo 590 a
restitutio in integrum 759 b
restitutio rei ablatæ 493 a
resurrectionis certitudo 39 a
imago 12 b. 34 a 37 b
retrolabentium exemplum 479 a
reu quid 285 a
reu quot annorum 284. a. 157 b
reuelationes rerum futurarum sub figuris qualitati illarũ conformibus tradi 378 a
reuerẽter in cõspectu Dei & ecclesiæ

clesiæ apparere quid referat. 105 a
reuerentiæ procliuitas 588 a
reuerti qui dicatur 375 a
reuerti quorum sit 360 a
Reumah 560 b
reumah Nahoris cõcubina 560 a
rex pacis 353 a
rex & pater esse debet subditorũ & oppressor hostium 524 a
regis uocabulum omnibus monarchis commune 765 b
regis pij pia aula 496 a
regis ac regni conditio 497 a
reges à Domino dari 400 b
reges ciuitatum olim 341 a
reges perinde à Domino ac scelerati puniuntur 316 b
reges ac principes cur pluraliter loqui consueuerint 41 a
regum aduersus rebelles conspiratio 342 a
regum ingenium 342 a. initia 341 a. mansiones in locis editis 823 b. officium 770 a. priscorum munera 591 b
regum ac principum humiliatio 352 b
regibus Deus cur frequenter apparuerit 489 b
regibus ac principibus obseruãdum 133 a
reges olim sacerdotes fuisse 352 b
coram Regibus uersari periculosum 757 a
Rhegini pop. 258 b
Rhinoceros 234 a
rhinocorura fluuius 371 a
ribkah aliena à leuitate puellarũ 587 b
ribkah cur non in domum patris potius nunciauerit quàm matris 592 a
ribkah Isaaci uxor 559 a. nõ moliter educata 603 b
ribkæ alacritas 592 b. discretio qua parentibus suam potestatem seruauit illæsam 152 b
ribkæ dotes 586 b
riphath pop. 285 b
risus duplex 439 a
risus profusio intemperantiæ signum 441 b
risum esse duplicem 421 b
risum in se non esse malum 439 a
ritus externi quo loco sint apud pios 227 a
ritus papales ethnicis superstitiosiores 564 a
rituum externorum usus 577 a
rixarum causæ opes 326 b
Roma Babylon 265 b. 644 a
romana sedes constituit seipsa solem 34 b
romanæ ecclesiæ insania 377 b
romanæ ecclesiæ cum Christi collatio 420 b
romanæ sedis satellitum de apostolica sede gloriatio 277 b
romanus pontifex seruus seruorum quomodo 434 b
romani pontificis descriptio. 354 a
romani põtificis insolentia 433 a
romanum pontificem solum edere 436 a
Ruben nascitur 653 a
rubẽ primogenitus Iacobi 146 b
ruben filij 819 b
ruptura 204 b

S

Saba 261 b
sabatheni pop. 261 b
sabæi pop. 261 b
sabbatũ quodnam sanctum sit. 53 a
sabe uallis' 350 a
saccus lugentium indumentum. 731 b
sacerdotes olim reges fuisse 352 b
sacerdotes papistici confutantur 355 a
sacerdotum habendam esse rationem 832 a
sacerdotij cõstitutio quando cœpta 228 a
in Sacramentalibus signis dupliciter peccari 411 a
sacramenti uitæ usus quibus permittendus 119 a
sacramenta initialia duo 413 a
sacramẽtorum administratio nõ temerè usurpanda à quolibet 424 b
sacramentorum Dei ornamentũ 425 b
sacramentis ecclesiam Dei nõ cõstitui 425 b
de Sacramentis duplicis generis locutiones 411 b
in Sacramentis uerbum Dei potissimum attendendum 245 b
sacrificium ex quibus animalib. fieri solitum 196 b
sacrificij Christi figura 376 b. mysterium 377 b
sæuiendum non esse in imagines Dei uiuas temerè 44 a
sale quandiu uixerit 157 b. 284 a
salem ciuitas 351 a. 698 a
salissa ciuitas 483 a (117 a
salue regina, cantio improbata.
salus honor unde constet 154 b
salus nostra in quibus rebus sita 204 b
salutandi, ualedicendi, & benepRecandi consuetudo 593 b
samuel & regis et sacerdotis munere functus 354 d
sancti à superstitione alieni 558 b. curarum huius uitæ non sunt expertes 311 b. Deo quomodo credant 376 a. humilitatis studiosi 567 b
sanctorum ætatis diminutio. 284 b
sanctorum animus erga Deum syncerus 376 b
sanctorum cognatio magnificãda 467 a
sanctorum corpora reseruare superstitiosum 568 a
sanctorum exempla nostris uitijs non patrocinantur 737 a
sanctorum externa fortuna parum Dei consilijs conuenit. 289 b
sanctorum facta non esse secundum externam faciem iudicanda 783 a
sanctorũ generationem non diu in uera pietate perdurare. 288 a
sanctorum in afflictionibus orãdi mos 13 b
sanctorum intercessio 452 b. 481 a. 502 b. inuocatio 841 b
sanctorum metus & rerum cuẽtus obseruandi 315 a
sanctorum mores 799 b. philantropia 452 b
sanctorum populo cõiunctum esse quàm sit utile 414 a
sanctorũ sors in hac terra 501 b
sanctorum uirorum humanitas 493 a
sanctorum uita qualis 573 a
sanctorum uxores quales 288 b
sanctis procliue quando, ut errent 385 b
sanctos antequã clament à Deo exaudiri 586 b
sanctos cum prophanis mori. 562 b
sanctos etiam adiurare 577 a
sanctos etiam mortuos congregari 563 b
sanctos non esse morosos 594 a
sanctos nõ omnia intelligere, ne in liberis quidem suis 842 a
sanctos non semper oraculo diuino instrui 218 b
sanctos ridere modestè 441 b
sanctos non esse Cynicos 799 b
sanctos non seruare non mortuos 567 a

de S.n.

de Sanctis quæ prædicantur dili genter consideranda 586 b
sanguis habelis uocalis 140
sanguinis iudiciũ ad Deum perti nere 238 b
sanguinem innoxium diuina ul tione requiri 788 a
sapientes à magis quid differãt. 764 b
sapiẽtia uera placiditatis & man suetudinis mater 394 a
sapientiæ bonum diuinitus con cessum quantum 829 a
Sarah 417 b 559 b
Sarai quid 417 b Abrahæ u xor 288 b à Domino quan do uisitata 505 a ab Abime lech rapta 487 a
sara aliena à spiritu zelotypiæ. 385 a
sara ancillam suã quomodo A brahæ dederit 383 b
sarah qũo potuerit uxor esse A brahæ, cum fuerit soror 495 b
sara cõiugis sinceræ exemplum. 303 a
sara honestæ ac uerecundæ ma tronæ exemplum 439 b
sara in domum Pharaonis subla ta 313 b
sara Abrahæ à Pharaone restitui tur 313 b
sara num à Pharaone cognita. 314 a
sara, nascente Isaac, nonagenaria 562 a
sarah nonagenaria quomodo formæ suæ potuerit retinere decorem 488 a
sara ridendo nũ peccarit 439 a
sarah ubi mortua 561 a
sara in Hebron mortua 563 a
sara ecclesiæ Christi typus 318 a
sara typus ecclesiæ 420 b 561 b
saræ dignitas 561 b honestas 392 a obitus 560 b probi tas 311 b prudentia 251 b
saræ sterilitas literis cur mandata 384 b
saræ uita multis mutationibus obnoxia 562 b
saræ & Hagar mysteriũ 420 b
de Saræ annis cõmentum Iudai cum 562 a
saram Isaaci nuptias non uidisse 562 a
saracenorum commentum 536 b superbia 393 a
sarah quandiu uixerit 257 b
sarug quot annorum 284 a
satã insidiose citat uerbũ Dei 90 b
satan aliquando uerũ dicit 92 b
satan cur serpente usus sit ad sedu cendum Euam 88 a
satan quomodo uerbum Dei in quæstionem uocet 90 b
satanas cur Euam potius quàm Adamum tentauit 90 a
satan princeps mundi 557 a
satanas infirma nostra tẽtat 90 a
satanæ cur nullam mentionem facit Moses in serpente 87 b
satanæ in monstrandis bonis im postura 296 a
satanæ opus considerandũ 143 a
satanæ organa 110 a organa ad perdendum genus hunũ 89 b
satanæ proprium 533 a
satanæ semen & mulieris 108 a
satanæ superbia 88 a
satanæ uia à Dei uia diuersa 8 a
satanæ nusquã obediendũ 538 a
satanã quid mouerit ut primos homines seduceret 87 b
saturitas ociosa corruptæ uitæ fons 462 a
saue uox 350 a ciuitas 339 b
saulis error 484 b
Scala Christi typus 641 b
scelus pro ultione 470 a
scelera catholica innuunt adesse tempus ultionis 470 a
scelerum conditio 731 b
in Scelere perditio triplex 470 a
schalit quid 782 a
scheber quid 780 b
schela quid 735 a
schismaticos nos esse, & quomo 279 a
scientia boni & mali qualis sit. 65 b
scientia quænam homini compe tat 66 a
scientiã esse dñi necessariã ibid.
scientia corrigi quod malè admi sit error 493 a
scissura uestium 732 b 803 b
scortationi sanctorum exempla non patrocinantur 737 a
scortationes unde 440 a
scortatorum insania 80 b
scortatoribus nõ est dictum Cre scite, &c. 80 b
scribarum & pharisæorum mali tia 567 a
scripturæ usus 183 a
scripturæ sanctę ueteris testamen ti diuisio 1 a
scripturarũ interpretationes so lius Dei 758 b
scripturas sacras, ethnicos poe tas etiam legisse 260 a
scythæ pop. 258 b
Secretum nullum absconditum, ubi est amicitia 445 b
secreta etiam sua sanctos celare. 540 a
seculi instabilitas 150 a
seculum quid 334 b
seculi nostri deploratum malũ 276 b
in Seculo hoc quomodo uiuen dum 151 a
secunda die cur Moses non dixe rit, Et uidit Deus q̃ esset bo num 16 a
securitas per religiõẽ iuramen ti quæsita 525 b
sedere in domo, uiduarum esse. 736 a
sedomitarum magna posteritas. 142 b
seductio Euæ & Adæ 85 b
sedulitatis exemplum 587 b
segor ciuitas 437 b 323 b
Seir mons 339 b
selah quot annorum 284 a
seleucia 261 b
sem generationũ capita q̃diu in carne uixerint, & quę fuerit in ea re prouidentia Dei 284 a
sedendi uerbũ uariè sumi 570 a
sem quando genitus 164 a
sem quomodo Arphaxad genue rit biennio post diluuiũ, cum ille tertius in ordine genera tionum recensetur 283 a
sem quandiu uixerit 157 b 284 a
semen 383 a
semen Abrahæ Christus 557 a
semen benedictionis non naturę uiribus, sed sola diuinæ uolun tatis electione constat 366 a
semen exiguum quomodo totã terram repleturum esset 199 b
semen mulieris Christus 99 b
seminis cura naturaliter omni bus indita 24 b
seminis spiritualis imago 366 b
semen qũo instituendum 409 a
Semirami iis factum 342 a
sementis & messis quomodo nõ sint cessatura 224 a
sementis & messis uicissitudo ne cessaria 229 b
senaar terra 266 a 277 a
senatus cordati exemplum 567 a
senectam à liberorum generatio tione cur liberã esse Deus uo luerit 441 a
senectus ipsa morbus 836 b
senectutis nostræ filios impen sius diligi 721 a
senex si iuuenculam ducat, non inhonestum 609 b
in Senẽ hominẽ crudelitas 803 a

ſenum natura 792 a officium. 327 b
ſenibus uoluptatis ſtudium non conuenire 441 b
à Senibus annos ætatis quærimus 827 a
in Senibus quæ requirenda 576 b
ſenium ad labores ineptum 576 a uiuendi tædium adfert 611 b
ſententia durior mitiganda. 786 b
ſententia in ſerpentem lata an iuſta fuerit 99 a
ſententiæ capitalis plena forma 499 b
ſeptenarij numeri ſacramentum antiquum 527 b
ſepties pro ſæpius 693 b
ſeptuplum puniri 137 a
ſeptuplum uel ſepties in ſcripturis pro multitudine incerta ſumitur 136 b
ſepultura, finis omnium negotiorum 568 b
ſepulturæ in papatu uenditio reprehendenda 571 b
ſepulturam emere an Abrahamo licuerit 571 a
ſepulturam propriam cur Abrahamus emerit 572 a
ſepulturam uendere quid 571 a
ſermo quid 774 a
ſerpens deceptor an fuerit uerus uel fictus 86 a
ſerpens qualem ſcientiam Deo tribuat 92 a
ſerpens quatuor ſuppliciorũ generibus condemnatur 98 a
ſerpentis maledictio 106 b quibus confideranda 107 b
ſerpentem eſſe iuxta uiam, quid 848 b
ſerpentem maledictum cur Deus non ſuſtulerit à ſuperficie terræ 107 b
ſermone molli frangi iram 327 b
ſerug quid 285 a
ſeruilis animi malitia 386 b
ſeruile ingenium 386 b
ſeruire, regibus ignominioſum 342 a
ſeruire omnibus præclarius, quã omnium uti ſeruitio 432 a
ſeruientium conditio 662 a
ſeruitus unde ſit 255 b
ſeruitus à Deo immiſſa patienter ferenda 831 a
ſeruitutis conditio miſerabilis. 501 b
ſeruitutis iugum 378 b
ſeruituris iugum excutiendi modus peruerſus 342 a
ſeruituti peccatores Dei iudicio ſubijci 341 b
ſeruitutem furibus competere. 805 b
ſeruitutem quæ ex peccato eſt, maledictionis quoddam eſſe genus 255 b
ſerui fidelis exemplum 597 b ingenium 583 b
à Seruis Chriſti quid requiratur 599 a
ſeruorum conditio melior aliquando q̃ ſeruorum 501 b
ſeruorum ingenium 326 b 526 b
ſeruorum genera diuerſa 741 a
ſeruos homines non decere terrã habere liberam 831 a
ſeth cur ad imaginem Adæ genitus dicatur 156 a & b
ſeth poſteri cur filij Dei appellati 172 a
ſeth quando genitus 157 a
ſeueritatem intempeſtiuam magis exaſperare quàm emendare 392 b
ſex diebus congruere ſex mundi ætates 53 a
ſexui infirmo longæuam uitam dare, Deo facile 562 a
ſexuum diſcretionem ad hanc uitam pertinere 566 b
Shechem quid 703 a
Shilo uox enucleatur 847 a
ſibeah 628 a
ſichem filius Hemor Dinam ſtupraut 699 b
ſichem ciuitas 303 b ob ſtuprum Dinæ direpta 704 b
ſidonij pop. 261 b
ſignatorum aliquot millia in eccleſia 144 b
ſignum malorum 144 b
ſignum pacti pro ipſo pacto. 409 b
ſignum non ſubiectum humanæ diſpenſationi 244 a
ſignum ſingulare quo qui malè egerunt aſſecurantur 144 b
ſignum & uerbum ab eodem authore 775 b
ſigni contemptũ pro fœderis uiolatione reputari 416 a
ſigno rei ſacræ quæ debeatur religio 67 b
ſigna debent eſſe manifeſta 31 b
ſigna nominibus rerum ſignatarum uocari 409 b
ſignorũ genera tria 243 b 593 a
ſignorum uſus quis ſit 31 b 190 b 245 a
ſignorum Cœli uiſibilium utilitas 27 b
ſignorum initialium uſus 412 a
ſilentium cõtemplationibus commodum 589 a
ſilentio commotum animũ exacerbari 388 a
ſim ciuitas 261 b
ſimeon naſcitur 653 b
ſimeon quare à Ioſepho præ cæteris ligatus 788 b
ſimeonis filij 819 b
ſimilitudine duorum luminariũ abuſa eſt Rom. ſedes 34 b
ſimplicis uitæ ſtudia 275 a
ſimpliciora magis arridere 3 b
ſimulationis uſus 312 b
ſinear Babylonia 339 a
ſingulare pro plurali 713 a
ſirenarum uoces audire 744 a
ſitnah puteus 625 a
ſoboles non naturę uiribus, ſed diuinæ benedictioni adſcribenda 365 b
ſobolum patri, non matri naſci 420 b
ſocietas peſtilens 726 b
ſocietates qũo ineundæ 526 b
ſocrates reprehenſus 658 b
ſocratis tolerantia 388 a
ſoccot erga Gideonem inhumanitas 353 b
ſodomam egredi non eſſe ſatis, niſi etiam planities illius deſcratur 470 b
ſodomã relinquere difficile 470 a
ſodomiæ peccatum 447 b
ſodomiæ uitium unde denominatum 331 b
ſodomitarum peccata 333 a
ſodomiam non oriri ex inopia muliebris commercij 464 a
ſodomitæ 331 b
ſodomitę in Lotum irruentes ab angelis cæcitate percutiuntur 459 b
ſodomitarum infantes cur perditioni traditi fuerint, cum ſceleris nec eſſent, nec eſſe poſſent participes 475 a
ſodomitarum malitia 326 a ſalutis conſideratio 476 a deplorata impudentia 462 b peccatum ipſiſmet peculiare 447 b
ſodomitas coniugij ſtatum retinuiſſe 468 b
pro Sodomitis Abraham intercedit 448 b
ſodomiticæ malitiæ Colophon 464 a
ſodomiticos eſſe maledictos 45 a
ſodomorum opulentia 344 a rex cæſus 340 a ſubuerſio 473 b
ſol diuinæ prouidentiæ imago 477 b

477 b
ſol non eſt origo lucis 30 b ſuper terram egredi quomodo dicatur 477 b
ſol & Luna cur in firmamenta relata ſint 30 b
ſolis integritas 204 b
ſolis & lunæ cum Chriſto & eccleſia collatio 34 a
ſolis ac lucis collatio 28 b
ſolatium in afflictione 828 a
ſoldan 782 a
ſolliciti animi exemplum 480 b
ſolitudo periculoſa 781 b meditantibus grata 605 b
ſolium 773 b
ſoluere iugum 636 b
ſolyma 351 a
ſomniorum genera 768 a magiſter 727 a interpretationes Dei donum 758 b
ſomnus eſt infirmæ naturæ 75 b à Deo ſæpe immiſſus 76 b
ſomnum eſſe donum Dei 75 b
ſontium puniendorum conſideratio 761 b
ſophaci pop. 610 a
ſophi Perſiæ regibus peculiare 765 b
ſopor quid ſit 82 b
ſoporis magni utilitas 75 b
ſordes in Domini conſpectu apparituris abijciendæ 766 a
ſororum genera quatuor 496 a
ſpelunca duplex 565 b
ſpeluncã quomodo dari ſibi Abraham petat 565 b
ſpeluncam duplicem cur Abrahã elegerit 568 a
ſpem dilatam affligere animam 203 a
σφῖγξ 358 a σφιγωτὴς ibid.
σφῦγμ 358 a σφυγωτὴς ibid.
ſpirandi organa imbecillia 210 b
ſpiritualium rerum imagines 33 b 366 a
ſpiritus alacritas corpus abiectũ erigit 837 a
ſpiritus meus non permanebit in homine uariè interpretari 172 a
ſpiritũ Dei qualem intelligat 3 b
ſpiritu diſceptare, quid 172 b
ſponſa qualis ſit in opere domeſtico ſpectandum 589 a
in Sponſis quid præcipuè ſpectandum 588 b
ſtagna aquarum 341 a
ſtandi uerbũ 795 b 654 a 614 a
στέλεχος ανειμονον 850 a
ſtemmatũ inanis gloriatio 117 b
ſterilitas à Domino 385 b 768 a
ſtoici qũo id quod habent uirile exerceant 563 b
ſtoicorum uanitas 795 b
ſtrabonis locus 478 a
ſtudium noſtrum ſine Dei auxilio inefficax 583 a
ſtudio quærenda quæ à Domino ſunt præparata 583 b
ſtultitia mater ferocitatis 394 a
ſubditi uel filij quomodo iurarint 575 b
ſubmiſſionis decorum 588 a utilitas 393 a
ſubmiſſionis & beneficentiæ coniunctio 432 a
ſubordinata non ſunt contraria 8 a b
ſubſtantia acquiſita num abijciẽda 303 a
ſubuerſio quid 474 a
ſubuerſionis genera duo 478 b
ſucceſſus rerum à Deo petendus 582 b
ſucceſſus rerum Deo adſcribendus 590 b
ſuccoth 698 a
ſudoris eliciendi facilis modus 112 b
ſudore uultus ſui quinam nõ ueſcantur pane ſuo 112 a
ſuperlatiua Hebræi per ualde exprimunt 362 a
ſuperſtitio Iudaica 1 b
ſuperſtitioſi cauendi 227 a
ſupplicij grauitas ſceleris arguit grauitatem 478 a
ſupplicij qualitas 478 a
ſur 390 a 613 b quid 489 a
de Suſpendio aliudicatis conſideratio 761 b
Sympathia qualis Deo & hominibus probetur 364 a
ſyri pop. 268 a
ſyria duplex 614 b
ſyrorum & Chaldæorum progenies 560 a

T

Talionis æquitas 394 b 788 b lex 233 b 239 a ratio gemina 239 a
talionẽ timent qui malè ſibi ſunt conſcij 858 a
tangendi uerbum pro nocere, 623 a
tarpeia rupes Deo inuiſa 489 a
telluris ornatus & utilitas ex germinatione 24 a
telluri os quomodo attribuatur 141 b
temeritas pijs uitanda 348 b
temperantia ueterum 648 a
temporaria ſunt quæ in tempore condita 13 a
tẽpus omne quatẽus ſanctũ 32 b
temporaria quæ dicantur 28 a
temporum certitudo 32 a tranſitus 779 a extremorum deſcriptio 462 a noſtrorum qualitas 295 b
temporibus iſtis poſtremis quid expectandum 185 a
tenebræ an creatæ ſint 5 b lucem præcedunt 8 a
tentare Deum alio fine, & alio hominem 531 a
tentare Deum neminem, qũo à Iacobo dictum 523 b
tentatio in deliciarum loco uel in deſerto uaria 89 a
tentationis genera uaria 530 a
tentationis Euæ progreſſus 91 b
tentationis ob peccata remediũ 104 a
tentatio rationis & conditio 533 b
tentationem Euæ non eſſe ſub arbore factam 91 b
tenuiores in charitatis officio nõ poſſe excuſari 433 a
tergi obuerſio quale indiciũ 343
ternarius numerus 436 b
terra ante ſolem fœcunda 30 b
terra cur ante mare fœcundatur 24 a
terra cur coram Deo corrupta, 184 a
terra facere quando dicaſ 777 b
terra filijs hominum cur data, 180 b
terra in primogenitam conditionem conijci poteſt 8 a
terra lachrymarum uallis 150 b maledicta propter hominem, 111 a mori quando dicatur 830 b prius facta eſt arida quàm fertilis 24 a promiſſionis quomodo nobis oppignorata 563 b quomodo produxerit animantia ob Dei uerbum 39 b unde dicatur 20 a
terrę pinguedo quid 633 a
terrę ſterilitas peccatis noſtris deputatur 141 b fœcunditas unde 23 b
terræ naſcentia in creatione mundi bona erant 21 b omnia corruptioni obnoxia 24 b ex uirtute Dei produci etiam ſi opera humana accedat 55 b
terræ ruditas 784 a
de Terra natiuitatis meæ 574 b
terræ uirtus & efficacia 141 b
per Terræ populum quid Abraham ſignificet 565 b
terrã ab impijs etiã tempore pœnitentiæ

nitentiæ dato corrumpi. 184 b
terram Deus quatenus ſe perditurum dixerit 188 a
terram eſſe in poteſtate alicuius. 702 a
terram per aquarum ſalſedinem peioratam 188 b
terrenum Adam ad imaginẽ Dei formari q̃ magnum ſit 44 a
terrenæ lucis magnitudine de cœleſti conſiderandum 33 b
terrenarum rerum uanitas 481 a
teſtamentum condere ad patriſfamilias curã pertinere 610 b
in Teſtamentis cõdendis ſeruandam eſſe iuſtitiam 610 b
in Teſtibus fide dignis quid requiratur 572 a
Thamar quid 339 b 735 a à Iuda ſtuprata 737 a num meretrix fuerit 738 b
thare quot annorum 284 b
tharſis pop. 258 b
thebais 828 b
theman regio 613 b
therah quid 285 a
thera quamdiu dixerit 157 b 284 b non ſine ſingulari conſilio Dei in Charan mortuus 289 b qũo Abrahamũ de Vr Chaldæorum eduxerit 287 b
Thidal rex gentium 339 a
thiras pop. 258 b
thogarma pop. 258 b
thraces pop. 258 b
thubal pop. 258 b
thubalcain 146 b
Timor cruciãs periclitãtes 519 b
timor Dei bonus qũo 587 a
timor Dei fons ueræ obedientię. 547 a
timor fidei argumentum 193 b pio homini qũo cõueniat 686 a
titulus mẽdaciſsimus, Seruus ſeruorum Dei 34 b
torquis aurea 774 b
traditionibus humanis adhærentium hypocriſis 640 a
triacontades 855 a
triadis ſanctæ certa mẽtio 41 a myſterium 43 b 55 b
triadis S. & unitatis in Deo myſterium 7 a
tribulatio renouat peccatum in corde 786 b
tribulationum cauſę ubi quærendæ 787 b
tributa magiſtratibus cur pendenda 353 b
triclinio uetuſtas magnopere adueſcendum delectata 436 a
tridentinum concilium quomodo reformandum 392 b
troglodytæ pop. 339 b
Tuiſcon Germanorum & Gallorum pater à quibuſdam exiſtimatus 246 b
turci polygami 386 b
turpitudo noſtra ægre reuelari ſuſtinet 95 b
turpitudinis proprię ſenſus 95 b
turris ad cœlos uſq; quomodo fuerit ædificata 272 a
turris Eder 712 a
turrium ædificandarum conſiliũ unde cœperit 275 b
Tyrannis 263 b
tyrannis plerunq; impia aduerſus Dominum 264 b
tyrannis quomodo & quando exoriatur 264 a
tyrãnis uenationi cõparat 264 b
tyrannidis conformitas 264 b
tyrãnidis ſingularis imago 263 b
tyrannus 263 b
tyrannorũ ortus fœcundi 264 b
tyrannorum ſucceſsio 264 b

V

Vaticinia certa quæ 299 a
uaſtatio locorũ qd innuat 468 a
uau omiſſo punctum holem poni 571 a
Vbil 585 b
uectigalia cur magiſtratib. pendenda 353 b
uenationis autores qui 618 a
uenationum tyrannis 46 b
uenatores in ſcripturis pro tyrannis 262 a
uenire ad dies 408 a ad portam 703 b
uenire Deum aliquò 489 b
uenire ſub tectum alicuius 463 b
uentus quomodo ſuper terram inductus 213 a
uentorum operationes 214 a productio unde 214 a rex 214 a uſus 213 a
uenuſtas corporis donũ Dei 315 a uerbum 774 b à ſignis diuellere 593 a
uerbum Dei eſt eius expreſſa uoluntas 8 b
uerbum Dei electorum genitura & alimonia 508 b
uerbum erat in principio 3 a
uerbum Dei potiſsimum attendendũ in ſacramentis 245 b
uerbum Dei ſolum nobis ſit authenticum 555 a
uerbũ & externa ceremonia coniungitur 775 b
uerbi Dei auditores 572 a certitudo 779 a omnipotẽtia 11 b quanta efficacia 18 b ueritas 203 b 506 b
uerbo Dei ſuccedit uerbum diaboli, non econtra 89 b
uerbo uirtutis Dei omnia condita 11 a
uerecundia mulierũ decus 440 a
uerecundiæ exemplum 431 a
uergiliũ locus 352 b
ex Verſione mala quomodo patres argumentati 218 b
ueritas peregrina in hoc mundo 306 b
ueritas Dei per incredulitatem Abrahæ non impedita 553 b
ueritas diuinæ ſententiæ 161 b
ueritatis argumentum quod fortiſsimum 298 b
ueritatem diſsimulantes in papatu 110 b
ueſtimentorũ ſciſſura 732 b 803 b
ueterũ animus erga cognati generis propagationẽ qualis 559 a
uia carnis 285 a
uiæ metaphora 446 b
uiam Domini cuſtodire 444 a
uicariam beneficentiã petere nõ illicitũ 760 b (12 b
uiciſsitudo rerũ triſtiũ & lætarũ
uiciſcitudines rerũ diuinitus diſpenſari 637 a
uictus patriarcharum 251 a
uictoris ueri exemplum in Abrahamo expreſſum 360 b
uictoriæ gloria Deo adſcribenda 356 a
uictus neceſſarius, deliciæ & uſus armorum apud poſteros Cain quomodo 151 b
uictus omnis noſter à manu Dei pendet 764 a
uidendi uerbum 780 b. Deo non ocioſe tribui 178 b
uidere Dei quid ſit 448 b
uidendũ primùm, deinde iudicandum 278 a (lati 488 b
uidentes prophetæ olim appelluiduæ pœna 587 b
uini incautius ſumpti uis 485 b
uinum concernũt quæ in domo ipſius delinquuntur 104 a
uini uſus 249 a
in Vini uſu quæ obſeruãda 251 a
uires ubi deſunt, uerba prudenter uſurpanda 717 b
uir caput domus 577 b
uirilis ſexus honor ibid.
uiri in uxorem poteſtas 491 a
uirginalis, coniugalis & uidualis caſtitas eiuſdem prærogatiuæ coram Deo 587 b
uirginitatis corruptæ pœna. 587 b

587 b
uirtus humilitate commendata, gratior 567 b
uirtus uerbi Dei in perpetuo aquarum cursu considerãda. 22 a
uirtus diuina externis laruis palliata 464 b
uirtutis magis quã nationis habendam esse rationem 826 b
uisionum genera tria 362 b
uisitandi uerbum Domino tributum 506 a
uisitatio diuina 451 a
uisitatio Dei ociosa non est 506 a
uita contemplatiua 430 a
uita hominis cur uia uocetur. 185 a
uita hominis cur dierum appellatione uocetur 160 b
uita hominis in arbitrio Dei. 144 a
uita in plurali forma quid Ebræis 562 b
uita longæua donum Dei 611 b
uita nostra in terra qualis 210 b
uita nostra uentus ibid.
uita piorum peregrinatio in hac uita 827 a
uita cur morti obnoxia 170 a
uitæ genus ueterum quale 590 b
uitæ lignum cur in medio paradisi 61 b
uitæ uirtus à cibandi uirtute separata 61 b
uitæ sortem non dissimulare, cãdidum 566 a
uitæ frugalis exemplum 306 b
uitæ huius miserias quomodo pij obseruent 167 b
uitę humanæ annorum defectus 611 b. imbecillitas 284 b. molestiæ durãt ad mortẽ usq; 112 b. primitiæ 274 b
uitæ nostræ cursus transit 32 b
uitæ nostræ primordia 108 b
uitæ suę ratio etiam iusto habenda 470 b
uitam aliam post præsentẽ longè esse potiorem 563 a
uitam longeuam Deum sanctis largiri 562 a
uitam nostram certis temporum esse gradibus distinctam 23 b
in Vita hominum tot mutationes quot horæ 562 b
uites ante diluuium nũ fuerint 248 b. cur plantatæ, cum tanta mala ex uino proueniant. 249 a
uitia grauiora in celebriorib. urbibus oriri 331 b
uitiorum fontes obturãdi 214 b
uitiorum incrementa 341 b
uiuendi uerbum 421 b
uiuere Deus quando dicatur. 397 a
uiuere potius quàm dominari. 817 b
uiuificandi uerbum pro reseruãdi 312 b
Vlam quid 644 a
ultio diuina 735 b. subitanea 481 a
ultionis diuinæ ordo 481 a
Vnicuiq; ex terræ nascentib. genus suum ad finem usq; mundi cur seruetur 26 a
unitatis ecclesiæ argumẽtũ quãdo inualidum 17 b. consensus 254 a
unitatis peruersæ exemplum. 278 b
uocandi uerbum ut Deo detur. 12 b
uocationis diuinæ libertas 294 a
uocatorum corda diuinitus dici 294 b
uolucres immundæ regni Antichristi 378 a
uoluntas perfecti operis loco apud Deum 547 b
uoluptatis studium non conuenire senibus 441 b
uotum quid 644 b
uota fidelium nõ esse frustranea. 586 b
uocem dare in fletum 810 a
Vrbium uastationes 257 b
Vsurariorum cum fratribus Iosephi collatio 733 a
uteri muliebris fœcunditas quo loco habenda 503 a
Vtz 268 a. 559 b. primogenitus Nahor 559 a
Vuilhelmus Thell 532 a
uulgi ingenium ac uanitas 507 b
uxoris in uiri corpus potestas. 555 b) 491 a
uxoris fides marito quõplaceat
uxoris imago luna 723 b
uxori mariti usum uendere num liceat 658 b
erga Vxorem mãsuetudo requiritur 498 b
uxorẽ esse ad prę̃sentis uitæ tempus pertinere 566 b
uxorem honestã à Domino parari 583 b
uxorem qualem Abraham filio eligat 577 b
uxorem unde accipias multum referre ibid.
uxores patriarcharum separatis tabernaculis habitasse 249 b
uxores quid maritis suis debeãt in causa pietatis 303 a
uxorum apud ueteres genus duplex 384 a
uxorum uocibus etiam sanctos seduci aliquando 386 a

Z

Zacharias cur mutus redditus. 199 b
zærah nascitur 740 a
zaphnath Paeneah 775 a
Zeboym subuersa 475 a
zebulun nascitur 660 a benedicitur 848 a
Zębulun filij 820 a
zenonis à Diogene irrisio 210 b
zepho nepos Esau à Iosepho captus 856 b
Zillah 146 b uxor Lamech, 151 b
zilpha ancilla Leæ 651 a
Zoara ciuitas 323 b 331 b 339 a 471 b 473 b
Zuzim pop. 339 b

FINIS.

SERIES CHARTARVM.

a a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. *Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd Eee.*

Omnes sunt terniones, exceptis a & Eee duernionibus.

BASILEAE PER IOANNES HERVAGIOS,
mense Septembri, M. D. LIIII.

A 1413575

peribus· & si quid aliquem defraudau
reddo quadruplum· Ait ihs ad eum·
Quia hodie salus domui huic facta
est· eo quod et ipse filius sit abrahę·
Venit enim filius hominis querere
et saluum facere quod perierat·
Haec illis audientibus· adiciens·
dixit parabolam eo quod ēet prope
hierusalem· Et quia existimarent
quod confestim regnū dī manifesta
retur· Dixit ergo· Homo quidā
nobilis abiit in regionem longinquam· accipere sibi regnum
et reuerti· Uocatis autē decem
seruis suis· dedit illis decem mnas·
Et ait ad illos· Negotiamini dum
uenio· Ciues autē eius oderant illū·
& miserunt legationem post illum
dicentes· Nolumus hunc regnare
super nos· Et factū est ut rediret
accepto regno· iussit uocari seruos
quibus dedit pecuniam· ut sciret
decem mnas habet· Et dixerunt illi·
Onē· habet decem mnas· Dico autē
uobis· quia omni habenti dabitur·
ab eo autē qui non habet· & qd· ha
bet auferetur ab eo· Verūm-
tamen inimicos meos illos qui
noluerunt me regnare super se
adducite huc et interficite ante
me· Et his dictis· precedebat ascen
dens hierosolymam· Et factum
est cum appropinquasset ad bethfa
ge & bethaniam ad montem qui
uocatur oliueti· misit duos discipulos suos dicens· Ite in castellum
qd contra est· In quod introeuntes·
inuenietis pullum asinę alliga
tum cui nemo umquā hominū
sedit· Soluite illum· et adducite·
Et si quis uos interrogauerit· quare
soluitis· sic dicetis ei· Quia dns
operam eius desiderat· Abierunt
autē qui missi erant· & inuenerūt

k805.